8447

TASSA.

YO Christoual Nuñez de Leon, escriuano de camara del Rey nuestro Señor, de los q̃ residen en su Consejo, doy fee q̃ auiendose visto por los señores del, vn libro intitulado: *Tomus variarũ disputationum, tam ad Primã partẽ, quàm ad Primam secundæ Sancti Thomæ.* Cõpuesto por F. Francisco Çumel de la Orden de nuestra Señora de la Merced, Cathedratico de propriedad de la vniuersidad de Salamanca, que con licencia de su Magestad fue impresso, tassaron cada pliego de los del dicho libro a quatro marauedis y medio, y parece tener docientos y sesenta y dos pliegos, que al respecto dicho montan mil y ciento y sesenta y nueue marauedis, y a este precio mandaron se vendiesse y no a mas, y que esta tassa se ponga al principio de cada libro de los que se imprimieren. En Madrid a veynte y quatro de Deciembre de 1608. años.

Christoual Nuñez de Leon.

11
78

¶ 2

FACVLTAS R. P. N. GENERALIS.

FRater Ildephonsus de Monrroy, in Sacra Theologia Magister, humilis Generalis totius Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redēptionis Captiuorū, &c. Cum nostræ Redemptorū familiæ, Christianæ fidei professores, miserrimam & calamitosissimam vitam apud perfidos Mauros in Captiuitate degentes, in pristinum ac fœlicissimum libertatis statum redigere finis existat: cumque is non tam in Christianorum fidelium redemptione, quæ in corporum libertate posita est, eos à vinculis corporis eripiendos, quā in animarum defensione, ab ingentissimis periculis, quæ illis contra fidem sese offerunt, situs sit & locatus: ideò iure optimo, sacram hanc nostram Deiparæ Virginis Mariæ de Mercede Religionem, in fidei defensionem aut iuuamen instituta fuisse, licet fateri. Cum igitur ad nos, quibus graue hoc regendi munus est commissum, eos, illa quibus nostri instituti finis & scopus attingit, semper intendere maximè pertineat: teq; Reuerendissimum Patrem Fratrem Franciscum Çumel quondam nostræ Religionis dignissimum Generalem, Sacræ Theologiæ & Artium in Salmanticensi Academia Magisterij corona laureatum: omnium scientiarum abundantissima fons, & per totum terrarum orbem fulgentissimum lumen, meritissimum vtriusque facultatis Decanum, ac publicum professorem; in studijs liberalissimisque doctrinis versatum, & præcipuè huius nostræ fidei dictis & scriptis accerrimum propugnatorem & defensorem extitisse perpenderimus, ideò tria volumina super Diuum Thomam Angelicū Doctorem (cuius veriſsimam doctrinam semper in omnibus & per omnia es amplexus) primum super primam Partem, secundum, super Primam secundæ, & tertium super vtramq; in lucem edere, licentiam concedimus: vt quæ maximis laboribus, assiduis & continuis vigilijs in vnum congesta habes, typis mandare atque in publicam lucem proferre, quam citius intendas: Et si præmium æternum literarum in cælo esse principem & magnum, Redemptor Christus prædicauit & docuit: Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorū, vt meritum tuo labori debitū in terra non amittas, iugum obedientiæ tibi imponimus & in virtute Spiritus Sancti præcipimus. Datum in nostro Conuentu Pintiæ, Anno Millesimo sexcentesimo quinto, Duodecimo Kalendas Maij.

F. Ildefonsus de Monrroy Mag. Gen.

De mandato Reuerendiss. P.N. Magistri Generalis.

F. Antonius de Mendoza Secretarius.

IEmos tres Variarum disputationum, alterum in primam partem D. Thomæ, alterum in eius primam secundæ & tertium in vtramque, per Reuerendissimum patrem Magistrum fratem Franciscũ Cumel, almæ Salmanticensis Academiæ Decanum, de mandato supremi Regij senatus diligenter vidimus, attentè perlegimus, & acuratè nimis considerauimus, nihilq; in eis Catholicæ fidei contrarium, nihil à veritate alienum, aut studiosis moribus repugnans inuenimus, quin potius ingenij minam claritatem, doctrinæ copiosam exuberantiam, D. Thomæ Aquinatis, disertissimam expositionem, sacrorum Conciliorũ subtilem ac penetrabilem intelligentiam, Sacræ Scripturæ inscrutabiles germanosq; sensus, & (quod mirum est) nouas & sinuosas difficultates quæ hac tempestate latent, sic ad vnguem, lucemq; redactas, vt nihil post eum nisi Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ determinatio desiderari possit. Exuberãter effundit iste Cumel, ceumel, inclyta eloquia sapientiæ suæ, propinat & fidelibus poculum salutaris sapientiæ, dat fauum cum melle suo, & vinum miscet cum lacte, vt Ecclesiæ Christicolæ deinceps iam non esuriant aut sitiant, sed saturentur & bibant de tantæ voluptatis torrente. Magister hic inclytus sic profecto, vt solet, omnia scribit, sic omnia tractat, sic disputat ac determinat, quasi nunquam non in sinu Angelici Doctoris recubuerit, indeq; sibi abundanter accerserit sapientiam, ita sane vt meritò possit Prædicatorum familia gloriari se talem ac tãtum suo D. Thomæ, interpretem & defensorem inuenisse, imo quod maius est, meritò sibi ipsi cõgratulari possit Ecclesia sponsa Christi, se à Patre luminũ cælesti obtinuisse fidelem seruum ac prudentẽ, Magistrum egregiũ & omnibus numeris absolutum, qui suis alumnis tribuat supermensuram coagulantem: quinimò sicut & diuinam gratiam non ad mensuram sed superaffluentẽ: hæc iam olim præstitit, dissertissimas lucubrationes suas, non sine magna Ecclesiæ vtilitate in lucem edidit, sed nunc denuo in nouis suis scriptis supra se ipsum factus, non solùm alios nouos & antiquos scriptores, sed se ipsum superasse videtur. Quapropter meritò typis mandari debere iudicamus, quod in præclaram Ecclesiæ vtilitatẽ futurum speramus. Datis in Collegio Sancti Gregorij Vallisoletani, Die 30. Ianuarij Anni à Dominica Incarnatione M. DC. V.

Fray Diego Nuño.

Fr. Antonio de Sotomayor.

EL REY.

POR quanto por parte de vos el Maestro F. Francisco Çumel, decano de la facultad de Theologia, Cathedratico de propriedad de Moral jubilado de la Vniuersidad de Salamanca, nos fue fecha relaciõ que auiades compuesto tres libros de varias disputaciones que eran sobre la primera parte y prima secundæ de Sãcto Tomas, en los quales auiades trabajado mucho tiempo, y nos pedistes y suplicastes, os mãdassemos dar licencia para los imprimir, y priuilegio por veynte años, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, y como por su mandado se hizieron las diligencias que la prematica por nos vltimamente fecha sobre la impresion de los libros dispone, fue acordado que deuiamos de mandar dar esta nuestra cedula, para vos en la dicha razon, y nos tuuimos lo por bien. Por la qual os damos licencia y facultad, para que por tiempo de diez años primeros siguientes, que corren y se cuentan desde el dia de la data della, en adelante podays imprimir los dichos tres libros, que de suso se haze menciõ, por sus originales que en el nuestro Consejo se vieron, que van rubricados y firmados al fin de Christoual Nuñez de Leon, nuestro Escriuano de camara de los que en el nuestro Consejo residen, con que antes que se vendan los traygays ante ellos, juntamẽte con los originales, para q̃ se vea si la dicha impresion està conforme a ellos, o traygays fee en publica forma, como por Corrector nombrado por nuestro mandado, se vio y corregio la dicha impresion por los originales. Y mandamos al impressor que assi imprimiere los dichos tres libros, no imprima los principios ni primeros pliegos del, ni entregue mas de vn solo libro con los originales al author a cuya costa los imprimiere, ni otra cosa alguna para effecto de la dicha correccion, hasta que antes y primero los dichos libros esten corregidos y tassados por los del nuestro Consejo, y estando hecho y no en otra manera pueda imprimir el dicho principio y primer pliego, y seguidamente ponga esta nuestra cedula y priuilegio, y la aprobacion, tassa y erratas, so pena de incurrir en las penas contenidas en la dicha prematica, y leyes de nuestros Reynos. Y mandamos que persona alguna sin vuestra licencia, no lo pueda imprimir, ni vender, so pena que el que lo imprimiere, o vendiere, aya perdido y pierda todos y qualesquier libros, moldes, y aparejos que de los dichos libros tuuiere, y mas incurra en pena de cinquẽta mil marauedis, cada vez que lo contrario hiziere: la qual dicha pena, sea la tercia parte para la nuestra camara, y la otra tercia parte para el juez q̃ lo sentenciare, y la otra tercia parte para la persona que lo denunciare. Y mãdamos a los del nuestro Consejo, Presidentes, y Oydores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, Alguaciles de la nuestra casa y Corte, y Chancillerias, y a todos los Corregidores, Assistente, Gouernadores, Alcaldes mayores, y ordinarios, y otros juezes y justicias qualesquier de todas las Ciudades, villas y lugares de los nuestros Reynos y señorios, assi a los que agora son, como a los q̃ seran de aqui adelante, que vos guarden y cũplã esta nuestra cedula, y merced q̃ vos hazemos, y cõtra su tenor y forma, no vayã, ni passen, ni consientan yr ni passar en manera alguna, so pena de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra camara. Fecha en Valladolid à 13. dias del Mes de Março de mil y seyscientos y cinco años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro Señor.

Juan de Amezqueta.

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

D. FRANCISCO DE SANDOVAL ET ROJAS, Duci de Lerma, Marchioni de Denia, potentißimi Regis noßri Philippi III. cubiculario primo, Hißpanorum equitum, & Regiorum equorum præfecto maximo, Caßellæ Commendatario maiori, & in ſupremo ſtatus Conſilio ampliſſimo Conſiliario. F. Ildephonſus de Monroy, totius Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorũ Generalis Magiſter dicat, & conſecrat.

Onſumptis lachrymis (Dux excellentiſſimè) nondum exhauſtus oſsibus adhuc inhæret dolor, quem cepi, vel vt verius dicam, omnes boni ceperunt, amiſſo Patre, Magiſtro, Cumel excellentiæ tuæ obſequentiſsimo, atq; deditiſsimo, verbíſque ac literis Clementis VIII. Pontificis maximi ſæpius cõmendato, cuius opera, ac ſolicitudo non in conſeruanda ſolùm, ſed etiam augenda Eccleſiæ Catholicæ gloria ſemper enituit: quem in conſilium propter ſummã ſcientiam, atque prudentiam Reges, cum de maximis rebus conſultarent adhibuerũt: omnes tamſui, quàm alieni coluerunt: quem patronum, tutorem, patrem hæc totius orbis terrarum florentiſsima Academia viuum cõplexa, ita mortuum obſeruat, vt nemo in ea reperiatur, qui tãti viri memoriam, quam omnes excipiunt anni conſequentes, cum laude, & mœrore non vſurpet. Ad eum enim tanquam ad Apollinis oraculum, in difficillimis doctrinarum nodis, qui diſcere cuperent, accedebant, fieríq; ſtudebant eius prudentia doctiores: cum intelligerent nullam eſſe tàm arduam, atq; difficilem in rerum cognitione quæſtionẽ, quæ huius viri ſcientiam fugere poſſet. Quo mortuo, quo ſe conferant diſcendi ſtudioſi deſiderarent, niſi inſtar ſui, ille libros, vnde ipſi tanquam ex perenni fonte ſcientiam haurire poſſent, reliquiſſet. Nam quemadmodũ matris marito orbatæ ſolitudinem ſuperſtites filij vultum, ac mores patris referentes, non adi-

mere,sed leuare solent; sic dolorem, quo tanto vidua magistro hæc afficitur Schola,vel verius liberi,quos ipse reliquit, in quibus vera morum, atque doctrinæ parentis apparet imago, leuare aliquantulum possunt, auferre omnino non possunt, ex quibus qui viuo patre in lucem editi sunt, ipse tolli visit: reliqui, quos ille quidem genuit, nondum tamen, cum ex hac vita discessit, susceperat, posthumi orbi,atque deserti ad tutelam tuam confugiunt, vt eos adoptans ab omni velis orbitate vindicare. Idq; eo libentiùs tua benignitas efficere debet,quod antequàm suũ diem obiret,tibi author,vel verius pater dicauerat, destinauerat atque in tuis gremijs collocare;cuius tu scripta illustri gratia excipere solebas,quæ spes, ne eos fallat tua genua complexi,per fortunas tuas,per virtutem, & nobilitatem,per charissimos liberos orant,atq; obsecrant, vt quam tuam liberalitatem minus clausam patrimi sentirent, eandẽ apertam posthumi experiantur. Accedit alia quoque causa, vt ea humanitate, qua soles doctorum hominum scripta hos etiam libros complectare,quod propter rerum, quæ in ipsis tractantur magnitudinem,nobilitatem,atque excellentiam digni censeantur, quos tua magnitudo, nobilitas, atque excellentia tueatur. Neque magnus tibi eos tueri labor, cum nutus ipse tuus non solum incolumes possit conseruare, sed etiam extinctos ab inferis excitare. Liceat igitur his libris(Dux excellentissimè)tua liberalitate frui,liceat nobis, liceat Magistro Cumel mortuo,vt diutius volitet viuus per ora virûm. Etenim si gemmas, atque margaritas non suo, sed illorum, qui eas gestant pondere æstimare solemus (si architypi toreumata vasa, tabulásque pictas maiora facit æstimatio possidentis,quam artificis manus effingentis)dubium non est,quin hoc tanti Magistri opus cùm ad tuas manus peruenerit summum sit pondus habiturum. Vale, Dux excellentissimè, ac diu fruere isto tanto, támque sublimi fastigio, in quo te nõ rationis inimica fortuna,sed prudentiæ comes virtus collocauit.

MAGISTER IN SACRA THEOLOGIA FR. ANTONIVS DE HERREROS,

quondam in Vniuersitate Pintiana Publicus professor, nunc Salmanticæ Collegij Veræ crucis Rector, Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, hæc Lectori dicit & consecrat, & S. F. E.



VIS vnquam liber, hoc vno excepto, in lucem editus, publicúmve ad forum productus fuit, minus prologi, aut minus auxilij indigẽs; aut linguæ longè latèque patenti iurisdictione liberior, & immunior quam iste? siquidem tibi (charissime Lector) authoris cognitionem, vtpote maximam offert hoc Collegium, de quo satisfactio amplissima extat & habetur: cuius quidem nomen pro epistola commendatitia, & conciliatrice præfatione lectori sufficeret, quippe cũ in eo præcipuũ sit, opus suũ commendare. Opem igitur nullius requiret, aut desiderabit, qui tot tantisque populis eandem attulit. Securus valde à morsibus linguæ existet, qui duas causas, quæ hunc detractionis ignem mirum in modum suffiant, & incitant, eruerit. Prima videlicet materiæ humilitas est atque demissio, quamobrem Aul. Gellius in noctibus Atticis Fauorinum Philosophum, lepidissimumque & acutissimum Poëtam Ouidium ineptiarum condemnat; Eraſmo verò limatissimo, quod in hoc vitium incurrerit, amiciores non pepercere, occupationes certè (vt sapientissimus Tertullianus ait) vanissimæ & cassæ. Secunda verò est, quod cum materia grauis sublimisque existat, stylus contemnendus, abiectus, infimusque esse videatur: cumque obiectum pertiosum, seu potius inæstimabile sit, modus è contra insuauis, & assumpti grauitate nullius momenti, quasi pro fiscali authorem accusante ac redarguente: nec immeritò, quippe qui Horatianum consilium satis vulgare non ceperit. *Sumite* (inquit) *materiam vestris, qui scribitis, æquam Viribus, & versate diu, quid ferre recusent, &c.* Metiri itaq; debet quis vires suas pondere & magnitudine prius rei tractandæ atque differendæ: quod si vires subiecto assumendo, tractandoq; argumento impares fuerint, nullo modo aggrediatur, & audeat, ne Ouidianum illud ei subinde obijciatur: *Magna petis Phaëton, & quæ non viribus istis Munera conueniunt, nec tam puerilibus annis.* Non enim tantopere Remora pisces ob remorandi nauigij cursus cor & audaciam à Lucano comẽdatur, nec tanto in pretio Athlas ob opem, quam Herculi tulit habetur, quantopere quod Remora illa vere se cum nauigio mensa fuerit, & Athlas cum cælo mendaciter, tanquam cum prouincia viribus suis digna. Nec aliter quidem, qui cũ statura sit Milo, se Orionem simulare nititur, & cũ excors piscis sit, animosam Remoram reddere atque ostentare optat: minime miror, si lingua ipsa velut lictor, domum ipsius mulctatura eum accedat, atque etiam pignora auferat in calle, vt palam omnibus, defectus, errores, ac vitia operis eius proponens. At verò in quem materiæ tenuitas, nec styli inopia & infirmitas inuasit, iniquæ & maleuolæ linguæ morsibus detractioneque securus esse potest, necnon prologi immunis. Quibus sanè præmissis rectè (ni fallor) exorsus sum librum hunc prologo, cõmendationeq; minimè egere, ob tantam & diffusam authoris cognitionẽ: vt non plus quã quod res est, mihi facere videar, si nostræ ætatis Colonẽ, in ea nouas, nec vnquam antea cognitas S. Theologiæ difficultates aperientem & enucleantem: nauiganteque alios posteà ad se sequendum excitantem appellitem: quippe qui nostris primus, seculis, primæ partis commentum, explicationemq; vberrimã inierit ordine ipso S. Thomæ, atq; inchoauerit. Iam verò quam rectè id effecerit, quamque scopũ attigerit satis, superq; constat: inde enim vsq; ordinẽ, viamq; Magistri sententiarũ omnes deserentes, tam ab antiquis scriptoribus vsurpatum atq; celebratũ, communis Magistri Angelici Doctoris S. Thom. dispositionem methodumq; imitantur atque sequuntur. Quòd si cui me in hoc nimium esse visum sit, quis nam scribendo, & cum securitate mentis se ei anteuerterit, circunspiciat, & nequaquam reperiet. Hanc ideò de authoris cognitione periodum, duobus tamen prius edictis, optimè definiam. Primum illud scilicet est, quòd cũ Salmanticẽsis Academia neutiquã, vt vnus reliquis cognitione præstet cõ-

cedat,

cedat, vni tamen noſtro authori hanc præſtantiam quaſi triente, & quincunce (vt aiunt) illuſtrioribus eum filijs præferens, ſine æmulatione detulit: vtpote cum cæteri ipſum, ceu digito indicantes, talis tantæque matris primogenitum nuncupabant, conſilij patrem, vniuerſitatis cor, quibus meritò titulis albo omnium calculo perfruebatur. Secundum autem eſt, quod eiuſdem notitia ab altera Chriſtianæ Religionis columna Philippo ſcilicet III. ad alteram, Rom. ſcilicet Pontificem, Clemẽtem VIII. citiſsimè peruenit. Primus illum ſignanter ad cunctas, ſiue paruas, ſiue magnas conſultationes & comitia, conſcientiæ grauiſsimos caſus, Reipublicæ totius regimen & gubernaculum indicat, adeò vt vix, dum ſiccum calamum ſententiæ, quam in illo de Venetijs interpoſuerat haberet, cum miſerabili Regno tanta calamitate talis deſiderata eſt lux. Atqui (quod maius multò, mirabiliuſque eſt) non in corde (vt aiunt) neque intra curiæ fores, niſi ab eodem longè remotum, quod tamen rationi conſonum & cõſentaneũ erat, quippe cum oracula ita eſſe oporteat. Secundus autem viuæ vocis oraculo id ſatis demonſtrauit, eum ſuis literis, ignotum facie, ſed nomine & fama notum, ornans. Quod magnæ ſanè conſolationis eſt, vt inſignes viri tantam iuriſdictionem habeant: vti paruam & modicam quam facies habet, vigente ſcilicet & crebreſcente fama ſuppleat, quæ iniurias, quas fortuna iniqua moderatrix, & infelix ſydus hominibus, dico viris ſapientibus & præclaris, infert, diminuit & mitigat. Notitia igitur & fama tanti authoris eiſdem quibus ſol terminis circumſcripta, eum, vt excuſaret releuaretque prologo, æquum eſſet, nec minus certè parua, quàm alicuius auxilij habet neceſsitas. Illud adhuc attendere ſufficiat, & mente agitare, quod ſi omnes & ſingulas victorias, tropheaue, in ſanguinolentis literarum prælijs conſideremus: ab hinc annos circiter viginti, pauca admodum aut nulla potius tela, quin ipſiuſmet munitione librorum coniecta fuerint, extiterũt, per pauca vulnera inflicta, quin armis ex eiuſdem armamentario depromptis illata fuerint. Rariſsime tandem quis per ingenuas caput exrulit artes, aut laurea donatus fuit, cuius in vertice noſter illuſtriſsimus author & Magiſter plurima folia non habeat, atque poſsideat. Quod ſi duo antea dicta eum à præfatione liberum immunemque reddunt, quanto magis tertium? grauitas nempe materiæ, quæ quidem theſaurus pene S. S. Theologiæ exiſtit, de libero vtpote arbitrio, in quo hæretici tam liberi, inſolentes, licentioſique fuerunt: de auxilijs namque agit, de quibus impius Lutherus atque Pelagius tam effrenatè & impudenter locuti ſunt, prædefinitiones hominis voluntatem appellantes: de concordia etiam liberi arbitrij cum gratiæ donis, vnde non nullæ literales diſcordiæ effluxerunt: de ſcientia tandem media, vbi multos iam annos medium quoddam quæritur, nec facile inuenitur. Iam vero ſi ad illud vltimum, quod quemlibet authorem à caninis maleuolorum dentibus facillime vendicat, acumen nempe in dicendo, grauitas in loquendo, ſtabilitas in docendo, ſecuritas in inſtitutione deſcendamus, magnam ei quidem ignominiæ notam inureremus, ſi pluribus hoc rationibus, quam ab ipſomet ſuis inſcriptis relictis comprobare niteremur. Subtilitas certè in dicendo ſatis liquet, ſiquidem cum Hæretici, æmuli, aduerſarijq; fidei noſtræ puriſsimæ audaciam ſuam pro ſapientia iactare atque venditare voluerint, noſter hic ſagaciſsimus author eã ſua incredibili prudẽtia, ingenijq; dexteritate diſcutit & retorquet, nullam quam in eis non diſſoluat rationem, concilium quod non explanet, perſonam & phaleras quas non argumentis ratiocinijſque illorum non adimat, vultus ipſorum fœditatem acriter aperiens, atque reuelans. Grauitatem illius in dicendo, veneranda ſanctorum teſtimonia quibus libros ſuos (vt ita dicam) authorat & munit, nobis ſatis indicãt & manifeſtant. Vnde ſtatim nullo labore, ſacroſanctæ Eccleſiæ Græcæ, & Latinę authoritatem, vnum videlicet Hieronymũ, vnum Auguſtinum, vnum Ireneum, Baſilium, atque Chryſoſtomum colligemus, quorum in lectione & proſequutione nonnullorum interdum errores reperit: ſeu furta potius, quæ deinceps cordula (vt aiunt) aurea cognoſcentur. Si cui autem, hoc à me excogitatum & commentitium eſſe videatur ſectionem quartam libri primi euoluat, vbi quãta ſanctorum Patrũ dignitate, & venia author noſter differat haud difficile perſpicietur. Firmitas denique in doctrina ex ipſius ad D. Thomã Doctorẽ Angelicum conſtanti adhæſione nota & manifeſta, fiet: cuius optimo iure inclyta, atque diuina doctrina, ab alma matre Eccleſia mirifica à Chriſto Opt. Max. bona, ab Innocentio Pont. Max. vera vocitatur: quique ab ea recedit in vero ſuſpectus habetur. In ſoliditate itaque doctrinæ nemo illi ſimilis aut conferendus videtur. Hæc enim non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, non in lenocinio rhetorico ſita eſt, non iſta inquam, ad hoc Religionis Chriſtianæ bellum munitio quæritur, ſed genus quoddam legitimum efficaciſsimis verbis & proprium; quæ D. Cyprianus non diſerta, ſed propria dicit, non in nouarum apparatu, in opinionum repræſentatione mortuarum, aut comme-

moratione, perpetua æquisimè obliuione sepultarum, quas ipsimet in lucem ad multos obsecrandos proferunt: qui seipsos linces fecerunt, imò in propositione illa, quam nobis velut hereditario iure (vt ait Theodoretus) sancti Patres reliquerunt, cuius scriptis Arnobio testante, vera Theologia, doctrinaque Christiana salutaris verisimè illustrata fuit, non in propositione inquam rerum propriarum, quando-quidem non doctior est qui proprias conceptiones in lucem edit, quam qui sanctorum originales, dummodo veræ sint, non mendosè, nec mutilatè euulgat. Alioquin D. Hieronymus & Augustinus DD. maximi, atq; diuini crimen cõmisissent, in vituperationemque hominum incurrissent, quòd alter vigilias & conceptus Irenei, alter verò Augustini mundo suppeditasset. Exquiro (ingenue lector) est ne melior sordida & venenata Araneæ tela, quòd fila genuina sunt & ab illius præcordijs extracta; quam dulcis apis argumentosæ fauus, quòd accessoria instrumenta aliunde petantur? O fœlix, terque beatum tempus, quòd nostro authore liberaliter & arbitrio suo fruitur, cuius castissima integerrimaque doctrina omnibus his dotibus, proprietatibusque associata existit! O tu Salmanticen. Academia talem ac tantum Magistrum, Decanumq; glorioſissimum nacta fœliciſsima, centies tui Academici ipsiusmet scriptis & monumentis affluẽtes fortunati! Quingẽties deniq; & amplius ordo meus religioſissimus & sanctissimus fortunatus! in quo quanquam centum quinquaginta & eo plus annos nunquam pignora tua literarijs laureis desiderata sunt, quemadmodum vnus Mag. Salazar primus sanctæ linguæ Cathedraticus; Magister Matute Durandi Cathedram glorioſe gubernans; Mag. Solis linguarum copia & varietate insignis. Frater Ioannes del Pie del Puerto Lutetiæ Parisiorum vsque publico stipendio adductus; Vnus Fr. Gregorius Acciſo tam Cathedrarum, Vniuersitatisque dominus, vt sua ipsius sola voluntas ad libitum hanc eligeret & optaret, illam verò dimitteret, & repudiaret; Vnus vir egregius ac singularis Mag. Gaspar de Torres, quem nominando solum summoperè laudo; Vnus tandem Fr. Petrus Machado tam doctrinæ floribus, quàm literarum mira vbertate insignitus, quem dum hæc alma Academia ditissimo eius ingenio fruita est, nobis dubitandi occasionem præbuit, an tabescens admodum horriferi Boreæ inuidia eum orbi adusserit, quo meliores opportunioresque Academiæ fructus obnubilaret, & absconderet. Verumtamen omnia ista præludia (vt ita dicam) non nisi quidam præcursores & veluti Antesignani ad tanti, tamque omnibus numeris absoluti nostri huius authoris existebat. Fœlix ideò vnus ante alios noster hic Magister! in quo D. Ambrosij dulcedo, sicut nomen Çumel ceumel continet, latitare videtur, cùm dimidium illius huic titulo sufficiet; Augustini profunditas, Hieronymi integritas, Thomæ veritas, connexa colligataque inueniuntur. Fortunate tu quoque Angelice Doctor, qui quidẽ si in vtramque aurem dormias, filium, discipulum, studiosum, deuotum obtines, qui tuam sanctissimam doctrinam propugnet, miraculosasque sententias defendat atq; tueatur. Iam verò quod me de nostro Doctore maiorem in admirationem rapit, vnũ illud est, quòd cum tantum laborarit, vigilarit, scripserit, vtpote non minus quam septem tomorum libros, qui quasi noui cuiusdam orbis miracula alios obtegunt & obscurant, eundem tamen constantem vbique in omnibus & singulis materijs, rebus, & tractatibus cognosco, video, animaduerto, ac si totam vitæ suæ vsuram in earum vnaquaque contriuisset. Si Theologiam attendas, ad iuridica & canonica oculos ne conieciſse quidem videtur. Si ad hæc respicio, vt in re & disputatione Venetiana apparuit (opera vtique S. D. N. Pauli V. authoritate dignissima) professor vtriusque iuris diligentissimus, leges veraque Cæsarea & Pontificia citans, mihi iudicatur, ita vti de eo quod Pytheas ille de Demosthenis enthymematis (vt in ipsius vita Plutarchus refert) affirmat, re vera dicere possimus, lucernam Cleantis olent: Demosthenes enim nunquam non premeditatus sermonẽ habebat, aut verba faciebat. Si quis diligenter studioseque nostri clariſſimi authoris opera peruoluerit (de cęteris enim taceo) omnia lucernam Cleantis olere perspiciet. Tam consulto & cogi-

tatè

tatè verba fecit ac si tria tantum, aut quatuor enthymemata essent. Consonum igitur est optimè Lector ne opera & lucubratio, in se Ecclesiæ tantam quietem, tantum tibi emolumentum, tantamque Angelico Doctori gloriam in posterum complectens, à me seruetur aut operiatur, quin potius libenter prodatur & palam vniuersis fiat, quo Ecclesia sancta Catholica per illam Apocalypsis Ioannis mulierem signata & adumbrata vehementer speret filium dilectissimum, quem peperit, id est D. Thomam à Dracone eum expectante deuoraturo, tutum manere atque securum, & in illis tam suæ quàm commentatoris huius prudentissimi doctrinæ ortodoxę advolabit. Vale.



TOMVS VARIARVM DISPVTATIONVM,

Tam ad Primam Partem, quàm ad Primam Secundæ sancti Thomæ.

AVCTORE F. FRANCISCO CVMEL,
Doctore Theologo, & Decano Academiæ Salmanticensis.

Vtrùm illud auxilium gratiæ actualis, quo Deus nos excitat, aut quo nos mouet interius ad supernaturales actus, sit aliquid creatum in nobis: & quid sit?

QVONIAM de hac controuersia sunt plures sententiæ, & variæ, idcircò oportet præmittere suppositiones quasdam, antequam de proposita controuersia decernamus quid statuendum sit. Suppono ergò primò tam in intellectu, quam in voluntate constituendos esse supernaturales actus habentes rationem gratiæ excitantis, imò verò est persuasum in opinione multorum à Deo totaliter produci vocationes, illuminationes, inspirationes, & bonos affectus, quibus Deus per se nos vocat, & ad pœnitentiam excitat. Hoc videtur insinuare Concilium Arausicanum secundum, canone 20. vbi dicitur: *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo, nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstet, vt faciat homo.* Vbi aduerte quod quando Concilium ait multa in homine bona fiunt, quæ nō facit homo, hoc præcipuè dicitur propter vocationes, inspirationes, & illuminationes diuinas, hoc enim nomina ipsa videntur significare. Hoc D. Augustinus significat, lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 21. cum multis ostendit initium salutis nostræ ex Deo miserante haberi, & subiungit quod acquiescere salutiferæ salutationi est nostræ libertatis. Hoc etiam constat ex illo celebri testimonio Apocalypsis 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam intrabo ad illum.* In quibus verbis aperte significatur Deum se habere instar pulsantis ad ostium, cum ad se peccatores vocat: pulsatio enim totaliter fit à pulsante, quamuis aperire, & audire sit domini domus. Vnde vocatio peccatoris totaliter erit à Deo, quamuis peccatoris etiam sit attentè audire vocationem domini, & ianuā suæ voluntatis aperire consentiendo vocationi. Quò fit, vt nonnulli statim atque vocantur dicant Psal. 34. *Audiam quid loquatur in me Dominus.* Vel cum Paulo. *Domine, quid me vis facere?* Quorum consensus, & obedientia non fit, sine diuino numine, & auxilio. Et Isaiæ 50. habetur, *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico.* Vbi apertio auris tribuitur soli Deo, at verò non contradicere, nec retrorsum abire etiam tribuitur homini, & libertati eius, non tamen vt dixi sine gratia Dei, aut diuino numine. Rem hanc valde confirmat: Quod si primæ vocationes, quibus homines inspirantur à Deo, sunt actus nostri, cum sint supernaturales

Suppositiò prima.

Conc. Arausicanum.

D. Aug.

Apoc. 3.

Psal. 34.

Actor. 9.

Isai. 50.

turales quoad substantiam, fieri non possunt sine alio speciali auxilio supernaturali. Nam par ratio est de istis, & de alijs actibus supernaturalibus: ergò vel erit processus in infinitum, vel oportet deuenire ad supernaturalem actū, qui fiat per intrinsecum auxilium totaliter à Deo productum, & sic erit aliquid creatum in nobis. Fauet etiam D. Augustinus contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 8. lib. 2. dicens: *Multa Deus bona facit in homine, quæ non facit homo, vt velimus sine nobis operatur.* Et de gratia, & libero arbitrio, cap. 15. & 17. Ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. & de spiritu, & littera, cap. 34. & in plerisque alijs capitibus eiusdem libri ait: Sentire diuinam motionem in nobis necessariò sit, consentire autem liberè contingit. Vide eundem Augustinum de spiritu, & anima, cap. 48. & de Prædestinatione Sanctorum, capit. 13. & in Enchiridio. cap. 32. Lege etiam D. Anselmum, circa illud Pauli 1. Corinth. 15. *Sed gratia Dei mecum.* Quo in loco perpendit diuinam pietatem prius agere aliquid in nobis sine nobis, vt subsequente nostro arbitrio nobiscum agat bonum quod appetimus. Quæ verba habentur apud Gregorium Magnum 16. Moralium, cap. 10. & 11. & hom. 9. in Ezechielem, explicans illud: *Non ego, sed gratia Dei mecum*, dicit enim: *In hoc quod à solo domini dono prævenitus sum, non ego: In eo autem quod donum voluntatis jam sequutus, & ego.* Idem docuit D. Bernardus lib. de gratia, & libero arbitrio, & D. Prosper. seu Ambrosius, lib. 2. de vocatione gentium, cap. 9. Et idipsum insinuat D. Thomas 1. 2. quæst. 111. artic. 2. vbi ait, quod velle in quo voluntas non mouet se, sed tantum mouetur à Deo, dicitur gratia operans. Idem docuit Stapletonus, lib. 4. de iustificatione, capit. 7. & Ruardus Tapper. art. 7. contra Lutherum. Et profecto si tales actus non fiunt à Deo totaliter, sequitur, quod non solùm sunt auxilia, quibus Deus iuuat potentias hominum, sed etiam quibus homines eas dem iuuant.

D. Augustinus contra duas epistolas Pelagian. & alibi sæpius.

D. Ansel. 1. Cor. 15.

D. Greg.

D. Bern. D. Prosp. D. Ambr. D. Thom.

Stapleton. Ruardus Tapper.

De his motibus, seu diuinis vocationibus, inspirationibus, & motionibus Dei, dici solet esse repentinos quosdam motus instar naturaliū coruscationum præuolātium, & quod anteuertunt libertatem, & consensum nostrū, nihilominùs tamen talia auxilia excitantia esse actus vitales productos ab intellectu, & voluntate, sine libero consensu eorum. Ita sensit Driedo, lib. 2. de gratia, & libero arbitrio, tract. 1. cap. 2. qui quamuis alibi dicat has inspirationes, & hos actus intellectus, & voluntatis non esse à nobis, intelligit non esse à nobis liberè. Soto lib. 1. de natura, & gratia, capit. 16. Caietanus, & Bartholomæus Medina, 1. 2. q. 111. artic. citato, & nos ibidem, artic. 2. disput. 3. Nam certè implicat actum vitalem produci nihil efficiente potentia vitali, vel saltem si hoc non implicat, vt nonnulli putant, tamen vt minimum est præternaturale, & miraculosum: ergò cum nihil ad hoc nos compellat, aut cogat, non est ita ponendum. Actus enim vitalis est quo potentia ipsa viuit in actu secundo, atque adeo debet informari ab eodem actu vitaliter, quod fieri non posset si actus ille ita totaliter esset ab extrinseco, vt nulla ratione eliceretur etiam ab eadem potentia vitali. Vnde eiusmodi actus re ipsa non sunt à solo Deo effectiuè, sed etiam à potentijs. Nā certè istæ qualitates, vt dictum est, non solum sunt immanentes, sed etiam vitales, & consequenter postulant connaturaliter fieri à potentijs in quibus recipiuntur. Quia nihil dicitur viuere, nisi quatenus se mouet, neque potest assignari ratio vlla cur hic admittatur miraculum, vel aliquid præter communem ordinem.

Dried. lib. 2. de Grat. & libero arbitrio. Soto. Caietanus. Barthol. Medina.

Svppono secundò, hos actus non esse à potentijs præcisè, vt ab instrumētis, sed etiam vt à causis principalibus iam elevatis. Quoniā de ratione actus vitalis est esse principaliter, & non solùm instrumentaliter ab eo à quo elicitur, & in quo recipitur. Nam potentia ad visionem & dilectionem Dei, & ad reliquos actus virtutum infusarum cōcurrit principaliter: ergò pari ratione ad hos actus. Neq; valet dicere ob id has potentias instrumentaliter concurrere ad hos actus. Quia non concurrunt per auxilium aliquod intrinsecum supernaturale, sicut ad alios actus. Nam contra hoc est, quod isti actus inspirationis & motionis eliciuntur per auxilium aliquod intrinsecum vt dicemus, & quamuis per impossibile sine illo eliceren tur, adhuc essent à potentijs vt à causis principalibus. Sed de hac re non vacat modo disputare, inferius enim Deo donante se nobis offeret occasio agendi de hac re.

Suppositio secunda.

His igitur sic prælibatis prima sententia est, quæ dicit speciale auxilium Dei esse quidem actus intellectus & voluntatis nostræ subitos, non liberos, neq; deliberatos, quos Deus immediatè inspirare solet, & nobis suggerere, nulla in nobis præuia consultatione, ita vt auxilium speciale quo Deus nos mouet ad bene agendum & volendum supernaturaliter, nihil aliud sit quam diuina illustratio, & inspiratio, qua Deus liberum arbitrium à se motum & excitatum reddit non solum habile, & potens, sed etiam in actu primo ad eliciendos actus supernaturales Fidei, Spei, & Charitatis, & aliarum virtutū infusarum prout ad salutem oportet.

1. sententia.

Hæc sententia habet fundamentum in Cōcilio Tridentino, sess. 6. can. 3. quo in loco pro eodem accipitur diuina inspiratio, & adiutorium Dei: dicitur enim in canone illo: *Siquis dixerit, sine superueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, Anathema sit.* Quæ sententia non longè distat à veritate, sed non explicat rem à prima radice. Quia actiones nostræ qua ratione actiones nostræ sunt, siue deliberatæ, siue indeliberatæ,

Cōc. Trid.

potius

potius sunt effectus auxilij diuini, quam ipsum Dei auxiliū. Nam profecto actiones ille indeliberatæ & subitæ quas Deus nobis inspirat ad salutem sunt supernaturales: ergò necessariò postulant, & prærequirunt principium effectiuū supernaturale, se tenens ex parte potentiæ productiuæ illarum: igitur principium illud supernaturale formaliter & propriè erit Dei auxilium eleuans ipsas potentias ad tales actus, & intrinsecè requisitum ex parte potentiæ producentis illas operationes. Ad rem hanc ostendendam est optimum exemplum de aqua Baptismi, quæ ad hoc vt producat effectiuè gratiam, & vniuersaliter loquendo ad hoc vt creatura effectiuè producat supernaturale opus, necessariò debet prærintelligi in illa aliquid superadditum per modum motionis vel formæ, ratione cuius possit attingere effectiuè talem effectum: ergò ad hoc quod intellectus, vel voluntas creata possint efficere supernaturalem actionem quācumq; etiam indeliberatam, & subitam, necessariò prærequititur in ipsis potentijs aliquid superadditum per modum motionis, vel formæ inhærentis, quod habeat rationem auxilj submiſtrantis vires supernaturales ad talem actionem. Quare Tridentinum Concilium loco citato per præuenientem Spiritus sancti inspirationem intelligit motionem pręuiam saltem ordine naturæ ad quamcumque actionem nostrā, & non ipsam actionem.

Conc. Trid.

Aliorū opinio proponitur.

Secvnda opinio censet speciale auxilium quo Deus cōcurrit ad supernaturales operationes nostras esse quidem operationes ipsas, quatenus procedunt effectiuè à Deo, tanquam à prima & principali causa. Vndè supernaturalis cognitio vel dilectio elicita à nobis potest considerari primò in ratione formæ seu termini producti, secundò in ratione actionis productiuæ talis formæ, & sub hac consideratione nihil aliud est quam forma ipsa prout dependet in fieri ab agente. Nam eademmet cognitio, vel supernaturalis dilectio, quatenus progreditur in fieri à nostro intellectu, & à voluntate, & quatenus pendet in fieri ab illis, est actio nostra, & verè influimus in illam influxu physico, & reali, at verò eadā cognitio seu dilectio supernaturalis, si consideretur quatenus progreditur, & dependet in fieri à Deo supra totum ordinem naturæ, est actio Dei, & secundùm hanc rationem est influxus diuinus, & speciale Dei auxilium: itaq; sicut influxus, quo Deus mundum creauit non est aliud quam ipsa actio creandi, & actio creandi quatenus habet esse in executione per modum transeuntis nihil aliud est à parte rei, quam ipsa creatura, vt in fieri procedens à Deo tanquam ab efficiente inmediato, sic etiam Deum auxiliari nobis ad operationes, supernaturales non est aliud quam agere illas in nobis aut nobiscum, ac proinde auxilium nobis collatum à Deo pro operationibus istis est ipsa diuina actio, qua producit tales operationes in nobis, aut quod in idem reddit est ipsæ operationes vt progredientes à Deo in fieri. Et hac supposita doctrina tenet hic modus dicendi speciale auxilium quo Deus concurrit ad nostras operationes supernaturales esse ipsas operationes secūdùm quod procedunt effectiuè à Deo, tanquam à prima & principali causa, vt dictum est.

Hic modus dicendi est difficilis. Quia speciale auxilium Dei, secundùm quod ponitur à sacris Concilijs, est principium, quo nos efficimus supernaturales actus siue operationes: igitur non potest esse idem cum ipsis operationibus, sed necessariò oportet esse aliquid ab illis distinctum realiter. Ostendo consequentiam. Quoniam causa efficiens non potest identificari cum suo effectu physico, aliàs idem efficeret se ipsum, & esset prius & posterius respectu eiusdem quod implicat. Antecedens verò probatur. Quoniam non solum Concilium Milleuitanum, sed etiam alia Cōcilia congregata cōtra Pelagianos requirūt auxilium speciale Dei, vt per illud præstet vires ad efficiendum supernaturales actus, quos efficere minimè poterat natura proprijs viribus. Quo fit huiusmodi auxilium habere se respectu operationum supernaturalium, sicut se habent vires naturales respectu naturalium operationum: Sicut ergò operationes naturales realiter distinguuntur à viribus naturalibus ex quibus procedunt efficienter, ita etiam operationes supernaturales necessariò debent realiter distingui ab auxilio speciali Dei, quo nobis vires præstantur ad efficiendas huiusmodi operationes.

Nam certè per hoc differt speciale auxiliū à generali concursu, quod generalis concursus præsupponit secundas causas constitutas in actu primo per suas proprias virtutes, & potentias operatiuas, & solum perficit illas quo ad actum secundum, qui consistit in operatione actuali, auxilium verò speciale vt sic non præsupponit necessariò potentias constitutas in actu primo, sed potius illas constituit tribuendo illis vires, & virtutem operatiuam seu effectiuam actus supernaturalis: ergo nulla ratione potest idētificari cum ipso actu, seu operatione supernaturali. Quare licèt de concursu generali quo Deus concurrit cum omnibus causis secūdis ad proprios effectus ipsis connaturales, concedatur à quibusdā obscuri nominis auctoribus, esse idem secundùm rem cum operationibus ad quas talis concursus ordinatur, tamen id non est ferendū, neq; vlla ratione dici potest de speciali auxilio ordinis supernaturalis, quo intellectus & voluntas præueniuntur à Deo, & constituuntur in actu primo supernaturali, seu in ratione principij effectiui operationum supernaturalium. Vtrum verò præter hoc speciale auxilium pręueniens, quod se habet in ratione principij efficientis, debeat necessariò poni speciale aliud concomitans auxilium identificatum cum operatione ipsa supernaturali, est alia distincta difficultas, de qua dicemus infra.

Tertivs modus dicendi tenet auxilium præueniens, seu gratiam excitantem non esse

actum vitalem, videlicet intellectionem, aut volitionem, sed aliquam qualitatem quæ sit principium actus vitalis: & aliqui dicũt hoc esse intelligendum de actu primo: quoniam gratia excitans in actu secundo est actus vitalis. Auctores huius opinionis partiti sunt. Nam quidam, vt refert Vega, lib. 6. in Trident. cap. 6. & ante ipsum Abulensis Matthæi 19. quæst. 181. dixerũt huiusmodi auxilium esse qualitatẽ quamdam permanentem, & principium actuum vitalium, & dispositio ad gratiam. De qua sententia Vega dicit esse fictitiam, & non habere fundamentum vllum in sanctis Patribus, aut in scriptura. Reijcit autem Abulensis hanc sententiam, sed ex pessimo fundamento, nimirum quia dispositio actualis ad gratiam nõ est supernaturalis, neq; excedit naturam, & ex hoc infert non indigere habitu per quem eliciatur. Ratio tamen hæc temerè procedit. Nam si alicuius momenti esset, concluderet contra eundem auctorem, quod vt homo se ad gratiam disponat non requiritur auxilium actuale excitans supernaturale, quod est contra Concilia. Quare aliam adducit rationẽ prædictus auctor. Quia si ad gratiam requireretur dispositio permanens habitualis supernaturalis ad illam, requireretur alia, & sic in infinitũ. Quamuis neq; ratio ista sit efficax, aut concludens: posset enim dici quòd cum gratia sit veluti forma substantialis permanens ob id petit dispositionem aliquam permanentem. Sed quod attinet ad dispositionem dicemus suo loco. Nam D. Thomas 1. 2. quæst. 110. artic. 2. auxilium gratiæ quo iuuamur à Deo ad aliquid volendum, vel agendum non dixit esse qualitatem scilicet permanentem, sed motum quemdam animi.

Vega. Abulensis.

Propter quam causam nos 1. 2. quæst. 111. artic. 2. disputat. 3. retulimus quorundam sententiam dicentium auxilium excitans esse qualitatem transeuntem, & fluentem, & minimè manentem sublata aduertentia rationis, & esse veluti impulsum quemdam inchoantem, vel prosequentem, vnde excitans gratia ad actum Fidei est lumen quoddam ex natura sua fluens, & transiens, sicut è conuerso lumen gloriæ, & Fidei sunt ex sua natura permanentia, & pari modo dicunt gratiam excitantem in voluntate ad actum Charitatis, & Spei, aut Pœnitentiæ, &c. esse impetum, & impulsum quemdam effectum à solo Deo, qui est principium effectiuum dilectionis.

Haec opinio sua habet fundamenta. Primum esse potest. Quia non est vnde certo possit colligi gratiam excitantem esse intellectionem, vel volitionem: ergò id non est asserendum. Si autem dicamus esse qualitatem fluentem modo explicato ferè nihil manet difficultatis. Secundum fundamentum esse potest: Quoniam gratia excitans dicitur illuminatio, inspiratio, vocatio, locutio, &c. Hæc autem nomina non videntur sonare appellationem alicuius actus vitalis, sed qualitatis antecedentis actum vitalem: ergo. Illuminatio enim sonat productionem luminis, inspiratio productionem spiritus, impetus, & impulsus, vocatio verò, & locutio interior important productionem alicuius præuij, aut internam auditionem, sicut vocatio exterior est productio soni cum directione ad aliquem, & productione specierum quibus causatur auditio: ergò, &c.

Rvrsvs potest probari. Quoniam vel potentiæ ipsæ concurrunt ad hos actus efficienter, vel non. Si efficienter: ergò per aliud auxilium intrinsecum: & sic erit processus in infinitum, non enim est maior ratio de vno, quam de altero actu, cùm omnes sint supernaturales. Neq; valet dicere quosdam esse liberos, alios verò necessarios. Quia necessitas auxilij intrinseci nõ est propter libertatem actus, sed propter supernaturalitatem, quare ad visionem beatificam requiritur ex natura rei lumen supernaturale intrinsecum, quamuis sit actus necessarius: idem est de actu Charitatis in patria, & de actibus prudentiæ, & donorum Spiritus sancti pertinentium ad intellectum, qui requirunt intrinsecum auxilium supernaturale: ergò similiter, &c. Si verò dicatur non concurrere efficienter, id dici non potest, quia est contra naturam actus vitalis non effici à sua potentia: ergò effectiuè concurrunt.

Mouentvr etiam, quia gratia excitans non potest esse respectu actus credendi apprehensio, aut iudicium credibilitatis. Quoniam gratia excitans ad actum Fidei immediatè concurrit ad illud, iudicium verò credibilitatis, & apprehensio eius solùm concurrunt mediatè, nimirum causando piam affectionem, qua intellectus ad credendum determinetur: ergò. Adde etiam, quòd gratia excitans concurrit, vt ratio agendi, iudicium autem credibilitatis non sic concurrit ad credendum: ergò, &c. Minor probatur. Quia iudicium credibilitatis solùm concurrit dirigendo voluntatem, qua intellectus applicetur ad credendum, ac proinde magis concurrit, vt conditio sine qua non, quàm vt ratio agendi.

Addvcvntvr vlterius argumento, quo censent gratiam excitantem non esse actum alicuius virtutis infusæ existentis in voluntate. Quoniam vel ille actus est eiusdem obiecti vel diuersi: si diuersi, quo modo est necessarius ad volitionem huius obiecti? Non enim apparet posse necessarium esse. Nam cum hoc obiectum sit honestum, & per se amabile non pendet eius amor ab amore alterius obiecti: si verò est eiusdem obiecti: ergò vel absolutus vel conditionatus: si absolutus: ergò est eiusdem rationis cum actu virtutis infusæ, liberum enim & necessarium non variant speciem actus, nam amor beatificus qui est necessarius est eiusdem speciei cum amore Charitatis viæ, qui est liber: & sic postea erunt duo actus eiusdem speciei in eodem subiecto, & ante actus liberos efficaces dabuntur actus necessarij efficaces, ex quibus necessariò sequentur actus

externi, quod est absurdū. Rursus actus necessarius non causat actum liberum eiusdē obiecti distinctū specie, vel numero, neq; est necessarius ad actum liberum: ergò non est gratia excitans ad illum. Præterea existente plena aduertentia rationis nullus actus est in via, qui non sit liber: ergò quamuis talis actus cœperit sine libertate, tamen continuabitur liberè accedente plena aduertentia rationis: ergò pertinebit ad aliquam virtutem infusam, imò erit eiusdem speciei cum alio actu ad quem dicis excitari. Et confirmatur. Quia in eodem instanti in quo datur gratia excitans potest homo conuerti, aliàs frustra in eo instanti daretur, sed postea danda esset, cùm autem homo potest conuerti adest aduertentia sufficiens ad libertatem: ergò etiam actus qui est gratia excitans erit liber, & non necessarius, quod est contra auctores oppositæ sententiæ, & si admitteretur, necesse esset actum illum esse alicuius virtutis infusæ, omnis enim actus liber supernaturalis, qui debet elici ab aliqua virtute infusa, etiam est sufficiens dispositio vt infundatur. Si verò actus ille ponatur conditionatus, & non absoluta voluntas: contra hoc est: Quod volitio absoluta alicuius obiecti non pendet à volitione conditionata eiusdem: ergò actus virtutis infusæ non pendebit à gratia excitante. Præterea volitio conditionata quando adest sufficiens aduertentia rationis, est libera, & pertinet ad eandem virtutem, ad quam, absoluta tendens sub eadem ratione formali, vt vellem donare huic pallium in eleemosynā, nisi omninò indigerem illo. Vel si dicas; vellem hodie audire concionem, aut sacrum, nisi ægrotus pater omnino meo indigeret conspectu, & obsequio, ad quod ex obligatione teneor. Sanè huiusmodi volitiones conditionatæ ad eandem pertinent virtutem ad quam pertinent volitiones absolutæ: ergò ad illum actum conditionatum requiretur alia gratia excitans, & sic erit processus in infinitum.

Conc. Arausicanum. D. Aug.

RVRSVS mouentur. Quia lumen propheticum est qualitas fluens, nō vitalis actus: idēq; multi dicunt de lumine, quo Paulus, & Moyses viderunt diuinam essentiam: ergò pari rationi in eo qui non habet habitum Fidei debet constitui lumen aliquod fluens, quod non sit actus vitalis, sed principium actus Fidei, idq; appellabitur excitans gratia. Pro hac sententia videtur esse Concilium Arausicanum, supra citatum, & D. Augustinus, & plures alij Patres citati, qui videntur asserere in ordine ad gratiam excitantem vt sic, nos non operari actiuè: quod falsum esset, si gratia excitans esset aliquis actus vitalis.

SANE ex quibusdam locis Sanctorum superiùs citatis, satis videtur colligi prædicta sententia: quia gratiam excitantem, & præuenientem vocant cogitationes, & volitiones, quas Deus in nobis sine nobis operatur, id est nobis actiuè non concurrentibus humano modo, & liberè, & hos actus plane in nobis experimur. Et sanè de actibus intellectus apertè constat in intellectu esse quosdam actus supernaturales necessarios habentes rationem gratiæ excitantis. Nam omnes actus prudentiæ infusæ, & donorum Spiritus Sancti perficientium intellectum sunt euidentes, aliàs nulli actus horum habituum essent in Christo, & beatos, vel ij habitus in prædictis elicerent actus euidentes, in nobis verò ineuidentes, quod non est rationabile: ergò etiam illi, quos in nobis eliciunt sunt euidentes, ac proinde necessarij, & non liberi. Cùm igitur ij sint causæ actuum liberorum supernaturalium, meritò dicuntur gratia excitans, & præueniens. Hoc videtur aduertere Cōcilium Colonienſe in Enchiridio, tractatu de Sacramento pœnitentiæ, pag. 289. & deinceps dicens: *Gratiam præuenientem solus Deus operatur in nobis.* & hanc ait esse bonam cognitionem, qua ad Deum respicere, & peccatum nostrum agnoscere incipimus. Et Aluarus Pelagius, lib. 2. de Planctu Ecclesiæ, cap. 8. dicit cogitationem à solo Deo immissam esse gratiam excitantem, & præuenientem, & initium cognitionis nostræ. D. Augustinus 1. ad Simplicianum quæst. 2. ait: *Quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, nisi aliqua rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali, &c.* Et de spiritu, & littera, cap. 34. *Visorum suasionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus; siue extrinsecus per Euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, vt ad gratiam iustificantem credendo confugiant, siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate quod ei veniat in mentem.* Et plures Theologi dicunt neminem posse credere, sine iudicio supernaturali necessariò antecedente piam affectionem.

Cōc. Colon. *Alua. Pel.* *D. Aug.*

DE actibus verò voluntatis maior circumfertur difficultas; Vtrùm dentur aliqui supernaturales non liberi? dari tamen probatur: Quia sicut dantur motus non liberi in malum, poterunt dari non liberi in bonum, tàm naturales, quàm supernaturales, tàm absoluti, quàm cōditionati, quia par ratio est de omnibus. Præterea in voluntate præter volitionem, & nolitionem qui sunt prosecutio & fuga, reperitur, & datur affectus quidam simplex, qui dicitur simplex amor, & simplex complacentia abstrahens à præsentia, vel absentia obiecti; datur etiam simplex auersio, & detestatio, quæ dicitur simplex odium, & displicentia, similiter abstrahens à præsentia, & absentia obiecti, & isti affectus non sunt in potestate nostra, vt ipsa testatur experientia: & de hac simplici, & necessaria complacentia exponunt moderni, & Molina inter eos quæst. 14. concordiæ, art. 13. disputat. 43. id quod dicit D. Augustinus 3. de libero arbitrio cap. 25. tomo 1. *Voluntatem non allici ad faciendum quodlibet, nisi aliquod visum; quod autem quisq; vel sumat, vel respuat, est in potestate, sed quod viso tangatur nulla est potestas.* Et subiungit Augustinus

Molina. D. Aug.

idem etiam cerni in Angelis.

PROPTER superius dicta, tàm ex sacris litteris, quàm ex testimonijs Sanctorum Patrum, & Conciliorum hæc tertia opinio non est improbabilis. Quocircà auctores eius dicunt posita cognitione supernaturali alicuius obiecti boni, vel mali consurgere in nobis simplicem complacentiam, aut displicentiam, vel naturalem, vel supernaturalem. Quòd si supernaturalis fuerit verè dicetur excitans gratia, vt optimè adnotauit Ruardus Tapper. art. 7. contra Lutherum, & Caluinum, pag. 300. quia est ordinis supernaturalis, & ex ea procedunt prosecutio, aut fuga supernaturalis, & libera: est enim doctrina communis Theologorum, & sanctissimi Præceptoris simplicem amorem esse causam non solùm dispositiuam, sed verè effectiuam omnium actuum voluntatis, & simplex odium similiter esse causam fugæ quando obiectum est absens, & doloris, vel tristitiæ quando est præsens, quemadmodum intentio finis est effectiuè electionis mediorum, & assensus principij est effectiuè assensus conclusionis.

Ruardus Tapper.

DE volitione autem, vel nolitione efficaci, seu prosecutiua, vel fugitiua necessaria ob defectum considerationis, & aduertentiæ, sentio non esse causam similis affectus liberi, absoluti, vel conditionati effectiuam, vel dispositiuam, moralem, aut physicam, quin potius eundem affectum qui defectu plenæ considerationis, & aduertentiæ erat necessarius aduentu considerationis, & aduertentiæ fieri liberum, vt etiam in motibus ordinis naturæ bonis, vel malis dicunt morales Philosophi eundem numero transire à libero in necessarium, vel è contra ex accessu, vel recessu aduertentiæ, & considerationis, vt etiam fit magis, vel minùs liber ob eandem causam. Neq; enim libertas, aut necessitas variant specificam, vel numeralem substantiam actus, quia idem numero amor, qui cœpit liberè in via potest necessariò continuari in patria, & si beatus modo cessaret à visione Dei, amor qui erat in eo necessarius, idem numero liberè continuaretur per scientiam infusam, vel Fidem. Deusq; potest ad quemcumq; actum bonum quem modo habemus liberè necessitare nos. Cùm igitur nihil sit causa sui ipsius, sequitur quòd necessarius affectus prosecutiuus absolutus non est causa affectus prosecutiui liberi absoluti, neq; conditionatus conditionati, ac proinde neque est gratia excitans respectu illius.

AN verò prædicti actus possint effici à solo Deo de potentia absoluta, nonnulli affimant ex auctoribus citatis superiùs, & præcipuè Vega, & à fortiori Capreolus in 2. distinct. 24. quæst. 1. artic. 3. ad 8. contra quintam conclusionem, & distinct. 25. quæst. 1. artic. 3. ad 1. Enrici contra secundam conclusionem, qui voluit voluntatem in ordine ad primum actum qui est volitio finis habere se merè passiuè, quod vt probabile refert Ruardus Tapper. art. 7. pag. 285. & plures crediderunt motus primo primos non elici à voluntate: ergò nihil videtur mirùm si de actibus quibus excitamur à Deo, vt iustificemur, hoc idem dicatur fieri posse de potentia absoluta: Deus enim potest supplere omnem concursum merè effectiuum, potentiæ autem præter concursum, quem habent communem, & connaturalem, nullum concursum habent ad huiusmodi actus, nisi effectiuum: ergò Deus potest in illis ponere hos actus de potentia sua, sine ipsarum efficientia. Quod si dicas potentias habere concursum formalem, quasi formæ extrinsecæ, quia est de ratione horum actuum cum sint vitales esse à potentijs in quibus recipiuntur. Contra hoc est. Primum, quòd hoc videtur esse voluntarium. Secundum, quia sicut non est de ratione caloris procedere à calore formali, sed à formali, vel virtuali, ita non est de ratione istorum actuum procedere ab huiusmodi potentijs, sed vel ab illis, vel à Deo auctore supernaturali continente eas eminenter. Tertium, quia non est de ratione horum actuum, quòd omninò debeant procedere à potentijs stando in quocunq; ordine, sed stando in ordine sibi connaturali, & nullo facto miraculo, aut non interueniente omnipotentia Dei.

Vega. Capreol.

Ruar. Tap.

FRANCISCVS Suarez, lib. 3. de Auxilijs, cap. 4. §. Posterior modus explicatur, num. 16. refert sententiam asserentium actus supernaturales qui eliciuntur sine habitu nullum habere in homine physicum principium effectiuum sibi inhærens præter voluntatem, Deumq; ipsum per se efficacitate sua supplere efficaciam habitus. Et statim dicit istũ modum dicendi, & adiuuandi esse posibilẽ; imò verò dicit sibi certum videri, quia nulla intercedit repugnãtia: In quo Deus potest dici virtus assistẽs non inhærens. Et nu. 17. dicit, quòd si hic modus est possibilis non est difficile credere Deum illo vti in hominum actibus, seu in huiusmodi actibus supernaturalibus. Quòd si obijcias contra hanc sententiam quòd ad suauem Dei prouidentiam pertinet dare causis secundis virtutes intrinsecas per quas operentur. Ad hoc ait, id esse verum, tum in effectibus, & actionibus connaturalibus, tùm etiam in supernaturalibus, quando operans est in statu perfecto, & connaturali modo operatur, & producit fructus iustitiæ iam receptæ. Quando verò est in statu imperfecto, & potiùs contrario ipsi iustitiæ cùm careat virtute intrinseca, quam non est recepturus, nisi per propriam, & proportionatam dispositionem, quia hoc est magis expediens, magisq; consentaneum diuinæ prouidentiæ, tunc non potest eleuari per intrinsecam virtutem habitualem: actualis verò nulla est sufficiens, & ideò non est alienum, sed consentaneum diuinæ prouidentiæ, vt in omni ordine, & genere actionum per se suppleat, quod creaturæ deest, in quo significat Deum de facto vti in huiusmodi actibus supernaturalibus qui eliciuntur, sine habitu isto modo adiuuandi,

Proponitur quidam modus dicendi Suarez, li. 3. de auxilijs.

vt nullum sit in homine principium physicum supernaturale effectiuum, sibi inhærens præter voluntatem: Deumque ipsum per se ipsum efficacitate sua supplere efficaciam habitus, & quòd Deus tunc non potest eleuare voluntatem per intrinsecam virtutem habitualem, nec per actualem, quia nulla est sufficiens. Et num. 18. concedit, quòd gratia hęc adiuuans aliquando non est aliquid creatum in anima, sed increatum, quia nihil est aliud quàm Deus ipse, vt assistens animæ, quam ad suam conuersionem excitauit. Et subdit, quòd hæc opinio est satis probabilis: & adducens contra hanc sententiam difficile videri, quòd iuxta illam, gratia hæc adiuuans non est aliquid creatum, sed increatum, & consequenter quòd non erit aliquid inhærens animæ: cuius oppositum significat Concilium Tridentinum sessione 6. cap. 5. dicens hominem moueri à Deo, vt per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad iustitiam se disponat. Respondet hoc non esse magni momenti, quia non est inconueniens aliquam gratiam adiuuantem esse increatam. Secundò respondet, quòd licèt hæc gratia considerata in actu primo sit quid increatum, quia nihil aliud est quàm Deus ipse assistens animæ, tamen in actu secundo ipsa actio vt procedens à Deo sub hac ratione est quid creatum: quod dicit quia putat quòd ipsa actio conuersionis aut contritionis, quatenus procedit à Deo, est ipsum auxilium adiuuans, & quod potest appellari, & dici gratia adiuuans: cùm tamen ipsa actio conuersionis nostræ sit effectus gratiæ adiuuantis.

Explicat Concil. Trident. Sess. 6. cap. 5.

Et per hoc respondet ad Concilium Tridentinum, concedendo gratiam adiuuantem esse aliquid inhærens voluntati (quamquam Concilium id expressè non dicat.) Et intelligit per gratiam adiuuantem inhærentem, ipsum actum supernaturalem qui est effectus gratiæ vt à Deo procedit, & ex hoc colligit non oportere, vt omne principium adiuuans inhæreat ipsi voluntati, neque hoc habere in Concilio fundamentum: ac proinde explicat etiam illud de gratia increata. Tandem colligit quòd hæc opinio est satis probabilis: quam sententiam ait se adducere vt pręoculis habeātur omnes modi quibus probabiliter potest gratia adiuuans declarari. Sanè circa hunc modum dicendi multa sunt quæ indigent expositione, & quæ indigent calculo attentionis. Quia Concilium Tridentinum expressè vult actus supernaturales charitatis procedere à charitate inhęrente diffusa in cordibus nostris: & idcirco Sessione 6. capite 11. decernit, gratiam & charitatem diffundi in cordibus eorum qui iustificantur, & illis verè inhærere. Et præterea Tridentinum eadem Sessione ca. 5. apertissimè sentit gratiam adiuuantem & excitantem esse aliquid creatum, & esse aliquid extra Deum: quod nulla potest tergiuersatione occultari.

Et tot turbinibus & opinionibus concutitur inquisitio veritatis, quæ à nobis quantum fieri potest inuestiganda est. Deum præcor primam veritatem in essendo, & in dicendo, vt intellectum illuminet, & mentem dirigat nostram, ne se pręcipitem det.

Prima Conclusio.

Dico primò, auxilium diuinæ gratiæ non esse vnicum tantùm, sed multiplex, & varium, gratiamque Dei actualem virtute multiplicem esse, secundùm varietatem, & multiplicationem effectuū, quos Deus causat in nobis, & secundùm varium modum causandi illos, & secundùm varia media, vel res diuersas, quibus Deus vtitur ad nostram salutem. Hoc manifestè ostenditur ex illo Sapientiæ 7. vbi dicitur diuinus spiritus multiplex, & quòd est mobilior omnibus mobilibus, quia nimirum licèt in se sit vnus, multipliciter tamèn & longè diuersissimè operatur in diuersis, & vt ibidem dicitur per nationes transfert se in animas sanctas, accommodando se illis secundùm exigentiā innumerabilium casuum vniuscuiusque, & ob id Petrus in sua prima Canonica capite 4. docet gratiam Dei esse multiformem. *Conclus. 1.* *Sapiētiæ 7.* *1. Petri 4.*

Ex qva doctrina colligo, quòd ad auxilia interna diuinæ gratiæ pertinent omnia dona spiritualia, quibus Deus nos mouet interius ad bene cogitandum, & volendum, atq; operādum in ordine ad finem supernaturalē. Dupliciter verò intelligi potest Deū interius mouere nos. Vno modo ex parte obiecti applicādo, & præsentando illud sub rationibus conuenientibus, vt in ipsum ferantur intellectus, & voluntas. Altero modo ex parte principij elicientis actum, subministrādo illi vires, virtutem, & inclinationem ad elicięndos actus supernaturales. Quòd verò Deus interius obiectiuè moueat potest duobus modis contingere. Primò per immissionem nouarum specierum, quibus repræsentatur obiectum secundùm rationem conuenientis ad mouendum potētiam, tam intellectiuam quàm appetitiuam. Secundò ordinādo & disponendo species præexistentes, vt magis ad viuū & maiori cum efficacia, & acumine repræsentent obiectū intellectui, & voluntati prout oportet ad mouendum huiusmodi potentias. Hoc autē Deus facit aliquando immediatè per se ipsum immutādo & ordinando ipsas species, aliquando verò ministerio Angelorum, cōmouendo hominē, & spiritus animales, & vitales, & alia, quæ in homine sunt, à quibus depēdent multùm phantasmata, & consequenter species intelligibiles, vt secundū illas excitentur in nobis variæ affectiones, & cogitationes. Ad aliū verò modum, quo Deus mouet intellectum, & voluntatem ex parte principij spectat infundere lumē intellectui, vt præbeat assensum, vel dissensum obiecto præsentato, & inclinare voluntatem ad illud prosequendum, vel fugiendū, secundùm quod oportet ad salutem. Sunt enim in manu Dei corda hominum, vt facili momento possit inclinare ad ea quæ voluerit, iuxta il-

Prouerb. 21. ilud Prouerbiorum 21. *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit vertet illud.*

ADDE etiã quòd generaliter loquendo gratiæ auxiliũ dicitur esse omne illud, quod aliquo modo conducit, vel prodest nobis ad salutẽ animæ, & ad vitam æternam consequendã: & quãto magis directè, & aut immediatius aliquid cõducit & mouet ad hunc finem, tantò magis perfectè potest vocari auxilium gratiæ: Quare nõ tantùm interna dona spiritualia, quibus Deus quasi immediatè operatur nostram salutem, sed etiã externa quibus ad hoc ipsum magis remotè vtitur, possunt vocari auxiliũ gratię, vt.v.g. prædicationes concionatorum verbi diuini, miracula, Dei iudicium in punitione malorũ, exẽpla bonorum, & Sanctorum, & plura Ecclesiastica ministeria diuini cultus, & alia id generis, imò verò euentus humani, tam fœlices quã aduersi quatenus ordinantur per prouidentiã Dei vt sint nobis occasio salutis ęternę ex directione eiusdem Dei, promouendo nos ad bonũ vel à malis impediendo, dicuntur induere rationẽ auxilij diuini aliquo modo: omnia enim hæc cooperantur in bonũ diligentibus Deũ, vt Paulus docet ad Rom. 8. Sed quoniam hæc omnia & singula simul sumpta seclusis auxilijs internis animæ, & cordis, parum mouent, vel non admodum ad æternam salutem, & fœlicitatem, idcirco comparatione gratiæ internorum auxiliorum hæc externa non habent integram rationem gratiæ strictè, & in rigore pro vt nunc loquimur de auxilijs diuinæ gratiæ.

Paulus ad Roman. 8.

ADVERTO tamẽ actus supernaturales, quos Deus solet causare intra nos, quosdã esse deliberatos ex cõsultatione pręuia, & deliberatione nostra, cum libero consensu prouenientes, siue præcedant, siue subsequantur iustificationẽ, & infusionẽ supernaturaliũ habituum, siue illã comitentur: Alios verò esse actus omnino indeliberatos, quales sunt cogitationes subitæ, & affectiones, quas Deus nostris cordibus immittit circa supernaturalia ante omnẽ nostrã consultationẽ, & deliberationẽ, ad eum modũ quo solent insurgere in nobis motus primò primi omnino naturales, & necessarij, in quibus nulla ratio est laudis, vel vituperij. Sed perpendendũ est inter huiusmodi actus supernaturales inueniri debitum ordinẽ: quia indeliberati sunt initia & dispositiones quædã ad deliberatos, & inter actus deliberatos quosdam esse qui præsupponuntur ad alios tanquam causæ eorũ seu dispositiones, vt actus Fidei ad actus Spei & timoris Sancti, & isti ad actus pœnitentiæ & Charitatis, &c. Ex quibus omnibus pro nũc satis explicata manet assertio proposita, in qua diximus auxilium gratię multiplex esse secundùm varietatem, & multiplicationem effectuũ, quos Deus causat in nobis.

Secunda Conclusio.

Concl. 2. DICO secũdò, illa opinio quæ dicit auxiliũ speciale gratiæ Dei solum importare ipsas potẽtias intellectus, & volũtatis, vt subordinatas imperio voluntatis diuinæ ad supernaturales actiones, seu importare ipsum Deum, vt intimè assistentem illis, & ordinantem easdem potentias ad efficiendos huiusmodi actus supernaturales non videtur mihi certa. Tenet enim hæc opinio quòd ex eo præcisè quod Deus per suum imperium & voluntatẽ ordinet creaturas ad efficiẽdũ aliquid redditur ipsa creatura potẽs efficere illud, absq; eo quod intelligatur actioni eius aliquid inditũ, & intrinsecè aut inhæsiuè in ipsa creatura receptũ. Huius opinionis videtur nouè esse Frãciscus Suarez, vt vidimus, & inferius dicemus de hac re plura alia.

HANC opinionem explicant auctores eius. Primò à simili in naturalibus. Nam vt membra exteriora prodeant in suos actus ex imperio propriæ voluntatis nõ oportet ponere in ipsis aliquid intrinsecè receptum, aut præuium ad eorũ operationes, sed sufficit naturalis illa dependentia, & subordinatio, quam habent ad ipsam voluntatem. Nam licèt calor secundùm se, vt est quoddam accidens, non possit effectiue producere substantiam, aut carnem, tamen secundùm quòd vnitur naturaliter substantiæ, & illi subordinatur tanquã propria virtus eius potest attingere effectiuè ad productionẽ substantiæ absq; eo quód per talem vnionem acciat aliquid reale intrinsecum superadditũ suæ entitati. Hinc colligunt quòd similiter vniuersæ creaturæ ex eo præcisè quòd dependent essentialiter à Deo, & illi subordinantur, & quatenus eum habent intimè assistentem & vnitũ, poterunt efficere quodcumq; opus miraculosum & supernaturale, ad quod Deus illas ordinauerit suo imperio & voluntate. Quod ita esse confirmant: Quoniam multò maiorem dependentiam, & subordinationem habent creaturæ, respectu Dei, quàm membra exteriora respectu nostræ voluntatis, & quàm accidentia respectu substantiæ à qua procedunt, tanquam virtus illius.

Explicatur ampliùs, & probatur opinio Suarez supra adducta, exẽplo mẽbrorum exteriorum & caloris.

ADDVCVNT rursus exemplum seu simile Theologicum de humanitate Christi Domini. Nam humanitas Christi ex eo præcisè quòd est vnita Verbo diuino habet quandam omnipotentiam instrumentalem ad facienda quæcũque opera miraculosa, absque aliqua intrinseca forma, motione aut qualitate superaddita, vt colligitur ex S. Thom. 3. part. quæst. 13. arti. 2. & intellectus creatus ex hoc præcisè quòd vnitur sibi essentia diuina in ratione speciei intelligibilis, non per informationem, vel inhæsionem, sed per solam intimam assistentiam ipsius essentiæ ad intellectum creatum in ratione efficientis & ordinantis ipsum intellectum ad videndum Deum clarè potest elicere talem visionem, ergò similiter, vt dicunt, poterit tam intellectus quàm voluntas creata elicere quemcunq; alium actum supernaturalem, ex eo solũ quòd Deus intimè assistens istis potentijs ordinet illas suo imperio ad eliciẽdũ huiusmodi actus absq; indita qualitate inhærẽte, vel motione prævia ad ipsum actũ, vel operationẽ.

Secundum simile de humanitate Christi.

Vnde secundùm hanc opinionem non oportet excogitare in ipsa creatura aliã rationẽ agendi in ordine ad opera miraculosa, & supernaturalia præter subordinationẽ, assistentiã, siue eleuationem passiuã, qua assumuntur, & ordinantur à Deo ad huiusmodi opera: & talis eleuatio, atque subordinatio passiua, est quæ vocatur ab illis speciale Dei auxilium.

Tertium simile de instrumẽtis artificialibus.

Hoc ipsum quod putãt volũt ostẽdere exẽplo & simili ex artificialibus desumpto: quia certè pẽnicillus nõ habet secũdũ se potẽtiã ad formãdam artificiosam, & pulchrã imaginẽ, sed per hoc tantũ, quod assumitur manu artificiosi pictoris, & per hoc quòd subordinatur directioni eius, & quod artificiosè mouetur ab eo redditur potẽs ad imaginẽ illã efformandã pulchrã, & secundũ artẽ, absq; additione alicuius formæ intrinsecæ: ergò pari ratione licèt creatura secundũ se non habeat potentiã ad efficiendum opus supernaturale, aut miraculosum, tamẽ secundùm quod assumitur à Deo, & subordinatur imperio, & directioni suæ sapientiæ infinitæ, & virtutis, poterit efficere illud absq; forma aliqua præuia, siue inhærente intrinsecè.

Reijcitur propositas ẽ tẽtia, & probatur cõclusio secunda.

His tamen exemplis non obstantibus mihi nõ probatur hæc sententia, nec videtur esse vera, licèt iudicetur subtilis: & ratio huius rei est. Quoniã cũ potentia naturalis nõ habeat vires, aut vim vllam ad actũ supernaturalẽ, iuuari debet aliquo supernaturali auxilio, eoq; intrinseco, & non ex sola extrinseca assistentia Dei, pertinet enim ad suauẽ, & connaturalem prouidentiã Dei, vt quod potest præstare per causas secũdas nõ efficiat se solo, & similiter ad suauẽ prouidentiã Dei pertinet, vt suppleat defectum virtutis potẽtię per aliquid ei intrinsecũ, vt potentia non solũ seipsa, sed illo etiã operetur, in suoq; ordine sit cõpleta, & integra causa. Cum igitur actus illi non liberi sint supernaturales quoad substantiam, sequitur non posse elici de lege, sine aliquo auxilio intrinseco cõstituente potentiã in actu primo cõpleto: Illud autem nõ est habitus, quia illi actus antecedũt omnes habitus supernaturales, neq; etiam est actus, sic enim esset processus in infinitũ: ergò est quid distinctũ ab omnibus habitibus, & actibus vitalibus: ergò re vera auxiliũ hoc diuinæ gratię nõ est sola assistentia Dei, vt clariùs infra aperiemus. Nam certè actus supernaturales liberi nõ minùs egent, vt fiant auxilio intrinseco, quàm act⁹ necessarij, eadẽ enim est ratio vtrorũq;: ergo sicut in necessarijs actibus supernaturalibus prærequiritur propter supernaturalitatẽ eorũ forma, & principiũ supernaturale ipsorũ, ita & multò magis in actibus liberis. Quare malè nõnulli putãt nos dixisse voluntatẽ in actibus necessarijs nõ postulare auxiliũ intrinsecũ, sicut in liberis. Quia in necessarijs nõse mouet, sicut in liberis. Nã profectò quãuis in actibus necessarijs voluntas non se moueat moraliter, & libere, tamẽ mouet se efficiẽter propriè, & physicè: ergo in ea exigitur supernaturale auxiliũ intrinsecũ, quo physicè supernaturaliter se moueat. Aliàs ad actus necessarios prudentiæ infusæ, & donorũ intellectualiũ nõ esset ponendũ auxiliũ intrinsecum, neq; ad visionem, aut dilectionem beatificam, quod est absurdum: ergò.

Ostenditur efficaciter conclusio. Primò.

Volorem hanc ampliùs vrgere, & ostẽdo propositã opinionẽ nõ esse verã. Primò. Quoniã auxiliũ speciale Dei nõ est equale omnibus hominibus, vt de se constat, sed subordinatio ad omnipotẽtiã, & imperiũ Dei est æqualis in omnibus creaturis, nihil enim aliud est quã infinita dependentia, qua omnes creaturæ dependent à Deo, illiq; subdũtur: hæc autẽ dependentia nõ est maior in his creaturis, quã in illis: ergo, &c. Dices auxiliũ Dei esse maius, vel minus, non quidem intrinsecè, sed extrinsecè per ordinem ad effectum perfectiorem, aut minùs perfectũ, quẽ producit. Sed contra hoc est quod maior, vel minor perfectio operationis supernaturalis prouenit ex auxilio cuius virtute efficitur: ergò in ipso debet priùs esse inæqualitas, quã in operatione, atque subordinatione.

Secundò.

Item secũdò. Quoniã ista passiua subordinatio ad diuinũ imperiũ, aut voluntatẽ, est denominatio extrinseca, vel relatio rationis, quã intellectus tribuit ipsi creaturæ: sed sola extrinseca denominatio, vel relatio nõ potest esse ratio agẽdi realiter, & physicè, vt de se patet: ergò talis subordinatio formaliter, & propriè loquẽdo, non potest dici speciale auxiliũ. Ostendo cõsequentiã. Quoniã auxilium speciale Dei saltem præueniens, est vera ratio agendi physicè, & realiter, ad hoc enim ponitur tale auxilium secundùm Concilia, & Sanctos Patres, vt per illud possimus absolutè, & simpliciter facere, quod aliàs minimè poteramus agere.

Tertiò.

Item tertiò probatur. Quoniã modus operandi cõsequitur ad modũ essendi, sed actus secũdus præsupponit intrinsecè actum primũ: ergò agere supernaturaliter præsupponit intrinsecè aliquod esse supernaturale: hoc autẽ nõ potest conuenire creaturæ, nisi per aliquã formã, aut motionẽ inhæsiuè receptã in illa, & constituentẽ ipsam creaturã in actu primo supernaturali: ergo, &c. Sanè operari, vel efficere, aut agere aliquid est cõmunicare effectui propriũ esse per verum, & realem influxum: ergo est impossibile omnino, quod creatura producat aliquã operationem, vel supernaturalem effectum, quin præhabeat in seipsa aliquod esse supernaturale, seu aliquam vim, & virtutem, aut modum, & formam supernaturalem.

Quorũdam solutio.

Hæc argumẽta contendũt nõnulli dissoluere dicẽtes: quòd licèt nulla creatura habeat virtutẽ, aut vim, vel potentiã actiuã naturalem ad faciendũ opera supernaturalia, & miraculosa, omnes tamen creaturæ habẽt à natura inditam potentiã quandam actiuã obedientialem ad faciẽda prædicta opera quãdo, & quomodo Deus voluerit, & imperauerit, & ex vi huius potẽtiæ supposito diuino imperio cui omnes creaturæ subordinãtur, cõstituuntur ipsæ creaturæ sufficienter in actu primo ad efficienda huiusmodi opera. Addit verò Frãciscus Suarez. 3. p. q. 13.

art.4.disp.31.sect.5.quod hęc virtus actiua,seu potentia obedientialis in qualibet creatura nō est aliquid distinctum ab ea,sed est ipsamet entitas creaturæ quæ per seipsam habet potentiā ad agendum supernaturalem effectum, & miraculosum, vt instrumentum Dei, ita vt sicut calor per se est naturalis virtus ad calefaciendum, ita entitas cuiuslibet rei per seipsam est virtus quædā obedientialis ad agendum supernaturales effectus, vel miraculosos,& omne id quod non implicat contradictionem.

Impugnatur. Sed contra hunc modum dicendi, & respondendi obijcio. Quia si res creatæ ex propria, & intrinseca entitate, & natura, haberent huiusmodi potentiam actiuam in ordine ad opera miraculosa, & supernaturalia, sequerētur in ipsis creaturis esse potentiam naturalem actiuā respectu huiusmodi operum,ac proinde sequeretur posse naturaliter illa facere. Consequens non solùm est contra Fidem, sed etiam implicatorium. Nam contra rationem operis supernaturalis est posse naturaliter fieri à creatura: ergò, &c. Patet sequela. Quia potentiam,seu virtutem actiuam esse naturalem alicui in nullo alio consistit, quàm in eo quòd est conuenire illi ex principijs intrinsecis naturæ, & operari naturaliter nihil aliud est quàm operari secundùm exigentiam talis potentiæ, seu virtutis, atq; ita vnaquæq; res creata habet potentiam innatam ad efficiendas actiones miraculosas,& supernaturales: ergò est absolutè potens ad illas agendas: imò verò sequitur huiusmodi potentiam innatam permanentem constituere creaturam in ratione causæ secundæ ad operationes supernaturales,& miraculosas,quod non est ferendum. Neq;obstat dicere hanc potentiā taliter inditam esse à natura,quòd nihilominùs dependet in sua operatione ab ordinatione, & imperio Dei,& quòd ob id non est potentia naturalis simpliciter, sed obedientialis. Quia ex propria ratione habet subdi diuino imperio,& nō aliter agere,quā secundùm illud. Hoc inquā nō obstat,tū quia subdivolūtati,& imperio Dei in propria operatione nō tollit quin virtus illa operatiua sit naturalis, & naturaliter operetur, si aliàs oritur ex principijs intrinsecis naturæ, omnes enim res creatæ, & earum virtutes naturales subdūtur diuino imperio in ordine ad suas actiones naturales, neq; possunt aliquid omninò facere,nisi secundùm imperium, & ordinationem Dei: iuxta illud Psal.32. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mādauit, & creata sunt.* & Psal.148. *Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi, præceptum posuit, & non præteribit.* Tùm etiam quia vel istud imperium diuinum à quo pendet potentia obediātialis actiua in suis operationibus supernaturalibus,& miraculosis,constituit creaturam in ratione proximi principij effectiui, quasi in actu primo, vel solùm tribuit illi operari in actu secundo. Si detur primum sequitur, quòd secluso tali imperio, & ordinatione Dei non habeat creatura ab intrinseco,& ex sua natura vim actiuam sufficientem, & completam ad prædictas operationes. Si verò detur secundum sequitur, quòd illud imperium non differat vlla ratione à concursu generali Dei, nihil enim aliud est concursus generalis,quàm influxus causæ primæ in causas secundas, & in operationes earum secundùm exigentiam naturæ vniuscuiusq;. Si ergò creaturæ secundùm suam naturam habent vim actiuam ad operationes miraculosas,& supernaturales proculdubiò postulabunt,& requirent secundùm suæ naturæ exigentiam imperium Dei necessarium ad faciendas illas operationes, non minùs quàm requirunt concursum generalem ad quascunq; alias operationes naturales: ac proinde sicut ignem dependere in comburendo à concursu,& imperio Dei non tollit quin ignis naturaliter cōburat, & quòd vis combustiua sit illi naturalis;ita etiam creaturam in operationibus miraculosis, & supernaturalibus dependere ab imperio Dei non tollit, quin naturaliter operetur, & quin virtus actiua illarū operationum sit naturalis, si ex principijs intrinsecis naturæ aliàs procedat. Et confirmatur. Quia secundū ordinē diuinæ prouidētiæ vnicuiq; rei creatæ debetur influxus necessarius ad operandum in actu secūdo,iuxta exigentiā formæ sibi inditæ ànatura. Si ergò influxus diuini imperij est necessarius ad operandum in actu secundo, iuxta exigentiam illius potentiæ actiuæ inditæ à natura in ordine ad opera supernaturalia,& miraculosa,erit proculdubiò debitū creaturæ tale imperium secundū generalem ordinē diuinæ prouidentiæ,atq; adeò pertinebit hoc imperiū ad ordinem naturæ,non secùs quàm generalis cōcursus qui ponitur necessarius ad quascunq; alias operationes creaturarum,vt dictum est.

Limitatio sententiæ, quā impugnamus. Propter hæc argumenta Franciscus Suarez,loco citato videtur limitare suā sententiā. Nam quamuis dicat,& sentiat hanc potentiam secundùm se esse quidem innatam cuilibet rei naturali, quia non est aliud quàm ipsa entitas rei,tamen sentit,quòd quia modus agendi per illā,& concursus necessarius ad agendū, neque est naturalis,nec rei debitus,idcircò talis potentia sumpta secundū se solū est potentia remota,nec cōstituit rē ex natura sua simpliciter potentem ad sic operandū,sed propriè constituit capacem,vt eleuari possit à Deo ad huiusmodi modū operādi,atq; adeò sicut potētia obedientialis passiua nō denominat rē absolutè, sed in ordine ad Deū,sic etiā ab hac potentia obediential actiua non denominatur res simpliciter potens,sed in ordine ad Deum.

Loquitur Suarez contra se,& suam sententiam. Sed profectò Suarez ex hac sua doctrina potius contra se loquitur,quàm pro opinione, quā ipse conabatur introducere. Quia certa res est, quòd vnaquæq; res, seu quælibet creatura est capax,vt eleuari possit à Deo ad opera miraculosa. Nam sicut Deus potest assumere creaturam eleuando eam ad operandum opera miraculosa,ita creatura est in potētia obedientiali, vt assumatur à Deo: sed hoc totū nihil aliud est,quā quod creatura potest esse instrumentū

Dei ex eo quòd ab ipso Deo assumitur ad opera illa miraculosa, aut supernaturalia, & hoc non excedit rationem potentiæ passiuæ obedientialis, quod est dicere est in potentia obedientiali creatura, vt assumatur à Deo eius entitas ad aliquid agendum, non quòd entitas ipsa secundùm se sit potentia, neq; proxima, neq; remota, aliàs concursus necessarius ad agendum illi rei deberetur mediatè, vel inmediatè, sed quòd entitas creaturæ capax est, vt assumatur à Deo, sicut quodlibet aliud instrumentum ad agendum opera excedentia virtutem, & potentiam eius, & tunc concursus non debetur illi creaturæ, aut entitati eius tanquam potentiæ operatiuæ, sed debetur illi si debet assumi à Deo, vt instrumentum agendi opera supernaturalia, & idcircò cessat doctrina huius auctoris. Quare falsum est dicere, quòd sicut calor per se est virtus naturalis calefaciendi, ita entitas innata vniuscuiusq; rei creatæ per seipsam est virtus, & potentia ad agendum opera miraculosa, & supernaturalia. Nam certè calor per se loquendo vires habet connaturales producendi alium calorem, seu calefaciendi; entitas autem cuiuslibet rei per seipsam non habet virtutem connaturalem, aut vires agendi opera supernaturalia, aut miraculosa: ergò solùm est, aut esse potest merum instrumentum omnipotentiæ Dei, atq; adeò talis entitas innata, neq; est potentia proxima, neque remota, sed solùm habet capacitatem, vt possit à Deo assumi, vt instrumentum ad opera omnipotentiæ Dei, quæ non repugnant creaturæ. Denique impugnatur hæc sententia ex his quæ diximus in discursu argumenti præcedentis.

Obiectio. SI DICAS argumenta quæ pro nobis militant, & superiùs adduximus non minùs impugnare potẽtiam obedientialem passiuam naturæ inditam, quàm eius potẽtiam obedientialem actiuam: cùm igitur passiua negari non possit, neque etiam negari debet actiua.

Responsio. RESPONDETVR lõgè diuersam esse vtriusque rationem. Quia omne agens agit secundũ quod est in actu, nimirum communicando effectui aliqua ratione actualitatem suã, & ob id nihil potest agere propria virtute aliquid perfectius seipso, neque potest consistere ratio potentiæ actiuæ in eo, quod est proprium potentiæ passiuæ, & materialis, & ideò obedientialis potentia habet aliquo modo rationem potentiæ passiuæ, nullo autem modo est potentia actiua: verum tamen est quòd nunquam est passiua naturalis propriè loquendo, quia non ordinatur ad recipiendum aliquid sibi debitum secũdùm rationem naturæ, sed tantùm consistit in quadam capacitate ad recipiẽdum actum à superiori agente per solam non repugnantiam absq; ordine positiuo ad illud.

Probatur vltimò conclus. MOVEOR tandem contra prædictam sententiam. Quoniam supernaturales operationes intellectus, & voluntatis sunt vitales, quod habent ab intrinseco, quatenus sunt à potentijs vitalibus efficienter: ergò necessariò debent procedere effectiuè à virtute supernaturali intrinseca ipsis potentijs. Ostendo antecedens. Quoniã huiusmodi operationes sunt cognitio, & volitio, de quarũ ratione est, quòd procedant vitaliter à principio viuẽte. Patet consequẽtia. Quoniam vitalitas operationis consistit in hoc quod est procedere à principio intrinseco, & coniũcto, taliter, vt ipsa actio non trãsferatur in aliud subiectum, sed maneat in eo, quod est principium effectiuum illius. Si ergò supernaturalis operatio sit vitalis intrinsecè, & formaliter, vt verè sunt actus Fidei, Charitatis, & Spei, & alij similes, verùm est proculdubio, quòd principiũ proximum effectiuum illius sit etiam supernaturale per aliquid sibi intrisecum, vnde licèt in ordine ad alias operationes miraculosas posset defendi vtcumq; quòd procedant efficienter instrumentaliter à creatura, tamen de quibus potissimum procedit disputatio nostra nulla ratione id sustineri potest.

Solutio probationum, quæ adducuntur statim post secundam cõclusionem, & nitũtur quibusdam exemplis. EX DICTIS facilè retundi possunt aduersariorum tela, & obiectiones, quæ in exemplis, & similibus ab eis superiùs adductis maximè fundãtur. Ad primum enim de membris exterioribus dicere possumus, quòd in membris externis est vera virtus naturalis intrinseca proportionata ad exequendum actiuè imperium, seu motionem voluntatis, vel appetitus, nisi per accidens impediatur, non curando pro nunc Vtrùm vis illa actiua distinguatur realiter ab appetitu, vel voluntate. At verò in tota natura creata non est virtus actiua proportionata ad exequendum imperium Dei in ordine ad supernaturales, & miraculosos effectus, quæ sit innata entitas naturalis ipsis creaturis, & idcircò necesse est eleuari ad hoc per intrinsecam supernaturalem virtutem.

Ad primũ de membris externis, & decalore. RVRSVS nihil probat simile ibi positum de calore concurrente ad productionem substantiæ. Quoniam calor ignis ex propria entitate intrinseca, vi atq; natura eius est virtus substantiæ ignis, & ideò secundùm se est proportionatus ad producendum effectiuè instrumentaliter substantiam ignis, neq; indiget ad hoc alia virtute superaddita. Præterea etiam naturalis calor hominis secundùm se est proportionata virtus ad producendum substantiam carnis humanæ, & ad producendum semen in viro, & in fœmina lac, vel propter diuersum modum essendi intrinsecum ipsius caloris ex adiunctis qualitatibus participatum, vel propter diuersam dispositionem materiæ, iuxtà quam agit. Quia nimirum sunt dispositi humores fœminæ ad lac, non ad semen, humores autem viri è cõuerso, nullũ verò accidens naturale creaturæ est virtus proportionata secundùm se ad efficiendũ opera supernaturalia, & miraculosa, & idcircò quælibet creatura indiget eleuari per quid intimum, seu intrinsecũ, vt huiusmodi opera possit efficere. Et ex hac doctrina liquet falsitas oppositæ opinionis, & quã facile impugnari possit.

Ad secũdũ de humani- SECVNDVM simile, seu exemplum de humanitate Christi non probat suam sententiam:

tate Christi, & essentia diuina.

Nam quod attinet ad Christi humanitatē posse dici virtutē effectiuā miraculorum conuenire illi per modū formæ permanentis ex proprio & intrinseco modo essendi, quem habet ex vnione ad Verbum. Nā per hoc quod diuinum Verbū vnitur humanitati resultat in eo modus quidā diuinus, & ineffabilis essendi substātialiter: & quoniam modus operandi est secundùm modū essendi, inde est quod ex vi proprij modi essendi potest efficere quælibet miracula, vt instrumentum Verbo coniunctum, absq; qualitate aliqua superaddita. Vel fortè dicēdum est, quod virtus effectiua miraculorū conuenit humanitati Christi, quasi radicaliter, & permanenter ex vnione ad Verbum, sed complectiuè, & quantū ad executionem non illi conuenit permanenter, sed quasi per modum transeūtis per motionē aliquam superadditam illi à Deo quotiescunq; faciendū est per illam opus supernaturale, & miraculosum, prout de alijs instrumētis separatis dicitur. Quòd autem attinet ad diuinam essentiā in ratione speciei intelligibilis vnitam beatis, dicimus: quod diuinam essentiam concurrere ad visionem beatificam in ratione speciei non est concurrere per modum efficientis, sed per modū determinantis, quasi materialiter actionem ipsius intellectus: quia tota efficientia, siue actiuitas respectu illius actus prouenit quidē ex lumine gloriæ intellectus. Respondetur secundò, quòd diuinam essentiā concurrere per modum speciei intelligibilis ad visionē illam, est quidē concurrere efficienter, nō quidem quoad substātiam actus, sed quoad specificationem illius; ad sic autem concurrendum non requiritur quod ipsa inhæreat intellectui, sed satis est quod producat in illo lumen glorię confortans intellectum ad videndum clarè tale obiectum determinatum, tanquā intimè præsens ipsi intellectui eleuato tali lumine.

Ad tertiū de artificialibus instrumentis.

TERTIVM etiam exemplum eorum de instrumētis artificialibus nihil ostendit, negamus enim quod attingant effectiuè effectum artificiosum, nisi virtute alicuius motionis artificiosæ receptæ in ipsis per actionē artificis, seu per receptionem formæ artificiosæ. De qua re inferiùs dicemus aliqua.

Tertia Conclusio.

Conclus. 3.

DICO tertiò. Propriè & formaliter auxiliū gratiæ diuinæ non dicitur esse ipse Deus secūdùm se: imò verò neq; ipsemet prout intimè nobis assistens, sed auxilium gratiæ, propriè loquendo, dicitur quid creatum inhærens animę. Vnde Theologi qui sequuntur placitū D. Tho. dicere solent ponendā esse gratiam aliquā excitantem in nobis fluentem, & transeuntem: imò verò etiam distinctam ab habitibus, & actibus vitalibus: iuxta illud D. Tho. dicentis: gratiam operantem esse affectum illum in quo voluntas est mota. 1. 2. q. 111. art. 2.

D. Tho.

Probat. 1.

HAEC assertio probari potest primò: quia Deus secundùm seipsum habet esse ab æterno, & semper se habet eodem modo absq; varietate vlla, at vero auxilium nobis impensum, & ab ipso tributum, seu collatum habet esse ex tempore, & cū varietate maxima, nūc enim est maius, nunc minus, vt constat ex his, quæ sancti Patres docent, & Theologi Scholastici: ergò, &c. Præterea secundùm proprietatem sermonis, & secundū veritatem, aliud est qui auxiliatur, aliud vero ipsum auxiliū quod præstat, & donat: igitur cū Deus sit auxiliator noster, non potest ipsemet, formaliter & propriè loquendo, esse ipsum auxilium quod ab eo præstatur, & tribuitur: ergò, &c.

Obiectio.

SI DICAS ex his fundamentis, & argumentis solùm probari Deum secundū se non esse auxilium nostrum formaliter, sed tantùm causaliter, seu efficienter, cum hoc tamen stare Deum ipsum quatenus intimè assistit nobis formaliter, & propriè esse, & dici, atq; vocari auxiliū. Sed contra hoc est. Nam hæc assistentia Dei intima, æquè conuenit omnibus hominibus, & eorum viribus, seu potentijs naturalibus, nullus enim est effectus creatus, neque esse potest cui non assistit intimè Deus per essentiā, præsentiam, & potentiam, neque aliter assistit vni creaturæ quam alteri, nisi secundū quod alium effectum operatur in illa quā in ista: ergo ante quā intelligamus aliquid causatū in vno homine plus quā in altero non valemus intelligere quòd magis assistat vni, quā alteri, neque quòd maius auxiliū præstet huic quā illi. Confirmari hoc potest. Quoniam ex eo præcisè, quod Deus assistat intimè intellectui, & volūtati nostræ, quoad entitatem naturalem istarū potentiarū, nihil aliud habetur, quā quod Deus cōseruet has potētias in proprio suo esse naturali, & quod ipsæ dependeant essentialiter à Deo in proprio esse: ergò ratione eius vitalis assistentiæ solū poterunt elicere suas naturales operationes, & nullo modo supernaturales. Dices Deum magis assistere vni quā alteri, quatenus sua voluntate est paratus causare in vno perfectionē effectū gratiæ, quā in altero. Sed cōtra. Nam per hoc quod Deus sit paratus causare, nō causat, neq; per hoc quod sit paratus auxiliari, præstat aut tribuit auxilium quousq; in executione ponat aliquid in anima eius cui auxiliatur, vel circa quam causat effectum gratiæ: ergò quomodocunq; imaginētur istam Dei assistentiā, nisi ex illa resultet in anima, vel in eius potentijs aliqua virtus, aut robur ipsis inhærens, non censetur habere cū effectu, & in executione auxilium Dei, quo possint supernaturaliter agere, & operari. Ostendo consequentiā. Quia secundū modū essendi est modus operandi: igitur cū extrinseca Dei assistentia (si repellimus & secludimus omnem virtutem, aut roburviriū superadditū potentijs, & illis inhærens) non tribuet illis alium modū essendi ab eo quē habent à natura: Neq; etiā poterit illis tribuere alium modum operandi. Hæc etiam assertio sequitur, ex secunda præcedente, & ex argumentis quibus impugnabamus opinionē illam, quæ in ea repellitur.

Repellitur, & corroboratur efficaciter probatio conclusionis.

Solutio.

Obiectio. Et maior præcedētis concl. confirmatio.

Probatio 2.

MOVEOR etiam. Quoniam tam in Concilijs, quam in Sanctis Patribus, imò verò in sacris litteris apertè dicitur Deus auxiliari nobis secundùm ordinem gratiæ per hoc quod supernaturale bonum inspirat, & similiter per hoc quod inclinat, & impellit corda nostra in illud. Rursus etiam per hoc quod pulsat, tangit, & inuitat, & interius nos vocat ad suam gratiam: sed hæc omnia important aliquam actionem transeuntem ad extra: ergò illud auxilium, quod his actionibus nobis tribuitur, & præstatur ab ipso Deo, est aliquid extra seipsum in nobis verè, & realiter existens. Probatur antecedens, tùm ex plerisque Concilijs, *Conc. Trid.* sed tùm maximè ex Concilio Tridentino, sess. 6. can. 3. vbi auxilium gratiæ Dei dicitur esse inspiratio Spiritus sancti. Constat autem quòd inspiratio non est ipse Deus, neque assistentia illa intima ipsius Dei, neque voluntas eius parata dumtaxat ad causandum in nobis effectus gratiæ, sed est vera, & realis motio, & impulsus in nobis receptus, quo formaliter inclinatur, & confortatur liberum arbitrium ad opera supernaturalia, quæ eius vires excedunt: ergò, &c.

Obiectio aduersus conclus. 3.

SED obijcies iterum cõtra nos. Nam vt vnus homo dicatur adiuuare alterum, & præbere illi auxilium ad operãdum, non est necesse quod ponat in eo aliquid intrinsecũ, sed satis est tribuere instrumenta necessaria ad operandum, vt equum, & arma ad pugnandum, & cibaria, vel pecunias ad id ipsum. Nam certè satis erit quòd adiutor suscipiat in se partem laboris, & partem operis. Nam si gestandum est pondus mille librarum, optimè dicetur tribuere auxiliũ ad hoc opus, is qui portauerit centũ libras, vel quingentas: & pari modo si dimicandũ est cum duobus inuasoribus, & inimicis, verè confert, & tribuit auxilium is qui cum altero illorum dimicat, aut pugnat, imò verò is qui assistit pugnanti, & eum hortatur, licèt ipse, neque dimicet, neq; pugnet: ergò pari ratione ad hoc, vt Deus dicatur tribuere auxiliũ ad opera gratiæ, non requiritur quòd ponat in nobis aliquid intrinsecum inhærens potentijs, sed satis est quòd tribuat instrumenta, & adhortationes extrinsecas, seu admonitiones, & quòd ipse assistat, aut partialiter concurrat nobiscum ad efficiendum opus supernaturale.

Soluitur obiectio.

HVIC obiectioni respondere possumus negando consequentiam. Quoniam omnia auxilia, quæ vnus homo potest alteri præstare supponunt in eo qui adiuuatur naturalem potentiam ad opus ex toto, vel ex parte efficiendum, & idcircò per se loquendo non requiritur quod ponant in illo aliquid intrinsecum, sed satis est quid extrinsecũ, vel quod subministrent instrumenta, vel materiam, & obiectum circà quod est operandum, aut aliquid motiuum per quod vires naturales quodammodo intendãtur, & roborentur in seipsis, sicut euenit quando quis ex sola assistentia amici animatur ad fortius pugnãdum, at verò auxilium gratiæ non supponit in creatura potentiam naturalem ex toto, vel ex parte ad efficiendũ opus supernaturale, vt apertè constat ex Mileuit. Concil. c. 4. & 5. & ex Tridẽtino, sess. 6. can. 2. vbi definitur planè auxilium gratiæ esse necessarium non solùm ad facilius, seu ad melius & perfectius, sed omninò etiã ad simpliciter posse efficere opera supernaturalia, & idcirco omnino requiritur quod huiusmodi auxilium perficiat intrinsecè naturales potentias, constituendo illas in alio esse altiori diuino, & supernaturali, vt possint prorũpere in supernaturales actiones, & operationes. Nam certè sicut id quod nullo modo habet esse in se ipso, nullo etiam modo potest aliquid effectiuè operari: sic etiam quod nullum habet esse supernaturale in seipso, nullatenus potest supernaturaliter operari, aut aliquid supernaturale efficere. Et in hac re sedulò est perpendendum Deum, & liberum arbitrium creatum in ordine ad opera supernaturalia, non se habere tanquam duas causas partiales (vt malè nonnulli dicunt) quarum quælibet secundùm se, & secundùm propriam virtutem attingat immediatè effectum ex toto, vel ex parte. Hoc enim absurdè dicitur à nouitijs quibusdã, quod sanè apertè est contra veritatem, & probatos auctores, ex quibus clarè habetur, quòd tota virtus actiua in ordine ad opera supernaturalia, vt sic conuenit libero arbitrio ex solo dono gratiæ sibi communicato per modum habitus, aut per modum actualis dispositionis, seu motionis transeuntis, vt explicabitur inferiùs. *Conc. Mil. & Trid.*

Obiectio ab incõueniẽti

SED dices, si huiusmodi auxilium gratiæ datur interdum per modum qualitatis fluẽtis, aut successiuè, sequitur huiusmodi auxiliũ nõ posse esse in instanti, ac proinde sequitur non posse peccatorem in instanti cõuerti. Respondetur, non dici huiusmodi auxilia fluentia, quia sint successiua, sed quoniam non habent esse permanens, aut fixum, vel difficile mobile, per modũ habitus, sed quia habent esse per modum dispositionis, & facile mobile, pendẽt enim interdum intrinsecè ab actibus qui facilè transeũt, & fluunt. Nam gratia excitans in intellectu est lumen respiciens veritatem, vt apprehensam, ita vt ipsa apprehẽsio sit cõditio, vel ratio formalis sub qua illa veritas tali lumine illustratur. Gratia verò, excitans in voluntate habet pro conditione vel ratione sub qua supernaturale iudiciũ intellectus, ita vt sua præ natura sit impulsus in rem, vt supernaturaliter iudicatam. Quòd si roges, vtrum idem impulsus sit ad actum liberum, & necessarium absolutum, & conditionatum? Respondetur impulsum Dei esse virtute multiplicẽ, & habere diuersum modũ, quamuis sit vnicus, & à Deo. Vnde potest affirmatiuè responderi adducto exemplo de habitibus. Nam eodẽ habitu elicitur actus liber, & necessarius, absolutus, & cõditionatus. Sanè tam Capreolus, vbi supra, quàm Ricardus in 2. distint. 26. artic. vnico quæst. 5. Albertus Magnus, art. 7. Bonauentura artic. 1. quæst. 6. AEgidius quæst. 2. artic. 3. censent gratiam excitantem esse inclinationem

Solutio.

Capreolus. Ricardus. Alb. Mag. Bonauent. Ægidius. Alensis.

quam-

quandam impressam; & dispositionem, quam voluntas recipit à Deo, & inchoationem, atq; principium, quo elicitur actus vitalis voluntatis: quod Alensis notauit 3. par. q. 69. memb. 8. art. 3. vbi dicit liberum arbitrium in ordine ad gratiam operantem esse motum, & receptiuè, atque passiuè se habere, & ea informatum operari, & elicere actum, & art. 4. in solutione cuiusdam argumenti dicit expressè quod liberum arbitrium, sine gratia adiuuante, & excitante non potest habere assensum, vel volitionem supernaturalem, & ad talem gratiam recipiendam se habere passiuè, vt oculus ad recipiendum lumen, licèt eo recepto actiuè se habeat ad visionem. Vndè ad gratiam præuenientem à Deo tributam receptiuè se habet voluntas & passiuè, licet talis gratia sit principiū elicitiuum actus. Hoc apertè docet Stapletonus lib. 4. de iustificatione cap. 7. vbi dicit quod homo se habet merè passiuè ad gratiam excitantem, & quod ea omnes conatus & cogitationes nostras præuenit Deus.

Quarta Conclusio.

Conclus. 4. DIco quartò: In ordine auxiliorum supernaturalium deuenire oportet ad auxilium aliquod quod nullo modo procedat effectiuè ab anima, sit tamen passiuè in ea receptum. Hanc *Cõc. Arausicanum.* assertionem apertè insinuat Concilium Arausicanum c. 20. vbi habetur multa in homine bona fieri, quæ non facit homo, nulla verò bona facere hominem, quæ non Deus præstet vt faciat homo. Quæ sane verba non tantum verificari debent de infusis habitibus; quos Deus facit in nobis sine nobis effectiuè concurrentibus ad eorum productionem, sed etiam verificantur de alijs auxilijs. Nam ante infusionem habituum possunt dari, & de facto dantur, multę operationes supernaturales, quas sine auxilio supernaturali nobis inhærente efficere non possumus, & inter auxilia prærequisita ad huiusmodi operationes supernaturales, necessariò deuenire oportet ad aliquod vel aliqua à solo Deo effectiuè & actiuè producta.

DIces nihil est in anima nostra superadditū naturæ prẹter habitus & actus, sed omnes actus tam deliberati, quam indeliberati, effectiuè procedunt à nostris potentijs vitalibus: ergò præter habitus infusos nullum est supernaturale auxilium inhærens nobis, quod à nobis effectiuè non procedat. Huic obiectioni dicunt aliqui actus indeliberatos, quales sunt subitæ cogitationes, & affectiones, ita nobis inspirari à Deo, vt solus ipse eos efficiat, nos verò merè recepti uè & passiuè concurramus ad eos, & in huiusmodi actibus indeliberatis dicunt consistere rationem auxilij specialis, quo Deus excitat nos, & præuenit ad opera supernaturalia. Hoc fuit placitum quod tenuit Vega, lib. 6. in Tridentinum, cap. 8. sed merito ab omnibus reijcitur, vt nos eum reijcimus, & repellimus. 1. 2. q. 111. artic. 1. disp. 2. Nam cogitationes, & volitiones, quamtumcumque subitæ, & inde-

Vega in Trident.

ratione est, quòd procedant effectiuè à prin- liberatæ, sunt operationes vitales, de quarum cipio intrinseco, & coniuncto, ac proinde est implicatio aperta, quod quis cogitet, aut velit, & quod volitionem, aut cogitationem minimè efficiat, vt nos fusius loco citato diximus.

QVOCIRCA alij Theologi credẽtes actuale auxiliū gratiæ excitantis, seu præuenientis nihil aliud esse, quàm huiusmodi cogitationes, & affectiones indeliberatas, quæ alio nomine dicuntur, & appellantur inspirationes, illustrationes, & impulsus Dei, consequenter ad hæc sentiunt huiusmodi inspirationes, & illustrationes à nobis procedere efficienter, non tamen liberè, sed necessariò, & quasi naturaliter; & iuxta hunc sensum explicant prædicta verba Concilij Arausicani, vt solùm significent huiusmodi inspirationes, & illustrationes nõ produci à nobis liberè, & ex propria electione, sed cum quadam necessitate ex Dei motione, quod nos supra insinuauimus, & attulimus rationabiliter valdè, & cũ probabilitate. Verumtamen hodiè recentiores plurimi, quamuis sententiam hanc minimè impugnent, nihilominùs censent suo iudicio aliquid probabilius dici posse, & vt hoc efficiant aduertunt primum, ac potissimum auxilium gratiæ non esse cogitationes istas, & volitiones indeliberatas, quas Deus nobis inspirat, sed aliquid aliud, saltem ordine naturæ, antecedens omnem nostram actionem supernaturalem etiam indeliberatã, & illud verè esse actum animæ nostrę, non per modum actionis, sed per modum passionis receptæ in nobis ex actione diuina. Pro qua re aperienda ego suppono, quod nihil agit, nisi secundùm quod est in actu, ac proinde ante quamlibet actionem necessariò debemus præintelligere agens constitutum in actu primo per formam aliquã proportionatam illi actioni, & quoniam nulla est forma naturalis in creaturis per quam constituantur in actu primo proportionato supernaturalibus actionibus, vt tam ex Concilijs, quàm ex sanctis Patribus apertè habemus, idcircò negari non potest, saltem ordine naturæ, constitui debere potentias nostras naturales in ratione principij effectiui supernaturalis per modum actus primi, quam possint producere actionem aliquam supernaturalem, etiam minimam cogitationem quamtumuis indeliberatam: hoc enim expressè decernit, & determinat vniuersaliter Cælestinus primus, epist. 1. ad Episcopos Galliæ, dicens: Omnes sanctas cogitationes, & omnes motus bonæ voluntatis, non tantùm quoad eorum incrementa, sed etiam quoad eorum exordia, vel initia referri debere ad Dei gratiam, qua præparatur voluntas, & disponitur intellectus, vt possint efficere huiusmodi operationes: & hãc censuit Cælestinus Papa fuisse omnium antiquorum Patrum sententiam, qui iuxta hunc sensum explicant illud Ioannis 15. *Sine me nihil potestis facere*. & illud Pauli 2. ad Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid*

Cælestinus Primus.

Ioann. 15. 2. ad Cor. 3.

ex

ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.

His ergo stabilitis, ratione etiam probatur proposita assertio quarta. Quia prima actio supernaturalis à nobis elicita effectiuè procedit ex aliquo auxilio gratiæ inhærente nobis, vt constat ex superius dictis, sed tale auxilium non potest à nobis procedere effectiuè: nam illud auxilium gratiæ non potest à nobis effici per illam primam actionem supernaturalem, aliàs idem respectu eiusdem esset efficiens, & effectus, quod apertè implicat. Neque rursus potest effici per aliam actionem priorem supernaturalem, quia hæc est prima omnium supernaturalium, vt supponimus: neq; per aliam actionem naturalem: quia aliàs supernaturale auxilium produceretur naturaliter, quod non solùm implicat, sed est clarissimè contra fidem: igitur necessariò dicendum est ad primum supernaturale auxiliũ nobis intrinsecum concurrere nostras potentias naturales merè passiuè, & receptiuè, & nullo modo actiuè, & effectiuè.

Interrogare tamen posset aliquis circa hoc auxilium gratiæ, & donum diuinum, quod antecedit omnem nostram actionem supernaturalem, & quod constituit formaliter tam intellectum, quam voluntatem in esse principij effectiui per modum actus primi in ordine ad operationes, & actiones supernaturales: Quid sit, & quale sit. In qua re, quæ difficilis valdè iudicatur, & abstrusa, iuxta illud Ioan. 3. Christi seruatoris nostri Ioan. 3. *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat.* oportet rem hanc explicare consentaneè ad principia Theologiæ. Dicendum est ergò hoc auxilium gratiæ diuinæ non esse qualitatem fixam, & permanentem instar habitus, sed esse actionem Dei mouentis receptam in anima, tanquam motum quendam ipsius Dei. Quod egregiè sanctissimus præceptor adnotauit. 1. 2. q. 10. artic. 2. Nam per hunc motum diuinum, seu motionem Dei receptam passiuè in anima datur illi formaliter vis quædam actiua supernaturalis respectu supernaturalium actionum, ad eum ferè modum quo S. Thomas. 3. p. q. 62. artic. 4. & alibi non semel docuit, per modum quo instrumentum mouetur à principali agente communicari ipsi instrumento virtutem actiuam instrumentalem in ordine ad effectum principalis agentis. Quare sicut virtus actiua instrumentalis (vt rectè adnotauit S. Thomas) non habet esse completum, & permanens in instrumento prout illud habet virtus principalis agentis, sed solùm habet quoddam esse incompletum, & transiens ad modum formæ intentionalis, ita etiam virtus hæc actiua supernaturalis, quæ formaliter tribuitur animæ per Dei motionem non habet esse fixum, completum, & permanens in ipsa anima, sed incompletum, & quasi transiens, vt dictum est. Neque tamen inde colligitur animam virtute huius diuinæ motionis supernaturalis, & gratiæ actualis, solùm agere tanquam quoddam in animæ instrumentum, sed tantũ sequitur, & colligitur, quod non agat virtute propria supernaturalia opera, sed virtute à Deo accepta, & in ea recepta, tamè quia omne quod recipitur ad modum recipientis recipitur idcircò anima quæ de se est agens vitale, & liberum, perficitur hac supernaturali virtute ad vitaliter, & liberè efficiẽdũ supernaturales actiones, & operationes, veluti causa illarum principalis in suo ordine, aut certè vt alij dicunt, tanquã instrumentũ viuum intellectuale, & liberũ. Nã patũ fortè refert ita loqui, non est tamè valdè mirandũ, quod per huiusmodi motionẽ diuinam, seu formã quasi intentionalem detur nobis formaliter vis, & facultas ad efficiendas actiones, & supernaturales operationes, quia certũ est in naturalibus, quod aër per intentionales species receptas ab obiecto visibili immutat visum transmittendo ad illud huiusmodi species, & secundùm diuersam reflectionem, vel irradiationem earundem specierum, in qua veluti in speculo immutatur diuersimodè potentia visiua ex parte obiecti: experimur etiam quod signa rememoratiua, ex eo præcisè quod signa quædam sunt intentionalia sic vel sic ordinata, & disposita, habent vim ad immutandum realiter memoriam, & intellectum, vt recordetur obiecti cuius sunt signa, & de illo cogitet. Cum ergò hæc, & similia videamus fieri naturaliter quamuis vix, & difficillimè intelligatur modus quo fiunt, nihil mirum erit, quod Deus sua omnipotenti virtute immutet supernaturaliter intellectum, & voluntatem nostram ex parte obiecti producẽdo intelligibiles species, aut certè disponendo, & ordinando species aliunde acceptas ab intellectu prout oportet ad cogitandũ, & volendũ supernaturaliter secũdũ quod placuerit ipsi Deo.

Ioan. 3.

D. Thom.

Præterea cernimus, quod Deus ipse indidit creaturis omnibus inclinationes quasdam naturales, & occultas virtutes per quas mouet ex parte principij eadem creaturas ad opera sibi connaturalia. Item etiam cernimus, quod artifex mouendo instrumentum imprimit illi motum quemdam artificiosum, quo instrumentum ipsum formaliter constituitur completiuè in esse principij effectiui instrumentalis, veluti in actu primo, respectu effectus artificiosi superexcedentis virtutem ipsius instrumenti considerati materialiter, & secundùm se: nihil igitur mirandum quod Deus modo quodam ineffabili (vt ait Augustinus) nobis occulto moueat ex parte principij intellectum, & voluntatem, illustrando intellectum, & impellendo voluntatem ad opera supernaturalia, taliter, vt per huiusmodi illustrationem, & impulsum constituantur formaliter istæ potentiæ in actu primo ad supernaturalia opera efficienda. Quod si obijcias per habitus infusos constitui prædictas potentias in actu primo, &c. Respondetur quod licèt habitus infusi constituant intellectum, & voluntatem in actu primo respectu operationum supernaturalium

quibus proportionantur, tamen in ordine ad operationes supernaturales quæ vel tempore, vel natura præcedunt infusionem habituum, vel eorum proportionem intensiuam excedunt. Vnde necessarium omnino est dari in ipsis potentijs formam aliquam per modum dispositionis vel motionis transeuntis, qua iste potentiæ constituantur in actu primo ad actiuè agendum, & ad supernaturales operationes eliciendas. Vtrùm verò præter hoc auxilium quo potentiæ constituuntur formaliter in actu primo, respectu operationum supernaturalium, sit necessariũ speciale aliud ad hoc, vt potentiæ reducantur de actu primo in secũdum, seu ad hoc, vt prodeant in actu secundo, alia est controuersia, de qua nos egimus 1. 2. in materia de Gratia, & de qua inferius dicemus multa.

NVNC verò satis sit esse certum ad quamlibet operationem supernaturalem, siue deliberatam, siue indeliberatam requiri, & præcedere auxilium aliquod speciale gratiæ Dei superadditum viribus creaturæ, nobisq; prius inhærẽs, saltem naturæ ordine, quàm potentiæ nostræ efficiant talem operationem: sicut enim in corporalibus prius est aliquem pulsare ad ianuam, & species immittere ipsius soni ad auditum, quam nos pulsantem audire, vel respondere illi, sic etiam prius natura saltem est Deum pulsare corda, eaq; per inspirationem tangere, & vocare nos, quam nos audire vel sentire Deum inspirantem, pulsantem, & vocantem, & quam respondere illi per liberum consensum, quamuis sæpè eueniat hæc omnia fieri vno atq; eodem momento temporis.

EX DICTIS igitur satis constat diuinam inspirationem impulsum, & tactum diuinum quibus Deus prẽuenit, excitat, mouet, vel tangit supernaturaliter corda hominum, nõ esse formaliter, & propriè loquendo, actiones nostras, siue deliberatas, siue indeliberatas, sed esse quid præuium ad omnẽ actionem nostram: & licèt sentire Deum pulsantem, inspirantem, & excitantem non sit in potestate nostra, vt ait Augustinus, sed necessariò fiat à nobis, actionibus quibusdam indeliberatis, cæterum consentire Deo excitanti, pulsanti, & inspiranti subest libertati nostræ.

Quinta Conclusio.

Conclus. 5. DICO quinto; plerumque euenire, vt vnus actus supernaturalis nobis interius diuinitus inspiratus dicatur esse auxilium gratiæ actualis respectu aliorum actuum supernaturalium, de qua re olim diximus multa, & dicemus alia in disputatione de auxilio efficaci Dei: interim

Probatur. tamen probatur: Quoniam inter actus supernaturales est ordo causalitatis, eo quod vnus disponit ad alium, & mouet ad alium, taliter vt ex vno perficiatur liberũ arbitrium ad eliciendum alium: ergò hac ratione verè dici potest quòd vnus actus, prout à Deo inspiratus, & productus, est auxilium gratiæ diuinæ respectu alterius. Ostendo antecedens. Nam in humanis ex cognitione principiorum perficitur ipse intellectus ad cognoscendas conclusiones, & ex intentione finis mouetur voluntas ad electionem mediorum, imò verò ex motibus naturalibus primo primis disponitur aliquis ad actus liberos, & in pueris ante vsum rationis iuxta educationem, & consuetudinem agendi causatur in eis dispositio ad actus liberos subsequentes, sic etiam in supernaturalibus ad actum pœnitentiæ detestationis peccatorũ mouetur voluntas, seu liberum arbitrium ex amore Dei, & ex timore inferni; ad amorem autem Dei mouetur ex desiderio, & spe futuræ beatitudinis. Rursus etiam ad omnes supernaturales actus voluntatis mouetur ex cognitione fidei, ad fidem verò mouetur ex cõsideratione aliqua supernaturali, cuius initium esse solet subita Dei motio, seu subita quædam, & indeliberata cogitatio, vel affectio diuinitus inspirata. Nõ ergò potest negari quin aliqui istorum actuũ sint supernaturalia auxilia, respectu aliorum de quibus inferius suo loco dicemus.

DE HIS actibus supernaturalibus mota fuit quæstio an sint supernaturales tantum quoad modum, vel quoad substantiam. Dicitur autem actus supernaturalis quoad substantiam ille qui secundùm suam essentiam, & specificam rationem talis est, vt ipsamet entitas actus non possit homini esse connaturalis, neq; ab eo fieri per facultatem arbitrij solam cum concursu naturæ debito: supernaturalis verò actus quo ad modum vocatur ille, qui licèt secundùm entitatem metaphysicam sit naturalis, tamen afficitur modo aliquo supernaturali superante naturam: sicut restitutio oculi, & illuminatio cæci dicitur supernaturalis, non quidem ratione entitatis, quia visus, & oculus qui restituuntur naturales sunt, sed in modo dicitur actus supernaturalis, quia nulla est causa naturalis, aut actio, quæ visum semel amissum possit restituere. Sentio ergò actus de quibus antea loquebamur, qui dicuntur auxilia, esse illos qui sunt supernaturales secũdùm substantiam, ad quod necessaria est omnino gratia Dei: & hæc est communis Patrum sententia. Sentio secundò homini necessarium esse auxilium supernaturale diuinum ad actus supernaturales de quibus loquimur, & hãc esse veritatem de Fide certam contra Pelagium definitam in Concilio Mileuitano, can. 3. 4. & 5. & in Concilio Africano c. 78. 79. & 80. & in Concilio Trident. sess. 6. nomine auxilij diuini refertur diuinum adiutorium, quòd est idem vocatio, & inspiratio diuina, & gratia adiuuans. *Conc. Mil. Afric. & Trident.*

OBSERVARE tamen oportet, non tantum esse de Fide hominem indigere supernaturali auxilio ad supernaturalia opera, sed etiam gratuito auxilio, quod sit donum gratis nobis collatum à Deo: hæc enim duo, vt aliqui aduertunt, non sunt prorsus idem. Quia vt auxilium sit gratuitum non satis est quod supernaturale sit, sed vlterius requiritur vt gratis detur, ita Paulus ad Romanos 4. *Ei qui operatur, merces* *Observatio* *Ad Ro. 4.*

non

non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Nam si gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia. Si igitur potest dari supernaturale auxilium ex aliquo merito, non est idem omnino supernaturale auxilium quòd gratuitum, sicut neque è conuerso est idem in rigore gratuitum auxilium quòd supernaturale, quia potest esse aliquod auxilium gratis datum ad opera aliqua naturalia, quod in se non sit supernaturale, licèt tale auxilium non soleat dari nisi cum aliquo ordine ad finem, & supernaturalem bonitatem, sub qua ratione poterit nuncupari supernaturale.

Ioannis. 1.

Suarez lib. 3. de auxilijs.

Molina in concordia.

Ioannis 1.

Sed contra hoc videtur esse quorundam sententia, qui existimant hominem per naturæ vires posse aliquid efficere, quo primum auxilium supernaturale gratiæ, seu vocationem suam obtineat, in quo sensu volunt explicare vulgare illud proloquium: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*: Imò verò illud Ioannis primo. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius, &c.* Et Franciscus Suarez libro tertio de auxilijs capite secundo §. Non omittam, refert quosdam Scholasticos, etiam recentiores suppresso nomine eorum docuisse idem, nimirum posse hominem per vires naturæ tantum aliquid efficere, quo primum gratiæ auxilium, seu primam vocationem obtineat, & contendit hos auctores liberari à semi Pelagianorum errore. Et certè inter recentiores quos ille suppresit ego reperio Ludouicum Molinã in sua concordia, quæstione 14. articu. 13. disputatione 10. qui sententiam quam retulimus defendit, & vlterius addit aliquid maius, videlicet, non solùm posse hominem per vires naturæ tantùm efficere aliquid, quo primum gratiæ auxilium, seu primam vocationem obtineat, sed etiam posse hominem ex suis viribus naturalibus, si faciat totum quod ex sese potest, tam circa dolorem de peccatis, quàm circa amplectendam fidem à Deo conferri gratiam præuenientem, eaq; auxilia quibus id faciat vt ad salutem oporteat. Hocque fundari in lege quam Pater æternus & Christus Dominus statuerunt Christo id obtinente ob sua merita. Itaque Christus & Pater æternus inter leges quas tulerunt de auxilijs vna fuit, vt quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis est donarentur nobis auxilia gratiæ, atque adeò quod sicut Deus per generalem concursum ordinis naturæ præstò adest libero arbitrio, vt naturaliter velit aut nolit, ita adest semper præstò per auxilium gratiæ sufficiens hac ratione, vt quoties homo ex suis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex his quæ ad iustificationem spectant, illud exequatur prout ad salutem oportet, & hac ratione dicit intelligendum esse locum Ioannis primo. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri: Hominibus enim* (inquit Molina) *catenus facta est potestas, vt filij Dei fiant, quatenus si quantum in se est conentur*, & loquitur ex suis viribus naturalibus, tunc enim præstò illis aderit Deus vt fidem, & gratiam consequantur, & ob eam causam in hominum est potestate vt filij Dei fiant. Quod si hominibus conantibus ex suis naturalibus, vt de peccatis doleant, vel vt fidem amplectantur, Deus non est semper præsto, tam per gratiam præueniẽtem quàm per auxilia, vt actu sint quales ad salutem oportet, non erit verum Deum velle omnes homines saluos fieri. Hactenus recitata est Molinæ sententia.

Suarez explicat Molinam, in alium tamen sensum trahit ipsũ, verissimũ quidem, sed alienum à mente auctoris quẽ explicat.

Hanc contendit Franciscus Suarez explicare, ne, vt ille ait, cum semi Pelagianorum errore inuoluatur, & eam dicit habere sensum Catholicum, affirmat enim recẽtiores quosdã Theologos, vt sufficientiam & necessitatem gratię declararent, inuenisse hunc modum, quo sit in potestate hominis illam habere, etiam quoad primum auxilium præueniens. Quia alioquí non apparet quomodo sit in potestate hominis salutem obtinere, si nõ est in potestate illius eam inchoare.

D. Thomas

Explicat hos auctores Franciscus Suarez proponẽs quidem sententiam suam, sed nõ illorum opinionem, aut modum dicendi: inquit enim quod hoc modo est in potestate cuiuscumq; hominis saluari, quia est in potestate eius habere hoc diuinum auxilium, non ex merito aut dispositione sua, sed ex liberali & generali largitione Dei, quod est verisimũ, ex diuina misericordia. Quamuis enim homo nihil ex se possit efficere, quo diuinũ hoc auxilium obtineat, sed Deus sola gratuita voluntate sua illud offerat, potest tamen homo vt S. Thomas docuit lib. 3. contra gentes, cap. 159. sua voluntate sufficienter impedire, multiplicando peccata, quantum in ipso est, ne hoc auxilium actu recipiat à Deo. Et hinc fit quod si homo habens solum lumen naturale, ita se gereret, vt nullum nouum impedimẽtum gratiæ adhiberet, vocationẽ gratiæ reciperet certò, non ex suo merito, aut dispositione sua, sed ex generali illa liberalitate Dei, qua ipse est ad omnium ostium & pulsat. In quo sensu ait intelligendos esse auctores illos & doctores recentiores, quos suppresit, cum tamen attente in margine recitauerit Sanctum Thomam, & Alexandrum Alensem, subticueritque modernos & suum Molinam inter eos, loco citato In hoc ergò sensu vult explicare prædictos Theologos, & Molinam, & in hoc sensu affirmat illos dixisse & intellexisse proloquium illud tritum, & vulgare: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*: seu non ponenti obicem & impedimentum per id quod in se facere potest Deus ex sua liberalitate & misericordia dabit gratiam, quam homo promereri non potest.

S. Thom.

Sane sensus, quem adducit Franciscus Suarez veram continet doctrinam, & verè quadrat pro explicatione Sancti Thomæ in secundo distinction. 28. quæstione prima

articulo quarto, cùm Sanctus Thomas Prima secundæ in disputatione de Gratia apertè docuerit, quòd facienti quod in se est ex diuino auxilio Deus non denegat gratiam suam, vt operetur illa, quæ ad salutem sunt necessaria: idque aperte colligitur ex eodem sanctissimo Præceptore, Prima secundæ, quæstione 109. articulo sexto, tam in corpore, quàm in solutionibus argumentorum, & etiam ad 4. argumentum, quoniam inchoare salutem est inceptio vitæ supernaturalis, & dirigere initiatiuè gressus ad Deum, idcircò Sanctus Thomas disputans in prædicto articulo: Vtrùm homo possit se præparare ad gratiam per se ipsum? adducit in contrarium illud Ioannis sexto quod nemo potest venire ad Christum nisi Pater cælestis traxerit illum: si autem homo suis viribus innatis posset inchoare salutem, & hoc ex infallibili lege Dei, iam tunc homo ex suis viribus naturalibus, ita inchoaret salutem suam, vt infallibiliter & ex lege sequeretur ipsa salus in eo, & traheretur à Patre, quod non est ferendum. Id etiam videtur confirmare idem Sanctus Thomas pluribus in locis quos alibi expendemus. Cum igitur constet tam in Prima secundæ, quam in partibus, suam sententiam explicuisse, necessariò interpretanda est pie & Catholicè sententia eiusdem Diui Thomæ in secundo sententiarum: & pari modo sententia Alexandri Alensis. Cæterum cum Molina multa dicat diuersa, & inter ea sentiat. Quod quoties homo ex viribus suis naturalibus, & innatis, conatur facere quod in se est, ex lege infallibili Dei adsunt auxilia gratiæ, quibus faciat ea quæ ad salutem oportet, & ita semper adesse hæc auxilia dicit, quoties homo conatur ex suis viribus naturalibus, &c. vt eo modo adsint, sicut concursus generalis ordinis naturæ adest libero arbitrio, vt naturaliter velit, aut nolit, & supposita hac lege, si homo operetur benè ex solis viribus naturalibus, dicit factam esse potestatem hominibus vt filij Dei fiant, quia per hoc facta est illis potestas vt recipiant auxilium diuinæ gratiæ: quod est apertè reijciendum, vt constat ex Concilio Mileuitano capite quarto & quinto, & ex Arausicano capite septimo, imo vero ex Tridentino Sessione 6. tam in Decretis & capitibus, quàm in anathemate canonum.

Alexander Alens.

Conc. Mileuit. Arauf. & Trident.

Et quidem sententia istorum apertè est contra Diuum Augustinum, libro primo retractationum, capite vigesimo secundo, vbi sic loquitur. *Alio in loco dixi*, (nimirum contra Adamantium capite vigesimo sexto) *nisi quisque voluntatem mutauerit bonum operari non potest: quod in nostra potestate esse positum, Dominus in alto docet vbi ait: Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam & fructum eius malum*, Matthæi duodecimo. *Quod non est contra gratiam Dei, quam prædicamus: In potestate quippè hominis est mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est nisi à Deo detur, de quo dictum est: dedit eis potestatem filios Dei fieri*, Ioannis primo. En quomodo interpretatur Augustinus locum Ioannis primo, non quidem vt Molina, sed contra ipsum, quia non dicit ex nostris viribus naturalibus præcisè conantibus dari gratiam præuenientem ex lege infallibili, sed potius dixit hanc potestatem specialiter ex gratia Dei procedere.

Contra D. Augustinũ Molina tenet.

Praeterea si ex lege lata & posita ab ipso Deo donantur prima gratia præueniens, & auxilia etiam actualia eiusdem gratiæ, non secus atque concursus generalis ordinis naturæ rebus omnibus naturalibus impenditur, cum homo ex solis viribus naturalibus præcisè conatur: sequitur apertè Deum ex tali lege lata teneri & obligari ex debito fidelitatis, tribuere peccatori, ex solis viribus naturalibus innatis conanti, facere ea quæ ad detestationem peccati vult; dare inquam illi, ex lege necessaria & infallibili, gratiam primam præuenientem, & gratiam actualem auxiliorum, quibus faciat ea quæ ad suam salutem consequendam oportet, aliàs Deus esset infidelis, frangeretque fidem nisi id faceret: quòd dici non potest nisi malè: ergo non potest Molina explicari in hac parte. Nam certè postquam homo peccauit mortaliter Deus nulla lege tenetur tribuere gratiam primam præuenientem, & alia auxilia actualis gratiæ, sed iustè & fideliter ageret, si postquam homo mortaliter peccauit sumeret supplicia, & pœnas meritas eiusdem peccatoris, quas peccando mortaliter incurrit. Quare quod homo post peccatum mortale accipiat primam gratiam præuenientem à Deo, & pulsetur ab ipso, &c. Id ex arce diuinæ misericordiæ procedit, & ex prouidentia diuinæ liberalitatis suæ omnino, neque astringitur Deus lege aliqua, qua teneatur propter innatas vires, seu propter opera naturalia virium naturæ. De qua re nos egimus luculenter valde, Prima secundæ, quæstione 109. articulo sexto, disputatione vnica, vbi egimus: Vtrùm homo proprijs viribus possit se disponere ad gratiam? & quæstione 112. articulo tertio, disputatione prima: & hanc rem tetigimus nouè & recenter in disputatione de libero arbitrio, discursu quinto, sectione prima, in qua explicantur difficultates primi argumenti illius controuersiæ.

Divvs Augustinus libro secundo de prædestinatione Sanctorum, capite octauo, expressè agere videtur contra hanc sententiam, & videtur præuidisse istam opinionem, sic enim ait: *Non itaque in hominum sed in Dei est potestate, vt habeant homines potestatem filij Dei fieri: ab ipso quippè accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeant Fidem, quæ operetur per dilectionem.* Quocirca tenenda non est sententia eorum,

Adducitur expressum, D. Augu. testimoniũ contra hanc sentẽtiam.

qui postquam dixerunt, quòd ex lege infallibili positis naturæ operibus ex solis innatis viribus procedentibus, Deus ex tali lege confert auxilium gratiæ sufficiens, hac nimirum ratione, vt quoties homo peccator ex suis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex his, quæ ad iustificationem spectant, illud exequatur prout ad salutem oportet. Hoc enim Molina dixit, & addidit vlteriùs quòd his hominibus ex naturæ viribus præcisè conantibus, eatenus facta est potestas, vt filij Dei fiant, quatenus si quantum in se est conentur &c. qui videndus est loco superiùs citato. Ex cuius sententia atque verbis satis apertè constat qualiter ille vult quòd ex innatis viribus liberi arbitrij nobis conantibus, infallibiliter habemus ex lege quandam potestatem in ordine ad auxilia gratiæ, & ad gratiam præuenientem. Quapropter videtur auctor iste facere quoddam ius à natura, & à conatu virium naturalium, ad gratiam cum quadam obligatione iuris & legis.

Alia D. Aug. testimonia.

Hoc tamen ego longè diuersùm inuenio apud grauissimum Augustinum, libro contra duas Epistolas Pelagianorum, ad Bonifacium, capite secundo, vbi mirabilem sententiam scripsit dicens: *Cum itaque non viuant benè homines nisi effecti filij Dei, quid est quòd iste libero arbitrio vult bene viuendi tribuere potestatem, cùm hæc potestas non detur nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, dicente Euangelio: Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Ioannis primo. Quid clarius dici potuit à Diuo Augustino contra ea quæ Molina superiùs protulit.

Rvrsvs idem Augustinus eodem libro, capite tertio sequenti, explicando locum Ioannis sexto: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, inquit: *Et hoc propter credentes, & non credentes se dixisse manifestauit exponens quod dixerat: Nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.*

D. Ansel.

Divvs Anselmus super Paulum ad Romanos nono explicans illud. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dixit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti?* Dicit Anselmus: *Ille qui verus figulus, id est creator & artifex, & formator noster est, habet potestatem saluandi iustitia cuius vult misereri, & quem vult indurare. Sed tu quamdiu figmentum es nondum perfectus es filius, quia nondum hausisti pleniſsimam gratiam, qua nobis data es potestas filios Dei fieri, vt possis audire: Iam non dicam vos seruos, sed amicos &c.* En Diuus Anselmus, si rectè perpendatur, contrarius est Molinæ in hac potestate, qua Deus dicitur dedisse facultatem vt fiant filij Dei. Idem sensit contra Molinam Diuus Ambrosius libro quarto de fide, capite quarto, Diuus Athanasius sermone tertio contra Arrianos, Diuus Cyrillus libro primo in Ioannem capite 14. Diuus Gregorius homilia sexta in Ezechielem, Caietanus

D. Ambr. D. Athan. D. Cyrill. D. Gregor. Caietanus.

Ientaculo quinto, Theophilactus explicans locum Ioannis primo: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Legendus est Toletus super Ioannem annotatione 34.

Theophilactus. Toletus.

Tandem non potest congruere sententia Molinæ cum Euangelio, cùm Ioannes Euāgelista dicat aperte: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, &c.* Ergò dici non potest, quòd si conantibus nobis ex innatis viribus facere quod in nobis est, tunc ex lege quam Deus pepigit cum Filio eius Christo aderunt auxilia gratiæ, &c. quæ non minus aderunt, quàm concursus generalis libero arbitrio, vt prædictus Molina dixit in Concordia disp. 10. citata.

Ioan. ca. 1.

Imò verò Tridentinum Concilium definit nullum hominem sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate posse, & tamen inquit Molina, Quòd quotiescumque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præstòve est ad conandum totum id quod ex sese potest, tam circa fidem quàm circa dolorem de peccatis ad iustificationem, à Deo conferri gratiam præuenientem, auxiliáve, quibus id faciat, vt oportet ad salutem. Ecce Molinam docentem hominem libera sua voluntate, & ex innatis viribus se mouere posse tam circa fidem, quàm circa dolorem de peccatis ad iustificationem, ob quam motionem ex naturæ conatibus factam ex certa & infallibili lege & pacto confertur illi gratia præueniens, & conferuntur auxilia supernaturalia quibus id faciat vt ad salutem oportet. Cuius rei iudicium sit ex sacro Tridentino Concilio, qualiter hoc dicatur.

Ex Concilio Tridentino arguitur cõtra eandem sententiam.

Possem adducere plura testimonia Scripturæ pro nobis, pluresque etiam Theologicas rationes sanæ doctrinæ, sed quia eas omnes adduxi. 1. 2. locis citatis, & in disputatione de libero arbitrio, & gratia Dei, discursu quinto, sectione prima, idcirco nunc silere volo, & remittere lectorem in eum locum. Dicat igitur nobis Suarez cur sententia Molinæ est aliena à semiPelagianis, cum sit expressè contra Scripturam, & contra Sanctos Patres, & contra Diuum Augustinum vt vidimus, qui etiam libro vnico de gratia & libero arbitrio ad Valentinum capite 17. protulit illa verba: *Ipse Deus vt velimus operatur incipiens*. Ergò nos non incipimus ab innatis viribus &c.

Qvare si proloquium illud Theologicum: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*, explicetur de dispositione positiua, aut de medio infallibili proueniente ex lege & pacto Dei, ad quod sequatur gratia præueniens, & sequentur alia auxilia gratiæ actualis, non secus atq; concursus generalis naturæ debetur libero arbitrio, non potest intelligi de homine faciente ex innatis viribus præcisæ naturæ quod in se est, sed per gratiæ auxilium, quare

non potest accommodari hoc ad collationem illam primi auxilij gratiæ actualis præuenientis.

Ad argumenta respon.

Ad argumenta quę inter recensendum aliorum opiniones retulimus non est difficile respondere ex dictis. Nam certè solùm ostendunt posse dari aliquam gratiam excitantem, & primo præuenientem à solo Deo productã, & hanc diximus antecedere actum vitalem supernaturalem, vt principium eius receptum à Deo. Nam certè deueniendum est ad aliquid productum à solo Deo distinctum ab actu vitali, siue illud sit qualitas fluens, siue nomine motionis appelletur, siue quidpiam aliud. Fatemur etiam actus vitales subitos & non liberos effectiuè esse à nostris potentijs, quòd si boni sint & supernaturales dicuntur à nostris potentijs esse effectiuè, adiutis tamen & eleuatis per supernaturale auxilium intrinsecum, quod non sit actus vitalis.

Tandem fatemur constituendas esse formas, seu qualitates supernaturales, vel aliquid supernaturale fluens & receptum in nobis, distinctum ab ipsis actibus vitalibus, & huiusmodi auxilia nomine gratiæ excitantis comprehenduntur. Similiter etiam dantur aliqui actus supernaturales non liberi, qui nomine gratiæ excitantis respectu aliorum comprehendi possunt. Rursus iudicium prudentiæ infusæ excitat ad actum Fidei, quamuis per se & immediatè non concurrat ad illud, sed mediatè.

DISPVTATIO. II.

Vtrùm actualis gratia auxilij diuini rectè diuidatur à Theologis in operantem, & cooperantem: in præuenientem & adiuuantem: & in alia membra?

Gratia actualis diuini auxilij plerisque modis diuiditur à Theologis. Nam solet diuidi in præuenientẽ, & subsequentem, & in excitantem, & adiuuantem, in operantem, concomitantẽ, & cooperantem. Et sanè diuina gratia tam vocans, quàm excitans & adiuuans nobis donatur à Deo, vt conuertamur, & vt in pietatis operibus progrediamur: & ad hanc diuisionem auxilij diuinæ gratiæ actualis in excitantem seu vocantem & adiuuantem possunt reduci diuisiones omnes quæ de gratia auxiliante traduntur à Theologis: & idcirco Concilium Tridentinum hanc tetigit diuisionem gratiæ virtute cæteras continentem.

Magister Sentent.

Rursvs aduerte diuisionem auxilij gratiæ diuinæ in operantem, & cooperantem esse valde receptam à Theologis cum Magistro in secundo distinction. 26. & habere fundamentum tam in sacra Scriptura, quam in doctrina Patrum, præcipuè Diui Augustini libro de gratia & libero arbitrio capite 17. vbi tradens modum quo Deus per gratiam causat nostram salutem, inquit. *Augustinus cooperando perficit, quod operando incipit.* Et subiungit statim de gratia operante dictum esse à Paulo ad Philippenses secundo. *Deus est qui operatur in nobis velle.* de cooperante verò dictum esse: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ad Romanos octauo. Et in eundem sensum explicari potest illud etiam Pauli prima Corinthiorum 15. *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* In quo loco per illa verba, *Gratia Dei sum id quod sum.* denotatur gratia operans, per sequentia verò denotatur gratia cooperans, vt colligitur ex Diuo Anselmo super eundem locum & ex D. Gregorio 16. Moralium capi. 12. Diuo Bernardo libro de gratia & libero arbitrio, circa principium, & in Concilio Arausicano capit. 9. dicitur. *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum vt operemur operatur.* Vbi ad gratiam operantem refertur illa particula, *in nobis*, ad cooperantem autem illa, *atque nobiscum.* & capite 20. dicitur de gratia operante. *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo*, de cooperante verò subiungitur: *Nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet vt faciat homo.*

Ad Philippenses 2.

Ad Rom. 8

1. Cor. 15.

D. Ansel. D. Gregor. D. Bernar.

Cõci. Arausicanum.

Avxilivm præueniens intrinsecum à Deo datum inhærens ipsis animæ potentijs, & eas mouens ad supernaturales actus, idem est quòd gratia excitans. Vnde Tridentinum Concilium Sessione sexta capite quinto cum decreuisset initium iustitiæ à præuenientegratia esse sumendum addidit statim. Hoc est ab eius vocatione. Hanc autem vocationem declarat per gratiam excitantem, & idem patet ex Canone tertio & quarto eiusdem Sessionis. Per hoc tamen non repelluntur alia beneficia diuinæ, gratiæ, quibus Deus præuenit hominem, quæ sub genere gratiæ præuenientis possunt comprehendi, in quo genere continentur multa quæ pertinent ad prouidentiam, & diuinam misericordiam, quibus Deus protegit & custodit hominem auertendo occasiones peccandi, & offerendo oportunitatem bene agendi, & recipiendi diuina beneficia, de qua re legendus est sanctissimus Præceptor libro 3. contra gentes capite 162. §. Hoc autem.

Conc. Trid.

Gratiam vocantem, seu excitantem Theologi vocant diuinas quasdam inspirationes, & motiones Dei, quibus Deus hominem ad se inuitat, & allicit, ad pias actiones & salutares. De gratia adiuuante intelligitur

illud ad Romanos octauo. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram*: Et illud etiam. *Quicumque Spiritu Dei aguntur hi sunt filij Dei*. Quod explicans Diuus Augustinus, sermon. 10. de Verbis Apostoli, *Spiritu*, ait, *illuminante, exortante, adiuuante*. Legendum est etiam Tridentinum Concilium Sessione 6. capite 6. dicens: *Disponuntur ad iustitiam dum excitati diuina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum*. In quo pacto Concilium meminit vtriusque gratiæ vocantis & adiuuantis. Et in Canone 3. dicitur non posse hominem sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio credere, sperare, diligere sicut oportet, & in eadem Session. cap. 5. inspiratio Spiritus Sancti præueniens est vocatio Dei.

Ad Romanos 8.

D. Augu.

Conci. Tri.

GRATIA concomitans dicitur illa quæ liberum consensum nostrum comitatur, adiuuando nos ad illum præstandum. Quocirca sicut gratia præueniens, iuxta superiùs dicta, coincidit cum excitante, & vocante, sic concomitans iuxta coincidit cum adiuuante.

DIVISIO gratiæ in operantem, & cooperantem coincidit cum illa præcedente. Quia gratia operans est excitans, cooperans verò est adiuuans. Hoc tradit Diuus Augustinus libro primo de Gratia & libero arbitrio capite 16. & 17. vbi ait. *Certum est nos mandata seruare si volumus, sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est vt tantum velimus quantum sufficit, vt volendum faciamus: Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum est: Præparatur voluntas à Domino, & à Domino gressus hominis diriguntur, & Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati qui dixit: Faciam vt in iustitijs meis ambuletis.* & capite 17. sequenti, *Quis*, inquit Augustinus, *istam etsi paruam dare cœperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit. Quoniam ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens: Vt ergò velimus sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus vt faciamus, nobiscum cooperatur, tamen sine illo vel operante vt velimus, vel cooperante cum volumus ad bona pietatis opera, nihil valemus*. Ex quo loco Diui Augustini planè colligitur operantem gratiam illam esse, qua voluntas præparatur à Domino, & hanc etiam esse qua Deus dicitur facere vt velimus, vel vt faciamus, hoc autem constat planè fieri in nobis à Deo per excitantem & vocantem gratiam, qua voluntatem nostram allicit, & præparat vt velit.

D. Augu.

DE HAC igitur controuersia proposita in titulo disputationis nonnulli censent gratiam operantem, & cooperantem differre per hoc quòd gratia operans causat actus internos voluntatis, & intellectus, cooperans autem actus exteriores. Et hæc explicatio magnum habet fundamentum in D. Thoma 1. 2. q. 111. artic. 2. & in D. Augustino loco citato, quatenus dicit: *Vt ergò velimus sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus vt faciamus nobiscum cooperatur.*

Prima opinio.

CVM igitur tota difficultas & controuersia sit, penes quid distinguantur istæ duæ gratiæ, sunt alij Theologi qui referant gratiam operantem ad liberam volitionem siue intentionem finis, cooperantem verò ad electionem mediorum, vt scilicet gratia dicatur operans quatenus causat in nobis quod liberè velimus, & intendamus finem nostræ salutis, cooperans verò dicatur quatenus causat quod liberè eligamus media conuenientia ad illum finem. Ita tenuit Soto lib. 1. de Natura & gratia cap. 17. & fauet D. Thomas 1. 2. q. 9. art. 4. in quantum dicit voluntatem in ordine ad finem non mouere se ipsam, sed moueri à Deo, & non longè distat ab hac sententia Robertus Bellarminus tomo 3. controuersia 3. libro 1. de Gratia & libero arbitrio, capite 14. dicens gratiam operantem esse illam, quæ efficit in homine primum actum deliberatæ voluntatis, quo ad Deum conuertimur per fidem, aut per pœnitentiam, gratiam autem cooperantem esse illam, quæ actus sequentes efficit nobiscum.

Soto.

D. Thom.

Bellarmin.

SVNT Theologi qui sentiant gratiam operantem referri ad actus subitos, & indeliberatos quos ex impulsu Dei ad bonum habemus absque præuio consilio aut deliberatione: cooperãtem verò referri ad alios actus prouenientes ex imperio & deliberatione voluntatis cum Dei gratia. Quam sententiam & interpretationem Caietanus amplectitur 1. 2. q. 111. arti. 2. iam citato superius.

Caietanus.

QVIDAM alij etiam sentire volunt cum Caietano non quidem iuxta interpretationem & explanationem tactam, sed iuxta aliam diuersam, quam etiam ipsi insinuant, putant enim gratiam operantem, & cooperantem, solùm distingui per ordinem ad actus nostros quatenus sunt meritorij, ac proinde dici gratiam operantem gratuitam motionem Dei ad primum actum interiorem meritorium, qui non procedit ex habitu, vel ex alio actu meritorio, & ipsam etiam gratiam habitualem, quatenus informat, & tribuit esse gratum, & principium operandi meritoriè etiam dici posse gratiam operantem: Cooperantem verò dici eandem gratiam habitualem, & gratuitam Dei motionem in ordine ad alios actus meritorios, quatenus procedunt ex habitu gratiæ. Nam si excedant intensionem ipsius habitus non debent referri ad gratiã cooperantem, sed ad operantem, quoad illum excessum. Et sanè omnes hi modi dicendi & explicandi gratiam operãtem, & cooperantem habent aliquam veritatẽ, quamuis non satis explicent rem ipsam ad mentem D. Augustini, & Patrum antiquorum, cùm non habeant integram veritatem.

PRO explicatione huius controuersiæ suppono tanquam rem certam gratiam dici operantem, & cooperantem in ordine ad operationes nostras supernaturales, de quibus supernaturalibus operationibus dupliciter loqui possumus. Primò sanè quatenus sunt meritoriè apud Deū, & secundò quatenus sunt supernaturales præcisè, non considerando rationem meriti apud Deum.

SVPPONO secundò quod cum liberum arbitrium creatum sit ex natura sua principium insufficiens horum actuum supernaturalium, quidquid antecedit actum, & additur libero arbitrio est ante actum, & adiungitur voluntati aut intellectui, ad hoc vt tam intellectus reddatur potens quàm etiam ipsa voluntas, seu liberum arbitrium in genere causæ proximæ ad efficiendos huiusmodi actus supernaturales, & quidquid adiungitur libero arbitrio ante actum eius supernaturalem, verè dicitur auxilium Dei per modum principij illorum actuum supernaturalium. Auxilium autem supernaturale quoddam est actuale, aliud verò habituale potest appellari. De actuali loquitur scriptura Trenorum 5. *Trenorũ 5.* *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Hæc enim verba quid aliud significant, quàm actualem Dei gratiam? Et illa etiam Ioannis 6. *Ioannis 6.* *Nemo potest venire ad me, nisi Pater æternus traxerit eum.* Vnde quidquid Diuus Augustinus, imò verò Tridentinum Concilium, & alia anteriora dicunt plerumque de diuina vocatione, inspiratione, & illustratione atque de interiori motione Dei, & inclinatione voluntatis pertinet quidem ad hanc actualem gratiam, gratia verò auxilians habitualis dicuntur sæpe ipsi habitus supernaturales qui ad eliciendos actus supernaturales infunduntur animæ. Nam ea ratione qua ad efficiendos huiusmodi actus adiuuant voluntatem dici possunt diuina auxilia, & supernaturalia. Quare D. Augustinus omnia dona diuina vocat adiutorium diuinum, lib. de correptione & gratia cap. 12. vbi ait: *Adiutorium est non solùm sine quo non fit aliquid, verum etiam quo fit propter quod datur.* Hoc idem sensit D. Thomas opusculo 2. cap. 143. Hoc igitur auxilium habituale dicitur necessarium ad eliciendum actus supernaturales connaturali & perfecto modo per intrinsecam & connaturalem facultatem, quamuis per alia auxilia gratiæ actualis elici possint. De qua re alibi diximus.

Prima Conclusio.

Conclus. 1. HIS ITA constitutis dico primò. Gratia actualis optimè diuiditur in gratiam excitantem & adiuuantem: & in operantem & cooperantem. Hæc distinctio habetur ex Sanctis Patribus, præcipuè ex Diuo *D. Augu.* Augustino libro secundo de peccatorum meritis, & remissione capite 18. vbi docet nos conuerti non posse ad Deum nisi Deo ipso excitante, & adiuuante. Cui consentit Diuus Bernardus libro de gratia & libero arbitrio dicens. *Liberi arbitrij conatus ad bonum parum efficiunt si à gratia non adiuuentur, & nulli sunt si non excitentur.* Vnde in Concilio Tridentino Sessione 6. expressè definitur peccatores conuerti ad Deum per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam. Vt constat ex Decreto de iustificatione capite 5. & capite 6. sequenti dicitur in eodem Tridentino. *Disponuntur (homines) ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia & adiuti fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum.* Et in plerisque alijs decretis mentio fit huius gratiæ excitantis & adiuuantis. Hanc eandem distinctionem sacræ litteræ tradũt, Apocalypsis tertio dicitur. *Ego sto ad ostium & pulso, si quis aperuerit mihi ianuam intrabo, & cœnabo cum eo.* Ad Ephesios quinto. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Isaiæ 45. *Ego suscitaui eum ad iustitiam, & omnes eius vias dirigam.* Et Zachariæ 4. *Suscitauit me quasi virum, qui suscitatur à somno suo.* Figuratur quoque gratia excitans in eo quod Christus Dominus dixit Ioannis 11. *Vado vt à somno excitem eum.* Et in eo quod Actorum 12. Angelus excitauit Petrum dormientem, dicens. *Surge velociter.*

D. Bernar. *Conc. Trid.* *Apocal. 3.* *Ad Ephesios 5.* *Isaiæ. 45.* *Zachar. 4.* *Ioannis 11* *Actorũ 12*

DE GRATIA verò adiuuante sæpius fit mentio in sacris litteris, & in petitione Ecclesiæ cum iugiter petitur adiutorium diuinũ. Vnde Ecclesia orat dicens. *Actiones nostras quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt omnis nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.*

In quo sita sit difficultas huius disputationis exponitur. SED TOTA difficultas est circa modum quo istæ duæ gratiæ distinguuntur. In qua re sentiunt nonnulli gratiam excitantem idem prorsus esse cum gratia operante, seu præueniente, vel antecedente: gratiam verò adiuuantem idem prorsus esse cum cooperante, vel subsequente, & concomitante. Nam auxilium excitans iuxta mentem Tridentini Concilij nihil aliud est quam interior aliqua Spiritus Sancti illuminatio, aut inspiratio, qua Deus tangit cor hominis, illudque excitat, vt conuertatur, vel ad fidem vel ad pœnitentiam. Vnde hoc auxilium dicitur à Tridentino Concilio nunc præueniens inspiratio Spiritus Sancti, nunc gratia excitans, nunc tactus diuinus, nunc diuina vocatio: Itaque eadem gratia inspirationis, vel illuminationis internæ, quatenus à solo Deo prouenit & fit in nobis dicitur operans, quatenus verò habet esse ante omnem nostrum liberum consensum dicitur præueniens siue antecedẽs, sed quatenus reuocat nos in memoriam & cõsiderationem eorum, quæ ad salutem spectant cum minus recordaremur, dicitur gratia excitans, ducta similitudine ab eo qui de somno excitatur ad vigilandum. Et proportionabiliter dicunt prædicti auctores gratiam cooperãtem, subsequentem, concomitantem, & adiuuantem eãdẽ esse omnino, quamuis diuersis nominibus

vocen-

vocentur secundùm diuersas considerationes, & similitudines, sub quibus concipitur à nobis.

HINC EST, quòd Theologi definientes hanc gratiam excitantem dicunt esse motum & motionem à Deo factam, & etiam motum aliquem intellectus, vel voluntatis à Deo infusum, vel illuminante intellectum, & Sanctam aliquam cogitationem in eo operante circa obiectum aliquod quod ad salutem animæ pertineat. Et fieri potest vnum actum supernaturalem excitare animam ad alium. Nam actus voluntarius Fidei excitat ad Spem, & actus Spei ad amorem: & sub hac ratione dici potest talis actus gratia excitans, sed re vera non est purè excitans, cùm alioqui talis actus supernaturalis sit effectus alterius gratiæ excitantis & adiuuantis. Est rursus hæc gratia aliquid animæ inhærens. Quia per ea quæ sunt extra animam non excitatur anima, nisi media aliqua re, quæ inhæreat ipsi animæ. Nam profectò quamuis causæ vel obiecta extrinsecus excitantia possint esse extra animam, tamen ipsa excitatio formalis necessario debet animæ inhærere, quia necesse est vt illam formaliter, imò & vitaliter afficiat, & huiusmodi excitatio formalis appellatur auxilium gratiæ excitantis. Nam excitans effectiuè Spiritus sanctus est, *D. Augu.* qui ad eam excitationem efficiendam vtitur instrumentis quibus vult. De qua re lege Diuum Augustinum elegantissimè de spiritu, & littera cap. 33. & 34. & libro 1. ad Simplicianum, quæst. 2.

Duplex gratiæ excitantis cõsideratio. EX QVIBVS colligo hanc gratiam excitantem considerari posse vel secundùm id quod ipsa est, vel secundùm id ad quod ordinatur. Et profectò ipsa secundùm se considerata est quid supernaturale in anima factum, vel receptum, & hæc gratia non datur vt in ea sistamus, sed ordinatur vlterius ad id quo *D. Bernar.* obtinetur animæ salus, hoc est ad liberum & supernaturalem consensum animæ. Nam vt Diuus Bernardus libro de gratia & libero arbitrio dicit: Consentire saluari est: & respectu illius consensus sine dubio hæc gratia se habet per modum principij. Quoniam hæc gratia est à qua sumitur initium nostræ salutis, & quæ aliquo modo est radix & causa cæterorum effectuũ gratiæ. Sanè prædictus modus dicendi probabilis est, & ingeniosus valdè, qui aperit latissimum campum huius materiæ, & occasionem tribuit intelligendi rem hanc.

RVRSVS gratia adiuuans si expendatur significatio vocabuli, & consideretur secundùm totam latitudinem adiuuantis gratiæ in communi dicitur quidquid potest volũtatem & intellectum iuuare ad supernaturalem actum efficiendum. Nam certè duæ istæ gratiæ, nimirum excitans & adiuuans, tales esse denominantur in ordine ad liberum consensum & supernaturalem, & quoniam homo hunc præstare non potest suis viribus innatis, idcircò quidquid eum iuuat ad talem effectum dici potest gratia adiuuans. In qua latitudine, & communissima significatione auxilium per modum concursus vocatur gratia adiuuans; Deus verò auxiliator dicitur, habetque proprijssimè rationem auxiliatoris, & auxiliantis, & impropriè dicitur auxilium, vt superius dictum est. Sed habitus infusus atque supernaturalis sub hoc generali modo loquendi dici potest gratia adiuuans, imò verò gratia cooperans. Et præter gratiam excitantem necessaria est adiuuans ad actus supernaturales. Et quidem si fiat sermo de gratia adiuuante in genere, ferè nulla est controuersia: cæterum si fiat sermo an præter gratiam adiuuantem, quæ est vel habitus vel concursus supernaturalis, vel aliquid loco eorum, an detur aliqua gratia specialis, quæ dicatur adiuuans, hoc enim pertinet ad disputationem Theologicam specialem.

Modus dicendi quorundam. SED nihilominus sunt qui dicant, quòd si fiat sermo de actibus qui eliciuntur ab habitibus supernaturalibus, quòd præter gratiam excitantem ad illos nulla alia simpliciter requiritur, quæ sit gratia adiuuans specialis præter concursum ordinis supernaturalis: quæ videtur esse sententia Diui Thomæ prima secundæ, *D. Thomas* quæst. 109. in tribus prioribus articulis. Cuius rei fundamentum esse potest; quòd habitus supernaturalis tribuit potentiæ sufficientem vim, vt sit proxima causa ad efficiendum supernaturalem actum accedẽte concursu supernaturali. Nam quid aliud potest requiriri, quàm supernaturalis habitus, & concursus eiusdem ordinis gratiæ ad eliciendum supernaturalem actum?

Difficilis propter duo specialiter. Primum. SED HVIC fundamento occurrunt multa, & difficilia. Nam in primis præter concursum illum requiritur complementum virtutis causæ proximæ. Quia hoc non habet sufficienter per solum habitum præcisè. Quoniam actus secundus non solùm est perfectior sed etiam est magis actualis quàm actus primus, potentia verò cum ipso habitu præcisè non est constituta adæquatè in actu primo completo, atque ita nondum habet completam virtutem ad eliciendum actum, donec aliam gratiam actualem quasi fluentem recipiat, vt compleatur consummatè & perfectè. Hoc videtur esse consentaneum Concilio Tridentino Sessione 6. vbi plerumque præter excitantem gratiam aliam adiuuantem actualem comminiscitur. Neque valet quorundam obiecto dicentium, quòd si ratio proposita esset alicuius momenti, probaret etiam in actibus naturalibus potentiam ipsam cum habitu non habere vim sufficientem ad suum actum cõnaturalem, quod est contra Philosophiam. Non inquam valet, quia potentia naturalis habet vires intrinsecas ad actum sibi connaturalem, & habet completas & adequatas vires respectu actuum & obiectorũ

Conc. Trid. Sess. 6. Quorundã obiectio.

Solutio.

sibi proportionatorum: Quod sanè non euenit in potentijs naturalibus respectu actuum supernaturalium, nisi illi donentur vires completę, seu complementum virtutis supernaturalis adæquatum respectu obiecti, & actus supernaturalis: in quo cernimus quantum differat potentia naturalis cum habitu naturali, respectu actus sibi proportionati & connaturalis, à potentia naturali nullas habente vires, respectu actuum supernaturalium. Vnde cùm potentia naturalis, vt sic, vires habeat per se ipsam, idcircò quod ipsa habet per se ipsam præter habitum naturalem seu adquisitum non oportet suppleri, at verò in eadem potentia respectu actuum supernaturalium, vt ipsa habeat actuale complementum virtutis supernalis causæ proximæ requiritur illa gratia, quæ vires præbeat.

Secundum.

SECVNDÒ. Quia negari non potest quin gratia hæc specialis adiuuans & actualis sit necessaria homini peccatori, vt conuertatur ad supernaturalem actum contritionis præstandum: imò verò etiam homini iustificato in hac natura lapsa, vt docet Concilium, necessaria est gratia hæc, vt diu vel multo tempore permaneat in ea, & præterea diuinum speciale auxilium actuale includitur etiam in dono perseuerantiæ. Quod extenditur non tantùm ad excitantem, sed ad adiuuantem gratiam. Et hinc colligitur necessariam esse actualem gratiam ad complendam vim actiuam potentiæ.

Optima ratio.

CONSTAT igitur apertè de actibus supernaturalibus, qui antecedunt habitus, vt contritio, &c. qui dicuntur dispositiones ad infusionem gratiæ, & habituum supernaturalium, non posse fieri sine speciali gratia actuali adiuuante: cuius rei efficax ratio est. Nam cum potentia neque ex se, neque ex habitu superaddito habeat vim sufficientem ad eliciendum actum, indiget peculiari gratia adiuuante, qua compleatur, seu quæ illam virtutem compleat adæquatè, non tantùm in ratione causæ moralis, sed etiam in ratione principij efficientis propriè, seu physicè. Quia deest voluntati hoc principium, & idcircò in eo genere, atq; modo agendi non est consummata, sed habet virtutis defectum. Quocirca non potest esse dubium, quin indigeat hoc adiutorio in his actibus supernaturalibus qui sunt dispositiones ad infusionem habituum. Hoc enim necessariò colligitur ex Fidei principijs, quid autem sit illud non spectat ad Fidem, sed nihilominus actuale auxilium speciale adiuuans, aliquid aliud est ab ipsis habitibus præcisè sumptis, quidquid recentes Theologi aliqui dicant. Quoniam sunt aliqui supernaturales actus, qui neque supponunt habitum, neque sunt vltimatè dispositio ad ipsum, qualis potest esse attritio aliqua supernaturalis in homine existente in peccato mortali. Rursus habitus supernaturalis infunditur, vt docet Tridentinum Sessione 6. capite 7. iuxta mensuram dispositionis: ergò ipsa infusio habitus supponit iam antecedenter potentiam ipsam excitatam & adiutam ad efficiendum dispositionem. Quoniam certum est hominem non se disponere nisi efficiendo, & eliciendo actum liberum per actualem Dei gratiam. Quo fit, vt si habitus non supponeret sufficientem vim actiuam, tam ex parte gratiæ adiuuantis, quàm ex parte liberi arbitrij eleuati, non infunderetur.

Differunt inter se gratia excitãs & adiuuãs.

DICENDVM igitur est rationabilius esse, magisque ad mentem Sanctorum Patrum, has duas gratias differre, nimirum excitantem, & adiuuantem: Quia gratia excitans propriè loquendo solùm importat motionem illam gratuitam qua Deus etiam ex parte obiecti mouet intellectum, & voluntatem, etiam immittendo nouas species, vel imutando & ordinando antiquas prout oportet ad hoc vt cogitemus de obiecto aliquo supernaturali vel ad supernaturalia ordinato: gratia verò adiuuans importat motionem aliam, qua Deus ex parte principij operatiui confortat, & mouet intellectum & voluntatem, ad hoc quod istæ potentiæ valeant operari circa tale obiectum pro vt ad salutem oportet. Est enim præoculis semper habendum quòd gratia Dei non tantùm est necessaria ex parte obiecti, vt scilicet reueletur, & manifestetur nobis tam exterius per prædicationem, quàm interius per illuminationem, & inspirationem, quid credendum, vel non credendum, quid prosequendum, vel cauendum sit: Totum enim hoc ad gratiam legis & doctrinæ spectat, quam Pelagius non negabat, vt Diuus Augustinus aduertit & perpendit libro de gratia Christi capite 7. & 8. sed insuper esse necessariam gratiam, quam ex parte principij operatiui donat Deus, non solùm ad posse credere, vel ad operari, verum etiam qua Deus donat nobis actu credere, velle, & operari, quæ ad salutem sunt necessaria, vt latè Diuus Augustinus prosequitur loco citato. Quare sicut longè aliud est vocare iacentem, ipsumque à somno excitare, admonendo illum vt fugiat ab imminenti periculo, & ostendendo viam qua fugere posset: aliud verò præbere illi vires, & voluntatem fugiendi, aut certè humeris ferre, & eripere illum à periculo, ita etiam alia longè est gratia, qua ex parte obiecti ostenditur & docetur nobis siue exteriùs, siue interiùs, quid credendum agẽdúmve sit, ab ea qua præstantur nobis vires vt credere, & agere possimus, imò vt etiam velimus & faciamus: Illa propriè dicitur gratia excitans, hæc verò adiuuans.

Gratia Dei ad duo maximè necessaria.

D. Augu.

QVAPROPTER duas esse gratias distinctas cooperantem, & excitantem, seu adiuuantem, & excitantem, iuxta Tridentini Concilij decretum, id quidem est certum, vt optimè dicitur in Synodo Prouinciali in Concilio Moguntino, cap. 7. quod fuit celebratum immediatè post sextam sessionem Concilij Tridentini, & expressè idipsum aduertitur per Andræam à

Probatur distinctio inter has gratias. Conc. Trid. Concil. Moguntin.

Vega. Vega, lib. 6. in Tridentinum, cap. 6. in fine, vbi ait gratiam præuenientem, & adiuuantem esse duas gratias, idq; assertum fuisse à Patribus in Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 5. Adiuuans autem gratia importat influxum in liberum arbitrium. Vndè dici non potest solam excitantem importare influxum in liberum arbitrium, & non adiuuantem: quod præcipuè est verum, si tàtùm esset vnica gratia excitans & adiuuans, operans, & cooperans, tunc enim sicut excitans importat influxum in liberum arbitrium, ita etiam adiuuans, cùm non essent distinctæ gratiæ. Et in eodem Tridentino, sess. 6. cap. 17. dicitur, quòd Christus Dominus influit in iustificatos, vt caput in membra, & vitis in palmites, hoc est in eorum animas, & corda. & can. 4. dicitur. *Si quis dixerit liberum arbitrium hominis à Deo motum, & excitatum nihil cooperari.* Et loquitur Concilium, iuxtà ea quæ dixerat antea in decreto doctrinæ, capit. 5. tàm de gratia excitante, quàm de adiuuante, quæ est cooperans. Hoc etiam *Con. Colon.* maximè probat, & aduertit Concilium Colonense in Enchiridio, quod immediatè fuit celebratum post sessionem illam sextam Concilij Tridentini, in tractatu de Pœnitentia. §. Sed interim, pag. 91. vbi postquàm distinxit gratiam in operantem, & cooperantem, seu in præuenientem, & subsequentem, vtramque dicit in sanctis eloquijs expressam esse. Et inferiùs dicit gratiam præuenientem duplicem esse, vnam quidem qua Deus præuenit peccatorem, vt resurgat, alteram verò qua peccator præuenienti Deo assentiens iam resurgit. Et iterum vtraque, voluntatem nostram præuenit Deus, sed priorem subministrando solus operatur, in altera voluntas nostra Deũ præuenientem subsequens, ei per velle, seu assensum cooperatur.

Corollaria quædam. Primum. Ex dictis sequitur primò, non tantùm gratiam cooperantem, sed etiam operantem contineri sub adiuuante. Donum enim illud, quo Deus ex parte principij inclinat, atque confortat intellectum, & voluntatem, siue per infusionem habitus, siue per actualem motionem istarum potentiarum, vt possimus credere, & operari, ad gratiam operantem spectat. Quia omnem vsum liberi arbitrij antecedit, & tamen donum huiusmodi est, & dici potest gratiæ adiuuantis cum omni proprietate, & non excitantis solùm.

Secundum. Secundò sequitur, gratiam excitantem non solùm habere locum ante iustificationem, & infusionem habituum supernaturalium, sed etiam postea: sæpè enim cõtingit, vt iustus habens gratiam, Fidem, Spem, & Charitatem, & alias virtutes infusas per modum habitus, non recordetur actualiter eorũ quæ ad suã salutem oportet agere hîc, & nunc, & quod Deus speciali quadam illustratione, vel inspiratione reducat in memoriam illi, quæ agenda sunt, & rationes, atque motiua etiam ex parte obiecti, quibus excitetur ad operandum: quod proculdubio pertinebit ad gratiam excitantem, ad gratiam verò adiuuantem spectabit quòd Deus, vel per ipsos habitus infusos, seu per alias motiones actuales impellat, & confortet eundem iustum ex parte principij operatiui, ad hoc vt velit operari, & de facto operetur secundùm exigentiam prædictæ motionis, aut illuminationis, siue inspirationis obiectiuæ.

An autem semper necessarium sit, quòd iustus in singulis actibus supernaturalibus, vel meritorijs præueniatur noua gratia excitante, ex ijs quæ inferiùs dicemus manifestum fiet.

Sequitur tertiò, non esse verum modum illum dicendi, qui affirmat vnicam præcisè gratiam esse, qua potentia iuuatur ad hos actus, & qua excitatur ad eos. Putat enim hæc sententia vnicam tantùm esse gratiam excitantem, operantem, & adiuuantem, seu cooperantẽ. Quia censet gratiam primò excitantem esse sufficiens principium, sine vlla alia maiori gratia, non solùm ad eleuandam potentiam, sed etiam ad illam adiuuandam cooperando cum ea salutis opera, & conuersionis, ac proinde non esse multiplicandam hanc gratiam: sed profectò obstat huic sententiæ, id quod supra retulimus, tàm ex D. Augustino, quàm ex Concilijs citatis, & obstat etiam Tridentinum, sess. 6. vbi docet requiri gratiam excitantem, & adiuuantem, & loquitur de his gratijs, tanquam de duabus requisitis: quod ita esse certum indicarunt Colonense Cõcilium, & Maguntinum, quæ celebrata fuerunt proximè post sessionem sextam Concilij Tridentini, & Vega qui interfuit Concilio loco citato dicit, à Patribus proclamatum fuisse has esse duas gratias non vnam. Rursus, quod sint duæ gratiæ ex parte influxus efficientis, & physici nemo rationabiliter dubitat. Nam certè motus gratiæ excitantis non concurrit semper simul tempore cum consensu voluntatis, imò verò solet præcedere gratia excitans per inspirationem, per timorem, vel sanctam aliquam cogitationem, & posteà per diuinam motionem gratiæ actualis ipsa libera conuersio, aut cõtritio, & consensus: ergò quamuis præcedat illa diuina inspiratio gratiæ excitantis requiritur sufficiens principium supernaturale ad efficiendam conuersionem, & consensum pœnitentiæ: ergò non est verosimile solam illam inspirationem, quæ concurrit proponendo obiectum, &c. esse principium sufficiens effectiuũ conuersionis, & contritionis: igitur gratia adiuuans, & cooperans est distincta gratia realiter.

Tertium.

Magis corroboratur distinctio ista.

Offert etiam se alia difficultas. Nam in primo actu credendi Fidei supernaturalis, vix posset assignari motus gratiæ excitantis, qui esse posset supernaturale principium ad actu eliciendum actum illum supernaturalem primum credendi, nisi daretur alia gratia actualis adiuuans, & cooperans distincta ab excitãte. Quoniam in tali actu solùm antecedit apprehensio

Alia ratione idẽ suadetur.

obiecti, & iudicium practicum de eius credibilitate, post hoc verò accedit voluntas credendi, nihil autem horum, seu eorum quæ primo præcedunt, potest esse principium actu credendi efficaciter, seu principium eliciens actum credendi, præcipuè cùm voluntas potiùs sit imperans, quàm eliciens, reliqui autem actus sunt valdè remoti, & imperfecti.

Ex imperfectione gratiæ excitãtis ostenditur hæc distinctio.

MOVEOR etiam, quia motus gratiæ excitantis præcisè solet regulariter esse multò minùs perfectus, quàm alius actus supernaturalis. Nam talis actus excitans solet esse, vel timor gehennæ, vel mortis repræsentatio, vel quid simile, qui motus est minùs perfectus, quàm contritio, vel amor Dei super omnia, quod præcipuè est verum in opinione illorum qui putant hos motus gratiæ excitantis esse supernaturales in modo, quo ex peculiari ordinatione, & prouidentia Dei ita donãtur, vt excitent animũ ad actus supernaturales, non tamen esse supernaturales quoad substantiam, quòd si isti actus sunt supernaturales, quoad substantiam cùm à potentijs procedant & fiant, necesse erit vel quærere, & dare aliud principium, quo potentia ipsa eleuetur ad illos eliciendos, vel si ipsi fiunt, sine alio principio gratiæ actualis proximo, & sibi inhærente per immediatã eleuationem Dei, sicut est in opinione aliorum, idem poterit affirmari de primo consensu deliberato & supernaturali: ergò, &c.

Ob carentiã subordinationis gratiæ excitantis ad effectũ gratiæ adiuuantis idem probatur.

ADDVCOR præterea. Quoniam isti actus immanentes non solent habere efficientiam propriè, & verè physicam in alios actus, nisi fortè quando sunt per se ordinati, & connexi inter se, vt sunt assensus principiorum, & conclusionis, intentio efficax finis, & electio mediorum: At verò in casu de quo loquimur non est hæc subordinatio inter gratiam excitantem, & effectum gratiæ adiuuantis: ergò non sunt vna, sed duæ gratiæ quoad physicum influxum.

Cõfirmatur ex distinctione subiectorum.

ET CONFIRMARI hoc potest. Quoniam euenit aliquando hos actus esse in potentijs diuersis, excitatio enim sæpè est in intellectu, sicut est & vocatio qua à Deo vocamur, & consensus in voluntate: sed actus vnius potentiæ non est ex se principium efficiens physicum, proximum actus alterius potentiæ, quod suppleat defectum virtutis actiuæ in altera potentia, cùm tales actiuitates, & virtutes sint diuersarum rationum: ergò quamuis admittatur de iudicio intellectus habere concursum aliquem actiuum in suo genere ad actum voluntatis, tamen non potest dare, neque supplere ipsam vim actiuam, quæ ex parte potentiæ necessaria est, & requiritur: igitur propositæ rationes satis difficilem reddunt eam opinionem, quæ negat gratiam excitantem, & adiuuantem esse duas gratias.

Solutio.

DICES motum gratiæ excitantis præcisè, & ex vi suæ perfectionis, & naturæ non habere sufficientem vim, & connaturalem ad efficiẽdum alium actum supernaturalem, Deũ tamen eleuare illum, & vti illo veluti instrumento ad illum efficiendum. Sed profectò hoc voluntarium est, & sine fundamento dictum, & præterea maneret eadem difficultas superius tacta. Quia si Deus eleuat illum actũ, & motum gratiæ excitantis, vel hoc fieret aliquid illi addendo, vel nihil addendo. Si dicas, quòd aliquid addit, tunc iam esset aliquid distinctum, & posset inquiri quid sit. Si verò nihil addit Deus eodem modo posset eleuare voluntatem ad illum actum eliciendum, nihil illi addendo per modum actus primi: ergò, &c.

Impugnatur.

Secunda Conclusio.

Concluſ. 2.

DICO secundò. Gratia operans, & cooperans necessaria est ad actus supernaturales, non minùs quàm excitans, & adiuuans. Hæc assertio certa debet esse apud virum Catholicum, imò verò apertè habetur ex Tridentino, sess. 6. per plura capita, & per plures Canones, & nos supra ostendimus gratiam operantem, & cooperantem duas gratias esse, & easdem esse cum excitante, & adiuuante: ergò vtriusque gratiæ par, & æqualis necessitas est ad actus supernaturales. Hoc proclamat Concilium Arausicanum 2. cap. 25. vbi sic habetur: *Hoc salubriter confitemur, & credimus, quòd in omni opere bono nos non incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus meritis fidem, & amorem sui prius inspirat, vt post cum ipsius adiutorio, quæ sibi sint placita implere possimus.* Fundamentum & rationem huius necessitatis tetigit D. Bernardus, libro illo aureo de Gratia, & libero arbitrio inter initia paucis verbis cum ait: *Duo mihi sunt necessaria doceri, & iuuari*, ad primum requitur vocatio, quæ includit omnem illustrationem intellectus, & excitationem, seu inspirationem voluntatis. Cùm ergò ad omne opus humanum necesse sit, vt antecedat iudicium accommodatum, idcircò ad omnem supernaturalem actum, & liberum requiritur, vt minimum illustratio præuia intellectus, & aliqua gratia excitans, quæ quidem non sufficit, nisi diuinus Spiritus adiuuet voluntatem nostram, quia non habemus vires sufficientes ad perficiendos hos actus.

Con. Arau.

D. Bernar.

Con. Arau.

HOC idem asseuerat Concilium Arausicanum secundum, canone 9. dicens: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur operatur.* Dicit Concilium: *In nobis, vt operemur*, propter gratiam operantem, seu excitantem. Et rursus ait: *Nobiscum autem operatur*, quod dicit propter cooperantem, seu adiuuantem gratiam. Hoc tamen perpendendum est, non idcircò dici à Concilio Arausicano, Deum operari in nobis, vt velimus. Quoniam ipse solus efficiat in nobis ipsum velle, sed quoniam ipse est qui operatur in nobis initium salutis nostræ, & piæ voluntatis, quæ sine nobis non perficitur. Quod egregiè D. Augustinus loquitur illis verbis: *Ipse*

D. Aug.

vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Deus autem non operatur in nobis initium salutis, nisi per gratiam excitantem, vt habetur ex Tridentino, sess. 6. igitur idem officium, & munus est gratiæ excitantis, & operantis, & ex consequenti idem similiter erit gratiæ cooperantis, & adiuuantis. Vnde denominatio gratiæ cooperantis optimè congruit gratiæ adiuuanti, vt sic. Quare nomine gratiæ cooperantis satis indicatur, quædam simultanea coniunctio voluntatis, & gratiæ adiuuantis ad vnum, & eundem actum, ad quem dicuntur mutuo, & simul cooperari, operans verò gratia dicitur teste Augustino, quia Deus eam in nobis, sine nobis operatur, vel quia Deus per eam etiam solus, & sine nobis, vt velimus operatur, sic D. August. lib. 2. contra duas epistolas Pelagian. cap. 8. quod habetur in Concilio Arausicano citato, cap. 20. *Multa in homine bona fiũt, quæ non facit homo, nulla verò facit homo bona, quæ nõ Deus præstet, vt faciat homo.* Pro cuius rei intellectu perpendendũ est, quod homo tũc propriè, & moraliter dicitur agere quando modo humano, & libero agit. Quò fit, vt quando D. Aug. inquit, Deum operari hanc gratiam in nobis sine nobis, debeat intelligi, sine nobis libero, & humano modo operantibus, vt superius diximus. Quod sanè benè conuenit gratiæ excitanti, præcipuè si fiat sermo de motibus, & actibus, qui in nobis fiunt à Deo ante liberum nostrum consensum, quod sanè non aufert, quin actus illi, quia vitales sunt, physicè efficiantur à nobis. Adde etiam aliud esse operari, vt velimus, aliud vero operari ipsum velle: nam certè qui consulit, vel præcipit, aut rogat alterum, vt velit aliquid, hoc totum solùm operatur, vt alter velit in genere moris, nõ tamen operatur velle ipsius. Quocircà operari, vt velimus nihil aliud est, quàm operari in nobis aliquid, quo & disponamur, & inclinemur ad volendum, & ea intentione, & animo vt velimus. At vero operari ipsum velle est efficere in nobis ipsum actum volendi, quæ doctrina est maximè conformis S. Thomæ, & Capreolo, vt aduertit Conradus 1.2. quæst. 3. artic. 2. Hac igitur ratione docet D. Augustinus Deum operari in nobis sine nobis, vt velimus, quoniam solus ipse sine libero consensu nostro efficit gratiam excitantem in nobis, qua inclinamur, & disponimur ad volendum, iuxta illud Prophetæ. *Præparatur voluntas à Domino.* Quò fit, vt etiam in illo qui posteà non vult, Deus operetur, vt velit, sed tantùm sufficienter, quia ipse consentire minimè vult, quãdo verò alter consentit, facit Deus velle etiam efficaciter, ipsum tamen velle Deus non operatur in nobis sine nobis liberè cooperantibus, licèt nos illud non possimus perficere, sine Deo adiuuante, & cooperante nobiscum. Quia etiam postquam sumus excitati ab ipso ad volẽdum, adhuc sumus ex nobis, insufficientes ad volendum, nisi Deus ipse non solùm cõcurrat nobiscum, sed supernaturales vires præbeat. En igitur quo pacto ex doctrina Augustini constet, gratiam operantem, & cooperantem coincidere cum gratia excitante, & adiuuante. Sed in quo consistat efficacia gratiæ secundùm quam Deus facit hominem efficaciter velle, suo loco inferiùs dicemus.

Nota. *S. Thom. Capreol.*

D. AVGVSTINVS in pluribus suæ doctrinæ locis pro constanti docet Deum operari voluntatem nostram bonam, quæ quidem pia voluntas, nisi Deo excitante, & adiuuante haberi non potest. Quam doctrinam sensit sumi ex D. Paulo, dicente: *Deus est, qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate.* Imò verò propter eandem rationem iudicat scriptum esse: *Non est volentis, neq; currentis, sed Dei miserentis.* Et subiungit Augustinus in Enchiridio, cap. 32. dici à Paulo. *Non est volentis, neq; currentis, sed Dei miserentis.* vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Lege Augustinum, lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. & lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 18. In qua re perpendendum est non satis esse piam voluntatem hominis, & conuersionem eius ad fidem tribuere Deo vt cooperanti, nisi etiam aliqua ratione speciali ei soli tribuatur. Quia aliàs sicut dicitur à Paulo, Non est volentis hominis, sed miserentis Dei, ita posset dici non est miserentis Dei, sed volentis hominis. Quoniam quoad cooperationem, sicut homo non operatur sine Deo miserente, ita neq; Deus sine homine consentiente: Ex quo apertè satis colligitur, quòd præter cooperationem necessaria est alia operatio Dei, ratione cuius singulariter & specialiter tribuatur Deo operari velle nostrũ ex speciali misericordia eius. Ex quo liquet ex sententia Augustini haberi diuisionẽ hanc gratiæ in operantem & cooperantem. Vt autẽ explicet Augustinus gratiam operantẽ, & in quo consistat, dicit: *Quid est igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei? An quia nec velle possumus, nisi vocati, & nihil valet velle nostrum, nisi vt perficiamus adiuuet Deus.* Ecce D. Aug. cooperationem tribuit adiutorio Dei, hoc est gratiæ adiuuanti, operationem verò vocationi, hoc est gratiæ excitanti; Nam, vt Tridentinum Concilium decernit, Deus vocat per excitantem gratiam. Posset tamen aliquis interrogare cur D. Augustinus dixerit solùm Deum præstare, quòd voluerimus? Quod quidem non ita est intelligendum, quasi cùm volumus, & cooperamur, & conterimur, solùm Deum hoc præstare intelligat Augustinus, qui optimè cernebat has operationes Dei, & nostras esse, sed quia cernebat nullas esse vires in libero arbitrio, quæ rationem efficacem agendi haberent in ordine ad supernaturales actus, nisi ex Deo: idcircò speciali, & singulari ratione Deo tribuitur, quod ipse præstiterit nobis, quod voluerimus. Quod præcipuè est verum, quia hæc auxilia gratiæ actualis, præcipuè illa quæ habent rationem principij à solo Deo nobis donantur.

D. Aug. *D. Paul.*

ADVERTE tamen auxilia diuinæ gratiæ ad

Nota quod

ista auxilia nõsolũ sunt moralia, sed etiã physica

actus supernaturales liberos, non solùm habere rationem causæ moralis, sed etiam efficientis, & physicæ. Nam cùm huiusmodi actus non solùm sint humani, & morales, sed etiã sint res quædam habentes suam propriam entitatem, & naturam, suumq; esse reale verum, sequitur quòd indigent vtroq; genere causæ moralis, & physicæ, & idem est dicendum de ipsa determinatione voluntatis, qua ipsa se determinat sub determinatione Dei ad pœnitendum, vel credendum. Deus enim sub morali motione habet physicam, & sicut præmouet moraliter, præmouet etiam physicè: auxilia igitur excitantia, sine dubio habent vim causæ moralis, iuxtà illud quod D. Prosper. docuit, lib. 2. de vocatione gentium, cap. 9. dicens: *Gratia Dei principaliter præeminet suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corq; ipsum illuminando, & Fidei affectionibus imbuendo.* In quibus verbis loquitur de gratia excitante: nã subiungit postea hæc verba. *Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei, atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidijs, vt diuino in se cooperetur operi.* Quod sanè egregiè Augustinus exposuit de spiritu, & littera, cap. 34. vt superius retulimus. Deus enim excitat, & mouet vt causa moralis boni actus supernaturalis, sed neq; hoc solùm conuenit, aut tribuitur ipsi Deo, sed etiam tribuitur diuinum auxilium gratiæ actualis efficienter propriè efficiens, seu influens physicè in supernaturalem actum liberum. Quod sanè potissimè conuenit auxilio actuali gratiæ adiuuantis. Nam cùm actus supernaturalis sit effectus realis, & physicus, per se postulat, & requirit efficientem causam, quæ habeat vim sufficientem ad hunc effectum, voluntas verò humana ex se virtutem non habet sufficientem, & ob id necesse est, vt perficiatur ab adiuuanti gratia.

D. Prosp.

Vnum consectarium.

Ex quo infertur, non solùm actus supernaturales liberos indigere vtroque genere causæ, & moralis, & physicæ ad sui productionem, sed etiam quòd cùm actus incipit fieri à puncto determinationis voluntatis, sequitur quod ab eodem Deus efficienter, vt causa prima supernaturalis agit ad determinationem illam supernaturalem voluntatis, maximè quia determinatio illa est aliquid verum, & reale suã habens entitatem etiam physicam, tanquã verum Dei effectum.

Tertia Conclusio.

Concluſ. 3.

Dico tertiò. Non est improbabilis sententia illa quę affirmat posse distingui gratiam per operantẽ, & cooperantẽ in ordine ad operationes nostras, quatenus meritoriæ sunt, ita vt gratia operãs dicatur secundùm quòd causat in nobis omnes dispositiones præuias, tã proximas, quàm remotas respectu primæ iustificationis, cooperans autẽ dicatur secundùm quòd semel iustificatos iuuat ad operandum iustè, & meritoriè. Hoc insinuat Magister sententiarum, in 2. dist. 26. de mente D. Augustini. Cùm enim retulisset quædam verba D. Augustini, subiungit. *Ecce his verbis satis aperitur quæ sit operans gratia, & quæ cooperans, operans enim gratia est quæ præuenit voluntatem bonam, ea enim liberatur, & præparatur hominibus voluntas vt bona sit, bonumque efficaciter velit, cooperans verò gratia voluntatem iam bonam sequitur adiuuando.* Eodem modo videtur rem hanc intellexisse Concilium Colonienſe in doctrina de Sacramento Pœnitentiæ, loco superius citato. Et confirmari hoc potest ex doctrina D. Augustini locis superius citatis, in quibus explicat illud Pauli: *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere*, & ad Roman. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Est mirabilis locus D. Augustini, libro de Gratia, & libero arbitrio, cap. 5. qui loquens in speciali de B. Paulo, inquit opus fuisse solius gratiæ non solùm quòd vocaretur, sed etiam quòd conuerteretur à Deo. Quod explicandum, & intelligendum est iuxta ea quæ in superioribus diximus. Quod autem post primam illam conuersionem, & iustificationem plus omnibus laborauerit, & multa fecerit opera meritoria, neque fuit à sola gratia, neque à solo Paulo, sed à gratia Dei cum illo, vt ipse fatetur. Quare secundùm D. Augustinum dispositiones illæ, & prima conuersio, & iustificatio, quibus dsponitur homo ad gratiam dicuntur solius gratiæ operantis ab Augustino, actus verò meritorij, qui subsequuntur iustificationem dicuntur esse ab eo effectus gratiæ cooperantis, lege Augustinum in Enchirid. cap. 32. & de Gratia, & libero arbitrio, cap. 5.

Probatur. Mag. sent.

Cõc. Colon.

Legendus D. Aug.

Potest prædicta opinio corfirmari. Quoniã esse & viuere præsupponitur intrinsecè ad operari: ergò antequam homo habeat esse, & vitam spiritualem per gratiam, & charitatem non dicitur sufficienter, quod ipse operetur se mouens ad aliquod opus pium spirituale, & supernaturale, & consequenter non poterit dici quòd gratia operetur cum illo, vel quòd cooperetur illi, non igitur propriè omnino habet locum gratia cooperans ante vitam spiritualem, & ante iustificationem illam primam. Sed dices contra. Nam liberum arbitrium non solùm cooperatur diuinæ gratiæ in operibus meritorijs, quæ post iustificationem fiunt, sed etiam in alijs antecedentibus, quibus homo disponitur ad iustificationem, vt ex fide constat: ergò non solùm datur gratia cooperans respectu operum subsequentium iustificationem, sed etiam respectu præcedentium. Patet consequentia. Quia cooperatio nostra, & cooperatio gratiæ sibi mutuò respondent, & dicuntur quodammodo ad conuertentiam secundùm proprietatem sermonis. Respondetur quòd secundùm modum loquendi Scripturæ, & Sanctorum Patrum nomen gratiæ dicitur simpliciter, & per quandam antonomasiam de sola illa gratia qua efficiamur formaliter iusti coram Deo, & Sancti.

Cõfirmatur

Obiectio.

Solutio.

Vndè opera bona moraliter quæ sine gratia, & charitate fiunt ab homine peccatore reputãtur tanquam nihil, etiam si ex auxilio supernaturali procedant, vt notat Rofensis contra Lutherum, artic. 36. & patet ex Paulo 1. Corinth. 13. *Si habuero fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero nihil sum.* Imò verò dicit Paulus, quòd quidquid sine charitate fecerit nihil illi prodest, & cap. 15. *Gratia Dei sum id quod sum.* & Ioãnis 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic neq; vos nisi in me mãseritis, ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Et D. Augustinus de gratia & libero arbitrio cap. 18. *Quidquid se putauerit homo bene facere, si fiat sine charitate nullo modo fit bene.* Qua ratione Sãcti communiter dicũt quod Fides, & Spes, sine Charitate & gratia sunt mortua. Consequenter igitur loquendo, ad istum etiam modum loquendi dicitur, quòd omnia opera, quæ præcedunt infusionem gratiæ, & charitatis habitualis, non fiunt à nobis per gratiam, quæ simpliciter sit gratia reddens nos formaliter gratos, & sanctos, atq; adeò quod non procedunt ex gratia cooperante iuxta acceptionem tactam, sed solum ex operante, quatenus procedunt ex impulsu Spiritus sancti, mouentis nos ad iustificationẽ, & operantis in nobis gratiam: quare argumentum nõ militat contra prædictum modum loquendi. Quia fatẽdum est etiam in dispositionibus ad iustificationem hominem liberè cooperari, vt fide docente credimus.. Verũ quia iste modus loquendi est nimis durus, & videtur difficilis nimis idcircò eo relicto alium proponemus.

Rofensis.

1. Cor. 13.

Ioan. 15.

D. Aug.

Quarta Conclusio.

Conclus. 4.

DIco quartò. Certum esse magisque rationabile quod prædictæ gratiæ distinguuntur per ordinem ad actus supernaturales abstrahendo à meritorijs, & non meritorijs, ita sanè, vt gratia dicatur operans, quatenus mouet nos antecedenter ad nostrum liberum consensum; cooperans vero dicatur secundùm quod concurrit cum libero arbitrio ad quemcunq; actum liberum, seu consensum illum, qui simul est cum gratia cooperante, & eam concomitatur, siue hoc sit ante iustificationem hominis, siue post iustificationem. Hęc assertio palam colligitur, & constat ex superioribus, & est expressè D. Augustini. Nam secundùm Augustinum de Gratia, & libero arbitrio, cap. 17. ad gratiam operantem pertinet incipere negotium nostræ salutis, ad cooperãtem verò pertinet exercere, seu educere ad perfectionẽ id, quod per operãtem gratiam inchoatum est; sed per hoc solùm, quòd Deus nos mouerit ad salutem ante omnẽ consensum nostrum liberum, verè inchoatũ est salutis negotiũ, per hoc autem quod nos præstemus liberum consensum, & consentiamus cum eius gratia, tenditur ad consummationem, & perfectionem salutis, magis aut minus remotè, prout actus fuerit magis, vel minùs perfectus: ergò cùm omni proprietate, & rigore sermonis dicitur, quod gratia est operans secundùm quod mouet nos ad salutem antecedenter ad omnem nostrum liberum consensum, dicitur autem cooperans secundùm quod concomitanter iuuat nostrum liberum consensum.

Probatur.

RVRSVS probatur. Quia in sacris litteris non solùm petitur cooperatio nostri liberi arbitrij, postquàm iustificati sumus, sed etiam ante iustificationem, vt disponamur ad illam bonis nostris actibus: ergò gratia cooperans non solùm habet locum post iustificationem, & infusionem gratiæ habitualis, sed etiam antea. Patet consequentia. Quia cooperatio nostri liberi arbitrij in ordine ad effectus gratuitos, & supernaturales importat intrinsecam habitudinem ad gratiam, simul cum libero arbitrio cooperantem. Antecedens probatur. Quia passim dicitur in sacris litteris: *Conuertimini ad me.* & specialiter Ezechiæ 18. *Cùm auerterit se impius ab impietate sua, & fecerit iudicium & iustitiam* (per veram scilicet contritionem dolendi de peccatis) *ipse, &c.* & ad Philippens. 2. *Cùm metu, & timore vestram salutem operamini.* Ex quibus locis, & alijs similibus colligunt communiter sancti Patres necessarium esse cooperationem liberi arbitrij ad nostram iustificationem, ita D. Augustinus, libro de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 21. vbi ait: *Initium salutis nostræ Deo miserante habemus, vt acquiescamus salutiferæ operationi, nostræ potestatis est.* idem eisdem ferè verbis docet, libro de Spiritu, & Anima, cap. 48. & lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. circa medium, vbi inquit, *Vt velimus saluari suum esse voluit, & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo*, idem libro 24. Moralium, capit. 12. vbi explicans illa verba. Iob 33. *Liberauit animam suum ne pergeret in interitum. Quia præueniente*, inquit, *diuina gratia in operatione bona nostrum liberum arbitrium sequimur nosmetipsi, nos liberare dicimur, quia liberante nos Dommo consentimus.* Sed clarius Tridentinum, sessio. 6. cap. 5. & can. 4. expressè definit exordium iustificationis nostræ esse à Deo per gratiam excitantem, nos verò concurrere ad propriam iustificationem liberè assentiendo, & cooperando excitanti, atque adiuuanti gratiæ, non ergò potest negari in actibus, quibus disponimur ad gratiam, siue proximè, siue remotè interuenire gratiam cooperantem, per quam liberè consentimus excitanti, & operanti.

Secundò.

Ezech. 18.

Ad Phi. 2.

D. Aug.

Conc. Trid.

MOVEOR etiam. Quoniam vt aduertit S. Thomas 1. 2. quæst. 111. art. 2. cum communi Theologorum iudicio gratia dicitur operans in ordine ad illum effectum gratuitum, in quo solus Deus est mouens, & anima nostra est mota, cooperans vero gratia dicitur in ordine ad illum effectum in quo taliter Deus est mouẽs, quòd etiam anima mouet seipsam, sed in omnibus actibus liberis anima mouet seipsam pro-

Tertiò. S. Thom.

priè,

priè, & in rigore, in solis autem actibus, seu motionibus antecedentibus liberum consensum, quatenus ipsum antecedũt, non se mouet propriè: ergò conuenientissimè dicitur gratia operãs secundùm quòd mouet antecedenter ad liberum consensum nostrum; & dicitur cooperans secundùm quòd actu iuuat, & simultaneè concurrit ad ipsum liberum consensum, in quo voluntas se habet actiuè.

POSSET aliquis dicere, & respondere, quòd licèt sit necessarium hominem cooperari, & assentiri gratiæ excitanti, vt disponatur ad iustificationem, tamen tota illa cooperatio tribuenda est gratiæ operanti, quia solùm prouenit ex impulsu Spiritus sancti mouentis, quasi extrinsecè, nondum verò inhabitantis, & viuificantis animam per gratiam, qua ipsa seipsam possit mouere ad modum viuentis in ordine gratiæ, vt ex eodem Tridentino, sessio. 14. cap. 4. non obscurè habetur. Sed profectò hæc responsio licèt non sit improbabilis, vt aliqui docent, affirmantes sustineri posse loquendo de gratia strictè, nimirũ de illa quæ reddit nos formaliter gratos, & sanctos, iuxta ea quæ dicuntur assertione tertia superiori, tamen loquendo de gratia auxilij, latiùs prout nunc loquimur, longè conuenientius, & conformius ad verba Concilij Tridentini dicitur actus, quibus liberè disponimur ad iustificationem, non solùm prouenire ex gratia operante, sed etiam ex gratia cooperante nobiscum.

HOC quod hac assertione quarta diximus videtur expressè sententia D. Bernardi, libro de Gratia, & libero arbitrio circa finem, vbi cùm dixisset, *Deum tria hæc operari in nobis, scilicèt cogitare, velle, & perficere bonum, & pium opus*, subiungit, *primũ fine nobis, secundum nobiscũ tertium per nos perfici.* Et statim inferius: *A Deo igitur fine dubio nostræ sit salutis exordium, neq; per nos vtiq;, neq; nobiscum, verùm consensus, & opus, etsi non ex nobis, non iam tamen fine nobis.* Et paulò post *Gratia liberum excitat arbitrium cùm semi nat cogitatum, sanat cùm immutat affectum, roborat vt perducat ad actum, sic autem ista operatur, vt tantum illud in primo, & in principio præueniat, in cæteris verò comitetur. Ad hoc vtique præueniens vt iam sibi deinceps cooperetur.* In quibus verbis eleganter D. Bernardus explicat proprium effectum gratiæ operantis esse cogitationes, & affectiones subitas, & indeliberatas, quas Deus nobis inspirat ante omnem nostrum liberum consensum, proprium autem effectum gratiæ cooperantis esse quemcunque actum liberum, quo nostræ saluti cõsentimus, & motioni diuinæ gratiæ cooperamur, siue concomitanter, siue subsequenter ad iustificationem.

D. Bernar.

Obiectio.

SED obijcies contra hæc. Quia cogitationes, & affectiones quantumuis subitæ, & indeliberatæ procedunt effectiuè à nostris potentijs, vt disputatione superiori diximus, & olim 1. 2. quæst. 111. in disputatione de hac re, contra Andræam à Vega: ergo procedunt à gratia cooperante, & coefficiente nobiscum, & non solùm ab operante. Respondetur negando consequentiam. Quia licet huiusmodi cogitationes, & affectiones procedant à nobis effectiuè, non tamen secundùm proprium modum operandi nostrum, qui est operari liberè, ex præuia consultatione rationis, sed procedunt necessariò, & quasi naturaliter ex impulsu agentis extrinseci, & idcircò dicitur quòd nõ se mouet homo in his operationibus per liberũ arbitrium humano, & libero modo, prout requiritur ad hoc, vt dicamur cooperari diuinæ gratia, & ipsa diuina gratia dicatur cooperari nobis. Vnde gratia operans non est ipsa cogitatio, vel affectio subita, & indeliberata, quæ propriè est actio nostra, sed est influentia, & motio diuina, quæ causat in nobis quãdam excitationem, & inclinationem ad bonum, illa autem excitatio, vel inclinatio, vt docuit Ricardus, in 2. dist. 26. quæst. 5. non dicitur esse actus intelligendi, & volendi, sed dispositio ad actum, vel aliqualis inchoatio illius gratiæ receptæ in nostris potentijs.

Solutio.

Ricardus.

SED obijcies iterum contra doctrinam superius tactam. Quia sequitur ex illa plerumque dari in nobis actus supernaturales absque gratia operante. Consequens est absurdum: ergò, &c. Probatur sequela. Quia sæpè contingit nos operari supernaturaliter absq; præuia aliqua cogitatione, siue affectione indeliberata, per hoc quod Deus immediatè imperet actum contritionis, vel dilectionis supernaturalis liberè. Respondetur tamen, quod quamuis contingere possit, vt homo eliciat actum liberum supernaturalem absq; eo quod prius tempore habuerit aliquam cogitationẽ, vel affectionem indeliberatam, fieri tamen non potest, quin prius, saltem ordine naturæ, senserit aliquam motionem, vel impulsum diuinæ inspirationis, siue illustrationis: actus enim liber importat necessariò consensum voluntatis, consensus verò intrinsecè præsupponit sensisse aliquam inspirationem, seu motionem, cui voluntas consentiat. Hoc autem dictum sit de actibus supernaturalibus, qui non procedunt ex habitu. Nam in eo qui ex habitu operatur habitus ipse à Deo infusus habet rationem gratiæ operantis, nihil curando modo an præter ipsum habitũ requiratur alia motio diuina præcedens vsum ipsius habitus, de quo infra dicemus.

Obiectio alia.

Solutio.

EX DICTIS colligo primò: gratiam cooperantem non solùm habere locum in electione mediorum, vt Sotus sensisse videtur, sed etiã in intentione finis, qua homo liberè se ordinat, & conuertit in Deum dilectione supernaturali. Quocircà minùs propriè, & verè loquitur Robertus Belarminus, tom. 3. Contr. 3. lib. 1. de Gratia, & libero arbitrio, cap. 14. tribuens primum actum cõuersionis deliberatæ soli gratiæ operanti. Conuersio enim libera ad Deum esse non potest absque consensu, & cooperatione nostra, vt ex Concilio Tridentino visum est, consensus autem, & cooperatio nostra

Consectarium primũ

Belarmin.

libera non est, sine gratia cooperante nobiscum.

Secundũ. SECVNDÒ. Colligitur gratiam cooperantem non tantũ habere locum in ordine ad actus exteriores, sed etiã in ordine ad interiores. Nã tam ex doctrina D. Augustin. & aliorum Patrũ, quã ex doctrina Conciliorum, & ex efficaci ratione ostensum est, omnes actus supernaturales liberos, & præsertim meritorios fieri à nobis per gratiam cooperantẽ. Constat autem actus supernaturales liberos, & meritorios non solùm esse exteriores, verùm etiam interiores, neque oppositum voluit S. Thomas, vt falsò aliqui illi imponunt 1.2.quæst.111. artic.2. solùm enim voluit maioris claritatis gratia ponere exemplum gratiæ operantis in actibus interioribus, & gratiæ cooperantis in exterioribus. Quia actus exteriores magis subsunt libertati nostræ & imperio rationis, quàm actus interiores, atque adeò magis resplendet in illis ratio gratiæ operantis, quàm in istis, licèt etiam cum omni proprietate reperiatur in ipsis actibus interioribus. Et ob id non dixit D. Thomas absolutè, quod voluntas quantum ad actum internum se habet vt mota, sed addidit, præsertim cum voluntas incipit bonum velle, quæ prius malum volebat, ad denotandum non omnes actus internos esse à voluntate mota dumtaxat per gratiam operantem, sed tantùm illum actum, quo volũtas incipit absq; præuia consultatione, & deliberatione rationis velle bonum.

Tertium. TERTIÒ colligitur gratiam adiuuantem necessariam esse, non tantum ad cõuersionem, sed etiam ad perseuerandum in accepta gratia iustificationis. Nam certè præter vocationem, & excitationem requiri hanc gratiam ad conuersionem constat ex Tridentino Concilio, sess. 6. cap. 5. & can. 3. vbi apertè præter gratiam vocantem, excitantem, & præuenientem, dicitur esse necessarium Dei etiam adiutorium, vt homo qui excitatur, & vocatur conuertatur. Quòd autem requiratur quoq; hæc gratia adiuuans ad perseuerandum, constat ex his quæ diximus 1.2. disputantes de dono perseuerantiæ.

Conc. Trid.

Quinta Conclusio.

Conclus. 5. DICO Quintò. Gratia excitans, & vocans eo referuntur, vt homo vocatus, & excitatus se se ad Deum conuertat. Vnde motiones illæ pertinentes ad gratiam excitantem, & vocantem, tales sunt, quæ hominem in hunc finem dicuntur præmouere, & permouere: in hoc genere continentur illustrationes quædam diuinæ, inspirationes, & fulgores, quibus tangitur mens: & repente mens nostra nonnunquã concutitur, magnitudinem diuinarũ rerum persentiens, & alia etiam continentur, quæ vehementer hominem pungunt, vt se se conuertat. Continetur rursus inter motus gratiæ excitantis, & vocantis illuminatio Fidei, non quidem illa quæ importat actum assentiendi veritatibus Fidei, quia hac non vocamur propriè, sed potiùs respondemus vocationi, sed illa, quæ est veluti auditio veritatum Fidei, quæ antecedit assensum. Quam doctrinam explicuit Paul. ad Rom. 10. dicens: *Ergò Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* *Ad Ro. 10.*

HANC assertionem expressè docuit D. Augustinus, plerisque in locis, & libro 83. Quæst. q. 68. Vbi quantis, & quam diuersis modis, & motibus contineantur gratia vocans, & excitans explicuit dicens: *Hæc vocatio, quæ siue in singulis hominibus, siue in populis, atque in ipso genere humano per temporum opportunitates operatur, alia, & profundæ ordinationis est.* Et superius ante hæc dixerat Augustinus quæ sequuntur. *Quoniam nec velle quisquam posset, nisi admonitus, & vocatus, siue intrinsecus, vbi nullus hominũ videt, siue extrinsecus, per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia, efficitur, vt etiam ipsum velle Deus operetur in nobis.* Et 1. libro ad Simplicianum, q. 2. docet varietatem diuinæ vocationis, & gratiæ excitantis, & varium modum operandi in hominibus dicens: *Videmus alios aliter ijsdem rebus demonstratis, vel significatis ad credendum moueri. Sicut, exempli gratia, Simeon in Dominum nostrum Iesum Christum adhuc infantem parvulum credidit spiritu ei reuelante cognoscens. Nathanael ad vnam sententiam, quã ab illo audiuit: Priusquam te Philippus vocaret, &c. Respondit Rabbi: Tu es Filius Dei: Tu es Rex Israel. Quod tanto post, quia confessus est Petrus meruit audire, quod beatus esset, & quod ei darentur claues regni cælorum. Miraculo facto in Cana Galilææ aqua in vinum conuersa, crediderunt in eum discipuli eius; multi nec suscitatis mortuis crediderunt. De Cruce, atque morte eius conterriti etiam discipuli titubarunt, & tamen latro tunc credidit, cum eum non præstantiorem videret in operibus, sed consortio crucis æqualem, &c.* Hæc Augustinus. Solet Deus etiam varijs motibus excitatis in appetitu vocare, & excitare hominem, vt timore, dolore, amore, & spe, & quasi confusione quadam, quibus ratio permouetur, & inclinatur ad bonum: & præter hos internos motus, quos retulimus gratiæ excitantis, & vocantis intra eandem latitudinem harum gratiarum recensentur à Theologis occasiones, & oportunitates, quas prouidentia diuina suggerit hominibus, & hoc vt similiter in ipsis concitentur motus, tàm in intellectu, quàm voluntate Deo inspirante, quibus homo inclinetur ad bonum. *D. Aug.*

NONNVLLI ex Theologis scholasticis loquentes de his gratijs vocantibus, solẽt dicere: quosdam esse actus supernaturales quoad substantiam, quosdam vero supernaturales quoad modum tantùm: actus supernaturalis quoad substantiam ille est, qui secundùm suam entitatem, & primam, atq; specificam rationem talis est, vt ipsamet entitas actus non possit connaturalis esse homini, neq; fieri ab eo per facultatem arbitrij cum solo generali Dei concursu debito naturæ; actus autem supernaturalis quoad mo- *Quorũdam Placitum.*

dum

dum, dicitur ille, cuius entitas est naturalis, efficitur tamen & fit modo aliquo superante totam naturam, talis est illuminatio cæci, quæ dicitur supernaturalis, non in entitate oculi restituta, quia oculus, & visus, qui restituitur naturalis est, sed dicitur supernaturalis in modo. Quia nulla causa naturalis dari potest, quæ oculum omnino amissum, possit restituere. Vnde Philosophia docet, quòd à priuatione completa, & consummata impossibilis est ad habitum regressus per naturam. Hac ergo ratione aliqui ex Theologis crediderunt actus gratiæ excitantis, & vocantis supernaturales esse quoad modum, & non quoad substantiam & entitatem, non quidem vt aliqui male sentiunt ad leniendam difficultatem, quæ reperitur in concordia libertatis cùm gratia Dei, sed quia iudicabant actus gratiæ excitantis esse actus voluntatis, & intellectus, esseque actus vitales, ac proinde secundum substantiam non esse supernaturales, bene tamen quoad modum, & ordinationem Dei ad finem supernaturalem. Et quia hoc videbatur illis sufficere ad veritatem Conciliorum defendendam.

Non probatur.

At verò mihi hæc non arridet sententia, & sentio hos actus, ad quos Dei gratia est simpliciter necessaria, supernaturales esse in substantia, & entitate ipsorum: & hoc meum placitum est maxime consonum Concilijs, & Patribus. Quia contraria sententia plurimum, tribuit viribus naturæ, non tamen quia plurimum tribuat libertati, quoniam gratia perficit libertatem, & non destruit illam, vt D. Augustinus sæpissimè docuit, de qua re nos copiosè alibi egimus. Rursus etiam nostra sententia maxime conformis est Fidei, & doctrinæ Scripturæ sacræ, quæ docet hominem conditum esse ad finem omnino supernaturalem, quem nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, ad quem obtinendum Deus magna, & pretiosa dona nobis dedit, vt per ea efficiamur consortes naturæ diuinæ. Quæ sane dona cùm proportionem habeant cum supernaturali fine, debent in entitate, & substantia sua esse supernaturalia, & eiusdem ordinis. Tales etiam sunt virtutes per se infusæ, ac proinde tales debent esse actus gratiæ præuenientis, & excitantis. Cùm igitur operationes, quæ fiunt à nobis respectu finis supernaturalis, debeant esse proportionatæ diuinæ naturæ participatæ in nobis supernaturaliter, sequitur actus illos gratiæ eiusdem ordinis esse in sua entitate supernaturales. Quod si isti actus essent naturales, secundùm substantiam, non apparet cur ad illos esset gratia simpliciter omnino necessaria. Fauet etiam huic nostræ sententiæ. Quia non sufficienter ostenditur quis sit modus ille, qui exigitur in huiusmodi actibus propter quem simpliciter dicitur esse necessaria gratia.

Sed placet hos actus esse supernaturales quo ad substantiam.

Sentiendvm igitur est, esse in nobis actus illos supernaturales quoad substantiam etiam, quos sine Dei gratia exercere non possumus, & hos auxilio supernaturali exerceri sine vlla libertatis læsione, quod Cælestinus Papa definiuit in Epist. ad Episcopos Galliæ. cap. 13. dicens: *Auxilio, & munere Dei nõ aufertur liberũ arbitrium sed liberatur*. Et egregiè Fulgentius, libr. de incarnatione, & gratia, capit. 20. *Gratia Dei humanum sanatur, non aufertur arbitrium.* *Fulgẽtius.*

Ex dictis colligo huiusmodi motus in quibus vocatio diuina continetur speciali, & peculiari quadam ratione dici esse opus Dei, & non dici esse opus nostrum. Nam cernimus in sacris litteris D. Paulum hanc vocationem diuinam Deo adscribere tanquàm suam, non autem nobis, vt constat ex illo, 2. ad Timotheum. 1. *Qui nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, &c.* Et Apocalypsis. 3. *Ecce ego sto ad ostium, & pulso.* & Arausicanum Concilium, cap. 20. *Multa in homine bona dicuntur fieri, quæ non facit homo.* quod videtur referendum esse ad huiusmodi motus vocationis. Hæc est sententia D. Augustin. libr. 1. ad Simplicianum. quæst. 2. vbi ait. *Quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est aliqua rerum testificatione tangatur. Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo eius voluntas moueatur ad fidem.* Verùm tamen cùm huiusmodi motus supernaturales, dicantur peculiari ratione esse opus Dei, & non dicantur opus nostrum posset interrogare Theologus, Vtrùm solus Deus efficiat simpliciter actus illos in nobis sine nobis? vel, Vtrùm ita dicantur esse à Deo, vt nos etiam effectiuè concurramus ad illos, sed non modo humano liberè, & cùm deliberatione? Et in hac re, quidquid Vega dixerit lib. 6. in Tridentino, capit. 8. negans mentem nostram concurrere ad huiusmodi motus, sentio tamen huiusmodi actus etiam esse effectiuè à mente nostra, cùm tales actus sint vitales, & habeant ordinem intrinsecum ad principium vitale proximum, atque adeò sicut motus primo primi non liberi tales sunt vt ad eos effectiuè concurrat mens nostra, ita etiam actus illi subiti, qui in latitudine diuinæ vocationis continentur. De qua re nos in disputatione de gratia fusius egimus. Vnde licèt nos eos motus, & actus producamus, tamen quoniam in illis præuenit nos auxilio gratiæ, & per illos diuinitùs pulsamur, & admonemur, vt eis respondeamus, & consentiamus aperiendo ianuam voluntatis nostræ, & mentis per actus consentiendi deliberatos Fidei, Pœnitentiæ, & Charitatis, &c. id circo gratia diuinæ vocationis, & motus, & actus, qui in ea continentur sub hac ratione dicuntur opus Dei peculiari modo, præcipuè quia vires liberi arbitrij naturales ad illud opus nihil conferunt. *Cõsectariũ vnum.*

(.?.)

2. ad Timotheum. 1.

Apocal. 3.

D. Augi ſ.

Hos actus gratiæ excitãtis à nobis effectiuè procederede fenditur.

Dubium primum annexum, de gratia cooperante.

Vtrùm addat nouam rationem gratiæ supra operantem: & quid illud sit?

Quid recentiores sentiant.

DVBIVM hoc hisce diebus in scriptis recentiorũ Theologorum versatur. Quod nõ paruam contentionem excitauit. Sentiunt enim recentiores Theologi quod suppositâ gratia excitante seu præueniẽte, quæ alio nomine dicitur gratia operans potest liberũ arbitrium viribus naturæ cũ solo generali concursu ordinis naturæ cooperari, & consentire ipsi gratiæ excitãti absq; nouo dono Dei gratuito, & consequenter sentiunt gratiam excitantẽ, & cooperantem nõ esse duas gratias distinctas, sed vnã & eandem. Quæ sanè cõsiderata prout antecedit cooperationẽ liberi arbitrij dicitur excitans, seu operans, cõsiderata vero secundũ quòd simul cum libero arbitrio influit in eius actũ liberum, vocatur gratia cooperans. Huius sentẽtiæ meminimus tã. 1. p. q. 23. quàm. 1. 2. plerisq; in locis, & q. 112. ar. 2. disp. 7. Auctores autem eius citant pro eadem sentẽtia Scot. in 2. dist. 37. & Gabrielẽ ibidem, sed parũ ad rem, citant etiam Ruard. Tapp. ar. 7. falsò tamen, & solent citare Driedonẽ, qui quàm longè absit ab eorum sententia constat ex scriptis suis, & nos palam dicemus infra.

Citatur pro hac sententia Scotus & Gabriel, Ruardus Tapper & Driedo. Suarez aliorum sententiam explicat, quam non omnino improbat.

FRANCISCVS Suarez lib. 3. de auxilijs diuinę gratię cap. 6. de auxilio sufficienti & efficaci. §. Auxilium efficax est: dicit esse quorundã sententiam affirmantium auxilium distinguendũ esse in auxilium sufficiens & efficax, auxilium tamen efficax solùm dici efficax ab effectu. Quia nimirum homo de facto cũ illo cõuertitur, vel consentit, negant tamẽ huiusmodi auctores auxilium efficax esse, hoc est vt venit à Deo, sed efficax esse volunt accedẽte tantũ libero cõsensu voluntatis, à quo proinde omnino pendet vt auxilium sufficiens fiat efficax, id est habeat effectum. Hanc opinionẽ dicit Suarez, quod declarata hoc modo, si nihil amplius illi addatur nõ est falsa, sed diminuta, & ob id tantũ sibi non probari. Quia neq; declarat mentẽ D. Augustini lib. de prædestinatione sanctorũ ca. 8. neq; satis explicat modum loquendi scripturæ sacræ, in quo videtur esse diminuta. Et idem Suar. eodem lib. 3. de auxilijs, cap. 4. explicans quid sit auxiliũ excitans, & quid adiuuans. §. Secundus modus dicendi: refert quorundam opinionẽ dicentiũ gratiam adiuuantem re vera non esse aliam ab ipsa gratia excitãte, sed esse vnam & eandẽ gratiã, non duas, ac proinde vnicã, & eãdem gratiã esse proximũ principium, nõ solum morale, sed etiã physicum influẽs simul cũ potentia, seu cũ libero arbitrio in actum, & cõsequenter eundem motum animi, quatenus excitat hominẽ, & vel moraliter, vel physicè mouet & inclinat ipsum ad actũ humanũ supernaturalẽ, dicitur gratia excitans; quatenus verò physicè cooperatur vt supernaturale principiũ cũ libero arbitrio influẽdo in supernaturalem actũ, dicitur gratia adiuuãs. Cuius sentẽtiæ fundamentũ nõ est aliud nisi quia illud est sufficiẽs principiũ ad eleuandã potentiã, & ad illã iuuandam, ac proinde quòd nõ oportet multiplicare has duas gratias, sed potius asseuerare vnam, & eãdem gratiam esse adiuuantem & excitãtem.

Huius sententiæ fundamẽtum.

HANC sententiã & opinionẽ putat Franciscus Suarez esse probabilẽ, & quantũ ad concursum moralẽ esse certã, quo ad physicum verò nõnullas pati difficultates. Vnde licèt ipse plura argumenta adducat cõtra eã, nihilominus dicit non esse improbabilẽ, & conatur dissoluere aliqua argumenta, quæ contra eã militant, præsertim illa quæ desumũtur ex Conci. Trid. sess. 6. ipse tamen. §. sequenti, qui incipit, Quartus modus explicandi hanc gratiã adiuuantem: suã explicat mentẽ, & sensum de gratia adiuuante, respectu gratię excitãtis: vt statim subijciem⁹.

Adducitur sentẽtia ex mente Suarez.

AFFIRMAT igitur actus supernaturales intellectus, & volũtatis qui eliciũtur sine habitu, nullũ habere in homine physicũ principiũ esse actiuũ sibi inhærens præter voluntatẽ, Deumq; ipsum per se efficacitate sua supplere efficientiã habitus: atq; ita Deũ cõcurrere ad hos actus dũplici ratione, videlicet & vt primã causam in ordine gratiæ, & vt causam principalẽ proximã, non tamen integram, seu totalem in omni genere, quia non excludit actiuitatem voluntatis.

Probatur.

HVNC modum dicendi non solum dicit esse posibilem, sed etiam dicit esse certum sibi: Quia in eo nulla intercedit repugnantia: Et præterea quia non est facile subtrahendum aliquid diuinæ potentiæ, vbi non apparet manifesta implicatio. Tertiò, Quia Deus si concurrat hoc modo cum potentia voluntatis non repellit, neque excludit efficientiam ipsius, quæ solum necessaria est ex parte hominis ad actum vitalem, & præcipuè ad liberum actum, sed solùm Deus supplet efficientiam habitus, quę non est ita necessaria vel intrinseca actui vitali. Potest enim Deus per se ipsum supplere efficiẽtiã omnem extrinsecã secundæ causæ. Ex quo infert hic auctor quod sicut habitus est virtus adiuuãs potentiã, ita Deus potest illam adiuuare, hoc solo discrimine posito, quòd habitus est virtus inhærens, Deus verò potest dici virtus assistens, quod discrimẽ nihil refert ad puram efficientiã vel adiutotiũ in efficiendo & agendo, dummodo relinquatur semper volũtati suus locus.

Quædam rationes Franciſci Suarez.

SI autẽ hic modus est posibilis (inquit Frã ciscus Suarez) facile est credere, & sentire Deũ de facto vti illo in huiusmodi actibus supernaturalibus. Tũ quia virtus causę proximę deest ad eliciendũ actũ illũ; ad quẽ Deus ipse per gratiã suam illã excitat, & ob id pertinet ad ipsum Deũ supplere defectũ proximę causæ. Tũ etiam secundo. Quia Deus operatur tunc principaliter in anima, illã ad se cõuertendo, & ideò dicit sanctissimum Præceptorem D. Thom. 1. par. dixisse conuersionem per quam aliquis

se præparat ad gratiam habendam minimè postulare aliquam habitualem gratiam, sed operationem Dei animum ad se conuertentis.

Molina efficaciam auxilij tribuit libero arbitrio.

Lvdovicvs Molina sentit efficax Dei auxiliū hac ratione distingui à sufficiēte, quòd efficacia eius tribuēda est libero arbitrio ex eo quòd cùm arbitriū creatū pro sua libertate possit cōsentire & non consentire, cooperari & nō cooperari, cū auxilio sufficiente si arbitriū nostrum cōsentiat, & cooperetur vt potest, efficiet illud efficax: si verò non cōsentiat neque cooperetur vt potest, reddet illud inefficax. Quam sententiā reputat adeò certā vt dicat sententiā, quæ censet nulla ratione tribuendū esse libero arbitrio, quod auxiliū sit efficax, quasi ex eo quodcūque auxiliū efficax sit aut ineffi cax, errorē in fide esse. Quia ea data non cernit ille qua ratione libertas arbitrij nostri salua possit cōsistere. Hunc modum dicendi habet in sua Cōcordia. q. 23. ar. 4. &. 5. disp. 1. memb. 6. pag. 425. & 426. & similiter in eadē Cōcordia. q. 14 ar. 13. disp. 23. vbi apertissimè dicit se ostēdisse suam sententiam.

Damnat oppositam sententiam erroris nota.

Praeterea idem Molin. in Concord. q. 14. ar. 13. disp. 38. cōcludit diuisionē auxilij sufficientis fieri in auxiliū efficax, & inefficax, sumiq; distinctionē efficacis auxilij ab inefficaci ab effectu, qui pendet à libertate arbitrij, itaq; hic auctor quamuis dicat se non negare distinctionem illā auxilij sufficientis in auxiliū efficax & inefficax, tamen nō distinguit efficacem gratiā ab inefficaci, nisi solū ex euentu. Vnde nullā videtur agnoscere ex parte gratiæ, & auxiliorū differentiā, aut distinctionem, sed totā refert ad effectū, & in auxilio gratiæ nihil magis in vno quàm in alio ponit, nisi tantū in effectu, & in euentu. Hæc dicit pagi. 232. & infra, pag. 235. dicit perspicuè ostēsum esse ab eo gratiā cooperantem vnā, & eandem numero esse cū præueniente, & excitante, sortiriq; rationē cooperātis quatenus cōsentiente iam libero arbitrio ipsi gratiæ prꝫuenienti, & cooperāteper liberū consensum ad actus quibus cōuertimur, ipsa quoq; gratia cooperatur & influit in eosdē actus: & cōcludit vnum & idem omnino esse auxiliū gratiæ præuenientis, & cooperantis cōparatū ad diuersa. Illud tamē perpendendū est dixisse Molinā in eadem disp. 38. pag. 233. §. Illud obserua: quod id omne ꝙ allicit, inuitat, adiuuatq; arbitrium nostrū, vt faciliùs præbeat consensum, & cooperetur cōuersionem, cōputari inter auxilia, quæ præstantur ad cōuersionē. Vbi expende verbū: faciliùs consensum prꝫbeat. Nescio enim cur auctor hìc posuerit aduerbiū faciliùs, cū loqueretur de cōsensu supernaturali necessariò ad cōuersionē: reddat ille rationē huius, aut iudicet sancta sedes Apostolica.

Retvli fideliter huius auctoris sensum, & iudiciū, quod coincidit cum prima sententia initio huius dubitationis relata, imò verò cum ea, quam retulit Francis. Suarez, qui dixit eam esse probabilem, sed diminutā in aliquo. Quam tamen opinionē luculenter examinabimus in dispu. de auxilio efficaci inferiùs. Nunc vero solū dicemus ea quæ huic proposito tātum videbuntur necessaria. Faxit Deus vt veritatis portū, & sanę doctrinæ ianuam apperiamus, & ingrediamur. Sane de hac re fusiorem & vberiorem habebimus disputationem inferiùs.

Prima Conclusio.

Conclusi. 1.

De hac re grauissima Dico primò. Si vocatio diuinæ gratiæ efficax nō est, ipsa sola vt vocatio est cū libero arbitrio hominis, nō efficit actu cōuersionē & cōsensum, sed indiget homo vocatus & excitatus, vt excitationi, & vocationi cōsentiat, quod accedat speciale Dei auxiliū. Volo dicere, gratiam efficacem vocationis secundū propositum tunc esse totaliter, & adæquatè efficacē, quando simul accedit speciale auxiliū ad vocationem, & excitationē. Vnde, ablato huiusmodi auxilio speciali, quod accedit vocationi, talis vocatio non est totaliter adæquata cū conuersione, sed potiùs inadæquata & quasi partialis. Ex quo facile constabit, huiusmodi efficacē gratiā constare non tantùm ex vocatione Dei, sed etiā ex peculiari auxilio & influxu Dei, à quibus adæquatè completur. Nam profectò nō solum proprium est Dei nos vocare, sed etiā proprium est ipsius vt speciali auxilio nos ad se trahat, & respondere faciat. Hoc apertè clamat sententia illa Christi Ioannis. 6. quæ ait. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit illū.* Hoc etiam sancitū est in Triden. sess. 6. can. 3. vbi habetur. *Si quis dixerit, sine præuenienti spiritus Sancti inspiratione* (hoc est vocatione) *atq; eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia cōferatur, Anathema sit.* Ex qua doctrina constat, quod posita huiusmodi vocatione efficaci, ex hypothesi eius, infallibiliter sequitur hominis conuersio, vt est cōmune Theologorū placitum. Quia si Deus nos efficaciter vocat, eo ipso & efficaciter influit, & cōcurrit, & facit nos respōdere, & tūc respondemus, & ita facit non solū vocationem, sed facit nos facere vtiq; respōsionem. At verò posita vocatione diuina qualicunq; ratione, nisi ipsa cōstet, non solum ex iure & ratione cōmuni vocationis, sed vlteriùs etiam ex peculiari auxilio gratiæ Dei, ex quibus adæquatè componitur, non erit efficax vocatio.

Ioannis. 6.

Concil. Tridenti.

Obiectio.

Sed obijcies Triden. Conc. sess. 6. præcipuè can. 4. vbi habetur. *Siquis dixerit liberū hominis arbitriū, &c.* Quo in loco definitur, hominē liberè respōdere vocationi, excitationi, & motioni Dei, ita vt possit eis dissentire: ergo, &c. Huic obiectioni occurrere possumus si dicamus primò, diuinā inspirationē, & vocationem posse cōsiderari, vel absolutè sub ratione inspirationis in genere, seu vocationis vt sic præcisè, & nō vt iā est facta efficax, pro vt cōstat ex peculiari alio auxilio gratię Dei; & sic nō solū potest omnino reijci, sed etiam de facto plerumq; reijcitur, & non est efficax. Rursus etiam vocatio, & diuina inspiratio in ea cōtenta, potest cō-

Occurritur obiectioni.

siderari, vt iam est facta efficax : & hac ratione sicut à volũtate minimè aufertur libertas, ita ei vocationi liberè cõsentit homo, etiã ex hypothesi, hoc est posito, quod efficax sit vocatio, cũ quo stat infallibilẽ esse illũ cõsensum, licèt posit nõ consentire, & hęc solet dici necessitas ex hypothesi, quæ absolutè nõ pugnat cũ libertate simpliciter. Quãuis non stent illa duo simul, nimirũ quòd sit efficax vocatio, scilicet cũ illo speciali gratiæ auxilio, & quòd homo nõ respõdeat aut cõsentiat: Nam certè cũ homo huic efficaci vocationi respõdet, eatenus respondet liberè, quatenus respõdere illi non fuit necessariũ necessitate determinationis ad vnũ, quod opponitur determinationi liberę, potuitq; vocationẽ reijcere: Et etiã tũc cũ respõdet, in sensu diuiso, seu simpliciter (vt cõmuniter Theologi sentiũt) quod inferius explicandũ est fusius, potest nõ respondere. Nã certè ostẽdemus validè satis, supernaturales actiones hominũ, quib⁹ ipsi respõdent vocationi Dei, liberas esse, etiã si postulẽt ad sui productionẽ auxiliũ efficax gratiæ Dei, quo stãte in sensu cõposito non potest simul stare oppositũ, quia non stat duo cõtradictoria simul esse: neq; stant simul propositiones illę de inesse, nimirũ quòd homo de facto nõ cõuertatur, & q̃ habeat & recipiat efficacẽ gratiã ad cõuersionẽ aut pœnitẽtiã: quę vocatur necessitas cõpositionis, & suppositionis.

Quo fit vt sicut diuina vocatio à Deo dirigitur in totã hominis mentẽ, vt videlicet respõdeat tùm per intellectũ, tùm etiã per voluntatẽ, ita Deo referendũ est tanquã ab ipso acceptũ, & auxilio peculiari, & vocationi eius, quãdo efficaciter nos iuuat illo gratię auxilio, quòd tã voluntate, quã intellectu respondeamus illi, cũ conuertimur in ipsum. Quoniã non solũ intellectus ipse, verũ etiã voluntas humana imbecillis est ad respondendũ, sicut oportet. Quod sanè decernit D. Augus. lib. de dono perseuerãtiæ, qui est secũdus de prædestinatione Sãctorũ, cap. 15. & lib. de gratia, & libero arbit. ca. 19. & sancitur etiã in Concilio Arausicano, cõtra Pelagium, can. 4. & in Concilio Mileuitano, similiter can. 4.

Detrahit Pelagius auxilia voluntati.

D. Augustini contra ipsum illustre testimonium.

Psal. 118.

Male sensit Pelagius putans intellectũ hominis tantũ indigere auxilio, voluntatẽ verò, illustrato iã intellectu respõdere posse per se ipsam præcisè. Cõtra hoc objicit D. Augustinus egregiè dicens. *Quid est ineptius, & ab ipsa charitate alienius, quã confiteri ex Deo esse scientiã, quæ sine charitate inflat, & ex nobis esse charitatẽ quæ facit vt scientia inflare nõ possit.* Idem ostendit D. Augustinus li. 1. de prędestinatione sanctorũ c. 20. & inter ostẽsiones alias adducit testimoniũ illud Psal. 118. vbi Propheta Regius postulat à Deo, vt inclinet cor eius in testimonia sua, & idẽ testimoniũ ab eo recensetur in eodẽ proposito li. de prædestinatione & gratia ca. 10. & 11. Vnde cũ Regius Propheta illo in loco paulò superiùs dixisset. *Da mihi intellectũ & scrutabor legẽ tuam, & custodiã illam in toto corde meo*, statim subiecit : *Inclina cor meũ Deus in testimonia tua.* vt explicare, voluntatẽ sine auxilio Dei nõ inclinari ad conuersionem, & pœnitentiam.

Consectariũ

D. Ambro.

Ex dictis colligere possumus conuersionẽ peccatoris eò esse maiorẽ, quò gratia, & efficax vocatio maior est. Vnde si Deus efficaciter vehemẽtius nos vocat, eò efficit maiorẽ conuersionem. Hoc docet D. Ambro. li. 2. de vocatione gentiũ cap. 2. vbi expressè tenet, quòd pro quantitate gratiæ est operatio, scilicet dispositio vel meritũ, vel dilectio, vel pœnitẽtia, vel cõtritio. De qua re nos egimus. 1. 2. q. 112. a. 2. dis. 1. cũ quo tamen optimè stat, quòd si vocatio nõ est efficax, peccator neq; habeat maiorẽ cõuersionẽ neq; vllã. Nã certè potest homo multis allicì inuitamentis, & omnino nihil respondere.

Sed dicet aliquis, nõ posse fieri per vllũ auxiliũ, etiam specialissimũ, aut per vllam vocationem, etiã specialissimã, vt voluntas necessariò debeat respõdere. Quoniam natura volũtatis nõ mutatur per illud auxiliũ gratiæ, neq; natura actionis ad quã vocatur & incitatur homo, neq; etiã natura obiecti circa quod fertur: ergò sicut secluso auxilio specialissimo mens hominis posset pro libertate volũtatis suæ minimè cõuerti, sic etiam posset quocumq; auxilio vocetur, etiã specialissimo. Respondetur: dubiũ nõ esse, Deũ posse necessitare voluntatẽ per determinationem necessariã omnino excludentem modũ liberè, & deliberatè agendi, qui est cũ cõferentia & collatione, & alijs adiunctis. At verò quod volũtas quæ tãtò perfectior redditur, quãtò perfectiori dono gratiæ afficitur, respondeat liberè vocationi diuinæ, hoc eius postulat natura, quæ illi debetur quatenus humano modo agit, & deliberato, qui non mutatur, neq; natura ipsius obiecti, vt dictũ est. Quo circa fatendũ est voluntatem peccatoris, qui conuertitur, potuisse & posse resistere & nõ cõuerti, habet enim homo ille indifferentiã respectu huius, simul cũ determinatione libera, quæ nõ repellit potestatẽ ad oppositũ: de quare diximus paulò antea in respõsione ad præcedentẽ obiectionẽ. Malè igitur Andreas à Vega, li. 12. in Cõci. Trident. c. 20. dixit Deũ specialissimo auxilio cõfirmatis in gratia, ita adesse, vt necessariò præstent quidquid præstandum est ab eis ad vitãda mortalia peccata. Certè nõ necessariò, sed liberè operabantur Apostoli, & beatissima Virgo: de qua re modo nõ vacat disputare, sed suo loco dicemus: neq; specialissimũ illud auxilium gratiæ Dei abstulit ab eis vsum liberum: aut rationem meriti.

Secunda Conclusio.

Dico secũdò. Gratia cooperans sine dubio importat nouã rationẽ gratiæ supra operãtẽ, ita sanè vt maius donũ habeat, & accipiat à Deo, magisq; debeat diuinæ gratiæ, ille qui de facto cooperatur, & cõuertitur, quàm ille qui tãtũ excitatur per operantẽ gratiam, quantũuis fuerit prœuentus & excitatus multis inspirationibus per operantẽ gratiã. Hæc assertio communis est apud scholasticos Theologos, & Do

ctores, cõstatq; ex modo loquendi sacrarũ litterarũ. Primò ex illo Ezechiel. 36. *Spiritum meũ ponã in medio vestrũ, & faciã vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.* & ad Philip. 1. *Qui cœpit in vobis opus bonũ, perficiet, &c.* & ca. 2. *Deus est qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* ad Rom. 9. *Non est volentis, neq; currentis, sed Dei miserentis.* Ex quibus locis D. Augustin. li. de gratia, & libero arbitrio, & li. de prædestinatione sanctorum, & de dono perseuerantiæ, de varijs quæstionibus ad Simplicianum, & in Enchiridio colligit non solũ esse opus gratię, quòd excitauerit nos ad benè agendũ, & operandum, & quòd constituerit nos in via, & in potẽtia vt operari possimus: sed etiam quòd actualiter operemur, quæ sunt ad salutẽ necessaria. Vnde in Conci. Arausica. c. 9. habetur. *Quoties bona agimus Deus in nobis, atq; nobiscum vt operemur operatur.* & cap. 10. *Nulla homo facit bona, quæ nõ Deus præstet vt faciat homo:* Ad eundẽ modũ loquũtur Cælestin⁹, Papa, epist. ad episcopos Galliæ, & Innocẽtius Papa in epist. ad Cõcil. Mileuitanũ, & Carthaginẽse, & plures alij sancti Patres dicẽtes, ad gratiã Dei pertinere nõ solũ facere quod possimus operari, sed etiã facere vt faciam⁹ bonas operationes prout oportet ad salutẽ cõsequendam.

Ezechielis. 36. *Ad Philippens. 1. & 2.* *Ad Roma. 9.* *D. Augustin.* *Concilium Arausican.* *Celestinus Papa, & Innocentius.*

ADDVCOR in hanc assertionẽ. Quoniam gratia operans, vel excitans solũ tribuit facultatẽ bene operandi, quasi in actu primo inadæquato, vt visum est supra: ergò ad operandũ supernaturaliter in actu secundo requiritur noua influentia gratiæ actualis, & nouus gratiæ cõcursus, vt potentia sit adæquatè in actu primo, ex quo sequatur vt sit in actu secundo, & hanc dicimus esse gratiã cooperãtẽ. Vnde in naturalibus præter concursum productiuum, & conseruatiuum virtutis naturalis operatiuæ requiritur alius nouus Dei concursus ad hoc vt secunda causa naturaliter operetur, sic ergo præter concursum diuinæ gratiæ operantis & excitantis, quæ formaliter tantùm præstat quandam facultatem supernaturaliũ actionum, quasi in actu primo, requiritur alius concursus ordinis gratiæ vt in actu secundo liberè operemur & efficiamus actiones supernaturales, aliàs non seruaretur debita proportio inter causam, & effectũ. *Ratione suadetur Cõclu. Prima.*

ADDVCOR similiter. Quia aliàs totum discrimẽ inter peccatorẽ, qui conuertitur ad Deũ, & eum qui non conuertitur, supposito quòd vterq; fuerit æqualiter motus, & excitatus per gratiã operantẽ, vt contingere potest, refundi deberet in vires naturę, & in naturalẽ conatum eius qui conuertitur, atq; adeò ille seipsum discerneret ab alio, & posset aduersus illũ gloriari in semetipso de proprio conatu, & industria naturali: Consequens repugnat D. Paulo. 1. ad Cor. 4. *Ne supra quã scriptũ est, vnus aduersus alterũ insletur pro alio. Quis enim te discernit? Quid autẽ habes, quod nõ accepisti? Si autẽ accepisti, quid gloriaris quasi nõ acceperis.* Vbi Apostolus Paulus aperte docet nõ tantũ esse donũ speciale gratię diuinæ, id in quo plerumq; cõueniunt, & equales sunt peccatores qui nõ cõuertuntur, cũ illis qui cõuertuntur, nimirũ in hoc quod est vocari & inuitari internis inspirationibus, & illustrationibus per gratiã excitantẽ, & adiuuantẽ: sed etiã esse nouum & specialius donũ gratiæ, id in quo differt ille, qui cõuertitur, ab eo qui nõ cõuertitur. Hoc autẽ nõ potest esse aliud, quã donum gratiæ cooperãtis, cui scilicet, infallibiliter est cõnexa cooperatio, & cõuersio peccatoris: ergo in ratione gratiæ diuinę aliquid diuinũ addit nobis cooperans supra operantẽ, siue excitantem, aut vocantem, &c. *1. ad Corinthi. 4.* *Secunda.*

SED cõtra hanc secũdã assertionẽ fiunt argumẽta ab aduersarijs, quę à nobis soluẽda sunt. Primũ & potissimũ est. Quia si esset expectanda noua gratia ad consentiendũ & cooperandũ gratiæ excitãti, siue operanti, sequeretur nihil tribuendũ esse libero arbitrio in negotio iustificationis, sed totũ tribui debere diuinæ gratiæ, ita vt nõ sit in potestate liberi arbitrij cooperari vel nõ cooperari diuinæ gratiæ. Cõsequens est absurdũ, & cõtra Fidẽ: ergo sequela patet. Quia qua ratione dicitur post gratiã excitantẽ & operantẽ esse necessariã nouam gratiã, vt liberũ arbitriũ cooperetur, & consentiat diuinæ motioni, eadẽ ratione dicendũ esset post hanc nouã gratiam expectandã esse aliã, vt liberũ arbitriũ per vires naturæ nõ resistat, neq; cõtradicat: aut certè dicendũ est ipsum liberũ arbitriũ ex se nihil cõferre, sed totaliter determinari ab extrinseco in hoc negotio iustificationis. Minor probat̃ ex Trid. sess. 6. c. 5. & 6. & cã. 4. vbi nihil aliud exigitur vt homo se disponat ad iustificationẽ, nisi quòd per liberũ arbitriũ cooperetur gratiæ præueniẽti, & excitanti, vbi damnãtur anathemate, qui dixerint nõ posse liberũ arbitriũ dissentire, & resistere gratiæ præueniẽti, & excitãti si velit. Intẽdit igitur Cõcil. in libera potestate hominis cũ solo cõcursu generali sitũ esse cooperari, aut nõ cooperari, cõsentire aut dissentire gratiæ excitanti: & hoc ipsum colligi potest ex verbis Christi, Math. 25. vbi per parabolã talentorũ apertè significat Deũ diuidere vnicuiq; dona, seu talẽta suæ gratię secundũ propriã virtutẽ, seu conatum naturalem. *Argumẽta aduersariorum contra propositam conclusionẽ Primum.* *Concil. Trident.* *Math. 25.*

SECVNDÒ obijciunt cõtra idẽ. Quia si conatus naturalis liberi arbitrij nihil cõferret vt homo melius disponeretur ad gratiam, sequeretur nõ esse magis laudandũ eũ, qui melius disponitur, quã ille qui minus, aut certè nullo modo disponitur. Quia nõvult cõsentire gratię excitãti. *Secundum.*

DIFFICVLTAS quæ in his duobus argumẽtis tangitur, permouit auctores, quos supra retulimus, ad sentiẽdũ oppositũ eius quod in hac secunda assertione diximus, de qua multa dixit Ruar. Tap. art. 7. de lib. arbitrio, vbi tangit hãc difficultatẽ, & eã dixit esse satis perplexã, & obscurã, & nihilominus, pag. 300. apponit hanc dubitationem sub hac forma verborum. *An verò ad vsum gratiæ qua acquiescimus salutari monitioni, suasioni, & internæ vocationi, & qua pulsanti ostium cordis aperimus, per quæ omnia ex parte obiecti inclinatur voluntas (proprie enim ad intellectum* *Quid senserit in hac difficultate Ruardus Tapper.*

pertinent) *exigatur adhuc alia gratia per quam immediatè inclinetur, & accõmodetur voluntas per piũ affectum, & per quam etiam voluntas à Deo effectiuè flectatur, an non, nihil mutat, nec impedit volũtatis libertatem in libero vsu gratiæ: Quia ita suauiter inclinat, & determinat eam Deus, vt ex iudicio ac consilio, & sic liberè sequatur hanc Dei appropriationem, & spiritus Christi suadendo, vt sequamur simul voluntatem, quasi naturaliter afficit placentia quadam rei suasæ, quæ est voluntati ratio se determinandi, principium & seminarium bonarum volitionum, quas ex eo quasi semine producit*, Et pagi. 301. idẽ Ruardus hæc quæ sequuntur subiecit. *Sed an noua, an alia opus sit gratia ad progrediendũ secundùm primam vocationẽ, ad veram vsque cordis conuersionem, vel an ex prima illa vocationis gratia, Deo vt gratiarum principio vniuersali cooperante & dirigente, diuinitùs præparati, nostra industria progredi possimus ex ea quasi semine, & tandem verè pœnitere non æquè certum est.* Cui quæstioni annexa est alia: An omnis gratia data nobis posse credere, posse cõuerti, posse benè operari, quasi ad ea sufficiens simul etiam faciat nos credere, conuerti, & facere pietatis opera; an alia sit opus & potentiore, quæ hæc faciat? Hoc enim videtur dicere beatus Augustinus lib. de correptione & gratia, cap. 11. & 12. vbi de primo homine aperta est eius sententia, quod accepit gratiam per quam si voluisset poterat perseuerare, sed non eam per quam perseueraret. Ait enim Augustinus. *Tale quippe erat adiutorium, quod desereret si vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret vt vellet. Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam: sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima enim est qua fit vt homo habeat iustitiam si velit, secunda ergò plus potest, qua etiam fit vt velit, & tantum velit, tantoq; ardore diligat, vt carnis voluptatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat.* Tandem idẽ Ruardus Tapper in eodem ar. 7. de libero arbitrio pa. 306. loquens de duobus hominibus qui vocantur à Deo, cur vnus conuertatur, & alter non? sic loquitur. *Qui enim sequitur vocationem, vocatur & dirigitur secundùm æternum Dei propositum, & directionem, alius autem, nimirũ qui non sequitur, non sic vocatur. Quid autem & an aliquid positiuum necessariò requirat vel ponat hoc propositum in voluntate, ante assensum siue voluntatis determinationem, in eo qui secundùm ipsum vocatur, obscurum est.* Et paulò inferius ait, *quòd in sequente vocationẽ, ei⁹ sdẽ vocationis modus quidã est, vel ablatio impedimẽti, vel simile aliquid quod nõ est in alio.* Vnde D. Ambrosius dixit sententiam illam celebrem. *Dominus quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* Quam sententiam citat D. Augustinus, lib. 1. de gratia Christi contra Pelagium, & Celestium, cap. 46.

D. Augustinus.

D. Ambrosius.

Ex quibus omnibus Ruardi sententijs & dictis constat eum sentire: primùm: quòd si requiritur ad vsum gratiæ receptæ in homine peccatore, & ad vsum vocationis, & pulsationis cordis, alia gratia per quam immediatè inclinetur voluntas, & per quam etiam voluntas à Deo effectiuè flectatur: Hoc neq; mutat, neq; impedit volũtatis libertatẽ in libero vsu gratię: Quia ita suauiter inclinat, & determinat eam Deus, vt ex iudicio, ac consilio, & sic liberè sequatur hanc Dei appropriationem. Secundò cõstat eũ sensisse esse probabile valdè, quamuis obscurũ, vt ille ait, sit, requiri necessariò aliquid positiuũ & poni in voluntate ante assensum, & voluntatis determinationem, quando quis secundùm propositum vocatur. Vndè diuina prædestinatio est efficax ordinatio, & dilectio electorum per media congrua ad salutẽ æternam. Atq; ita valdè esse probabile, & rationabile supra gratiã operantẽ superuenire specialem tractũ Dei intus suggerentis animæ, vt dissentiens à peccatis Deo consentiat, tanquàm auctori gratiæ gratis iustificanti. Quod dixit Ruardus pa. 338. ac proinde nõ certo citatur ab aduersarijs in fauorẽ suæ sentẽtię. Tertiò cõstat Ruardum sensisse præter gratiam præuenientẽ, & vocantem rationabiliter valdè dici constituendã esse aliam gratiam, per quam voluntas à Deo effectiuè flectatur, seu determinetur: imò verò propositione. 5. & 6. dixit: Quòd sola gratia efficacis operationis diuinæ posita, necessariò sequitur effectus, quẽ operatur, videlicet fides, conuersio, pœnitentia, quamuis simpliciter per arbitrij libertatẽ possint nõ fieri. Sed subiungit statim, impossibile esse quòd gratiæ præcedentes conuersionẽ, vel fidẽ, si fiant ex vocatione secundũ propositum Dei, suo effectu, & fine frustrẽtur, quamuis eædem si aliter fiant per hominis libertatem frustrari possint. Hæc Ruardus Tapper.

Dissoluitur primum argumentũ aduersariorum.

En igitur quo pacto posset ex doctrina, Ruardi negari sequela primi argumenti. Nam certè libertas arbitrij semper manet in ipso vt possit dissentire, & nõ præstare consensum, & rursus cũ præstat eundẽ consensum, necessariò oportet in eo vires cõstituere, quæ aliud quid sunt à libertate ipsa. Sed vt penitus dissoluamus argumentũ factũ pro contraria sententia, Respondetur: liberũ arbitriũ posse dupliciter considerari. Vno modo quãtũ ad id quod habet ex viribus suæ naturæ præcisè sumptis. Alio modo secundũ quòd eleuatur, & perficitur per auxilium gratiæ excitantis, siue operantis, quod sibi inhæret intrinsecè. Si cõsideretur primo modo, nihil confert aut cõferre potest ad negotiũ salutis æternæ, iuxta sententiã Christi Domini. Sine me nihil potestis facere, hoc est, sine auxilio meæ gratiæ in supernaturalibus. Si verò consideretur liberũ arbitriũ secundo modo, hoc est secundũ quòd eleuatur per auxilia gratiæ, potest ex vi ipsius auxilij cooperari, & consentire diuinæ motioni, eliciendo actus supernaturales, quibus vltimatè disponatur ad iustificationẽ, & ad infusionẽ gratiæ habitualis: Sed ad eliciendos huiusmodi actus necessariò requiritur nouus influxus, & nouus cõcursus diuinæ gratiæ, saltem per modum concomitantis, & cooperantis. Vndè non intẽdimus nunc definire, aut disputare. Vtrùm efficacia gratiæ, præcedat tempore, vel natura cooperationem

liberi arbitrij in conuersione peccatoris, sed solùm intēdimus quòd actualiter conuerti, & disponi ad gratiam est quid perfectius, & excellētius in ratione gratiæ, & addere nouam rationē gratiæ supra operantem, & ita esse nouum donum, & maius quàm excitari, & vocari ad conuersionem per gratiam operantem. Quo fit maius & specialius donum gratiæ conferri à Deo illi qui cōuertitur, quàm illiqui non cōuertitur quātūcumq; excitatus, & motus fueritmultis illustrationibus, & inspirationibus diuinis, præcise tamen pertinentibus ad solam operantem gratiam. Sicut enim in esse naturę quid perfectius est arbor actu fructificans, quàm arbor in potentia etiam proxima ad fructificandum, & intellectus actualiter intelligens perfectior est se ipso, vt in potentia ad intelligendum, ita etiam in esse gratiæ perfectior est cooperans, qua actualiter cōuertitur homo, & vltimatè disponitur ad gratiā, quàm operās, siue excitans, qua solùm redditur potens sufficiēter cōuerti.

Dissoluitur secundum.

Ad secundam obiectionem responderi potest: eum qui conuertitur & conteritur laudandum esse, & gloriari posse præ alio qui non cōuertitur, non tamē in se ipso, sed in Domino, ex cuius gratia operante habuit posse conuerti, & ex cuius gratia cooperante habuit quòd actualiter conuerteretur.

Vtrvm verò sit alia Dei motio & efficacia prius natura præueniens in eo, qui sequitur vocationem Dei, seu alia gratia, & efficacia in obsequente in genere causæ efficientis, sicut certum est aliam esse efficientiam in eo qui sequitur vocationem: id quidem Ruard. ar. 7. de libero arbitrio, p. 382. dixit probabiliter in vtramque partē disputari posse, & licere vnicuiq; in suo sensu abundare in hac parte. Quare certum est eum nunquam voluisse, neque ausum fuisse, aut notare nostram sententiā, aut ex ea inferre vllā libertatis lęsionē, vt superius ipse dixerat.

Tertia Conclusio.

Concl. 3.

Dico tertiò. Liberum arbitrium viribus naturæ cum solo generali cōcursu ordinis naturæ, & suppositasola gratia excitante, quæ dicitur operans non valet se conuertere in Deū, cōuersione supernaturali, aut cooperari conterēdo, & pœnitēdo &c. Hæc assertio cōstituitur à me cōtra auctores primę sentētię, imò verò cōtra eos, qui dicūt efficacitatē diuinę gratiæ, ex innatis viribus liberi arbitrij pēdere. Nā certè quamuis vsus liber gratiæ diuinæ fiat per arbitrium liberum, fit tamen per eum, non solū excitatum, sed etiam vlterius adiutum à supernaturali motione gratiæ actualis Dei. Hæc sine dubio videtur esse doctrina Concilij Tridētini, sess. 6. ca. 5. & can. 3. & 4. Quibus in locis docet non tantū requiri gratiam excitantem, sed etiā adiuuantem: & est ridiculum affirmare Concilium non intellexisse gratiam adiuuantē, & cooperantē, non esse distinctam à sola excitāte, & præueniente. Nam sess. 6. ca. 5. citato declarat exordium iustificationis sumi à gratia præueniente. Si autem ea suppositā liberū arbitrium ex innatis viribus eius, ita sufficiens esset vt sine superaddita alia noua gratia vteretur sola præueniente in vsu, & actu cōuersionis, tunc sequeretur initiū iustificationis sumi à gratia prę ueniente, cōsummationē verò, & actualem iustificationē ab innatis viribus arbitrij bene vtentis sola gratia præueniente ex vi naturæ ipsius liberi arbitrij, quod tamen est expressè contra Tridentinū, si rectè perpendātur eius sentētiæ. Nam cùm Concil. Triden. dixerit iustificationis exordium in adultis sumendū esse à præueniente gratia, hoc est ab eius vocatione: deinde procedit ad declarandū progressum, seu processum huius exordij respectu conuersionis, ac iustificationis. Et subiungit finem in quē ordinatur vocatio, & gratia præueniens simul cū processu vlteriori, dicens: *Vt qui per peccata à Deo auersi erant per eius excitantē atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationē, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur*. Assensus ergo liber conuersionis ad iustificationem postulat excitatem, & adiuuantē gratiam, & cooperantem. Cùm enim dixit exordium sumi iustificationis: Concilium tātum retulit gratiā præuenientem & vocātem, deinceps verò cùm accessit ad conuersionē, & assensum, retulit non solū excitantem, sed adiuuantem gratiā: Neq; id solum notanter Concilium docuit in illo capite, sed vlterius volens rem hanc declarare, & exprimere hunc fecit discursum, ita colligens sub hac verborum forma: *Ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abijcere potest*. Et statim: *Neque tamē sine gratia Dei, mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit*: ergo præter inspirationem illam aliquid aliud requiritur gratiæ Dei, & motionis suæ ad iustitiam, si suppositā excitatione & vocatione adhuc homo nō potest sine gratia Dei se ad iustitiam mouere libera sua voluntate: ergo ex innatis viribus, & potestate virium liberi arbitrij sola vocatione prima, aut excitatione gratiæ operantis, nō potest cooperari liberum arbitrium, se conuertendo aut cōterendo, assensumq; præstando vt conuersionis actus fiat. Sed vlterius requiritur gratia actualis noua, quæ dicatur cooperans, & adiuuāns præter concursum Dei: ergo ille vsus gratiæ est nouum beneficiū Dei: ergonon est ex naturæ viribus, sed ex viribus gratiæ denouo receptę: quibus in arbitrio nostro susceptis, ipsum operatur & cooperatur gratiæ, & præstat conuersionē & assensum Fidei: semper tamen ex viribus supernaturalibus.

Probatur Conclusio ex mente Cōcilij Tridentini.

D. Augus.

Divvs Augustinus li. 3. de libero arbi. c. 19. adducit illud Pauli: *Neq; qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementū dat Deus*, intus in corde operādo, illuminādo intellectū, & volūtatē afficiēdo: Ipse enim solus est qui intus operari potest: ipse solus est qui docet hominē scientiā: & in eius solius potestate est cor hominis, vt vertat quò voluerit: vnde illa gratia qua be-

nevtimur, & qua cõuertimur, & assensum præstamus fidei: non ex innatis naturę viribus, aut ex naturali industria ea vtimur operando, pœnitẽdo, & credendo, sed ex viribus supernaturalibus à Deo per speciale & actuale Dei auxiliũ datis, sic in hoc vsu gratiæ cernitur incrementum, & cernitur illa vlterior gratia cooperans intus in corde: Neque in solius potestate Dei esset cor hominis (vt ait Augustinus) vt vertat illud, si homo ex suis naturæ viribus haberet illam vim piè vtendi gratia ad sui cõuersionem, quia magnam homo in hac re partem haberet ex innatis naturæ viribus, & valdè præcipuam in ordine ad vsum gratiæ, & ad conuersionem hominis: vnde Decanus Louanienſis, articulo illo septimo de libero arbitrio, pag. 293. ait: *Gratia autem ad bene operandum necessaria est motio qua Deus applicat intellectum ad cogitandum salutaria, & voluntatem ad eandem bene afficit.* Sic autem his viribus diuinitùs applicatis & motis, per eas liberè operamur, hoc est per liberum arbitrium, sicut principium effectiuum, cui ratio agendi est diuina motio, & etiam vis intentionalis ei impressa. Itaque ratio agendi est motio diuinæ gratię, & ab hac sumuntur vires, quæ in volũtate, cùm à Deo mouetur, sunt, & per eas liberè operamur, & per eãdem Dei motionem diuinam & supernaturalem applicatur intellectus ad cogitandum salutaria, & voluntas ad pia opera: his igitur viribus, hoc est intellectu, & volũtate motis per diuinã gratiã, & diuinitùs applicatis, & ad ordinẽ gratiæ erectis per eas liberè operamur, & se effectiuè mouẽt.

Ruardus Tapper.

D. Augustinus.

Divvs Augustinus in lib. 1. retractationũ cap. 22. retractans illud quod dixerat in lib. cõtra Adimantum discipulum Manichei ex verbis Domini Saluatoris dicentis. *Aut facite arborẽ bonã, & fructum eius bonũ, aut facite arborẽ malam, & fructum eius malum*, inquit Augustinus: *Hoc nõ est contra Dei gratiam, quam prædicamus. In potestate quippe hominis est in melius mutare voluntatem, sed ea potestas nulla est nisi à Deo detur, de quo dictũ est: Dedit eis potestatẽ filios Dei fieri. Ioannis 1. Cum enim hoc sit in potestate quod cum volumus facimus, nihil tam est in nostra potestate quàm ipsa voluntas, sed operatur voluntas à Domino.* ergo vsus liberæ conuersionis, qui in cõuersione consistit libera non est à viribus, & arbitrij industria, sed à Domino. Et subiungit Augustinus: *Sic etiam intelligendum est quod dixi postea, in nostra potestate esse, vt vel inseri bonitati Dei, vel excidi eius seueritate mereamur, quia in nostra potestate non est nisi quòd nostram sequitur voluntatẽ: quæ cũ fortis & potens præparatur à Domino, facile fit opus pietatis, etiã quod impossibile fuit.*

Cap. 16. & 17.

Moveor etiam ex sexcentis locis D. Augustini, & sanè declarans Augustinus lib. de gratia, & libero arbit. cap. 16. quo modo Deus operetur in nobis perficere, siue opus bonum. *Certum est*, inquit ille, *nos mandata seruare si volumus, sed quia præparatur voluntas à Domino ab illo petendũ est, vt tantũ velimus quantũ sufficit, vt volẽdo satisfaciamus.* Et paucis interpositis ait Augustinus. *Certũ est nos facere cũ facimus, sed ille facit vt faciamus præbens vires efficacissimas volũtati, qui dixit: Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis:* ergò nõ per vires naturę, sed per vires efficacissimas volũtati donatas à Deo per gratiã actualem oportet intelligere quòd bene vtimur gratia Dei. Plures alias sentẽtias habet D. Aug. & similes, li. de spiritu & littera c. 15. & 35.

Concil. Trident.

Rvrsvs Tridentinũ Conciliũ sess. 6. can. 3. definit. *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, Anathema sit.* Enytramq; gratiam inspirantẽ, & adiuuantẽ retulit Concilium. Et Patres qui in Concilio adfuerunt referunt has esse duas gratias, & non vnam tantũ, inter quos sunt Patres Concilij Colonienſis in Enchiridio, in tractatu de pœnitentia. Et Andreas à Vega, imò etiam Concilij Moguntinum, quorum sentẽtias, & loca supra rẽtulimus. Quomodo autem sint duæ gratiæ, & nõ vna, & quòd hoc ita intellexerint Patres Concilij Tridentini diximus supra in hac disputatione secunda, in discursu primæ, & secundæ assertionis, seu in primo, & secundo dicto. Neq; valet dicere quod idẽ motus qui excitauit voluntatem adiuuat illam ad consensum, quia quamuis generali ratione omnis gratia dicatur adiuuare, tamẽ hic est sermo de gratia adiuuante cooperãte consensum, vt distinguitur ab operãte & à primo præueniente, & quæ per se adæquatè tribuit vires boni vsus diuinæ gratię. Præterea gratia illa, seu motio primò præueniens excitat formaliter, & vocat, adiuuans autẽ & cooperans se efficiẽter habẽt in actu conuersionis & in vsu libero ad pia opera, & ob id huic gratiæ adiuuãti, & cooperãti, inquit Augu. Deũ tribuisse vim, & vires, quas efficacissimas esse vocat, & volũtati datas ad huiusmodi pia opera.

P. Vega. Concil. Moguntin.

Quorũdam solutio impugnatur.

Ex quibus colligitur auxiliũ actuale efficax diuinæ gratiæ non tantũ dici efficax, quia facit sed etiã quia vires præbet efficacissimas voluntati, vt D. Augustinus docuit vbi supra de gratia & libero arbitrio c. 17. & hoc est verũ & verius, valdeq; consonũ sanæ Theologiæ, & dictis Sanctorũ Patrũ, præcipuè considerata imbecillitate viriũ arbitrij nostri. Hoc etiã proprietas illius vocis auxilij efficacis postulat, & requirit. Nã certè medicamẽtum dicitur efficax, non ex eo solũ quòd actu facit, sed à priori, ex eo quòd singularẽ vim habet agendi, & hac ratione dicitur auxiliũ efficax. Quo fit vt vox auxilij efficacis nõ propriè attribuatur illi auxilio, quod est per modũ cõcursus. Quia illud nõ tã est efficax, quàm ipsa effectio: & præterea, quoniã in illo nõ potest distingui sufficiẽtia, & efficacia, neq; illi potest specialis, aut peculiaris attribui efficacia per modũ principij formalis, velper modũ principij, ꝙ est ratio agẽdi, sed habet semper eandem actualem coniunctionem, & vnionem cum effectu, tanquam via ad illũ. Quapropter efficax auxilium est illud gratiæ principium, quod vt à Deo venit peculiarẽ

vim, & efficaciam habet ad inducendam humanam voluntatem, vt consentiat. Quam doctrinam velint, nolint, concesserunt aduersarij nostri, & etiam eam dedit, & concesit Franciscus Suarez lib. 3. de auxilijs diuinæ gratiæ c. 6.

SED quoniam de materia huius assertionis plura nos manent certamina, idcirco silere volumus hic, quæ alibi fusius sunt dicenda.

Quarta Conclusio.

Concl. 4. DICO quartò. Efficacia diuinæ gratiæ actualis, non est sita in vsu virium naturæ ad gratiam, vt dictum est: ita vt in assensu per vires naturæ, & in cooperatione humana earum ad solam gratiam excitantem consistat, neque dicitur gratia efficax ab euentu, quia videlicet sortitur effectum, & ob id sortitur illũ, quia ei humana voluntas cooperatur. Putant enim auctores huius doctrinæ in potestate hominum posi tum esse facere gratiam esse efficacem quę alias ex se non esset, nisi sufficiens tantum, ex eo quòd gratia, vt dicunt, efficax est ab euentu, & quia sortitur effectum ob id quòd humana voluntas ei cooperatur ex viribus innatis.

Quid sentiat Bellarminus. ROBERTVS Bellarminus li. 1. de gratia & libero arbitrio, cap. 12. tom. 3. cùm retulisset sententiam eorum, qui efficacem gratiam constituunt in humana cooperatione, & assensu, ita vt gratia efficax dicatur ab euentu, & quia sortitur effectum, quia in potestate hominis est gratiam non efficacem facere efficacem, dicit huiusmodi sententiam longè distare à sententia D. Augustini, & quantum ipse credit, & existimat à sensu sacrarum litterarum. Quòd sanè primum probari potest, vt ibi ipse ostendit, ex D. August. lib. de prædestinatione sanctorum, cap. 8. vbi affirmat efficacem gratiam à nullo duro corde respui, quia ipsa cor emollit: qui locus apertè tribuit efficaciam gratiæ, vt venit à Deo, seu vt talis est, & non humanæ voluntati. Et epist. 107. ad Vitalem reprehendit illos qui sentiunt vniuersos homines accepturos fuisse gratiam Dei, si non illi quibus nõ datur respuerent eam sua voluntate. Quo in loco apertè loquitur D. Augustinus de gratia efficaci. Quoniam gratia sufficiens omnibus datur & offertur: ergo sanctissimus Augustinus, non vult efficacem gratiam vt sic pendere ab humana volũtate, sed à diuina. Rursus lib. de spiritu & littera, cap. 34. quærens Augustinus cur Deus vni ita suadeat, vt persuadeat, alteri non ita, non respondet, quia vnus consentit, alter non consentit, sed exclamat dicens. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Vnde refert hoc in arcanum diuinæ voluntatis, cur videlicet vni detur efficax gratia, alteri verò minimè, & non respondet, quia vnus consentit, alter non consentit. Nam hæc res atque responsio nõ erat valde difficilis, neq; ob eam erat cur exclamaret Augustinus: *ò altitudo diuitiarũ, &c.*

Ex D. Augustin. proposita conclus. probatur.

Ex certitudine & infallibilitate diuinæ prædestinationis arguitur

PRAETEREA, si sententia efficacitatis gratię vera esset, nimirum quod sumatur efficacitas tanquam pendens ab humana voluntate, & ab humana cooperatione, & ab euẽtu, vt retulimus, tunc hæc opinio euerteret omnino fundamentum diuinæ prædestinationis, quam D. August. ex sacris litteris fortiter & efficaciter comprobauit. Inde enim pendet certitudo atque infallibilitas prædestinationis, quòd Deus efficacem gratiã pręparauit electis. *Quos enim prædestinauit hos vocauit, hos magnificauit, hos & iustificauit.* Vocauit, inquã, vocatione secũdùm propositũ, de qua egit D. August. lib. de dono perseuerantiæ cap. 14. & lib. de correp. & gratia cap. 7. de qua vocatione secundùm propositũ, seu efficaci dictum est. *Omnia cooperãtur in bonum, his qui secundùm propositum vocati sunt sancti.* Quòd si efficax vocatio, vel efficax gratia penderet à volũtate humana, & à viribus innatis, vt talis fieret, & redderetur, nullus locus relinqueretur diuinæ prædestinationi, sed tantum præscientiæ, (quod Molina videtur male sensisse) neq; Paulus dixisset: *vt secundum electionem propositũ Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Ad Rom. 9. Posuit enim Molina potissimè in præscientia prædestinationem post præuisionem operum. *Rom. 9.*

ET confirmari hoc potest. Quia esset palam abuti vocabulis, vocare gratiam efficacem, & eam à sufficiente distinguere, si nulla esset omnino distinctio in ipsa gratia, & totum discrimen penderet ab humana voluntate, seu à cooperatione humana, & ab euentu vt isti sentiunt.

Ex sacrapagina potissimum corroboratur Cõclusio.

PROBATVR etiã ex sacris litteris, primo ex illo Ioannis. 6. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* In quibus verbis Christus apertè docet in quo gratiæ efficacitas sit constituenda. Nam illi infallibiliter conuertuntur, & veniunt ad fidem Christi, seu veniunt ad Christum per fidem, qui Patrem cælestem habent Doctorem, ita vt infallibilitas effectus non habeat pro causa industriam discipuli, sed excellẽtiam magistri. Et citat Dominus prophetiam Isaiæ cap. 54. *Est scriptum*, ait, *in Prophetis, erunt omnes docibiles Dei.* & vt habetur in Græco, *docti a Deo.* iuxta illud Prophetę Psa. 93. *Beatus hõmo quem tu erudieris Domine.* De cuius loci interpretatione legendus est D. Augustinus li. 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 8. Rursus etiam apud eundem D. Ioannem, capi. 6. dicitur. *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet.* vbi non ex industria, sed ex datione Patris significatur hoc quod est venire ad Christum. Et prope finem capitis dicitur de auxilio efficaci. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Et paulò inferius. *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datũ à Patre meo.* Cur ergo humanæ cooperationi, & industriæ tribuetur, quod gratia Dei actualis reddatur, & efficiatur efficax? Quare repellendus est Ruardus Tapper, qui in articulo illo septimo de libero arbitrio pagin. 339. dixit alijs consentiendo quod ad gratiam gratum facientem haben-

Ioannis. 6.

Isaiæ. c. 54

Psalm. 93.

D. Augustinus. Ioannis capit. 6.

Reijciẽdus Ruardus Tapper.

dam

dam ex solo libero arbitrio, se homo potest præparare. Et rursus repellendus est in eodem articulo pagina 303. in impressione Louanien si facta anno 1555. vbi ait, quod proxima causa, qua vnus fit altero sanctior, & iustior, est eius industria & conatus in vsu gratiæ, & loquitur de industria & conatu humano ex viribus innatis liberi arbitrij. Ecce in quę incommoda incidunt, qui oppositum sentiunt.

1. Cor. 4. TANDEM est egregius locus Pauli 1. Corinthiorum 4. *Quis enim te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Profecto si vera esset opinio aduersariorum, tunc sequeretur quod liberũ arbitrium humanum planè discerneret fidelem ab infideli. Nam si duo sint qui eandem vocationem habeant, & interius eandem inspirationem, & eundem audiant concionatorem, si vnus eorum conuertatur, & credat, & alter non credat, poterit sine dubio dicere is qui credidit, se discerni ab infideli qui non credidit, per liberum arbitrium. Quia credens inspirationem accepit, quam alter qui non credidit. repulit. Poterit igitur gloriari contra infidelem non credentem, quod ipse sit cooperatus gratiæ Dei, quam ille repulit, & contempsit. Quod sanè non quadrat cum verbis Pauli, & idcircò non tantùm posse credere, sed etiam ipsum credere, & ad fidem conuerti Paulus affirmat esse donum Dei, ad Philippenses 1. & Deum in nobis agere, & operari, non solùm vt possimus velle, & vt possimus credere, & conuerti, sed etiam vt actu velimus, ad Philippenses 2. Quæ loca satis sint ad rem hanc ostendendam: plura etiam possemus loca adducere, sed hæc sufficiant iuxta illud Concilij Arausicani dicentis, quod vbi pauca non sufficiunt, plura non proderunt.

Quinta Conclusio.

Conclus. 5. DICO quintò. Gratia adiuuans necessaria ad conuersionem peccatoris, aut hominis infidelis, distincta ab excitante, & vocante, non est solùm actualis Dei concursus, quo vnà cum libero arbitrio hominis excitati, & vocati actu efficit ipse conuersionem supernaturalem, sed vlterius etiam est donum quoddam diuinum & gratuitum, & Dei auxilium, quo mens hominis diuinitùs roboratur ad conuersionem illam eliciendam simul cum actuali Dei concursu.

Nota pro cõclusione. HANC conclusionem vt intelligas, perpende auxilium Dei posse diuidi, & in illud, quod est necessarium per modum concursus, vel per modum principij. Vnde duplici titulo potest hoc auxilium gratiæ actualis esse necessarium, primò quidem ex ratione communi, & generali omnium rerum, & creaturarum, quia videlicet actus supernaturalis conuersionis fidei, aut pœnitentiæ est ens per participationem, & hac ratione communi & generali indiget actuali influxu Dei, & immediato, vt fiat. Quo fit vt sit necessarium quòd actio illa per quam nostra voluntas elicit talem actum sit etiam actio Dei, quamuis influxus Dei transeat per voluntatem, & in effectum, cum sit influxus in causam. Rursus secundò necessarium est auxilium diuinæ gratiæ propter peculiarem rationem, quam habent actus supernaturales, quia videlicet cùm tales sint, omnino superant vim effectiuam, quam intellectus, & voluntas creata habent ex sua natura ad sic agendum, quia nimirum huiusmodi potentiæ non attingunt excellentiam horum actuum. Vnde ex isto capite requiritur auxilium gratiæ per modum principij, quòd sane compleat principium potens efficere tales actus supernaturales. Hãc doctrinam insinuat, & supponit Sanctissimus Præceptor 1. 2. quæstione 109. præcipuè articulo 2. 3. & 4.

VOLO rem hanc amplius aperire, quòd licet concursus Dei sit necessarius ad actus supernaturales, qui sit eiusdem ordinis gratiæ, vel eadem ratione, vel fortè maiore, qua ad cæteros actus necessarius est proportionatus, concursus, tamen aliqui ex Theologis dubitantes de huiusmodi concursu, quid sit, dicunt concursum istum non esse vocãdum auxilium, sed præcisè concursum. Quia vt dicunt auxilium vt sit, significat causam actus, concursus verò, vt est in opinione eorum, potius est ipsemet actus quàm causa actus, quia videlicet auxilium dicitur, id quo potentia iuuatur ad agẽdum, & consequenter debet esse aliquid in ipsa potentia per modum actus primi, ac proinde vt causa ipsius actus, & prius illo prioritate naturæ saltem. Verumtamen plures alij Theologi volunt auxilium appellare huiusmodi cõcursum. Quia etiam ille generalis concursus ordinis naturæ à multis vocatur auxilium, quo Deus secũdas causas iuuat ad suas actiones peragendas, quas causæ ipsæ secundæ se solùm minimè possent producere. Vnde quando Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 109. artic. 1. dixit humanum intellectum indigere diuino auxilio ad quamlibet cognitionem naturalem, non tamen indigere superaddita illustratione, nisi ad supernaturalia, probabile, & rationabile est nomine auxilij intellexisse concursum generalem, absque additione doni gratuiti, quamuis nõ absq; auxilio Dei mouentis, & concurrentis cum ipso homine vt prima causa. Sic ergò dici potest quòd Deus auxiliatur homini cum eo concurrens, & ipse concursus, quem tribuit, & quo hominem iuuat ad effectum est auxiliũ. Quare si huiusmodi concursus sortitur nomen auxilij, tunc duo sequuntur. Primum est non esse de ratione auxilij in communi, quòd sit actus primus. Secundum est non esse de ratione auxilij, vt sic loquendo communiter de auxilio, quòd sit separabile ab actu secundo. Et quamuis aliqui iudicent intelligendum esse de hoc auxilio, quod datur per modum concursus, illud quod Sanctus Thomas docet 1. 2. quæst. 10. artic. 4. ad 3. vbi ait: quòd si Deus mouet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quòd voluntas non moueatur: tamen id

ipsum multo melius intelligendum est de auxilio dato per modum principij, cùm tale auxilium importet influxum in causam, & in voluntatem. Quod voluit Sanctus Thomas animaduertere dicens: quòd si Deus mouet volũtatem ad aliquid, impossibile est quòd voluntas ad id non moueatur: motio enim voluntatis, vel Deum mouere voluntatem ad aliquid, influxum importat in potentiam, & in voluntatem: atque ob id non est certum dici debere auxilium ipsum concursum, sed aliquid in voluntate per modum principij, vt probabitur statim.

Suadetur quinta Conclusio.

His ergò præsuppositis probari potest quinta assertio, seu quintum dictum. Quia videlicet tam Concilium Tridentinum, quàm Sacræ litteræ, & Diuus Augustinus apertè sentiunt hominem per gratiam adiuuantem, ita iuuari à Deo, vt per illam suppleatur in libero arbitrio hominis vocati, & excitati id quod illi deficit, vt conuertatur. Hoc enim propriè est hominem adiuuari in conuersione sua per illam gratiam, videlicet tanquam in actione, quæ est supra facultatem virium liberi arbitrij hominis aliàs excitati, & vocati. Nam profectò si homo excitatus & vocatus completam habet facultatem in se, vt absque vllo alio dono gratiæ possit tanquam secunda causa sufficiens omninò in suo ordine elicere conuersionem, & solùm indiget vt solus Deus tanquam causa vniuersalis in ordine supernaturali cum eo concurrat actu ad hunc effectum supernaturalem conuersionis, tunc non exactè propriè omninò, diceretur homo adiuuari à Deo in hoc effectu, tanquam infirmus, & imbecillis ad eum efficiendum. Neque is ipse effectus posset iudicari supra facultatem hominis vocati, & excitati. Nam certè pari modo concursus generalis ordinis naturæ non dicitur speciale auxilium, aut adiutorium respectu actus eliciendi à potentia. Quia homo non iuuatur per illum, tanquam infirmus & imbecilis ad suum actum, cùm talis actus naturalis nõ sit supra facultatem liberi arbitrij, in quo supponuntur vires innatæ ad ipsum.

Amplius confirmatur eadem assertio.

Hoc potest confirmari & explicari magis. Quia quamuis ignis in naturalibus indigeat actuali Dei concursu ad calefaciendum, & comburendum, cæterùm quia ignis ipse in suo ordine sufficientem omninò & integram habet facultatem, vt veluti causa secunda calefaciat, aut comburat, nemo dicit ignem calefaciendo, & vrendo, à Deo adiuuari tanquam agens infirmum & imbecillum ad combustionem, & calefactionem. Neq; etiam quis dicet effectum illum igni proportionatum esse supra facultatem ignis, ex eo quòd Deus suo concursu generali concurrat ad illum effectum. Ergò cum constet tam ex D. Augustino, quàm ex Sacris litteris, aut ex Concilijs hominem peccatorem iam excitatum, & vocatum debere vlterius tanquam imbecillum & infirmum à Deo iuuari, vt consentiat inspirationi, & vocationi, & conuertatur, necesse est dicere adiuuantem gratiam, quæ præter excitationem, & vocationem requiritur ad conuersionem, minimè consistere in solo illo concursu generali & actuali Dei, sed vlteriùs in aliquo speciali dono gratiæ, & auxilio, quo mens humana vires accipiat completè, & corroboretur ad hunc actum conuersionis.

D. Augu.

Diuus Augustinus lib. de Gratia & libero arbitrio, ca. 15. dicit. *Meminerimus ipsum dicere. Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.* Ezechielis 18. qui dicit. *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum etiam dabo vobis.* Ezechielis 39. *Quomodo ergò quod iicit. Facite vobis, hoc dicit, dabo vobis? Quare iubet si ipse daturus est? Quare dat si homo facturus est? Nisi quia dat quod iubet, & adiuuat vt faciat, cui iubet.* Et lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 18. inquit Augustinus. *Quod à Deo nos auertimus nostrum est, & hæc est mala voluntas. Quod verò ad Deum nos conuertimus, nisi ipso excitante, atque adiuuante non possumus, & hæc est voluntas bona.*

Ioannis 6. Ad Philippenses 2. 1. Cor. 4. Conc. Mileuitan.

Hoc satis apertè etiam traditur à Christo dicente Ioannis sexto. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* & illud idem dixit Paulus ad Philippenses 2. cum ait: *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate,* & 1. Corinthiorum 4. *Quid habes quod non accepisti? Si accepisti quid gloriaris?* Extat rursus Mileuitanum Concilium can. 4. sic decernens. *Vtrumq; est donum Dei, & scire quid facere debeamus, nosq; excitare, & vocare ad conuersionẽ quod præstant inspiratio, & vocatio: Et diligere vt faciamus, quod tribuit, & præstat gratia adiuuans.*

Conc. Trid.

Et in Concilio Tridentino Sessio. 6. can. 3. definitur, Inspirationem Spiritus Sancti præuenientem non solùm requiri, sed vlteriùs etiam exigi adiutoriũ Spiritus Sancti, vt quis credat, speret, diligat, & pœniteat, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur.

Nota.

Perpendere tamẽ oportet nos minimè negare per gratiã primò præuenientẽ, per excitationem etiam, & vocationem, hominẽ iuuari ad conuersionem. Quod etiam docuit D. Augustinus plerisq; in locis de prædestinatione Sãctorũ, & de dono perseuerantiæ, & li. 1. ad Simplicianũ q. 2. dicens. *Noluit Esau, & nõ cucurrit. Sed & si voluisset, & cucurrisset Dei adiutorio peruenisset: Qui etiã velle, & currere vocãdo præstaret, nisi vocatione contẽpta ipse reprobus fieret.* Sed obseruandũ est, quòd licèt per huiusmodi excitationem, & vocationẽ homo iuuetur, ipsa tamen sola gratia præueniẽs aut vocans nõ efficit, neque cõplet adequatè efficacẽ gratiam, quamuis verè adiuuet ad conuersionẽ. Quia non est adequatè & completè gratia adiuans ad conuersionem. Et huius veritatis fundamentum illud est, quia homo etiam vocatus & excitatus indiget alio auxilio gratiæ, seu adiutorio Dei, vt actu cõuertatur, & vt vocationi respõdeat. Et ex hoc apertè sequitur gratiam adiuuantem, quę requiritur ad conuersionem præter excitationem, & vocationem, non esse tantùm actualem illũ

D. Augu.

Huius doctrinæ fundamentum.

Dei concursum, sed esse aliquod speciale donum gratiæ Dei, iuxta illud Christi Ioannis 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*. Et inferius. *Nisi cui donatum est à Patre meo.* Hæc est sententia D. Thomæ 1.2. quæst. 112. artic. 2. & quæst. 113. arti. 3.6.7. & 8. quam etiam tenet Sotus lib. 2. de natura & gratia, cap. 18. & plures alij suæ familiæ. Vnde hoc donum gratiæ Dei, ex quo præter vocationem, & concursum actualem Dei, dicitur constare gratia adiuuãs ad conuersionem, est quædam motio actualis gratiæ Dei, quæ à Deo fit & ab eo habet quod roboret hominis voluntatem, & arbitrium, vt ipso Deo pariter concurrente eliciat supernaturales actus, quibus conuertatur in Deum.

D. Thom.

Sotus.

Distinctio gratiæ adiuuantis ab actuali concursu Dei ratione probatur.

Quod verò hæc adiuuans gratia ad conuersionem peccatoris, aut infidelis non sit tantùm ipse concursus actualis Dei, hac ratione ostendi potest. Quoniam iste concursus, vel consideratur vt est in ipso Deo, nimirũ vt est actio voluntatis Dei in ipso, & sic quamuis hoc sit magna Dei beneficentia, & liberalitas, tamen non est aliquid tributum ipsi homini in ipso, quo possit censeri, adiuuari, & roborari in se ipso intrinsecè, sicut oportet fieri per adiuuantem gratiam. Vel rursus hic concursus consideratur passiuè, vt recipitur in ipso homine, & sic nihil aliud videtur esse quàm actus ipse conuersionis vt est à Deo, ac proinde non est propriè adiuuans gratia, prout nunc loquimur de illa. Nam gratia adiuuans ad conuersionem non est ipsa conuersio, sed est principium illius, aut comprincipium: ergò Dei concursus per se solus non est hæc gratia adiuuans, de qua nunc agimus, nisi fortè per illum communicetur specialiter homini iam excitato, & vocato aliquod gratuitum donum, quo voluntas & arbitrium eius ad conuersionem roboretur, & compleater adæquatè.

Gratia adiuuans quæ est sola vocatio, excitatio &c. respui potest, minimè verò gratia adiuuãs, quæ est eadẽ cũ cooperante, efficaci, & adæquata.

Vnde gratia adiuuans si dicatur quatenus inadæquatè consistit in vocatione, & excitatione iuxta D. Augustinum reijci potest ab homine, imò verò aliquando de facto reijcitur, sicut videmus in plerisque hominibus qui excitantur, & vocantur, & excitationem atq; vocationẽ reijciunt, & cõtemnunt. At verò si gratia adiuuans sumatur quatenus adæquatè constat ex gratia cooperante, & ex vocatione secundùm propositum, & completè ex efficaci Dei motione, sic nunquam reijcitur & infallibiliter complet id ad quod datur, ita vt sit principium conuersionis efficiens propriè. Et quamuis ipsa actualis conuersio libera respectu motionis infusionis gratiæ habitualis, & virtutũ dicatur esse prior, tamen motio infusionis in genere causæ efficientis est prior natura quàm conuersio, & ab ea pendet talis conuersio, & id sanè nihil obstat quominus ipsa conuersio sit libera, licèt pendeat à motione illa diuina, & ab infusione gratiæ, & virtutum: igitur, simpliciter loquendo, hæc acceptatio gratiæ adiuuantis per conuersionem libera est. Quocirca in Concilio Tridentino Sessione 6. capite 5. dicitur. *Tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agit, inspirationem illam recipiens, quippè qui illam abijcere potest: neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate potest, &c.* Ergò.

Conc. Trid.

Corollariũ expræcedẽti doctrina.

Ex dictis sequitur concursum diuinum quatenus in re datur à Deo ad actus supernaturales esse quid supernaturale, & respectu humanæ naturę esse quid gratuitum. Quod probo. Quia iste cõcursus nihil aliud est quàm illa actio qua fit ipse actus supernaturalis prout est à Deo: Igitur sicut actus est supernaturalis, ita etiã necesse est huiusmodi concursum esse supernaturalem. Quia actio specificatur à termino, & pertinet ad eundem ordinem, imò verò sunt qui dicant quòd talis concursus nihil aliud est quam ipsemet actus prout est in fieri à tali agẽte: quod ego non satis probo: Sentio tamen hunc concursum in se ipso esse quid supernaturale, & respectu humanę naturę, vt sic, esse quid gratuitum. Quia sicut tale genus actuum non est illi debitum, ita neque talis modus, aut concursus ordinis supernaturalis.

Variæ quòrundã sententiæ.

Non me latet, quosdam ex recentioribus Theologis in varias sententias abijsse circa explicationem huius concursus. Nam quidam vocant illud generale quoddam auxilium. Alij dicunt non esse ex se supernaturalem, sed indifferentem prout est à Deo, determinari autem ad hoc vt sit supernaturalis ex proximo supernaturali principio. Cuius oppositum alij sentiunt, negantes concursum illum in re positum esse indifferentem prout est à Deo: quoniam Deus non confuse, sed determinatè applicat virtutem suam ad talem actum. Tandem sunt Theologi qui censeant hunc concursum, ita à Deo prouenire vt à prima causa, vt sit ab ipso, abstrahendo ab eo quòd sit auctor naturalium, vel supernaturalium effectuum: quamuis plures alij melius, & iure optimo dicant, prouenire à Deo, vt auctore supernaturali: suppositò quòd huiusmodi actus sunt supernaturales quoad substantiam.

Resolutio.

Sed dicendum est hunc concursum prout est in re ad extra secundùm substantiam, & entitatem eius, & secundùm eam proportionem quam habet cum natura humana vt sic, esse, dici, & vocari supernaturalem, & non esse indifferentem, præcipuè cùm debeat esse in aliqua certa specie, & in aliquo certo ordine, & profectò vt diximus non potest esse nisi in ordine supernaturalium. Huiusmodi autem auxilium supernaturale non dicitur esse debitum homini, nisi vt aliqui dicunt secundùm quid, & hoc non tam homini, quàm alteri gratiæ existenti in ipso homine, aut potiùs Spiritui sancto mouenti hominem per actualem gratiam ad talem operationem. Qua ratione dici solet de Deo hoc sibi debere potiùs quàm homini. Necessitas itaque huius cõcursus supernaturalis est, quoniam actus supernatu

rales sunt entia quædam participata, potentiæ autem, nimirum intellectus & voluntas, à quibus fieri debent sunt imperfecta, & imbecilla, ideoque non solùm dependent à primo principio, tàm in esse quàm in operari, sed etiam vt à principio supernaturali, & à concursu supernaturali eius, & ab auxilio gratiæ suæ, veluti ab agente speciali. Vndè actus illi à Deo dependent vt à prima causa, etiam in ordine supernaturali.

Inter concursum naturalem & supernaturalem explicatur discrimen.

Est tamen differentia inter concursum naturalem, & supernaturalem, quod egregiè aduertit Sãctissimus Præceptor 1.2. quæst. 109. artic. 1.2. & 3. quòd ad actus naturales ex parte Dei sufficit ille generalis concursus ordinis naturæ. Quia secundæ causæ habent aliàs virtutem sufficientem, & adæquatam, seu completam in suo genere ad effectus illos seu actus supernaturales, at verò concursus iste generalis ordinis gratiæ non sufficit ad efficiendos actus supernaturales, nisi Deus aliud speciale auxiliũ maius superaddat, ex eo quòd naturales potentiæ intellectus, & volũtatis humanæ non habẽt proportionatas vires, neq; sufficientes aut completas in genere causæ proximæ ad eliciendos actus illos supernaturales, & ob id præter huiusmodi concursum exigitur aliud per modum principij, quod esse non potest actus ipse, sed aliquid in re ab eo distinctum.

Reijcitur sententia Molinæ de identitate gratiæ adiuuantis & excitantis.

Ex dictis constat repellendam esse sententiam Molinæ in concordia q. 14. disput. 37. pagina 224. & disputa. 38. pagina 229. Quibus in locis tenet vnam & eandem numero gratiam esse adiuuantem, & excitantem: Dicit enim vnam & eandem numero gratiam esse præuenientem, & cooperantem: & quatenus excitat, allicit, & inuitat arbitrium nostrum ad actus supernaturales conuersionis, pœnitentiæ, credendi & diligendi, apellari præuenientem & excitantem gratiam: quatenus verò consentiente iam nostro arbitrio & cooperante actus supernaturales, ad quos illa inuitat, & allicit, ipsa quoque nouo influxu & actione cooperante eosdem actus, appellari adiuuantem & cooperantem gratiam. Itaque gratia qua potentia adiuuatur ad hos actus supernaturales, non est alia in re, ab ipsa gratia excitante: sed vna & eadem est proximum principium, non solùm morale, sed etiam physicum influens simul cum ipsa potentia, seu libero arbitio in supernaturalem actum: Quocirca illemet motus animi, quatenus hominem excitat, & metaphoricè, vel moraliter inclinat & mouet hominem ad supernaturalem actum vocatur gratia excitans: Quatenus verò physicè influit cooperãdo veluti supernaturale principium influens cũ libero arbitrio in actũ ipsum, dicitur adiuuãs gratia. Fundamentum huius sententiæ aliud non est, nisi quòd illa gratia excitans & præueniens est sufficiens principium, ad eleuandam potentiam & ad illam iuuandam: ergò non oportet multiplicare aliud auxilium. Rursus Molina hoc probat, quia nõ obscurè hoc ipsum videtur significari à Tridentino, Sessione 6. cap. 5. vbi sic habetur. *Declarat Sancta Synodus, iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum præueniente gratia sumendum esse: hoc est ab eius vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur: vt ita tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippè qui illam & abijcere potest: neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit.* En quo pacto illa gratia à qua dixit sumendum esse iustificationis exordium, & quam appellauit præuenientem, excitantem, & vocantem: hoc loco eandem dicit esse adiuuantem ad conuersionẽ adulti. Nam dicit Concilium: Eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando ad suam ipsius iustificationem. Vbi perpendendum est dici, eidem gratiæ, & non alteri numero, illique eidem assentiendo & cooperando. Et quamuis idem motus, qui excitauit voluntatem, adiuuet illam ad consensum, nihilominus iuxta hanc sententiam potest distingui gratia adiuuans ab excitante, vel quia in illomet actu illa sunt diuersa munera, quia excitat formaliter, adiuuat verò efficienter, vel sanè quoniam ipsemet influxus actualis gratiæ excitantis, in actum voluntatis, est quidam nouus effectus gratiæ distinctus ab ipsa gratia excitante, qui vt est ab illa potest dici gratia adiuuans.

Conci. Tri.

In quo sensu vera sit huiusmodi sententia & in quo deficiat.

Quæ sanè sententia quantum ad moralem concursum, licèt censeatur esse probabilis, quia illustratio intellectus & inspiratio voluntatis in ea permanens actu vel virtute plurimum iuuãt voluntatem ipsam ad consensum, siue alliciendo, & attrahendo obiectiuè, siue terrendo, aut per aliquem affectum inducendo, in quibus modis intercedit saltem morale auxilium: Cæterum si fiat sermo de vero influxu efficiente propriè seu physicè: hæc sententia mihi non probatur, neque videtur vera propter sequentes rationes. Primò quia non probat hoc ita esse sed potius supponit illud vt certum & possibile: Et argumentum quod ex Cõcilio adducit nihil probat, imò verò Concilium duas gratias distinguit, vt supra ostendimus, & vt id notauit Andreas à Vega, super illum locum, qui interfuit Concilio. Et idem dicitur in Enchiridio Concilij Colonienſis. Secundò quoniam est impersuasibile actum seu motũ illum qui dicitur gratia excitans habere in ratione principij proximi vim adæquatè sufficiẽtem & efficientem, ad efficiendum actum supernaturalem deliberatum conuersionis & dilectionis Dei super omnia: Quod tamẽ supponit prædicta sententia, & erat aliàs probandum ab eius auctoribus.

Prima ratio qua impugnatur.

Secunda.

Dices motum illum gratiæ excitantis ex vi suæ perfectionis non habere vim sufficien-

Fundamentum sententiæ Molinæ.

tem

tem & connaturalem ad alium actum efficiendum: Deum tamen eleuando ipsum vti illo vt instrumento ad illam efficientiam. Sed profectò hoc est voluntarium & sine fundamento: quia Deus, qui suauiter disponit omnia, quòd potest facere per secundas causas non solet id efficere per se ipsum, supplendo virtutes & formas rerum de lege, & secundùm cursum prouidentiæ suæ, etiam in supernaturalibus, vt etiam aduersarij concedunt. Et præterea adhuc maneret maior aut eadē difficultas: Vtrùm Deus eleuet actum illum, aliquid illi addēdo nec ne? Quoniam si aliquid addit adhuc inquiretur quid sit illud. Si autem dicas quod nihil addit, pari modo posset Deus eleuare voluntatem creatam ad efficiendum illum actum supernaturalem nihil illi addendo per modum actus primi. Rursus ille motus gratiæ excitantis est multò minus perfectus, quàm actus ipse supernaturalis, quia aliquando motus ille gratiæ solet esse vel ingēs timor inferni, vel repræsentatio quædam vehemens mortis, vel alius similis motus, qui re vera non solùm accidentaliter, sed etiam specificè est minus perfectus quam amor Dei super omnia, vel conuersio in Deum, vel contritio: imò verò multi sentiunt hos motus gratiæ excitantis esse quidem supernaturales, solùm quoad modum, seu in modo quo ex prouidentia speciali & supernaturali ordinatione ita donantur à Deo, vt excitent animum quoad actus supernaturales, non tamen esse supernaturales quoad substantiam. Quod si illi actus sunt supernaturales quoad substantiā: certè cum fiant à potentijs, necessariò oportebit vel quærere aliud principium, quo potētia ipsa eleuatur ad eliciendos illos, vel si ipsi fiunt per immediatam Dei eleuationem sine alio principio inhærente & proximo. idem omnino poterit affirmari de primo consensu supernaturali deliberato. Adde etiam quod isti actus immanentes non habent propriam efficientiam circa alios nisi fortè quando sunt per se ordinati & inter se connexi: veluti sunt intentio finis & electio mediorum, assensus principiorū & conclusionis: Veruntamen in præsenti non reperitur hęc subordinatio intrinseca inter gratiam excitantem & effectum gratiæ adiuuantis vt de se patet: ergò. Tandem plerumque contingit hos actus esse in diuersis potentijs: Nam excitatio sæpissimè reperitur in intellectu: cōsensus verò in voluntate: actus autem vnius potentiæ, ex se nunquam est principium efficiēs proximum & physicum actus alterius potentiæ, supplens defectum virtutis actiuæ in altera potentia: Quoniam sunt virtutes & actiuitates diuersarum rationum: Quare licèt concedatur iudicium intellectus habere concursum actiuum in suo genere circa actum voluntatis, tamē neq; potest tribuere, neq; supplere ipsam vim actiuam quæ necessaria est ex parte potēntiæ. Ex his ergò satis apertè cōstabit semper esse dicendum gratiam adiuuantem non esse vnam & eandem omnino cum excitante.

Maior præfatæ sentētiæ confutatio.

ARGVMENTA quæ possunt fieri contra nos soluuntur ex dictis.

Dubium II. annexum circa diuisionem gratiæ in subsequentem, & præuenientem.

Quòd sit hæc diuisio communis S. Patribus. D. Augus.

SANCTI Patres etiam vtuntur hac distinctione gratiæ in subsequentem, & præuenientem, & ea etiam vtitur D. Augustinus, præcipuè lib. de natura & gratia capite 32. quo in loco inquit. *Gratia præuenit vt sanemur, subsequitur vt etiam sanati vegetemur: Præuenit vt vocemur, subsequitur vt conglorificemur: Præuenit vt piè viuamus, subsequitur vt cum illo semper viuamns. Vtrumque enim scriptum est apud Regium vatem dicentem: Deus meus misericordia eius præueniet me.* Et Psalmo 22. *Misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ.* Rursus idem Augustinus in Enchiridio cap. 32. ait. *Nollentem præuenit vt velit, volentem subsequitur ne frustà velit.*

D. Gregor.

DIVVS Gregorius super Ezechielem hom. 9. eundem habet modum loquendi, dicens. *Ipse aspirando nos præuenit, vt velimus, qui adiuuando subsequitur ne innaniter velimus, sed implere possimus quæ volumus.* Et in hoc proposito & conceptu lib. 16. Moralium cap. 12. interpretatur illud Pauli 1. ad Corinthios 15. *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit.* sic dicens: *Quia enim diuina nos bonitas, vt innocentes nos faciat præuenit, aptè Apostolus ait, gratia Dei sum, & quoniam eadem gratia nostrum liberum arbitrium sequitur subiungit, & gratia eius in me vacua non fuit.*

1. Corinth. 15.

D. Ansel.

Celestinus Papa.

Concil. Arausic.

Psalm. 78. Conc. Trid.

DIVVS Anselmus in Commentarijs super Paulum eisdem fere verbis, & eodem modo explicat eundem locum, & Celestinus Papa primus in Epistola 1. ad Episcopos Galliæ ca. 12. consentit cum Ggregorio, & Anselmo. Concilium etiam Arausicanum cap. 14. dicit. *Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia præuenitur.* Et in confirmationem huius rei citatur ibi testimonium Dauidis Psalmo 78. *Cito anticipent nos misericordiæ tuæ Domine.* Et in Tridentino Concilio Sessione 6. plerumque fit mentio gratiæ præuenientis, & subsequentis, vt constat ex cap. 16. eiusdem Concilij, vbi habetur Dei gratiam per Christum antecedere, comitari, & subsequi omnia opera bona iustorum.

Dubij istius difficultas proponitur. Quidā modus dicendi refertur.

VERVMTAMEN potissima difficultas, & controuersia in hac parte est circa explicationem rationis propriæ vtriusque gratiæ. Et in hac parte aliqui ex recentioribus Theologis putant hanc distinctionem omnino coincidere cum alia de gratia operante & cooperante, & consequenter censent præuenientem gratiam seu operantem esse speciale auxilium, quòd se tenet ex parte obiecti dumtaxat, in quantum Deus per internam, vel externam vocationem

redu-

reducit nobis in memoriam, seu proponit obiectum credendum, aut diligendum aut piũ opus faciendum. Gratiam autem subsequentẽ, vel cooperantem dicunt nihil aliud esse, quàm idem auxilium gratiæ excitantis, vel præuenientis secundùm quòd aliquo modo concurrit, & cooperatur ad nostros actus liberos quos exercemus circa tale obiectum. Verumtamen hic modus dicẽdi nobis non satis proba tur. Primò quia id quod videtur supponere est plus quam falsum, nempè gratiam operantem, seu præuenientem solùm concurrere ad actus supernaturales obiectiuè per modũ proponentis, vel excitantis. Secundò. Quia explicat diminutè & insufficienter rationem gratiæ præuenientis, & subsequentis.

Nõplacet.

Prima Conclusio.

Conclus. 1.

QVOCIRCA de hac re dico primò. Gratia præueniens non tantum est prima vocatio, vel excitatio ad iustificationem, sed etiam omnis alia motio, qua Deus disponit, & præparat hominem ad conuersionem, & iustitiam seu gratiam iustificantem; Gratia autem subsequens est omnis motio, vel specialis Dei influxus, quo Deus mouet, & adiuuat hominem semel iustificatum, vt operetur secundùm iustitiam acceptam, & vt in ea proficiat. Hæc propositio est de mente D. Augustini, & aliorum Sanctorum Patrum, constatque ex testimonijs adductis Gregorij, Anselmi, & etiam eiusdem Augustini & ex verbis D. Fulgentij, libr. 1. de Prædistinatione capi. 11. dicentis. *Præuenit impium vt fiat iustus, subsequitur iustum ne fiat impius: Præuenit cæcum vt lumen donet, subsequitur videntem, vt lumen quod contulit seruet.* Ex quibus verbis constat quòd secundùm Sanctos Patres ad gratiam præcũtem & præuenientem dicitur pertinere prima iustificatio, & quidquid ad ipsam disponit; ad gratiam verò subsequentem possunt dici pertinere ea quæ iuuant ad cõseruationem & augmentum iustitiæ acceptæ. Quod sanè hac ratione declarari potest. Quoniam omnia quæ antecedunt iustificationem sunt prę parationes quædam præeuntes, & quasi præuentiones, vt efficiamur iusti & grati coram Deo simpliciter & absolutè: ergò rationabiliter fieri potest vt tribuantur gratiæ præuenienti, & præeunti, & quidquid postea aduenit tribuatur gratiæ subsequenti. Et hæc sufficiant de hac propositione.

Probatur cõclusio ex adductis testimonijs SS. Patrũ, & præcipuè ex D. Fulgentio.

Secunda Conclusio.

Conclus. 2.

DICO secundò. Loquendo comparatiuè, & secundùm quid: quælibet gratia postvocationem primam, siue post primam diuinæ gratiæ excitationem potest dici & appellari subsequens, imò verò quodlibet donum diuinæ gratiæ actualis circa vltimam glorificationem potest dici præueniens, & sunt Theologi qui dicant omnem gratiam actualem non solùm esse operantem, & cooperantem, sed etiam præeuntem, & præuenientem posse appellari. Pro cuius rei intelligentia obseruandũ est inter effectus gratiæ esse ordinem. Nam primus omnium est vocatio, secundus consensus & responsio ad vocationem; tertius iustificatio; quartus glorificatio. Hoc insinuat Paulus ad Romanos 9. dicens. *Quos præscinit & prædestinauit hos & vocauit, quos autẽ vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, hos & glorificauit.* Iustificatio verò plures & multos effectus gratiæ includit, nimirum actũ Fidei, Spei, Pœnitentiæ, & Charitatis, & alios, quibus ad primam disponimur iustificationem: & iustificationem ipsam, & omnia dona gratiæ per quæ in iustitia cœpta conseruamur, & proficimus. Itaque in præsenti propositione volumus dicere primam vocationem omninò, ita esse gratiam præuenientem quòd non est subsequens: quia nullum aliud donum gratiæ præsupponit in nobis. Vltimam autem glorificationem sic esse subsequentem gratiam quòd nõ est prę ueniens, quia illa est vltima, & post illam non exigitur altera. Reliqua verò dona gratiæ intermedia simul sunt gratiæ præuenientes, & subsequentes comparatione ad diuersa. Hoc insinuat Sanctus Thomas. 1. 2. quæst. 111. art. 3. vbi ait gratiam secundum quòd causat in nobis primum effectum dici & vocari præuenientẽ respectu secundi effectus, & quatenus causat in nobis secundùm effectum vocari subsequentem respectu primi effectus. Ex quo colligit D. Thomas quod sicut vnus effectus est poste rior respectu alterius, & prior respectu subsequentis, ita vna & eadem gratia existens, & secundùm eundem effectum, præueniens dici potest, & subsequẽs respectu diuersorum; vt gratia causans in nobis assensum fidei, est subsequens respectu gratiæ vocationis, & est præueniens respectu contritionis, & sic de alijs. Vndè ex ipsa etiam proprietate nominum, præueniens & subsequens gratia possunt dici comparatiuè quodammodo & respectiuè, sicut prius & posterius, sursum & deorsum, respectu diuersorũ, & etiam non est absurdum aliquod, quòd eadem gratia sit præueniens & subsequens respectu diuersorum.

Ad Romanos 9.

D. Thomas

HINC sequitur primò non esse certũ quod diuisio ista gratiæ coincidat omninò cum alia diuisione gratiæ in operantem, & cooperantẽ. Constat namque ex dictis quòd gratia cooperans ad actum fidei non solùm est subsequens respectu gratiæ vocationis, sed etiam præueniens respectu gratiæ contritionis. Rursus secundò sequitur diuisionem hanc coincidere aliquo modo cum alia diuisione gratiæ in antecedentem, & concomitantem. Gratia enim concomitans idem videtur esse quod gratia cooperans, quæ simpliciter subsequitur gratiam operantem. Verum est tamen quod gratia concomitans ex ipso vocabulo potiùs videtur significare assistentiam, custodiam, & protectionem specialem, quam Deus habet de iustis hominibus, quàm aliquam determinatam

Consectaria duo. Primum.

Secundum.

motio-

motionem: & sic etiam potest intelligi Concilium Tridentinum Sessione 6. cap. 16. cum ait: quòd virtus Christi Domini tanquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur: ergò.

DISPVTATIO III.

De gratia operante, & cooperante.

Vtrùm sint causa totalis supernaturalium actionum, ita vt voluntas creata seu liberum arbitriũ hominis, nullatenus sit causa, neque totalis, neq; partialis illorum actuũ secundùm propriam, & naturalem virtutem, seu ex viribus innatis.

Præcipua ratio dubitandi de vitalitate proponitur.

RATIO dubitãdi quę se se offert talis est. Actus supernaturalis, non tãtum habet supernaturalitatem, sed etiam habet vitalitatem & libertatem: constat autem apertè quod vitalitas & libertas non possunt prouenire ex auxilio gratiæ, sed ex sola intrinseca natura voluntatis & intellectus, quæ ab intrinseco sunt potentiæ vitales & liberæ: ergò gratia & liberum arbitrium concurrunt ad hos actus supernaturales, tanquam duæ causæ partiales, quarum vna efficit supernaturalitatem actus, altera verò vitalitatẽ, & libertatem. Consequentia aperta est cum maiori, minor autem probatur. Quoniam vitalitas & libertas actus in hoc consistunt, quod est procedere ab intrinseco principio coniuncto cum quadam indeterminatione siue indifferentia: Auxilium verò gratiæ est quid extrinsecum nullam habens in se ipso vitalitatem, aut indifferentiam, sed inclinans potentiam determinatè ad vnum, non ergò potest tribuere actui vitalitatem, & libertatem.

Quorundã sententia.

HOC argumento permoti ex recentioribus nonnulli sentiunt, liberum arbitrium ex propria natura, seu ex innatis viribus esse causam actiuam partialem respectu actuum supernaturalium. Itaque actus supernaturalis dependet à triplici causa partiali, quarum vna est gratia specialis mouens liberum arbitrium per modum operantis & excitantis: Secũda est ipsum liberum arbitrium creatum, consideratum secundùm suam naturam: Tertia est concursus generalis Dei, vt est prima causa vniuersalis in ordine naturæ. Et quamuis ex parte effectus quælibet istarum causarum possit dici totalis causa in quantum quælibet attingit totum effectum, & omnem eius perfectionem, tamen ex parte causalitatis debent dici causæ partiales. Quia quælibet attingit immediate effectum secundùm proprium modum causandi, taliter quod nulla illarum sufficit sola producere talem effectum sine consortio aliarum, ex quibus coalescit vna totalis.

Suadetur ratione dubitandi, & deinde aliis argumentis Primum.

HAEC sententia probari potest ex ratione dubitandi posita. Et præterea quòd æquè immediatè gratia & liberum arbitrium concurrant, tanquam duæ partiales causæ. Hoc etiam discursu potest probari. Nam certum est de fide tam gratiam quàm liberum arbitrium concurrere efficiẽter seu effectiuè ad actus supernaturales, vt habetur in Tridentino Sessio. 6. can. 4. quo loco anathemate damnantur qui senserint liberum arbitrium nihil agere in huiusmodi actibus supernaturalibus, sed passiuè tantùm se habere: stat autem quòd non concurrunt sicut duo totalia agentia, aliàs vnum illorum superflueret. Nam de ratione agẽtis totalis est quod ipsum solum efficiat totũ opus: ergò necessario oportet dicere quòd concurrũt sicut duo partialia agentia, quorum vnumquodque ex virtute propria immediatè attingit effectum secundum aliquam eius partem.

Secundum

MOVENTVR etiã auctores præfatæ opinionis. Quoniam si tota vis actiua respectu actuum supernaturalium proueniret ex ipsa motione gratiæ actualis Dei, & nulla ex parte proueniret ex propria & intrinseca virtute actiua naturali ipsius potentię, sequeretur hominẽ non concurrere ad huiusmodi actus per modũ agentis principalis, sed solùm per modum instrumenti, consequens est absurdum: ergò, sequela patet. Quoniam agens principale & instrumentale tantùm differunt per hoc quod illud agit virtute propria, quam ex se habet, hoc autem non agit, nisi virtute accepta à principali agente extrinseco. Minor probatur. Quoniã homo in his actibus concurrit liberè & vitaliter: ergò mouet & applicat seipsum ad operandum, proprium autem est agentis principalis viuentis quod agat mouendo se ipsum, & applicando se ad opus. Et confirmari hoc potest. Quia si homo solùm cõcurreret instrumãtaliter ad hos actus supernaturales, neque esset laude, neque præmio dignus propter illos, quod est contra fidem apertissimè.

Tertium.

RVRSVS potest ostendi & confirmari hoc ipsum. Quoniam gratia concurrit ad huiusmodi actus per modum cooperantis & adiuuantis liberum arbitrium hominis, vt constat ex communi modo loquendi Sanctorum Patrum, & Conciliorum: sed cooperari, seu adiuuare alium propriè loquendo significat illud aliud cui præbetur adiutoriũ, habere quidẽ ex se ipso vim aliquam seu virtutẽ actiuã ad opus, licèt insufficientem: ergò negari non potest, quin gratia & liberum arbitrium concurrant

ad prædictos actus, tanquam duę partiales causæ actiuæ, quarum vnaquæque ex sua propria ratione habeat actiuitatem distinctam ab actiuitate alterius, quo fit vt intellectus habeat actiuitatem ex innatis viribus distinctam ab actiuitate gratiæ respectu actuum supernaturalium.

SIMILIS controuersia esse potest de lumine gloriæ ad visionem Dei, an concurrat ad illam tanquam partialis causa, ita vt intellectus ex vi sua & virium suarum, quæ sibi innatæ sunt partialiter attingat ipsam visionem. Hoc enim videtur sensisse Caietanus credens perfectiorem intellectum in naturalibus perfectius videre Deum cum æquali lumine gloriæ propter acutiem intellectus perfectioris.

ADDVCVNTVR recentiores nonnulli ad prædictum placitum defendendum. Quia vt putant de potentia absoluta posse dari actum supernaturalem, sine vlla omninò supernaturali forma præuia in intellectu, aut in voluntate, siue permanente, siue præuolante, & fluente, ita etiam putāt multò magis fieri de facto, quòd intellectus vt partialis causa effectiuè concurrat ad actum supernaturalem ex propria vi, & innata virtute, concurrente ex altera parte gratia, partialiter se habēte ad cūdem effectum.

Contra propositam sententiam argum.

QVÒD si obijcias voluntas nullam habet propriam vim actiuam ad actus supernaturales: quia ex se est omninò improportionata & inferioris ordinis. ergò nullo modo potest elicere actum supernaturalem inchoando illum tanquam propria causa, etiam in suo genere: ergò oportet vt Deus vtatur illa tanquam instrumento: quod aliter fieri non potest quàm Deo præmouente efficienter propriè. Quocirca in hoc cernitur magna differentia inter hos actus supernaturales & actus naturales, tàm bonos quàm malos, quod in actus naturales influit voluntas propria vi & voluntate, & idcircò rectè intelligitur posse inchoare actum cum communi concursu Dei in actu primo ipsi oblato, at verò in actus supernaturales nullo modo influit voluntas propria virtute, sed tantùm vt eleuata: ergò non videtur posse illo modo inchoare supernaturalem actum nec sufficere indifferentem concursum, aut influxum, cuius determinatio excedit naturales vires voluntatis: ergò oportet vt ab ipso Deo talis influxus vim habeat, vt hac ratione voluntatem eleuet, vt Deo inchoante prius natura ipsa simul in eodem instanti inchoët, & determinet se sub determinatione, & inchoatione Dei.

Quorundam sententia.

FRANCISCVS Suarez libro tertio de auxilijs diuinæ gratiæ capite 15. refert propter argumentum factum, multos Doctores Catholicos censere, voluntatem humanam concurrere ad actus supernaturales, vt causam in suo ordine principalem, non quidem primam sed secundam: neque in eo ordine integram, sed partialem, & minorem vim habentem, quia principalem virtutem etiam in ratione causæ proximæ ab auxilio gratiæ esse concedunt. Dicunt tamen, necessarium esse, vt voluntas ex se habeat aliquam vim proportionatam his actibus, saltem partialiter: tum propter rationem factam, vt possit in suo ordine inchoare actionem, & determinationem: tum etiam quia hi auctores non intelligunt actum vitalem & liberum posse esse ab aliqua facultate, nisi vt à principio principali in suo ordine. Neque in hoc putant se quid quam fauere Pelagio: quia dicunt hanc virtutem & vim voluntatis saltem partialem talem esse, vt sine gratia Dei excitante & adiuuante, non possit talem actum efficere, & hoc satis esse ad omnino vitandum errorem Pelagij: & hoc ipsum esse quod dixit Augustinus de prædestinatione Sanctorum capite 5. *Posse habere fidem naturæ est hominum, habere autem, gratiæ est fidelium*, Hanc sententiam postquam eam retulit præfatus Franciscus Suarez dicit non esse dignam aliqua censura, sed suam habere probabilitatem, & pro ea citat videndum esse Bellarminum libro 6. de gratia & libero arbitrio capite 15. & alios modernos. Verum de hac re postulare oportet Apostolicum iudicium.

Impugnatur.

SED profectò voluntas ex propria virtute atque vi non potest concurrere ad actus supernaturales vt principale principium influēdo in ipsos per vim & entitatem naturæ propriam. Et hoc ipsum sensit sine dubio Franciscus Suarez: tum quia cùm actus sit supernaturalis quo ad substantiam, & totam entitatem suam, non potest voluntas quæ est potentia alterius ordinis inferioris habere virtutem aut vires aliquas connaturales, quibus voluntas natura sua fit effectrix talis actus supernaturalis, neque vt causa totalis neque vt partialis. Tum etiam quoniam si voluntas ex se haberet talem actiuitatem naturalem haberet etiā connexionem cum ordine gratiæ quodammodo connaturalem, vel ratione suę naturę sibi debitam, quia omnis virtus naturalis actiua etiam si inchoata sit, postulat ab auctore naturæ concursum & complementum proportionatum vt operari possit. Atq; ita fieret vt gratia nō esset omnino gratia, si est aliquo modo debita. Tandem voluntas in his actibus non operatur nisi vt eleuata ad superiorem ordinem operationū & effectuum, qui nullo modo illi debentur ex natura sua, sed operatur ex forma supernaturali, quæ est tota ratio agendi: ergò &c. Sed de hac re plura dicemus in discursu huius tertiæ disputationis.

NOLO in præsenti audire aut recensere quosdam Theologos, qui cùm dixerint de potentia Dei absoluta posse dari actum supernaturalem sine vlla omnino forma supernaturali præuia in intellectu, vel voluntate, consequenter dicunt hoc posse duobus modis intelligi. Primò quod istæ potentiæ non concurrant effectiuè, sed passiuè se habeant ad hu-

iusmodi actus. Secundò, quòd actiuè concurrant sine aliqua forma sibi inhærente ex sola assistentia extrinseca Dei, quod appellant auxilium extrinsecum tantùm, dicuntque hanc sententiam veram esse primo modo, quàm contra nos non suppresso nostro nomine, sed expresso dicunt esse, eo quòd sentiamus repugnare quòd detur actus vitalis non elicitus à potentia vitali, cum tamen Sanctus Thomas plerisque in locis & 2. 2. quæstione 23. articulo 2. dixerit esse manifestam implicationem, quòd dilectio Dei non sit effectiuè à voluntate, quia est actus vitalis. An verò actus supernaturalis possit elici à nostris potentijs sine vlla prorsus supernaturali forma ipsi inhærente, alij crediderunt, & nos recensemur ab illis pro hac sententia, imò verò Diuus Thomas in 4. distinctione 49. quæstione 2. articulo 7. dixit visionem Dei posse communicari homini manenti in dispositionibus viæ, & carenti lumine gloriæ, & idem ait de veritate, quæstione 10. artic. 11. Sed profectò Diuus Thomas mutauit sententiam, vt egregiè adnotauit Capreolus infra citandus, vel locutus est solum de lumine permanente, sed non de lumine absolutè.

Argumenta quorundam aduersariorum.

Virtutem naturalem habere potẽtias naturales ad actus supernaturales his suadetur. Primò.

QVÒD verò vis & innata virtus naturæ effectiuè concurrat, etiam vt partialis causa, & rursus quòd actus supernaturalis elici possit à potentijs nostris naturalibus sine forma vlla supernaturali inhærente sibi, ostendunt aduersarij sequentibus argumentis. Nam charitate vt duo voluntas elicit aliquando dilectionem vt quatuor, Deo ab extrinseco supplente duos gradus charitatis: ergò pari modo sine vlla forma charitatis elici posset dilectio Deo supplente reliquos duos gradus, seu totam formam supernaturalem, nàm par ratio militat vtrobique. *Secundò.* Quia Sacramenta & alia instrumenta supernaturaliter eleuantur ad dandam gratiam nulla in se recepta forma aut qualitate: ergò pari modo potest intellectus aut voluntas eleuari, nulla in se recepta forma aut qualitate supernaturali ad actum supernaturalem, vel ad Dei visionẽ, & tunc voluntas & intellectus concurrent ex vi actiua innata illis, vel solùm merè passiuè se habebunt, quod non est ferendum. *Tertiò.* Tertiò. Quoniam in visione beatifica Sanctorum lumen illud gloriæ non est tota vis, qua beati eliciunt visionem Dei, ad eum modum quo calor in aqua est tota ratio calefaciendi, sed etiam ipse intellectus per seipsum influit, & concurrit actiuè ad visionem: ergò vis, & innata virtus naturæ ipsius intellectus concurrit actiuè ad actum supernaturalem, & ad visionem illam, vt minimùm vt causa partialis. *Cõfirmatur.* Et confirmari hoc potest. Quoniam si intellectus actiuè per vim naturæ non concurrit effectiuè ad actum illum supernaturalem visionis, sequeretur hoc nulla ratione fieri posse, nisi superaddito illi auxilio aliquo supernaturali conferente ei vim ad supernaturales actus, hoc autem fieri minimè potest, nisi vel intendendo vim naturalem liberi arbitrij, vel concurrente auxilio in ratione agentis partialis cum libero arbitrio, hoc autem est impossibile: Primò. Quia vis naturalis liberi arbitrij, si intenditur, debet esse intensio eiusdem rationis, quoniam augmentum debet esse eiusdem speciei cum re, quæ augetur, at supernaturale auxilium est alterius ordinis ab innatis viribus liberi arbitrij naturalis: ergò solùm dici potest, quòd liberum arbitrium concurrit vt partialis causa ex viribus innatis; sed causæ partiales mutuò se iuuant ad effectum in quem influunt, & auxilium gratiæ Dei non adiuuatur à libero arbitrio: ergò vt minimũ influit in effectum illum supernaturalem ex proprijs viribus naturalibus. Rursus, confirmari hoc potest. Nam liberum arbitrium concurrit vt potentia, auxilium verò, vel lumen concurrit vt forma, & vt dispositio eius, sed præstantiori modo concurrit potentia ad actum, quàm forma superaddita, nam perfectiori modo potentia concurrit, quàm habitus. Quod præcipuè est verum: Quoniam liberum arbitrium concurrit vt eliciens actum, tanquam principium quod, lumen verò seu auxilium vt quo, principium autem quo, est minus principale quàm principium quod: ergò &c.

Quartò. QVARTÒ: si liberum arbitrium ex innatis viribus non influeret, & tota ratio agendi esset auxilium, vel lumen, sequeretur tantùm cõcurrere instrumentaliter ad tales actus, quod est contra naturam liberij arbitrij, cum ipsum sit vitalis quædam potentia. Nam certè instrumentum est illud, quod non operatur ex propria vritute, sed ex virtute susceptа & extranea, eo enim aqua causat instrumentaliter gratiã, quia non propria virtute, sed virtute susceptа à Deo per modum trãseuntis: igitur cùm liberũ arbitriũ non virtute propria, & innata, sed ex recepto auxilio ad modũ motus operetur, sequitur quòd solũ instrumentaliter cõcurrit, quod est falsum. *Cõfirmatur* Et confirmatur hoc. Quia potentia quæ eleuatur extra latitudinem sui obiecti specificatiui concurrit instrumentaliter, vt si eleuetur intellectus ad productionem gratiæ, sicut eleuantut verba Sacerdotis ad absolutionem, vel ad conuersionem panis in Corpus Christi, & aqua in Baptismo ad causandam gratiam: igitur si liberum arbitrium nõ concurrit ex vi sua naturali ad actus supernaturales, vt causa principalis etiam partialis, sequitur quòd liberum arbitrium solùm cõcurrit vt instrumentum.

Quorũdam opinio dicentium liberũ arbitrium

PROPTER hæc argumenta sunt qui dicant, quòd liberum arbitrium, siue eleuetur per formam intrinsecam supernaturalem, siue per auxilium omninò extrinsecum, solùm concurrit

solùm concurrere instrumentaliter ad actus supernaturales.

instrumẽtaliter ad supernaturales actus. Quia, si, verbi gratia, intellectus sine lumine gloriæ de potentia absoluta tantùm concurrit instrumentaliter per se ad visionem Dei, ergò idem etiam erit cum lumine. Quia actiuitas luminis non auget propriam actiuitatem intellectus, neque illam immutat, ergò si absente lumine ea non erat principalis, neque aduentu luminis fiet principalis, & è conuerso, si præsente lumine est principalis causa, etiam eo absente erit principalis. Nam certè Deus nihil aliud præstare potest quàm supplere lumen illud. Quare vtrobique vel intellectus concurret per se principaliter, vel solùm instrumentaliter. Nam intellectus cum ipso Deo supplente lumen, ita concurret sicut cum ipso lumine, & consequenter vtrobique instrumentaliter concurret. Hoc sensit Franciscus Suarez 3. parte, quæst. 13. disput. 31. sect. 4. & alibi in materia de auxilijs. Verum est dixisse cum intellectum & liberum arbitrium esse instrumentum viuum. Sed de hac re alibi dicemus plura, nunc verò inferius subijciemus aliqua.

Explicatio difficultatis.

PRo explicatione huius controuersiæ suppono, quòd duobus modis potest dici aliqua causa totalis, vno modo totalitate causæ, seu totalitate relata ad causam, ita vt illa sit solùm totalis causa, quæ re vera absque concursu alterius causæ producit effectum. Altero modo potest dici totalis totalitate effectus, quia videlicet causat totum effectum, ipsumq; attingit, quamuis non sine consortio aliarum causarum simul concurrentium ad eundem effectum. Iuxta primum sensum loquuntur aliqui Theologi in 2. distinctione 37. dicentes, nullam creaturam posse esse causam totalem respectu alicuius effectus, quia nihil potest creatura producere, nisi Deus attingat immediatè eundem effectum suo influxu, & generali concursu. Hoc modo loquendi vsus est Gabriel in eadem distinctione articulo 1. vnde sensit solum Deum esse causam tatalem in ordine ad effectus, quos se solo producit per creationem, vel miraculosè; in ordine verò, ad alios effectus, quos producit per causas secundas, tàm ipse, quàm causa secunda censentur ab ipso causa partialis. Et vlterius addit causam materialem formalem, efficientem, & finalem, esse dicendas quatuor partiales causas integrantes & quasi componentes vnam totalem. Quoniam omnium illarum influxus necessariò requiritur, ad hoc quòd effectus producatur. Vnde recentes Theologi loquèdo hoc modo sentiunt quemlibet actum supernaturalem emanare efficienter à tribus causis partialibus integrantibus, & componentibus vnam totalem, nimirum à Deo influente per generalem concursum, tanquam à prima causa vniuersali, & à libero arbitrio tanquam à causa particulari ordinis naturalis & à gratia præueniente tanquam ab alia causa partiali ordinis supernaturalis. Et ex primis duabus causis habet actus supernaturalis (vt dicunt) suam entitatem quoad substantiam, ex tertia verò habet quòd sit supernaturalis, & specie distinctus à quolibet actu purè naturali. Huic sententiæ aliquo modo fauet Scotus in 1. distinctione 17. quæstione 2. non longe à principio, vbi insinuat habitum infusum, & potentiam naturalem concurrere ad actus supernaturales tanquã duas causas partiales actiuas. Cæterum hic modus dicendi & philosophandi non mihi probatur, imo valde displicet, non tantùm quoad principalem conclusionem, qua negat totam vim actiuam respectu actuum supernaturalium prouenire ex gratia, sed etiam quantum ad modum loquendi de causa totali, & partiali.

Quid sentiãt recentiores quidam.

VNDE mihi etiam displicet sententia eorum, qui dicunt, intellectum secundùm propriam vim, & acutiem innatam esse etiam partem rationis agendi in visione beata, quod manifestè supponunt illi, qui dicunt meliorem intellectum cum æquali lumine melius videre Deum, quod dixit Caietanus 3. part. quæstio. 10. artic. 4. & illi assensit Molina 1. par. quæst. 12. articulo 6. disput. 2. §. Ex his duabus sententijs hæc secunda semper mihi visa est consonantior principijs philosophiæ. Sed certè ridiculum est dicere eam magis consonare principijs philosophiæ, cùm intellectus sit potentia naturalis per se, actus verò ille visionis supernaturalis omninò sit alterius ordinis, qui per se postulat in seipso formam omnino supernaturalem totaliter ad supernaturales actiones. Nam certè opera, quæ sunt propria, & connaturalia naturæ superiori, quæ est alterùs ordinis, non possunt conuenire naturæ extraneæ, & inferiori, nisi media aliqua forma, & medio aliquo accidente, quo eleuetur ad talia opera, sed opus omne supernaturale est connaturale Deo, ergò non potest tribui innatis viribus liberi arbitrij creati, quod est alterius generis, & inferioris naturæ, nisi ratione alicuius formæ, aut medio aliquo accidente, quod sit tota ratio agendi, qua eleuetur ad efficiendum supernaturale opus. Hæc omnia satis apertè cõstant inductione facta in his inferioribus. Nam etiam aqua vt calefaciat indiget forma caloris, & ipsa forma est tota ratio agendi, & calefaciendi: ergò &c.

Prima Conclusio.

Concluſ. 1.

HIs ergò sic constitutis, Dico primò: Homo per liberum arbitrium eleuatum auxilio gratiæ operantis, & cooperantis verè efficit actus supernaturales per modum causæ secundæ particularis proximæ & totalis, quod aperte constat, quia cuilibet effectui particulari correspondet per se loquendo aliqua causa particularis proxima & totalis, vt patet inductiuè in naturalibus. Sed nulla alia causa est, cui possit tribui actus supernaturalis, tanquam pro-

proximæ, & totali causæ, nisi homo, quatenus eleuatur per auxilium gratiæ, vt ex dictis constat, & euidentiùs constabit ex dicendis: ergò. Præterea possumus hoc ostendere. Quoniam homo sic eleuatus non minus proportionatur actibus supernaturalibus, quâ idemmet homo secundùm se proportionatur actibus naturalibus: ergò sicut homo per sua naturalia est causa proxima totalis suorum actuum naturalium, ita etiam per gratiam eleuantem erit causa totalis & proxima actuũ supernaturalium.

Nota pro cõclusione.

Pro cuius rei explicatione aduerte, quòd licèt liberum arbitrium eleuatum per auxiliũ gratiæ, & per supernaturalem formam, in esse rei componatur quodammodo ex ipsa potentia, & natura liberi arbitrij, & ex ipso dono gratiæ, seu ex ipsa supernaturali forma, tanquã ex duabus partibus, tamen in ratione causę actiuæ solùm efficiunt vnam causam perfectam simpliciſsimam, & indiuiduam: quod hoc fundamento constare potest: Quoniam natura secundùm se nullam habet actiuitatem immediatam, siue totalem, siue partialem, respectu operationũ supernaturalium, vt inferius dicemus: ergò tota ratio agendi est ipsa forma supernaturalis, seu gratia, ac proinde nulla est ibi compositio secundùm rationem agendi, vel causæ actiuæ. Neque tamen sunt audiendi recentes & modo nati Theologi, qui ob id putant intellectum instrumentaliter tantùm concurrere ad supernaturalem actionem visionis, quia tota ratio agendi est forma supernaturalis, sicut cõstat de aqua calida, quæ solùm est instrumentum calefactionis, ob id, quòd tota ratio agendi est calor receptus ab extrinseco. Nam certè non est simile de aqua calida, quia licèt forma sit ab extrinseco, tàm in aqua calida, quam in libero arbitrio affecto supernaturali forma, tamen aqua ipsa nullam vim habet, neque cõmensuratam, neque in genere proportionatam respectu calefactionis, verumtamen intellectus & voluntas habent capacitatem quãdam specialem respectu actionis intellectiuæ, aut volitiuæ, cùm tam intellectus, quàm volũtas sint potentiæ vitales, & principia etiam intelligendi, cognoscendi, & amandi circa obiectum intelligibile, & amabile, quod quidem minimè potest adaptari aquæ respectu calefactionis, cùm aqua ex vi sua sit incapax illius actionis in genere causæ secundæ principalis, intellectus verò sit capax, cùm sit non solùm potentia vitalis, sed cognoscitiua, & intellectiua. Quo fit, vt intellectus præhabens in se vitalitatem, & vim cognoscitiuam intelligendi, si eleuetur per supernaturalem formam efficiatur ratione formæ ordinis supernaturalis, ascendendo ad alium ordinem eminentiorem.

Obiectio.

Sed obijciunt auctores hodie nati, quod in his manifestè inuoluitur repugnantia. Quia si potentia per se & immediatè operatur simul cùm supernaturali forma, tunc in ea causa totali sunt duæ partes, & virtutes incompletæ partiales, non partialitate effectus, quia neutra per se producit, neque valet producere partem effectus sine alia, sed partialitate causæ. Sed profectò hæc ratio ridicula est. Quia potentia intellectiua eleuata lumine gloriæ non concurrit nisi tanquam potentia supernaturalis, talis facta ex forma, quam habet, & tanquam vnum agens, non quidem ex virtute duarum partialium virium incompletarum: ita vt vnaquæque vis suo ordine influat in supernaturalem effectum. Quia naturalis illa vis vt talis est non influit. Subordinat tamen lumen gloriæ sibi intellectum ipsum, eum intra ordinem agentium supernaturalium constituens, ac proinde vnum constituens simpliciſsimum agens cum eo. Quod constare potest. Quia intellectus & lumen non habent virtutem agendi eiusdem rationis, ac proinde non componunt partialiter vnum agens ex distinctis virtutibus partialiter agentibus, sicut euenit in speciebus obiecti naturalis, & potentia cognoscitiua, quæ sunt partes vnius agentis respectu cognitionis, quam elicit potentia, & tamen non habent virtutem, aut vim agendi eiusdem rationis. Potiſsimè explicari potest hoc. Quia quando forma, quæ est totalis causa agendi eleuat potentiam intra spheram operationis, v. g. cognoscitiuæ, aut intellectiuæ ad supernaturalem actionem, vt in proposito contingit, & similiter quando habitus supernaturales quales sunt Fides, Spes, & Charitas eleuant potentias ad supernaturales actus, in quibus potentijs cognoscitiuis, & affectiuis reperitur quædam analogica proportio, & vera capacitas ratione cognitionis, & affectionis vitalis, nõ necesse, est imòverò fieri non potest, vt singulæ partes in ratione rei illius integri agentis habeant virtutem agendi, & influendi eiusdem rationis vel diuersæ respectu effectus.

Repellitur, & conclusio roboratur.

Quod etiam ostendi & explicari potest. Quoniam actus supernaturales nullatenus possunt effici etiam imperfectè, & quoad aliquam illorum partem à solo auxilio gratiæ per se, sine potentijs naturalibus intellectus, & voluntatis, neque etiam possunt effici ab istis potentijs, sine auxilio gratiæ, aut sine supernaturali forma; ergò tam forma supernaturalis, seu gratia, quàm potentiæ ipsæ, seu natura potentiarum concurrunt ad hos actus, non per modum duarum causarum partialium, sed per modum vnius causæ simpliciſsimæ, & indiuiduæ factæ supernaturalis. Hoc videtur insinuare Diuus Bernardus de gratia, & libero arbitrio prope finem, dicens: *Quòd à sola gratia cœptum est, pariter ab vtroque perficitur* (scilicet à gratia, & &libero arbitrio) *vt mysterium non sigillatim: simul non viciſsim, per singulos profectus operentur, non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum hoc, & totum illa indiuidualiter peraguntur, & vt totum in illo, sic totum ex illa.* Quibus verbis apertè significatur gratiam & liberum arbitrium concurrere ad actus supernaturales per modum vnius simplicis, & in-

D. Bernar.

diuiduæ causæ actiuæ, cuius vis agendi ex gratia proueniat, &c. Ita vt vtrumque agat, nimirum liberum arbitrium Deificum factum, & ipsa forma supernaturalis, seu gratia, tota tamē ratio agendi sit gratia, non solum ex parte obiecti excitando intellectum, & voluntatem, vt aduersarij sentire videntur, sed etiam ex parte principij operatiui, eleuando potentias, & transferendo ad ordinem supernaturalem, tribuendoque illis virtutem agendi supernaturaliter ex illa eleuatione, & translatione ad alium ordinem.

Secunda Conclusio.

Conclus. 2. DIco secundò. Deus non concurrit per modū causæ partialis ad supernaturales actus, sed vt vera causa totalis in suo genere: & oppositum dicere videtur ridiculum in Philosophia, & malè consonum cum principijs ipsius, imò verò cum modo loquendi antiquorum Patrum. Quod probo: Primò. Quia secundùm modum loquendi Scripturæ, & Sanctorum Patrum Deus vocatur absolutè, & simpliciter, auctor omnium bonorum affectuum, atque operationum supernaturalium, quibus ab exordio credendi, aut fidei tenditur ad vitam æternam, vt ait Cælestinus Papa epistola ad Episcopos Galliæ, capite 12. Neque in ordine ad hunc finem possumus aliquid tribuere nobis, quasi ex nobis, sed tota nostra sufficientia est ex Deo, teste Paulo 2. Corinthiorum 3. ergò negari non potest Deum verè esse, & dici causam totalem actuum supernaturalium.

Cælestinus Papa.

Proposita secūda conclusio ratione fit manifesta.

Prima.

RATIONIBVS etiam persuadetur hæc veritas, Primò. Quoniam partialis causa, propriè loquendo, solum est illa, quæ in suo genere & in suo gradu est incompleta & insufficiēs, vt si multi trahunt nauem, quilibet illorum est causa partialis, quia in ratione trahentis est insufficiens, & quid imperfectum: Sed Deus habet sufficienter, & completissimè totum quod requiritur ad causandum in suo ordine, & gradu, nimirum in ratione causæ primæ, & vniuersalissimæ: ergò non potest dici partialis causa.

Secunda.

Præterea etiam persuaderi potest. Quoniā causa dicitur partialis per comparationem ad aliam partialem causam eiusdem ordinis, in eodē inquam gradu, & eodem modo causantem, sed nulla causa creata potest esse eiusdem ordinis cum Deo in modo causandi, imò verò omnes aliæ causæ subordinantur Deo subordinatione essentiali, tanquam longè inferioris ordinis, ergò dici nō potest vllo pacto quòd Deus sit causa partialis propriè & per se loquendo. Dico per se loquendo: quoniam si Deus vellet suplere vicem alicuius causæ partialis in ordine ad certum & determinatum effectum, quatenus causam illam supplet, dici poterit per accidens & impropriè causa partialis. Impropriè inquā: quia de ratione causarum partialium est, quòd vnaquæque etiam in se ipsa non habeat vim ad totam productionem effectus. Et vlteriùs etiā de ratione earum est quòd mutuo se iuuent, & simul coëant influendo in effectum absq; prioritate, & cum dependentia mutua: hæc autem Deo minimè conuenire possunt, quia etiam in eo casu, de quo loquimur, causa creata partialis penderet in sua partialitate causæ à Deo, etiam influente in eam, neque diceretur iuuare Deum, sed potiùs è conuerso: ergò iuxta philosophiæ regulas, Deus nulla ratione dicitur partialis causa.

SED perpende, & obserua, non esse inconueniens vllum, quòd ad eundem effectum concurrant plures causæ totales ad inuicem subordinatæ, vt in productione ignis ex ligno cōtingit. Totalis enim causa materialis est lignum; totalisq; causa formalis est ignis productus ratione formæ; & totalis causa finalis est illud cuius gratia ignis producitur; totaliſque causa efficiens proxima est ignis generans; quasi remota & vniuersalis est Sol, vel cælum, cuius virtute agunt hæc omnia inferiora; prima & vniuersalissima est Deus. Vocare autē omnes has causas partiales, vt eas vocat Gabriel loco citato, est impropriſsimus modus loquendi, quia secūdum illum nulla vna causa poterit vnquam dici totalis: quod neque Græci Philosophi, neq; Latini somniarunt.

Nota.

MOVEOR etiam ad ea quæ diximus. Quoniam Molina 1. part. quæst. 14. articu. 13. disputatione 6. censet, quòd effectus, qui totus est à Deo, & totus etiam à causa secunda, v. g. ab equo generante equū à quo est totus equs genitus, vt à causa vniuoca secūda subordinata Deo, neque est à Deo, neq; à secundis causis, vt à tota causa, sed vt à parte causæ, quæ simul exigit concursum & influxum alterius, non secus ac cùm duo portant lapidem, vel trahunt nauim. Defectuosum adducit exemplum, & contra seipsum, quia duo portantes lapidem, ita se habent, quòd mutuò se iuuant, & præterea vnus non subordinatur alteri, neque ab eo pendet quantum ad vim, quam habet. Imò verò in causando cum actu influunt in effectum, & in lapidem, quem portant, cùm sint partiales causæ illius tractus, influunt cum mutua dependentia inter se, eo quòd hoc sit proprium causarum partialium, quod minimè potest Deo conuenire: ergò. Quare Sotus in disputatione de causis 2. Physicorum censuit, inter diuisiones causæ computandam esse diuisionem in totalem, & partialem, sufficientem, & insufficientem, & de Deo censuit esse totalem causam, & sufficientem, de partiali verò causa dixit esse insufficientem, quod Deo conuenire non potest.

Tertia ratio ex impugnatione oppositæ sententiæ.

Tertia Conclusio.

Conclus. 3. DIco tertiò. Homo per facultatem liberi arbitrij precisè sumptam nullam habet efficientiam immediatam, siue totalem, siue partialem respectu operationum supernaturalium. Volo dicere potentias naturales per vim & facultatem suam precisè sumptam non

effi-

efficere immediatè etiam partialiter actus supernaturales. Hæc assertio deducitur ex superioribus, & quoad primā partem de efficientia totali manifesta est ex fide. Si enim homo per naturæ vires esset tota causa actuum supernaturalium non esset necessaria gratia: quod est hæresis Pelagiana.

Probatur hæc tertia conclusio.

Quoad secundam verò partem de causalitate partiali probatur etiam assertio hæc. Nam si naturæ vires præcisè sumptæ haberent immediatam efficientiam partialem in ordine ad actus supernaturales, sequeretur posse hominem solis naturæ viribus illos efficere, saltem imperfectè, atque adeò non esset absolutè & simpliciter necessaria gratia, vt posset homo simpliciter operari supernaturaliter, sed solùm vt perfectius & facilius possit. Quod damnatur expressè in Concilio Mileuitano cap. 5. & in Tridentino Sessione 6. canon. 2. ergò, &c. Sequela patet. Quia de ratione causæ partialis est quòd ipsa sola possit aliqua ex parte incompletè, & imperfectè producere effectū. Sanè si potentia per se concurrit ad supernaturalem actum, cùm ipsa in se sit naturalis, planè colligitur dari vires naturales ad efficiendum actum supernaturalem: quod est Pelagianum, & falsissimum.

Fuga huius argumenti euertitur.

Dices, vt aliqui volunt, & respondent. neque esse falsum, neque Pelagianum dicere in natura esse vires incompletas, & imperfectas ad supernaturalem actum, sed solùm esse Pelagianum dari vires sufficientes integras, & completas. Sed profectò responsio hæc indicat satis qualē habeant animum auctores eius: quod iudicet magister fidei summus Pontifex. Non enim in nobis est initium salutis & actus supernaturalis, partiale etiam in ipsa natura, aliàs vt dictum est homo habens vires incompletas, & partiales respectu actuum supernaturalium, nō diceretur non posse agere actum supernaturalem simpliciter, sed incompletè, & imperfectè, seu difficilius posse.

Suadetur secundò Cōclusio.

Moveor præterea: Quoniam ex oppositā sententia aduersariorum sequeretur quòd quanto perfectiores essent vires naturæ, tanto magis & perfectiùs posset homo conuerti ad Deū, & operari supernaturaliter cæteris paribus ex parte gratiæ, atque adeò per vires naturæ discerneretur vnus homo ab alio in negotio salutis æternæ, quod est contra Paulum dicentem, *Quis enim te discernit, &c.* Illationem huius consequentis videntur concedere in simili omnes illi, qui putant esse verum, aut probabile, quòd melior intellectus cū æquali lumine gloriæ propter acutiem naturalis potentiæ intellectiuæ melius videt Deum. Vnde qui hanc tenent sententiam non loquuntur consequenter, si negent illationem factam.

Tertiò.

Addvcor vlteriùs. Quia si natura dat partialem actiuitatē ad aliquod opus, sequitur quòd ad eandem naturam pertinet dare alterā partem, frustra enim daret vnā sine altera, ergò tota vis ad efficiendum actum supernaturalem procederet à natura, quod implicat. Nam certè si pars virtutis est naturalis, ergò naturaliter ordinatur ad talem effectū, ergo in ipsa natura debent esse reliqua requisita ad illum, & sic erit naturalis, quod non est ferendum, neque vllo pacto affirmandum.

Quartò.

Addvcor etiam. Quoniam omnis causa efficiens productiua alicuius effectus, & in ipsum influens est quæ in se habet vel actu vèl virtute, seu in actu virtuali, vel formali effectū quem producit, aliàs non esset causa efficiens, influens, & producens, quia causa efficiens verè continet effectum actu, vel virtute: ergò si causa secunda naturalis per vim naturalem partialem est verè causa agens supernaturalem effectum, sequitur effectum illum supernaturalem contineri in causa illa naturali actu, vel virtute partialiter, cùm habeat se vt causa partialis efficiens respectu effectus supernaturalis. Nam sicut causa efficiens est quæ præhabet in se actu, vel virtute effectum, quem producit, ita causa efficiens partialis præhabet in se effectum in actu virtuali, vel formali partialiter, aliàs non esset causa efficiens partialis ex vi sua. Est ergò minus consona veritati, & Philosophiæ, sententia, quæ dicit potentias naturales ex vi sua partialiter efficere actum supernaturalem.

Quintò.

Moveor rursus. Quoniam ex oppositā sententia sequeretur posse vires naturales in tantum crescere intra ordinem naturæ, vt sine aliquo auxilio gratiæ valeant efficere actus supernaturales. Consequens est contra fidem: ergò. Patet sequela. Nam defectus & imperfectio causæ partialis insufficientis potest suppleri per multiplicationem causarum partialium eiusdem ordinis, vel per intensionem virtutis eiusdem causæ partialis, vt si, verbi gratia, vnus homo est causa partialis portandi lapidem, tot poterunt multiplicari homines, vel tantùm poterit intendi vis naturalis eiusdem hominis, vt ipse solus possit portare totum lapidem. Si ergò vires naturæ perfectæ vt duo sunt causa partialis actus supernaturalis, tunc eædem vires naturæ perfectæ, vt centum, vel vt mille, erunt causa totalis, & sufficiēs eiusdem actus.

Sextò.

Ad hæc. Totus ordo rerum supernaturalium excedit longè ordinem rerum naturaliū, vt de se constat: ergò impossibile est quòd aliquid naturale secundùm se efficiat immediatè quid supernaturale, etiam partialiter & imperfectè, aliàs causa totalis particularis ex duabus partialibus cōpositā erit mixta ex naturali, & supernaturali. Sanè si datur illa partialis causa naturalis, etiam concursus, quem habet ex proprijs, est naturalis, ergò & effectus. Nam certè cuilibet causæ secundæ debetur generale auxiliū iuxta propriam naturam, nimirum naturale naturali, & supernaturale supernaturali, sicut omni causæ supernaturali debetur auxilium supernaturale & concursus supernaturalis, ergò etiam naturale naturali.

Nam naturale idem est quod debitum naturæ: ergò si auxilium generale debetur naturæ, eo ipso est naturale: quia si causa est naturalis, ergò & concursus, quem habet ex proprijs, est naturalis: ergò & effectus vt dictum est. Vnde certum est omnem concursum ad actum supernaturalem esse supernaturalem, & omnem cõcursum causæ naturalis ex vi naturæ agentis esse naturalem.

SOLET à quibusdam alia subijci ratio pro assertione posita, quæ talis est. Conclusio sequitur debiliorem partem, vna enim præmissa existente probabili tantùm, conclusio est solùm probabilis, licèt alia præmissa sit necessaria, & quando vna causa est contingens, etiam si alia sit necessaria, effectus est contingens: ergò pari modo, si vna pars causæ ipsius actus est naturalis, ipse actus erit naturalis, & non supernaturalis. Scio aduersarios in omne latus se vertere vt respondeant huic rationi, quæ quamuis non sit demonstratiua, certè nihil respondent quod possit conducere ad solutionem probabilem aut rationabilem.

Ex sacra Scriptura probatur cõclusio. Ioann. 15. D. Augu.

TANDEM hæc nostra sentẽtia videtur aperte colligi ex sacris litteris, & ex verbis Christi Domini Ioannis 15. *Sine me nihil potestis facere.* vbi egregiè perpendit Diuus Augustinus super Ioannem tractatu 81. non dictum esse sine me parum, aut difficilius potestis facere, sed nihil potestis facere: ad denotandum sine gratia Christi neque parum, neque multum fieri posse in negotio salutis, atque adeò neque partialiter, neque totaliter posse hominẽ solis viribus naturæ operari, quæ ad salutem pertinent. Ex quibus omnibus liquidò constat, quàm male loquantur auctores oppositæ sententiæ, imò verò etiam contra rectam Philosophiam.

Ad rationẽ dubitandi in principio respõdetur.

AD argumenta principio huius disputationis posita tempus est vt satisfaciamus. Quare ad rationem dubitandi in exordio positam respondetur negando minorem. Nam quamuis habitus infusi, & auxilia gratiæ, non sint formaliter quid viuens & liberum, virtualiter tamen habent proportionem vitalitatis, & quasi quendam modum illius, quatenus intrinsecè, & essentialiter sunt perfectiones, & formæ agentis vitalis, & liberi, ipsumque perficiunt per se & intrinsecè ad operandum, & agẽdum secundùm proprium modum agendi, & operandi talis agentis. Neque hoc est incredibile, nam etiam in naturalibus cernimus quòd anima rationalis, secundùm se, non est formaliter corporea, neque potest habere in se affectiones corporales, & tamen dat homini esse, & operari corporeum: Et calor atque aliæ primæ qualitates de se non sunt vitales, & tamen receptæ cum debito temperamento in re viuente tribuunt illi vigorem quendam vitalem, & sunt illi causa agendi, & operandi vitaliter: sic ergò quamuis habitus infusi, & auxilia gratiæ non sint quid viuens formaliter, neque dent animæ nostræ & eius potentijs viuere, aut esse simpliciter, dant tamen illi viuere supernaturale, ratione cuius possunt simpliciter elicere actus supernaturales vitaliter, & liberè. Vnde non est imaginandum quòd vitalitas, libertas, & supernaturalitas sint conditiones, quasi accidentaliter, & extrinsecè aduenientes actui ex diuersis causis, sed intelligere oportet quòd sunt modi intrinseci, & essentiales actui supernaturali, taliter quòd sunt de substantiali entitate illius, & se inuicem quodammodo penetrant, & intimè, ita vt nihil possit esse causa huius actus in indiuiduo, quantum ad vitalitatem, & libertatem, quin etiam sit causa eiusdem, quantum ad supernaturalitatem, neq; è conuerso: sicut enim intellectio quæcumque naturalis non habet ex vna causa quòd sit vitalis, & ex alia, quòd sit intellectualis, sed vtrumque habet ex eadem prorsus causa, nimirum ex intellectu, qui intrinsecè & essentialiter est potentia vitalis, & intellectualis: sic etiam actus credendi, vel amandi supernaturales ab eadem prorsus causa habent quòd sint vitales, & quòd sint taliter vitales, nempè vita supernaturali: & sicut fieri nullatenus potest, quòd potentia materialis, v.g. visus, vel auditus, quantumcumq; vitalis attingat propria virtute ad efficiendam vitalitatem intellectionis, quia illa vitalitas intrinsecè est spiritualis, ita etiam nulla ratione fieri potest, vt potentia naturalis propria virtute attingat effectiuè vitalitatẽ actus supernaturalis, quia talis vitalitas intrinsecè est supernaturalis. Quæ sanè responsio satis conformis est Theologiæ, & Metaphysicæ.

Soluuntur plures difficultates.

Ad primũ argumentũ ex recentioribus.

AD argumenta recentiorum. Ad primum eorum fatemur de fide esse liberũ arbitriũ concurrere effectiuè ad actus supernaturales, & non se habere merè passiuè, ac proinde tã gratiam, quàm liberum arbitriũ ad supernaturales actus ita cõcurrere effectiuè, vt nõ se habeant, aut tanquã duo agentia totalia, aut tanquã duo partialia, sed tanquam vnum simplex & indiuiduum agens. Neque obstat quidquam quòd hæc duo distinguantur in esse rei per modum partium constituentium vnum totum per accidens. Stat enim vt ea, quæ sunt plura in esse rei, sint vnum in ratione causæ actiuæ, & completæ, vt anima, & corpus sunt duæ partes realiter distinctæ componentes vnum totum, & tamẽ in ratione causę effectiuę & actiuę, respectu alicuius operationis, non sunt plures causæ actiuæ, sed vna sola, quia tota vis actiua cõuenit viuẽti ratione formę. Itaq; stare potest quòd causa efficiens habeat partes in esse rei, & nõ in ratione efficiẽdi, quia debet considerari, vt vnum simplex & indiuiduum agens, cæterùm nihilominus oportet perpendere, quòd liberum arbitrium de se habet actiuitatem respectu actuum naturalium, ratione cuius eleuari potest, ad hoc, quòd mediãte gratia, tãquã ratione agendi efficiat actus supernaturales: sicut enim essẽtia animæ precisè sumpta nõ est formaliter

Gratia & liberum arbitrium non se habẽt vt plura agentia totalia, aut partialia: sed tanquam vnũ simplex, & indiuiduũ agens.

& im-

& immediatè productiua alicuius actionis, etiam naturalis, benè tamen radicaliter, & mediatè in quantum nata est habere potentias actiuas, nimirum intellectum, & voluntatem, ita etiam eadem anima, & eius potentię in esse naturæ præcisè consideratæ, non habent vnde formaliter & immediatè possint efficere actiones supernaturales, tamen remotè, & quasi radicaliter habent quòd possint eas efficere, sed mediante gratia, & vi aliqua supernaturali, quatenus natæ sunt, & aptæ eleuari ad hoc per obedientialem potentiam, propter magnam, & ingentem latitudinem obiecti adæquati ipsius intellectus, & voluntatis, quod est verum & bonum, vt abstrahit à naturali, & supernaturali, licèt obiectum proportionatum, & connaturale intellectui creato, & voluntati creatæ, tantùm sit verum, & bonum ordinis naturalis. Ex quibus constat negandam esse consequentiam argumenti.

Ad secundum respõdent quidã.

AD secundum quod militat pro eisdem recentioribus simul cum sua confirmatione, plures Theologi sentiunt esse verum, quòd liberum arbitrium ad actus supernaturales tantùm concurrit per modum agentis instrumentalis, hoc tamen non impedire, quin verè seipsum moueat in illis actibus, sitque laude, & præmio dignum propter illos, quia non concurrit tanquam instrumentum emortuum, & inanime, sed tanquam instrumentum viuens intellectuale, & liberum. Neque mirum quod liberum arbitrium dicatur instrumentum Dei respectu actuum supernaturalium, quoniam omnes secundæ causæ tàm necessariæ, quàm liberæ, comparatæ ad eum, sunt quodammodo instrumenta ipsius, in quãtum omnia faciunt per virtutem acceptam ab ipso, & secundùm quòd ab illo mouentur per vires, & inclinationes, quas naturæ vniuscuiusque causæ indidit. Sed quoniam hæc solutio multa inuoluit difficilia suo loco euoluenda, aliter respondere oportet. Respondetur igitur multò melius liberum arbitrium aut certè hominem per ipsum concurrere ad actus supernaturales per modum causæ secundæ principalis. Quia licèt concurrat per virtutem intrinsecùs acceptam à Deo, & propriæ naturæ superadditam, est tamen virtus illa sibi appropriata & accomodata prout oportet, vt seipsam per illam vitaliter, & liberè agat, & moueat, non minus quam per virtutem naturalem mouet seipsum ad actiones ordinis naturalis: Quare sicut aliæ causæ secundæ simpliciter, & absolutè vocantur, & dicuntur causæ principales, quia à se habent formam per quam agunt, licèt secundum quid possint dici instrumenta Dei, ex eo quòd illam formam acceperunt à Deo à quo pendent in vsu, & exercitio propriæ virtutis operatiuæ, multo magis quàm serra, & aliud instrumentum ab artifice, ita etiam liberum arbitrium eleuatum per gratiam; seu habitum infusum, vel per aliud auxilium sibi inhærens, aut certè homo cum libero arbitrio sic eleuato dici debet simpliciter, & absolutè causa principalis actuum supernaturalium in suo ordine, & gradu, nimirum vt causa secunda particularis proxima, quia per illam eleuationem habet homo in seipso formam, qua potest seipsum agere, & mouere ab intrinseco, prout solent seipsa mouere, quæcunque agunt vitaliter, & liberè. Sed sicut aliæ causæ secundæ dicuntur secundùm quid instrumenta Dei, ita etiam, & maiori cum ratione, homo sic eleuatus per auxilium vel per habitum potest dici instrumentum Dei in ordine ad actus supernaturales, non tamen dicitur instrumentum gratiæ, vel auxilij inhærentis, quia huiusmodi formæ non sunt id quod agit, sed ratio agendi, siue id quo agit homo, & liberum arbitrium eius. Et per hæc patet ad confirmationem.

Tenenda solutio.

Ad tertiũ.

AD tertiam rationem pro eadem opinione respondetur: ex illo modo loquendi de gratia operante & adiuuante solùm haberi, & colligi, gratiam nullatenus potest producere actus nostros supernaturales absque eo, quòd nos pariter illos efficiamus per liberũ arbitriũ. Hoc tamen non tollit quin tota ratio agendi respectu illorum actuum sit ipsa gratia, sicut tota ratio producendi visionem corpoream est potentia visiua, & tamen nequit huiusmodi potentia elicere visionem, nisi per organum corporeum, cui inhæret. Vnde sicut dici potest quòd potentia visiua iuuat oculum ad videndum, aut quòd cooperatur cum illo, ita etiam rectè dicitur quòd gratia adiuuat liberum arbitrium, ipsique cooperatur ad producendum liberè actus supernaturales.

Corollariũ, quomodo cõcurrat liberum arbitrium ad supernaturales actus: vel potius quomodo non concurrat.

EX dictis colligitur, modum quo gratia, & liberum arbitrium concurruntad actus supernaturales per modum vnius causæ & principij esse singularissimum, neque habere alium omnino similem in naturalibus; non enim concurrunt sicut Petrus, & Paulus ad portandum lapidem, quem singuli portare non possent, quia tàm Petrus, quàm Paulus habent de se, & ex propria natura aliqualem virtutem ad portandum lapidem, neque vnus confert alteri virtutem aliquam, gratia verò confert libero arbitrio vim operandi supernaturaliter. Neque etiam concurrunt sicut obiectum, & potentia, aut sicut species visibilis, & visus ad videndum, obiectum enim & species non tribuunt potentiæ visiuæ facultatem videndi ex parte principij actiui, sed determinant quodammodo facultatem naturalem potentiæ visiuæ, quantum ad specificationem actus, gratia autem tribuit libero arbitrio facultatem, & posse simpliciter operari supernaturaliter. Neque etiam concurrunt sicut habitus acquisitus, & potentia naturalis informata per ipsum; talis enim habitus

non dat simpliciter posse operari, sed tantùm dat meliùs & facilius posse, gratia verò dat simpliciter posse, & non tantùm facilius aut melius exercere, & efficere actus supernaturales, vt expressè definitur in Concilio Meliuitano, capite quinto, & in Tridentino Sessione sexta, canone secundo. Neque etiam concurrunt sicut materia, & forma ignis ad calefaciendum. Quia materia etiam informata non calefacit verè & propriè influendo actiuè, at verò liberum arbitrium informatum gratia verè influit actiuè ad operationes supernaturales. Multò autem minus concurrunt tanquam subiectum, & accidens illi extraneum, verbi gratia, aqua, & calor. Quia aqua omninò per accidens se habet ad calefactionem, neque concurrit actiuè ad illam, nisi vt deferens, vel sustentans formam agentem. At verò liberum arbitrium requiritur tanquam principium actiuum ad actus supernaturales, qui sunt credere, diligere, & similes: cùm enim isti actus ex propria ratione sint actus intelligendi, & volendi, intrinsecè petunt quòd actiuè profluant ab intellectu, & voluntate: sed quamuis hæc omnia similia non sufficiant ad explicandum perfectè modum, quo liberum arbitrium, & gratia concurrunt effectiuè ad prædictos actus supernaturales, id tamen explicant aliqualiter & imperfectè. Potissimum verò explicari potest similitudine superiùs posita de essentia animæ, & eius potentijs in ordine ad actus naturales. Existimandum enim est, quòd sicut per creationem producitur anima cum facultate naturali ad intelligẽdum, & volendum obiecta ordinis naturalis, ita etiam per infusionem gratiæ creatur quodammodo secundùm aliud nouum esse supernaturale, & transfertur anima cum suis potentijs ad alium ordinem operationum supernaturalium, vt in superioribus sæpè sæpius diximus.

Exemplum de anima & ipsius potentijs aptius ad id explicandum.

Ad argumẽta, quibus probare nitebãtur quidam, esse in libero arbitrio partialem vim innatã ad actus supernaturales.

Ad primũ.

Restat dissoluere argumenta illa quatuor cum suis confirmationibus, quibus aduersarij conantur ostendere vim & innatam virtutem naturæ, effectiuè concurrere vt partialem causam ad actus supernaturales. Ad primum igitur istorum de charitate vt duo, qua voluntas elicit aliquando dilectionem vt quatuor: respõdetur, quòd quãdo homo charitate habituali vt duo elicit actum intensiorem, seu dilectionem vt quatuor, tunc semper efficit intensionem illam maiorem ex maiori connatu supernaturali, ad quem Deus præstat maius auxilium: quare maior vel minor conatus etiam prouenit à voluntate Spiritus sancti. Quare in forma respondetur ad argumentum negando consequentiam. Quod si de potentia absoluta Deo suplente vim auxilij extrinseci liberum arbitrium eliceret opus supernaturale, tunc sanè Deus suppleret auxilium, sustineretque vices illius, illiusque vires, vim, & efficientiam, subordinaretque tunc liberum arbitrium creatum sibi, atque virtus naturæ non se habet vt causa partialis ad actus supernaturales.

Ad secundũ

Respõdetur secundò.

Ad secundum de Sacramentis, quæ eleuantur supernaturaliter nulla in se recepta forma aut qualitate, respondetur primò: Sacramenta esse plura instrumenta, liberum autem arbitrium non esse purum instrumentum, vt dictum est. Secũdò respondetur quòd instrumẽta mouentur à principali agente, recipiuntque motum artificiosum ab eo, & pari modo Sacramenta mouentur à Deo principali agente, & eleuantur à Deo ad dandam gratiam, sed recepta vi & motione Dei. Quare ex hoc non potest inferri id quod consequentia argumenti intendit, ac proinde neganda est, præcipuè quoad eam partem, quæ dicit, & colligit, quòd tunc intellectus & voluntas concurrent ex vi actiua innata illis, vel quòd solùm merè passiuè se habebunt, vtrumque enim est falsissimum, & non est ferẽdum, & præcipuè hoc vltimum est contra fidem.

Ad tertiũ.

Ad tertiũ de lumine gloriæ, respõdetur: lumen gloriæ esse, quo mensuratur visio beatifica, & intellectum elicere visionem iuxta eius vim, & quantitatem, ex hoc tamen non colligitur, quòd intellectus non concurrat actiuè ad visionem, quia intellectus lumine gloriæ affectus factus est Deificus, & supernaturalis, tanquam quoddam agens simplicissimum in alio ordine ad quẽ eleuatus est. Quo fit vt visio illa, quæ est operatio omninò supernaturalis, & mensura atque perfectio eius non expendatur ex naturali potentia, sed ex lumine gloriæ superaddito. Dico ergò intellectum concurrere quidem actiuè ad visionem beatificam, non sanè per propriam naturalem actiuitatem, sed per supernatutalem, sibi communicatam ex lumine gloriæ, & idcircò perfectio visionis reduci debet in ipsum lumen gloriæ. Ad confirmationem respondetur, eam inuoluere difficultatem illam, vtrùm liberum arbitrium, & agens supernaturale concurrant ad supernaturales actus tanquam partialia agentia, vel totalia subordinata. Et sanè satis erant ea quæ diximus cuilibet disciplinato intellectui: Cæterũ, quia res est difficilis, sentiendum est quòd liberum arbitrium diuino auxilio eleuatum reputatur vna causa, & vnum agens, Deus autem, qui auctor est gratiæ, neq; est, neq; dici potest partialis causa. Nam de ratione agentium partialiũ est quòd mutuò se iuuent respectu effectus, & quòd vnum non sit alteri subordinatũ in vi agendi, quia hæc subordinatio, tantùm conuenit causis totalibus inferioribus, teste Aristotele: liberum autem arbitrium eleuatum auxilio supernaturali est causa secũda particularis, & subordinatur Deo in vi agendi, ac proinde non sunt agentia partialia, aliàs inutilis redderetur distinctio causarum totalium à partialibus. Vnde si liberum arbitrium eleuatum diuino auxilio, & Deus suo influxu, & concursu agens, sunt partialia agentia, pari modo omnes secundæ causæ naturales,

Ad confir.

erunt

erunt partiales respectu Dei auctoris naturæ, quod dici non potest. Nã certè de ratione agentium partialium est vt simul constituant vnum totale, & quòd neutrum pendeat ab altero in agendo, hoc est in virtute causandi, sed effectus pendeat ab vtroq; : At Deus non pendet à secũda causa creata, & rursus Deus ex vna parte, & liberum arbitrium cum diuino auxilio ex altera sunt duæ causæ subordinatæ, sicut equus generans, & Deus cum ipso concurrens. Nam liberum arbitrium constitutum in actu primo, per auxilium non minus in suo ordine est sufficiẽs ad supernaturales actus quàm equus, verbi gratia, ad generationem equi, & tandem liberũ arbitrium ita subijcitur Deo, & connectitur cũ eo vt quamuis liberũ arbitrium in virtute agendi, & operandi dependeat à Deo, non tamen è cõuerso, sicut euenit aliàs in causis partialibus. Quo fit vt Deus & liberum arbitrium non sint duæ partiales causæ, sed potius totales, & vna subordinata alteri, nimirum liberum arbitrium creatum ipsi Deo.

Si tamen expendamus liberum arbitrium ex vna parte, & auxilium gratiæ Dei ex altera, adhuc sentiendum est non concurrere, vt duo partialia agentia, si propriè loquẽdum est, & iuxta Philosophiam, quoniam partialia agentia necessariò habere debent virtutem eiusdem rationis, sed liberum arbitrium creatum, & supernaturale auxilium gratiæ non sunt eiusdem rationis, ac proinde neq; sunt partialia agentia. Sanè Petrus & Paulus portantes lapidem habent vim baiulandi, & potentiam portandi, vel trahendi eiusdem rationis; & similiter duo calores determinati ad productionem alterius caloris. Adde etiam quòd agentia partialia debent, se iuuare mutuo ad effectum, ac proinde habere debent virtutem eiusdem rationis ad causandum effectum, quia illa quæ differunt specie in causando, nisi subordinata sint, quæ subordinatio est contra rationem causæ partialis, non se iuuant ad effectum: constat enim quòd frigiditas non iuuat calorem ad calefaciendum. Fauet etiam quòd hæc virtus partialis, quam aduersarij dicunt habere liberum arbitrium ad supernaturales actus, vel conuenit illi ex vi suæ proprię naturæ, & hoc non, quia sapit Pelagiũ, vel conuenit libero arbitrio ex Dei gratia: quòd si hoc dicatur, apertè sequitur liberum arbitriũ in se non esse partialem causam, vt distinguitur à diuino auxilio, quod est gratia actualis Dei, & ex consequenti neque auxilium diuinum esse partialem causam, nam destructa vna parte, altera deficit. Et profectò si ex vi propriæ naturæ liberum arbitriũ est virtus partialis supernaturalium actionum non multum receditur à Pelagio, qui volebat liberum arbitrium esse partem gratiæ Dei, eò quòd ex vi propriæ suæ naturæ (vt ille ait) est virtus partialis, sufficiens vt minimum ad supernaturales actus.

Obiectio.

Sed dices liberum arbitrium creatum non causat actus supernaturales vt causa partialis, neq; vt causa totalis, neque vt instrumentalis: quia si solum esset instrumentum non esset causa libera: ergo nullo modo causat. Respondetur quòd auxilium Dei, & liberum arbitrium non comparantur inter se vt duæ causæ, sed solum esse vnicam causam completam secũdam, Deo subordinatam ad supernaturales actus, tanquã primo auctori gratiæ. Nam certè cum de ratione causæ sit quòd habeat virtutẽ causandi, quia per hoc constituitur in ratione causæ, cum virtus hæc sit vna tantum in ipso libero arbitrio auxilio gratiæ perfuso, & eleuato, sequitur quod tale auxilium gratiæ obtinet rationẽ virtutis potentialis supernaturalis, & quendam illius modum. Quo fit ipsum liberum arbitrium esse vnicam causam completam cum illo auxilio supernaturali Dei. Quocirca non est constituenda virtus naturalis in ipso arbitrio ad actus supernaturales, id enim sustineri non potest; sed potiùs liberum arbitrium eleuatũ auxilio Dei est vnica causa, vt dictum est, quia tota virtus agendi vt quo, est auxilium ipsum; sicut etiam in Philosophia proportione quadam, quamuis exemplum non sit omnino simile, ignis, & calor non sunt duæ totales calefaciendi, sed vnica totalis & completa.

Refutatur.

Igitvr ad confirmationem fatemur nullà rationi fieri posse vt liberum arbitrium effectiuè concurrat ad supernaturalem actum, nisi superaddito illi supernaturali auxilio conferente ei vim, ex eo quòd traducit, & eleuat liberum arbitrium ad supernaturalẽ ordinem: negamus tamen quòd hoc fiat intendendo vim naturalem liberi arbitrij, sed potius transferendo ipsum ad ordinem supernaturalem, ipsumq; Deifi cum constituendo. Quare non fit hoc per intẽsionẽ virium naturalium liberi arbitrij, vt optimè in eadem confirmatione ostenditur.

Ad secundã cõfirmationem.

Ad secundam confirmationem eiusdem argumenti dico: quòd cum liberum arbitrium, & auxilium gratiæ actualis Dei, quod in ipso est veluti forma, & ratio agendi, transferat ipsum ad ordinem supernaturalem, non se habent vt duæ causę totales, neque vt duæ partiales, sed liberũ arbitriũ in eo casu se habet simul cũ auxilio, vt vnicum agens, & vnica causa, sicut hactenus explicatum est à nobis. Quòd si quis interroget, an sit aliqua subordinatio inter liberum arbitrium & auxilium gratiæ Dei, sentio quòd sicut gratia perficit naturam, ita quidem subordinat illam sibi, non quidem quòd natura actiuè ex viribus suis agat supernaturale opus, sed quòd dum transfertur intellectus, quasi in supernaturalẽ actiuitatem, accipit vim & potestatem agendi, veluti vnum nouũ agens: subordinatio verò, quæ propriè constituitur à Philosophis, & Theologis in ratione causandi & agẽdi, solũ reperitur vel inter duas causas totales, vel in eodẽ ordine naturæ, vel in eodẽ ordine gratiæ, vel inter instrumentum, & ipsam causam principalem, à qua assumitur: & hoc in præsenti casu, de quo loquimur, non inuenitur, quamuis sunt qui reputent nullum esse inconueniens liberum arbitrium subor-

dinari diuino auxilio, sicut inferiora superioribus, quatenus subijciuntur illis.

Ad quartũ. Ad quartum: negatur sequela, nimirũ quòd ad actus supernaturales liberum arbitrium sit instrumentum, sic enim non concurreret liberè ad actum conuersionis, neq; ad actum credendi, & diligendi Deum si vt instrumentum alterius agentis se haberet. Vnde explodenda est eorũ sententia, quæ censet liberum arbitrium hominis Viatoris in operibus supernaturalibus Fidei, Gratiæ, & Charitatis non se habere vt causam secundam verè & propriè, sed tantum vt instrumentum: cuius oppositum censuit, & docuit S. Thomas. 2. 2. q. 23. ar. 2. vbi impugnat sententiam illam, quæ dixit esse instrumentum, & explicans propriam mentem statuit voluntatẽ, & liberum arbitriũ cum Dei gratia esse causam principalem secundam ad supernaturales actus conuersionis, & dilectionis Dei, &c. Sanè causa principalis libera illa est, quæ habet intra se sufficientem vim actiuam proportionatam, & connaturalem ad actus supernaturales: At liberum arbitrium auxilio Dei confortatum, & eleuatum, intra se habet hanc vim commensuratam & connaturalem diuinam, & se agit, & mouet in sua actione: ergo liberũ arbitrium eleuatum auxilio Dei, verè est supernaturalium, actionum causa.

Obiectio. Qvòd si dicas, ex dictis solum ostendi ipsum auxilium gratiæ Dei esse principalem causam, non tamen ipsum liberum arbitrium, quod quidem cùm ex vi suæ naturæ non operetur supernaturales actus, solum erit instrumentum ratione auxilij, quo mouetur à Deo. Sed respondetur, quòd liberum arbitrium secundùm naturam suam non habet vim vllam ad supernaturales actus, at verò dum transfertur in alium ordinem entium supernaturalium, in quo cõstituitur in actu primo supernaturali habet vim, tanquam vnum agens indiuiduum, quod non distinguitur in vi, & ratione causandi à forma, & auxilio Dei. Et sanè cùm vbi nulla est vis agendi nulla reperiatur causalitas effectiua, sequitur quòd cùm in libero arbitrio purè naturali nulla reperiatur vis agendi ex viribus suis, nulla causalitas esse possit in eo, nisi ad alium ordinem, & ad aliud genus entiũ transferatur. Quare vlterius sentiendum est, quòd si liberum arbitriũ esset instrumentum, & haberet in se virtutem instrumenti innatam ad supernaturales actus, tunc ipsi naturæ esset debitus concursus gratiæ, quòd est contra rationem concursus gratuiti, qui nulli rei naturali est debitus. Igitur ad argumentum sentio liberum arbitrium esse principalem causam supernaturalium actionum, cùm operetur vt agẽs supernaturale constitutum in alio ordine supernaturalium agentium per virtutem formæ supernaturalis, quam in se habet. Rursus etiam concurrit vt causa principalis ad supernaturales actus, eo quòd sunt vitales supernaturaliter ob eleuationem factam, & ita negatur sequela argumenti: neque est simile de aqua, quæ quamuis operetur ex virtute susceptа, tamen ipsa virtus susceptа est quæ agit, substantia autem aquæ solum conseruat calorẽ & non est quæ agit, quia solũ se habet vt sustentans alienum instrumentum, nimirum ignis.

Quorũdam recẽtiorum sententia. Svnt recentes & moderni Theologi, qui, vt ostentationem aliquam ingenij sui ostendãt, putant liberum arbitrium hominis, & Angeli esse naturalem potentiam formaliter; virtualiter tamen, & eminenter esse supernaturalem potentiam, cùm liberum arbitrium sit spiritualis potentia, & quasi superioris ordinis amplissimi & transcendentalis, & quæ diuisa, & partita sunt in inferioribus, in superiori natura eminenter & virtualiter adunentur. Idque confirmare solent. Quia liberum arbitriũ verè influit in actus supernaturales conuersionis, charitatis & Fidei, quod esse non posset, nisi liberum arbitriũ hominis esset supernaturalis potentia eminenter, & quasi virtualiter. Nam causa efficiens præhabet in se effectum, quem producit, & quem non præhabet, præstare minimè potest, cum neque sit in actu primo respectu illius, neque in potentia connaturali ad ipsum: ergo.

Alter modus dicẽdi. Svnt etiam alij nouiores, & recẽtes Theologi, qui intellectum, verbi gratia, creatũ dicãt, ex eo quòd est superioris ordinis, & vniuersalissimæ naturæ viuentis, esse vnam tantum potentiam formaliter, & duas virtualiter, & eminenter, quod in idem reddit; & idem sentiunt de voluntate creata: quod qua ratione sustineri possit ego non video. *Primò* enim, intellectus hominis, & Angeli consideratus secundùm se, est ens naturale intra naturæ ordinem contentus, & non est proportionatus secundùm se cum obiecto supernaturali. *Secundò*, esse eminenter ens supernaturale pertinet ad rationem actus eminentis, & consequenter postulat eminentia illa supernaturalitatis substantiam entitatis cũ quadã proportione ad ens supernaturale, quod non est donandum intellectui creato naturali. *Tertiò*, Quia continere eminenter aliquid supernaturale in propria entitate, est facere entitatem continentem, non solũ proportionatam entibus naturalibus, sed etiam proportionatam enti supernaturali. *Quartò*, Quia si intellectus humanus habet duplicem rationem potentiæ, vnam naturalem, & alteram supernaturalẽ, sequitur quod quatenus est potentia eminenter supernaturalis, habet obiectum specificatiuum supernaturale propriè specificatiuum, sicut & ipsa potentia intellectus eminenter propriè asseritur supernaturalis ab auctoribus qui illud defendunt. *Vltimò*, Tandem, si intellectus & voluntas sunt potentiæ supernaturales eminenter & virtualiter, sequeretur quod eminẽter essent quidquid pertinet ad ordinem gratiæ, & quidquid pertinet ad ordinem supernaturalem, atq; adeò sicut Sol, qui eminenter est calidus producit calorem cum generali concursu ordinis naturę, pari ratione cum solo generali concursu, intellectus & voluntas possent producere actus supernaturales, & entia supernaturalia, quod non est ferendum. Imò verò si intellectus, & voluntas

eminenter & virtualiter sunt potētiæ supernaturales, apertè sequeretur quòd nō essent necessarij habitus supernaturales ad actus supernaturales, sed sufficeret talis potentia intellectiua, autvolitiua eminenter supernaturalis. Nam cum ipsa sit potentia operatiua & effectiua, & eminēter supernaturalis in ratione causæ, nihil deficeret ei nisi concursus ad supernaturales actiones. Quocirca explodēda est hęc sentētia: solùm ergò perpēdendū est, quòd sicut Metaphysica estvna scientia in specie, specificata tamen ab vno obiecto analogo, nimirū ab ente secundùm totam suam latitudinē, & vt abstrahit à substantia & accidenti, & ab ente reali, & rationis, ita quidē intellectus vnicā habet rationē specificam potentiæ, quamuis obiectū eius sit analogū, & nonvnicum in specie: cùm enim intellectus sit quædā potentia vniuersalissima se extēdens ad intelligibile, sequitur obiectū eius non esse limitandū advnicam rationē specificā, sed ad vnam analogam, & ita ens vt analogū ad ens naturale, & supernaturale est obiectū ipsius intellectus sub illa ratione analoga, non tamen sub eadem ratione cognoscibilis, quia vt sic nō habent eandem rationem specificā, sed genere diuersam. Quia ratio cognoscibilis inæqualiter participatur ab vtroq;, & ob id creatus intellectus diuersimodè inclinatur ad ens naturale, & supernaturale, ad naturale quidē naturaliter, ad supernaturale supernaturaliter, cùm ipse intellectus quādo ad supernaturale inclinatur in particulari id habeat ex supernaturali forma, quā recipit. Cæterū specificatio eius est ab ente prę cisè vt sic & analogo antequā descendatur ad rationem specialē supernaturalitatis: de qua rē nos fusiùs olim 1.p.q.12.art.1.disp.1.diximus.

Intellectus vnicam habet rationē specificā potentiæ quāuis eius obiectū sit vnū solum analogicè.

Ad confirmat.4.arg. Nota.

Denique obseruare oportet quòd liberū arbitrium creatum verè eleuatur per auxilium gratiæ Dei vltra obiectum sibi connaturale & proportionatum in ipsa productione actuū supernaturaliū, nō tamē dicitur eleuari vltra obiectum specificatiuū, quod est ens analogū vt abstrahit ab ente supernaturali secundū rationem analogam, hoc est antequam intelligatur quasi descendere ad analogatum quasi naturale. Quæ sanè doctrina explicari potest hoc exemplo. Nam si v.g. potētia visiua Petri, aut Pauli intueretur lucē Solis prout in ipso est, potētia visiua nonconcurreret vt instrumentū, quamuis lux illa improportionata esset illi potētię, nisi v.g. confortaretur oculus. Ex his cōstare potest solutio ad confirmationem: non enim intellectus eleuatur extra latitudinem sui obiecti specificatiui, quod est analogum, vt dictum est.

Aduersariorum vnicū fundamentum.

Adhvc tamen nouiores Theologi volunt intellectum cum auxilio gratiæ actualis, & similiter voluntatem esse instrumentum: Quia vt putant causa secunda non agit nisi instrumentum primæ: ergò multò magis liberum arbitriū erit instrumentum, saltem viuum, vt ipsi explicant. Est enim de ratione propria instrumenti, quod non agat nisi vt motum à principali agente, à quo recipiat complementū virtutis agēdi per virtutem transeuntem, vt videre licet in artificialibus in quibus hoc euidentissimè cōstat. Sed profectò hoc aduersariorū fundamentum non est efficax omninò. Primò quidē: Quia cōmunis illa enunciatio de instrumentis, quòd instrumentum non agit nisi vt motū à principali agente, ab eo recipiēs virtutē quasi transeūter, non est omninò incōcussa, si intelligatur de motu recepto in instrumento. Nam certè calor verè est instrumentū ignis, seu animæ ad substantialem formam inducendam, & tamen nō agit per aliquā præmotionē, quā calor ipse recipiat in se. Rursus phantasma quòd est instrumētū in productione speciei intelligibilis non apparet antequā prę motionē recipiat. Quocirca quòd dicitur de libero arbitrio quòd est instrumentū non video cur dici possit. Præterea ipsæ secūdę causæ impropriissimè dicuntur instrumenta, nō enim in rigore Philosophię aut propriè dicuntur instrumenta, sed magis dicūtur principales causæ secundæ in suo ordine, quoniā agūt proportionata virtute & intima, q̄ est cōmune in schola D. Thomæ, & Scoti etiā. Dicūtur ergò ab aliquibus causæ secūdæ esse instrumētaDei, per quandam comparationem, idq; ad explicādam imperfectionem secundarum causarū respectu Dei, & ad explicādā dependentiā quam habent à Deo. Itaq; secundæ causæ cōparantur instrumētis, quia instrumenta solent habere virtutem suam ab agente principali eorū, & pari modo secundæ causæ eam habēt à Deo. Rursus etiam dicuntur instrumenta, quoniā agens principale solet influere in instrumētū ipsum., quod præcipuè est verum quando est coniunctum, quod conuenit secundis causis, quia Deus influit in eas, non solùm ipsas conseruando in entitate sua, sed præmouendo, & applicando, excitando, & quasi reducendo de actu primo ad secundum, vel de potētia ad actū. Adde etiā quòd actio instrumenti est etiā actio principalis agētis, & nō dissimiliter omnino actio secūdæ causæ est etiam actio Dei. Tandem causæ secundæ dicuntur ab aliquibus instrumenta Dei præter rationes assignatas, quia instrumentū in actione sua nititur in agēte principali, cuius dicitur instrumentum, & hoc pacto agentia creata nituntur in virtute diuina, & verè dicuntur agere in virtute Dei, cum sint participationes quædā diuini esse, & non possint simile esse producere nisi fulcitæ à Deo, & iuuatæ, cum Deus sit esse per essentiā, & virtus per essentiā. Sed tota hęc doctrina inferiùs fusè est à nobis examinanda. Quid autē fluat in instrumenta separata, quæ sunt suppositā distincta, & in intellectū, & volūtatē, quæ sunt potentiæ viuētes præter formā quam habent, quæ est ratio agendi, non est huius loci, alibi enim de hac re multa diximus.

Repellitur.

Causæ secūdæ impropriè dicuntur instrumenta.

Illa autē difficultas de intellectu Angeli, aut Christi Domini eleuato lumine gloriæ, an perfectiùs videat Deum propter acutiē, quā habet, quamuis ex his quæ diximus soluta sit, tamē nō est huius loci. De ea nos fusè diximus 1. p.q.12. & solet disputari à Theolog. 3.p.q.10.

DISPVTATIO IIII.

De auxilio efficaci, & sufficiente, & quid sint.

REM difficilē aggredior, in qua nobis colluctatio est in medio mari, vbi valida tempestas orta, plures ita deterruit, vt putarent se non posse portum attingere. Sentio tamen Fidei magistrū summum Sacerdotem, & Pontificem Ecclesiæ non posse non attingere veritatem Fidei, neque posse decipi aut errare, si vt Pontifex summus, & magister Fidei definiat. Neque est cur vllum hominum genus ex Catholicis terreat os Pontificis, eiusque decretum, & definitio in re tam graui, & magni momenti: Nam certa fide profitemur summū Pontificem errare non posse in rebus fidei definiendis. Quo fit vt nisi quis veritatem timeat, neque etiam Pontificis summi definitionem est cur expauescat.

Sub iudicelis est constituta.

CLEMENS VIII. Pontifex Maximus, Catholicæ Ecclesiæ Princeps, qui nunc viuit, & regnat, litem, & controuersiam de efficacia gratiæ actualis Dei ad se vocauit: eam definire (magnaq; cum diligentia ipsam euoluens, accersitis ad se doctissimis Theologis, imò verò auditis vt ita dicam litigatoribus) nunc desiderat, & vult. Cùm igitur multo tempore, diuque ipse & censores, nulli parcentes labori ea in re intenti fuerint, ac insudauerint nihil sanè superest, quod ad summum Pontificem attineat pro bono definiendi, quod gestum non sit in re tanti momenti: implorandus igitur est Spiritus sanctus, oranduſque vt ipse Pontificis animum inclinet, & moueat, vt definitionem hanc edere, & promulgare velit. Faxit Deus, vt hisce temporibus cernere valeamus felicem & exoptatum hunc diem, ne medijs & multiplicibus maris vorticibus, & anfractibus implicemur. Ego sanè quia verè credo, & cognosco summū Pontificem veritatem nobis esse traditurū, quidquid ipse definiat, & tradat vt summus Pastor & Pontifex Chatholicæ Ecsiæ, id amplector, & magna cum veneratione suscipio, & hoc iter peragendum esse à Catholicis sentio, neq; est cur vllus summi Pontificis definitionem & decretū expauescat, & timeat nisi veritatem definiri timeat, aut de summi Pōtificis definitione & potestate dubitet.

Variè sentiebant quotidie recentiores quidam.

RES igitur quæ in hac quarta disputatione à nobis proponitur differenda continet difficultatem quæ in ore omnium hodierna die versatur de auxilio sufficienti, & efficaci. In qua re multi tā multa dixerunt, vt vix quid vnusquisque sentiat dicere possimus. Nam in exordio, retroactis diebus, qui cœperunt dubitare de hac distinctione sufficientis auxilij, & efficacis, cōstantes omninò non erant. Mutabant enim vel sententias sæpè, vel modos dicendi de efficacitate gratiæ actualis Dei, illiusque sufficientia, donec publicè ediderunt volumina, in quibus sensum, & mentem propriam explicuerunt. Referam ergò fideliter eorum placita ex eorum scriptis, & assertionibus, vt ipsi facilius cōuincantur.

LVDOVICVS Molina in Concordia, quæst. 14. articulo 13. disputatione 38. se excusare volens à negatione illius distinctionis auxilij Dei in sufficiens, & efficax, cùm ex præcedentibus, quæ in ea disputatione dixerat, res hæc videretur difficilis apud eum, subiungit hæc ante quintum assertum, pagina 232. in hæc verba prorumpens. *Antequam quintum assertum subijciamus sciendum est, nos non negare communem illam distinctionem auxilij sufficientis, in efficacem, & inefficacem, ita tamen vt efficax libertatem arbitrij, ac proinde meritum & laudem ab eo non tollat, sed in potestate ipsius sit, nihil tali auxilio impediente, non conuerti, atque adeò cassum, inefficaxq; illud reddere, & ita vt sufficiens inefficax auxilium, verè in se ipso sufficiens sit, per arbitriumque ipsum stet, quòd illo non conuertatur, atque adeò quòd efficax non sit, vt eo pacto, & ratio auxilij sufficientis integra in eo auxilio maneat, & arbitrij libertas, vt conuertantur, per seueret in ijs, qui cùm præsto sit Deus illis, quantum satis est, vt conuertantur, opitulari, quin & multis eorum longè maioribus auxilijs prouiderit, quàm alijs, qui conuertuntur, per ipsos tamen stat quòd non conuertantur. Quo fit, vt diuisio sufficientis auxilij in efficacem, & inefficacem, nostra sententia, ab effectu, qui simul ab arbitrij libertate pendet, sumatur; illudque auxilium sufficiens, siue maius, siuè minus in se sit, efficax dicatur, cum quo arbitrium pro sua libertate conuertitur, cùm tamen nihil eo auxilio impediente, potuerit non conuerti: illud verò inefficax dicatur, cum quo arbitrium pro eadem sua libertate non conuertitur, cùm tamen potuerit conuerti, alioquin tale auxilium sufficiens non esset ad cōuersionem.* Hæc ille. Itaq; sensit Molina efficax auxilium distingui à sufficienti ab effectu, & euentu, qui pendet & sumitur ab arbitrij libertate.

Sententia Molinæ.

HOC idem explicuit idem Ludouicus Molina in eadem Cōcord. q. 23. de diuina prædestinatione, art. 4. & 5. disp. 1. memb. 6. quo in loco dum sententia D. Tho. proponitur ab eo circa prædestinationem Sanctorum, & quòd non detur causa prędestinationis ex parte prędestinati quoad integrum effectum, pag. 425. dicit quę sequuntur. Nonnulli ita sententiam hanc defendunt vt duplex auxilium diuinum constituant, quoddā efficax, quoddam sufficiens, verumtamē inefficax. Quòd verò auxiliū efficax sit, aut inefficax, censent nulla ratione tribuēdum esse libero arbitrio, quasi ex eo auxilium quodcumq; siue magnū, siue paruū, efficax aut inefficax sit, quod cum arbitriū pro sua libertate possit consentire, & nō consentire, coope-

Verba Molinæ fideliter referuntur.

rari cũ illo,& nõ cooperari, si consentiat,& cooperetur vt potest,efficiet illud efficax,si verò non consentiat,neq; cooperetur,vt etiã potest, reddet illud inefficax,sed ipsi auxilio,siue Deo efficaciter, aut inefficaciter per illud mouenti, tribuendũ esse quòd liberũ arbitriũ consentiat, aut non cõsentiat:ita vt quoties Deus mouerit per auxilium,quod ex modo motionis diuinę, atq; ex Deo ipso habet quòd sit efficax, liberũ arbitrium consentiet,cooperabiturq; ad salutẽ; quòd si mouerit per auxilium, quod ab eo non habet vt sit efficax, liberũ arbitrium non consentiet,neq; cooperabitur ad auxilium. Eaverò ratione dicunt Deũ ex adultis hos potius, quã illos,pro libera suavolũtate prædestinasse,quia liberè voluit eis conferre auxilium efficax,cæteris verò solùm inefficax. Quos namque (inquiunt) vocare constituit auxilio efficaci, in eisque gratiam eodem auxilio vsq; ad finem vitæ conseruare,eos prædestinauit:cæteros verò cum quibus vti noluit ea liberalitate reprobauit,dum permittere statuit,vt laberẽtur in peccata,pro quibus iustè punirentur,dumq; in peccatis iam commissis, denegatione auxilij efficacis,eos obdurare decreuit.

Oppositam sentẽtiã erroris nota inurit Molina.

QVIBVS ita relatis statim Molina subiungit. *Certè non dubitarem sententiam hanc hoc vltimo modo explicatam errorem in fide appellare. Etenim ea data non video,qua ratione libertas illa arbitrij nostri salua possit consistere,quam q. 14. art. 13. disp. 23. apertissimè ostendimus,etiam posita diuina gratia,præscientia, & prædestinatione, non minus, quàm hæc ipsa,esse de fide. Si namque arbitrium nostrum ab efficacia,aut inefficacia auxilij diuini habet quòd consentiat,aut non consentiat Deo vocãti, & cooperetur,aut non cooperetur ad salutem, perseueretq;,aut non perseueret in gratia:certè non ab innata, & propria libertate id pendet, sed à qualitate auxilij,& motionis diuinæ, atq; adeò neq; est quòd illi cedat in laudem, & meritum, quin potius perit omninò libertas arbitrij ad salutẽ.* Hęc ille Molina.

EN quonam pacto Molina loquatur de auxilio sufficienti & efficaci, affirmat enim diuisionem huius auxilij & distinctionem,ab euentu,& ab effectu pẽdere,simulq; ab arbitrij libertate,efficaciamq; auxilij gratiæ actualis Dei ex innata libertate arbitrij & pẽdere & esse. Neq; hoc est apud ipsum valdè mirabile, cùm dicat auxilium efficax Dei tale reddi per determinationem,& cooperationem nostrã,& quòd magis est oppositum vocat errorẽ. Imò verò loquens de gratia adiuuante,seu concomitante,& de gratia præueniente vult non differre,sed esse vnicam gratiam tantùm, quod videtur affirmare in Concordia disp. 37. quæ incipit: Dominicus à Soto 1. de natura & gratia. & pag. 223. & 224. & alibi non semel hoc idem asseuerat. Quo in loco reijcit Sotũ, & falsò putat sibi fauere Tridentinum. Et videtur improbare distinctionem hãc à Theologis receptam de auxilio sufficienti, & efficaci, quia non agnoscit distinctionem vllam ex parte ipsorum auxiliorum, sed totam reuocat ad cooperationem nostram, & dependentiam liberi arbitrij: de qua re fusius dicemus infra.

Bellarminus quid sentiat de hac sententia.

ROBERTVS Bellarm. tom. 3. de controuersijs Christianæ fidei aduersus hæreticos,cõtrouersia 3. li. 1. de gratia, & libero arbitrio ca. 12. contendit explicare in qua re sita sit gratiæ efficacia, quo in loco proponit quæstionẽ vnde sumatur efficacia gratiæ,& in ea re dicit se inuenire tres opiniones,duas extremas,& vnã mediam. Primam opinionem (nimirum extremã) eorum esse dicit,qui gratiã efficacẽ constituunt in assensu, & cooperatione humana, ita vt ab euentu dicatur gratia efficax,quia videlicet sortitur effectũ,& ideò sortitur effectũ,quia volũtas humana ei cooperatur. Vnde auctores isti existimant in cooperatione arbitrij,& potestate ipsius hominis esse,vt gratiã faciat esse efficacẽ,quæ aliàs ex se non erat,nisi sufficiens solũ.

DE hac sententia quam doctissimus Cardinalis Bellarminus refert loco citato, ille quid sentiat,videamus:ait enim hãc opinionẽ alienã esse omninò à sententia beati Augustini, imò verò dicit ille, esse alienam à sententia Sacræ Scripturæ:Quoniã D. August. lib. de prædest. Sanctorum cap. 8. ait gratiam efficacem à nullo duro corde respui,quia ipsa cor emollit, vbi efficaciam gratiæ tribuit non humanæ voluntati ratione cooperationis, & infert Bellarminus, Non igitur vult Sanctus August. gratiã efficacẽ pendere ab humana voluntate, sed à diuina, quod tã obuiũ est,& frequẽs in operibus D. Augustini,vt superuacaneũ sit id pluribus cõfirmare.

Propositã sententiam D. prædestinationis fundamenta euertere sensit Bellarminus.

TANDEM idem auctor dicit prædictã opinionem euertere omninò fundamentũ diuinæ prædestinationis: quam S. August. ex diuinis litteris solidissimè cõprobauit,inde enim pendet certitudo, atq; infallibilitas prædestinationis,quòd electis Deus efficacẽ gratiam præparauit. *Quos enim prædestinauit hos vocauit,hos magnificauit,* teste Paulo. *Vocatione illa,* vt August. monet li. de corrept. & gratia c. 7. *secundũ propositum,* de qua dictũ est. *Omnia cooperãtur in bonũ, ijs qui secundũ propositũ vocati sunt Sancti.* Quòd si vocatio efficax non pẽderet à proposito Dei, sed ab humana voluntate nullus locus prædestinationis relinqueretur, sed tantũ præscientiæ, neq; Apostolus dixisset: *Vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei. Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau odio habui.* ad Rom. 9. Tandẽ cõcludit Bellarm. quòd esset abuti vocabulis,vocare gratiam efficacẽ,eamq; à sufficienti distinguere,si nulla omninò in ipsa gratia distinctio esset,& totum discrimen ab humana voluntate penderet, seu ab humana cooperatione. Hæc ille tractans de opinione superius relata & sensit,& dicit.

Suarez.

FRANCISCVS Suarez li. 3. de auxiliis diuinæ gratiæ c. 6. agens de auxilio sufficienti & efficaci, cuius tractationẽ diligenter explicandã esse à se promittit,inquit,q; illa duo mẽbra auxilij sufficiẽtis & efficacis distinguũtur quatenꝰ sufficiẽs gratia præscindit ab actuali effectione

ciusq; negationē includit, vnde auxiliū sufficiēs est id, quod satis est ad efficiendū supernaturalē actum, illū tamen non facit, non ex insufficiētia auxilij, sed ex libertate voluntatis. Et cōcludit quòd de ratione auxilij sufficiētis est, vt ad operandū sit sufficiens, quia aliàs non posset culpę attribui operationis defectus, auxiliū autē efficax (inquit) non solùm dici efficax ab euētu, & ab effectu, quia facit, sed etiā quia vires præbet efficaciſsimas voluntati: vt Augusſt. dicit lib. de gratia & libero arbitrio c. 17. Nam & proprietas ipsius vocis auxilij efficacis hoc postulat, & requirit, quia re vera medicamētū dicitur efficax, non solū ex euentu, aut non solùm ex eo quòd actu facit, sed quòd singularē vim habet ad agēdū. Sic ergò inquit hic auctor dicitur auxiliū efficax. Et subiūgit quòd hæc diuisio auxilij sufficientis, & efficacis, datur de auxilio per modū principij. Vnde auxiliū efficax est illud gratiæ principiū, quod peculiarē vim, & efficaciam habet ad inducendā voluntatē humanam vt consentiat. Quāta autē sit hæc vis & efficacia illius auxilij, & in quo sit posita, & cui auxilio conueniat, nimirum excitanti, vel adiuuanti, promittit ille se præstare velle in discursu operis.

CERTE hactenus auctor iste in multis doctè & benè loquitur, nisi deinceps multis & diuersis modis recessisset à sentētia D. Augustini, & nisi sensisset Deū expectare influxūvoluntatis humanę, prēuidendo ipsum per scientiā mediam antecedenter ad influxum suū diuinæ gratiæ, & ad eius etiam concursum. Quod videtur expressè alienum ab antiqua sententia & cōtra D. Augustinū plerisq; in locis, præsertim li. 1. de prædest. Sanctorum. Et nisi postea sensisset Deū per efficacem gratiā suam non prēmouere volūtatē hominis efficiēter propriè prius priōritate naturæ tantū, sicut primus auctor gratiæ, quia putat hac ratione lædi libertatē: & nisi vlterius sensisset efficacitatem gratiæ positā esse in quadam cōmensuratione ad complexionem naturalem, & ad tempus & locum eius cui datur, vt fusiùs ipse dicit.

RECITAT etiam Franciscus Suarez sententiam Molinæ suppresso eius nomine in eodē capite §. auxilium efficax est, dicens, quosdam ex Catholicis sentire auxilium solùm dici efficax ab effectu, quia de facto homo cum illo conuertitur, vel consentit, vnde negant esse de se efficax, sed accedente tantum consensu libero voluntatis, à quo proinde omninò pendet, vt auxilium sufficiens fiat efficax, id est habeat effectum. Quæ sententia sibi non probatur declarata prædicto modo, si nihil aliud ei addatur, nō quia falsa, sed quia diminuta, & quia non satis declarat mentem D. Augustini, præcipuè 1. de prædest. Sanctorum cap. 8. vbi de hoc auxilio efficaci ait esse gratiam secretam, quæ cùm occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur, ideò quippè tribuitur, vt cordis duritia primitùs auferatur. En quo pacto loquitur Franciscus Suarez de suo Molina præceptore eius, cuius sententia sibi non probatur & vt se temperet ab hac repulsa, inquit sibi non probari sententiam illam, non quia sit falsa, sed quia diminuta, & quia nō satis declarat mentem D. Augustini, vt apertè constat ex loco citato. Subiungit verò, prædictam sententiam, esse diminutam propter modum loquendi sacrarum litterarum, quia iuxta illam veluti per accidens, seu ex accidente euenit respectu diuinæ voluntatis, quòd in vno gratia sufficiens fiat efficax, & non in altero, solū quia alter non vult cooperari, & alius vult: Quod licèt non possit dici casu fieri respectu Dei, quia fit ex præscientia eius, & ex generali voluntate, qua vult creaturam sinere motus suos agere, & exercere, tamen respectu voluntatis diuinæ non poterit ea differentia illi peculiariter attribui, etiā quoad actualem efficaciam, quam habet gratia in eo, qui conuertitur: Hoc autem non est consentaneum modo loquendi Scripturæ, vt patet ex illis locis, quæ D. Augustinus sæpe sæpius perpendit. *Non est volentis, neque concurrentis, sed Dei miserentis.* Ad Romanos 9. & ad Philippenses 2. *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.*

Ad Romanos 9. Ad Philippenses 2. Molina à quibusdam nec excusatur nec accusatur.

EN quo pacto prædictus auctor neque vult consentire Molinæ, neque ab eo recedere, imò dicit eius sententiam non esse falsam, sed solùm diminutā. Et pari modo reperio alios, qui postquam aliqua vera scripserunt, tandem declināt in sententiam Molinæ vehementer, & Gabriel Vazquez 1. p. q. 23. disp. 88. ca. 11. de auxilio efficaci, & sufficienti sic ait. *Auxilium præueniens quo vocamur & inuitamur ad bonum duplex assignatur à Theologis Scholasticis, alterum est efficax, quod effectum habet in nobis, alterū quod posset effectum habere & non habet.* Quæ sententia in idem redit cùm Molina. Vtrùm verò efficax auxiliū ita habeat effectum, vt possit ei nihilominus arbitrium resistere, promittit se dicturū disp. 98. inefficax porro auxiliū, dicit, quòd solet appellari sufficiēs: & quòd vtriusq; meminit Augusſt. lib. de correptione & gratia c. 11. scribens hoc pacto. *Istam gratiam nunquā habuit primus homo, qua nunquam vellet esse malus: sed sane habuit, in qua si permanere vellet, nunquam esset malus, & sine qua etiā cū libero arbitrio bonus esse non posset: sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset.* Et paulò inferius ait Augusſt. *Dederat adiutorium,* (nimirum Adamo) *sine quo in ea* (scilicet bona voluntate) *non posset permanere si vellet. Vt autē vellet, in eius libero reliquit arbitrio: posset ergò permanere si vellet; quia non deerat adiutoriū, per quod posset, & sine quo non posset perseueranter bonum tenere, quod vellet.*

HANC etiā diuisionē auxilij sufficientis & efficacis reijcere videntur hæretici, nimirū Lutherus & Caluinus, & etiā alij hæretici nostri tēporis, vt refert Cardinalis Bellarm. to. 3. cōtrouersia 3. li. 1. de gratia & libero arbitrio ca. 11. & lib. 2. cap. 1. Existimant verò illi omnem internam motionem gratiæ esse efficacem, taliter quòd quia à Deo per gratiam mouentur

Diuisio sufficientis & efficacis auxilij ab hæreticis etiam reijcitur.

inte-

interius nō possunt nō bene operari, qui autē nō mouētur Dei gratia nullatenus posſūt bene operari. Vnde si quā agnoscunt gratiā sufficiētē, non efficacē, eā solùm constituūt in externa prædicatione, & doctrina. Nā quod attinet ad auxilia interna, omnia sunt efficacia apud illos.

SED Pelagiani per oppositū existimant, vt loco citato perpendit Cardinalis Bellarminus, quòd solùm agnoscunt gratiam sufficientē, vt enim colligere licèt ex D. Augusſt. lib. de gratia Christi per totum, & li. 1. cōtra duas epistolas Pelagianorum ca. vlti. & aliàs sæpe: in eo solū constituebat Pelagius rationem gratiæ, quòd contuliſſet nobis Deus posſibilitatē benè volēdi, & benè operandi, ad hanc autē posſibilitatē nihil aliud pertinebat secundùm ipsum, quā facultas naturalis liberi arbitrij, & lex atq; doctrina reuelans, seu manifestans nobis exterius, vel interius quid agendum, quidve cauendum sit: Quòdvero efficaciter velimus & operemur bonū, non ex gratia, sed ex libera nostra electione per solas vires naturæ prouenire arbitrabātur.

HACTENVS superius dicta proposita fuere, vt difficultas disputationis huius ostenderetur: deinceps verò quid sit sentiendū dicemus.

Tria proponuntur ad examen redigenda in disputatione hac.

IN hac difficili controuersia tria occurrunt à nobis explicanda. Primum est de diuisione actualis gratiæ Dei in sufficientem & efficacē, an sufficienter diuidatur in hęc duo mēbra. Secundum est, quid sit auxilium sufficiens, & quid sit auxilium efficax. Tertium est vtrùm efficacia gratiæ sumenda sit totaliter ex voluntate humana, & ex innata libertate, seu ex humana cooperatione, vel tantùm ex diuina voluntate, & in quo sita sit efficacia diuinæ gratię & diuini auxilij. Hæc inquā à nobis explicanda sunt, quibus campus huius materiæ aperietur: manent tamen nos deinceps maiora certamina cū Theologis huius ætatis circa concordiā gratiæ efficacis Dei præmouentis ad consentiendum, & ad pœnitendum cùm libero arbitrio creato, de qua re agendum erit disputatione 5. sequenti, nunc verò circa tria illa priora tres articulos seu sectiones constituemus.

SECTIO PRIMA.

De diuisione gratiæ actualis Dei in sufficientem & efficacem: An sint iste duæ Gratiæ?

ARTICVLVS de diuisione gratiæ in sufficientē, & efficacē receptus est ab vniuersis Theologis Catholicis cōtra hæreticos, & contra Caluinū, & Lutherū, imò verò contra Pelagianos. Vnde qui dubitant vel vacilāt de veritate huius distinctionis, vel putant hæc duo membra idē esse omnino & coincidere ex parte gratię, vehementer se inclināt in negationem eius, sicut & illi qui sentiunt eandem esse gratiam omnino præuenientem, & adiuuantem. Quocirca Cardinalis Bellarminus tomo 3. controuersia 3. li. 1. de gratia & libero arbitrio ca. 11. affirmat, hanc partitionem gratię Pelagianos sine dubio repudiasse. Quippè qui existimabant ipsum liberum arbitriū cùm doctrina & reuelatione Dei, & alijs extrinsecis esse sufficiens auxilium perueniendi ad salutem, neq; aliā potentiorē gratiā cognoscebant, vt Augusſt. testatur lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. vltimo. *Bellarmin.*

Prima Assertio.

CONTRA hos Theologos ita sentientes & non distinguentes gratiam Dei sentio primò, certò affirmandum esse gratiam Dei actualem esse distinguendam omninò in gratiā sufficientem & efficacem tanquam in duo membra distincta ipsius gratiæ actualis. Hæc conclusio non solùm deducitur ex Sacris litteris, verùm etiam ex doctrina Sanctorum Patrū, & ex Cōcilijs. Quod etiam sensit Augusſt. mille in locis. *Assertio 1.*

Suppono tamē prius certum esse de fide quòd datur hominibus auxilium sufficiens, quibus interdum non donatur efficax, quia certū est dari hominibus plerumq; auxilium sufficiens, præcipuè illis, quorum voluntati, & culpæ adscribitur quòd non conuertantur, aut non credant. Quòd autē hoc de fide sit constat ex illis Scripturæ testimonijs, in quibus reprehēduntur peccatores, eo quòd Deus ipse fecerit id quòd satis erat ad eorum cōuersionem, cui restiterunt, & non consenserunt. Hoc Christus Dominus testatur Ioann. 15. dicēs. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo: Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatū non haberent, nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum. ſed vt impleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt, quia odio habuerunt me gratis.* Et apud Isaiam Prophetam ca. 5. *Quid amplius debui facere vineæ meæ, & non feci?* Ex quibus locis colligitur nō potuiſſe homines excusari de peccato, si non habuiſſent auxilia à Deo, quæ essent sufficientia ad operandum, quia sicut accusari non potest, qui propter ignorantiā omnino inuincibilē omittit aliquid, ita neque ille qui propter impotentiā non operatur: æqualis namq; est excusationis ratio vtrobique. *Suppōnēdum pro cōclusione.* *Ioann. 15.* *Isaiæ 5.*

IOANNES Euāgelista sub persona Domini loquentis Apocalypsis 3. refert verba illa Domini. *Ego ſto ad oſtiū, & pulſo, ſi quis aperuerit mihi intrabo ad eum.* Ex quo testimonio sic deduco rationem. Nam vel illi ad quorum cor & ostiū Dominus pulsat, habent sufficiens auxilium aperiendi ostium, vel non habēt: Si habent, habemus intentum. Si nō habent sufficiens auxilium: interrogo cur Dominus pulset? Ignorat forte eos non posse aperire, aut fortè nō esset stultus, qui pulsaret ostium alicuius, si certò sciret neminem esse intus, qui posset aperire? Cū igitur Deus pulset corda hominum, vt homines aperiant ea, sequitur eis dare auxilium sufficiēs. Cùm tamen non omnes aperiant, quibus non datur efficax gratia. Vnde Isaiæ 65. legimus *Apocaly. 3.*

Isai.65. Matth.23. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.* Extat etiam elegãs testimonium Matthæi 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat filios suos sub alas, & noluisti.* De his filijs Hierusalem queritur Dominus, eò quòd acceperint gratiam sufficientem, qua velle possent, id quod Deus volebat, & tamen noluerunt, vel restiterunt illi, qui tamen non habuerunt gratiam efficacem. Si enim eam haberent, voluissent sine dubio congregari sub alas Domini: ergò habuerunt sufficientem gratiam necessariam, qua velle possent, aliàs Christus non diceret, volui congregare filios tuos, & noluisti. Nam quomodo voluit congregare eos, & ita voluit vt queratur de nolentibus, si eos, quos sciebat per se velle non posse, non iuuit, vt possent velle: quæ verba sunt D. Augustini.

Actorũ 7. Extat præterea celebre testimonium Scripturæ, Actorum 7. *Vos semper Spiritui sancto restitistis.* Quo in loco valde apertè traditur quòd Deus inspirat quibusdam bona desideria, optimasque inspirationes, vt possint conuerti, & tamen eos resistere, & nolle conuerti. Nam certè si Iudeis non inspirabantur cogitationes bonæ, & desideria ab Spiritu sancto, quomodo resistebãt Spiritui sancto? Quòd si non poterant resistere illi, cur tam acriter carpebantur ab Stephano: ergò certa fide sentiendum est, constitui debere sufficiens auxilium gratiæ Dei.

Ad Romanos 2. Accedat Paulus Apostolus Roman. 2. dicens. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & lõganimitatis contemnis? ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* In cuius loci intelligentia perpendendum est, Deum ad pœnitentiã expectare huiusmodi homines, quia dederat eis sufficiens auxilium ad conuersionem. Non enim ignorat Deus neminem posse conuerti, aut pœnitentiam agere salutarem, nisi cui ipse vires gratiæ suæ præbuerit: vt definitur in Tridentino Sessione 6.

Tridentin. Sessione. 6. Constat etiam veritas sufficientis auxilij, imò & efficacis simul ex Tridentino Sessio. 6. canone 3. definiente in hunc modum. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, Anathema sit.* Perpende Concilium quando ait, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, quia per hæc verba significat sufficiens auxilium præueniens ad iustificationem, idemq; omnino denotat dictio illa, *inspiratione.* At verò dictione illa, *adiutorio,* apertè significatur efficax auxilium, quo homo adiutus actu conuertitur. Idemq; omninò denotatur & insinuatur in eodem Tridentino Sessione 6. cap. 5. in Decretis: & in Concilio Arausicano 2. in plerisq; Decretis.

D. Augu. Divvs Augustinus lib. 1. de prædestinactione Sanctorum cap. 16. quo in loco explicat qua vocatione Deus vocare dignetur electos, duplicem gratiam vocationis distinguit: alteram quidem qua vocantur prædestinati, & illi, qui conuertuntur; alteram verò qua plures vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias. Priorem vocationem appellat D. Augustinus secundùm propositum, qua non ex operibus, sed ex vocante dictum est prædestinatis, & electis. *Quos vocauit, hos magnificauit, hos iustificauit.* De hac vocatione, quam dicit non esse ex operibus, sed ex Dei proposito dictũ est. *Quia maior seruiet minori.* Et ait Augustinus. *Nunquid dixit, nõ ex operibus, sed ex credente? Prorsus etiam hoc abstulit homini, vt totum daret Deo: Dixit ergò, sed ex vocante, non quacunque vocatione, sed qua vocatione fit credens.* Ecce si hac vocatione fit credens: ergò talis vocatio est se cũdùm propositum, & ea præmouetur, & determinatur ad credendum homo: Et hanc vocationẽ secũdùm propositum Sancti Patres intelligunt esse efficacem. Alteram verò vocationẽ dicit August. non esse secundùm propositũ, sed eam, qua multi vocantur, & etiam vocati sunt illi, qui noluerunt venire ad nuptias, & de hac vocatione dicit vocatos fuisse Iudeos, quibus Christus crucifixus scandalũ est, &c. & hæc vocatio dicitur sufficiens, sed non secundùm propositum. Itaq; D. August. duas vocationes distinguit, vnam communem, alteram verò propriam, seu efficacem, quam dicit esse vocationẽ secundùm propositum gratiæ Dei, & vocationem electorum. Ex quo loco constat duplicem hanc vocationẽ esse vnam sufficiẽtẽ, alteram efficacem. Vtrãq; gratiam vocationis explicuit Apostolus 1. Corinthiorum 1. dicens. *Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: vocatis autem Iudeis, atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Et statim subiungit Augustinus. *Vocat prædestinatos multos filios suos, vt eos faciat membra prædestinati vnici filij sui, non ea vocatione qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias, illa quippè vocatione, & Iudei vocati sunt, & Gentes, quibus Christus crucifixus scandalum est, vel stultitia, sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus dicens: Ipsis vocatis Iudeis, & Græcis, &c. Sciens esse quandam vocationem eorum, qui secundùm propositum vocati sunt.* De qua vocatione intelligit Augustinus illud ad Romanos. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori.* Et tandem concludit August. dicens. *Ad hanc vocationem qui pertinent omnes sunt docibiles Dei, nec potest quisquam eorum dicere, Credidi, vt sic vocarer: præuenit eum quippè misericordia Dei, quia sic vocatus est vt crederet.* 1. Corin. 1.

Advertat pius lector in huiusmodi Augustini doctrina contineri distinctionem hanc de auxilio sufficienti, & efficaci, & doctrinam de vocatione sufficienti, & efficaci, & vtramque etiam gratiam esse præuiam, & præuenientem: ac proinde vocationem efficacem secundùm propositũ, qua efficaciter vocantur, qui conuertuntur, eam vult August. præuiam esse, & præuiè mouere. Nam de hac vocatione efficaci ait: *Qui pertinent ad hanc vocationem*

omnes sunt docibiles Dei, nec potest quisquam eorũ dicere, Credidi vt sic vocarer, præuenit eum quippe misericordia Dei, quia sic vocatus est, vt crederet. Legendus est Augustinus etiã de correptione & gratia cap. 7. & Epist. 107. Extat etiam elegans locus D. Augustini. lib. de correp. & gratia cap. 11. Vbi vtriusque meminit gratiæ sufficientis, & efficacis, qui locus fusè commemoratus est à nobis superiùs in hac controuersia, recensentes opiniones quorundam.

Constituendum esse efficax auxilium ex sacra pagina fit manifestum.

De efficaci autem auxilio, quod est alterum membrum diuisionis propositę restat dicere an verè sit cõstituendum. Et sanè reperio in Sacris litteris apertissima testimonia, in quibus plerisque hominibus efficax auxilium conceditur, per quod infallibiliter conuertantur. Nã certè Ioannis. 10. Christus de ouibus suis ait: *Et nõ rapiet eas quisquã de manu mea.* Et idcircò nemo rapiet eas de manu eius, quia dabit illis gratiã efficacẽ, per quam infallibiliter cõuertantur. Rursus Ezechi. 36. testimoniũ Prophetæ dicentis: *Spiritũ meum ponã in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini*, pertinet ad efficacem gratiam. Vnde non dicit Dominus, faciam vt in præceptis meis ambulare possitis, sed faciam vt ambuletis, quia sermo Domini est de gratia efficaci.

Ioannis. 10

Ezechi. 36

D. Augustini egregia testimonia.

Divvs Augustinus lib. de gratia & libe. arbitrio cap. 5. expressè testatur, hanc efficacẽ gratiam auxilij Dei, dicens. *Vt Paulus de cœlo vocaretur, & tam magna, & efficacissima vocatione cõuerteretur, gratia Dei erat sola, quia eius merita erant magna, sed mala.* & eodẽ lib. cap. 26. *Certũ est* (inquit Augustinus.) *nos facere, cũ facimus, sed ille facit, vt faciamus, præbẽdo vires efficacissimas voluntati,* & citat Ezechielẽ Prophetã à nobis commemoratum: *Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis.*

Idem Augustinus libr. de prædestinatio. Sanct. cap. 8. locum illum Ioannis. 6. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me,* intelligit & explicat de gratia efficaci. Nam certè si omnis, qui audit, & discit à Patre, venit ad Christum, nullus est, qui audit, & discat, qui non veniat. Est igitur quædam vox Patris, intùs loquens in corde, quæ infallibiliter persuadet. Inquit Augustinus. *Valdè remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Deus auditur, & docet. Multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus in Christum, sed vbi, & quomodo à Patre hoc audiuerint, & didicerint non videmus. Nimium gratia ista secreta est. Gratiam verò esse quis ambigit? Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur: Ideò quippè tribuitur, vt cordis duritia primitùs auferatur. Quando ergò Pater intus auditur, & docet, vt veniatur ad Filiũ, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, &c.* Quo in loco expressè loquitur, de efficaci auxilio gratiæ suæ, de quo dicit, quòd à nullo duro corde respuitur. Et de eodem auxilio efficaci intelligũtur verba Christi Ioannis. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum,* & illa etiam. *Omne quod dat mihi Pater ad me venit.* & illud Isaiæ. 50. *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico.* Apertio enim auris ex auxilio efficaci contradictionem repellit, & efficaciam gratiæ agnoscit. Tandem Paulus ad Romanos. 8. dixit. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.*

Ioannis. 6.

Isaiæ. 50.

Ad Rom. 8

Tandem D. Augustinus vtriusque simul gratiæ meminit, lib. de gratia & libero arbitrio, capit. 15. cũ ait: *Gratia Dei semper est bona, & per hanc fit vt sit homo bonæ volũtatis, qui prius fuerat malæ, per hanc etiam fit vt ipsa bona voluntas, quæ iam esse cœpit, augeatur, & tam magna sit vt possit implere diuina mandata.* Certè apud D. Augustinum sunt innumera testimonia gratiæ efficacis, & gratiæ sufficientis.

Ex quibus omnibus exploditur error Caluini, qui libr. 2. institutionum capit. 3. sectio. 10. & lib. 3. cap. 24. sect. 15. & 16. sensit, promissiones vniuersales salutis, atq; adeò facultatẽ cõsequendi salutem ad eos solos re ipsa pertinere, qui efficaciter illuminantur, ac saluantur. Vnde iuxta sensum Caluini, eiusque errorem, sequitur nullos habere gratiam sufficientem, qua possint, qui non etiam habeant efficacem, qua velint, vt clarè Caluinus protulit loco citato. Id autem manifestè contradicit Scripturæ, & Euãgelio Matth. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Quo loco apertè Christus significauit, potuisse Tyrios, & Sidonios beneficio gratiæ, quam illis obtulit, agere pœnitentiam, quam non egerunt.

Matth. 11.

Divvs Augustinus lib. 83. qüæst. quæst. 68. ait. *Ad illam cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio, præparatam, neque omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt, neque illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque, neque illi debẽt sibi tribuere qui venerũt, quia vocati venerunt, neque illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi: Quoniam vt venirent vocati, erat in libera voluntate. Votatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea & si quisquam sibi tribuit quòd venit vocatus, non sibi potest tribuere, quòd vocatus est. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmij vt vocaretur, sic inchoat meritum suplicij, cum vocatus venire neglexerit.* In quibus verbis, declarat Augustinus, ita homines sufficienter vocari vt venire possint, & tamen quosdam non venire sua culpa, qui proinde habeant sufficientem gratiam vt possint venire, non autem efficacem vt veniant. Et in eodem loco facit mentionem de Pharaone, de quo ait Pharaonẽ fuisse vocatum antequàm induraretur, & potuisse venire, sed quia noluit meruisse obdurationem.

Attendat ergò cãdidus Lector, quo nam modo loquatur D. Augustinus in verbis adductis de sufficienti auxilio, & efficaci: Nam certè ex prædicto loco duo habemus. Primum est non

omnem vocationem esse efficacem, quia multi vocantur, & non veniunt. Secundũ est omnes vocatos per gratiam Dei habere sufficiens auxilium ad veniendum. Nã idcircò inquit Augustinus iustè illos puniri, qui vocati venire nolũt, quia venire poterant, cũ esset hoc in eorum libera voluntate, vt venirent, aut non venirent, postea quàm per vocationem diuinam veniendi vires acceperant à Deo auctore gratiæ: Nam certè quòd vocatio interna sit gratia quædam diuina, & quòd vires præbeat voluntati, D. Augustinus apertissimè declarat lib. 1. ad Simplicianum. q. 2. dicens. *Noluit Esau, & non cucurrit, sed & si voluisset, & cucurrisset Dei adiutorio peruenisset, qui etiam velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contẽpta reprobus fieret. Aliter enim Deus præstat vt velimus, aliter præstat quòd voluerimus, vt velimus enim, & suũ esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrũ sequendo, quòd autẽ voluerimus, solus præstat, id est posse benè agere, & posse beatè viuere.* En cernimus ex Augustini testimonio Esau potuisse velle, & currere, & tamẽ non voluisse, & non cucurrisse, ac per hoc habuisse gratiã sufficientem, sed nõ efficacem. Et hoc idem docuit lib. de corrept. & gratia cap. 7. vbi affirmat omnes iustificatos posse perseuerare si volunt: quod definitur in Conc. Arau. can. 15. & in Trid. sess. 6. cap. 13. ex quibus sequitur iustificatos habere auxilium sufficiens ad perseuerandũ, tamen quia re vera non omnes perseuerant, sequitur non omnes habere efficax auxilium perseuerantiæ. Et ex dictis etiam colligitur secundò constituendam esse gratiam efficacem præter sufficientem, de qua tam apertè locutus est Paulus, & D. Augustinus loquens de eodem Paulo lib. de gratia & libero arbitrio ita scribens. *Vt Paulus de cœlo vocaretur, & tã magna, & efficacissima vocatione conuerteretur gratia Dei erat sola.* de qua gratia dixit August. lib. 1. de Prædest. sanct. cap. 8. id quod sæpius retulimus quòd hæc gratia à nullo duro corde respuitur.

Rationibus ostenditur hæc de gratia sufficiẽti & efficaci recepta distinctio.

RATIONIBVS Theologicis etiã stabiliri potest præfata diuisio gratiæ in sufficientẽ, & efficacẽ. Nam certè præter sufficientẽ gratiam dari etiã efficacem constat. Quia sublata, & repulsa gratia vere efficaci tollitur fundamẽtũ diuinæ prædestinationis. Nã prædestinatio iuxta D. Augustinũ est gratiæ præparatio, gratia verò ipsa donatio; at præparatio gratiæ sufficiẽtis cõmunis est etiã reprobis, &c. Et cõfirmatur hoc ex eodẽ Augustino, qui de diuina prædestinatione ait, quòd est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberãtur, quicumq; liberãtur. Lege ipsum lib. de bono perseuerãtiæ c. 14.

Plura sequuntur ab surda ex opposita sentẽtia.

RVRSVS si nõ daretur gratia verè sufficiens, sequuntur multa absurda. Vnum est quòd primus homo Adã non sua culpa cecidisset: Nã nõ habuit gratiã efficacẽ ad perseuerandũ de facto cũ non perseuerauit: ergò vel habuit gratiã sufficientẽ, qua posset stare & non cadere vel non habuit illã. Si habuit, habemus intentum, si autẽ nõ habuit sufficientẽ gratiam, tunc non sua culpa cecidisset tentatus, vt colligit D. August. lib. de corr. & gratia, cap. 9. quia non potest tribui culpę, q̃ nullo modo potuit vitari abaliquo.

EST alterum absurdum, quod sequitur ex negatione auxilij sufficientis, quòd videretur Deus amicos suos deserere, antequã ab eis deseratur. Nam quando aliquis iustus peccat, & cadit ab statu iustitiæ, certè tunc non habuit gratiam efficacem ad resistendum peccato, & tentationi: nam si eam haberet, vtiq; nõ peccasset. Quòd si neq; sufficientem habuisset, sed nullam omninò, quomodo nõ diceretur desertus, antequam ipse Deũ desereret? ergò. Lege Prosperũ respons. 7. ad obiectiones Vincentianas, & D. Augustinũ de natura & gratia cap. 26. & tractatu. 2. in Ioannẽ, & Triden. sess. 6. cap. 11. & 13. & D. Chrisost. homil. 8. in Ioannem.

Quorũdam solutio.

DICES, Deum nõ dici deserere, quando nõ dat auxiliũ piè viuendi, sed quãdo auertitur ab amicitia alicuius, & hoc modo nõ deserere, nisi prius deseratur, quamuis pro suo arbitrio, auxiliũ illud præbeat, aut deneget. Sed cõtra hoc est Triden. Cõcil. apertissime docens Deũ non deserere, quia nõ denegat auxiliũ. Nam dicit eos, qui piè viuunt posse in bono proficere, quia Deus nõ deserit, nisi deseratur; sess. 6. cap. 11. Et rursus ait iustos omnes firmissimã spem in Dei auxilio collocare, quia nisi ipsi eius gratię defuerint, Deus ipsis non deerit. Quòd si nullũ esset auxiliũ nisi efficax, id nõ dixisset Cõciliũ, quia quotidie cernimus tale efficax auxiliũ multis iustis deesse, antequã ipsi Deũ deserãt, aliàs nimirùm peccarẽt. Neq; rursus dicit Cõcilium spẽ esse ponendam in illa dependentia auxilij sufficientis à libero arbitrio, à cuius cooperatione habeat quòd fiat efficax, sed in ipso auxilio gratiæ Dei, prout est à Deo.

Replica.

ITEM moueor etiã ad prædictã diuisionem auxilij sufficientis & efficacis. Quia Deus non præcipit aliquid impossibile: sed præcipit omnibus peccatoribus, vt cõuertãtur ad ipsum: ergò omnibus dat auxiliũ gratię sufficientis, quo possint cõuerti. Cõstat autẽ non omnibus dari, quòd efficaciter cõuertãtur, aliàs nemo damnaretur: ergò nõ potest negari gratiã sufficiẽtem distingui ab efficaci, quia certũ est secundũ fidẽ neminẽ posse conuerti ad Deũ absq; auxilio gratiæ: Certũ etiã est quòd quando nõ conuertuntur de facto, non habent auxiliũ gratię efficacis ad suã cõuersionẽ, prout nunc loquimur de gratia efficaci, quod intendimus in nostra cõclusione. Vel nõ sunt digni reprehensione, & damnatione, eo quòd nõ conuertantur: quod est cõtra expressas Scripturas, & cõtra vniuersam doctrinã Ecclesię & Sanctorũ Patrũ: ergò. Et cõfirmatur: Quia de electis, & prædestinatis dicitur. 2. ad Timoth. 3. *Firmissimũ fundamẽtum Dei stat; nouit Dominus qui sunt eius.* Et ad Rom. 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit, quos verò vocauit, hos & iustificauit.* & Ioannis. 10. *Non rapiet eas quisquam de manu mea*: & Ioannis. 6. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*: ergò gratia efficax secundũ quam aliqui infallibiliter cõuertuntur, & saluantur cũ effectu, est propria

Alia efficax ratio pro efficaci auxilio.

Ad Timotheum. 3. Ad Rom. 8 Ioannis. 10. & 6.

præ-

prædestinatorũ, & longè diuersa à gratia sufficienti, & inefficaci, quæ cõmuniter dari solet alijs hominibus. Vnde prædicta distinctio magna habet fundamenta etiã in Conc. Trid. sess. 6. cap. 5. 11. & 13. & etiam can. 4. vt optimè deducunt Theologi tam ex eo loco, quã ex diuinis litteris, & ex doctrina D. Augustini.

DIXIMVS ergo contra Lutherũ & Caluinum, & cõtra Pelagianos etiam: distinguendam esse omninò gratiã sufficientem ab efficaci. Pro qua re obserua, sufficientẽ gratiã propriè loquẽdo solũ præstare facultatem, qua si quis vellet vti, possit facere opera supernaturalia, quæ necessaria sunt ad salutẽ, nõ tamen habet necessariam aliquã, vel infallibilem cõnexionem cum actuali operatione, sed stare potest absq; illa: at verò gratia efficax non solũ præstat posse operari, sed etiã præstat infallibiter operari cũ effectu, taliter quòd nõ stat aliquẽ habere gratiam efficacẽ, & nõ operari de facto id ad quod talis gratia data est. Hoc ita cõstituto, probatur præfata cõclusio nostra. Quoniã multis donantur auxilia gratiæ, quibus possent cõuerti ad Deũ, & iustificari si vellent, qui tamẽ de facto non cõuertuntur, neq; iustificatur: ergò datur illis gratia sufficiens absq; efficaci, & per cõsequens gratiæ istæ meritò distinguũtur. Cõsequẽtia de se patet. Antecedens probatur ex plerisq; locis sacræ Scripturæ, in quibus passim dicitur, quòd Deus vult homines saluos fieri, & reprehendũtur peccatores, eo quòd noluerint cõuerti ad ipsum, sed potiùs cõrempserunt illũ vocantem ad pœnitentiã, & offerentẽ illis auxilia oportuna, quibus conuerti possent si vellent, vt patet Math. 23. *Quoties volui cõgregare filios tuos & noluisti*: & cõstat ex illo Pauli ad Rom. 2. *Benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit, tu autẽ secundùm duritiã tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi irã.* Ex quibus locis & alijs similibus cõstat primò, dari omnibus hominibus auxiliũ sufficiens ad salutẽ, vt latius nos deduximus in disput. de gratia, & nulli reprobo vel præscito, quãtumuis indurato, & excæcato denegari auxiliũ gratiæ sufficientis ad salutẽ. Constat etiã secundò ex eisdẽ locis non omnibus dari gratiã efficacem: Nã cernimus, plures esse peccatores, qui nõ conuertuntur de facto, sed potiùs resistunt diuinis inspirationibus & auxilijs gratiæ sufficientis, iuxta illud actorum. 7. *Vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut Patres vestri, &c.*

Matth. 23
Ad Ro. 2.

Secunda assertio.

Assert. 2. DICO secundò. Vt aliquis iudicetur habere gratiã sufficientẽ ad piam actionẽ supernaturalẽ requiritur eũ habere ea auxilia, quæ ad eandẽ piam actionẽ, exiguntur tanquã supernaturales formæ, & tanquã principia sufficientia, quibus homo vocatus, excitatus, & præuentus possit vsu aliquo liberę facultatis suę, Deo adiuuante, & auxiliante adquirere reliqua omnia huiusmodi dona gratiæ, siue auxilij, &c. Hæc assertio est cõformis Cõcilio Trid. sess. 6. cap. 13. quo in loco Patres Cõcilij ea ratione explicant iustos posse perseuerare, quia si gratiæ acceptæ nõ defuerint, sed ea cũ Dei adiutorio, & auxilio, quod præstò est, bene vsi fuerint, acquirent reliqua auxilia adæquata, & necessaria, quibus perseuerare possint. Hoc clamãt voces Patrũ in eodẽ Concilio, cũ dicunt: *In Dei auxilio firmissimã spem collocare, & reponere omnes debent, Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.*

Triden. sess. 6.

HAEC etiã assertio apertissimè cõstat ex ipsa gratiæ notione, nimirũ ex ratione gratiæ sufficiẽtis, de qua diximus suprà. Nã certè habere gratiã sufficientẽ ad actionem piam, est habere gratiã actualẽ & supernaturalem formã, qua homo sufficiẽter possit liberè operari. Tunc autẽ dicitur aliquis posse aliquid liberè sufficienter operari, qui vel iam habet facultatẽ, & potentiã ad id requisitam sufficiẽter, vel certè potest liberè acquirere & habere formã qua opus exerceat: & oppositũ implicat contradictionẽ, sicut implicat quòd quis possit aliquid facere sine vlla potẽtia. Si enim homo benè vtatur prioribus auxilijs, & nõ cõtradicat, neq; eis resistat accipiet vberiora & efficacia auxilia, vt Tri. §. 6. cap. 13. satis insinuat. Nam quid aliud est posse, quã habere aliquo modo potentiã, seu potestatẽ? Vnde in Tri. sess. 6. cap. 5. definitur. *Iustificationis exordiũ in adultis à Dei per Iesum Christum præueniente gratia sumendũ esse, hoc est ab eius vocatione, qua nullis eorũ existẽtibus meritis vocantur.* Ex quo loco Cõcilij exploditur Ludouicꝰ Molina, qui voluit opera moralia bona, ex lege Dei esse rationẽ, & causam, cur dentur auxilia sufficientia, & alia dona, quibus, quoties ex suis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex his, quæ ad iustificationẽ spectant, illud exequatur provt ad salutẽ oportet. Quod dixit in Cõcordia. q. 14. ar. 13. dis. 10. quo in loco differuit vtrũ facièti ex suis naturalibus, quod in se est, semper Deus cõferat sufficientia auxilia ad iustificationẽ, & fidẽ: de quo dicit esse legẽ vt patebit legẽti. Quæ res turbat mẽtẽ, & sensum Theologorũ. Si enim alicuius bona opera moralia sunt causa, vt ei detur gratia vocans, & excitans, illa opera possunt cẽseri aliquo modo exordiũ iustificationis, quod velit, nolit Molina, hac sua sentẽtia cõcluditur, neq; est curvlla tergiuersatione defendatur. Nã profectò in eiusmodi operibus moralibus ponitur ab eo ex lege, & ex innatis viribus aliquod iustificationis exordiũ, cũ per bona illa opera moralia cõciliẽtur auxilia gratiæ Dei, vel vocãtis, vel excitãtis, & ob id sentio eã opinionẽ parũ consentaneã esse definitioni Cõcilij Trid. loco citato. Quod etiam sensit nobiscũ Gregorius de Valentia eiusdẽ familiæ cũ Molina tom. 2. disp. 8. q. 3. puncto. 4.

FATENDVM igitur est Tridẽtinũ diffiniuisse, non esse ex homine, sed ex Deo tale exordium iustificationis: quod contra Pelagianos etiam dixit, contra quos etiam canone. 3. eiusdem sextæ sessionis, iterum definiuit, & retulit, dicens: *Si quis dixerit absque præuenienti*

Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur: Anathema sit. Quod autem solet in ore omnium versari; *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, hoc interpretatur S. Thomas. 1.2.quæstio.109. articul.6.ad 2. esse intelligendum de illo, qui facit quod in se est, adiuuante, & mouente Deo per auxilium gratiæ suæ.

Sed vt redeamus ad veritatem secundæ assertionis defendēdam, perpendendum est, eandem vim nostræ assertionis habere sententiam illam D. Augustini libr. de natura, & gratia, capit. 26. *Deus non deserit, si non deseratur, vt piè semper, iustèque viuatur*, & libr.2.de peccatorum meritis & remissione cap.17. Nam perpendens testimonium Hieremiæ Prophetæ, cap.10. *Corripe me Domine, verum tamen in iudicio, & non in furore tuo*, sic ait: *Tanquam diceret, scio ad correptionem meam pertinere, quòd minus abs te adiuuor, vt perfectè dirigantur gressus mei, verumtamen hoc ipsum noli mecum agere tanquam in furore, quo iniquos damnare statuisti, sed tanquam in iudicio, quo doces tuos non superbire. Vnde alibi, & iudicia tua adiuuabunt me, Psalm.118. Nullius proinde culpæ humanæ in Deum referas causam.* Quo testimonio D. Augustinus satis manifestè declarat modum, quo potest homo id præstare ad quod requiritur auxilium Dei esse, quia si ipse gratiæ diuinæ non defuerit, poterit huiusmodi auxilium adquirere, & culpa eius erit si non adiuuetur, ob quam meritò corripi debeat siue in iudicio, siue in furore, sicut paulò ante expressè dixit Augustinus. *Vt suaue fiat quod nō delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adiuuat voluntates, quæ vt non adiuuentur in ipsis itidem causa est non in Deo.* Hactenus Augustinus.

Stapletonus

De gratia sufficienti, & efficaci contra protestantes, & contra Pelagium eleganter egit Thomas Stapletonus in lib. de vniuersa iustificationis doctrina, lib.4. de gratia, & libero arbitrio capit.8. vbi mouet difficultatem illam de excitante, & adiuuante gratia, vtrùm voluntas humana liberè possit eis resistere. Quo in loco agnoscit in discursu illius tractationis diuisionem gratiæ actualis Dei in sufficientem, & efficacem, & profectò siue gratia vocetur hoc nomine, nimirū sufficiens, aut efficax, siue vocetur excitans, præueniens, mouens, vocans, seu adiuuans, non plurimum ad grammaticalia vocabula oportet attendere, sed ad Theologicum sensum diuersis vocabulis significatum, siue his siue illis, quia constat de re ipsa, cùm apud Sanctos Patres reperiatur vera distinctio gratiæ actualis sufficientis, & gratiæ actualis efficacis.

Ioannes Ekius.

Et Ioannes Ekius procancellarius Auripoli. Centuria. 3.de prædestinatione apertè & explicitè dicit duplicē esse Dei motionem gratuitam, vnam sufficientem, alteram efficacē, & hāc dicit posse intelligi bifariam, vno modo vt sit genus motionis, quo specialiter prædestinati, mouentur, quæ respersa quodam suauitatis odore intima animæ viscera fœcundādo Dei forma & in cæleste desiderium transmutat. Potest & alio modo (vt ille ait) dici motio efficax illa, quę assequitur voluntatem hominis actu ad eius cō sensum, & etiam isto secundo modo, apertū est, quòd quem Deus efficaciter mouet, ille acquirit gratiam. Itaque ipse non solùm distinguit gratiam in gratiam sufficientem, & efficacē, sed etiam docet gratiam efficacem habere latitudinem, & primam prædestinatis concessam, eminentiorem esse, imò verò quandam esse altioris & mirabilis ordinis, sicut fuit illa motio Marię Magdalenę, illa Matthęi, illa Pauli, & Centurionis iuxta crucem. De qua re legendus est ipse Ekius eadem Centuria. 3.de prædestin.pun.6. num.67. & etiam Centuria.5. Hanc eandem diuisionem admittunt Theologi Scholastici omnes, Capreolus, & Gregorius Ariminēsis, quos infra citabimus, siue sub his verbis, sine sub alijs æquiualentibus, & Scotus pariter, D.etiam Bonauentura in 1.disti.47.q.1. & Trigosus super D.Bonauenturam.1.p.tom.1.q.14. art.6. & q. 18.art.8.dubit.3. Toletus Cardinalis super Ioānem circa explicationem, & commentarium illorum verborum: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Ioannis.6. & Antonius Cordub.lib.1.q.q.55. Ferrara & S.Thom. locis à nobis inferius citādis, & Michaël de Palacios in 1.dist.46. & 47. & in 2.dist.25. Ruardus Tapper ar.7.de libero arbitrio, & Sotus Hispanorū decus & gloria lib.1.de natura & gratia plerisque in locis, & cap.16. & super Epistolā ad Romanos.8. Driedo eruditissimus apud Louanienses lib.de concordia liberi arbitrij, & prædestinationis.

Capreolus. Gregorius Arimin. Scotus. Bonauentura. Trigosus. Tolet. Corduba. Ferrara. S. Tho. Palacios. Ruardus Tapper. Sotus. Driedo

Sed restat dissoluere obiectiones aliquas contra diuisionem hanc de sufficienti & efficaci auxilio. Posset namque aliquis obijcere hoc modo. Diuinum auxilium actiuè se tenet ex parte auxiliantis, estque motio Dei mouentis animum hominis ad bonum aliquod diuinū, sed diuinæ motioni nemo valet resistere, sicut S. Thomas dixit. 1.2. quæstion. 10. articul. 4. ad 3. vbi ait, quòd si Deus mouet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni quòd voluntas ad illud non moueatur: ergò omne auxilium quod est motio Dei erit efficax, & nullum erit sufficiens tantùm. Rursus etiam si datur gratia sufficiens ad agendum non requiritur efficax: Nam illud dicitur sufficiens auxilium, vt ex nomine ipso constat, quod per se ipsum sufficit, aliàs quomodo erit verū quòd est per se sufficiens? ergò distinctio hæc auxiliorum non est necessaria. Respondetur, quosdam nouos Theologos voluisse nō distinguere auxiliū sufficiens ab efficaci, neq; aliquid dicere efficax supra sufficiens, cuius sententia explosa est à nobis supra, & impugnāda est inferius magis. Respōdetur igitur ad argumentum Primò quòd auxiliū quod donatur à Deo hominibus, & in eis recipitur per modū motionis respectu eius ad ꝙ donatur, & ordinatur ex volūtate absoluta Dei, nō frustratur. Nā hęc intētio absoluta

Obiectio.

Dissoluitur Primò.

non

non potest deficere: & hoc est quod S. Thomas dixit quando protulit sentētiam illā, quòd si ex intentione absoluta Dei est, vt homo cuius cor mouet, seu voluntatem, ad aliquid moueat, impossibile est poni quòd voluntas ad illud non moueatur, iuxta illud Sapientis. *Cor Regis in manu Domini, quocumq; voluerit vertet illud.* & iuxta illud Christi Domini, Ioannis. 6. *Omnis qui audit à Patre, & didicit venit ad me.* Vnde respectu illius effectus ad quem absoluta voluntate datur non reddit vacuum. Cæterum respectu effectus ad quem ordinatur sola volūtate antecedenti non est efficax. Nam vocatio, qua inuitatur, & allicitur ad pœnitentiam homo, si ille de facto non conteratur, neq; iustificetur, non est efficax vocatio, quamuis pulsatio illius vocationis, quantum ad eum effectum qui est vocare, & pulsare hominē, sortiatur effectum, non tamen sortitur ipsum, respectu pœnitentiæ, & conuersionis, & idcirco respectu huius non est efficax. In quare obseruare oportet, quòd quia auxilia diuinæ gratiæ, quæ peccatoribus conferuntur, ordinantur ad bonum eorum, & pœnitētiam, idcirco auxilia illa, quæ de facto conuersionem, & pœnitentiam nō attingunt, non dicuntur efficacia, vt nunc loquimur. Cæterū quia hæc auxilia mouent, & inspirant, atque excitant hominem, aut illuminant, quamuis peccator resistat illis, & non conuertatur, neq; pœniteat, tamē quòd homo moueatur & inspiretur ab illis, hoc verè obtinēt, & attingunt, nā mouere, & moueri sunt simul natura. Et quamuis contritio, & pœnitentia non sequātur, quia adhuc deest efficacitas auxilij proueniens ex absoluta intētione Dei, tamen auxilia ista sufficientia dicuntur ad pœnitēdū, quia tribuunt posse, & in suo genere sunt sufficiētia ad operari, si tamē ex actu primo ad secundum redducātur, accedente efficacitate ipsius gratiæ Dei. Nā hæc reductio de actu primo ad secundū est ex speciali Dei gratia, quæ habet coniunctū auxiliū efficax. Quo circa, quamuis homo de facto nō recipiat auxiliū efficax, vt re ipsa & in exercitio pœniteat, tamen per illud sufficiens auxiliū gratiæ, quod iam in se ipso habet & recepit, potest pœnitere, quia si nō resistat, recipiet gratiā efficacē, ad id ad quod inuitabatur; hoc enim est quod dici solet, quòd si homo rectè vtatur prioribus auxilijs sufficientibus, de facto recipiet efficacia. Si enim homo nō resistat sufficienti auxilio, aut non deficiat, recipiet maius à Deo, & non deseretur ab ipso. Qui modus procedendi traditur à Concilio Tride. sessio. 6. capit. 13. quia certum est quòd Deus nisi homo illius gratiæ deficiat, maioribus auxilijs gratiæ fulcietur, & stabilitur. Hoc enim Scriptura dicit ad Phili. 1. & 2. Deus nāq; nisi homines desint gratię eius, & deficiēt sicut cœpit op⁹ bonū, ita perficiet, operans velle & perficere.

Nota pro significatione huius vocis efficax.

Secundò.

SECVNDÒ respondetur, negando minorē. Nam certè vocationi Dei nō efficaci homo potest nō respōdere, & resistere, imò verò absolutè loquēdo, cùm motio illa supernaturalis ordinetur ad pœnitēdū, & ad liberè se conuertendū, homo quantum est ex se, qui liberè agit & deficere potest, similiter etiam potest deficere à pœnitentia, & conuersione: cùm verò S. Thomas ait quòd si Deus mouet voluntatē ad aliquid impossibile est poni, quòd volūtas ad illud non moueatur, apertè vult significare, quòd nō stat compositiuè, Deū efficaciter voluntate absoluta mouere affectū nostrum ad aliquid, & quòd in re simul ponatur oppositū, & quòd volūtas ad illud non moueatur, quia hic est sensus cōpositiuus, quē Theologi cū Magistro approbāt. Subiungit tamē D. Thomas loco citato nō tamē esse simpliciter impossibile, nimirū quòd voluntas ad illud non moueatur, quia hoc totum ex quadā suppositione procedit. Et præterea etiam. Quia Deus sic mouet voluntatem, quòd non determinat eam ad vnum determinatione necessaria, sed potiùs libera. Quod optimè explicuit D. Tho. q. 10. art. 4.

Respondetur tertio.

TERTIÒ respondetur, diuinā vocationem, qua à Deo vocamur non esse sitam in potestate nostra, vt dixit D. Augustinus, nō enim est positum in libertate nostra quòd tangamur, & vocemur à Deo, vocatione, & tactu supernaturali. Quare D. Augustinus li. 83. q. q. 68. dicit nemine posse sibi tribuere quòd vocatus est. Imò vero Tridentin. Concilium de diuina vocatione ait, quòd primum iustificationis exordium est diuina vocatio in adultis, quod sumitur à gratia præueniente, & hanc vocationem ait antecedere omnia etiam bona opera, aut merita: quod dicit Concilium, vt repellat omnia merita etiam de congruo.

Actorū. 9. D. Augu.

ITAQVE, quidquid sit de illis vocabulis gratiæ sufficientis, & efficacis, certissimum est diuinam vocationē aliquando esse efficacem, quæ responsum habeat in homine vocato, aliquando verò non esse. Et sanè de efficaci vocatione patet ex illo Actorū. 9. in vocatione D. Pauli, qui respondens dixit, *Domine quid me vis facere?* de qua vocatione D. Augustinus lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 5. dixit. *Vt de cælo vocaretur, & tam magna & efficacissima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat sola*, Et lib. de correption. & gratia capite. 5. inquit. *Quare isti sic, illi aliter, atque alij aliter, diuersis & innumerabilibus modis vocentur, & reformentur? Absit, vt dicamus iudicium luti esse debere, sed figuli.* Et lib. de spiritu, & littera capit. 34. expressissimè ait, *His ergo modis, quando Deus agit cum creaturarationali, vt ei credat, neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio tui credat. Profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine.* Et paulo inferius. *Iam si ad illam profunditatem scrutandum quisquam nos coarctet, cur illi ita suadetur, vt persuadeatur, illi autem non ita, duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat: O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, &c. Et nunquid iniquitas apud Deum?*

Isai. 50.

RVRSVS de eadem efficaci gratia dictum est illud Isaiæ. capit. 50. *Dominus Deus,*

aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij. Et illud Pauli ad Rom. 10. *Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.* Et plura alia reperiuntur in sacris litteris, & apud D. Augustinum, quæ modò consulto omitto.

Ad Roma. 10.

Inquibus dicatur esse auxiliū inefficax.

INEFFICAX auxiliū fuit in illis, de quibus Apostolus Paul. ad Roma. 10. inquit. *Non omnes obediunt Euangelio; Isaias enim ait: Domine quis credidit auditui nostro?* Fuit etiam inefficax in illis, qui dicuntur obdurare aures suas, Psal. 57. & in illis etiam quos admonet Prophe ta Regius, Psalm. 94. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Ex quibus patet solutio ad ea, quæ obijciebantur. Nam si sit sermo de effectu formali, & immediato diuinæ vocationis, & motionis, quod est esse vocatum, excitatum, & motum, hic effectus semper fit in nobis: cæterum ille alter ad quem finaliter datur, non item, qui est actus aliquis supernaturalis, vel pœnitendi, vel conuertendi, aut diligendi Deum, quem respicit, & ad quem inclinat auxilium sufficiens sufficienter quidem, sed non efficaciter.

§. 2.

Difficilis obiectio contra præfatam diuisionem.

OCCVRRIT prætereà obiectio altera difficilis contra eandem diuisionem auxilij sufficiētis & efficacis. Nam voluntas non constituitur in vltima actualitate, seu in potentia immediata & proxima ad operandum absq; efficaci auxilio gratiæ Dei: ergo absq; efficaci auxilio nunquam dabitur sufficiens: atq; adeo frustra diuidetur auxilium in efficax, & sufficiens tāquam in duo membra separata, & distincta. Ostendo consequentiam: Quia potentia tunc dicitur habere sufficiens auxilium ad agendum, quando ita habet sufficientem formam, quòd est in vltima actualitate, seu dispositione, & virtute, vt possit agere nullo alio adueniente, & nulla facta mutatione ex parte sui, aliàs non verè erit in proxima, & immediata potentia agendi, & operandi, sed in remota, siquidem deficit ei aliquid requisitum vt operetur, & agat. Antecedens etiam ego ostendo. Nā inter actualem operationem voluntatis, & auxilium sufficiens, mediat auxiliū efficax gratiæ Dei, tanquam quid præuium, & ad operationē voluntatis requisitum ex parte eiusdem voluntatis: igitur est necessarium ad hoc vt voluntas cōstituatur in vltima actualitate, & virtute agendi.

Quo modo huic obiectioni aliqui respōdeant.

HVIC obiectioni aliqui respondent, quòd vltima actualitas potentiæ supernaturalis, vna est, quæ pertinet ad actum primum, qua habet potentia virtutem agendi, altera verò quæ pertinet ad actum secundum eius, & inuenitur in ipsa actuali operatione potentiæ. Quo supposito dicunt, quòd sine efficaci auxilio potentia habet actualitatem, quæ pertinet ad actum primum quæ sibi donatur ab auxilio sufficienti. Nam ab eo habet potentia quòd constituatur in actu primo vt possit operari, sed non habet vltimam actualitatem completam, & quæ pertinet quasi ad actū eius secundum. Dicunt ergò ad maiorem, quòd sine efficaci auxilio volūtas est constituta in vltima actualitate pertinente ad actum primum, & in vltima dispositione vt possit operari: quia efficax auxilium quòd mediat inter perfectam potentiam ab auxilio sufficienti, & inter operationem, non tribuit virtutem agendi, & operandi ipsi potentiæ, sed solum se habet veluti conditio & applicatio potētiæ ad opus. Vnde sentiunt sine tali auxilio prę mouente, & efficaci habere potentiam per auxilium sufficiens vltimam actualitatem, & virtutem, vt operari possit, licèt in re, & de facto absq; efficaci Dei motione non operetur, neq; agat. Adducunt exemplum de qualibet potentia operatiua, verbi gratia, de potentia motiua, aut visiua, quæ vt exeant in actum, & exercitium operis, non solum requiritur virtus gressiua, quæ inest ipsi potentiæ, aut virtus visiua quæ est in ipso oculo, vel in ipsa potentia videndi, sed etiam requiritur actualis applicatio, qua à voluntate applicatur potentia ad hāc vel illam operationem, vel ad hoc vel illud obiectum cernendum. Et sanè per virtutem visiuā potentia constituitur in actu primo, absolutè loquendo, & in potētia proxima videndi antequàm applicetur; applicatio verò quæ mediat inter potentiam, & actum videndi, nullam confert vim, aut virtutem potētiæ visiuæ, vel gressiuæ, sed tantum virtutem in ipsis potētijs existentem determinat, & applicat ad obiectum determinatum, & ad operationem certam. Sic philosophantur nonnulli Theologi: dicunt enim, sufficiens auxilium gratiæ Dei ad pœnitendum esse totam virtutem supernaturalē constituentem volūtatem in actu primo, & in proxima potentia pœnitendi, & conterendi se, requiri tamen efficax auxilium ad applicationē virtutis supernaturalis præsuppositam in ipsa potentia per vim sufficientis auxilij, & quòd ob eam causam efficax auxiliū se tenet ex parte applicationis, qua prima causa, quæ est Deus actor gratiæ applicat, & determinat secundas causas ad operationes suas, & consequenter sine ipso efficaci auxilio potentia intelligitur esse constituta in actu primo, & hęc est causa cur auxilium efficax gratiæ Dei non pertinet ad actum primum, sed est extra essentiam actus primi, & quasi medium actuale inter actum primum, & secundum reducens ipsum ad hunc secundum, tanquam ad finem suum, ad quem ordinatur sufficiens auxiliū, seu actus primus.

Falsum est quòd non tribuat virtutem agendi efficacem.

HAEC solutio, & responsio quamuis misceat aliqua vera, tamen continet multa falsa. Primò enim falsum est, quòd auxilium sufficiens tantùm, tribuat vltimam omnino actualitatem cum immediata, & vltima dispositione agendi, & operandi. Sic enim nihil aliud esset requisitum ad agendum, & operandum, sicut constat de omnibus agentibus: & præcipuè est verum in voluntate, quæ cùm liberè operetur, ipsa est quæ se agit, & mouet, & determinat. Secundò. Quia apertè falsum est auxilium efficax gratiæ Dei solùm se habere vt conditionem, seu applicationem

Hæc solutio vnde quaq; vera nō est.

poten-

potentiæ ad agendum, ita vt sine tali auxilio efficaci potentia habeat per auxilium sufficiens vltimam actualitatem, & virtutem agendi. Existimo enim auxilium gratiæ efficacis prout venit à Deo habere virtutem agendi in actu secūdo, & non solùm esse conditionem, aut meram applicationem potentiæ ad actum. Rursus etiā existimo, quòd quamuis forma sufficientis auxilij sit forma influens, actuans, & informans potentiam, non tamen est forma completa omninò tribuens vltimam actualitatem, cum proxima & immediata dispositione agendi, qualis est illa quæ habet connexionem cum actu secundo, seu opere ipso. Quia constat dari hanc formam sufficientem ad opus supernaturale, & non dari vltimam actualitatem, vt constat in eo qui non respondet Deo, cum mouetur per hāc sufficiētem formam auxilij. Dicere verò quòd auxilium gratiæ efficacis Dei, solum est quædam conditio sine qua non, est ipsum negare, & ab eo tollere virtutem influendi efficacem, & negare ea, quæ communiter omnes Catholici dicunt, imò verò est negare rationem actus primi cōpleti, & adęquati, quam tribuit libero arbitrio, cū connexione operis, & principio præuio eius. Est etiam falsa præfata istorum respōsio. Nam etiam illi, qui voluerunt solùm esse cōstituendum auxilium sufficiens, non potuerunt negare, quòd in ipso opere, quando fit, requiritur alius nouus influxus à Deo veniens præter applicationē, ratione cuius sequebatur operatio: longè ergo releganda est responsio istorum siquidem non tribuit virtutem influentem efficaci Dei auxilio. Et ex his rationibus à me positis facilè potest constare, quid respondere oporteat ad obiectionem allatam.

Satis fit propositæ obiectioni.

RESPONDETVR tamen quòd sufficiens auxilium in suo genere constituit potētiam in actu primo supernaturali, non tamen in vltima actualitate, neq; in actu primo completo, & adęquato, qui adhuc exposcit aduētum gratiæ actualis efficacis Dei, quæ se habet etiam vt principium operis supernaturalis, à quo auxilio potētia habet vltimatè, & cōpletè, ꝙ fit in vltima actualitate, & in actu primo omninò cōpleto. Quare ad argumentum concedo quòd absq; efficaci auxilio voluntas non est constituta in vltimo complemento, aut in vltima actualitate, & in potētia omninò immediata, & proxima agēdi. Et quando infertur. Ergo sine efficaci auxilio non datur sufficiens: nego consequentiam. Semper igitur sentiendū est vltimam actualitatem prouenire ab auxilio efficaci, non solū ex parte applicationis vt venit à Deo, sed etiam ex parte principij, & influxus diuini.

Deniq; obijcies.

DICES: Auxiliū gratiæ efficacis, est principium ipsius operationis vt de se patet, ergo qui caret hoc auxilio, caret principio ad operandū: ergo solū est in potentia remota.

Respondetur.

Respondetur concesso antecedenti, negandum esse, quòd qui caret hoc principio efficaci actuali careat principio agendi sufficienti in suo genere, aut quòd careat principio inadæquato, solùm enim sequitur, & infertur, quòd qui caret efficacitate auxilij gratiæ Dei, non habet omninò immediatam, & proximiorem virtutem, & potentiā ad operandum, quia hanc præstat efficax Dei gratia, sufficiens verò auxiliū præstat quidem vim potentiæ, non quidem omninò proximam cū vltima actualitate, sed minus proximā, & quasi mediatam, vel minus immediatam, & incompletam, seu inadæquatam.

SECTIO. II.

Quid sit auxilium sufficiens gratiæ Dei, & quid sit efficax auxiliū, & in quo sita sit efficacia eius?

Quidē quale sit auxilium sufficiens secundùm aliquorum mentē proponitur.

DE HAC re Franciscus Suarez, quem supra retulimus, mouens difficultates & opiniones, quæ occurrebāt in exordio huius disputationis. li. 3. de auxilijs c. 6. supponit, auxiliū sufficiens præscindere ab efficientia, & includere negationem efficientiæ, ac proinde quòd sufficiens auxiliū illud est quod satis est ad efficiendum supernaturalem actum, illum tamen non facit, non quidem ex insufficientia auxilij, sed ex libertate voluntatis, ac proinde colligit, quòd de ratione auxilij sufficientis est quod sit sufficiens ad operandū, quia aliàs nō posset culpæ attribui operationis defectus. Nam sicut homini non præcipitur vt possit operari, sed vt operetur, & vt faciat, ita illi fuit donandum auxilium sufficiens, non vt possit tantùm, sed etiam vt faciat, & operetur, si velit, necessarium tamen fuit prius constitui hoc in eius potestate, quod factū est per sufficiens auxilium. Quod sanè dixit Trident. sess. 6. cap. 11. cùm ait: *Deus non iubet impossibilia, sed iubendo monet facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat, vt possis.* Hinc colligit hic auctor de ratione auxilij sufficientis, si proximè & actu sufficiens sit, esse, vt includat auxilia omnia absolutè & simpliciter necessaria, quæ per modum principij concurrunt ad supernaturalem actum. Quod quidem ille probat: Quoniam hoc auxilium est sufficiens per modum potentiæ, sed potentia, vt sit sufficiens, requiritur quòd habeat omnem virtutem necessariam ad agendum: quia hoc præ se fert nomen sufficientis auxilij. Nam si aliquod necessarium principium deest, sine illo non potest aliud operari: ergo illud non erat sufficiens. Non enim alia de causa voluntas nō est sufficiens ad supernaturales actus eliciendos absque auxilio gratiæ Dei, nisi quia indiget auxilio, sine quo non habet vires sufficientes: ergo quodcumq; auxiliū detur, si vltra illud est necessariū aliud per modū principij, alterū non poterit esse sufficiens simpliciter, sed ad summum in aliquo genere: ergò auxilium absolutè sufficiens, quod hominem constituit absolutè, simpliciter, &

Tridentin. sess. 6.

proximè potentem ad operandum necesse est includat omne auxilium necessarium, in quouis genere per modum principij.

Magis exponitur auxilij sufficientis natura.

Secvndò, idem auctor eodem capi. nu. 7. colligit ad explicandam naturam auxilij sufficientis, non esse de ratione auxilij simpliciter sufficientis quòd homo actu, & in se recipiat illud auxilium, quod est per modum concursus: quia non est de ratione sufficientis principij, vt actu operetur, illud autem auxilium non datur nisi in ipsa actuali operatione: Affirmat tamen esse de ratione auxilij sufficientis, quòd illud auxilium, quod datur per modum concursus, sit aliquo modo in hominis potestate, sicut dici solet etiam de generali concursu ordinis naturæ, quia par ratio cõcurrit vtrobiq; eò quòd concursus ordinis supernaturalis etiam in suo ordine est generalis, & idcircò requiritur & est necessarium vt ita sit exhibitus ex parte Dei, seu expositus in actu primo vt ex nostro arbitrio pendeat, quòd ponatur, vel non ponatur in actu secundo, Quia voluntate nostra se applicãte ad opus, statim etiam Deus influet ex vi suæ antecedentis voluntatis. Si verò liberum nostrum arbitrium suum influxũ continuerit, etiã Dei concursus actualis cessabit. Tandem concludit, quòd non potest intelligi alio modo voluntas nostra habere auxiliũ ita sufficiens, quod simpliciter, & absolutè sit in potestate eius supernaturaliter velle, vel nolle, nisi prędicto modo, quòd ex nostro arbitrio pendeat concursus Dei, vt ponatur vel non ponatur in actu secundo.

Secundùm eandem sententiam, efficacis auxilij, quatenùs sufficienti distinguitur, ratio & natura demõstratur.

De auxilio verò efficaci in quo consistat eius efficacia, dicit vt probabilius & verius statuendum esse: auxilium non solum dici efficax quia facit, sed etiam quia vires præbet efficacissimas voluntati, vt dixit Augustinus de gratia & libero arbitrio, capi. 17. Nam proprietas ipsius vocis, efficacis auxilij, hoc requirit. Dicitur enim medicamentum efficax, non ex eo tantũ quòd actu facit, sed quòd singularem vim habet ad agendum. Sic ergo dicitur esse efficax auxilium. Quo fit vt nomen efficacis auxilij nõ propriè tribuatur illi auxilio, quod est per modum concursus. Tum quia illud non tam est efficax, quàm ipsa effectio: tum etiam, quia in illo distingui non potest sufficientia, & efficacia, neq; illi potest specialis efficacia tribui: quia semper habet eandem actualem coniunctionem cũ effectu, tanquam via ad illum. Et idcirco illa diuisio solùm datur de auxilio per modum principij.

Ex dictis colligit prædictus auctor diffinitionẽ auxilij efficacis sub hac verborum serie. Est ergo auxilium efficax illud gratiæ principium, quod peculiarem vim, & efficaciam habet ad inducendam humanam voluntatem vt consentiat. Quæ sanè diffinitio, si rectè intelligatur, & explicetur, proximè ad veritatem accedit. Fatemur enim efficax auxilium dari per modum principij, & quòd habet specialem, & peculiarem vim atque efficaciam inducendi voluntatem humanam, & adaptandi, atque applicandi vt consentiat re ipsa, & operetur. Intelligimus tamen hanc peculiarem vim, & efficaciam esse non solùm moralem, sed etiam esse propriè efficientem: negat autem Franciscus, Suarez efficaciam gratiæ diuinæ esse plusquam moralem, quia negat esse propriè efficiẽtem, aut præmouere voluntatem efficiẽter propriè prius natura. Itaque negat posse procedere ex arce diuinæ gratiæ auxiliũ aliquod, quod premoueat voluntatem, non solum moraliter, sed etiam propriè efficienter. Quia putat lędi libertatem hominis, si Deus ita sua prouidentia ineffabili, & suauissima se gerat, vt nõ solùm præmoueat voluntatem hominis ad pias operationes moraliter, seu in genere motionis moralis, sed etiam in genere causæ primæ propriæ efficientis. Imò verò tam ipse, quàm sui sentiunt opinionem, & sententiam D. Thomæ esse impossibilem, nimirum quòd Deus præmoueat, volũtates nostras, tam præmotione morali, quã præmotione propriè efficiẽti, & quòd maneat illęsa libertas liberi arbitrij. Neq; intelligũt quo pacto Deus prędefiniat, verbi gratia, cõuersionem D. Pauli antecedenter ad præuisionem operis, & quòd Paulus fuerit liber in ea conuersione, si eum Deus præmouit, non solum moraliter, sed etiam efficienter cum conuertebatur. Quod quidem est contra D. Augustinũ, qui vt rem mirabilem, tribuit tanquam proprium soli Deo, homines facere volentes ex nolentibus. Si enim hoc intelligitur de sola morali efficientia & præmotione, id etiam conuenit hominibus: qui cognoscentes complexionem & conditionem, tempus & locum, & oportunam occasionem, adhibitis rationibus, & persuasionibus & proposito obiecto, &c. trahũt homines ad se, & efficiũt volentes ex nolẽtibus hac prẽmotione morali. ergò, vt hæc præmotio sit infallibilis omninò, & propria soli Deo, non solũ debet esse moralis, sed efficiens propriè: aliàs sola moralis præcisè, non habet omnimodam certitudinem infallibilitatis ex vi & efficacia sua.

Efficaciam auxilij non esse, nisi pro vt subest scientiæ mediæ tenet hæc sententia.

Tandem idem Franciscus Suarez libr. 3. de auxilio diuinæ gratię cap. 14. nu. 9. §. In quo consistat omnimoda efficacia vocationis: ait omnimodam efficaciam vocationis in hoc consistere, quòd Deus infinita sua sapientia præuidens, quid vnaquæque causa seu voluntas in omni euentu, & occasione operatura sit, si in ea constituatur, etiam cognoscit quando, & cui vocationi sit vnaquæque voluntas assensum præbitura, si ei detur. Vnde cum Deus vult hominem cõuertere, vult etiam illum vocare illo tempore & modo, quo nouit illum consensurum, & talis vocatio appellatur efficax. Quia licèt ex se nõ habeat infallibilem effectum, tamen vt subest tali scientiæ diuinæ, infallibiliter est illũ habitura. Ex quo infert hanc efficaciam solùm esse moralem. Sed profectò vocatio efficax, quæ appellatur à D. Augustino secundùm propositum, veriſsimam habet efficaciam ex vi diuini propositi, & decreti Dei, & prop-

pter hanc causam appellauit eam D. Augustinus vocationem altam, & secretam, de qua dixit, quòd à nullo duro corde respuitur, & modus quo tribuitur diuinus & latens est, quē mirificè extollit D. Augustinus. Vnde efficacia auxilij vocationis gratiæ Dei primū consistit in eo, quòd datur à Deo ex proposito, & intentione conuertendi, aut saluandi Petrū, aut Paulum. Qua ratione D. Augustinus efficacem vocationē dicit esse secundùm propositum gratię Dei, iuxta illud Pauli ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositum vocati sunt sancti.* & cap. 9. *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret.* Et etiam iuxta illud Pauli ad Ephe. 1. *Prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consiliū voluntatis suæ.* Vbi aduerte Augustinum dixisse vocationem efficacē esse secundùm propositū gratiæ Dei, quod intelligit de proposito absoluto & efficaci conuertendi, vel sanctificandi hominem, & non benè exponitur de proposito non absoluto, aut de sola volūtate antecedēte, si voluerit homo, qua Deus vult quantum in ipso est omnes saluare, si ipsi voluerint. Vbi perpende quòd prædestinati dicuntur electi secundùm propositum Dei, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ, & non dicit, quòd operatur omnia ex præuisione operum, sed post consilium voluntatis suæ. Si enim Deus operatur ex scientia media, qua videt quid vnaquæq; causa, seu voluntas operatura sit in omni euentu & occasione si in ea constituatur, iam quidem nō operaretur secundùm consilium voluntatis suæ, sed potius ex consilio voluntatis creaturæ, iuxta ea quæ præuidet per scientiā mediam, hoc est quatenus cernit quid vnaquæq; voluntas factura sit & operatura in omni euentu & occasione si in ea constituatur, quod est agere ea quæ creatura vult, & decernit ante decretum, & consiliū voluntatis Dei.

Ad Rom. 8. & 9.

Ad Ephe. 1

Qvam siniſtrè Suarez intelligat efficaciam diuinæ vocationis: constat ex sententia D. Augustini. 1. de prædestinatione sanctorum, cap. 16. & 17. vbi dicit. *Intelligamus ergò vocationem qua fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur vt credant.* En quo pacto non vocantur vocatione secundùm propositum homines, quia præuisi sunt credituri in tali occasione, si in ea constituantur, sed vocantur secundùm electionē, vt propositum Dei maneat, quoniā eliguntur vt credant, & non quia præuisi sunt credere per scientiam mediam, neque talis modus dicendi in scripturis, aut in sanctis Patribus legitur. De hac vocatione secūdum propositum potest intelligi testimonium D. Tho. dicentis: quòd si ex intentione Dei mouentis est, quòd homo, cuius cor mouet, gratiā consequatur, infallibiliter ipsam cōsequitur, intelligitur etiam testimoniū illud Ioan. 6. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Et de hac etiam locutus est D. Augustinus de prædestinatione sanctorum, cap. 14. cum ait, *Quòd per beneficia Dei certissimè liberantur, quicumque liberantur, quia intentio Dei non potest deficere:* ergò infallibilitas vocationis efficacis primò ex decreto Dei, & beneficijs eius procedit, tanquam ex primo fonte. Malè ergo prædictus auctor dixit loco citato vocationem hanc secundùm propositum posse esse inefficacem: quod qua ratione dicatur non video.

D. Augu. de prædestinat. SS.

Ioannis 6.

Addit vlteriùs auctor hic, quòd ad vocationem efficacem necesse est quòd Deus vocet hominem congrua vocatione, hoc est tali tempore, & tali modo, qui sit congruus, & proportionatus homini talis complexionis, naturæ, & conditionis, & quidem Deus comprehendens hæc omnia exactissimè in quolibet homine, similiter etiam nouit quis modus congruæ vocationis sit illi accōmodatus, vt consentiat, & emoliatur. Vndè secundùm præfatum auctorem Deus habet respectum ad talem complexionem naturæ, & conditionem eius in hac cōgruitate, à qua vocatio habet quòd sit efficax. Nam in hac congruitate, & opportunitate reponit prædictus auctor tam efficaciam conuersionis, & auxilij, quàm quòd hic potius quàm ille conuertatur. Imò verò dicit Dei vocationem, & auxilium, & gratiam esse, & dici efficacem, seu congruam ex proportione, quæ est inter auxilium gratiæ Dei, & complexionem naturæ indiuidualis hominis.

Quid hic auctor dicat de congruitate auxilij tribuens ipsi solùm moralem efficaciam, nullatenus verò physicā.

Ad hanc efficaciam vocationis, quam Deus habet respectu electorum, aut iustorum explicandam, & aperiendam adducit Suarez exemplum de dęmone, quasi similis ratio vtrobique militet in dæmone, & in Deo. Nam dæmon (inquit) sua scientia, & potentia ita potest tentare hominem si permittatur, vt morali quadam certitudine illum ad consentiendum inducat, quia cōprehendit vniuscuiusque hominis complexionem, & naturā, & potest obseruare tēpus, occasionem, & modum, quæ nouit esse magis congrua, & opportuna ad persuadendum, seu inclinandū hominem. Sic ergò dicit philosophādū esse de Deo, & multò melius quia Deus potest multò melius accomodare vocationem congruam homini, qua efficiat eū velle, quod ipse vult, vnde eā efficacitatē dat Deo in hac vocatione, quā tribuit dęmoni, & moralē precisè nō efficientē. Sed profectò quantum veritatis habeat hic modus dicēdi nemo Theologus cernit, imò verò neque D. Augustin. qui de prædestinatione sanctorum cap. 8. inquit. *Valdè remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Pater sic docet, nec agit hoc cum carnis aure, sed cordis,* & quamuis D. Augustinus, sæpe dicat esse quandam vocationem congruam, qua vocātur multi eo modo, quo scit eis cōgruere, hoc tamē simul componit cum sententia Pauli dicentis: *Quod non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Et pariter conciliat cum eo, quod dixerat, quòd est quædam gratia, quæ à nullo duro corde respuitur, de prædestin. sanctorum, cap. 8. Et simili modo conciliat cum infallibilitate diuinæ vocationis.

D. Augu.

Quibus difficultatibus premantur præcedentes sententiæ.

Non ita est in Dei operibus suauitas statuenda, vt ipsorum efficacia destruatur.

SED quamuis Deus suauissimè procedat in his, quæ circa hominē gerit, quia vt S. Thomas penè infinitis in locis dixit, ad diuinā prouidentiam pertinet seruare rerum naturas, & omnia mouere secundùm eorum conditionem, liberè, contingenter, vel necessariò, ex eo quòd Deo non solùm subiacent res ipsæ, sed etiā omnes modi agendi rerum, tamen negandum non est quin Deus simul se insinuet infallibilis in operibus, quæ ex decreto, & consilio voluntatis suæ statuit, & sanciuit. Vnde quando vocauit Paulum, efficacissima vocatione vocauit, ita illuminando, & mouendo eum intùs in corde, vt conuerteretur ad fidem. Quare si vlla congruitas se tenebat in conuersione Pauli, illa nō erat per respectum ad complexionē naturæ, & indiuiduationem eius, sed potiùs ad bonum sanctæ Ecclesiæ Dei, ratione cuius expediebat efficacissimam reddere Dei vocationem, ita vt verissimè diceretur, quòd illa mutatio Pauli fuit dexterę Excelsi. Nam quo tēpore Paulus persequebatur Ecclesiam, & furore quodam spirās minarū petierat litteras contra discipulos Domini, tunc congruitas non se tenebat ex parte ingenij, & complexionis ipsius Pauli, sed magis ex parte Ecclesiæ, & discipulorum Christi, tūc enim ad diuinam prouidentiā pertinebat ostendere qualiter doctrina eius vera erat, & qualiter testimonium eius erat infallibile, transmutando mentem Pauli sua efficacissima gratia, & vocatione. Quo circa apertè colligitur, quòd illa congruitas seu respectus ad complexionem naturæ, & conditionem indiuidualem nunquā potuit satis esse ad efficaciam vocationis, neq; ad illam efficacissimam Pauli, neque ad eam efficaciam, quam D. Augustinus intendit tribuere vocationi secundùm propositum, vt omninò infallibiliter cōsequatur effectum, quia hęc infallibilitas tāta esse debet vt sit implicatio quòd oppositum eueniat, aut quòd deficiat Dei propositum: sed ex vi solius illius congruitatis nō potest esse hæc infallibilitas: ergo illa non sufficit ad efficaciam vocationis secundùm propositum. Nam certè vocatio hæc est accomodata & proportionata intentioni efficaci Dei: sed implicat contradictionem voluntatem Dei efficacem non impleri: ergo non potest illa congruitas, seu vocatio, respectu complexionis naturę, esse medium proportionatum, nisi ita sit infallibilis, vt implicet & repugnet quòd effectus nō sequatur. Minor constat. Quia tota illa cōgruitas huius auctoris, & aduersariorum, solùm inducit quādam moralem certitudinem, cui non repugnat oppositum euenire, aut cui nō repugnat consequi effectum suum. Vnde auctor hic & sui nullam gratiam agnoscunt esse efficacem propriè & verè, vt venit à Deo, sed solùm efficaciam referunt ad oportunitatem loci, & temporis, in quo Deus prænoscit vocationem congruam ad ingenium, conditionem, & naturam eorum qui vocātur, effectum esse habituram, si eam eo tempore Deus dederit.

Ex D. Pauli conuersione sumitur argumentū contra hos auctores.

QVO circa isti auctores in tribus cōstituūt efficaciam auxilij diuinæ gratiæ. Primò quidē, in sufficiente auxilio. Secundò, in illa congruitate, & oportunitate loci & temporis liberi arbitrij, quòd est dicere in illa innata libertate indiuiduali liberi arbitrij, & in eius ingenio, & conditione. Tertiò, in præscientia Dei, qua perscie tiam mediam præscit futura sub conditione. Ex qua eorum doctrina optimè colligitur contra eos, quòd opportunitati temporis, & loci ascribitur illa differentia, cur vnus conuertatur & non alter: & similiter opportunitati temporis & loci ascribitur efficacia auxilij diuinæ gratię actualis. Quòd si ratio differentiæ & efficacitatis ascribitur oportunitati temporis, & similiter si efficacia auxilij ascribitur oportunitati temporis & loci, certè sequitur Angelos, qui ceciderunt habuisse gratiā efficacem, ne caderēt, & nihilominùs cecidisse. Nam certè habuerūt hanc oportunitatem temporis, & loci, quia nulla maior oportunitas poterat esse, quàm illa illius temporis seu durationis in qua fuerūt, quando videlicet creati sunt in gratia, & re ipsa cum auxilijs gratiæ, & cum optimo intellectu, cui cōmensurata erat gratia, quia videlicet sine vllo merito data fuit maior excellētioribus, & maioribus Angelis. Rursus tunc erat optimum & oportunum tēpus suæ conuersionis, & recognitionis ad Deum, ergò cùm non restaret alia via maior ipsis Angelis, vt saluarentur, & gratia illis data esset conformis eorum excellētiæ, ingenio, & conditione, quia Deus (vt inquit Augustinus) erat simul in illis condens naturam, & largiens gratiam melioribus maiorem, sequitur istorum opinionem & sententiā, vel esse apertè falsam, vel nullos Angelos cecidisse, quod est contra fidem. Rursus consequenter interrogari potest an in fine vitæ vocet Deus adultos vsu rationis vtentes, & tribuat illis tunc auxilia sufficientia, & necessaria, & an illud sit congruum tempus, vel nō. Non potest enim dici quòd non est congruum tempus, tam respectu misericordiæ Dei, quàm bonitatis, & sapientiæ, & prouidentiæ suæ, præcipuè cùm tempus vltimum vitæ maiore necessitate prematur; & cùm sit congruum tempus respectu morituri, sequitur quòd cùm moriturus ipse habeat auxilia sufficientia, quòd similiter ex congruitate temporis & loci, & ex congruitate diuinæ misericordiæ & bonitatis atque prouidentiæ, tale auxilium sufficiens de facto redditur efficax, atq; adeò sequeretur, quòd fere omnes in fine vitæ haberent efficacem illam gratiam.

In tribus cō stituitur auxilij efficacia ab his auctoribus.

Ex casu Angelorū euertitur aduersa sententia.

Ex tempore in quo vltimus vitæ Periodus finitur, sumitur non leue argumē tum.

POSSET aliquis obijcere, & meritò contra hos Theologos, & Auctores hunc discursum. Nam certè si efficacia gratiæ auxilij diuini, sumitur ex hac congruitate secundùm proportionem ad ingenium, & complexionem, & conditionem indiuidualem ordinis naturalis, seu naturalem Petri aut Pauli, sequitur quòd per ordinem ad indiuiduales vires Petri, vel Pauli sumi-

Ab inconuenienti arguiturquòd gratia sumeretur ex viribus naturalibus.

tur

tur efficacia auxiliorum gratiæ, ergo vires naturales, & indiuidualis conditio hominis, sunt mensura ipsius gratiæ & suę efficacitatis. Ostēdo consequentiam: Quoniam ex proportione virium naturalium oritur quod ista gratia sufficiens, vt illis commensurata, dicatur efficax, nimirum ex proportione ad ingenium, tanquam ad terminum illius proportionis, in quo quidē magna pars nostræ salutis, ingenio, & conditioni naturali tribuitur, tanquam à quodam principio, & termino, à quo sumitur efficacia gratiæ.

POSSVMVS etiam agere contra eosdem auctores. Quoniam si posita illa congruitate temporis & loci, & solo illo auxilio sufficiente, ipsum sit efficax, sequitur quòd conuersio peccatoris est infallibilis sola illa moralitate suppositā: ergo pari ratione tenentur dicere, quòd si eadem moralitate moueret malus Angelus Petrū ad malum, ex hoc sequi quòd infallibiliter peccaret, ac proinde quòd quotiescūque diabolus moraliter agit interius, & exterius, quòd infallibiliter peccabit homo tali infallibilitate, cui nō possit subesse falsum.

Iuxta hanc sententiam non tribuitur maior efficacia Deo, quàm amico vel aliquo alio moraliter inducenti voluntatem.

SANE quando Deus præmouet hominē moraliter ad bonum pœnitentiæ, & cōuersionis suæ, simul etiam præmouet & inclinat voluntatem eius ad speciale aliquod obiectum bonum efficienter tanquam primus auctor gratiæ, & bonorum, quia voluntas, quæ verè se determinat ad bonum, determinat quidem se sub determinatione Dei, vt Ruardus Tapper, & Driedo optimè adnotarunt. Nam aliàs qui præcisam moralitatem ponunt, & non etiam efficientem proprie sub illa, non tribuunt, neque dant Deo maiorem efficaciā circa dona gratiæ sui auxilij, quam ea quæ tribuitur amico prudenti. Nā certum est quod vnus homo amicus alterum præmouet moraliter, & determinat suasionibus, quærendo opportunitatē & congruitatem tēporis, & loci, & remotionem impedimentorū, atq; conditionem hominis; ergo præter moralem præmotionem, aliam sub illa excelētiorē, & propriè efficientem debent constituere: & hoc est quod D. Augustinus mirum in modum extollit asserens hoc esse singulare, & specialissimum Dei, nimirum facere volentes ex nolentibus. Quod non ita cum admiratione dixisset, si in sola moralitate reponeretur hæc efficacia gratiæ.

MIRABILE est vt constat ex aduersariorū dictis, & sententijs, quòd non tribuunt Deo aliam maiorem vim præmouedi & determinandi voluntates hominum respectu bonorum operum, quàm Diabolo respectu malorum operū, Nam certè Diabolus exterius, & interius mouet suggestionibus, & magnis suasionibus, & quærendo occasiones, & auferendo impedimenta, vel offerendo, & faciendo alia multa, hoc tamen excepto, quòd in eodem genere moris excellentius Deus ad bonum, quàm malus Angelus ad malum: ergo releganda est prorsus sententia istorum.

Modi dicendi quorundam.

GABRIEL Vazquez, 1. par. quæst. 23. disp. 88. præambula ad materiā prædestinationis, cap. 11. dicit quòd auxiliū præueniens, seu præuium, quo vocamur à Deo, inspiramur etiā ab ipso, & inuitamur ad bonum, vnum est sufficiens, & alterum efficax: explicans autē quid sit efficax, ait auxilium efficax esse quod effectum habet in nobis; sufficiens verò quod posset habere effectum, & non habet. Vtriusque meminit D. August. lib. de correptione & gratia, cap. 11, dicens: *Istam gratiam nunquam habuit primus homo, qua nunquam vellet esse malus. sed sanè habuit in qua si permanere vellet, nunquam esset malus, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset: sed eam tamen per liberum arbitrium deserere potest.* Et statim. *Dederat adiutorium* (videlicet Adamo primo parenti) *sine quo in ea, nimirum bona voluntate, non posset permanere si vellet. Vt autem vellet in eius libero reliquit arbitrio: posset ergo permanere si vellet, quia non deerat adiutorium per quod posset, & sine quo non posset perseueranter bonum tenere quod vellet.* An verò efficax auxilium ita habeat effectum vt possit ei nihilominus arbitrium resistere, dicit se non modo disputare, sed nihilominus aduertit pro sua sententia, quòd auxilium Dei efficax interdū appellatur à Patribus sufficiens, vt patet ex Prospero, secundo de vocatione gentium cap. 5. aliàs. 3.

D. Augus.

RVRSVS idem auctor tam auxilium sufficiens, quàm efficax distinguit in adiutoriū gratiæ vocantis, vbi duplicem dicit esse vocationē, vnam congruam, cui ita contemperatur arbitriū vt respondeat, alteram non cōgruam, quia non contemperatur arbitrium ipsi vocationi, ac proinde hæc est in illis, qui non respondent. Quæ doctrina fundatur in verbis D. Augustini lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2.

VT autem explicet hic auctor mētem suam, loco citato, disp. 98: cap. 6. concludit: congruam vocationem, quam ille efficacem dicit, in eo si tam esse, quòd ita congruit arbitrio, & contemperatur, vt pro loco, tempore, & alijs circunstātijs, sublatis impedimentis, homo illi respōdet, quam congruitatem ex præuisione operis per scientiam mediam esse efficacē Deus cognoscens, eam amplectitur in prædestinatis, & ijs qui conuertuntur, cum certa scientia conditionali futuri consensus, ratione cuius absolutè dicitur congrua. An verò aliquid peculiare sit ex parte intellectus in eo, qui respondet; iuxta D. Augustinum diuersitas esse potest in eo, vt diuerso modo audiant à Patre illi duo, quorum vnus respondet alter non. Quam diuersitatem refert D. Augustinus in secreta Dei iudicia, intus diuerso modo vocantis & excitantis. Quod si ex parte Dei intus præuenientis nō esset inęqualitas, nullo modo reuocaret Augustinus diuersitatem effectus in iudicia Dei inscrutabilia. Et in hac parte obiter perpendat Catholicus Theologus sententiam hanc D. Augustini

Efficaciam gratiæ in cō gruitate in ordine adcō plexionē, tē pus, locum, &c. sitam esse tenet Gabriel Vazquez.

esse

esse contra aduersarios. Perpendat etiam vnusquisque quòd ille qui, verbi gratia, cõsentit peccato, neque ab eo dimouetur per cogitationẽ virtutis, efficaciùs considerat id quod delectat in peccato, quàm id quod delectat in virtute. Et rursus, qui sequitur virtutem minores habet cogitationes ad peccatum allicientes, quàm ad virtutem inuitantes, aliàs non esset verum quod sanctissimus Præceptor dixit ex doctrina Aristotelis. 1. 2. quæstion. 77. articulo. 2. nimirum, eum qui peccat habere defectum in intellectu, quem defectum aliqui ita explicant vt leuius consideret illa, quæ auertere deberent animam à peccato, propter specialem modum representationis, qui voluntati cõgruit hoc vel illo modo affectæ.

SANE secundùm substantiam doctrinæ hic auctor ferè idem sentit cum Francisco Suarez, reponendo efficacitatem gratiæ, primò in sufficienti auxilio vocationis, aut excitationis gratiæ præuenientis; secundò in illa congruitate, & oportunitate loci, & temporis ad ipsum liberum arbitrium; tertiò in scientia illa media, qua Deus nouit consensuram esse voluntatem si vocetur tali tẽpore, & loco, &c. quod fit post præuisionẽ operis, &c. Quare difficultates omnes, quæ in hac opinione apparent eisdem argumentis à nobis positis, & proponendis repelluntur.

TANDEM colligit Vazquez, & existimat primò vocationem intellectus, & primum motum voluntatis indeliberatum, in quibus consistit gratia sufficiens, operans, excitans, & præueniens habere aliquid in eo, qui respondet, ratione cuius, licèt in se remissior sit, dicatur peculiaris, & maior gratia, maius donum, & beneficiũ, maior misericordia, maius auxiliũ, imò & maior vocatio, & ex consequenti eum qui respondet maiori semper gratia excitari, quàm eum qui resistit, atque adeo aliquid maius esse in eo, qui respondet, quàm in eo, qui resistit. Secundò dicit quòd posita tali vocatione semper voluntas cõsentit, ita tamen vt possit illi liberè repugnare. Tertiò affirmat gratiam illam specialem quodammodo necessariam esse, vt respondeamus. Distinguit tamen duplicem necessitatem: alteram antecedentem, quæ est ex parte causæ; & alteram cõsequentem, quæ consequitur aut comitatur positionem effectus. Cum ergò dicit hic auctor peculiarem gratiam operantem, & præuenientem esse necessariam, vt quis de facto respondeat, præter sufficientem, & communem, intelligit de necessitate consequentis quã secum adfert scientia Dei, cum qua auxilia gratiæ præuenientis præparantur, hæc enim supponit consensum futurum. Quare rectè colligitur hoc modo: Si aliquis consentit vocanti, necessariò sequitur illum à Deo fuisse præuentũ congrua vocatione, ac proinde fieri non posse vt aliquis consentiat, & ea congrua vocatione non fuerit excitatus, & vocatus. Sicut est impossibile aliquem consentire, & à Deo nõ prẽcognosci: quæ tamen necessitas, aut impossibilitas cùm supponat rem esse futuram, non impedit quominus libere sit futura. En, candide lector, quo nã pacto re vera auctores huius sententiæ si rectè perpendantur solùm constituũt ex parte diuinæ gratiæ auxiliũ sufficiens, quod secundùm entitatem gratiæ supernaturalis tale est, & hoc dicunt fieri efficax per illã congruitatem, quam explicant, in qua dicunt sitam esse efficaciam gratiæ Dei, & non in efficacitate actualis gratiæ supernaturalis venientis à Deo, & efficaciter præmouentis cor hominis efficiẽter propriè. Quam rem aperiemus, & examinabimus infra.

Tertia sententia.

TERTIA opinio & sententia est, quòd auxilium efficax vocatur illud, quo mediante peruenitur ad effectum, in quem ordinatur, auxiliũ verò sufficiens solum illud dicitur esse, quo mediante producitur aliqua operatio à creatura, sed ordinatur mediatè, & vltimatè ad aliã perfectiorem operationem, respectu cuius vocatur tantum auxilium sufficiens, eo quòd si homo non resistat, sed velit cooperari tali auxilio Deus de se paratus est ad præstandum quodcũq; aliud auxiliũ necessarium, vsq; ad vltimũ effectum, verbi gratia, vocatio interior, qua Deus per internam inspirationem admonet, & vocat aliquem infidelem, vt derelinquat Idola, & conuertatur ad fidem Christi, & ad verum Deum creatorem cæli, & terræ: illa inquam vocatio interior vt procedit à Deo, vocatur auxilium efficax respectu illius operationis, quam habet infidelis, nimirum respectu illius cogitationis. Dicitur tamen eadem vocatio auxilium tantũ sufficiens, respectu conuersionis ad fidem verã ad quam ordinatur ab ipso Deo: quia per illam vocationem si non resistat est sufficienter potens conuerti ad veram fidem. Si enim cooperari velit illi auxilio Deus paratus est ei concedere reliqua necessaria vsque ad actualem conuersionem ad fidem. Similiter quando aliquis Christianus existens in peccato mortali habet aliquam internam inspirationem, qua dictatur sibi esse valdè periculosum statum illum, & posse sibi euenire repentinam mortem, subitoque in infernum descendere, huiusmodi inspiratio interior respectu illius cogitationis, vel alicuius bonæ affectionis, sine dubio est auxilium efficax, verum tamen respectu actualis conuersionis in ipsum Deum, & respectu recessus à peccato mortali dicitur solum auxilium sufficiens, quia illo mediante redditur potens ad talem conuersionem, si non resistat.

DENIQVE Pelagius vt colligitur ex D. Augustino lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. vlt. negabat sufficiens auxilium supernaturale, quia existimabat hominẽ per innatas naturæ vires posse facere actus omnes cõuenientes ad suam salutem.

CALVINVS autem per oppositum semper dixit omne Dei auxilium efficax esse. Cuius hæresim retulimus superiori disp. 3. repulit verò auxilium sufficiens.

LVDOVICVS Molina in sua concordia diui

sit auxilium sufficiens in auxilium efficax, & in auxilium inefficax, quòd verò sit efficax, aut ineficax, dicit pendere ab arbitrio illius, cui præstatur. Quòd si hoc est verum illa nō est diuisio ex parte auxiliorum gratiæ Dei, sed solū ex parte arbitrij, quod ipse ita sensit. Nam dicit quosdam non rectè constituere auxilium efficax, & inefficax ex ipsa auxilij cōditione aut natura. Quod ille ita similiter sensit in sua concordia locis citatis, & quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 6.

Prima Conclusio.

Concluſ. 1. Hoc verbū ſufficiens Theologicè non Grammaticè vſurpandum eſt inpræſenti.

His iam prælibatis tempus est, vt veritatem huius disputationis eruamus. Pro qua aperienda dico primò. Auxilium gratiæ Dei quod apellatur sufficiens, non vocatur sufficiens ex eo, quasi ipsum solum sit satis, ad actu habendā illam operationem ad quam vltimò ordinatur, quasi non sit aliquid aliud necessariū, nisi quòd non apponatur impedimentum. Pro qua re perpendendum est nos loqui in præsenti de auxilio sufficienti Theologicè, sicut scholastici loqui solent, & non grammaticaliter, & idcircò non solùm oportet attendere ad grammaticalē vocabuli significationē, sed præcipuè ad Theologorum, & Catholicorum vsum, qui ex eo vocant huiusmodi auxilium gratiæ sufficiēs, quia homo eo mediante redditur sufficienter potēs. Quemadmodū Theologi in materia de incarnatione contra hæreticos Lutheranos tāquam certū docent passionem Christi Domini fuisse sufficientem ad vltimam salutem omniū hominum, eo quòd de se fuit sufficiens, & ex parte sua habuit valorem infinitum, atq; adeò sufficientissimum. Quòd si homines non suis peccatis se se ei opponerent, & ipsa applicaretur omnibus ad omniū salutem vltimam, sicut applicatur illis qui iustificantur, & etiam quantū ad efficaciam omnibus prædestinatis, sic efficaciam suam in illis haberet, sicut quibus debitè fuit applicata virtus passionis Christi secundùm efficaciam. Hæc est aliqualis similitudo, sed non omnimoda.

Ratio pro cōcluſione.

Ex hac assertione sequitur contra aliquos asserentes, & existimantes nullum esse auxiliū sufficiens quod non sit etiam efficax respectu eiusdem operationis, respectu cuius dicitur sufficiens, atque adeò quòd nullum datur auxiliū tantum sufficiens. Contra hos ergo colligitur optima ratio. Nam si propriè loquendum est, & non vtamur equiuocatione, auxilium gratiæ Dei tenet se ex parte auxiliantis, & tunc solū habet locū, quando creatura cui Deus auxiliatur, cooperatur illi, in ea operatione ad quam ordinatur tale auxilium; sed per vocationem illam internam, non cooperatur homo etiam si nullum apponat impedimētum cum ipso Deo ad actualem conuersionem, nisi superaddatur auxilium, quod sit principium immediatum illius conuersionis: ergò illa vocatio interior tantum fuit sufficiens auxilium respectu conuersionis, & non efficax. Dixi loquendo propriè. Nam vocare auxilium Dei hoc solum quod est Deum esse paratum ad auxiliandum creaturæ, non est loqui propriè de auxilio physicè & realiter, sed vt plurimum moraliter loquēdo, quoniam in estimatione hominum, quando aliquis est paratus quantum est ex se ad fauendum alteri, quando ille voluerit, censetur ille alter habere auxilium in tali amico, realiter autem & physicè non dicemus cum proprietate auxilium, quando de facto non præstatur: verbi gratia, si Rex aliquis de se sit paratus ad prestandum fauorem alteri Regi amico, & conuicino gerenti bellum contra hæreticos, ille non dicetur physicè & realiter præstare auxilium tali Regi, nisi re vera aliquid faciat, aut nisi in eius exercitum mittat aliquos milites, quātumuis de se sit paratus ad mittendum eos.

Solutio.

Replica.

Sed respondent alij, quòd Deum esse paratum non est auxilium in actu secundo benè tamen in actu primo. Contra hoc tamen est, quia seruando proprietatem loquendi vbi habent locum actus primus & secundus, in eodem subiecto assignandus est actus primus in quo ponitur secundus, vt patet de actu primo, & secundo nostri intellectus, nimirum de specie intelligibili, & de actu intelligendi: ergo si auxilium Dei in actu secundo reperitur in creatura, in ea etiam debet collocari auxilium in actu primo, si aliquod tale fuerit. Deinde auxiliū Dei supernaturale aliud est remissum, & aliud intensium, & aliud simpliciter necessarium, siue ad sufficiētiam, siue ad efficaciam, aliud autem non est simpliciter necessarium, sed ad melius esse, & hoc solet vocari auxilium superabundans.

Notandum hanc vocē, auxiliū. ſolere accomodari concurſui etiā generali.

Verum vt campus huius materię aperiatur obseruare oportet quantum ad vocem, & nomen auxilij, quòd auxilium illud quo Deus cōcurrit cum causis naturalibus, & liberis ad naturales operationes solet vocari auxilium Dei generale, vel concursus generalis, eo quòd hic modus auxiliandi sit communis respectu omnium causarum naturalium: illud verò auxilium quo Deus concurrit cum creaturis intellectualibus ad operationes ordinis supernaturalis vocatur auxilium supernaturale, vel speciale per respectum ad aliud quod dicitur generale, quia non est commune omnibus creaturis, sed solis intellectualibus, & tantùm ad speciales operationes ordinis supernaturalis. Inter hæc autem specialia auxilia, quędam sunt specialissima, quæ solent vocari auxilia superabundantia. Præterea inter hæc auxilia vnum dicitur auxilium gratiæ præuenientis, vel excitantis, aliud verò dicitur auxilium seu gratia concomitans, aut cooperās, vel adiuuans. Non enim nunc loquimur de gratia habituali, & gratum faciente, sed de gratia actuali, vt dicitur quoddam donum gratuitum & supernaturale, & quædam diuina motio. Et quidèm nomen gratiæ præuenientis & excitantis, atque adiuuantis expressè reperitur in Concilio Trident. sess. 6. cap. 5. Illud enim auxilium quod in superioribus vocauimus sufficiens, illud est quod hic vocamus gratiam prę-

uenien-

uenientem vel excitantẽ,&c. Solet enim Deus pro sua benignitate præuenire,mouere,& excitare cor hominis fortè dormientis in peccato mortali,offerendo illi huiusmodi sufficiens auxilium,cuiusmodi est vocatio, quam Concilũ Tridentinum expressè vocat gratiam præuenientem,& excitãtem. Iam enim diximus hoc auxilium sufficiens ordinari à Deo ad vlteriorẽ operationem magis perfectam,videlicet ad cõuersionem. Illud autem auxilium quod vocatur efficax, quo de facto conuertitur homo in Deum,vocatur etiam auxilium,& gratia concomitans,& cooperans, vel adiuuans, quia de facto concomitatur,& adiuuat operationem causæ secundæ. Inferri etiam potest ex dictis,quòd vnum,& idem auxiliũ supernaturale quod potest esse efficax respectu vnius operationis potest esse tantùm sufficiens respectu alterius, vt constat ex exemplis supra allatis.

ITAQVE conclusio, & hæc prima assertio sentit motus gratiæ diuinæ vocantis, excitantis,& inspirantis,atque mouentis,eo referri, vt homo illis excitatus,& permotus sese ad Deũ conuertat voluntate deliberata: & hunc finem Deum intendere certissimum est. Hoc proclamat D. Augustinus. lib. 83. quæst. quæst. 68. dicens. *Hæc vocatio,quæ siue in singulis hominibus,siue in populis,atque in ipso genere humano per temporum oportunitates operatur; altæ, & profundæ ordinationis est.* Et paulò antea dixerat Augustinus. *Quoniam nec velle quisquam potest nisi admonitus & vocatus,siue intrinsecùs,vbi nullus hominum videt,siue extrinsecùs per sermonem sonantem,aut per aliqua signa visibilia efficitur vt etiam ipsum velle Deus operetur in nobis.*

D. Augus.

Secunda Conclusio.

Conclu. 2. DICO secundò. Ad hoc vt aliquis dicatur habere sufficiens auxiliũ gratiæ Dei Theologicè requiritur quòd habeat illud donum gratiæ,quod est principium & exordium conuersionis,vt illo prœuentus,excitatus,atque motus possit auxiliante Deo habere efficaciam gratię. Quo fit vt quando vocatio tantũ est sufficiẽs, & non secundum propositum non ipsa sola cũ libero arbitrio hominis efficit consensum, & conuersionem,sed vna cum accedente alio peculiari auxilio & influxu Dei, quo indiget etiam homo ille vocatus,& excitatus,vt vocationi,& excitationi consentiat. Et inferius dicemus in quo consistat peculiaris hæc gratia Dei. Nam certè quando hæc gratia auxilij diuini accedit ad vocationem,& excitationem, tunc auxilium est adęquatè efficax,vocatio autem illa prior & sufficiens non habet adęquationem, neq; totalitatem,vt ita dicam. Quoniam efficax gratia diuini auxilij constat non tantùm ex vocatione illa priori,sed etiam ex peculiari illo altero auxilio. Quòd autem homo præter vocationem illam priorem indigeat illo alio auxilio, vt vocationi respondeat adęquatè, certissimum est,vt constat ex doctrina Theologorum,quando disputant de modo quo oportet peccatorem disponi ad conuersionem,& iustificationem. Nam non solùm est ipsius Dei, vt nos vocet sufficiẽti auxilio,sed etiam vt peculiari gratia,& auxilio ad se nos trahat, & respondere faciat, iuxta illud Christi Ioãnis. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater,qui misit me traxerit illum.* Hoc idem definitur in Treden. sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere,sperare,diligere,aut pœnitere posse,sicut oportet,vt ei iustificationis gratia conferatur,Anathema sit.* Vnde sicut vocatio diuina gratiæ Dei ad totam hominis mentem dirigitur,vt videlicet tam per intellectum, quã per voluntatem respondeat,sic vocationi,& auxilio Dei,quo nos Deus efficaciter iuuat,acceptum debet referri, quòd voluntate,& intellectu respondeamus quando conuertimur ab statu peccati ad gratiam: quod quidem definitur contra Pelagium in Concilio Arausicano. can. 4. & in Concilio Mileuitano. can. 4. de qua etiã re egregiè locutus est D. Augustinus. lib. de gratia & libero arb. cap. 19. & lib. de dono perseueran tiæ,cap. 15. Vocatio tamen diuina, quæ est auxilium sufficiens gratiæ Dei,quatenus continetur motibus illis, quibus inuitamur ad conuersionem,ingentem habet latitudinem,& non cõsistit in indiuisibili,vt constat apertè ex Concilijs citatis, & ex doctrina quam tradidimus in discursu huius materiæ.

Ioan. 6.

Triden. sess. 6.

Concilium Arausican. & Mileuitanum. D. Augus.

TANDEM, vt assertionem propositam intelligas de sufficienti auxilio gratiæ Dei perpende & obserua, quòd nisi quis gratiæ Dei deficiat, aut repellat gratiam illam, & contemnat vocationem,aut resistat, Deus adiuuabit eum, influetque in ipsum vt piam actionem conuersionis exerceat,respectu cuius est prœuentus, & excitatus. Huc pertinet quod Patres in Concilio Tridentino dixerunt. *In Dei auxilio firmissimã spem collocare,& reponere omnes debent.* Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet,operans velle & perficere. En quo pacto Concilium duo dicat, quòd Deus sicut cœpit opus bonum, nimirum prœueniendo per gratiam suam, & mouendo cor hominis, auxilio videlicet sufficienti suo, ita etiam perficiet operans velle, & perficere, nimirum per gratiam efficacem suam. Secundò dicit,quòd in auxilio Dei oportet firmissimam spẽ collocare,& reponere, quia nisi homo, qui à Deo mouetur per gratiam actualem eius deficiat ipsi gratiæ, Deus non deficiet, sed potius perficiet operans velle,&c. Hoc dixit D. Augusti. lib. de natura & gratia,cap. 26. *Deus non deserit, si non deseratur, vt pie, iusteque viuatur.*

Tertia Conclusio.

DICO tertiò De auxilio gratiæ Dei sufficienti: Quòd in suo genere constituit potentiã in actu primo supernaturali respectu finis ad quem ordinatur,sed non constituit potentiam in vltima actualitate, neque in actu primo omnino adęquato,& completo. Hæc assertio tra-

Conclus. 3.

dita fuit à nobis in solutionibus argumẽtorum sectionis primæ antecedentis. Et probatur apertè ex ijs quæ paulò superius diximus in prima, & secunda assertione. Et certè quando dicitur, quòd si nos Dei gratiæ non defuerimus, Deus ipse nũquam deerit, sed sicut cœpit opus bonũ perficiet, operans & velle, hoc ipsum significatur. Et idcircò dixit Concilium in Dei auxilio firmissimam spem reponendam esse. Fundamẽtum huius assertionis est id quod tradidimus superius, videlicet quòd sufficiens auxilium, cum adhuc non sit in vltima actualitate, respectu cõsecutionis finis, ad quem ordinatur, adhuc exposcit aduentum gratiæ actualis efficacis Dei, quæ se habet etiam vt principiũ operis supernaturalis, à quo auxilio gratiæ habet potentia adæquatè, vltimatè, & completè, quòd sit in vltima actualitate.

Quarta Conclusio.

Conclu. 4.

DIco quartò de auxilio efficaci Dei. Auxilium efficax diuinæ gratiæ est illud gratiæ principium, quod peculiarem vim, & efficaciã habet adæquatè ad inducendam humanam volũtatem, vt consentiat actu, & re ipsa. Huic assertioni magna ex parte consentiunt Suarez, & sui. Nam lib. 3. de auxilijs cap. 6. num. 8. fere in fine dicit, quòd vt probabilius & verius statuit, auxilium non solum dici efficax, quia facit, sed quia vires præbet efficacissimas voluntati, vt dixit D. Augustinus lib. de gratia, & libero arbitrio, cap. 17. Quia proprietas ipsius vocis hoc postulat. Nam medicamentum dicitur efficax, nõ solum ex eo quòd actu facit, sed quòd singularem vim, & efficaciam habet ad agendum, sic ait quòd auxilium dicitur efficax, ex quo colligit quòd illa diuisio auxilij in auxilium sufficiens, & efficax, datur de auxilio per modum principij. Ex quo iterum colligit quid sit auxiliũ efficax, dicens. *Est ergo auxilium efficax illud gratiæ principium, quod peculiarem vim, & efficaciam habet ad inducendam humanam voluntatem, vt consentiat.* Quod quidem verissimum est, & nisi ille plurimum recessisset ab hac doctrina, quam hic proponit, explicando alium modum efficacitatis, quem in sola moralitate constituit, proximè accessisset ad veritatem de qua agimus. Quoniam efficacitatem diuinę gratiæ reposuit postea in quadam congruitate temporis & loci ad naturam, ad complexionem, ingenium, & naturæ vires innatas. Quod amplius ipse declarare debuisset, præcipuè cum sui, similiter & ipse, ab effectu, & euentu, & à cooperatione nostri liberi arbitrij desumant efficaciam auxilij gratiæ Dei.

Auxilium efficax, vt a Deo procedit, habet vim inducẽdi humanã volũtatem, vt re ipsa consentiat.

EGo sanè cum aduersarij dicunt, diuisionem illam auxilij sufficientis, & efficacis dari de auxilio per modum principij, respectu vtriusque auxilij, & cum definiunt efficax auxilium dicentes: Quòd efficax auxilium est illud gratiæ principium quod peculiarem vim, & efficaciã habet ad inducendam humanam voluntatem, vt re ipsa consentiat: adijcerem, huiusmodi auxilium efficax gratiæ diuinæ, habere hãc vim peculiarem, & efficaciam, vt venit à Deo, & ab arce gratiæ suæ, & ad inducendam humanam voluntatem suauiter, & fortiter. Vnde Deus non solùm moraliter causat, & præmouet voluntatem, quod libenter fatemur, imò verò hanc motionẽ postulat rationalis natura, vt diuinis persuasionib⁹ obiecto proposito moueatur, & suauiter pro libertate sua, sed sub hac morali motione requiritur, quantum postulat diuina prouidentia, & infallibilitas suorum decretorũ, & imbecillitas nostra, vt moueat voluntatẽ efficienter propriè, suauiter quidem, quia omnes modi causandi, & non solum ipsæ causæ subiacent Deo. Igitur cùm efficax Dei auxilium ad hoc tribuatur à Deo, vt voluntas re ipsa consentiat, & non solùm vt velle possit, sed etiam vt determinatè velit, id ad quod mouetur, per tale gratiæ auxilium, idcirco efficacia eius, videtur consistere quarenus venit à Deo, in vi quadam determinandi voluntatem ad volendum. Quoniam volũtas se determinat liberè sub determinatione Dei. Quod concessit veritate ipsa coactus Franciscus Suarez, lib. 3. de auxilijs, cap. 7. in principio, & solùm inquirit quomodo hoc possit, & debeat intelligi, & quomodo hoc possit cum libertate coniungi, An hoc fiat prædeterminãdo voluntatem solum moraliter, vel vtroq; modo moraliter & efficienter propriè, vt distinguitur contra moraliter solum. Et ille citat nos, & Dominicum Bañez, quòd dicamus Deum in omnibus operibus gratiæ prædeterminare physicè voluntatem nostram ad consentiendum. Et sanè modus loquendi de physica prædeterminatione, & vocabulum ipsum ab ipso & à suis inuenta sunt, cum tamen ante hanc ętatem contenti eramus explicãtes efficaciam gratiæ Dei, quòd Deus nos mouet auxilio efficaci ad pœnitendum, & quòd Deus nos mouet sua gratia mirifica, & vi sua, aut quòd propriè efficienter nos præmouet. Solitum etiam erat dici à nobis, quod Deus nos mouet infallibiliter, aut quòd præmouet nos effectiuè, aut efficienter intus agendo. Illud autem vocabulum physica prædeterminatio, quia sonat prædeterminationem naturalem non benè inuentũ est ad explicandã efficaciam gratiæ, respectu operum supernaturalium, neque prædicti auctores possunt intelligere prædeterminationem physicam, ideſt naturalem, sed solum oportet vt intelligant præmotionem gratiæ Dei verè influẽtem, & propriè efficientem, ita vt voluntas, & se moueat, & moueatur. Quoniam vt dicit D. Thom. hoc quòd est moueri ab alio, non tollit hoc quod est moueri à se. Et quidem S. Thomas. 1. 2. quæst. 9. & 10. sollicitè inquirit à quo moueatur voluntas vt ab exteriori principio, quod intelligit de principio efficiẽte propriè. Nam quòd voluntas moueatur modo morali ab obiecto, & persuasionibus, nunquã fuit difficilè. Cernimus enim volũtatem amici ab amico moueri; An verò voluntas à solo Deo moueatur vel ab appetitu, vel à corpore cæleſti,

Modus loquendi de physica præ determinatione nouè est inuentus ab auctoribus oppositæ sententiæ, non vt probent, sed vt improbent.

vel

vel à dæmone? id quidem interrogat D. Thomas, vt explicet voluntatem à solo Deo moueri, nimirum efficienter propriè, quia alijs modis directè aut indirectè moraliter, proximè, vel remotè, id quidem non solùm Deo tribuit D. Thomas, sed etiã alijs causis, & rebus. Quod verò concludit voluntatem nostram à solo Deo moueri, intelligit planè & apertè à solo Deo moueri, tam moraliter, quàm efficienter propriè. Quod eruditè valdè perpendit Caietanus. 1.par.quæst.105.art.4.vbi dicit maximè proprium Dei esse mouere voluntatem propriè efficienter, quia mouere obiectiuè volũtatem cõmunicatur alijs, mouere tamen ab intus nulli communicatur. Solus enim Deus illabi potest libero arbitrio, quia solus fecit, & conseruat illud.

EX QVIBVS sequitur repellẽdam esse illam sententiam, quæ confundit gratiam adiuuantẽ cum excitante. Nam quamuis dicat motus gratiæ excitantis non semper concurrere simul tẽpore cum consensu voluntatis, sed interdũ præcedere gratiam excitantem per sanctam cogitationem & timorem: tamen affirmat postea sola recordatione illius timoris & diuinæ motionis hominem liberè conuerti, conteri, & incipere pœnitentiam agere. Hanc autem memoriam & recordationem dicunt concurrere tantùm proponendo obiectum. Quam opinionem refert Franciscus Suarez, lib.3.de auxilijs, cap.4.nu.13.circa verbũ illud, Quartò addere possumus. De qua opinione, propter nonnulla argumẽta, dicit esse difficilem, non tamen improbabilem, quia aliquo modo solui possunt si oporteret.

Falsum omninò est solã recordationem & memoriam diuinæ motionis esse sufficiens supernaturale principium cõuersionis, & id impugnatur.

SED certè non est verosimile, neque rationabile solam illam memoriam præcisè, esse sufficiens principium supernarurale effectiuũ cõuersionis, sed potius concurrere solùm proponendo obiectum. Rursus in primo actu credendi supernaturali fidei difficillimè assignari potest motus gratiæ excitantis iuxta hunc modũ dicendi, qui posit esse supernaturale principiũ ad eliciendum talem actum: Quia iuxta prædictam sententiam ibi solùm antecedit apprehensio obiecti & iudicium practicum de eius credibilitate, post quod accedit voluntas credendi: nihil autem horum potest esse principium eliciens actum credendi, quoniam voluntas potius est imperans quàm eliciens actum illum fidei. Rursus contra eandem sententiam faciunt rationes seu argumenta, quæ à nobis superius proposita sunt disput.2.dub.1.prope finem. ibi legat ea diligens Theologus.

Quinta Conclusio.

Conclu.5.

Auxilium efficax constitit in dono gratiæ actualis quo homo liberè conuertitur ita vt actualis conuersio nullatenus libero arbitrio, etiã supposito auxilio sufficienti, sed solum huic auxilio tribuendum sit.

DICO quintò. Auxilium efficax diuinæ gratiæ, quod necessarium est etiam omnibus iam excitatis, & vocatis per auxilium sufficiẽs, vt liberè conuertantur, quo posito, certò, & infallibiliter conuertuntur, constitit in aliquo dono gratiæ actualis, quo homo liberè conuertitur, ita vt de effectus sit hominis, si careat eo quod est necessarium omninò vt iustificetur. Quocirca quòd homo conuertatur, ac respondeat diuinæ vocationi, & motioni auxilij sufficientis non tribuendum est soli libero hominis arbitrio, & innatis viribus eius, sed ipsi gratiæ efficaci Dei, cuius nimirum beneficio, atque dono homo agit, & liberum arbitrium conuertitur, & respondet, ita sanè vt si quis interroget, cur, verbi gratia, Petrus conuertitur, optimè respõdetur, quia habuit gratiam efficacem Dei, quæ fecit vt liberè conuerteretur, & ipse etiam Petrus fuit liber vt cum tali adiutorio gratię eius conuerteretur.

HAEC assertio certissima est: dicũt enim Theologi Catholici diuinam gratiam efficacem esse illam, quæ non tantum facit, vt conuerti, & piè viuere possimus, sed etiam vt conuertamur, & piè viuamus, quod nos supra testimonijs Sacrarum litterarum, & D. Augustini ostẽdimus. Et profectò hæc nostra assertio apertè constat. Primò, vt Catholici sentiunt, ex ipsa vocabuli nomenclatura, & notione. Quia gratia efficax illa dicitur, quæ habet vim, & efficaciam, ita vt vnà cum libero arbitrio sit actu causa cõuersionis, & pœnitentiæ. Sed omnis effectus rectè ascribitur suæ causæ principali, & optimè ex causa ipsa redditur ratio ipsius effectus: ergo optimè respondetur illi quæstioni, cur iste conuertatur? respondendo: quia habuit efficacem Dei gratiam, quæ fecit vt liberè conuerteretur, & quia voluit ex efficaci Dei gratia liberè se conuertere.

Ex ipsiusmet minus significatione aliquantũ explicatur cõclusio.

DIVVS Augustinus mille in locis dono diuino & efficacitati gratię tribuit quòd homo pœniteat, vel conuertatur. lib.1. de prædestinatione Sanctorũ, cap.8. ait Augustinus. *Trahi à Patre ad Christum, & audire, ac discere à Patre vt veniat ad Christum, nihil aliud est quàm donum accipere à Patre, quo credat in Christum.* Eandem sententiam habet lib.2.de dono perseuerantiæ, & aliàs sæpe sępius, & lib.1.ad simplicianum. q.2. dicens. *Vt sit nutus voluntatis, vt sit industria studij, vt sint opera charitate feruentia, ille, nimirum Deus, tribuit, & largitur.*

D. Augus.

QVAPROPTER Sacræ litteræ apertè cõfirmant assertionem positam. Nam Paulus Apostolus ad Philip.2.dicit. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere.* Et Ioan.6. Christus Dominus ait. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et iterum propè finẽ capitis cùm loqueretur de non credituris, & de Iuda, qui traditurus erat ipsum, dicit. *Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* in quo significat ex dono & efficacia ipsius gratiæ auxilij diuini hominem conuerti, qui per conuersionem venit ad Christum: & quidem liberum arbitrium simul cum efficacia ipsius auxilij causat ex vi illius principij diuini liberam conuersionem, quam elicit, & per quam tendit in Christum. Quocirca perpendendum est quod dicit Hieremias Propheta loquens de diuina gratia auxiliante, cap.31.& Threnorũ. 5. tractans de conuersione & pœnitentia peccatoris: ait enim Hiere-

Ex sacra pagina ostenditur concl. Ad Philip pens.2. Ioann.6.

Hieremiæ cap.31. Et Threno ram.5.

mias. *Postquã conuertisti me egi pœnitentiã.* In quo testimonio significatur quòd postquam Deus peccatorem ad se conuertit, & præmouet, ille agit pœnitentiam. Et rursus secundò significatur in eodem testimonio prius dari à Patre donum gratiæ conuertentis, quod est efficax, & quod sequitur pœnitentia vt pedisequa, & natura posterior. Et idcircò clamat Paul⁹. 1. Corinth. 4. ne homo vllo pacto de se ipso gloriet-

1. Corin. 4.

tur, per exclamationem interrogationis dicens: *Quid habes, quod non accepisti?*

Nota auxiliũ efficax habere rationem principij respectu actualis conuersionis.

SED pro intelligentia quintę assertionis obserua hoc auxilium, & donũ gratiæ efficacis in genere principij, & causæ efficientis antecedere pium vsum conuersionis, & pœnitentiæ libe ri arbitrij hominis vocati, & excitati ex auxilio sufficienti tantũ. Quare in hac assertione sermo est de gratia efficaci, quatenꝰ vltra gratiãvocãtẽ & excitantẽ est necessaria & requiritur ad conuersionẽ liberã ipsius arbitrij creati. Et sine dubio si homo præuẽtus & excitatꝰ ab auxilio Dei sufficienti non malè vtatur tali gratia, aut non resistat peccando, aut obicem apponendo, vel se omninò diuertendo ad alia negotia secularia, adquiret & habebit efficax auxilium diui næ gratiæ. Vndè ex omnibus tam Scripturæ, quàm Conciliorũ testimonijs constat homines habere gratiam sufficientem, qua possint conuerti, & qua possint iam vocati, & excitati sufficienti auxilio, Deo donante, & adiuuante, habere reliqua dona gratiæ, quę ad conuersionem sunt necessaria, alias nõ diceretur quòd possunt homines conuerti ad Deum. Hoc expressit Tri

Tride. sess. 6. cap. 5.

den. Concil. sess. 6. cap. 5. cùm ait. *Homines vocari à Deo, vt qui per peccatum à Deo auersi erant, per eius excitantem, atq; adiuuantem gratiam ad cõuertendum se ad suam ipsorũ iustificationem eidem gratiæ liberè cooperando, disponantur.* Dicit eidem gratiæ, nimirum eidem nõ solùm sufficienti & vocanti, sed eidẽ adiuuanti, & conuertenti, atq; adeò illi, qui sunt præuenti à gratia sufficiente, & vocante possunt habere gratiam illam efficacem, eamq; consequi, quæ necessaria est ad liberam pœnitentiam. Vndè in eodem Trid. sess. 6. can. 29. dicitur. *Si quis dixerit eum qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere Anathema sit.* Igitur potest obtinere & cõsequi auxilium eius gratiæ efficacis, quãdo illi ad huc deest, & necessaria est hominibus vt resur-

D. Augus.

gant à peccatis. Ac proinde D. Augustinus. 2. de peccatorũ meritis, & remissione cap. 17. ait. *Gratia Dei hominum adiuuat voluntates, quæ vtnõ adiuuentur efficaciter, in ipsis itidem causa est nõ in Deo.* Et. 1. retract. ca. 22. dixit. *In potestate hominis est mutare in melius voluntatem.* Subiungit tamẽ statim. *Sed ea potestas nulla est nisi à Deo detur. De quo dictũ est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Ioã. 1. Vnde quãdo Zach. 1. dicitur. Cõuertimini ad me, & ego cõuertar ad vos, in primis illis verbis libertatis nostræ admonemur, in posterioribus verò necessitatẽ gratiæ Deus ipse proposuit. Quia respõdemus Deo, cõuerte nos Domine ad te, & conuertemur, vbi nos Dei gratia præueniri confitemur.* Quod apertissimè explicuit loco citato Hiere. Propheta præsertim loquens de gratia efficaci dicens. *Postquam conuertisti me egi pœnitentiam.*

BARTHOLOMAEVS Medina 1. 2. q. 109. ar. 10. expressè scribit hoc pacto: Quòd quamuis Deus vniuersis hominibus nõ conferat hoc auxiliũ efficax, non tamen propriè negat, quia est paratus cõferre, si homines non cõtradicant, & resistant. Et iterũ in eodẽ loco ait, licèt homines qui pereunt nõ habeãt hoc auxiliũ efficax, nihilominus potuerunt saluari, vel possunt saluari, nã possunt habere, & sua culpa nõ habent. Quæ sententia confirmatur ex testimonio D. Tho. lib. 3. cõtra gentes cap. 159. Vndè D. Anselmus generaliter loquitur, & ait. *Defectus gratiæ prima causa est ex nobis, sed collationis gratiæ prima causa est à Deo.* lib. de casu Diaboli cap. 3. & S. Thom. 3. cõtra gẽtes cap. 159. citato, obij ciens contra se argumentum. *Si gratia homo indiget vt conuertatur, & perseueret: ergò homini non est imputandũ, quòd id non faciat, cùm homo per suũ liberum arbitrium non possit gratiã acquirere,* Respondet, *Quòd quamuis homo per motũ liberi arbitrij gratiam diuinã nec promereri, neq; acquirere possit, potest tamen se ipsum impedire, ne eã recipiat. Dixerunt enim mali Deo, Iob. 21. Recede à nobis, & scientiam viarũ tuarum nolumus, & cap. 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini. Et cũ hoc sit in potestate liberi arbitrij impedire diuinæ gratiæ receptionẽ, vel nõ impedire, nõ immeritò in culpã imputatur ei, qui impedimentũ præstat gratiæ receptioni: Quia Deus quantũ in se est paratus est omnibus gratiã dare. Vult enim omnes homines saluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire. 1. ad Timot. 2. Sed illi soli gratia priuãtur qui in se ipsis gratiæ impedimẽtũ præstãt. Sicut sole mundũ illuminãte in culpã imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malũ sequatur, licèt videre nõ possit, nisi lumine solis præueniatur.* Hęc S. Th.

Medi. 1. 2. q. 109. artic. 10.

D. Anselmus.

D. Thom.

Iob. 21. & 24.

1. Ad Timoth. 2.

POSSET igitur videri alicui, cũ nullus in finem vltimũ possit dirigi, nisi ex auxilio gratiæ Dei, sine qua haberi nõ possunt necessaria ad tẽdendũ in ipsum finẽ, quod non sit homini imputandũ, si prædicto auxilio careat, quòd nõ tendat in finẽ supernaturalẽ: quia nulli imputatur quod ab alio depẽdet. Auxiliũ verò gratiæ homo nõ potest mereri: neq; rursus sine illo potest cõuerti ad Deũ: ergò. Huic difficultati occurrit S. Tho. loco citato, quòd quamuis homo per innatũ motũ liberi arbitrij, nec possit promereri gratiã, neq; conuerti ad Deũ, potest tamẽ se ipsum impedire, ne eã recipiat. Et idcircò nõ immeritò imputatur ad culpã ei, qui præstat impedimentũ receptioni gratiæ, quia Deus quantũ est in se, paratus est omnibꝰ gratiã dare. Ex qua respõsione dicit Ferrara S. Thomã velle propositionẽ illã, *Nulli imputatur quod ab alio pẽdet*, falsam esse, quãdo nõ est defectus ex parte eius, à quo illud dependet, quin illud habeatur, sed magis ex parte recipientis ponentis impedimentum receptioni voluntariæ illius, & sic accidit quando quis non accipit gratiam, & ob id non est absque imputatione eius. Quocirca ipse Ferrara. 3. contra gentes, capit. 159.

Obiectio.

Occurritur obiectioni ex D. Thoma.

Ferrara explicat propositionem illam. Nulli imputatur quòd ab alio pendet

in commentario dicit, quòd loquendo de diuino auxilio, quod est motio Dei, nullus est adultus, qui à Deo non moueatur ad bonum, & ad gratiæ præparationem, iuxta illud Apocal. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso*. Sed quoniam homo cũ sit liberi arbitrij potest præstare impedimẽtum, aut diuinam motionem sequi, & nulli deest auxilium Dei, ipsum hominem quandoque mouens, & instigans ad hoc vt se ad gratiam prę paret, idcircò benè dicitur quòd homini imputatur si gratiam non accipiat. Nã certè quòd homo nõ recipiat aliquid ab eo, qui paratus est dare, & qui quandoq; mouet, & instigat ad accipiendum, non est absq; eius imputatione, & culpa. Quod præcipuè est verum, quia si aliquis propria voluntate, & consensu in malum aliquod cadat, à quo suis viribus liberari nõ potest per se ipsum: si non liberetur, non est absq; eius imputatione; debuisset enim cauere, ne in illud malum incideret suo consensu, & voluntate, à quo sciebat se propria virtute liberari non posse, in quo casu homini imputatur quòd non liberetur, quamuis posset liberari ab alio, & tunc falsum est ꝙ nulli imputatur quòd ab alio dependet, præcipuè in casu superiùs posito, quando nimirũ defectus non est ex parte eius, à quo illud dependet, vt dictum est. Sicut non est absque imputatione, & culpa, quòd aliquis nõ exeat ex puteo, ex quo non potest exire, nisi ab alio adiuuetur, quando propria voluntate, & consensu in illum se deiecit. Homo verò qui peccat, propria voluntate cadit, per quod gratia, & amicitia Dei priuatur, quã per se ipsum non potest adquirere, & idcircò meritò sibi imputatur si gratiam non habeat, etiam si deficeret sibi diuinum auxilium ad præparationẽ gratiæ necessarium. Ex qua doctrina infert Ferrariẽsis, quòd illa propositio: *Nulli imputatur quòd ab alio pendet*. potest verum sensum habere, solũ quando is, qui sic priuatur, non fuit ob aliquam suam culpã causa voluntaria talis priuationis. Cæterũ si homo sua culpa & suo consensu libero fuit causa huiusmodi carẽtiæ, & priuationis, falsum videtur, quòd nulli imputetur, quòd ab alio dependet: quod præcipuè est verũ quando defectus non est ex parte eius, à quo illud depẽdet, quin illud habeatur. Sed ex parte recipientis ponentis impedimentum, vt dictum est.

Apocaly. 3

Vnde in hac assertione sermo est de efficaci auxilio gratiæ Dei, quatenus vltra gratiã vocantẽ, excitantem, sufficientem dicitur necessarium ad conuersionẽ liberam in re, & hanc efficacem gratiã, ita consideratam dicimus hominem gratia vocante, & excitante præuentũ habere posse, Deo iuuante, si benè vtatur prioribus auxilijs, Deo ipso auxiliante ad piũ vsum liberi arbitrij. Itaq; gratia efficax quatenus præter sufficientẽ vocationẽ etiam, & excitationẽ, est necessaria hominibus, vt re ipsa liberè conuertantur, potest haberi, & acquiri cũ Dei auxilio ab homine iam præuento per gratiam vocãtẽ, & excitantem, & sic in hominis libera potete est positũ Deo adiuante, vt à Deo actu cõuertatur. Quod Zacharias cap. 1. dixit sub his verbis. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Quo fit vt homines, qui iam sunt gratia vocante præuenti, & sufficientibus auxilijs, diuinisq; motionibus, efficax auxilium quod necessariũ est ad liberam dispositionẽ contritionis, & pœnitentiæ habere possint, ergò in hominis vocati potestate, Deo adiuuãte, est habere, & adquirere gratiam illam efficacem, quæ ei adhuc deest, vt in melius mutet voluntatẽ per conuersionem, & fiat Filius Dei. Hoc videtur dixisse D. Augustinus de peccatorum meritis cap. 17. dicens: *Gratia Dei hominum adiuuat voluntates, qua vt non adiuuentur nimirum efficaciter in ipsis itidem causa est, non in Deo.*

Zachar. cap. 1.

D. August.

Et vt in hac re clarè, & apertè loquamur, asseuerare oportet esse in potestate hominis habentis auxiliũ sufficiens, diuinamq; motionem, si velit, vel si non resistat, habere auxilium efficax, & idcircò illi atribui, quòd non conuertatur, neq; moueatur à Deo efficaciter, quia non caret hac motione diuina efficaci, nisi quia vel resistit liberè, vel apponit obicem, aut nihil omninò curat de illa, se diuertendo, aut quia non attẽdit diuinæ excitationi, & vocationi & ad quid mouetur & excitatur. Quia aliàs non diceretur esse possibile homini conuerti ad Deũ, vel pœnitere, &c. si neq; haberet præmotionẽ Dei efficacẽ neq; potestatẽ, aut viã vllam habendi eã, quia hoc est necessariũ vt homini attribuatur ꝙ nõ conuertitur, aut quod nõ implet supernaturale præceptũ. Et iuxta hanc doctrinã, & rationẽ Trid. sess. 6. ca. 11. & 13. ait: præcepta Dei esse possibilia, quia vel præcipiunt, vt faciat homo quod potest, vel vt petat quod nõ potest, & sanè Deus quantũ in se est semper adiuuat, vt possit, nec deserit hominẽ, nisi prius homo deserat ipsum.

Habere auxilium efficax in potestate est hominis habentis auxilium sufficiens.

Profectò cũ hæc doctrina vera & certissima sit, per quã nos respõdemus aduersarijs nostris, & eorũ argumẽtis, eam vocant euasionem. Dicunt enim hanc doctrinã, quam ipsi, velint, nolint, reputant esse veram, nõ posse stare cum nostra sentẽtia de præmotione peccatoris nõsolũ morali, sed etiam propriè efficiente respectu cõuersionis & pœnitentię. Quia huiusmodi efficax auxiliũ est qualitas, vel entitas quædã supernaturalis, quã Deus efficit in nobis, se solo sine nobis, quia nõ est actus vitalis noster, sed potiùs virtus quædã præuia nobis indita ad eliciẽdũ actũ vitalẽ: ergò quòd nobis infundatur talis qualitas nõ pẽdet à nobis, aut à nostro libero arbitrio, vt à cooperãte illã entitatẽ: ergò non est in potestate liberahominis. Leue argumẽtũ profectò, & indignũ homine Theologo, & sine dubio idẽ omninò argumentũ posset illis obijci, quod ipsi cõtra nos obijciũt. Nã illi etiã cõstituũt auxiliũ concomitans, influens physicè, quo posito non stat voluntatem non agere in sensu composito. Est enim hoc auxilium concomitans gratia actualis Dei cooperans, & influens, & est efficienter à solo Deo producente ipsum. Ergo eandem omninò cõsequentiam

Obiectio aduersariorũ.

Retorquentur contra ipsos obiectio.

tenentur isti dissoluere, cùm ab eis infertur, ergò tale auxilium non est immediatè in potestate libera hominis. Patet consequentia. Quia in hoc auxilio actuali concomitante recipiendo, homo non est immediatè liber, sed in agendo, & tamen homo recipit auxilium huius gratiæ actualis, concomitantis, & cooperantis à solo Deo efficienter, quo stante non stat voluntatē non agere de facto, & ex consequenti possunt eędem illationes, & obiectiones fieri cōtra eos, quas ipsi cōtra nos cōficiunt, vt fecit Suar. lib. 3. de auxilijs ca. 8. §. Altera euasio. nu. 6. 7. & 8. hoc tamē dissidio inter eos & nos, ꝙ illi approbant suas obiectiones, & illis concluduntur cū magno præiudicio, & leuiter cōcluduntur, nos vero asseueramus argumentum, obiectiones, & confirmationes eorum nihil probare, sed magis calculatorias obiectiones esse in suis illationibus, quas nos olim dissoluimus in speciali tractatu de auxilio efficaci, anno millesimo quingētesimo nonagesimo quarto, à nobis compositio, quem huic operi inseremus.

Soluitur obiectio.

SOLVTIO igitur, quæ planè repellit omnem vim argumenti & obiectionum, quę ab eisdem aduersarijs fiunt in hoc sita est, vt necesse sit distinguere antecedens. Nam si dictio illa seu particula se solo sine nobis excludat consensum simultaneum liberi nostri arbitrij, falsum est: Nam liberum arbitrium consentit Deo mouenti per auxilium gratiæ actualis etiam efficacis. Vnde dicitur auxiliū hoc gratiæ Dei, quod supernaturale est, fieri in homine à solo Deo productiuè efficienter, non tamen excludendo cōsensum simultaneum liberi arbitrij. Imò verò auxilium hoc prout à Deo procedit, secum adducit perficere arbitrium nostrum, & efficere suauiter, & fortiter, vt arbitrium nostrum consentiat in eodem instanti dum ipsum recipit. Si verò antecedens intelligatur, ita vt auxilium illud dicatur fieri, & produci à solo Deo efficienter, omni alio repulso; sic conceditur consequētia, dum infertur, Ergò nō potest esse immediatè in potestate libera hominis illud auxilium. Quia certè non est in potestate eius tanquā in causa efficiente. Et non est ratio, quam arguens inducit: Quia in recipiendo illud auxilium non est homo immediatè liber, sed in agendo. Nam profectò dū consentit actionem Dei in se fieri, & agit, & patitur: agit quidem actionem vitalē liberè consentiendo; non tamen efficiendo auxilium illud supernaturale, quod à solo Deo producitur efficienter, per quod Deus actualiter perficit arbitriū nostrum liberum, vt sibi cōsentiat. Et sic verificatur illud Christi, Ioan. 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Itaq; homo liberè venit, & nihilominus dicitur trahi propter efficaciam diuinæ gratię actualis, prout descendit à Patre luminum, apud quē non est transmutatio. Nā certè quod Deus ipse vult voluntate absoluta & efficaci, & eo modo quo vult fieri, facit efficienter, & facit vt faciamus, & vt infallibiliter eueniat, vt dicūt D. Augustinus, & S. Thomas. Neque in Concilio Triden. oppositum huius, sed potiùs consentaneum asseritur, & traditur. Hanc eādem doctrinam, & solutionem adducit Sotus lib. 1. de natura, & gratia cap. 16. & in Trid. sess. 6. cap. 5. habetur quòd homines excitati, & moti diuina gratia liberè mouentur in Deum.

Sotus. Conc. Trid.

D. Augus. S. Thomas.

PER hæc quę diximus illationes ali ęin eodem capite contentæ ab aduersarijs adductæ, ruunt, & pereunt. Vana nāque est illatio seu cōsecutio secūda, cùm arguens infert, Ergò solùm dici potest auxilium illud esse in hominis potestate, mediante aliqua dispositione. Nos enim non affirmamus necessariam esse aliam dispositionem antecedentem prius tempore, tametsi frequenter disponatur liberum arbitrium antecedenter per talem dispositionem, quæ est ab auxilio sufficiēti, vt homini proponatur vt possibile conuerti ad Deum præmouentem, & inuitantem. Et huic motioni sępè contingit hominem resistere, non ita vt ille non recipiat, sed quia non vult vltra progredi. Et hic dissensus ipsi libero arbitrio imputatur ad peccandum, quod committit non volens vltra progredi. Et sic verificatur illud ad Romanos. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? tu autem secundū duritiam tuā, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* Hæc solutio cōformis est doctrinæ S. Thomæ, & Theologo. omnium. 1. 2. q. 113. ar. 3. Vbi omnes etiam dicunt, quòd quando Deus mouet voluntatem adulti ad iustificationem, tunc etiā voluntas illius mouetur à Deo ad acceptandum proprio consensu donū, quod sibi offertur, ac proinde cū Deus in nobis operatur bonū aliquod, ita agit, vt quāuis Deus ipse faciat opus; nos tamen simul, & cooperemur, & liberè consentiamus. Nam nos sic agi spiritu Dei, & moueri dicimur, non sicut securis, aut serra, quæ mouetur, & agitur ab artifice, sed mouemur cooperantes etiam, & assentientes Deo liberè, cui nos posse dissentire si volumus, confitemur. Exemplum autem quod adducitur de dispositione ad gratiam habitualem, non multum illis fauet. Nam quamuis homo eliciat actus supernaturales, & vitales ex Dei auxilio; cæterùm quòd sint dispositiones ad ipsam gratiam habitualem, id quidē habent quatenus à Deo procedunt, & quatenus à Deo sunt, per auxilium illud gratiæ suæ. Nam forma gratiæ iustificantis à solo Deo est, & ita dispositiones illæ, quatenus dispositiones sunt, ab eodem agente, quod est Deus, procedunt, & ita non habent quòd sint dispositiones eiusdem ordinis cum ipsa gratia, secūdùm quod à nobis & ab arbitrio nostro procedunt, sed secundùm quòd à Deo sunt. Quam doctrinā communiter sequuntur Theolo. 1. 2. q. 112. ar. 1. 2. & 3. & ob id nō eis fauet exēplū. Imò verò posset illis idē obijci. Dispositio ad gratiā iustificantē cū debeat esse supernaturalis, illa nō potest sine auxilio supernaturali, vt de fide constat, haberi, sed hoc auxiliū nō est in potestate nostra effectiua, nā illud recepim⁹ à Deo efficiēter, & in recipiēdo nō est homo immediatè liber, sed in agēdo:

Aliæ obiectiones ex dictis soluū tur.

Ad Rom. 2

Ita liberū arbitriūmouetur a Deo in actuali cōuersione, quòd simulse moueat & agat liberè.

ergò auxilium sufficiens, & concomitans, cum non sit in potestate nostra efficiente, sequitur quòd neq; fit liberè ipsa dispositio, neq; est in potestate nostra, etiã apud aduersarios. Modus ergò iste arguendi inualidus est, & dolosus. Dicendũ est enim, quòd cũ Deus dat nobis suum auxiliũ efficax, & nos mouet, eodem nos præmouet, & perficit, & facit liberè consentire, & ita simultaneus est noster cõsensus liber in eodem instanti sine processu in infinitum, & nihi lominus præcedit prioritate naturæ in genere dispositionis, ipsam gratiam, vt est à Deo.

Caietanus. CAIETANVS, 1. 2. q. 109. arti. 10. in quo S. Thomas interrogat; Vtrùm homo in gratia cõstitutus indigeat auxilio gratiæ ad perseuerandum? egregiè perpẽdit verba D. Thomæ & sententiã D. Augustini. fol. ad 3. Vbi dicitur quòd homo in primo illo statu accepit donum per quod perseuerare posset, non tamen accepit, vt perseueraret. Nunc verò per Christi gratiam multi accipiunt non solùm donum gratiæ, quo possint perseuerare, sed vlterius eis datur, quòd perseuerent, & sic donum Christi est maius, quàm delictum Adæ. Inquit Caietanus difficile esse intelligere quo pacto stent hæc duo simul, nimirum, homo habet donum gratiæ, quo perseuerare potest: & homo non potest ex sola gratia perseuerare. Vtrumq; siquidem habetur in littera articuli. Primum quidem ex D. August. & secundum ex D. Thoma in corpore articuli. Quæ difficultas inuoluit etiam illã, in qua Theologi inquirunt, Vtrùm ille qui iã cõsecutus est gratiam possit per se ipsum operari bonum, & vitare peccatum? De qua re dicit D. August. lib. de natura & gratia cap. 26. tomo. 7. Quòd sicut oculus corporis plenissimè sanus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere, sic homo perfectissimè etiam iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ diuinitùs adiuuetur, non potest rectè viuere, ac proinde homo etiam habens gratiam indiget alio auxilio gratiæ ad hoc vt rectè viuat. Et hoc multò melius sentiendũ est de homine peccatore, qui quamuis habeat auxilia sufficientia gratiæ actualis, indiget alio auxilio gratiæ ad hoc vt piè operetur, & rectè viuat. Nã certè vt Caietan⁹ inquit homo perfectè iustificatus habet donũ gratiæ, quo potest benè agere, & mala culpæ vitare, & tamen cõcluditur à S. Tho. quòd non potest ex sola habituali gratia, & iustificante piè viuere, & piè operari, & peccata vitare, sed quòd indiget alio speciali auxilio gratiæ ad vsum, & exercitium, piorum operum.

D. Thom.

D. Augustinus.

Benè stat quòd aliquis possit piè viuere quantũ est

HAC difficultate oppressus Caietanus, dicit quòd quotiescunq; vsus, seu operatio alicuius potentiæ, pendet aliunde, quã ex potẽtia ipsa, tunc ex sola potẽtia non potest inferri vsus, seu operatio illius in actu exercito. Est exemplũ de potentia visiua, cuius proprius actus est videre, qui dependet & ab obiecto, & lumine, & ob id ex hoc solo quòd homo habeat potentiã visiuã, non potest inferri: Ergò ex sola potentia visiua potest videre, quia sine lumine nunquã exibit in actũ, neq; habebit vsum. Vnde potentia quæ exigit aliquid extrinsecum ad vsum, & ad exercitiũ, & executionem sui actus non sufficit sola ad proprium actũ, & vsum. Quocirca sicut stant simul hæc duo; Homo habet potentiã perfectam, qua potest videre, & homo non potest ex sola potentia visiua habere vsum videndi, & videre: Sic in proposito, quoniam gratia est, qua homo est potens elicere operationẽ diuinã & bonam, & resistere impulsionibus tẽtationum, & continuare hoc quod est perseuerare, idcircò homo dicitur esse donatus aliquo dono, quo hæc potest. Sed quoniam gratia non potest hos actus exercere simpliciter, quando oportet, vbi oportet, & continuè, aut permanẽter, & immobiliter, præcipuè cũ extrinseca impedimenta dimoueant arbitriũ ab vsu gratiæ, propter infirmitatẽ, & defectum luminis & directionis, idcircò dicitur quòd homo ex sola gratia sine speciali auxilio nõ potest in hæc simpliciter. Adducit quoddã simile Caietanus constituendo hominẽ debilem secundùm vires ministrantes intellectui, tunc enim homo intellectu, vt principio intelligendi etiã habituato, est potens intelligere, & vitare errores, & continuare hanc potentiã. Quia intellectus continuè intelligendo fortificatur. Verũtamen quia ad continuationem, & perfectionem actus intellectus & vsum, quando oportet, & sicut oportet, &c. exigitur sanitas, & perfectio virium interiorum, ob id homo debilis, aut infirmus secũdùm vires illas non poterit quando oportet, & sicut oportet, &c. vti intellectu in iudicando, & rectè cognoscendo propter infirmitatem virium, nisi quis ferat opem sanitatis, licèt possit sine tali ope ad horam rectè iudicare. Ex quibus colligit Caietanus necessitatem diuinorum auxiliorum ad vsum gratiæ, quia multis datur gratia, quibus non datur vti ea quando oportet, &c. sed diuina permissione abijciunt eam, & sic datur donum quo possunt benè operari, nimirum gratia iustificans, quo dicuntur posse considerare, nõ tamen datur omnibus iustificatis vsus & executio horũ simpliciter. Dicitur enim perseuerantia quẽdã continuatio boni permanens, ad quã licèt homo non indigeat alia habituali gratia iustificãte, indiget tamen auxilio speciali diuino, protegẽte, & vires tribuẽte eidem homini. Ex quibus omnibus cõstat quòd aliud est habere potentiam agendi aliquid, quod benè dicitur de multis, vt visum est, aliud verò habere potestatẽ immediatam adæquatam omninò cũ vsu. Vnde D. Augustinus in lib. de perseuerantia, cap. 2. vt refert S. Thomas, dicit. *Cur perseuerantia poscitur à Deo, si non datur à Deo? An & ista irrisoria petitio est, cùm id ab eo petitur, quòd scitur non ipsum dare, sed ipso non dante esse in hominis potestate?* Sed perseuerantia petitur etiam ab illis, qui sunt per gratiam sanctificati, quamuis habeant habitum gratiæ sanctificantis, secundùm quem homo habet propositum perseuerandi in bono vsque in finem: ergò homo etiam in gratia constitutus indiget vt ei detur

ex parte potẽtiæ; & tamen quòd ex sola ipsa potentia à gratia proueniente nõ possit in actualẽ vsum & exercitium.

D. Augus.

auxi-

auxilium speciale, & donum perseuerãtiæ, quo habeat continuationem permanentem in bono vsu. Quæ doctrina non solum est D. Augustini sed etiam D. Thomæ. 1.2. quæst. 109. artic. 9. & 10. Et ex his patet doctrina quintæ assertionis.

Obiectio quorundam, & eius solutio.

Obiectio aliquorum cõtra nos: & eius solutio.

SED obijciunt aliqui contra nos: efficacẽ Dei gratiam pendere ex solo beneplacito Dei, & ex eo solo dari aliquibus, alijs verò minimè dari: ergò iuxta sententiam D. Augustini non est situm in hominis voluntate, vt habeat illam: ergò contra doctrinam D. Augustini dicitur homines vocatos, & excitatos auxilio sufficienti adiuuante Deo consequi gratiam efficacẽ qua cõuertantur. Probatur antecedens ex lib. 4. cõtra Iulianum Pelagianum cap. 8. Et Epist. 107. ad Vitalem, vbi August. ait: *Quomodo dicitur omnes homines gratiam fuisse accepturos, si non illi, quibus non donatur, eam sua voluntate respuerent. Quoniam Deus vult omnes homines saluos fieri, cũ multis non detur paruulis, & sine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus, festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus, ac paratis, Deo nolente non detur, cum repentè antequam detur expirat, pro quo vt acciperet currebatur.* Et libr. 2. de peccatorum meritis, & remissione, capit. 5. iterum ait Augustinus. *Cur illum Deus adiuuet, illum non adiuuet: illum tantum, illum non tantum: istum illo, illum isto modo, penes ipsum est, & æquitatis tam secretæ ratio, & excellentiæ potestatis.* Ecce vbi apud Augustinum in solo Deo cõstituitur causa, cur aliqui non adiuuentur, vel cur minus, & alio modo quam alij adiuuentur. Si ergò in voluntate hominis situm esset obtinere auxilium gratię efficacis, etiam ex parte hominis debuisset D. Augustinus assignare causam, cur illam efficacem gratiam aliqui non habeant.

D. Augustini adducitur testimonium.

HVIC obiectioni vt existimo satis fecimus: diximus enim efficacem illam gratiam, quæ vltra auxilium sufficiens, necessaria est hominibus, vt liberè conuertantur, & qua posita certò, & infallibiliter conuertuntur, consistere in aliquo speciali dono, quod homo præuentus à sufficiente auxilio vocante, & excitante, possit consequi cum Dei gratiæ auxilio, si non resistat, & prioribus auxilijs bene vtatur. Hoc namque apertè consequitur ex illa doctrina, quæ affirmat posse hominem iam præuentum auxilijs sufficientibus gratiæ vocantis, & excitantis consequi illud donum gratię efficacis, & posse consequi pœnitẽtiam, & conuersionem. Nos verò minimè asseueramus gratiam efficacem, sine qua nemo conuertitur, ita positam esse in efficacia morali & efficiente, & præmouẽte ad conuersionem, vt id omnino sine consensu voluntatis recipiatur, aut ita independenter omninò, vt liberum arbitrium non cooperetur, aut quòd recipiendo hoc efficax auxilium gratiæ Dei, non moueatur volũtas hominis suauiter à Deo. Itaq; Deus non sine nobis, excludendo consensum liberũ simultaneum nostri arbitrij, operatur illud efficax auxiliũ gratiæ; quia liberum arbitriũ consentit Deo mouenti per auxiliũ gratiæ efficacis. Vnde fit in homine hoc auxiliũ à Deo efficienter, & productiuè, sed cũ fit à Deo nõ excluditur consensus simultaneus liberi arbitrij: imò verò hoc ipsum auxiliũ prout à Deo procedit, secũ adducit perficere nostrum arbitriũ, & suauiter, ac fortiter efficere vt arbitriũ creatum consentiat in eodem instanti, dum ipsum recipit, vt antea dicebamus.

Explicatur D. August. testimoniũ de auxilio efficaci.

RVRSVS respondere possumus prædicta testimonia D. Augustini, ita quidẽ esse intelligenda vt minimè repugnent alijs testimonijs, seu locis in quibus sanctissimus August. docet neminẽ adulto deesse sufficientẽ gratiam, qua possit saluus esse, ac proinde qua possit illam etiam efficacem gratiã acquirere, quæ necessaria sit ad conuersionẽ, vt tam ex D. Augustino, quàm ex Prospero superius ostendimus. Quocirca testimonia hæc, quæ in obiectione adducuntur ex D. Augustino, debent intelligi de gratia efficaci quatenus cõtinet vocationem talẽ, qualem secũ dũ propositũ esse dicit Augustinus, qua posita certò sequatur cõuersio ex hypothesi talis vocationis. De huiusmodi gratia efficaci ita considerata loquitur Augustinus, cũ dicit iusto, & occulto iudicio Dei quibusdam negari, alijs verò liberaliter concedi, ita vt certò conuertantur: sic lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 8. de hac re loquitur. *Hæc gratia, quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur à nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur vt cordis duritia primitùs auferatur.* & statim: *Si illos quibus stultitia est verbum crucis, vt ad Christum venirent, docere Pater voluisset, proculdubio venirent, & ipsi.* Et vlterius: *Quare non omnes docet? scilicet per peculiarẽ illam gratiam. Si dixerimus quia nolunt discere quos nõ docet, respõdebitur nobis: & vbi est quod ei dicitur. Domine tu conuertens viuificabis nos; &c.* Quia nimirum ex solo Dei beneplacito pendet, vt per illam gratiam peculiarem ad conuersionem vocetur, & moueatur. Quamuis sit culpa hominis, quòd posita sufficienti gratia deinceps non efficaciter adiuuetur, vt ex eodem Augustino ostendimus. In idem redit quod D. Augustin. scribit. 1. ad Simplicianum quæst. 2. *Non potest effectus misericordiæ Dei* (per illam gratiam specialẽ) *esse in hominis potestate, vt frustrà illi misereatur, si homo nolit. Quia si vellet etiam ipsorum misereri posset ita vocare quomodo illis aptum esset, vt & mouerentur, & intelligerent, & sequerentur.* & paulò inferius, *Etiam si Deus multos vocet, eorum tamen miseretur per illam specialem gratiam, quos ita vocat quomodo eis vocari aptum est vt sequantur.* & concludit, *Nullius Deus frustra miseretur* (nimirum per peculiarẽ illam gratiam) *cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.* & libr. de bono perseuerantiæ, capit. 8. *Cur iste ita vocetur, vt vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, videli-*

cet eodem vocationis genere, aut non ita vocetur, vt vocantem sequatur, inscrutabilia sunt Dei iudicia. & libr. de spiritu & littera, capit. 34. ait. *Cur illi ita suadetur, vt persuadeatur, illi autem non ita? O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!* In his igitur testimonijs, & alijs D. Augustini censemus loqui D. Augustinum de efficaci gratia, prout continet peculiarem quandã gratiam vocantem secundùm propositum, quæ pro solo Dei beneplacito quibusdam tantùm datur, & vt in plurimum prædestinatis, non autem prout continet vocationem necessariã, sed sufficientem tantùm. Nam hac vocatione sufficiente nemo adultus caret, vt homo possit se conuertere, neque prout cõtinet auxilium, seu donum necessarium, vt homo, ex ordinatione, quam habet tale auxilium ad finem vocationis quem intendit, vires ex illo recipiat, quibus cõuersio, Deo mouente, & adiuuante, sequi possit, nisi sua culpa careat eo adiutorio homo ipse. Nam vt D. Augustinus. 2. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 17. affirmat. Vt homines gratia diuina non adiuuentur (efficaciter) in ipsis causa est non in Deo. Et ob hanc eandam causam lib. 1. retractationum cap. 22. apertè dixit Augustinus in hominis potestate esse mutare voluntatem, quia nimirum si benè vtatur homo prioribus auxilijs, sicut potest male vti, Deus sese insinuabit per gratiam efficacem.

Malè vtitur homo vocatione & motionibus Dei, si ipsi vel contradicat, vel ponat obicem.

Et quidem rectè dicitur, & prudenter, quòd homo malè vtitur vocatione Dei, motionibus, & inspirationibus eius, quando vocatur ad pœnitentiam, & conuersionem, si vel contradicat, vel ponat obicem, vel resistat Deo, vel nihil curet de vocationibus, & inspirationibus, quibus excitatur à Deo. Dicitur tamẽ bene vti, si attẽdat ad diuinam vocationem, & ad inspirationes Dei, & quantum illi malum sit in eo statu peccati versari, si non egerit pœnitentiam, & quòd est bonum non ponere obicem Deo, & ad hunc vsum excitatur à Deo, & sufficit vocatio illa auxilij sufficientis, cum excitationibus, & diuinis inspirationibus, sed non est necesse vt posita hac vocatione auxilij sufficientis ad vsus prædictos, quòd homo conuertatur, cum possit eam reijcere, vt constat ex Tridẽ. Concilio. Sed nihilominus quamuis non sit necesse vt posita illa conuertatur, tamen posita efficaci vocatione secundũ propositum, id infallibiliter ponitur, nimirum conuersio ipsa. Vnde quando auxilio sufficienti vocatur homo, & huic vocationi nõ resistit, sed potiùs diuinis excitationibus per motus incipit considerare diuinam vocationẽ, & statũ in quo est, ad hæc omnia satis sunt sufficiẽtia auxilia, seu vocatio illa cũ excitationibus Dei, sic enim censetur homo initiatiuè respondere ipsi auxilio. Et propter hanc causam nonnulli ex Theologis censent hanc vocationẽ sufficientem: cũ ei respondetur, sicut explicuimus, esse verè sufficientem vocationem, & sufficientẽ gratiam, & inadæquatè, & quasi partialiter efficacem: Quia est veluti efficacia quædã in via ad hoc vt homo recipiat à Deo gratiã actualem efficacem, quæ adæquatè secum trahat conuersionem, & pœnitentiam. Quocirca cum Theologi dicunt, quòd posita efficaci gratia auxilij diuini certò, & infallibiliter ex illa habet homo vt conuertatur, loquuntur de gratia efficaci cõpleta, & adæquata: & certũ est etiãquòd vocatione, & excitatione diuina, diuinisque inspirationibus, iuuatur homo ad sui conuersionem, & propter hanc causam: iustificationis, & conuersionis exordium dixit Concilium debere sumi ab huiusmodi gratia vocationis, excitationis, & inspirationis diuinæ.

Appendices qui sequuntur.

Primus Appẽdix. quòd alius est vsus actualis cõuersionis, alius vero gratiæ sufficientis.

Ex dictis colligitur appendix: nimirũ alium esse vsum conuersionis, & actualis pœnitentiæ cũ dilectione Dei super omnia, & alium esse vsum gratiæ sufficientis. Nã ad vsum gratiæ sufficientis sufficiunt illa, quæ diximus sequi proximè in peccatore qui non resistit, sed potiùs attendit diuinæ vocationi, & inspirationibus Dei, neque resistendo, neque ponendo obicem, & hunc vsum verè antecedit gratia actualis sufficientis auxilij, & verè etiam antecedunt diuinæ inspirationes, excitationes, & motiones Dei, quæ intra latitudinem sufficientis auxilij continentur. Quæ sanè auxilia, sufficientia dicuntur respectu cõuersionis, aut dilectionis Dei super omnia, & inadæquata, & quasi partialia. Cæterum respectu pij vsus, qui consistit in hoc quòd est non resistere vocationi, neque ponere obicem, aut respectu attentionis ad malũ statum, in quo peccator est, dicuntur suam in suo genere habere efficaciam, & inchoare vt diximus quasi viam conuersionis: Alium verò esse vsum gratiæ efficacis diuini auxilij ad conuersionem ipsam actualem dati à Deo, Nam hic vsus gratiæ est proximus, & immediatus illi gratiæ efficaci, & illum adducit secum illa gratia actualis conuersionis efficax, quę à Deo datur, & hic vsus gratiæ concomitans, supponit pro principio eius auxilium efficax Dei, & vocationem secundùm propositum, quem eadem vocatio secundùm propositum, & efficax Dei motio secum adducunt concomitanter: Quia sola prioritate causalitatis dicitur antecedere hũc vsum auxiliũ efficax Dei, quã prioritatẽ nõ volumus habere aliquod prius in quo sit auxiliũ præmouens, & nõ sit cõuersio libera, sed tantũ habere prioritatẽ, nõ quidẽ in aliquo instanti, quia hęc omnino repellenda est, sed pręcisè naturę prioritatẽ, quæ solũ se tenet ex parte principij causantis vt sic, vt Aristo. optimè perpendit supra omnes antiquos, in post prædicamentis cap. de priori. Cum igitur gratia perficiat naturam & libertatem hominis, & subordinet sibi liberum arbitrium, quod dependenter à Deo agit actiones suas, non solùm dependentia conseruationis, & virtutis, quia tam esse, quàm virtutem accepit à Deo, sed etiam dependentia causalitatis, sequitur apertè quòd cũ actu causet liberũ arbitriũ conuersionem suam, intelligitur Deus tanquam principium primum causandi, & effi-

cien-

ciendi conuersionem illam: Quam nõ efficit, ni si mouendo voluntatẽ efficaciter, & influendo in ipsam, cũ compertum sit, quòd conuersio, & cõtritio peccatoris eliciatur à volũtate, & reducatur de potẽtia eius, quod nõ fit nisi causa agẽte influẽte in ipsam potentiam, à qua extrahitur. Implicat enim quòd operatio aliqua eliciatur ab aliqua potentia, aut quòd extrahatur ab ea ex vi causæ agẽtis, & efficientis, & quòd causa efficiens, & agens non agat, & influat in eandem potentiam prius, sicut patet in omnibus causis efficientibus ordinis naturæ, & in causis efficientibus, quæ educunt formã de potentia subiecti, quod multò veriùs, & fortiùs currit in supernaturalibus, in quibus nulla vis est in natura, neque causalitas innatę influentiæ, sed totũ pendet à Deo primo auctore gratiæ, coagente libero hominis arbitrio.

Nõ habens in actu secundo gratiã efficacẽ si tamen habeat sufficiẽtẽ dicitur habere id per quod præsto est habere auxiliũ efficax.

VERVM tamen licèt gratia hæc efficax diuini auxilij necessaria sit vt homines re ipsa libere conuertantur, & antecedat vsum eius, veluti principiũ quoddam talis conuersionis, nihilominus qui nondũ in actu secundo habet gratiã istam, habet id per quod prẽsto est ei habere eam, & habere etiam efficax auxiliũ, nimirum quia in potestate eius positũ est benè vti prioribus auxilijs, & diuina vocatione, diuinisq; excitationibus. Quod necessariò est dicendũ, quia manifestè implicat quod aliquis possit verè liberè exercere id ad quod neq; habet, neq; liberè habere potest facultatem ad id requisitam. Cũ igitur homo liberè conuerti possit ex auxilio Dei, is quidem habet gratiam vocationis, & gratiã sufficientem, quia ipse stat ad ostium & pulsat, vocat, & excitat, quam qui habet potest conuerti, seu adquirere, quod ad id deest.

Licèt actualis conuersio fiat à Deo per efficacẽ gratiã, hoc tamen non sine libero arbitrio cõcurrente.

VNDE gratia illa efficax Dei, quæ vltra vocationem, & excitationem omnibus necessaria est, vt liberè re ipsa conuertantur, & qua posita certò, & infallibiliter ex ea hypothesi homo cõuertitur, consistit in aliquo dono diuino efficaci, quod homo iam prẽuentus à gratia vocante, & excitante possit cum Dei auxilio consequi. Gratia autem hæc efficax, sine qua nemo conuertitur, ita donatur à Deo libero arbitrio creato prius vocato, & adiuto, vt inclinet, & præmoueat ipsum ad conuersionem ipso tamen cõcurrente ex vi illius gratiæ ad eam conuersionem: quod sane fit cooperante, & agente arbitrio ipso ex vi eiusmodi gratiæ vt à Deo est. Quæ sanè doctrina omnia cõcordat, neq; libertatem lędit, & infundit gratiam sufficientem, & efficacem, quam Theologi omnes catholici approbant, & fugat omnia dubia, & ponit in pio vsu auxiliorum gratiæ Dei posse adquiri vltimam hanc gratiam adæquatam & efficacem ad conuersionem, pœnitentiam, & dilectionem Dei super omnia. Nam Deus neminem deserit nisi prius deseratur.

D. Augus.

NEQVE latuit D. Augustinũ sana doctrina; quæ prẽter vocationem & inspirationẽ exigit etiam peculiare gratiæ adiutorium, vt credendo & sperando, pœnitendo, & iam diligẽdo Deũ super omnia sicut oportet homo respondeat, vt ei iustificationis gratia conferatur, vt Trident. diffinit sess. 6. Quare D. Augustinus, lib. 1. ad simplicianum. q. 2. apertè significat prẽter vocationem requiri istud aliud adiutorium gratiæ. Dicit enim hæc quæ sequuntur. *Quis animo amplectitur aliquid, quod Deo non delectat? Aut quis habet in potestate, vt vel occurrat, quod eũ delectare possit, vel delectet cũ occurrit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deũ, inspiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu nostro, & industria.* Ecce apud D. Augustinum præter vocationem, & inspirationẽ, quibus objiciũtur nobis ea, ob quæ possint nos delectare res diuinæ, requiritur etiam gratia, quæ præbeat efficaciter vt delectent. Idem etiã sensit D. Augustinus plerisq; alijs in locis, vbi affirmat apertè Deũ cum conuertimur, & piè agimus esse nobis adiutorẽ, & cooperatorem per specialiorẽ gratiam: cooperari enim homini consentienti, & respondenti non est solũmodo excitare, & vocare, vt respondeatur, sed est vlteriùs adiuuare in respondendo, & consentiendo, vt egregiè perpendit lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 17. & serm. 13. de verbis Apostoli, vbi adducit illud. *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur hi sunt filij Dei*, & lib. de gratia Christi cap. 45. adducit sententiã D. Ambro. dicentis. *Pœnitentiam, quã proculdubio voluntas agit, Domini misericordia, & adiutorio fieri vt agatur.* Et paulò inferius agens de pœnitentia Petri ait, *Quod scriptũ est: Quia respexit eum Dominus intus actũ est, in mente actũ est, in voluntate actũ est. Misericordia Domini latenter subuenit, cor tetigit, memoriam reuocauit, interiori gratia sua visitauit Petrum, interioris hominis vsq; ad exteriores lacrymas mouit, & produxit affectum.* Quid clariùs dici potuit à D. Augustino? Primò vt explicaret prẽter excitationẽ, & primã vocationẽ, dari aliquã aliam gratiam à Deo efficacẽ, & vehementẽ, efficienter propriè mouentẽ, & producentem affectũ conuersionis vt Augustinus dicit. Secundo, priorem gratiam inspirationis, & primæ vocationis non fuisse adæquatam, sed quasi partialem, & in via, & sufficiẽtem tantùm in suo genere. Alia verba his similia protulit Augustinus lib. 1. ad Simplicianum. q. 2. quæ eo loci videnda sunt.

Trid. sess. 6.

D. Ambrosius adducitur à D. August.

Secundus Appẽdix. quòd posito auxilio sufficiẽti nunquã homo de facto conuertitur donec adsit efficax auxilium. Ioannis. 6.

Trid. sess. 6. cap. 5.

Ex dictis colligo secundò, quòd quamuis prẽcedat in peccatore actualis gratia diuini auxilij sufficientis, & vocatio prima, quæ nõ est secundũ propositũ, quę viam sternũt, & parant ad cõuersionẽ, nunquã contingit hominẽ liberè conuerti, & pœnitere, donec adueniat hæc efficax gratia adæquata simul cũ priori, neq; contingit vnquã liberè hominẽ conuerti, & pœnitere sine illa efficaci gratia totali, quæ venit ex munere Dei: quod apertè dixit Christus Ioann. 6. dicens. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eũ; aut. Nisi fuerit ei datũ à Patre meo.* Trahitur enim quis ad Christũ, & hoc ei datur per gratiã efficacẽ, iuxta illud Hierem. *Postquã cõuertisti me, egi pœnitentiã*, quod in Tridẽ. sess. 6. ca. 5. definitur: vbi habetur, *iustificationis quidẽ*

exordium à Dei gratia sumẽdum esse, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando liberè disponantur. Et paulò inferius perpendenda sunt verba Concilij, quæ ita se habent. *Neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo, libera sua volũtate possit*. Vbi obiter aduerte Molinam dixisse oppositum huius propositionis libr. de Concordia. q. 14. art. 13. disp. 10. affirmans, quòd quotiescum que liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur totum id quod ex sese potest circa addiscenda ea, quæ fides docet, vel circa dolorẽ de peccatis, confertur homini gratia actualis, & conferuntur auxilia, vt illud faciat, vt oportet ad salutẽ, ex lege infallibili statuta à Deo: hac inquam ratione, vt quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis est, præsto sint auxilia gratiæ, quibus efficiamus ea, vt oportet ad salutem: & tamen inquit Concilium neminem sine gratia Dei posse libera sua voluntate mouere se ad iustitiam coram illo. Si autem homo ex viribus naturalibus prę cisè agens, accipit ex infallibili lege auxilia gratiæ diuinæ, quibus efficiat ea, quæ oportet ad salutem, & iustificationem, ita vt semper in manu liberi arbitrij nostri ex suis naturalibus viribus posita esset salus nostra, hoc est adquisitio salutis nostræ, & diuinæ gratiæ actualis, qua efficiãtur ea quæ ad salutem oportet, periret Concilium. Quia nihil clarius dici potuit contra Molinam, quàm ea quæ perpendimus ex Tridentino.

Tertiò appẽdix. Quòd efficax gratia potest à nobis consequi cum Dei auxilio, si bene vtamur illo.

TERTIÒ colligitur, quòd quando Theologi dicunt Dei efficacem gratiam, quæ necessaria est omnibus hominibus, iam vocatis, & excitatis, vt liberè conuertantur, & qua posita infallibiliter conuertuntur, consistere in aliquo dono, debet intelligi quòd hæc potest consequi cum Dei auxilio, si bene vtatur illo, & hoc vocant posse eam efficacem gratiam consequi, cum auxilio Dei per pium vsum, ita vt sit hominis defectus carere illa gratia, quæ sanè in genere causæ efficientis antecedit pium vsum secutum liberi arbitrij hominis iam vocati, & excitati, licèt in alio genere sit posterior. Legendus est S. Thomas. 3. contra gentes capit. 159. & 1. 2. quæst. 112. art. 3. & Andreas de Vega libr. 13. super Tridentinum, capit. 12. & Bartholomæus Medina 1. 2. quæstio. 109. arti. 10. vbi ait, quòd licet Deus vniuersis hominibus non conferat hoc auxilium efficax, non tamen propriè negat, quia est paratus conferre si, homines non contradicant, & resistant. Et iterum in eodem loco Medina ait. Licèt homines qui pereunt non habeant hoc auxilium efficax, nihilominus possunt saluari, nam possunt habere, & sua culpa non habent. Loquitur ergò prædictus appendix, de gratia efficaci omnino, quatenus præter gratiam vocantem, & excitantem est necessaria ad liberam conuersionem. Et de hac gratia efficaci ita considerata, cẽ sent Theologi hominem iam præuentum gratia vocante, & excitante, posse eam consequi, Deo adiuuante per vsum pium liberi arbitrij, & cum auxilio diuino. Nam omnes homines ratione vtentes, cum à Deo excitentur, & moueãtur, dicunt habere gratiam sufficientem, qua possint conuerti, quatenus iam moti, vocati, & excitati à Deo possunt ipso auxiliante, & adiuuante, acquirere reliqua dona, quæ necessaria sunt ad conuersionem. Quæ duo apertè significantur per Zachariam Prophetam cap. 1. dicentem: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* & per illa verba, *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Et per illa Hieremiæ Prohetæ superius citata: *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam.* Et hoc colligitur apertè vt dictum est, ex Triden. sess. 6. cap. 5. *Zachar. c. 1*

ADVERTE tamen pium vsum, quòd est bene vti prioribus auxilijs, vt deinceps sequatur conuersio ad iustificationem ordinata antecedere, semper tamen ex gratia Dei, cui homo valet resistere sua libertate.

Conferentia difficultatum huius disputationis.

Obiectio cõtra modum explicandi qualis sit pius vsus liberi arbitrij, per quẽ possit gratiam efficacẽ obtinere.

SED obijciet aliquis contra ea quæ diximus, quòd non benè, neq; clarè explicetur, quis, & qualis sit pius ille vsus liberi arbitrij, per quẽ homo iam præuentus à gratia vocante & excitante possit, adiuuante Deo, consequi gratiam efficacem, quæ ad conuersionem est necessaria: quòd verò, non apertè explicetur hoc potest probari hac ratione. Quia vel pius ille vsus est ipsamet conuersio, vel est aliquis alius actus liberi arbitrij. Sed neq; est conuersio ipsa, aut vllus alius actus volũtatis, & intellectus: ergò. Probatur minor. Nam non est ipsa conuersio, cùm conuersio sit effectus illius gratiæ efficacis: ergò nõ acquiritur gratia efficax per conuersionẽ illam, neq; etiã est alius actus liberi arbitrij. Quoniam actus qui obtinet gratiam illam efficacem, etiam obtinet iustificationẽ, quæ necessariò est connexa cum efficaci gratia, sed nullus alius actus præter conuersionem obtinet certò iustificationẽ: ergò. Et confirmatur. Quoniam ille alius actus liberi arbitrij debuisset tempore antecedere conuersionem. Siquidẽ eo ipso tempore nullus actus liberi arbitrij exercetur erga Deũ præter illos, quibus continetur conuersio. Sed actus tẽpore antecedens conuersionem, & pœnitentiam, non certò obtinet efficacẽ gratiã quaquis conuertatur, quoniam in illo intermedio tẽpore potest quis per affectum peccati reddi indignus tali gratia: ergò. Rursus explicare & dicere oportet quodnam & quale sit donum illud, in quo præter gratiam vocantem, & excitãtem diximus continere efficacẽ gratiam, quatenus per eam actu conuertitur peccatum. *Confirmatur.*

HANC obiectionem persenserunt multi ex Theologis, eamq; conati sunt dissoluere, sed nõ vno & eodem modo: quia non eodem modo loquuntur, de gratia efficaci Dei, sed iuxta diuersas

D. Thomas Andreas à Vega. Bartholomeus Medina.

opi-

Explicatur aquibusdã, qualis sit pius vsus liberi arbitrij, ratione cui⁹ efficax gratia obtinetur, asserunt enim pium vsum esse ipsam actualem conuersionem; gratiã verò efficacem ipsam gratiæ & virtutũ supernaturaliũ infusionem.

opiniones eorum. Quidam enim explicantes quale sit illud donum gratiæ efficacis, quo homo actu conuertitur, similiter explicant per quem vsum liberi arbitrij hominis iam vocati & excitati obtineatur illud efficacis gratiæ donum, & sentiunt hanc efficacem gratiam posse acquiri, adiuuante Deo, ab ipso homine vocato, & excitato, ac proinde non omnibus modis antecedere omnem vsum liberi arbitrij hominis vocati & excitati. Quod qua ratione cõtingat, ita explicant. Dicunt enim gratiam efficacem Dei in vno genere causæ esse prius natura, quã ipsa libera hominis conuersio, & in alio genere causæ tale donũ efficacis gratiæ esse posterius ipsa libera conuersione. Quòd si vlterius interroges, in quo specialiter consistat donum hoc istius gratiæ efficacis? Respondent, cõsistere in ipsa infusione gratiæ habitualis & aliarũ virtutum infusarum, quatenus per tales habitus mens hominis confortata, roborata, & eleuata elicit actum conuersionis, Deo pariter concurrente cum potentijs animæ, ad eundem actum conuersionis. Inde colligunt in genere causæ efficientis gratiam hanc efficacem priorem esse, quàm sit ipsa cõuersio, at verò in genere causæ materialis seu dispositiuæ, conuersio ipsa est prior quàm ipsa gratia efficax, & consequenter hæc conuersio, quæ in genere causæ materialis & dispositiuæ est prior quàm gratia efficax, est ille pius vsus liberi arbitrij, quo acquiritur hæc efficax gratia, de qua dicunt consistere in infusione habituũ gratiæ & virtutum, quatenus per tales habitus infusos mens hominis roboratur & elicit actum conuersionis.

Adducitur D. Thomas pro hac sententia.

Hæc doctrina videtur desumpta ex Diuo Thoma, 1. 2. quæst. 113. art. 3. quo in loco loqui videtur de gratia efficaci, sub titulo diuinæ motionis, qua cõuertimur ad ipsum & iustificamur: Verba enim D. Thomę eo loci ita habent: *Non fit motio à Deo ad iustitiam absque motu liberi arbitrij, sed ita infundit donum gratiæ iustificantis, quòd etiam simul cum hoc mouet liberum arbitriũ ad donum gratiæ acceptãdum in his qui sunt huius motionis capaces.* Ex qua doctrina colligit in solutione ad primũ, quòd quoniam pueri nõ sunt capaces motus liberi, idcirco mouentur à Deo ad iustitiam per solam informationem animæ ipsorũ, quod fit per sacramentũ. Et parem rationem dicit esse de furiosis & amentibus.

En quo pacto per hanc motionem liberi arbitrij acceptatur illud donũ gratię iustificãtis, & acquiritur, id est acquiritur donum gratiæ iustificãtis, quod aceptatur per conuersionem, & consequenter ipsa Dei motio, qua infunditur gratia, simul esse ab hac eadem gratia quãdo infunditur, & rursus conuersionem ipsam simul esse ab hac eadem gratia, hoc est à motione Dei per quam simul gratia ipsa infunditur. Hanc eã dem doctrinam adducit D. Thomas, ar. 8. sequẽti, & in solutione ad. 2. vbi ait. Motũ liberi arbitrij ordine naturę precedere cõsequutionẽ gratię (nimirũ in genere causę dispositiuæ) ac proinde sequi infusionem gratiæ, videlicet in genere causæ efficientis. Hanc eandẽ doctrinã tradit Conradus. 1. 2. quæst. 113. art. 8. Sotus lib. 2. de natura & gratia, cap. 18. vbi docet illam motionem, qua Deus mouet efficaciter liberum arbitrium ad conuersionem, nihil aliud esse quàm ipsam infusionem gratiæ. Et eandem doctrinã docet cardinalis Caietanus super D. Thomam locis citatis.

Conradus. Sotus. Caietanus.

Propositus dicendi modus ex quatuor quæcõueniunt infusioni habituum supernaturalium probatur.

Itaque vult hæc opinio, pium vsum liberi arbitrij consistere in hac conuersione, qua hæc efficax gratia acquiritur. Vnde quòd efficax gratia quæ præter vocationem ad conuersionẽ est necessaria, consistat in motione illa, & infusione habituum supernaturalium, quatenus per illos mens ipsa roborata elicit supernaturalem conuersionẽ, Deo concurrente simul ad ipsam, probari potest. Quia illi gratiæ efficaci quatuor attribuuntur, quæ ei conueniunt: primum est, quòd per talem gratiam efficacem vnà cum libero arbitrio actu efficitur ipsa conuersio. Secundum est, quòd posita tali gratia efficaci, infalibiliter ex hypothesi, seu necessitate cõsequentiæ & suppositionis sequitur ipsa libera conuersio. Tertium est, quòd hęc efficax gratia Dei verè est omnibus necessaria ad conuersionem. Quartum est, quòd homo præuẽtus à Deo per gratiam vocantem potest adiuuante Deo acquirere illam efficacem gratiam per vsum liberi arbitrij. Igitur cum hæc quatuor conueniant illi motioni diuinę, de qua diximus hactenus, & nõ possint alicui alteri gratiæ conuenire, & attribui, sequitur hanc Dei efficacem gratiam consistere in illa motione & concursu Dei. Nam certè illa motio & infusio habituum supernaturalium efficit actu conuersionem, vna cum libero arbitrio, cùm cõstet infusionem illam habituũ, in genere causæ efficientis, esse priorem prioritate naturæ, quàm cõuersio, imò verò ea posita necessariò ex hypothesi sequitur infallibiliter conuersio, siquidem actu eam efficit: quod etiã est verum: quia illa est necessaria omnibus vt liberè conuertantur; cùm nemo vnquam fuerit cõuersus sine illa. Tandem cum vicissim sit posterior natura in genere causæ dispositiuæ, & materialis, quàm ipsa conuersio, satis apertè intelligitur, quo pacto per ipsam conuersionem acquiratur, veluti per quandam dispositionem ad ipsam. Et hoc videtur esse maximè conforme. D. Augustino, lib. 1. retract. cap. 22. vbi dicit. *In potestate nostra non est nisi quod nostrã sequitur voluntatem.* Et sanè nullus actus liberi arbitrij excogitari potest, præter hanc conuersionem, cui tanquam bono vsui liberi arbitrij possit attribui assecutio gratiæ efficacis, quæ conuenit homini iam vocato & excitato.

D. Augus.

Per hunc modum dicendi, censent auctores præfatæ opinionis, ita defendi facultatem liberi arbitrij in consequutione & obtentione efficacis gratiæ & iustificationis, vt pariter etiam mirabiliter extollatur necessitas gratiæ Dei respectu liberi arbitrij; & pariter colligunt ex hoc, non posse aliter explicari necessitatem efficacis gratiæ, qualis sit ad conuersionem, præ-

ter vocantem & excitantem gratiam, nisi plerisque difficultatibus implicemur.

Non placet commemorata sententia, & ideò impugnatur.

Sed profectò hæc respõsio & sententia quę prima facie videtur facilis, non dissoluit tactam difficultatem: primò quidem, quia non explicat quis & qualis sit pius ille vsus liberi arbitrij, de quo communiter Theologi dicere solẽt: quòd si homo vtatur benè prioribus auxilijs, donabit illi Deus efficacem gratiam, per quam conuertatur. Ecce per pium vsum intelligũt Theologi eum, qui pertinet ad priora auxilia, quibus homo prœuentus benè vtitur, & quo posito, nimirum pio vsu, Deus tribuit vlteriora auxilia, & tãdem efficacem gratiam. Neque satis explicatur hic pius vsus, quia nobis inquiritur, vt dissoluatur difficultas obiectionis superiùs tactæ; dicendo, hunc pium vsum esse ipsam cõuersionem, qua homo vocatus & excitatus assequitur efficacem Dei gratiam: Primò quia ipsa conuersio supernaturalis supponit iam in homine peccatore ipsam efficacem gratiam, vt principium eius effectiuum: Secundò, quia nomine gratiæ efficacis, per quam homo conuertitur in Deum, & per quam homo acquirit gratiam iustificationis semper intelligitur aliquid omninò distinctũ ab ipsa gratia habituali iustificante, & prius illa, at vero iuxta opinionem istorum, efficax gratia non differt ab ipsa infusione habituum seu à gratia iustificationis quæ infunditur: Tertiò, quia si pius vsus priorum auxiliorum idcircò requiritur, vt per illum homo prœuentus à gratia excitante & vocante Deo adiuuante consequatur gratiam efficacẽ, quatenus est necessaria ad ipsam conuersionem, malè explicatur dicendo, quòd pius ille vsus est ipsa conuersio quæ sequitur posterius ad pium vsum: nam licèt conuersio sit pius vsus & pium opus, sed est posterius ipso auxilio gratiæ efficacis, cùm talis cõuersio sit effectus illius gratiæ efficacis, quæ aliàs obtinetur posito pio vsu: igitur per conuersionem non acquiritur efficacitas auxilij Dei, sed præintelligitur. Tandem prædicta opinio non dissoluit omnes difficultates contentas in obiectione: neque solutiones eius sunt satis conformes Sacræ Theologiæ, & sunt friuolæ, eluduntque difficultatem argumentorum: Quia licet verum sit, & valdè rationabile, quòd in genere causæ efficientis prior natura est infusio gratiæ, per quam Deus nos mouet efficaciter ad cõuersionem, & quasi aperit cordis nostri ianuam, & quòd in genere causæ materialis prior natura est hæc conuersio & apertio mentis vt intret gratia, tamen quomodo erit verum quòd ex pio vsu priorum auxiliorum sufficientium eo posito Deus donat posteriora auxilia efficaciæ? aut quomodo erit verum quòd homo vtatur benè prioribus auxilijs, nisi habeat tunc actualem gratiam Dei efficacẽ ad talem vsum?

Aliorũ sententia asserẽtium pium vsum quo obtinetur

Alii Theologi, qui nullam cognoscunt distinctionem auxiliorum, nisi tantùm ex parte euentus & effectus, quia sentiunt omne auxiliũ sufficiens etiã esse efficax secundùm se, putãt, pium illum vsum semper esse à gratia efficaci Dei, & ita antecedere conuersionem; & nõ esse conuersionem ipsam, sed esse actum liberi arbitrij quo obtinetur efficax gratia conuersionis: itaque auctores huius sententiæ censent, omne auxiliũ sufficiens esse efficax, esse tamen aliud & aliud auxilium: Quia nimirum vnum est efficax ad actum conuersionis, aliud verò solũ sufficiens ad conuersionem, efficax tamen ad piũ vsum antecedentem cõuersionem. Vnde Theologi incidenter dicere solent, quòd auxilium illud quod est efficax respectu vnius effectus plerunque non est efficax respectu alterius, sicut, verbi gratia, auxilium, quod est efficax respectu iustificationis, non est efficax respectu perseuerantiæ, sed dicitur præcisè sufficiens tantùm: Quoniam perseuerantia est speciale donũ Dei, & postulat, vt dicit Conciliũ, speciale quoddam auxilium, iuxta illud quod habetur in Tridentino sessi. 6. can. 22. vbi dicitur: *Siquis dixerit, iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei in acceptа iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse: anathema sit.* Vnde quamuis per gratiam iustificãtem & auxilia eius & per virtutes infusas homo dicatur habere potestatem perseuerandi, vt docet Sanctissimus Præceptor. 1. 2. q. 109. art. 10. ad 3. tamen vt verè homo iustus actu perseueret, verè etiam de facto indiget speciali dono distincto à gratia, & virtutibus, & ab auxilio sufficienti.

gratia efficax esse ab eadem gratia efficaci.

Trid. sess. 6. can. 22.

Quo circa incollatione, quam Deus efficit horum auxiliorũ, hunc ordinem suauiter & regulariter seruat, quòd primò incipit à gratia minori, pulsando & vocando, à generalioribus & minoribus auxilijs, aptis tamen ad producendũ effectus suos, si tamen homo non resistat, & sinat se duci ab eis, in quo iã homo incipit se subducere ab actu peccandi: Quo fit vt Deus tunc maiora & specialiora tribuat illi auxilia, quibus retrahit voluntatem hominis ab studio & affectu peccandi. Vndè si homo rectè vtatur his auxilijs & sibi incipiat displicere, sese etiam continendo ab actu peccandi, tunc Deus vehementiùs instat, & sese ipsum animo hominis intimè insinuat, & tandem maiori & abundantiori efficit auxilio, vt detestetur antiquam vitam, & se in Deum conuertat, ad quam conuersionem recipit à Deo efficacitatem suæ gratiæ actualis. Verumtamen si homo peccator priora illa & generalia auxilia gratiæ repellat, & cõtemnat, Deus interdum se continet à maioribus & vlterioribus auxilijs conferendis, iuxta illud. *Vocaui & renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo.* Et nihilominus solita sua benignitate priora auxilia sæpe sæpius repetit, pulsatque varijs modis peccatoris affectum, & animum, semper quidẽ paratus & promptus, si vtatur homo benè auxilijs illis & non resistat, conferre auxilia maiora & efficacia. Et sanè hæc solet esse cõmunis via cõuertendi hominẽ ad Deũ. Cęterum plerunq; Deus solet extraordinaria via cõuertere homines, vt fecit cũ Paulo cum persequebatur Ecclesiã Dei, & cũ latrone in cruce pẽdẽte, vt nos alibi fusiori sermone diximꝰ. 1. p. q. 23. ar. 5. disp. 1

Quis ordo seruetur à Deo in conferendis auxilijs.

Hæc sententia etiam displicet, continet enim aliqua omnino falsa.

HAEC sententia diminuta est, & indiget maiori declaratione, & quamuis multa verè dicat, tamen cum nullam cognoscat distinctionem auxiliorum gratiæ Dei secundùm se, nisi tantùm ex parte euentus, & effectus malè loquitur vt inferius ostendemus. Rursus falsum est, omne auxilium sufficiens, etiam esse efficax omnino: Nam ratio sufficientiæ præcisè non includit rationem efficacitatis seu efficacis auxilij.

Animaduersiones pro responsione difficultatum.

Suppositio prima: quòd homo nõ resistat gratiæ excitanti & vocãti Dei, esse donum ipsius.

VT IGITVR propositam obiectionẽ & difficultatem aperiamus, suppono primò: q homo per hoc quòd motus à Deo, excitatus, & vocatus sua gratia, non illi resistit, neque ponit obicem, neque repugnat ei: Paratur via ad salutem huius hominis, ac proinde hoc debet esse donum Dei, & idcirco prius fuit decretum à Deo hominem non repugnare, neque resistere, aut impedimentum obijcere gratiæ Dei, quàm quòd hoc fuerit præuisum secundùm nostrum modum intelligendi. Vnde quando homo pulsatur, & vocatur à Deo, ab ipso excitatus, quòd tunc non repugnet diuinæ gratiæ vocanti, excitanti, & pulsanti, cum in eam attendat excitatus à Deo, hoc non est tantùm se habere veluti inanime quoddam, merè passiue prorsus: sed hoc non repugnare est liberè assentiri illi gratiæ & cooperari. Quod sanè optimè expressit Propheta Isaias, cap. 50. dicens. *Dominus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico, retrorsum non abij.* Quid autem sit non contradicere & non repugnare, statim expressit Propheta dicens: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus.* Quo autem munere hoc factum sit, statim expressit diuinus vates, subiungens: *Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus; ideo posui faciem meam vt petram durissimam, & scio quoniam non confundar.* Sanè non repugnare gratiæ diuinę & vocationi Dei, est illi assensum præstare, & non est pura & mera negatio, ita vt hoc sit merè prorsus passiuè se habere, veluti quid inanime. Nam certè si non resistere & non repugnare, est liberum homini, sequitur quòd nõ est pura negatio: Quare aliquid dicit ex parte libertatis. Quòd si homo assentitur vocationi Dei, & per hoc non repugnat Deo vocanti, sed consentit, totum hoc procedit à diuina gratia nobis liberè non repugnantibus, & liberè assentientibus.

Isaiæ. 50.

Suppositio secunda: nõ esse culpã, non habere efficax auxilium, sed non operari iuxta conceſſam gratiã, qua paratur via ad cõuersionem.

SVPPONO secundò, quòd quãdo dicitur homini imputari ad culpam, quòd non habeat efficax auxilium, quia sua culpa illo caret, nõ est sensus culpam eius consistere in eo quòd est nõ habere auxilium efficax, sed potius in eo quòd est hominẽ non operari & agere iuxta id quod habet de gratia diuina cum vocatur à Deo, & excitatur, pulsaturque & iuuatur: Vnde Theologi dicunt. In hominis potestate esse habere auxilium efficacis gratiæ, quoniam si homo nõ fuerit rebellis, neque resisteret sufficienti auxilio, neque præstaret impedimentum aliquod, tunc Deus hominem promoueret & conferret efficax auxilium gratiæ suæ, & hæc pendent ex libertate voluntatis, sine qua neque homo fuisset rebellis, neque præstaret impedimentũ, neque resisteret, & idcirco liberè & sua culpa illo caret.

Suppositio tertia. Auxiliũ quodlibet vt est à Deo verè sortiri effectum, respectu eius ad quod absoluta intentione & voluntate donatur.

SVPPONO tertiò: Auxiliũ omne diuinum quatenus est à Deo mouente habere vim infallibilem in ordine ad id ad quod verè datur, & ordinatur à Deo absoluta voluntate: Quia hæc intentio absoluta Dei neque deficere neque frustrari potest, ac proinde si ex absoluta Dei voluntate & intentione est, quòd homo cuius mouet cor & voluntatem, attendat diuinæ gratiæ & excitationi, aut quòd conuertatur, id certissimè consequetur. Quo fit vt interna vocatio, excitatio, & illuminatio, qua peccator inuitatur ad pœnitentiam & conuersionem, si ipse re vera non conuertatur, tunc respectu illius illuminationis, pulsationis & inuitationis dicitur homo excitatus & pulsatus & auxilium efficax gratiæ, solũque dicitur sufficiens respectu conuersionis, cęterum respectu excitationis, illuminationis & pulsationis dicitur habere efficaciam. Vnde quoniam hæc omnia auxilia gratiæ præconcipiunt quẽdam respectum & quẽdam ordinem ad conuersionem, idcirco illa auxilia quæ re vera & de facto non attingunt efficaciter conuersionem ipsam non dicũtur simpliciter & absolutè efficacia, & quamuis nunquam detur re vera & de facto conuersio & cõtritio sine efficaci auxilio adæquato, nihilominus tamen adhuc auxilia ista dicuntur sufficientia cum respectu & ordine illo ad conuersionẽ, incomplete tamen. Solent Theologi adducere exemplum de semine in quo continetur effectus & fructus cuius est semen, licèt non contineat omninò sua sola virtute omnia prorsus necessariò requisita, vt producatur fructus & effectus, quia neque continet influentiam cæli, neque omnem aplicationẽ, neque alia multa, quæ illi sunt necessaria ab extrinseco efficiente: sic dicere solent de auxilio sufficiente respectu cõuersionis, & nihilominus est verum quòd sufficiens auxilium non requirit aliud quod sibi præstet sufficientiam ad operandum, quia certissimum est ipsum auxilium sufficiens tribuere & conferre ipsi potentiæ, id quod sufficienter requiritur vt reddatur potens respectu operationis conuersiuæ, quamuis ad vsum qui in actuali operatione conuersionis inuoluitur, requiratur efficax Dei gratia, quæ secundùm propositum Dei agat, & applicet potentiam ad actionem & conuersionem. Quo fit quòd vt auxilium dicatur esse sufficiens, satis est, si constituat potentiam sufficienter potentem operari, etiam si non habeat adæquatè aliquid, quo operetur infallibiliter, & id desit. Ex quibus patet quòd auxilium sufficiens se solo & præcisè nõ constituit adæquatè omnino actum primum,

respe-

respectu conuersionis, quamuis constituat actũ primum, respectu sui effectus immediati & proximi, aut respectu sui effectus formalis, vt superiùs diximus.

Suppositio quarta: Nec donari semper auxilia gratiæ eodẽ modo, nec esse indifferentia.

SVPPONO quartò auxilia diuina gratiæ Dei, quæ ex diuina prouidentia supernaturali emanant, non vno & eodem modo dari à Deo, neq; esse omnino indifferentia, sicut multi dicunt de concursu causarum naturalium, sed multiplicia esse & varia, cùm homo cui donantur & infunduntur, sit principium liberum non determinatum ad vnum, neque agens ex iudicio à natura infixo; sed ex collatione & cõferentia cum deliberatione. Fieri ergo potest vt aliud sit auxilium sufficiens ad conuersionem in Deũ: aliud ad supernaturalia opera re ipsa agenda, post receptam gratiam: & aliud ad perseuerãdum. Euenit, enim, vt auxilium quod fuit efficax ad conuersionem in Deum, non est efficax ad perseuerandum actualiter in gratia: neque ad vsum gratiæ receptæ, vel ad continuam perseuerantiam in ea, vt experientia constat: vnde Ecclesia canit, gratiam Dei septiformem esse: in festo B. Magdalenæ. Multi enim accipiunt gratiam, & nõ accipiũt vsum gratię sic receptæ, quia postmodum peccant, & non habent vsum gratiæ quam receperunt. Rursus etiam multi receperunt & habuerunt efficax auxilium gratiæ, vt opera bona in accepta gratia agerent, & tamen non recipiunt speciale auxilium gratiæ ad perseuerandum, vel ad diuturnam continuationem vsus gratiæ, vt constat in peccatoribus & in reprobis. Imò verò prædestinati plerũque accipiunt gratiam, & ab ea recedunt, licèt finaliter resurgant: quod sanè certissimum est.

Quo nam modo repellatur difficultas obiectionis superioris.

Respondetur obiectioni suprà positæ.

HIs ita prælibatis, superioris obiectionis difficultas facile repellitur & dissoluitur: Nã certè satis clarè explicatur quis sit prius ille vsus quo homo iam præuentus ab auxilijs gratiæ Dei excitantis, vocantis, & mouẽtis, possit vlterius progredi, & obtinere efficacem gratiã necessariam ad cõuersionem. Et quidem vt in præsenti loquimur de vsu sufficiẽtis auxilij gratiæ actualis Dei, ille non est cõuersio, nam vsus liberi arbitrij, qui est in ipsa cõuersione, est vsus illius gratiæ efficacis datæ efficaciter ad conuersionẽ, ac proinde bonus vsus liberi arbitrij quo homo iam præuentus ab auxilijs sufficientibus parat viam, vt Deus illi conferat vberiora auxilia & maiora, vsque ad efficacia ipsius cõuersionis, est ille quem superius explicuimus & descripsimus in appendice primo. Diximus enim. vsum sufficientis auxilij quo homo benè vtitur prioribus auxilijs gratiæ actualis Dei verè positum esse in hoc, quòd dum homo mouetur à gratia vocante, & excitante, & tangente cor hominis, non repugnat huic vocationi, neque apponit impedimentum, sicut efficiunt multi ex hominibus, qui etiam si vocentur à Deo, & excitentur renuunt, & nolunt acquiescere Deo vocanti, iuxta illud: *Vocaui & renuistis.* & iterum: *Vos semper Spiritui Sancto restitistis.* & rursus: *Quoties volui congregare filios tuos sub alas & noluisti?* & ita non benè vtuntur gratia sibi data, sed magis illi contradicunt. Rursus diximus: Pium hunc vsum positum esse in eo quòd homo velit per Dei gratiam attendere diuinæ vocationi, & motioni, neque ponẽdo obicem, neque renuẽdo, sed potius attendendo quã periculosus sit status sui ipsius in peccato: sic enim incipit parare viam ad sui conuersionem ex diuina gratia, & benè vtitur Dei auxilio, & vocatione eius, præcipuè si non se diuertat ad alia sæculi negotia, quæ distrahunt & diuertunt ab illo incepto bono vsu, tunc enim Deus dabit vberiora & maiora auxilia acrius excitando, mouendo, & vocando. Et quidem in hoc casu hæc auxilia sufficientia habent latitudinem, ita vt quædam sint maiora, quædam minora, & quædam vehementiora alijs. Imò verò fieri potest vt vnum auxilium quod respectu conuersionis est sufficiens tantùm, sit efficax respectu aliorum actuum antecedentium: sicut superius diximus de auxilio efficaci, quod est efficax ad conuersionem, & iustificationem, non esse efficax ad perseuerandum vsque in finem, neque ad continuum vsum gratiæ receptæ, quia multi gratiam recipiunt, & conuertuntur, qui postea facilè recedunt, & peccant, & non habent continuationem boni vsus gratiæ receptæ.

Vsus sufficientis auxilij non est cõuersio ipsa, sed non repugnantia, qua homo non repugnat vocationi, neque ipsi apponit impedimentum.

Ad confirmationẽ assignatur solutio.

AD confirmationem negatur, Quòd ille bonus vsus priorum auxiliorum debeat tempore antecedere conuersionem, sufficit enim quòd in eodem instanti, per prioritatem in qua, antecedant, quia in vno & eodem instanti potest homo conuerti; fatemur tamen, quòd aliquando solet pius ille vsus antecedere conuersionem, qui ordo regulariter seruatur in cõuersione peccatorum, quamuis in momento temporis possint conuerti, & plerũque conuertantur. Ad minorem verò eiusdem cõfirmationis dico. Quòd actus tempore antecedens conuersionem, qui in pio & bono vsu consistit, certò obtinet gratiam, si datur à Deo ex volũtate absoluta & nõ tantùm antecedente. Quare tunc in eadem vocatione qua homo vocatur ad cõuersionem, & in eisdem auxilijs antecedentibus reperitur aliquis modus, qui pertinet ad gratiam Dei, ratione cuius homo tunc habeat pium vsum. Quod satis apertè significauit Ruardus Tapper art. 7. de libero arbitrio, pag. 306. in impressione Louaniensium, anno. 1555. Imò verò dicit hic auctor, quòd ex Dei ordinatione excitationes & inspirationes accipiunt, & accipere possunt vim quandam intentionalem, ad id quod Deus intẽdit, & citat Caietanum pro se.

Ruardus Tapper.

DICO rursus, vt omni ex parte dissoluatur obiectio, Quòd illa auxilia gratiæ sufficientis, quæ simul operantur bonum vsum, antecedenter ad actualem conuersionem, & cõtritionem hominis, non habent adæquatam rationem consecutionis, neq; omnino immediatam ipsius cõ-

uer-

uersionis, sed inadæquatam tantùm, donec intelligatur aduenire & adesse efficax gratia actualis auxilij diuini, tunc enim ipsa efficacitate aduenìente datur adæquatum principium, & totale conuersionis.

Obiectio. SED cõtra ea quæ diximus ocurrit obiectio: Quòd auxilium solet diuidi & partiri, vt aliud sit ordinatum ad vsum gratiæ, aliud ad conuersionem, aliud verò ad continuationem, & ad perseuerandum: ergò omne auxilium dici potest efficax. *Repellitur.* Respondetur vt in superioribus insinuauimus, quòd auxilium, quod est efficax respectu vnius effectus, plerûque non dicitur, neque est efficax respectu alterius: quoniam quod est efficax respectu contritionis & conuersionis, & respectu iustificationis, non est efficax respectu perseuerantiæ, & permanentiæ, aut continuationis in vsu gratiæ iustificantis, quia perseuerantia includit quoddam speciale Dei donum, vt suprà explicuimus. Vnde antecedens fauet nobis, & negatur consequentia, quod enim est efficax respectu vnius, solum est sufficiens respectu alterius.

Replica. DICES: voluntas hominis per sufficiens auxilium tantùm vel est in potentia proxima ad operandum, vel in remota. Si dicas primum, sequitur præter auxilium sufficiens non requiri aliud efficax ad agendum: si verò dicas secũdum sequitur quòd sine auxilio efficaci voluntas nũ quam est principium efficiẽs operationis, quia cum solo sufficienti auxilio re vera nunquam datur actus operandi. *Soluitur.* Respondetur quòd sufficiẽs auxilium non requirit aliud, quod sibi præstet sufficientiam ad operandũ, quia voluntas actuata auxilio sufficienti, verè est in potẽtia ad operandum: quia sufficiens auxilium gratiæ Dei tribuit potentiæ, ex parte virtutis operatiuæ, id quod requiritur, vt reddat illam potentiam ad operandum, non quidem remote, sed proximè, inadæquatè tamen respectu conuersionis: quia adhuc indiget efficacitate gratiæ Dei vt adęquatè omninò & immediatè infallibiliter operetur, & actu operetur. Vndè cum solo sufficiente auxilio, excluso efficaci moraliter loquendo nunquam potentia reducetur ad actum operationis exercitæ.

Sexta Conclusio.

Conclu. 6. Auxilium efficax non in sola morali præmotione, sed etiam in determinatione propriè efficiẽte cõsistit.

DICO sextò: efficaciam gratiæ actualis Dei consistere non tantùm in præmotione morali, sed etiam in vera præmotione propriè efficiente, qua reducitur liberum arbitrium ea motum, de actu primo ad secundum, & qua aplicatur ad supernaturaliter agendum. Quoniam efficacia diuinæ gratiæ actu aplicat sub Deo voluntatem hominis, ad actu operandum supernaturaliter, datq; voluntati vt actu operetur, & est adæquatum principium actu cõuertendi hominem. Hæc assertio mihi videtur certa: de qua fusius à nobis est agendũ infra in speciali disputatione de hac re, de qua etiam diximus multa ex sanctis Patribus, ex Scriptura, & Cõcilijs, vt ostẽderemus efficacitatẽ diuinę gratiæ, non tantùm in causalitate morali esse positam, sed etiã præmouere efficienter propriè volũtatem: idest in genere causæ physicę, & per hoc neq; destrui libertatem eius, neq; dominiũ suarum actionũ.

QVÒD verò Deus efficienter propriè, etiã vt distinguitur contra, moraliter præmoueat voluntatem hominis liberã efficacitate suæ gratiæ diuinæ, id quidem potissimè colligitur ex Sanctis Patribus Ecclesiæ Latinæ, & testimonijs sanctarum Literarum, & est valdè cõforme Concilio Arausicano secũdo, in cuius tertio capite habetur. *Cõci. Arausican. secũdũ. cap. 3.* *Si quis inuocationem humanæ gratiæ dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere vt inuocetur à nobis contradicit Isaiæ Prophetæ dicenti: Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant, &c.* Vbi Concilium dicit Deum & gratiam eius efficere quòd homo inuocet Deum: quia Dei gratia facit me inuocare Deum: ergo præmouet me: & non dicit Concilium quòd Deus prẹmouet me solũ moraliter, aut quod per hoc tollitur libertas. Præterea D. Paulus in epistola ad Ephesios ait. *Ad Ephes.* *Ipsius factura sumus creati in operib⁹ bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.* vbi perpẽdenda sunt verba Pauli quòd sumus factura Dei, creati in operibus bonis. Quòd si sumus factura Dei, & creamur in operibus bonis: sequitur primo, quod non tantùm Deus concurrit actuali sua gratia ad effectus, sed etiã sequitur secũdò, quod etiam facit nos & voluntates nostras per influxum propriè præmouentem agere & operari: hoc enim satis aperte indicat verbũ illud, creati in operibus bonis. Posset que dici quòd efficacitas gratię cõsistit in hoc quòd creemur in operib⁹ bonis, ac proinde quòd efficiẽter propriè præmoueamur ad actualem conuersionẽ, & contritionẽ per efficacem Dei gratiam. Rursus idem Paulus ad Ephesios primo dicit. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius* & non dicit quòd elegit nos quia præuisi eramus consentire gratiæ Dei, sed quòd potius elegit nos, vt illi præstaremus cõsensum, & ob id dicit, quòd operatur secundùm consiliũ volũtatis suæ. Quod sanè ex eodem Concilio Arausicano, cap. 4. satis apertè confirmatur per hæc verba. *Cõci. Arausica. cap. 4.* *Si quis vt à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus, confitetur per Sancti Spiritus infusionem & operationem in nos fieri: resistit ipsi Spiritui Sãcto, per Salomonem dicenti: præparatur voluntas à Domino; & Apostolo salubriter prædicanti: Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona volũtate.* Vbi obiter aduerte, quod si Deus operaretur ex præuisione operum nostræ voluntatis, tunc expectaret Deus voluntates nostras, & voluntas Dei esset pedissequa nostræ voluntatis, & non dux illius, & Deus operaretur ex consilio voluntatis nostræ. En expressè hoc caput Concilij Arausicani videtur contra quendam auctorem in disputatione de auxilijs, vbi vt ille saluet libertatem arbitrij expressè dicit

quòd

quòd Deus expectat influxum voluntatis creatæ, vt ipse velit influere, idque affirmat, lib. 1. de concursu Dei cum voluntate, cap. 14. pag. 65. cuius oppositum videtur dixisse Concilium Arausicanum vt vidimus.

Idē Arausicanū Concil. adducitur in cap. 23. pro hac sententia & conclusione.

EXTAT rursus caput. 23. eiusdem Concilij Arausicani ita decernentis, *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet. Quando autem ita faciunt quod volunt, vt diuinæ seruiant voluntati, quamuis volentes agant quod agunt, illorum tamen voluntas est à quo præparatur, & obitur quod volunt.* Hoc est à quo præparatur nimirum à Deo, à quo obitur voluntas; id est præmouetur & peragitur ad id quod volūt. Vnde verbum illud, obitur à Deo, apertè satis indicat non tantùm moralem motionem, sed etiam efficientem præmotionem efficacitatis diuinæ gratiæ. Neque dicit Concilium efficacitatem hanc gratiæ Dei positam esse in congruentia illa loci & temporis ad complexionem individualem cuiusque, sed potius dicit, quòd quando homines benè agunt quod volunt, vt diuinæ seruiant voluntati, quòd licèt volentes id agant, voluntas tamen eorum obitur à Deo. Neque etiam dixit Concilium quòd Deus spectat influxum nostræ voluntatis, sed quòd voluntas non solùm præparatur à Domino, sed etiam obitur.

Ioan. cap. 6

MOVEOR etiam ex illo Ioannis. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum*. & magis est trahere quàm præmouere aut determinare, & non dicit quod ista tractio aut præmotio gratiæ actualis fit cum præiudicio libertatis, aut quòd in ea necessitatur voluntas. Ianseni

Ianſenius.

nius in concordia explicans hunc locum Ioānis postquam prætulit, quòd Deus præmouet & trahit voluntatem hominis moraliter multis modis: postea dicit: quòd Euāgelista aliquid altius voluit significare dicendo: Quòd Pater trahit voluntatem hominis ad Christū: quia in hoc voluit ostendere quòd trahit potentiore virtute & propriè efficiente. Hoc etiam docuit Sapiens Prouerbiorum 21. *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit vertet illud.* & vertere, sicut trahere, nō est minus quàm propriè efficere & præmouere aut determinare. Et cùm Sapiens dixit: *Cor Regis in manu Domini*. non dixit hoc fieri auferendo liberum vsum cordis ipsius, aut necessitatem inferendo. Vnde sicut Paulus dixit, quòd creamur à Domino in operibus bonis, & creatio antecedit omnia, ita per hoc significatur vera præmotio Dei circa hominem ad bona opera obeunda & exercenda, ita etiam de corde Regis Sapiens dixit ipsum vsum cordis esse in manu Domini, illudque vertere quo voluerit.

Prouer. 21

Locus Ezechielis. 36. explicatur optimè à D. Augus. pro nostra sententia.

CONFIRMARI hoc potest ex illo Ezechielis Prophetæ. 37. capit. *Ego faciam vt faciatis, & vt in præceptis meis ambuletis.* Quem locum volunt eludere aduersarij suis euasionibus. Cæterum Diuus Augustinus, lib. 1. de prædestinatione Sanctorum, capit. 10. & 11. explicat ipsum, & ait: *Idcircò hæc nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur vt intelligatur quòd & nos ea facimus, & Deus facit, vt illa faciamus.* Sed nos vtroque modo ea facimus, non solùm vt agentia moralia moraliter, sed etiam efficienter propriè: ergo pari ratione Deus non solùm facit vt ea faciamus præmouendo moraliter, sed præmouendo efficienter propriè voluntatem nostram. Et hæc est causa cur Diuus Augustinus, epistola 106. appellat voluntatem nostram pedissequam Dei, & suæ voluntatis, & præmotionis diuinæ gratiæ. Auctores oppositæ sententiæ faciunt voluntatem Dei pedissequam nostræ voluntatis, quia dicunt: Quòd Deus vult omnia ex præuisione nostræ voluntatis, vel vt dixit Franciscus Suarez, quòd Deus vult sub conditione si nos voluerimus, quasi expectando influxum nostræ voluntatis, quod affirmauit, sed malè libr. 1. de concursu Dei cum voluntate, capit. 14. & alibi non semel. Vnde Diuus Augustinus lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. ait: quòd gratia Dei non tantùm dat posse benè velle, sed etiam esse effectricem bonæ voluntatis: Quia non tantum dat actum primum, vel adæquatum vel inadæquatum ad posse, sed etiam dat efficaciam, ratione cuius ipse Dei influxus suæque diuinæ gratiæ, habent actualem efficientiam bonæ voluntatis: ergò non solùm moraliter, sed etiam efficienter propriè Deus sua gratia actuali præmouet voluntatem. Idem docuit Diuus Augustinus. 1. retractationum, capit. 23. dicens: *Quòd cum post Dei vocationem voluerimus non sufficit voluntas nostra, aut cursus noster, nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quo vocat.* Quo in loco Diuus Augustinus dicit, Deum non solùm tribuere vires, sed etiam perducere quò vocat, quod est mouere efficienter, quantum ad executionem: & per hoc non dicit Diuus Augustinus inferri præiudicium libero arbitrio, neque tolli libertatem, aut Deum solùm esse causam moralem præmouentem, imò verò dicit, Deum post primam vocationem sic tribuere vires gratiæ suę, vt faciat eam gratiam esse effectricem bonæ voluntatis, vt eam perducat quò vocat: Et loquitur D. Augustinus de operibus liberis liberi arbitrij, & nō dicit ipsum necessitari, aut nō prę-moueri efficienter propriè. Et in hac re vt explicaret hoc, nihil expressius, aut clarius dici potuit, à Diuo Augustino, quàm quòd gratia Dei quæ nos mouet, est effectrix bonæ voluntatis, & quòd non solum tribuit vires, sed quòd perducit quo vocat voluntatem nostram. Nam perducere voluntatem est eam mouere quantū ad executionem & exercitium.

MOVEOR rursus, quoniam liberum arbitriū non solùm est causa moralis conuersionis suæ & sui assensus, sed etiam est causa efficiens physica per supernaturalem formam illi inditam à Deo: ergò operatur tunc voluntas dependenter à Deo vt à causa propriè efficiente & causante: ergo Deus non tantùm sua gratia moraliter causat, & præmouet voluntatem, sed

Ratione offenditur cōclusio, ex causalitate quā habet liberum arbitrium respectu cōuersionis.

etiam efficienter propriè : Nam ſicut voluntas eſt cauſa moralis , & etiam eſt cauſa propriè efficiens piæ operationis , aut contritionis & conuerſionis ſuæ ex Dei auxilio ſufficienti & efficaci, ita etiam Deus vtroque modo eſt cauſa , & moralis, & efficiens propriè, & ab eo in vtroque genere pendet voluntas, nimirum à cauſalitate Dei , moraliter & efficienter cauſante, cui ſubordinatur liberum arbitrium creatum tanquam primæ cauſæ incipienti,& primo deliberanti.

Ex infallibilitate diuinæ prædeſtinationis arguitur pro concluſione.

SANE per ſolam præmotionem moralem, repulſa & excluſa præmotione efficiente , non ſtabilitur firmiſsimum fundamentum diuinæ prædeſtinationis : quia deſtruitur infallibilitas eius . Nam cùm diuina prædeſtinatio ſit ex voluntate abſoluta , & beneplaciti Dei , ante præuiſionem omnium operum : ſequitur prædeſtinationem eſſe infallibilem , & eſſe efficacem illorum effectuum , qui ex eadem voluntate debent procedere , & eſſe infallibiles iuxta Dei prædeſtinationem , ſed hæc infallibilitas , per ſolam moralitatem , aut per illa tantùm motiua moralia, aut per tempus & locum, non rectè ſtabilitur & firmatur ; præſertim cùm ſtet apud auctores oppoſitę ſententiæ dari congruentiam gratiæ in modo & tempore vocandi, & moralem illàm efficaciam præciſè quam ipſi dicunt , & tamen de facto plerunque , aut aliquando peccatores non conuerti . Vndè expreſſè Diuus Auguſtinus , lib. 2. de dono perſeuerantiæ , capit . 14 . poſtquam dixit. *Prædeſtinationem eſſe præſcientiam & præparationem beneficiorum Dei* , ſtatim addidit: *Beneficiorum Dei, quibus certiſsimè liberantur quicunque liberantur* . Si verò tota efficacia gratiæ reduceretur ad ſolam moralitatem iſtorum; ad tempus, & ad locum , & ad congruentiam complexionis naturalis , vt aduerſarij ſentiunt, ſine dubio tolleretur infallibilis certitudo fundamẽti huius diuinæ prædeſtinationis : Neque eſſet cur diceret Diuus Auguſtinus de beneficijs & auxilijs Dei: *Quibus certiſsimè liberantur, quicunq; liberãtur*, ſed potius, quibus probabiliter, incertò aut dubiè, vel nõ certiſsimè liberãtur quicũque liberãtur: ergo nõ ſolũ debet conſtitui moralis hæc præmotio Dei , ſed etiam illa quæ eſt verè & propriè efficiens: quæ ſanè vt à Deo eſt rem facit verè infallibilem.

D. Auguſ.

Illuſtria D. Auguſ. teſtimonia adducũtur pro nobis.

DIVVS Auguſtinus loquens de efficaci gratia Dei, libro de correptione & gratia, cap. 14. & de infallibilitate gratiæ præuiæ efficacis inquit. *Volenti ſaluum facere nullum hominum reſiſtit arbitriũ: ſic enim velle aut nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, vt diuinam volũtatem non impediat, neq; ſuperet poteſtatem* : Quod teſtimoniũ non poteſt intelligi niſi de gratia efficaci præmouente efficienter propriè, & non tantùm de gratia moraliter præmouente. Rurſus hæc eadem eſt efficax gratia de qua dicit D. Auguſtinus. *Quòd à nullo duro corde reſpuitur.* Et paulò inferius ſubiungit Auguſtinus. *Non eſt dubitandũ voluntati Dei volũtates humanas reſiſtere non poſſe, quominus faciat ipſe quod vult: Quia etiam de ipſis voluntatibus hominum quod vult cùm vult facit.* Et ſtatim. *Habet ſine dubio Deus humanorum cordium quo placet inclinandorum omnipotentiſsimam poteſtatem.* Denique, *Magis habet in ſua poteſtate volũtates hominũ, quàm ipſi ſuas.* Ergo hoc eſſe non poteſt ſtando in ſententia D. Auguſtini, niſi Deus ſua gratia præmoueat voluntates noſtras, & moraliter & etiam efficienter propriè: Aliàs quo pacto erit verum Deum habere omnimodam & omnipotentiſsimam poteſtatem circa liberum arbitrium , niſi vtroque modo præmoueret ipſum ? aut quomodo eſſet verum quòd Deus magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas: qui moraliter & efficienter habent in poteſtate ſua ſuas voluntates?

ET S. Thomas. 1. 2. quæſt. 113 ar. 8. & q. 112. art. 3. expreſſè docet in operibus iuſtificationis & in deteſtatione peccatorum per contritionẽ, Deum prius natura mouere per ſuam actualem gratiam voluntatem peccatoris, quod eſt præmouere nos: & loquitur de præmotione gratiæ efficiẽtis propriè. Legẽdus eſt Stapletonus lib. 4. de gratia & libero arbitrio, cap. 8. & pleriſq; alijs locis infra citandis, in quibus cauſam quidẽ cur alius velit, alius non velit, ponit gratiã, quia illa eſt potiſsima & efficacior cauſa: & negat voluntatem eſſe cauſam diſcriminis, non quia nulla cauſa eſt, ſed quia poſterior & inferior cauſa eſt, & hoc dicit cognouiſſe , & docuiſſe Diuum Auguſtinum.

D. Thom.

Stapleton.

PERPENDENDA etiam eſt ſentẽtia D. Auguſtini in Enchiridio, ca. 68. dicentis : *Quis tam impiè deſipiat vt dicat Deum malas hominum volũtates quas voluerit, & quando voluerit, & vbi voluerit in bonum non poſſe conuertere? Non eſt vtiq; verum quod in Pſalmis dicitur? Quæcunque voluit fecit, ſi aliqua voluit & non fecit: & quod eſt indigniusideò non fecit : quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit* . & tandẽ concludit: *Profectò facere non voluit quæcũque nõ fecit.* Ecce in quo efficacitas gratiæ diuinæ poſita ſit, ex ſentẽtia D. Auguſtini. Ex cuius verbis conſtare poteſt gratiam nõ dici ſimpliciter efficacem, ex illa moralitate quam cõſtituunt aduerſarij, per ordinem ad tempus & locum, & ad complexionẽ naturæ alicuius , ſed potius quia Deus vult, & quando vult fit omnipotentiſsima eius poteſtate, qua habet dominium humanorum cordium, atq; ipſius liberi arbitrij. Et nõ dicit Auguſtinus per hoc tolli libertatem arbitrij, imò verò loquebatur de actibus liberi arbitrij, & de actibus conuerſionis & pœnitentiæ vt conſtat ex ipſo contextu. Idem ſenſit Magiſter Sententiarum in 1. diſt. 46.

PRAETEREA, quando liberum arbitrium mouetur à Deo efficienter propriè & moraliter, ea motione mouetur, qua reducitur de actu primo ad ſecundum, & quaſi de potentia ad actum ſecundum, cùm autem reducitur de illo actu primo ad ſecundũ, etiam ſe agit voluntas auxiliata à Deo de actu primo in ſecundum per influxũ

Ex reductione liberi arbitrij de actu primo in ſecundum ſumitur non leue argumẽtum.

diui-

diuini auxilij in ipsam teste S. Thoma vt inferius dicemus: voluntas enim est etiam quę se applicat & se mouet sub applicatione Dei, & motione morali & efficiente: Quoniam Deus vult mouere voluntatem hominis attẽperando motionem suam cum conditione libera voluntatis, iuxta ea quæ dicit S. Thomas. 1. 2. quæst. 10. art. 4. Sed cùm voluntas se actiuè mouet, & determinat, non potest facere hanc determinationem, nisi dependenter à Deo, vt à prima causa efficienter causante, imò prius natura influẽte per auxilium gratiæ suæ: Quia cum prioritas in causando, Deo debeatur maximè in supernaturalibus, & hæc sit prioritas naturæ: Deus prius natura præmouet voluntatem sua gratia, non quidem in aliquo instanti priori, neque per aliquod prius in quo Deus mouet voluntatem, & ipsa non se moueat actiuè, sed per prioritatem causalitatis efficientis propriè, quę est prioritas naturæ, & non solius rationis.

Nota præmotionem Dei de qua loquitur cõclusio non debere esse, nec intelligi esse prioritatem tẽporis, aut etiam instãtis, sed solũ naturæ.

TANDEM vt sextam assertionem explicemus perpendere oportet, quòd quando Deus præmouet voluntatem nostram ad consensum & ad conuersionem actualem non dicitur sic eã præmouere quasi Deus in aliquo instanti sua actione prius eã determinet, & vi sua rapiat potenter aut implanet eam ad talem consensum seu conuersionem, & quòd postea in alio instanti ipsa efficienter physicè determinet se & sic determinata operetur. Neque rursus sentimus quòd Deus producit & influit in voluntatem efficienter physicè aliquam actionem formaliter determinatiuam ipsius voluntatis, quæ à solo Deo sit producta: & quòd deinde ea supposita voluntas se determinet, quia sic non maneret libera in sua determinatione, sed tantùm affirmamus omnem gratiam actualem, seu auxilium diuinæ gratiæ siue paruum, siue magnum, siue sufficiens, siue efficax esse à Deo descendens à Patre luminum, à quo secum trahit omnem suam perfectionem atq; efficaciam ex parte principij influentis in voluntatem. Præterea affirmamus, quòd eadem actione qua voluntas ipsa se liberè determinat, determinatur etiam à Deo, ita vt illa actio determinatiua voluntatis sit vna tantùm à Deo, & à voluntate, & arbitrio creato, cæterum à Deo prius sola prioritate naturæ per influxum, & auxilium suæ gratiæ efficacis, & actualis in ipsam voluntatem. Vnde sicut voluntas prius natura est in se, & prius natura habet formam in se quã operetur, quia prius natura antecedit suam operationem, ita quidem Deus influens in voluntatem auxilium gratiæ efficacis ad actualem conuersionem & pœnitentiam, dicitur causa prius natura influens, & actualiter efficaci sua gratia auxilians & determinans voluntatem, determinatione libera, tàm moraliter quàm propriè efficienter: & hanc vocamus præmotionem cùm Deus eam efficiat, & causet influendo in ipsum arbitrium.

Non duplici actione determinatur voluntas, sed vna tantùm.

ADDE etiam, quòd determinatio voluntatis sita est in illo exitu quo voluntas exit de potentia ad actum, & de actu primo ad secundum, quòd quidem nõ aliter fit quàm per actionem procedentem ab ipsa voluntate: quod est verum cùm iam ipsa incipit agere & operari, ad quem exitum Deus iuuat sua gratia actuali influendo, ac proinde prius natura incipiendo & producendo auxilium gratiæ. Nam certè auxilium Dei ad extra in voluntate receptum educitur de potentia obedientiali eius à Deo, cùm fit quid creatum, ac proinde influit Deus in voluntatem: & cum auxilium hoc sit principium operationis, si hoc educitur de potentia voluntatis: sequitur quòd prior est influxus & concursus Dei in causam quàm in actionẽ.

HAEC quæ diximus in discursu huius sextæ assertionis ad explicandam efficacitatem gratiæ & præmotionem eius, sufficiant modo: quia inferius fusiùs & ex professo explicaturi sumus efficacitatem gratiæ contra aduersarios, quo loco agemus de prædeterminatione voluntatis nostræ, & efficacitate diuinæ gratiæ, & concordia liberi arbitrij cum ea, aliqua etiã dicemus de hac re sectione. 3. immediatè sequẽti.

SECTIO. III.

Vtrùm efficacia gratiæ sumenda sit ex humana voluntate creata, vel solùm ex diuina, & vt à Deo procedit?

HAEC controuersia fusiùs tangitur hodierna die à nouioribus Theologis quàm antiquo transacto tempore, de qua nos etiam egimus. 1. 2. in disputatione de gratia, sed hic altius eam euoluere decreui, præcipuè quia sine hac difficultate præcedens intelligi non potest, neque hæc sine illa, mutuo enim se iuuant duæ istæ sectiones.

PRIMA igitur sententia est, quæ dicit, gratiam efficacem consistere in assensu & cooperatione humanæ voluntatis, ita sanè, vt ab euentu gratia dicatur esse efficax, quia nimirum sortitur effectum, & ob id sortitur effectum, quia voluntas creata ei cooperatur; itaque sentiunt Auctores huius opinionis, in potestate hominis positum esse facere gratiam efficacem: illam videlicet quæ aliàs ex se non erat, nisi præcisè sufficiens.

1. *Sentẽtia asserẽtium gratiam esse efficacẽ à consensu humanæ voluntatis vel ab euentu ipso.*

HANC sententiam refert Robertus Bellarminus, lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 12. Tomo. 3. sed suppresso auctoris nomine, sed tenent eam viri docti suæ familiæ, Ludouicus Molina in concordia, quæst. 14. art. 13. disputatione. 38. pag 232. & quæst. 23. art. 4. & 5. disputatione. 1. membro. 6. & in appendice etiam, & aliàs non semel. Docet præterea, distinctionem auxilij in sufficiens & efficax sumendam esse ab effectu, vt illud auxilium dicatur efficax, cũ quo homo pro sua libertate conuertitur, illud verò inefficax, cum quo non conuertitur: itaque ante vsum liberi arbitrij auxilium sufficiẽs

Huius sententiæ auctor est Molina, ex parte verò eã sequuntur Henricus, Hiero. Osorius. Amb. Catherin⁹, Ruar. Tapper, quamuis hic maneat dubi⁹.

non

non magis potest dici efficax quàm inefficax, sed liberum arbitriũ cooperatione sua ex innatis viribus pro libertate eius reddit illud efficax consentiẽdo, aut inefficax negligendo, vel dissentiendo & renuendo. Non plurimũ recedunt ab hac sententia Hẽricus Quotlibeto 4. q. 19. & Quotlibeto 8. q. 5. qui licit affirmet, actualem operationem, vel consensum quo peccator cõuertitur in Deum nõ esse à solo libero arbitrio, sed à gratia simul & libero arbitrio, & magis à gratia quã à libero arbitrio, aliquid tamẽ agere in eo opere liberũ arbitriũ ex suis naturalibus cooperãdo gratię, propter quod vnus prę alio iustificatur. Idẽ senserũt Hieronymus Osorius li. 9. de iustitia, & Ambrosius Catherinus in opusculis de prouidentia & prædestinatione; plures alij citantur ab aduersarijs nostris: Cęterum nõ omnes ita apertè loquũtur, & quidem Ruardus Tapper art. 7. de libero arbitrio dubius est, præcipuè cum renuat dare causam prædestinationis ex parte liberi arbitrij.

Probatur primò hæc sentẽtia ex eo in quo videtur sitã esse efficacitatem ipsius gratiæ.

Sed nihilominus sunt argumenta quibus suaderi potest proposita sententia Molinæ. Primum est, quòd efficacia diuinæ gratiæ actualis in eo solùm consistit, quòd quis cum effectu consentiat gratiæ excitanti seu prævenienti, sed hoc totum situm est in potestate nostri liberi arbitrij suppositio auxilio sufficienti ex parte Dei: ergò à libera nostra voluntate prouenit totaliter efficacia gratiæ: Minor patet ex Tridentino, Sessione 6. cap. 5. & 6. & canone 4. vbi ex professo decernitur homines ad iustificationem disponi per hoc quòd excitati & adiuti à Deo per gratiam prævenientem liberè mouentur in ipsum, fide & amore consentiendo gratiæ excitanti & adiuuanti. Supponit ergò Concilium Tridentinum, quòd postquam quis per gratiam excitantem, quæ alio modo dicitur auxilium sufficiens, sit motus à Deo, potest pro sua libera voluntate consentire, vel dissentire, conuerti, vel non conuerti.

Ex locis sacræ Scripturæ in quibus exhortamur ad cõuersionem pro hac sententia arguitur secundò.

Movetur etiam prædicti auctores ex illo Canticorum 5. *Aperi mihi soror mea.* & Apocalypsis 3. *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis aperuerit mihi ianuam intrabo ad illum.* & rursus. *Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos*, ex quibus locis, in quibus nobis commendatur, vt mundemus corda nostra, & conuertamur ad Dominum, apertè colligitur, quòd sicut est proprium Dei prævenire nos, pulsando & excitando corda nostra per sufficientem gratiam; ita etiam est proprium nostræ voluntatis aperire illi per liberum consensum, reddendo efficacem vocationem illius. Et ob id in Concilio Tridentino, Sessione 6. capite 5. dicitur. *Quòd quando in sacris Literis dicitur, Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos, libertatis nostræ admonemur: cùm verò respondemus, Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Deinos gratia prævenire confitemur.* Ergò sicut ad solum Deum pertinet prævenire nos gratia excitante, ita etiam ad solum liberum arbitrium sic excitatum pertinet consentire & efficaciter conuerti. Hoc videntur dicere Græci Patres, quamuis Diuus Augustinus disputans contra Pelagianos oppositum sentiat, sed nihilominus sæpé fatetur in libertate voluntatis nostræ positum esse, vt sequamur Deum vocantem & salutiferæ eius inspirationi consentiamus. Vnde libro de Ecclesiasticis dogmatibus, capite 21. ait. *Initium salutis nostræ Deo miserante habemus, vt autem aquiescamus salutiferæ inspirationi eius nostræ potestatis est.* Et libro de spiritu & litera capite 34. *In omnibus misericordia eius prævenit nos, consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire nostræ voluntatis est.* Et libro primo retractat. capite 22. *In potestate hominis est mutare in melius voluntatem, sed potestas nulla est nisi à Deo detur*: per gratiam nimirum prævenientem. Et libro 83. quæstionum, 68. quæstione: *Præcedit ergò aliquid in peccatoribus quo digni efficiantur iustificatione, nempè quia vocati à Deo libera voluntate conuertuntur ad ipsum.* Et libro de prædestinatione & gratia capite 15. comparans Pharaonem cum Nabuchodonosor dicit, quòd in omnibus fuerunt æquales, & quòd æqualiter fuerunt præventi diuina misericordia, & nihilominus quòd habuerunt diuersos fines: Quia Pharaon contra Dei misericordiam libero pugnauit arbitrio, Nabuchodonosor autem manum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit. Et magis generaliter libro 12, de ciuitate Dei capite sexto, inquit, Quòd datis duobus hominibus æqualiter omnino affectis animo & corpore, potest vnus pro sua libera voluntate benè se gerere, altero malè se gerente. Tota igitur differentia inter eum qui efficaciter conuertitur, & illum qui non conuertitur pensanda est ex nostro libero arbitrio & non ex Deo.

D. Augu. non semel pro hac sententia adducitur.

Tertiò ex vi & efficacitate auxilij sufficientis arguitur.

Movetur tertiò: Quoniam per auxilium sufficiens gratiæ operantis & excitantis constituitur liberum arbitrium in actu primo, & in potentia proxima, tam ex parte obiecti, quàm ex parte principij operatiui ad efficiendum opus salutis, aliàs auxilium sufficiens non esset sufficiens ad salutem, quod implicat: ergò supposito huiusmodi auxilio sufficienti, ex sola voluntate & libertate nostra pendet, quòd reddatur efficax per hoc quòd coniungatur illa potentia proxima actui secundo: Patet consequentia: quia actus primus secundùm quem aliquid est in potentia proxima ad operandum, dicit immediatum ordinem ad actum secundum, tam in naturalibus, quàm in supernaturalibus. Sicut ergo voluntas constituta in potentia proxima, & in actu primo in ordine ad obiectũ naturale, conuenienter applicatũ, potest pro sua sola voluntate prodire in actum secundum, applicando se ipsam ad operandum circa tale obiectum: ita etiam constituta in actu primo supernaturali per gratiam operantem & excitantem, circa

obiectum supernaturale cõuenienter applicatũ poterit pro sua libertate applicare seipsam ad operandũ supernaturaliter, & de facto operari, prout requiritur ad hoc quòd auxiliũ sufficiens reddatur efficax. Et cõfirmatur: Quoniã si efficacia auxilij ex solo Deo proueniret non esset homo culpandus ex eo quòd no consentiret efficaciter gratiæ excitanti, neque etiam esset laudandus ex eo quòd consentiret: consequens est absurdum: ergo.

Confirmatur arg.

Propter hæc argumẽta aliqui constituũt efficacẽ gratiam in assensu & cooperatione humana; taliter quòd gratiam dici efficacẽ, totaliter proueniat ab euentu, nimirum ex eo quòd sortiatur effectũ, ideò autem sortiri effectum, quia voluntas humana ei cooperatur, atq; adeò in potestate hominis esse facere gratiã esse efficacem, quæ aliàs non erat nisi sufficiens: quod est expressissimè contra D. August. & contra Scripturæ plura loca.

Quid sentiat Suarez circa hoc.

Franciscvs Suarez li. 3. de auxilijs ca. 22. dicit duo. Primum est, efficax Dei auxilium, id est actu efficiens liberum consensum in homine, vltra sufficiens, nullam ponere in eodem homine motionẽ gratiæ Dei, præter illum influxũ gratiæ sufficientis, vel adiuuantis, & concursum generalem gratiæ, qui immediatè versatur circa consensum liberum. Secundò dicit: Auxilium efficax gratiæ diuinę non addere aliquam præmotionem gratiæ, neq; prædeterminare voluntatem, ita vt addat aliquid supra auxilium sufficiens, sed dici efficax ex actuali actione, & concomitantia actualis concursus, & ex morali efficacia. Addit tertiò, hanc propositionem esse simpliciter falsam: Voluntas nisi efficaciter à Deo præmoueatur vt velit credere non potest credere.

Sed quoniam videbat hic auctor hanc quã ille vocat falsitatem, rem esse difficilem, dicit, quòd quando quis obijcit voluntatem creatã, sine præmotione efficaci, aut sine prædeterminatione habere quidẽ potestatẽ volendi, & efficiendi actum supernaturalem, nimirum per auxilium sufficiens, non tamen posse vti illa potestate nisi accedẽte efficacitate gratiæ prædeterminantis voluntatem creatam: in hoc committi æquiuocationẽ, quia est duplex modus potestatis, & iuxta vnum dicitur posse, etiam quando non efficaciter præmouetur, neque prædeterminatur, & secundũ aliũ non posse sine præmotione efficaci seu prædeterminatione: Sicut etiam verè dicitur ignis non posse calefacere sine concursu, quamuis habeat potentiam quãdo non habet concursum. Hanc tamen æquiuocationẽ dicit ille plerumq; repulsam fuisse ab eo, quia non agit de potentia nuda & remota, sed de potentia proxima cum omnibus cõditionibus prærequisitis ad operandum: & habẽte paratum, seu in potestate sua omne adiutorium, vel cõcursum alterius causæ ad suam operationem necessarium. Quia hæc sola potest vocari potentia moralis, & hæc sola sufficit, vt voluntati & nõ impotẽtiæ tribuatur defectus actionis: loquendo autem de potentia hoc modo nõ posset volũtas, si careret hac efficaci gratia Dei præmouente & prædeterminante, dici potens ad volendum, si absq; illa non posset velle, quia dũ caret illa gratiæ diuinæ præmouentis prędeterminatione non habet illam in sua potestate.

Probat Suarez suã sententiam.

Hoc ille probat, quia si aliquid aliud præter concursum generalem ordinis supernaturalis requiritur ad actualem effectionẽ voluntatis cum sufficienti auxilio, eo ipso destruitur veritas sufficientis auxilij: quod apertè videtur docuisse Tridentinum dicens, voluntatẽ cum eadem Dei motione, seu auxilio præueniẽte, posse operari & non operari, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando, cùm illam abijcere possit: ergò vltra totum illud gratiæ auxilium, cui homo potest resistere, nihil aliud postulat Concilium præter actualem operationẽ, in qua includitur essentialiter concursus Dei proportionatus, & cooperatio voluntatis cum gratia ipsa cooperante, & vtrunq; eorum censet Concilium esse in potestate hominis sufficiẽter vocati & illuminati, vt si ipse adiungat suam liberam cooperationem, neq; cooperatio gratiæ, neq; concursus diuinus proportionatus illi deesse possit, neq; aliquid horũ actu exhibeatur, sine libera voluntatis cooperatione: & ideò pro sola voluntatis libertate possit effectus gratiæ impediri: ex quo infert Suarez, quòd efficacia gratiæ, quæ ab eo ponitur, non potest esse nisi moralis tantùm, quæ esse nequit omninò infallibilis nisi adiuncta præscientia media, quam ille ponit.

Tandem idem Franciscus Suarez in tractatu qui est breuis resolutio controuersiæ de auxilio efficaci, fatetur vocationem eandem in vno homine esse efficacem, quia in illo præuidetur operatura, & eandem in alio non esse efficacem, quia in illo operatura non est: Et pag. 381. videtur concedere Deum incongruè vocare aliquos per suam gratiam, quia aliquando vocat per non congruam, neque accommodatam vocationem: ex eo quòd interdum dat vni vocationem, quæ illi non est congrua, neque congruè futura.

Prima Conclusio.

Conclus. 1. Falsũ omninò esse liberum arbitrium cum gratia excitante, quæ sit inspiratio vel illuminatio, tãtùm ex parte obiecti sine alio adiutorio posse ex viribus naturæ conuerti.

His ita cõstitutis dico primò. Dicere quòd cum sola gratia excitante per internas illuminationes & inspirationes, quæ tantùm se teneant ex parte obiecti, possit homo viribus naturæ cõsentire illi gratiæ & conuerti absque alio adiutorio diuinæ gratiæ tenente se ex parte principij operatiui, actuantis liberum arbitrium, nimirum intellectum & voluntatem, est omninò falsum. Hæc assertio expressè est D. Augustini libr. de gratia Christi, cap. 7. & alijs sequentibus, quo in loco expressè repellit eam tanquam falsam. Refert enim Pelagium dicentem: Gratiam Dei esse necessariam ad singulos actus bonos, eamque non in sola lege & doctrina, sed in Dei etiam adiutorio constitui: Quod vt explicaret dixit Pelagius. *Adiuuat nos Deus*

per

per doctrinam & reuelationem, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum Diaboli pandit insidias: dũ nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat. & cap. 10. sequenti. *Operatur* (inquit) *Deus in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit, dum reuelatione sapientiæ in desideriũ Dei stupentem suscitat volũtatem, dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, suadet quod bonum est,* &c. Quibus verbis manifestè admittebat Pelagius necessitatem gratiæ excitantis bonos motus voluntatis ex parte obiecti, & nihilominus acriter illum impugnat & damnat D. Augustinus dicens. *Quòd si vult non solùm esse Christianus, sed vocari tantùm Christianus debet confiteri gratiã qua Deus non solùm monstrat, reuelat, & suadet, siue interius, siue exterius, quid agere debeamus: sed quod donat, coadiuuat, atq; adiuuat, vt agamus.* & adducit locum illũ Ioannis 6. *Nemo venit ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum.* & cap. 12. cùm in præcedentibus dixisset se nolle cã gratiam quàm fatebatur Pelagius, quia maiorem & aliam necessariò dicit debere constitui, ait, loquẽs de gratia qua virtus in infirmitate perficitur: *Quòd hæc gratia etiam prædestinatos & secundùm propositum vocatos ad perfectionem perducit: Qua gratia agitur non solùm vt facienda noueri mus, verũ etiam vt cognita faciamus; nec solùm vt diligenda credamus, verùm etiam vt credita diligamus.* Et cap. 13. sequenti inquit Augustinus. *Sic docet Deus, eos qui secundum propositum vocati sunt, simul donans & quid agant scire, & quod sciũt agere.* Et cap. 14. sequenti ait. Quod nõ solùm posse nostrum gratia iuuatur, sed etiam voluntas & operatio, & statim. *Quis autem non videat & venire quem quã, & non venire arbitrio volũtatis? Sed hoc arbitriũ potest esse solũ si non venit, non autẽ potest nisi adiutũ esset, si venit, ac per hoc quando Deus docet, nimirum illi qui discunt & veniũt ad Christũ, nõ per legis literam, sed per spiritus gratiã, ita docet, vt quod quisq; didicerit non tantũ cognoscendo, sed etiã volẽdo appetat, agẽdoq; perficiat. Venire posse in natura ponit Pelagius: vel etiam vt ille dicere cœpit in gratia, qualẽ ille ponebat, qua ipsa vt dicit ille possibilitas adiuuatur, venire autẽ iã in volũtate & opere est.* Et infra c. 19. *Facit autẽ homo arborem bonã quando Dei accipit gratiam: Non enim se ex malo bonũ per se ipsum facit, sed ex illo, & per illũ, & in illo qui semper est bonus, nec tantũ vt arbor sit bona sed etiã vt faciat fructus bonos,, eadẽ gratia necessarium est vt adiuuetur, sine qua boni aliquid facere non potest. Ipse quippè in bonis arboribus cooperatur fructũ, qui & forinsecus rigat, atq; excolit per quẽlibet ministrũ, sed per se dat intrinsecus incremẽtum.*

Adducitur D. August. impugnans Pelagium quia asserebat cõtrarium nostræ conclusioni.

Egregia D. August. testimonia ad propositum satis efficacia adducũtur.

TANDEM D. Augustinus c. 24. contra Pelagiũ & Celestium explicãs, quòd bonas voluntates in malo etiã homine Deus operetur inquit: *Legant ergò & intelligant, intueãtur & fateantur non lege atq; doctrina insonãte forinsecus, sed interna atque occulta, mirabili, ac ineffabili potestate operari Deũ in cordibus hominũ, non solũ veras reuelationes sed etiam bonas voluntates.* Et loquitur Augustinus de influxu & operatione Dei in intellectũ & volũtatẽ. Et c. 25. *Non solũ enim Deus posse nostrũ donauit, atq; adiuuat, sed etiã velle & operari operatur in nobis.* Et adducit illud ad Romanos 8. *Quotquot enim spiritu Dei aguntur hi Filij Dei sunt. Profectò vt agant quod bonũ est* (ait Augustinus.) *ab illo agũtur qui bonũ est: Quomodo dicit Pelagius: Quòd benè loqui possumus Dei est, quòd benè loquimur nostrũ est, cum dicat Dominus,* Matth. 10. *Spiritus Patris vestri est qui loquitur in vobis?* Ergò præter gratiã illam præuenientẽ, qua homo vocatur & excitatur, requiritur alia ex parte liberi arbitrij vt cõsentiat homo, aliàs iste vsus gratiæ innatis viribus arbitrij tribueretur, cũ tamẽ dicat D. Augustinus. Quòd licèt liberũ arbitriũ ex Deo habeat posse benè loqui, tamen quãdo benè loquitur, Spiritus Patris cælestis est qui loquitur, loquente etiam ipso arbitrio Deo ipsum ad hoc agente: quia vt bonum & piũ opus agat ab ipso Deo agitur.

DIVVS Augustinus eodẽ li. contra Pelagium & Celestiũ c. 45. ex D. Ambrosio lib. 10. in Lucam c. 96. hæc adducit verba. *Ipsam deniq; pœnitentiã quã proculdubiò volũtas agit, Domini misericordia & adiutorio fieri vt agatur. In decimo eiusdẽ operis li. Beatus dicit Ambrosius ita loquẽs: Bonæ lacrymæ quæ culpã lauant. Deniq; quos Iesus respicit plorãt delictũ. Negauit primò Petrus & non fleuit, quia nõ respexerat Dominus, negauit secundò, & non fleuit, quia ad huc nõ respexerat Dominus, negauit & tertiò, respexit Iesus, & ille amarissimè fleuit, respexit cũ Dominus, intus actũ est, in mente actũ est, in voluntate actum est. Misericordia Dominus latenter subuenit, cor tetigit, memoriam reuocauit, interiore gratia sua visitauit Petrum: interioris hominis, vsque ad exteriores lacrymas mouit, & produxit effectum.* Ecce quomodo Deus adiuuando adest volũtatibus. Legendus est idem Augustinus in hoc mirabili libro in quo detegit technas Pelagij, & eorũ qui reliquias eius sequuti sunt contra auxilia diuina gratiæ actualis Dei.

MIRABILẼM & efficacissimũ locũ habemus apud D. August. ex sententia D. Ambrosij in eodẽ li. 1. de gratia Christi, contra Pelagium & Celestiũ: quo in loco explicans D. Ambrosius cur nonnulli ex hominibus non receperint Christũ, ait Euangelistã hoc expressisse dicẽs. *Quia facies eius erat euntis in Hierusalẽ, discipuli autẽ recipi intra Samariã gestiebãt:* Et addit August. ex sententia Ambrosij, quã plurimũ approbat: *Sed Deus quos dignatur vocat, & quẽ vult religiosum facit. O sensum hominis Dei* (inquit August.) *ex ipso haustũ fonte gratiæ Dei: Deus* (inquit) *quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit. Videte si nõ propheticũ illud est: Miserebor cuius misertus ero, & misericordiã præstabo cui misericors fuero. Et illud Apostolicum: Non volentis neq; currẽtis sed miserentis est Dei. Quia vt dicit, etiã nostrorũ temporum homo, eius quẽ dignatur vocat, & quẽ vult religiosum facit. Nunquid aliquis dicere audebit, nondum esse religiosum qui currit ad Deum, ab eo se regi cupit, & voluntatem suam ex eius vo-*

Locus perpendendus.

luntate suspendit. Perpende verba Augustini: *& voluntatem suam ex eius voluntate suspendit*: quia oppositum voluerunt aliqui hac nostra ætate. Et statim idem Augustinus. *Ad hoc totum tam magnum religiosi hominis opus Pelagius dicit: Effici non nisi arbitrij libertate. Contra autem Beatus Ambrosius inquit: Dominus Deus quem dignatur vocat, & quem vult religiosum facit. Ergò vt currat ad Dominum, & ab eo se regi cupiat, suamque voluntatem ex eius voluntate suspendat, eique adhærendo iugiter vnus, secundùm Apostolum, cum eo fiat spiritus, Deus quem vult religiosum facit: Et hoc totum homo nisi religiosus non facit. Qua propter nisi à Deo fiat vt hoc faciat, quis hoc facit?* Hæc Diuus Augustinus. In quibus omnibus locis non solùm sentit Diuus Augustinus esse Pelagianum asserere satis esse gratiam internam vocantem & excitantem ex parte obiecti, absque alia gratia adiuuante ex parte principij operatiui, sed etiam sentit ex voluntate Dei hoc esse, quòd quem dignatur vocat, & quem vult religiosum facit, & vlterius etiam quòd voluntas hominis semper ex voluntate Dei suspensa est. Quo fit vt falsissima sit illa sententia Francisci Suarez qua dicit. Deum expectare influxum voluntatis creatæ vt ipse velit influere: Nam hoc est pendere potius voluntatē Dei ex voluntate nostra, quàm è conuerso, quod est contra Diuum Augustinum, & contra veritatem. Præsertim cum is auctor sentiat Dei voluntatem agere ex præuisione voluntatis nostrę operaturæ, quasi expectando priùs quid nos velimus, antecedenter ad omne decretum suum. Rursus cum Ambrosius inquit: *Deus quos dignatur vocat, & quē vult religiosum facit*. totum hoc tribuit ipsi gratiæ: Nam addit statim Diuus Augustinus. *O sensum hominis Dei, ex ipso hausturn fonte gratiæ! videte si non propheticum illud est: miserebor cuius misertus ero: Et illud Apostolicum: non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*: Perpendantur singula quia militant contra prædictam sententiam.

Lib. 1. de concursu Dei cū voluntate ca. 14.

Ad Philippenses 1. & 2.

Rvrsvs etiam constat assertio hæc prima ex Apostolo Paulo ad Philipp. 1. *Qui cœpit in vobis opus bonum perficiet*. & inferius: *Vobis donatum pro Christo non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini*. & cap. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere*. Ex quibus verbis & pleriſq; alijs, quæ in sacris Literis cōtinentur, colligitur gratiam Dei non solùm excitantem per internas illuminationes & inspirationes, sed etiā efficienter ex parte principij, & non solùm obiectiuè operari nostrum velle & alios actus supernaturales, subministrādo nobis vires, quibus confortatæ naturales potētiæ possint elicere tales actus, atque ita gratiā Dei non solū obiectiuè, sed etiā efficienter propriè ex parte principij operari actus supernaturales, & velle nostrum. Et confirmari hoc potest, quoniam ipsemet Paulus post multas & magnas reuelationes internas de credendis & agendis, indiguit gratia Dei supernaturali, ad vincendam propriam infirmitatem, & ita dictum est illi à Deo 2. ad Corinth. 12. *Sufficit tibi gratia mea, nā virtus in infirmitate perficitur*: vbi vt egregiè perpendit Augustinus contra Pelagium & Celestium locis citatis vt vidimus, non solū est sermo de infirmitate carnis, sed etiā de infirmitate animi: ergò præter gratiam excitantem per internas inspirationes, & reuelationes, & illuminationes, ex parte obiecti requiritur vlterius ipsa gratia diuina, tribuens vires, adiuuansq; ex parte virium, quæ sunt principium operandi.

2. *Ad Corinth. 12.*

Suadetur concl. ratione.

Hoc etiam constare potest, quoniam excitatio diuina, inspiratio, vel suasio obiectiua fieri potest etiā per exhortationē externam, per doctrinam & admonitionem & vocē Prædicatorum & sacrarum Literarum, sed certum est secundùm fidem, quòd ad credendum & operandum, prout oportet ad salutem, non sufficit prędicatio, vel doctrina externa: ergò neque sufficit sola excitatio interna ex parte obiecti nisi accedat adiutorium gratiæ ex parte principij. Hoc argumento vtitur Augustinus epistola 107. ad Vitalem dicēs: *Si ita præpararet, atque operaretur Deus hominis voluntatem, vt tantummodo legem suam atq; doctrinam libero eius adhiberet arbitrio, neque vocatione illa alta atque secreta sic eius ageret sensum, vt idem legi atq; doctrinæ accomodaret assensum: procul dubio eam legere vel intelligere legendo, vel etiam exponere ac prædicare sufficeret, nec opus esset orare, vt Deus ad fidem suam infidelium corda conuerteret.*

Tandem confirmatur veritas nostræ assertionis ex Concilio Mileuitano cap. 4. vbi non tantum excitationē gratiæ dicit iuuare nos, sed etiam per illa nobis præstari vlterius, vt quòd faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus atque valeamus. Et expressius in Tridētino, Session. 6. canon. 3. definitur neminem posse credere, sperare, diligere, aut pœnitere prout oportet ad salutem, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atq; eius adiutorio: vbi cōsultò dicitur, *atque eius adiutorio*, ad insinuandū non satis esse inspirationem ex parte obiecti, sed insuper requiri aliud auxilium gratiæ ex parte principij operatiui.

Quid Suarez sentiat in hoc.

Videntvr nonnulli auctores huius ætatis sentire quòd Deus & gratia illius solū tribuant initium iustificationis remotum, videlicet primam excitationem, hominem verò supposita illa excitatione incipere priùs natura liberam conuersionem, per quam proximè & immediatè præparatur ad gratiā: & posterius natura, quia voluit homo consentire, Deum velle hic & nunc adiuuare illum ad conuersionem simultaneo concursu.

Vnde inuenio apud Franciscum Suarez lib. 3 de auxilijs, capite 13. pagina 209. columna 1. eum dixisse: Quòd multæ loquutiones, non solum Sanctorū, sed etiam diuinæ Scripturæ nō possunt satis intelligi, & ad verā praxim reduci, si supernaturalis consensus etiam posita excitatione, & alijs ex parte hominis prærequisitis inchoādus est ab illa efficaci Dei vo-

luntate iam prædeterminata ad vnum: Quæ neque in potestate nostra est, si ex se non est posita: neque ei resistere possumus, si fuit iam posita. Et paulò antea eodē loco citato dicit quòd Sancti, vbicumq; de libertate arbitrij loquuntur, dicunt, Deum ita se gerere cūvoluntate nostra, vt nullam vim ei ingerat (quod est verum) sed in potestate eius motū eius constituat, itavt eum inchoare possit, si velit, vel suspēdere tam in supernaturalibus actibus quàm in naturalibus: imò in supernaturalibus, quamuis Deus pulset corda hominū, nihilominus spectat, vt ipsa voluntas consentiat cum Dei adiutorio. Et lib. 1. de concursu Dei cum voluntate creata, ca. 8. pag. 33. ait: Quòd si primū liberum dicatur illud agens à quo in suo genere primo est determinatio libera, sic verum est omnem voluntatem liberam posse in suo genere dici primam radicē suæ determinationis: Quia videlicet sine illa fieri non potest, neque aliter quàm ex intrinseca & libera applicatione eius. Verum tamē est hunc auctorem se velle explicare, & limitare quod dixerat: & idcircò subiungit hanc esse impropriſsimā acceptionem huius vocis: & idcircò illa vtendū non esse, neq; voluntati creatæ attribuendam: Quia vtrùm hic modus operandi sit satis ad hoc, vt voluntas creata dicatur primum initium suæ determinationis, id dicendum esse promittit: Quoniam in quibusdā actibus voluntatis, scilicet in malis possumus simpliciter ita loqui: in bonis autem præsertim supernaturalibus non item: Quia licèt in tali determinatione libera volūtas suas partes habeat, tamen primum initium eius non est ab ipsa, sed ex Deo, qui eam præparat & adiuuat vt se determinet. Et habet in margine. *In malis actibus primum determinationis intium est à voluntate, secus in bonis, etiam naturalibus.* Hæc ille.

Negat determinationem voluntatis, quæ est in cōuersione esse primò à Deo imo asserit primam huius determinationis radicem esse creatam voluntatem.

CAETERVM video eundem Suarez libr. 1. de concursu Dei cum voluntate, capite 15. pag. 76. columna 1. linea 12. dicere, quòd causa secunda quantum ad determinationem actionis est quodammodo prima radix, & libr. 2. de diuinis prædestinationibus, cap. 7. pagina. 137. in fine concedit Deum non prius agere prioritate causalitatis, cùm enim refelleret argumenta quæ contra se militabant, statim subiungit: Neque verò sequitur quòd voluntas creata priùs influat quàm Deus, neque quòd determinet potentiam Dei ex parte eius: sed solùm sequitur Deum non prius agere prioritate causalitatis &c. Et lib. 1. de concursu Dei cum volūtate cap. 15. pagina 75. non longè à fine, loquens de Deo vt est causa prima, & de causa secunda creata; postquam dixerat quòd causa secunda propriè concurrit cum Deo vt causa efficiens inferioris generis: addit inferius, Deinde quod attinet ad ordinem prioris & posterioris, si prioritas naturæ sumatur propriè secundùm causalitatem, hoc modo neutra harum causarum priusquā alia influit, quia neutra influit in aliam, sed vtraque in effectū vel actionem, & neutra applicat aliam, aut facit illam facere ex vi huius concursus.

EN vbi hic auctor negat Deum priùs causalitate agere, & consequenter negat propriè priùs agere prioritate naturæ, & negat etiam Deum applicare secundam causam ex vi sui cōcursus cum secunda causa, aut cum voluntate. Quòd si Deus expectat, vt ipsa voluntas consentiat, & hoc est necessarium: sequitur apertè voluntatem esse priorem in illo actuali consensu, & in eodem ipsam trahere Deum, ipsumque pendere à voluntate creata cùm expectet illam: & quòd velit influere Deus, si tamen expectando ipsam, ipsa voluerit. Cùm tamen Concilium Arausicanum secundum dicat cap. 25. *Hoc salubriter profitemur & credimus quòd in omni opere bono nos nō incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur, &c.* Vbi perpende quòd dicit Concilium non esse dicendum, respectu gratiæ adiuuantis, quòd nos incipimus: sed potiùs è conuerso, quòd in omni opere bono nos non incipimus, ergò gratia adiuuans est quæ primò inchoare dicitur prioritate causalitatis, ac proinde verissima sententia est illa quam D. Prosper in epistola ad Diuū Augustinum tradit dicens, quòd voluntas creata vult quia Deus vult, & non è conuerso; dicit enim hæc verba. *Vnde quia in istis Pelagianæ prauitatis reliquijs non mediocris virulentiæ fibra nutritur, si principium salutis male in homine collocatur, si diuinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur: vt ideò quis adiuuetur quia voluit, non ideò quia adiuuatur velit, &c.* En vbi expressè D. Prosper repellit sententiam citatam. Aduertenda sunt hęc postrema verba, scilicet non esse dicendum quòd quis adiuuetur quia voluit, & non potiùs quia adiuuatur velit: Nam certè quia adiuuatur vult, & non è cōuerso, quia vult adiuuatur: quæ sententia est D. Prosperi. Neque rursus mihi probatur id, quod dicitur de causalitate diuina erga conuersionem, qua Deus, & liberum arbitrium concurrunt ad eam: quòd Deus non influit in liberum arbitrium. Dicit enim Suarez loquens de Deo & de causis secundis suas actiones causantibus, quòd neutra causa influit in alteram, sed ambæ solùm in suas actiones influunt, ac proinde secundùm eius sententiam Deus non influit in secundam causam creatam, cùm actu operatur, ita vt influxus Dei non sit influxus in causam, sed in effectum & operationum præcisè, neque influxus in consensum voluntatis, aut in conuersionem, & pœnitentiam, sit etiam influxus in liberum arbitrium creatum aut in volūtatem, sed solùm in effectum aut in operationem. Nos enim semper affirmamus influxum gratiæ esse non solùm in effectus & actiones, sed etiam in arbitrium ipsum creatū, vt est causans operationes supernaturales.

Displicet vehementer propositā sē tentia.

Secunda Conclusio.

Concluſ. 2.

DICO secundò. Illa opinio quæ dicit efficacitatem diuinæ gratiæ sumendam esse ex

Ex cooperatione nostra sumendã non esse efficacitatẽ gratiæ.

Bellarminus huius est sententiæ

cooperatione humana & assensu eius, ita vt gratia dicatur efficax ex euẽtu, quia effectum sortitur ob id quòd volũtas creata ei cooperatur, sic vt in potestate hominis situm sit gratiam reddere & efficere efficacem, quæ aliàs tantùm erat sufficiens ex se: non est vera sententia, neque vnquam mihi probari potuit. Hanc opinionem repellit Bellarminus lib. 1. de gratia & libero arbitrio, ca. 12. tomo 3. ex tribus causis. Quia sensit Primò esse omninò alienã à sententia D. Augustini. Secundò à sententia Scripturarum diuinarum. Tertiò, quia euertit omninò fundamentum diuinæ prædestinationis. Quòd autem hoc sit verum, constat Primò ex D. Augustino libr. de prædestinatione Sanctorum cap. 8. vbi dicit gratiam efficacem Dei à nullo duro corde respui, quia ipsa est quæ cor emollit. Vbi efficacia tribuitur gratiæ, non humanæ voluntati. Et lib. de Correptione & gratia cap. 14. volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium.

Adducitur primo D. Augustin.

Quod magis est idem Augustinus libr. de Spiritu & litera, cap. 34. interrogans, cur Deus vni ita suadeat, vt persuadeat, alteri verò non item? non respondet Augustinus, quia iste cooperatur, & reddit gratiã Dei efficacem, & ille alter non cooperatur, & ob id non reddit efficacem gratiam Dei: neque respondet, quia vnus consentit, alter non consentit, sed potius exclamat dicens: *O altitudo diuitiarum!* Vnde hoc refert in arcanum secretum diuinæ voluntatis, cur vni detur efficax gratia, alteri verò minimè. Et in epistola 107. ad Vitalem reprehendit Augustinus eos, qui dicunt, omnes homines fuisse accepturos gratiam Dei, si non eam respuerent voluntate sua: in quo testimonio apertè loquitur D. Augustinus de gratia efficaci, quia sufficiens omnibus præsto est, neq; deest hominibus: ergò vult Diuus Augustinus gratiam efficacem quę efficax est non pendere ab humana cooperatione & voluntate, sed à diuina: atque adeò efficaciam gratiæ non desumi ex cooperatione hominis, aut ex euentu, ita vt quæ aliàs erat sufficiens ex humana voluntate fiat efficax.

Hanc etiam assertionem tenẽt omnes discipuli D. Thomæ, & alij Doctores asserentes: Efficaciam gratiæ sumendam esse ex Dei volũtate & beneplacito: atque adeò ex propria conditione auxilij diuini, non ex cooperatione vel industria liberi arbitrij quantũcumque excitati & adiuti per solam gratiam sufficientem. Vnde grauissimi Doctores & Theologi recipiunt nostram assertionẽm, præcipuè omnes illi qui cùm Diuo Augustino sentiunt, non dari ex parte nostra causam aliquam æternæ electionis, aut diuinæ prædestinationis. Nam profectò si efficacia gratiæ proueniret ex cooperatione nostra, seu ex bono vsu liberi arbitrij, negari nõ potest ex præscientia illius boni vsus prouenire certitudinem infallibilem diuinæ electionis, & prædestinationis, quod est plusquam falsum, vt postea dicemus: à qua illatione non plurimum recedunt Molina & Suarez.

Mouebor etiam ex sacris Literis: Quoniã in illis non solùm dicitur quòd Deus per auxilium gratiæ dat nobis vnde possimus & sufficientes simus ad facienda opera salutis: sed insuper dicitur, quòd dat nobis operari & quòd facit vt faciamus: ergò non minus debet tribui Deo gratiæ efficacia, quàm sufficientia auxilij. Antecedens patet Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus est in nobis Dominus.* & Ezechiel. 26. *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum, & faciã quòd in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiamini & operemini.* Et Ioann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Quo in loco, loquitur de auxilio efficaci gratiæ Dei: & trahere peccatorem actu, tenet se ex parte Patris trahentis: igitur efficacia ab eo est, & vt ab illo veniens. Hoc Paulus videtur sensisse ad Romanos 9. dicens. *Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis.* Ad Philipp. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate,* nimirum, prout suæ sanctissimæ voluntati placuit. Sanè postquam Christus dixit, Ioannis 6. verba illa citata. *Quòd nemo potest venire ad se nisi trahatur à Patre:* in fine capitis addidit. *Neminem posse venire ad se* (nimirũ per vsum gratiæ) *nisi hoc fuerit ei datum à Patre cælesti:* In quo loco apertissimè significatur efficacitatẽ gratiæ & vsum eius à Patre dari, & prouenire, nobis liberè agentibus, &c.

Ex sacra Scriptura demõstratur veritas cõclusion.

Isaiæ 26. Ezechiel. 26.

Ioann. 6.

Ad Romanos 9. Ad Philippenses 2.

Constat etiã proposita assertio ex sanctis Patribus & Concilijs, quæ in hunc sensum, intelligũt & adducũt prædicta Scripturæ loca, vt significent, non solũ debere in Deũ refundi quòd dederit nobis auxilia sufficiẽtia ad salutẽ, sed etiã quòd dederit, vt illa auxilia in quibusdã fierẽt efficacia ex Deo, faciẽdo vt benè illis vtẽtur per liberũ arbitriũ, ex efficacitate gratiæ datæ à Deo: Nã hoc videtur dixisse Ioãnes Euãgelista, qui postquam dixit, homines trahi ad Christũ, addidit infine capitis sexti, hãc tractionẽ quæ fit post sufficiẽtẽ gratiã iam ante receptam, non fieri nisi quando hoc donatur à Patre: ex quo patet, quòd ipsum venire ad Patrẽ est quid specialiter donatum à Patre. Hoc sibi vult Concilium Arausicanum cap. 9. dicens. *Quoties bona agimus Deus in nobis atque nobiscum vt operemur operatur.* & c. 23. *Ita homines faciunt quòd volunt, vt diuinæ seruiant voluntati, quãuis volentes agant quòd agunt, illorum tamen voluntas est à quo præparatur, & obitur quod volunt.* Vbi valdè perpenda sunt hæc duo verba, *Præparatur, & obitur*, significãt enim Deum non solùm dare auxilia sufficientia & præparantia, inspirationes, impulsus internos, & illuminationes, quibus constãt auxilia sufficientia, sed etiam dari efficaciam gratiæ, qua obitur quod Deus vult: darique ad hoc vt infallibiliter consentiat homo: hoc expresse dixit Paulus ad Hebræos 23. *Aptet vos Deus in omni bono, vt faciatis eius volũtatem, faciens in vobis quod placeat coram se per Iesum Christum.*

Ex sanctis Patribus suadetur assertum.

Arausica. c. 9. & 23.

Ad Hebræos 13.

Hoc

Innocētius, Cælestinus Papa.

D. Augu.

Hoc idem voluerunt Innocentius epistola 25. & Cælestinus Papa epistola 1. ad Episcopos Galliæ, cap. 4. & 7. qui dixit *Neminem bene vti libero arbitrio nisi per Dei gratiam præparetur voluntas.* Sed clarius & magis ex professo id docet D. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. asserens non solùm prouenire ex vocatione & gratia Dei, quòd possimus, sed etiam quòd velimus, & subiungit *Quòd vocatio diuina est effectrix bonæ voluntatis.* Pro quo distinguit duplicem vocationem, vnam secundùm propositum aliam & congruam siue efficacem, qua vocantur electi vt infallibiliter sequantur vocationem illam: aliam verò vocationem, quæ non est secundùm propositum neque efficax. Quod fecit Augustinus in discursu illius quæstionis vt omnem efficaciam in negotio iustificationis tribueret Deo. Idem sensit Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 5. vbi ait: *Vt Paulus de cælo vocaretur, & tam magna, & efficacissima vocatione conuerteretur gratia Dei erat sola.* Et de prædestinatione Sanctorum cap. 8. ait. *Hæc gratia à nullo duro corde respuitur.* Et in eodem lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 16. *Certum* (inquit) *est nos facere cum facimus, sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis.*

Aperitur campus veræ sententiæ de efficacia gratiæ, quòd à Deo sit.

Quando liberum arbitriū defenditur, negari videtur gratia; quādo antē hæc asseritur, ipsa liberi arbitrij ratio omnino auferri putatur.

QVONIAM disputatio hæc de arbitrio voluntatis humanæ, & de gratia Dei iuxta D. Augustinum lib. 1. contra Pelagium & Celestium de gratia Christi, cap. 47. ita est ad discernendum difficilis, vt quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri: idcirco auctores oppositæ sententiæ, possunt fingere euasiones & responsiones, vt videantur tam clarè & apertè dissoluere suis distinctionibus, proposita argumenta, vt in hac re nulla videatur obscuritas, cùm tamen D. Augustinus hanc quæstionem de concordia gratiæ cum libero arbitrio difficillimam reputauerit. Quòd eodem 47. cap. videtur perpendere dicens: Quòd quoniam prædicta quęstio est difficilis, ob id quando asseritur Dei gratia putatur auferri liberum arbitrium, vel è conuerso, quando asseritur liberum arbitrium, videtur negari gratia Dei: *Potest* (inquit Augustinus) *Pelagius ita se latebris obscuritatis inuoluere, vt etiam his quæ à S. Ambrosio conscripta posuimus, consentire se dicat, & ea se quoque sentire proclamet, semperque sensisse: atque ita singula conetur exponere, vt etiam eius sententiæ conuenire credatur.* Et addit Augustinus. *Quapropter quantum attinet ad istam de diuina gratia & adiutorio quæstionem tria ista quæ aptissimè distinxit attendite: posse, velle, esse: id est, possibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergo consenserit nobis, non solam possibilitatem in homine, etiam si nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem & actionem, id est, vt bene velle velimus, & bene agamus quæ non sunt in homine, nisi quando bene vult & bene agit. Si vt dixi consenserit, etiam ipsam voluntatem & actionem diuinitùs adiuuari, vt sine illo adiutorio nihil benè velimus & agamus: eamque esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua, non nostra iustitia, iustos facit, vt ea sit vera nostra iustitia, quæ nobis ab illo est, nihil de gratia Dei, & de auditorio gratiæ Dei controuersiæ relinquetur.* Hactenus Augustinus. En quo pacto latebrosis obscuritatibus volunt nonnulli ostendere se fauere gratiæ Dei, cùm tamen, verè repellant efficacitatem gratiæ, vt plurimum faueant libero arbitrio, & viribus innatis eius.

Gratia Dei non solùm dare possibilitatē ad opera supernaturalia: sed etiam ipsam operationem probat Augustin.

ACCEDIT, quòd D. Augustinus in lib. de gratia Christi, probat ex professo, gratiam Dei non solùm dare possibilitatem operandi, quæ ad salutem pertinet, & sufficientiam auxilij, sed etiam dare voluntatem & operationem ipsam. Vnde in lib. de correctione, & gratia cap. 12. docet, per gratiam Christi non solùm dari nobis adiutorium quo possimus conuerti, & etiam perseuerare vsque in finem si velimus, prout datum fuit primo homini in statu innocentiæ, sed etiam dari electis quo infallibiliter perseuerent de facto: & subdit. *Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ vt diuina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur.* Et in lib. de prædestinatione Sanctorum, cap. 8. *Gratia ista* (nimirum efficax) *secreta est, quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, & à nullo duro corde respuitur, ideo quippè tribuitur, vt cordis duritia primitùs auferatur.* Vbi clare intendit ex propria conditione gratiæ, non ex libero arbitrio prouenire, quòd infallibiliter, aut indeclinabiliter auferatur duritia cordis, & quòd à nullo quantūcunque duro corde respuatur. Ad eundem modum loquitur Augustinus epistola 107. ad Vitalem, & lib. 83. quæstionum, quæst. 68. libro de spiritu & litera, cap. 34. & lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 18. & in omnibus alijs libris quos contra Pelagianos scripsit, in quibus sæpè mouet illam quæstionem difficilem qua quæri solet: Cur ex duobus hominibus, nullo merito, nullaque voluntate distantibus, & similem prorsus habētibus causam, vni ita suadeatur, vt persuadeatur & conuertatur, alteri verò ita suadeatur, vt tamen nō persuadeatur, neque conuertatur? Et nunquā respondet Augustinus hoc prouenire ex humana voluntate, sed semper id refert ad inscrutabilia Dei iudicia, & ad decretum æternum diuinæ prædestinationis. Non ergò potest dubitari de mente Augustini efficaciam gratiæ sumendā esse ex Dei misericordia & beneplacito, non ex humana diligētia vel cooperatione. Et de hac infallibilitate gratiæ efficacis, & non de necessitate intelligitur locus Augustini de Correptione & gratia,

cap. 14. *Volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle aut nolle innolentis, aut volentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Et paulò post. *Non est dubitandum voluntati Dei voluntates humanas resistere non posse, quominus faciat ipse quod vult, quia etiam de ipsis voluntatibus hominum quod vult cùm vult facit.* Et rursum. *Habet sine dubio Deus, humanorum cordium quo placet inclinandorum, omnipotentissimam potestatem.* Denique. *Magis habet in sua potestate voluntates hominum quàm ipsi suas.* Hæc enim omnia, non liberâ voluntatis actionem tollunt; sed Dei circa eas, operationem infallibilem, & efficacem ponunt, iuxa ipsam, in alijs locis citatis, Augustini doctrinam. Quod egregiè perpendit Stapletonus lib. 4. de gratia & libero arbitrio cap. 8.

Ratio efficax pro Cõclusione, qua etiam est vsus D. Augustin.

SANE, si efficacia auxilij & gratiæ actualis Dei, proueniret ex nobis, sola autem sufficientia esset ex Deo, sequeretur id quod principaliùs est in nostra conuersione, tribuendum esse nobis, id verò quod est minus principale tribuendum esse Deo: consequens est absurdum: ergo. Probatur sequela: nam actualiter operari, & agere, & conuerti cum effectu, quod est proprium gratiæ efficacis, præstantiùs quid est quàm posse agere, aut quàm posse operari præcisè sumptum, quod pertinet ad auxilium sufficiens. Quod argumentum est D. Augustini lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 18. vbi ait. *Si libera quædam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse vel mala, bona verò voluntas ex nobis est, melius est id quod à nobis quàm quod ab illo est.*

Solutio ad nostrum argumẽtum.

Dices; bonam etiam voluntatem siue volitionem actualem qua liberè conuertimur ad Deũ cum effectu, & in actu secundo, ita esse ex nobis quod tamẽ principalius est ex Deo, qui dedit auxilium sufficiens, cuius virtute possemus efficaciter conuerti. Sed contra hoc est, quia vt optimè argumentatur ibi paulò antea Augustinus: Si ideò tantum bona voluntas nostra, tribuenda est Deo, quia dedit aliquid quo posset homo benè velle, eadem ratione tribuenda erit Deo mala voluntas, quia dedit liberum arbitrium quo possumus malè velle. Dices: Bonam voluntatem meritò tribui Deo non autem malam, quia non solùm dedit potentiam ad bonum faciendum, & vitandum malum, verùm etiam dedit consilia, præcepta, & impulsus internos, quibus prouocaremur ad bonum & auerteremur à malo. Sed contra: Quia sicut in natura sunt inclinationes ad bonum quæ per gratiam perficiuntur, ita etiam ex parte appetitus sensitiui præsertim corrupti, sunt inclinationes quædam naturales ad malum, & ad multa obiecta quæ ad illud prouocant, & tamẽ tam illæ inclinationes quàm hæc obiecta sunt à Deo, non minus, quàm alia, licèt inclinationes istæ naturales propriæ non sint ad malum vt sic.

Repellitur.

Alia solutio.

Euertitur.

D. Pauli 1. ad Cor. 4.

EST pro nobis elegans locus D. Pauli 1. ad Corinthios 4. *Quis enim te discernit? quid habes quod non accepisti? si accepisti quid gloriaris quasi nõ acceperis?* Et profectò si efficacitas gratiæ Dei sumitur à nostra cooperatione, sequitur, quòd liberum arbitrium nostrũ discerneret eum qui conuertitur ab eo qui non cõuertitur, & discerneret fidelem ab infideli: Quia si sint duo qui eandẽ habeant gratiam sufficientem æqualem, eandemque inspirationẽ & vocationem, si vnus conuertatur & alter non, & vnus credat & non alter, tunc ille qui conuertitur aut credit, dicere poterit ad alterum se discernere ab illo per liberum arbitrium, quia ipse consensit & acceptauit diuinam inspirationem, quam alter repulit, & quòd ipse cooperatus est, quod alter minimè fecit, aut voluit: quod tamen Paulus prohibet dici posse, & idcircò non solùm posse credere, sed etiam ipsum credere dicit esse donum Dei, & Deum in nobis operari, non solùm vt possimus velle, sed etiam vt velimus. ad Philippenses 1. & 2. cap. Vnde ex aduersariorum sententia sequitur, non magis debere Deo illum qui conuertitur de facto, quàm qui non conuertitur: Imò verò sequitur illum qui conuertitur, aliquid habere in negotio suæ iustificationis quod non acceperit ex Dei gratia, ac proinde satis apertè colligitur eum se discernere ab eo qui non conuertitur, vt dictum est, & posse gloriari aduersus illum: hæc autem omnia sunt valde absurda, & contra Paulũ loco citato. *Ne vnus aduersus alterũ inflctur, quis, inquit, te discernit? quid autem habes quod non accepisti?* Quod autem hoc sequitur satis manifestũ est: nam quantum attinet ad cõmunia auxilia gratiæ, tam qui conuertitur, quàm qui non conuertitur, sunt æquales: etiam quantum attinet, vt supponimus, ad auxilia specialia gratiæ sufficiẽtis internarum inspirationum, vocationum, & illuminationum, quę æquè dantur illis qui non conuertuntur, atque illis qui conuertuntur, imo sæpè dantur plura & maiora præuenientia & sufficientia tantùm illis qui non conuertuntur. Si ergò non aliter prouenit efficax gratia ex Deo, quàm per hoc quòd dat auxilia sufficientia quæ possunt reddi efficacia ex volũtate accipientis, seu cooperatione suæ voluntatis, manifestè sequitur, non magis accipere à Deo illum, qui efficaciter conuertitur, quàm illum qui non conuertitur, ac proinde non magis debere Deo istum quàm illum: sed reuera is qui conuertitur, seipsum discerneret, & posset gloriari, præsertim si habuit minora auxilia sufficientia, aduersus eum qui non conuertitur, vt acutè colligit D. Augustinus loco citato, & aliàs sæpè explicãdo, & ponderando prædicta verba Pauli. Et quamuis aduersarij varias excogitauerint solutiones ad hoc argumentum, nulla tamen re vera satisfacit, sed sunt euasiones.

elegans locus expendit ut pro veritate nostræ conclusionis.

QVOCIRCA opinio istorum (vt inquit Bellarminus Cardinalis loco citato) euertit omninò fundamentum diuinæ prædestinationis, quam D. Augustinus ex sacris Literis comprobauit: inde enim pendet certitudo atque

Bellarmin.

infal-

infallibilitas prædestinationis, quòd Deus præparauit efficacem gratiam electis. Nam quos prædestinauit hos vocauit vocatione secundū propositum: de qua dicitur a D. Paulo. *Omnia cooperantur in bonum his qui secundùm propositum vocati sunt Sancti.* Quòd si efficax vocatio non penderet à proposito Dei, sed à voluntate humana nullus locus prædestinationi relinqueretur, sed tantùm præscietiæ, neque Paulus dixisset. *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret: non ex operibus sed ex vocante dictum est ei: Quia maior seruit minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau odio habui.* Ad Romanos 9.

Ad Romanos 9.

Ex diuina prædestinatione, & eius stabilitate efficax stabilitur argum.

Ex quibus conficio argumentum: Quia diuina electio seu prædestinatio tàm ad gratiam quàm ad gloriam facta est eum omnimoda certitudine & infallibilitate ante omnē præuisionē operum, vel præscientiam nostrarum actionū, & cuiuscunque boni vsus nostri liberi arbitrij, sed non potest intelligi certa & infallibilis prędestinatio ante præscientiam operum, si efficacia gratiæ proueniat ex nostra cooperatione & diligentia humana: ergò necesse est dicere non prouenire ex nobis, sed ex diuina electione: consequentia est aperta, & minor de se patet. Maior supponitur certa ex materia de prædestinatione, vbi Doctores illam cōmuniter tenent cum Diuo Augustino, eamque defendit Driedo infra citandus, & Bellarminus li. 2. de gratia & libero arbitrio c. 9. vsque ad 15. Quare meritò idem Cardinalis Bellarminus libr. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 19. dixit: Quòd opinio constituens efficaciam gratiæ, in assensu & cooperatione humana, euertit omninò fundamentum diuinæ prædestinationis.

Tandem si vocatio efficax vt sic, non pēderet à proposito Dei vt efficax est, sed ab humana voluntate, seu cooperatione eius, tunc non relinqueretur locus aliquis prædestinationi, sed præscientiæ, & non esset vera sententia Pauli dicentis: *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret*: cui illationi non plurimum refragatur Molina. Primò, quia ipse tenet, prędestinationem ex parte diuini intellectus non dicere imperium, sed intuitum & iudicium mediorum in finem: Secundò, quia ipse sensit, certitudinem diuinæ prædestinationis desumendam esse ex parte diuinæ præscientiæ mediæ, qua Deus vidit pro sua libertate peruenturos in vitam æternam, quod fuit pendens ex cooperatione arbitrij creata præuisi, quod etiam fuit pēdens ex vsu futuro adultorum, quod dixit Molina q. 23. in concordia, art. 4. & 5. disp. 1. membro. 9. pag. 467. & etiam membro. 10. Quo in loco dixit, Certitudinem diuinæ prædestinationis non esse sumendam ex parte mediorum per quæ quis est prædestinatus, sed ex parte diuinæ præscientiæ, atque adeò prædestinationem non aliam certitudinem habere quā solius prędscientię, quod dixit eodem membro 9. citato pag. 455. & 457. Vndè prædestinationis certitudinem tanquam in radice & origine sitam esse ait in præscientia media, quā prædestinatio supra prouidentiā addit, formaliter verò & omninò esse in præscientia libera: quod dixit eodem membro. 9. pag. 474. & paulò antea, pag. 472. dicit se collocare totā certitudinē diuinæ prædestinationis, non in decreto quo Deus ei, quē prædestinabat, prouidere statuit, de his medijs quibus libertate sua peruenturus in vitā æternam præuidebatur: Neq; etiam in ratione ipsa prouidendi, sed in præscientia qua id prędui debat, ratione cuius tale decretum ac prouidentia sortita sunt rationē prædestinationis. Quod etiam dixit Molina in eadem Concordia, q 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro. 9. pag. 472. cùm tamen D. Augustt. dicat Diuinā prædestinationē esse præparationem beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunq; liberantur.

Et præterea idem Augustt. lib. de gratia & libero arbitrio c. 5, inquit. *Vt Apostolus Paulus de cælo vocaretur, & tam magna & efficacissima vocatione conuerteretur gratia Dei erat sola.* Ergò efficacitas vocationis & gratiæ Dei non sumitur ex cooperatione, & innata libertate arbitrij creati, atq; adeò aduersariorum opinio & sentētia valdè corruit, vt optimè notatur à Bellarmino locis citatis, qui eiusdē est familiæ cum eo. Et hoc voluit notare Augustt. dicens: gratia Dei erat sola. Rursus est sententia Molinę cōtra D. Augustt. li. 1. de prædest. Sanctorū c. 10. loquēs de bonis operibus ait. *Hæc opera præparauit Deus vt in illis ambulemus.* Et statim dicit: *Quòd quando promisit Deus fidem gentiū, Abrahæ in semine eius, Paulus dixit Rom. 4. Ideò ex fide vt secundū gratiam firma sit promissio omni semini, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit.* Et iterum: *Promisit enim Deus quòd ipse facturus erat, non quòd homines: quia & si faciunt homines bona quæ pertinēt ad colendum eum, ipse facit vt illi faciant quæ præcepit: non illi faciunt vt ipse faciat quod promisit: aliàs vt Dei promissa cōpleantur, non in Dei sed in hominum est potestate.* En euidentissimè dicit Augustt. Dei gratiam & motionē esse efficacem, vt ab ipso procedit, & non ex hominum potestate, aut ex determinatione arbitrij creati, & rursus inquit, certitudinem ex Dei promissione & decreto prouenire, & non vt Molina dicit. Sed de hac re inferiùs plura dicemus.

Favet etiam, quod si efficacitas gratiæ sita esset non in ipso auxilio gratiæ sed in cooperatione nostrę voluntatis à qua desumeretur talis efficacitas, hoc esset omninò abuti vocabulis, nimirum vocare gratiam efficacem, eamque à sufficienti distinguere, si nulla omninò esset distinctio in ipsa gratia, & totum discrimen ab humana voluntate penderet: quod quàm difficile sit nemo est qui non intelligat. Nam certè si auctores oppositæ sententiæ aduersarijq; nostri dicunt, Se non negare auxilium efficax: interrogarē eos, vtrùm auxilium efficax vt procedit à Deo sit distinctum à sufficiente? quòd si hoc negetur ab eis interrogarem vlterius: à quo ei proueniat hęc efficacia? Quia si hęc efficacia est in ipso auxilio insita vt venit à Deo, suauiter &

Est abuti vocabulis dicere quòd efficacia gratiæ sumitur à cooperatione nostra.

fortiter, habemus intentum, nimirum quòd auxilium Dei diuiditur verè & secundùm se in auxilium sufficiens & efficax. Si autem respõdeas efficaciam auxilij diuini esse à libero arbitrio creato, & ab eius cooperatione & determinatione: sequitur quòd ad ipsum reducitur, quòd homo vnus ab altero discernatur. Quòd si respondeant, quòd hoc reducitur ad liberum arbitriũ adiutum tamen à gratia diuina: hæc responsio, supposita eorũ opinione est artificiosa, & nihil dissoluit, sed difficultatem & illationẽ relinquit intactam. Quia totum quod est à Deo ex parte auxilij sufficientis, totum hoc reponitur æqualiter in eo qui non conuertitur: ergò si non reponitur alia efficacia ex parte gratiæ Dei in altero, nisi quòd solùm ipse vult determinare ipsum auxilium sua innata libertate & industria, re vera sequitur, quòd hoc quod est vnum discerni ab altero vltimatè reducitur ad liberum arbitrium creatum, & ad libertatem innatam.

DICERE autem. Quòd auxilium re vera est efficax quando liberum arbitrium se cõuertit, hoc re vera nihil speciale est, quia nos etiam asseueramus, quòd quando liberum arbitrium se conuertit, & homo fit fidelis & agit pœnitentiam, tunc similiter ibi adest efficax Dei auxilium, & quòd tunc habet quasi effectum suum, actum conuersionis aut contritionis & pœnitẽtiæ. Verũtamẽ hoc quod est esse efficax, à quo interrogo processit veluti à causa & principio, à quo factum est vt esset efficax? nam auxilium Dei sumitur ex parte auxiliantis veluti principium causatiuum, & ita in ipso debet accipi & considerari illa distinctio quam habet respectu solius sufficiẽtis. Et aliud est ex libertate nostri arbitrij pendere auxilij efficaciam, vt talis sit: aliud verò ex libertate nostri arbitrij pendere consensum liberum. Quia hoc secundum est certum, & negari non potest: primũ autẽ multa obscura & prægnantia inuoluit, vt ex dictis satis apertè cõstare potest cuilibet pio lectori.

Tertia Conclusio.

Concluſ. 3. DICO tertiò. Eos qui non conuertuntur, qui de facto non habent efficacem Dei gratiam, qua aliàs conuerterentur, defectum hũc non desumi neque esse ex parte Dei, & consequenter nullam eos habere excusationem, quòd non conuertantur. Nam certè Deus nisi nos illius gratiæ defuerimus, ipse nũquam deficiet. Et præterea si quis nõ habet efficax Dei auxilium, eo tempore quo tenebatur conuerti, id sanè erit, quia ipse homo appposuit impedimentum, aut obicem, vel resistit, vel ad alia seculi negotia se transtulit, neglecta sufficienti gratia Dei, neque volens attendere diuinæ vocationi, sicque malè vtendo gratia, & prioribus auxilijs, defectum fuisse ex parte hominis, & ipsum defuisse gratiæ Dei.

Lege San. Tho. 3. con gent. c. 159

Obiectio ad uersariorũ. SED dicunt aduersarij auctores oppositæ sentẽtiæ: quòd ex nostra sentẽtia & opinione sequitur, quòd vniuersis hominibus qui non cõuertũtur deficit aliquid ex parte Dei, sine quo non sunt potentes, vt se conuertere possint, atque adeò, quòd eis deficit aliquid, quod nõ est in manu sua habere illud, & quòd ob id illi habebunt excusationem, quòd non consenserint diuinæ gratiæ, & diuinæ motioni.

HVIC aduersariorum obiectioni respondetur, illationem eorum nullam esse, non solùm propter ea quæ sæpè retulimus, quæ toties nõ sunt repetẽda, sed etiam. Primò: Quia in simili, licèt sit verũ & de fide Christiana certũ, neminem cõsequuturum esse salutem æternam, nisi fuerit à Deo prædestinatus, non sequitur defectum fuisse in Deo, aut illi tribuendũ esse quòd hic homo, qui aliàs est præscitus, non saluetur. Quòd si esset verum, quod auctores oppositæ sententiæ dicunt, possent eandem illationem efficere, & pari modo inferre idem, si similem discursum efficiant, hoc modo: Nemo potuit prædestinare se ipsum, nisi Deus eum prædestinet, sed huic homini non est data prædestinatio à Deo, quia Deus noluit prædestinare illũ: Cùm igitur prædestinatio huius hominis non fuerit posita in manu eius: sequitur quòd ipse habebit iustam excusationem, cur non correspondent re vera Deo, & cum effectu, cùm ipse fuerit reprobus: Vel poterit dicere, & respõdere Deo, sibi defecisse prædestinationem, sine qua nunquam saluus fieret neque fiet. Perpendantur hæc à pio lectore, & videbit apertè quo pacto efficiant illationes friuolas nonnulli ex sententia antiqua tam Sancti Thomæ, quàm sanctorũ Patrum. Vnde neganda est sequela & illatio eorum.

Diſſoluitur per negationẽ illationis, quæ nulla eſt, & adducuntur inſtantiæ. Prima: de prædeſtinatione.

SECVNDÒ, non valet illatio aduersariorũ, quia pari ordine possent dicere: Quòd peccatori in vltimo instanti vitæ suæ deficit aliquid, sine quo saluari nõ potest, & cõsequenter quòd habebit iustam excusationem cùm Deo si non se conuertit ad ipsum: & cõficiẽt sillogismũ & discursum hoc modo: Quilibet reprobus viator, dum viator est, & in hac vita viuit, etiam dũ est in mortis articulo saluari potest ante primũ non esse eius: sed hoc non potest ita facere vt sine dono perseuerantiæ saluetur & salutẽ consequatur: ergò si non habet donum illud perseuerantiæ, iustam habebit excusationem cùm Deo: & non potest dici, reprobum in vltimo vitæ instanti recepisse à Deo donum perseuerantiæ: ergò. Nam certè similiter non valet in simili forma: Quilibet reprob⁹ viator dũ viuit, & etiã in extremo vitæ cursu, dum viator est, re vera saluari potest: sed hanc salutem nõ potest actu & in re consequi sine dono perseuerãtiæ: ergò re vera & de facto habet illud donũ. Hæc consequentia nihil valet, atque adeò cum hæc nihil valeat, consequenter non ob id dicimus: Quòd homini reprobo qui non se conuertit in Deum, deficit aliquid ex parte Dei, de necessarijs vt saluetur, sine quo non est potẽs, neque habet posse ad se conuertendum.

Secũda, de dono perſeuerantiæ.

PARI ergò modo non valet aduersariorum illatio, neque inconueniens quod ab eis infertur contra nos: Quia nos affirmamus adultum

Habet adultus in actu primo

habere

auxilia necessaria, quibus si nō resistat, obtinebit efficacia.

habere in actu primo auxilia necessaria gratiæ Dei, & auxilia sufficientia ad suam salutem, quibus si non resistat, neque obicem ponat, habebit efficacia: Quòd si ea non habet in actu secundo, sibi imputet, ob resistentiam vel appositionem obicis, & quia non benè vtitur gratia Dei, quæ eum mouet, vocat, inspirat, & tangit. Imò verò quia habet hæc auxilia prædicto modo explicata, dicunt aliqui Theologi quòd habet veluti in radice, & in semine vlteriora auxilia, quæ Deus illi offert, & donabit, si non resistat, neque obicem ponat, nam ratione resistentiæ & obicis imputatur homini, quòd illa non habeat, & eorum defectus. Nam certissimum est Deum offerre omnibus auxilia necessaria ad salutem: & rursus est certum mortem & passionem suam esse sufficientem vt omnes saluentur; instituit etiam ad hanc salutem Sacramenta, quæ omnibus dedit, vt remedia; omnes etiā inuitat & monet, vt agant pœnitentiam. Quod si homines non resistant Deo vocanti & pulsanti, beneque vtantur non obijciendo peccata, res est aperta quòd recipient à Deo efficacem gratiam: cum qua saluentur de facto, vel quòd à Deo reddetur efficax ex speciali gratia illud auxilium, quod præcisè erat sufficiens, præmouēdo suauiter & fortiter hominis volūtatem, vt agat pœnitentiam. Adde etiam quòd in nullo casu poterit peccator iustam habere excusationem, sicut aduersarij dicunt, cum dictum sit, adultū recepisse à Deo illa auxilia supernaturalia, quæ retulimus, & vocationem atque pulsationem Dei inuitantis & mouentis eum ad pœnitentiam & conuersionem: Nam hac ratione adultus ille tenetur se conuertere, & ad id obligatur à Deo, quia cum talem gratiam habuerit, & receperit, absolutè est verum quòd potest agere pœnitentiam, & conuerti.

Aliud donū Dei est posse agere pœnitentiā & aliud facere eam de facto & in re: vnde benè stat, quòd aliquis habeat primum sine secundo.

Et profectò aliud donum est, posse agere pœnitentiam, & aliud facere eam de facto & in re: & consequenter, alia res est, quòd peccator in re non habeat auxilium efficax gratiæ actualis, & alia res est quòd non possit ipsum habere. Dicimus namq; quòd licèt tunc peccator, quādo non se cōuertit, non habeat in se efficax hoc auxilium, neque actuale donum perseuerātiæ, si est in vltimo instanti vitæ suæ, in quo adhuc est viator, ante primum non esse eius, quòd nihilominus potest habere hanc efficacem gratiā vt se conuertat, & quòd hoc est, si ipse vult, in manu eius vt saluetur, sed nō sine Dei gratia mouentis ipsum, nam proprium est Dei mouere volūtatem hominis interius, eā agendo & inclinādo. Et quamuis ità sit, quòd Deus moueat voluntatem adulti efficaci gratia sua; huic tamen neque contradicit, neque repugnat; quòd posita illa gratia, voluntas etiam se moueat, & se agat, sicut egregiè adnotauit S. Thom. 1. parte q. 105. art. 4. præsertim solutione ad secundū & tertium argumentum, & alibi non semel, vbi ait, voluntatem ex eo quòd moueatur à Deo non ob id auferri ab ea, quod se moueat, non solùm voluntariè, sed etiam liberè, & quòd ob id non auferatur ratio meriti aut demeriti si à Deo moueatur.

CVM ergò aduersarij nobis imponūt, quòd dicamus, sine motione gratuita Dei hominem non esse potentem ad se conuertendum vel ad consentiendum, & quòd ob id conuersio hominis adulti non est in manu sua. Huic calumniæ respōdetur: Omnem adultum habere si vult in manu sua, posse se conuertere in Deum: sed hoc non debet, neque potest intelligi sine auxilio supernaturali gratiæ Dei suaui, & forti. Quoniā licèt absolutè loquendo, quilibet peccator possit cōteri ad consequutionem gratiæ, & possit disponi ad iustificationem: hoc tamen neque debet, neque potest intelligi, quòd debeat esse, aut fieri sine præmotione causæ primæ supernaturalis, & sine Dei gratia actuali. Quocirca Deus quantum est de se, omnibus tribuit auxilia necessaria gratiæ suæ, vt si voluerint possint se conuertere: & ita per Isaiam dixit cap. 65. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulū & cōtradicentem mihi.* Quo testimonio vsus est Paulus ad Romanos 10. quo in loco ex proposito confirmat veritatem hanc dicens: *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendit in cælum?* Et statim: *Prope est verbum in ore tuo & in corde tuo.* Quasi diceret, non iudices rem esse impossibilem saluari, & ascendere in cælum, & consequi vitam æternam: quia propè est iam & ad manum auxiliū Dei & præsidium gratiæ suæ, cum quo poteris id obtinere. Rursus Prouer. cap. 1. legimus. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua, conuertimini ad correctionem meam: en proferam vobis spiritum meum.*

Isaiæ 65.

Ad Romanos 10.

Prouerbio. cap. 1.

RVRSVS volo paucis agere cū aduersarijs: Nam cū argumentantur contra nos, quòd si est constituēda efficax gratia Dei, vt venit à Deo: sequitur, quòd non erit in manu hominis se cōuertere. volo inquam paucis agere præter illa quæ iam in superioribus diximus, quid sibi velint aduersarij nostri per hanc illationem. Nam certè cum inferunt: ergò nō est in manu hominis se conuertere, si intelligunt aut volūt dicere quòd non est in manu eius, id est in suis innatis viribus absq; gratia actuali Dei: hoc est certū & de fide, quod non est positū in viribus innatis volūtatis suæ, sine illa diuina gratia actuali Dei, & in hoc sensu nō potest dici esse in manu sua, quia ad hoc nō possunt attingere vires humanę sine diuina gratia & auxilio eius. Cęterū si intelligunt, quòd non est in manu eius se cōuertere, id est, quòd non est illi liberū, seu quòd non est liber, vt vellit se cōuertere, vel non cōuertere, aut quod nō est in manu sua libertas suæ cōuersionis: Ad hoc respondetur. Rem esse certam & apertam, quòd est in manu eius libertas ad volēdum & non volendum, seu vt liberè velit non se cōuertere, vel se cōuertere, quia semper adultus liberè debet agere, siue conuertendo se, siue non se conuertendo: & liberè agere & se habere dicitur esse in manu sua, quāuis vires ipsius cōuersionis aut pœnitentiæ, quibus redditur potens

Qua ratione verū sit in manu hominis esse se conuertere ad Deū, falsū enim est, si de innatis viribus intelligatur, verissimū tamē de libero arbitrio innitendo auxilio D. gratiæ, de nostraq; libertate.

tens vt se conuertat, suæ non sint, neq; innatæ illi & suæ voluntati: has enim vires supernaturaliter recipit à Deo, & à gratia eius, & à suis auxilijs, & non eas habet adultus ex se, ac proinde non dicitur quòd habeat in manu sua, id est in viribus innatis eius, se conuertere, quia hoc est ex virib⁹ Dei: habet tamē in manu, id est liberū est homini, se conuertere, & habet Deum præsto, vt se conuertat si velit.

VERVMTAMEN vt res hæc melius intelligatur, & aperiatur, dicimus vlterius, quòd absolutè loquendo verum est dicere: Cuilibet adulto verè est possibile ad Deum conuerti. Nam profectò cuilibet est possibilis gratia Dei actualis ad se conuertendum: nō quòd homo cui hoc auxilium gratiæ præstatur, & est possibile, sit effectiua causa, seu principium effectiuū illius gratiæ, quatenus est auxilium Dei: Nam vt tale est, se tenet ex parte Dei auxiliatoris. Quòd autem cuilibet sit possibilis gratia hæc Dei, constat: Quia Deus omnes vocat, & pro omnibus statuit remedia: stat ad hostium & pulsat, nos excitat, in plateis exaltat vocem suam, & pro omnibus mortuus est, incitatq; & vocat nos ad conuertendum, etiam interius, atque ita sine dubio cuilibet est possibilis gratia Dei ad se cōuertendum, non sanè ex viribus innatis, sed ex viribus Dei: Quare in nobis aliud sunt vires, & aliud libera potestas, seu libertas volūtatis, vires enim ad conuersionem nostræ non sunt, sed ex Deo donantur, & ab ipso veniunt, libertas verò nostra est & liberè cooperamur sed non ex innatis viribus, ac proinde aliud sunt vires ad cōuersionē, & aliud est libertas volendi, vel non volēdi, conuertendi se vel non conuertendi, quæ ad conuersionē ex supernaturalibus viribus vim accipit, vt agere possit id, ad quod dantur: quapropter gratia & supernaturalis vis potiùs perficiunt naturā libertatis & vsum eius quā lędāt.

Aliud & lōgè diuersū est, hominē habere libertatem, vt se conuertere in Deum velit, & aliud habere vires quibus conuertatur: libertas enim nostra est, vires autem à Deo veniunt.

SED dicere hominem potentem esse ad se conuertendum absq; gratia actuali diuinæ motionis: hoc quòd est dicere potentem esse; *que es dezir ser el hōbre poderoso*: est significatiuū habendi in se valorem, & vires ad prædictam conuersionem, quod sine diuina gratia, aut nisi ipsa accedat, verum nō est: Ac proinde quamuis sit possibile cuilibet viatori conuerti ad Deū, quia hoc fundatur in gratia Dei, quæ est illi possibilis, tamen sine hac gratia, cum hæc sit excluſsiua, non potest se mouere ad iustitiam libera sua voluntate, vt dicit Tridentinum Sessio. 6. ca. 5. Verba autem Concilij hæc sunt quæ sequūtur. *Neq; tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit.* Et loquitur eo loci Concilij de vtriſq; gratijs, nimirum de gratia excitāte, & de gratia adiuuāte, de quibus affirmat: Quòd disponunt & mouent etiam ad iustitiam. & ita Concilij eas vocat disponētes & præuenientes, sicut in superioribus fusiùs dixi mus. Igitur iuxta hanc Cōcilij determinationē nemo potest sua libera voluntate se mouere ad iustitiam per pœnitentiā & conuersionē, sine gratia Dei excitante, & mouente cor hominis, nam, vt dictū est, aliud est, quòd cuilibet adulto possibile est cōuerti ad Deum, quia cuilibet est possibilis gratia Dei ad se cōuertendū: & aliud est dicere hominē esse potentē ad se cōuertendum, *Que el hōbre es poderoso para se cōuertir por su libre volūtad*, antequā veniat & accedat illa motio gratiæ Dei, & sui auxilij diuini. Nam certè hominē esse potentē ante diuinā illam motionem, indicat & significat hominē in se ipso habere valorē & vires ad illud, idq; verè denotat verbum illud, *Ser poderoso el hōbre*. & non tantū significat hominē habere libertatē. Vnde sine diuina gratia, diuinaq; illa motione homo non dicitur fieri potens in se, sed ab ipsa efficitur, & redditur potēs. Attuli verbū illud, *Que se haze poderoso el hombre*, Hispano sermone, quia eodem sermone fuerat paucis retroactis diebus adductum ab auctoribus oppositę sententię in quodam tractatu de auxilio efficaci Dei euulgato Hispano sermone.

Trident. Sessi on. 6. c. 5.

Quid de possibilitate obseruationis mandatorū Dei sentiat Tridentin.

PERPENDERE oportet, Trident. Conciliū Sessio. 6. c. 11. agere de possibilitate obseruationis mādatorū Dei, & de necessitate huius obseruationis: de qua possibilitate obseruationis mandatorū, inquit Conciliū. *Quòd Deus impossibilia non iubet, sed iubēdo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis.* In quibus verbis apertè ostenditur Deū mouere nos, vt petamus quod non possumus, & adiuuari à Deo, vt possimus, & cōsequēter ipsum posse ex adiutorio Dei prouenire, neq; venire ad Deū posse quenquā potentia adęquata & totali, nisi Deo trahente præmouēteq; sua gratia sufficiēte reducta ad actū secundum per efficaciā diuini auxilij, sine quo nemo venit, & hoc esse ex Deo certū est. Vnde Christus Ioānis 6. ait. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eū.* & loquitur Christus de auxilio efficaci diuinæ motionis, quo quis trahitur, & venit ad Christū per Fidē & Pœnitentiā. Et quòd in isto loco Christus Dominus loquatur de efficaci auxilio gratiæ, etiā auctores oppositæ sententiæ id fatentur, in speciali tractatu breui quē euulgarunt Hispano sermone: ergò sine hac diuina motione seu tractione & antequàm ipsa accedat non potest aliquis venire ad Christū, potentia adęquata & immediata operi veniēdi ad ipsum. Trahitur autem homo ad Christū per Fidem, & Pœnitentiā, & ad hoc non solùm requiritur, quòd excitetur homo, sed quòd adiuuetur, & præmoueatur per eius efficacem gratiā. Nam vt dicit Tridentinū Concilium Sessio. 6. ca. 16. *Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquā vitis in palmites in ipsos iustificatos ingiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur.* Et non loquitur ibi de gratia solùm excitante aut primo præueniente: præcipuè cùm loquatur Cōcilium de ipsis hominibus iam iustificatis, sed loquitur de gratia præmouente, & de illa etiam quæ est operi coniuncta, de qua dicit Concilium semper etiam antecedere: sicut & comitari, &c.

Tridentin. Sess. 6. c. 16

Negandæ sunt illationes quæ in hac parte adducũtur ab aduersarijs.

CAETERVM Deus paratus est trahere adultum ad se, nisi ipse resistat, idque conatur, quantum ex se est. Propter quam causam negandæ sunt illationes omnes, in quibus Molina, Suarez, & sui, inconueniens aliquod prætendunt contra nos. Nam certè, vt, verbi gratia, adultus obligetur ad conuersionẽ, sufficit quòd ille acceperit auxilium supernaturale, & notitiam diuinæ misericordiæ ad pœnitentiam inuitantis: & vt simpliciter dicatur, quòd potest agere pœnitentiam, & conuerti, sufficit quòd sit illi possibilis omnis illa gratia, quæ requiritur ad conuersionem. Nam Deus impossibilia nõ iubet, vt ait Tridentinum, sed iubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis. Et sanè aliud donũ Dei est posse agere pœnitentiam, aliud verò eam agere de facto. Quocirca in hac cõtrouersia hęc consequentia negãda est semper: Homo viator adultus potest saluari, & ad Deum conuerti, & venire ad Christum tractus à Patre: ergò quicunq; viator de facto habet in hac vita illud auxiliũ efficax, sine quo non potest de facto trahi, & conuerti ad Christum. Nam certè solùm sequitur, si bona fiat collectio & illatio: Quòd quilibet adultus potest habere illud auxiliũ gratiæ Dei quãdiu viuit, quo trahi ad Christum, & cõuerti possit, iuxta ea quæ diximus.

Alia obiectio aduersariorum.

SED adhuc obijciunt aduersarij, quòd si datur hæc diuina motio gratuita supernaturalis, efficax, vt à Deo venit, & nõ ex nostra cooperatione, sequitur, quòd quousq; ipsa accedat, & recipiatur actu in homine, quod homo non potest se conuertere aut consentire, atq; ita quòd neque conuersio, neque pœnitentia, neque illa motio diuinæ gratiæ, erunt in manu hominis.

Dissoluitur

HVIC obiectioni, quæ pluries ab eis repetitur, respondent antiqui Theologi, hoc argumẽtum fuisse sępiùs solutum ab eis, & esse argumẽtum vetus, & tritum, quo nemo antiquorum Theologorum aut Catholicorum fuit permotus, vt veritatem antiquæ doctrinæ desereret. Imò verò solutio & responsio eius includitur in Concilio Tridentino Sessione 6. capi. 5. vbi agit de necessitate præparationis adultorum ad iustificationẽ: Vnde in forma respondetur, & dicitur: Quòd sine gratia actuali Dei nemo se potest mouere ad iustitiam coram Deo libera sua volũtate. Quòd si iterum vrgeas ex hoc sequi, quòd neque ipsa conuersio, & pœnitentia peccatoris, neque ipsa gratia aut motio diuini auxilij erit in manu hominis vt cõuertatur. Similiter respondetur cum eodem Concilio eodẽ loco citato interrogãdo: Quid sibi velit dicere quòd non erit in manu liberi arbitrij cõuersio? Nam si dicere intendunt quòd non erit in manu hominum, id est quòd non sunt liberi ad se conuertendum, hoc est apertè falsum, & non ferendum. Quia omni tempore & instanti, siue cum homines mouentur, & habent motionem gratiæ Dei, siue ante, siue post, quolibet momento homines dicuntur liberi esse ad se cõuertendum, vel non conuertẽdum, & hoc est quod dixit Concilium loco citato: *Quòd quando sacræ Literæ dicunt, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, tunc libertatis nostræ admonemur.* quòd videlicet sumus liberi, & quòd possimus non conuerti vel cõuerti; sed non est asseuerare aut dicere: quòd habemus vires à nostro libero arbitrio vt conuertamur: Et ratio est: Quia cum respondemus Deo. *Conuerte nos Domine ad te & conuertemur*, tunc apertè confitemur, nos non habere vires ex nostro arbitrio, sed potius indigere vt præueniamur à diuina gratia, vt illud facere possimus. Itaque si posse referatur ad hoc quòd est nos esse liberos, certè hoc nos habemus quòd liberi sumus, vt possimus, vel non cõuerti, vel conuerti. Verũtamen si referatur potentia, & posse, ad hoc vt dicatur nos habere vires, aut quòd sumus potẽtes, sine illa diuina gratia actuali & motione Dei ad nos conuertendũ, hoc non est verum, & Sanctũ Trident. Concilium dicit oppositũ, cum in prædicta Sessio. 6. ca. 5. ait: *Neque tamẽ sine gratia Dei mouere se ad iustitiã corã illo, libera sua voluntate possit.* Ergò sine hac diuina motione, nisi ipsa adueniat, sua libera voluntate non poterit homo se ad iustitiã & cõuersionem mouere, sicut Concilium decernit. Et Christus Dominus Ioannis 6. ait. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*: Ergò antequam accedat hæc diuina tractio Patris, & antequam adueniat per efficacem gratiam actualem, nemo dicitur venire ad Christũ, aut posse in re & de facto venire. Et loquitur hic de auxilio efficaci gratiæ Dei, quo Pater trahit ad Christum omnes qui credunt, & conuertuntur. Debetque hoc intelligi in sensu composito: Nam in sensu diuiso, sicut cuilibet viatori est possibilis gratia Dei, ita etiam est illi possibile quòd trahatur à Christo: cæterum non in sensu composito sine hac Dei gratia, ea inquam excluſa, aut repulsa. Nam certè licèt possibile sit homini cuilibet se cõuertere, quia est ei possibilis gratia conuersionis, & sibi sunt possibilia media ad hoc: tamen dicere quòd antequam accedat gratia actualis diuinæ motionis homo est potens, *el hõbre es poderoso à se conuertir*: quia hoc est se mouere ad iustitiam vt dicit Concilium: & quòd sine actuali accessu huius gratiæ & diuinæ motionis homo id possit facere (cum verba illa non accedẽte motione diuinæ gratię, seu quousque accedat diuina motio sint excluſiua verba) falsum est: ac proinde nõ potest intelligi doctrina aduersariorum, dum homo efficitur ab eis potẽs, *poderoso*, sicut ipsi dicũt, absq; euidente præiudicio ipsius Cõcilij loco citato, & D. Ioannis, & Christi Domini, ca. 6. dicẽtis. *Nemo potest venire ad me.* Quia hoc quod est hominem esse potentem, *poderoso*, quo verbo sæpissimè vtuntur aduersarij, dicit & inuoluit plurimum, & quidem homo non est potens sine gratia actuali, aut antequam ipsa adueniat & accedat: verũ possibile est illi conuerti, quia est ei possibilis gratia, vt dictum est, & nunquam neque vllo modo eam excludit aut repellit.

Quãuis cui libet homini possibile sit cõuerti, quia possibilis est ei gratia conuersionis, homo tamẽ non est potens se conuertere seclusa gratia Dei.

ADVERTENDA est etiam aliorum Theo-

logo-

In potestate hominis habētis auxilium sufficiens est habere efficax, quia si non restiterit aut posuerit obicē Deus illi conferet ipsum.

logorum doctrida, quòd postquam homo est præuentus à gratia Dei, & recipit sufficiens auxilium pulsatus & excitatus, dicitur esse in hominis potestate habere posse efficax auxiliū, quia si homo non fuerit rebellis, neque restiterit auxilio gratiæ Dei, aut posuerit obicē aliquem, Deus tribuit efficacem gratiā: quòd si eā non habeat, sibi imputet homo. Quocirca homo motus à Deo per sufficientem gratiam antecedenter ad efficacem, omninò habet actum primum inadæquatum tamen, & eo dicitur homo ita præmotus à diuina gratia habere potentiam ad se conuertendum, licèt de facto non se conuertat absq; omninò adæquato auxilio seu efficaci. Nam Caietanus 1.2. quæst. 109. art. 10. & Ferrara lib. 3. contra gentes, cap. 155. aduertunt: aliud esse habere potestatem, & potentiā ad operandum, & aliud de facto operari, sicut aliud est habere potestatē intelligendi, & aliud intelligere actu: nā certè in ipsa potestate coniuncta actui, includitur reductio actus primi ad secundum cum actuali concursu superiorioris causæ, & applicatione potentiæ ad agendum, quod non includitur in actu primo inadæquato, quòd etiam est ad posse: sed non habet adæquatam rationem huius posse.

In potestate voluntatis nostræ est velle e cōuerti ad Deum, non tanquā in potestate prima & suprema, sed tāquam in potestate subordinata diuinæ potestati in genere causæ efficientis. Adducitur huius rei fundamentum.

Deinceps suppono, optimè dici liberum esse in potestate voluntatis nostræ velle conuerti ad Deum, & velle etiam credere, & pœnitere, tanquā in potestate subordinata diuinæ potestati in genere causæ efficientis, non verò tanquam in potestate prima, & suprema: cuius rei fundamentum est, quòd liberum arbitrium creatum, quod est in nobis non est primum & supremum, sed potiùs est inferius & subordinatum libero Dei arbitrio, quod est primum & supremum. Quocirca liberum arbitrium Dei habet primam & supremam potestatem nulli alteri subordinatam, & idcircò non indiget, vt ab alio prædeterminetur. Verumtamen liberum arbitrium creatum, quod habet rationem causæ secundæ, cùm sit subordinatum superiori, indiget prædeterminatione, quæ fiat à libebero arbitrio diuino, ita tamen, vt etiam se determinet sub determinatione diuina, quę à Deo etiam est efficiēter. Hoc declarari potest in simili de intellectu & volūtate: præsertim apud doctissimum Cardenalem Caietanū, qui docuit voluntatem in genere causæ efficientis subordinari intellectui. Quòd si hoc est verum, voluntas nihil potest velle, nisi præmota ab intellectu, quoniam subordinatur illi. Pari ergò modo dici posset in proposito, de quo agimus, quòd hoc auxilium physicum præmouens, seu prædeterminans voluntatem, non tollit potestatem liberam voluntatis creatæ, sed potiùs firmat, & constituit illam. Pro qua re declaranda obseruare oportet, quòd Deus qui per auxilium suum determinat efficienter propriè voluntatem creatam, non debet cogitari, aut concipi à nobis tanquam aliquid omninò extrinsecum, sed tāquam aliquid intimum seu intrinsecum in eadem voluntate creata. Nam Philosophi ratione naturali illustrati etiā dixerūt, Deum magis intimè esse in voluntate, seu magis intrinsecum nostro arbitrio creato & volūtati adesse quàm sit ipsamet voluntas creata sibi met ipsi: quæ expresse videtur esse sententia D. Augustini locis infra citandis, imò & superius citatis. Vnde implicat voluntatem creatam esse sine Deo, sicut etiam implicat esse sine se ipsa: ac proinde certum est, quòd diuinus influxus & concursus Dei non est omninò extrinsecus ad liberas operationes: ac proinde etiā sicut ex eo quòd ipsa voluntas se determinet ad actum, non sequitur quòd non sit libera, neque sequitur quòd non habeat potestatem liberam ad velle conuerti, & ad velle credere, ita etiam neque ex eo quòd à Deo prædeterminetur, nō sequitur quòd careat libera illa potestate: Quia hoc auxiliū efficax & prædeterminās non præcedit tempore sed simul tempore est cum ipsa voluntate se prædeterminante; sed solùm cogitatur vt prius natura propter dependentiam quā habet voluntas in causando à Deo auxiliante.

Deus determinans efficienter propriè nostrā voluntatē non debet concipi à nobis tanquam aliquid omninò extrinsecum, sed tāquā aliquid intimū volūtati ipsi creatæ.

Auxilium actuale & efficax præmouens voluntatē pendere ab actu negatiuo voluntatis nostræ placuit quibusdam.

Scio esse quosdam qui dicant, auxilium actuale præmouens voluntatem creatam pendere quidem à voluntate creata, non secundùm actum positiuum, sed secundùm actum negatiuū, & consequenter in potestate voluntatis nostræ esse, habere aut tenere auxilium illud prædeterminatiuū quod præcedit nostrum consensum. Hoc docuit Bellarminus Cardinalis lib. 4. de gratia & libero arbitrio c. 16. tomo 3. Et idē senserunt nunc denuò quidam ex discipulis D. Thomæ: Nam Sanctus Thomas, de malo, quæst. 3. articulo 2. docuit quòd ad recipiendum influxum Dei prærequiritur in nobis quædam veluti dispositio, iuxta quam producitur in voluntate actus bonus vel malus: & quoniam ante influxum Dei non potest reperiri in nobis aliqua dispositio positiua, cùm nihil positiuum possit esse in creatura sine influxu Dei, & idcircò requiritur dispositio quædam negatiua, nimirum quòd voluntas non resistat diuinæ motioni, cùm possit resistere, & hæc dicitur dispositio negatiua, quia non consistit in actu, sed in negatione actus, & est libera, quia voluntas non minus libera est, vt non operetur, quàm vt operetur. Vnde ex ea parte, qua libera est talis dispositio negatiua, necessarium est auxilium Dei morale determinans voluntatem, ne Deo resistat, vt hoc possimus referre in Deum: ex ea verò parte qua talis dispositio negatiua nō est actus positiuus physicus, & realis, non exigit neque postulat physicum auxilium, quia non datur causa physica positiuè influens, nisi in effectum realem. Vnde si homo habeat istam negationem, ita vt non resistat Deo, infallibiliter prædeterminabitur à Deo, per efficax auxilium suum, efficienter propriè prædeterminando voluntatem per auxilium efficax: & in potestate libera voluntatis est non resistere, atque adeò habere talem negationem. Et ita iuxta hos auctores quasi vltima resolutio

fieri videtur ad prædictam dispositionem negatiuam, & hinc fit vt homini imputetur, quòd non præmoueatur efficaciter à gratia Dei, quia resistit & non finit se à Deo determinari.

Impugnatur hic modus dicendi de actu negatiuo voluntatis, examinando quid sit hæc negatio.

Hic modus dicendi impugnatur à Francisco Suarez lib. 3. de auxilijs ca. 13. num. 4. possumusque nos obijcere contra hanc opinionem: Quia non videtur intelligibile quidnam sit illa negatio, ad quam sequitur infallibiliter auxiliũ gratiæ Dei efficienter præmouens, & prædeterminans volũtatem ad supernaturalia opera: Nã posita quacũq; negatione ex parte volũtatis, nõ sequitur infallibiliter auxilium physicè prædeterminãs ipsã: Quia illa negatio nõ habet cõnexionẽ aliquã cũ aliquo positiuo prædeterminante volũtatẽ, verũ tamen est quod si Deus mouet volũtatẽ sua gratia, quòd homo, si illi nõ resistat, operabitur benè supernaturaliter.

Confirmatur, & de actionibus supernaturalibus, quæ absoluuntur à præcepto, sumitur argum.

Potest confirmari argumentum positum de actionibus supernaturalibus quando non cadunt sub præcepto, vt, v. g. de actu Fidei vel Charitatis, in homine habente habitum Charitatis, non enim est intelligibilis negatio aliqua, ad quam infallibiliter sequatur auxilium supernaturale, efficienter propriè voluntatem præmouens, seu prædeterminans in ordine ad actũ Charitatis: quia homo qui vestitus est habitu Charitatis semper finit se ipsum moueri à Deo, in ordine ad actum Charitatis: & nihilominus nõ semper prædeterminatur à Deo: ergò hæc opinio non explicat satis rẽ de qua hic agitur.

Deinde ex eo quòd istud morale auxiliũ nõ sit in potestate volũtatis idem cõcluditur.

Rursvs etiam auctores huius opinionis volunt, & docent, quòd ad hanc liberam negationem, & ad non resistendum, necessarium est auxilium præmouens moraliter voluntatem, seu prædeterminans, licèt non sit necessarium auxilium physicè præmouens: Quo supposito, sic argumentor. Istud auxilium morale prædeterminans voluntatem ad non resistendum, seu ad negationem liberam, non est in potestate voluntatis creatæ, magis quàm auxiliũ physicum physicè illam prædeterminans: ergò talis negatio non erit libera, neq; erit in potestate voluntatis creatæ: Consequentia est bona, quoniam antecedit omnem actionem voluntatis, & ipsam negationem resistentiæ; Antecedens verò constat, quia auxilium illud voluntatem prædeterminans moraliter ad illam negationem, non est in potestate voluntatis, neque voluntas potest aliquid facere ratione cuius consequatur illud, quia auxilium illud semper est prius quàm ipsa negatio: ergò redit eadem difficultas, quæ erat de ipso auxilio efficienter propriè prædeterminante, seu physicè.

Deniq; ab inconueniẽti arguitur, quia sequeretur ad aliquid merè naturale tãquam ad infallibilem dispositionem consequi gratiã efficacem.

Tandem possumus obijcere contra eandẽ sententiam. Nam sequitur ex ea quòd tota ratio ex parte hominis, propter quam tribuitur motio gratiæ efficax, & quasi vltima dispositio ad illã, ut quædã negatio libera: cõsequens non est ferẽdum: ergò, &c. Probatur sequela, quoniã sicut docent auctores huius opinionis ad negationem illam sequitur infallibile auxilium efficienter propriè prædeterminans & præmouẽs in ordine ad conuersionem vel dilectionem supernaturalẽ: ergò. Probatur maior: quia huiusmodi negatio non est negatio actus supernaturalis, neq; esse potest, quia talis negatio potius repugnat, vel vt minimũ aliena est, vt subiectũ reddatur aptum vel dignũ tali dono supernaturali prædeterminante. Neque rursus est negatio alicuius actus naturalis, quia si esset negatio alicuius actus naturalis, pari modo negatio ipsa esset naturalis, & eiusdẽ ordinis cum actu naturali: Sed incõueniẽs est affirmare quòd aliquid ordinis naturalis sit sufficiens dispositio vltima & infallibilis ad supernaturalẽ gratiam efficaciter prædeterminantem ad conuersionẽ: ergò. & confirmatur hoc, quoniam plusquam absurdũ, & minimè ferendũ est, dicere quod aliquid naturale positiuũ habeat rationem vltimæ dispositionis, in ordine ad gratiam, vel aliquod donum gratuitum, & supernaturale, vt sentit sana doctrina Theologorum: ergò valde absurdum etiam erit dicere, quòd negatio naturalis, quæ est quid minus perfectum, sit vltima dispositio, ad supernaturale auxilium prædeterminans voluntatem ad conuersionem.

Hominem a Deo excitatum posse habere aliquem vsum quo habito prædeterminabitur à Deo ſ ẽtiũt quidam. Displicet præfatus ſentiendi modus.

Propter hæc argumẽta plures alij Theologi aliter sentiunt in hac parte: dicunt enim quod homo excitatus à Deo ad conuersionem, vel ad Fidem, potest habere bonũ aliquẽ vsum suæ libertatis: quod si illũ habeat prædeterminabitur à Deo ad aliã supernaturalem volitionem conuertendi se in Deum, vel credendi. Et hac ratione censent esse in potestate hominis credere, vel se conuertere in Deum.

Hic modus dicendi placuit quibusdã Theologis, & est etiam difficilis. Primò quidem: nã ex illo sequitur quòd ante supernaturalem voluntatem credendi sit necessarium quòd præcedat alia prior voluntas bona naturalis: consequens est falsum: sequela autem probatur ex his quæ superius in secundo modo dicẽdi dicta sunt. Falsitas autem consequẽtis probatur, quoniam supposito sufficiẽri auxilio, homo potest immediatè credere, & potest conuerti in Deũ, sine eo quòd præcedat bonus aliquis vsus libertatis. Secundò etiã est difficilis prædictus modus dicẽdi, quia illa bona volũtas naturalis credendi, quæ ita præcedit, esset dispositio vltima ad quã sequitur infallibiliter illa prædeterminatio ex parte Dei, & voluntas credẽdi. Cõsequẽs autẽ minimè est ferendũ, & est plusquã falsum, quia supernaturalia non habent cõnexionẽ infallibilem cum naturalibus: ergo, &c. Tandẽ 3. modus iste dicendi inuoluit repugnantiã, & non dissoluit difficultatẽ, ḋ qua agitur, quia ex ipso sequitur quòd voluntas credendi, vel se conuertendi in Deũ nõ sit libera, nisi radicaliter in illa volũtate naturali, quia posita illa ponitur etiã infallibiliter prædeterminatio, & motio Dei: cõsequẽs autẽ subsistineri nõ potest, ergo neq; illud ex quo sequitur. Minor autẽ probatur: quia volũtas credẽdi in se formaliter est libera, & idẽ etiam est de voluntate se cõuertendi in Deum.

Optimvs ergo dicendi modus est quẽ su-

perius

Modus dicendi supra positus q voluntas creata se determinat sub determinatione Dei, qui est primus, & supremus mouens, stabilitur & prælijs eligitur.

perius primo loco explicuimus: volũtas enim se determinat sub determinatione Dei ad volẽdũ hoc vel illud bonũ, tanquã agens liberũ subordinatũ tamen primo agẽti libero, & ita eo ipso quòd se determinat vt agens liberum subordinatum Deo præcipuè debet prædeterminari ab ipso Deo tanquã à primo & supremo mouẽti, & nõ derogat libertati, neq; lædit vllo pacto illam, quia liberũ arbitrium creatũ est secundùm liberum subordinatũ primo, atq, ita debet prędeterminari à libero arbitrio diuino per quãdã suauem motionem, iuxta cõditionẽ libertatis: hoc enim expresit sapiens cum dixit, quòd *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* & ita disponit hanc præmotionem iuxta conditionẽ liberi arbitrij: nõ enim mouetur à Deo arbitrium creatũ ad actum credendi, aut ad actũ cõuersionis, veluti quoddã agens naturale prædeterminatum ab auctore naturæ ad vnũ, more pecudũ aut rerum naturaliumvt sic.

De hac re infra multa à nobis expenduntur propter S. Thomam lib. 3. contra Gentes, cap. 159. quo in loco declarat, quòd rationabiliter homini imputatur si ad Deum non conuertatur, quamuis hoc sine gratia nõ possit: Et cùm Sanctissimus Præceptor proposuisset argumẽtum contra hoc, seu rationem dubitandi: Quia nulli imputatur quod ab alio pendet, & cum gratia auxilij pendeat à Deo, videtur quòd non sit in potestate hominis se in Deum conuertere: & quòd non imputetur illi si non se conuertat.

Hvic difficultati respondet S. Thomas. Quòd licèt aliquis per motum liberi arbitrij diuinam gratiam non possit promereri, neque acquirere, potest tamen seipsum impedire, ne eam recipiat: iuxta illud Iob. 24. *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* & cùm sit in potestate liberi arbitrij impedire diuinæ gratiæ receptionem: vel non impedire, idcirco iure imputatur ad culpam ei qui impedimentum præstat receptioni gratiæ, cum Deus sit paratus omnibus dare gratiam: *Qui vult omnes homines saluos fieri*, prima ad Timotheum 2. & Apocalypsis 3. *Ecce sto ad ostium & pulso.* Vnde illa propositio: Nulli imputatur quod ab alio dependet, est falsa, vt Ferrara docet in commentario illius capitis, quando defectus non est ex parte eius à quo illud dependet, quin illud habeatur, sed ex parte recipientis liberè ponentis impedimentum receptioni illius: & ita dicit euenire quando quis gratiam non accipit. Multa alia in Commentario habet Ferraria, quæ à nobis inferius explicantur: Hæc tamen modo sufficiant insinuauisse: simul cum eis quæ primo loco diximus, vt mens S. Thomæ & Scholæ suæ possit stare, & defendi. Vide alia quæ de hac re diximus superius, in discursu huius operis, quæ iterum hic inferenda non sunt.

Iob. 24.

1. Timo. 1.
Apocal. 3.

Quarta Conclusio.

Concluſ. 4. Dico quartò. Ita affirmatur à nobis efficacia diuini auxilij esse ex Deo, & non ex nostra cooperatione, vt non dicamus Deũ prædererminare nos ad extra se solo, aliqua actione prius in nobis posita, seu aliqua actione prædeterminante in nobis prius recepta, in qua merè passiuè se habeat omninò liberum arbitrium.

Hanc assertionem ego constituo hoc loco, cum tamen ipsa probanda & aperienda sit à nobis luculenter disputatione sequenti. Posita tamen est hoc loco à nobis, propter aduersarios, qui multa nobis imponunt, quæ neque somniamus. Sed explicabitur inferiùs etiã conclusione quinta sequenti, & ibi aperietur iterum occasione eorum quæ ibi dicenda sunt à nobis. Petrus à Soto de institutione Sacerdotum lectione 9. de comparatione gratiæ Dei & actuum pœnitentiæ ait: *Neque ita putare debemus quasi prius Deus operetur in nobis, nobis quiescentibus, deinde nos eo quiescente operemur: Sed vt Paulus inquit: Operatur in nobis velle & perficere.* Et inferius inquit: *Igitur ex dictis constat, quòd operatio Dei conuertentis cor nostrum causa sit prima & efficax in omnibus illis actionibus, causa inquam omnium & singulorum per nos & in nobis ea operans: Nam sine me (inquit) nihil potestis facere. Dicitur verò prius natura, quòd ab ea cæteri pendeant, ipsa vero à nullo eorum.* Vnde nos non dicimus, præcedere actionem Dei & motionem determinatiuam receptam in nobis, in qua merè passiuè nos habeamus, quia non sunt duæ actiones separatæ, vna Dei qua determinamur, nobis passiuè tantùm nos habentibus: & deinde ipso quiescente quòd fiat altera operatio à voluntate nostra, quia si hoc ita esset voluntas non se liberè determinaret, sed quòd Deus neque priùs tempore, neque priùs in aliquo instanti, sed in eodem puncto & momento in quo peccator sese mouet ad contritionem & conuersionem, in eodem mouet eum Deus & voluntatem eius ad pœnitendum. Vnde eadem determinatio conuersionis est à Deo & ab homine, sed a Deo priùs ordine naturæ, quia est prior in causando, & mouendo liberum arbitrium hominis dependentis à Deo in hac determinatione. Quæ est sententia D. Thomæ 1. 2. quæstione 103. articulo octauo vbi ait: Quòd motio Dei gratuita in actuali iustificatione hominis est prior ordine naturæ. Atque adeò antecedit, eadem prioritate naturæ actum peccatoris se cõuertẽtis. Vnde prima parte, quæstione 105. articulo quarto simul ad ea quæ diximus adnotauit: Proprium esse Dei mouere voluntatem, potissimè interiùs agendo eam & inclinando, & non ob id libertatem ab ea auferri. Nam certè, cùm voluntas se determinat ad vnam, vel alteram partem, hoc fit sub determinatione Dei, & non minus liberè quàm si non concurreret nec determinaret Deus. Quod adnotauit egregiè Ruardus Tapper articulo 7. de libero arbitrio: & Diuus Augustinus de Correptione & gratia, capite octauo ait. *Quòd voluntas humana non libertate sequitur gratiam,*

Licèt efficacia gratiæ à Deo sit, ipse tamen nos nõ determinat aliqua præuia actione, in qua solũ passiuè se habeat voluntas.

Petrus à Soto optimè loquitur p nostra conclusione.

D. Thom.

Ruardus Tapper.

D. Augu.

sed gratia potius libertatem, & vt perseueret delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem.

Distinctio auxilij in sufficiens & efficax eadem cum præcedenti.

Quòd detur hominibus auxiliũ sufficiens, certa fide stabiliendũ est, tam ex Sacris Literis quã ex sanctis Patribus, & Concilijs, vt cõstat ex illo Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina cõgregat pullos suos subalas, & noluisti.* & Matth. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt, &c.* Et Isaiæ. 5. *Quid amplius debui facere vineæ meæ, & nõ feci?* Et Ioã. 15. *Si non venissem & loquutus fuissem eis, peccatũ non haberent: nunc autẽ excusationem nõ habent de peccato suo: Si opera nõ fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatũ non haberent, nunc autẽ & viderunt, & oderunt & me, & Patrẽ meum, sed vt impleatur sermo, qui in lege eorũ scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.* Ex quibus locis apertè constat Deum dare hominibus sufficiens auxiliũ, quod si non recepissent excusarentur, & nõ potuissent accusari de peccato, si non habuissent à Deo auxilia sufficientia ad operandũ. Hoc idẽ dixerunt D. Augustin. & D. Dionysi. cap. 9. de cælesti hierarchia, & Gregor. Nissenus, circa illa verba, Beati misericordes, lib. de beatitudinibus. & D. Augustinus in Enchiridio, ca. 95. circa locũ illum, de Corozain & Bethsaida, colligit Deũ non iniustè noluisse saluos fieri, cum possent salui esse si vellent. Et quidẽ noluerunt quia restiterunt, impedimẽta apponentes, & ita malè vsi sunt beneficio gratiæ sufficientis sibi dato. Idẽ habetur in Cõcilio Arausi. can. 25. Imò verò colligitur ex Trident. sess. 6. Dicitur ergò auxiliũ sufficiens ad operandũ, quod quantum ad ea quę habet in suo genere est verè sufficiens. Cæterum posset adhuc hoc auxiliũ sufficiens diuidi in auxiliũ sufficiens proximè sufficiens, quo homo est cõstitutus in actu primo adæquato ad operandũ, ita vt immediatè copuletur cũ operatione seu actu secũdo, cuius sit principiũ, & habeat ex parte omnium quæ requiruntur ad vsum & operationẽ actualem, omnem actualitatẽ, & adęquationẽ: & in auxiliũ quod verè est sufficiens in suo genere & ordine, quãuis non habeat adæquatè ad executionem & exercitium omnia illa, quæ si non repugnaret homo, aut impedimentũ & obicem pręstaret, verè haberet, & illi tribuerentur à Deo. Et quamuis nõ sit de ratione auxilij sufficientis, quòd actu per illũ præcisè, operetur homo, & se actu cõuertat, tamen hoc est de ratione auxilij adæquatè sufficientis secũdũ vltimã actualitatẽ, ex efficaci gratia Dei vt actu operetur, & ita vt sit principium ipsius actualis operationis. Omitto modò concursum generalẽ ordinis supernaturalis, quia hic est cõmunis semper ad omnẽ effectũ supernaturalẽ. Et tunc iam hoc auxilium est efficax, & factum efficax à Deo ex sua gratia, tribuendo illi efficacitatem.

Pro efficaci auxilio quædam testimonia ex sacra Pagina.

Et in idẽ coincidit hoc, cũ distinctione facta illarũ vocum, de auxilio sufficiente & efficaci. Quocirca tanquã rem certã statuimus, auxiliũ non solũ efficax dici quia actu agit, sed etiã quia singularẽ vim habet ad agendum, & quia vires, præbet efficacissimas volũtati, vt docet D. August. lib. de gratia & libero arbitrio cap. 17. & sanè diuisio auxilij gratiæ actualis Dei in sufficiens & efficax semper datur de auxilio per modũ principij. Verũ cum hæc gratia perficiat naturã, non quancunq;, sed liberã, quæ nõ solùm est libera æssentialiter, & habitualiter & in vsu, nihil mirũ si modus cõcurrendi & influendi in ipsum arbitriũ liberũ, aliter & aliter à Deo modificetur, quã in modo operandi causarum naturalium, quæ sunt tantũ ad vnum modum agendi necessario determinatæ ab ipsa natura, ac proinde nihil mirum si distinguatur actus primus adæquatus & inadęquatus, & auxiliũ sufficiens vt distinctum ab efficaci, est enim hæc gratia Dei actualis virtute multiplex.

Auxiliũ sufficiens duplex esse potest: aliud quod sit proximè & adæquatè tale, ita vt habeat omnem actualitatem, & adæquationẽ, ad vsum & operationẽ, aliud verò, quod vere sit sufficiens, quãuis non habeat omnia quæ adæquatè requiruntur ad executionẽ & exercitium operis.

Quòd verò negari nõ possit efficax auxiliũ ablq; læsione gratiæ diuinæ, admisit Franciscꝰ Suarez in quadã disputatione manuscripta, quã eulgauit. Quia Christus Dominus dixit. *Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum.* Ioã. 6. & D. Paulus ad Philip. 2. *Deus operatur in nobis & velle & perficere.* Et ad Ephes. 2. *Creati in operibus bonis quæ præparauit Deus.* & Prouer. 21. *Cor Regis in manu Domini, quocũque voluerit vertet illud.* & Luc. 41. *Cõpelle eos intrare.* Et Ezech. 36. *Ego faciã vt faciatis & vt in præceptis meis ambuletis.* Et alibi Scriptura dicit, quod Deus conuertit nos & aperit corda nostra, & D. August. & S. Thomas idipsum confitẽtur, vel per hæc eadẽ verba, vel per æquialẽtia significatiua eiusdem distinctionis.

Cvmigitur hoc ita sit, & ab aduersarijs cõcessum: male cõsonat cũ huiusmodi doctrina de auxilio efficaci, dicere quòd auxiliũ efficax accipit & habet suam efficaciam à determinatione, & cooperatione liberi arbitrij creati, & quòd non habeat eam, quatenus procedit à Deo & à manu eius missum.

Quòd si hoc non esset valdè certum interrogo, Si hoc auxilium efficax habet efficaciam à quo eam accipit? Nam vel eam habet, quia Deus eam sibi tribuit, seu quatenus procedit à Deo, & ab efficaci voluntate & absoluta eius, & hoc modo distinguitur efficax auxiliũ vt sic à solo sufficienti auxilio, & hoc est quod intendimus: Vel hoc est, quia liberum arbitrium determinat auxilium sufficiens, & sua determinatione reddit illud efficax, cùm antea non esset efficax, ita vt quatenus à Deo procedit, auxilia sint æqualia, & hoc non habeat amplius, quàm sufficiens habebat in quantum procedebat ab eo. Et hoc est reducere efficaciam gratiæ actualis Dei ad ipsum liberũ arbitrium, & est solis verbis constituere efficacia auxilia, & eludere efficacitatẽ gratiæ diuinæ, quã Sancti Patres & D. Augustinus cognouerunt, vt venit à Deo: præsertim cũ dicat August. lib. de gratia & libero arbitrio ca. 5. *Quod Paulus de cælo vocatus magna & efficacissima vocatione vocatus est.* De qua gratia lib. de prædestinatione Sanctor.

Math. 23. Matth. 11.

Isaiæ. 5. Ioann. 15.

D. Augus. D. Diony. Grego. Nissenus.

D. Augus.

cap. S. ait. *Quòd hæc gratia à nullo duro corde reſpuitur, & quòd ideò tribuitur vt cordis duritia primitùs auferatur.* Et lib. de correptione & gratia cap. 12. ait. *Electis non ſolũ dari vt perſeuerare poſſint ſi velint: ſed etiam dari vt velint, & certiſſimè perſeuerent.* Et de prædeſtinatione Sanctorũ, ca. 10. dicit. *Prædeſtinationẽ eſſe gratiæ præparationẽ, gratiã verò eſſe ipſam donationẽ*: Sed præparatio gratiæ ſufficientis eſt cõmunis etiam reprobis: at verò præparatio prædeſtinationis non eſt qualiſcunq; , vt docet D. Auguſt. lib. de bono perſeuerantiæ cap. 14. ſed eſt talis præparatio beneficiorũ Dei, quibus certiſsimè liberantur quicũq; liberãtur: ergò habet Deus quædã beneficia gratiæ efficacis, quibus infallibiliter, & certò liberãtur quicunq; liberãtur. Vnde Trid. Seſſ. 6. ca. 11. dicit *Debere omnes iuſtos firmiſsimã ſpẽ in Dei auxilio collocare.* & nõ dicit ſpẽ firmiſſimam eſſe ponendã in illa dependentia à cooperatione liberi arbitrij , ſed in ipſo Dei auxilio. Quare id cautè eſt aduertendũ quòd re vera auctores oppoſitæ ſententiæ tacitè & virtualiter negant auxilium efficax Dei , quia ſolum conſtituunt auxiliũ ſufficiens de ſe & de entitate ſua, & nõ de ſe efficacem quatenus procedit à Deo: & ratio huius eſt, quia omnẽ efficaciam dicunt conuenire auxilio Dei ex determinatione , & cooperatione liberi arbitrij , à qua idem ſufficiens auxiliũ redditur efficax. Itaque omnem efficaciã reducunt ad liberũ arbitrium & ad determinationẽ, eius à qua debet auxilium ſufficiens fieri efficax, quod de ſe efficacitatem nõ habebat: Imò verò habebat indifferentiã vt fieret efficax vel nõ, & hoc dependenter ab induſtria liberi arbitrij: & ſi habet efficaciã & determinationẽ huius indifferentiæ, hæc eſt in ipſo ſufficiẽti auxilio propter determinationem, quã facit liberum arbitrium de ipſo auxilio.

Trid. ſeſ. 6.

Latẽter negant auctores oppoſitæ ſententiæ auxiliũ efficax.

QVAPROPTER nõ rectè, neq; ſincerè poterit verificari ſententia Catholica quæ dicit , & tenet Patrem diuinũ & cæleſtem plerunq; magis trahere vnũ quàm alterum ad pœnitentiã, & ad Chriſtũ, & diſcernere vnũ ab altero. Quia ſi daret Deus æqualia auxilio excitantia & æquales inſpirationes, æqualiaq; auxilia ſufficientia , ita vt quantũ eſt ex parte Dei auxilia eſſent paria & omninò æqualia inter duos, ita vt non magis traheretur vnus quàm alter: tunc optimè infertur quod homo per liberum arbitriũ ſe diſcerneret ab eo qui nõ venit ad Chriſtũ neq; trahitur. Siquidẽ non plus accepit à Deo quã ille alter qui non venit, neq; trahitur: atq; ita nõ verificabitur quòd ipſe Pater cœleſtis eſt qui diſcernit vnũ ab altero, ſed quòd ipſe ſe diſcernit , quia per liberũ arbitriũ & vires ei⁹ elegit cooperari, & determinare auxiliũ excitans & ſufficiens. Quòd ſi hoc eſſet verũ carpendus eſſet D. Auguſtinus ab aduerſarijs , eo quod dixerit: *Quare hunc trahat & illũ non trahat noli iudicare ſi non vis errare : ſemel accipe & intellige , ſi non traheris ora vt traharis.* Quoniã facile eſſet dicere hunc trahi à Deo nõ ex aliqua noua & efficaci gratia, ſed ex illa ſolùm ſufficienti quę facta eſt efficax ex cooperatione noſtra, non tamen ex Deo. Cùm tamẽ hanc tractionem diuinã referat Auguſtinus ad Deũ, & ad voluntatẽ eius, & non ad cooperationem liberi arbitrij, tanquam ad rationem trahendi procedentem à Deo: ergò.

Ex oppoſita ſententia hominẽ per liberum arbitrium ſe diſcernere ab alio æqualiter excitato planè ſequitur.

Quinta Concluſio.

Conclu. 5. Eadẽ actio libera cõuerſionis eſt determinatiua & determinans eandem voluntatem.

DICO quintò: Cum liberũ arbitrium ſe determinat ad contritionẽ, vel conuerſionẽ, actio determinatiua, qua voluntas ſe liberè determinat, ab ipſa elicitur; neq; oportet fingere vnam actionẽ quæ ſit determinatio, & alterã quæ ſit cõuerſio, ſed vnica tantũ actio libera eſt determinatiua & determinans eandẽ voluntatem, & hæc eſt ipſa cõuerſio, aut actus cõtritionis , qui à volũtate elicitur. Rurſus eadẽ actione determinatiua & determinãte, quæ à libero arbitrio elicitur cũ gratia Dei, Deus determinat idẽ arbitriũ. Itaq; nõ ſunt duæ actiones determinantes voluntatem, quarũ vna ſit à Deo & altera à volũtate, ſed vnica tantũ eſt actio à volũtate & à Deo producta , quæ eſt verus effectus ipſius voluntatis, cũ ſit elicita à libero arbitrio & determinans ipſum , & pariter etiam eſt effectus Dei, cũ ſit à Deo. Neq; actio hæc qua voluntas actualiter & formaliter determinatur, & ſe determinat, eſt reſpectu eiuſdẽ volũtatis effectus poſterior natura, quã ſit effectus Dei, ſed ſimul eſt effectus voluntatis humanæ & ipſius Dei. Nã prioritas cauſalitatis non attenditur niſi ex parte cauſarũ influentium, hæc autẽ determinatio volũtatis, quę nihil aliud eſt in eo qui cõuertitur, quã ipſa actualis cõuerſio, & eſt à Deo & à libero arbitrio efficiẽter eliciente & producẽte conuerſionẽ ipſam ſeu determinationẽ conuerſiuã. Cùm autẽ dico, conuerſionẽ hanc eſſe à Deo, dico eſſe à Deo influẽte per ſpeciale auxiliũ gratiæ ſuæ efficacis ab ipſo Deo venientis. Hoc autẽ auxiliũ non poteſt nõ eſſe intrinſecum, nam cũ Deus producat actũ conuerſionis, qui idẽ eſt determinatiuus volũtatis , & in quo præſtatur cõſenſus diuinæ gratiæ actualis, ſeu cõſenſus reſpectu auxilij Dei, importat ſine dubio influxũ in cauſam, hoc eſt in liberum arbitriũ. Quod euidẽtiſsimè oſtẽdi poteſt. Nã cum cõuerſio prædicta ſit actus liberi arbitrij à Deo elicitus, & quo determinatur, & quo arbitrium reducitur de potẽtia ad actũ : vel talis actus ita elicitus, & efficiẽter productus, producitur efficienter à libero arbitrio ex nihilo , & ita eſſet creatus & crearetur, vel talis actus erat in potẽtia volũtatis, & ita ex eadẽ potentia liberi arbitrij extrahitur à Deo & à volũtate, cõcurrente Dei gratia actuali, & auxilio diuino: igitur cũ talis actio determinatiua volũtatis & arbitrij noſtri ſit ſupernaturalis actus ad quẽ nõ ſufficiũt vires noſtrę, Deus vt prima cauſa primò agens, & primò deliberans , cui ſubordinatur liberum arbitrium humanum in agendo & cauſando efficienter producit eundem actum ex aliquo, & non ex nihilo, pariter eliciendo ipſum ex potẽtia arbitrij creati ſimul cum voluntate

Oſtenditur efficaciter concluſio.

noſtra

nostra eliciente, sed implicat Deum producere actum illum voluntatis determinatiuum ipsius efficienter extrahendo eum à voluntate, quę simul actiuè concurrit ad ipsum, sine supernaturali influxu speciali ad eandem voluntatem, & ad liberum arbitriũ, à quo extrahitur: ergò influxus ille gratiæ efficacis est influxus in liberum arbitrium, & non tantùm in actionem aut contritionem.

ITAQVE efficax auxilium diuinæ gratiæ non est diuersa aliqua actio physica Dei distincta & separata, qua Deus ipse se solo producat in nobis actum conuersionis, aut contritionis, seu actum liberum supernaturalem determinatiuum voluntatis, qua iam producta deinceps voluntas se determinet ad supernaturalẽ actum liberum alia actione sua. Et in hoc decipiuntur valde aduersarij nostri, qui putant nos affirmare, Deum producere determinationem voluntatis in nobis, ita physicè per vnam aliquâ actionem distinctam, ab alia actione, qua voluntas postea se determinat, vt sint duæ actiones, & quòd in prima merè passiuè se habeat volũtas, recipiendo determinationem hanc: cùm tamen determinatio voluntatis consistat in exitu voluntatis ad actũ suũ: quod fit per actum liberum ab ipsa liberè egredientem, & in ea manentem. Et sanè in hac doctrina omnes conueniunt, & conuenire debent, quia hoc apertè insinuatur in Tridentino sess. 6. cap. 5. & can. 4. quo in loco damnantur qui dixerint, Liberũ arbitrium hominis nihil omninò agere, sed passiuè tãtũ se habere, aut nihil cooperari assentiendo Deo excitanti & vocanti, neq; posse dissentire si velit.

VNDE non est intelligendum Deũ ita efficienter propriè liberum arbitrium determinare, vt ad id merè passiuè se habeat voluntas, aut quòd more pecudum determinetur; quia sic tolleretur libertas, & necessitaretur. Vnde quo pacto Deus non tantùm moraliter determinet voluntatem creatam, sed etiam efficienter propriè sua prouidentia, & causalitate agendo, & non tantùm per modũ intẽtionis, sed etiam in ipso opere & exercitio, dicemus inferiùs, & aperiemus fusè disputatione sequenti: Nunc verò id aduertere volui: Quod non debemus intelligere Deum se solo producere actum determinatiuum voluntatis, qui re vera est ipsa contritio, vel conuersio, sed intelligitur, quòd tam ipse Deus, quàm liberum arbitrium creatum eleuatum auxilio gratiæ Dei efficiunt actum illum: neque talis actus intelligitur ex parte effectus, prius natura productus à Deo, quã à libero arbitrio: Quia cũ sit vnicus numero effectus, non reperitur iste ordo prioritatis in ipso, cũ prioritas ista non sit effectuũ, sed solũ sit prioritas causalitatis. Nam cùm Deus sit causa prima & prior & independens ab alio, & nullo indigens, liberũ autem arbitrium sit secunda causa subordinata Deo in agendo & causando, indigens viribus & præsidio Dei, & auxilijs eius supernaturalibus ad supernaturales actus, de quibus est sermo (quia caret viribus ad supernaturalem determinationẽ & productionem) idcircò Deus tanquã causa prima independens prius causalitate occurrit, quàm secũda causa subordinata ei, à quo, vt à causa priori, pendet liberũ arbitrium in agendo & causando. Vnde non solùm liberum arbitriũ pendet à Deo, quia dat illi suum esse, & conseruat ipsum, & quia dat illi suã entitatem, & libertatẽ, sed etiam pendet in agendo, in causando, & operãdo, & etiam in libere operando. Ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere, &c.* Et rursus Deus verè est Dominus liberi arbitrij creati, etiam vt liberum arbitriũ est. Hæc autem prioritas causandi quæ Deo cõuenit, & à qua pendent causæ omnes in causando, cui subordinantur, præcipuè cũ vires de nouo accipiunt, vt euenit in libero arbitrio, respectu actuum supernaturalium, ad quos vires gratiæ recipit à Deo: appellatur ab Aristot. prioritas naturę, quã ipse dicit se adinuenisse, & omnes interpretes eiꝰ eodẽ loco id approbant.

QVOD verò non sint duę actiones distinctę, aut duæ determinationes, vna quidẽ à Deo facta prius, & altera à nobis, id quidẽ fatẽtur etiã auctores oppositæ sententiæ, qui cõcedũt, quòd vnica actio est fluens immediatè & perse, nõ solũ à nobis, & à volũtate nostra, sed etiã à Deo: quæ est sententia D. Thomæ. lib. 3. cõtra Gentes, cap. 70. Quo in loco respõdens primæ obiectioni dicit. Eandẽ actionẽ posse esse ab agentibus diuersarũ rationum & per se ordinatis. & hoc idẽ dixit. 1. parte. q. 105. arti. 5. ad. 2. Vnde ipsamet actio volũtatis, sicut per se ipsam, & nõ per aliã actionẽ, manat à volũtate creata, ita & à Deo, & ad vtrumq; dicit immediatã habitudinem, & dependentiam per se ipsam. Ratio verò à priori cur necesse est eandẽ actionem quę est à creatura esse etiã à Deo, illa ipsa eadẽ est quæ de cęteris rebus creatis: nimirũ, quia illud quale cunq; esse, quod illa actio habet, est esse participatũ, ac proinde per se pendens à primo ente. Vnde sacræ Literæ non solũ de effectibus, sed etiã de operationibus & actionibus loquuntur, cũ omnium operationes & actiones attribuunt Deo: & hoc manifestant verba illa Ioan. 1. *Sine ipso factũ est nihil.* Cũ igitur actio creaturæ sit aliquid, sine ipso nõ fit, neq; facta est. Legẽdus est Capreo. in 2. distin. 1. q. 2 ad argumenta Duran di contra. 6. conclusionẽ. Et D. Augus. lib. 4. de Genesi ad literã cap. 12. Et AEgidius. in 2. distin. 1. q. 2. ar. 6. Et quamuis illa actio quæ est à Deo, & à creatura, sit vna & eadẽ actio, & in ratione effectus nõ sit prior seipsa, tamẽ quatenꝰ est à Deo, consideratur Deus, vt prius influens in voluntatẽ, & vt prius causans subordinandõ voluntatẽ sibi, & ita habet prioritatẽ naturę in causando. Quare actio volũtatis, quatenus refertur ad duas causas, videlicet primã & secundam, ad vtranq; dicit respectũ, & potest à nobis intellectu & ratione distingui secundũ illas habitudines: & hoc modo dicitur aliquãdo esse prior natura ex parte principij, & ex parte causæ, quatenus causa prima prius natura causat, & secunda dependenter à causalitate primæ. Qua-

Decipiuntur aduersarij in hoc, quòd putãt nos dicere duas esse actiones in actuali cõuersione vnã qua Deus nos physicè determinat aliam verò qua voluntas postea se determinat: quod quidem falsissimũ est, & à nobis nec somniatum.

Actualis cõuersio non est prius à Deo producta, quàm à libero arbitrio, vnde prioritas quæ reperitur in Deo respectu huius actus, solùm est prioritas causalitatis.

Ad Philippens. 2.

D. Thom. 3 cõt. Gent. & alibi.

Ratio à priori qua demonstratur eandẽ actionẽ, quæ est à creatura etiam esse à Deo.

Capreolus. D. Augus. AEgidius.

re prima causa sic agens & causans, non solùm est prior prioritate nobilitatis, sed prioritate causalitatis, quidquid aduersarij dicant.

Ex quibus omnibus satis apertè colligitur, Nos nunquam dixisse, Deum ita antecedere nos per aliquod prius in quo producat vnam actionē in nos, qua determinemur, & ad quam merè passiuè se habeat nostra voluntas, sed tantùm affirmamus: Quòd eadem actione, qua voluntas se liberè determinat, eadem etiam Deus determinat liberum nostrum arbitrium, Deo prius ordine causalitatis incipiente per auxilium gratiæ suæ actualis. Dicimus etiam quòd volūtas liberè se determinat subdeterminatione Dei, seu sub determinatione diuinæ intentionis, & prouidentiæ, suique decreti. Quòd autem ad totū hoc Deus concurrat, aut influat, non solùm vt causa moralis, sed etiam efficienter propriè per auxilium actuale suæ gratiæ, deinceps explicabitur. Nunc satis sit dicere quòd cum primum voluntas peccatoris conteritur, eadem contritione, qua se determinat, consentit etiam, quia ibi nulla alia actio reperitur, quæ dicatur consensus, aut quæ dicatur determinatio voluntatis efficax, quæ distinguatur ab actu contritionis primùm elicito. Quia per ipsam contritionem reducitur liberum arbitrium de potentia ad actum, & de non contrito ad contritum, & de actu primo ad secundum, & de non vsu ad vsum. Quo fit, vt per illam intelligatur, se determinare, & oppositum esse fingere entitates, & actiones, & processum in infinitum: fit ergò consequens, vt voluntas sua electione se determinet, & quòd eadē Deus determinet voluntatem determinatione libera.

Ad argumenta aduersariorum respondetur.

Ad primū, quòd actualis consensus non est efficacia gratiæ, sed potius est effectus ipsius actualis gratiæ. D. Augus. Ruar. Tapper.

Ad argumenta aduersariorum quæ, pro eis posita fuerunt in principio huius tertiæ sectionis. Ad primum respondetur, negando maiorem: Cōsentire enim actualiter & in effectu seu in exequutione, non dicitur esse ipsa efficacia gratiæ, sed potius effectus gratiæ efficacis: ipsa autem efficacia gratiæ est quæ præstat indeclinabiliter, & inseparabiliter agere, prout loquitur D. Augustinus, & est quæ præstat indeclinabiliter consentire, vt perpendit Ruardus Tapper ex D. August. art. 7. de libero arbitrio contra Luterum. Et quoniam iste indeclinabilis & infallibilis ordo ad consensum non prouenit ex libero arbitrio, idcircò efficacia auxilij diuini non desumitur ex cooperatione nostri liberi arbitrij, sed sumitur ex ipso Deo, & ex decreto diuinæ electionis, suæque diuinæ dispositionis, qui omnia ordinauit & disposuit congruenter vt voluit, ad hoc vt infallibiliter sequeretur cōsensus. Quare quando Tridentinum Conciliū definiuit, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum posse dissentire si vellet, loquitur proculdubio de motione & excitatione quacunque potentiali secundum se considerata, præscindendo ab ordine diuinæ prædestinationis, non autem loquitur de ijs prout subduntur ordini diuinæ prædefinitionis, seu prædestinationis, & præscientiæ; sic enim certum est in omni opinione quòd liberum arbitrium, in sensu composito, non potest dissentire diuinæ motioni efficaci, quando & quomodo prędestinatum est quòd ei consentiat. Cùm verò dicitur in sensu composito non posse dissentire non est referendum ad potestatem voluntatis liberam, sed ad compositionem cum diuino decreto, & intētione efficaci Dei, quia sensus cōpositus, quē hic explicamus, debet esse in propositionibus de in esse, in quibus nō stat Deū suo decreto & diuina prędefinitione aut prædestinatione aliquid decreuisse, efficaciter mouendo voluntatē, & quòd hoc nō fiat, aut quòd voluntas nō consentiat neq; moueatur. Nō enim stant hæ duæ propositiones de in esse, Deus mouet me efficaciter ad consentiendum sua volūtate absoluta, & Ego non consentio, &c. Vnde auxilium efficax est illud gratiæ principium, quod peculiarem vim & efficaciam habet inducendi, & mouendi humanam voluntatem vt consentiat: quare efficax dicitur auxilium, non ex eo solū quòd actu facit, sed quòd singularem vim habet ad agendū, & quia vires præbet efficacissimas voluntati, vt ait Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio capit. 17. Quod aduersarij negare non potuerunt.

Etsi liberū arbitriū absolutè & in sensu diuiso possit dissentire si velit, non autē in sensu composito & prout subest ordini diuinæ prædefinitionis seu prædestinationis, &c.

Adsecundū argum. respondetur.

Ad secundum respondetur: Ex illis omnibus sacrarum Literarum testimonijs solùm cōcludi & haberi necessarium esse nostrum liberū consensum in negotio nostræ conuersionis, & iustificationis, & quòd simpliciter & absolutè constitutum est in nostra libera potestate conuerti aut nō conuerti, taliter quòd possumus liberè consentire Deo vocanti per auxilia & impulsus gratiæ sufficientis, & etiam possumus illis resistere: cum hoc tamen stat in sensu composito quòd non possumus dissentire Deo efficaciter vocanti, secundū decretum æternæ prædestinationis, aut voluntatis suæ absolutæ, de qua dicitur Hester. 13. *Non est qui possit tuæ resistere voluntati.* & Isaiæ. 46. *Consiliū meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* neq; aliud intendunt sancti Patres in argumento citati, sed solū volunt, quòd Deus, secundū voluntatem quandam generalē & antecedentem, quę alio modo dicitur voluntas signi, vult omnes homines saluos fieri, & ad hoc offert omnib⁹, quantū est ex se, auxilia gratiæ, & prædicationē Euangelij, & sacramēta, & singulis in speciali tribuit pro loco & tempore auxilia interna sufficientia, quibus si velint possint saluari, sed infallibiliter nemo saluabitur, nisi fuerit prælectus à Deo in æterna sua prædestinatione: Quod insinuans Christus Dominus dixit Iudeis, Ioā. 8. *Propterea vos nō auditis quia ex Deo non estis.* & cap. 12. *Nō poterant credere quia excæcauit Deus oculos eorum, & indurauit cor eorū, &c.* & 1. Ioan. 2. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis per æternam electionem, & prædestinationem: Nam si fuissent*

Ex locis sacræ Scripturæ solū colligitur necessariū esse nostrum liberū consensum ad ipsam cōuersionem. Hester. 13. Isaiæ. 46.

Ioann. 8. & 12.

1. Ioan. 2.

Concil. Trident.

ex no-

ex nobis permansissent vtique nobiscū. Ex quibus locis & alijs similibus sæpissimè colligit Augustinus infallibile esse, quòd nemo saluabitur finaliter, neque accipiet gratiam ad tempus, nisi secundùm mensuram & dispositionem etiā æterni decreti diuinæ prædestinationis.

Ad tertiū argumentū ex mēte aliquorum respondetur, per solū auxilium sufficiens constitui potentiam proximè & adæquatè potētem ad opus conuersionis.

Ad tertium argumentum, aliqui censent posse concedi, per solum auxilium sufficiens gratiæ excitantis & operantis cōstitui liberum arbitrium in actu primo, & in potentia proxima tam ex parte obiecti, quàm ex parte principij operatiui ad efficiendū opus conuersionis, aliàs sufficiens auxilium nō esset sufficiens ad id: negant tamen consequentiam, quia, vt solutione ad primum dictū est, non consistit ipsa efficacia diuina auxilij, tanquā in principio vero, in eo quòd facit, sed in eo quòd habet singularē vim agendi, & efficaciā mouendi, & inducendi volūtatem vt consentiat, iuxta ea quæ ex sententia D. Augustini retulimus, ac proinde quòd sita sit efficacia gratiæ actualis Dei, in eo quòd habeat aliquid intrinsecè, vel extrinsecè saltem (vt alij dicunt) ratione cuius reducendum sit in actum secundum, ipsum sufficiens auxilium gratiæ Dei: Hoc autem non conuenit auxilio sufficienti diuinæ inspirationis, vel impulsus cuiuscunq; specialis secundùm se considerati, vt præscinditur ab æterna prædestinatione, & decreto, atque præscientia Dei. Quocirca fatemur, per speciale auxilium diuinæ inspirationis, vel illuminationis sufficienter constitui liberum arbitrium in actu primo, ad eliciendum actum supernaturalem, ad quem ordinatur tale auxiliū, sed infallibile est quòd non operabitur in actu secundo, nisi secundùm quòd dispositum est à Deo, æterno decreto suæ prædefinitionis, & prædestinationis: Cū enim potentia in actu primo constituta impediri multipliciter possit, ex varijs causis & circunstantijs, ne prodeat in actum secundum, certum est & infallibile quòd liberum arbitrium quantuncunq; eleuatum, & constitutum in actu primo per auxilium sufficiens, impedietur ab operatione actuali ex aliqua causa incidente, nisi Deus inscrutabili sua sapientia ita dispoſuerit, & temperauerit omnia, vt nullum eueniat impedimentum quominus infallibiliter sequatur operatio. Neque ex hoc sequitur quòd auxilium datum à Deo non esset ex se sufficiens, sed solū sequitur quòd non erat efficax, & quòd Deus non dedit actu operari sed solùm posse operari.

Prædicta solutio nō explicat satis vim & efficaciam auxilij actualis: & ideò aliter respōdetur.

Sed profectò quamuis prædicta solutio placeat quibusdam, tamen quia non explicat vim aut vires efficacis auxilij, non tantùm moralem, sed propriè efficientem, idcircò aliter dicendum est, nimirum, Quòd licèt per auxilium sufficiens gratiæ operantis & excitantis constituatur liberum arbitrium in actu primo, non tamen completo & adæquato omninò, quia licèt sufficiens illud auxilium non postulet, neq; requirat aliud quod sibi præstet sufficientiam ad operandū, quia ipsum confert potentiæ virtutem ad agendum, sed non omninò adæquatam & completam, quod est dicere efficacem, quæ intrinsecè vim habeat ex parte principij reducendi potentiam, & applicandi eam ad operandum seu ad actum secundum & operis exercitium. Vt autem auxilium sit sufficiens satis est si constituat potentiam potentē operari, licèt deficiat aliquid quo operetur infallibiliter, nā licèt nihil deficiat vt possit operari, tamen si deficit aliquid quod habeat infallibilem vim vt operetur in re, non dicitur esse efficax auxilium, quod requiritur vt reddat potentiam completè potentem operari, & omninò adæquatè. Fatemur ergò per sufficiens auxilium liberum arbitrium verè esse in potentia proxima ad efficiendum opus salutis, seu in potentia proxima sufficiente, sed non efficaci. Nam potentia proxima, quæ ab auxilio efficaci præstatur, illa includit vt venit à Deo efficacitatem cum connexione operis aut conuersionis. Euenit nanq; quasdam esse potentias, quæ in se verè & realiter sunt potentiæ, pendent tamen in actuali exercitio ab aliquo adiuuante, vt patet de potentia visiua, quæ pendet à lumine & à multis alijs, ita similiter de sufficienti auxilio præuio, quod est principium operis supernaturalis, pendens tamen ab efficaci auxilio, & à vi illius, vt actu exeat de potētia ad actū, & eo homo actu operetur. Igitur in hominis potestate est habere auxilium efficax, quia hoc dependet ex libera voluntatis dispositione, quia si homo non fuisset rebellis, neq; posuisset obicem aut impedimentū, resistendo auxilio sufficienti, Deus cō tulisset illi efficax auxilium, & idcirco homini imputatur, quòd non habeat efficax auxilium. Cùm autē affirmamus imputari homini ad culpam quòd non habeat efficax auxilium, quia culpa sua caret illo, nō est sensus, quòd peccatū aut culpa consistat in eo quód est nō habere efficax auxiliū, sed in eo potius consistere quòd homo nō agit id quod sibi præcipitur. Vnde tale vel tale erit peccatū secundū naturā præcepti ꝙ violatur ex eo quod homo nō operatur.

Ad hoc vt aliquod auxilium dicatur sufficiens, satis est quòd cōstituat potētiam potentem operari, quamuis deficiat aliquid, quo operetur infallibiliter, & reducatur de actu primo in secundum.

Negādum est semper quòd ex sola voluntate & libertate nostra pendeat, quòd auxiliū efficax tale sit; sed potius hoc habet vt veniat à Deo.

Tandem siue auxiliū sufficiens sit potentia proxima in suo genere tantū, siue absolutè & simpliciter, semper tamē neganda est consequētia: quia cū efficacitas auxilij veniat à Deo, & præstetur fortè ipsi auxilio sufficiēti, vt fortiatur efficacem vim à Deo venientem, negandum est quòd ex sola voluntate & libertate nostra pēdeat quòd reddatur efficax. Vnde actus primus secundùm quem aliquid est in potentia proxima omninò adæquata ad agendum, dicit ordinem immediatum ad actum secundum auxilio autem sufficienti, licèt ei non deficiat aliquid quod præstet sufficientiam, tamen deficit ei, non quidem aliquid in ratione sufficientis, sed aliquid vt fiat efficax & habens vim efficaciter operandi, cū infallibili connexione operis. Plura alia dicemus disputatione sequenti, quæ hic consultò omitto, quia pleraque etiam certamina inuoluunt suo loco reponenda.

Ad confirmationem respondetur, negando illationem, & cōsequutionem, seu sequelam:

efficacia enim auxilij,& ordo diuinæ prædestinationis, & prædefinitionis non tollunt neq; lędunt libertatem, sed tantùm inferunt infallibilitatem effectus,vt fusiùs dicemus inferiùs:& idcircò neque tollunt rationem culpæ,& vituperij,in eo qui resistit, vel non cooperatur auxilio sufficienti,neque rationem laudis,& præmij in eo qui consentit,& piè agit.

DISPVTATIO V.

De modo, quo Deus moueat voluntatem ad consensum, ad conuersionem, & pœnitentiam.

SECTIO I.

Vtrùm auxilium gratiæ efficacis præmoueat & determinet liberum arbitriũ creatum ad consentiendum sibi secundùm solam prioritatem naturæ, vel rationis.

Huius rei difficultas proponitur.

DE HAC re,& difficili,& obscura satis, optabam edoceri, præcipuè à magistro fidei Summo Põtifice,cuius iudicium est certum in rebus Fidei definiendis & decernendis. Sed quoniam eius definitio adhuc non extat, neque ab eo est lata, idcircò cum omni diligentia ac humilitate procedendum erit in hac controuersia. Postulandumque est à Deo diuinum auxilium suæ gratiæ, vt illustrare velit mentem nostram & rationem lumine suo,quo secundùm veritatem ambulemus. Hoc igitur implorato gratiæ Dei auxilio, ne contentionis ingenti periculo obruamur, sed potiùs veritatis aperiendæ cura & diligentia intenti progrediamur, ad rem propositam aperiendam,& explicandam pergere oportet.

Prima opinio negantiũ omnem prædeterminationẽ in actibus liberis siue physicam siue moralem.

PRIMA igitur opinio est, quæ negat prorsus actus nostros liberos prædeterminari efficaciter,& in particulari à Deo, siuè secundùm ordinem intentionis, siuè secundùm ordinem executionis, siue physicè,siue moraliter. Existimant enim auctores huius sententiæ Deum solùm concurrere ad actus nostros liberos antecedenter, per hoc quòd tribuit libero arbitrio facultatem & vires sufficientes ad eligendum hoc vel illud prout sibi placuerit, & concomitanter per hoc quòd suppositа electione seu determinatione liberi arbitrij, Deus intimè assistens illi cooperatur, cõcurrendo simul cum libero arbitrio ad talem electionẽ, seu determinationem aut consensum. Ita videtur sentire Vvaldensis libr. 1. doctrinalis Fidei cap. 2. & deinceps. Vnde cùm retulisset hęresim Vvicleph,negantis liberum arbitrium, & dicentis: Omnia euenire absoluta necessitate, ex eo quòd omnia sunt prędeterminata volũtate absoluta Dei, independenter omninò à concursu causarũ secundarũ, & ab omni præscientia seu præuisione illius, ipse Vvaldensis impugnat hanc sententiam dicens:Quòd determinatio diuinæ voluntatis,& præscientiæ seu prouidentiæ in ordine ad actus nostros liberos præsupponit quodãmodo in æternitate pręuisionẽ cõcursus nostri liberi arbitrij determinantis se ipsum,ad hoc potiùs quàm ad illud: & ad hoc adducit D. Anselmum dicentem, quòd diuina voluntas seu prouidentia,non inducit actibus nostris necessitatem antecedentem. Vnde concludit in hæc verba. *Necessitas ergò præcedens non compatitur arbitrij libertatem, & ideò ipsa non conuenit humanis affectibus.*& statim subiungit: *Periculosè ergò, vt mihi videtur,quidã magni viri necessitatem istam præcedentẽ ponunt in humanis operibus,& quod fluat ex voluntate Dei.* Quibus verbis apertè sensit Vvaldensis, Deũ nullatenus prædeterminare sua voluntate efficaci actus nostros liberos in particulari. Idem videtur sentire Abulensis incidenter tamen, super Iosue. 11. cap. q. 76. dicens. *Quòd illi qui ponunt Deũ disponere de actibus nostris,ante illorum prævisionem seu præscientiam,non possunt saluare ipsorum libertatẽ.* His auctoribus fauent illi Theologi,qui putãt, quòd diuina prouidentia seu prædestinatio, & volũtas absoluta Dei in ordine ad effectus liberos præsupponit præscientiam vsus liberi arbitrij creati. A quorum sententia non longe distat Gregorius Arimi. in primo,distin. 38. q. 2. ar. 2. circa medium: vbi contra Scotum probat Deũ non cognoscere futura contingentia in prædeterminatione suæ voluntatis;quia si daretur talis prædeterminatio exqua certò & infallibiliter sequerentur actus nostri determinatè & in particulari tolleretur illorũ libertas. Quare Arminensis in 2. dist. 34. q. vnica ar. 3. ad 8. dixit, Deũ sequi determinationem nostrę voluntatis, non è conuerso. Et ad eundem modũ videtur loqui Okam. Hæc opinio potest attribui illis omnibus qui sentiunt Diuinã prædestinationẽ & electionem necessariò præsupponere præscientiã boni vsus liberi arbitrij creati: Et illis etiã qui sentiunt efficaciam gratiæ diuinæ non desumi à Deo ex diuina voluntate, sed ex humana cooperatione,prout tenuisse videtur Ambrosius Catherinus in opusculis de prædestinatione,de præscięntia,ac prouidentia. Et Ludoui. Molin. cũ quibusdam suæ familię in sua concordia disp. 37. & 38. & Ioann. Baccon natione Anglus,qui ex malo principio colligit vnã ex propositionibus cõtra verã sententiã. Nã putat q Deus sicut nõ vult peccata & mala opera,sedsolũvult illa permittere,ita etiã respectu bonorũ operũ moraliũ & supernaturaliũ Deus solùm permisiuè se habet, ita vt Deus nõ velit per se

Vvaldensis huius est sententiæ.

Abulensis super Iosue. 11. c.

Gregorius Arimin. credit quòd si daretur prædeterminatio: de medio tolleretur libertas in actibus nostris.

In hanc partem inclinat Okam. Ambrosius Catherinus: P. Molina cũ alijs suæ familiæ & Ioan. Baccon. qui sentit Deum solum permissiuè se habere,tàm circa bona opera etiam supernaturalia, quàm circa mala moraliter.

& posi-

& positiuè vlla opera bona sed tantùm illa permittere, quod fecit ne lęderetur libertas liberi arbitrij, & ita repellit omnem efficaciã gratiæ, & tantùm constituit solam permissionem operum moralium & supernaturaliũ respectu Dei.

Secũda sententia negat dari gratiam efficacẽ, quæ præmoueat voluntates nostras efficienter, seu physicè quãuis absolutè talis efficax gratia concedatur, & assueueretur in tribus consistere scilicet in auxilio sufficienti, in cõgruitate temporis & loci, & in scientia media.

SECVNDA opinio, de efficacia gratiæ actualis Dei præmouentis nos, est quę affirmat: Nullam omnino gratiam efficacem esse, quæ præmoueat voluntates nostras efficienter propriè seu physicè. Quòd si interroges ab auctoribus eius: An detur aliqua efficax gratia Dei respectu operum nostrorum supernaturalium, & liberi arbitrij? Dicunt non esse denegandam gratiæ efficaciam, neque gratiam actualem diuinorum auxiliorum, & vt eam explicent, in tribus constituunt efficaciam diuini auxilij. Primò quidem in ipso auxilio sufficiente, seu in ipsa gratia actuali excitante, & inspirante, quæ dicitur gratia sufficiens. Secundò, in illa congruitate & opportunitate loci & temporis, in ordine ad liberum arbitrium hominis, & ad eius complexionem naturalem, conditionem, & ingenium. Tertiò, in illa scientia media, seu præscientia futurorum conditionatorum, qua Deus, vt auctores oppositæ sententiæ volunt, ante omne decretum suum, seu ante prædefinitionem, & consilium de rebus fiendis ab ipso, seu de rebus euenturis, & futuris, præscit quid facturum est liberum arbitrium hominis, si in tali vel tali ordine rerum creetur, antecedenter (vt dictum est) ad decretum & consilium diuinæ voluntatis, & antequàm quidquam prædefiniat, aut statuat circa futuritionem rerum. Vnde Franciscus Suarez libr. 3 de auxilijs, capit. 14. numer. 9. §. Addendum igitur est: volens explicare in quo consistat omnimoda efficacia vocationis, docet: Quòd totalis efficacia gratiæ actualis Dei, verbi gratia, inspirationis aut vocationis, consistit in hoc quòd Deus præuidet præscientiam mediam, quid vnaquæque voluntas creata libera operatura sit, in omni euentu & occasione, si in ea constituatur, & collocetur: & quando; & cui vocationi vnumquodque liberum arbitrium sit consensurum, si illi detur talis gratia inspirationis & vocationis: & quoniam illo tempore vocatur voluntas, & illo modo quo Deus prænouit voluntatem, & hominem, consensuros esse, idcircò talis vocatio dicitur efficax. Quoniam licèt ex se non habeat infallibilem effectum, tamen vt subest scientiæ mediæ, infallibiliter est illum habitura. Quare hæc efficacia gratiæ tantùm est moralis, & non est propriè efficiens, seu physicè efficiens, vt distinguitur contra moraliter tantùm, ac proinde congruitas quam habet vocatio cum ingenio, natura, complexione, & conditione naturali hominis, cum loco & tempore oportunis, quando præuidetur liberum arbitrium per scientiam mediam esse cõsensurum, & operaturum, illa est tunc efficacia gratiæ actualis Dei & vocationis eius.

P. Suarez lib. 3. de auxilijs explicat primò efficaciã gratiæ in auxilio non secũdum se, sed prout subest scientiæ mediæ.

Explicat secũdò in hoc

DICIT rursus secundò is Auctor eodem libr. 3. de auxilijs, capit. 14. §. Sed in quo consistit hæc congruitas, quòd hæc congruitas à qua gratia præcisè sufficiens redditur efficax, consistit in illa proportione, quæ est inter ipsam gratiam sufficientem inspirantem, vel illuminantem, effectam in homine talis complexionis & naturæ, & talis conditionis naturalis. Deus enim hæc omnia exactissimè comprehendens, nimirum complexionem naturalem, & conditionem cuiuslibet hominis, nouit etiã quis modus vocationis sit accommodatus huic homini, vel illi, & suæ cõplexioni & conditioni naturali, vt si illi accõmodetur, cõsentiat, & conuertatur, atque emolliatur. Et vt hoc explicet hic auctor adducit exẽplũ de Dęmone: Nam Dęmon sua scientia finita & potentia potest sic tentare hominem si permittatur à Deo, vt morali quadam certitudine illum ad consentiendum inducat: quia comprehendit vniuscuiusque hominis complexionem, conditionem, & naturam, & potest obseruare tempus, occasionem, & modum, quo nouit esse oportuniora ad persuadendum, & inclinandum hominem: idque multò excellentiori modo potest Deus præstare per hãc supradictam congruam vocationem.

auxilio efficaciam quæ desumitur ex cõgruitate loci, ingenij, temporis, &c.

Affirmat tertiò hic auctor quòd quamuis Deus sæpè vtatur hoc singulari modo vocationis, hoc non requiri ad ipsius efficaciam.

DICIT tertiò idem auctor locõ citato numer. 8. quòd licèt verum sit vocationem efficacem fieri sæpè hoc singulari modo, quo Deus aliquid speciale in homine operatur, naturæ, conditioni, & complexioni eius accommodatum, sicut quando vocauit Paulum efficacissima vocatione, ita illum terendo & illuminando, & taliter illi obiectum proponendo, vt corrigeretur ad fidem, tamen inquit iste auctor: Quòd hoc non requiritur, vt necessarium, ad efficaciam vocationis, id est, vt consequatur effectum: quia aliàs qui non ita vocaretur, non haberet vocationem sufficientem.

DENIQVE hic auctor comparat efficaciam auxilij excitantis, vocantis, & præuenientis efficaciæ morali, quam habet Diabolus ad inducendum, & mouendum hominem ad consensum in peccatum: insinuans simili efficacia Deũ mouere homines ad actus supernaturales, quã Diabolus habeat, vt moueat ad peccandũ: quod videtur insinuare apertè lib. 3. de auxilijs cap. 10. §. Quod verò. & cap. 14. §. Sed in quo consistit hæc congruitas. Sed quod magis perpendẽdum esse videtur, est hunc auctorem ex parte gratiæ non tribuere maiorem infallibilitatem Deo quàm Diabolo, qui aliàs præmouet moraliter ad malum.

Ex qua doctrina colligunt nonnulli auctores prædeterminationem moralem voluntatis, simpliciter loquendo, posse fieri per excitantẽ gratiam: tamen necessariam non esse ad liberũ consensum, seu supernaturalem actum humanũ efficiendum. Imò vero nullam omninò prædeterminationẽ, neq; verè efficientẽ neq; moralẽ gratię Dei esse necessariam ad consensum neq; ad operationẽ humanã liberã supernaturalem:

Quamuis possibilis sit prædeterminatio moralis de qua loquitur hæc opinio, asserunt tamen isti auctores non esse necessariã ad liberum cõsensum: quare absolutè repellunt omnẽ prædeterminationem siue physicã siue moralem.

aliàs si necessaria esset, nulla excitans gratia, quæ nõ efficeret in homine hanc moralem determinationem, esset in suo ordine auxilium sufficiens ad conuersionem, vel actum supernaturalem efficiendum. Quod patet: quia illa gratia excitans dicitur sufficiens, quæ in suo ordine satis est ad effectum, ad quem sufficere dicitur: ergò si necessaria est maior excitatio, illa quæ minor fuerit, non poterit verè apellari auxilium sufficiens in ratione gratiæ excitantis. Constat autem cęteris paribus seu respectu eiusdem, maiorem, & vehementiorem excitationem requiri ad determinandam moraliter voluntatem, quàm ad mouendam, & inclinandam illam absque tali determinatione: ergò, si excitatio moraliter determinans necessaria est, omnis alia minor, quæ non fuerit sufficiens ad prædeterminandam moraliter voluntatem, non erit etiam sufficiens ad conuersionem eius. Consequens autem est apertè falsum, aliàs vel nullus hominum, vel certè pauciſsimi ex illis, qui sufficienter excitantur, vt credant, vel pœniteant, repugnarent vocationi: vel è conuerso moraliter loquendo, iuxta id quod frequentius accidit, omnes qui de facto non credunt, vel non consentiunt, cùm vocantur, non sufficienter vocantur: quod nullus concedere audebit: Quoniam aliàs pauciſsimi, vel ferè nullus peccarent, non credendo, aut non pœnitendo. Et istæ ambæ illationes in hoc fundantur, quòd voluntas moraliter prædeterminata ad consensum vix, rarò, aut nunquam dissentit, quamuis possit. Hoc cõstat ex ipsa voce, & diffinitione moralis prædeterminationis. Non enim dicitur prædeterminatio ad vnum, quia tollat potentiam ad oppositum, sed quia ita mouet, & inclinat, vt regulariter, ac ferè semper, voluntatis consensus illam sequatur: ergò posita hac prædeterminatione, etiam respectu actuum supernaturalium regulariter aut ferè semper fiunt: igitur si illa est simpliciter necessaria ad actum supernaturalem, cum illam homines non habeant regularitur, neque possint habere, regulariter etiã non habebunt auxiliũ sufficiens.

Quòd quamuis voluntas non sit prædeterminata physicè, aut moraliter, possit tamen si ipsi proponatur sufficienter obiectũ, operari & ferri in ipsum: intendit & explicat Suarez.

Et quidem ipse Suarez in hoc capit. 10. citato totus est intentus, & conuersus ad explodendam necessitatem præmotionis moralis: quoniam homo frequentiùs operatur cum morali indifferentia: Nam proposito obiecto sub ratione sufficiente, vt in eum feratur voluntas, est in homine proxima potentia, vt per voluntatem in id feratur: quæ potentia non est aliunde impedita vt supponitur: ergò quãuis non sit ampliùs determinata, nec physicè, nec moraliter, potest & physicè & moraliter operari, vel non operari, & eligere hoc medium vel illud, sicut voluntas diuina elegit hũc hominem ad gloriam potiùs quam illum, vel creationẽ huius Mundi, potius quam alterius, non ex prædeterminatione aliqua physica vel morali, sed ex sua libertate. Sic ergò colligit etiam posse voluntatem nostram operari per participatam libertatem suam quantùm est ex se: Neque prædeterminationem illam moralem per se loquendo esse illi necessariam neque physicè neque moraliter. Quòd verò idem sit dicendum, per se loquendo in actibus supernaturalibus, eadem ratione ostenditur: Quia sine tali determinatione possunt concurrere omnes causæ necessariæ ad talem actum, tam ex parte obiecti & intellectus, quàm ex parte Dei sufficienter excitantis, & offerentis suum adiutorium, nullo interueniente impedimento, quod voluntati obstet, ne libertate sua moraliter vti possit, & se coniungere cæteris causis ad supernaturalem actum eliciendum: ergò per se loquendo, non est cur moralis hęc determinatio sit necessaria, etiam moraliter & regulariter loquendo. Dicit ille, per se loquendo, propter induratos aut alios plurimum indispositos, in quibus moraliter non sufficiet prædicta excitatio, quæ aliàs ex se moraliter sufficiebat ad eliciendum actum: sed id non prouenit ex insufficientia morali talis gratiæ, & auxilij, sed ex speciali indispositione subiecti: Quæ difficultas, & indispositio non reperitur in omnibus hominibus, neque frequenter, neque regulariter.

Idem sensit de actibus supernaturalibus propter eãdem rationem prædictus auctor.

En quo pacto prædictus auctor vult, necessariam non esse prædeterminationem moralem voluntatis, quæ fieri potest per excitantem gratiam ad liberum consensum, & supernaturalem actum, quamuis talis prædeterminatio moralis voluntatis fieri posse concedat, absolutè loquendo, per excitantem gratiam, & multò minùs esse necessariam prædeterminationem quam illi vocant physicam. Sed aduertit hæc opinio, determinationem moralem habere conditionem diminuentem, quia illa re vera absolutè non est determinatio, sed potest esse vehemens quædam propensio, quæ vel frequentius, vel fortè semper perducitur ad effectum, sicut etiam dici solet, moraliter impossibile quod est valde difficile, licèt absolutè & simpliciter impossibile non sit. Itaq; volunt auctores huius sententiæ nullam prædeterminationem, aut propriè efficientem, aut moralem esse necessariam, neque ad liberum consensum, neque ad supernaturalem actum: quamuis non repugnet dari excitationem ita efficacem, vt moraliter prædeterminet voluntatem.

Quòd determinatio moralis conditionem diminutam determinationis habeat.

Posset tamen ingeniosus Theologus interrogare, vtrùm possit esse exacta certitudo ex sola efficacia morali excitationis & vocationis congruæ, in loco & tempore, per respectum ad conditionem, complexionem, & ingenium hominis, determinationis & consensus liberi ipsius voluntatis, ita vt sit infallibilis connexio cum vocatione & inspiratione illa diuina ex sola efficacia morali superius dicta?

Rationepræ determinationis moralis, posse esse

Hvic interrogationi respondet Franciscus Suarez libr. 3. de auxilijs, capit. 10. nume. 7 Quòd in determinatione purè morali, quę fit à Deo per congruitatem supra tactam, potest

perue-

ipsius cõuersionis certitudinẽ moraliter infallibilem, nõ verò methaphysicè, tenet Suarez.

perueniri ad infallibilitatem moralem, quæ nũquam defficiet, non tamen ad methaphysicam infallibilitatem: id est ita exactam vt repugnet deficere. Ratio prioris assignatur ab hoc auctore: quia Deus comprehendit capacitatem & inclinationem voluntatis humanæ, & omnes modos, quibus potest ad consensum inclinari, vel ab eo impediri, & ex consequenti Deus potest ita circunuenire, & præparare volũtatem, vt faciat eam infallibiliter consentire infallibilitate morali: quia morale est quòd voluntas sinat seipsam ducere à congruitate temporis & loci, & à congruitate proportionata, cum conditione eius, ablatis impedimentis, & debito proposito obiecto. Nam hoc modo multa libere facit homo, vel omittit, quæ infallibilitate quadam operatur. Et subiungit prædictus auctor, Quòd Dæmon sua tentatione potest hominem ita opprimere vt infallibiliter sequatur consensus, nisi gratia Dei subueniat: imo verò vnus homo, si optimè cognoscat alterius ingenium, & conditionem, & sit efficax in persuadendo, potest efficacissimè eum pertrahere ad id quod vult, & eodem pacto idẽ affirmat Deo potissimè conuenire.

Explicat hanc certitudinem infallibilem moraliter Dæmonis exemplo, hominisque probè alterius ingenium & cõplexionem cognoscẽtis, & ad aliquod opus inducentis.

Ratio alterius partis de absoluta omnino infallibilitate.

Ratio verò posterioris partis, nimirum quod cum sola morali determinatione nũquam peruenitur ad absolutam omnino infallibilitatem, cui non possit subesse falsum, est quia cũ tota determinatione morali semper manet voluntas ita indifferens, vt in ea sit potestas non consentiendi, etiam in sensu composito, seu præsupposita gratia antecedente: ergo absolutè loquendo & simpliciter non repugnat, neque est impossibile non sequi talem effectum posita tali gratia: ergo neque erit simpliciter infallibile, ita vt non possit deficere.

Tertia opinio eorũ qui sciẽtiam mediã destruũt & efficax auxilium astruunt.

Tertia opinio est quæ negat scientiam mediam, & ponit auxilium efficax gratiæ Dei ominò requiri ad consensum & conuersionẽ hominis: quæ duo sunt contra opinionem præcedentem, & cõtra Franciscum Suarez, ab illo, & à Molina, & suis satis diuersa & aliena. Sed nihilominus hæc opinio quæ ab alijs eiusdem familiæ processit & defenditur, duo alia dicit & fatetur quæ fauent prædictis auctoribus citatis. Primum est: Quòd auxilium gratiæ efficacis nihil aliud est in re, quàm ipsa gratia excitans & adiuuans, secundum quòd ex decreto diuinæ prædestinationis, aut electionis datur antecedenter ad nostram liberam operationem, prout Deus nouit congruere, attentis omnibus circũstantijs ad hoc quòd infallibiliter operemur iuxta illud. Secundum est: Auxilium efficax non esse impulsum aliquem diuinum, & influxum, quo Deus moueat nostrum liberum arbitrium, & determinet antecedenter ad liberum eius consensum, taliter quòd ex propria entitate, & intrinseca vi actionis aut impulsus diuini, sequatur necessariò, aut infallibiliter consensus noster liber.

Gratiam efficacem & excitantem confundũt, & in ipsa ratione suæ entitatis nullam cõnexionem cum libero nostro consensu ponunt.

Avctores huius opinionis supponunt, Deum, ante omnem præscientiam, aut præuisionem boni vsus liberi arbitrij, prædestinasse homines ad certum & determinatum gradum gratiæ, & gloriæ, per certa & determinata media nostrorum actuum liberè consequendum, ac proinde ordine intentionis, prius voluisse voluntate absoluta & efficaci, quòd prædestinatus faceret liberè hunc, vel illum actum in particulari, quàm videret ipsum facientem, vt ex doctrina D. Pauli & D. Augustini latè probari solet, 1. part. quæst. 23. de diuina prædestinatione. Rursus hi auctores supponunt secũdò: Ex vi huius intentionis diuinæ, quæ voluntatem absolutam & efficacem includit, consequi infallibiliter, quòd prædicti actus ponantur in exequutione suo tempore, eo modo & ordine quo Deus decreuit fieri: Nam cũ sit omnipotens & immutabilis, nullatenus impediri potest exequutio eius quod absolutè voluit, vt patet ex illo Isai. 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et Hester. 13. *Non est qui possit tuæ resistere voluntati.*

Supponunt isti auctores duo quæ vera sunt.

Isai. 46. Hester. 13.

Dicvnt ergo opinantes huius sententiæ citatæ auctores: Quòd modus, quo mandatur exequutioni diuina voluntas, seu decretum prædictum, ita vt infallibiliter eueniat actus liber, quem Deus ab æterno decreuit fieri à nobis, non est per motionem aliquam physicam & efficacem præuiam nostro actui, sed per hoc solũ quòd Deus ipse præmouet hominem gratia sua excitante, & adiuuante, ex intentione illa & decreto efficaci, obseruata congruitate temporis, loci, personæ, & aliarum omnium circunstãtiarum, quas ipse solus nouit congruere, & aptas esse, ad hoc quòd motio illa certò & infallibiliter sortiatur suum effectum liberi nostri consensus. Vnde auxilium gratiæ excitantis & adiuuantis, quo Deus præuenit hominem, tam ex parte obiecti, quàm ex parte principij actui, dupliciter potest considerari, iuxta hos auctores. Primo secundùm se, & quoad suam entitatem intrinsecam, præscindendo à quolibet extrinseco: Secundò quatenus subordinatur decreto diuinæ prædestinationis, & ex vi illius coaptatur & contemperatur dispositioni & ingenio subiecti, & omnibus alijs circũstantijs extrinsecis, prout oportet ad hoc vt infallibiliter eueniat talis operatio libera. Si primo modo cõsideretur non habet rationem auxilij efficacis, sed sufficientis tantùm, quod ex praua voluntate accipientis frustrari potest, & reddi inefficax. Si autem consideretur secundo modo, habet rationem auxilij efficacis, quod nequaquã frustari potest, sed infallibiliter sortitur effectum liberi nostri consensus, ad quem ordinabatur.

Efficaciam gratiæ nõ in aliqua physica præmotione, sed in sola gratia excitante data ex intentione efficaci Dei vt sortiatur effectum, obseruata cõgruitate loci, personæ, & c. sitam esse auctores isti arbitrantur.

Primvm pronuntiatum seu primum dictũ huius sententiæ, volunt auctores huius opinionis desumere ex doctrina D. Augustini, præsertim lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. vbi cũ interrogasset *Cur vocatio diuina per gratiam excitantem & adiuuantem habeat effectum in quibusdã qui Deo vocanti consentiunt, in alijs verò non habeat, & cur quibusdam ita suadeat, vt persuadeat ad*

D. Augus. referre videtur efficacitatem gratiæ ad congruitatẽ tẽporis, loci & personæ & c.

se conuerti, alijs verò ita suadeat vt non persuadeat? respondet Augustinus. *causam esse quia illi vocãtur modo ipsis congruente & apto, vt de facto conuertantur: isti verò vocantur modo minimè congruo & apto illis.* Vnde ait, *electos esse illos, qui congruẽter vocantur, eos verò qui non congruebant, neque contẽperabantur vocationi, non fuisse electos:* & subdit: *Cuius miseretur sic cum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.* Idem docet lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 16. cum inquit: *Certum est nos mandata seruare si volumus, sed quia præparatur voluntas à Domino ab illo petendum est.* Et statim. *Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit vt vellimus bonum, de quo dictum est: Præparatur voluntas à Domino, & à Domino gressus hominis diriguntur.* Ex quibus locis apertè constat quòd secundũ Augustinũ Deus efficit in nobis quòd liberè operemur, non aliter quàm per modum dirigentis & præparantis ocasiones, ac remouentis impedimenta, interius & exterius, & ideò semper reduci totã efficaciam gratiæ, ad propositum, & electionem Dei æternam, ex qua prouenit, vt ipsemet Augustinus dicit lib. de correctione & gratia, cap. 12. quòd indeclinabiliter, & inseparabiliter agantur motus liberi arbitrij nostri prout oportet ad salutem.

Huius opinionis quo ad primam partem statuũtur quædam fundamenta.

Primum.

Qvòd prædicta sententia vera sit his fundamentis ostendunt: Quia ad efficaciam gratiæ pertinet, quòd ex illa proueniat certò & infallibiliter opus liberũ ad quod ordinatur, sed hæc certitudo & infallibilitas nõ potest oriri ex aliqua motione physica præuia secundùm se considerata, aliàs repelleretur & læderetur libertas arbitrij nostri: ergò necessariò debet prouenire ex gratia excitante, & adiuuante, quatenus subordinatur decreto voluntatis absolutæ Dei, & ex vi illius coaptatur, & contemperatur omnibus causis, & circunstantijs, prout oportet, ad hoc quòd infallibiliter sequatur operatio. Alterum fundamentum huius sententiæ est, nõ posse negari salua fide Deum præstare nobis posse velle, & operari quæ ad salutem spectant, sed etiã facere quòd ea liberè vellimus & faciamus, vt ex Sacris Literis, & Sanctorum Patrum, atq; Conciliorum decretis diximus suprà disputatione. 4. Sed non potest intelligi salua libertate nostra, quòd Deus faciat nos operari certò & infallibiliter, nisi per hoc quòd præparet nobis occasiones, exteriores & interiores ad bene operandum, remouendo omnia impedimenta prout nouit congruere: ergo. Tandem sæpè contingit hominem aliquem multis, & vrgentissimis inspirationibus excitatum & adiutum à Deo ad suam conuersionem non conuerti de facto, alium verò cum multò paucioribus & remissioribus inspirationibus conuerti de facto: ergò signum est apertum, quòd efficacia gratiæ non consistit in ipsa gratia excitante & adiuuãte, aut in eius intensione & vehementia si secundùm se consideretur, quoad propriam entitatẽ intrinsecam, sed in coaptatione & contemperatione illius, ad reliquas causas & circunstantias

Secundum.

Tertium.

secundùm quòd ex æterno Dei decreto præparantur, & ex illa intentione Dei.

Qvòd verò dicit hæc opinio in secundo dicto seu pronuntiato, nimirum auxilium efficax Dei, nõ esse impulsum aliquem diuinum, & influxum quo Deus præmoueat arbitrium nostrum & determinet, antecedenter ad consensum eius liberum, taliter vt ex entitate propria & intrinseca vi actionis aut impulsus diuini sequatur necessariò, aut infallibiliter consensus noster liber, id probant: Quoniam licèt aliqui Theologi sentiant actus nostros liberos & supernaturales secundùm æternam prædestinationem, & electionem Dei esse aliquo modo prædeterminatos efficaciter: negant tamen secundùm exequutionem prædeterminari efficaciter certa aliqua, & determinata actione physica Dei, quæ sit prior tempore vel natura ipsis actibus liberis.

Argumenta contra sententiam Diui Thomæ.

Qvarè pro hac parte arguitur primò: Quia liberum arbitrium per auxilium sufficiens gratiæ excitantis, & adiuuantis potest elicere actum liberum supernaturalem, ad quem tale auxilium datur: ergò frustra omninò ponitur alia præmotio physica. Patet antecedens quia proprium est auxilij sufficientis, ita perficere liberum arbitrium, vt per illud sufficienter constituatur in actu primo, ad operandum supernaturaliter, atque adeò vt verè & propriè possit elicere actum liberum supernaturalem: aliàs sine causa & immeritò diceretur sufficiẽs, siquidem non præstaret facultatem sufficientẽ ad operandum. Confirmatur, quia si absque illa physica præmotione efficaci, non posset homo conuerti ad Deum, sequeretur, quòd illis quibus non datur talis præmotio, non haberẽt auxilium sufficiens ad salutem: neque possent re vera elicere actum fidei, vel contritionis, ac proinde non erit illis imputandum ad culpam, quòd non crediderint, neque pœnituerint: Et cùm certum sit, talem præmotionem illis solis dari, qui de facto cõuertuntur, manifestè sequitur, neminem prorsus esse culpandum vel puniendum in inferno, eo quòd non crediderit, neque conuersus fuerit ad Deum per veram pœnitentiam: sed hæc omnia sunt absurda valdè: ergò, &c. Sequela patet, quia nemo est culpandus vel puniendus pro eo quod neque potuit facere neque vitare.

Qvòd si dicas, huiusmodi præmotionem non esse necessariam ad hoc quod homo possit operari, sed solùm ad hoc, vt operetur de facto, sine illa enim potest quis absolutè & simpliciter atque adeò in sensu diuiso operari per auxilium tantum sufficiens: infallibile tamen est q̃ nemo operabitur, sine tali prẽmotione efficiente, & efficaci, sed neque operari poterit in sensu composito, sicut potentia visiua constituta in actu primo, per speciem caloris potest absque aliquo absolutè & simpliciter videre, & tamen

1. *Argu. Quòd auxilium sufficiens satis sit ad elicië dã operationẽ, & ideo frustra constituatur aliud.*

Confirmatur à cõtrario quòd si non sufficiat auxilium sufficiens ineptè ita dicatur, & quòd non sit puniendus is qui solùm isto auxilio fuit præuẽtus.

Occurritur argumento & confirmationi.

men infallibile est quod nunquam videbit neq; videre poterit in sensu composito, nisi accedat concursus generalis Dei actualiter influens in ipsum actum videndi.

Occursum euertere nituntur.

Sed hæc solutio & responsio non satisfacit: Quoniam potentia sufficienter constituta in actu primo, dicit ordinem immediatum ad actum secundum, qui est actualis operatio: ergò non indiget aliqua alia forma, vel motione intrinseca præuia, aut tempore, vel instanti, vel natura, ad operandum actualiter de facto: sed tantùm indiget concursu Dei, per modum concomitantis actionem talis potentiæ. Vnde dicere quòd potentia visiua perfectè constituta in actu primo nunquam operabitur, neque operari poterit sine sua actuali operatione nihil est: si autem ante ipsam operationem actualē adhuc indigeret alia forma vel motione sibi intrinseca, præuia ad actualem operationem tempore, vel natura, procul dubio non esset perfectè constituta in actu primo ad operandum. Et pari ratione si liberum arbitrium motum & præuentum à Deo per auxilium sufficiens, adhuc indigeret alia forma, vel motione sibi intrinseca, ad efficiendum opus supernaturale, re vera nō esset sufficienter constitutum in actu primo, in ordine ad talem operationem, quod est manifesta implicatio: Nam inde sequitur euidenter illud auxilium esse sufficiens, & non esse sufficiens.

2. Argum. Quòd nihil effici possit per auxiliū efficax scilicet nec ipsa libera conuersio ante cedenter ad nostrũ actũ, nec aliquid, ad quod necessariò & infallibiliter sequatur conuersio: & ideò quòd præter rationē constituatur.

Rursvs secundò potest probari, Quòd voluntas creata nō præmoueatur à Deo efficaciter efficienter propriè per auxilium quod efficax dicitur: quia per illam physicam præmotionem, seu per illam actionem Dei, vel efficitur immediatè ipse actus liber conuersionis aut cōtritionis, pro aliquo priori naturæ, antequam nostrum arbitrium efficiat eundem actum: vel saltem efficitur aliquid ad quod mediatè sequatur conuersio, aut consensus, aut ipse actus contritionis necessariò & infallibiliter ex natura rei. Nō potest dici primum: quia inde sequeretur ante actionem liberi arbitrij esse iam productum à Deo actum contritionis, & per consequens aut liberum arbitrium nihil efficeret, aut efficeret id, quod iam factum erat per actionem præuiam Dei, quod implicat. Neque etiā potest dici secundum: quia inter potentiam sufficienter constitutam in actu primo, & actum secundum, qui est actualis operatio, nihil medium potest intelligi: ergò post actionem illā, qua Deus tribuit libero arbitrio auxilium sufficiens gratiæ excitantis, & adiuuantis, constituēdo ipsum perfectè in actu primo, nulla est alia actio physica Dei circa liberum arbitrium tempore, vel natura præcedens actualem eius operationem. Patet consequentia, quia implicat dari actionem physicam transeuntem sine termino aliquo producto per ipsam. Cū ergò pro illo priori quo liberum arbitrium perfectè constitutum in actu primo per auxilium sufficiēs, nondum intelligitur liberè operari ex tali auxilio, nullus possit assignari terminus de nouo productus in libero arbitrio, per actionem physicam Dei, manifestè consequitur nullam esse talem actionem constituendam præuiè.

Occurritur huic. 2. argumento.

Posset aliquis dicere: Quòd illa Dei actio, quatenus est prior natura quàm actio nostra, terminatur quidem ad actum contritionis nostrū, non vt in facto esse, sed vt est actio liberi arbitrij nostri quasi in fieri: per illam enim actionē diuinam facit Deus, vt nos faciamus actum cōtritionis, itaque ille actus, vt est actio nostra, habet rationem termini actionis diuinæ, & idcircò rectè dicitur, quòd actio illa physica Dei est prior actione nostra libera, ea prioritate, qua omnis actio est prior suo termino.

Destruitur occursus.

Sed contra hoc est: Quòd actio, formalissimè loquendo, nihil aliud est quàm terminus vt in fieri procedens ab agente, siue vt ab agente fluens: ergo implicat intelligere quòd pro aliquo priori vel signo rationis sit actio, qua Deus physicè producit actionem nostram, quin pro eodem signo rationis intelligatur etiam actio nostra, saltem vt in fieri, prout intelligitur ipsa actio Dei. Dices: Quòd quamuis non possit intelligi actio diuina, qua Deus producit actionē nostram, quin simul intelligatur actio nostra, vt procedens & profluens à Deo, benè tamen potest intelligi actio nostra vt profluēs à Deo, absque eo quòd intelligatur vt profluens à nobis. Sed contra: quia de intrinseca ratione actionis nostræ vt sic, est quòd profluat à nobis: ergò implicat intelligere actionem nostram profluere, vel agi à Deo, quin pariter intelligatur eandem actionem profluere & agi à nobis, ac proinde merè fictitia est illa præuia actio Dei, & consequenter dicendum: Quòd præter actionem, qua Deus tribuit nobis vires & auxilium sufficiens ad operandum, nihil agit in nobis præuium ad nostram liberam operationem, sed solùm efficit nostram liberam operationem concomitanter cum nostro libero arbitrio.

Iterum occurritur difficultati.

Contra occursum vis argumenti augetur.

Rursvs tertiò pro eadem opinione arguitur: Quoniam de ratione agētis liberi est, quòd positis omnibus requisitis ad agendum possit agere & non agere: sed posita motione physica & efficaci Dei pro aliquo priori naturæ, prout ponitur in schola D. Thomæ, nō potest homo non agere secundū illam: ergo implicat contradictionē quòd talis actio vel motio Dei sit necessariò prærequisita ad nostras actiones liberas supernaturales. Maior supponitur ab omnibus, quia libertas intrinsecè importat indifferentiam quandam, quæ in eo consistit, vt quando quis non intelligitur actualiter operari, possit pro sua electione agere, & non agere, aut agere hoc & oppositum. Minor autem probatur, quoniam illa præmotio physica & efficax Dei infert ex natura rei actionem liberam nostram, ad quā ordinatur, ac proindè per talē præmotionem determinatur volūtas nostra in trinsecè ad agēdum determinatè illud ad quod mouetur à Deo, taliter quòd ex suppositione illius motionis non possit non agere, neque etiā possit agere oppositum eius ad quod mouetur:

3. Argum. Quòd posito auxilio efficaci non maneat libertas in potentia, cum ex eius positione absit indifferentia.

nul-

Adducitur communis solutio, de modo suaui & efficaci, quem Deus seruat in suis operibus.

nullus igitur relinquitur locus libertati & indifferentiæ ex vi illius præmotionis.

DICES: Quòd Deus, cùm sit prima & vniuersalissima causa omnium effectuum, tam naturalium quàm liberorum, mouet omnes causas inferiores secundùm proprium modum vniuscuiusque, & ideò quamuis præmoueat efficaciter omnes causas secundas ad suas actiones, & effectus, non tamen præmouet omnes eodem modo, sed causas naturales & necessarias ita præmouet, vt faciat illas operari naturaliter, & modo necessario; causas verò liberas ita præmouet, vt faciat illas operari & agere libero modo: Quia ad infinitam efficaciam primæ causæ, & multiplicem virtutem eius pertinet, quòd non solùm producat effectus causarum secundarum quoad substantiam sed, etiam quoad modum proprium vniuscuiusque causæ, vt egregiè docet S. Thom. 1. part. quæst. 19. art. 8. & aliàs plerisque in locis.

Replica cõtra solutionem, quòd non stat voluntatẽ efficaciter præmoueri & prædeterminari ad vnum, & quòd ipsa liberè operetur.

SED contra hoc est, quia videtur manifesta implicatio contradictionis, quòd voluntas creata efficaciter præmoueatur determinatè ad vnũ ab agente infinitæ virtutis & efficaciæ, cui ipsa non potest resistere, & quòd nihilominus maneat indifferens & indeterminata, prout requiritur ad hoc quòd liberè operetur. Quapropter quando S. Thomas loco citato dicit, ad infinitam virtutem primæ causæ, & efficaciam eius pertinere, quòd faciat causas secundas operari, iuxta proprium modum, necessarias necessariò, & liberas liberè, idcircò dixit: Quia causis necessarijs indidit virtutem & inclinationem, ad quam necessariò ex natura rei sequitur operatio: causas verò secundas, vt ipsemet Sanctissimus Præceptor docuit. 1. 2. q. 9. artic. 6. ad 3. & quæst. 10. art. 4. non mouet Deus determinando earum voluntatem ad vnum, nisi in his, ad quæ naturaliter mouentur, nempe respectu boni in communi, aut Dei clarè visi, & in ordine ad motus primò primos, respectu autem bonorum particularium, ad quæ liberè mouetur voluntas, ita mouet illam Deus quòd relinquit ipsam indifferentem, vt seipsam determinet per rationem. Supponit ergo D. Thomas, quòd motio, qua Deus mouet voluntatem, ad hoc quòd liberè operetur, non est cum prædeterminatione physica & efficaci ad vnum.

Confirmatur primò 3. argum.

ET confirmatur hoc primò, quia voluntatẽ agere liberè, est agere ex sua indifferentia, determinando seipsam ad vnum potius quã ad aliud: sed secundùm oppositam sententiã voluntas nõ determinat se ipsam, quin potius præsupponitur determinata intrinsecè per illam physicam & efficacem Dei motionem: ergo non agit liberè libertate indifferentiæ, quæ sola est verè & propriè libertas, sed ad summum agit spontaneè & sine coactione. Confirmatur secundò,

Confirmatur secũdò.

quia si Deus vellet necessitare voluntatem ad aliquem actum, ita vt illum necessariò eliceret, & non liberè, non apparet quonam modo melius eam necessitare posset, quàm per huiusmodi præmotionem: ergò in ordine ad actus liberos etiã supernaturales nullatenus est admittẽda talis præmotio propriè efficiens seu physica. Confirmatur tertiò ex Tridentino sessione 6. cap. 5. & can. 4. vbi expressè sancitur liberum arbitrium à Deo motum & excitatum per gratiam præuenientem & excitantem liberè cooperari assentiẽdo diuinæ motioni: Quia potest dissentire, & illam abijcere si velit: Si autem illa motio præueniens esset physica, & efficaciter determinans liberum arbitrium ad consentiendum, non posset illam abijcere, aut non illi consentire: ergo intendit Concilium quòd non præuenitur liberum arbitrium, pro aliquo priori temporis vel naturæ motione physica & efficaci Dei in ordine ad actus liberos. Neq; obstat communis distinctio de sensu composito, & diuiso: Quia quando Concilium dicit, quòd voluntas potest abijcere motionem diuinã & ei dissentire: supponit apertè, illam motionem præfuisse, atque adeò intendit decernere, quòd etiam ex suppositione, & in sensu composito cuiuscunque motionis præuenientis consensum nostrum liberum, possumus non consentire, & per consequens supponit, nulla huiusmodi præmotione physica determinari efficaciter nostram voluntatem ad consentiẽdum, pro aliquo priori naturæ vel rationis, antequam ipsa se determinet per actualem consensum.

Confirmatur tertiò.

Communis distinctio de sensu composito & diuiso impugnatur.

QVARTÒ argumentantur auctores tertiæ opinionis pro sua sententia: quia in reliquis actionibus liberis ordinis naturalis non præmouetur voluntas à Deo physicè & efficaciter cũ determinatione ad vnum: ergo neque in actionibus liberis ordinis gratiæ. Consequentia patet ex paritate rationis, non enim est minus potens voluntas adiuta gratia sufficienti in ordine ad actus liberos supernaturales, quàm sit potens viribus naturæ in ordine ad actus liberos ordinis naturalis. Antecedens autem probatur, quia ad actiones liberas ordinis naturæ, præter facultatem quam habet voluntas suapte natura conseruatam à Deo, solùm requiritur generalis ipsius Dei concursus; concursus autem generalis, quo Deus concurrit cum omnibus causis secundis, non est quid præuium ordine temporis, vel naturæ ad actiones ipsarum causarum secundarum, sed concomitanter tantùm se habet cum illis: ergo.

4. Argum. Ex actionibus liberis naturalibus, ad quas nõ videtur necessariũ auxiliũ efficax sumitur argum. ad actiones supernaturales.

ET confirmari potest hęc ratio quia si ad omnes nostras actiones liberas est necessariũ quòd Deus physica & efficaci motione suæ voluntatis prædeterminet nostrum arbitrium ad vnũ, sequitur quòd actiones malæ, vt odium Dei, volitio furandi, & similes sint prędeterminatæ efficaciter à Deo, & quòd pro aliquo priori naturæ vel rationis, Deus vult efficaciter, & executiuè quòd homo eligat vel faciat malum antequam homo ipse velit malum facere. Consequens est impium: ergo, &c. Patet sequela, quia ratio actionis siue operationis causæ secũdæ non minus propriè conuenit actionibus malis quàm bonis: si ergò ad omnes actiones liberas secundarum causarum requiritur quòd prę-

Confirmatur argum. nam sequeretur adoperationes malas moraliter necessariũ etiã esse auxilium efficaciter præmouens & prædeterminans voluntatem, quod videtur impiũ.

deter-

determinētur physicè,& efficaciter à Deo, motione illa præuia, negari non potest actiones quātuncunq; intrinsecè malas similiter prædeterminari à Deo,quod est impium vt dictū est.

Quorūdam responsio.

HVIC confirmationi responderi solet ab aliquibus, actiones malas nō prædefiniri quatenus malę sunt, sed pro materiali,quatenus quædam entia sunt, & non pro formali quatenus important malitiam moralem,& deordinationem à lege diuina: Cùm enim Deus nulli subdatur legi, neque teneatur vitare deordinationem voluntatis creati,non censetur prædeterminare, aut causare peccatum,pro formali, ex eo quòd illud prædeterminet,& causet pro materiali quo ad eius entitatem.

Impugnatur, quia manifestè videtur sequi ex data solutione, quòd Deus faciat nos peccare, sicut facit nos bona & supernaturalia opera exercere.

SED contra obijciunt:Nam ex hoc q̄ Deus non subdatur legi,neque teneatur vitare deordinationem nostræ voluntatis, solùm colligitur,quòd non possit illi imputari ad peccatum actio nostra mala, ita vt ille peccet: quia nō inuitat, neque incitat ad talem actionem,aut quia cooperatur illi: non tamē tollitur quin verè & proprie faciat nos peccare, si efficaciter prædeterminat voluntatem nostram ad actionem nobis prohibitam, quæ fieri non potest à nobis sine peccato: ex eo enim præcisè dicitur facere bona opera nostra meritoria, & facere quòd nos illa faciamus, & quòd per illa mereamur, quia præmouet nos efficaciter vt talia opera faciamus. Si ergo præmouet etiam efficaciter ad mala opera, quæ non possunt fieri à nobis sine peccato, verè dicitur & propriè, quòd facit nos peccare,quāuis ipse non peccet, sicut verè & propriè dicitur,quòd facit nos mereri,quanuis ipse non mereatur, ac per consequens non minus erunt à Deo mala nostra opera quàm bona: cuius oppositum expressè diffinitur in Tridentino sessione.6.can.6. vbi damnātur anathemate qui dixerint: Mala nostra opera non minus esse à Deo quā bona. Et confirmatur hoc, quia homo non est causa peccati,per hoc quòd velit formalem malitiam illius, nemo enim ad malum intendens operatur,sed per hoc tātum, quòd vult ex propria electione & determinatione facere opus pro materiali, cui annexa est ratio malitiæ, & deordinationis à lege diuina: ergò si Deus prædeterminat efficaciter voluntatem hominis, ad hoc quòd velit hic & nunc illud materiale,non obstante malitia & deordinatione annexa,facit proculdubio quòd homo faciat peccatum, eo modo quo ab homine fieri potest, ac proinde inclinat, & mouet ad peccatum,& est homini causa,vt peccet simpliciter & absolutè. Potestque rursus hoc ipsum confirmari:quia sunt aliquæ operationes tam intrinsecè malæ,vt in illis separari non possit materiale à formali malitiæ peccati, vt patet de odio Dei,& de hoc actu volendi quo quis diceret volo peccare,& male agere,& de alijs similibus:ergo implicat contradictionem Deū velle prædeterminare efficaciter voluntatem nostrā, ad hoc quòd liberè eliciat huiusmodi operationes pro materiali,non prædeterminando illum ad hoc, quòd eadem eliciat pro formali. Hæc ratio maiores videtur habere vires in opinione eorum qui tenent formale peccati cōsistere in quodam positiuo, nempe in modo operandi liberè,cum repugnantia positiua ad regulam rationis & legem diuinam: Nam qua ratione dicitur Deum quatenus est prima causa præmouere, & prædeterminare physicè actiones malas pro materiali,& quantum ad substantiam:dicēdum etiam est,necessariò præmouere & prædeterminare physicè eadem actiones, quoad omnes earum modos positiuos, videlicet quoad modum libertatis, & quoad modum repugnantiæ positiuæ ad legem Dei: & consequenter cōcedendum est,quòd Deus sicut prædeterminat efficaciter voluntatem peccantis, ad hoc quòd operetur liberè,ita etiam prædeterminat illam, ad hoc quòd operetur repugnanter ad legem Dei,ac proinde verum erit dicere, quòd Deus præmouet efficaciter, & prædererminat hominem ad hoc vt repugnet legi diuinæ: atq; adeò vt peccet,nihil enim aliud est peccare quàm repugnare legi Dei.

Ostenditur maior vis huius confirmat: in sententia eōrum, qui asserunt formale peccāti in positiuo consistere.

Occurritur confirmationi, & simul euertitur occursus.

DICES idem argumētum posse fieri de causalitate diuina qua concurrit ad materiale peccati. Sed contra:quia ex hoc,quod Deus causet materiale peccati concursu generali per modū concomitantis,non sequitur,quòd illa actio tribuatur Deo,sed libero arbitrio abutenti concursu generali Dei: diuinus nanque concursus generalis quantum est de se non magis determinatur ad malum,quàm ad bonum, sed ex abusu liberi arbitrij prouenit, quòd determinetur ad malum:si vero Deus causaret actionem malam promouendo & prædeterminando efficaciter, ipsi proculdubio tribuenda esset actio,non solū quoad substantiam, sed etiam quoad omnem modum positiuum illius,siue bonum siue malū. Neque obstat quòd Deus non concurrat ad huiusmodi actiones malas per modum consulentis aut præcipientis,sicut concurrit ad bonas: modus enim concurrendi per modum præmouentis physicè,& prædeterminantis efficaciter potentior est ad inferendum effectum quàm modus concurrendi per consilia,& præcepta. Vnde si ex hoc quòd Deus consulit, præcipit, & suadet opera bona,dicitur in sacris Literis quòd Deus facit, vt faciamus illa opera,multo magis dicendum erit,quòd facit vt faciamus opera mala, si præmouet efficaciter ad illa.

Efficacior modus concurrēdi per auxiliū efficaciter præmouens & prædeterminans,quàm per cōsilia præcepta, &c.

HAEC sunt argumenta quibus aduersarij solent impugnare efficacem Dei gratiam præmouentem peccatores ad conuersionem, non tantùm moraliter, sed etiam efficienter propriè. Verumtamen alia plura postea addiderunt: Quia vt ipsis solus animus erat agendi contra nostram & antiquam sententiā,placuit excogitare nouas rationes,quæ tamē si rectè inspician tur in idem coincidunt cū argumentis iā factis.

Argumenta nouorum Theologorum.

ARGVMENTATVR igitur Franciscus Suarez lib.1.de concursu Dei cum voluntate,

Trident. sess.6.

Confirmatur huius solutionis impugnatio.

2. Confirmatur in operationibus, in quibus ita intrinseca est malitia, vt ab ipsis inseparabilis sit.

cap.

In alio ordine arguunt aduersarij: primò quòd si necessaria sit prædeterminatio ista vt volũtas operetur, nõ possit volũtas sine ea mouere ipotẽtia proxima, & ad opus expedita.

cap. 9. Quia si illa præmotio & determinatio diuina est ad operandum necessaria per modum necessarij influxus primæ causæ: ergò sine tali influxu non potest moueri voluntas, videlicet potentia proxima & expedita ad opus: sicut nõ potest ignis calefacere sine Dei concursu: neq; manus potest mouere calamum, nisi ab ipsa volũtate, vel ab appetitu moueatur: Quoniam intimiùs & essentialiùs dicitur pendere voluntas ab hac motione & determinatione Dei in operatione sua, quàm dependeat manus à voluntate: ergò toto tempore, quo Deus non tribuit hanc motionem & determinationem, etiam si omnia alia necessaria adsint ad volendum, ad huc non est in potestate voluntatis positũ velle, vel operari: Patet consequentia, quia neque est in potestate voluntatis velle sine tali determinatione, neque rursus est in potestate eius, habere talem determinationem vt velit: igitur nunquam ipsum velle est in potestate eius, nisi prius Deus præmoueat, aut tribuat huiusmodi determinationem, quod solum est in eius potestate & arbitrio. Quo fit vt ipsa motio & determinatio voluntatis creatæ solùm sit libera ipsi Deo, nõ tamen ipsi homini, sicut motio manus libera est voluntati non tamen manui. Hoc argumento putat hic auctor talem determinationem repugnare voluntati cùm sit libera, seu impedire vsum libertatis, quod idem est.

Quòd huic argumento possit respõderi, impugnatur.

Dices: sine prædicta determinatione & præmotione volũtatem esse liberam, atq; adeo posse velle, nunquam tamen esse voliturã. Sed contra hoc est quòd voluntas non præmota, neque prædeterminata est per se insufficiens ad se determinãdum: ergò sine illa præmotione Dei, voluntas non solùm non volet, sed etiam neq; poterit velle, præcipuè cum talis determinatio dicatur esse necessaria, vt vltimò compleat virtutem agendi causæ proximæ: ergò sine illa nõ potest agere. Quocirca ex qualicunque causa dicatur esse necessaria talis determinatio, si neque habetur, neq; potest haberi: sequitur quòd omnis potestas quæ attribuitur voluntati est remota, & non proxima, & moralis qualis ad vsum liberum requiritur.

Alia solutio.

Dices esse in potestate hominis habere hanc determinationem, & idcircò ipsi homini vt liberæ causæ attribui carentiam eius, & carentiam actus, qui ex illa sequeretur. Sed contra hoc est: Quia Deus pro suo arbitrio & volũtate libera dat vel negat, quibus vult, & quando vult hanc efficacem motionem, sine vlla dependentia ab vsu, vel consensu libero humanæ voluntatis, vt antecedente vel concomitante: solumque respicere illum vt effectũ consequẽtem. Et rogo, quid faciet homo vt volũtas eius à Deo determinetur ad contritionem vel conuersionem? quia si in potestate eius positum est habere determinationem illam, ergò etiam erit positum hoc in eius volũtate, quia nihil est magis in nostra potestate, teste Augustino, quàm quod est in nostra voluntate. Quomodo igitur erit in potestate hominis habere determinationem à Deo, vt velit consentire, vel conteri, aut conuerti: quoniam vel potest facere aliquid volũtas, quo ab ipso Deo obtineat determinationem, aut præmotionem illam, vel nihil potest facere. Si nihil potest facere: ergò non est in potestate eius habere illam determinationem. Si potest aliquid liberè facere ipsa voluntas, quo recipiat determinationem illã, interrgo an ad illud liberè volẽdum requiratur determinatio vel non? quòd si requiritur erit processus in infinitum: si autem non requiritur, vel sistendum erit in aliqua determinatione, quæ omnino ab extrinseco veniat, & non sit in potestate voluntatis.

Repellitur, & vis argumenti auget tur, quia difficile est explicare an volũtas aliquid sit effectura, vel nihil, vt detur ipsi auxilium efficax.

Occurritur obiectioni, per hoc ꝙ volũtas aliquid tenetur facere non positiuum, sed negatiuum.

Ad hoc aliqui respondent, Quòd non requiritur, quòd voluntas efficiat aliquid positiuum ante hanc determinationem, vt recipiat eam & illi tribuatur, sed satis esse, vt non efficiat, & sinat se moueri, vel quòd non apponat obicẽ & impedimentum: Sed contra hoc obijciunt hanc esse fugam quæ in operibus gratiæ inuenta est, tamen in operibus moralibus non potest habere locum: Quia voluntas prius natura quã hoc vel illud velit, necesse est vt omnino negatiuè se habeat, quia nihil potest ex se incipere: ergò omnino sinit se ad hanc partem, vel ad illam determinare. Et confirmatur hoc: Nam hęc determinatio dicitur esse à solo Deo, voluntas verò solùm dicitur concurrere passiuè recipiendo illam: quia ante illam voluntas est indeterminata, & vt sic operari non potest, & idcirco dicitur indigere determinatione, vt operetur: ergò ad hanc determinationem solùm est volũtas in potentia passiua: igitur non est in potestate libera & morali voluntatis tali determinatio, saltem per se & immediatè. Ex quibus videtur colligi, quòd si hæc determinatio est necessaria, non est in libera potestate nostra, sed in sola libera voluntate & potestate Dei, ac proinde quando ea caret homo similiter nõ est in potestate libera volũtatis exercere operationẽ illã quæ pẽdet à tali determinatione intrinsecè & essentialiter. Nã si deest nobis essentiale principium operationis, & illud non possumus habere, pari modo operationẽ ipsam similiter non possumus habere.

Sed huic occursum fugam esse, nõ solutionẽ, probatur.

Arguit secundo loco Suarez cũ suis ex causis naturalibus naturaliter agentibꝰ, quæ nulla indigent præuia determinatione ad operãdum.

Secundò probat etiã nulla ratione esse necessariam hanc præmotionem, & determinationem, vt possit operari voluntas: Quia vt per se euidens est: secundæ causæ naturaliter agentes, non indigent hac determinatione ad agendum, nimirum noua actione distincta ab ea, qua eas in esse conseruat: ergò neque voluntas indiget tali prædeterminatione. Probatur antecedens, nam huiusmodi res naturaliter agentes ex vi suarum formarum, seu proprietatum naturalium sunt determinatæ ad vnum, & nullam habent intrinsecam indifferentiam: ergò non indigent noua forma, aut nouo impulsu, quo determinentur ad suos effectus. Nam qua determinatione superaddita indiget calor vt calefaciat, cum ex se sit determinatus ad illum effectum? ergò saltem nulla causa secunda indiget

get præuia determinatione causæ primæ ad suam actionem.

Quorũdam non improbabilis solutio.

DICES quòd quamuis secũdę causæ nõ indigeant pręuia determinatione primę causæ ad effectũ talem in specie, quòd nihilominus indigent illa prædeterminatione & applicatione causæ primæ ad hoc indiuiduum singulare, potiùs quam ad illud producẽdum. Quæ sanè responsio est valde probabilis, & admittunt eam etiam Suarez & sui, & dicunt determinationẽ secundæ causæ quoad hoc, pendere ex sola voluntate primæ causæ, negant tamen talem determinationem fieri à prima causa per actionẽ præuiam circa causam secundam, vel imprimendo rem aliquam in ipsam causam secundam, per quam facultas actiua eius limitetur ad hoc indiuiduum.

Tertium argumentum desumitur ex indifferẽtia positiua & actiua quæ reperitur in volũtate, ex qua sequitur ipsam sua innata, & cõ naturali virtute posse seipsam determinare absq; ali qua extrinseca prædeterminatione.

TERTIÒ ad idem obijciunt, voluntatẽ creatam ob libertatem suam non indigere physica & inhærente prædeterminatione vt operetur: & argumentãtur in hunc modum. Potẽtia quæ de se est positiuè, & actiuè indifferens, tãquam domina sui actus, potens est sua virtute intrinseca cum generali concursu primæ causæ sese ad suum actum determinare: Imò verò in hoc consistit eius intrinseca vis & perfectio: igitur non indiget extrinseca prædeterminatione præuia ad actum, vt operetur. Quin potius hęc, vel omnino repugnat, vel certè non est consentanea intrinseco modo operandi talis facultatis. Profectò consequentia est nota, & antecedens euidens, sed nihilominus aduertenda est differentia, quòd in agentibus naturalibus, positis omnibus requisitis ad agendum, facultas eorum nõ est indifferens, sed potius habet naturalem determinationem: nam sol, si haberet materiã susceptiuam totius effectus, cuius ipse solus potest esse causa sufficiens, necessariò ageret tota sua eminente virtute: vnde si nunc vnum determinatum effectum producit, potius quam aliũ, solum est quia illi applicatur subiectum aptum ad illum effectum suscipiendum, & non alium: cęterum illo subiecto applicato tam necessariò agit sicut ignis calefacit, & idem contingit in alijs causis naturalibus. Idẽ etiã reperitur in intellectu, alijsque animæ potentijs, quæ naturaliter agunt, solum est in aliquibus earum speciale aliquid, videlicèt qnædam subiectio ad voluntatem in vsu & exercitio suorum actuum, quorum non sunt dominæ ipsæmet potentię: & idcirco illæ non possunt dici propriè loquendo indifferentes ex se, nisi passiuè tantum. At verò voluntas est indifferens actiuè, & tanquam domina sui actus, nam si in ea non reperiretur hęc indifferentia similiter in homine non inueniretur: Quia nulla alia facultas est, per quam ei cõueniat, & ita homo non erit liber, neque dominus suorum actuum quod est cõtra Fidẽ. Cùm igitur voluntas, non imperfectè, sed perfectissimo & spirituali modo sit ita indifferens, vt positis omnibus requisitis possit agere, vel continere actũ suum, aut vnum vel alium elicere, idcirco potens est, quamuis sit indifferens in actu primo, determinare se ad actum secundum. Ex quo sequitur quòd illa propositio: Potentia indifferens non potest ex se producere determinatum effectum: distinguenda sit: est enim vera in causa indifferente ex imperfectione virtutis, vel ex defectu alicuius conditionis requisitę ad agendum, non tamen in causa indifferente, ex perfecta & eminente virtute, per quam habet verum ac proprium dominium sui actus positis omnibus requisitis ad agendũ. Qui modus agendi neque in se inuoluit repugnantiam, neque requirit infinitam virtutem aut perfectionem: ergò non est cur denegetur voluntati, quæ est domina sui actus.

Duplex indifferentia potentiæ, alia quæritur ex imperfectione virtutis, alia quæ ortum habet ex perfecta & eminente virtute, qua dominium habet sui actus.

Quartò nouæ Theologi arguunt, quòd ex hac prædictione propriè efficiente necessariò inferatur in actu vtraque necessitas quo ad exercitiũ & specificationem.

QVARTÒ obijciunt: Si Deus præmouet & determinat voluntatem per efficax auxilium in genere causæ efficientis propriè imprimendo voluntati formam, qua compleatur cum ipsa voluntate proximum principium suorum actuũ, eam determinans ad exercitium actus: sequitur, actum voluntatis nõ esse liberum quoad exercitium ex tali determinatione. Imò sequitur non esse liberum quoad specificationẽ: Nam determinatio quoad exercitium vehemẽtior est, & includit determinationem quoad specificationem: cum sit ad determinatum actũ & obiectum: ergò si talis prædeterminatio & & prædictio semper est necessaria, & præuia, omnino destruitur, vel impeditur vsus libertatis. Et confirmatur hoc, ac probatur simul: Nã voluntas nostra nõ est libera respectu illius determinationis, quia ad eam recipiendam merè passiuè se habet, & postquam illam recepit, necessariò prodit in opus suum, ita vt iam omnino non possit non operari: ergò nunquam habet vsum liberum talis operationis. Cum constet physicã determinationẽ, esse genus quoddam determinationis & infallibilis emanationis actus secundi à voluntate, sic affecta & determinata, vt talis determinatio proueniat nõ quidem ex causa morali, sed ex intrinseco & connaturali modo operandi talis formæ, quæ sicut in suo genere est causa physica sui actus, ita ex natura sua est omnino determinata ad effectionem actualem eius, & idcirco cum voluntati inhęret, simul illam determinat, & est quasi intrinsecum pondus eius à quo determinatur omninò ad hunc actum, & hac ratione distinguitur à determinatione morali quæ non est infallibilis simpliciter.

Ex Triden. sess. 6. idem roboratur.

AVGETVR efficacia quartæ obiectionis propositæ ex Tridentino, Sessione 6. cap. 5. & can. 4. vbi definitur, etiam in actibus supernaturalibus, posse liberum arbitrium à Deo motum & excitatum & consentire & resistere, si velit: & loquitur Concilium de potentia libera quę habet indifferentiam, & de motione Dei præueniente nostram volũtatem. Et par ratio est dequacunque motione præueniente, quæ libertatem non auferat: tunc enim necessarium est, vt possit voluntas resistere, vt dicit Concilium, non obstante motione, cùm ipsa sit libera. Et loquitur Concilium in sensu composito, nimirũ

exi-

existente motione, posse voluntatem non consentire, quod indicant illa verba: *Quippe qui illã abijcere potest.* & illa etiã, *Posse dissentire si velit*: ergo stante motione, potest illam voluntas abijcere: quia nemo dicitur abijcere, nisi id quod habet, aut quod ei offertur.

Congruitatem diuinæ vocationis cõsistere in quadam proportione, quæ est inter inspirationem seu vocationẽ, & ipsam hominis naturalem complexionem affirmat Suarez.

His argumentis & similibus permotus fuit Franciscus Suarez ad statuendum quandã gratiam efficacem, modo ab eo excogitato, quem timet introducere, sed dicit esse consentaneum D. Augustino: affirmat enim: Efficacem gratiã cõsistere in quadam congruitate, hanc verò cõsistere in quadam proportione, quæ est inter inspirationem aut excitationem & illuminationem, tali modo à Deo effectã in homine talis complexionis, naturæ, & conditionis; Deus enim, qui naturam cognoscit cuiuscunque individui, cognoscit etiam quis modus vocationis sit illi accommodatus, vt si ita cor eius tangatur cõsentiat, & emolliatur. Et hanc doctrinam dicit consentaneam D. Augustino. Et nihilominus ait, quòd quamuis verum sit, sæpe vocationem efficacem fieri hoc singulari modo, quo Deus aliquid speciale in homine operatur, naturæ & conditioni eius accommodatum, vt quãdo vocauit Paulum efficacissima vocatione: tamen dicit quòd hoc nõ requiritur tanquã quid necessarium ad vocationis efficaciam, hoc est vt consequatur effectum: Quia aliàs qui nõ ita vocaretur, non haberet vocationem sufficientem.

Certitudo quæ oritur ex hac congruitate præcisè nõ est tãta, vt sesola inferat infallibiliter effectum.

Rvrsvs addit hic auctor: Quòd neque ista congruitas iam dicta satis est ad illam efficaciã quam D. Augustinus intendit tribuere vocationi secundùm propositum, quæ omninò infallibiliter cõsequitur effectum: quod probat, quia hæc infallibilitas tanta esse debet, vt implicet contradictionem aliquando deficere, sed ex vi illius congruitatis solius, non potest esse tanta infallibilitas: ergò illa non sufficit ad efficaciam vocationis. Maior patet, quia hæc vocatio est medium accommodatum intentioni Dei efficaci: sed implicat contradictionem voluntatem Dei efficacem non impleri: ergò non potest illa vocatio cõgrua vt explicata est, esse proportionatum medium, nisi ita sit infallibilis, vt implicet contradictionem non consequi effectum suum. Minor cõstat ex his quæ dicta sunt, quia tota illa congruitas ex se solum inducit quandã moralem certitudinem, cui absolutè nõ repugnat vt vocationi sic congruę liberum arbitrium resistat.

Itaqve auctores huius opinionis negant etiam efficaciam moralem, quæ ex congruitate gratiæ oriebatur, quæ tali modo est effecta, vt congruat naturæ & complexioni, quam iam antea tradiderant, modo verò eam variant, neque permanent in eodem modo dicendi semper.

Ex gratia vocante & excitãte pro vt subest scientiæ mediæ habetur in sententia istorum infallibilitas futuri operis & consensus.

Dicvntergo Franciscus Suarez & aliqui ex suis, Gratiam efficacem Dei in hoc consistere, quòd Deus, illo tẽpore & modo, quo nouit hominem consensurum per scientiam mediam, vocat eum, & tunc talis vocatio dicitur efficax, non quòd ex se habeat effectum infallibilem, sed quod vt subest scientiæ medię infallibiliter est illum habitura, quia nouit Deus per hanc scientiam mediam, cui vocationi sit vnaquæq; voluntas assensum prębitura, si illi detur: Quocirca quando vult conuertere hominem, vult etiam illum vocare illo tempore & modo atq; loco, quo nouit per illam scientiam illum esse cõsensurũ. Quod etiam, aiunt, poterit accidere & euenire etiam cum speciali illa congruitate superius dicta ad conditionem & complexionẽ naturæ eius qui vocatur, & vtroque modo gratia erit efficax, sed per efficaciam moralem. Aduerto tamen obiter, quòd nõ minus ex vi illius congruitatis potest esse infallibilitas moralis, quã ex loco & tempore vocationis, quo Deus nouit hominem esse consensurum, si vtrũque cõsideretur vt subest scientiæ mediæ, quam isti volunt nouè excogitare. Neque nos vnquam negauimus gratiam Dei, vt stat sub intentione & directione eius, & sub scientia diuini decreti esse efficacem: quia in hoc nihil nouè dicunt, sed valdè recedunt à nobis, quòd hanc efficacitatem ex præuisione operum, re vera volunt esse, secundùm illam scientiam mediã, qua Deus nouit quòd si pro tempore & loco detur tantũ vocatio sufficiens efficietur efficax, ex cooperatione nostri arbitrij præuisi per talẽ scientiã, ex qua cognoscitur, quòd consensum erat præbitura ipsa voluntas.

Conclvdit hic auctor: quòd nullo alio conuenientiori modo potest explicari efficacia auxilij gratiæ Dei, & hunc suum esse sufficientissimum, & aptissimum, ad declarandam efficaciam vocationis, quæ tantùm est moralis, per modum suasionis, & moralis inductionis, & manifestationis obiecti, atq; illuminationis; præcipuè quia ad moralem persuasionem pertinet prudentia & præscientia persuadẽtis, qua nouit seruare modum & tempus aptum ad inclinandam voluntatem alterius.

Quintũ argumentum quo nituntur repellere influxũ Dei in voluntatẽ nostram.

Postremò argumentantur omnes aduersarij nostri argumento communi inter eos, qui quamuis inter se dissideant, tamen omnes cõueniunt in eo quòd negant influxum voluntatis Dei in voluntatem nostram, quo voluntas humana prædeterminetur ex Dei voluntate, eò quòd ab ipsa voluntate Dei inchoatur actio trahendo voluntatem secum, vt ipsa liberè consentiat. Hãc enim opinionem dicunt nihil differre ab Scoti sententia, de determinatione effectiua voluntatis creatæ per voluntatem Dei efficacem.

Obiectionis discursus & vis.

Argvmentvm autem eorum quod censetur præcipuum ab eis, desumitur ex ratione auxilij sufficientis, seu ex potestate morali, quam homines habent ad supernaturales actiones, etiam quando eas non agunt neque operantur. Quia si necessaria est illa Dei volũtas prædeterminans voluntatem nostram, sequitur quòd nõ est in potestate hominis supernaturaliter agere & operari, quando actu non operatur. Probatur sequela, quia quando homo non operatur, non determinatur per Dei volũtatem præ

deter-

determinantē: ergò tunc hæc volūtas neq; fuit in Deo neq; est in potestate hominis facere, vt sit vel fuerit: ergò nullo modo est in potestate hominis habere tale auxiliū: ergò neq; est in potestate eius proxima, & morali habere actū ad quē est necessariū tale auxiliū. Dices esse in potestate hominis habere hanc determinationē à volūtate Dei, non quidem aliquid faciendo, sed negatiuè se habēdo, hoc est sinendo se moueri à voluntate Dei, quia si homo se moueri sinat infallibiliter præmouebitur & prædeterminabitur: hoc autem est in potestate seu libertate eius, quia homo non tantùm est liber ad agendum sed etiā ad non agendum, & ad nō agendū nō indiget homo nouo cōcursu Dei. Addūt aliqui negationē illā reduci in quoddā auxiliū morale quo Deus ita determinat voluntatē vt omninò nō resistat, & esse fortasse legē, ꝙ ei qui nō resistit dabitur hæc motio efficax. Sed contra hoc obijciunt, interrogando quid sit hæc nō resistētia seu hoc non resistere, in eo homine qui sufficienter vocatur ad fidem. Nam vel est positiuè sequi vocationem ipsam, & hoc nihil aliud esse videtur quàm ipsum velle credere, hoc autem non potest esse ratio motionis, quia potiùs est effectus eius. Vel est non peccare aut non delinquere contra fidem, vel non esse rebellem, & hoc licèt negatione explicetur, re vera nihil aliud est quàm consentire vocationi per voluntatem credendi, quia per illam vocationem ad hoc inclinatur & inducitur homo, vt velit credere: ergò non potest aliter non resistere quàm consentiendo & volendo credere: nam siuè habeat homo oppositam contrariam voluntatem vel iudicium, siuè suspendat solam voluntatem credendi, & liberè illa careat, vocationi resistit. Vel non resistere est tunc non committere aliud peccatum: & hoc videtur impertinens, quia etiam si aliud peccatum non committat non idcircò determinabitur efficaciter, vt velit credere. Deinde etiam quia licèt tunc sit in alio peccato, imò habeat affectum eius nihilominus potest velle credere, sic enim multi ad Fidem conuertuntur qui non statim iustificantur, & statum peccati relinquunt. Rursus nam hoc ipsum quòd est non peccare, si liberè fit, & actualiter fit, quamuis speculatiuè concipi possit fieri per negationem actus, tamen moraliter, & prout de facto exercetur, non fit sine voluntate positiua nō peccandi, quę procedere deberet ex alia diuina prędeterminatione.

Solutio quorundam de dispositione negatiua voluntatis qua liberè non resistit vocationi & Dei excitationi. Impugnatur.

Henricus quid sentiat.

Henricvs quodlibeto. 4. quæstio. 19. & quodlibeto. 8. quæstio. 5. dixit, hanc negationem non esse considerandam tam in instanti temporis, quàm in priori quodam naturæ: quia cùm Deus præuenit & excitat voluntatem potest voluntas considerari, prius natura quàm consentiat: si ergò statim resistit, fit incapax efficacis auxilij & diuinæ determinationis, si verò non resistit neque renititur, sed negatiuè se habet recipit prædictam prædeterminationem, & præmotionem. Et Ruardus Tapper articul. 7. de libero arbitrio contra Lutherum videtur huic doctrinæ consentire, & idcircò referam quid ipse dicat.

Rvardvs ergo Tapper docet loco citato pagin. 345. ita scribens hæc quæ sequuntur. *Est autem cōsiderandum pro pleniori intellectu, quòd tripliciter se homo habere potest ad huiusmodi auxilium seu diuinum instinctum: primò illi renitendo: secundò, nec consentiendo, nec renitendo: tertiò illum sequendo. Primum ex se potest voluntas, & ne faciat monet Propheta: Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra, &c. Secundum etiam ex se potest: similiter & tertium, præsuppositio tamen huiusmodi auxilio: & vt diximus, probabiliter, sine vllo alio vlteriori auxilio. Et si dicatur sine vlteriori adiutorio voluntatem non posse consentire & sequi diuinum hunc instinctum; videtur tunc quòd media illa dispositio voluntatis quæ est negatiua, scilicet non reniti, sit talis, vt congruū sit & deceat bonitatem Dei vlterius auxilium ad cō sentiendum, & sequendum nō negare. De dispositione autem hac media & negatiua dicit Henricus Gādauensis quodlibet. 4. q. 19. quòd si sint duo homines habētes vsum liberi arbitrij, infideles, vel fideles, quorū corda aliquo motu gratiæ præuenientis stimulat Deus ad bonū spirituale, & vnus respuat, recalcitret, & cōtradicat, alter verò negatiuè se habeat, nec resistēdo nec contradicendo: quamuis nullū motū bonum eliciat, non est, inquit, congruum, vt Deus æqualiter se habeat erga istos duos. Nam contradicens fortè mortaliter peccat, & meretur æternam damnationē: alter verò quamuis nihil meretur, congruum tamen est, vt diuina liberalitas ei prouideat de adiutorio gratiæ vlterioris, quo possit de peccatis verè pœnitere.* Hactenus Decanus Louanienſis Tapper: qui retulit sententiam Henrici pro se.

Ruar. Tapper sententia & verba fideliter referuntur.

Quinta sententia aduertenda.

Qvinta & postrema sentētia est, quæ dicit gratiā actualē Dei esse omninò necessariā ad actus supernaturales liberi arbitrij, qui nunquā proportionātur nisi formæ & principio supernaturali, atq; adeò cum liberū arbitriū creatū hominis nullas omninò habeat vires supernaturales, neq; vim agēdi supernaturaliter, aut tanquā potētia supernaturalis, aut tanquā principiū aliquod & forma supernaturalis, sequitur ipsum omninò nudū esse secūdū se à supernaturali forma, ac proinde indigere, nō quomodocunq; actuali gratia & auxilio Dei, sed multiplici gratiæ auxilio, & nō secundū vnū modum tātū, sed secundū plures. Nā etiā in naturalibus cernimꝰ præter entitatē naturæ illis inditā, dedisse eisdem causis & rebus potētias & virtutes agēdi, ac rursus dedisse illis actū primū, & proprietates agēdi etiā occultas, quæ quāuis in suo genere habeāt vim, indigent tamē aliquo extrinseco, vel vt cōpleātur, vel vt sint in potētia proxima parata & accincta ad operādū. Indigēt etiā præter hæc omnia nō solū cōseruatione Dei, & applicatione eius, & exitu ab actu primo ad secūdū, sed etiā cōcursu & influxu Dei in causando & agendo ad operis exercitium: cōseruatio

Quinta opinio asserit: Ad actus supernaturales liberi arbitrij necessariam esse omninò gratiam actualem Dei.

Probatur, explicatur que assertio.

autem est influxus causæ efficientis in rem: ergo etiam influxus Dei est in causam, & non tantùm in effectum.

Fit argumẽtum à fortiori de causis naturalibus ad liberum arbitrium quãtum ad effectus supernaturalescõtritionis & pœnitentiæ &c.

CVM ergò tot rebus indigeat naturalis causa secunda ad exercitium operis; cùm adhuc illæ sint omnes ei connaturales, rogo, quibus non indigebit liberum arbitrium creatum? Quod neq; est supernaturalis natura, neque supernaturalis potẽtia, neq; habens in se proprietatem supernaturalem imbibitã, neq; actum aliquem supernaturalem primũ, neq; vim aut coaptationẽ aliquã supernaturalem sibi innatam, neque quidquã aliud supernaturale intrinsecũ, ex vi innata ipsi. Quò fit vt liberum arbitrium creatum ita nudum & spoliatum ab omni entitate supernaturali intrinseca indigeat, non solùm qualicunq; forma actuali, & gratia Dei, sed etiam egeat determinatione ad exercitium actus supernaturalis: ad quã determinationem diuinam, indiget Dei influxu in ipsum & præmotione: quia non solùm non habet in se ipso vires, sed neque habet exitum de potentia ad actum tam primum quàm secũdum, neque determinationem à primo agente supernaturali, nisi subijciatur illi secundum vtramque indigentiam.

D. Augus. in Epist. ad Vitalem.

HAEC autẽ diuina præmotio gratiæ actualis Dei est à Deo efficienter propriè per influxum gratiæ actualis in ipsum arbitriũ ad actua liter operandũ supernaturaliter, vt homo nimirũ vel se conuertat, vel conteratur. Et cũ gratia perficiat naturã, sequitur quòd hæc diuina præmotio seu prædeterminatio, quæ ex arce actualis gratiæ Dei profluit perficiat potiùs ipsum liberi arbitrij vsum, quã lædat, vt expressẽ docuit D. Augustinus mille in locis. Et etiã in Epistola. 107. ad Vitalem vbi dicit. *Si verè volumus defendere liberum arbitriũ, non oppugnemus vnde fit liberum: Nam qui oppugnat gratiã, qua nostrum ad declinandũ à malo, & faciendum bonum liberatur arbitrium, ipse arbitriũ suum vult esse captiuum.* Et in eadem Epistola dicit, quòd adultis ad singulos actus datur gratia. & Epistola. 105. ad Sixtum Romanum præsbyterum de gratia Dei, ait. *Quia enim putant auferri sibi liberum arbitrium: si nec ipsam voluntatem sine adiutorio Dei hominẽ habere consenserint; non intelligunt non se firmare humanũ arbitrium, sed impellere vt per inuania feratur, non in Domino tanquam in petra stabili collocetur.* &

Aduerte postrema verba Epistolæ 105.

in Epistola. 89. ad Hilarium respondens quibusdã interrogationibus de gratia efficaci Dei, reprehendens quosdam malè sentientes per insanam superbiam: & loquens de gratia Dei contra eos ait: *Cuius gratiæ tam benignum adiutorium ad faciendã iustitiam dato legis præcepto necessariũ non esse contendunt. Desinant ergò sic insanire, & ad hoc se intelligant habere quantũ possunt liberũ arbitriũ, non vt superba voluntate respuant adiutoriũ sed vt pia volũtate innocent Dominum.* Et subiungit statim hæc verba perpendẽda: *Hæc enim voluntas libera tanto erit liberior, quanto sanior, tanto autem sanior, quanto diuinæ misericordiæ, gratiæq; subiectior.* Et infra: *Iubet Deus continentiam, & dat continentiam. Iubet per legem, dat per gratiam.*

QVARE cum opera omnia supernaturalia futura, & à libero arbitrio exitura non intelligantur esse futura neq; exitura nisi ex decreto diuino eiusque voluntate positiua, sequitur futurã esse infallibilem emanationem eorũ à voluntate creata arbitrij nostri præmota seu affecta, & determinata ab ipso Deo, cui subijcitur, ex defectu virium supernaturaliũ, tam in agẽdo & causando, quàm in exitu de potentia ad actum in determinatione sua: ac proinde indiget hac efficaci gratia Dei: qua Deus non tantũ moraliter nos mouet pro loco & tẽpore, sed etiã efficienter propriè nos præmouet, non determinando determinatione necessaria, sed determinatione libera: Nõ quidẽ potenter rapiendo voluntatẽ, vt aduersarij nobis imponunt, sed suauiter efficiẽdo, & efficaciter, & cũ quadã subiectione ad motionẽ moralẽ ad obiectum, & persuasiones, ad illustrationes, & conferentiã, atq; collationẽ intellectus: nam hæc omnia concurrunt, ob id quòd homo cũ sit rationalis, & liber his modis postulat vt à Deo prẽmoueatur, tãquã à primo auctore gratiæ, & prima causa primò deliberante: cui omnia libera participata subijci debent etiam vt libera sunt, in liberè agendo & causando.

Mouet Deus humanã voluntatem, non potẽter rapiẽdo, sed suauiter & efficaciter efficiendo.

NEQVE est imaginandum vt Auctores nonnulli oppositę sentẽtię malè putãt, nos dicere in determinatione nostræ volũtatis ad conuersionẽ, vel contritionem, Deũ ita se gerere, vt nobis nihil agẽtibus, ipse producat suã actionẽ in nos, qua efficiẽter nos determinet, & iã prius volũtate determinata ipsa procedat ad opus, se determinando, quia hoc manifestã dicit implicationẽ cũ libertate, sed quòd eadẽ actione qua voluntas se determinat liberè, eadẽ Deus determinat ipsam, præmouendo & inchoando per auxiliũ gratiæ suæ, ad quod sufficit prioritas causalitatis, & solius naturæ. Ita sanè vt ille influxus gratiæ Dei à Deo in nos veniens non fiat in nobis aut recipiatur sine consensu nostro libero: de qua re infra dicemus.

Non determinatur volũtas à Deo nobis nihil agentibus: sed eadem actione qua voluntas se determinat, determinatur etiam à Deo.

HANC gratiam efficacem Dei à Deo efficienter propriè prouenientem, & nos præmouentem & prædeterminantem propter solam prioritatem causalitatis, censent auctores oppositæ sentẽtiæ esse vocandã prędeterminationem physicam: cuius vocabuli ipsi primi inuentores fuerunt: nam ante eorum tempora nos aliter loquebamur, dicentes, esse constituendam efficacem gratiam Dei actualem præmouentem nos, & Deum nos efficienter propriè mouere auxilio gratiæ suæ. Quocirca non est cur toties repetant physicam prædeterminationem, quæ non est physica id est naturalis, sed supernaturalis, & diuina, non moralis præcisè, sed supernaturalis efficiens propriè ex efficacia diuinæ gratiæ, quæ naturam perficit, non lædit arbitrium, sed ipsum tanto liberius est, & liberius agit, quanto magis subijcitur gratiæ actuali Dei, vt Augustinus testatus est Epistola. 89. ad Hilarium.

Aptius dicitur voluntatem determinari per gratiam efficacem efficienter propriè, quàm physicè, aut per physicã determinationẽ; hic enim modus dicẽdi ab auctoribus oppositæ sentẽtiæ est inuentus.

HACTENVS recensuimus varios dicendi modos circa præmotionem voluntatis creatæ, quando ad consensum à Deo mouetur, ad opera diuina & supernaturalia, ad conuersionem, & pœnitentiã. Retulimusq; fundamenta eorum, & argumenta quibus impugnant aliorum sententias, in quibus referendis explicuimus etiam mentem & ingenium opinantium, vt vnicuiq; opinioni non deesset fundamẽtum sui auctoris. Fideliter etiam retulimus easdẽ opiniones quas ipsi vel scriptis, vel prælo mandarũt.

Quid sit sentiẽdum iuxta antiquam doctrinam, & S. Thomæ scholam.

Prima Conclusio.

Conclusi. 1. Liberũ arbitriũ creatũ pendet à Deo non solùm vt natura quædam est, sed vt liberum est.

DIVINVM auxiliũ est postulãdũ, vt syncerè res de qua agitur aperiatur à nobis, & vt luce illustrati à Deo, à certo veritatis scopo nõ declinemus. Dico igitur primò: Certissimum esse arbitriũ creatum, nimirum intellectum & voluntatem vbi reperitur libertas pendere à Deo, non tantũ vt est quædam natura, sed etiam vt liberum est, pendereq; non tantũ inquantum est potentia quædam hominis libera, sed etiam in libero vsu suæ libertatis. Et nõ tantùm in fieri & conseruari, sed etiam in omni causalitate & actione & modo agendi, & in determinatione, qua se arbitrium ipsum determinat. In hac assertione non solùm loquor de actione voluntatis quæ etiam immediate pendet à Deo, vt à prima causa, sed etiam de dependentia ipsius voluntatis liberæ vt libera est.

Actorũ. 17

HAEC assertio continetur in Sacris Literis. Actorũ. 17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Quibus verbis cõstat, nõ solũ depẽdentia ipsius esse & ipsius arbitrij, atq; vitæ eius, & cõseruatio, qua homo eiusq; volutas à Deo pẽdent, sed etiã cõstat hominẽ eiusq; arbitrium ab ipso Deo moueri, & sermonẽ esse in prædicto testimonio de propria ac per se efficiẽtia. Et Iob. 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me.* Et statim. *Nonne sicut lac mulsisti me?* Hoc tamen expressius Christus aperuit Ioan. 5. cap. *Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor.* In quo testimonio, vt sancti Patres dicunt, docuit Christus hanc dependentiam rerũ à Deo, ipsumque non tantũ mundum creauisse cum homine, verùm etiã ipsum conseruasse, & nunquam cessauisse à causalitate & operatione circa easdem res creatas. Vnde sicut secunda causa in suo esse pẽdet à Deo, ita etiam pendet in agendo & causando, & in modo agendi & causandi liberè vel necessario. Quo fit vt nõ possit effectus aut operatio à causa secunda prodire, quin etiã propriè ac per se à causa prima emanet, tanquã ab efficiente. Cũ ergò secunda causa, etiã vt causa est, sit ens per participationẽ, necessariò pendet à Deo in quantũ causat & agit, & non tantũ ex parte effectus. Vnde si ratio depẽdentiæ à Deo æqualis est in effectu & in causa, & vna atq; eadẽ, sequitur quòd cũ causa secunda præter rationẽ essendi habeat vlterius actu agere & causare exeundo ad actũ suum per vim causandi exercitã, cũ actuali effectione actionis & operationis suæ, suique effectus; quòd adhuc habet secũda causa aliã dependentiam in ratione causandi, & agendi actu. Vnde omne ens per participationẽ subordinatur ex natura rei enti per essentiã, & pari modo omnis causa agens quæ nõ est causa prima indepẽdens, sed causa per participationẽ agit vt subordinata primę in agendo & causando. Hæc omnia aperuit Paul. 1. Corinth. 12. dicens: *Operatur omnia in omnibus.* & Isaiæ. 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Ex quibus locis aperte etiã sequitur, quòd si Deus operatur omnia in omnibus, nõ repellitur vera & propria efficientia omniũ, ac proinde neq; efficientia propria & vera, seu physica determinationis volũtatis nostræ. Quod potissimè est verũ & necessariũ, in supernaturali determinatione, qua voluntas se agit, & se determinat: aliàs quomodo esset verum quod dicit Paulus. *Operatur omnia in omnibus?*

Omne ens & causa per participationẽ eo ipso quòd tale est pendet ab ente & causa per essentiã scilicet Deo

1. Corinth. 12. Isaiæ. 26.

NEC ESSE igitur est vt omnes Catholici, qui etiã de gratia Dei loquũtur, siue de auxilio efficaci, & de modo quo Deus influit & cõcurrit, sentiant volũtatẽ liberã ad actus liberos præter conseruationẽ sui esse, indigere in se ipsa, & in causalitate eius cõcursu Dei, & in supernaturalibus concursu & auxilio speciali actuali quo causet actus supernaturales verè & propriè, ita vt causalitas actionũ non solùm dicat respectũ ad ipsam causam secundã à qua egrediũtur, sed etiã ad Deũ vt ad primã & præcipuã. Possemus hoc loco recensere penè infinita testimonia Scripturę, & sanctorũ Patrũ Græcorũ & Latinorũ: legendus est D. Aug. Tract. 17. in Ioan. & lib. 4. de Genesi ad lit. cap. 12. & lib. 5. cap. 14. Et D. Tho. 1. p. q. 103. & 105. & 1. 2. q. 109. art. 1. 2. & 3. Sed pro præsenti assertione hæc modo sufficiant. Aduertendũ tamẽ & obseruandũ est, non tantũ effectũ dependere à Deo & operationes secundarũ causarũ, sed etiã eandẽ rationẽ dependentiæ militare ex parte causæ, ob id quòd secunda causa in agẽdo eandẽ indigentiã, & rationẽ depẽdendi in se habet quã in suo esse retinet, propter ea quæ diximus. Quia sicut secũda causa habet esse per participationẽ, ita & efficere & vim agẽdi: ergò est æquè pendens à primo ente, & à primo agẽte sub vtraq; ratione: cunctę enim res & causæ vt sic ab actuali influxu Dei pendent, aliàs lęderetur infinita Dei perfectio in agẽdo & ipsius omnipotentia. Ex quibus colligo quòd non solũ Deus influit in effectũ causæ secundæ ipsum efficiens & causans, sed etiã influit in ipsam causam vt operetur & agat, & exeat in suũ actũ. Quo etiã fit vt actus liberi volũtatis creatæ nõ solũ à nostra volũtate prodeant, sed etiã à Deo fiant influente, & causante in volũtates nostras, & penetrando vsque ad actiones ipsas tanquam vera, & prima causa, cui nostra voluntas subordinatur, etiam vt secunda causa libera. Quapropter Deus non dicitur tantùm concurrere ad actus voluntatis, quia voluntatem creauit, &

D. Augus. D. Thom.

Non solùm effectus & operatio dependent à Deo, sed etiam ipsa causa in agendo; cùm etiam quã tum ad hoc habeat rationem entis, & causæ per participationẽ.

conseruat, sed etiam quia in voluntatem vt causet influit, & quasi applicat ad agendum, & ita per se etiam tribuendo esse ipsi operationi voluntatis creatæ. Quod expresse docuit D. Thomas. 1. Parte, quæst. 105. arti. 5. & lib. 3. contra Gentes, cap. 70. & in. 1. distinctione 37. quæst. 1. & de potentia, quæst. 3. art. 7. Cùm ergò nõ tantùm pendeat à Deo omnis operatio voluntatis, sed etiam omnis vis & causalitas eius, certissimum est virtutem effectricẽ Dei per se influere, non solùm in voluntatis effectus, & operationes, sed etiam in eandem volũtatem vt causet, & actu agat, & nõ solùm per virtutem creatam potentialem voluntati tributam, & in ea conseruatam.

D. Thom.

Reijcitur sentẽtia Durandi toties ab scholasticis omnibus impugnata.

REPELLENDVS est Durandus, qui perperã sensit in hac parte, errando non solùm contra philosophiam, sed etiam contra Fidem: Qui in 1. distinct. 37. quæst. 1. credidit Deum non esse immediatam causam effectiuam rerum omnium & actionum quantum ad productionem, esse tamen immediatam causam quantum ad cõseruationem: & de hac actione præcisè conseruatiua explicat locum Ioannis. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Et in 2. distinction. 37. quæst. 1. disputans: vtrùm actio peccati, secundum quòd actio, sit à Deo, planè affirmat Deum non esse causam actionum liberi arbitrij, nisi quatenus liberum arbitrium ab ipso est, & ab ipso conseruatur. Subiungit tamen quòd Deus ex beneplacito suo aliquando determinat, & inclinat liberum arbitrium ad bonum, nunquam tamen determinat ad malum & ob id colligit bonam actionem Deo imputari posse, nunquam tamen malam. Vbi obiter aduerte quòd quamuis Durandus malè senserit de concursu effectiuo Dei ad actionem, nihilominus tamen sensit Deum ex beneplacito suo aliquando liberum arbitrium inclinare ad bonam actionem, vt sic bona actio Deo possit imputari & tribui nunquam tamẽ mala. Ex qua ratione dicendi constat Durandum non plurimum abhorrere ab ea sentẽtia quæ concedit influxum in secundas causas & in liberum arbitrium, licèt putet hoc non fieri secundùm communem cursum, fieri tamen ex beneplacito diuino, vt dictum est ab ipso. Neque plurimum recedere ab ea sententia, quæ concedit Deũ determinare liberum arbitrium.

Non plurimum recedit Durandus à sentẽtia, quæ affirmat Deũ determinare liberũ arbitrium ad opera bona, licèt inalijs errauerit.

QVÒD verò hæc dependentia secundarum causarum omninò necessaria sit in eis, nõ solùm Philosophi sed etiam Theologi dixerunt, imò verò senserunt influxum Dei & concursum esse influxum in secundam causam: hæc est etiam aperta sententia Sanctorum Patrum. D. Greg. lib. 16. Moralium cap. 18. *Omnia (ait) quæ creata sunt, per se nec subsistere præualent, nec moueri, sed in tantum subsistunt, in quantum vt esse debeant acceperunt; in tantum mouentur, in quantum occulto instinctu disponuntur.* En quo pacto supposita rerũ productione, & suppositis suis potentijs, atque formis seu virtutibus agendi inquit Greg. quòd *vlterius mouentur, in quantũ occulto instinctu disponuntur*: ergò iuxta D. Greg. sententiam agẽtia omnia creata mouẽtur quatenus occulto instinctu disponũtur, quòd est cõforme testimonio Actorũ. 71. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Idem dixit etiã D. Prosper infra citandus, hoc docet Salomon Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Dei est, & quocũq; voluerit vertet illud.* Et ad Hebr̃os. 13. *Deus pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum; Aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatẽ.* Perpende verbũ, *aptet vos in omni bono vt faciatis Dei voluntatẽ.* Nam certè sonat applicet vos, & moueat ad omne bonum ad faciendam eius voluntatẽ. Et in Triden. Sess. 6. capi. 6. expresse dicitur Christum Dominum in ipsos etiam iã iustificatos iugiter influere virtutem, tanquã caput in membra, & tanquã vitis in palmites, qui influxus cui comparatur influxus Christi, non tantùm est in effectus & actiones, sed etiã est verus influxus in membra influens, inditus palmitibus, quæ virtus influens, vt ait Conciliũ semper antecedit opera. Sed de hac re multa diximus in speciali controuersia de libero arbitrio, & influxu Dei & gratia eius, & de plerisque modis, quibus determinari potest voluntas, Discursu. 5. sectione. 2. vbi etiam aperuimus qualiter etiam secunda causa libera operetur cum triplici quadam dependentia à Deo, qua indiget vt actu agat & operetur: quæ eo loco videnda sunt, & modo non repetenda, quia hæc sufficere videntur modò pro hac prima assertione, quæ est veluti suppositio præambula ad ea quæ inferius dicentur. Et auctores oppositæ sententiæ quamuis malè sentiant, in causis subordinatis causam primã nihil influere in secundã, quo illam iuuet ad agendum, sed tantùm in effectum seu actionem præcisè, nihilominus veritate compulsi dixerũt: Omnes causas creatas aliquam applicationem præuiam requirere ad actiones suas, seu motionem aut excitationẽ, vel determinationem ad suam actionem. Quam veritatẽ postea eludere volunt, cum tamen Aristot. & Philosophi omnes reduxerint vniuersam naturam, ad vnum primum mouens immobile: quia nullum agens creatum agit nisi prius motum ab alio. Quare agentia creata non dicũtur inchoare actionem, sine noua aliqua applicatione quæ fit per aliquem motum. Solũ oportet aduertere testimonium citatũ Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Domini quocunq; voluerit vertet illud.* In quo sapiens omnẽ dependentiã quã diximus habere liberũ arbitrium à Deo expressit. Nam dicit cor Regis esse in manu Domini, & loquitur non de corde carnis, sed de corde voluntatis liberæ, & hanc liberã voluntatẽ dicit esse in manu Domini, quia volũtas Regis liberrima est dependens à Deo, & Deus habet dominiũ illius. Et posuit exemplũ de corde regis, seu de libero eius arbitrio, quod est omniũ liberrimũ, cũ Rex nullũ habeat superiorẽ: & de hoc corde liberrimo inquit Sapiens quòd est in dominio Dei & sub dominio ipsius. Hoc autem aperit

D. Gregorius. 18. moral.

Act or. 17.

Prou er. 21.

Ad Hebre. 13.

Trid. sess. 6.

Cõueniunt auctores oppositæ sentẽtiæ nobiscũ quatenus asserunt: Omnes causas creatas aliquam applicationẽ præuiam requirere ad actiones suas.

De liberrimo corde & voluntate, qualis est volũtas Regis dicit Salomon esse subdominio Dei illis verbis Quocunque voluerit. &c. Deus multis modis dicitur, & est causa actionis causæ secũdæ creatæ.

luculẽter statim dicens qualiter Deus dominetur libero arbitrio, per hæc verba: *Quocunque voluerit vertet illud.* Et nõ dicitur q̃ lęditurlibertas huius cordis, aliàs nõ rectè diceretur Deus domin⁹ liberi arbitrij vt liberũ est, si nõ posset salua cõsistere eius libertas aut vsus libertatis

DIXIT S. Thom. de potentia. quæst. 3. art 7. Multis modis creaturam, & causam secundam dependere à Deo etiam vt causa est, tanquàm à causa prima. Et Deum multis etiam modis esse causam actionis causæ secundę creatæ. Primò, quia Deus dedit secundis causis vim & virtutem agendi atque operandi. Secundò, quia conseruat hanc virtutem in eisdem causis. Tertiò, quoniam applicat & mouet causam secundam ad operandum. Postremò quia ipsa causa secunda habet se ad modum instrumenti ipsius Dei. Qua ratione ait S. Thomas procedere à Deo virtutem quandam in ipsam causam secundam, qua ipsa constituitur in vltimo complemento operandi actualiter: veluti à causa principali deriuatur virtus in instrumentum per motum, vt producat effectum causæ superioris & principalis. Et sanè S. Thomas, plerunque docet secundam causam recipere à Deo virtutem transeuntem cum operatur. Lege D. Thomam 1. 2. quæst. 109. vbi suprà. AEgidius quodlib. 5. quæst. 1. eandem sententiam tenet. Vnde Deus dicitur esse prima causa, & prima perfectio, quæ perfectio sita est in omnibus illis, quæ S. Thomas enumerat, & in eo quod alijs causis sit causa vt causent: & nulla alia causa sit ipsi causa vt causet.

Legend⁹ D. Thomas, & AEgidius.

ADDE etiã ex S. Thoma loco citato, quòd voluntas dicitur habere dominium sui actus: non per exclusionem causæ primę, sed quia causa prima ita agit in voluntatem, vt non eam determinet determinatione necessaria ad vnum, sicut naturam determinat. Et ob id determinatio actus relinquitur in potestate rationis & voluntatis. Deus etiam dicitur esse verus Dominus secundarum causarum, ac proinde cùm habeat hoc dominium vtitur illis & consequẽter eas applicat ad suas operationes: cùm ergò Deus sit Dominus liberi arbitrij creati vt liberum arbitrium est; & dominium tribuat domino facultatem vtendi re, cuius habet dominium, sequitur quòd sine vlla læsione libertatis, potest vti libero arbitrio, & applicare illum sua præuia applicatione, & motione suaui & contemperata illi. Nam certè perfectissima causalitas inter omnes possibiles Deo tribuenda est: sed quòd Deus non tantùm causet operationes secundarum causarum, verùm etiam quòd eas moueat, & applicet ad operandum, est perfectior causalitas, & possibilis: ergò illa est Deo tribuenda, potius quàm dicere Deum solo concursu concomitante, & quasi partiali earũ operationes causare, quod videntur concedere auctores oppositæ sententiæ. Et hoc confirmari potest, quoniam virtus agendi secundæ causæ vt sic, pendet à Deo, non tantùm entitatiuè, sed vlterius etiã in ratione causæ, & in ratione virtutis agendi, sed ita dependere, est verè dependere in agendo & causando: igitur secunda causa mouetur à Deo, & applicatur ab ipso. Quod præcipuè est verum: quia omnis natura & omnis causa pendet à Deo secundùm omnem modum entis: ergò cũ esse virtutem agentis in causa secunda sit modus realis eius, sequitur quòd pendet ab ipso Deo, ac proinde quòd secunda causa mouet mota à prima, cui subordinatur, nõ solùm in essendo, sed in agendo.

Deus cũ sit Dominus liberi arbitrij creati facultatẽ habet vtendi eo, & applicãdi ipsũ quo modo, & quando voluerit suaui & contemperata motione sine vlla libertatis læsione.

QVOD autem nõ possit negari hæc dependẽtia, & iste influxus Dei in causam secundam vt operetur, vt malè auctores oppositæ sententiæ negant dicentes Deum esse causam partialem & concomitantem, & non influere in ipsam secundam causam sed tantũ in effectum aut in operationem, probatur euidenter: Quia ex opinione, & modo dicendi istorũ sequitur, secundam causam in ratione & genere mouentis vt sic præcisè, æqualiter esse, & dici posse primum mouens concomitanter cũ Deo. Probatur sequela. Quia secunda causa mouens, vel mouetur ab alia vel non. Si mouetur ab alia, ergo iam recipit motionẽ in se ipsa, quia motio est in mobili, & ita habemus id quod à nobis intenditur. Si dicas quòd secunda causa non mouetur ab alia, tunc sequitur benè quòd in genere mouentis est primum mouens, nam primum mouens est illud quod ita mouet, vt à nullo alio moueatur. Et sanè Philosophus iudicauit hoc argumentũ esse demonstrationem; nam ex eo collegit primũ motorem debere esse Deum, ex eo quod ipse ita mouet vt nõ moueatur ab alio. Et profectò quòd Deus concurrat cũ secunda causa concursu simultaneo, hoc non obstat quin minus dicatur secunda causa, quę in ratione mouentis non mouetur ab alio, & ipsa mouet, dicatur esse in illo genere primum mouens. Vnde malè philosophantur aduersarij. Tãdem quòd secunda causa moueatur ad operandum & agendum, recipiendo motionem primæ causæ constat, quia secunda causa exit de potentia ad actũ, & aliquando est in potentia ad agendum, & aliquando in actu: ergò ad hoc necesse est vt ab alio moueatur, & ita à Deo qui est causa prima reducatur de potentia ad actum. Infertur præterea à iunioribus quòd si Deus solũ concomitanter concurreret ad actiones secundarũ causarũ, & simultaneè tantũ, quòd etiam tunc sequeretur Deũ non debere dici nisi causam simultaneã, sicut & ipsa causa secunda. Cùm igitur Deus & arbitrium simultaneè tantũ concurrãt ad effectum, sequitur quòd Deus & liberum arbitriũ non dicuntur causa prima & secunda, sed causæ simul concomitanter & simultaneè causantes, tanquã duæ partiales causæ vnius integræ causæ: q̃ à nobis suprà explosum & impugnatũ est.

Probatur efficaciter influx⁹ Dei in causam secundã & nõ esse Deũ causam partialem & concomitãtem.

Nam aliàs causa secũda esset primũ mouens Aristotelis iudicio præfatum argum. est demonstratio.

Secunda Conclusio.

DICO secundò. Auxilia gratiæ actualis Dei, quæ per modum principij concurrunt, nõ solùm sunt causæ morales supernaturalium actionum, sed etiam habent rationem cau-

Conclu. 2. Non solùm moraliter; sed etiã phy

ficam causat supernaturales actiones gratiæ actualis Dei.

sæ physicæ. Hæc assertio debet esse certa: quia causa moralis est illa quæ mouet persuasione, & cõsilio, & motiuis moralibus; physica autem est quæ per se influit & dat esse effectui. Sentio ergo vtroque modo auxilia diuinæ gratiæ esse causam actuum supernaturalium, nimirum moraliter & physicè. Et ratio est, quoniam huiusmodi actus & sunt morales, quia sunt actus humani, & præterea sunt res quædam habentes suã propriam naturam, & entitatem, suumque esse reale, & ob id indigent vtroque genere causæ. De auxilijs autem efficacibus etiã auctores oppositæ sententiæ censent veritate compulsi, esse auxilia per se influentia, & quòd auxilium efficax non solùm dicitur efficax quia facit, sed etiam quia vires præbet efficaciſsimas voluntati, iuxtà sententiam D. Augusti. de gratia & libero arbitrio, cap. 17. Vnde aduersarij dicunt de auxilio gratiæ efficacis, quòd efficax auxilium est illud gratiæ principium, quod peculiarem vim & efficaciam habet ad inducendam humanam voluntatem vt consentiat. Quod qualiter sit verum explicuit Franciscus Suarez lib. 3. de auxilijs cap. 6. in fine, vbi affirmat, Gratiã actualem auxilij efficacis ex eo talem dici, quod in se habet singularem vim ad agendum, sicut medicamentum dicitur efficax, non ex eo solũ quòd actu facit, sed quòd singularem vim habet agendi. Ex quo constare potest efficax auxilium habere physicum influxum, auxilia verò gratiæ excitãtis, quamuis ipsa sint aliqua entitas, præcipuè tamen habent vim causæ moralis. Quod sanè egregiè explicuit D. Ambrosius, seu D. Prosper, lib. 2. de vocatione Gẽtium cap. 9. vel aliàs. 26. ita enim scribit. *Gratia Dei principaliter præeminet suadendo exhortationibus, monendo exẽplis, terrendo periculis, incitãdo miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corq; ipsum illuminando, & Fidei affectionibus imbuendo.* Et de hac gratia, quòd etiam influat non tantum moraliter, sed etiam physicè, etiam aduersarij nostri fatẽtur. Et quòd loquantur Ambrosius, aut Prosper de gratia excitante, apertè colligitur ex eisdem Patribus, qui ita subiungunt loco citato. *Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei, atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidijs, vt diuino in se cooperetur operi.* Ex constat ex testimonio Ambrosij, aut Prosperi, illud causalitatis genus esse morale. Et per hanc gratiam excitantem fit vt obiectum, quod sequendum proponitur, & diligẽdum, proponatur vt amore dignum, & vt magis honestum appareat, vel quòd oppositum sit valdè turpe & fugiendum, quod fit vel plus illuminando intellectum, vel inclinando affectum, & aliquo modo disponendo.

Aduersarij dicunt, interdum hæc auxilia esse causas morales: & interdum esse physicas.

Franciscus Suarez aliquando varius est, & sibi non cõstans.

D. Ambro. seu D. Prosper.

Effectꝰ physicus & realis postulat causam per se efficientẽ & habentẽ vim ad talem effectũ.

Avxilivm verò physicè efficiens, seu influens in actum supernaturalem magis conuenit auxilio gratiæ adiuuantis: & ratio est, quia cùm supernaturalis actus sit effectus physicus & realis postulat causam per se efficientem, & habentẽ vim ad hunc effectum. Voluntas verò humana ex se non habet hanc virtutem, & idcircò per gratiam adiuuantem eam recipit, & ita completur influxus ille in supernaturalem actum. Gratia igitur adiuuans non tantùm est moraliter adiuuans, cum Deus illuminat, aut interius persuadet, aut hominem consolatur & vocat, sed etiam est physicè influens. Et sanè si rectè res inspiciatur & iudicetur omnis gratia dicitur esse præuia.

Ex quibvs omnibus apertè cõstat, homini esse necessarium omninò supernaturale auxiliũ, ad hos actus supernaturales efficiendos, & quòd quidquid iuuat arbitriũ hominis ad supernaturalem actum humanum efficiendum, potest dici in cõmuni gratia adiuuãs. Et hac ratione multi solent auxilium per modum concursus vocare gratiam adiuuantem, quia auxilium, si vox ipsa attendatur, dicitur omne id, quo aliquis iuuatur. Sed obseruandum est auxilia diuina esse simpliciter necessaria ad actus supernaturales efficiendos. Quod diffinitur in Tridentino, Sessione. 6. canon. 3. *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Generaliori significatione auxilium per modum concursus vocari solet adiuuans gratia.

Trid. sess. 6.

Hoc loco adnotare volo subordinationem causæ secundæ ad primam in ratione agendi, & operandi, ita intrinsecè conuenire secundæ causæ in bonis operibus, præcipuè in supernaturalibus, vt nemo possit oppositum dicere, nisi ignarus sit. Hoc enim postulat vniuersalitas, & perfectio infinita primæ causæ, quæ est Deus, & ratio primi principij agẽtis & mouentis, à quo omnia pendent omnibus modis quibus indigent. Rursus etiã causæ secũdę creatæ, cùm sint causæ effectiuæ per participationem non possunt non subordinari Deo in causando, & agendo. Quo fit vt non sit omninò alienum à ratione ex tali subordinatione inferre, quòd quoties secunda causa agit, & operatur cum hac subordinatione dependentiæ ad primam causam subordinantem sibi secundam in agendo, quòd dicatur præmouere secundam, & non tantum esse partialem causam, vt malè aduersarij concedere solent: neque tantùm esse comitem secundæ causæ, quod etiam malè docent, sed potius Deum ita esse primam causam, vt neque sit partialis, quia sic non esset prima causa infinita: neque etiam dicatur esse solùm concomitans, quia hoc lædit & minuit rationem causæ ipsius Dei, & independentiã quam ipse habet ab omnibus: imò verò etiam minuit integritatem diuinæ omnipotentiæ, & vox ipsa quæ dicit Deum esse partialem causam inuoluit & includit conditionem diminutam seu diminuentem de ratione causæ, & denotat quandam imperfectionem Dei, dum de ipso dicitur quòd est partialis causa.

Ex subordinatione liberi arbitrij creati ad primã causam & primum ens, non abs re colligitur secundãcausam præmouendam esse in sua operatione ab ipso primo ente per essentiam.

Advertо etiam, influxum Dei in causam penetrare, & attingere etiam immediatè effectum causæ secundæ, & dici præuium, & necessarium, vt ipsa secunda causa agat.

Nõ solum in essendo, sed in agendo & causando dicit creatura in timã dependentiam à Deo.

Nam ob id Scriptura dixit non solùm quòd in ipso Deo sumus, sed etiam quòd in ipso mouemur. Quoniam non tantùm esse quo sumus, & est à Deo, & conseruatur à Deo, sed etiam cum ascendimus ad gradum causandi & agendi, in quo assimilamur Deo primo agenti per essentiã, in ipso mouemur, & ab ipso mouemur, siuè hæc motio Dei sit ipsa determinatio causæ ad agendum, quæ vel fit à Deo actione etiã ipsius causæ secundæ ex præuio Dei influxu, habentis rationem principij: Nã vna & eadem actio, est quæ dicit respectum ad duplex principium effectiuum, fluens immediatè ac per se non tãtum à nobis, seu à voluntate nostra, sed etiã ab ipso Deo præuiè influente, itaque illa actio licèt in re vna sit, multiplex dici potest, ex solo respectu ad Deum immediatè influentem, & ad voluntatem nostram.

Quòd applicatio vt operetur causa secunda fiat à Deo, probatur.

Quòd adeò certum est, vt auctores oppositæ sententiæ concesserint, causas omnes secũdas indigere applicatione Dei ad agendum, idq; etiam conuenire intellectui & voluntati hominis, & hanc applicationem à Deo fieri multis modis, & aliquando per se solùm, & aliquando etiã per alias causas secundas, aut per aliquod imperium, ita vt hæc applicatio causæ ad agendũ quæ à Deo fit præuia sit, & semper à Deo, vel solo, vel id operante cum causa creata. Quòd autem hæc applicatio fiat à Deo patet: Nã profectò hæc applicatio & determinatio causæ ad agendum, quæ actu fit in exitu illo actus primi ad secundum, est aliquid seu aliqua entitas in rerum natura, quidquid illud sit, præcipuè in supernaturalibus: ergò necesse est à Deo fieri, Deus enim est qui maxima sua efficacia & prouidentia, hæc omnia quæ cernimus continet, & gubernat: ergò necesse est vt ipse sit prima causa omnis determinationi, & huiusmodi applicationis. Modus autem, quo hæc applicatio seu determinatio fit, à quibusdam nouioribus Theologis explicatur, *à la malicia*, quòd aiunt. Cæterùm friuolis quibusdam explicationibus, & aliquando cõfictis ab eis, omissis & reiectis: semper obseruanda est doctrina D. Thom. tam 1. 2. locis citatis, quàm. 1. p. q. 105. & 103. De qua multa diximus in superioribus, & aliqua dicemus inferius.

Tertia Conclusio; potissima huius controuersiæ.

Cõcl. 3. Nõ solum voluntas nostra præmouetur & prædeterminatur à Deo moraliter, sed etiã efficienter propriè.

Dico tertiò: Deus in actibus supernaturalibus non solùm mouet voluntatem nostram præmotione morali seu moraliter, sed etiã præmouet aut prædeterminat eam efficienter propriè: & per hoc neque destruitur eius libertas, neque dominium suarum actionum. Quòd Deus moueat voluntates hominum, seu præmoueat nos moraliter, nemini dubium esse potest. Nam homo in suis actibus humanis pertinet ad genus moris, seu ad ordinem moralem agentis moraliter & liberè, & ducitur prudentia, & legibus, & ratione, & persuasione, & moralibus obiectis, atq; consilio. Rursus etiam homo ducitur rationibus & discursibus moralibus & motiuis loci & temporis, & plerisq; alijs: ergò in omnibus bonis & pijs operibus præmouetur à Deo in eodẽ genere tanquam à primo deliberante. Præterea etiam mouetur homo à Deo ad collationem & conferentiam ex parte intellectus, vt iudicium ferat de rebus agendis. In intellectu autem, & in collatione & conferentia eius, veluti in radice reperitur illa indifferentia, quæ est radix libertatis: non enim operatur homo ex iudicio à natura infixo; quia habet hanc conferentiam & collationem rationis & indifferentiam in iudicando: ergó moraliter præmouetur. Vnde voluntas hominis mouetur à Deo inuitando, & alliciendo ipsam, proponendoq; etiam rationes & persuasiones, docendo & imbuendo ipsum hominem, & ostendendo atq; illuminando obiectum. Quo fit vt voluntas & arbitrium hominis præmoueantur etiam moraliter à Deo.

Quantũad præmotionẽ moralẽ res est clara & à quanõ dissentiunt contrarij.

Quòd verò Deus non tantùm moraliter sed etiam efficienter propriè præmoueat liberã hominis voluntatem tanquam prima causa, nõ solùm prima in moralibus, sed etiam prima in efficientibus propriè: & quòd hoc non fiat sine voluntatis libertate, & etiam dominio suarum actionum, id quidem est, in quo auctores cum quibus disputamus dissentiunt à nobis. Sed antequam probationes & argumenta huius assertionis à nobis tradantur, suppono ex his quæ diximus disputatione quarta precedẽte: Quòd efficacia gratiæ actualis diuini auxilij prouenit ex Deo, & non ex nobis, neq; ex cooperatione nostra, aut ex euentu, vt quibusdam ex aduersa rijs placuit. Cæterùm explicare oportet in discursu propositæ assertionis magis in particulari quo pacto efficacia diuini auxilij proueniat ex Deo; videlicèt, vtrùm proueniat ex Deo inchoante, & prius natura efficaciter mouente liberum arbitrium ad conuersionem & pœnitentiam, quàm ipsum liberum arbitrium se determinet, aut applicet ad cõsentiendum vel dissentiendum? vel solùm vtrùm se habeat tantùm cõcomitanter efficax auxilium cum bono vsu nostri liberi arbitrij? Quæ sanè quæstio licèt magna ex parte cõstare possit ex dictis, tamen quia est valdè difficilis, & valdè controuersa hac ætate, propter nouos Theologos, qui cũ Ludouico Molina orti sunt, idcircò seuerius, & diligentiús res hæc euoluenda & aperiẽda est à nobis.

Vt probetur voluntatem determinari propriè efficiẽter à Deo supponitur. 1. efficaciam gratiæ actualis prouenire à Deo.

Suppositio. 2. Dupliciter intelligi potest actum nostrum supernaturalem prædeterminari à Deo, scilicèt ordine intentionis & executionis.

Svppono etiam, varijs modis intelligi posse Deum prædeterminare efficaciter actũ liberum supernaturalem à nobis efficiendũ, nimirũ actum conuersionis, & Fidei, actum contritionis & pœnitentiæ, & alios similes actus supernaturales. Primò, solo ordine intẽtionis, per hoc videlicèt quòd Deus apud se statuerit ab æterno, volũtate absoluta, cõuertere aliquẽ, seu talẽ actum pœnitentiæ fieri ab homine certo loco & tempore, absque eo quòd intelligatur mandasse illum executioni, aut feciſſe aliquid ad extra, ad q̃ infallibiliter sequatur ille actus cõuersionis aut pœnitẽtiæ. Secũdò, ordine exe-

cutionis, quia nimirum Deus nō solùm statuit apud se, intentione & voluntate absoluta vt ille actus fiat, sed etiam secundùm executionem, & vt ita fiat sicut ipse vult, scilicèt liberè, ratione cuius decreti sanciuit dare auxilium efficax præuium, & commensuratum ipsi actui, per quod infallibiliter & inclinabiliter sequeretur ipse actus. Perpende tamen, quòd Deum prædeterminare actum liberum nostrum ordine executionis, potest intelligi dupliciter, nimirum & moraliter, & efficienter propriè, quod alij dicunt physicè. Aduerte rursus, posse etiam tribus modis intelligi quòd liberum arbitrium prædeterminetur efficienter propriè seu physicè ad actum liberum. Primò quidem, ita quòd Deus directè producat ipsum actum, & illum ponat se solo in libero arbitrio creato, absque eo quòd liberum arbitrium aliquid efficiat, sed passiuè solùm concurrat. Si igitur intelligatur hoc modo fieri actus liber, certum est quòd influxus actualis Dei in illum siue actio transiens, quæ illum producit, est prior ordine naturæ quàm actus ipse, vt in facto esse, ac proinde ex Dei actione verè & propriè prædeterminatur liberum arbitrium ad habendum talem actum. Et hac ratione sine vlla controuersia est certum: Deum non determinare voluntatem ad suas actiones liberas, quia hoc modo voluntas non esset vera causa sui actus, nec ipsa verè se determinaret: neque liberè ageret. Secundò potest intelligi, ita quòd Deus no se solo producat actum illum directè, sed vel formam seu motionem aliquam receptam in libero arbitrio, ad cuius efficacitatem infallibiliter sequatur, quòd liberum arbitrium liberè eliciat actum illum, non quidem ad eum modum, quo ex motione qua ego moueo calamum dum scribo, resultat necessariò actio instrumentalis, qua ipse calamus instrumentaliter efficit characteres: sed ad eum modum quo Deus attingit omnia à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, iuxta proprios modos cuiuscunque rei, vt S. Thom. explicat, qui non solùm credit secundas causas, & res omnes subijci Deo, secundùm rem, sed etiam secundùm omnes modos agendi & essendi, ita vt res omnes operentur, & agant, non solùm quòd Deus vult, sed etiam eo modo quo Deus vult vt operentur, liberè, contingenter, vel necessariò. Tertiò, ita quòd Deus non intelligatur producere in libero arbitrio quid præuium actui, præter auxilia gratiæ sufficientis, neque etiam intelligatur se solo producere ipsum actum liberum, sed intelligatur, quòd tam ipse Deus quàm liberum arbitrium eleuatum auxilio sufficienti, efficiunt actum: tamen prius natura attingit illum effectiuè Deus, quàm liberum arbitrium sic eleuatum.

Prædeterminatio ordine executionis adhuc intelligi potest duplicitur, scilicet moraliter & efficienter propriè.

Tribus modis intelligi potest prædeterminatio physica ad actū liberum. 1. Ita quòd Deus se solo producat actū liberum voluntate solum passiuè se habēte.

2. Ita q̄ Deus producat formam seu motionē ad quam infallibiliter sequatur operatio liberi arbitrij.

3. Ita q̄ nō producat in libero arbitrio aliquid præuium actui, sed quod tā ipse Deus quā liberum arbitrium efficiant actū.

SANE, omnes hi modi prædeterminandi liberum arbitrium creatum, iure & merito vocari possunt prædeterminationes physicæ, quia ponunt aliquid ex cuius positione infallibiliter consequitur actus. Sed aliter etiam potest intelligi, quòd Deus præ determinet actum liberum moraliter tantùm, cum vera infallibilitate futuri actus, per hoc quòd nihil prorsus determinatè efficiat circa liberum arbitrium, ad quod necessariò ex natura rei sequatur actus ipse liber, sed solùm moueat ipsum liberum arbitriū ex parte obiecti per gratiam excitantem, & ex parte principij operatiui per gratiam adiuuantem, quantum requiritur ad rationem auxilij sufficientis, sic tamen moueat vt obseruet oportunitatem loci, temporis, & aliarum circunstantiarum, quas solus ipse Deus cognouerit & parauerit, prout videt congruere, adhoc quòd homo infallibiliter eliciat actum liberum, quē ipse Deus voluntate absoluta decreuerat ab æterno eliciendum. Et auctores huius modi dicendi alia via pergunt quàm superiores oppositæ sententiæ nostræ. Et adducunt exemplū, vt mentem suam explicent, quod nō adamusim quadrat: quāuis auctoribus eius placeat. Dicunt enim: Quòd sicut rex sapiens postquā ordine intentionis statuit apud se volūtate absoluta aliquid fieri à ministris suis, tot applicat motiua, circūstātias, & præcepta vndequaq;, vt infallibile sit, quòd ministri illud liberè faciēt, & tamē motiua illa omnia, atq; præcepta non determinant efficienter physicè ministros ad operandum, sed solum moraliter: Ita etiam n propositō potest intelligi (dicūt) quòd Deus ab æterno, secundùm ordinem intentionis, determinauerit actum liberum ab homine faciendum, & quòd in tempore executiuè moueat liberum arbitrium ad illum efficiendum: non per aliquam formā, seu physicam motionē, ad quā ex natura rei necessariò sequatur actus, sed per internas, & externas exhortationes, & per alia media, & motiua, ad quæ infallibiliter sequatur actus. Est tamē valdè latum discrimen, inter modum quo Rex vel alius homo potest prędeterminare moraliter actum alterius, & modum quo Deus potest illum prædeterminare moraliter: Tum quia homo non potest inclinare vel mouere voluntatem alterius ex parte principij operatiui, sed tantùm ex parte obiecti, proponendo rationes seu motiua, quibus voluntas alliciatur: Deus autem non solùm ex parte obiecti, vt Sanctus Thom. docet, sed etiam ex parte principij mouere & inclinare potest: Tum etiam, quoniam ex prædeterminatione morali qua vel vnus homo prædeterminat actum alterius, siue etiam ille sit Rex, non potest consurgere omnimoda infallibilitas futuri actus, bene tamen (vt hi auctores volunt) ex prædeterminatione morali, qua Deus prædeterminat efficaciter nostros actus liberos: vt in discursu tertiæ sententiæ explicatur.

Alius modus quo potest intelligi voluntatem prædeterminariā Deo præmotione secundùm moralitatem.

Quam valdè diuersum sit exēplum aduersariorum. Rex enim non mouet ex parte principij operatiui sed solū ex parte obiecti, & ideò nō potest ex tali prædeterminatione cōsurgere omnimoda infallibilitas futuri euentus.

QVO suppositō, conclusio nostra non intelligitur de primom odo determinationis physicè, hoc enim valdè alienum fuit semper ab Schola Diui Thomæ, & à nostra, vnde non est cur aduersarij consequentias multiplicent sine causa hoc loco contra discipulos Sancti Thomæ. Non enim sentiunt auxilium effi-

Non intelligitur assertio posita de primo modo determinationis.

cax

cax gratiæ diuinæ esse actionem aliquam physicam Dei, qua Deus ipse se solo, producat in nobis actum, contritionis videlicet, vel quempiam alium actum supernaturalem liberum, ad quam actionem merè passiuè se habeat liberum arbitrium hominis. Hoc enim apertè repellitur in Tridentino Sessione 6. cap. 5. & can. 4. vbi damnatur anathemate qui dixerint liberum arbitrium hominis nihil omninò agere, sed passiuè tantum se habere in sua conuersione ad Deū per actum fidei vel contritionis. Et hoc ipsum habetur etiam apertè ex Sacris Literis, & ex communi traditione Sanctorum Patrum, & Conciliorum, in quibus passim prouocamur ad cooperandum Deo in nostra cōuersione. Quod etiam confirmari potest, quoniam proprius modus conuertendi nos ad Deum est per actus credendi, sperandi, diligendi, & pœnitendi; Sed implicat contradictionem quòd aliquis credat, diligat, & pœniteat nihil efficiendo, & merè passiue se habendo, sicut implicat quòd ignis calefaciat, & sol illuminet, & quòd nihil efficiant: ergo, &c. Quocirca aduerte & perpende contra Andream à Vega, & contra alios quosdam: quod licèt Deus possit supplere actiuitatem causarum secundarum in ordine ad alios effectus, non tamen in ordine ad operationes vitales vt sic: quia de ratione formali & intrinseca talium operationum est, quòd procedant à principio coniuncto, atque adeò quòd efficiantur ab eo in quo recipiuntur, & quòd ab illis denominentur formaliter. Et quāuis gratis admitteremus, Deum posse de potentia absoluta supplere actiuitatem omnem causarum secundarum etiam in ordine ad actus vitales, tamen nullatenus potest concedi, salua fide, quòd de facto illam suppleat in ordine ad actus fidei, contritionis, pœnitentiæ, & similes alios, quibus ad Deum conuertimur. Et ob id Vega lib. 6. in Tridentino, cap. 8. quāuis concedat Deum totaliter per se ipsum vel per angelos producere efficienter sine nobis omnes bonos affectus, quibus nos vocat & excitat ad pœnitentiam & conuersionē, negat tamen omninò quòd producat in nobis actus pœnitentiæ, fidei, dilectionis, & spei, absque nostra libera cooperatione & coefficiētia.

Implicatorium omninò est aliquē diligere, credere, vel pœnitere nihil efficiendo, sed passiuè se habendo.

Vega in Trident.

Restat igitur vt tertia assertio seu conclusio à nobis posita, intelligatur de auxilio gratiæ Dei efficaci præmouente nos efficienter propriè, seu prædeterminante voluntatem nostram, quæ & se determinat sub hac determinatione Dei, & se agit, & cooperatur, Deo efficiēter inchoante, & voluntate simul se mouente non in alia duratione aut in alio instanti, aut in aliquo priori in quo Deus agat & ipsa non.

Hæc igitur assertio nostra de præmotione efficaci diuinæ gratiæ qua Deus premouet voluntatē hominis liberam, tanquam prima causa omnino, probatur: primò quidem testimonijs Sanctarum literarum; Secundò testimonijs Sanctorū Patrum; Tertiò testimonijs Conciliorū; Quartò Theologicis rationibus efficacissimis.

Testimonia Scripturæ pro nostra sententia.

Locus D. Pauli ad Ephes. 2. expenditur & in fauorem concl. adducitur.

Primum testimonium est celebre D. Pauli ad Ephes. 2. *Creati in operibus bonis quæ præparauit Deus, vt in eis ambulemus.* Vbi perpende proprietatem literæ, & spiritum Pauli. Nam cū nulla re melius explicari possit præmotio voluntatis nostræ, & efficacia eiusdem gratiæ Dei præmouētis nos efficienter propriè, quàm per creationē; dixit Paulus de operibus bonis, quæ à libero arbitrio hominis fiunt, quòd ipsum arbitrium, seu homo liber, creatur in operibus bonis, quæ Deus præparauit, vt in eis ambulemus, quæ verè fiunt efficienter & liberè à libero hominis arbitrio cooperāte, Deo ipsum præmouente: & sicut creatio nihil supponit & omnia anrecedit procedens à Deo vt ab efficiente propriè operante, & agente physicè, ita præmotio gratiæ dicitur esse præuia & antecedens & efficienter propriè à Deo veniens, vt ambulemus in operibus bonis, quæ Deus ab æterno decreuit vt à nobis fierent. Quod optimè & egregiè valdè apperuit Regius Vates Psal. 50. dicens. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum in noua in viscēribus meis.* Hunc locum animaduertit & perpendit ægregiè Stapletonus, lib. 4. de gratia & libero arbitrio, cap. 8. & D. Augustinus de spiritu & litera, cap. 31. animaduertēs hoc dici hac similitudine, & ea vsum fuisse Paulum, quia totum principium huius creationis seu cōuersionis nouæ ad Deū, à solo Deo est, & ab eius præueniēte misericordia, atque multipl ici gratia.

Psalm. 50.

Stapletonus.

D. Augnſ.

Hvic testimonio aduersarij respondent, iustificationem nostram & opera quæ ad illā disponunt, nomine creationis in Scriptura significari, vel ad à denotādum illud esse propriūopus Dei, & altioris ordinis quam alia opera, vel quia ex nihilo fiunt, id est ex nullo merito nostro. Sed profectò quāuis certum sit quòd creamur à Deo in operibus bonis, quia iustificatio tota ex nullo merito nostro fit ex parte nostra, tamen creare & creatio sine dubio, & important propriam efficientiam physicam ex parte Dei, & quandam motionis prioritatem, eo quod rigor creationis antecedit omnia, & præmotionem etiam includit. Neque video quo pacto cū Paulus dicat. *Creati in operibus bonis vt in illis ambulemus*, possit vel apparenter negari præmotio propriè efficiens. Vnde non solum ex illis verbis colligi potest beneficium diuinæ prædestinationis, sed etiam creatio auxiliorū supernaturalium, quæ Deus præparat, vt nos premoueat & adiuuet, ad supernaturalia opera. Quocirca malè Suarez interpretatur testimonium Dauid. *Cor mundum crea in me Deus.* dicens, quòd ex hoc testimonio solùm habemus Deū esse principalem auctorem qui nos iustificat. Sed profectò hoc testimonium non solum dicit Deum esse causam generalem & principalem ad iustificandum omnes quos iustificat, sed aliquid speciale inuoluit, quod licèt reperiatur in

Occurritur ab aduersarijs propositio argum. Occluditur occursus.

Nihil omninò creatio supponit.

iusti-

iustificatione hominis, tamē quia id specialiter est petitum à Dauid per verbum creandi, specialiter etiam & in particulari explicuit hanc productionem auxilij efficacis gratię Dei, quod est creatiuum noui spiritus. Quod sentiens D. Augustinus super eundem locum ait. *Cor mundum crea, id est quasi nouū aliquid institue & fac.* Quod sanè, ex Dei mouentis nos, pręmouētis, & quasi determinantis, dicitur sub verbo creationis. Et Hugo Cardinalis ait. *Cor mundū supra de peccatis est contra mala vt amouerētur: hic autem orat pro bonis vt dentur, cum subiungit. Cor mundū crea in me Deus. Crea dicit quasi ex nihilo.* in quo significat antecedentiam præmotionis diuinæ gratiæ. Et non minus est dicere, Cor mundum crea in me Deus, quàm illud Hieremiæ. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Vbi conuertere nos, pertinet ad Dei gratiam conuertentē actu, quæ præuia est & efficaciter pręmouens, vt iterum Hieremias Propheta aperuit & indicauit, cap. 31. dicens. *Postquam conuertisti me egi pœnitentiam.* Et tantum est conuertere sicut determinare, & præmouere. Vnde siue hoc, siue illo vocabulo atque voce, semper explicatur multiplex genus auxiliorum gratiæ Dei. Nam in Sacris Literis & Concilijs quāuis nomen auxilij non ita frequens sit partitum aut diuisum in sua membra, tamen sunt alia nomina æquiualētia, vt sunt adiutorium diuinum, vocatio, inspiratio, gratia adiuuans, & hoc quod est conuertere, & creare cor hominis, mouere, compellere, vertere, & inclinare. Et ob id suprà diximus, quòd omne id quo aliquis iuuatur ad aliquid faciendum dicitur adiutorium. Imò verò sunt in Scriptura sacra quædam vocabula æquiualentia huius præmotionis, & gratiæ determinantis cor nostrum, vt est illud. *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit vertet illud.* Tantūdem enim est vertere cor nostrum, sicut præmouere, & declinare, aut determinare. Et tantūdem est conuertere, sicut præmouere & prædeterminare, iuxta illud Hieremiæ. 31. *Post quam conuertisti me egi pœnitentiam.* Vbi agere pœnitentiam & cooperari Deo pœnitēdo, est quid posterius ad auxilium conuersionis, quod nos appellamus efficax, vt dicit Propheta: Post quam conuertisti me, seu præmouisti cor meū, & determinasti ad pœnitentiam, egi pœnitentiam. Quid rogo magis accōmodatum dici potuit pro assertione nostra? Rursus etiam tantundem est aptare cor ad bonum opus conuersionis & ad pia opera, sicut præmouere cor ad illa, sunt enim hæc vocabula æquiualentia, & tamē apud D. Paulum legimus ad Hebreos. 13. *Aptet vos Deus in omni opere bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se per Iesum Christum.*

D. Augus.

Hugo Cardinal.

Hierem. cap. 31.

Æquiualentibus saltē verbis significatur in sacra Scriptura ista nostrorum operum præmotio, aut prædeterminatio.

Ad Heb. 13

Secvndvm testimonium est, quod habetur Ezechielis. 11. & 36. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum, Spiritum meū ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Quod sanè testimonium pro nobis exponit D. Augustinus multis in locis, vt postea dicam, & Diuus Fulgentius. Vnde verba illa, *auferam à vobis cor lapideum, faciam vt faciatis*: sine dubio efficacem gratiam Dei significant, cor nostrum non solum moraliter mouētem, sed etiā efficienter propriè. Quare D. Augustinus perpendens hanc efficacem Dei gratiam præmouentem corda hominum dixit. *Volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle aut nolle in nolentis, aut volētis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat nec superet potestatem.* lib. de correptione & gratia, cap. 14. Et iterum ait Augustinus. *Non est dubitandum voluntati Dei voluntates humanas resistere non posse, quominus faciat ipse quod vult.* Et paulò inferius. *Habet sine dubio Deus, humanorum cordium quo placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Denique: *Magis habet in sua potestate voluntates hominum quàm ipsi suas.* Quod propriè verum non esset omnibus modis, si Deus careret hac potestate præmouendi, & conuertendi voluntates, & corda hominum efficienter propriè, aut si ex hoc sequeretur vlla libertatis lęsio. En hæc dicit Scriptura, & hęc dicit D. Augustinus, & non dicit quòd hoc fit per quandam congruitatem ad complexionem naturalem Petri aut Pauli, neque per oportunitatem illam durationis temporis, aut loci, sed potiùs per omnipotentissimam Dei gratiam, de qua D. Augustinus dixit: esse quandam gratiam quæ à nullo duro corde respuitur. Neque possunt prædicta loca Scripturæ & Sāctorū de sola gartia excitante explicari, vt malè sentiūt auctores oppositæ sententiæ. Quia testimonia citata sunt efficacissima valdè. Et quāuis Patres non vtantur semper vocabulis scholasticis, tamen vtuntur plerunque æquiualentibus, vt significent efficacem Dei gratiam, & diuinam præmotionem, quę à Deo procedit efficienter propriè, seu diuinam prędeterminationem. Scholastici enim Theologi ad res presiùs significandas, vocabula excogitarūt præmotionis & prædeterminationis, quibus æquiualent illa priora, quæ tam in Sacris Literis, quàm in Sanctis Patribus reperiuntur.

Alio præcipuo Ezech. testimonio probatur assertio.

D. Augus. & D. Fulgentius in fauorem nostrum præsens explicāt testimonium.

Tertivm, testimoniū est D. Pauli ad Philippēses. 2. *Deus est qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Quod testimonium egregiè interpretatur pro nobis D. Augustinus in Enchiri. capit. 32. Et negari non potest quin Deus efficienter propriè causet velle nostrum; & cum hoc non fiat respectu conuersionis, & actuum supernaturalium pœnitendi, & credendi, &c. nisi tribuendo vires efficaciśimas voluntati per modum principij, sequitur Deum eam efficienter propriè mouere, & ad hæc opera declinare & determinare; ita vt liberè & contingenter, quamuis indeclinabiliter & infallibiliter semper sequatur voluntas: iuxta illud D. Augustini de correptione & gratia, capit. 12. *Subuentum est infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur.*

Adducitur aliud D. Pauli testimoniū pro nostra conclusione.

Qvartvm testimonium est illud Ioann. 6.

D. Ioannis quartum testimonium expenditur, & pro nobis adducitur.

Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum. Et tantundem est trahere sicut præmouere & prædeterminare. Nam vbi inuenerunt aduersarij non esse hæc nomina æquiualentia? aut vbi inuenerunt quòd gratia Dei trahens homines actu ad Christum dicitur efficax, quia congruit complexioni naturali Petri aut Martini. Quia vel ipsa complexio naturalis humorū quæ est in Petro reddit efficacem gratiam Dei, vel nihil aut aliquid illi confert, sed dici non potest, quòd innata humorum complexio tribuat efficacitatem gratiæ Dei: ergo vel dicendum est nihil illi conferre, quod est certū, quia potius è conuerso gratia est quæ confert vires naturæ ad operationes supernaturales, vel aliquid naturam præstare gratiæ: & hoc est in idē barathrum & incommodum incidere. Quo fit vt si redderetur efficax gratia Dei ex tali congruitate, dicere posset homo, quòd Deus non potest venire ad se, nisi gratia eius se contemperet cum complexione indiuiduali eius, ratione cuius efficax reddatur gratia Dei.

Explicant aduersarij propositum testimoniū de tractione morali, sed aptius de vtraquetractione, morali scilicet, & propriè efficiēte intelligendū venit.

VOLVNT aduersarij eludere hoc testimonium Ioannis, quia homo etiā trahitur tractione morali, ex parte obiecti & persuasionum, quod nemo negat, quia cùm homo sit rationalis & agens morale aptum natum moraliter moueri, sine dubio moueri debet non tantùm efficienter propriè, sed etiam efficiēter moraliter, & vtranque motionē Christus expressit Ioan. 6. cum dixit. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Et in fine capitis. *Nemo potest venire ad me nisi fuerit ei datū à Patre meo.* Vnitur ergò ambæ motiones in Deo, vt suauiter & efficaciter præmoueatur homo à gratia Dei, & vt infallibilis sit intentio Dei efficax, & decretum eius, quod frustrari non potest. Et vt simul adsint efficaces vires, quæ efficaciter iuuent voluntatem humanam, ne deficiat in impletione intentionis Dei, & diuini sui decreti ob naturæ defectum, & ob multa mala quæ ipsam circunstant.

DIVVS Augustinus pro nobis militat, qui vt explicet hanc efficacitatem gratiæ Dei, & præmotionem efficientē, quam habet erga nos, seruata liberi arbitrij libertate, passim commendat eximiam Dei potestatem & sapientiā, qua ipse ex peculiari attributo eius, habet facere volentes ex nolentibus, seu facere liberè volentes ex nolentibus, & malè volentibus. Quod non adeò extulisset Diuus Augustinus, si hoc consisteret in sola illa & præcisa morali motione; Nam hæc quæ ex persuasionibus, & motiuis, ex circunstantia loci, & temporis desumitur, etiam est communis hominibus inter se, & Angelis etiam respectu hominum, quia expectato loco & tempore, & adductis persuasionibus & motiuis, seruatisque alijs circunstantijs homo mouet amicum, & alterum hominem sibi socium: ergò cum Augustinus sentiat maximè proprium Dei esse facere volentes ex nolentibus, sequitur quòd aliquid maius intelligit, quā id quod à sola morali persuasione & præmotione fit, & quòd nomine trahendi homines, & efficiendi eos volentes ex nolentibus, intelligit non tantùm moralem, sed etiam propriè efficiētem præmotionem, & determinationē cordis humani, vt distinguitur contra moraliter tātum; ita sanè vt sub præmotione morali Deus simul moueat efficienter propriè, auferēdo cor lapideum voluntatis humanæ, emolliendo ipsum, & tribuendo cor carneum, vt egregiè perpendit Diuus Augustinus lib. 1. de prædestinatione Sanctorum vbi suprà.

EXTAT præterea illud Canticorum. 1. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorū.* Quæ sanè tractio non tantùm fit moraliter, sed etiam efficienter propriè, & id ipsum oportet intelligere in verbis Christi citatis. *Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum.* Vnde ex vi illorum verborum Christi, constat neminem ad Christum venire, nisi qui trahitur à Patre, & etiam constat omnes qui trahuntur à Patre venire ad Christum, quia hæc tractio efficax est, & in re habet effectum: nam ex contextu literæ re vera & de facto Christus loquitur de tractione efficaci. Quapropter non solùm est verum neminem venire ad Christum, nisi qui trahitur à Patre, sed è conuerso similiter est verum omnem eum, qui à Patre trahitur, venire ad Christum, sicut etiam Christus antea dixerat. *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet.* Et sanè Pater non aliter dat homines Christo nisi illos trahendo ad ipsum. Quod egregiè explicuit D. Prosper lib. 2. de vocatione Gētium, capit. 9. aliàs. 27. sic scribens, nimirum, *Deum significasse illis verbis, Fidem in ipsum ex Patris haberi munere, qui in cordibus trahendorum hoc egit, vt crederent, hoc effecit vt vellent, non enim esset vnde trahererentur, si sequaces fide & voluntate non essent, quoniam qui non credunt, nec trahuntur omninò, nec veniunt.*

Cantic. 1.

D. Prosper de vocatione Gētium.

QVINTVM testimonium sumitur ex Paulo ad Romanos. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur hi filij Dei sunt.* Quem locum explicans Augustinus lib. 1. de gratia Christi, cap. 25. inquit. *Vt agant quod bonum est, ab illo aguntur, qui bonus est.* Et sermone. 13. de verbis Apostoli, sic loquitur. *Dicit mihi aliquis: ergo agimur, non agimus? Respondeo. Imò agis & ageris, & tunc benè agis si à bono ageris. Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus adiutor est, ipsum nomē adiutoris perscribit tibi, quia tu ipse aliquid agis.* Ex quibus verbis D. Augustini planè intelligimus, quòd licet agatur voluntas à Deo per efficacem gratiam Deo efficaciter præmouente etiam efficienter propriè, non læditur libertas arbitrij nostri, sed potius perficitur, quia iuxta Paulum ad Romanos 8. *Qui spiritu Dei aguntur hi sunt filij Dei.* Neque satis esset quòd per solam excitantem gratiam agerentur, vt dicerētur filij Dei, nam etiā Deus excitat & tangit corda peccatorum, qui resistūt & non sunt filij Dei. Quo fit quòd cum Paulus dicat. *Qui spiritu Dei aguntur hi sunt filij Dei,* quòd loquatur de actione & tractione efficaci, qua qui trahuntur, & aguntur à Patre, & ab Spi

Celebrè D. Pauli testimoniūquinto adducitur loco pro defensione nostræ conclusionis.

ritu

ritu Dei, sunt verè filij Dei. Vnde quęso habēt aduersarij quòd non loquitur Christus de efficaci gratia Dei secūdum se, vt venit à Deo? sed solùm de gratia temporis, & loci, & congruitatis ad complexionem naturæ indiuidualis Petri aut Martini? Mirabile est sanè quomodo ad sensus suos velint sacrā Scripturam interpretari.

Sexto loco assertio roboratur Iob Ezech. & Sapientiæ geminato testimonio.

SEXTVS locus est ille in quo Deus dicitur mouere, & mutare voluntates nostras, vel facere vt velint Iob. 12. *Qui mutat cor Principū.* Ezechielis. 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Sapientiæ. 8. cap. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Et illud etiam iam citatum Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit vertet illud.* Et Psalmo. 16. *Perfice gressus meus in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea,* nimirū vt indeclinabiliter gressus eius ad Deum fiant. Et Ierem. 10. *Non est in homine via eius.* Super quem locum legēdus est D. Hieronymus. Et Sapien. 9. *Deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me in sua potentia, & erunt accepta opera mea.* Et quamuis dicat, *quòd deducet eum,* tamen statim addidit, *& custodiet me in sua potentia & erunt accepta opera mea.* Perpēde, in sua potentia, quæ etiam propriam efficientiam inuoluit, & includit. Similia etiam loca reperientur multa, ex quibus constare etiam potest apertè veritas nostręsententiæ. Hæc modo sufficiant, nam alibi plura alia retulimus, & plura etiam referemus inferius, præsertim illa quę specialiter loquuntur de diuina prædefinitione, & de diuinis decretis, quia huiusmodi loca specialem habent vim contra aduersarios.

Ex propositis testimonijs conficitur discursus, præcipuè ex illo Ioan. 6.

EX quibus locis, & alijs sententijs possumus primò hunc discursum facere: vt ostendamus quam sine læsione vlla veritatis procedamus. Conficiamus ergò discursum ex illo Ioann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Cum enim sit de fide sententia Christi, optimè sequitur in bona consequentia: Ergo omnis qui conuertitur trahitur à Patre, & qui non conuertitur non trahitur. *Quare autem Deus hunc trahat, & illum non trahat,* inquit Augustinus, *noli velle iudicare si non vis errare.* Cæterùm oppositum dicentes putant se non errare, vt Augustinus ait, neque decipi affirmantes causam huius esse manifestam, videlicet, quia is qui venit ad Christum, etiamsi sit minori auxilio, & non tantum æquali præditus, ex innata libertate sua benè vtitur auxilio Dei, ex eadem etiam innata libertate, seu innatis viribus, determinando seipsum ad conuersionem & pœnitentiam: Quasi posset quis benè vti auxilio Dei in supernaturalibus, ex innatæ libertatis suæ proprijs viribus, & non potius ex dono Dei trahentis eum qui benè vtitur, & non trahentis illum qui malè vtitur. Hoc vrgere magis volo: Nam si ex innatæ libertatis viribus proprijs: vt Molina dicit: benè quis vtitur auxilio Dei, & ipsum efficax reddit; tunc apertè sequitur, quòd homo trahit Deum ad se. Nā si innata libertas eius causa est cur benè vtitur auxilio, quod se tenet ex parte Dei: ergo ex innata libertate homo habet Deum trahere ad se, & consequēter, sicut Christus dixit, Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eū, similiter dicere potuisset è cōuerso homo, Deus non venit ad me nisi ego ex innata mea libertate traxero illum; cùm tamen hoc videatur contra testimonium Ioannis. Nam eodem loco citato Ioann. 6. repetens Christus quod dixerat, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum:* vtitur alijs verbis, & alia sentētia, quæ reddit causam præcedentis, nimirum: *Propterea dixi vobis,* scilicet hoc: *quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit illi datum à Patre meo.* Ecce idem sunt trahi à Patre, & donare illud venire, seu motionē illam, venientis liberi arbitrij ad Christum. Igitur Deus nō solùm dat nobis auxiliū, quo venire valeamus, sed etiam dat ipsum bonū vsum liberi arbitrij, quo vtitur auxilio Dei, & quo venit ad Christū. Et hoc efflagitat Spōsa Cant. 1. cum dicit. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Per hoc autē quod dicitur, *Nisi Pater meus traxerit eum,* significatur quidem non motio violenta, sed efficacia cuiusdam diuini auxilij gratuiti, de qua D. Augustinus dicit lib. 1. de prædestina. Sanct. cap. 8. quòd à nullo duro corde respuitur, & ex consequenti, si à nullo duro corde respuitur hæc gratia seu efficacia cuiusdam auxilij diuini, sequitur quòd eo posito, nemo cui datur resistit, sed infallibiliter & efficaciter voluntas venit, & quod hoc est non tantùm morale, sed etiam physicum. Nam si non veniret, aut hoc ita non foret falsum esset quod dixerat Augustinus, quòd à nullo duro corde respuitur.

Si ex innatæ libertatis viribus ex auxilio sufficienti efficitur efficax, proprius videretur dicendum Deum trahi à peccatore, quā peccatorem trahi à Deo

Illustre testimonium D. Pauli ad Rom. 4. pro nostræ veritatis robore adducitur & facilè explicatur.

RVRSVS alium deduco discursum ex testimonio Pauli ad Rom. 4. cap. vbi dicit, loquens de promissione Abrahæ facta. *Ideo ex fide vt secundùm gratiā firma sit promissio omni semini, &c.* Et paulò inferius loquens etiam de Abrahamo, & fide eius, inquit: *Qui contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium.* Sanè Abraham ducebat Isaac filium suum vt sacrificaret eum, ensem manu tenens, iam iam determinata voluntate collum illius ferire & percutere volens, proximo ictu brachium admouēs, & extendens ex iussione Dei. Quis ergò dicat locum & tempus determinatamque voluntatē Abrahæ, occidendi, & sacrificandi puerum ex Dei præcepto, non fuisse potius motiua, quæ aliàs poterant retardare voluntatem ab spe Abrahæ circa promissionem illi factam, de successione illius, vt fieret pater multarum Gentium: nisi ope firmissima & efficaci auxilio gratiæ Dei muniretur voluntas & intellectus Abrahæ, vt crederet & speraret ex ipso filio Isaac, quem sacrificabat, promissionem multarum gentium esse implendam, vt secundùm gratiā firma esset promissio. Vnde Paulus proposuit in prædicto loco magnitudinem fidei Abrahæ, dicens. *Qui in spem credidit contra spem vt fieret pater multarum gentium.* Spes importat certam expectationem boni futuri, aut boni

promissi, quæ certitudo si est ex causa diuina aut ex promissione Dei certitudinem habet ex parte Dei promittentis, sed quoniam contrariũ apparebat ex impletione præcepti diuini de occisione & sacrificio paruuli Isaac, & ex determinatione volũtatis, qua Abraham Deo obediens puerum firmiter decreuerat sacrificare iã positus in opere, & exercitio eius, credidit in spem diuinæ promissionis contra spem. Quæ igitur oportunitas temporis; quæ congruitas loci; quæ complexio naturalis & indiuidualis stabiliebat firmitatem promissionis? Aut quæ congruitas circunstantiarum occurrentiũ reddebat efficacem Dei gratiam, & communia auxilia in Abrahamo, nisi firmissima ope & efficacissimo auxilio à Deo proueniẽte Fides & Spes Abrahæ roborarentur? Sanè hoc non potuit esse ex communibus auxilijs sine efficacia speciali aut robore à Deo procedente ex arce gratię suæ: ergò efficacitas gratiæ vt à Deo est, & ex parte sui principij à quo prouenit accipi debet, & non vt auctores oppositæ sententiæ dicunt, ex congruitate loci, temporis, & complexionis. Vnde dicit Paulus vt secundum gratiam firma sit promissio.

Ex conuersionibus ad mirabilibus D. Pauli & latronis mirabiliter munitur cõclusio.

FAVET etiam illud Pauli quod in eius conuersione à Deo est mirabiliter factum, qui spirans minarum & cędis dum literas contra Christi discipulos ferebat, mutatus est repentè, & cõuersus ad Christum quem persequebatur. Quis dicat efficacissimam hanc gratiam efficacitate sua nõ addere aliquid nouum quatenus à Deo est vt infallibilis esset Pauli conuersio & mutatio ab infidelitate ad fidem Christi, quẽ odio ingenti persequebatur: aut hãc habere ex innata libertate aut viribus eius efficaciam, sed potius ex Deo?

MOVERI vlterius debet Theologus ad eandem rem confirmandam contra aduersarios ex latronis conuersione mirabiliter à Deo facta, dum in Cruce pendebat: Nã cùm videret Christum secum in patibulo consortem Iudæorũ populo acclamãte & damnante ipsum. Quis dicat hoc ex communibus auxilijs tantùm prouenire? aut quòd efficacia Dei ab ipso procedẽs, & vt ab ipso est, non intercesit inter prima cõmunia auxilia, & effectum conuersionis ipsius latronis? Aut quis dicat efficacitatem huius diuinæ gratiæ fuisse desumptã ex congruitate tẽporis, aut ex complexione naturali latronis? aut ex occasione & alijs occurrentibus, cùm latro videbat omnes damnare Christum & tanquam reum eum ducere ad Crucis patibulum, sibi crucis consortio æqualem.

Vltimo loco concluditur intentũ ex testimonio Iob, in quo Dæmõ ipse veritate compulsus hãc gratiæ efficaciam testatur. Malleò ipse sine dubio non esse à Deo hanc efficacitatẽ

ADDVCOR etiam alio discursu ex illo Iob. 1. cap. Cum enim Diabolus interrogante Deo: *Vnde venis?* responderet: *Circuiui terram & perambulaui eam. Dixit Dominus ad eum: Nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timẽs Deum, & recedens à malo? Respondit Sathan: Nunquid Iob frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum, operibusque manuum eius benedixisti? &c.* Ecce quo pacto laudatur Iob à Deo, quòd esset vir simplex, & rectus, & timens Deum, recedensque à malo, cui similis suo tempore, quoad omnia, non esset alius in terris. Rursus etiam à Deo laudatur eo quòd multis tentationibus non fuerit motus, neque victus, vt declinaret ad malum. Quæ sanè omnia sine Dei efficaci gratia minime fiunt: & idcircò respondit Diabolus. *Nonne tu vallasti eum, & operibus manuũ eius benedixisti?* Ecce totum hoc refertur ad vires Dei, & ad efficacem gratiam, vt à Deo venit, cum hac responsione dicatur: Nonne tu valasti eum? operibus manuum eius benedixisti? Igitur si ex eo quòd Dominus munit iustũ Iob, sequitur ex Deo esse efficaciam auxilij, similiter sequitur ex ea vallatum esse, vt esset rectus, & simplex, & timens Deum, & vt diaboli tentationibus resisteret, ne succumberet, sed potiùs machinas eius vinceret & dissolueret. Glossa interlinealis. *Nonne tu vallasti eum: Quasi nõ ex propria virtute habet quod stat, sed tua vallatione.* Scio aliam esse & posse fieri interpretationem huius loci, sed hæc etiam aliena non est ab interpretatione eiusdem, cùm Scriptura fœcundissima sit, & habeat sanos & Catholicos sensus literales plures eiusdem literæ, & hic, qui huic instituto accommodatur, quadrat etiam in præsenti: Sed extendi potest ad temporalem munitionem vitę, & bonorum temporalium. Cæterùm cum paulò antea dixerit Deus ad Sathan: Nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo; & loquutus sit de rectitudine, & simplicitate cordis, & timore Dei, & de recessu à malo, & tentationibus: quæ omnia pertinent ad bona spiritus & animæ: egregiè sanè interpretari potest, Nonne tu vallasti cum tua efficaci gratia? nimirum vt esset rectus, & simplex, & vt permaneret in simplicitate cordis, & rectitudine, recedens à malo & à tentationibus eius, eas vincẽs permanendo in timore Domini, & rectitudine cordis: hoc enim erat ab efficace Dei gratia prouenire ab eo, vt firmiter hoc fieret. Est ergò Dei gratia efficax vt à Deo venit.

Scripturã Sacra tum fœcundissima sit, sub vnã literã plures etiã literales sensus verissimos admittere potest.

Testimonia Diui Augustini, & Sanctorum Patrum, quibus ostenditur veritas nostræ sententiæ de efficacia gratiæ, vt venit à Deo: in quorum discursu aperitur à nobis campus disputationis, & quòd voluntas non dicatur instrumentum suarum actionum.

Ex D. Augustino primùm elicitur hæc veritas.

DIVVS Augustinus lib. 1. de prædestinatione Sanctorum, cap. 8. egregiè affirmat, esse quã dam gratiam efficacem, vt venit à Deo de qua dicit: *Quòd à nullo duro corde respuitur, quia ipsa*

cor emollit. In quo testimonio Augustini efficacia tribuitur gratiæ, & non humanæ voluntati, aut eius cooperationi. Vbi aduerte quòd explicans Augustinus locum illum. *Omnis qui audiuit à Patre & didicit venit ad me.* inquit Augustinus. *Valde remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Pater auditur, & docet vt veniatur ad Filium. Nimium gratia ista secreta est. Gratiã verò esse quis ambigit? Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur.* Si ergo non respuitur vnquam ab vllo duro corde hæc gratia; sequitur, quòd ipsa habet, vt venit à Deo, illam efficaciam secundùm se: aliàs aliquando de facto respueretur: & non esset vniuersaliter verũ, quòd à nullo duro corde respuitur. Vnde subiungit Augustinus: *Quòd idcircò tribuitur hæc gratia vt cordis duritia primitùs auferatur.* Et statim. *Quando ergo Pater intus auditur, & docet, vt veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum.* In quo apertè significauit gratiam efficacem efficienter propriè in postremis verbis, & moraliter præmouentem in prioribus. Et infrà adducit locum Pauli ad Romanos. 9. *Nunquid dicit figmentum ei qui se fixit: Quare sic me feciſti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem facere massa, &c.* In quibus verbis D. Augustinus apertè significat, quantum valeat in hac schola secreta, quæ intus in corde hominis operatur & docet, cum non sit sola doctrina, virtus Dei, & potentia secretò agens, & efficienter mouens cor hominis.

Et paulò inferius idem Augustinus in eodem cap. inquit. *Absit ergo vt quisquam non veniat, qui à Patre audiuit, & didicit.* Et interrogãs atque obijciens contra se: *Quare (inquiunt) non omnes docet? Si dixerimus, quia nolunt discere quos non docet: Respondebitur nobis: Et vbi est, quod ei dicitur? Domine tu conuertens viuificabis nos: Aut si non facit volentes ex nolentibus Deus, quid orat Ecclesia secũdùm præceptum Domini pro persecutoribus suis?* Vides ergo quomodo animaduertit Augustinus efficientiam moralem distingui ab illa qua propriè efficienter, & non tantum moraliter, viuificat nos, conuertendo nos, & propriè efficienter ita agendo vt efficiat volentes ex nolentibus Deus. Et idcircò in fine capitis colligit: Ergo trahi à Patre ad Christum, & audire ac discere à Patre vt veniat ad Christũ, nihil aliud est quàm donum accipere à Patre quo credat in Christum. Semper ergo tribuitur hæc efficatia gratiæ ipsi dono Dei, vt venit à Deo, & secundùm se.

Clarè à D. Augustin. distinguitur ab efficacia moralis gratiæ vera & propria efficientia, quæ dicitur causa physicè.

Rvrsvs est elegans locus D. Augustini in eodem libr. 1. de prædestinatione Sanctorum capit. 10. quo in loco explicat, quomodo præscientia, prædestinatio, & gratia differant. Quo in loco supponit, vt rem certam, Deum prædestinatione præscire ea quæ fuerat ipse facturus. Sunt enim verba eius hæc. *Prædestinationis quippè Deus ea præsciuit quæ fuerat ipse facturus.* Non dicit Augustinus ea quæ præsciuit operaturam esse voluntatem humanam, nimirum per illam præscientiam medium quam aduersarij fingunt: sed ea præscire quæ fuerat ipse facturus ex sua prædefinitione, vel decreto. Et statim colligit eleganter D. Augustinus hanc sententiam. *Quando ergo promisit Deus Abrahæ in semine eius fidem gentium dicens: Patrem multarum gentium posui te, Genes. 17. dicit Apostolus: Ideo ex Fide vt secundùm gratiam firma sit promissio omni semini, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse factturus fuerat, non quod homines: quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, vt illi faciant quæ præcepit, non illi faciunt, vt ipse faciat, quod promisit: alioqui vt Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate, &c.* Vides quo pacto tam ex sententia Pauli, quàm ex sententia Sanctissimi Augustini gratia efficax & firma fundatur in Dei prædestinatione, prædefinitione & decreto, ac promissione: & in his quæ ipse facturus & præstiturus erat, & non in eo quòd homines facturi erant, quia ipse est qui facit, vt illi faciant. Et Sanctissimus Augustinus eodem lib. capit. 16. duplicem vocationem constituit: vnam, veram quidem, non fictam, qua vocati sunt omnes, etiam illi qui noluerunt venire ad nuptias, & qua vocati sunt Iudæi, quæ non est efficax vocatio. Aliam verò vocationẽ distinguit, quam appellat secundum propositum: & hanc vocationem totam tribuit Deo; qua vocatione dictum est, *Quòd maior seruiet minori*, ad Romanos. 9. ait Augustinus: Dixit ergo: Sed ex vocante, non quacunque vocatione, sed qua vocatione fit credens: igitur secundum propositum prædeterminationis & prædefinitionis: Nam si hac vocatione fit credẽs: ergo eadem determinatur ad credendum, quia sine dubio aliquis fit credens credendo, & ex actu credendi, & per illum determinatur actu ipsa voluntas. D. Augustinus lib. 1. de prædestinatione Sanctor. capi. 15. loquens de Christo, propter illud Pauli ad Hebræos. 12. *Aspicientes in auctorem fidei & consummatorẽ Iesum:* inquit. *Ille nos fecit credere in Christum, qui nobis fecit in quem credidimus Christum: ille fecit in hominibus principium fidei, & perfectionem in Iesu, qui fecit hominem, principem fidei, & perfectorem Iesum.* Gene. 17.

Idem Diuus Augustinus lib. 1. contra Pelagium & Celestium de gratia Christi, cap. 23. dicit, quòd qui benè vtitur arbitrij libertate, ponit cor suum in manu Dei, vt illud quo voluerit Deus ipse declinet, & tantundem est declinet quòd determinet: & per hoc non dicit Diuus Augustinus quòd tollitur aut læditur libertas arbitrij creati. Et agens Augustinus contra Pelagium in eodem libr. de gratia Christi, cap. 10. proponit quandam sententiam Pelagij quã vt Pelagius se purgaret adiunxit: Cùm enim videret Paulum ad Philippenses. 2. dicentem. *Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere,* inquit Pelagius: *Operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est: dum nos terrenis*

Gratiã moralem se tenentem ex parte obiecti repellit D. Augus. eo quòd ipsa nõ sit satis.

cupiditatibus deditos præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit, dum reuelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum suadet omne quod bonum est. & alibi ait: *Dum impedimenta tollit.* Cùm hæc omnia dixisset Pelagius quæ ad gratiam quandam moralem videntur pertinere: subiungit Diuus Augustinus egregiè. *Sed nos eam gratiam nolumus.* Significat ergò Diuus Augustinus aliam gratiam esse necessariam: quia omnem aliam reputat se tenere ex parte obiecti, & persuasionũ, & ex circunstantijs loci & temporis. Vnde semper oportet confugere ad veram gratiam Dei physicè influentem, vt homo operetur velle, & vt consentiat, pœniteat, aut conuertatur.

DIVVS Augustinus lib. 2. de bono perseuerantiæ, capit. 8. videtur expressè agere contra quosdam ex nostris aduersarijs, cùm dicit. *Non itaque in hominum, sed in Dei est potestate, vt habeant homines potestatem filios Dei fieri.* Quæ sententia Augustini, vt obiter hoc dicam, est contra Molinam in Concordia quæst. 14. ar. 13. disputat. 10. pag. 44.

DEINDE Diuus Augustinus lib. de correptione & gratia, cap. 14. inquit. *Volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium*: ex quo loco constat efficacem gratiam esse vt venit à Deo, & in se vim habere ad eos actus liberi arbitrij, quibus homo tendit ad salutem per hanc gratiam: & per hoc non dicit Diuus Augustinus hominem necessitari, aut libertatem lædi.

RVRSVS Augustinus tract. 72. super Ioannẽ in persona Dei sic loquitur, & scribit. *Prius ego facio, deinde & ipse faciet, quia facio vt faciat: Quæ opera, nisi vt ex impio iustus fiat.* Quid clarius dici poterat ad rem de qua agimus ostendendam? Et non est cur aduersarij velint volũtariè intelligere hoc testimonium de prioritate dignitatis Dei, neque de sola illa moralitate loci, aut temporis, & congruitatis, sed etiam de vera prioritate qua Deus præter moralẽ præmotionem mouet nos & nostram voluntatem efficienter propriè. Neque est cur huiusmodi auctores volũtariè restringant verbum, facere, repellentes eum à proprijsima significatione. Lege etiam Diuũ Augustinum epist. 89. ad Hilarium, & lib. de spiritu & litera cap. 30. & epistol. 105. ad Sixtum.

ELEGANS valdè locus est Diui Augustini in Enchirid. capit. 97. & capit. 68. vbi in hæc verba prorumpit loquens de libero arbitrio hominis & eius liberis operibus: *Quis tam impiè desipiat vt dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, & quando voluerit, & vbi voluerit in bonum non posse conuertere. Aliàs non esset verum quod in Psalmis dicitur: Omnia quæcunque voluit fecit, si aliqua voluit & non fecit, & quod est indignius, ideò non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit.* Legendus est etiã D. Augustinus lib. de natura & gratia contra Pelagium.

PRAETEREA D. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. ait: quòd gratia Dei & eius vocatio non solùm dat posse velle, sed etiam dat esse effectricem bonæ voluntatis: ergò antecedenter & prius natura se habet auxilium Dei, seu gratia efficax actualis ipsius. Idem dicit lib. 1. retracta. cap. 23. & lib. 3. hypognosticon. In omni opere iancto prior est volũtas Dei posterior liberi arbitrij: ergo non expectat Deus voluntatem nostram vt ipse velit, vt malè Suarez docuit: ergo non vult Deus ex præuisione volũtatis humanæ credituræ antecedenter ad voluntatem suam, eiusque absolutũ decretum, vt malè aduersarij dicunt. Alia penè infinita loca D. Augustini, quæ magni ponderis sunt, & maxime perpendẽda recẽsenda sunt à nobis in discursu huius sectionis & controuersiæ, nunc vlterius progrediendum est.

Diuus Ambrosius libro primo de vocatione gentium, cap. 1. & lib. 2. de vocatione gentium, id ipsum sensit quod D. Augustinus nam tempore Ambrosij eadem controuersia mota fuit quã hodie Dei Ecclesiæ ingerunt aduersarij nostri. Vnde Ambrosius loco citato ait. *Primitus itaq; de voluntatis humanæ motibus & gradibus disputandum est: inter quam & gratiam Dei, quorumdam non sana discretio est, existimantium quòd prædicatione gratiæ liberum negetur arbitrium, neque aduertentium eadem regula sibi posse obijci, quòd gratiam negent, cum eam humanæ voluntatis non ducem volunt esse, sed comitem.* Quo in loco loquitur de gratia Dei effectiua bonorum operum quæ actualis gratia est, & hanc præuiam esse vult. Legendus etiam est D. Ambrosius apud D. Augustinum, qui ab eo citatur lib. 2. de bono perseuerantiæ, cap. 8. Præcipuè etiam legendus est idem Ambrosius lib. 1. de vocatione gentiũ cap. 9. Vbi ait. *Quòd hæc impenetrabilis difficultas & cur vnus discernatur ab altero, id quidem secundùm admirationem Pauli, est impenetrabile: atque ita ait, quæstionem hanc non solui per velle & nolle liberi arbitrij.* *D. Ambr.*

DIVVS Ambrosius lib. 6. in Lucam cap. 46. *Deus quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* Quem locum mirificè extollit D. Augustinus, vt perpendat efficacem Dei gratiam, & quo pacto efficacitas ex Deo ipso sit, & non ex cooperatione nostra.

DIVVS Augustinus lib. illo de correptione & gratia. cap. 8. 11. & 12. ait. *Electis non solùm dare auxilium, quo credere, pœnitere, & perseuerare possint, sed etiam quo certò & infallibiliter hæc omnia præstent.* & probat ex illo. *Ego rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua.* Quæ Christi oratio efficax fuit, Petroque obtinuit gratiam efficacem. Et in eisdem locis ait Augustinus. *Subuentum est infirmitati humanæ, vt indeclinabiliter & inseparabiliter à diuina gratia ageretur.* Et cap. 14. *Incrementum dat Deus, cui volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium: sic enim velle vel nolle in volentis est potestate, vt diuinam voluntatem nõ impediat, nec superet potestatem.* Et ibidem iterum Augustinus ita scribit. *Deus de hominum voluntatibus quod vult, cum vult facit:*

habet

habet enim humanorũ cordium sine dubio quo placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem. Denique. *Magis habet in potestate sua voluntates hominum quàm ipsi suas.* Et lib. 2. cõtra duas epistolas Pelagianorum, cap. 8. *Inuito & reluctanti homini Deus inspirat boni cupiditatem, vt iam non sit reluctans, non sit inuitus, sed consentiens bono, & volens bonum.*

RVRSVS D. Augustinus lib. 83. quæstionũ. quæst. 68. & lib. 1. retractationum, cap. 23. & sæpè alibi, constituit in prædestinatis singularẽ quandam vocationem, quam cum Paulo supra apellat secundùm propositum, quia scilicet, est efficax, eo quòd dimanat ex proposito & volũtate efficaci Dei. Vnde lib. de bono perseuerãtiæ, cap. 14. ait Augustinus. *Prædestinationem esse præparationem beneficiorum Dei quibus certissimè liberantur quicunque liberantur.* Et de huiusmodi beneficijs certissimè liberantibus intelligi debet quod dixit de prædestinatione Sanctorum cap. 10. *Prædestinatio est gratiæ præparatio.* Nam præparatio solius gratiæ sufficientis communis est reprobis & prædestinatis. Et de gratia & libero arbitrio, cap. 20. & 21. ait, Deum operari in cordibus hominum inclinando eorũ voluntates quocunque voluerit.

LIBRO quinto de ciuitate Dei, cap. 8. & 9. approbat Augustinus sententia m Homeri, Senecæ, & aliorum Philosophorum dicentium. *Tales esse hominum mentes & voluntates singulis diebus & horis, quales Deus voluit in eis fingere seu formare.* Quòd si nomine Fati Philosophi intelligunt i psam Dei summi voluntatem, cuius potestas insuperabiliter per cuncta porrigitur, nõ est damnanda ipsorum sentẽtia. Et cap. 1. *Si hæc propterea quisque Fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem Fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat.* Et lib. 3. de libero arbitrio, cap. 3. *Iam semel statuit Deus quẽadmodum feratur ordo vniuersitatis, quam condidit.* Et lib. 1. de prædestinatione Sanctorum, cap. 5. latè satis D. Augustinus ex Paulo. 1. Corinth. 4. docet, per dona quæ omnibus cõmunia sunt, non discerni homines ab hominibus, & hominem non se discernere, sed vlterius per gratiam Dei actualem & efficacem. Et explicans illud ad Romanos. 9. *Miserebor cuius miserebor. Et cuius vult miseretur, & quem vult indurat: Potestati eius quis resistit? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit quid me feci sti sic.* Denique tot sunt loca Augustini in Enchiri. & in epistola 105. ad Sixtum, vt in eis constanter & consequenter loquatur, ponendo gratiam quæ certò & infallibiliter inferat conuersionem.

Ad Rom. 9

VNDE D. Augustinus lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 19. explicans locum Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum:* perpendit Christum non dixisse, nisi Pater meus duxerit eũ, quia ducere est volentis prius, sed dixisse: *traxerit eum*, quod est non volentis prius, vt ostenderet nostram voluntatem non antecedere motionem Dei, sed è contra, & esse pedisequam. Et inferius inquit Augustinus. *Trahitur ergo homo miris modis vt velit, ab illo qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari, nõ vt nolentes credant, sed vt volẽtes ex nolentibus fiant.* Vides quomodo D. Augustinus cõstituat efficacem Dei gratiã nos mouentem per influxũ in voluntates nostras, cũ efficiat illas ex nolentibus volentes? Vnde lib. 1. de gratia Christi, cap. 14. ait Augustinus. *Hæc gratia si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt altius & interius eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere.* Quod magis explicuit cap. 24. dicens: *Intueantur atque fateãtur non lege atque doctrina sonãte forinsecus, sed interna atq; occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari Deũ in cordibus hominũ, nõ solũ veras reuelationes sed etiã bonas volũtates.*

VNDE hoc genus gratiæ & potestatis ineffabilis operantis interius in corde hominis, & hoc genus vocationis efficacis nõ consistit solũ in loco, & tempore, aut in persuasione ex parte obiecti tantũ: quia nõ fit solùm per propositionẽ obiecti, sed vlterius etiã per internã illustrationem & illuminationẽ ex parte intellectus, quibus Deus efficienter propriè influit in ipsum: & per affectiones & motiones ex parte voluntatis quibus trahit eã, quæ sanè prout dãtur à Deo ex ipsius proposito, quo Deus hominẽ, Paulum, vel Latronẽ, & Magdalenã & plures alios cõuertere & sanare decreuit, semper & infallibiliter habent coniunctũ internũ efficax gratiæ auxiliũ, quo fit mutatio interior volũtatis nõ sine ipsa, vt sæpius diximus, & hac ratione præmouetur volũtas, seu prædeterminatur, mirabili & sapientissimo modo. Nã dum Deus influit gratiã suam in voluntatẽ, simul in eodẽ puncto voluntas ipsa le agit & mouet cõsentiẽdo, & operãdo. Quia vt dicit D. Augustinus simul agit & agitur à Deo, quoniã dum mouetur recipiendo auxiliũ quod est à Deo efficienter, ipsa simul & cõsentit Deo & operatur se cõuertendo, seu supernaturaliter operando.

Colligitur exprædictis testimonijs non cõsistere actualem gratiã Dei in congruitate temporis, loci &c.

QVOD sanè magis est verũ, quãto auctores oppositæ sentẽtiæ cõstanter dicunt, voluntatẽ affectã supernaturali auxilio, nõ concurrere ad actus supernaturales vt causam secundã principalem: & principiũ eorum, quantum ad influxũ illum quem præbet per suã entitatem. Quia certè naturalis entitas per se nõ influit, sed solùm vt instrumentũ potest assumi. Tum quia cùm actus sit supernaturalis quoad substantiã, & totã entitatem suã, non potest voluntas quæ est potentia inferioris ordinis habere virtutem aliquã connaturalẽ, quæ natura sua sit effectus talis actus, neq; vt causa totalis, neq; vt partialis. Tum etiã quia si voluntas ex se haberet talẽ actiuitatem naturalẽ haberet etiã connexionẽ cum ordine gratiæ quodãmodo connaturalem, vel ratione suæ naturę sibi debitã, quia omnis virtus naturalis actiua, etiã si inchoata sit, postulat ab auctore naturæ cõcursum, influxũ, & cõplementum proportionatum vt operari possit: igitur si volũtas in his actibus nõ operatur nisi vt eleuata ad superiorẽ ordinem operationũ & effectuũ supernaturaliũ, qui nullo mo

do ei debentur ex natura sua, sequitur vt quotiescunque voluntas creata sic operatur agit vt instrumentum Dei, & licèt creatura per suam entitatem agat, non tamē ex vi naturali, sed ex obediētiali, sicut eleuatur intellectus creatus ad videndum Deū. Quod dixit Franciscus Suarez lib. 3. de auxilijs cap. 15. propè finem, num. 20.

Eo ipso ꝙ asseritur potentiam naturalem solùm esse instrumētum ad actus supernaturales, magis insinuari videtur præmotio, & prædeterminatio Dei.

Ergò quo maior est dependētia ab ipsa gratia, & quo certius est non esse naturalē influxū partialem volūtatis ad opera supernaturalia, eo certius est volūtatem à gratia prædeterminari ad agendum, & ipsam etiam se agere & determinare sic eleuatam à principio illo supernaturali efficaci. Quòd verò Suarez constituit voluntatem veluti instrumentum, quod ego non ita sentio, potiùs fundat præmotionem & prædeterminationem efficientem si perpendatur, & nobis fauet. In qua re illevt iudico sibi nō constat.

Quòd voluntas affecta gratia non sit tantùm instrumentum obiter tangitur contra aduersarios.

Nam si voluntas est instrumētum, sanè hac ratione considerata voluntas vt instrumentum est, læditur libertas eius, quia modus operandi instrumentaliter repugnat actui libero: Nam imprimis si Suarez & sui ex præmotione voluntatis efficaci intulerunt læsionem liberi arbitrij, ego efficaciori & maiori ratione infero contra eos, quòd si voluntas est instrumentum in actibus supernaturalibus, quòd non agit in illis liberè: quia de intrinseca ratione instrumenti est, vt præmoueatur à principali agente, & vt applicetur in exercitio ad opus dum artificiosè mouetur à principali causa. Et sine dubio negari non potest, quòd si voluntas censetur propriè esse instrumentum gratiæ & auxilij diuini, quòd lęditur libertas illius, etiam si dicatur esse instrumentum liberum: nam hoc est eludere veritatem: quia hæc duo repugnant inter se, quòd verè sit instrumentum actionum supernaturalium & quòd sit liberum. Et mirabile est quo pacto decipiantur in hoc, & quo pacto audeant præfati auctores repellere contra nos efficacem gratiam præmouentem volūtatem, si ipsi eam efficiūt instrumentum tantùm suarum operationum supernaturalium, respectu gratiæ & respectu Dei.

Quid Suarez respondeat.

Sed auctor citatus respōdet: Quòd iste modus agendi instrumentaliter, sicut nō repugnat respectu actus vitalis, quia Deus potest eleuare vnamquāque facultatem modo illi accōmodato, sicut eleuat potentiam vitalem ad efficiendum actū sibi immanentē, & tāquā principium intrinsecum eius, quod satis est ad rationē actus vitalis, siue talis potentia influat ex vi naturali, siue vt instrumentū & ex obedientiali: pari ratione iste modus effectionis operandi, & agēdi vt instrumentum Dei nō obstat actui libero vt sic: quia ad actum liberum duo tantū sunt necessaria. Vnum est potestas intrinseca agendi; alterum est potestas non agendi: & hoc posterius cōuenit volūtati ex se, etiā respectu actuū supernaturaliū, & quoad hanc partē dici potest libertas ipsius actus esse ab illa, vt à causa principali, quia potestas non agendi, à qua actus denominatur liber, quoad hanc partem, conuenit vō luntati ex se & propria virtute, & ita si careat actu, hæc carētia illi principaliter tribuitur. At verò quoad aliam partē, scilicèt potestatē agendi, sufficit ad libertatem quòd voluntas talē potestatem habeat, quę sufficiat ad vitaliter eliciē dū suum actū, siue hoc posit ex se, siue per amicos, seu tanquam instrumentum & organum liberum diuinæ gratię, atq; ita apertè cōstat quo modo quamuis volūtas in his actibus supernaturalibus operetur vt instrumentum liberum Dei, nihilominus nō indigeat præmotione vel prædeterminatione, quia nimirum ita eleuatur ad agendum, vt integra illi maneat potestas ad non agendum, in quo consistit quòd ipsum arbitrium iam excitatum & motū à Deo, inchoet in suo ordine consensum suum cooperando diuinæ gratiæ. Hæc Franciscus Suarez.

Repugnat instrumēti ratio respectu actus liberi, vt liber est.

Sed profectò hoc est indignum viro, aliàs docto Theologo, & Philosopho. Nam quamuis nihil obstaret respectu actus vitalis cui nō repugnat necessitas agendi, & carentia libertatis vt actus vitalis est, tamen repugnat respectu actus liberi vt actus liber est, neq; hoc potest conuenire positiuè respectu actuum supernaturaliū: Nam licèt potestas non agendi possit conuenire voluntati ex se & ex propria virtute, tamen quòd hoc sit liberum illi, dum agit, vt instrumētū, ita vt velit liberè & positiuè, formaliter vel virtualiter non agere, à sæculo non est auditū. Et multò minùs est verum de potestate agendi positiuè: implicat enim esse instrumentū alicuius principalis agētis, & quòd eius actio sit actio instrumentalis, & quòd illa non pendeat intrinsecè & formaliter ex assumptione, qua assumitur ab ipso principali agēte, imò verò est manifesta implicatio quòd aliquid operetur vt instrumentū principalis agentis, & quòd nō præ determinetur & aplicetur ab agente principali ad vnum, ita vt sit extrinseca applicatio ad illud præcisè quo agens principale ipsum instrumentū moueat: aliàs nō haberet rationē instrumenti propriè, sed causæ. Quare de ratione instrumēti est, vt videlicet instrumentū est, ꝙ nihil operetur, nisi tantū id quod per determinationē necessariam illi cōmunicatur. Et constat generali ratione de instrumētis animęviuētib⁹, quòd vt instrumenta tantū sunt ab ipsa, etiam dum mouentur necessaria determinatione ad vnum mouentur. Neque valet dicere quòd voluntas est instrumentum viuum, & organum liberum. Primò quia hæc est aperta contradictio quòd operetur liberè, & quòd sit propriè instrumentum: Secundò quia exercitiū agendi in instrumento est à determinatione causæ principalis, & nō ab aliqua determinatione instrumēti propria qua se agat & determinet, quia hac ratione cessaret ratio instrumēti, & cōueniret illi ratio causæ: Tertiò quia instrumentum vt sic

Solutio aduersariorū impugnatur.

non habet vsum, sed totalis vsus est causæ principalis: ergò si volũtas solùm se habet vt instrumentum alterius in sua actione, sequitur quòd non habet vsum actiuum sibi proprium, sed solùm habet passiuè, vel effectiuè instrumentaliter moueri, vel mouere ex impressa actuali motione agẽtis præcipui. Quartò quia si argumẽtemur ad hominem, ego non video quo pacto instrumẽtum, cum operatur vt instrumentum, non indigeat præmotione & prædeterminatione necessaria proueniente ab extrinseco à causa principali. Quintò, quia si vt instrumentum operaretur voluntas, propriè loquendo de ratione instrumenti, sequitur quòd non manet cum indifferentia positiua aliter agendi, quàm sibi communicatur à principali agente. Et sanè quamuis voluntas sit viuens, tamen si accipiatur vt instrumentum precisè, non potest subterfugere conditiones instrumenti generales. Sexto quia si vim aliquam haberent argumenta quæ contra nos conficit Suarez, & alij suæ familiæ, de præmotione & prædeterminatione Dei circa voluntatem, cui immittit suam gratiã actualem & efficacem, similiter & quidem non minus, sed potius irrefragabili ratione, militarent contra eundem auctorem & suos, quòd in casu quòd voluntas sit tantùm instrumentum læditur libertas eius. Et conficio hoc argumentum, assumendo pro maiori propositione, id quod ab his auctoribus tanquam euidens principium supponitur, nimirum: Omne id, seu omne agẽs (siue sit viuum siue emortuũ) quod agit ex præmotione alterius efficaci, vel ex prædeterminatione extrinseca alterius, qua prædeterminatur secundùm exercitium & secundũ specificationem ad vnum tantùm, in tali operatione non agit liberè, sed omne instrumentum alterius, vt instrumentum illius est, agit ex præmotione, & prædeterminatione suæ causæ principalis cum determinatione ad vnum obiectum indiuiduum, & sine vlla indifferentia: ergò si voluntas operatur vt instrumẽtum propriè, necessariò indiget, vt agat actione instrumentali, præmotione, & prædeterminatione sibi indita & infusa à causa principali, ergò non operatur in actione illa instrumẽtali operatione & actione libera: ergò implicat quòd sit instrumentum propriè, & quòd in actione instrumentali sit liberum: imò implicat quòd sit instrumentum tantùm, & quòd mereatur. Primò quia mereri est proprium causæ principalis, eoque actio instrumenti, eius non est, sed eius quod mouet instrumentum ad agendum. Secundò quia mereri nõ possumus nisi per actiones liberas: ergò si instrumentum vt sic, caret libertate, sequitur quòd non mereatur: ergò si causa principalis est capax meriti, ipsa est quæ meretur, & non instrumentum eius vt tale est.

Contra aduersarios cõficitur argum. ad probandum læ di libertatẽ si dicatur volũtatem respectu actus supernaturalis cõuersionis esse instrumentum.

Nam ipsimet aduersarij semper argumentantur contra nos hoc modo, si Deus præmouet efficienter propriè, & prædeterminat voluntatem nostram ad vnam aliquam operationem, sequitur, quòd cùm illa præmotio & prædeterminatio Dei, non sit in potestate voluntatis, quòd non manet indifferens, ac proinde non manet libera: ergò simili modo, imò efficaciori & magis ad propositum valet, Voluntas agit vt instrumentum propriè, ergo vt præmota & prædeterminata ab agente principali: ergo cùm talis præmotio & prædeterminatio sit ab extrinseco ipsa non manet indifferens, & consequenter non manet libera, neque meretur. Dicere autem quòd voluntas quamuis operetur in actibus supernaturalibus vt instrumentum propriè, quòd non indigeat prædeterminatione, & applicatione causæ principalis, vel præmotione, voluntarium est. Rursus etiã quòd maneat potestas in voluntate, quando actu assumitur vt instrumentum principalis agentis, ita vt maneat pro tunc potestas actualis ad non agendum: hoc, inquam, non solùm est voluntarium, sed est contra rationem, quia si actu assumitur voluntas vt instrumentum propriè, ad actionem principalis agentis in actu & exercitio, quamuis in ipsa maneat potestas habitualis & potentialis vt non operetur, tamen si ipsa est propriè instrumentum, & actu exercet officium instrumenti, & actualiter agit, vt mota secundùm rationem instrumenti, non manet in ea vsus liber potestatis ad non agendum, cum actu mouetur instrumentaliter à principali agente.

Ex quo infertur, quòd qui dicunt: Voluntatem esse instrumentum propiè, aut instrumentum tantùm respectu actuum supernaturalium, lædunt libertatem voluntatis, & auferunt eam, in vsu actuali, quando voluntas supernaturaliter agit, vt instrumentum alterius, nimirum Dei & gratiæ. Quocirca meliùs multò obijcietur aduersarijs nostris quòd ipsi auferant libertatem voluntatis, & vsum eius in operibus supernaturalibus. Nos verò nunquam asseueramus, voluntatem aut liberum arbitrium, tantùm esse instrumentum, aut instrumentaliter propriè solùm agere in operibus supernaturalibus, seu in pijs operibus: sed affirmamus liberum arbitrium affectum forma supernaturali operatiua constitui in ordine supernaturalium agentium, & eleuari per formam gratiæ actualis, & per auxilium Dei, vt dicatur etiam agens principale ex supernaturali forma, qua ascendit voluntas ad superiorem ordinem, & ob id affirmamus quòd actus supernaturalis dilectionis Dei super omnia, non est actus procedens ab homine aut à voluntate tanquam à puro instrumento. Affirmamus præterea voluntatem indigere forma gratiæ actualis, vt supernaturaliter operetur, & hanc infundi à Deo, & antecedere vt principium propriè effectiuũ operationem eius, ac proinde esse priorem prioritate naturæ sua operatione. Quo fit vt ipsa infusio seu productio auxilij gratiæ Dei, similiter antecedat prioritate naturæ supernaturalẽ operationem voluntatis, in qua operatione cũ volun

Voluntatẽ in actibus supernaturalibus nec esse instrumentũ, nec partialiter concurrere.

tas non agat vt purũ instrumentũ, aut vt instrumentum propriè tantùm, aut vt causa partialis, (dicunt enim auctores oppositę sentētię quòd Deus & voluntas concurrunt vt duę causę partiales, seu vt duę partes vnius integrę causę: quod non est ferendũ) sed vt agens principale: sequitur quòd non amittit suã conditionẽ agentis viuẽtis & liberi, ac proinde quòd ita agitur à Deo in infusione huius gratiæ actualis & efficacis de se, vt etiam seipsam agat & moueat, quod est proprium agentis principalis viuẽtis & liberi, vt egregiè adnotauit S. Thom. 1. parte q. 83. art. 1. solutione ad 3. & q. 105. art. 4. solutione ad 2. & 3. Cæterùm cum aduersarij dicant, voluntatem esse instrumẽtũ, auferũt ab ea hoc quòd est se mouere liberè, esto se moueret vitaliter. Nam nõ sunt idem se mouere vitaliter, & se mouere liberè, neque primum sufficit ad secundũ, vt de se patet.

Aliud est dicere volũtatẽ in actibus supernaturalib⁹ assimilari instrumento, aliud quòd verè & tantùm est instrumentũ.

QVOCIRCA vt rem hanc explicemus. Sẽtio aliud esse dicere quòd in multis assimilatur instrumento voluntas respectu actuũ supernaturalium, aliud verò quòd tantum est instrumẽtum & propriè instrumentũ, & non agens secũdum, seu causa secunda. Nam certè instrumentum non valet, neque potest tollere illam suppositionem, quæ prouenit ab agente principali cuius est instrumentũ: quoniam illa suppositio est quasi assumptio instrumenti, quæ fit ab agẽte principali qua applicatur ad actionem instrumentalem, & hæc fit à solo extrinseco agente: ergò videtur implicatio, quòd istrumẽtũ possit liberè agere, si tantum est instrumentũ, & propriè instrumentum & non causa secunda: nam quidquid aliud dederis illi, erit causa & non instrumentum.

Si voluntas esset instrumentum, non ageret ex conferentia & collatione rationis.

FAVET etiam huic nostræ sententiæ: Quòd liberum principium dicitur illud, quod, positis omnibus requisitis ad operandum, potest agere & non agere, sed posita motione instrumentali, quæ fit à principali agente, non potest instrumentum non agere, quia non potest illud quod est instrumentũ tantùm dicere, nolo moueri, neq; mouere, aut agere instrumentaliter, aliàs si hoc esset positũ in potestate eius, esset causa principalis, & non tantũ instrumentum. Et confirmari hoc potest vlterius, quia agẽs liberum est quod agit per se ipsum, ex conferentia & collatione rationis, in quibus radicaliter fundatur libertas: sed instrumento, quatenus instrumentũ est tantum, & quatenus actu mouet, ex solo motu agentis assumentis ipsum ad agendum, repugnat, quòd agat ex conferentia & collatione propria, quia frustra esset talis conferentia & collatio propria in se ipso, cum motio instrumentalis sit tantũ ipsius agentis assumẽtis ipsum instrumentum ad agendum: aliàs nõ esset instrumentum sed causa principalis. Quòd si dicas hoc esse verum de alijs instrumentis, & non de instrumento libero, quale est voluntas, certè hæc responsio friuola est propter rationes efficaces superius positas. Et rursus etiam, quia hæc duo sibi contradicunt, quòd sit tantũ instrumentum, & propriè instrumẽtũ, & quòd in actione instrumentali sit liberum. Cur enim non est voluntarium dicere instrumentum viuum est liberum, aut potest esse liberum, si sermo sit de instrumento tantũ quod propriè & formaliter est instrumentũ, & sibi propriè vendicat rationem & conditionem instrumenti. Et cõfirmari potest hoc ipsum secũdo loco. Quoniã si Deus vellet necessitare voluntatẽ ad agendum, nullo alio conuenientiori modo necessitaret, quàm efficiendo quòd ipsa semper moueretur instrumentaliter, quia sic non moueretur ex se liberè, quamuis vitaliter operaretur, aliàs non esset instrumentũ tantùm, sed secunda causa, & oppositum dicere est omnino voluntarium, neque explicatur repugnantia libertatis quæ non potest coniungi cum eo quod est instrumentum tantũ. Sed de hac re hic hæc sufficiant, nã fusiùs dicemus alia inferius: Quia hæc quæstio non est tantùm de nomine, vt dicunt aduersarij, putant enim idem esse dicere de voluntate libera respectu actuum supernaturaliũ, vel quod est propriè instrumentum tantùm, vel quod est causa secunda agens per formam supernaturalem intrinsecam ab extrinseco receptam.

Testimonia & discursus plurium Sanctorum, D. Athanasij, D. Prosperi, Hilarij, Anselmi, Fulgentij, Chrysostomi, Hieronymi, & aliorum, pro nostra sententia.

DIVVS Athanasius ad Ephesios 2. explicãs illud Pauli. *Ipsius factura sumus, creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*, inquit Athanasius: *Es namq; in Christo Iesu creatus, in nouamq; es immutatus facturam, & quemadmodum ex nihilo ad esse aliquid creauit te Deus, sic nũc ad bene esse prouexit.* Et loquens statim de bonis operibus subiũgit ipse Athanasi⁹. *Deus autẽ hæc præparauit, quæ differri nõ possunt, neq; intermitti, quin peragãtur, tanquam diuinitùs sint prædefinita, quousq; sit procedendũ.* Idem dicit Athanasius ad Rom. 9. Vides quòd Athanasius prædefinitionem & bonorum operum facturã dicit, quòd neque differri, neq; intermitti possunt, quin peragantur, tanquam à Deo prædefinita, quousq; sit procedendum. Et de hac prędefinitione & factura dicit, quod neq; differri neq; intermitti possunt, quin peragantur, tanquam à Deo prædefinita: ex hoc autem non dicit tolli libertatem, aut lædi. *D. Athan.*

DIVVS Prosper in epistola ad Rufinũ agẽs de gratia & libero arbitrio cõtra Pelagiũ, dicit. *Quòd gratia est bonorũ operũ creatrix.* Quod nõ solum efficientiam moralem, sed etiam propriam & physicã includit. Et instituerat sermonem de gratia vocationis, & concluſit quòd gratia est bonorum operum creatrix. Et inferius sic ait: *Quis ambigat tunc liberum arbitriũ cohortationi vo-*

cantis obedire, cum in illo gratia Dei affectũ credẽdi obediendiq́ue generauit? Alioqui sufficeret moueri hominem, non etiã in ipso nouã fieri voluntatẽ, sicut scriptum est: Præparatur voluntas à Domino. Prouerb. 8. Et sicut ait Apostolus, ad Philipp. 2. Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Pro qua bona voluntate? Nisi quam in ipsis operatus est Deus, vt quod donauerat velle, donaret & facere.

RVRSVS in eadẽ epistola loquens de mulie re purpuraria nomine Lydia, cuius dominus aperuit cor, vt intenderet his quæ dicebantur à Paulo, ait: Quid mirum si inter ipsa Euangelicæ prædicationis exordia nõ poterant ire Apostoli, nisi quo eos spiritus Dei ire voluisset? Et statim: An dicendum est voluntati Dei humanas obsistere voluntates? Et iterũ infra: Et quis istis corda mutauit, nisi qui fingit figillatim corda eorum? Quis huius rigoris duritiem ad obediendi molliuit affectum? nisi qui potens est de lapidibus Abrahæ filios excitare. Tandẽ non longè ante finem colligit Prosper. Nimiũ ineptè, nimiumq́ue inconsideratè ab aduersantibus dicitur, quòd per hanc Dei gratiam libero nihil relinquatur arbitrio. Et iterum: Proinde homo qui in libero arbitrio fuit malus in ipso libero arbitrio factus est bonus: sed per se malus, per Deum bonus, qui eum ita in illum initialem honorẽ, alio initio reformauit, vt ei non solum culpam malæ voluntatis & actionis remitteret, sed etiã benè velle, benè agere, atq; in his permanere donauit. Omne enim (inquit Apostolus Iacobus c. 1.) datum optimũ, & omne donũ perfectũ de sursum est descendens à Patre luminum. Qui quale sit liberum arbitriũ, quod humano spiritu agitur, & quale sit quod à Deo regitur, euidenter ostendit. Iacobi 3. Vltimò fere in postremis verbi epistolę, inquit Prosper: Nec vllo modo ab æternæ mortis debito liberã, nisi eam ad imaginẽ Dei secundæ creationis Christi gratia reformauerit, liberumq́; eius arbitrium agendo, inspirãdo, auxiliando & vsque in finẽ præeundo seruauerit. Vides quo pacto dicat D. Prosper, gratiam agere in liberũ arbitriũ vsque in finẽ præeundo, & non dicit tantum cõcomitanter adiuuando. Vnde in prædictis testimonijs fauet D. Prosper nostræ sententiæ, & non Molinæ, neque suis.

D. Hilar. DIVVS Hilarius in fine suorũ operũ scripsit epistolã D. Augustino, cuius titulus iste est: Hilarius Augustino de reliquijs Pelagianæ hæreseos epistola: in qua proponit plures contentiones ac dubia exorta propter Pelagium, similia illis quæ hodie mouentur, vbi adducit sententiam D. Augusti. Huic tamen epistolæ respondet D. Augustinus definiens contra auctores oppositæ sentẽtiæ, id quod hactenus ex D. Augustini calculo retulimus superius, quæ iterum non sunt repetenda.

D. Irenæus. DIVVS Irenæus lib. 4. aduersus Valentinũ & Similiũ c. 76. multa insinuat expressè contra aduersarios, tantũ abest, quòd illis faueat. Nam inquit: Non enim tu Deum facis, sed Deus te facit. Si ergò opera Dei es, manũ artificis tui spectа, oportunè omnia facientem, oportunè autem quãtum ad te attinet, qui efficeris. Et infra: Manus eius scilicet Dei, liniet te intus, & à foris auro puro & argento. Ecce auxilia intrinseca ad operationes superna les quibus homo efficitur pulcher. & li. 2. cõtra cosdẽ c. 45. agit de diuina prouidẽtia, & quomodo omnia sint prędefinita, prędordinata, & dispositaab ipso, etiã quãtuncũq; minima, & secundũ numerum & modum & quantitatẽ: quæ omnia non satis fauent quibusdam ex opinantibus.

D. Ansel. DIVVS Anselmus qui malè intellectus ab aduersarijs citatur pro se, tenet expressissimè gratiã efficacẽ Dei præuiã operibus voluntatis humanæ & intrinsecã, in li. de voluntate Dei, & in libro de Concordia præscientiæ & prædestinationis, nec nõ gratię Dei cum libero arbitrio. Vnde adducit illud Prophetæ. Omnia quæcunq; voluit Dominꝰ fecit, hoc est quidquid Deus ab æternõ factурũ se ordinauit: nihil inexpletũ reliquit. Et vult Anselmus voluntatẽ Dei prædordinantẽ & prædefinientem, nihil inexpletum relinquere, sed inferre effectũ. Rursus asseuerat in discursu capitis esse in Deo quandã voluntatẽ efficacẽ seu efficientem, de qua ait, quòd voluntas efficiens in Deo facit quidquid vult: nã in Deo mouemur & sumus, & etiã operatur in nobis velle & perficere ad Philippen. 2. & non dicit quòd per hoc læditur liberum arbitrium.

D. Ansel. DIVVS Anselmus de Concordia gratiæ & liberi arbitrij sic ait. Cum legitur: Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei: non negatur in volente neq; in currente aliquid prodesse liberum arbitriũ, sed significatur, non esse imputandũ libero arbitrio, quòd vult, & quòd currit, sed gratiæ. Nam cum ait: neque volentis neque currentis est, sub audiẽdũ est quòd vult, & quòd currit: velut cũ aliquis nudo, cui nihil debet, & qui nullũ à se potest indumẽtũ habere, dat vestẽ, non tamẽ quamuis ipse habeat potestatem vtendi, & non vtẽdi accepta veste, si ea vtitur, imputandũ nõ est induto, quia indutus est, sed dãti vestem. Quapropter ita dici potest. Non est indutі, quòd est indutus, sed miserentis, id est vestẽ dãtis. Multò vero magis hoc diceretur, si ille qui dedit vestem, dedisset etiã potestatẽ seruandi eã, & vtendi: Sicut Deus homini cum dat rectitudinẽ psæ factã, dat etiã potestatẽ seruandi & vtendi, &c. Est ergò etiã ipse bonus vsus à Deo per efficacẽ Dei gratiã. Et c. 3. sequenti de eadẽ concordia gratiæ & liberi arbitrij loquẽs Anselmꝰ de rectitudine bonæ volũtatis & bonarũ operationẽ ait: Quòd sicut nullus hãc habet nisi p gratiã, ita nullus hãc accipit nisi præuia aut præueniente gratia. Et statim inquit. Quod licèt liberũ arbitriũ concurrat, non tamen tantùm est imputandũ libero arbitrio, quãtùm gratiæ. Quod dixit propter efficacitatem gratiæ præuiæ. Vnde ad Ephesios 2. explicãs illa verba Pauli. Ipsius factura sumus, creati in Christo Iesu in operibus bonis. Palàm affirmat sententiam de præmotione gratiæ. Vnde malè conueniunt cum his dictis Anselmi, quòd Deus sit causa partialis, aut quòd liberum arbitrium est quod tribuit efficaciam gratiæ, & auxilio Dei, eo quòd ex eius cooperatione eam accipiat, aut quòd gratia actualis efficax nõ habeat eam efficaciam, prout est à Deo, sed ex ipsa li-

beri arbitrij cooperatione: quod Molina dixit.

D. Fulgentius.

Beatvs Fulgẽtius in libello de incarnatione & gratia Christi c. 17. & 18. dicit: *Quod reuera Deus dat Fidẽ, & dat Pœnitentiam per donũ gratiæ eius.* Non dicit quòd est causa partialis pœnitẽtiæ, vt Molina ait. Imò verò Deus Gentibus dedit pœnitentiam ad vitam: nẽpè cum Saluator noster propriæ vocis imperio humanã conuertit volũtatem. Et inferius: *Deus ergò qui hominis pœnitentiã dat, ipse mutat hominis voluntatẽ: Proinde si quis dicit, meũ est velle credere, Dei autẽ gratiæ est adiuuare: mutet dictorum ordinẽ, neq; quod posterius priore loco, neque quod priùs est in loco posteriori constituat: male enim gratiã Dei suæ voluntati posponit, cum illa bona esse non possint, si illa defuerint: non enim dicat, meum est velle credere, Dei autẽ gratiæ adiuuare, sed dicat gratiæ Dei est adiuuare, vt sit meũ velle credere: tunc enim verè rectèq; ait, eius hoc velle, cũ gratia præuia cœperit adiuuare.* Vides quantũ hæc sunt contra Suarez, qui etiã credit Deũ quasi expectare volũtates nostras.

Idem Fulgentius li. 1. ad Monimum in impressione Basileæ facta anno 1566. quem malè pro se citat Molina cũ contra ipsum loquatur, eo loci inquit: *Deus sicut in prædestinatione semper habuit: sic per gratiam sicut prædestinauerat facit, prædestinationis itaq; ipsius instituatur agnitio, cum dicit Scriptura: Et præparatur voluntas à Domino, non autẽ ob aliud præparata dicitur, nisi quia dãda prædicitur. A quo enim præparatur per bonitatẽ sempiternã, ab ipso datur per indebitam gratiã: Quod ipse Dominus Ezechielis vaticinatione testatur dicens. Dabo vobis cor nouum & spiritum nouũ dabo in vobis, & auferetur cor lapideum, & spiritum meũ dabo in vobis, & faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis.* Et pag. 68. & 69. citat D. Augustinum, & deinceps Prosperum in discursu libri.

Perpendendus est valde D. Chrysostomus.

Divvs Chrysostomus de laudibus S. Pauli homilia 4. multa affirmat quæ pertinent ad efficacẽ gratiam Dei, & inter alia inquit. *Et verè diuina virtus, nec vlli omninò superabilis: idcircò ipse cuncta vicit, atq; perdomuit. Et Paulus cum illa arte vilissima tantã potuit inspirare virtutẽ, quantam ipse rerum testatur effectus.* Et inferius. *Cum igitur & prædicator & imperitus* (loquitur de D. Paulo) *cum etiam pauper esset, & prorsus ignobilis, & quod prædicabatur, non modò cõmendatione sui esset vacuũ, verùm etiã offensione plenissimũ, & auditores ipsi inopes, imbecilles, atq; adeò omninò nulli, & pericula tam crebra, tam varia, non doctoribus solũ, sed etiam discipulis imminerent, & crucifixus esset, qui annunciabatur adorandus. Quid nam illud est, cuius prædicatio potuit obtinere? Nõne lucidissimè claret, diuina hoc & ineffabili quadam virtute perfectum?* Et inferius. *Noli igitur in prauo permanere sententia, sed virtutem venerare Crucifixi. Quòd si temporum oportunitas cuncta feciisse dicatur, ad repellendũ, Theodotus atque eius discipuli proferentur, qui cum eisdem fere, quibus etiã Christus temporibus extitisset, & veritatem per quædam etiam signa impugnare tẽtasset, repẽtè destructi sunt.* Vides quomodo oportunitas temporis non dicitur gratia efficax Dei, sed vim gratiæ & efficacitatis suę à Deo venire fatetur Chrysostomus eodem loco, neque vllo pacto ledere, necessitare, aut cogere voluntatem.

Divvs Chrysostomus homilia de Adã & Eua id ipsum de gratia præuia, quod antiqui Patres dixerũt palam sine tergiuersatione docet, vbi explicat locum Ioann. 6. *Nemo venit ad me nisi Pater meus traxerit eum.*

Citatur D. Chrysostomus ab aduersarijs in loco, in quo fatẽtur errasse, nõ in quo catholicam proposuit doctrinam.

Sed quoniã ex sectatoribus Molinę aliqui, aut forte ipse nobis obijciũt Chrysostomũ homilia 12. in epistolã ad Hebræos, vbi dicit, nos præuenire Deum, & Dei gratiã non antecedere nostras voluntates ne lędatur arbitriũ. Vellẽ interrogare ab illis, cur obijciunt mihi Chrysostomũ, in loco quem ipsi, sui immemores & obliti, aliàs dicunt errauisse, & non citent locũ in quo non errauit, sed Catholicè sensit. Nam Molina ipse in Concordia, q. 14. art. 13. disputatione 41. affirmat Chrysostomum errauisse in homilia 12. super epistolam ad Hebræos. Quocirca mirabile est quòd citetur ab aduersarijs Chrysostomus in loco in quo errauit, & nõ in loco in quo Catholicè loquutus est.

Franciscvs Suarez li. 3. de auxilijs c. 9. §. probatio ex Patribus pag. 185. & 186. volens probare quòd efficax Dei gratia non præmoueat voluntatẽ, neq; prædeterminet ad exercitium actus efficienter propriè, seu physicè, vt ille vult, vt hoc ostendat adducit D. Chrysosto. ad Hebręos homil. 12. super caput 7. Pauli, vbi ait: *Nostras non antecedit voluntates, ne liberũ lædatur arbitrium.* Sustulit Suarez id quod immediatè antecedit, & id quod immediatè subsequitur: Quia videbat nihil sibi fauere Chrysostomi sensum & opinionẽ. Nam certè verba Chrysostomi hæc sunt. *Oportet nos quippè eligere primũ quæ bona sunt, & tunc ipse, quæ sua sunt, introducit. Non antecedit nostras voluntates, ne lædatur liberũ arbitrium: cum autẽ nos elegerimus, multã tũc nobis adfert auxiliationẽ.* Et inferi colligit Chrysostomus. *Intueris, quia prius nos à nobis ipsis oportet mundari, & tunc Deus mundat: primo quidẽ dicens mundi estote, tunc intulit, ego dealbabo.* Et paulò antea dixerat: *Efficiamur mundi quantũ valet virtus nostra: abstergamus à nobis peccata.* Locus iste sustineri non potest: Nam in eo credit, nos ex nobis prius eligere pia opera, & pręstare cõsensum, deinceps verò posterius Deum tribuere suã gratiã: Itaque Chrysosto. cum non valeret intelligere qua ratione posset salua consistere libertas arbitrij creati, si Deus sua gratia præueniente, nostrã electionem & consensum præueniret: idcirco illã electionẽ, qua primum acceptamus bona & pia opera, ea quæ facere decernimus dixit esse priorẽ ipsa gratia Dei, & antecedere Deũ, postea verò subsequi gratiã qua adiuuamur, & cooperatur Deus. Sanè quia res hæc tẽpore Chrysostomi erat difficilis, antequam fuisset adamusim tractata & examinata, potuit dicipi Chrysostomus sine culpa, nesciẽs distinguere gratiã vocantẽ, præuenientẽ ac excitãtẽ liberũ arbitriũ ad bonam electionem, quã

Tempore Chrysostomi disputatio præsens difficillima erat,

vtpotequæ tũc nõ erat ad vnguem examinata.

vel reddere poteſt caſſam liberum arbitrium ſi ei non conſentiat, vel obicem ponat, &c.

PROFECTÒ mirabile eſt quòd auctores oppoſitæ ſententiæ vt ſuam probẽt opinionẽ, non ſolùm adducãt locũ citatum, verùm etiam vt res ipſa non pateat fileant verba antecedẽtia & ſubſequentia Chryſoſtomi. Rurſus interrogare volo ab aduerſarijs qui Chryſoſtomũ citant homilia 12. ad Hebræos, & ſuper Pſalmũ 120. An velint eum defendere in his quæ ibi commemorat: nã illis in locis dicit, quòd nos præuenimus Deũ, & quòd nõ antecedit noſtras voluntates ne lædatur arbitriũ, & quòd priùs nos à nobis ipſis oportet mundari, & deinde mundat nos Deus? Nã ſi hoc non volunt defendere, ſicut certũ eſt, interrogo cur adducunt locũ erroneum ad probandam ſuã opinionẽ? Nõ enim audebunt modo defendere eã doctrinã, quam Chryſoſtomus ibi docuit, quòd ſi nõ audebunt eã defendere, cur citatur ab eis quaſi patronus in loco in quo min⁹ benè loqutus eſt? Vnde Molina in cõcordia dicit Chryſoſtomum correxiſſe errorem hunc in homilia de Adam & Eua.

ATTENDANT Catholici Theologi qualiter citetur ab aduerſarijs locus Chryſoſtomi ad defenſionem ſuarum opinionum. Et ſanè cum diſputatio noſtra non ſit de gratia pulſante & præueniẽte primò, ſed ꝺ gratia Dei efficaci adiuuante ſeu præmouente, ineptè adductus fuit locus Chryſoſtomi, in quo ipſe non rectè ſenſit. Sed pauliſper ſiſtamus pedem, & videamus, an in eadem homilia 12. ad Hebræos dicat aliquid Chryſoſtomus, quod poſsit fauere noſtrę ſentẽtiæ in verbis, in quibus minimè errauit.

PROFECTÒ quamuis malè ſenſerit Chryſoſtomus, dicens oportere nos eligere primũ quę bona ſunt, & pia opera, & poſtea Deũ, quæ ſua ſunt, introducere, & quòd prius nos à nobis ipſis oportet mundari, quantũ valet virtus noſtra, abſtergendo peccata à nobis, deinde Deũ mundare nos, quia primò dixit, mũdi eſtote, & deinceps intulit, ego dealbabo: tamẽ quia in diſcurſu & proceſſu gratię quã Deus dat dicit Chryſoſtomus ibidẽ, quòd Dei eſt efficere, & ad perfectionem perducere, quia illius eſt quod amplius eſt: potiùs fauent nobis hæc verba quàm aduerſarijs. Sed certè locus iſte nõ eſſet niſi doloſè citandus ab aduerſarijs.

SPENCEVS ſuper ſecundam epiſtolam ad Timotheum, digreſsione 10. loquens de gratia Dei, & auxilio ſupernaturali diuino, ſiue de actuali gratia, affirmat: Ad conuerſionem peccatoris requiri gratiam Dei præuiam, non tantùm comitem, ſed ducem, imò præducem, & non tantùm adiuuantem, ſed & opus eſſe gratiam facientem: nam dicit hanc mutationẽ cõuerſionis eſſe dexteræ Excelſi. Quo in loco admonet Spenceus, quòd in diſputatione de gratia Dei præuia, duce ac præduce (vt ille ait) Græci auctores & Patres cautè ſunt legẽdi, quia noluerunt Pelagium in Cathalogis de Hæreſibus recenſere, licèt fuerit damnatus iudicio Epiſcoporũ Orientalis Eccleſiæ & Paleſtinæ. Et Ianſenius in concordia c. 59. cum adduxiſſet quoſdam ex Græcis Chryſoſtomum, Euthimium, dicit: Quòd niſi cautè legantur, & intelligantur præbere poſſunt occaſionẽ erroris Pelagij. Et Epiſcopus Lucenſis qui adfuit in Concilio Tridentino, quęſito 9. cum aliqua pertractaſſet circa rem de qua agimus, ait. Vel dicendum quòd Chryſoſtom⁹ interdũ vires naturę noſtrę plus æquo extulit, ex contentione diſputandi cum Gentilibus, & cum Manichæis. Hæc ſint ſatis de D. Chryſoſtomo.

DIVVS Hieronymus ſi rectè perpendatur in Epiſtola ad Epheſios c. 1. explicãs illud: *Prædeſtinati ſecundùm propoſitũ eius qui vniuerſa operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*, inquit: *Prædeſtinatio & propoſitum ſimul poſita ſunt iuxta quæ operatur omnia Deus ſecundũ conſilium voluntatis ſuæ. Non quo omnia quæ in mundo fiant, Dei volũtate & conſilio peragãtur, alioquin mala Deo poterũt imputari, ſed quo vniuerſa quæ facit cõſilio facit & volũtate: quòd ſcilicet & ratione plena ſint, & poteſtate faciẽtis. Nã homines pleraq; volumus facere cõſilio, ſed nequaquã volũtatẽ ſequitur effectus. Illi autẽ null⁹ reſiſtere poteſt, quin omnia quæ voluerit faciat.* Et paulò inferius: *Sed quia nullus abſq; propria volũtate ſaluatur, liberi enim arbitrij ſumus, vult nos bonũ velle, vt cũ voluerimus, velit in nobis & ipſe ſuũ implere cõſiliũ, ſcilicet volũtatis ſuæ.* Et li. 3. aduerſus Pelagianos paulò poſt mediũ inquit: *Deuolue ſuper Dominũ opera tua, & firmabũtur cogitationes tuæ. Tũc enim noſtra cogitatio cõfirmatur, quãdo omne ꝙ agimus, quaſi ſtabilẽ & ſolidiſſimã petrã Domini adiutorio deuoluimus, eiq; cũcta reputamus. Apoſtolus Paulus cũ Dei beneficia narraſſet, ad extremum intulit: Et ad hæc quis idoneus? Et alio loco dicit: Fiduciã autem talẽ habeamus per Chriſtum ad Deũ, non quòd ſufficientes ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Et inferius: *Omnis hominũ fortitudo marceſcit & deperit, ſi à Dei auxilio deſeratur. Nemo* (inquit) *poteſt venire ad me niſi Pater qui miſit me traxerit eũ. Quando dicit, nemo poteſt venire ad me, frãgit ſuperbientẽ arbitrij libertatẽ: quòd etiã ſi velit ad Chriſtũ pergere, niſi fiat illud ꝙ ſequitur, niſi Pater me⁹ cæleſtis traxerit cũ, neq; quicquã cupiat, & fruſtra nitatur.* Hęc Hierony. Perpẽdat modo optimus lector, an his verbis Hieronymi negetur auxiliũ gratiæ Dei voluntatẽ hominis præmouẽs ad conuerſionem, & ad piam opus, quo trahitur ad Chriſtum per pœnitentiam & fidem: nam oppoſitum potius colligitur: ergò non benè citatur ab aduerſarijs pro ſe.

D. Hieron.

VERBA autẽ quæ deinceps ſequũtur in Hieronymo paulò inferius quæ talia ſunt: *Vbi antẽ miſericordia & gratia eſt, liberũ ex parte ceſſat arbitriũ*, perperam à quibuſdã intelliguntur: nõ enim dicit, gratiã Dei libertatẽ arbitrij auferre, ſed quòd vbi gratia requiritur, vires liberi arbitrij nequaquã ſufficiunt. Quod liquet ex verbis ſubiunctis à Hieronymo, in quibus ait. *Quòd in eo tantũ eſt ſcilicet liberum arbitrium, vt velimus atque cupiamus, & placitis tribuamus aſſenſum. Nam in Domini poteſtate eſt, vt id quod cupimus,*

Male intellecta à quibuſdã verba D. Hieron.

quod

quod laboramus, ac nitimur, illius ope & auxilio impleræ valeamus. Secūdò liquet, ex his quæ antea dixerat Hieronymus de gratia Dei. Tertio etiā liquet, ex his quæ dicunt inferius Critobolus qui agit Pelagij personam, & Atticus qui agit personam Hieronymi. Nam Critobolus quasi obijciens sic loquitur. *Ego simpliciter dixerā, non in singulis operibus nostris, sed in gratia cōditionis & legis sentiri auxilium Dei, ne liberū frangeretur arbitriū. Cæterùm sunt pleriq; nostrorū, qui omnia quæ agimus, dicant fieri præsidio Dei.* Et statim sic respondet illi Atticus. *Qui hoc dicit vester esse cessabit, aut ergò & tu ista dicito, vt noster esse incipias aut si non dicis alienus eris cum his qui nostra non dicunt.* Vides quo modo Atticus in personā Hieronymi nostram tenear sententiam Critobolus verò quo pacto recedat à sententia Hieronymi & nostra. Nos enim affirmamus supernaturalia omnia qnæ agimus, fieri præsidio gratiæ Dei. Malè ergò citatur ab aduersarijs pro se.

Notāda D. Hieronymi verba.

Rvrsvs etiam Hieronymus in epistola ad Damasum de filio prodigo ait. *Et venit perditus Filius vsque ad Patrem suum: venimus ad Patrem, quando recedimus à porcorum pastione, secundùm illud: Statim vt conuersus ingemueris saluus eris. Cumque adhuc longè esset, vidit eum pater eius, & misericordia motus est. Ante quam dignis operibus, & vera pœnitentia ad Patrem rediret antiquum, Deus ad eius præcurrit aduentum, & præcurrens incubuit super collum ipsius.* En quo pacto præcurrit Deus, id est antecurrit, & quomodo etiā præcurrens incubuit super collum peccatoris. Quæ verba manifestissimè fauent nobis, quare dolosè citantur ab aduersarijs pro se.

Et in capit. si enim, de pœnitentia, distinct. 2. fere in medio malè citatur Hieronymus à quibusdam pro se, quia eo loco solùm dicit, Deum nos non necessitare, quia aliàs neq; præmium neque damnatio cōstituenda essent. Vnde verba Hieronymi ibi hæc sunt: *Liberi arbitrij nos condidit Deus, neq; ad virtutes, neq; ad vitia necessitate trahimur, alioquin vbi necessitas est, neque damnatio neq; corona est. Sicut in bonis operibus perfectior est Deus: nō enim est volētis neq; currētis, sed Dei miserentis, & adiuuātis, vt peruenire valeamus ad calcē: sic in malis atq; peccatis semina nostra sunt incentiua & perfectio Diaboli.* Dicat quæso Catholicus Theologus si dolosè non agit: An in his verbis negetur auxilium gratiæ Dei efficaciter præmouentis voluntatem secundū quòd à Deo est, siue sit auxilium gratiæ Dei intrinsecum siue extrinsecum: Nam certè de hoc nihil Hieronymus hic dicit, & si aliquid dicit potiùs declinat in efficaciam diuinæ gratiæ præmouētis nos, vt patet ex verbis eius citatis.

Sed vt res hæc apertior fiat & euidentior legendus est Hieronymus super Ieremiā, c. 18. vbi sic ait. *Et hoc dicimus, non quòd ignoret Deus hoc vel illud, gentem aut regnū esse facturū, sed quod dimittat hominem voluntati suæ, vt vel præmia vel penas sua voluntate & suo merito recipiat. Neque statim totum erit hominis quod euenit, sed eius gratiæ, qui cuncta largitus est, ita enim libertas arbitrij reseruanda est, vt in omnibus excedat gratia largitoris. Iuxta illud Propheticum: Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Non enim volentis neq; currentis sed miserentis est Dei.*

D. Laurēt. Iustinianus.

Divvs Laurentius Iustinianus li. de gradibus perfectionis, c. 5. & 6. multa dicit quę aduersarijs repugnāt. Sic enim loquitur. *Nō extorquetur, scilicet actus bonus conuersionis aut credēdi, violenter, neq; solicitudine hominis reperitur, sed diffunditur ex alto in cordibus electorū, quoties & quando eidem Spiritui placet: qui, Domino perhibente, vbi vult spirat, auditurq; vox eius, id est vbi vult auditur vox eius, ignoratur tamen vnde veniat, aut quo vadat. Porro Spiritus iste sanctus quemadmodū est potens in opere, in sermone efficax, in dilectione feruidus: ita est in consolando promptus, in exhortando intentus, & in se cōmunicando munificus.* Et inferius loquens de spiritu domini, adducit illud sapientiæ. *Quòd Spiritus Domini replebit orbē terrarū,* & quòd est omnium artifex omnē habēs virtutē omnia prospiciens. Et inferius ca. 6. ait: *Omnes quoque præuenit donis, excitat clamoribus, & præoccupat promissis.* Et tandē adducit illud Prophetæ: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniā a dextris est mihi ne cōmouear.* Et perpēde verba, quia a dextris est mihi ne commouear.

Quod plures alij sunt Patres, & auctores graues, etiā Scolastici, qui nostrā sententiam affirment, & defendant.

D. Gregor. Dionysius.

Divvs Gregorius Nissenus sine causa & malè citatur ab aduersarijs, legatur li. 8. philosophiæ de prouidentia ca. 1. legatur etiam D. Dionysius c. 4. de diuinis nominibus, vbi perpendē da verba hæc dixit. *Propter quod & vnā multorū non recipiemus rationē, qui oportere dicunt prouidētiā, & inuitos nos ad virtutē agere.* Sanè præordinatio & prædefinitio diuinę prouidētiæ, nō tollit virtutē quæ liberè in nobis exercetur, quòd clarè insinuauit D. Dionysius in verbis citatis, vbi si attētè legātur quæ Dionysius dicit 4. illo c. certè videbit vnusquisq; qualiter sentiat præordinationē & prædefinitionē diuinæ prouidētiæ nō tollere virtutē, quæ liberè in nobis exercetur, neque nos inuitos ad virtutē agere. Quoniam vnicuique prouidet Deus iuxta proprietatem eius. Hęc dicit D. Dionysius in prædicto ca. 4. de diuinis nominibus. Et iuxta partitionē D. Thomæ in comment. eius habetur hoc lectione 23. quæ incipit: Quomodo totaliter.

Et in eodē c. lectione 11. iuxta diuisionē D. Thomę explicās D. Dionysius quare Deus dicitur amor & dilectio, sic ait. *Huius enim, scilicet amoris, est quidē causa, & sicut emissor & sicut progenitor.* Addit D. Tho. in cōment, *quòd Deus dicitur amor & dilectio causaliter, quia nimirū est causa amoris in quātū immittit amorē alijs, & in eis amorē generat, sicut progenitor.* Et subiungit, *quòd ad Deū pertinet, q̄ moueat, & causet motum in aliis, & quòd pariter pertinet ad Deū creare amorem in aliis.*

En quo pacto D. Dionysius non solùm dicit Deum causare amorẽ, sed mouere nos ad amorem, & ita motus illius est motus in causam, & in liberum arbitrium, & non solùm in amorem quem producit. Ait enim Dionysius, quòd Deus est causa amoris, non solùm sicut emissor, sed sicut progenitor: quæ verba antecedentiam dicunt Dei causantis, quia ita se habent emissor & progenitor. Et Sanctus Thomas in Cõmẽt. dixit propter hęc verba, quòd ad Deũ pertinet mouere & causare motum in alijs, & quòd sit amabilis, in alijs amorem creãs. Quæ verba videntur subiuncta ad explicandam antecedentiam diuinæ motionis. Ex quibus colligo quam malè citetur pro se ab aduersarijs D. Dionysius in prędicto capite.

D. Damascenus.

Divvs Damascenus non negat prædefinitionem nisi malorum operum, aut prædefinitionem necessitantem, vt constat ex litera & contextu ipsius, lib. 2. de Fide orthodoxa, c. 30. Imò verò loquens de bonis operibus ait ibidẽ: *Quòd præscię iussionis diuinæ opus est prædefinitio.* Et in eodem cap. inquit: *Quòd virtus ex Deo data est, & quòd ipse omnis boni principium & causa est.* Ergò si est principium conuersionis, ipse prior incipit, & non tantùm causat, sed causat primo incipiendo. Et in historia de Barlã & Iosaphat viris illustribus idem habetur. Et lib. 1. de Fide orthodoxa cap. 18. loquens de operibus supernaturalibus inquit: *Quod illorum omnium artifex est Deus.* Et Clithobeus in cõmentario ait. *Quòd Deus præscit omnia nostra, sed non prædeterminat omnia, quia non prædeterminat peccata & mala.* Vnde non fauet Molinæ & suis, sed magis eis contrariatur. Et de D. Damasceno apertè S. Thomas dixit, hunc esse sensum, vt videbimus inferius.

D. Bernardus.

Divvs Bernardus in tractatu de gratia & libero arbitrio, edito contra eos, qui propter præuenientem & præuiam gratiam dicebant quòd tollitur liberum arbitrium. Contra eos sic loqui incipit. *Loquente me coràm aliquando, & Dei in me gratiam commendante, quòd scilicet ab ipsa me in bono & præuentum agnoscerem, & prouehi sentirem, & sperarem perficiendum. Quid tu ergo (ait vnus ex circunstantibus) operaris? Aut quid mercedis speras vel præmij si totum facit Deus? Quid inquam tu consulis? Da gloriam Deo qui gratis te præuenit, excitauit, initiauit, & vine dignè de cætero, quo te probes, & perceptis beneficiis nõ ingratũ, & percipiendis idoneũ. Et ego: bonũ consiliũ das, sed & si dederis posse teneri.* En lector Catholice quã antiquũ fuerit argumentũ, quòd si gratia est pręuia aut præueniens tollitur liberũ arbitrium: & id negat tolli D. Bernardus. Quare paulò inferius ait: Quòd licèt gratia sit prætia & præueniens liberũ arbitriũ in bonum à qua prouehitur, & perficitur, nihilominus saluatur libertas. Et inferius. *Velle siquidẽ inest nobis ex libero arbitrio, non etiam posse quòd volumus: non dico velle bonum, aut velle malum, sed tantũ velle, velle enim bonum profectus est, velle malum defectus. Porro ipsum vt esset creans gratia fecit, vt proficiat saluãs gratia faciat: vt deficiat ipsum se deijcit.* Et in medio eiusdem libri, aut non multum post mediũ explicans illud Sapientiæ 8. *Attingit à fine vsq; ad finem fortiter & disponit omnia suauiter*, ait: *Attinuit fortiter, non quidem mobili discursione, vel locali diffusione, vel subiectæ creaturæ tantùm officiali administratione. Sed substantiali quadam & vbique præsenti fortitudine, qua vtique vniuersa potentissimè mouet, ordinat, administrat, & disponit omnia suauiter placida voluntate.* Ecce quo pacto D. Bernardus etiam loquatur de propria efficientia qua mouet voluntates nostras potẽtissimè & fortiter ad pia opera, quamuis suauiter.

Fortiter & se, & suauiter pro nobis operatur Deus.

Nolo iam plures ex Patribus recensere, quia deficiet me tempus & vita: scripsi enim tractatum specialem in quo retuli plures alios à quo loco furunculos & latrones quosdam cerno plura arripuisse, sed inconcinnè & minus benè suis scriptis inseruisse.

Scholastici idem sentiunt de efficaci gratia Dei præuia.

D. Thomas Patrum & Scholasticorum facile princeps primo loco inter Scholasticos recensetur.

Sanctvs Thomas Præceptor & Princeps Scholasticæ Theologiæ apertè tenet rem & sententiam de qua agimus. Efficacissimam Dei prouidentiam, voluntatem & prædestinationem; Diuinum decretum & prædefinitionẽ rerum omnium excepto peccato: Gratiã præmouentem: & simul Catholicè & constanter affirmat, prædeterminationem non esse factã ex præuisione operum. Ponitque concursum & auxilium Dei in causam & in liberum arbitrium, & non tantùm in actionem & effectum. Affirmat etiam esse ponendam motionem Dei gratuitam actualem antecedentem nos prius natura in conuersione peccatoris, & in iustificatione actuali eius. Dicit præterea Deum applicare voluntatem ad agendum, & mouere illam in supernaturalibus: & ob id perpendit, & aduertit, quòd quando, v. g. voluntas se mouet aut determinat ad agendum, hoc quòd est voluntatem se mouere, non excludit, neq; repellit hoc quod est moueri ab alio, nempè à Deo, cũ ipsa non sit primum mouens, sed mouens secũdum motum ab alio. Dicit rursus diuinam prouidentiam esse infallibilem, & quòd ordo eius est inmobilis, & quòd tam ipsa, quàm eius gratia potius faciunt nos liberè operari, quàm quòd inferant necessitatem vllam libero arbitrio. Quæ omnia passim in Summa tam in Partibus, quàm in Sentẽtijs, & in Disputatis, & in quatuor libris contra Gentes apertissimè docuit.

Præcipve docuit certum esse & prædifinitum numerum prædestinatorum à Deo, tam formaliter, quàm materialiter, & in particulari. De qua re vnus ex aduersarijs cœpit dubitare, & non satis bene sentire. Nolo rem hanc vltrius vrgere.

Numerus prædestinatorũ à Deo prædefinitur.

Le gendvs etiam est Sanctus Thomas in Disputatis, de voluntate Dei q. 23. art. 5. vbi dicit. Quòd voluntas diuina est agens fortissimũ, & quòd ob id oportet eius effectum ei omni-

bus modis assimilari, vt non solum fiat quod vult, sed eo modo quo vult, necessariò vel contingenter, citò vel tardè. Vnde concludit Sanctissimus Præceptor, quod effectus contingès magis est contingens propter dispositionem diuinæ volũtatis, quæ ita prouidit, quàm propter secundã causam. Et tandem concludit, quod quamuis non esse effectus diuinæ voluntatis, non possit stare simul cum diuina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum, simul stat cum diuina voluntate; non enim sunt ista incompossibilia: Deus vult Petrum saluari, & Petrus potest damnari: sed ista sunt incompossibilia: Deus vult istum saluari, & iste damnatur. Et paulò antea dixerat quod modus contingẽter agẽdi præfigitur rebus à Deo ex diuina dispositione & sapientia.

Motus voluntarius à Deo est & à volũtate.

RVRSVS Sanctus Thomas 1. 2. q. 9. &. 10. diligenter inquirit à quibus voluntas possit moueri, & vtrũ moueatur ab Angelo, vel ab appetitu sensitiuo, vel à cælo, vel ab aliquo exteriori principio, & est sermo de principio efficienter mouente: quia de motiuo & principio morali nulla erat difficultas. Et tandem concludit quòd voluntas mouet seipsam, & quòd ipsa est domina sui actus, & quòd à solo Deo mouetur, sicut ab exteriori principio. Cõcludit etiã quòd motus voluntatis cum ipsa se mouet, non tantũ est ab ipsa, sed etiam est ab extrinseco principio quod est Deus. Et non potest hæc quæstio esse de mouente moraliter, quia sic tam Angelus quàm homo mouent alium hominem, si congruè suo loco & tempore motiuis & persuasionibus agant circa ipsum. Quare, cum voluntas à solo Deo dicatur moueri, de vtraque motione intelligi debet, tam morali quàm proptiè efficiente simul. Sed in discursu controuersiæ adducemus pro nostra sententia penè infinita loca Sancti Thomæ, maximè consentanea huic instituto.

Ægidius Cardinalis.

AEGIDIVS Columna Cardinalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ qui vocari solet Romanus: auditor D. Thomæ sequutus est per omnia præceptorem suum, tam in sententijs, quàm in tractatu de prædestinatione & præscientia, & in secundo Sentent. distinctione 5. q. 2. art. 1. vbi agens de conuersione Angelorum, specialiter dicit ponẽdam esse motionem præuiam gratuitam, antecedentem prioritate naturæ, & prioritate originis. Et vlterius addit. *Vt velit bonum gratiæ, & vt conuertat se ad Deum anima, requirit specialem Dei impetum, & motionem, quam sequẽdo dicitur conuerti ad Deum, & habere dispositionẽ ad gratiam.* Et inferius propè finem corporis articuli subiungit: *Neq; oportet inter talia esse prioritatem secundùm durationem ad tempus, sed sufficit quod ibi sit prioritas naturæ & originis.* Vides quo pacto nostram apertè tuetur sententiam?

Scotus.

SCOTVS in primo, distinctione 39. in 2. parte distinctionis §. Viso de contingentia rerum: tenet diuinam prædefinitionem, & prædeterminationem rerum omnium, in qua dicit Deũ cognoscere omnes actus hominum & rerum: atq; ita sentit Deum determinasse res & actiones euenire. Et distinct. 46. quæst. vnica dicit Dei voluntatem quantum ad omnia semper impleri: & loquitur de voluntate beneplaciti: Et assignat rationem huius, quia sicut Omnipotẽs potest omne possibile: ita quando voluntas diuina determinat se ad ponẽdum aliquid in esse vltima determinatione, illud erit. Nam inquit Scotus: Si causa vltima determinatione ad aliquid determinata, nõ poneret effectum in esse, hoc nõ videretur, nisi propter impotentiã eius, vtputà quia non sufficeret ex se, vel quia esset impedita ab aliquo alio, vel propter mutabilitatem eius, antequam intelligatur effectus poni in esse, sed Deus omnipotens, neque est impotens, neque impeditus, neq; mutabilis: ac proinde determinatio eius circa res, infallibiliter cõsequitur effectum. Et solutione ad primũ explicans Scotus testimoniũ Pauli 1. ad Timoth. 2. quòd Deus vult omnes homines saluos fieri, dicit: Quòd hoc est verum quantum est ex parte sui, quatenus dedit hominibus leges rectas & adiutoria communia sufficientia ad salutẽ. Subiungit tamen inferiùs quòd vt saluentur, requiritur voluntas beneplaciti: quàm antea dixerat includere vltimam determinationem ad ponendũ aliquid in esse. Vnde concludit, quòd quamuis Deus non habeat voluntatẽ beneplaciti saluandi eum, quem reprobat: sed nihilominus vult illi adiutoria communia antecedentia ad salutem omnium, quibus iste etiam potest sufficienter bene viuere & saluari. En quomodo ex Scoti mente & sensu distinguũtur adiutoria, alia sufficientia, alia efficacia. Efficacia autem dicit prouenire ex voluntate beneplaciti, & ex voluntate diuina se determinãte ad ponendum aliquid in esse vltima determinatione: Quia re vera hac posita illud determinatè erit. Discipuli Scoti cõstituunt etiam efficax auxilium per modum principij influens in voluntatem, diuinam etiam præordinationem & prædefinitionem immobilem Dei prouidentiam in prædestinatis. Scripsit hoc seculo Petrus Trigosus super D. Bonauenturam Commentarios ad Summam Theologicam eius, dicatos Pontifici Maximo Clementi VIII. Romæ impressos, qui seuerè loquitur contra auctores oppositæ sentẽtiæ 1. parte q. 14. art. 6. dub. 2. conclusione 1. & q. 15. art. 2. dub. 3. & q. 18. art. 4. dub. 2. & 5. & art. 6. dubio 2. & 13. & eadem q. 18. art. 8. dubitatione 3. in responsione ad secundum punctũ. In his locis affirmat apertissimè gratiam Dei præuiam efficacem, vt distinguitur à sufficiente, & ponit determinationem volũtatis à Deo, & prædefinitionem operũ nostrorũ, ante præuisionem operum, & ante præuisionem determinationis voluntatis humanæ, cum quibus dicit stare libertatẽ illorum actuũ. Et hanc dicit esse sententiam communẽ Theologorum, præsertim S. Thomæ, & D. Bonauẽturæ: Adducitq; D. Augustinum plerisque in locis, & plura testimonia Sacræ Scripturæ. Idẽ sensit Nicolaus Nicenus eiusdẽ familiæ Franciscanæ tractatu 1.

1. *Ad Timotheum 2.*

Auxilia efficacia quatenus a sufficientibus distinguũtur secundũ mẽtẽ Scoti proueniunt à Deo ex voluntate beneplaciti.

Petrus Trigosus seuerè loquitur cõtra aduersarios.

Nicolaus Nicenus.

parte 3. portione 2. in disputatione de extensione diuinæ voluntatis, & in disputatione de impletione diuinæ voluntatis, & in alia de certitudine scientiæ diuinæ. Franciscus Herrera Sacræ Theologiæ professor apud D. Franciscũ, in 1. disputatione 15. q. 8. pag. 530. & 531. & præcipuè disputatione 24. pag. 751. postquã proposuit longissimè aliorum sententias, postea decernit Deum prædeterminare voluntatem nostram & physicè & moraliter, præmouente Deo efficienter per eius gratiam actualẽ & per efficax auxilium.

Franciscus Herrera.

D. Bonau.

Divvs Bonauentura in 1. distinct. 47. q. 1. apertè docet quòd voluntas Dei absoluta non potest cassari, quia omnem suum effectum ponit, & nunquam manet inexpleta, & addit volũtatẽ absoluta necesse esse impleri. Et distinct. 40. art. 1. quantum ad secũdam partem articuli apertè dicit Deum prædefiniuisse euentus prædestinatorum: ait enim quòd supposito quòd prædestinatio non inferat necsitatem vllam libero arbitrio, ex eo quèd nõ possit aliter esse, iure quæritur vtrùm ponat certitudinẽ in euentu, ita scilicet vt nunquam aliter eueniat nisi sicut Deus prædefiniuit. Et dissoluens quæstionem dicit, actum, v. g. liberi arbitrij, qui re vera est euentus prædefinitus esse quidem contingentem & liberum: sed nihilominus certitudine diuinæ dispositionis & ordinationis esse certum certitudine immutabilitatis, & infallibilitatis. Quia diuina dispositio & ordinatio non variatur vt modo eligat vnum & modo alterũ: sed qui semel est electus semper fuit, & erit & non alius. Et solutione ad primũ explicat quòd præscientia futurorũ includit & supponit prædefinitionem eorum. Trigosus in cõmentario egregiè multa dicit super D. Bonauenturã quibus nostram sententiam probat.

Capreolus.

Capreolvs in 1. distinct. 45. art. 2. & in discursu 5. conclusionis, vbi adducit. S. Thomã 1. contra Gentes, cap. 86. & de veritate q. 23. art. 5. & in 1. distinct. 47. q. 1. art. 1. & in 2. distinct. 28. q. 1. art. 3. ad 12. argumentum sequitur per omnia Præceptorem suum, & tenet sententiam nostram, & in prædicta solutione ad 12. ait. Deum præmouere voluntatem, seu prædeterminare eam ad bonum & ad pœnitẽtiam. Quare dolosè citatur Capreolus ab aduersarijs.

Gregorius Arimin.

Gregorius etiam Ariminensis in 2. distinct. 26. 27. & 28. q. 1. art. 3. in medio, in responsione ad 12. argumentum, qui idem omninò docet & affirmat quod Capreolus & nos ipsi diximus. Nã postquam dixerat, bonum vsum liberæ voluntatis esse ex Deo, deinde in solutione ad 12. ait. *Quòd Deus non solùm iuuat, v. g. hominem, causando immediatè ipsum actum: sed etiam mouendo potentiam ad ipsum.* Vnde dicit Gregorius eodẽ loco. *Quòd Deus immediatè efficit actum, non ipse solus, sed etiam voluntas: Ita tamen quòd etiam quodam speciali modo concurrit Deus, videlicet faciendo ipsam voluntatem concausare. Quare voluntas causat applicata & mota à Deo ad causandum, in qua motione minimè necessitatur.* Allegat D. Augustinum lib. de gratia & libero arbitrio vltra medium dicentem: *Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit vt velimus bonum. De quo dictũ est, quòd præparatur voluntas à Domino, iuxta illud: Qui operatur in nobis velle & perficere. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dicit: Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis.* Alia multa adducit Gregorius ex D. Augustino, ex quibus colligit D. Augustinum distinguere duplicem modum operãdi Dei circa bonum velle nostrum, quem ibi fusiùs explicat. Legendus est Capreolus locis citatis, & Sanctus Thomas 1. 2. q. 109. & q. 9. art. 6. ad 3. & q. 10. art. 4. ad 3. & q. 112. art. 10. lege D. Augustinum epistola 106. ad Bonifacium.

Driedo.

Driedo eruditissimus apud Louanienses, Magister Ruardi Tapper Decani lib. de concordia liberi arbitrij & prædestinationis cap. 3. dissoluens argumẽta aduersariorum folio 43. ait: *Quòd non sequitur Deum sua prædestinatione, neq; dirigere neque determinare hominum voluntates ad bona opera,* & statim: *Verum quidem est homines iam Dei prædestinatione iustificatos, suis studijs, suis circunspectis deliberationibus, suisq; cõsilijs rectis seipsos determinare ad bonorum operũ electiones: Sed Deus facit eos ad bene viuendum spontaneè determinare seipsos, & omnia hæc facere libera volũtate.* Idem dicit folio 47. pag. 2. §. Respondeo: vbi ait ex sententia Augustini, dissoluens cauillum contra libertatem arbitrij. *Voluntas hominis prorsus regi ac gubernari à Deo, neque posse aliorsum sese vertere, quàm proposuerit aut decreuerit Deus ipse. Sed non inde sequitur* (ait Driedo) *liberum arbitrium ex necessitate moueri, per inde atque serra quæ trahitur ab homine: quia Deus per liberum arbitrium agit, non tanquam quod trahitur, motũ nõ mouens, sed tanquã per causam sub sua diuina prouidentia liberè operantem. Liberè inquam id est non ex necessitate, Deus operatur in nobis rectas electiones, bonosq; consensus voluntatis nostræ dum facit nos rectè eligere, liberaque voluntate nostra Euangelio consentire & obedire. Et hic iam est articulus in quo Lutherus suiique complices mirabili cæcitate falluntur.* Hæc Driedo. Et eodem cap. fol. 56. pag. 2. ex sententia D. August. de spiritu & litera dicit. *Quòd gratia diuina potius in libertate confirmat hominis prædestinati voluntatem, cãq; inclinat vt consentiat ipsi Deo, quia Deus facit nos liberè velle benè & liberè operari.*

Adducitur Driedo ab aduersarijs pro sua sententia, in loco in quo argumenta p

Sed profecto non sine dolore fero quòd dolosè citetur Driedo à quibusdam ex aduersarijs lib. de concordia prædestinationis & liberi arbitrij fol. 29. pag. 2. Et vt palàm & publicè dicamus aduersariorum dolum, aduerte Driedonem loco citato constituere secundam partẽ de concordia prædestinationis & liberi arbitrij in qua confecit tria capita, & in 1. cap. adducit argumẽta, & rationes quibus res hinc inde disputatur, vbi perplexitates & difficultates omnes quibus præmitur hæc controuersia de concordia liberi arbitrij & prædeterminationis

ponit cõtra propriã mẽte & cõtra sententiam quam ipse tuetur.

Dei recensentur à Driedone: & quatuor argumẽta adducũtur ab ipso in toto illo. c. à fol. 29. vsq; ad 34. & in quolibet argumento plures replicę, obiectiones, & alia dependentia argumẽta inculcantur ab eo, vt postea veritas eruatur. Vide ergò Christiane lector quam dolosè aduersarij citẽt Driedonem: Nam primum argumentum in quo argumentatiuè ipse procedit, contra se & contra cõcordiam liberi arbitrij & prædestinationis, est locus qui ab aduersarijs citatur pro se, quasi id quod in argumentis continetur sit sententia auctoris, antequam aliquid definiat in capitibus sequentibus.

QVO CIRCA Driedo eodem lib. de concordia liberi arbitrij & prædestinationis ca. 2. fol. 35. ponit considerationes & fundamenta & sententias, vt ostendat non auferri neq; repelli liberum arbitrium propter gratiam Dei, ipsiusq; voluntatem immutabilem & efficacẽ: adducitq; distinctionem dialecticam de necessitate consequentis & consequentiæ, & alia multa in fauorẽ antiquæ sententiæ. Et in 2. particula eiusdẽ capitis 2. fol. 39. inquit: *Quòd Deus non solũ inuitat, suadet, aut suggerit: nã hæc pertinent ad causas morales: sed etiam vlterius voluntatẽ bonam infundit atq; immittit.* Vides quo pacto præter gratiam pulsantem & suadentẽ, & præter illa quæ pertinent ad causas morales, vlteriorem etiã gratiã ponit Driedo, per quam dicit Deũ voluntatẽ bonã infundere atq; immittare, quod nõ potest intelligi, nisi de efficaci gratia Dei præueniente & præuia. Rursus conclusione 6. affirmat Deũ elegisse prædestinatos ante mundi constitutionem, nõ quos præsciuit credituros, & fore obedientes viribus solius liberæ volũtatis, sed quos ipse facturus erat tales qui voluntariè crederẽt, & obedirent: neq; ob id, ait Driedo, tollitur liberum arbitriũ, quia ad credendum & benè operandũ ita Deus inclinat hominũ voluntates, vt faciat eos credere, & benè operari, non coacto sed libero arbitrio. Et adducit D. Augustinum dicentem. *Quòd Deus facit nos facere bona opera liberè, iuxta illud Prophetæ. Ego faciam vt faciatis & vt in præceptis meis ambuletis.* Tandem in c. 3. dissoluit argumenta quæ proposita erant c. 1. & fol. 42. ait: examinanda esse quæ in primo argumẽto contrario opponuntur pro defensione liberi arbitrij, ne volentes defendere liberũ arbitriũ, fiat iniuria diuinæ gratiæ & prædestinationi. Et iterũ concludit ibidem ita scribens & respõdens argumento. *Ad hoc igitur quòd in argumẽto concluditur diuinam voluntatem ad opera per liberũ nostrum arbitriũ futura esse indeterminatã, eandẽq; solum permittere nos agere secundùm liberi arbitrij placitum aut vires: respondeo hoc falsum esse. Nam & ad omnia quæ & facit, & facturus est Deus, sua voluntas ab æterno se se determinauit, ipse omnium est initiũ.* Et inferius: *Non sequitur Deũ sua prædestinatione neque dirigere, neque determinare hominum voluntates ad opera bona. Verũ quidem est homines iam Dei prædestinatione iustificatos, suis studiis, suis circunspectis deliberationibus, suisq; consiliis rectis se ipsos determinare ad bonorum operũ electiones, sed Deus facit eos ad benè viuendum determinare seipsos, & omnia hæc fatere liberæ volũtate.* Alia etiam multa subiungit Driedo ad dissoluendum locum in quo argumentatiuè procedebat. Ex quibus colligitur dolus & fraus aduersariorum in citatione Driedonis, nam citant eum in loco, seu locũ eius, in quo arguit proponens argumenta in contrarium solum: & non citant locum in quo sententiam & mentem suam affirmat & proponit dissoluendo argumentum in contrarium ab eo factum.

MIRABILITER perpendendus est Driedo de Captiuitate & Redemptione generis humani tractatu 6. c. 2. præcipuè in 2. parte, folio 151. 152. 153. & 154. vbi docet quòd Deus per suam gratiam est veluti artifex ad liberũ hominis arbitriũ tanquam ad viuum instrumentũ: & quòd Deus mouet, & determinat liberum arbitrium ad actiones liberas. Quia in sacris Literis significatur Deũ facere vt nos faciamus, & velimus, & operemur. *Ego*, inquit Deus, *faciam vt vos faciatis: ego faciam vos velle, & operari, neque est qui possit resistere voluntati meæ.* Vnde Dominus in Isaia Propheta se cõparauit artifici operanti per instrumenta, Isaiæ 10. *Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? Aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur?* Hæc tamen quamuis non habeant æqualitatẽ omnimodam habent tamen similitudinẽ. Similitudinẽ inquã in eo quòd liberũ hominis arbitriũ à Deo recipit non solũ vires, seu possibilitatẽ operandi, sed & motum, & actionẽ, qua fiunt opera bona. In hocverò est dissimilitudo, quòd instrumẽtũ non ex libero suo rationis iudicio, sed necessitate, & vi quadã impellitur ab artifice, nullũ habẽs iudicium, neq; de eo ad quod fertur, neq; super mediũ ad quod fertur: libera verò hominis anima seu volũtas à Deo recipit suauitatẽ quãdã, seu inclinationẽ qua ex proprio iudicio mouetur ex libera & spontanea voluntate ad actum. *Isaiæ. 10.*

PRAETEREA idem auctor in eodem tractatu pag. 152. ait: *Sciendum est autem quòd Deus interdum operatur trahens, interdum ducens. Aliud enim est trahere, aliud ducere. Qui trahitur præuenitur, vt ex nolente fiat volens, qui autem ducitur iam volens est & sua spõte progrediẽs cooperatur ductori. Trahitur homo cùm mutatur voluntas eius, cùm venit ad Christũ, id est cũ incipit credere qui noluit credere, præcedit tractus Dei mutantis voluntatem. Dixi* (inquit Propheta) *nunc cœpi, sed hæc mutatio dexteræ Excelsi est.* Et fol. 152. pag. 2. postquã multa dixit Driedo sic fatur: *Hac ratione Pelagiani à Sanctis Patribus coarguuntur quòd gratiã Dei non ducem, sed comitem dixerunt esse humanæ voluntatis: Nam è contrario rem se se habere humanam videlicet voluntatem esse pedisequam, atque ancillam significauit Propheta Psalmo 58. dicens. Fortitudinem meam ad te custodiã, quia Deus susceptor meus es, Deus meus misericordia eius præueniet me.* Quem locum explicans D. Augustinus inquit. *Videte quid est fratres in anima humana, non habet ex se lumen, nõ habet ex se vires, nec valet sibi, neq; ipsa sibi lux est: neq; ipsa sibi virtus est: est quæ-* *Psalm. 58.*

dam origo, fonsq; virtutis: est quædam radix sapientiæ, est regio incommutabilis veritatis. Ab hac anima recedens tenebratur : ergo fortitudinem meã ad te custodiam. Nõ à te recedam, non de me præsumã: Fortitudinem meam ad te custodiã: Quia Deus susceptor meus es. Vbi enim eram & vbi sum ? Vnde me suscepisti? Quas iniquitates meas dimisisti ? Vbi iacebam? Quo erectus sum? Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es. Deus meus misericordia eius præueniet me. Ecce quid est. Fortitudinem meã ad te custodiã. Et statim. Non ego prior ad te exurrexi, sed tu ad me venisti excitandum. Nam misericordia eius præueniet me, antequam aliquid boni ego faciam. Et adducit D. Augustinus locum Pauli. Si Deus volens ostendere iram, & demõstrare potentiã suã, &c. Vt notas faceret diuitias suas in vase misericordiæ. Si ergò vasa iræ attulit, in quibus notas faceret diuitias suas in vasa misericordiæ, rectissimè dictum est: misericordia eius præueniet me. Vides quo pacto non tantùm ad efficacitatem purè moralem recurrat, sed ad fortitudinem Dei simul, secũdũ quam susceptor esse dicitur Deus, & hominem præuiè susciperе. Vnde nomine fortitudinis qua præuenitur homo à Deo, & præuiè susciputur, non intelligitur potentia moralis, sed etiam physica & propriè efficiens. Vnde Driedo inquit. Quòd illa vocatio qua ad cœnam magnam vocati sunt illi qui venire voluerunt, illa talis operata est in eis voluntatẽ, qua venire voluerunt. Et plerisq; in locis declarat duplicem esse vocationem, alteram efficacẽ & secundùm propositum Dei, alteram verò non efficacem neque secundùm propositum. Perpẽ dat Theologus qui veritatem scire amat, quantum hæc omnia recedant à sentẽtia aduersariorum, & videbit quam dolosè citetur ab eis.

Adducuntur pro nobis Sententiæ aliorũ Patrum: & Scholasticorum, & aperiuntur iudicia aduersariorum.

D. Cyrillus efficacitati gratiæ tribuit permanentiam & perseuerantiam discipulorũ Christi.

DIVVS Cyrillus lib. 11. super Ioannem cap. 21. tractans illa verba. *Cum essem cum eis, ego seruabam eos, in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodiui eos. Et nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis, vt Scriptura impleatur* : inquit Cyrillus. *Dicet fortasse aliquis: Si propria voluntate potestateq; libera cæteri Diaboli laqueum fugerunt, solus autem Iudas incidit, quomodo illos seruauit Christus ? Aut cur Iudæ non profuit hæc saluatio ? Sed studium atque vigilia. O generose tu, quamuis proba & laudabilis sit, non sufficit tamen ad perfectæ operationem virtutis : sed salutem quidem vigilantes, attendentesque diligenter acquirimus.* Et paulò inferius. *Nostra enim vis nisi diuinitus sustentetur, nulla pœnitus est. Quod Psalmista confirmat clamans: Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Et inferius. *Quòd si proditor æqualiter alijs discipulis Saluatoris auxilium non habuisset, frustra hæc à nobis dicerentur. Sin autem non minus, quàm cæteri diuina gratia regebatur, sed suo ipsius iudicio in profundum perditionis delapsus sit, quomodo etiã non seruauit eum Christus, qui suum patrocinium ei præstitit: qui quantum ad ferendam opem illi attinuerit, seruasset hominem, nisi vltrò ille in perditionem insilijsset? Gratia igitur in alijs effulsit, seruauitque omnes, qui cooperantem ei voluntatem tradiderunt, sic enim salutis nostræ modus dispositus est.* Vides quo pacto Cyrillus omnia tribuit diuinæ gratię? Et rursus cũ interrogat. *Cur si proditor æquale auxiliũ habuit cum cæteris, si etiã non minus regebatur diuina gratia, quo pacto non seruauit etiam eum Christus, qui suũ patrocinium ei præstitit.* Respondet: *Quòd diuina gratia in alijs effulsit.* Itaque gratiæ effulsioni tribuit hoc, nam quòd dicitur gratia in alijs effulsit est fortius, & vehemẽtius atque efficaciter in alios impetũ suum habuisse & quasi in eos descẽdisse, iuxta illud D. Hilarij elogiũ quod Ecclesia canit de aduentu Spiritus sancti, vbi ait. *Quod Spiritus Paracletus effulsit in discipulos*, in quo verbo significauit efficaciã ignis gratiæ, & amoris Spiritus diuini, quæ Christi discipulos in eos descendens circumuenit. Secundò respondet Cyrillus. Quod licèt proditor etiã præsidia receperit, & patrocinia, quæ ad ferendam illi opem seruare possent illum, nihilominus ille vltro se præcipitẽ dedit. Sic enim salutis nostræ modus dispositus est, nimirũ vt illi seruarentur & non iste. Semper ergò recurrit ad gratiam Dei, & ad dispositionem diuinæ ordinationis.

Toletus Cardinal. apertè & disertis verbis loquitur pro nostra sententia.

FRANCISCVS Toletus Cardinalis & eiusdem familiæ Societatis IESV super Ioan. cap. 17. in Commentario dicit in explicatione qua interpretatur prædictũ locũ Ioannis. *Quos dedisti mihi ego custodiui, & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis vt Scriptura impleatur.* Ait Toletus. *Sẽtẽtia hæc magno cõsilio adiuncta est, tanquã præcedẽtem illustrans : posset enim aliquis dicere, si custodia tua erat efficax, & potens, cur perijt vnus? Cur non omnes duodecim seruasti, eũ omnes à Patre datos fatearis? Nã qui dicit: Quos dedisti mihi custodiui, & non perijt nisi vnus, hunc etiã datũ à Patre significat, exceptio enim ab eodẽ fit genere, quo cæteri cõprehendũtur. Vt huic obiectioni respõderet, & custodiã suam sufficientissimã esse indicaret, adiecit hoc verbũ: Vnus perijt filius perditionis, vt Scriptura impleretur, Psal. 108. Hæc scriptura & prophetia Dei erat, quasi diceret, vt quòd prædixit Pater, impleretur. Erit ergo sensus hic : Ego custodiui quos dedisti mihi, ò Pater, & nemo perijt, nisi quẽ tu prædixisti periturum, quẽ ego non seruaui, non quia non potui, poteram enim etiam eũ seruare, sed quia sciebã te nolle, me eum seruare, volens ergò, quæ tu prædixisti custodire non seruaui. Dicet aliquis: Igitur Iudas in culpa nõ fuit perditionis suæ. Respõdeo hanc consecutionẽ nullius roboris esse: Nam certũ est, & si Deus vellet, nemo peccaret, nemoq; dãnaretur, at verè nũc multi peccant, Deus autẽ dat illis auxiliũ, quo peccare non posset: ideoq; peccãt, quia eis liberũ fuit peccare quãuis Deus nolit omninò impedire ne peccent, cũ possit id facere. Ita etiam potuit Christus Iudam seruare, si*

Explicatur testimonium Ioan. cap. 17.

voluisset, at non seruauit: nec tamen propterea Iudas culpa vacauit, quia habuit ab ipso Christo talem custodiã, & auxilium, vt si voluisset, non peccasset, at noluit facere Christus totum quod poterat, quia Patrem id nolle cognouit. Prophetia autẽ non imposuit necessitatem Iudæ, sed quòd futurum erat prædixit: ille ergò perijt culpa sua, & hoc prædictum est, qua prædictione significauit Deus, velle se permittere eũ damnari, & nolle omninò impedire quod posset. Hęc ille. Quam doctrinam dicit esse veram & Catholicam. Vides quo pacto quod nõ fuisset seruatus Iudas cum posset seruari, quamuis acceperit auxilia quæ sufficere poterãt, tamen nõ fuit seruatus, quia non illi donata fuit illa gratia qua re vera seruaretur, & protegeretur, si Deus voluisset. Ex quo apertè constat, præter gratiã sufficientẽ aliam interuenire gratiã, nimirũ efficacem, qua seruantur homines ne peccent, & nihilominus hominẽ peccatorẽ perire sua culpa, licèt Deus sua absoluta voluntate & decreto, noluerit illi efficacem gratiam tribuere, quę si daretur non peccaret, neque permitteretur perire & peccare: neque ex hoc lędi arbitrium nostrum, & hanc fuisse vocem Antiquorũ omnium: & hanc vim conuenire huic gratiæ, vt est donum Dei, seu vt venit à Deo.

Falsum omnino est S. Patres sentire Deum non prædefinire actus liberos & supernaturales.

VENIAMVS ergò ad Clementem PP. quẽ citat Franciscus Suarez li. 3. de auxilijs ca. 13. §. Ex patribus: qui ob id citatur ab eo quòd eius sententiæ faueat. Et primò falsum est, Sanctos Patres significare Deum non prædefinire actus liberos & supernaturales, sed præscire eos: iam enim diximus Sãctos Patres Ecclesiæ Latinę cũ D. Augustin. docuisse non tantũ Deum præscire actus liberos, bonos, & supernaturales, sed etiã decreuisse & prædefiniuisse eos. De qua prędefinitione aliqui ex Gręcis contrariũ sentire volueruntet idcirco Claudius Spẽceus, quẽ Michael à Medina doctissimum virũ vocat, aduertit Grę cos cautim legendos esse in hac parte: quippe mirũ cùm sit Pelagiũ in eorũ de hæresibus Cathalogis non recẽseri, tòt, præsertim Palestinę, ac sic Orientis Episcoporũ iudicijs condemnatum. Et Hieronymus Osorius li. 9. de iustitia refert & dicit D. Augustinũ recessisse à Gręcis eo quòd negarent prædefinitionem Dei ante præuisionem operũ, eo quòd putaret Augustinus & timeret in hoc cum Pelagio sentire, & quòd idcirco constituit prædefinitionem rerũ à Deo, à Gręcis recedens. Et Frãciscus Toletus approbat sententiã D. Augustin. super Ioan. c. 6. Vnde annotatione 21. in Ioann. inquit. *Quòd per illa verba. Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eũ: non significatur coactio, vis aut necessitas liberi arbitrij, sed vsus est Christus verbo trahere, vt explicaret efficaciã diuinæ vocationis, quæ homines, etiã maximè immersos vitijs, tẽporis momento cõuertit ad se.* Et statim subiungit. *Hæc efficax & solius diuinæ dexteræ mutatio, tractio dicitur, non q vi & necessitate ad Deũ trahamur: sic enim minus efficax esset motio, sed quòd volẽs & libens homo ad omnino contraria repentè conuertatur, trahente eũ radio diuinæ lucis.* Et annotat. 20. ait: *Quòd si à Patre aliquis datur, certissimè venit ad Christũ, quia à Patre habet, non solũ vt venire possit, sed etiã vlterius vt de facto veniat.* Et vt explicet testimoniũ illud. *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet*, multa adducit ex doctrina August. quã dicit esse veram. Et nõ doctrinã Græcorũ in hac parte: Et deinde affirmat. *Quòd sola dantis æterni Patris gratia & dono, veniunt & conuertuntur, & credũt peccatores: & quòd non ob id tollitur liberũ arbitriũ.* Et inferius inquit: *Et si tentante Diabolo grauiũs mè, dicimus, quòd sine gratia non possumus illi resistere, & nihilominus liberè deficimus, cur si mouemur efficaciter â Deo nõ dicemus quòd liberè agimus quãdo ex gratia efficaci Dei conuertimur, & mouemur ad Christũ?* Et tandẽ concludit. *Quòd in prædicta sententia perfectè ostẽdit Dominus neminẽ venire, nisi qui à Patre datus est, & omnẽ qui à Patre datus est, efficaciter & infallibiliter venturum.*

Leonis Papæ IX.

EXTAT epistola Leonis PP. IX. qui in cõfessione fidei & explicatione eius dicit. *Credo Deũ prædestinasse solũmodo bona* (id est prædefiniuisse) *præsciuisse autẽ bona, malaq; . Gratiã Dei præuenire & subsequi hominẽ credo & profiteor: ita tamẽ vt liberũ arbitriũ rationali creaturæ non denegem.*

EXTAT vlterius D. Athanasius, qui loquẽs de bonis operibus ad Ephesios 2. ait: *Hæc præparauit quæ differri non possunt, neq; intermitti, quin peragantur tanquã diuinitùs sint præfinita, quousq; sit procedendum.* En vides Athanasiũ dicere prædefinitionem bonorũ operum factã esse à Deo, de quibus dicit quòd neque differri neq; intermitti possunt, quin peragantur tanquã à Deo prædefinita quousque sit procedendum.

Hieronym. Osorius.

SECVNDÒ falsum est S. Patres negare præmotionem efficacem diuinæ gratiæ, imò verò præuiã & præuenientẽ mirè extollunt, & hanc ex Dei voluntate antecedenter ad præuisionẽ operũ nostrorũ decerni vt nobis detur à Deo. Vnde S. Patres per hanc gratiã dicunt Deũ nullam vim inferre volũtati nostræ. Vlterius etiã Deum significant inchoare prius, & non expectare voluntates nostras. Aut enim Deus maximè in his quæ inter se habẽt ordinem, inchoat prius, & posterius liberũ arbitriũ, aut è cõuerso prius liberũ arbitriũ & posterius Deus: & hoc secũdũ minimè dici potest, habet enim manifestam implicationẽ, ergò primũ est verũ, quòd Deus inchoat prius in supernaturalibus actib?: vel ambo inchoãt simul nimirũ Deus & liberũ arbitriũ. Vnde cũ liberũ arbitriũ inchoet moraliter & effectiuè, sic enim inchoat volũtas suam actionẽ: ergò pari ratione id facit Deus. Præterea si Deus inchoat rẽ aut actionẽ à dextra, mouendo inchoat, etiã efficienter & moraliter, sed non potest inchoare aliquid determinatũ, nisi determinãdo indifferẽtiã ei? quod debet agere: ergò. Rursus si ambo simul inchoãt omni simultate, etiã naturæ & rationis, quę habet fundamẽtum in re, sequitur, quòd Deus se habet non vt causa prima simpliciter, neque vt causa prima, quæ subordinat sibi secũdã ad causandũ, sed potius se habebũt Deus & voluntas tanquã causę partiales. Deus ergò non solũ primò pulsat, sed

Falsũ etiã est S. Patres negare præmotionem efficacem D. gratiæ, eũ ipsi potius præuiã & præuenientem mirè extollant.

etiam

etiã cũ primũ incipit cõsensus liber prius dicitur incipere, volũtatẽ verò pediseq̃ esse, aut in suo ordine incipere, sed non prius Deo: siquidẽ ipse non expectat volũtates nostras, siquidẽ facit eas volẽtes ex nolẽtibus, & facit eas liberè consentire, vt ex D. Augustin. supra ostendimus.

Verba Clementis PP. nõ fideliter citantur à P. Suarez pro se.

CITAT igitur Suarez Clementẽ Pp. epistola 3. sed malè: Nam dicit in eo contineri hæc verba inter alia. *Si aliquid esset quod audientes fidẽ, vel ad credendũ, vel ad non credendũ determinaret extra arbitriũ eorum, meritum & libertatẽ tolli.* Quæ verba tanquã D. Clementis nouis & selectis characterib⁹ impressit li. 3. de auxilijs loco citato, c. 13. §. Ex Patribus. sed nunquã Clemẽs Sanctissimus hæc verba protulit, neq; in ea epistola habentur, solũ enim legimus. Quòd si nõ esset in potestate alicuius facere aliud quã audiuit, audiens sermonem veri Prophetæ, sed cogeretur ad vnũ, & alteri parti non daret locum, propter vim quandam naturæ, per quam liberũ non esset ad aliã migrare sententiã, vel si rursus ex audientibus nullus omninò reciperet, & hoc naturæ vis esset, quæ vnũ aliquid fieri cogeret, sic nõ haberẽt in potestate aliud facere quã audierãt. Quèd nos ita sentimus & credimus: Nã si ex vi quadã naturæ cogeretur voluntas vnũ aliquid facere, & alteri parti non daret locũ, sic vis quædam esset naturæ & quasi fatũ. Cæterũ dicere Deum gratia sua voluntatẽ præmouere liberè ad infallibiliter consentiendũ, non est ex vi quadam naturæ cogere vnũ aliquid fieri, sed ex vires efficaces præbere, & principiũ supernaturale constituere, quo fiant actiones nostræ supernaturales liberè, iuxta ea quę Deus decreuit statuto, & prædefintione sua.

Verba Clementis PP. fideliter referuntur, quæ nullo modo sunt contra nos.

SED vt apertius videamus verba Clementis hoc loco volui ea recẽsere, sic enim legimus ea 1. Tomo Conciliorum. *Quæri ergò magnoperè debet veritatis agnitio, quã nemo alius aſsignare potest nisi verus Propheta. Hæc enim via est, vitã volentibus ingredi, & summũ iter bonorũ operũ pergẽtibus ad ciuitatẽ salutis. Siquis sane audiens sermonẽ veri Prophetæ, velit aut nolit recipere & amplecti onus eius, id est, mandata vitæ, habet in sua potestate. Liberi enim sumus arbitrij. Nam si hoc esset, vt videntes ea, iam non haberẽt in potestate aliud facere, quã audierant: vis erat quædã naturæ, per quam liberum non esset ad aliã migrare sententiã. Aut si rursus ex audientibus nullus omnino reciperet, & hoc naturæ vis erat, quæ vnũ aliquid fieri cogeret, & alteri parti non daret locũ. Nunc autẽ quia liberũ est animo, in quam velit partẽ declinare iudicium suũ, & quã probauerit eligere viam, constat euidenter ineſſe hominibus arbitrij libertatem.* Vides quomodo non candidè citetur Clemens PP.

Irenæus ab aduersarijs pro sua sententia adductus nihil illis fauet.

TERTIÒ, quia Irenæus nõ fauet illis: Nam li. 2. contra Valentinũ & Similium c. 45. quòd incipit. *Melius est ergo & vtilius idiotas & parum scientes existere, & per charitatẽ proximũ fieri Deo, quã putare multũ scire, &c.* Et inferi⁹ vsq; ad finẽ capitis agit de diuina prouidentia, & quomodo omnia sint præfinita, præordinata & dispositа ab ipso, etiã quantũcunq; minima & secundùm numerũ & modũ & quantitatẽ, quæ omnia nõ satis fauent auctoribus oppositę sententiæ. Et lib. 4. c. 76. multa dicit expressè contra eosdem, tantũ abest quòd illis faueat. Nam inquit: *Non enim tu Deum facis, sed Deus te facit. Si ergò opera Dei es, manum artificis tui spectа opportunè omnia facientẽ, opportunè autem quantũ ad te attinet, qui efficeris.* Et statim: *Manus eius videlicet Dei liniet te intus, & foris auro puro & argento, &c.* Ecce auxilia intrinseca & extrinseca. In quibus verbis nihil reperio quod faueat aduersarijs. Quod verò dicitur ab Irenęo, quòd Deus neq; cogit hominẽ, neq; magna necessitate subijcit sibi, id nos etiã fatemur: Nam affirmamus neq; Deũ necessitare, neq; cogere volũtatẽ nostram per gratiã suã quantumuis efficacẽ, & pari modo sentimus Deum non conuertere homines ad se vi & violentia, sed motiuis & suasionibus, & præcipuè gratia sua suauissima & efficacissima.

Epiphanius non agit cõtra nos.

NEQVE rursus D. Epiphanius hæresi. 5. & 16. fauet illis, quia disputat cõtra fatũ à quo tollebatur libertas, & necessitas ad vnũ, more agẽtiũ naturaliũ & pecudum per necessariã determinationem inducebatur. Quæ omnia longè à nobis sunt & à suauitate diuinæ prouidentiæ.

Cyrill⁹ Alexandrinus dicit quæ à nobis non negantur.

NEQVE etiam fauet illis Cyrillus Alexandrinus li. 8. contra Iulianũ cũ dixit: *Itaq; si ineffabili quadam & diuina virtute & efficacia vsus, mutaret singulorũ mentem ad bene agendũ, & indidisset postea bonũ, à quo egerrimè discedere posset, & non sponte, vltra non esset fructus mẽtis, neq; res digna laude, sed necessitatis, & cupiditatis nõ volũtariæ, &c.* Nos idipsum fatemur, quòd si Deus mẽtes singulorũ mutaret necessariò, ita vt nõ liberè, imò neq; sponte agerẽt, sed solũ vi quadã necessitante agerentur, tunc neq; esset fructus mẽtis, neq; res digna laude, &c. Cæterũ nõ præmouetur voluntas per gratiã efficacẽ suam, præmotione & prædeterminatione necessaria, sed libera. Illud verò ꝙ ait, quòd si Deus bonũ indidisset, à quo egerrimè discedere posset, non dicit, nõ posset discedere, sed egerrimè posset, & hoc nõ est tollere potestatem, sed solum est indicare efficaciam. Et hoc sit satis pro Cyrillo. Qui etiam fatum repellere conatus est.

Chrysostomus in neutram partẽ constanter inclinat, & ideo non est cur ab aduersarijs ita pro se citetur.

CHRYSOSTOMVS similiter nõ fauet illis. Primò quia vt dicit Anianus in præfatione cõmentariorũ eiusdẽ Chrysostomi in Matthæũ, interdũ ipse naturę nostrę vires plus æquo extulit, ex contentione disceptãdi cũ Manicheis, & Gentilibus, qui hominẽ asserebant vel natura malum, vel fati violẽtia ad peccãdũ cõpelli. Secũdò, quia in pleriſq; locis oppositũ dixit. Tertiò, quia si aliquando videtur postulare antecedenter vires liberi arbitrij in hac re videtur voluisse ignauiã suorũ auditorũ, quib⁹ prędicabat, arguere, & desidiã nostrã inexcusabilẽ reddere. Lege Chrysostomũ homilia 18. ad Populũ Antiochenum. Quæ omna animaduertit & docet Sixtus Senensis li. 5. Bibliothecæ anotat. 101.

ADDE etiã quòd Ludouicus Molina in sua Concordia dixit circa rem de qua disputamus disputat. 41. de D. Chrysostomo. Quòd nimirũ

Chry-

Chrysostomus ante tēpora Augustini, cū intelligere nō valeret, qua nam ratione libertas arbitrij nostri salua posset cōsistere, si Deus sua gratia nostrā præueniret electionē, credidisse electionē, qua primò acceptamus bona & cōsentimus ea quę facere decernimus esse priorem ipsa Dei gratia. Quod homil. 12. in epistolā ad Hebreos dixit, quamuis alijs in locis, & in homi. de Adā & Eua senserit benè, & correxerit errorē illum. Fuerunt enim cōcertationes cū Pelagianis post illius mortem. Sed mirari nō desino aduersariorum artificium, qui cum damnēt hunc locū Chrysostomi, eum deinceps adducant ad comprobandam suam opinionem.

Multa alia loca Chrysostomi adducit Frā ciscus Suarez li. 3. de auxilijs c. 13. pag. 209. & 210. inter quę multa nō militant cōtra nos, alia verò nobis fauēt, sicut est illud homil. 13. super Ioann. *Gratia Dei semper in beneficijs priores sibi partes vendicat, &c.* Et homil. 56. in Matth. *Non enim probè, ac vt oportet agere possumus, nisi gratia illa repleti fuerimus.* Sed non mireris si aliquādo apud Græcos aliqua inueniātur, quæ à sentētia D. Augustini & nostra recedāt propter causas superiùs assignatas, quas notāt aliqui ex Theologis. Et ob id D. Augu. recessit à Græcis scriptoribus.

Militat p nobis D. Hieronym.

Quare neq; Hilarius, neq; Augustinus, neq; Hieronymus recedunt à nostra sententia, sed potius eam amplexātur, vt vidimus supra. Quod verò dicit Hilarius Psal. 2. *Vnicuiq; nostrum libertatē vitæ, sensumq; permisit, non necessitatē in alterutrū affigens.* Et inferiùs. *Quid honoris ac præmij bonitatis necessitas mereretur, cū malos non esse vis quædam nobis conserta non sineret?* Nobis hęc verba fauēt, nam affirmamus voluntatem liberam esse, & liberè agere, & mereri laudem, & præmiū, quod si necessitaretur à Deo, illiq; affixa esset necessitas exvi fati necessitantis agēs, sine dubio cessaret honor, & præmiū meriti, quia nō esset libertas, sed hoc ipsum affirmamus, pro nobisq; militat, & nulla ratione cōtra nostram sententiam.

Conantur auctores oppositæ sentētiæ D. Augustinum pertrahere in suam opinionē, sed frustra, vt constat ex omnibus locis superius adductis, in quibus loquitur de efficaci Dei gratia. Quocirca mirabile est, quòd prædicti auctores dicant illis patrocinari. Vnde respōsiones, quæ ad loca Augustini ab eis adducūtur, non sunt ad propositum, neq; quidquā contra nos efficiūt, vt superius ex adnotationibus ad testimonia Sanctorum, qui pro nobis militant, satis apertè constare potest.

Ex alijs Scholasticis veritas nostræ sententiæ cōfirmatur contra aduersarios.

Retulimus superius Doctores graues pro nostra sententia & contra aduersarios, Sanctum Thomam, Scotum etiam, qui quamuis in plerisque alijs aduersetur D. Thomæ, tamen in re hac de qua agimus illi cōsensit, neque vnquam ab eo recessit. Retulimus etiam AEgidium Columnam Cardinalem vulgò Romanum, Diuum Bonauenturam, Trigosum Commentatorem eius, Gregorium, & Capreolum, & Driedonem virum eruditissimum, & alios non infimæ notæ viros. Sed adhuc restāt plures alij qui pro nobis egregiè pugnāt. Perpendo tamen, quòd Franciscus Suarez volens ex Scholasticis Doctoribus aliqua pro se adducere citat Driedonem, cuius sententia & verba apertè contra ipsum loquuntur, vt constat ex eodem, locis superius à me adductis: vnde non percipio quo spiritu citetur ab eo, & multò minus percipio, quo fine citetur Stapletonus, qui libro 4. de gratia & libero arbitrio expressissimè loquitur contra Molinā & suos. Nam de infallibilitate efficacis gratiæ dicit, loqui D. Augustinum lib. de correptione & gratia c. 14. *Volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium. Quia sic velle aut nolle in nolentis aut volentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatē.* Et iterum. *Habet sine dubio Deus, humanorum cordium, quo placet inclinādorum, omnipotentissimam potestatem.* Et aduertit Stapletonus, quòd hæc omnia non tollunt liberæ voluntatis actionem, sed Dei circa corda hominum operationem infallibilem & efficacem ponunt. Vnde explicans illud: *Cor mundum crea in me Deus.* & illud ad Galatas 6. *Creati in eo in operibus bonis.* id est, ad bona opera facienda: adducit D. August. de Spiritu & litera c. 31. dicētem. *Quia totum principium huius creationis, seu conuersionis nouæ ad Deum à solo Deo est, & ab eius præueniente misericordia atque multiplici gratia.* Et cùm Stapletonus multa antea in eodem capite adduxerit loca Augustini, dicit illa omnia nihil aliud ostendere quàm infallibilem & efficacissimam gratiæ operationem, non tamen necessariam sed liberam. Et inferius inquit & scribit. *Non ergò Sanctus Augustinus voluntatis libertatem in reluctando gratiæ excludit, sed infallibilitatem operationis eius docet. Rursum causam quidem cur alius venit, alius non venit, ponit gratiam, quia illa est potissima & efficacior causa. Negat voluntatem esse causam discriminis, de peccatorum meritis & remissionibus libro 2. capite 5. & capite 18. de spiritu & litera capite 34. de prædestinatione Sanctorum libro 1. capite 6. & 8. non quia nulla causa est, sed quia posterior & inferior causa est.* Hæc docet & refert ex D. Augustino Stapletonus, & subiungit statim hæc verba. *Notandum est ergò, aliud esse quærere, an voluntas adiuta à Deo gratiam de facto repudiet, aliud an repudiare possit. Ideoque non diximus adiuuanti gratiæ à voluntate resisti, sed resisti posse, si velit: sicuti etiam Concilium Tridentinum solerter loquitur Sessione 6. can. 4. Quod verum erit quamuis nūquam propter gratiæ efficaciam resistat.* Hæc ille, & tandem concludit posito exēplo de confirmatis in gratia in hac vita, quòd efficacia, certitudo, vel infallibilitas alicuius efficacissimæ gratiæ non tollit libertatē suscipientis illā gratiam neq; possibilitatē resistēdi illi gratiæ. Dicat ergò modo aliquis ex auctoribus oppositæ sentētiæ quonā pacto Stapletonus illis faueat.

Stapleton⁹ cū nostras expreßißimè agat partes, citatur tamē ab aduersarijs ꝛ se.

Ruardus Tapper cũ varius sit, & vtramque partem probabilem reputet, vt patronus habetur ab aduersarijs. Testimonia Ruardi Tapper, quæ nobis fauent, adducũtur.

DICVNT vlteriùs, Ruardum Tapper Decanum Louanienſem totum eſſe pro ſua opinione, imò multum eſſe in eorum ſententia explicanda, & defendenda. Sed profectò quamuis verum ſit, eum in ſententiam eorum declinare, nihilominus vtramque ſententiam dicit eſſe probabilem, & poſſe vnumquemque ex opinantibus in ſuo abundare ſenſu. Volo tamen ego loca & teſtimonia Ruardi adducere in quibus grauiter in noſtram ſententiam venit & declinat: nam ob id varius videtur fuiſſe. Vnde articulo ſeptimo, de libero arbitrio pagina 300. in impreſsione Louanij anno 1555. hæc ſcribit. *An verò ad vſum gratiæ, quo acquieſcimus ſalutari monitioni, ſuaſioni, & internæ vocationi, & quo pulſanti, oſtium cordis aperimus, per quæ omnia ex parte obiecti inclinatur voluntas* (propriè enim ad intellectum pertinent) *exigatur adhuc alia gratia, per quam immediatè inclinetur, & accommodetur voluntas per pium affectum, & per quam etiam voluntas à Deo effectiuè flectatur, an non, nihil mutat, nec impedit voluntatis libertatem in libero vſu gratiæ: quia ita ſuauiter inclinat, & determinat eam Deus, vt ex iudicio, ac conſilio, & ſic liberè ſequatur hanc Dei appropriationem: & Spiritus Chriſti ſuadendo vt ſequamur, ſimul voluntatem, quaſi naturaliter afficit placentia quadam rei ſuaſæ, quæ eſt voluntatis ratio ſe determinandi, principium & ſeminarium bonarum volitionum, quas ex eo quaſi ſemine producit.* Hæc Ruardus Tapper Decanus Louanienſis. Vides quomodo tetigit Ruardus punctum difficultatis, vtrùm videlicet ad vſum gratiæ, quo conſentimus gratiæ præuenienti, & pulſanti oſtium cordis, adhuc ſit neceſſaria alia gratia, per quam immediatè inclinetur, & accomodetur voluntas, & per quam effectiuè flectatur à Deo: hoc inquit Ruardus, neque mutat, neque impedit voluntatis libertatem in libero vſu gratiæ: quo nihil accomodatius aut magis ad propoſitum dici potuit.

Siue in vnã ſiue in aliã partẽ inclinet Ruardꝰ ſemper tamẽ dicit negandã eſſe cõſequentiã quã aduerſarij magnificant.

PERPENDENDVM tamen eſt ex prædicta Ruardi doctrina, quòd ſiue ille noſtram ſententiam amplexetur, ſiue in contrariam declinet: ſemper eum negare conſequentiam, quam Molina, & ſui magnificare ſolent. Nam affirmat Ruardus, quod etiam ſi requiratur alia gratia, per quam immediatè effectiuè flectatur, & determinetur voluntas à Deo, hoc non tollit, neque lædit, neque impedit voluntatis libertatem in libero vſu gratiæ. Ex quibus aduerto, velle hunc auctorem, aliud eſſe querere, vtrùm requiratur iſta alia gratia effectiuè agens, & flectens voluntatem, aliud verò, vtrum hæc impediat libertatem. Et ſiue ſit neceſſaria, ſiue non, affirmat Ruardus, quòd quamuis ponatur nihil mutat, neque impedit voluntatis libertatem in libero vſu gratiæ. Vnde negat conſequentiam de læſione libertatis, quam aduerſarij inferunt ſine cauſa. Vnde Cardinalis Toletus dicit annotatione 21. ſuper 6. cap. Ioann. *Quòd verbo trahere non tollitur libertas arbitrij, neque inducitur vis aut neceſsitas. Quia hæc efficax & ſolius diuinæ dexteræ mutatio, dicitur tractio, non quòd vi & neceſsitate trahamur ad Deum: quia ſic minus efficax eſſet motio.* Perpendenda eſt ſententia iſta: *Quia ſic minus efficax eſſet motio.* Exiſtimat enim efficacitatem gratiæ Dei, diuinæque præmotionis ſui auxilij, potius efficere, & perficere libertatem, quã lædere, & ob id dixit, quòd ſi per gratiã Dei neceſſariò traheremur & non liberè, minus efficax eſſet motio gratiæ Dei. Vides quo modo Ruardus Tapper, quẽ citat Suarez, neq; ſit totus, neq; multus in defenſione ſuę ſentẽtię.

Idem Ruardus Tapper.

ET idem auctor pagina 305. & 306. cum dixerit. *In omni materia, ita pietatis & gratiarum, ſicut morali & ciuili ad voluntatem pertinet ſe determinare ad vnam vel alteram partem: & quamuis ſub Dei determinatione, non tamen propterea minus liberè ſe determinat, quàm ſi non concurreret nec determinaret Deus.* ſubiungit. *Quare hîc nihil diſputare oportet, quis prior ſit in determinando voluntatem, an ipſa, an Deus, & an prius voluntas aliquid velit, quàm Deus eam vult velle: an è contra, nec magis hæ quæſtiones locum habent in operibus gratiæ, quàm morum vel naturæ, &c.* Et iterum paulò inferius. *Hic tamẽ obſeruandum eſt, quòd hi qui vocantur ſecundùm æternum Dei propoſitum, indeclinabiliter & inſeparabiliter vocationẽ ſequuntur, vt dicit B. Auguſt. de corrept. & gratia ca. 12. Subuẽtum eſt (inquit) infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur. Et ob id quãuis infirma ſit voluntas, non tamen deficeret, neque aliqua aduerſitate vinceretur.* & c. 8. *Voluntas humana non libertate ſequitur gratiam, ſed gratia potius libertatem, & vt perſeueret delectabilem perpetuitatem & inſuperabilem fortitudinẽ.* & infra: *Attingit enim ſapientia, ſecundùm Scripturam, à fine ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter: ita vt liberè & cõtingenter, quamuis indeclinabiliter & infallibiliter ſemper ſequatur volũtas.* Vides quomodo hæc non cohæreant cum aduerſarijs.

QVOD euidẽtius oſtẽditur ex his quæ pag. 306. ſtatim dicit, vbi affirmat. *Quòd habita conſideratione diuini propoſiti, & diuinæ gubernationis, & non ſolùm principij diuinitùs immiſſi, quo agimus noſtram ſalutem, impoſsibile eſt quòd duo ſimiliter vocentur, & vnus vocationẽ ſequatur, & non alter. Qui enim ſequitur: vocatur, & dirigitur ſecundùm æternum Dei propoſitum, & directionem, alius autem non ſic vocatur. An autem aliquid poſitiuum neceſſariò requirat, vel ponat hoc propoſitum Dei in voluntate ante aſſenſum ſeu volũtatis determinationem in eo qui ſecundùm ipſum vocatur, obſcurũ eſt.* Vides quòd non dixerit verum non eſt, ſed obſcurum eſt; non dixit falſum eſt, ſed obſcurũ eſt, quod & nos fatemur. Quia hæc eſt difficilis controuerſia, in qua antiqui Patres plurimũ inſudarunt, cognoſcentes difficultatem cõcordiæ liberi arbitrij cum efficaci Dei gratia: Quã nũc hodierna die adeò claram & facilem promittũt auctores oppoſitæ ſententiæ.

SED

SED nihilominus citatus auctor de his duobus æqualiter se habentibus, quorum vnus cõuertitur & alter nõ, censet non posse esse paritatẽ, & æqualitatem vtrobiq; . Ait enim posse vnum conuerti, per hoc quod in eo impediantur cogitationes prauæ, quæ possent illum impedire ab hac cõuersione: & etiã fieri posse inuitando illum, & offerendo illi, atq; de facto tribuendo occasiones, quæ ad talẽ conuersionẽ cõducant: semper tamen manentibus eisdem in vtroq; auxilijs sufficientibus, per quæ is solus sequitur vocationem, qui secundũ Dei propositũ vocatur, & non alius propter impedimenta cogitationũ aliò rapientium ipsum. Ex quibus videtur, quòd in sequente vocationem, eiusdem vocationis modus quidã est, vel ablatio impedimenti, vel simile aliquid, quod nõ est in alio, & plerunq; ob eius culpã, vel negligentiam. Ex sola enim Dei ordinatione inspirationes vim quãdam intentionalem accipere possunt, sicut in simili declarat Cardinalis Caietanus. 3. parte. q. 13. art. 2. & q. 62. art. 9. & ad hoc Dei propositũ refert D. Augustinus, quòd ex baptizatis quidam ab Ecclesia recedant, & alij maneant. Vide Ruardi mentem & sensum circa punctum difficultatis, nam neq; est totus, neq; multus in defendenda opinione aduersariorum, vt dicit Suarez. Quocirca paulò inferius dicit de auxilijs excitantibus, & inspirantibus: *Quòd diuina excitatio à multis refutatur, atq; spernitur, quod ipsorum est nequitiæ; quòd autem à multis suscipitur, est diuinæ gratiæ, pariter & humanæ voluntatis. Potest quidem humana voluntas resistere diuino instinctui, sed non potest impedire intentionem prædestinantis Dei. Quia corda hominum in manu Dei sunt, quocunq; voluerit inclinabit ea, quamuis se se efficienter sola determinent: certum quidem est obedientem admitti, inobedientem repelli, faceret tamen Deus ex rebellibus obedientes si vellet: Dominus enim, inquit Ambrosius, quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit: vt citat D. Augustinus lib. 1. de gratia Christi contra Pelagium & Cælestiũ cap. 46. Habet itaq; qui inspirationes & excitationes sequitur, quòd glorietur non in se, sed in Domino.* Hactenus ipse.

Ex probata & vera doctrina non sunt inferẽdæ sinistræ & malæ illationes.

ADVERTAT Catholicus Theologus, quòd ex vera & rationabili doctrina non debet inferre solequas cõsequentias, sicut facere solent Hæretici, qui ex testimonijs sanctarum Literarum, malè, & peruersè intulerunt consequentias hæreticas. Nã ex testimonio Pauli. *Creati in operibus bonis*, & ex testimonio Prophetę Psa. 50. *Cor mũdum crea in me Deus*, intulerunt per hoc lædi liberum arbitriũ, & auferri. Quod egregiè perpendit Stapletonus loco superius citato. Vnde Philippus Melanchton volens retractare fundamenta sui erroris anno. 1521. dixit, id quod ex Apostolo citatur. *Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia.* item quòd Deus operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ: nihil facere contra libertatẽ voluntatis: Quia (vt ipse respõdet) Deus hæc operatur per hominis voluntatem, saluo modo liberè operandi. De qua re legendus est Ruardus eodem art. 7. pag. 355. vbi concludit. *Prouidentiam autem & prædestinationem idem Philippus dixit, non derogare libertati voluntatis, imò nec determinationem voluntatis diuinæ circa rerum contingentiam, &c.*

TANDEM, vt omnia dicamus, Ruardus respondens argumentis Caluini inquit. *Mouetur voluntas à Deo vt obsequatur vocationi. Fallitur hîc Ioannes Caluinus in eo quòd arbitratur non posse fieri, quòd Deo faciente bonam in nobis voluntatem, hoc ipsum & nos liberè velimus, cum tamen nihil tam sit in nostra potestate, quàm ipsa voluntas. Promittit Deus se facturum, & facit, non tantùm vt possimus benè velle, eiusq; volũtatem facere, sed hæc operatur secundùm modum, & conditionem naturæ humanæ, qui est liberè velle, Deus itaq; velle efficit in nobis & perficere. Lege D. Augustinum lib. 1. re tractationum cap. 9. & capit. 22. & libr. 3. de libero arbitrio capit. 3.* *Ruard. Tapper.*

An verò alia sit Dei motio, & efficacia præuia, & præueniens, in eo qui eam non sequitur: alia gratia & efficacia in obsequente in genere causæ efficiẽtis: sicut certum est aliam esse efficientiam, in eo qui sequitur (inquit Ruardus) *Probabile esse diximus quòd non oporteat aliam esse motionem, aut nouam gratiam, voluntatem, siue actionem præcedentem, quodque ex sola voluntatis libertate, omninò eodem & æquè efficaci in eis existente principio, vnus gratiam sequatur plerunque, & alter non sequatur. Nã liberum arbitrium, positis omnibus ad volendum & agendum requisitis, potest non velle & non agere: sicuti quando ignis calefacit, Deus ei cooperatur, tanquam causa vniuersalis, calorem vnà cum igne producendo, & aliquid facit quod non faceret igne à calefaciendo impedito, eodẽ tamen & inuariato principio caloris. Et probabile est quòd in genere causæ efficientis, prius natura quàm ignis calefacit, non aliter Deus moueat igne calefaciente quàm eo impedito. Et idem dicendũ esse videtur de volũtate efficaciter aliquid volente, quod in ea nihil prius natura requiritur quod non est in non volente.* Hactenus ipse Decanus Louanien. respondens ad argumenta Caluini contra liberum arbitrium, pa. 382. sed subiungit circa ea quæ ipse dixit, *Quòd probabiliter in vtramq; partẽ disputari istud potest, vt liceat vnicuiq; in suo sensu hîc abundare:* Nimirũ de pũcto difficultatis, vtrùm sit alia gratia & efficacia in obsequente in genere causæ efficiẽtis, præuiaq; alia Dei motio efficax, sicut certũ est aliam esse efficientiam in eo qui sequitur. Hoc enim dicit Ruardus esse probabile & licere vnicuiq; hic in suo sensu abundare. Et subiungit id quod sequitur ipse Ruardus: *Quòd autem Caluinus hîc proponit: quòd scilicèt motio Dei electionem excludat, improbabile est, & Scripturis, & Patribus aduersatur, nisi hoc fiat, ita vt cor hominis ex prauo fiat rectũ sine hominis cooperatione.* Hæc à me adducta sunt propter aduersarios, & propter Franciscũ Suarez, qui vocat aliquando in suos, vel eos qui contrarium affirmant expressè, vel eos qui nihil omninò dicunt quod ipsi faueat, vt constat de Driedone, & de Stapletono, & de alijs quos supra retulimus. Nam libro. 3. de auxilijs capit. 13. §. vltimo, pagina. 203. columna. 1. hæc

Proſequitur Ruar. Rapper.

Hæc dicit Ruard. Tapper Decan⁹ Louanienſ.

Verba Erãcisci Suarez.

verba scribit in fauorem suum, ita dicens. *Pro eadem sententia multa sumi possunt ex Stapletono libro. 4 de institicatione cap. 8. Quibus libet adiungere Didacũ Paiua lib. 4. Orthodox. explication. eo quòd ibi specialiter arguat Caluinum, & ab eius calumnijs Patres societatis defendat, Caluinus enim Iesuitas Pelagianos appellare consuenit, &c.* Hactenus Suarez. Et Caluinus neminem appellabat Pelagianum, nisi quia excludebat efficacem Dei gratiam, & diuinam prædestinationem, & prædefinitionem Dei.

IGITVR constans sententia sit, non licere ex fundamentis sanæ doctrinæ, aut ex rationabilibus sententijs, aut scholasticorum aut Sãctorum Patrum, consequentias inferre, damnantes communem doctrinam, & rationabilem: sicut faciunt per certas quasdam consequentias & illationes nonnulli auctores oppositæ sententiæ, contendentes expositione auxilij efficacis gratiæ Dei præmouentis corda peccatorum hominum ad conuersionem, & pœnitentiam, lædi libertatem arbitrij & auferri: imò verò idem inferunt & colligunt ex diuina prædefinitione ante præuisionem operum. Et idem etiam modernus quidam intulit de prædestinatis, quòd ex diuina prædestinatione speciali Apostolorum & B. Virginis & aliorum multorum lædatur libertas eorum, circa operationes humanas ipsorum, ita vt prædestinati isti non saluentur liberè sed necessariò, vt videtur dicere Gregorius de Valentia. 1. p. q. 23. in disputatione de diuina prædestinatione: Et in 1. 2. in disputatione. 8. de auxilijs diuinæ gratiæ, q. 3. de diuisione gratiæ pũct. 3. Sed postquã hęc scripsi, in noua impressione eius facta anno. 1603. mutauit sententiã aliqua ex parte, videns se antea sensisse in prioribus quæ hic subijciemus.

Gregorio de Valẽtia ex speciali B. Virginis & Apostolorũ prædestinatione credit libertatẽ lædi, ita vt nõ liberè, sed necessariò saluentur.

NAM Gregorius de Valentia. 1. p. q. 23. disputa. 1. de diuina prædestinatione puncto. 4. §. 2. interrogans, & quærens vtrùm detur causa prędestinationis adultorum, quo ad omnes eius effectus, quæ sit aliquo modo meritoria, & quæ semper sit ratio, seu causa, quæ habeat certam connexionem cum prędestinatione, quo ad omnes effectus: siue ea certa connexio sit ex lege iustitiæ, ita vt causa seu ratio prædestinationis sit meritoria ex condigno: siue solùm ex certo quodam Dei proposito liberali, citra legem vllã iustitiæ, ita vt causa seu ratio prædestinationis sit tantùm meritoria ex congruo. Alterutro enim modo (inquit ipse) sufficit certa connexio rationis seu causæ meritoriæ cum prædestinatione, quoad omnes illius effectus, vt si talis causa seu ratio asseratur, facilè appareat, ratione talis causæ meritoriæ, quæ in libera cuiusuis hominis potestate sit, esse etiam in cuiusuis hominis libera potestate situm, vt consequatur salutem, quæ effectibus omnibus prædestinationis continetur, & culpam hominis esse, si salutem non consequatur: id quod minime apparet, si talis aliqua ratio seu causa meritoria prædestinationis assereretur, quæ non haberet certam semper connexionem cum prędestinatione. Cũ igitur hoc quæsiuisset prædictus auctor circa meritum prædestinationis loco iam citato. §. 3. cuius titulus est. *Quis sit status controuersiæ* subiungit doctrinam sequentem per hæc verba.

Verba huius auctoris fideliter referuntur.

Atque hinc præterea intelligi potest, quæstionem hanc non nisi de his prædestinatis moueri, qui communi, & ordinario modo prædestinantur, ita scilicèt, vt peccare etiam mortaliter possint, ac proinde liberè salutem suam consequantur. De his enim dum taxat explicare oportet, quomodo in illorum potestate liberum sit cum Dei auxilio, salutem consequi, quam uis eam consequi nequeant, nisi prædestinati sint. Nam alij qui singulari quadam, & excellenti ratione prædestinati sunt, vt fuit in primis Beatissima Virgo, & Apostoli, & si qui alij in gratia ita sunt confirmati vt peccare mortaliter nõ possent: cum in ea gratia in qua confirmati sunt necessariò perseuerent ac eatenus non liberè, sed necessariò saluentur: non opus est quærere: vtrùm propter aliquod ipsorum meritũ liberum prædestinentur. Quamquã ex eo solùm quòd Deus vult ipsos necessariò fieri saluos, minimè sanè liquet eos ita singulariter prædestinari sine vllo suo merito. Quæri enim nihilominus posset, an idipsum illi aliquando liberè promereantur, vt scilicèt beneficio singularis eiusmodi prædestinationis necesse sit ipsos saluari, neq; id pendeat ex illorũ libertate. Verum de his prædestinatis (vt dixi) non solet moueri hæc quæstio de causa meritoria prædestinationis: nam cùm nõ oporteat defendere, ab eiusmodi prædestinatis obtineri salutem liberè; nemo magnoperè repugnabit quominus asseratur, eos diuina prædestinatione sic à Deo præueniri, vt sine vllo ipsorum merito prædestinentur: id quod esse verissimum constabit, & etiam ex his testimonijs, & argumentis, quibus postea probaturi sumus, nullum omninò propter sua vlla merita prædestinari, ad omnes enim prædestinatos ea pertinebunt. Nunc verò satis est explicasse, quæstionem propositam non nisi de ordinario modo prædestinatis moueri, & quis sit eius quæstionis status. Hactenus ille. Lege eundem Valentiam. 1. 2. disp. 8. q. 3. de diuisione gratiæ, pun. 3. de gratia vocante. Quã doctrinam docuit ab anno. 1591. & deinceps, vsq; ad nouã recognitionẽ factã anno. 1603.

EN candide Lector quid hic auctor dicat de confirmatis in gratia, & de prædestinatis quibusdam vt de Apostolis, de B. Virgine: & de similibus confirmatis. Nam. 1. 2. in impressione Venetijs facta, propter protectionẽ singularem Dei circa eos ex specialissimo auxilio gratiæ diuinæ, dicit, ita Deum adfuisse illis, vt necessariò præstiterint quidquid præstandum ipsis erat, ad vitandum peccata mortalia. Quòd clarius dixerat. 1. p. in prioribus codicibus docens Apostolos in gratia confirmatos, & B. Virginem, & alios si qui sunt, hac singulari gratia confirmari, vt peccare non possent mortaliter: quòd eatanus nõ liberè, sed necessariò saluẽtur: & quòd propterea non fuit meritũ liberum in eis suæ prædestinationis: neq; habet locũ quæstio de causa vlla meritoria prædestinationis in eis: eo quòd ipsi non liberè sed necessariò saluentur. Ego verò virũ doctum laudo, sed in hoc nõ laudo, neq; illi acquiesco. Semper enim in cor-

de

de Eccleſiæ fuit gratiã illam ſingularem Apoſtolorũ, & B. Virginis extulliſſe potiùs eorum merita, eaq; feciſſe excellentiſsima: neq; leſiſſe libertatẽ, aut ſuſtuliſſe, ſed perfeciſſe potius eã, ac proinde Apoſtolos liberè operatos fuiſſe opera ſalutis eorum: cũ quo tamen ſimul eſt verũ nullã dari cauſam prædeſtinationis meritoriã ex parte ipſorũ prædeſtinatorũ aut liberi arbitrij creati. De qua re diximus. 1. p. q. 23. art. 5. Quare ſummum Pontificẽ voco, ad eumq; ſupplex accedo, vt nos protegat ſemper, ac illuminet. Hactenus hęc à nobis dicta ſunt & relata incidenter occaſione oblata: iam verò ad præcipium noſtræ diſputationis ſcopum pergamus.

Alfonſus à Caſtro. Andreas à Vega.

VNDE neq; Andreas à Vega, neque Alfonſus à Caſtro fauent aduerſarijs noſtris, ſed potius Vega egregie & expreſſè tenet cõtra Molinã & Suarez in multis. Nam libr. 6. in Triden. cap. 5. & 6. apertiſsimè affirmat Deum applicare & inflectere voluntatem ad operandum: Nã & hoc adiutorio dicit poſſe aliquando peccatores fideles ſubitò in Deum conuerti, nimirũ applicando, & inflectendo volũtatem eorum. Et in diſcurſu. 6. capitis propè finem loquitur expreſſe cõtra Molinam & ſuos. Dicit enim quòd quando Patres in Concilio Tridentino loquuntur de gratia excitante & adiuuante, per gratiã excitantem, & adiuuantem non vnam tantùm, ſed duplicem gratiã intelligunt. Verba autem illius ſunt quæ ſequuntur. *Illud ſerio, & magna attentione aduertendum eſt, duplicem aſſeruiſſe Patres in. 5. capi. gratiam, qua diſponimur ad iuſtificationem, excitantem, & adiuuantem. Excitat namq; Deus vocatione ſua ſancta, & illuminatione, vt ſurgamus à peccato. Neq; contentus excitare, quadam nobis ignota ſuæ virtutis applicatione, & noſtræ voluntatis mirifica inclinatione, & inflexione benignè nos adiuuat, vt conſentiamus & obediamus vocationi ſuæ.* Vides quo pacto diſtinguit Vega duas gratias actuales, vnam excitantem & vocantem & alteram adiuuantem, ambas prẽuenientes ſeu præuias ad conuerſionem peccatoris de mente Cõcilij Tridentini: Nam certè ſi præter ſufficiens auxilium non datur etiam efficax ſecundùm ſe, & vt à Deo procedit: ſequitur quòd cõtradictorium huius eſt verum, ſcilicèt, auxilium gratiæ Dei in actuali cõuerſione peccatoris, & iuſtificatione non eſt efficax prout à Deo eſt, & ſecundùm ſe, ſed ſecundùm quòd pendet à nobis, ſeu à libero arbitrio, & à determinatione eius.

Expreſsè diſtinguit Vega duas gratias actuales, vnã excitãtem, alteram adiuuantem, & hoc ex mente Concilij.

Ioan. Eki.

IOANNES Ekius Centuria. 3. de prædeſtinatione puncto. 6. nume. 67. ex Theologis Pariſienſibus, & Agrippinenſis Gymnaſij Doctoribus inſignibus, dicit, duplicem eſſe motionem Dei gratuitam, vnam ſufficientem, alteram efficacem: & hanc dicit poſſe intelligi bifariam. Vno modo, vt ſit genus motionis, quo ſpeciaſiter mouentur prædeſtinati: quę reſperſa quodã ſuauitatis odore intima viſcera animæ fœcũdando Deiformat, & in cœleſte deſideriũ tranſmutat. Poteſt & alio modo dici motio efficax, quæ aſſequitur voluntatẽ hominis actu ad eius conſenſum. Et iſto ſecũdo modo etiam notum eſt, quòd quem Deus efficaciter mouet, ille adquirit gratiam. At prima altioris ordinis ſolùm prædeſtinatis datur, ſicut fuit illa motio Marię Magdalenæ, Matthęi, Pauli, item Centurionis iuxta crucem, &c.

PRAETEREA ſcripſit Ekius tractatum de libero arbitrio contra Lutherum in Enchiridio, & eſt cap. 31. in quo poſtquã ſtabiliuit ex ſacris Literis & ex ſententia Sanctorum Patrum cõſtituendũ eſſe liberum arbitrium, deinceps proponit argumenta, & obiectiones Hæreticorũ, qui ex locis Sacræ Scripturæ malè intellectis colligunt non eſſe liberum arbitriũ; ſed peſsimè quidem: Nam ex illo Pauli ad Rom. 9. *Miſerebor cui miſertus ſum, & miſericordiam præſtabo cui miſerebor, igitur non volentis neq; currentis ſed miſerentis eſt Dei. Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Et ex illo Hieremiæ. 10. *Non eſt hominis via eius, neq; viri vt ambulet, & dirigat greſſus eius.* Et Matthęi. 10. *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt? & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro.* Et Ioann. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* Et ex oratione Eccleſiæ; *Deus, cuius eſt totum quod eſt optimũ, inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis.* Ex his inquam locis, & ex pluribus alijs Scripturę, & Sanctorũ colligunt hæretici non eſſe liberũ arbitriũ. Itaq; ex ſanctæ Scripturæ locis & ex orthodoxis ſententijs Patrũ, hæretici colligunt & faciunt conſequentias erroneas. Et ſimili modo nonnulli videntur proceſsiſſe. Nam ex antiqua ſententia depromunt illationes, & conſequentias quibus aſſentiuntur nõ benè, & ex illis colligunt contra nos: volentes ſua argumenta eſſe efficacia. Nos enim in diſputatione de libero arbitrio interpretati ſumus, iuxta ſenſum Eccleſiæ, Scripturæ teſtimonia.

Ad Roma. 9.

Hiere. 10.

Matthæ. 10

Ioannis. 6.

TANDEM Ekius reſpondet, illationes illas contra liberum arbitrium, & obiectiones hæreticorum, nullas eſſe. Sed Deum eſſe primam cauſam omnium rerum, & ad omnem effectum influere, quia Deus eſt prima mouens cauſa. Verba autem Ekij, quæ nomine Catholicorum depromit, ſunt quæ ſequuntur. *Fatemur* (inquiunt Catholici) *ante omnia Deum eſſe primam cauſam omnium rerum, & nihil ſine ipſo fieri poſſe: Vnde ad omnem effectum naturalem influit generaliter, ſed ad operationes bonas rationalis creaturæ concurrit etiam ſpeciali influxu. Deus igitur eſt prima cauſa mouens & naturales cauſas, & voluntarias: & ſicuti à cauſis naturalibus mouendo eas non aufert, quin actus earum ſint naturales: ita mouendo cauſas voluntarias non aufert, qui actiones earum ſint voluntariæ, ſed potiùs hos in eis facit. Operatur enim in vnoquoque ſecũdùm eius proprietatem omnia diſponens ſuauiter, &c.* Quæ doctrina eſt D. Thomæ 1. parte, quæſtio. 83. articul. 1. ad 3. ex quo loco Ekius eam deſumpſit.

Quòd Dominicus Soto, B. Medina, Caietanus, Petrus à Soto, Iãsenius, Sixtus Senensis, Aluarus Pelagius, Guillelmus Rub. Ferrara, Franciscus à Christo, & plures alij, nostram tueantur sententiam.

Magister Soto, quem quidam ex aduersarijs profe citat, manifestè est contra Molinam.

VENIAMVS iam ad Dominicum Soto quẽ volunt auctores oppositæ sententiæ sibi amicum esse, & fauere eis in hac parte. Sotus ergò vir eruditissimus primariæ Cathedræ Theologiæ in Salmanticensi Academia olim præfectus, & Hispanorum decus, & gloria, missus à Carolo quinto Imperatore ad Sacrum Tridẽtinum Concilium anno. 1545. lib. 1. de natura & gratia cap. 16. quem ipse Soto ad Sanctum Tridentinum Concilium direxit, sine vlla tergiuersatione totus intentus est contra Molinam, & idcircò sine causa citatur prosè ab vno ex aduersarijs. Proponit enim statim in initio capitis hæreticorum argumenta contra liberum arbitriũ: & inter ea illud: Quòd si, cum Deus nos mouet ad bonum, simul cum hoc in potestate nostra esset non moueri, motio Dei non esset efficax, atque adeò neq; esset omnipotens, cõtra illud, Omnia quæcunq, voluit Deus fecit in cœlo, & in terra. Quo argumãto sibi persuadent hæretici, quoties Deus nos mouet necessitatẽ nobis inferre, & ex consequenti præiudicium libero arbitrio. Quo etiam argumento conuincuntur hodie multi, quòd vehementer dolendum est. Sotus tamen respondet fusè satis dicens, illationem & cõsequentiam positam nullius esse vigoris: quia nihil pugnat contra efficaciam & cunctipotentiam Dei, quòd Deus nos liberè moueat: imò verò inde patet infinita eius virtus, quòd liberè nos mouet. Quocirca quidquid Deus vult voluntate absoluta, & quæ dicitur beneplaciti, fit: iuxta illud Rom. 9. *Voluntati eius quis resistet?* Secundò dicit Sotus: Motionem Dei non solùm esse comitem actionis, & contritionis, verum etiam concursum hunc Dei esse de prærequisitis, & natura præcedere: quia non solùm Deus est causa effectus secundæ causæ, verum etiam ipse eam mouet ad agẽdũ. Vnde soluens dubitationis obiectionem inferius ait, quòd illo tunc temporis momento quo Deus mecum concurrit, sum liber. Nam dum liberè moueor possum in sensu diuiso non agere, & tunc cessabit influxus & concursus Dei. Tametsi in sensu composito contra se inuicem pugnant, Deum agere erga me motu & actione illa, & me non agere. Et ferè post medium capitis affirmat Deũ esse causam conuersionis præmouendo nos, ita vt nisi nos cõsenserimus nihil fiat. Et inferius distinguens auxilia gratiæ ex vna parte, in excitantia, quibus tangitur, & inspiratur, atque pulsatur homo, in quibus nos non habemus liberam motionem: & ex alia parte, in auxilia secundi ordinis, quæ liberam motionem dicunt, & efficiunt in nobis, vt trahere, conuertere, præmouere & similia, inquit: Quòd hęc quò sunt in aliquo maiora, eo etiã magis meliusq, mouetur, & quod aliud nõ est intelligibile, quia mouere, & moueri sunt relatiua, & non cohærent simul hæc duo, quòd Deus aliquem magis moueat, & quod ille minus moueatur. Et concludit esse quædam opera, quæ Deus ita in nobis exercet, vt nos consensum, & assensum præbeamus: qualia sunt omnia illa quæ motum quempiam liberum animi nostri designant. De quibus ita ait: Hæc proinde non prius tempore à Deo, quàm liberè à nobis, sed simul ab eo, & à nobis fiunt: ab eo tamen prius natura: veluti trahere ad se nos, aperire cor nostrum, & ipsum quod est cõuertere nos. Tandem in eodem capite concedit, quòd Deus ipse est, qui ipsam gratiam producit in nobis, ipsaque auxilia, nobis nihil ad productionem agentibus, & efficientibus, sed tamen liberè assentientibus, & cooperantibus receptioni. Et in postrema parte capitis docet, quòd Deus habet concursum & influxum in causam, & non in operationem, & effectum solùm. Et quòd Deus dat nobis velle, & quòd ipse efficit in nobis assensum ipsum, per quem aperit corda nostra: & tunc nos liberè concurrimus, quia per eundem assensum ipse aperit, & nos illi aperimus corda nostra. Quo nihil clarius dici poterat contra auctores oppositæ sententiæ. Vnde Sotus, satisfaciens hæreticis negat Deum sua efficaci voluntate nostras necessitare: quoniam Deus sua infinita prouidentia, sapientia, & potentia, cum secundis causis modo proprio concurrit: & non negat, vt malè dicunt aduersarij, Deum nos mouere, cùm conuertimur efficaciter, aut non habere voluntatem absolutam, sed tantùm antecedentem, cùm de facto, & in re conuertimur. Vides quo pacto nihil Sotus dicat quod auctoribus oppositæ sententiæ faueat, & frustra atque sine causa citari ab eis.

SED obijcit Franciscus Suarez libr. 3. de auxilijs, pagin. 214. in postremis verbis capitis 13. quòd Sotus cùm reprehensus esset ab aliquo, quòd sua opinione nimium videretur fauere libero arbitrio, protulit hæc verba in fine quarti sententiarũ. §. Quidam verò hoc taxare voluerunt: dicentes quòd nimiũ tribuerim libero arbitrio in iustificationis causa. Et tamẽ salua semper Catholicæ Ecclesiæ censura, arbitror necessariò sic dicendum. (Tota vis argumenti est propter illa verba: quasi in nostra sit potestate trahenti assentire, aut dissentire) Et paulò infrà vt Franciscus Suarez per saltum refert, inquit. *Et ideò postquam dixit Christus Ioann. 6. Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui me misit, traxerit eum, subiunxit. Qui audit, & discit venit ad me. Quasi in nostra potestate sit trahenti assentire, aut dissentire.* Hæc Sotus vt refert Suarez. Sed quia sustulit & suppressit quę Sotus in discursu literæ refert, dicam & recitabo fideliter quæ loco citato dixit & scripsit. Sic enim habet lite-

ra Soti. *Quidam verò hoc taxare voluerũt, dicentes, quòd nimium tribuerim libero arbitrio in iustificationis causa. Et tamen salua semper Catholicæ Ecclesiæ censura, arbitror necessariò sic dicendũ. Assensus enim liberi arbitrij non est causa præueniens motionẽ Dei, sed effectus eiusdem motionis, idẽ præuenientis liberum arbitriũ. Est enim pulsatio, & aspiratio Dei ad corda nostra, simlis aeri in fenestrã clausam aspiranti. Sed quia non aperit nobis eadẽ corda ex necessitate, sed nobis liberè consentientibus, quamuis causa prior efficiens, quæ nos conuertit, sit eius spiratio, & motio præueniens, tamen dispositio materialis (quæ hoc modo dici potest causa) est assensio nostra. Sicuti causa efficiens præueniens cur fenestra aperitur est aer intrans, sed causa materialis cur aer intrat, est quia fenestra aperitur. Et est exẽplũ ad propositũ necessariũ, ex Philosophia accersitũ: quæ idcò Philosophia nõ deberet in Theologia nihili fieri. Hæc ergò Theologia non asserit assensum nostrũ, vt est à libero arbitrio, meritũ gratiæ (hic enim fuit Pelagianus error) sed vt procedit ab auxilio speciali, est sicut dispositio materialis natura præcedens primam gratiã: & vt subsequens eandẽ gratiam est meritum de cõdigno gloriæ. Vnde quamuis Deus apud Ezechielem dicat: Auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum: nihilominus Psalmista ait: Hodie si vocẽ eius audieritis nolite obdurare corda vestra. Primũ quia ipse aperit: secundũ, quia non nisi nobis consentientibus aperit. Et ideò postquam dixit Christus Ioãnis. 6. Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui me misit, traxerit eum: subiunxit: Qui audit & discit, venit ad me: quasi in nostra potestate sit trahenti assentire, aut dissentire. Vnde Augustin⁹ postquam dixit. Quare hunc trahat, illum non trahat noli dubitare, subiunxit. Si non est tractus, ora vt traharis: insinuans, quòd etsi assensus noster non sit causa prædestinationis, sit tamẽ aliquo modo materialis causa iustificationis. Et hæc est doctrina S. Thomæ, imò videtur sententia Oseæ cap. 13. Perditio tua Israel, ex me tantùm auxilium tuum. &c.*

Mirabile sanè est cur citetur Soto sine causa in fauorẽ tuæ sententiæ. Primo quia vt vidimus lib. 1. de natura & gratia apertè sine vlla dubitandi ratione tenet gratiam Dei efficacem præmouentẽ nos nõ tantũ moraliter sed efficiẽter propriè. Secundò, quia quòd Sotus affirmat in fine Quarti sententiarũ, quòd cũ homo trahitur ad pœnitentiam per Dei gratiam, aut cũ nos trahimur, quòd in nostra sit potestate assentire vel dissentire: id quidem est verũ, nõ solùm quia liberè assentimur, & ex consequenti possumus non assentiri, cũ hoc sit de ratione libertatis: sed etiam quia cũ homo liberè moueatur à Deo potest nihilominus, aliàs ex viribus liberi arbitrij obicem ponere, & impedimentũ præstare peccando, & cõsequenter nõ consentiendo. Tertiò quia cũ dicimus in hominis potestate esse assentiri, hoc propter duo dicitur esse verum. Primò sanè quia liberè assentimur, cũ illa operatio consentiendi libera sit. Secundò quidem quia simul cũ libertate coniũcta est gratia, quæ est principiũ consentiendi, seu illius consensus supernaturalis. Non tamen dicitur esse in potestate nostra, quasi quòd nos possimus ex viribus innatis nostri liberi arbitrij præstare supernaturalem consensum, vel actũ pœnitentiæ & conuersionis consentiendo, & non repugnando diuinæ gratiæ. Nã certè consensus ille supernaturalis, & diuinus est, hominẽq; constituens in via, & itinere salutis, ac proinde potestas consentiendi in ipsa gratia fundatur. Quod verissimũ est, nosq; cum S. Thoma & S. Patribus superius diximus in discursu huius operis. Quare cõ trouersia cũ aduersarijs non est hæc, sed controuersia est de gratia efficaciter, & efficienter præmouente cor nostrũ, prioritate causalitatis seu naturæ: & quo pacto cohæreat hęc præmotio cũ libertate consentiendi illi: Nos enim affirmamus hæc duo optimè cohærere, & stare, auctores verò oppositæ sententiæ id negant.

Mirabilivs tamen est quòd Franci. Suarez supresserit verba, quæ Sotus eodẽ loco ab eo citato dixit, in quibus continet expressam doctrinã pro nobis, & pro sanctissimo Præceptore suo: Nã ita scribit sub hac forma dicens: *Assensus enim liberi arbitrij non est causa præueniens motionẽ Dei, sed effectus eiusdem motionis, idẽ præuenientis liberũ arbitrium. Est enim pulsatio, & aspiratio Dei ad corda nostra, similis aeri in fenestrã clausam aspiranti: Sed quia non aperit nobis eadem corda ex necessitate, sed nobis liberè consentientibus, quãuis causa prior efficiens, quæ nos conuertit, sit eius spiratio, & motio præueniens, tamen dispositio materialis (quæ hoc modo dici potest causa) est assensio nostra. Sicuti causa efficiens præueniens cur fenestra aperitur est aer intrans, sed causa materialis cur aer intrat est quia fenestra aperitur.* Vides quo pacto cõsensus dicitur esse effectus motionis gratiæ Dei, & non præuenire motionẽ, sed potius è conuerso motionẽ præire, Deũq; aspirare & influere ad corda nostra. Quod sanè pro nobis militat, & pro nostra sententia. Et hæc suprefsit prędictus auctor sine causa, eo ꝙ nihil faueret illi Sotus.

Qvod sanè vt apertius cõstet perpendenda & aduertenda est doctrina D. Augustini. lib. 1. retractationũ cap. 23. quo in loco cũ dixisset Augustinus quòd nostrũ est credere, & velle: quia videlicèt non solũ liberè credimus, & volumus, verũ etiã credere & velle, actus elicitus volũtatis, & intellectus est. Cũ igitur Augustinus dixerit nostrũ esse credere & velle: subiunxit statim: *Illius autẽ dare credentibus & volentibus facultatẽ benè operandi per Spiritũ Sanctũ, &c. Verum est quidem, sed eadẽ regula, & vtrumq; ipsius est, quia ipse præparat voluntatẽ: & vtrumq; nostrũ: Quia non fit nisi volentibus nobis: ac per hoc quod etiã postea dixi: Quia neq; velle possumus nisi vocemur: & cum post vocationẽ voluerimus, nõ sufficit volũtas nostra, & cursus noster, nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quò vocat. Ac deinde subiunxi: Manifestũ est ergò nõ volentis neq; currẽtis, sed miserentis Dei esse quòd benè operamur: omninò verissimũ est: Sed parum de ipsa vocatione disserui, quæ fit secundum propositum Dei, &c.* Hactenus Augustinus. Vides quo pacto debeat intelligi illud quòd dicitur esse in nostra potestate, iuxta Diuum

Verba Soti in fine Quarti sentẽtiarum si deliter proponuntur.

Hæc quæ sequuntur hîc suppresit Suarez quia cõtra ipsum erant.

Quòd ex Soto obijcit Suarez contra nos, verum est, & ideò à nobis nõ negatur.

Subticuit Suarez veram doctrinã quæ nobis fauet, ipse aduersatur.

D. Augus. idẽ quod Sotus cõtra aduersarios.

Augustinum: sed de hac re nos aliàs diximus.

SOTVS etiã super Epistolã ad Rom. cap. 8. eandẽ repetit sententiã, vbi distinguit duplicem vocationẽ, quarũ vnam dicit esse efficacẽ, & quę sortitur effectũ in his qui conuertuntur: & hãc vocationẽ efficacem, ad quã sequitur iustificatio, & cõuersio, dicit esse natura dũtaxat antecedentẽ, & hanc vocationem dicit esse motionẽ Dei trahentis hominem, & terminũ illius esse reconciliationẽ, & iustificationẽ: & iuxta hãc intelligit locũ Pauli. *Quos autẽ vocauit hos & iustificauit.* Idem dicit cap. 9. ad Rom. vbi adducit Augustinum lib. 2. de bono perseuerãtiæ dicentem: *Viuimus rectè si totũ Deo demus, nõ illi ex parte, & nobis ex parte.* Et inferius loquens de conuersione peccatoris dicit quòd sunt quædã diuinę motiones antecedẽtes, & præuenientes nostrũ assensum quẽ præstamus per liberũ arbitrium: de quibus motionibus inquit, quòd dicere debemus non esse volentis neq; currentis, ita vt non liceat conuersim dicere nõ esse solius Dei miserentis. Nam cum Deus non solùm operetur nobiscum, sed sit causa quæ nos mouet ad agendũ, illi tota debetur actio veluti principali agenti: non enim dicimus instrumentum ædificat, sed per instrumentum artifex: nam certè quamuis instrumentum etiã viuum vitaliter concurrat, & liberè in actione sua, aut veluti secunda causa subordi nata & depẽdens, nihilominus actio tota debetur, veluti principali agenti, ipsi Deo. Hęc dicit Sotus in sentẽtia explicans illud Pauli. *Igitur nõ volentis neq; currẽtis, sed miserentis est Dei.* Præterea in digressione quadã super eandẽ Epistol. ad Rom. 9. dicit prædestinationẽ Sãctorũ factã esse ante pręuisionẽ operum futurorum, docetq; vlterius quonã pacto prædestinatio sic facta nõ tollat libertatẽ arbitrij, adducitq; Prosperũ, & Augustinũ, & illud Pauli ad Ephe. 1. *Elegit nos ante mũdi cõstitutionẽ vt essemus sancti.* Nõ enim dicit q̃ prius pręuidit nos Sanctos, sed potius è cõuerso dicit, q̃ elegit nos ab æterno vt essemus Sancti. Vnde si prędestinatio processisset ex prænisione operũ, hanc præuisionẽ operũ cognouisset Paulus antecedenter ad prædestinationẽ electorum, & ex consequenti eorum meminisset operum, vel ad Roman. 9. pro discrimine inter Esau, & Iacob, vel ad Rom. 11. vbi discriminat inter Israel & Gentes antequã in illam admirationem prorumperet: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!* Vides quo modo Sotus nihil faueat Molinæ aut auctoribus oppositæ sententiæ.

Quid Soto dicat super Epistolam D. Pauli ad Rom.

Bartholomeus Medina enixèno stras agit partes.

BARTHOLOMEVS Medina Sacrosanctæ Theologiæ olim Primarius coëtaneus meus qui ante Molinã & suos scripsit. 1. 2. q. 10. ar. 4. proponit quæstionem: Quomodo cohęreant quòd nostra volũtas liberè moueatur, & tamen quòd Dei motio efficax sit, cui volũtas nõ resistit vnquã: & eo loco tenet diuinã motionẽ actualem & efficacẽ, diuinũq; influxũ & cõcursum antecedenter se habere, non tantũ ad operationẽ, sed ad voluntatẽ & liberũ arbitriũ: & ita censet cõcursum & motionẽ Dei esse in causam, & in voluntatẽ. Addit etiã ille, immobili fide tenendũ esse, quòd nõ solùm Deus est paratus ad cõcurrendũ cum omnibus causis, sed etiã quòd eas mouet, & applicat ad operandũ, & quòd est impossibile Deũ me mouere cõcurrendo, & quod ego nõ mouear. Dicit vlterius quòd positis omnibus prærequisitis & præuijs, voluntas adhuc potest nõ agere. Et inferius subiũxit errare Almainum grauius quãdo dicit, quòd positio Dei concursu, qui est de præuijs, voluntas non potest non agere, & quòd tunc necessariò mouetur. Nam ex hoc sequeretur, voluntatem nunquam liberè agere: Quia sine concursu, & motione Dei non potest agere, & posito concursu necessariò agit, vt Almainus dicit: ergò nunquam liberè agit.

RVRSVS eodẽ loco. Deus ab æterno (ait Medina) voluit me scribere: cæterũ hoc non tollit quin ego liberè scribam, & posita volitione illa possumus scribere, & nõ scribere. Et ex hoc infert Medina, q̃ quãuis Deus moueat me prius ad scribendũ, quã quod scribã, nõ tollit quin liberè ego scribã, & quòd possim nõ scribere. Tãdem resoluens difficultatẽ tactã, citat S. Thom. 1. p. q. 83. ar. 1. ad. 3. vbi ait. Quòd posito Dei cõcursu nõ est possibile quòd homo nõ moueatur quãuis absolutè, & simpliciter possit nõ moueri: quod perinde est atque si diceret, hanc copulatiuam non esse possibile esse veram: Deus mouet meam voluntatem efficaciter, & ipsa non mouetur: Hanc verò copulatiuam esse veram, Deus concurrit & mouet me ad loquendũ, & ego possum non velle loqui.

IDEM Bartholo. Med. 1. 2. q. 109. ar. 10. pag. 1029. cõstituit efficax auxiliũ distinctũ secũdũ se à sufficiẽte. Et. q. 111. art. 2. duplicẽ dicit esse gratiã præuiã seu præuenientẽ: vna est operans, qua excitatur, inspiratur, & tãgitur peccator vt resurgat. Alterã verò dicit esse gratiã præuiã seu præuenientẽ, qua peccator Deo assentiens iã resurgit. Et vtrãq; dicit præuenire voluntatẽ nostrã, sed priorẽ Deũ solũ operari excitãdo, & inspirãdo nos: posteriorẽ verò gratiam præuiam dicit antecedere nostrum assensum, postquam iam voluntas fuerat pulsata & excitata.

IANSENIVS in Cõcordia p. 2. cap. 59. explicans locum Ioã. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum*, postquam explicuit modũ trahendi ad Christum tractione morali, quod quibusdã adũbrauit exẽplis pro quibus citat D. Augustinum subiungit. *Quòd istæ exẽpla & istæ similitudines quæ explicãt modũ trahendi & præmouendi volũtatẽ solũ moraliter, nõ apertè satis declarant veritatẽ testimonij citati: quomodo videlicèt Pater trahat ad Filiũ. Nõ enim trahit tãtũ*, (inquit Iansenius) *ostendẽdo, & docendo q̃ omnes desiderant: aut suadẽdo & persuadẽdo sicut homo, sed etiã efficaciter excitando mentem hominum ad credendum in Christum & amãdum eum. Vnde eo distinguitur ab homine qui sermone, & prædicatione trahitur ad Christum. Nam Saluator postea pro eo quod hic dixit, Nisi Pater meus traxerit, dicit: Nisi fuerit ei datum à Patre meo. Ergò quem Pater trahit ad*

Iansenius in Concordia, apertè satis loquitur pro veritate quam tuemur.

Chri-

Christũ, illi dat vt veniat ad Christũ, hoc est vt credat in eũ. Excitat ergò eius mentẽ infundens illi Fidem. Vnde D. Augustin. lib. 1. cõtra duas epistolas Pelagianorum cap. 19. Trahitur miris modis vt velit, ab illo qui nouit intus in ipsis hominũ cordibus operari, non vt homines, quod fieri nõ potest, nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant. Hoc modo dicit Sponsa Cãtic. 1. Trahe me post te curremus. Cantico. 1. Et inferius subiungit idẽ auctor. *Rursus, hic sunt obseruanda duo illa verba: Venit, & traxerit. Illud enim verbum, venire, apertè ostendit libertatem, hoc autẽ verbum, traxerit, significat diuinam gratiã præcedentem omnem nostrã voluntatem, & multò magis omne meritum. Proinde conuenienter Dominus vsus est verbo trahẽdi, illo enim significatur & gratuita Dei benignitas, omnem nostram voluntatem, & meritum præueniens, & gratiæ diuinæ efficacia, quæ ex nolentibus facit volentes.* Et statim explicat Iansenius infirmitatẽ naturæ nostræ, & adducit illud, corpus quòd corrumpitur aggrauat animã: & subiungit. *Sicut corpus graue vt ascẽdat, sursum trahi debet: ita nos vt ad Christũ, & cælestia eleuemur, trahi debemus cælesti gratia. Obseruatamẽ quòd non dicit solũ: Nemo venit ad me, sed nemo potest venire ad me, &c.* En quo pacto Iansenius dicit hac tractionẽ non solùm esse moralem, sed efficientem: imò verò etiam dicit esse efficacẽ, & hanc esse antecedentem ex parte Dei, & ab ea nos pendere. Adducit testimoniũ illud, *Cor Regis in manu Domini, quocunq; voluerit vertet illud*, explicans caput. 21. Prouerb. vbi ait. *Cũ omnium hominum corda sint in manu Domini peculiariter de corde Regis id dicitur, quòd hoc maximè sit liberũ, & alienæ potestati minus subiectum.* Sanè in his omnibus nihil video quod faueat oppositæ sententiæ.

Eccles. 15. VNDE Iansenius explicans illud Ecclesiastici. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui*, solùm dicit, quòd non determinet liberum arbitrium, pecorum more ad vnum, seu more aliorum craturarum ad homines: quasi diceret nõ determinat hominẽ aut liberum eius arbitriũ determinatione necessaria ad vnum, ex iudicio infixo à natura sine vlla radice contingentiæ aut libertatis, aut sine collatione, & consultatione sicut more pecudũ bruta determinat, sed præmouet & determinat determinatione libera, nõ secus ac ipse homo se efficienter determinat ad vnum quod vult vel amat, Deo sua motione præueniente & præmouente ad diuinum opus conuersionis. Nam cer tè quando homo se determinat illa eadem determinatio nostra à Deo est efficienter à quo pendet: & etiã est à Deo, vt à prædeliberãte illam. Et quando dicitur quòd illa eadem determinatio nostra est à Deo efficiẽter, etiam intelligitur quód est à Deo mouente nos ad collationẽ, & consultationem, & conferentiam à quibus pẽdet omnis nostra determinatio & operatio humana & libera.

Non determinat Deus voluntatem humanã more pecudum determinatione necessaria ad vnum.

Sixtus Senẽsis sententiã aduersariorum, quam iuuenis tenuerat, doctior effectus retractauit: & tamẽ citatur ab eis.

SIXTVS Senensis, qui sine causa citatur ab aduersarijs lib. 6. Bibliothecę Sanctæ annotatione. 248. cũ esset discipulus Ambrosij Catheri. & ab hoc suo præceptore didicisset Deũ nõ prędestinasse numerum omniũ saluandorũ immutabili & infallibili decreto seu fixo, sed potiùs sub conditione quadã mutabili: nihilominus sequens hanc sui præceptoris sententiã, quã olim amplexus fuerat vt verã, ad placandum animos & querimonias populi promiscui, & imperitæ plebis, tamẽ doctior effectus & eã animaduertens hanc retractauit sententiã. Quocirca Sixtus Senensis affirmat, quòd ab anno ætatis suæ trigesimo, & deinceps, cũ animaduertisset huiusmodi assertionẽ difficultatibus, & angustijs nõ paucis premi, & ob id à pleriſq; doctis ac pijs Theologis non probari, satiùs duxit ab eius prædicatione desistere, quàm pio eruditorum iudicio improbata docere. Scripsit contra hanc opinionem Dominicus Soto in commentarijs ad Roman. capit. 9.

VIDES quo pacto Sixtus retractauit sentẽtiã quã olim tradiderat, & cũ eam reprobauerit sine causa citatur ab aduersarijs: imò verò ex eo quòd eã improbat nostra sententia cõfirmatur. Sed volo paucis agere cũ eisdẽ aduersarijs, & rogo an velint sententiam illam priorem, quã vel ipsi citant, vel sui, defendere? Nã Ambrosius Catherinus posuit certũ modũ & numerum saluãdorũ, & qui re vera saluantur distinctũ àn umero prædestinatorum: nihilominus dixit re vera Deũ aliquos prędestinasse immobili & fixo prouidẽtiæ decreto, quos amoris quadã prærogatiua præ alijs dilexit, præ alijs elegit, præ alijs destinauit, & singulari quodã priuilegio magis ac fortius quã cæteros vocauit: quales sunt Maria Virgo, Apostoli, D. Paulus, & alij, quos Deus tãto gratiæ munere donauit, tantisq; ad salutẽ prę fidijs instruxit, vt salua etiã arbitrij libertate à salute excidere nequeant, qui immutabili quodã & infallibili diuinæ prouidentiæ decreto, stãte semper liberæ voluntatis arbitrio, ad vitam æternã prędestinati sunt. Vides quo pacto etiã Ambrosius Cather. cõstituit prædefinitionẽ, seu decretũ fixũ immutabile & infallibile, fortẽq; gratiã, singulareq; priuilegiũ, qualia fuerũt in Paulo, & Apostolis, & tamẽ immutabilẽ prædefinitionẽ vel fixũ decretũ non dicit repugnare libertati arbitrij, sed potiùs eã seruare saluãq; & incolumẽ sine iactura relinquere. Quomodo ergò auctores oppositæ sentẽtiæ ex infallibili decreto Dei, aut ex fixa & immobili prædefinitione, vel ex efficacissima Dei gratia præmouente Paulũ, vel latronem pendentem in cruce ad cuiusque conuersionem, fiat præiudicium libero arbitrio, aut quomodo Sixtum vel Catherinum citent?

Ponit Sixtus Senensis firmam, & immutabilem Dei prædefinitionem quã non repugnare arbitrij libertati dicit.

ALVARVS Pelagius de planctu Eccl. lib. 2. ar. 8. qui incipit, recordare hæc lamẽtatio quæ est, Oratio Hierem. &c. sine causa citatur ab aduersarijs: cum in eodẽ art. §. Vnde notandũ. litera F. loquatur optimè secundũ antiquam sententiã, dicatq; multã de gratia pręuia creaturæ (nam sic eã vocat) & præparatoria dante benè operari, & promouente, agitque de alijs excellentijs ipsius, & de prouisione immutabili, & in-

Aluarus Pelagius citatur etiã ab aduersarijs, sine ratione tamen.

fallibili Dei,& quo pacto neque gratia, neque præuisio, neque prædestinatio inferant vim libero arbitrio, sed potiùs concordent cũ ipso.

CAIETANVS 1.parte.q.105.artic. 4.postquàm ex S.Thoma didicit quòd si voluntas ita moueretur ab alio,quòd ex se nullatenus moueretur, tunc opera voluntatis non essent libera neque imputarentur ad meritum aut demeritũ, sed quoniam per hoc quòd voluntas mouetur ab alio, nimirum à Deo, non excluditur quòd moueatur ex se,idcirco nõ tollitur ratio libertatis,neq; ratio meriti vel demeriti. Dicit Caietanus in Commentario, quòd Deus est causa, operationum secũdarum causarum, non solùm vt applicans,sed etiam vt dans principia actionum,& vt conseruans formas: vnde Deus intimè operatur in omnibus. Ex quo liquet quòd secundùm generalem doctrinam Deus concurrit ad supernaturales actiones. Primò tribuendo principia effectiua illarũ actionũ & applicãdo liberum arbitriũ & principium illud supernaturale ad actiones illas sibi proportionatas.

Est etiãpro nobis Cardinalis Caietanus.

RVRSVS Caietanus eadem quæst. 105.arti. 6.dicit quòd omnis executio causę secundæ infert executionem in causa prima:quia ab actione illius pendet omnis actio, non autẽ è conuerso:ac proinde cum ordo rerum ad primam causam,attendatur penès executionem primæ causæ,ratio primi ordinis in diuina pręsciẽtia oportet quòd contineat quidquid per ipsam primã causam qualitercunq; exequendũ est. Vnde D. Augustl.lib.26. cõtra Faustum inquit illud esse cuilibuit rei naturale quòd ille fecerit,à quo est omnis modus,numerus & ordo naturę. Quo fit vt motio Dei qua Deus voluntatem pręmouet sua gratia sit maximè connaturalis voluntatis secundùm modum,& ordinem liberum ipsi voluntati propriũ. Vnde Caietanus.1.p.q.106.arti.2.in quo S.Thomas interrogat vtrum Angelus possit mouere volunattem alterius?postquam dixerat Angelum non posse mouere voluntatem alterius, & multo minus efficienter propriè, dicit Caietanus; Quòd voluntas non potest educi de potentia ad actum volendi ex parte potentię ab aliquo extrinseco,nisi à datore voluntatis.Et sine dubio loquitur Caietanus de reductione quæ fit de potentia ad actum ab extrinseco agente efficiente. Vnde Deus non tantùm obiectiuè, & moraliter mouet voluntatem sed etiam efficienter propriè.

Non potest voluntas in sententia Caiet. reduci de potentię ad actũ, nisi à Deo, loquẽdo de reductione quæ fit ab extrinseco agente.

ADDE etiam Caietanũ dictẽtem prima parte.q.105.arti.4. Deum mouere voluntatem ab intus; hocque nulli communicari, quia solus Deus illabi potest libero arbitrio, quia hoc quòd est mouere obiectiuè voluntatem, etiam cõmunicatur aliis.Et sane sentit Caietanus esse maximè propriũ Dei mouere voluntatẽ efficienter,quia illabitur libero arbitrio: & sentit Deũ mouere voluntatẽ motione intrinsecè recepta in ea:ob id ergò dicit D.Augus. loquens de efficacia,qua Deus mouet corda hominum, quòd Deus habet vt maximè proprium facere volentes ex nolentibus, & ob id scriptura dicit cor Regis esse in manu Domini, & quocũq; voluerit vertere,& inclinare illud.Et in Cõmẽtario huius loci Prouer. 21.dicit Caietanus Salomonem describere in hac parte efficaciam simul,& facilitatem diuinæ operationis ad inclinandum cor hominis quocunq; ipse Deus voluerit,quia facillima efficacia Deus mouet cor quocunq; vult.Addit Caieranus ibidem, quòd quando Deus vult hoc facere, nulla intercedit resistentia.Quia in omni creatura, & nõ solùm in corde hominis reperitur potẽtia obedientialis relatiuè ad Deum. Quia omnia quæcunque vult Deus facit sine resistentia prout vult.

EX QVIBVS potest isteformari discursus de mente Caietani. Liberum arbitrium creatum, etiam quatenus liberum est, dicit potentiã obedientialem,ad creatorem suum,& ad Dei potentiam efficientem:ergò eius libertas similiter est in potentia obedientiali ad efficientiam primæ causæ,vt voluntas creata moueatur à Deo efficienter,quoties ipse voluerit sine lęsione libertatis.Nam potentia obedientialis est intrinsecè & intimè imbibita inqualibet entitate creaturę, etiam in voluntate libera hominis & Angeli,vt libera est.Ergò non infert præiudicium libertati nostræ voluntatis quod præmoueatur à Deo efficienter propriè seu physicè, vt aduersarij loquuntur, siquidem libertas voluntatis etiam,vt libertas est,habet obedientiam respectu potentiæ actiuæ Dei,& respectu actionis, & motionis creatoris,etiam cùm mouet eam efficaciter, quia Deus non tantùm eam mouet efficienter propriè,sed hanc exercet sub præmotione morali cum conferentia,& collatione suauiter, sed fortiter.Quia non solùm subiacent Deo res,& causæ secundæ, sed etiam modi agendi & causandi.

Liberum arbitrium, vt liberum est, obedientialem potentiam habet, vt Deus in eo,& per eũ quidquid voluerit faciat.

QVAPROPTER Caietanus Cardina.1.p.q. 22.de diuina prouidentia art.4.& ad Roman.9. Putat esse vnum ex præludijs Fidei actus nostros liberos esse prædefinitos, & præuisos à Deo in particulari, & modestè loquitur non arroganter circa concordiam liberi arbitrij vbi ait,quòd adorat minysteriũ quamuis id non intelligat. Et ad Roma.8.explicans verba Pauli: *Quos præsciuit, & prædestinauit*, inquit, *Hoc est, & prædefiniuit*:vbi apertè & egregiè dicit, quòd præscientia de rebus euenturis supponit prædefinitionem & Dei voluntatẽ. Vnde colligit Caietanus quòd prius Deus prædefiniuit, quàm præsciret euentum saluandorum,iuxta Paulum dicentem. *His qui secundùm propositum vocati sunt sancti*. Et hoc, dicit Caietanus, intellexisse Paulum, quia prædefinitio Dei cõformium Filio Dei, prior est quàm præscientia eorundem,dicente Paulo. *Nam quos præsciuit conformes fieri imaginis filij Dei, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus, &c. & prædefiniuit*, hoc est,etiã priùs diffiniuit,quàm pręsciret.En Caietanus prædefinitionẽ dicit anteire pręsciẽtiã euentuũ liberorũ & contingentiũ,ac proinde Deũ esse primum prædeliberans & nõ esse admittendum Deum prædefinire singulas bo

Actus liberos nostros esse prædefinitos & prædeffinitionem prior em esse præscientia merito exsistimauit Caietanus.

norum aut iustorum operationes post præuiã nostri arbitrij aut voluntatis determinationem & cooperationem,sed potius è conuerso ex diuina prouidentia id præordinante & prædefiniente ante præuisionem hanc, hoc factũ fuisse. Et postremò Caietanus ad Colossen.1.explicans verba illa Pauli: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea*, de diuinis prædefinitionibus hæc subiungit. Dicit enim,quòd sicut definiuit Christus certum membrorũ suorum numerum,certamque magnitudinem, aut multitudinem meritorum,ita definiuit determinatum numerum passionum iungendarum passioni suæ,& quantum in carne Pauli, quantum in carne Petri, quantum in carne Laurẽtij substinendum est afflictionum prædefinitum est.

Petrus à Soto Dei operationem efficacem esse causam nostræ conuersionis sensit expressè.

Petrvs à Soto vir grauissimus ac doctissimus de comparatione gratię Dei & actuũ pœnitẽtiæ lectione.9.pag.180. in impressione Louanien si,anno.1566. expressè dicit: Non solũ Deum nos conuertere, sed in ea conuersione Dei operationem esse efficacem causam cõuertentem cor nostrum. Ait præterea hanc Dei operationem conuertentem nos efficaciter esse priorem natura, ob eaque actus pœnitentis pendere,ipsam verò à nullo eorũ. Vides quomodo ponit efficaciam prouenientẽ ex operatione seu motione Dei vt à Deo procedit? *Nec ita* (ait)*putare debemus, quasi prius Deus operetur in nobis,nobis quiescentibus:deinde nos eo quiescente operemur:sed,vt Paulus inquit, operatur in nobis velle & perficere. Et Esaias:Omnia opera nostra operatus est in nobis*. Et post pauca: *Vt simus in omnibus operibus bonis sicut à Propheta dictum est, Quasi securis in manu Dei:nisi quod nos simus intelligentes & volentes.*

Ferrara veram doctrinam cũ S. Thom.amplexus est.

Ferrara cum S. Thoma in commentarijs ad libros contra Gẽtes sequitur præceptorem suum Sanctissimum in omnibus. Legendus est.1. contra gentes, cap.85.& 3.cõtra gentes,cap.94.vbi agitur de certitudine diuinę prouidentiæ. Et specialiter legendus est D.Thom. lib.3.cõtra gentes,cap. 60. vbi dicit Deum applicare secundas causas ad agendum, sicut artifex applicat instrumentum ad effectum proprium,cui tamen qui instrumentum est solum dat motum. Deus autem & applicat causam,& dat ei motum,& præterea formam agendi. Rursus legendus est eodem lib.3. cõtra Gẽtes,cap. 148.149.& 150.& Ferrara eodem loco: legendus etiam est specialiter Ferrara cum S. Thoma eodem 3.lib.cõtra Gentiles,cap.159. Quo loco S.Thomas docet:Quòd rationabiliter homini imputatur si ad Deum non conuertatur, quamuis hoc sine gratia non possit. Quo in loco Ferrariensis animaduertit ex doctrina D. Thomæ quòd illa propositio: Nulli imputatur quod ab alio dependet:est falsa,quando non est ex parte eius à quo illud dependet, quin illud habeatur,sed ex parte recipientis ponentis impedimentum voluntariè illius receptioni, & quod ita euenit (inquit Ferrara) quando quis gratiam non accipit, & idcircò affirmat, nõ esse absque eius imputatione. Quam rem fusè ille explicat eodem loco. De qua etiam nos fusè superius multa diximus,quæ eo loco sunt videnda.

Hieronymi Perez Ordinis B. V. Mariæ de Mercede pro defensione nostræ veritatis ad ducitur.

Eandem veram & catholicam doctrinam egregiè & eleganter defendit Hieronymus Perez Valentinus nostri Instituti,miræ eruditionis & resolutionis vir, de quo,silentio non detegam quòd de eo Ioannes Pineda sacræ Theologiæ Magister, non sine magna ipsius gloria ausus est dicere, sic inter alia multa scribens: *Quem si habuissent veteres duxissent in gloriam, qui non tenui rerum cognitione ad summum illum nostræ fidei Licurgũ Diuum Hieronymũ propè accedit.*& paucis interpositis sic prosequitur. *Cuius mellitissimi commentarij tanto cæteris præstant quanto diuinam Aquinatis tam late dispersam Philosophiam cæteris præstare perspicuum est.* Hic ergo doctissimus vir in commentarijs ad primam partem multiscij S. Thomæ (sic enim fere semper vocat sanctissimum Præceptorem) quæst. 19.circa.2.arti. Deo tribuit efficaciam gratiæ, asserens,quòd nõ solum attingit effectum quoad rem,verùm etiam quoad modum fiendi, & modum essendi;nam cùm diuina voluntas sit efficacissima in agendo, nõ solum vult & operatur effectum quoad eius substantiam,sed etiam quo ad modum,ita vt alia producantur necessariò,alia liberè,omnia tamen infallibiliter & efficaciter, vt absoluta voluntate prædefiniuit Deus. Ecce quomodo non recurrat egregius Thomista ad præuisionem scientiæ mediæ in explicanda certitudine futuri euentus, sed potius ad absolutam rerum prædeffinitionem & prædeterminationem, qua firmiter apud se decreuit talem vel talem liberam, sed certissimã operationem. Idem expressè defendit quæst. 22.circa.1.2.& 3. artic. vbi etiam non obscurè dicit operationem Dei esse efficax & præmouens nostræ conuersionis principium. Diuisionem præterea de sensu composito & diuiso breuiter,sed acutè in fauorem nostrum explicat.

Ioannes à Medina varius fuit in re quæ controuertitur

Ioannes à Medina Complutensis varius fuit circa punctum de quo agimus,vt refert Antonius Cordubensis lib.1.quæstionarij. quæst. 55.Nam Cordubensis dubio.10.illius quæstionis interrogat, vtrùm cum voluntate Dei efficaci & stante illius concursu inmediato, stet simul libertas nostræ voluntatis & contingentia? Cui dubio respondet affirmatiuè: dicitque imò pollicetur se hoc esse manifestaturum respondendo ad argumentum in contrariũ, quod tale est,imò verò est commune inter auctores oppositæ sententiæ,& adducitur à Molina & suis,propter quod orta est magna tempestas.

Argumentum quòd magnificat aduersarij.

Argvmentvm igitur est huiusmodi apud Cordub. Agens liberum est quod positis omnibus præuijs & requisitis potest actum suum producere & non producere:Sed vnum de præuijs & requisitis ad omnem operationem est concursus diuinus inmediatus & sufficientissimus:posito autem isto concursu seu voluntate Dei,tunc simul nostra voluntas producit suum

actum necessariò, ita vt non sit in sua potestate illum non producere: ergò posito tali concursu diuino non manet simul nostra voluntas libera sed necessitata ad suum actum producendum.

HVIC argumento conatur respondere Ioannes à Medina Complutensis, cuius solutionem & responsionem refert Cordub. loco citato, responsione. 2. ab eo recitata. Credidit enim Ioannes à Medina: quòd licet Deus immediatè sufficienter concurrat cum nostra voluntate, & cũ omnibus secundis causis, tamen putat Deum non concurrere per suum velle aut per suã volitionem, sed per suam virtutẽ vel assistẽtiam. Rursus dicit hanc Dei assistentiam determinari à nostra voluntate, sicut causa vniuersalis creata determinatur à causis particularibus respectu alicuius effectus. Vt Sol, vel Cælũ cõcurrũt cum causis inferioribus ad suos effectus, nõ quidem per aliquod suum velle liberum, sed per suã potentiam, vel virtutem: & ita determinatur à causis particularibus, nimirum à semine vel à terra ad producendum triticum, vel pomum, sic ait Ioannes à Medina, quòd vniuersalis causa, quæ est Deus, concurrit cum voluntate nostra, non per suum velle efficax, sed per suam virtutem & assistentiam: quæ determinatur à nostra voluntate. Et hoc supposito negatur illa consecutio argumẽti ab his auctoribus. Quoniã stante illo diuino concursu per suam virtutem stat simul libertas nostrę voluntatis ad suum actũ. Hic tamen modus dicendi & respondendi multo maiora incommoda habet, quem ipse Ioannes à Medina Complutensis retractauit, vt refert Antonius Cordub. eo quòd in eo dicitur Deum non concurrere per suum velle efficax cum nostra voluntate: Quia vt fatetur libenter Cordub. Deus per velle efficax suum concurrit ad nostras actiones. Quod probat pag. 468. Primò quia Prouerb. 21. legitur. *Cor Regis in manu Domini.* & Matthæi. 10. *Neque passer cadit sine voluntate Patris vestri.* Item probat: quia licèt Deus concurrat per velle efficax, optimè stat voluntatem liberè & contingenter velle, licèt necessitate consequentiæ non consequentis necessario velit quando vult. Vides quo pacto Cordub. per hæc quæ dicta sunt minime faueat aduersarijs nostris: volo enim ostẽdere quod sine causa citetur.

Soluitur à Ioanne de Medina, sed solutio & modus dicendi ab eodem retractatur.

Aliter soluitur ab eodem.

RVRSVS Antonius Cordub. adducit quarto loco responsionem aliam ad argumentum supra tactum eodem lib. 1. quæst. fol. 468. negando minorem argumenti: quia diuinus concursus & Dei voluntas pro tempore quo cum nostra voluntate coagit, non est de præuijs, sed de cõcomitantibus actum, & ita non concludit argumentum. Quæ sanè doctrina est quam Molina habet. Sed Molina addit vlterius quòd gratia actualis seu influxus auxilij Dei pendet ex determinatione nostræ voluntatis, & ex cooperatione nostri liberi arbitrij vt fiat efficax.

Impugnatur solutio à Corduba,

HANC doctrinam & solutionem nõ recipit Antonius Cordub. sed potius eam impugnat. Nam dicit loco citato, quod non solùm diuina voluntas est præuia, sed etiam eius concursus est præuius: Quia causa prima est prior quàm causa secunda, non solùm in essendo, sed etiam in causando, quia ab illa habet hæc causa secunda esse, & operari, & illa dat virtutem, & influit, & mouet secundam ad operandum: Iuxta illud Actorum. 17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Et Ioan. 6. *Sine me nihil potestis facere:* vt latius de hoc agit D. Tho. 1. par. quæst. 8. art. 2. & 3. & ibi Caietanus, & quæst. 14. art. 13. & Vega. quæst. 11. de iustificatione ad 3. argumẽtum. & Scotus in 1. dist. 39. & ibi Lychetus eius interpres, & Doctores qui communiter consentiunt in hoc.

qui veram sententiam amplectitur asserẽs Dei concursum esse de præuijs & prærequisitis ad nostram operationẽ.

VIDES quo pacto Cordub. impugnat doctrinam & solutionem Molinæ, adducendo nostram sententiam, & affirmando Dei motionẽ præuiam influentem in secundã causam & mouentem illam ad operandum: quam doctrinam ex illo Actorum. 17. confirmat: *In ipso viuimus mouemur & sumus.* & hanc dicit esse sententiam D. Thomæ, & Caietani, & Scoti, & aliorũ. Imò verò dicit communiter consentire Doctores in ea. Citat etiam Vegam virum doctissimum. En quo pacto Cordub. sensit nobiscum. Et vt respondeat argumento superius ab eo facto, vtitur doctrina Thomistarum, quam Sotus lib. 1. de natura & gratia, cap. 16. tradiderat, & per eam respondet ad impugnationem libertatis arbitrij. Quod licèt in sensu composito & necessitate consequentiæ sit verum, quòd stante præuia motione efficaci Dei, & præuia etiam efficaci voluntate eius, non stet voluntatem agere oppositum eius ad quod mouetur: tamen absolutè & in sensu diuiso nostra voluntas potest oppositum, quia non necessariò agit necessitate consequentis. Et ita non sequitur, quòd voluntas libera non sit, quia in eodem instanti potest volũtas non agere & cessare ab actu, & ita facere, quòd ille concursus diuinus cesset. Et hanc doctrinam & solutionem Antonius Cordub. tribuit Ioanni à Medina Complutensi, in sua Alphonsina, & Soto lib. 1. de natura & gtatia, cap. 16. Et eam non dicit esse falsam, neque eam improbat, licèt dicat esse declarandam. Tandem cum multa dicat Antonius Cordub. tam ex propria sententia, quàm ex aliena in nulla re est cõstans, sed modo dicit vnum, modò aliud, & infinita distinguit signa pro suo beneplacito, quæ non sunt ad propositum.

Actor. 17.

FRANCISCVS à Christo Augustinianus expressè defendit nostram sententiam in 1. dis. 39. de diuina prouidentia, fol. 96. 97. §. Concedunt igitur Catholici: & adducit S. Thom. 1. p. quæst. 22. art. 3. ad 1. & 2. & 3. contra Gentes, cap. 94. Lege eundem de diuina prædestinatione in 1. dist. 40. & 41. quæst. 4. pag. 116. §. Magnus Augustinus: quo in loco pa. 118. §. Itaque: ci. cit, *Cum Pelagiana Hæresis nondum esset exorta, ante tempora Augustini, Patres (præsertim Græcos) minus cautè minusque circunspectè de diuina gratia & prædestinatione loquutos esse.* Ego tamen potius dico, quòd cũ res hæc de diuina gratia præ-

Franciscus à Christo. Augustinianus veram doctrinã tenuit.

uia

nia seu pręueniẽte, illis temporibus, antequã toties examinata & disputata fuisset, esset difficilior, fieri potuit vt pro libero arbitrio ita militarẽt multa eorũ dicta, & ita vehemẽter, vt gratia Dei non valde extolleretur circa prævenientem & præuiam gratiam, vt constare potest ex Chrysostomo Homilia. 12. super epistolam ad Hebræos superius citata

Guillelmus de Rubione Franciscanus prædestinationes admisit.

GVILLELMVS de Rubione Hispanus ex familia D. Francisci in lib. 1. Sententiarum dist. 38. q. 1. tenet Deum ab æterno omnia determinauisse & definisse, etiam ante præuisionem operum, dicitq; Deum determinare voluntates hominũ, etiam determinatione de inesse ad aliquid determinatè agendum. Addit etiam primam causam, quæ est Deus, non solum determinare causam secundam determinatione illa de in esse, sed etiam determinare voluntatem creatam liberam ad producendum istum actum volendi. Addit vltrius quod cùm Deus determinat liberam hanc voluntatem, quòd eam determinat per actum quem voluntas elicit in ordine ad aliquod obiectum. Et antea dixerat hanc determinationem factam esse à Deo, determinationem de in esse: quæ talis dicitur, quia dicit executionẽ, & hãc optimè copulari & sociari cum cõtingentia. Et in 1. dist. 46. quæst. 1. & distinct. 47. quæst. 1. dixit, Quòd Deus vult aliqua efficaciter, ac proinde sentit Deum efficaciter determinare voluntatem in ordine ad aliquod obiectum. Quod verò dicit, quòd Deus vult aliqua remisse, vel hoc intelligit de voluntate antecedente, vel si nõ intelligit hoc de illa, modus loquendi mihi non probatur, nimirum quod Deus velit remisse.

Michael à Palacios eadem incedit via.

MICHAEL à Palacios in 1. distin. 46. & 47. disputa. 1. foli. 221. colum. 3. & 4. & foli. 222. Et in 2. Sententiarum distinct. 25. disput. 1. de libero arbitrio ferè in postremis verbis quæstionis dicit esse obseruandum, Deum mouere liberum arbitrium bifariam, efficaciter & ineffaciter. Et distinctione 26. disputat. 1. doctrina illius est contra Molinam & dicit: motionem Dei esse priorem & præuiam operationi & conuersioni, & efficacem, & impugnat Cassianum malè loquentem. Gelasius Papa I. Tomo 2. Conciliorum pag. 462. dicit. Non esse recipiendos libros Cassiani & Arnobij, sed esse Apocriphos.

Herbeus militat pro nobis.

HERBEVS Natalis, vir alioqui ingenio subtilissimus nostram sustinet sententiam in 1. sententiarum distinct. 38. quæst. 1. & distinct. 46. quæstio. 1. §. Quantum ad 3. & quæst. 2. sequenti, multa dicit quæ nobis fauent, vbi voluntatem beneplaciti & voluntatem consequentem dicit semper infallibiliter impleri, & hanc voluntatem dicit fuisse ab æterno determinatam, respectu eorum quæ postea fiunt. Huicq; causalitati diuinæ voluntatis omnia subijci. Addit rursus hanc infallibilitatem impletionis diuinæ voluntatis neque tollere contingentiam à rebus, neque à libero arbitrio, imò verò affirmat hanc Dei voluntatem immutabilem ipsiusque decretum ponere contingentiam in rebus, in quibus eam voluit esse, licet prouiderit de actu euenturo in singulari & in individuo.

Dionysius Rikel optimè loquitur pro nostra sententia.

DIONISIVS Rikel. Ioannis 1. art. 6. circa illud: *Dicit ei Iesus: Sequere me*, ait. *Non mirum si verba Christi tantæ virtutis erant, quòd exterioribus sensibus immutatis, etiam animas poterant immutare, atque attrahere. Qui enim foris sonabat intus mouebat, & quia Deus verus fuit, in voluntatẽ aliorum potuit agere, immediatè eam pro libito afficiendo ac immutando.* Lege eundem Dionysium Prou. 21. circa illud: *Cor Regis in manu Domini. Hinc Iob. 12. dicitur Deus immutat cor Principum terræ. Quod aduertens Esther. 12. cap. sic orationem suam loquuta est. Transfer cor Regis, scilicet Assueri, in odium hostis nostri, nos autem libera. Et Cant. 1. Trahe me post te.* multa dicit Dionysius, nostro instituto satis accõmodata. Et adducit illud Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Vbi semper intelligit hanc tractionem esse efficientem, & cõparat eam creationi. Et in cõmentarijs super Ioannem cap. 6. Hunc tractũ, quo trahuntur peccatores ad Deum per cõuersionem, pœnitẽtiam, & charitatem, dicit: Quòd solo tractu morali sine occulta motione aut impulsu Spiritus sancti, neq; promissis, neq; contẽplatione præmiorũ & bonorum, neq; illa gellis, neq; alijs, aut alio modo traherentur ad Christũ, nisi ex interna motione aut influxu mouente & inclinãte voluntatẽ. Est igitur hæc tractio nõ solum moralis, sed efficiens, & in genere causæ efficientis explicanda. Idem etiam repetit Ioann. 10. circa illa verba. *Alias oues habeo quæ nõ sunt ex hoc ouili*, id est, de Synagoga Iudæorum, sed ex populo Gentilium, & illas oportet me adducere, non per coactionem, sed immobile beneplacitum.

Ioann. 10.

SOLET citari Gabriel pro aduersarijs in 1. distin. 38. q. 1. sed sine causa. Quia neque tollit auxilium intrinsecũ, neq; gratiam præmouentem nos: solum enim agit ibi de scientia necessaria & determinata omnium futurorum cõtingentium, & de libertate. Adducitq; opinionem Scoti, quòd diuina voluntas est prima regula contingentiũ, & quòd prius determinat cõtingentia, antequã illa intellectus diuinus intelligat: videlicet futura esse. Et intellectꝰ diuinus videns determinationem voluntatis suæ, videt illud pro. A. quia voluntas determinat pro. A. scit enim volũtatem illam esse immutabilem & nõ impedibilẽ. Et dist. 41. q. vnica, nihil dicit quod faueat aduersarijs. Imo verò si aliquid dicit, est illud in quo valde recedit à sententia Scholasticorum.

Sine causa citatur Gabriel ab aduersarijs.

COSMAS Philiarcus in quæstione de causa prædestinationis & reprobationis ad Gregoriũ XIII. apertè tenet Deum determinare voluntatem nostram per auxilium actuale gratiæ suæ, & prius natura prioritate à quo, & non prioritate in qua. Et respondet ad argumẽta aduersariorum. De qua re legendus est cap. 11. & deinceps vsque ad 15. Rursus idem Cosmas Philiarcus lib. 3. de dogmatibus fidei cap. 24. eandem sententiam etiam confirmat.

Cosmas Philiarcus pro veritate pugnat.

Victoria cõtra aduersam sententiam & pro nobis est.

MAGISTER Victoria 1. part. quæst. 83. de libero arbitrio art. 1. difficultatem, de qua agimus, tractauit, & in resolutione quæstionis censet Dei concursum & motionem esse de præuijs, & quòd stante cõcursu Dei præuio potest homo non agere & liberè agit.

POSSEM sanè penè infinitos alios, viroſq; doctissimos adducere in fauorem nostræ sententiæ: sufficiant tamen adducta testimonia. Nam deinceps in discursu huius tractatus multa alia adducemus, tam ex diuina Theologia, quàm ex Concilijs & Sanctis Patribus, diuinisque Scripturis.

Tertia Conclusio iterum proponitur, explicatur, probatur, & aperitur etiã ex Concilijs.

PROPOSVI in superioribus tertiam conclusionem, in qua dixi Deum in supernaturalibus actibus nõ tãtùm mouere voluntatẽ nostrã præmotione morali, sed etiam præmouere eam per suam efficacem gratiam suauiter: prædeterminando ipsam efficienter propriè: & per hoc non lædi libertatem ipsius, neque dominiũ suarum actionum. Quo etiam in loco explicuimus modum determinationis quo ipsa voluntas determinetur à Deo, & quo etiam sit intelligenda prædicta conclusio. Rursus etiam diximus prædictam assertionem in Sacris Literis contineri, attulimusque Sacræ Scripturæ testimonia, Sanctorum Patrum sententias, & Diui Augustini, in quibus siue his siue illis verbis explicatur efficacia gratiæ diuinæ, efficienter propriè præmouẽtis voluntatem nostram. Et pariter etiam retulimus grauissimorum Theologorum iudicia, verba, & sententias, in quibus plane gratia Dei in cõuersione peccatorũ ita præmouere volũtatem & corda hominum dicitur, vt non solùm id intelligant de morali præmotione, sed etiam de propriè efficienti. Et in quibus etiam propriè inuenimus Sanctos Patres mirè extulisse diuina decreta, & diuinam prædefinitionem etiam ante præuisionem operũ: Nunc verò restat sententiam nostram munire ex sacris Concilijs, & fundamentis atque argumentis Theologicis, interdum etiam deductis rationibus petitis ex Sacris Literis.

Quid in hac grauissima disputatione factũ sit & quid faciendum superſit explicatur.

Suppositio prima de triplici acceptione efficacis auxilij.

VT tamen res hæc optimè fiat, suppono efficacem gratiam, seu efficax auxilium duobus aut tribus modis accipi posse. Nam primò illud dici potest efficax esse aliquando, quod dicit virtutem agendi, quamuis non agat, itaque si aliquid habeat facultatem, aut tantum virtutem quæ est principium agendi, licèt actu non agat neque operetur, id sanè dici potest efficax. Et hac ratione dicunt nonnulli virtutem aliquam esse efficacem, quando in suo genere habet peculiarem vim & energiam, licèt non agat. Hac etiam ratione censent aliqui omne auxiliũ sufficiens esse efficax, quia videlicet in se habet vim & specialem energiam effectiuam supernaturalis conuersionis: imò verò specialem vim ad pertrahendam voluntatem ad consentiendam. Quòd si hæc talis gratia Dei efficax vim hanc atque virtutem, quam à Deo habet, & trahit, habet simul coniunctam cum actuali efficientia circa voluntatem, eam agendo & actu præmouendo, ita vt pertraheret actu ad Christum infallibiliter, & inseparabiliter nihil amplius esset desiderandum ad veram efficacitatẽ gratiæ præmouentis nos propriè efficienter. De hac enim intelligitur testimonium Pauli ad Hebræos. 4. *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Quare hoc testimonium non debet intelligi de efficaci auxilio, quod tantum dicitur habere facultatem quãdam agendi, quamuis vel nunquam agat, vel rarò agat, sicut dici solet medicamentum aliquod habere efficacem vim agendi, quamuis nõ agat. Vnde decipiuntur auctores oppositæ sententiæ, cum affirmant prædictum testimoniũ tantùm intelligi de auxilio gratiæ Dei, quod est effectiuum conuersionis tãtum, etsi nihil agat. Rursus etiam decipiuntur in eo quod absolutè affirmant omne auxilium sufficiens esse efficax: quia non agnoscunt vllam aliam efficaciam conuenire gratiæ Dei, nisi eam quæ est ex parte euentus & cooperationis liberi arbitrij, quia putant efficacitati gratiæ diuinæ in viatoribus non conuenire vnionem infallibilem inseparabiliter coniunctam cum supernaturali actu conuersionis, fidei, aut pœnitentiæ, &c.

Ad Heb. 4

Efficax gratia & auxilium non dicitur neque est efficax tantum ex eo q̃ actu efficit, sed etiam quia pro vt à Deo venit singularem vim habet ad agendũ.

QVOCIRCA censemus gratiã Dei dici efficacem, quoniam trahit à Deo efficaciam seu vim agendi, veluti principium actus coniunctum suæ operationi supernaturali, quod nunquam de facto separatur ab ea. Neque ob id tantùm dicitur efficax quia actu efficit, sed etiam quia hanc vim trahit à Deo, vt efficiat voluntatem conuerti, & consequenter ita dicatur efficax, vt non sine consensu & libera determinatione voluntatis nostrę id efficiat. Quia videlicet efficax auxilium gratiæ Dei, non sic efficax apellatur ipsius supernaturalis actus, vt se solo sine concursu & cooperatione liberi arbitrij illud efficiat, aut efficere possit. Quoniam actus supernaturalis, qui in ipso libero consensu conuersionis reperitur est actus vitalis liber, & à libero arbitrio habens necessariam omninò dependentiam. Est igitur huiusmodi efficax auxilium principium verè influẽs in voluntatem, eamque eleuans & transferens ad supernaturalem ordinem, & ad secũ cooperandum, & consentiendum. Vbi perpendendũ est, hanc efficacem Dei gratiam non desumere à libero arbitrio cooperante suam efficacitatem, sed potius è conuerso gratiam eam tribuere libero arbitrio hominis, & ratione illius cooperari. Nam certè liberum arbitrium pendet ab ipsa gratia in huiusmodi effectione conuersionis, imò verò subordinatur eidẽ gratiæ efficaci, vt efficiat cõsensum. Et sicut Deus vt agat cũ

secundis causis non dicitur proprie pendere ab illis, sed magis è conuerso, ita non dicitur pẽdere gratia Dei à libero arbitrio: non quòd se solo sine cooperatione liberi arbitrij eleuati ab ea agat, sed quòd liberum arbitrium subordinetur in agendo huic auxilio gratiæ & principio supernaturali efficaci. Aduerte tamen eandem esse actionem gratiæ, & liberi arbitrij eleuati à Deo, & non se habere vt duas partiales causas, ita vt ex viribus innatis influat partialiter liberum arbitrium. Nam sæpè diximus, liberum arbitrium simul cum auxilio illo supernaturali, efficere vnum principium eliciens & producens consensum & conuersionem, sed quia liberum arbitrium non habet vires circa supernaturalem actum, eo quòd omnem vim habet à supernaturali forma & principio, idcircò Deus cum actu influit per hoc supernaturale principium in ipsum consensum & conuersionem, mouendo voluntatem, cui supernaturalem illam formam tribuit, dicitur præmouere eam, & prius natura agere per prius à quo, non per prius in quo Deus agat conuersionem & non voluntas, quia nullum est instans in quo Deus agit, in quo non agat simul voluntas, Deus tamen prius causalitate & prius natura, propter ea quæ paulò antea dicebamus.

Gratia & liberum arbitrium non duo principia, sed vnũ tantũ sunt respectu supernaturalis operationis.

Tertia acceptio auxilij efficacis minus propria.

Tertio modo aliqui dicunt gratiam posse dici efficacem, quia nunquam redit vacua ad Deum qui dedit illam. Quia cùm Deus excitat, pulsat, vel inspirat hominem, aliquid diuinum experitur homo in se ipso dum sentit pulsationem, inspirationem, & excitationem, quibus animus erigitur, quamuis homo his excitationibus resistat interdum ne foueantur, aut ponendo obicem & impedimentum. Sed profectò in præsenti non est ad propositum hæc acceptio. Nam vt ex lectione D. Augustini cõstat: gratia efficax dicitur esse illa quæ ita est effectiua conuersionis, & pœnitentiæ, aut consensus supernaturalis, quòd actu efficiat, & influat, ita vt semper habeat infallibiliter coniunctam affectionem consensus, & actuum supernaturalium, ita quidem vt ipsa gratia faciat, quòd homo operetur supernaturaliter & consentiat. Quare gratia efficax sita est in supernaturali quodam auxilio per modum principij: quòd, dum actu est in voluntate, simul infert liberam cooperationem & liberum consensum. Et hac ratione D. Augustinus hanc efficacem gratiam dicit conuenire vocationi secũdum propositũ: cui infallibiliter vnitur executio ex parte cooperationis & consensus ipsius liberi arbitrij. Talis fuit efficax vocatio Pauli & Latronis, Matthæi & Magdalenæ, &c. Sed obserua quòd in præsenti non est sermo de concursu supernaturali generali, sed de speciali influxu auxilij diuini condistincto. Nam generalis concursus semper est coniunctus cum opere, de quo multi dicunt, quòd tantùm se habet concomitanter cum consensu & opere, & ipsum non stare sine actuali cooperatione, quãuis alijs videatur non solùm esse de concomitantibus, sed etiam de præmijs, vt placuit Victoriæ loco superius citato. Quibusdã tamen placuit secundùm quãdam communem & generalem rationem, hunc concursum appellare etiam auxilium quoddã generale, quatenus omne id quod adiuuat censetur esse auxilium.

Nõ est præsens controuersia de cõcursu generali supernaturali.

A concursu isto generali asserunt quidam ex aduersarijs posse determinari voluntatem.

De quo concursu & auxilio generali etiam auctores oppositę sententiæ censent, quòd quãuis detur per modum concursus, tamen prout in homine recipitur, potest quidem formaliter determinare voluntatem, non tamen sine illa. Quod sanè cùm apud ipsos verum sit, nõ video cur non censeant huiusmodi concursum habere vim determinandi voluntatem creatam: quatenus procedit & progreditur à diuina voluntate in qua radicatur & firmatur: Quia Deus non præbet hoc auxilium, nisi volendo concurrere ad talem actum, & tali modo, cum libero arbitrio.

Quòd verò auctores oppositæ sententiæ dicunt hoc auxilium in re non esse nisi ipsammet actionem & operationem voluntatis, non mihi probatur, vt superius disputatione. 4. & alijs diximus. Est enim auxilium propriè & secundùm veritatem id quod se tenet ex parte auxiliantis, & quod tribuitur, vt adiuuetur liberum arbitrium ad actionem & operationem illam: & ex consequenti actio ipsa voluntatis censetur esse effectus illius auxilij & concursus diuini. Dicere autem quòd ipsa actio voluntatis est qua formaliter agens est in actu secundo, id quidem est verum, & similiter quòd est id quo actualiter & in executione est formaliter determinata. At verò dicere, quòd actio & operatio ipsa est in id quò constituitur voluntas veluti in actu primo, quia censetur esse ipsum auxilium, & quòd prius natura ipsa actio dicatur esse indifferens in actu primo, neque est consonum Theologiæ, neque Philosophiæ: cùm implicet, quod ipsa operatio quæ est effectus & actus elicitus à libero arbitrio, dicatur esse auxilium respectu sui. Nam quamuis actio & operatio voluntatis consideretur secundùm duplicem respectum, nimirum ad Deum vt ad primam causam, & ad voluntatem, vt à principio eliciente, & à secunda causa Deo subordinata: tamen talis operatio voluntatis non est duplex operatio, sed vna & indiuisibilis, & effectus pendens essentialiter à voluntate humana & diuina, tanquam à prima & secunda causa. Et hac ratione per modum actus secũdi dicitur determinare actualiter formaliter voluntatem. Quæ sanè determinatio formalis & actualis dicit habitudinem & respectum ad illud auxilium Dei, seu ad supernaturalem formam, à qua tanquam à suo principio efficitur & procedit tanquam effectus. Quòd verò ipsa actualis operatio sit etiam actus primus, & vt sic indifferens, non solum est falsum, sed inintelligibile, vt de se patet: ipsa enim operatio iam facta est singularis hic & nunc & de obiecto hoc: ergo ipsa non est indifferens respectu sui.

Falsum est omninò dicere quòd ipsamet actualis operatio habeat rationem auxilij respectu sui ipsius.

Suppo-

Suppoſi. 2. Omnes actꝰ ſupernaturales ſiue liberi ſiue neceſſarij non ſolùm in cõmuni, ſed etiã in particulari à Deo prædefiniti ſunt.

SVPPONO ſecundò Deum prædefiniuiſſe, & decreuiſſe actus ſupernaturales, non tantùm in communi, ſed etiam in indiuiduo & in particulari, & non tantùm actus ſupernaturales liberos prædeſtinatorum, de quibus Paulus dixit: *Creati in operibus bonis quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus*, ſed etiam actus ſupernaturales liberos quorumcunq;, tam hominum quã Angelorum. In quibus prædefiniendis dupliciter voluntatem poſſumus cõcipere & intelligere: alteram quidem per modum intentionis; & alteram per modum executionis: Nam vtrũque ordinem, intentionis & executionis debemus conſtituere in voluntate Dei, tanquam in mente ſupremi & primi artificis, à quo operante per voluntatem ſuam, executio emanatura eſt, & idcircò oportet neceſſariò in eodem ipſo artifice Deo præter integrum ordinem intentionis abſolutæ & efficacis, conſtituere volũtatem à qua immediatè procedat executio illius intẽtionis abſolutæ Dei, quoniã executio infallibiliter conſequitur intentionem, & qui intendit formam intendit ſimiliter conſequentia ad formam, & implicat aliquem intendere efficaciter finem, & non velle exequutionem mediorum ad finem. Quo fit, vt ſi Deus decreuit ante præuiſionem omnium operum iuſtificare Paulum, Matthæum, aut Latronem in cruce pendentem, quòd pariter voluit executionem infallibilem huius decreti, vt eius ordinatio & intentio certiſsima eſſet, quæ minimè fruſtrari poſſet: Et ob id ſtatuiſſe vocatione efficaci, & ſecundùm propoſitum, vocare Paulum & Matthæum, vt ea fieret executio ſecundùm quam infallibiliter & efficienter propriè, & non tantùm moraliter & ex parte obiecti, moueret corda Pauli, & Matthæi ad conuerſionem. Et per hoc nemo ex Theologis rectè ſentientibus dixit lædi libertatem Matthæi, & Pauli, licèt eorum voluntates agerentur à Deo in executione ipſa, per infallibilem gratiam efficacem. Huc enim expectat elogium illud Sapientiæ. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.*

HIS ita prælibatis probatur tertia aſſertio: in qua aſſeueramus quòd non tantùm moraliter, ſed etiam efficienter propriè Deus præmouet voluntatem hominis liberam, & tanquam prima cauſa in efficientibus propriè, & etiam tanquam prima moralis reſpectu piorum & bonorum operum, & quod hoc non fiat ſine libertate voluntatis, & dominio ſuarum actionum. Nàm certè doctrina hæc per varios modos loquendi Conciliorum & Sanctorum Patrum, præcipuè Eccleſiæ Latinæ eſt valdè antiqua, & contenta in ſacris Literis & Concilijs, quam ſuis vocabulis Scholaſtici Theologi præcipuè hac noſtra ætate explicare, & ſignificare voluerunt.

IAM igitur probanda eſt primò ex Cõcilijs. Eſt enim aſſertio noſtra valdè conformis Concilio Arauſicano. 2. in cuius capi. 3. habetur. *Si quis inuocationem humanam gratiæ Dei dicit poſſe conferri, non autem ipſam gratiam facere, vt inuocetur à nobis, contradicit Iſaiæ Prophetæ dicenti: Inuentus ſum à non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant.* Vides quo pacto Concilium dicat Deum & gratiam eius efficere quòd homo inuocet Deum, ex eo quòd gratia Dei facit me inuocare Deum? ergo præmouet me ad hãc inuocationẽ. Nã ob id dicitur inuentus ſum à non quærentibus me. Et non dicit Concilium quòd per hoc læditur libertas, aut quòd Deus tantùm præmouet me ex parte obiecti, aut moraliter.

Ex Cõcilio Arauſicano ſuadetur primo concluſ. 3. ſupra iam ex ſacra Scriptura & ſanctis Patribus Scholaſticiſque roborata.

SED reſpondẽt auctores oppoſitæ ſententiæ Deum efficienter influere ad pios actus & ſupernaturales, non tamen præmouere voluntates & corda hominum per actualem influxũ ſuæ gratiæ efficacis efficienter propriè, quia ſic læderetur libertas voluntatis. Dicunt vlterius, quòd cùm Deus operetur ex præuiſione operum liberi arbitrij antecedenter ad prædefinitionem aut decretum eius, quòd hac ratione, optimè ſtat Deum influere in actiones voluntatis, & non lædere libertatem eius: at verò ſi Deus præmoueret efficienter propriè, ſeu efficienter phyſicè voluntatem: ex hoc læderetur libertas eius, quia tunc moueretur voluntas cum quadam determinatione ad vnum ex vi talis præmotionis, ſecundùm quam voluntas determinatur à Deo efficienter propriè. Et ex hoc inferunt quòd cùm Concilium Arauſicanum dicit, gratiam Dei facere nos inuocare hoc debere intelligi de facere moraliter, iuxta ea quæ dicunt huiuſmodi auctores de præmotione morali.

SED contra hoc eſt illud Ezechielis Prophetæ, cap. 36. *Ego faciam vt faciatis, & vt in præceptis meis ambuletis.* Quem locum explicat D. Auguſtinus lib. 1. de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 10. & 11. & ait. *Idcircò hæc nobis præcipiuntur & dona Dei eſſe monſtrantur, vt intelligatur quòd & nos ea facimus, & Deus facit vt illa faciamus*: ſed nos vtroque modo ea facimus, nõ ſolùm vt agentia moralia moraliter, ſed etiam efficienter propriè: ergo pari ratione Deus nõ ſolùm facit vt ea faciamus præmouendo moraliter, ſed præmouendo efficienter propriè voluntatem noſtram. Et hæc eſt cauſa cur D. Auguſtinus epiſtola. 106. ad Bonifacium appellat voluntatem noſtram pediſequam Dei, & ſuæ voluntatis atq; præmotionis gratiæ: Auctores verò oppoſitæ ſententiæ faciunt voluntatem Dei pediſequam noſtræ voluntatis, quia dicunt quòd Deus vult omnia ex præuiſione voluntatis noſtræ.

Explicatio aduerſariorum de præmotione morali tãtùm impugnatur teſtimonio Ezechielis Prophetæ cap. 3.

RVRSVS D. Auguſtinus ad Simplicianum. quæſt. 2. ait. *Quòd gratia Dei non tantùm dat poſſe benè velle, ſed etiam eſſe effectricem bonæ voluntatis*: Quia nimirum non tantùm dat actum primum ad poſſe, ſed dat efficaciam, ratione cuius influxus Dei & influxus gratiæ ſuæ vere habent efficientiam actualem bonæ voluntates: ergo no tantùm moraliter, ſed etiam

effi-

efficienter propriè Deus præmouet voluntates, & corda hominum sua gratia. Idem etiam docuit D. Augustinus lib. 1. Retracta. cap. 23. vbi ait: *Quòd cum post Dei vocationem voluerimus non sufficit voluntas nostra, aut cursus noster, nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat, quo vocat*: & per hoc non dicit Augustinus inferri præiudicium libero arbitrio, neque tolli libertatem, neq; rursus dicit Deum solum esse causam moralè præmotionis, imò verò dicit Deum post primam vocationem, sic tribuere vires gratiæ suæ, vt faciat eam gratiã esse effectricem bonæ volũtatis, & vt perducat quo vocat eam. Et hanc bonam voluntatem non dicit necessitari, aut nõ præmoueri propriè efficiẽter à Deo, & tamẽ loquitur D. Augustinus de operibus liberis ipsorũ hominũ. Sanè nihil potuit dici clarius à D. Augustino quàm quòd gratia Dei, quę nos mouet, sit effectrix bonæ voluntatis, & quòd non solùm dat vires, sed quòd perducit quo vocat voluntatem ipsam: nã perducere voluntatem est eam mouere quantum ad executionẽ & exercitium. Igitur duo dicit D. Augustinus, nimirum Deum tribuere vires & formam gratiæ actualis: & præterea mouere efficienter quantum ad executionem: & hoc expressit D. Augustinus dicens: *Et perducat quo vocat*. Rursus secundò non potest stare quod auctores oppositæ sententię dicunt, nimirũ Deum prædestinare & prædefinire pias actiones nostras ex præuisione operũ nostrorum, ac proinde non præmouere liberum arbitrium, sed tantum concomitanter concurrere ad ipsas actiones, influendo efficienter propriè, solum in eas, & quòd ob id stare potest libertas & dominium nostrarum actionum.

Testimonijs ex D. Augustino petitis vis probationis augetur.

Verum non est dicere Deum operari & prædefinire opera nostra ex præuisione determinationis voluntatis nostræ

Sed quamuis verum sit quòd Deus efficienter propriè seu physicè influat in pias actiones & ad eas concurrat: quia hoc est de fide, & id negare non potuerunt, tamen non satisfacit id quod negant de influxu efficacis gratiæ Dei in voluntatem, seu id quod negant de præmotione efficienti gratiæ Dei. Rursus etiam nõ est verum quòd Deus operetur aut prædefiniat ex præuisione operum nostrorum antecedenter ad suum decretũ, & ad suam voluntatẽ. Quia Deus operatur, vt Scriptura dicit, secundũ consilium voluntatis suæ: Si autem Deus operaretur & prædefiniret pia opera ex præuisione operum nostrorum, aut ex præuisione determinationis voluntatis nostræ & consilij nostri, antecedenter ad suã prædefinitionem, iam tunc non ageret primò Deus secundùm consilium voluntatis suæ, sed secundùm consilium voluntatis nostræ: Quia non prædefiniret nisi ex præuiso consilio nostro, & ex determinatione voluntatis & intellectus nostri, præuisis à Deo antecedenter ad suum decretũ, & ad suã prædefinitionem: siquidem censent aduersarij consilium voluntatis Dei, & prædefinitionis suæ, aut decreti, esse ex præuisione nostrorũ operũ futurorum & non aliter. Quod nos fusè reiecimus in disputatione de scientia media conditionata.

Sed audi contra hoc D. Paulum ad Ephes. 1. dicentem. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate: Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, in ipsum: secundùm propositum voluntatis suæ, in laudẽ gloriæ gratiæ suæ.* Et infra: *In quo etiam nos sorte vocati sumus, prædestinati secundùm eius propositũ qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Et inferius: *Ipsius enim factura sumus creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.* Profectò in his locis apertè satis sine vlla ambage, aut tergiuersatione ait Paulus, quòd elegit nos vt essemus sancti, & non dicit, quòd ex præuisione operationis, aut consensus nostri elegit nos. Rursus dicit Paulus: Quòd operatur Deus omnia secundùm consilium voluntatis suæ & secundùm propositum eiusdem voluntatis diuinæ, & hoc in laudem gloriæ & gratiæ suæ: & non dicit ex præuisione operum nostrorũ factum & prædefinitum hoc fuisse ab æterno à Deo. Imò verò Paulus dicit apertè oppositum: quoniam ait. *In quo nos sorte vocati sumus.* Dicit, sorte: Nã si ex præuisis operibus nostris, aut ex bono viu præuiso in tali rerum ordine prædefiniret Deus opera nostræ salutis, vocationem aut electionem nostram, tunc sanè non sorte id factum esset, sed ex præuisione operum nostrorum futurorum, ex scientia cõditionata, & habita ratione ad opera ipsa. Et consequenter non fieret hoc sorte, sicut Paulus dicit: ergo nostra sententia maximè conformis est Scripturæ diuinæ, & sententiæ D. Pauli, ac proinde modus respondẽdi istorũ, ex præfata præuisione operum nostrorum, mihi non satisfacit, neque potest satisfacere.

D. Paulus ad Ephes. 1

Quomodò sancti sorte vocati esse dicantur.

Præterea ait Paulus: *Ipsius factura sumus creati in operibus bonis vt quæ præparauit Deus in illis ambulemus.* Perpendenda sunt verba Pauli, Quòd sumus factura Dei creati in operibus bonis. Nam si sumus factura Dei & creamur in operibus bonis quæ præparauit Deus: sequitur, quòd non tantùm Deus concurrit sua actuali gratia ad effectus & opera, sed etiam facit nos, & voluntates nostras, per influxum propriè præmouentem eiusdem actualis gratiæ & efficacis consentire, & cooperari, agens in nos & in nostras voluntates. Et quòd hoc non sit ex præuisione operum aperte explicat Diuus Paulus cùm ait: Creati in operibus bonis: Quia sicut creatio nihil supponit, ita prædefinitio operum nostrorum, neque supponit præuisionem operum, neque fit ex præuisione operum: aliàs non diceremus creari in operibus bonis, neque sorte vocari, etiam vocatione efficaci, sed diceremur creari aut creati ex operibus præuisis.

Secundò principaliter arguitur contra auctores oppositæ sententiæ ex eodem Concilio Arausicano secundo capit. 4. dicente: *Si quis vt à peccato purgentur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem, vt etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem, &*

Ex eodem Cõci. Arausicano cap. 4. sit pro Cõclu. optimũ argumen.

ope-

operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino. & Apostolo salubriter prædicanti ad Philippenses. 2. Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Sed si Deus operaretur ex præuisione operum nostrę voluntatis in tali vel in tali ordine rerum, tunc expectaret Deus voluntates nostras, & ex illis operibus ita præuisis, decerneret, & prædefiniret, quæ facturus esset: ergò stare non potest istorum sententię cum veritate.

A D hoc respondent auctores oppositæ sentẽtiæ, quòd Deus non expectat voluntates nostras vt purgari velimus respectu gratiæ primò præuenientis & vocantis, bene tamẽ quodammodo expectat eas, & liberum consensum voluntatis humanæ, vt ipse concurrat, & influat post illam primam gratiam præuenientẽ.

Solutio auctorum oppositæ sententiæ ex diametro est opposita decreto Concilij Arausicani.

S E D contra hoc est, quòd quando Conciliũ Arausicanum affirmat Deum nõ expectare voluntates nostras vt à peccato purgemur, nõ solum dicit Deum non expectare peccatoris dispositionem, liberam operationem, & consensum, vt in ipso inchoet iustificationem per quã à peccato purgetur, sed etiam dicit & intendit Concilium, Deum non expectare voluntatem nostram, vt actu consentiat & pœniteat, & vt ita se disponat cum adiutorio diuino vt à peccato purgetur. Quod sanè est apertè cõtra auctores oppositæ sententiæ. Quòd verò hoc intendatur à Concilio, & non tantùm primum, quidquid aduersarij dicant, videtur certum ex verbis ipsius Concilij: Nam primò, à peccato purgari nulla ratione fit in adultis sine consensu nostro: Nos autem disponi per pœnitentiam & contritionem ad hanc purgationem peccati est verissimum, & definitur in Concilio Tridẽtino sessione. 6. cap. 5. & deinceps, & can. 3. Ergo Concilium Arausicanum etiam loquitur de expectatione huius consensus & huius dispositionis, quæ est contritio, quam Deus præuenit, & ad quam præmouet auxilio gratiæ suæ. Nam addit Concilium illa verba: Non autem vt etiam purgari velimus per Spiritus sancti infusionem & operationem, in nos fieri confitetur, resistit Spiritui sancto. Dicit ergo Concilium: Per Spiritus sancti infusionem & operationem in nos & in nostram voluntatem, fieri hunc voluntatis cõsensum vt purgari velimus: ergò non tãtùm loquitur Concilium in primo, sed in secundo sensu. Et præterea de omni modo præparationis, loquitur Sapiens per Spiritũ sanctum: Quia absolutè & vniuersaliter Sapiẽs dicit: Præparatur volũtas à Domino. Et ly, prę, dicit antecessionem: Et sanè nõ oportet minuere sensum & literam Spiritus sancti absolutè loquentis: ergò dici non potest Deum expectare voluntates nostras: ergo vbi Spiritus sanctus non limitat neque partitur suam sententiam circa suæ gratiæ auxilium & infusionem in nos, non oportet nos limitare Spiritus sancti sensum. Secundò quia idem Concilium non solùm affirmat eum qui dicit Deum expectare voluntates nostras contradicere Spiritui sancto per Salomonẽ dicenti: Præparatur voluntas à Domino, sed etiam dicit contradicere Apostolo Paulo dicenti & prædicãti: Deus est qui operatur in nobis velle & perficere. Quæ verba, cũ retulisset ea in argumento facto contra se Franciscus Suarez lib. 3. de auxilijs, cap. 15. in respõsione tamen ad argumentum Concilij pag. 231. silentio præteriuit responsionem huius, eamq; subticuit. Vnde prædictus auctor dicit, quòd solus ille negat præparari volũtatem à Domino, qui affirmat ante primam vocationem Deum expectare voluntatem hominis. Sed certè valdè decipitur, quia non solùm est, aut fit præparatio ad gratiam, ita vt voluntas præparetur à Domino, per primò primam gratiam præuenientem, aut per primam vocationem quancũque, sed etiam fit præparatio à Domino, & dispositio ad gratiam, per ipsam contritionem & pœnitentiam, & per ipsum consensum voluntatis: contritio enim & pœnitentia, sunt dispositiones & præparationes ad gratiam iustificantem: ergo etiam in his & per hæc præparatur voluntas à Domino ad ipsam iustificationem.

Concilium Trident.

E T hæc est doctrina Tridentini sess. 6. cap. 5. 6. & 7. vbi motus liber in Deum, detestatio peccati, & timor iustitiæ Dei, actus credẽdi, & sperandi, & ipse consensus dicuntur dispositiones & præparationes ad gratiam & iustificationẽ. Ergo cùm Deus dicat, quòd præparatur voluntas à Domino, & hoc verè & propriè intelligatur, etiam de præparatione per contritionem: & cùm rursus dicat Deum non expectare voluntatem nostram: sequitur de mente Concilij esse, quòd non solùm non expectat voluntatem nostram ante primam gratiam primò præuenientem, sed quòd etiam non expectat volũtatem, sed magis eam præmoueat & præueniat antecedenter ad ipsum liberum consensum, & ad ipsam liberam contritionem, quam Deus potius præuenit sua actuali gratia efficaci, quàm dicatur expectare eam: Quia aliàs se homo verè discerneret, si duo æqualiter primam gratiã præuenientem haberent, & vnus eorũ ita Deũ antecederet, vt ab ipso Deo expectaretur volũtas eius. Et ob id Cõcilium attulit testimonium Pauli ad Philippenses secũdo, Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate: cui testimonio nihil respondet Franciscus Suarez. Vnde sequitur illam fuisse mentem Concilij: quia ad probandum omnem præparationem ad gratiam primò esse à Deo, & inchoari à Deo, & quòd Deus non expectat volũtates nostras adduxit testimonium Pauli adiuncto priori testimonio, Præparatur voluntas à Domino.

Non est cõueniens sensum Spiritus sancti limitare absque fundamento, vbi talis limitatio non est ab Spiritu sancto intenta.

S I ergo creamur à Deo in operibus bonis, vt dicit D. Paulus, quomodo secundùm verum spiritum literæ Pauli stare potest, quòd Deus nõ absolutè, sed ex præuisione operum nostrorum, & ex præuisione determinationis nostræ, & consensus nostri quasi sub conditione vult, vt actus contritionis, conuersionis & pœniten-

tiæ fiant à voluntate creata si ipsa se ad eos eliciendos determinauerit expectando huiusmodi influxum voluntatis creatæ: ita sanè, vt sub cõditione velit Deus influere, & cõcurrere ad eũdem actum, expectando influxum volũtatis nostræ: Quia hoc nõ est creari in operibus bonis, in sensu in quo Paulus loquitur, sed est expectare nostra opera, & solùm concõmitanter adiuuare consensus nostros, eosq; prædefinire ex præuisione operum nostrorũ, & expræuisione determinationis nostrarum voluntatum. Si ergò Deus expectat voluntatem nostrã & influxum volũtatis nostræ, vt Deus adiuuet eam, & Deus quasi sub cõditione vult, verbi gratia, cõuersionem Pauli, quasi expectando ipsius influxum ad conuersionis cõsensum, non esset verũ quòd creamur in operibus bonis in sensu quem Paulus vult. Primò, quia Paulus dicit, quod ita sumus factura Dei, vt forte vocati simus, etiã illa vocatione efficaci quæ est secundũ propositũ, vt ait D. Augustinus; & quòd ita sumus factura, vt simul vocati, & prædefiniti, secũdùm propositum voluntatis suæ, vt essemus sancti, & vt creemur in operibus bonis, quæ præparauit Deus, ideſt, anteparauit in quibus ambulemus. Secundò, quia si Deus expectat vel quasi expectat prius influxũ voluntatis nostræ, iam præintelligitur aliquid præuium, cur non dicamur secundùm proprietatẽ Pauli creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus.

Si expectaret Deus voluntates nostras non diceremur cũ proprietate Sancti creati in operibus bonis.

Stapleton⁹.

De interpretatione huius testimonij legendus est Stapletonus lib. 4. de gratia, & libero arbitrio, cap. 8. vbi ait, quòd dicimur creati, quia totum principium huius creationis, seu nouę cõuersionis ad Deum, à solo Deo, & ab eius pręueniente misericordia, atque multiplici gratia est, non quia creatio illa præter hominis conditionem propriam in homine fit, aut præter cooperationem liberam hominis: & refert ille multa ex sententia D. Augustini. D. Athanasius ad Ephesi. 1. explicans illud Pauli, ipsius factura sum⁹, inquit: *Deus autem hæc præparauit, quæ differri non possunt, nec intermitti quin peragantur, tanquam diuinitus sint præfinita quousque sit procedendum.* Hunc eundem sensum habet D. Thom. ad Ephes. 1. eundem habent Sedulius, & Primasius: imò verò D. Anselmus ad Ephesi. 1. D Ambro. li. 1. de vocatione Gentiũ ca. 1. ait. *Est quorũdam nõ sana discretio existimantium q̃ prædicationem regula sibi posse obijci quòd gratiam negent, cùm eam humanæ voluntatis non ducem esse volunt sed comitem.* D. Prosper in Epistola ad Rufinum de gratia, & libero arbitrio affirmat, quòd Deus agit in liberum arbitrium semper inspirando, auxiliando, & præeundo à principio vsque ad finem per gratiam; semper igitur gratia est prętia præuenientis, & à primò conuersionis initio vsq; in finem semper Deus dicitur esse dux præeundo, licèt concomitetur nos in progressu eius. Quare Spenceus digressione 10. vocat gratiam actualem Dei ducem ac præducem.

D. Athanasius.

D. Thomas Sedulius & Primasius.

D. Anſel.

D. Ambrosius.

Præfatvm Concilij Arausicanũ loquens de actu Fidei dicit Deum dare nobis suauitatẽ in conuertendo, & cũ Concilium affirmet ipsam gratiã Dei facere vt inuocetur Deus, sequitur, quòd cũ gratia Dei sit influxus in liberum arbitriũ quòd hoc est facere efficienter propriè, & agere ad modũ causæ efficientis propriè, & capite. 11. inquit: *Nemo quidquam Domino rectè vouerit, nisi ab ipso acceperit, sicut legitur: Quæ de manu tua accepimus reddimus tibi:* ergò si nos accepimus de manu Dei auxiliũ sufficiens, & per determinationẽ nostræ volũtatis nos reddimus illud efficax, sequitur quòd nos reddimus Deo, efficax auxiliũ, quod ipse nobis nõ præstitit efficax. Quod sanè est cõtra Molinã, & alios. Vnde idẽ Concilium Arausicanum cap. 20. inquit: *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo, nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet vt faciat homo.* Ex quo sic argumentor. Nunquã de facto operatur homo bonũ cõuersionis, vel pœnitentiæ, actu & in exercitio, nisi quãdo re vera auxiliũ est efficax: sæd hæc efficacia, vt volunt auctores oppositæ sentẽtiæ, nõ est in ipso auxilio secundũ se, & vt à Deo procedit, sed fit hæc efficacia per determinationem & cooperationẽ nostrã, vt testatur Molina, quia à libero arbitrio pendet ipsius efficacia: ergò cùm Deus nõ præstet hanc efficaciã ipsi auxilio in se & secundũ se, sed potiùs eam habeat ex determinatione liberi arbitrij: sequitur non esse verã sententiam Concilij iuxta modũ dicendi Molinæ & suorum, quod non est ferendum.

Idẽ Arausic. cap. 11.

Facit etiã contra aduersarios decretũ eiusdẽ Cõcilij quod habetur cap. 23. vbi sic dicitur. *Suam voluntatẽ homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet: quando autẽ ita faciũt quod volunt, vt diuinæ seruiant voluntati: quamuis volentes agant quod agunt, illorũ tamẽ voluntas est à quo præparatur, & obitur quod volunt, id est, peragitur & exercetur.* Expendendũ est verbũ, obitur, quod importat efficientem executionem.

Tandem Concilio propè finẽ asserit. *Hoc etiã salubriter profitemur & credim⁹ q̃ in omni opere bono nos nõ incipimus, & postea per Dei misericordiã adiuuamur, &c.* Ecce vides quo pacto in his, & in antecedẽtibus doctrina Molinæ nõ est cõsona Arausicano Cõcilio. Vnde Paul⁹ sic loquitur, *Misericordiã cõsecutus sum, vt fidelis essem.* & ad Philip. 1. *Vobis datũ est pro Christo nõ solũ vt in eũ credatis, sed etiã vt pro illo patiamini.* quæ testimonia adducũtur ab eodẽ Concilio. Vnde cùm Cõciliũ dixit: *Multa in homine bona fiũt, quæ nõ facit homo; nulla verò facit homo bona, quæ nõ De⁹ præstet, vt faciat homo.* Sanè in prioribus verbis huius testimonij loquitur Cõciliũ de prioribus inspirationibus, & excitationibus, quæ pręuolare dicũtur repẽtè, & pręcedũt cõsiderationẽ nostrã. Cęterũ in secũda parte præfati testimonij ipsius Cõcilij Arausicani apertè satis insinuat Cõciliũ se loqui de cõsensu, & electione volũtatis nostrę, de quib⁹ affirmat, q̃ nulla bona facit homo quin Deus pręstet id quo illa faciat. Vnde noua gratia, nouumq̃ue beneficium gratuitum Dei

Ad Philippen. primo.

est facere nos velle illud ad quod suis inspirationibus inuitabat. Et ita alia gratia est illa quæ facit nos consentire, & eligere, & pœnitere, ab illa primò præueniente.

Conc. Trid. sess. 6. ca. 5.

TERTIÒ probatur assertio nostra ex Tridentino, Sessione. 6. cap. 5. vbi vtranque gratiam excitantem & adiuuantem dicit esse præuiam. Nam vtranque dicit nos disponere, & non loquitur Concilium solùm de prɇmotione morali, sed etiam loquitur de propriè & verè efficiẽti. Nam postquam dixerat exordium iustificationis sumendum esse ab eius vocatione prɇueniente & excitante, subiunxit postea: Vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitãtem atq; adiuuantem gratiã ad conuertendũ se ad suam ipsorũ iustificationẽ, eidẽ gratiæ liberè assentiẽdo, & cooperãdo disponantur, & quidẽ gratia disponens prɇuia est. Et Andreas à Vega lib. 6. in Trid. ca. 6. in fine, dicit gratiã prɇueni entem & adiuuantẽ duas esse gratias, & non vnam tantùm, idq; esse à Patribus Concilij Tridentini assertum. Rursus Patres Concilij Colonienſis in Enchir. titulo de Sacramento pœnitẽtiɇ fol. 91. pag. 2. duas gratias distinguunt etiã actuales præuias: vnam qua excitatur homo vt resurgat, alteram verò ad assensum & consensum, qua homo assentitur Deo præuenienti. Vnde hæc sunt verba quæ loco citato habentur in Enchir. *Duplex est gratia præuia, vna qua Deus præuenit peccatorem vt resurgat: altera, qua peccator præuenienti Deo assentiens iam resurgit, vtraque voluntatem nostrã præuenit Deus, sed priorem subministrando solus operatur, in altera voluntas nostra Deum præuenientẽ subsequens ei per velle seu assensum, remissionem peccatorum accipiendo, cooperatur.* Vbi perpendẽdum est valdè quòd non tantùm dicit esse præuiam, & præuenientem gratiam illam primam, sed etiam illam secũdam adiuuantẽ, similiter esse præuiam, & præcedere voluntatẽ, & consensum, & nõ tantũ se habere concomitanter ad consensum volũtatis.

Andreas à Vega.

Verba Concilij Coloniẽsis.

DIVVS Augustinus loquens de efficaci gratia Dei lib. de corr. & gratia ca. 14. & de infallibilitate gratiæ præuiæ efficacis, inquit: *Volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium: sic enim velle aut nolle in volentis aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat neque superet potestatem.* Quod testimonium non potest intelligi nisi etiam de gratia efficaci prɇmouente efficienter proprie, & non tantũ de gratia moraliter prɇmouente. Et hæc eadem est gratia efficax, de qua dixit D. Augustinus quòd à nullo duro corde respuitur. Et paulò inferius dicit Augustinus. *Non est dubitandũ voluntati Dei voluntates humanas resistere non posse, quominus faciat ipse quod vult: quia etiam de ipsis voluntatibus hominum quod vult cũ vult facit.* Et iterũ. *Habet sine dubio Deus humanorũ cordiũ quo placet inclinandorũ omnipotẽtissimã potestatẽ.* Deniq;, *Magis habet in sua potestate volũtates hominũ, quã ipsi suas:* ergò hoc esse nõ potest stãdo in sententia diui Augustini nisi Deus sua gratia prɇmoueat voluntates nostras, & moraliter & etiã efficienter propriè. Hoc enim satis expressit Augustinus, quia nõ solũ vtitur verbo, gratiæ, sed etiã verbo, potestatis: quẽ ex industria fecit Augustinus, vt nõ solũ explicaret efficaciã moralẽ gratiæ, sed etiã efficientiam verã & propriã ab ipso Deo, & gratia eius prouenientẽ, & nos prɇmouentẽ, aliàs quomodo dicitur Deus habere omnẽ modũ potestatis & omnipotentissimã potestatẽ circa liberũ arbitriũ creatum, cuius Deus verè est dominus, & verè habet dominiũ, nisi vtroq; modo prɇmoueret ipsum: aut quomodo esset verum quòd Deus magis habet in sua potestate volũtates hominum quàm ipsi suas, qui moraliter, & efficienter habent in potestate sua voluntates suas?

D. Augus.

SANCTVS Tho. 1. 2. q. 113. ar. 8. & q. 112. ar. 3. expressè docet in operibus iustificationis, & in detestatione peccatorũ per cõtritionẽ Deũ prius natura mouere voluntatẽ peccatoris per suã actualem gratiã, quod est prɇmouere nos: & loquitur de prɇmotione gratiæ propriè efficiẽti. Et Stapletonus explicans D. August. ait: *Non ergo D. Augustinus voluntatis libertatẽ in reluctãdo gratiæ excludit, sed infallibilitatẽ operationis eius docet. Rursus causam quidẽ cur alius velit, alius nõ velit, ponit gratiã, quia illa est potissima & efficacior causa: negat volũtatẽ esse causam discriminis, nõ quia nulla causa est, sed quia posterior, & inferior causa est, quã propterea aliquãdo agnouit, & docuit. Notãdũ est ergo* (inquit Stapleton[9]) *aliud esse quærere an volũtas adiuta à Deo gratiã de facto repudiet, aliud vero an repudiare: possit, ideoq;* (ait Stapletonus) *nõ diximus adiuuanti gratiæ à volũtate resisti, sed resisti posse si velit, sicuti etiã Concilium Tridentinũ solerter loquitur Sess. 6. can. 4. Quod verũ erit, quamuis nunquã propter gratiæ efficaciã resistat. Quẽadmodũ enim confirmati in gratia vt Beata Virgo, & Apostoli nõ peccauerunt, peccare tamẽ potuerunt absolutè loquendo, & idcircò peccatũ liberè vitabant: sic efficacia, certitudo vel infallibilitas alicuius efficacissimæ gratiæ nõ tollit libertatẽ suscipientis illã, neq; possibilitatem resistendi illi gratiæ.* Hæc Stapletonus. Quocirca D. Augustinus loquens de efficacia gratiæ & libertate nostra Epist. 89. ad Hilariũ ait. *Hæc volũtas libera tãto erit liberior, quãto sanior, tãto antè sanior, quanto diuinæ misericordiæ gratiæq; subiectior.* Quo fit vt gratia tam actualis quàm habitualis magis perficiat libertatem.

S. Thomas.

Stapleton[9]

SED cõtra hoc obijciunt auctores oppositæ sententiæ, quòd non liberè cooperemur gratiæ adiuuanti, prɇmouenti, ita vt ei possimus resistere. Nã nõ solũ gratia actualis adiuuans est efficax, & prɇmouens volũtatẽ hominis, sed neque potest à suo effectu separari, nimirũ à conuersione & à consensu hominis: sed hoc est cõtra Concilium Trident. sess. 6. cap. 5. & 6. & can. 4. *Siquis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motũ & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atq; vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiã se disponat, ac præparet, neq; posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereq; passiue se habere: anathema sit.*

Obiectio aduersariorũ ex Concilio Tridentino.

Dissoluitur.

Gratia adiuuans dupliciter considerari potest & in actu primo, & in actu secundo, primo modo à suo effectu separari potest, non secũdo.

HVIC obiectioni varias adhibent Theologi solutiones: & Stapletonus plures adducit cũ Thomistis, & Vega locis superius citatis. Sed nos respondemus, & satis aptè ad propositum: Quòd gratia adiuuans duobus modis potest cõsiderari, scilicèt in actu primo, & in actu secũdo. In actu quidẽ primo quatenus se habet per modũ principij, & constituit nostras potentias similiter in actu primo. Rursus potest considerari gratia actualis adiuuans, & efficax in actu secũdo quatenus actu concurrit cũ eisdẽ potẽtijs ad operationes ipsarũ. Vnde si cõsideretur primo modo gratia actualis adiuuans sentiẽdũ est, quòd potest separari à suo effectu, propter resistentiã nostram, & quia possumus obicem ponere ex nobis, aut propter defectũ nostræ cooperationis, nã gratia illa actualis adiuuãs in actu primo relinquit potentiã verè liberam, & ipsa est congrua libertati voluntatis: nã ab ipsa gratia perficitur libertas ipsa, & non necessitatur, quamuis talis actualis gratia constituat volũtatem in esse principij supernaturalis, & sit potẽtia expedita ad agendũ. Si autem consideretur secũdo modo quatenus actu mouet efficaciter voluntatẽ, & actu copulatur cum actu secundo, vt est à Deo, actu mouente per illã arbitrium nostrum: dicendum quidem est, quòd in nobis est potentia, vt separetur à suo effectu, quia eius effectus est nostra cooperatio libera, ad quam nos liberè concurrimus, & cum potẽtia ad oppositum. Cæterum re ipsa nunquam separatur, quia hæc gratia sustinet vt actu adiuuans in actu secundo, & actu præmouens, & quatenus actu, & in exercitio primus actus influit in secundum, & actu adiuuat ad operandum, & consequenter nunquam est sine suo effectu præsenti. Neq; læditur libertatem quòd hæc gratia sic cõsiderata nõ separetur à suo effectu: quia hoc non prouenit ex eo quòd à nobis auferatur potentia ad non consentiendũ ipsi, sed ex efficacia ipsius gratiæ actualis, tanquam ex ratione per se, & ex vnione, & præsentia sui effectus, qui est noster consensus, tanquam ex conditione sine qua non esset adiuuans, & præmouens in actu secundo. Atque ita non sequitur ex hoc maior necessitas in nostro consensu, quàm sit illa quæ consistit in efficacitate ipsius gratię perficientis libertatem nostrã, & actualiter mouentis suauiter efficaciter voluntatẽ: quàm sit illa quæ consistit in hoc quòd est esse in actu secundo, & ipsum consensum esse præsentem & infallibiliter vnitum illi gratiæ, de qua necessitate etiã dici potest quòd Aristotel. dixit. *Omne quòd est quãdo est necesse est esse.* Et huiusmodi necessitas est solùm necessitas secundùm quid, seu ex quadam suppositione respectu cuius est in nobis potẽtia ad oppositũ, & idcicò nõ repugnat libertati. Quæ sane solutio, & responsio deseruire potest, non solũ pro gratia concõmitante, sed etiam pro præmouente: & eandem difficultatẽ habent argumẽta pro vtraq; parte, & hac eadem solutione dissolui possunt, nimirum illa quæ ab auctoribus oppositæ sententiæ fiunt contra nos. Quia Deus semper præmouet nos, & voluntatem nostram præmotione libera cũ quadam suauitate iuxta cõditionẽ voluntatis, & cũ quadam inseparabili vnione, & quasi dependentia à præmotione morali, & è cõuerso; quia Deus nunquã mouet voluntatẽ efficienter propriè, seu physicè, vt alij dicunt, *in* conuersione aut dispositione actuali ad gratiam, & in consensu ad ipsam, nisi simul præmouendo moraliter: non tamẽ præmouet nos præmotione necessaria more pecudum, sicut mouet æstimatiuam bruti operantis ex iudicio à natura infixo sine vlla cõferentia, & collatione, sed motione libera cum collatione, & conferentia intellectus, & cum indifferentia. Stapletonus lib. 4. de gratia, & libero arbitrio cap. 12. contra Chemnitium hæreticum ait, quòd liberi arbitrij concursus, consensus, ac cooperatio statuitur quidem causa efficiens, sed minus principalis vt cęteræ omnes causæ secundariæ: ipsa autẽ gratia principalissima causa efficiens, est ad conuersionem efficiendam. Rursus concursus liberi arbitrij non ponitur efficiens causa per se, & solitariè sumptus, vt solas vires innatas seu naturales significet, sicut vult aduersarius, sed vt est à gratia motus & adiutus concursus. Ex qua doctrina satis apertè cõstat liberum arbitrium non solùm esse causam moralem cõuersionis suæ, & consensus, sed etiam propriè efficientem ad modum causæ physicæ: ergò Deus non tantùm sua gratia prœmouet moraliter, sed etiam efficienter propriè, seu physicè. Ergò cùm voluntas operatur, & consentit dependenter à Deo agit vt à causa propriè efficiente, & causante. Igitur Deus non tantùm sua gratia moraliter causat, adiuuat & præmouet voluntatẽ, sed etiam efficienter propriè. Nã sicut volũtas est non tantùm causa moralis, sed etiam est causa propriè efficiens suæ conuersionis & piæ operationis ex ipso auxilio Dei, ita etiã Deus vtroque modo est causa, & ab eo in vtroq; genere pendet voluntas, cui subordinatur liberum arbitrium creatum tanquam primæ causæ incipiẽti & primo deliberanti.

Hæc doctrina non solũ pro gratia concõmitãte. sed etiã pro præueniente conducere potest.

Stapleton.

Concilium Moguntinum.

CONCILIVM Prouinciale Moguntinum, vt habetur volumine quinto Conciliorum, & fuit celebratum anno Domini 1549. proximè, & immediatè coactum post sextam & septimã sessionem Tridentini Concilij sub Paulo. III. vbi Patres illi huius Concilij Mogunt. qui adfuerunt in Tridẽ. & ca. 7. & 8. de iustificatione, charitate, & bonis operibus, postquã decreuerunt iustificationis exordium prouenire ex gratia Dei ante omne meritum, siuè de congruo, siuè de condigno (hoc enim Patres Concilij Tridentini repellere conati sunt) apertè tenet nostrã sententiã, & continet eadem verba quæ habentur in Tridentino session. 6. capi. 5. & affirmat cooperationẽ & consensum quibus gratiæ excitanti, & adiuuanti liberum arbitrium dispo nitur ad iustificationem esse effectus gratię Dei fieriq; ab Spiritu sancto mouente, & adiuuante. Et in fine capitis octaui subiunxit Concilium hæc quæ sequuntur. *Non enim secundùm hu-*

manas vires, æstimanda sunt iustificatorum opera, sed secundùm eam gratiam, quam in ipsos influit Christus, ex qua deinde bona ipsorum opera promanant. Et secundùm eam dignitatem, quam de Spiritu Sancto, velut omnis boni operis motore, & operatore sumunt. Sic enim extenuandæ sunt vires humanæ, vt non simul & gratia Dei vilis reputetur. Sic in bono opere faciendo deprimenda est facultas hominis, vt interim cogitemus, Spiritus sancti motum, & in nobis efficacem, & apud Deũ acceptum ac pretiosum esse. Vides quo pacto Patres in Concilio Mogunt. qui adfuerunt in Tridentino decreuerunt sic deprimendam esse hominis facultatẽ vt circa supernaturalia opera Deus ita influat in nos, vt sentiamus motionem, seu motum Spiritus Sancti, in nobis esse efficacem. Enutitur Concilium verbo & nomine efficacitatis, & ponit motum seu motionem Spiritus Sancti de se efficacitatem trahere, eamque ab Spiritu Sancto veluti omnis boni operis motore, & operatore sumere, vt sic vires humanæ non superbiant sed extenuentur, ne vilis reputetur gratia Dei.

D. Burchardus in Concilio Saleguſtadienſi.

ADFVIT ante sexcentos annos Diuus Burchardus in concilio Saleguſtadiẽsi, & in oratione de initianda Synodo habẽtur hæc quæ sequũtur. *Adesto nobis quæsumus Domine Sancte Spiritus, peccati quidem immanitate detentis, sed in nomine tuo specialiter aggregatis; veni ad nos, & dignare illabi cordibus nostris; doce nos quid agamus; quo gradiamur ostende; quid efficiamus operare; esto salus, & suggestor, & effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, & eius Filio nomen possides glorioſum: non nos patiaris perturbatores iustitiæ esse, qui summæ veritatis diligis æquitatem, vt in sinistrum nos non ignorantia trahat, non fauor inflectat, non acceptio muneris vel personæ corrumpat, sed iunge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, vt simus in te vnum, & in nullo deuiemus à vero: quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cùm moderamine pietatis iustitiam, vt & hic à te in nullo dißentiat sententia nostra, & in futuro pro benè gestis consequamur præmia sempiterna.* Vides quo pacto non solùm Deus dicitur suggestor piorum operum, sed effector, illabique cordibus nostris, iungereque nos sibi efficaciter solius gratiæ suæ dono &c. Rursus etiam D. Burchardus lib. 20. suorum decretorum capit. 21. de præuidentia Dei simul & prouidentia. & capi. 27. vsque ad 31. nostram sententiam apertè tenet circa rerum prædiffinitiones, & vtitur distinctione de necessitate simplici, vel de necessitate conditionata. Et rursus vtitur distinctione de sensu compoſito, & diuiso vt saluet libertatem operum in actionibus liberi arbitrij, & bonis operibus à gratia Dei progredientibus. Hoc idem fecit Magister Sententiarum in primo, distinct. 38. §. ad hoc autem: & deinceps distinc. 46. vbi adducit testimonium D. Augustin. in Enchiridi. capit. 68. & distinction. 47. vbi loquitur de voluntate efficaci Dei.

Alijs argumẽtis, & scholasticis fundamẽtis: & rationibus stabilitur nostra sententia, præter ea quæ diximus.

NON solùm testimonijs conciliorum, D. etiã Augustini, & Sanctorũ Patrum, grauissimis consequentijs supra adductis, & testimonijs sacrarum Literarũ, & ex plerisq; alijs cõstat Deũ præmouere voluntates, & corda peccatorũ ad conuersionem & cõsensum, per efficacem gratiam actualem, quatenus à Deo talis est, sed etiã hoc constat, vt dicemus, argumentis Theologicis, & Scholasticis; Quòd nõ tantùm Deus, quãdo conuertimur & præstamus consensum, nos præmouet præmotione morali, sed simul etiam præmotione propriè efficiente.

Nõ sic Deꝰ volũtatem hominis determinat, vt in aliquo instanti sit prius determinata à Deo quàm à se.

SED vt rẽ hanc scholasticis argumentis ostẽdamus perpendendum est id quod superius diximus, quòd cùm Deus præmouet sua gratia voluntatem nostram ad consensum, & cõuersionem, non dicitur sic eam præmouere, quasi in aliquo instanti prius eam determinet, & potenter vi sua rapiat, aut implanet eam ad consensum, & conuersionem, & quòd postea præcedẽte priori determinatione, ipsa quasi in alio instanti efficienter physicè se determinet, & sic determinata operetur. Neque rursus dicimus, Deũ influere, & producere in voluntatem efficienter propriè seu physicè, (vt aduersarij dicũt) aliquam actionem formaliter determinantem ipsam voluntatem: quæ à solo Deo sit producta, & quòd deinde ea suppoſita voluntas se determinet, quia sic læderetur voluntas in sua determinatione libera: Sed solùm affirmamus omnem gratiam actualem, & omne auxilium gratiæ Dei, siuè paruum, siuè magnum, siuè sufficiens, siuè efficax, siuè vehemens & intensum, siuè minus vehemens, & minus intensum, semper esse à Deo, descendereque à Patre luminum, à quo secum trahit suam perfectionem: & efficax suam efficaciam ex parte principij influentis in voluntatem, & in arbitrium creatũ hominis. Rursus asseueramus, quòd eadem actione qua voluntas ipsa se liberè determinat, determinatur etiam à Deo per modum actus secundi, ita vt illa actio voluntatis determinatiua sit vna tantùm à Deo, & à voluntate, & arbitrio nostro: à Deo tamen prius natura, seu sola prioritate naturæ, propter influxum, & auxilium efficacis gratiæ suæ actualis in eandem voluntatem, à quo auxilio per modum actus primi suauiter cũ infallibili vnione cõuersionis, & consensus eiusdem voluntatis determinatur volũtas à Deo determinatione libera. Vnde sicut volũtas prius natura est in se, & habet formã & principiũ quibus operetur, & ex cõsequenti prius natura antecedit suã operationẽ, ita quidẽ Deus influens in volũtatẽ auxiliũ gratiæ efficacis ad cõuersionẽ, & cõsensum pœnitẽtiæ, dicitur causa priꝰ natura influens actualiter suaque gratia efficaci auxilians, & determinans

Omne auxilium qualecunq; illud sit, omnem efficacitatẽ, quã habet, trahit à Deo.

Eadem determinatio-

deter-

ne determinatur volũtas à se & Deo.

determinatione suaui, forti, & liberâ voluntate, tam moraliter quàm propriè efficienter. Et hãc dicimus præmotionem: nam cùm Deus eam efficiat & causet, & prioritas causalitatis sit naturæ prioritas, sequitur quòd cùm Deus causet & influat in ipsum arbitrium, quòd prius natura causat & mouet.

ADDE etiam quòd determinatio voluntatis quæ fit per diuinum auxilium gratiæ Dei per modum actus primi, & quæ fit per consensum, & actualem cõuersionem per modum actus secundi inseparabiliter vniti cũ illo actu primo, cernitur in exitu illo quo voluntas exit de actu primo ad secundum, & de potentia ad actum: quod sanè non aliter fit, quàm per actionẽ primò procedentem ab ipsa voluntate constituta in actu primo per gratiam Dei, cùm iam incipit agere & operari: in quo exitu cernitur Dei influxus actualis, prius natura incipiens suo auxilio, quod est aliquid receptum & productum à Deo, circa voluntatẽ, & arbitrium nostrũ: vt ipsum sit principũ effectiuum operis & cõsensus. Hac igitur ratione Deus iofluendo in ipsam voluntatẽ hanc gratiã suam efficacem, dicitur efficienter propriè præmouere arbitriũ nostrum: & ipsum educere de actu primo ad secundum.

Educitur auxiliũ de potẽtia obedientiali voluntatis.

ADVERTE tamen & obserua, quòd cum auxilium hoc efficacis gratiæ Dei per modũ principij sit in voluntate, & à Deo fiat efficienter: quòd cùm nõ creetur neq; producatur ex nihilo, necessariò oportet dicere educi à Deo, de potentia obedientiali voluntatis & liberi arbitrij creati, ac proinde Deum sic influere in voluntatem nostram. Implicat enim auxiliũ hoc educi à Deo efficienter ex voluntate, & quòd Deus non influat in eam: ac proinde implicat quòd non influat Deus prius natura in consensum voluntatis, quem pariter ipsa voluntas efficit & producit. Vnde in eodẽ puncto & momẽto quo Deus mouet per illud auxiliũ, in ipsam voluntatem influens, ipsa consentit & liberè cõsentit: & nihilominus quantũ est de se cum liberè consentiat, vim habet vt possit ex suis innatis viribus præstare obicem, & resistere: Nam quod possit consentire non ex innatis suis viribus habet, sed ex illa gratia Dei.

Vtraq; præmotio moralis scilicet, & propriè efficiens inseparabiliter coniunguntur in conuersione peccatoris.

ADVERTE secũdò, quòd cùm Deus præmouet moraliter voluntatem, tã exparte obiecti quã rationum, quibus ad agendum, & consentiẽdũ induci potest homo, vocando ipsum, aut remouendo impedimẽta, aut quærẽdo occasiones, & locũ & tẽpus, & alia multa, & illum, inãdo libertionem, & conferentiã, & ad iudicandum rectè de eo quod agendũ est in ipsa cõuersione volũtatis, hæc omnia facit Deus, per suam gratiã efficacẽ actualem, dũ eam mouet ad cõsensum, nõ tantũ moraliter, sed efficienter propriè. Ita q; in cõuersione peccatoris sunt inseparabiliter coniuncta præmotio moralis, & præmotio propriè efficiens, & Deus quasi efficiẽter physicè præmouet efficiẽter propriè volũtatẽ, sub illa etiã præmotione morali, & depẽdenter à præmotione morali suauiter & fortiter agendo in voluntatẽ, & iuxta eius cõditionem: pariterq; illuminãdo intellectũ, & indifferentiã mediorũ: & efficienter propriè iuuando ad illã cõferentiã & collationẽ, quæ necessaria est in homine, ne operetur ex iudicio à natura infixo more pecudũ, & idcircò dicitur, quòd Deus attingit à fine vsq; ad finẽ fortiter, & disponit omnia suauiter. Auxiliũ verò à Deo solo efficienter producitur & ad id fit vt sit forma & principiũ agendi supernaturaliter, & ita infunditur volũtati, vt ipsa possit nõ agere, & non cõsentire: quãuis nunquã stet, quòd à Deo infundatur hoc auxilium, & quòd ipsa non agat, neque consentiat, sed verè agit, & verè præstat liberum consensum.

Non solum Deus est primum omnium causa, sed primũ etiã omnium deliberans.

TANDEM perpende quod non tantũ Deus est prima causa primò agens tam in naturalibus quã in supernaturalibus: quia omnes secũdæ causæ in agendo & causando pendent ab ipso depẽdẽtia essentiali causalitatis & agendi: sed etiã simul est primum deliberans de omnibus quæ ad extra fiunt, ita vt ante præuisionem omniũ operum futurorũ dicatur Deus statuere & deliberare de futuritione omniũ, & non ex præuisione operũ volũtatis creatæ antecedenter ad prædeliberationem & decreta Dei: aliàs præintelligeretur volũtas creata vt primũ deliberans antecedenter ad Deũ: nimirum si ex præuisione deliberationis suæ Deus procederet ad deliberandũ. Quam rem nos fusè prosequuti sumus in disputatione de scientia media, & eò remitto Lectorem, nam eo loci inueniet huius doctrinæ plenariam cognitionem.

Probatur primo assertio ex infallibilitate prædestinationis.

HIS ita prælibatis probatur assertio nostra. Primò: Quia per solã moralitatem quã ponunt aduersarij ad declarandã efficacem gratiam, non stabilitur firmissimum fundamentũ diuinæ prædestinationis, sed destruitur infallibilitas eius. Quod D. Augustinus lib. 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 10. sensit, vbi contendit explicare firmam debere esse Dei promissionem secundũ gratiam: quia Deus non promisit, quod homines erant facturi, sed quod ipse facturus erat, quoniã licèt homines faciãt & agant, tamẽ nõ illi faciunt, vt ipse faciat quod promisit, sed è conuersio: aliàs vt Dei promissiones impleãtur, nõ in Dei, sed in hominum esset potestate, & consequenter non constitueretur firmissimũ fundamentũ, sed potiùs destrueretur infallibilitas diuinæ prædefinitionis, & prædestinationis. Cũ enim prædestinatio diuina sit ex volũtate absoluta & beneplaciti Dei ante præuisionẽ omnium operum, sequitur quòd prædestinatio Dei est efficax: eiusq; effectus qui ex eadem volũtate procedũt sunt infallibiles, sed hæc infallibilitas per solã moralitatẽ, aut per illa moralia motiua & per tempus & locũ nõ rectè firmatur aut stabilitur. Præsertim cũ stet benè apud auctores oppositæ sententiæ dari congruentiã in modo & tempore vocandi: & efficaciam illã moralẽ præcisè quã ponunt, & tamẽ interdum euenire peccatorem non conuerti. Quare expresè D. Augusti. lib. 2. de bono perseueran-

tiæ capit. 14. postquam dixit quòd prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorũ Dei: statim adiunxit: *Beneficiorum Dei quibus certissimè liberantur quicunq; liberantur.* Si verò tota efficacia gratiæ reduceretur ad moralitatem supradictã ad tempus, & ad locum, & ad complexionem hominis, vt aduersarij dicunt, sine dubio tolleretur infallibilis certitudo fundamẽti huius diuinæ prædestinationis: neq; esset cur diceret Augustinus, quibus certissimè liberãtur quicunq; liberantur, sed potiùs quibus incertò, dubiè, aut non certissimè liberãtur si qui liberãtur: ergò non tantũ debet constitui moralis motio, & præmotio, sed etiam propriè & verè efficiens, quę vt à Deo est, rẽ faciãt verè infallibilẽ. Driedo lib. de cõcordia liberi arbitrij, & prędestinationis cap. 3. fol. 47. dicit esse efficacẽ prædestinationẽ Dei, & nõ auferre libertatẽ, & fol. 57. propositio. 3. prope principiũ ait: Subuentũ esse per prædestinationẽ infirmitati humanę voluntatis ipsius prædestinati, vt indeclinabiliter agatur à diuina gratia intus id faciẽte Deo: cuius verba attulimus, 1. 2. q. 111. art. 3. Quæ sentẽtia est D. Augustini loco citato paulò antea, & lib. 1 de prædestinatione Sanctorum cap. 17. vbi ait. *Hæc est immobilis veritas prædestinationis, & gratiæ.* quo in loco vocat immobilem gratiã. Lege etiam caput. 16. præcedens.

D. Augus.

Driedo.

Secũda probatio desumitur ex eo quòd plurimi factis eis dẽ miraculis non crediderũt, alij verò etiam minoribus fidem adhibuerunt.

Secvndò probatur, ex discursu quodã desumpto ex D. Augustin. lib. 1. ad Simplicianũ. q. 2. vbi perpendit; quòd plurimi ex Iudęis neque mortuis suscitatis crediderunt, cõterriti de morte, & Cruce Christi: nam etiã discipuli titubarũt: & nihilominus hoc eodem tempore (quod est valdè mirabile) Latro credidit & conuersus est, nẽpe cum Chrstũ non præstantiorẽ (vt ait Augustinus) cerneret in operibus: sed cõsortio crucis æqualẽ: ergò Latronis cõuersio, & illa efficacia gratię Dei, non in illa sola moralitate cõsistebat per cõgruentiã ad complexionẽ naturalẽ Latronis & ingenium eius, quia sic reduceretur ad ipsam naturã vltimatè, sed reduci debet ad gratiã præmouentem efficaciter, non solùm moraliter, sed etiã propriè efficiẽter. Addit rursus D. Augustinus rem admiratione dignam, & valdè perpendendã: Quòd multi ex numero illorũ à quibus Christus crucifixus est, qui videntes Christũ miracula facientem illum contempserunt, postea tamẽ discipulis eum prædicãtibus, & in nomine ipsius talia facientibus crediderunt. Hoc autẽ non satis benè percipitur quo pacto solis suasionibus moralibus, & per congruam vocationẽ præcisè habentem congruitatẽ illam ad naturalẽ complexionẽ, ad ingeniũ & illorũ naturalẽ conditionem præcisè, factũ sit, nisi ope vberrima & efficaci stabilirẽtur: hoc est Deo per auxiliũ suæ gratiæ efficacis præmouente illorũ corda & voluntates, nõ solùm per moralitatem illã, & congruentiã ad naturalem cõplexionem, quã aduersarij volunt, sed etiam Deo præmouente in genere causæ gratuitę propriè efficientis. Nã cum latro pendens in cruce cerneret Christum patibulo affici, & mori ac si purus esset homo, & simul videret Christi amicos, & discipulos, qui magis eũ nouerant fugisse & reliquisse illũ, non apparet quomodo sola illa moralitas congrua suę cõplexioni naturali, & ingenio, aut congruitas tẽporis & loci, cõuerterent infallibiliter Latronẽ ad Christũ, cũ quadã maxima recognitione erga ipsum, nimirum recognoscendo illũ esse Deũ, & auctorem vitę, & omnem spẽ atq; fiduciã in eundem Christũ referendo, nisi ope vberrima gratiæ diuinæ efficacis à Deo procedentis Latro ille stabiliretur: Nam cũ cerneret Christũ morientem, hæc moralitas non poterat esse ratio efficax cur latro crederet eum esse Deum, & auctorem vitæ, nisi ope vberrima gratiæ etiam efficienti propriè stabiliretur à Deo. Non igitur apparet quo pacto hoc non fuerit factũ à Deo præmouente cor latronis verè & propriè efficiẽter: est enim hoc plus quã morale. Nã quo tẽpore Christus iudicabatur peccator à populo, & ab hominibus, & ab illa Iudęorũ Republica, & ab Scribis & Doctoribus, & cũ æquali patibulo afficiebatur vt reus cũ latronibus, quòd eo tẽpore latro cum recognosceret, & in eũ tanquã in auctorẽ vitæ conuerteretur: hoc sanè non est intelligibile quo pacto ex sola illa ratione morali per congruam conformitatẽ ad complexionẽ naturalẽ, & cõditionem infallibiliter, & certò indeclinabiliter fieret: sed etiã intercessisse efficacẽ & propriè efficientẽ Dei gratiã actũ pręmouentem cor latronis: Quia pleraque motiua moralia, quæ latro cernebat, nimirũ discipulos Christi fugere, & ab illa republica magnis acclamationibus damnari Christũ: ipsumque vt reum affici patibulo, potiùs erant oppositа moraliter, & potiùs deterrebant, & auertebant à cõsensu, & conuersione: ergò talis cõuersio facta est fortiter & suauiter à Deo prædmouente moraliter, & efficienter agente interius per efficacem gratiam, quæ à nullo duro corde respuitur, vt inquit D. Augustinus.

Quotempore Christus à quibusdã iudicabatur peccator latro eũ recognoscens efficaciter cõuersus est.

Haec videtur mihi causa cur egregiè D. Augustinus dixit per quandã excellentiã Deũ per efficaciã suæ gratię facere volẽtes ex nolẽtibus, & eandem gratiã esse effectricem bonæ voluntatis, & quòd per hanc tractus est latro ad Christũ à Patre, iuxta testimoniũ Saluatoris Ioã. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum.* Perpendendum est verbum, traxerit, quia non solùm significat tractionem moralem, sed propriè efficiẽtem etiam vt distinctam à morali: & hoc etiam voluisse Spiritum sanctum Prouerbior. 21. *Cor Regis in manu Domini quocunq; voluerit vertet illud:* Nam certè non attribueretur Deo per eximiã, & singularem excellentiã quòd facit homines volentes ex nolentibus: quia hoc etiam homines moraliter faciunt suadendo, & expectando tẽpus, & locũ, & occasionem, iuxta ingenium, conditionem, & cõplexionẽ eorũ: nisi Deus hoc ex gratia actuali mirabiliter pręmouente & adiuuãte efficiẽter propriè operaretur & faceret. Dicãt nũc aduersarij quo modo cohereãt cũ his quæ diximus illæ mora-

Ioannis. 6.

Prouer. 21. Nõ esset res eximia, & singularis quòd homines fierentà Deo volentes ex nolentibus moraliter solũ, id enim fit ab vno homine respectu alterius.

lita

litates solùm: hoc est illa sola congruitas loci, & temporis conformis cõplexioni naturali, & naturali ingenio hominis, in vocatione illa latronis, & in conuersione eius, atq; pœnitẽtia, & fide. Rursus etiã in conuersione D. Pauli, qui cũ persequebatur Ecclesiam spirans minarũ & cædis, litteris acceptis à Principibus Hierusalẽ aduersus Christi discipulos, amatores, & amicos: tunc repentè mutatus est in virũ alterum, & cõuersus ad Deum & Christum, quem odio habebat, & persequebatur. Quomodo inquã hoc factum est, nisi hoc fuisset brachium Domini, & dextera Excelsi, & efficacitas gratiæ Dei præmouentis Paulũ verè efficienter, simul & moraliter? Quare D. Augustinus ait, quòd ista diuina gratia nimiũ secreta est, quoniam à nullo duro corde respuitur: imò dicit, quòd est valde remota à sensibus carnis: ergò non fit per cõgruitatem solã conformem complexioni carnis, & sanguinis. Et lib. 1. de prædestinatione Sanctorũ cap. 2. loquens de conuersione Diui Pauli dicit, quòd gratia potentiore conuersus est ad Christum, Deo ipsum conuertente, cui hoc ipsum facturo per Prophetam dictum est: *Tu conuertens viuificabis nos*, vt non solùm ex nolente fieret volens credere, verũ etiam ex persecutore, persecutionem, in eius Fidei, quam persequebatur, defensione, pateretur: quod sanè non ex operum præuisione donatum est illi. Si ergò potentiore gratia: ergò non sola moralitate apta complexioni naturali seu ipsi naturæ, sed potẽtiore gratia efficaci Dei, vt ait Augustinus, in genere causæ efficientis propriè: & non ait Augustin⁹ quòd per hoc tollitur aut læditur libertas.

Explicare contendunt aduersarij præfata testimonia de moralideterminatione, & motione voluntatis.

AVCTORES oppositæ sententiæ contendunt testimonia citata Scripturæ. Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit vertet illud.* Et Iob. 12. *Qui immutat cor Principum, &c.* aliter explicare quàm par est, existimantes se posse dissoluere obiectionẽ quę contra eos militat. Respondent enim, illa, & similia testimonia non probare nostram sententiam, quia in eis non est sermo de generali motione seu concursu causæ primæ, neq; de physico eius influxu, aliàs oporteret dicere Deũ immutare corda Principum, & dirigere gressus eorum, etiam quãdo praui sunt. Neq; in eis est sermo aut verbũ vllũ de physica prędeterminatione volũtatis sed solũ de inclinatione & immutatione cordis, quæ fieri potest morali modo, cõsilijs, inspirationibus, alijsque cogitationibus.

Impugnatio.

SED profectò huiusmodi responsiones nihil valent, neq; sunt ad propositum. Primò, quia cũ Spiritus sanctus dicat per excellentiã quandam quòd Deus immutat corda Principũ, & quòd Regis cor ita est in manu Domini vt vertat, & inclinet illud quo voluerit; & loquatur de corde liberrimo Regis, & Principum, non ob aliã causam dixit, nisi quia cùm Rex non habeat superiorẽ & sit liberrimus, ipse est qui facilè contradicit, & facilè resistit, cui subditi illius parẽt. De hoc igitur corde valdè libero, & quod facilè resistit, cui parata est obedientia facilis subditorũ Scriptura vt cõmendaret potentiorem virtutẽ Dei dixit quòd in manu Dei est, & statim subiunxit, cur sit in manu Dei: nimirũ quia quocũque voluerit vertet illud. Rursus etiã prauũ cor Regis immutare solet, & vt ostẽderetur cõcordia libertatis cũ immutatione cordis Principũ, & Regum quantũcũq; sit liberrimũ prędicta testimonia de cordibus Regũ & Principũ loquũtur, & de influxu potestatis Dei propriè efficiẽte seu physico vt illi loquuntur. Neq; requiritur quòd per eadẽ verba scholastica quæ modò inuenta sunt ad concertationes scholasticas Theologorũ loquatur Scriptura, sed sufficit ꝙ æquiualẽtibus verbis, & sentẽtijs idipsum explicent in re, quod Scolastici suis terminis declarãt. Quare ridiculũ est respõdere ad argumentũ dicẽdo, quòd in his testimonijs nullũ est verbum de physica prædeterminatione: hoc enim qua ratione negatur, eadẽ facilitate reijcitur. Nã quãuis hęc verba: physicę prędeterminationes: secundũ literã grammaticalẽ, seu corticẽ literę nõ exprimantur, tamẽ in re, & in substãtia sermonis verè loquũtur nõ solũ de directione morali, de inspirationibus & cõsilijs, sed etiã de immutatione prorsus efficaci, & infallibili, & ob id adducitur exẽplũ de immutatione cordis Regũ, & Principũ: vnde euanescũt solutiones istorũ.

Æquiualentibus verbis physica, & propriè efficiens determinatio in testimonijs adductis ex sacra Scriptura stabilitur, & explicatur.

TERTIÒ probatur iã assertio & sentẽtia nostra. Gratia præuia & præueniens est forma supernaturalis, & non solũ est forma moralis, sed etiã physica, id est, habens verã entitatẽ realem præter suã moralitatẽ, quæ gratia actualis præueniens si sub eodẽ gradu continuetur est sufficiens gratia ad conuersionẽ: imò verò cùm qua, in sentẽtia aduersariorũ, homo defacto cõuertitur sine vlla alia, sed per influxũ eius qui est moralis & physicus: & tamẽ iste influxus causæ, & gratiæ vocãtis, etiã si sit physic⁹, & præuius nõ aufert libertatẽ in cõsensu & cõuersione hominis neq; lędit libertatẽ in pijs operationibus: ergò pari ratione per gratiam actualem seu motionem efficacem auxilij diuini non aufertur libertas, sed potius perficitur & iuuatur: quando homo præmouetur efficienter à Deo.

Probatio tertia.

DICES quòd gratia efficax trahit illã efficaciã à Deo inseparabiliter coniunctã cũ opere, nõ tamẽ sufficiens ne impediatur libertas: & cõsequẽter ꝙ licèt illa gratia actualis sufficiens sit forma physica nõ impedit libertatẽ, sicut gratia efficax, quæ efficienter propriè, & per modum principij efficacis trahit & potẽter mouet liberum peccatoris arbitrium ad pœnitentiam.

Si physicus & præuius influx⁹ gratiæ vocãtis nõ lædit libertatẽ, nec etiã motio auxilij efficacis auferet ipsam. Solutio aduersariorũ.

SED profectò hoc neque satisfacit, neq, difficultatem soluit, vt veritas nostræ sententiæ non sit apertissima. Primò, quia efficacia gratiæ se habentis vt principium, piæ operationis sen per est à Deo: Vnde liberum arbitrium eleuatum per gratiam est principium actiuè, & effectiuè liberum illius operationis: & efficacitas gratiæ non sumitur ex libero arbitrio, neque sortitur suam vim, & efficaciam ex euentu, & effectu, aut ex cooperatione voluntatis creatæ, vt benè docet Bellarminus,

Reijcitur.

Bellarminus. lib. 1. de gratia & libero arbitrio, cap. 12. tom. 3. Imò addit Bellarminus: Quòd non est in potestate hominis facere vt gratia sit efficax, nimirum illa quæ alioqui ex se non erat nisi sufficiens: Vnde quòd detur gratia efficax vt à Deo est, seu secundùm se, docuit D. Augustinus lib. 1. de prædestinatione Sanctorum, cap. 8. cum dixit esse quandam gratiam, quæ à nullo duro corde respuitur, vbi efficaciam tribuit gratiæ, & nō humanæ cooperationi: Nam licèt voluntas cooperetur & actiuè liberè suum producat actum & consensum, nihilominus quòd ipsa gratia sit efficax per modum principij ipsius consensus aut conuersionis ad Deum, ex Deo est, & ex Deo pendet, & non est ex libero arbitrio, aut ex euentu & cooperatione nostræ voluntatis, cùm auctores oppositæ sententiæ dicant ipsum liberum arbitrium creatum in illa cooperatione esse causam partialem: quia sic, efficacia refunderetur in partialem influxum & concursum voluntatis, & non esset ista efficacia gratiæ vt à Deo procedit. Vnde D. Augustinus ex vna parte ponit gratiam, & in altera parte cor hominis etiam durum, & ait, quandam esse gratiam talis conditionis, & talem vim habens, quòd ea data à Deo, à nullo duro corde respuitur. Quocirca idem Bellarminus loco citato cap. 11. immediatè præcedente affirmat, verè ponendam & concedendam esse partitionem auxilij specialis gratiæ actualis Dei, in sufficiens & efficax, ad confutandas hæreses Pelagianorum & Caluini.

D. Augus.

Verè concedenda est diuisio auxilij specialis gratiæ actualis insufficiens, & efficax, vt à Deo venit.

Vbi aduerte, quòd hæc partitio, est diuisio gratiæ actualis, vt verè gratia est, & fluens à Deo: hæc autem gratia actualis, data ad pias operationes per modum principij ab ipso Deo, non determinat voluntatem nostram, determinatione necessaria, sed determinatione libera. Dico determinatione libera: primò quia ita determinatur à Deo vt etiam ipsa voluntas se determinet, quia ita mouetur à Deo, vt etiam se moueat, iuxta doctrinam D. Thomæ. Iuuatur etiam à Deo tam ex parte intellectus qui illuminatur vt dirigat voluntatem, & vt rectam efficiat collationem, & conferentiam, quàm ex parte voluntatis vt eligat piam operationem, & vt operetur iuxta conditionem suam, quia mouetur à Deo vt apta nata est moueri, & consequenter non aufertur ab ea libertas: nam vt sæpè diximus, quando aliquid mouetur ab aliquo ad aliquid, si id quod mouetur ab alio non se mouet, mouetur quidem motione necessaria, sed si ita mouetur vt se moueat, se determinando sub determinatione morali & efficiente, tūc talis præmotio & determinatio libera est, vt docuit Sanctus Thom. 1. part. quæst. 83. art. 1. ad 3. & quæst. 105. art. 4. ad 3.

Quarta probatio. Actio causæ secundæ magis est à prima, quàm à secunda causa.

Qvarto ostendi potest eadem assertio, quia valet argumentum: Voluntas se determinat quando liberè agit: ergò Deus illam determinat in genere causæ efficientis propriè, cùm hæc ratio efficienter causandi ita conueniat secundæ causæ vt primæ non repugnet, & conueniat secundę causæ per dependentiam essentialem à prima: imò verò actio secundæ causæ agentis, magis est à prima quàm à secunda: quia influxus causæ primæ, præsertim in supernaturalibus, est prior natura & causalitate & subsistendi consequētia. Sanè Deus efficit determinationem voluntatis ad bonum supernaturale, quando in exercitio actualis determinatio est, quoniam talis determinatio, & est bona, & placens Deo, ac proinde subijcitur & subordinatur causalitati Dei agētis per deliberationem infinitā: quia ob id dicit Paulus, *quòd operatur omnia secūdum consilium voluntatis suæ*, ad Ephes. 1. ergo libera determinatio voluntatis est posterior ordine naturæ determinatione, qua eam Deus determinat secundùm consilium voluntatis suæ. Et confirmari hoc potest; quia Deus non determinat voluntatem ad opus consentiendi & pœnitentiæ nisi per influxum in eādem volūtatem, cùm determinatio debeat esse in re & potentia quæ determinatur, quamuis ipsa sit se determinans, mediāte etiam eodē influxu gratiæ: ergo Deus determinat volūtatē ad operandū prioritate causalitatis & naturæ. Vnde quādo volūtas actu agit, & operatur non potest non intelligi, quòd ipsa iam non sit actu determinata, & à se, & à Deo: ergò prius natura quàm operetur. Nā certè actualis operatio supponit determinationem operātis saltem prius natura, se autem determinat voluntas per exitum illum de actu primo ad secundum: ergo prius natura est, quòd Deus vt prima causa influat in voluntatem & determinet, quàm ipsa actu operetur. Adde etiā quòd determinare voluntatem vt conuenit primæ causæ, non solùm est Deum efficere determinationem eius, verū etiam est secundùm cōsiliumvoluntatis suę velle eam agere hic & nūc: & illa determinatio voluntatis est vera entitas realis quæ supponit agere diuinū, cui subordinatur vt primæ causæ causanti & prouidenti: ergò Deus prius natura influit in ipsam volūtatē, licèt operatio volūtatis nō sit in alio instanti, sed in eodem. Et confirmatur iterum quoniam voluntas determinatur à Deo, & Deus eam determinat: sed non sunt simul natura determinans & determinatum: ergo voluntas respectu Dei cum intelligitur determinari ab ipso determinatione libera, intelligitur habere rationē determinabilis: ergo determinatur à Deo prius natura quādo cōcipitur ipsa vt actu exiens & actu se agens vel se determinans ad illud obiectū & ad illā operationem cum in actu secundo intelligitur iam actu inchoare actionē suam circa illud ad quod Deus eā mouet. Dices Deum determinare quidem voluntatē, sed præmouere illam moraliter tantū inducendo illam & proponendo obiectū & attrahēdo pro loco & tempore, nō tamen efficienter propriè seu physicè vt ipsi dicunt. Sed contra hoc potest obijci: Quòd Deus sine dubio in omni opinione efficit volūtatis illā determinationē & cōsensum & oppositum dici nō potest: ergo Deus dicitur prius natura efficienter propriè determinare volun-

Ad Ephes. 1.

Determinatio debet esse in re & potētia quæ determinatur.

Determinatio voluntatis est vera entitas realis.

Non sunt simul natura determinās & determinatum.

Occursus ad uersariorū occluditur & repellitur.

tatem

tatem illam, præcipuè quia Deus ita efficit determinationem voluntatis ad consensum vt eam applicet, & ipsa se moueat liberè sub applicatione Dei seu determinatione eius, vt egregiè dixerunt Driedo, & Ruardus Tapper superius citati. Quod præcipuè est verum: quia illa determinatio voluntatis non solùm est effectus moralis, sed etiam est effectus physicus realis & entitatiuus: ergo. Et confirmari potest argumentum factum suprà: Quia ex sententia opposita aduersariorum sequeretur, quòd efficacia diuinorum auxiliorum, non esset primò referenda in Deum & in eius voluntatem: sed in liberam determinationem nostræ voluntatis. Probatur sequela, quia efficacia diuini auxilij in hoc consistit, quod consequatur effectum suum ad quē confertur à Deo: sed iuxta oppositam sententiam quod tale auxilium gratiæ Dei suum consequatur effectum in nobis, & in voluntate nostra prouenit primò ex libera determinatione nostræ voluntatis, & non ex diuina prædeterminatione: ergò talis efficacia diuinę gratiæ, primò est referenda in voluntatem humanam. Minor probatur, quia quod præcipuum est in auxilio diuinæ gratiæ, est ipsa efficacia auxilij, & non sufficientia; sed absurdum est quòd tribuatur nostræ voluntati, tanquam primæ causæ & radici, id quod potissimum est in diuino auxilio, nimirum ipsa efficacia: quia hoc esset tribuere nostræ voluntati tanquam causæ principali nostram salutem, & justificationem. Et confirmatur: Nam aliquid perfectius est actu diligere Deum, actu credere, & actu pœnitere, quàm posse credere, posse diligere, & posse pœnitere: ergò ad actū Charitatis, Fidei, & Pœnitentiæ, necessarium est auxilium efficax prædeterminans voluntatem, quod quidem efficaciter causet actum Charitatis & Fidei, nā sicut est donū Dei, posse credere & posse diligere ex sufficienti auxilio, ita multò magis se determinare actu credendo, & actu diligendo: ergò, &c.

Exoppositasententia sequeturnõ esse primò referendam in Deũ efficaciam diuinorũ auxiliorum.

Deus est supremus dominus liberi arbitrij.

QVINTÒ Deus est supremus dominus secundarum causarum: ergò etiam est dominus liberi arbitrij creati, ergo est dominus suorū operum supernaturalium: ergò tanquam dominus vtitur libero arbitrio secundū consilium voluntatis suæ attingendo ipsum liberum arbitrium à principio vsq; in finem fortiter & suauiter, & applicando ipsum ad suas operationes: Nam actus dominij est vsus, cùm dominium sit facultas vtendi. Est sanè hic vsus causæ primæ quæ est Deus, præcipuè in supernaturalibus circa liberum arbitrium, vt operetur, & agat in exercitio, & non potest intelligi quis alius sit nisi ipsa determinatio voluntatis, qua Deus eam determinat vel applicatio eius. Quod præcipuè est verum, quoniam omnia mouentur & applicantur ad agendum ab ipso Deo iuxta finem quem intendit: ergò necesse est quòd Deus sit auctor illius determinationis & applicationis: Nam ordo agentium est iuxta ordinem finium, ac proinde illa virtus suprema quæ respicit vltimum finem & vniuersalem, illa est quæ applicat cęteras inferiores, ad agendum & operandum propter eundem finem. Hoc potest cōfirmari, quia Deo necessariò debet tribui quidquid est bonū & perfectissimum, sed multò maior perfectio est, quòd Deus secundam causam non tantùm adiuuet, sed etiā moueat, & applicet ad agendū præcipuè cùm secundæ causæ in hoc habeant dependentiam à Deo: hæc autem in supernaturalibus actionibus sine influxu in ipsam causam creatam non possunt intelligi: ergò. Adde etiā quòd ex hoc influxu Dei non lędi tur libertas, quoniam ad efficaciam diuinæ voluntatis pertinet mouere voluntatem nostram secundū modum sibi proprium: quia vt dicit D. Thom. nō solùm subiacent Deo res omnes, & secundę causæ, sed etiam modi agendi, & causandi: ergò modus agendi liberè & contingenter subiacet ipsi Deo sine læsione vlla, aliàs non diceretur subijci Deo, si non seruaretur incolumis. Hoc confirmat D. Augustinus in Enchir. cap. 95. & 96. quem locum adducit Magister Sententiarū in 1. distinct. 46. loquens de salute hominum qui liberè saluantur à Deo. Sic namque ait Augustinus. *Quis tam impiè desipiat vt dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, & quando voluerit, & vbi voluerit in bonum non posse conuertere? Non est vtique verum quod in Psalmis dicitur: Quæcunque voluit fecit, si aliqua voluit, & non fecit, & quod est indignius ideò non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impediuit.* Vbi perpende D. Augustinum neq; dixisse per hoc liberū arbitrium necessitari ad salutē, neq; lædi, neq; rursus dixit efficacitatem gratiæ & voluntatis suæ infallibilis reponi in oportunitate loci & tēporis ipsius hominis, cū dicat è conuerso, Deū malas hominum voluntates conuertere quando vult, vbi vult, & quas vult: ergò Deus potest sic præmouere voluntatem hominis efficaciter, & suauiter ad opus conuersionis & ad consensum vt eam determinet, & ipsa etiam se determinet. Præcipuè quia iste influxus gratiæ Dei est multiplex & mirabilis. Vnde cum supponitur, & non prius tempore, sed prius natura seu causalitate non necessitat voluntatem.

Id quod perfectissimũ est Deo debet tribui, & ideò determinatio, & applicatio voluntatis adoperandũ Deo conuenire debet.

D. Augus.

HVIC argumento neque respondet, neque satisfaciunt auctores oppositæ sententiæ: Dicunt enim verissimum esse Deum habere supremum dominium omnium, ac proinde vt supremum dominum posse vti omnibus secūdis causis: & consequenter voluntate hominis & libero arbitrio: negant tamen Deum vti posse voluntate, & libero arbitrio vt sic; præmouendo eam aut determinando, per vsum consistentem in applicatione illa præuia seu determinatione. Quod sanè mirabile est apud auctores oppositæ sententiæ, cùm Franciscus Suarez sentiat voluntatem in operibus supernaturalibus esse instrumentum viuum, & non secundam causam, licèt habeat subordinationem, & dependentiā à prima, & à forma supernaturali actualis gratiæ Dei sibi à Deo indita, quod est principium operis, & auxilium eius. Nam certè cùm Deus

Hoc argumentũ vires accipit ex eo quod Suarez concedit liberũ scilicet arbitriũ esse in operibus supernaturalibus instrumẽtum Dei.

sit Dominus liberi arbitrij creati, & ipsum sit instrumentum Dei in actionibus supernaturalibus, non video cur negetur ab eis quòd vtatur eo præmouendo ipsum, & determinando, in exitu eius ad agendum seu in applicatione: quia hoc conuenit causę principali respectu instrumenti, & maximè illi quæ habet supremũ dominium respectu sui instrumenti. Nos tamẽ negamus habere rationem instrumenti secundùm veritatem, quia læderetur eius libertas.

Multiplex vsus dominij quod habet Deus circa liberum arbitrium.

NEQVE tamen vsus dominij diuini circa liberum arbitrium limitatur ad id tãtùm: potest enim Deus vti libero arbitrio ad operandum, & rursus potest vti eo ad finem quem intẽdit, vel in eo aliquid faciendo, vel dum agit suspendendo influxum, vel suspendendo actionem eius. Similiter etiam est vsus diuini dominij posse creaturam & liberum arbitrium in nihilum redigere. Habet rursus Deus dominiũ circa liberum arbitrium per imperium suum, & hinc est respectu huius diuini dominij & diuini imperij liberum arbitrium creatum habere obedientiã à se ipso inseparabilem respectu Dei, vt ipso vtatur Deus si voluerit etiam illæso vsu libertatis. Nam hoc est quod voluit D. Augustinus cùm dixit in Enchir. loco citato: *Quis tam impiè desipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, & quando voluerit, & vbi voluerit in bonum non posse conuertere? Aliàs non esset verũ quod in Psal. dicitur: Quæcunque voluit fecit, si aliqua voluit & non fecit, & quod est indignius: ideò non fecit, quoniam ne fieret quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impediuit.* Igitur Deus habet dominium liberi arbitrij vt liberum est, & non tantùm vt est quoddã ens, aut quædam potentia, sed vt est potentia libera habens vsum libertatis sub dominio Dei, ac proinde Deus est dominus libertatis creatæ: neque dicitur habere hoc dominiũ cum læsione libertatis nostræ.

Non habet Deus dominium liberi arbitrij cũ læsione libertatis.

Et sanè non solùm actio voluntatis sicut & reliquæ actiones creatæ rerum & causarum secundarum, est sub dominio Dei, quia hoc est intimũ cuilibet actioni creatæ, vt est res quædam positiua: sed etiam est verum, secundam causam, & voluntatem creatam, vt exercentem actionem, operari ex Dei dominio, & Deum vti actione voluntatis, & vti etiam libertate & vsu libero actiuè conueniente voluntati creatæ ad finem intentum ab ipso Deo. Deus igitur vt supremus Dominus vult vti voluntate libera habente subiectionem sibi intimam ad Dei dominiũ, vt vtatur ea, etiam in operibus liberis: & ob id etiam Deus aliquando absolutè permittit volũtati vt aliter agat, quàm ipse vellet voluntate antecedente. Et quamuis cum Deus influit efficacem suã gratiam in liberum arbitrium, præmouendo ipsum ad consensum & conuersionẽ, Deus dicatur quasi vti potentia sua ad efficientiã gratiæ & auxiliorum: sed nihilominus etiã vtitur libero arbitrio ipsum præmouendo, adaptando (vt dixit D. Paulus ad Hebræos. 13.) & ad opus inclinando, ipsumque prout vult applicando, vt dixit D. Augustinus. Quo circa dominium diuinum, cùm sit supremum: potissimè includit, & quasi præsupponit potestatẽ in habente dominium, aliàs si nullam haberet potestatem coercendi debile esset dominium. Vnde dominium nõ repellit potestatem in eo qui habet ipsum, sed magis ad ipsum pertinet potestas, de qua re nos diximus. 1. p. q. 13.

D. Paulus. D. Augus.

SANE negari non potest quin à Deo fiat applicatio pręuia interna volũtatis per auxiliũ gratiæ actualis suæ, imò verò ipsum auxiliũ est quædã inclinatio. Et De⁹ vtitur etiã inclinatione hac cum secundis causis, vt ordinario modo operentur iuxta finem à Deo intentum, & pari modo vtitur voluntate libera per auxilium quod infundit. Nam hæc est virtus agendi conuersionem data à Deo ipsi voluntati vt operetur & agat. Loquor nunc de operationibus supernaturalibus, quorum principium virtus & forma agendi est auxilium gratiæ Dei.

SED dicunt aduersarij voluntatem non manere liberam, sed lædi, per prævuiam illam motionem pertinentem ad vsum diuini dominij, quia manifestam habet implicationem dicere potentiam voluntatis manere indifferentem & esse determinatam ad vnum, seu diuinam motionem gratiæ efficacis in sua effectione non lædere liberum voluntatis vsum, & prodire in actũ suum infallibiliter. Sed profectò valdè decipiũtur qui hæc nobis obijciũt, quoniã optimè stat voluntatem esse determinatam determinatione libera, quando actu agit circa determinatum obiectum: cùm non stet actu agere circa determinatum obiectum & determinatum finem, & manere ita indifferentem vt nulla determinatione etiam libera exierit determinatè agendo in actum suum secũdum. Quoniam certum est, quòd in eo instanti in quo homo consentit & se determinat ad pœnitendum est determinata ad hoc, sed determinatione libera. Et rursus voluntas manet indifferens, id est, libera ad oppositum, quia potest non agere, & potest impedimentum obijcere, & potest cessare ab actu, non tamen habet indifferentiam excludentem determinationem actualem liberam, vt constat de omnibus agentibus liberis, quando actu agunt & operantur. Vnde determinatio voluntatis in actu libero iam elicito, vel qui actu elicitur, nõ repellit habitudinem intrinsecam, & immediatam ad potentiam voluntatis actu elicientẽ ipsum, cum proxima potestate ad oppositum. Neque repugnat, quòd vsus actiuus liber voluntatis subijciatur gratiæ efficaci Dei: sicut non repugnat, quòd voluntas in suo libero vsu subijciatur Deo habenti supremum dominium circa ipsam, & influẽti in eam: Nam hoc est quod D. Augustinus voluit loco citato. Quapropter, quidquid aduersarij dicãt, optimè stat Deũ fortiter & suauiter adaptare & præmouere voluntatem cum quadã infallibilitate agendi, & quòd voluntas possit per vires suas innatas non agere, quia liberè agit, & tunc cessabit in fluxus ille: nunquam tamen stabunt simul concursus Dei cum illa gratia actuali efficaci præincipiẽ

Determinatur quidem volũtas motione Dei & determinatione libera, non autem necessaria.

Non stat cũ uersus actualis efficacis gratiæ Dei

& quòd voluntas non operetur, quãuis possit operari & non operari.

te cum actuali concursu ad actionem, & quòd non sit actio voluntatis infallibiliter coniuncta, licèt in sensu diuiso optimè stet posse voluntatem non agere: quod etiam aduersarij fateri tenentur.

Probatio 6. Præmotio efficacis gratiæ Dei nõ tollit conferentiam & collationem iudicij rationis.

Sextò arguitur pro nostra sententia, & cõfirmantur magis ea quæ paulò superius diceba-mus: Quoniam cùm Deus præmouet voluntatem nostram per suam gratiam actualem non aufert indifferentiam in iudicio rationis, neq; conferentiam & collationem, vt sæpè diximus, sed simul cum ipsa actuali gratia præmotionis perficit non solùm voluntatem, sed etiam intellectum, & magis illuminat & adiuuat ad iudicãdum & consultandum de medijs, ac proinde neque destruit neque lædit indifferentiam intellectus & suorum actuum & iudiciorum, à quibus deriuatur voluntatis libertas: ergo quamuis voluntas per gratiam efficacem Dei præmoueatur, eius libertas in agendo minimè læditur.

Et confirmatur. Quia cum Deus determinat voluntatem, talis determinatio actualis neque est, neque fit per aliam actionem determinatiuam formaliter, quàm per eandem actionẽ qua voluntas seipsam mouet & determinat ex influxu speciali gratiæ efficacis Dei: ergo per eãdem liberam actionem, qua se ipsam liberè determinat, determinatur à Deo, & illa actio voluntatis formaliter eam determinans est virtute duplex secundùm duplicem habitudinem ad suas causas, nimirum ad Deum influentem per suam gratiam, & ad voluntatem nostram. Determinatur ergò voluntas à Deo tanquam à primo deliberante & prædefiniente, & tanquam à primo inchoante & præmouente. Quapropter rationabilius valdè est dicere actionem illã Dei esse priorem natura quàm actionem nostram; & rationabilius est dicere Dei gratiam & influxum terminari ad consensum & ad actum contritionis nostrum, non vt in facto esse, sed vt est actio liberi arbitrij nostri quasi in fieri. Sic enim per illam diuinam actionem & motionem vt est ab eo facit Deus vt nos consentiamus & faciamus actum contritionis. Itaque ille actus vt est actio nostra, habet quasi rationem termini actionis diuinæ, & idcircò dicitur quòd actio illa physica Dei est prior actione nostra libera ea prioritate, qua omnis actio est prior suo termino.

Determinatio est in virtute duplex.

Obiectio.

Sed dices contra: Quia actio formalissimè loquendo nihil aliud est, quàm terminus vt in fieri procedens ab agente, siue vt ab agente fluens: ergo implicat intelligere quòd pro aliquo priori vel signo rationis sit actio qua Deus efficienter propriè seu physicè producit actionem nostram, quin pro eodem signo rationis intelligatur etiã actio nostra saltem vt in fieri, prout intelligitur ipsa actio Dei. Respondetur, quòd quamuis nõ possit intelligi actio diuina, qua Deus producit actionem nostram quin simul intelligatur actio nostra vt procedens & fluens à Deo, benè tamen potest intelligi actio nostra, vt prius procedens à Deo quàm à nobis prioritate naturæ, & vt profluens ab ipso Deo absque eo quod intelligatur, vt profluens à nobis.

Repellitur.

Moveor etiam, quoniam liberum arbitriũ creatum est indifferens & in potentia, vt se reducat ad actum agendi, vel ad suspensionẽ actus secundùm quòd voluerit & decreuerit ex præcedente conferentia & collatione intellectus. Vnde cùm non sit determinatum ad agendum hoc, neque illud, sequitur quòd est in potentia ad agendum hoc vel illud: ergò liberum arbitrium debet reduci in actum per aliquod agens primum & superius à quo pendet in agendo & operando, & quantum ad vsum & etiam quantum ad determinationem vt exeat de potentia ad actum. Igitur Deus cui conuenit res omnes & voluntates hominum mouere, quia in ipso viuimus, mouemur, & sumus, est qui determinat voluntatem influendo in eam veluti in secundã causam. Nam certè intelligi non potest quo nã pacto voluntas reducatur de potentia ad actum, quoad vsum operis & exercitium, & quoad determinationem huius obiecti, nisi ex prædelibe ratione Dei prædefinientis & agentis per influxum in eandem voluntatem. Et hæc est causa cur S. Thomas dixerit voluntatem nostram à solo Deo moueri directè & per se, non ab Angelo, neque à Dæmone, & hæc est sententia D. Thom. 1. part. quæst. 105. & quæst. 83. præcipuè in solutionibus argumẽtorum, vbi S. Tho. affirmat, quòd si voluntas ita moueretur à Deo ad suas actiones quòd ex se nullatenus moueretur, tunc actiones eius non essent liberæ, neque meritoriæ. Cæterùm quia ex hoc quòd mouetur à Deo nõ repellitur ab ea quòd se moueat, idcircò non tollitur ab ea libertas, neque ratio meriti: nam certè negari non potest quin volũtas aliquando sit in actu secundo & in exercitio operandi, & aliquãdo solùm in potentia ad operandum: ergo vt actu operetur, requiritur reductio de potentia ad actum: implicat enim quod res aliqua simul sit in actu & in potentia: ergò cùm voluntas creata sit potentia libera dependens à Deo in sua actione, & habens quoddam esse liberum participatum à primo libero quod est Deus, sequitur quòd indiget influxu illo Dei, vt se etiam reducat in actum, quod maximè est verùm in supernaturalibus. Rursus ad hoc quòd voluntas exerceat opera supernaturalia necesse est quòd prius voluntas realiter determinetur, quàm operetur: Nam voluntas cùm ex natura sua sit indifferens & indeterminata atq; libera ad operandum: & ad talem operationem, necesse est vt operetur, quòd realiter prædeterminetur ad illam operationem per aliquid reale positiuum quidquid illud sit: ergò cum talis determinatio sit aliquid reale in ipsa voluntate: sequitur quòd est ab auctore gratiæ physicè cõcurrente per suum auxilium prædeterminans physicè. Patet sequela, quia prima causa debet physicè causare omnem entitatẽ & operationem, & omnem modum operationis, & entitatis: quia ipsa in se habet omnem entitatẽ & ra-

Liberum arbitrium est indifferens & in potentia ad agendum vel nõ agendũ, vnde à Deo debet reduci tanquam à prima causa & primò mouente ad operãdum.

D. Thom.

tionem

tionem entis: ergo sanè prædeterminatio volũtatis est necessaria ante operationem, & præuia ad illam: ergo Deus auctor gratiæ per auxiliũ gratiæ suę debet physicè causare illam: aliàs alia qua entitas bona & supernaturalis daretur, quę non esset à Deo efficienter, sed à sola creatura: Quod dici non potest: præcipuè, quia liberum arbitrium creatum est subordinatum in genere causę efficientis physicę libero arbitrio diuino, quod est supremum: ergo liberum arbitrium creatum, non potest prædeterminari ad operationem supernaturalem, nisi prius prædeterminetur à Deo in genere causę efficientis physicè: cùm liberum arbitrium in sua operatione depẽdeat à libero arbitrio diuino in genere causę efficientis physicè.

Ea motione mouetur liberum arbitriũ à Deo qua se reducit de actu primo in secũdum, & cum hæc nõ solum sit moralis, sed physica, eodem modo motio Dei & est moralis & propriè efficiẽs

ET confirmari hoc potest ex his quæ diximus in prima secundæ de hac re agentes. Nam quando liberum arbitrium mouetur à Deo, nõ solùm moraliter, sed efficienter proprie, ea motione mouetur qua reducitur de actu primo, in quo est, ad actum secundum, & quasi de potentia in actum, & cum reducitur de illo actu primo ad secundum ex diuina gratia, & auxiliata à Deo ipsa etiam se reducit, per influxum illud diuini auxilij in eam, imò verò voluntas est quæ se applicat, & se mouet sub applicatione Dei morali & efficiente: Nam Deus volũtatem mouet attemperando motionem suam suauiter & fortiter cum conditione libera voluntatis: Verum cum voluntas se actiuè mouet & determinat non efficit hanc determinationem nisi depẽdenter à Deo vt à prima causa efficienter causante, imò prius natura concurrente per auxiliũ gratiæ suæ. Quia cum prioritas naturæ in causando, Deo debeatur præcipuè in supernaturalibus, & hæc sit prioritas naturæ, Deus prius natura præmouet voluntatem sua gratia, non quidem in aliquo priori instanti, neque per aliquod prius in quo Deus moueat voluntatem, & ipsa non se moueat actiuè, sed per prioritatem causalitatis efficientis, quæ est prioritas naturæ, & non solius rationis tantùm. Quam sanè præmotionem expressè Docuit Euangelista Ioannes, affirmans, quòd omnes qui veniunt ad Christũ per consensum & conuersionem, trahuntur à Deo ad ipsum: Et magis est trahere quàm determinare aut præmouere: & nõ dicit tractionem vel promotionem hanc gratiæ actualis necessitare voluntatem, aut lædere libertatem eius.

Iansenius.

IANSENIVS explicans locum Ioan. 6. de tractione qua homines trahuntur ad Christum postquam retulit Deum præmouere & trahere voluntatem hominis multis modis moraliter, postea subiungit Euãgelistam aliquid altius voluisse significare cùm dixit Patrem trahere voluntates hominum ad Christũ, & neminem venire posse ad eum nisi Pater traxerit illum. Et inquit quòd in prædictis verbis voluit ostendere quòd Pater trahit potentiore virtute & efficiente. Quod Sapiens videtur docuisse loco illo superius citato Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Domini quocunque voluerit vertet illud.* Et vertere sicut trahere non est minus quàm præmouere & determinare. Vnde ad insinuandũ quòd cum summa libertate Regis quantacunque illa sit stat Deum præmouere, seu vertere, & prædeterminare cor quod est liberum arbitrium, dixit Sapiens, Cor Regis in manu Domini, & nõ dicitur hoc fieri sine libero vsu cordis aut necessitatem vllam inferendo. D. Paulus dixit quòd creamur à Deo in operibus bonis, & creatio antecedit omnia & per hoc non aufertur modus debitus voluntati: Quia Deus operatur in vnoquoque secundùm eius proprietatem, quia liberum arbitrium seu cor hominis mouetur à Deo sicut aptum natum est moueri vt liberum est, quam libertatem semper perficit diuina gratia, non destruit. Sanè volitio Dei, qua vult me agere, & consentire, est causa meæ volitionis, causa autem est prior natura: ergo volitio Dei est prior consensu & volitione mea: quod præcipuè est verum, quia hæc causalis est vera: idcircò consentio, & volo conuerti, quia Deus vult me consentire & me conuerti.

Septima ratio pro conclusione.

ADDVCOR septimò pro defensione nostræ sententiæ: quia negari non potest quin Deus efficienter propriè seu physicè causet & efficiat vsum ipsum liberum voluntatis, sed efficacitas illa atque efficientia quam Deus exercet circa vsum liberum voluntatis nõ destruit vsum libertatis: ergo conuenit ipsis actibus liberis & bonis: ergo multò minus influendo in ipsam voluntatem. Ostendo cõsequentiam, quia Deus causat efficienter physicè ipsum vsum libertatis in opere cõuersionis & cõtritionis: & prioritate naturæ antecedit ipsum vsum liberũ quia prius natura causat ipsum: ergo pari modo ꝙ Deus prius natura causet influendo in voluntatem efficienter non destruit eius libertatem. Quocirca sicut Deus nõ destruit iudicium, neque collationem & conferentiam intellectus circa media, neque tollit indifferentiam intellectus in quibus radicatur & fundatur ipsa libertas sed potius illustrat, & illuminat efficienter, & moraliter ad tale iudiciũ, & ad talem collationem, & cõferentiam, ita non destruit vsum neque libertatem eiusdem voluntatis, sed magis perficit. Cùm igitur Deus prius natura prioritate causalitatis causet & antecedat ipsum vsum liberum, sequitur quòd quamuis per gratię auxilium efficax influat in voluntatem non destruitur libertas eius.

Cõfirmatur Deꝰ influit tãinactionẽ liberamconsensus quã in voluntatem, & cũ ex primonõ auferatur libertas, neqꝫ etiam destruetur ex secundo.

ET confirmari hoc potest: quia Deus tã immediate influit in actionem liberam ipsius consensus, & conuersionis per influxum propriè physicè efficientem in ipsam actionẽ, sicut nos etiam fatemur Deum influere in voluntatem ipsam per influxũ suæ gratiæ efficacis: sed quãtacunque sit efficacitas gratiæ Dei cum prioritate naturæ & causalitatis in actionem liberam & in productionem, qua elicitur ab eadem volũtate, non destruitur libertas eius: ergo neq; quãdo præmouet voluntatem, aut influit in eam efficaciter. Vel interrogo cur efficientia propriè physica & potens gratiæ Dei non efficit deter-

minationem ad vnum omnino, seu necessariam in actibus elicitis à voluntate quos Deus immediatè producit efficienter physicè, & eam efficit in voluntate si influxus gratiæ suæ est in ipsam voluntatem: Quia tam intrinsecè se habet actus in sua dependentia, & in suo esse & fieri à motione Dei & ab influxu eius efficiente actiuè physicè sicut potentia voluntatis, imò multo magis: ergo Deus cùm neque collationem auferat, neque conferentiam intellectus, neque vsum libertatis, qui est in ipsis actionibus per hoc quòd eas producat efficienter physicè, sequitur quòd neque destruit libertatem per hoc quòd efficienter propriè influat in voluntatem suauiter & fortiter eam attingens per efficacem gratiam, à qua voluntas supernaturaliter mouetur dum in ipsa recipitur ad modum recipientis. Et confirmatur iterum: quia ille vsus libertatis qui fit per actionē liberā, seu in ipsa actione libera, est aliquid reale ad extra productum à Deo, & in sua productione transit de non esse ad esse: ergo hoc fieri non potest nisi per influxum gratiæ propriè efficientis & influentis in vsum & in voluntatem. Rursus potest hoc idē confirmari, quoniam actus cōsentiendi & actus cōuersionis & pœnitētiæ idcircò negatur quòd fiāt ex prēmotione auxilij efficacis gratiæ Dei à quo determinatur efficienter voluntas, quia læderetur libertas voluntatis, vt aduersarij putant: sed non minus pendet actio conuersionis, aut ipse consensus voluntatis in omni suo esse, & modo essendi, ab eodem auxilio Dei physicè causante consensum & conuersionem, & quasi prærnouētē per auxilium Dei efficax, & Deus prius natura est causans & producens hos actus efficienter physicè quàm ipsi actus sint producti in facto esse: Nam Deus prius intelligitur causans quàm actus ipse ab eo intelligatur esse iam productus: ergò pari ratione auferenda esset ab eodem actu libertas, sicut à volūtate, si vera esset aduersariorum sententia: ergo sicut non obstat concursus & influxus in ipsam actionem consentiendi aut pœnitendi, quamuis talis influxus sit physicus & à causa extrinseca, ita neque influxus & concursus in voluntatem. Sanè voluntas non concurrit neque influit vt causa partialis, sed vt causa secunda affecta supernaturali forma subordinata primæ causæ supernaturaliter agenti, etiam in illo vsu & exercitio operis libero: ergò debet esse necessariò ordo inter vtrunque agens: ergò agens inferius quod subordinatur primo agenti non æquè incipit primò, sed Deus est qui primò inchoat & incipit prius prioritate naturæ & causalitatis tantùm: non quòd aliqua entitas sit in ipso effectu & in ipso opere, quæ intelligatur re vera effecta à Deo antecedenter ad voluntatem influentem, quoniam eadem omninò entitas & actio quadam simultate intelligitur effecta à Deo & à libero arbitrio, sed quoniam in exercitio causandi & efficiendi voluntas agit actu cum illa dependentia à causalitate actuali Dei ad extra, idcircò Deus prius natura dicitur causare quàm voluntas, licèt in eodem momento durationis simul causent.

TANDEM si voluntas creata non præmouetur & prædeterminatur à Deo, sed ipsa est quæ primò se determinat in ordine ad opera supernaturalia, sequitur quòd opera libera supernaturalia nostræ voluntatis eueniant respectu Dei contingenter, fortuitò, & casualiter: quod non est dicendum. Patet sequela, quia illa libera determinatio voluntatis, cùm non prædefiniatur à Deo, ante præuisionem ipsius voluntatis, sed post eam præuisam, neque prædeterminetur à Deo voluntas, aut præmoueatur efficaciter ab ipso: sequitur quòd talis determinatio volūtatis fortuito, & à casu se habet respectu Dei: quia nō pendet primò à diuina voluntate & prouidentia, sed à libera voluntate creata contingenter seipsam determinante: ergò, &c. Et saltem ordo ad futuritionem illius determinationis, & futuritio præuisa, est à casu & contingenter respectu Dei: qui præuidet eam sic vel aliter operari, & agere antecedenter ad omne decretum eius. Alia etiam sese possunt offerre argumenta quæ vel publicè legendo, vel disputando nos olim expressimus & retulimus, sed inferius sese offeret occasio vt ea recensere possimus.

Alia argumenta Scholastica etiam ex Sanctis Patribus deprompta pro nobis.

QVOD hæc nostra sententia sana sit, & à Patribus antiquioribus Ecclesiæ recepta, præcipuè à D. Augustino, qui suo tempore quondam habuit eminentiam supra omnes, in disputatione Scholasticæ doctrinæ, nunc osten damus oportet. Suppono tamē auctores oppositæ sententiæ velle interdum adducere aliqua Augustini testimonia, quæ vel non probant suā sententiam, vel habent manifestam interpretationem, quia Augustinus agebat cum Pelagio & hæreticis, vt melius cum eis congredi posset, vel ad stabiliendam gratiam Dei contra Pelagium, vel ad firmandum liberum arbitrium contra Manichæum. Quia sufficiebant quæ tūc ipse respondebat argumentis aduersariorum: quæ tamen adhuc non fauent auctoribus huius temporis, qui oppositam sententiam defendunt. *D. Augus.*

QVÒD autē vera sint ea quę diximus de D. Augustino constat ex lib. 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 9. quo in loco postquam nonnullas responsiones dedit ad difficultates occurrētes, propter eos qui ex præuisione operum ante diuina decreta multa dicebant de diuina prædestinatione & præscientia, subiungit D. Augustinus: *Cernitis ne me sine præiudicio latentis consilij Dei aliarumque causarū hoc de præscientia Christi dicere voluisse: Quod conuincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc obiecerant quæstionem: sufficere videretur.* Videtur D. Augustinus dedisse tempori responsiones aliquas.

SED nihilominus quòd D. Augustinus sem-

per

per fuerit constans in nostra sententia, tam de gratia præmouente moraliter, quàm de præmouente efficienter propriè, & efficaciter non solùm in prædestinatis, sed etiam in his omnibus, qui conuertuntur ad Deum, & piè operantur, probatur: primum ex D. Augustino lib. 1. contra Pelagium & Cælestium de gratia Christi capi. 7. quo in loco refert Pelagium dicentem in hunc modum. *Adiuuat nos Deus per doctrinam & reuelationem suam: dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat: dum Diaboli pandit insidias: dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat.* & cap. 10. sequenti: quia sententia Pauli ad Philippenses. 2. in qua dicit Deum esse qui operatur in nobis velle & perficere: videbatur Pelagio, suo dogmati vehementer contraria: prosequens quæ dixerat refert Augustinus subiunxisse Pelagium quæ sequûtur. *Operatur in nobis velle quod bonum est: velle quod sanctum est: dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit: dum reuelatione Sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatẽ, dum nobis (quod tu alibi negare non metuis) suadet omne quod bonum est.* Hæc refert D. Augustinus locis citatis Pelagium dixisse: Quæ sine dubio ad moralitatẽ pertinent, doctrinam & persuasionem, memoriã & inspirationem: & nihilominus D. Augustinus cap. illo. 10. postquam hæc omnia quæ diximus retulisset, ex confessione Pelagij: subiũgit Augustinus paulò inferius: *Sed nos eam gratiam nolumus.* Et huius rei causam dederat antea Augustinus, quia nimirum Pelagius illis omnibus suis verbis & sententijs nihil aliud voluit dicere gratiam, quàm legem atque doctrinam. In lege namque, & doctrina sanctarum Scripturarum futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinã pertinet etiã quòd sapientia reuelatur: ad doctrinam pertinet cùm suadetur omne quòd bonum est, & si inter docere & suadere, vel potius exhortari, distare aliquid videtur, etiam hoc doctrinæ generalitate concluditur. De quibus omnibus inquit Augustinus, concludens contra Pelagium etiam prædicta affirmantem: *Sed nos eam gratiam nolumus:* Quæ verba maximè sunt perpẽdenda: quia D. Augustinus subiungit statim eo loco: *Quorũ autem sit fides, & quibus persuadetur, vt ad eum veniant satis ipse demonstrauit, vbi ait, Ioann. 6. Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eũ. Et paulò post, cùm de non credentibus loqueretur: Dixi (inquit) vobis: quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri: si vult non solùm vocari, verum etiam esse Christianus.* Hæc Diuus Augustinus. Vbi aduerte D. Augustinum his verbis voluisse veram & propriè efficientem gratiam præmouentem liberum arbitrium, & corda hominũ asseuerare. Nam postquam Pelagius concessit de gratia Dei, quod cordis nostri oculos aperit, & Diaboli pandit insidias, & quòd multiformi & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat, & quòd præmiorum reuelatione & pollicitatione nos succẽdit, & quòd in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dũ suadet omne quod bonum est reuelatione sapientiæ suæ: & quòd operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorũ pollicitatione nos succendit, dum reuelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem: quæ omnia & moralia sunt, & ex parte obiecti se tenent: & non negabat Pelagius tempus, & locum, & occasionem, & congruitatem, dixit Augustinus: *Sed nos eam gratiam nolumus:* ea nimirum ratione, quia aliquid altius Deus operatur ex potestate prouidentiæ suæ, influendo in voluntates & in corda hominum propriè efficienter. Vnde cùm Deus nos mouet ad consensum & conuersionem, non tantùm mouet præmotione morali, & etiam ex collatione & conferentia præcedente, vt operemur sicut rationales creaturæ, sed etiam præmouet nos nostrumq; liberum arbitrium præmotione gratiæ suæ efficienter propriè influendo in nos gratiã actualem suam, & non tantum illa quæ Pelagius volebat. Nã ob id dixit D. Augustinus vt Pelagij versutiam repelleret: *Sed nos eam gratiam nolumus.* Et tamen retulerat Augustinus illa omnia quæ refert loco citato pertinentia ad moralitatem.

Pelagiũ moralem gratiam expressè confitentem reicit Augustinꝰ & dicit se eam gratiã nolle.

Alia probatio ex D. Augustin.

Rvrsvs ostenditur nostra assertio & sententia: Quoniã D. Augustinus eodem lib. 1. cõtra Pelagium & Cælestium. cap. 24. loquens de Rege illo Assyriorũ, qui impetu indignationis ferebatur contra Esther, cum inquã tam malè esset affectus erga eam, conuersus est in lenitatem: *Et conuertit eum Deus* (inquit Augustinus) *& transtulit indignationem eius in lenitatem. Quis autem non videat multo maius aliquid esse indignationem à contrario in lenitatem conuertere, & transferre, quã cor neutra affectione præoccupatũ, sed inter vtrunq; mediũ in aliquid declinare? Legãt & intelligãt, intueãtur, atq; fateãtur nõ lege atq; doctrina insonante forinsecus, sed interna atq; occulta, mirabili atq; ineffabili potestate operari Deũ in cordibus hominum, non solùm veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates.* Hæc D. Augustinus. Vides D. Augustinũ referre hoc ad occultã & mirabilem atq; ineffabilẽ potestatem agendi Dei in corda hominũ: & vsum fuisse verbo potestatis, vt insinuaretur efficientia propriè: nã certè perpendendũ est D. Augustinũ dicere Deũ non solùm cõuertere voluntates hominũ à cõtrario in cõtrariũ, & ab indignatione regis in lenitatẽ: sed etiã transferre voluntates ineffabili potestate sua: quòd tantũ & magis est quã determinare voluntates. Ex quibus cõstare potest D. Augustinũ & alios Patres verbis æquiualentibus, & idẽ vel maius aliquid significãtibus clarè sensisse Deũ determinare volũtates nostras. Et sanè yer bũ illud Augustini ineffabilis potestatis magnã vim habet: nam illa circunstantia loci & tẽporis, & illa sola cõgruentia ad humorẽ & cõple-

Potestas ineffabilis, qua D. August. asserit Deum operari in cordibus hominum maius quidpiã est quàm præmotio moralis per respectum ad humorem, tempus, locum, &c.

xio-

xionem hominis, quâ aduersarij dicunt esse efficacitatẽ gratiæ, non dicitur à D. Augustino hic esse potestatẽ ineffabilẽ agendi & operãdi Dei in cordibus hominũ, non solum veras reuelationes, sed etiã bonas & pias volũtates. Hęc igitur potestas Dei dicitur ineffabilis in schola D. Augustini, nõ solũ ex eo quod int⁹ docetur homo, vbi Magister cælestis operatur trahẽdo homines ad Christũ, sed etiã quia hæc potestas ineffabilis talis est, ꝙ à nullo duro corde respuitur, & cui nullũ hominum resistit arbitriũ. Est igitur ineffabilis, quia ita mouet corda hominũ fortiter & suauiter, vt nõ lædat libertatẽ eius. Rursus etiã dicitur potestas, ex eo quod gratia illa actualis diuini auxilij, vt à Deo procedit, ita infallibiliter sortitur effectũ suum, & illũ efficit efficiẽter propriè, vt Deus dicatur hominũ corda pręmouere ineffabiliter sane, ita vt volũtatis libertatẽ non violet, neq; iura illius per influxũ gratuitũ & efficacẽ in hominũ voluntates. Et idcirco Augustinus ait: Quod volũtate existente indifferente, hoc est neutra affectione indignationis aut lenitatis præoccupata, inter vtrumque mediũ in aliquid declinare: siquidem bonũ fuerit, mirabili & ineffabili potestate à Deo fieri seu operari: quod est Deũ sua potestate determinare voluntatem indifferẽtem ad pia opera.

Idem est declinare, ac determinare voluntatem.

Quo circa D. Augustinus eodẽ lib. 1. contra Pelagiũ & Cælestiũ. cap. 23 cõcedit & supponit voluntatẽ hominis ita esse in manu Dei, vt illã quò voluerit ipse declinet: & idem est declinet, quòd determinet: & cap. 5. eiusdẽ lib. perpẽdit valdè Augustinus D. Paulũ nõ dixisse præcisè: Deus est qui operatur in vobis posse: tanquã ipsi iã velle & operari per se ipsos habeant, ita vt neq; in his duobus adiutorio eius indigeãt: sed ait: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere*: vel sicut in alijs, & maximè græcis codicibus legitur, *& velle & operari*. Vbi duplicẽ gratiã actualẽ diuini auxilij & adiutorij fatetur Augustinus, Deũ donare nobis: alterã ad posse: alterã verò ad velle & operari, & illã quę est ad velle & operari de facto dici efficacẽ, & esse distinctam ab ea quæ est ad posse tantùm.

Vnde cap. 25. eiusdẽ libri ait Augustinus: *Non solũ enim Deus posse nostrum donauit, atq; adiuuat, sed etiã velle & operari operatur in nobis, non quia nos nõ volumus, aut quia nos non agimus, sed quia sine eius auxilio & adiutorio, nec volumus aliquid boni, nec agimus. Quomodo enim dicitur, quod possumus benè agere Dei est, quod autẽ agimus nostrũ est, cum dicat Apostolus orare se ad Deũ pro eis ad quos scribebat, ne quid mali faciant, & vt quod bonũ est faciãt? Non enim oramus (ait) vt positis nihil mali facere, sed ne quid faciatis mali: nec vt positis bonũ facere, sed bonũ faciatis: Quoniam de quibus scriptũ est: Quotquot enim spiritu Dei aguntur hi sunt filij Dei, profectò vt agãt quod bonũ est, ab illo aguntur qui bonus est: Quomodo dicit Pelagius, quòd benè loqui possumus Dei est: quòd benè loquimur nostrũ est: cum dicat Dominus Matthæ. 10. Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri est qui loquitur in vobis. Neq; ait Scriptura. Non vos estis qui dedistis vobis benè posse loqui: sed ait. Non vos estis qui loquimini. Nec ait. Spiritus patris vestri est qui vobis dat vel dedit posse benè loqui, sed ait qui loquitur in vobis: nõ significans possibilitatis profectũ sed exprimens cooperationis effectũ, &c.* Ecce in his omnibus D. Augustinus dicit & supponit, hominis voluntatẽ verè & propriè à Deo moueri & agi, & sua gratia actuali pręmoueri: Et magis est agi, quod verè & propriè debet intelligi, quàm præmoueri: & per hoc nõ tollitur liberũ arbitrium. Cur ergo si verè & propriè aguntur filij Dei in suis operibus non verè & propriè præmouentur à Deo efficienter & non tantùm moraliter; aut cur per hoc lædituꝛ libertas?

Alia eiusdem D. Augustini testimonia.

Rvrsvs etiã D. Augustinus cap. 46. cõtra Pelagiũ & Cælestiũ de gratia Christi lib. 1. ex D. Ambrosio ait. *Dominus Deus quẽ dignatur vocat, & quẽ vult religiosum facit: ergo vt currat ad Dominũ, & ab eo se regi cupiat, suamq; voluntatẽ ex eius voluntate suspendat, eiq; adhærendo iugiter vnus secundũ Apostolũ ei fiat Spiritus: Deus quem vult religiosum facit: Qua propter nisi à Deo fiat, vt hoc faciat, quis hoc facit?* Ergo ex hoc loco nõ tantũ constat apertè, non ex pręuisione operum, aut ex præuisione cõsensus, supposita illa media scientia cõditionali, quã aduersarij fingunt, Deũ agere, sed antecedẽter ad omnẽ præuisionẽ, Deũ ita agere vt quẽ ipse dignatur vocet, & quẽ vult religiosum faciat: sed etiã cõstat Deũ esse qui facit propriè vt nos faciamus pia & religiosa opera, & per hoc nõ lædi liberũ arbitriũ.

Vnde de gratia & libero arbitrio ad Valentinũ cap. 5. D. Augustinus loquens de cõuersione D. Pauli ad fidẽ ait: *Vt autẽ de cælo vocaretur, & tam magna & efficacissima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat sola: quia merita eius nõ erant magna, sed mala.* Et lib. 1. de prædestinatione Sanctorũ, cap. 2. loquens de cõuersione Pauli ait. *Auersus quippe à fide quã vastabat, eiq; vehementer aduersus, repente est ad illã gratia potentiore cõuersus: cõuertente illo cui hoc ipsum facturo per Prophetã dictũ est. Tu cõuertens viuificabis nos: vt non solũ ex nolẽte fieret volens credere, verũ etiã ex persequutore, persequutionẽ in eius fidei quã persequebatur defensione pateretur. Donatũ quippe illi erat à Christo non solũ vt crederet in eum, verũ etiam vt pateretur pro eo. Et ideò cõmendans istam gratiam quæ nõ datur secundũ aliqua merita, sed efficit omnia bona merita, &c.* Et paulò inferius ait Augustinus. *Cauendũ esse ne homo extollatur dicens se facere quod promisit Deus: Nonne fides gentiũ (inquit Augustinus) promissa est Abrahæ, & ille dans gloriã Deo plenissimè credidit? Quoniã quæ promisit potens est & facere. Ipse ergo fidẽ Gentiũ facit qui potens est facere quod promisit. Porrò si operetur Deus fidẽ nostram miro modo agens in cordibus nostris vt credamus: nũc quid metuendũ est ne totũ facere possit? &c.* In quib⁹ locis nõ est cur per verbũ, facere, & per potentiorẽ gratiã & per potẽtem potentiã nõ intelligamus secundũ omnem proprietatẽ, id ꝙ est Deũ verè & propriè efficiẽter agere sua potentia: & nõ tantùm moraliter præmouere. Et nõ est cur etiã nõ intelligamus Deũ facere vo-

len-

lentes ex nolentibus, nō solū moraliter ex persuasionibus, & ex loco & tēpore ad hoc aptis, quia hoc etiā videmus hominibus cōuenire erga alios homines & amicos, qui interdū remouentes impedimenta, & seruato tēpore & loco, adductisq; persuasionibus & occasionibus faciunt alios volētes ex nolētibus: sed etiā Deum hoc efficienter propriè & mirabili modo agere intus in corde nolentiū, propriè quidē & verissimè, sua infinita potentia, & sapientia, atq; inenarrabili virtute sua, & seruato libertatis iure si ne vlla eius læsione. Alioquin cur per quādā excellētiā dicitur de Deo facere volentes ex nolē tibus si id efficiendo iura libertatis læderentur?

Apertissimum testimoniū D. Augustini quòd nulla potest tergiuersatione repelli.

MIRABILIVS est quod idem Augustinus dicit eodē lib. de prædestinatione Sāctorū cap. 10. vbi ait. *Quotirea prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est (vt dixi) præparatio: Gratia verò est ipsius prædestinationis effectus. Quando ergo promisit Deus Abrahæ in semine eius fidē gentiū, dicens: Patrē multarum gentiū te cōstitui: Genes. 17. Vnde dicit Apostolus: Ideò ex fide, vt secundum gratiā firma sit promissio omni semini: non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quòd ipse facturus fuerat, non quòd homines, quia etsi faciunt homines bona quæ pertinēt ad colendū Deum, ipse facit vt illi faciant quæ præcepit: non illi faciunt vt ipse faciat quod promisit: alioquin vt Dei promissa cōpleant ur: nō in Dei, sed in hominū est potestate: & quod à Domino promissum est ab ipsis redditur Abrahæ.* Et non dicit D. Augustinus, quòd promisit Deus id quod præuidit futurū, vel nos esse facturos, per scientiā mediam, sed quòd promisit id quod ipse facturus erat: & quòd promisit de sua potestate, & nō de prēuisione potestatis aliorū, sed de suo promisit. Nā re vera promissio rei adimplendæ ad promittētem pertinet, & ad eius potestatem vt impleatur, & idcircò Deus de suo promisit, & de sua prædestinatione, & non ex præuisione alterius, vt dictum est.

Promissio rei ad implendæ ad promittētē pertinet, & ad eius potestatem vt impleatur.

ATTENDE igitur quo pacto Deus de suo promisit, de sua potestate & de sua prædestinatione & nō ex prēuisione alterius. Perpēde etiā Deū promittere id quod ipse facturus erat, & quo pacto Deus fatit vt homines faciāt quæ ip se præcepit & vult. Et rursus quomodo Dei promissa sunt certa & infallibilia: quia ipse ea facturus erat: Et quòd de suo promisit, aliàs nō adimpleret Deus quod promisit, quia nō esset in Dei sed in hominū potestate, à quibus redderetur q̄ ipse promisit. Et perpendendū est valdè, quòd in suis promissionibus ad extra implendis Deus nō ex præuisione nostrorū operum promisit, sed de suo & de sua potestate: aliàs ex præuisione nostrarū actionū antecedenter ad suas promissiones promisisset, quod apertè falsum est. Adde etiā quòd cùm D. Augustinus dicat Deū promittere id quod ipse facturus fuerat, non quod homines, quia etsi homines faciant bona & pia opera, tamē ipse est qui facit, vt illi faciāt non tamen illi id est homines faciunt, vt ipse faciat quod promisit. Quæ sanè sententia D. Augustini sicut verissima est, ita secundùm proprietatem debet intelligi.

P. Suarez contrarium videtur docere, nā ex sua sententia videtur sequi quòd homo facit vt Deus faciat.

SED Frāciscus Suarez si rectè inspiciatur videtur oppositū docere in simili lib. 1. de cōcursu Dei cū voluntate cap. 14. pag. 65. vbi affirmat, quòd Deus nō absolutè, sed sub cōditione vult, quòd, verbi gratia, actꝰ cōuersionis, pœnitētiæ, aut contritionis fiat à Petro & à voluntate eius, si ipsa sese ad huiusmodi actus cōuersionis & pœnitentiæ eliciēdos determinauerit: & sub eadem conditione velle influere & concurrere in eundē actum, expectando influxū voluntatis nostræ creatæ. Quòd si hæc doctrina, quā prædictus auctor docet, vera esset, sequitur apertè homines facere, quòd ipse Deꝰ faciat quod promisit, aut quòd se Deus determinet si voluntas Petri se determinauerit, expectando influxum voluntatis creatæ, sub cōditione eadē volens influere in actū supernaturalem: expectando inquā prius influxum nostræ creatæ voluntatis. Hoc autē est contra D. Augustinū, quia iuxta auctores oppositæ sententiæ Deus vult quòd Petrus agat pœnitentiā, sub cōditione tamen si ipse se ad eā eliciendā & agendā determinauerit: ergo si expectando voluntatē Petri ipse se determinat ad eliciendū consensum vel piā aliquā operationem, tunc Petrus facit quòd Deus faciat id quod sub tali conditione decreuit, aut promisit: aliàs Petro nō se determinante cuius determinatio expectatur, Deus nō faceret neq; adimpleret quod decreuit aut promisit. Quapropter si vera esset aduersariorū sentētia posset homo se extollere dicēdo: Ego, antequam Deus liberaliter decreuisset mihi dare efficacē gratiā suam, aut sufficientē, præuisus sum cōsentire, & præuisus sum me determinare, & præuisus sum influere, agere & operari ad pœnitētiā: ergo, &c. Vide D. Augustinū de gratia & libero arbitrio ad Valentinū, cap. 7. & 8. qui locus est valdè perpendendus. Et sanè aduersarij videtur sentire, quantū ego intelligere potui, q̄ Deus se determinat sub determinatione hominis, quę antecedit determinationē Dei, quod quidē non approbo: cùm ipsi dicant Deum velle influere quasi expectando voluntates nostras.

Si vera esset cōtraria sentētia posset homo se extollere ob liberam determinationē quapræuisus fuit se fore determinandū.

MOVEOR prēterea ad ea quæ intuli ex istorū doctrina: Quia si Deus vult auxilium gratiæ suæ dare sub cōditione expectando influxū voluntatis creatæ, sequitur quòd adimpleta conditione petita à creatura Deus facit quod decreuit, & promisit: ac proinde sequitur, quòd homines faciunt, vt Deus faciat quod promisit: quod est contra D. Augustini doctrinam.

Deum expectare volūtates creatas hominū non ante, sed post vocationem affirmat Suarez, & sic explicare cōtendit Concil. Arausi.

SED, quod magis mirandū est, affirmat Franciscus Suarez Deum expectare volūtates creatas hominum & consensus earum in pijs operibus & in actu conuersionis aut pœnitentiæ: Et idcircò vult explicare Concilium Arausicanum secundum, quoniam canone. 4. dicit Deum non expectare voluntatem nostram vt purgari velimus. Asserit enim præfactus auctor, hoc debere intelligi, quòd non expectat ante primā vocationem, sed quòd post illam Deus expectat

libe-

liberum consensum & pœnitentiã: ita docet li. 3. de auxilijs c. 15. pag. 230. & 231. & li. 1. de cõcursu diuinæ gratiæ, ca. vltim. pag. 86. colum. 2. vbi ait necesse esse Deum ita expositũ esse ad cooperandum voluntati, vt solũ quasi expectetur liberi arbitrij influxus, vt simul etiam ponatur in actu secundo influxus Dei. & lib. 3. de auxilijs ca. 13. pag. 208. num. 12. in fine, ait: quòd Deus quasi expectat liberam cooperationem creatæ volũtatis. Et in Breui resolutione de efficacia auxiliorum Dei, pag. 379. columna. 1. sic concludit: Ex quibus nobis constat post vocationem expectare Deũ vt homo consentiat & aperiat. Et idem docuit lib. 1. de auxilijs ca. 14. pag. 65. numero 5. Quę sanè doctrina si intelligatur & penetretur, neq; est conformis sententiæ D. Augustini, neq; verbis Concilij Arausicani secundi. Et sanè D. Augustinus li. 1. retractationum cap. 23. ait. *Velle non possumus nisi vocemur, & cùm post vocationem voluerimus non sufficit volũtas nostra & cursus noster, nisi Deus & vires currẽtibus præbeat & perducat quo vocat.* Et subiũgit. *Manifestum est ergò non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei esse quod benè operemur, ergò cõsensus cũ vocamur ex Deo nos sua misericordia perducente est.* Lege eundem Augustinum li. 1. retractat. cap. 9.

Ex D. Augustino hæc explicatio impugnatur.

ADDVCOR etiam ex eiusdẽ Augustini doctrina li. 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 11. dicentis. *Quod licèt sit donum Dei facta carnis mortificare, nihilominus exigitur à nobis, vt fiat proposito præmio; similiter exigitur à nobis fides, cũ dicitur: si credideris saluus eris: sed exigitur quidem quamuis sit donum Dei, proposito præmio salutis.* De quibus omnibus subiungit August. *Ideo enim hæc & nobis præcipiũtur & dona Dei esse mõstrãtur, vt intelligatur q & nos ea facimus, & Deus facit vt illa faciamus, sicut per Prophetã Ezechielẽ apertissimè dicit. Quid enim apertius quã vbi dicit: ego faciã vt faciatis? Locum ipsum Scripturæ fratres charissimi attẽdite & videbitis illa Deũ promittere facturũ se vt faciãt quæ iubet vt fiãt, cum ipse facit vt faciant diuina mãdata.* Hactenus Augustinus.

PROFECTÒ hæc pia opera ab hominibus agenda & efficienda tam in actibus internis elicitis, quã in actibus imperatis & externis, nõ solũ ea facit, & agit homo tãquã sola moralis causa, sed etiã tanquã causa verè & propriè efficiẽs, & physica eorũdẽ operũ: ergò pari ratione cũ Deus dicatur mouere nos & facere, vt faciamus illa opera, nõ solũ facit, vt ea faciamus per influxũ & præmotionẽ moralẽ in volũtatẽ: sed etiã per influxũ & præmotionẽ propriè efficientẽ vt distinguitur contra solũ moraliter q est physicè influere in nostrã voluntatẽ per suã gratiã actualem eam mouendo efficaci auxilio ad conuersionẽ, v. g. vel ad alios actus supernaturales.

Rationib⁹ ex metaphysica & philosophia petitis hæc veritas persuadetur.

MOVEOR præterea ex ipsis metaphysicæ & philosophiæ fundamentis: Nã certè volũtas actiuè elicit & producit actus Cõuersionis, Pœnitentiæ, Fidei, & Charitatis, &c. Nõ enim producũtur isti actus per creationẽ ex nihilo, aliàs volũtas merè passiuè se haberet in eis, vel Deus assumeret voluntatẽ vt instrumẽtũ creandi eosdẽ actus ex nihilo: quorũ vtrunq; nõ est ferendum. Et primũ est contra Tridentinũ Conciliũ Sessio. 6. vbi can. 4. decernitur voluntatẽ agere & cooperari, & nõ se habere merè passiuè, veluti inanime quoddã: ergò actus à voluntate eliciti ab ea elicitiuè & actiuè producũtur, & etiã à Deo efficienter, & nõ ex nihilo per creationẽ: ergò educuntur à volũtate vt subordinata Deo primo agẽti & primo mouẽti: igitur in tali eductione actus liberi cõuersionis & cõsensus Deus etiam concurrit & influit efficienter suo auxilio vt eliciantur, & vt educi possint ab eadẽ voluntate influente & agente: Nam voluntas & actiuè educit, & elicit actum illum, Deo etiã, vt prima causa, educente & influente vt fiat. Et rursus cùm actus, qui elicitur, & educitur, non fiat ex nihilo à Deo, & à voluntate, sequitur ipsum educi à potentia volũtatis: ergò sicut implicat, gratiam iustificantem, quæ non creatur, educi de potentia obediẽtiali animæ, quin Deus influat, & operetur in animã, ita implicat quòd huiusmodi actus educantur actiuè, & eliciantur à voluntate & potentia eius, & quòd Deus non influat in eandem voluntatem sua gratia præmouente, ad talem eductionẽ & productionem propriè efficienter, & physicè agens circa voluntatem. Quocirca nõ solũ voluntas actiuè elicit, & efficienter producit actum Conuersionis & Pœnitentiæ, sed similiter Deus sicut causa prior actiuè & efficienter efficit, & educit actũ Pœnitentiæ, Fidei, & Charitatis, quem cũ nõ producat ex nihilo per creationẽ, ipsum educit, & producit de potentia volũtatis per influxũ gratiæ suæ actualis: sed implicat Deũ influere ad huiusmodi eductionẽ per auxiliũ gratiæ suę, nisi efficiẽter propriè influat in ipsam volũtatẽ, & efficienter propriè atq; physicè influat ad talẽ eductionẽ. Imò verò ipsummet auxiliũ efficax, cùm fiat à Deo efficienter, & sit aliquid ad extra receptũ in libero arbitrio hominis, & nõ sit productũ per creationẽ ex nihilo, sequitur, quòd educitur de potentia obediẽtiali volũtatis à Deo, & cõsequenter vt hoc fiat, Deus influit in liberũ arbitriũ præmouẽdo ipsum & producendo formã illam actualẽ gratię diuini auxilij: & hinc fit vt Deus prius natura influat & inchoet operationẽ infallibiliter coniũctã cũ tali gratia actuali: ergò influxus Dei non solùm est influxus in actionem & effectum, sed etiam in ipsum liberũ arbitrium, à quo non solùm fiunt & eliciuntur prædicti actus, sed à quo extrahuntur cum nõ fiãt ex nihilo: & educi est extra duci: & per hoc non tollitur libertas in nulla ex opinionibus: ergò Deus efficienter propriè influit in voluntatẽ, præmouetq; eã prius natura per speciale auxilium suæ gratiæ efficacis, quem ipse producit eam mouendo: ergò non solùm se habet concomitanter Deus. Hoc argumentum à me adducitur vt ostendatur falsum esse fundamentum aduersariorum, quo volunt influxum Dei efficacem esse in actionem & effectum, & non in liberum arbitriũ, aut

Implicat quòd aliqua entitas educatur de potentia alicuiꝰ subiecti, & q Deus nõ influat in ipsum.

in causam secundã: & loquimur de influxu Dei propriè efficiente, & non solùm de influxu & concursu morali.

Quòd etiam sit sententia S. Thomæ ostenditur ex alijs locis, præter eos quos superius recensuimus, & respondetur quibusdam obiectionibus aduersariorum, & aperitur nostra sententia.

D. Thomas QVAMVIS in discursu huius disputationis multa dixerim⁹ ex D. Thomæ schola & doctrina, volo tamen nunc assertionẽ nostrã iterum firmare ex Sãctissimo Præceptore, nimirũ ex his quæ docet 1.2. quæst. 10. art. 4. & ex D. *D. Diony.* Dionysio de diuinis nominib⁹ c. 4. Dicũt enim ad Dei prouidentiam pertinere non corrumpere rerum naturas, sed seruare. Quo fit vt omnia Deus moueat secundùm eorum conditionẽ, ita vt ex causis necessarijs per diuinam motionem consequãtur effectus necessarij, ex causis verò contingentibus sequantur effectus cõtingẽter. Quia igitur voluntas est actiuũ principiũ, non determinatum ad vnum more pecudũ aut agentiũ naturaliũ, sed indifferẽter se habẽs ad opposita & ad multa, sic Deus ipsam mouet, q̃ nõ ex necessitate determinat eã ad vnum determinatione necessaria, sed remanet motus eius cõtingẽs seu liber. Rursus eadẽ quæst. 10. ar. 4. solut. ad 1. dicit: Quòd volũtas diuina nõ solũ se extẽdit vt aliquid fiat de re quã mouet, sed vt etiam eo modo fiat, quo cnogruit naturæ ipsius, & q̃ idcircò magis repugnaret diuinæ motioni, si volũtas ex necessitate moueretur, quod suæ naturæ nõ cõpetit, quã si moueretur liberè cũ determinatione libera prout cõpetit suæ naturę. Vnde solutione ad 3. cõcludit S. Thom. q̃ si Deus mouet volũtatẽ ad aliquid, impossibile est poni quòd volũtas ad illud nõ moueatur, nõ tamen simpliciter est impossibile. Vnde non sequitur quòd voluntas à Deo ex necessitate moueatur, quia videlicet mouetur motione libera, & mouetur nõ tãtũ moraliter, sed efficiẽter propriè. Hæc est causa cur S. Thom. 1.2. q. 9. ar. 6. ad 3. quãuis dixerit, quòd sine motione Dei volũtas non potest aliquid velle, inferius addidit: quòd Deus specialiter mouet aliquos ad aliquid determinatè volẽdũ, quod est bonũ, sicut in his quos mouet per gratiã. Vides quo pacto S. Præceptor docet, quòd Deus determinat volũtates eorum quos mouet per gratiã. Et profectò in illa quæst. 10. citata S. Thom. quærit an volũtas moueatur ab aliquo principio extrinseco efficiẽte, & non tãtũ à Deo? & cõcludit, quòd à solo Deo mouetur, intelligit efficienter propriè, quia obiectiuè & moraliter ab obiecto & rationibus & persuasionibus moralibus pro loco & tempore verè mouetur.

Ex testimonijs D. Thomæ ratio efficitur q̃ õclusione. Ex his omnibus colligo discursum pro nostra sentẽtia. Deus cũ sit prima & vniuersalissima causa omniũ effectuum, tam liberorũ, quàm naturaliũ mouet omnes causas inferiores secundũ propriũ modũ vniuscuiusq;, & idcircò quãuis præmoueat efficaciter omnes causas secũdas ad suas actiones & effectus, nõ tamẽ præmouet omnes eodẽ modo: sed causas naturales & necessarias ita præmouet, vt faciat illas operari naturali & necessario modo, causas verò liberas ita præmouet in pijs operibus, vt faciat illas operari libero modo: ad infinitã enim efficaciã & virtutẽ primę causæ pertinet, q̃ nõ solũ producat effectus secũdarũ causarũ quoad substantiã, sed etiã quoad modũ propriũ vniuscuiusq; causę, vt egregiè docuit S. Tho. 1. p. q. 19. ar. 8. & aliàs sæpè.

Obiectio. SED obijcies implicare cõtradictionẽ quòd volũtas nostra præmoueatur à Deo efficaciter: cùm sit agens infinitæ efficaciæ & virtutis, cui ipsa voluntas non potest resistere, & quòd nihilominus volũtas maneat libera & cõtingẽs ad liberè operãdũ, & agẽdũ. Vnde quãdo S. Thom. loco citato dixit ad infinitã virtutẽ primæ causæ, & efficaciã pertinere, quòd faciat causas secũdas operari iuxta propriũ modum, necessarias necessariò, & liberas liberè, idcircò dixit, quia causis necessarijs indidit virtutẽ & inclinationẽ ad quã necessariò ex natura rei sequitur operatio. Causas verò secundas, si sunt liberæ, nõ mouet eas Deus determinando volũtatẽ earum ad vnum, nisi in his ad quæ naturaliter mouentur, nempè respectu boni in cõmuni, aut Dei clarè visi, & in ordine ad motus primo primos: Respectu autẽ bonorum particulariũ ad quę liberè mouetur volũtas, ita mouet illã De⁹, quòd relinquit eã cõtingẽtẽ & indifferẽtẽ, vt se ipsam determinet per rationẽ. Supponit ergò D. Thomas, quòd motio, qua Deus mouet volũtatẽ, ad hoc quod liberè operetur, nõ est cũ determinatione efficaci & efficiẽti propriè seu physicè ad vnũ.

Dissoluitur. RESPONDETVR negãdo, quòd implicet cõtradictionẽ: quia absolutè etiã negãdũ est, quòd non possit resistere voluntas: Nã cùm operetur semper in huiusmodi actibus cũ determinatione libera, eius operatio libera est, & ipsa semper manet cõtingẽs, ex eo q̃ eadẽ determinatione, qua volũtas se determinat, determinatur à Deo præcedẽte collatione & cõferẽtia ex parte intellect⁹: Nã motio illa Dei gratuita & supernaturalis, qua Deus mouet volũtatẽ, nõ est sicut motio quæ reperitur in brutis, aut in agentibus merè naturalibus, & physicis per determinationẽ omnimodò necessariã sine collatione & cõferẽtia: Quoniã hæc motio diuina ita recipitur in volũtate, vt simul volũtas ipsa etiã se moueat, nõ tãtũ moraliter sed etiã efficienter: Motio enim illa diuina est virtute multiplex, & adaptat sibi volũtatẽ ita suauiter, vt nec destruat principiũ suę indifferẽtiæ, sed potius illustret, & illuminet ad actualẽ cõferẽtiã, & collationẽ ipsam paritervolũtatẽ trahẽdo. Est enim tractio hæc, qua volũtas præmouetur, tractio Dei & suę diuinę prouidẽtiæ atq; sapiẽtiæ, & nõ oportet iudicare de illa sicut de tractione lapidis, aut de proiectione sagittę, quia sicut ignoram⁹ omnẽ modũ agẽdi diuinæ potẽtiæ in particulari, præsertim in supernaturalibus, ita etiam non satis penetra-

mus

mus quo nam pacto Deus efficienter moueat voluntatem respectu actionum supernaturalium, & quòd eius libertas salua consistat. Docet autem Ruardus Tapper art. 7. de libero arbitrio, quòd quandiu rationis vsus non tollitur, similiter etiam non tollitur libertas, neq; vsus eius: sed non tollitur collatio & cõferẽtia actualis mediorum, sed potius à Deo iuuatur, vt piè operetur voluntas: ergò non stat Deum sua gratia actuali influere in liberum arbitrium occulta & mirabili sua motione, & quòd voluntas violentiam patiatur, inchoante Deo, & voluntate etiam creata eandem operationem, & quòd hoc non faciat Deus tã moraliter, quã efficienter propriè. Vnde in eodẽ instanti simul voluntas se agit & determinat sub præmotione & determinatione Dei, quamuis præuenta in priori naturæ: Et idcirco negatur consequentia, quòd nõ possit resistere absolutè loquẽdo. Quamuis de facto, & in sensu composito non stent simul neq; componãtur hæc duo inter se, quòd Deus actualiter sua gratia præmoueat voluntatem in instanti in quo cõuertitur aut pœnitet, & quòd ipsa actu non conuertatur neque pœniteat.

Eadem solutione, quanos, vtuntur aduersarij ad dissoluendum simile argumentum, quod cõtra eos fit.

Imò verò hæc responsio acceptatur ab aduersarijs quando arguitur contra eos simili argumento, vt si quis ita dicat: Non stat quòd Deus influat sua gratia in actum conuersionis, aut quòd actu concurrat, & cooperetur cum voluntate, & quòd ipsa nõ agat, aut non cooperetur Deo, vel quòd possit non agere: quia posito tali concursu diuinæ cooperationis actualis non potest non agere: ergò voluntas non operatur liberè.

Respondent aduersarij, in sensu cõposito fieri non posse vt adsit influxus gratiæ cooperantis, seu auxilium gratiæ actualiter cooperantis, quin peccator conuertatur nihilominus: & similiter in eo ipso instanti in quo peccator conuertitur, simpliciter esse in facultate arbitrij & suæ voluntatis in sensu diuiso nõ cõuerti: & consequenter ita liberè adhibere consensum ad credendum, sperandum, & pœnitendum, vt possit tunc non conuerti, imò & dissentire. Vnde nos sic dicimus in propositionibus de in esse non stare simul, neq; inter se cõponi, quòd Deus auxilio gratiæ efficacis moueat voluntatem peccatoris ad conuersionem & pœnitentiã, & quòd ipse de facto non conuertatur, neq; pœniteat, sicut supra ex D. Thoma retulimus; optimè tamen stare cum hoc quòd possit non conuerti, vt perpendit Stapletonus ex verbis Tridentini, Sessio. 6. can. 4. quia nimirũ voluntas liberè conuertitur & liberè pœnitet. Vnde in propositionibus diuisis de possibili, quæ faciunt sensum diuisum, absolutè & simpliciter fatemur, quòd potest dissentire. Nã certè efficacia diuinæ gratiæ non lædit, sed perficit libertatem nostram (vt docet D. Augustinus) quia mouet suauiter & fortiter ad modum voluntatis, & cũ integritate conferentiæ & collationis.

Vnde voluntas ipsa est quæ efficit determinationem suam in se, cùm illa sit quid immanens, & hac ratione dicitur se determinare: verũ quia eam nõ efficit nisi ex Deo, & sub determinatione Dei per auxilia gratiæ suæ, idcircò illa determinatio principaliter tribuenda est Deo. Hęc igitur determinatio volũtatis, vt est à Deo prædeterminatio vocari potest: per quã nõ intelligimus vnam aliquam actionẽ diuisam atq; distinctã, quæ fiat à solo Deo in voluntate, per quam omninò auferatur indifferentia voluntatis, & tollatur prius à solo Deo coërcendo eã ad vnum, prius inquã quàm ipsa voluntas consentiat. Et hũc sensum nos nõ admittimus, quia cum libertate pugnat, sed potius docemus determinationẽ volũtatis ita esse à Deo vt simul sit ab ipsa volũtate: quoniam cùm Deus influit in eam auxilia gratiæ suæ actualis, prius natura, quàm se actu determinet in vsu & exercitio habet in potestate omnia quæ necessaria sunt ad determinationẽ suam & ad cõsensum. Quare necesse est Deum hanc determinationẽ efficere, simul in eodem instanti in quo voluntas sub ipso Deo se determinat. Nõ sanè quòd Deus expectet prius influxũ liberi arbitrij, sed quòd cùm voluntas inchoat per gratiam conuersionem & determinationem intelligitur Deus nõ solùm expositus ad cooperandũ voluntati, sed etiam inchoare, & voluntatem non sine dependentia à Deo, vt causante & agente, id agere aut posse agere: & ob id censetur prius natura inchoare Deus, qui simul dedit supernaturalem formam gratiæ tanquam principium conuersionis & consensus supernaturalis. Vnde colligo quòd Deus non mouet voluntatem, determinãdo eam determinatione necessaria, sed determinatione libera, quia mouet eam cum suo modo libero, sicut cum ipsa se efficienter determinat ad aliquid vnum, manet quidẽ determinata ad illud, sed cum potestate ad oppositum, nam hæc est determinatio libera.

Deus nõ expectat influxum aut determinationem voluntatis creatæ ad operãdũ: sed potius ipse prius natura inchoat operationẽ determinando voluntatẽ non alia, sed eadẽ determinatione qua voluntas se determinat

Rvrsvs ad eandem obiectionem dico negandam esse vltimam consequentiam, quia S. Thom. 1. 2. tota quæst. 10. inuestigat motorẽ voluntatis efficientẽ non tantùm moralem, sed verè & propriè efficienter operantẽ circa volũtatem, eam mouendo efficienter physicè. Nam ob id ait, quòd neq; cælũ neq; Angelus mouẽt voluntatem hominis, sed quod tantũ à Deo mouetur, & tamẽ moraliter mouetur volũtas motiuis ex parte obiecti expectata occasione ab amicis, ab Angelis, & hominibus circũueniẽdo hominẽ, suggerendo & persuadendo ad aliquid: Ergo cũ S. Thomas neget volũtatẽ moueri ab alio quã à Deo, sequitur q̃ loquitur d̃ motione propriè efficiente seu physica. Sanè voluntas creata quatenus in actu primo supernaturali est principiũ suarum actionũ supernaturalium, est agens supernaturale subordinatum primæ causæ supernaturaliter agenti: Igitur volũtas quatenus dependet in agendo à prima causa cui in causando subordinatur, agit prout determinatur ab eadẽ prima causa à qua pendet sub eadẽ ratione: ergò cùm liberum arbitrium creatum determinetur à diuina voluntate, sequi-

Motione efficienter propriè solùm mouetur volũtas à Deo, ab Angelo autẽ & ab alijs solùm potest moueri morali-ter.

tur quòd ipsa non tantùm est concomitans voluntatem nostram, sed eam determinans, & prę mouens: aliàs si liberum arbitrium creatũ non subordinaretur in causando causalitati primi liberi, & causalitati primi agentis: sequitur, quòd ageret independẽter, & quòd tantũ primũ agẽs esset causa partialis: quod non est ferendum.

TANDEM occurrit ex Philosophiæ arcanis ratio, qua explicari potest assertio à nobis posita: Nam voluntas ex se nullam habet vim propriam innatam actiuè ad actus supernaturales, quoniam ex se est inferioris ordinis, & omninò improportionata: ergò nullo modo potest elicere supernaturalem actum inchoando ipsum tanquam propria causa etiam in suo genere: ergò vel requiritur, quòd Deus vtatur illa veluti instrumento: sed hoc non potest fieri aliter quàm per efficientem præmotionem, quæ sit propriè efficiens, vt cõstat de omnibus instrumentis, quæ assumuntur à principali agẽte: ergò si voluntas potest influere in actum supernaturalem eum eliciendo, requiritur, vt sibi donetur & infundatur supernaturale principium effectiuum, quod exeat de efficientia per modum actus primi ad actualem & exercitam in actu secundo, vt procedit à Deo & ab ipso applicatur. Quocirca in hoc potest cerni maxima differẽtia inter hos actus supernaturales, & actus naturales bonos moraliter, quòd voluntas propria virtute influit in actus naturales, & habet in se ipsa formam proportionatam illis, & idcircò optimè intelligitur posse inchoare actum cum communi concursu Dei, si tamen sit subordinata in agendo Deo primo agenti, qui prius natura concurrit, quando cooperatur ad omnes actus. Cùm igitur voluntas ad actus merè naturales morales in se habeat sufficientem formam, sed non habeat eam ad supernaturales, nisi eam à Deo recipiat, non influit propria virtute, sed vt elevata tantũ: & eb id non videtur illo pari & æquali modo posse inchoare actum supernaturalem, neque satis esse indifferentem quendam concursum, cuius determinatio excedit vires volũtatis: ergò necesse est quòd sit à Deo talis influxus determinatiuus ineffabilis & infallibilis (vt dicit D. Augustinus) & qui ita sit accommodatus voluntati, vt cùm sit ille virtute multiplex eam moueat, ita vt prędeterminet eam cũ suo modo libero. Quod argumentum tanto efficacius & fortius est contra auctores oppositę sententię, quanto ipsi fortiter defendunt volũtatem non concurrere ad actus supernaturales, nisi vt instrumentum Dei viuum: & ratio contra eos est superius tacta: Quoniam instrumenta præmouentur, & determinantur ab eo cuius sunt instrumenta. De qua re superius plura diximus. Nã certè non consequenter loquuntur, si voluntatem dicant esse instrumentum, & ex alia parte dicant quòd non præmouetur à Deo ad actionem & finem quem Deus intendit.

SOLET à quibusdã ex aduersarijs dici volũtatẽ creatã præter excitantem gratiã solũ indigere gratia adiuuante ad efficiendũ actum supernaturalẽ: quod verũ est si per gratiã adiuuãtẽ intelligant id quod verè intelligi oportet. Nã certè verè est gratia adiuuãs illa quę est per modũ principij influẽs physicè in actũ & in volũtatẽ. Vnde adiuuãti gratię tribui potest pręmotio volũtatis, & influxus in volũtatẽ, sumendo gratiam adiuuãtẽ pro ea quæ se habet per modũ principij: cũ verò ab huiusmodi gratia se habẽte per modũ principij determinatur volũtas, in ea determinatione Deus est qui inchoat eã, quia in omni opere bono siue hoc siue illo nos nõ incipimus (vt dixit Concilium Arausicanũ.) & tali inchoatione Dei præintellecta gratia adiuuans, quę se habet per modũ principij, eãdẽ cũ volũtate determinationẽ efficit, per actum elicitũ, quẽ & volũtas elicit & efficit, & gratia educit. Et ita nõ solũ illa determinatio formalis libera elicita à volũtate, quę est operatio eius, vel cõsensus, fit à volũtate, cooperãte gratia adiuuãte per modũ principij, quatenus est auxiliũ diuinę gratiæ influentis, sed etiam Deus per eãdẽ gratiam in voluntatẽ ipsam influendo, ipsum consensum, & ipsam determinationem efficit. Est enim auxiliũ id quod se tenet ex parte auxiliatoris, & se habet per modũ principij. Hæc igitur gratia adiuuãs si talis sit, efficax dici potest, quatenus est principium influens in voluntatẽ & principium eliciendi actum, inseparabiliter sibi coniunctum: nam & hac ratione posset huiusmodi gratia dici cooperans: Cæterum quatenus est principiũ influens antecedens & præueniens actum conuersionis aut consensus, potest dici gratia præuia seu auxilium præuium.

SED objicit Frãciscus Suarez duo ab eo probari posse. Primũ: quòd nullũ sit in nobis tale genus gratiæ adiuuantis, operantis, vel cooperantis, nobis inhærẽtis. Quod nõ video quo pacto cohæreat cum Cõcilio Tridentino & alijs. Secũdũ: quòd quãuis admittatur tale genus gratię, nõ potest illi attribui vis & efficacia determinandi efficiẽter propriè volũtatẽ ad cõsensum, vel ad exercitium actus. Profectò nõ video quo pacto hæc affirmentur à præfato auctore, qui nõ iudicat esse rẽ certã, gratiam Dei adiuuantẽ inhærere voluntati nostræ per modũ actus primi fluẽtis, licèt putet hoc esse probabile, dummodo talis actus primus gratiæ adiuuãtis includatur in solo auxilio sufficiente, absque præmotione efficiente & determinante voluntatem. Et quamuis dicat esse probabile posse constitui gratiam adiuuantem inhærentem voluntati per modum actus primi, & per modum principij, nihilominus putat repellendum esse hoc, sed sine causa, quia in superioribus ostẽsum est gratiam actualem efficacem Deinos præmouere, & in nobis recipi, & causari à Deo, esse que nobis inhærentem, & habere fundamentũ certissimum in Sanctis Patribus, in Scriptura, & in Concilijs, vt fusè à nobis ostensum est in discursu huius sectionis. Quare sensus aduersariorum alienus est à mente Diui Augustini, & aliorum.

Gratia Dei adiuuans per modum principij influit physicè in actum & in volũtatem.

Maxima quæ versatur differentia inter actus naturales & supernaturales.

Huius rationis maior vis in sententia aduersariorum asserẽtium volũtatẽ ad actus supernaturales cõcurre vt instrumentum.

Quòd gratiæ efficacis Dei fiat plerumque mẽtio apud S. Patres.

NAM certè apud Sanctos Patres plerumq; fit mentio gratiæ efficacis, quæ coniũcta est inseparabiliter operi, quæ non solũ à nullo duro corde respuitur, sed cui nullum hominum resistit arbitrium: vt egregiè dixit D. August. lib. de correptione & gratia c. 14. & lib. 1. de prædestinatione Sanctor. cap. 8. imò verò plerumque August. dicit esse quandam gratiam ineffabiliter potentem. Vbi perpendendum est verbum, potentem. Et gratiam illam Diui Pauli, qua conuersus est in Christum, cùm vocaretur de cælo, eo tempore quo erat vehementer auersus à Fide & à Christo, vocat August. efficacissimam. Ex quo sequitur efficacem gratiã quãuis habeat infallibiliter coniunctam in re operationem, habere plures gradus efficacitatis, & ob id non potest includi hæc gratia in illa, quæ cõmuniter dici solet sufficiens ad posse, quæ ab aduersarijs appellatur non efficax. Hanc autem gratiam efficacem cõprehendi posse sub gratia adiuuante, quæ habet latitudinem in ratione auxiliandi & adiuuandi, non solùm est rationabile, sed maximè conforme Tridentino Sessione 6. sæpius citata, cap. 5. 6. & 7. & can. 3. Quia cùm multiplex sit Dei gratia, & multis etiam modis distinguenda, multis etiam nominibus gratia adiuuans appellari solet. Nam etiã gratia vocationis alia solet dici efficax, alia non efficax, alia secundùm propositum, alia non secundùm propositum. Et gratiã, quæ pertinet ad donum perseuerantiæ, nomine specialis auxilij aduenientis homini iustificato expressit Concilium Tridentinum Sessione 6. can. 22. Et D. Augustinus recognoscit quandam gratiam, quæ non solùm operatur in nobis, sed etiam aliam, quæ facit nos operari, & quæ facit nos facere. Vnde siue hoc nomine, siue illo inuento ab Scholasticis, satis apertè constat esse constituendam gratiam Dei efficacem, ex doctrina & modo loquẽdi Scripturę & Sãctorum Patrum: vt satis apertè superius deduximus, ostendentes esse constituendam gratiam auxilij fluentis, per modum actus primi. Et quidem quòd sit constituenda gratia adiuuans, qua adiuuemur, non solùm moraliter sed physicè: & quòd hæc adiutoria sub nomine gratiæ adiuuantis comprehendantur, quamuis sint distincta, etiam auctores oppositæ sententiæ negare non potuerunt. Et falsum est apertè, quòd omnia, quæ continentur tam in sacris Literis, quàm in Sanctis Patribus, commodè & rectè explicari possint sine gratia de qua loquimur, aut sine infusione auxiliorum gratiæ Dei actualis.

Multiplex gratia Dei multis etiã nominibus appellari solet.

D. Thomas 1. 2. q. 113. art. 3.

SANCTISSIMVS Præceptor nunquam dubitauit, an infundatur nobis aliqua gratia actualis, quæ verè moueat liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum in his qui sunt huius motionis capaces. Nam 1. 2. quæst. 113. articulo 3. affirmat iustificationem impij fieri à Deo mouente hominem ad iustitiam: & quòd Deus mouet hominem ad iustitiam secundùm conditionem naturæ humanæ, videlicet quæ liberè operatur. Hinc infert quòd in adulto qui habet vsum liberi arbitrij, non fit motio à Deo ad iustitiam absque motu liberi arbitrij: quia ita infundit donum gratiæ iustificantis, quòd etiã simul cum hoc mouet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandũ, seu ad cõsensum. Vbi vides S. Thomam asseuerare non solũ Deũ infundere donũ gratiæ, sed simul cũ hac infusione mouere liberũ arbitrium ad cõsensum, & ad donũ gratiæ acceptãdũ: quo fit vt illa determinatio voluntatis, & applicatio, secũdùm quam determinatur ad consensum & acceptationem, fiat ex illa motione seu præmotione, quæ est à Deo & in ipso libero arbitrio moto à Deo mouente: nam certè actus mouentis in moto, est motus. Et idem Sanctus Thomas 1. 2. q. 110. art. 2. interrogans, vtrùm gratia sit qualitas animæ? dicit, quòd anima hominis mouetur à Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendũ, vel agendũ, & quòd hac ratione ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animę, quia actus mouentis in moto est motus, secundùm Aristotelẽ. Et paulò inferius in corpore dicit, quòd creaturis naturalibus Deus ita prouidet, vt non solùm eas moueat ad actus naturales, sed etiam largiatur illis formas & virtutes quasdam, quæ sunt principia actuum, vt secundùm se ipsas inclinentur ad huiusmodi motus: & sic motus quibus à Deo mouentur fiunt creaturis connaturales: multò igitur magis illis, videlicet hominibus & Angelis, & libero arbitrio eorum, quos mouet ad consequẽdũ supernaturale bonum, infundit formas aliquas, seu qualitates supernaturales, secundùm quas suauiter moueantur ab ipso. Vides quo pacto præter formas & virtutes, quæ sunt principia actuũ Deus mouet creaturas ad suos actus: ergò in libero hominis arbitrio per se sumpto oportet constituere ad actus supernaturales virtutẽ & vim, seu formam, aut principium eorundem actuum, & simul motionem Dei, qua re vera & de facto mouetur liberũ arbitrium ad acceptãdum gratiam & ad consensum eius. Semper igitur oportet constituere gratiam per modum actus primi ad operationes supernaturales in ipso libero arbitrio, quæ verè influat ad consensum & ad acceptationem.

Gratia sumitur & p habituali dono, & p diuino auxilio quos nos ad benè operandum mouet.

VNDE S. Thom. 1. 2. q. 111. ar. 2. agẽs de diuisione gratiæ, per operantẽ & cooperantẽ, de qua dicit Caietanus S. Thomã accipere gratiam eo loco pro quadam gratuita Dei motione, ait: Quòd gratia vno modo sumitur pro diuino auxilio quo nos mouet ad volẽdũ benè, & alio modo accipitur pro habituali dono: quo supposito inquit: Quòd in illo effectu in quo mẽs nostra & mouet, & mouetur, operatio nõ solũ attribuitur Deo, sed etiã animæ, & secũdũ hoc dicitur gratia cooperans, & quantũ ad actũ interiorẽ voluntatis Deus se habet vt mouẽs, & voluntas se habet vt mota, & nõ solũ Deus se habet vt mouẽs cũ voluntas incipit velle bonũ, verũ etiã cum acceptat, & cõsentit. Quod est dicere Deũ mouere voluntatẽ sua gratia actuali, vt dixit D. Prosper

per, præcundo à principio vsque in finē. Et in Enchir. Cōcilij Coloniēsis in tractatu de Sacramento pœnitentiæ, distinguit gratiā præuiam seu præuenientem in plures: & vnam dicit esse qua Deus præuenit peccatorē vt resurgat: alteram verò qua peccator resurgit iam assentiens Deo præuenienti, & vtramq; dicit esse præuiā gratiā. En quo pacto neq; ex sententia D. Thomę, neq; ex doctrina & iudicio aliorū vera esse potest vllo pacto sentētia opposita aduersariorum. Quocirca S. Thom. 1.2.q.109.art.1. affirmat: quòd quantūcunq; natura aliqua spiritualis ponatur perfecta omniex parte, nimirū per formā & per principiū motus & actionis: adhuc non potest procedere in actum suū, nisi à Deo moueatur, quę sanè motio est secundū rationē prouidentiæ suæ, & non secundùm necessitatē naturæ sicut in alijs rebus. Et à Deo, nō solùm est sicut à primo mouēte omnis motio, sed etiā est ab ipso omnis perfectio formalis sicut à primo actu: sic ergò actio conuersionis ipsius voluntatis dependit à Deo quantū ad duo. Primò quantum ad perfectionē & formā seu principiū agendi. Et Secūdò pendet ab eo quatenus ab eo mouetur ad agendum. Vnde voluntas non solū indiget forma supernaturali & principio agēdi respectu actionis & conuersionis supernaturalis, sed vlterius indiget motione supernaturali, imò verò auxilio Dei specialiter mouentis ad cōsensum & ad acceptationē gratiæ, nā in illo effectu in quo mēs nostra & se mouet & mouetur, operatio nō tantùm tribuitur Deo sed etiā ipsi animæ, vt docuit S. Thom. 1.2.q.111.art.2. Vnde liberum arbitriū hominis mouetur ab exteriori principio supernaturali, nimirum à Deo præter formam & supernaturale principium quod recepit à Deo ad agendum.

Quantuncunque voluntas creata perficiatur per formā & principium motus & actionis, adhuc non potest producere actum suū, nisi à Deo moueatur.

Voluntas per solum Dei auxilium sine habitu charitatis potest producere actū dilectionis Dei super omnia.

Vt minimum ergò negari nō potest ab aduersarijs quin quando quæritur: Vtrū Deus de potentia absoluta possit sine habitu supernaturali ita influere in ipsum liberum arbitrium auxilium gratiæ per modū actus primi ad elicien dos actus supernaturales, vt verè illiciat eos sine forma habituali supernaturali? (quod est opinio Theologorū fere omniū:) quòd intellectus & voluntas per solū Dei auxiliū, sine habitu Charitatis aut Fidei, potest producere actū dilectionis Dei super omnia, & similiter actus Fdei. Imò verò aliqui sentiunt Theologi, quòd de potētia Dei absoluta, Deus ipse potest per speciale auxiliū supplere lumen gloriæ, in quibus casibus ipsum auxilium seu ipsa motio actualis præmouens, datur per modum principij, & per modū actus primi fluentis, quod auctores oppositæ sententiæ etiam fatentur euenire, vel posse euenire ob defectū alterius principij seu habitus, & non dicūt lædi vsum libertatis quādo hoc fit in conuersione, & supernaturali consensu.

Ab aduersarijs obijcitur.

Sed contra hoc argumentātur auctores oppositę sententiæ. Quod licèt hoc genus auxilij per modū actus primi inhærentis & influentis admittatur, vel in aliquib⁹ actibus supernaturalibus, vel in omnibus, tamē admitti nō posse, vt ex se & ex propria vi præmoueat & prædeterminet voluntatē efficiēter propriè seu physicè ante actum secundū: quia aliàs talis præmotio & prædeterminatio tolleret vsum libertatis in eo actu. Sed respōdetur admitti debere auxiliū illud præmouēs per modū actus primi, seu prę determinans efficiēter propriè per modū actus primi: quia neq; prędeterminat, neq; pręmouet per modū act⁹ primi prędeterminatione necessaria, sed prædeterminatione libera, quod est dicere, ita determinari volūtatē ab illo auxilio seu forma gratię iuxta inclinationē auxilij, vt determinet volūtatē, cum potestate tamē volūtatis agendi oppositū, quia nō determinatur ab illo actu primo determinatione necessaria, sicut determinat calor ignis & forma ignis, sed determinatione libera, quia talis actus primus ita suauis est, licèt fortis, vt detur à Deo & infundatur, iuxta conditionē volūtatis liberæ cū potestate ad oppositū, quia nō determinatur act⁹ ille prim⁹ ante actū secundū, sed simul, cū præcisa solius naturæ prioritate, quæ nō lædit libertatem, vt sæpe sępius explicatū est. Cōcedimus itaq; prę determinationem causæ proximæ, nimirū volūtatis, quatenus constituta in actu primo ad agēdum, si talis prædeterminatio per modum actus primi, sit congrua & contemperata voluntati, eiusq; naturæ liberæ: quod est dicere, si est suauis prædictus actus primus, & ita adaptatus voluntati vt eam prædeterminet cum potestate manente in ipsa ad oppositum, non extrahendo eam à natura sua. Nam certè quando de facto ego sum determinatus hîc & nunc, & ad hāc determinatam operationem, & ad hoc obiectū, & ad hunc finem: quamuis sim determinatus formaliter & actualiter determinatione formali & actuali, siue hoc sit per actualem operationem, siue per aliquid aliud, nihilominus formalis & actualis determinatio non repellit à voluntate potestatem ad oppositum: ergò multo minus actus ille primus repellit potestatem ad oppositum ab ipsa voluntate, siquidem talis actus primus adaptatur suæ operationi & actui secundo eius, & voluntati operaturæ, ac proinde non repellit conditionem voluntatis absolutè loquendo. Quo fit vt per illam determinationem actus primi non constituatur homo in ratione agentis necessarij, sed in ratione agentis liberi: quia non est actus ille primus qui absorbeat & implanet voluntatem more pecudum aut aliarum causarum naturalium, imò verò & perficit eam & non repellit conferentiam & collationem actualem seu deliberationem, & consequenter potius constituitur volūtas in ratione agentis liberi. Quo fit, quòd hæc prædeterminatio, quæ in voluntate fit, fiat per actum primum & secundum ordine quodā: quia prius intelligitur actus primus quam secundus, siue actus primus distinguatur re à secundo siue non, de quo modò nihil agimus: nam ad rem quam molimur explicandam sufficit constituere actum primum & secundum. Imò verò hoc vlterius est necessa-

Solutio obiectionis.

Per formalē & actualē determinationē nō repellitur à voluntate potestas ad oppositū neque cōstituitur homo in ratione agentis necessarij sed liberi.

rium

rium, quia implicat, maximè in potētijs rationalibus aprehensiuis & appetitiuis, quòd non cōstituantur priùs in actu primo quàm in actu secundo.

Auxilium morale etiã habet fundamentum entitatis physicè.

Qvòd verò ab auctoribus oppositæ sentētiæ dicitur de auxilio morali tantùm, licèt verum sit Deum præmouere voluntatem moraliter, tamen auxilium morale, quòd Deus præmouet inspirando, vocando, aut incitando, etiã habet fundamentum entitatis physicæ. Quoniam moralitas rationum, illustrationes, ostensiones bonitatis obiecti, persuasiones, hæc omnia non possunt esse nisi habeant fundamentum entitatis physicæ, & cùm actu à Deo tribuuntur & infunduntur voluntati ad præmouendū eam moraliter, hoc non fit sine realitate & entitate physicè fundante: aliàs nihil essent omninò præmotiones illæ, id est, non possent cōsistere per modum principij. Igitur determinatio voluntatis, quæ à nobis constituitur per modum actus primi cum quadam simultate præmotionis moralis, plurimum differt à necessitate, quæ reperitur in agentibus naturalibus: in quibus necessitas in agendo non solùm profluit à conditione suæ naturæ vt in igne, verū etiam forma, quæ est proximum principium agendi, est adaptata ab ipsa natura cum propria conditione agentis necessarij vt sic. Et sane in igne est necessitas in agendo, non quia est constitutus in actu primo antecedenter ad actū secundum, quia hæc ratio est communis & vniuersalis omnibus agentibus etiã liberis, sed quia ignis est agens necessarium, & non operatur ex collatione & conferentia, neque cum dependētia à præmotione vlla morali, neq; est agēs intellectuale. Et quia actus ille primus sibi conueniens, ita est necessarius necessitate naturali ad vnum, vt sit commensuratus substantiæ ignis & congruus, ab ipsa natura proportionatus cū actione combustionis, & consequenter non est par ratio de voluntatibus hominum seu de libero arbitrio. Addo etiam quòd actus ille primus qui est in voluntate auxiliū gratiæ Dei ad actiones supernaturales determinans volūtatē in ordine ad actū secundū sibi proportionatū, determinat determinatione libera nō necessaria, quia relinquit potestatē ad oppositum in eadē volūtate: quia actus ille primus volūtatis includit etiã voluntatem, quæ cū ex se possit ponere obicē, & ex proprijs viribus malè agere, potest pariter resistere, ac proinde per hoc nō apparet cur actus ille voluntatis secundus sit necessarius.

Obiectio.

Dices hanc doctrinam esse veram si illud auxilium gratiæ actualis Dei, positum in voluntate subderetur vsui libero eius: sed potius euenit oppositū, quòd gratia subdit voluntatē vsui gratiæ ipsi⁹ auxilij diuini. Respōdetur: Primò, quòd hoc argumentū tenentur soluere aduersarij, qui putant liberum arbitriū nostrū habere se vt instrumentum in operibus supernaturalibus. Nam si est instrumentū, eius operatio est subdita vsui & operationi principalis agētis, & ex cōsequēti carere debet libertate: quia subditur vsui agētis principalis, & nō suo. Secūdò respondetur actum illū primum ita cōmensuratū esse voluntati, vt quamuis eam determinet ad operationem sibi proportionatā, hic & nunc, tamen cùm cōmensuratè eā determinet determinatione libera, manet in ea potestas ad oppositū, & potest vti sua libertate, quia ad ponendū obicē, vel ad resistēdū, solū requiritur q̄ vires suæ subijciātur sibi, vt de se possit illud facere. Respondetur tertiò, quòd licèt auxilium gratię sit actus primus à Deo veniēs, tamen cū vsus gratię actualis & ipsius auxilij, diuini sit donū Dei, vt decreuit Cælestinus PP. in epistola ad Episcopos Galliæ, negari nō potest quin ita subijciat gratia voluntatē sibi, vt principio agē di suauissimo, vt actualis operatio, in qua cōsistit vsus eiusdē auxilij sicut est libera, ita & ipse vsus eiusdē auxilij liber sit, semper tamē ex Deo pendens, ita vt subijciatur Deo, & dominio Dei: qui verè est dominus liberi arbitrij, & vt liberum est, habet enim liberum arbitriū creatum potentiam obedientialem ad Deum, ita vt non sit contra eius libertatem ista gratia: quia per hāc gratiam vtitur homo bene libero arbitrio. Respōdetur quartò, idem posse obijci de gratia adiuuante seu de concomitāte, quæ habet se vt principiū operis, & quæ physicè influit in ipsam actionem: Nam vel ipsa gratia adiuuans subditur libero vsui voluntatis vel non: si non, ergò voluntas non agit liberè cum operatur ex adiuuante gratia: si dicas quòd subditur libero vsui arbitrij creati: ergò prius est liberum arbitriū vti gratia Dei, vt se determinet quàm quòd ipsa gratia agat & operetur. Igitur cū aduersarij non intelligant per gratiam adiuuantē & cōcomitantem lædi liberum arbitrium, sequitur eos confiteri debere, quòd neque lædituꝛ per gratiam adiuuantem, quæ se habet per modum actus primi inhærentis. Nam cur gratia adiuuans, quæ producitur à Deo efficienter propriè, & recipitur in voluntate, non est inhærens illi: est enim gratia adiuuans auxilium Dei, quod efficitur à Deo ad extra, ac proinde in voluntate positum & illi tributum à Deo: quo fit vt actuet voluntatem, & consequenter potest considerari per modum actus primi. Vnde plures ex Theologis non infimæ notæ, etiam Moderni, sentiunt de natura auxilij gratiæ Dei esse quòd sit præuium, & quòd quamuis simul, v. g. concomitetur conuersionem, contritionem, & consensum peccatoris ita vt inseparabiliter coniungatur illis, simul tamen cum hoc habet quòd non tantum sit concomitans actionem & consensum voluntatis, sed etiã sit præuiū, quia ex eo quod habet gratia actualis rationem auxilij diuini & supernaturalis est præuiū, & habet quandā rationem prioritatis. Tandem dico gratiam adiuuantē esse cōmensuratā vsui libero voluntatis, & consequenter nō lędere illum. Idē sentiendum esse iudico de illa gatia quæ datur per modū actus primi, & inhæret voluntati, quòd est cōmensurata vsui libero volūtatis, & cōsequēter nō lędere libertatē eius:

Dissoluitur & adducũtur plures solutiones.

Si non lædi tur liberũ arbitrium per gratiam adiuuãtem & concomitantem neque etiã lædetur per gratiã adiuuãtem, quæ se habet per modũ actus primi.

quia disponitur à Deo ista cõmensuratio suauiter, iuxta conditionem libertatis, & non negamus, sed potius affirmamus Deum per suam gratiam efficere, vt nos benè vtamur eadem Dei gratia. Hoc dixit Cælestinus PP. in epistola illa ad Episcopos Galliæ, vbi dicit: Neminem nisi per Deum, seu per Christum, & gratiam eius libero benè vti arbitrio: & loquitur de libero vsu in pijs operibus supernaturalibus. Et D. Prosper lib. 4. responsionum pro D. Augustino apertè docuit Deum non solùm esse principium piarum cogitationum, sed etiã esse executorem: & loquitur D. Prosper de Deo inchoante, & etiam efficienter exequente actus interiores liberos voluntatis. Itaque Deus voluit commẽsurare gratiam suam cum libertate ne læderetur, & ita ille actus primus infusus, qui non extrahit voluntatem à libertate, quia commensuratur eidem libertati, non extrahit eam à libero vsu, sed gratia & libertas voluntatis habent inter se veluti quandam correspondentiam & dependentiam, ita vt neque lædatur gratia, neque vsus liber qui per eam fit. Vnde ad obiectionem respondetur sufficere quòd talis gratia detur à Deo cum commensuratione ad libertatem & ad vsum eius liberum: qui dat suauitatem in consentiendo, & nihilominus attingit à fine vsque ad finem fortiter.

Cælestinus PP.

D. Prosper

Concilium Tridentin.

Itaque cum in Concilio Tridentino Sessione 6. can. 4. dicitur. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præpararet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, merèq; passiuè se habere: anathema sit.* Equidem non solùm intelligit Concilium posse dissentire vocationi non efficaci & cõmuni vocationi: quia huic de facto plerumque resistit, sed etiam intelligit ita libere consentire, & conuerti voluntatem ad Deum per gratiam efficacem, vt quamuis de facto ea posita, teste Augustino, nullum hominum resistat arbitrium, sicut neque posita concomitante & adiuuãte, tamen absolutè posse dissentire, quia liberè consentit, & posse obijcere peccatum, & obicem ponere ex proprijs viribus, quas in se habet voluntas, maximè cum tunc liberè agat cum potestate ad oppositum. Quare sub nominibus excitationis & motionis diuinæ in liberum arbitrium, comprehenditur omnis actio gratiæ Dei, quæ consensum hominis antecedit, & quæ ad illum præstandum mouet. Et cùm hæc sit tanta latitudo gratiæ excitantis, & mouentis, falsum est affirmare, hanc gratiam vnicam tantùm esse, sed latitudinem habere, & vnam esse excitantem tantùm, aliam verò actu premouentem efficaciter. Et ob id, Enchiridium Concilij Colonienſis, & Patres qui illi adfuerunt immediatè post Tridentinum dixerunt duplicem esse gratiam, vnã qua Deus præuenit peccatorem, vt resurgat: alteram verò, qua peccator præuenienti Deo assentiens iam resurgit: & vtraque gratia dicit Deum præuenire voluntatem nostram. Et id ipsum docuit Andreas à Vega loco superius citato.

Quarta Conclusio.

Concluſ. 4. Oppoſita ſententia neceſt vera & conformis D. Auguſtino, nec etiam dat gratiæ efficaci quod ſuum eſt.

Dico quartò. Causalitas & efficacitas gratiæ actualis Dei eo modo explicata, quo ab auctoribus oppositæ sententiæ traditur & explicatur, non solùm distat longè à vera sententia D. Augustini, vt visum est: sed neque satisfacit, neque dat gratiæ Dei efficaci quod suum est. Antequam hæc assertio à nobis ostẽdatur necesse est vt aduersariorum sentẽtia de efficacia gratiæ actualis Dei à nobis in medium proponatur fideliter.

Nam profectò auctores oppositæ sentẽtiæ, in tribus constituunt efficaciam gratiæ actualis Dei, seu diuini auxilij, vt superius in exordio huius disputationis retulimus. Primò quidem in ipso auxilio sufficiẽte, seu in ipsa gratia actuali sufficiente. Secundò in illa congruitate, & oportunitate loci, & temporis in ordine ad hominis liberum arbitrium, & ad eius naturalem conditionem, complexionem, & ingeniũ. Tertiò in illa scientia media, seu præscientia futurorum conditionatorum, qua Deus (vt isti auctores volunt) præscit quid facturum est liberum hominis arbitrium, si in tali vel tali ordine rerum creetur, antecedenter ad diuinum decretum & ad diuinam voluntatem, seu ad prædefinitionem Dei de rebus ab ipso fiendis, seu de rebus euenturis & futuris. Quare Franciscus Suarez lib. 3. de auxilijs, cap. 14. numero 9. §. Addendum igitur est: affirmat: quòd totalis efficacia gratiæ actualis Dei, v. g. inspirationis, aut vocationis consistit in hoc, quòd Deus præuidet per scientiam mediam, quid vnaquæque voluntas libera sit operatura, in omni euentu & occasione, si in ea constituatur & collocetur, & quando, & cui vocationi vnumquodq; liberum arbitrium sit consensurum, si illi detur: & quia illo tempore vocatur & modo quo nouit illum esse consensurum. Sic ergò talis vocatio (inquit ille) vocatur efficax: quia licèt ex se nõ habeat infallibilem effectum, tamen vt subest scientiæ mediæ infallibiliter est illum habitura. Vnde hæc efficacia gratiæ solùm est moralis, & non est simul efficiens propriè seu efficiens physicè, vt distinguitur contra moraliter tantùm: ac proinde congruitas quam habet vocatio cum ingenio, natura, complexione, & conditione huius hominis, cum loco, & tempore oportunis, quando præuidetur per scientiã mediam operatura, illa est efficacia gratiæ actualis Dei & vocationis eius.

Secundò dicit idem auctor lib. 3. de auxilijs, cap. 14. §. Sed in quo consistit hæc congruitas: pag. 217. & duabus sequentibus, quòd hæc congruitas, à qua gratia præcisè sufficiens redditur efficax, consistit in illa proportione quæ est inter ipsam gratiam sufficientem inspirantem vel illuminantem, effectam in homine talis cõplexionis & naturæ, & talis conditionis

natu-

naturalis. Deus enim hæc omnia exactissimè comprehendens, nimirum naturalem complexionem, & conditionem cuiuslibet hominis, nouit etiam quis modus vocationis sit accõmodatus huic homini vel illi, & suæ complexioni & conditioni naturali, vt si illi accõmodetur, consentiat, conuertatur, & emoliatur. Adducit exemplum Dęmonis, nam Dęmon sua scientia & potentia potest sic tentare hominem, si permittatur à Deo, vt morali quadam certitudine illum ad consentiendum inducat, quia comprehendit vniuscuiusque hominis complexionem, conditionem, & naturam: & potest obseruare tempus, occasionem, & modũ, quo nouit esse oportuniora ad persuadendum & inclinandum hominem: & ex consequenti sequitur (inquit Suarez) quòd Deus potest idipsum facere per hanc supradictam congruam vocationem multò excellentiori modo.

TERTIÒ dicit loco citato nume. 8. Quòd licèt verum sit efficacem vocationem sæpe fieri hoc singulari modo quo Deus aliquid speciale operatur in homine, naturæ, conditioni, & complexioni eius accõmodatum: sicut quando vocauit Paulum efficacissima vocatione, ita illum terrendo, illuminando, & taliter illi proponendo obiectum, vt corrigeretur ad fidem: licèt hoc inquam verum sit, tamen asseuerat prædictus auctor, quòd hoc nõ requiritur, vt necessarium ad efficaciam vocationis: id est, vt consequatur effectum: quia aliàs qui non ita vocaretur non haberet vocationem sufficientem.

DENIQVE hic auctor comparat efficaciam auxilij excitantis Dei vocantis & præuenientis, efficaciæ morali, quam habet Diabolus ad inducendũ & mouendũ hominem ad consensum in peccatum, insinuans simili efficacia Deũ mouere homines ad actus supernaturales, quã Diabolus habet, vt moueat ad peccandũ. Quod videtur apertè insinuare lib. 3. de auxilijs cap. 10. §. Quòd verò. nume. 9. & cap. 14. pag. 218. vbi supra. Sed quod magis perpendendum est, illud videtur esse, quòd prædictus auctor non videtur tribuere maiorem infallibilitatem Deo quàm Diabolo.

POSSET tamen Theologus ingeniosus iure interrogare, an possit esse exacta certitudo ex sola efficacia morali excitationis & vocationis congruæ in loco, & tempore per respectum ad conditionem, complexionem, & ingenium hominis: ita vt sit infallibilis cõnexio talis effectus liberi in tali causa morali, hoc est consensus liberi ipsius voluntatis cum vocatione & inspiratione diuina, ex sola efficacia morali superius dicta. Huic inrerrogationi prædictus auctor loco citato cap. 10. num. 7. respondet: Quòd in determinatione purè morali quæ fit à Deo per congruitatem supra tactã, potest peruenire ad infallibilitatem moralem, quę nũquam deficiet, non tamen ad methaphysicam infallibilitatem, id est ita exactam vt repugnet deficere. Ratio prioris assignatur ab hoc auctore, quia Deus comprehendit capacitatem, & inclinationem voluntatis humanæ, & omnes modos quibus potest ad consensum inclinari, vel ab eo impediri: & ex consequenti Deus potest ita circumuenire, & præparare volũtatem, vt faciat eam infallibiliter consentire infallibilitate morali: quia morale est quòd voluntas sinat se ipsam ducere à congruitate temporis & loci, & à congruitate proportionata cum conditione eius, ablatis impedimẽtis, & debitè proposito obiecto: Nam hoc modo multa liberè facit homo, vel omittit, quæ infallibilitate quadã operatur. Et subiungit idem auctor: Quòd Dęmon sua tentatione potest hominem ita opprimere vt infallibiliter sequatur consensus, nisi gratia Dei subueniat. Imò verò vnus homo si optimè cognoscat alterius ingenium, & conditionem, si est efficax in persuadendo potest efficacissimè eum pertrahere ad id quod vult, & eodem pacto idem affirmat Deo potissimè cõuenire. Ratio verò posterioris partis, nempè quòd cum sola morali determinatione nunquã peruenitur ad absolutam omninò infallibilitatem, cui non potest subesse falsum, est quia cũ tota determinatione morali semper manet indifferens voluntas & potestas non consentiendi, etiam in sensu composito, seu præsuppositã gratia antecedente: ergò absolutè loquendo non repugnat, neque est impossibile non sequi talem effectum posita tali gratia: ergò neque erit simpliciter infallibile ita vt non possit deficere.

HOC ita posito nostra conclusio est contra prædictam opinionem quantum ad ea quæ infra dicemus. Et primò: hæc sententia quantum distet à sententia Diui Augustini ostensum est à nobis superiùs ex penè infinitis locis Augustini, & inferius etiam ostendetur ex alijs. Secundò: hæc sententia non distinguit re vera auxilium sufficiens ab efficaci ex parte alicuius intrinseci: nam gratia efficax verè conuenit cũ sufficiente, quia gratia sufficiẽs etiam congruit, & realiter comtemperatur voluntati, veluti intrinseca motio & realis vis diuina ad mouendũ voluntatem, iuxtà illud Pauli ad Romanos 2. *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: tu autem secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram.* Et solùm apud Suarez distinguuntur, quia idem omninò auxilium gratiæ oportuno tempore datum iuxta naturæ complexionem, est gratia efficax, si verò idem auxilium non detur oportuno tempore, aut loco est inefficax: ergò non distinguuntur ab intrinseco ex parte diuinæ motionis & ex parte gratiæ actualis Dei auxilium efficax & sufficiens, nisi tãtùm secundùm respectum extrinsecum, vel secnndùm proportionem ad naturam & oportunitatem, quod quidẽ ex ipsa volũtate desumitur, videlicet, quia in tali ordine & cõbinatione rerũ, & tali tẽpore congruo sic operabitur ex innata natura sua, & libertate: Neq; gratia ex vi sua secũ affert illã oportunitatem: aliàs cuicunq; daretur oportunè reciperetur, & recipiens cum illa operaretur.

Propter quas rationes sententia modò explicata nõ placeat.

Ad Romanos 2.

A futuro euentu sortiri auxiliũ suam efficaciam putãt contrarij auctores.

PRAETEREA vis illa & motio quæ gratiæ efficaci attribuitur ab auctoribus oppositæ sententiæ est indifferens, & non est intrinsecè maior in illa quàm in gratia sufficiente: quia vtrũque auxilium est intrinseca motio & realis vis ad mouendum voluntatem: sed per illam congruitatem, & contemperationem cum complexione naturali, & conditione hominis, nihil intrinsecè accedit ipsi gratiæ à voluntate cui congruit & adaptatur, vt consequenter tenentur fateri auctores oppositæ setentiæ. Reliquũ ergo est, vt à futuro euentu, & à consensu præcognito infallibiliter à Deo efficaciorem vim accipiat gratia præuenientis auxilij, vt cõpletè dicatur efficax: sed constat neq; ab ipso cuẽtu, neque à nuda præcognitione Dei, quatenus præcognitio præcisè est, nullam ipsi gratiæ præuenienti maiorem vim accedere: ergo nullã intrinsecam differentiã realem assignant auctores oppositæ sententiæ inter gratiã sufficientẽ & efficacem, sed tantũ ab euentu. Quòd autem ex sola præcognitione Dei non accipiat vim realem gratia præueniens negari nõ potest: Quia sicut Deus, vt aduersarij etiam fatentur, præcognoscit & cõprehendit voluntatem hominis in talibus circunstantijs constitutã, & cum tali gratia cõgruo tempore & loco data esse bene operaturam, ita etiam præcognoscit alterius hominis voluntatem, æquali gratia & motione præuentam, & in talibus circunstantijs constitutã, non fore benè operaturam. Sed in isto secundo homine sola præcognitio Dei non est causa ineffi caciæ, seu nõ efficaciæ (vt proprius loquamur) diuini auxilij: ergò neq; in illo priori hæc diuina præcognitio est causa realis vim prestans auxilio sufficienti: ergò nulla realis causa comple mẽti efficacitatis gratiæ assignatur ab aduersarijs, præter innatam libertatem, complexionem naturalem, seu cõditionem & proprietatem indiuidualem huius hominis qui conuertitur, bilioſam, sanguineam, aut pituitosam, &c. ex quibus sumitur realis differentia inter vnum hominem qui conuertitur, & alterum hominem, qui cùm pari gratia fuerit præuentus, non conuertitur, nisi tantùm ex proprietate & conditione naturali & innatæ liber tatis vtriusque.

Vt procedit ab intẽtione Dei, & eius proposito auxilium habet quòd efficiat conuersionem, & bonam operationem.

ET confirmatur. Nam auxilium efficax est actualiter à Deo, & ab eius absoluta & efficaci voluntate & intentione procedens, qua omnia quæcunque vult facit realiter, & efficienter propriè seu physicè, & non tantùm moraliter, sed sicut omnipotens prouisor fortiter & suauiter, sic enim efficit bonam conuersionem & electionem hominis, ad quam dirigit absolutam intentionem, vt absolutè velit Deus cõuersionem huius peccatoris fieri & exerceri per ipsum hominis liberum arbitrium, qua infallibiliter, v.g. Petrus ex infideli fit fidelis, & ex peccatore fit iustus: quæ efficax gratia & vocatio Dei appellatur à D. Augustino vocatio secundùm propositum, & de illa dicit, quòd à nullo duro corde respuitur, quia ipsa cor emollit quantuncumque sit durum: quoniã ratio cur à nullo duro corde respuitur est, quia ipsa gratia cor emollit. Sed quare à nullo duro corde respuatur, aduersarij non attribuunt ipsi gratiæ actuali Dei, neque Deo præmouenti efficiẽter propriè seu physicè, sed dumtaxat moraliter tanquam præscienti futurum euentum conuersionis, si illa gratia deter certo quodam tempore, & loco oportuno huic homini cum proportione ad eius complexionem & conditionem: ergò non constituunt veram & realem differentiam inter sufficiens & efficax auxiliũ. De quo auxilio efficaci, & de absoluta Dei intentione in eo inclusa loquitur D. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium cap. 95. cùm ait: *Quomodo esset omnipotens si aliquid voluit facere quod non fecit, & quod est indignius ideò non fecit, quoniam ne fieret quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impediuit.* Et paulò antea: *Quis tam impiè desipiat, vt dicat Deum malas hominum volũtates, quas voluerit, vbi voluerit, & quomodo voluerit in bonum non posse conuertere? aliàs non esset verum, quod in Psalmis dicitur: Omnia quæcunque voluit fecit in cælo & in terra.* Et tamen de auxilio sufficiente ait Deus: *Quoties volui congregare te quemadmodũ gallina cõgregat pullos suos sub alas & noluisti.* Quare motio efficax gratiæ Dei habet infallibilem connexionem cum libero voluntatis consensu, sicut & ipsa voluntas Dei absoluta habet infallibilem connexionem cũ bono vsu liberi arbitrij, quia Deus mouet liberum arbitrium efficaciter & suauiter, etiam faciendo & efficiendo illum deliberare: & per hoc nõ dixit Augustinus quòd lædatur libertas, aut quòd necessitetur voluntas hominis.

D. Augu. in Enchiridio.

Auxilium sufficiens dat posse operari, efficax verò actualiter operari.

RVRSVS Diuus Augustinus de sufficiente auxilio fatetur, quòd dat posse operari, sed de efficaci dicit, quòd est talis conditionis, vt det actualiter operari: Nam libro primo contra Pelagium & Cœlestium de gratia Christi cap. 24. ait: *Legant ergò & intelligant, intueantur, atque fateantur non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna, atque occulta, mirabili, atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates.* Et capite 25. sequenti: *Non solùm enim Deus posse nostrum donauit atque adiuuat, sed etiam velle & operari operatur in nobis.* Quod est dicere, non solùm dat actum primum, quod est posse, neque solùm dat auxilium sufficiens ad posse, sed vlterius dat auxilium de facto adiuuans & reducens nos de actu primo ad secundum: & applicat voluntatem nostram sua actuali gratia ad agendum: quod etiam est operari velle & perficere. Et postea adducit Augustinus illud Pauli ad Romanos. 8. *Qui spiritu Dei aguntur filij Dei sunt.* Et illud: *Spiritus Patris vestri est qui loquitur in vobis, non vos estis qui loquimini*: & antea dixerat: *Nolite præmeditari quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Neque ex hoc lædituer liberum arbitrium aut eius vsus, sed perficitur & actuatur à Deo, qui est primum mouens, & primum

Ad Romanos. 8.

deli-

deliberans, & dominus liberi arbitrij, cuius absolutæ deliberationi subordinatur idem liberum arbitrium creatum. Et Caietanus Prouerbiorum 21. explicans illud : *Cor Regis in manu Domini.* ait: Quòd in eo loco ostendit Spiritus sanctus efficaciam diuinæ operationis ad inclinandum hominem quocunque Deo placuerit: & satis insinuat Deum esse dominum liberi arbitrij, & quo pacto in eo sit potentia obedientialis ad Dei potestatem, ipso illæso manente.

Caietanus. Prouer. 21.

Cum libero nostræ voluntatis cõsensu stat infallibilis auxilij efficacis connexio.

Qvòd si quis oppositum sentiat, is sanè vult suum liberum arbitrium exemptum esse ab efficacia diuini voluntatis, ex cuius consilio, omnia operatur Deus, & non ex consilio voluntatis nostræ præuiso, si in tali ordine, vel in tali combinatione rerum, conditionaliter creetur. Nos itaque hanc infallibilem efficacis auxilij connexionem damus, cum libero voluntatis nostræ consensu, quæ simul est cum absoluta & efficaci voluntate Dei, qui intimè per suam gratiam mouet, & applicat voluntatem humanam ad liberè consentiendum: ita vt voluntas se ipsam determinet sub determinatione Dei: tantùm abest quòd non sinat voluntatem vti sua libertate, imò facit, quòd vtatur & consentiat, & ex deliberatione eligat seruire Deo.

Moralis certitudo quæ ponitur ab aduersariis de ipso opere conuersionis quamuis sit satis vt homo iudicet talẽ effectum esse futurũ, non tamen vt Deus qui falli non potest, iudiciũ proferat.

Confirmatvr secundò: Quia licèt moralis certitudo quam auctores oppositæ sententiæ ponunt, & quæ ab ipsis vocatur moralis infallibilitas, sufficiat ad hoc vt homo absolutè iudicet talem effectum esse futurum, posita tali causa præcisè morali qualis ab eis ponitur, non tamen vt Deus, cuius iudicium est infallibile, ita iudicet ex præcisa vi solius istius causę moralis. Nam certè diuinum iudiciũ ita debet esse infallibile, vt implicet contradictionem illi subesse falsum: sed illud obiectum ex vi talis causæ præcisè non potest ad tantam infallibilitatẽ peruenire, quia nõ solũ in volũtate manet vera realis ac physica potentia ad resistendum, verùm etiã manet vera & realis potentia moralis: & in opinione oppositа, non solũ nõ implicat contradictionem effectũ illũ impediri, sed neq; de facto ratione illa causę moralis præcisè, quia aliquando resistet: quoniã videtur incredibile q̃ inter infinitas ferevoluntatis actiones, in nulla de facto deficiat resistẽdo, ex vi, inquã, causæ moralis, quã præcisè ponũt auctores oppositę sentẽtiæ. Imò verò si talis infallibilitas tantũ est moralis, & ex parte causæ moralis præmouẽtis solũ moraliter, sequitur, quòd effectus diuinę prædestinationis in prædestinatis & in Paulo non sunt omninò certi & infallibiles, ita vt illis repugnet subesse falsum. Quod sanè ex dictis aduersariorum satis benè colligitur.

Omne auxiliũ efficax est sufficiẽs non è cõtra.

Sed vt cognoscamus differẽtiã auxilij sufficiẽtis & efficacis, quia vtrũq; se habet per modũ principij, aduertẽdũ est quòd omne auxiliũ efficax est sufficiens, sed nõ è conuerso: imò verò gratia actualis præcisè sufficiens vt sic, præscindit ab actuali effectione & executione, quia licèt quod est efficax auxiliũ sit sufficiẽs, ex eo q̃ non potest efficaciter efficere nisi sit sufficiẽs, tamẽ è cõuerso potest esse causa sufficiẽs in suo genere, & non efficax, id est non efficiens secũdùm virtutem quam trahit actu à Deo, neq; omnino completa, ac proinde auxilium sufficiens non includit actualem effectionem.

Rvrsvs aduerte, quòd auxilium gratiæ actualis datum per modum principij, potest diuidi, in physicam & moralem causam actus supernaturalis: causa moralis est quæ cõsilio, persuasione, precibus, vel alio simili modo mouet causam liberam ad agẽdum: physica verò causa quę verè & propriè atq; exactè dicitur efficiẽs illa est quæ per se influit, & dat esse effectui ipsum attingẽdo. Et sane vtroq; modo auxilia gratiæ sunt causæ mouentes voluntatem nostram, & sunt causæ actuum supernaturalium in nobis & in nostro arbitrio: Quia huiusmodi actus nõ solùm sunt morales humani, & deliberati, qui pertinẽt ad genus moris, sed etiã sunt res quędã & entia physica habentia suum esse reale, & suã naturam, physicamq; entitatẽ: Et idcirco vtroque genere causæ & causalitatis indigent, tã ex parte primiagẽtis quãdo nos mouet, quàm ex parte secundi agentis q̃ est voluntas. Imò verò cùm voluntas in suis actibus elicitis & liberis se determinet moraliter, & efficienter propriè, vtroq; etiam modo indiget actuali Dei gratia determinante & præmouente, tam morali, quã propriè efficienti & præmouente. Quoniam voluntas in eliciendis suis actibus supernaturalibus & liberis, non solùm se agit moraliter, sed etiã se agit efficienter. Et implicat quòd quãdo se agit moraliter se ipsam determinando, quòd non se agat simul efficienter propriè. Nam si homo agit moraliter, & simul agit efficienter propriè, sequitur, quòd si se determinat moraliter, quòd in eodẽ actu se determinat efficiẽter: ergò tã in ipso opere, quã in ipsa determinatione voluntatis intelligimus Deũ prius incipere & prius inchoare tam ipsam determinationem voluntatis, quàm opus respectu cuius se determinat: Nam absolutè dixit Arausicanum Concilium sine vlla exceptione, quòd in omni opere bono nos non incipimus. Et sane ipsa determinatio voluntatis ad pœnitendum, & consentiendum est maximè opus bonum: ergò in illa Deus est qui primò incipit, & inchoat moraliter, & efficienter propriè, seu physicè consensum voluntatis, & actum liberum conuersionis, aut pœnitentiæ.

Cum voluntas se determinet moraliter & efficienter propriè, tunc etiam determinari debet à Deo vtraque determinatione.

Adde etiam quòd auxilium sufficiẽs datur propter posse vt constituat voluntatem potẽtem: quod intelligitur quasi de formali effectu ipsius auxilij sufficientis: quod sanè non dicitur sufficiens vt nomen grammaticale sonat, quasi se ipso solùm & omni alio repulso non solùm habeat vim agendi, & operandi, sed eam exerceat: Nã id videtur terminus ille sufficiens importare grammaticaliter, sed solùm dicitur sufficiens Theologicè, quia dat homini vt possit agere tribuitque ei vim ad volendum, sed non completè omninò: quia est necessaria gratia

Auxiliũ sufficiens non grammaticaliter, sed Theologicè sumi debet in præsenti.

efficax

efficax intrinseca & determinans voluntatem per modum actus primi: & tũc homo est completè potens: & auxilium efficax dicit aliquid intrinsecum & supernaturale supra sufficiens. Hac etiam ratione (quidquid aduersarij dicant) D. Augustinus distinguit inter auxiliũ ad posse & ad velle: Nam quamuis sufficiens quod datur ad posse dicat quendam respectum ad operari, sed non completum & integrũ, nisi accedente efficaci auxilio, redditur enim cõpletũ, & proximè sufficiens adæquatè accedente efficacia. Qui modus dicendi est conformis sententiæ D. August. affirmantis, quòd primo homini datũ est posse perseuerare, non autem perseuerare, hoc est, non quo perseueraret de facto, & quòd hominibus non electis datur posse conuerti in fine vitæ, non autẽ cõuerti de facto: quod constat ex locis eiusdem Augustini superius citatis, & ex libris de prædestinatione Sanctorũ, & dono perseuerantiæ, & ex libris de gratia Christi contra Pelagium & Cælestium. Imò verò auctores oppositæ sententię in simili dicunt, quòd omnis iustus dici potest habere auxilium sufficiens, quo possit perseuerare, seu sufficiens ad perseuerandum in gratia: quia licèt non habeat actu illud donum speciale, & auxilium, quod ad perseuerandum de facto requiritur, tamen si oret, & petat, & quod in se est faciat per recepta dona, Deus non negabit illi donum illud: quia non deserit Deus eum à quo nõ deseritur, vt in proposito dixit Tridentinum Sessione 6. capite 11. & 13.

Tam auxilium sufficiens quàm efficax aliquid est homini intrinsecum.

Sed oportet valdè perpendere auxiliũ sufficiens & efficax vtrumque quidem esse aliquid inhærens homini de genere supernaturalium entium, quidquid illud sit, siue sit motio actualis gratiæ Dei, siue quid aliud. Auxilium verò efficax debet constitui distinctum à sufficiente quod est præcisè sufficiens, aliàs tollitur fundamentum diuinæ prædestinationis & infallibilitatis suæ. Esset etiam loqui contra Scripturam, Ioannis 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Quo in loco coniungit potentiam veniendi simul cum actu trahendi: in quo explicuit efficaciam auxilij necessariam esse vt à Deo est. Et contrarium dicere est contra illud: *Omne quòd dat mihi Pater ad me veniet.* & contra illud. *Nemo potest venire ad me, nisi ei fuerit datum à Patre meo:* & contra illud Pauli. *Operatur in vobis velle & perficere.* & contra illud Augustini de prædestinatione Sanctorum, capite 8. vbi de hoc efficaci auxilio dicit, esse gratiam secretam, quæ cum occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur à nullo duro corde respuitur: & contra illud etiam Augustini: *Volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitriũ*: & tandem contra illud in Enchir. ca. 95. *Quis tam impiè desipiat, vt dicat malas hominum voluntates Deum quando voluerit, & quomodo voluerit, & vbi voluerit, in bonũ non posse conuertere.* Et pariter contra illud quod ibidem dicitur: indignum esse dicere de Deo, quòd ideò Deus aliquid non fecit, quia nefieret quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impediuit. Quocirca efficax auxilium Dei suã efficaciã trahit à Deo. Rursus etiam gratia Dei actualis seu diuina motio nullam infert necessitatem voluntati, sed eam suauiter præmouet, & fortiter, vt velit & consentiat liberè.

Si auxiliũ haberet efficaciam ab actuali voluntatis cõuersione à casu respectu Dei esset, & diceretur efficax.

Neque solùm dicitur esse efficax auxiliũ ab euentu, seu effectu, vt quidam nouiores Theologi dixerunt negantes esse efficax, vt venit à Deo, sed solùm ab euentu, quia accedit in re consensus liber, à quo (vt dicunt) pendet omninò vt auxilium sufficiens fiat efficax, id est habeat effectum: vt in sua concordia Molina dixit, quẽ suppresso nomine citat & reprehendit Suarez li. 3. de auxilis c. 6. Quam sententiam dicit sibi non probari, quia est diminuta, & non declarat mentem Diui Augustini, vt constat ex locis eius citatis. Imo verò hæc Molinæ sententia, vt fatetur Suarez, non verè explicat & aperit modum loquendi Scripturæ. Nam stando in illo suo dogmate, ex accidẽti euenit respectu diuinæ voluntatis, quòd in vno gratia sufficiens fiat efficax, & non in alio, solùm quia alter vult operari & alter nõ: quod videtur quasi à casu fieri respectu voluntatis diuinæ, & contra illud Pauli ad Philippenses 2. *Deus est qui operatur in vobis velle & perficere.* Vnde D. Ambrosius li. 1. de vocatione Gentiũ ca. 9. adducens illud Pauli 1. Corinth. 4. *Quis enim te discernit.* dicit Ambrosius. *Igitur profunditas illius quæstionis quam secundùm admirationem impenetrabilem cõfitemur, per liberi arbitrij velle & nolle non soluitur.* Quapropter auxilium non solũ dicitur efficax ab euentu, quia hæc videtur solùm extrinseca denominatio: sed verè est efficax, quia secundũ se, & vt est à Deo vires præbet efficacissimas voluntati, vt Augustinus sæpè dicit, quibus voluntatem mouet, vt consentiat: & hoc postulat proprietas vocis auxilij efficacis: nam etiam medicamentum ob id dicitur efficax non solùm ab euentu, sed quia habet vim singularem & efficacem secundùm se ad agendum, & sic debet dici à nobis & vocari auxilium efficax.

Diuisio auxilij in sufficiens & efficax datur de auxilio per modum principij.

Vnde diuisio auxilij in sufficiens & efficax datur de auxilio considerato per modum principij, & ex consequenti efficax auxilium est illud gratiæ principium quod vim specialem habet, & efficaciam, qua voluntatem inducit & præmouet, vt consentiat, quia efficax auxilium ad hoc datur, vt voluntas consentiat, & non solùm vt velle possit, sed etiam vt actu & determinatè velit id ad quod mouetur efficaciter à Deo per illud auxilium. Vnde eius efficacia consistit in vi quadam determinandi voluntatem ad volendum, quod negare non potuit Franciscus Suarez lib. 3. de auxilijs, capite 7. in principio, & idcircò confessus est illud & non negauit. Nos verò semper adijcimus auxilium hoc gratiæ diuinæ habere vim determinandi voluntatem determinatione libera: Nam Deus sua gratia actuali me determinat, reducendo me ipsum de actu primo ad secun-

dum

dum, & tribuendo mihi actum primum adæquatum & completum ad actum secundum per eandem actionem meam liberam, qua ego me determino, quæ simul est ipsius: & vt mea terminat actionem Dei, & ipsa sequitur ab ipsa Dei gratia.

An verò hoc efficax auxilium præcisè moraliter præmoueat, vel simul moraliter & efficienter propriè, quod alij vocant in genere causæ efficientis physicæ, iam supra satis explicauimus in toto discursu huius disputationis & sectionis, & non est cur iterum immoremur in ea. Quare non rectè recitat Suarez nostram sententiam, sed suo modo, & non omninò sicut nos eam damus, & explicamus. Et nostram sententiam tenuerunt Sotus, Driedo, Vega, & Medina 1.2. quæst. 109. art. 10. & alibi non semel, qui non falsò citantur, vt nobis imponunt auctores oppositæ sententię, sed verè pro nostra sententia citantur. Imò verò Diuus Augustinus sensit vtramque præmotionem moralem & propriè efficientem; & fundamenta nostræ sententiæ maximè sumuntur ex varijs locis sacræ Scripturæ, ex Sanctis Patribus & ex Concilijs, vt nos superius ad amussim & fusè ostendimus. Imò verò aduersarij nostri hoc fatentur, præter gratiam enim sufficientem, excitantem & vocantem negari non potest quin voluntas indigeat gratia adiuuante ad consensum supernaturalem efficiendum, vt ex Tridentino & Sanctis Patribus vidimus. Gratia autem adiuuans etiam datur per modum principij supernaturalis ad actum supernaturalem consentiendi, & verè influit physicè in actum: quod etiam auctores oppositæ sententiæ fatentur libro 3. de auxilijs, capite 12. Et vlterius affirmant gratiam adiuuantem, quæ est per modum principij, magis influere physicè in actum quàm excitans: & quòd idcircò si est necessaria prædeterminatio & præmotio voluntatis ad supernaturalem consensum per modum causæ efficientis propriè seu physicè, illa quidem potius tribuenda est gratiæ adiuuanti quàm sufficienti, excitanti & vocanti: quia gratia adiuuans datur etiam per modum principij. Hæc autem adiuuans gratia data per modum principij influit in ipsam voluntatem, & in liberum arbitrium ad productionem consensus, & ad eductionem eius à voluntate, quem voluntas actiuè elicit, educit, & producit. Quare hæc determinatio quæ fit in nobis fit à Deo, sed non sine nobis agentibus, & fit à Deo efficienter propriè.

Quinta Conclusio.

Concluſ. 5. Conſtare nõ poteſt efficacia gratiæ Dei & eius infalli

Dico quintò: Non posse constare efficaciam gratiæ Dei & veram eius infallibilitatem, si reponatur solùm in illa congruitate loci & temporis, & in illa proportione ad complexionem naturalem, & hominis conditionem, cum solo illo auxilio sufficienti. Hæc assertio ex superioribus aperta est valdè: & constat similiter, quia auctores oppositæ sententiæ comparant hanc efficaciam gratiæ Dei, efficaciæ morali, quam Diabolus habet ad inducendum, & mouendum hominem ad consensum in peccatum: in quo insinuatur non alia efficacia Deum mouere homines ad supernaturales actus, quàm Diabolus mouet ad peccandum: quod quidem repugnat rectæ rationi, & non congruit modo loquendi sacræ Scripturæ, aut Paulo dicenti: *Deus est qui operatur in vobis velle & perficere*. Nemo est enim qui id non intelligat, si rectè perpendat dicta Sanctorum, & Scripturæ sacræ superius citata.

bilitas si põ natur. solũ in congruitate loci & tẽporis &c.

Sed nihilominus quantum à veritate distet sententia aduersariorum rationibus ostendemus. Prima est. Auxilium sufficiens si est congruum, & pro tempore & loco est efficax apud Suarez & suos: ergò quotiescumque in fine vitæ dat Deus auxilium sufficiens illis qui non cõuertuntur, non dat eis auxiliũ congruum: ergò incongruè distribuit Deus auxilia gratiæ suæ. Patet consequentia: quoniam omnibus, quibus dat Deus auxilium sufficiens vt conuertantur in fine vitæ, & re vera non cõuertuntur, incongruum auxilium dat, vel non congruum, & non proportionatum: & incongruè dat, quia non dat secundum proportionem ad complexionẽ naturalem, & ad conditionem & ingenium huius hominis: aliàs si daret Deus congruum auxilium, omnes, quibus illud daret, de facto cõuerterẽtur, quia videlicet secundum auctores oppositæ sententiæ ex tali congruitate ad complexionem & ingenium, ad tempus & locum, redditur efficax illud auxilium, quod non erat nisi tantùm sufficiens: Quia iuxta prædictos auctores efficacia gratiæ est gratia congrua, quæ sumitur per ordinem ad complexionem hominis, & ad cõditionem, tempus, & locum. Quod sanè quantum dissidium pariat iudicet Magister definitionum Fidei Summus Pontifex & Dominus noster Clemens VIII. PP. qui modo viuit, & regnat.

Impugnatur contraria ſententia, & concluſio quinta ſtabilitur.

Et confirmari hoc potest. Quia si in fine vitæ aliquis non conuertatur, & habeat auxilium sufficiens, sequitur quòd Deus in fine vitę non dat isti homini auxilium proportionatum conditioni suæ, ingenio & complexioni naturali illius, & pro tẽpore & loco: & consequẽter sequitur tale auxilium non esse cõgruum, neq; congruè datũ Petro: & quòd nõ prouidit Deus de sufficienti, congruo, & apto auxilio ad conuersionẽ huius peccatoris, sed malè: aliàs si daret esset efficax, & cõuerteretur de facto. Probatur sequela. Quoniam si dat illud auxilium sufficiens, quod non est proportionatũ naturæ, neque complexioni, & ingenio eius respectu huius hominis, qui debet conuerti, sequitur quòd dat auxilium incongruum, & quòd non benè prouidet, sed præpostere, quia si tale daret cõuerteretur de facto ratione illius congruitatis, imò verò esset efficax.

Cõfirmatur 1. ratio.

Ratio 2. Si auxiliũ fieret efficax ex congruitate ad ingeniũ tempus &c. quoties incongruè daretur, non haberet homo ad salutem necessaria.

SECVNDA ratio pro nostra sententia militans talis est. Auxilium sufficiens fit efficax ex congruitate ad ingenium & complexionem, ad tempus & locũ eius qui cõuertitur: ergò quoties tale auxilium sufficiens non datur à Deo congruè respectu cõditionis & complexionis Petri, sequitur, quòd non habet omnia necessaria ad salutem: Quia si non est congruum secundùm proportionem & commensurationem ad naturam non est sufficiens, quia non congruit naturæ huius hominis, & suo ingenio, ac proinde nõ est operatiuũ cõuersionis istius hominis de facto & secundũ rem: ergò non habet ex parte principij omnia necessaria ad salutem: quia vt verè sit principium operatiuum & operans in hoc homine debet esse proportionatum suæ complexioni, & ingenio, sed de facto non est proportionatum, vt supponimus in casu argumenti: ergò, &c.

Ratio 3. Gratia Dei semper est congrua naturæ.

ADDVCOR tertiò: Quia si iste modus dicendi aduersariorum de efficacitate gratiæ esset verus & certus prout ipsi eum docent, sequeretur quòd omnes homines habent efficax auxilium si habent sufficiens. Probatur sequela: quia gratia secundùm se habet perficere naturam, ac proinde semper est illi congrua: ergò semper est conueniens, proportionata, atque congrua homini. Rursus, omne tempus vitæ humanæ est tempus conuersionis & pœnitentiæ: ergò semper quòd datur gratia actualis auxilij datur oportuno tempore & congruo: ergò quoties datur sufficiens auxiliũ datur etiam efficax: aliàs incongruè Deus distrubuit gratiam, cæco & ignoranti modo. Patet sequela: quia si sufficiens gratia non est data secundùm congruitatem, & secundùm debitam commensurationem ad complexionem & ingenium naturæ indiuidualis Petri, incongrua est, & nõ data sicut oportet ipsi Petro: si verò est commensurata & congrua semper est efficax, & non tantùm sufficiens.

D. Augu.

DIVVS Augustinus epistola 89. ad Hilarium, respondens quibusdam dubitationibus circa reliquias Pelagianorum, de his qui valdè fauent libero arbitrio minuentes gratiam Dei, ait Augustinus. *Desinant ergò sic insanire, & ad hoc se intelligant quantum possunt habere liberum arbitrium, non vt superba voluntate respuant adiutorium, sed vt pia voluntate inuocent Dominum: hæc enim voluntas libera tantò erit liberior quantò sanior, tantò autem sanior, quantò diuinæ misericordiæ, gratiæque subiectior.* Sed maximè subiecta est gratię Dei, quando subijcitur tam sufficienti quàm efficaci gratiæ: ergò tunc est sanior & liberior iuxta Diuum Augustinum: ergò gratia semper congruit naturæ, & quantò maior & magis efficax magis congruit: Nam certè gratia sanat naturam, eamque perficit, & ob eam causam maximè congruit naturæ. Vnde Diuus Augustinus epistola 107. ad Vitalem apertè dicit Deum facere nos velle vt consentiamus, & in eam fidem cui aduersantur infideles credendo consentire & conuerti, & Deum esse qui hoc facit in eis. Et inferius loquens de ipsa Dei gratia, ait: Si volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus, vnde fit liberum: Nam qui oppugnat gratiam, qua nostrum ad declinandum à malo, & ad faciendum bonum liberatur arbitrium, ipse arbitrium suum adhuc vult esse captiuum, & tamen cum solo sufficienti gratiæ auxilio non conuertitur, & ita sine efficacia diuinæ gratiæ captiuum manet arbitrium. Quocirca idem Augustinus explicans illud Pauli: Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere: in eadem epistola ad Vitalẽ adducit huiusmodi testimonium Pauli contra eos qui dicunt, quod consentire vel non consentire nostrum est omninò, vt si velimus fiat, &c. Contra quos sæpius ex eodem Diuo Augustino retulimus, quòd est proprium Dei facere volentes ex nolentibus. Et illud rursus Diui Augustini: *Quis tam impiè desipiat, vt dicat malas hominum voluntates, quas voluerit, vbi voluerit, & quomodo voluerit in bonum non posse conuertere: & quòd indignius est si quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impediuit?* Et non dicit Augustinus expectato tempore & loco Petri, & complexione eius, sed potius tempore & loco pro voluntate Dei, & non dicit, si voluerit voluntas, quasi expectando eius consensum, sed potius è conuerso, Deus malas hominum voluntates, quomodo voluerit, & vbi voluerit conuertit: & non dicit Augustinus per hoc lędi libertatem, sed potius dicit, quòd sanatur liberum arbitrium, & quòd voluntas hominis fit liberior.

Gratia sanat, & perficit naturã

ADDVCOR quartò. Nam auxilium purè sufficiens fit efficax ex congruitate ad naturale ingenium, ad complexionem, ad tempus & locum huius hominis vel illius, vt auctores oppositæ sententiæ dicunt: ergò quotiescunque non datur hoc auxilium congruè huic homini iuxta naturale eius ingenium & conditionem, sequitur quòd non habet omnia necessaria ad salutem. Patet sequela: quia si non est congruum, neque congruè datum iuxta ingenium & conditionem illius cui datur, & secundùm debitam proportionem ad ipsum, non est de facto operatiuum conuersionis illius, quia vt supponitur non habet auxilium illud congruitatem cum ingenio & conditione talis hominis, ac proinde nunquam operabitur talem conuersionem: & sine illa non est operatiuum respectu conuersionis: ergò. Probatur vtraque consequentia: quia talis homo non habet ex parte principij omnia necessaria ad salutem, quia vt sit principium verè operatiuum in hoc homine, debet esse illi proportionatum: aliàs si nunquam ei proportionatur, neque suæ complexioni & naturali ingenio, nunquam habebit talem vim operatiuam conuersionis illius: nam in naturalibus si forma secundùm se non est proportionata ad agendum, neque congrua, non est principium operatiuum illius

Ratio 4. Hoc quarto argumẽto vtuntur aduersarij cõtra nos & idẽ militat contra eos, vt patet ex discursu argumenti.

agen-

agentis, sed re vera & de facto nunquam est illi proportionatum illud auxiliū, vt supponimus in casu argumenti: ergò.

Ratio 5.

MOVEOR quintò: quoniam idem militat argumentum contra eos, quod ipsi conficiunt contra nos. Nam verè non est auxilium aliquod sufficiens, nisi illud quod de facto potest: quia si potest est sufficiens, & idcirco sufficiens, quoniā habet omnia necessaria, & requisita, & nullo alio indiget, aliàs si indiget alio, non est verè & propriè sufficiēs: ergò pari modo, si auxilium est physicè sufficiens, quo pacto si non est congruum neque congruè datum ad ingeniū & cōplexionē Petri vocabitur sufficiēs? maximè quia neq; potest de facto operari, neque reduci ad actum sine hac congruitate: ergò nunquam dicetur tale si non est cōgruum, neq; congruè datum iuxta naturæ conditionem & ingenium huius vel istius hominis: licèt aliàs dicatur physicè sufficiens.

Sicut hæc ratio soluitur ab aduersarijs, ita simile argumentū quod contra nos fit.

CONFIRMATVR: quoniam illud dicitur secundùm se sufficiens, quod nullo indiget, sed hoc auxilium indiget congruitate, proportione, & commensuratione ad complexionem & ingenium naturale illius cui datur: ergò non est de se sufficiens. Vnde sicut hoc argumentum apud auctores oppositæ sententiæ est solubile, potestque dissolui, vt infra aperiemus, & supra diximus: ita etiam simile argumentum eorum, quasi in simili forma, quod ipsi conficiunt contra nos de auxilio sufficiente distincto ab efficaci.

Quòd non fiat liberè cōuersio posito auxilio cū congruitate probatur.

RVRSVS moueor: quia pari modo & ratione militant eadem argumenta contra auctores oppositæ sententiæ, quæ ipsi obijciunt contra nos: Nā certè posito auxilio sufficiente præueniente cum prædicta congruitate ad naturalem conditionem & ingenium istius hominis pro tempore & loco secundùm diuinam dispositionem, & efficacem intentionem eius, atq; voluntatem, non stat talem hominē non cōuerti, aut nō cōsentire: ergò non liberè cōuertitur. Patet sequela, quia nō stat poni hanc efficaciā gratiæ quā assignant prędicti auctores cum huiusmodi auxilio proportionato & commensurato ad ingenium & complexionem iuxta dispositionē diuinæ ordinationis, & iuxta præscientiā suam, & quòd sit possibile poni de facto & secundū rem oppositum & contrarium.

Hominis complexio non est ipsi libera.

ET confirmatur hoc, quia secundùm opinionem contrariam, ex indiuiduali conditione Petri hìc & nunc emanat ratio cur hoc auxilium dicatur esse efficax: quia si congruit illi est efficax, si verò non congruit illi non est efficax: ergò ex propria complexione necessaria & naturali Petri emanat, quòd sit efficax: sed hæc complexio non est libera, neque tale ingenium indiuiduale, neq; tempus ipsum est liberum: ergò si Deus dat Petro, verbi gratia, auxilium à solo ipso dependens, quod est congruum & proportionatum naturæ indiuiduali Petri, & ex consequenti efficax, sequitur non esse in potestate Petri tunc non conuerti, aut non agere: & per oppositum si Deus non dat tale auxilium quale hoc est videlicet proportionatum secundùm indiuidualem conditionem Petri, sequitur, quòd Petrus non potest operari piè ad suam salutem: Ergò sicut hoc argumentum dissoluitur ab auctoribus oppositæ sententiæ, ita etiam alia argumenta quæ contra nos in simili forma conficiunt verè soluuntur à nobis, qui verè affirmamus Deum nos liberè præmouere ad consentiendum, tam præmotione morali, quàm propriè efficiente.

POTEST hoc magis confirmari: Quia cōplexio huius vel illius hominis in indiuiduo est determinata indiuidualiter & naturaliter sic vel sic: ergò si tale auxilium est efficax debet sic indiuidualiter determinatum esse ad vnum, & determinare ingenium & voluntatem huius hominis. Sed profectò Diuus Paulus ad Hebræos 13. aliter procedit: nam inquit. *Deus pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnū ouiū, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se:* Quo in loco expendere debemus verbū illud: *Aptet vos Deus,* id est, faciat vos aptos per suam gratiam: Nam certè Deus per gratiam suam efficacem aptat voluntates ad opus, & nō dicit, quòd hoc fit secūdùm naturalem complexionem, à qua habeat gratia, quòd sit efficax, sed è conuerso dicitur à Paulo: *Aptet vos Deus per suam gratiam,* id est, voluntates vestras in omni bono opere. & subiungit Paulus: *Faciens in vobis quod placeat coram se.* Vbi aduerte verbum, *facere,* quod debet propriè & secundùm literam intelligi de eo quod est verè & propriè facere, non tantū moraliter, sed verè & propriè efficiēter: & hoc est aptare nos per effectionē gratiæ suæ in omni bono, vt benè operemur. Quocirca illud efficax auxiliū, quod nos verè ponimus debet tale esse vt à Deo procedit, & non vt à complexione nostra tanquā à mensura: Nā vt à Deo procedēs eo aptat nos Deus in omni bono, & per ipsum dat Deus nostro arbitrio effectiuū esse nostræ cōuersionis. Ex quo rectè infertur, quòd prius natura concurrit, & influit Deus per suam gratiam efficacē in nostram voluntatem: Quoniā Paulus dicit: *Aptet vos Deus,* seu præmoueat & determinet in omni opere bono, & tunc nostra voluntas intelligitur, vt recipiens illud auxilium à Deo, & pariter vt liberè consentiens & agens & cooperās, & quòd per illud aptatur ab ipso Deo, vt efficiat piè opera conuersionis, & consensus.

Ad Hebræ. 13.

Deus per suam gratiā aptat nos, vt ipsius faciamus voluntatem.

DENIQVE confirmatur: Quia secundū auctores oppositæ sententiæ efficacia gratiæ sumitur secundū proportionem ad ingeniū naturale, ad cōplexionem, & cōditionē indiuidualē Petri, vel Pauli: ergò per ordinem ad indiuidualē vim Petri vel Pauli, quod est idē atq; dicere per ordinē ad vires indiuiduales, seu naturales Petri: ergò indiuidualis conditio seu indiuiduales vires Petri vel Pauli sunt mensura efficaci-

Indiuiduales vires cōplexionis essent mēsura efficacitatis gratiæ, si efficacitas ip-

tatis

ſa ſumerentur ſecũdũ proportionem ad cõplexionem.

tatis gratiæ, ſeu gratiæ. Oſtendo conſequentiam: quia ex proportione conditionis indiuidualis, & virium naturalium complexionis, & ingenij indiuidui ſumitur ratio proportionis gratiæ efficacis. Imò verò ex hoc oritur quòd iſta gratia ſit efficax & dicatur efficax: Nam profectò ſi interroges ab his auctoribus, cur dicatur aliqua gratia congrua? reſpondent, quòd idcircò dicitur congrua, quia proportionatur ad naturale ingenium, ad complexionem indiuidualem, & conditionem Petri vel Pauli, quod eſt dicere ad vires naturales indiuiduas Petri & Pauli, & quòd ex hac numero congruitate gratia fit efficax. Ex quo etiam infertur, quod ipſi negare non poſſunt, quòd Deus metitur efficaciam gratiæ iuxta complexionem & naturalem conditionem huius hominis, ita vt ex his tanquam à menſura proueniat. Secundò etiam infertur, quòd quotieſcunque Deus non reſpicit ad indiuidualem conditionem & complexionem Petri vel Pauli in diſtributione gratiæ, & ſuorum auxiliorũ, quòd incõgruè diſtribuit gratiam, quia non reſpicit conditionem indiuidualem: & tamen Scriptura dicit, 1. Corinthiorum 12. quòd Deus diſtribuit & dat ſuam gratiã ſingulis prout vult. Vbi perpende, quòd non dicit dare gratiam per cõmenſurationem ad indiuidualem complexionem, & conditionem Petri aut Pauli. Itaque ſequi videtur ex iſtorum poſitione, quòd menſura gratiæ & efficacitatis eius ſolùm eſt natura: cùm tamen dicat Spiritus ſanctus, quòd diuidit ſingulis prout vult: & particula, prout vult, refert hoc ad menſuram voluntatis diuinæ, & non ad menſuram complexionis, aut naturæ indiuidualis.

1. Corinth. 12.

D. Augu.

Sed in confirmatione noſtræ ſententiæ, & contra prædictos auctores loquitur Diuus Auguſtinus capite 16. vbi explicans Paulum, primo Corinthiorum primo, ait. *Vocat prædeſtinatos filios ſuos multos, vt eos faciat membra prædeſtinati vnici Filij ſui, non ea vocatione, qua vocati ſunt qui noluerunt venire ad nuptias, illa quippè vocatione & Iudæi vocati ſunt, & Gentes, quibus Chriſtus crucifixus ſcandalum vel ſtultitia eſt, ſed ea vocatione prædeſtinatos vocat, quam diſtinxit Apoſtolus dicens: ipſis vocatis Iudæis & Græcis, &c. ſciens eſſe quandam vocationem eorum qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt.* De qua intelligit D. Auguſtinus illud ad Romanos 8. *Quos præſcinit & prædeſtinauit, hos & vocauit.* & illud. *Ex vocante dictum eſt ei, maior ſeruiet minori:* Et nõ dicit, quòd vocati ſunt ſecundũ complexionem & conditionem eorum, ſed quòd vocati ſunt ſecundũ propoſitum Dei, & quòd ex vocante dictũ eſt, quia maior ſeruiet minori. Vnde Paulus dixerat: *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori*: Et profectò ſicut dixit, non ex operibus, pariter etiã diceret Paulus: non ſecundũ naturalem cõplexionem & indiuidualem conditionẽ, ſed ex vocante, id eſt ex Deo, qui adaptat nos ſua gratia in omni opere bono. Et idcircò Paulus loco citato dixit: quòd Deus operatur omnia in omnibus: Quare Auguſt. concludit ibidem de illo qui conuertitur dicens: *Præuenit eum quippè miſericordia Dei, quia ſic vocatus eſt vt crederet.* Id eſt, quia ſic vocatus eſt ſecundũ propoſitũ, & ea vocatione præuentus à diuina miſericordia, quæ & eſt efficax & appellatur à D. Auguſtino ſecundũ propoſitum, vt diſtinguitur à vocatione, qua cõmuniter vocati ſunt illi, qui noluerunt venire ad cœnam, neque ad nuptias. Ex quo patet, quòd vtraque vocatione præuenimur ſemper à Deo, quando vocamur, tam vocatione cõmuni, quã vocatione ſecundùm propoſitũ, quæ eſt efficax ex ipſo vocante. Imò de ratione vocationis eſt præuenire: quia is qui vocat præuenit, & quiuocatur vt ſic præuenitur: ergò cum ſit duplex vocatio, vna communis & altera efficax ſecundùm propoſitum, vtraque eſt præuia, & vtraq; Deus præuenit arbitrium noſtrum, & præmouet voluntatem noſtram ad conuerſionem & pœnitentiam verè & propriè.

De ratione vocationis eſt præuenire.

Possvmvs addere in confirmationem huius quinti argumenti: quia ſi efficacia gratiæ Dei aſcribitur, & attribuitur congruitati temporis & loci & cõplexionis naturalis, ſequitur, quod Angeli mali ceciderunt habentes illam gratiam efficacem auxilij Dei. Probatur ſequela: quia omnes Angeli, etiam illi qui defecerũt, omnes habuerunt oportunitatem loci & temporis, & gratiam conformem & congruam naturæ cuiuſcunque: & hoc fuit habere gratiam efficacem iuxta opinionem oppoſitam: ergo, &c. nam habuerunt gratiã ſimul cum congruitate ad naturam eorum. Quod probo, quia nulla maior oportunitas poterat eſſe, quàm illa illius temporis, ſeu durationis, in qua Angeli creati ſunt à Deo in gratia, & cum donis & auxilijs gratiæ, & cum optimo intellectu. Tempus vero conuerſionis Angelorum ad Deum vt ad ſuũ finem vltimum & auctorem omnium bonorũ ſuorum, tunc ſanè fuit optimum, quãdo via Angelorum erat in illo primo inſtãti, quod habuerunt vt viam, & hoc fuit vnicũ tantùm, & quaſi quoddam breue ſpatiũ, & non habuerũt aliud in quo eſſent viatores: ergò tẽpus & locus Angelorum fuerunt oportuna & congrua tunc pro eiſdem Angelis.

Angeli omnes etiam illi qui defecerunt oportunitatem loci & temporis habuerunt.

Rvrsvs etiã: gratia data Angelis fuit congrua naturæ cuiuſlibet Angeli: Nam D. Augu. 12. de ciuitate Dei c. 9. ait. *Bonã volũtatẽ quis fecit in Angelis, niſi ille, qui eos cũ ſua volũtate, id eſt cũ amore caſto quo illi adhærerẽt creauit, ſimul in eis cõdẽs naturã, & largiẽs gratiã.* Quod ſecundũ omnes Theologos etiam ex S. Thoma. 1. parte q. 62. ar. 6. explicatur, quòd videlicet Angeli acceperunt gratiã iuxta gradus ſuæ naturæ, vt qui maiores & perfectiores erant maiorem & perfectiorem gratiam, & maiora gratiæ dona & auxilia receperunt. Vnde Magiſter ſentẽtiarum in 2. diſtinct. 3. dicit quòd Angeli qui natura magis ſubtiles, & ſapientia amplius perſpicaces creati ſunt, hi etiã maioribus gratiæ muneribus prædiți ſunt. Vnde in corpore articuli inquit

D. Augu.

Ad Romanos 8.

Angeliquò præstantiorē naturā habuerunt, eò perfectiori, & ampliori gratia sunt exornati.

Diuus Thomas, quòd Angeli quo meliorem naturam habuerunt maiora dona gratiæ acceperunt, secundùm conformitatem ad diuersos gradus naturæ eorum: & ex consequenti in eodem articu. 6. citato ait, quòd secundùm gradum naturalium, Angelis data sunt dona gratiæ. Ergò ex hoc sequitur apertè iuxta opinionem oppositæ sententiæ, quòd licèt omnes acceperint gratiam congruam iuxta gradus suæ naturæ, & iuxta conditionem eorum, & pro tempore, & loco congruis, quòd non fuit hæc efficax gratia: quia plures defecerunt, & ceciderunt, & ita sequitur quòd efficacia gratiæ non est accipienda ex ista congruitate cum natura, & conditione eius cui datur, quamuis naturam perficiat: vel sequitur, quòd quamuis Angeli habuerint illam efficacem gratiam, id est congruam naturæ, & pro tempore & loco datam à Deo, commensuratam conditioni eorum, nihilominus talis gratia non habuit effectum: quia plures Angeli corruerunt, & defecerunt, & consequenter sequitur, quod cum efficacia gratiæ, quam huiusmodi auctores ponunt, stat simul perire illum, aut deficere, cui data est talis efficacitas gratiæ, vt patet in angelis malis, qui defecerunt in secundo instanti, intercipientes illud primum meritum quod habuerunt.

Nullum ex Angelis meruisse in primo instanti apertè sequeretur, si vera esset aduersariorū sententia.

Hinc inuli ego aliquando pro nostra sententia, de præmotione gratiæ in genere causæ efficientis propriè seu physicè, quòd si vera esset sententia aduersariorum, sequeretur nullum ex Angelis meruisse in primo instanti suæ creationis, atq; adeò, quòd primus actus Angeli neque fuit liber neq; meritorius. Quod probo, quoniā prima operatio Angeli facta est ex speciali & efficiente Dei motione seu physica: dicunt enim Theologi cum S. Thoma, primum actum angeli tribuendum esse Deo: quoniam operatio quæ incipit cum primo esse rei est ab agente efficiente à quo res ipsa accipit esse: quoniam actio producentis, & generantis minimè cessat, donec producat rem quam producit ad suā perfectionem, & connaturalem ipsi rei genitæ: sed perfectio creaturæ rationalis est libertas: ergò eam habuit Angelus in primo illo instāti, quamuis primus eius actus liber specialiter tribuatur suo conditori, qui simul producens naturam efficienter præmouit ad operationem priorem. Et sanè ad meritum sufficit vt possit resistere, vel non resistere Dei motioni, quòd videtur habuisse Angelus, eo quòd non habuit alium actum priorem: igitur si ille actus primus Angeli liber reducitur in Deum vt prę mouentem, & naturæ conditorem, in ipsum etiam debet reduci, vt in causam efficientem propriè determinātem Angelum prius natura, quàm ipse sub determinatione Dei se determinaret, & sanè Angelus est adultus, & qui prima sua operatione libera, & tributa à Deo se disposuit ad gratiam, quam in eodem instanti accepit.

(.?.)

Quòd etiam non possit constare aduersariorum sententia, ostenditur ex diuinis Decretis, & ex diuina Prædestinatione, & Apostolorum electione.

Ante præscientiā mediam prædefiniuit Deus effectus futuros.

Persvadeo etiam vera esse quæ diximus: Quoniam Deus efficaci decreto voluntatis suæ ante præscientiā illam mediā prædefiniuit effectus futuros exequendos esse per actus liberos, quia Deus potest prædefinire actum liberum, & infallibiliter facere vt liberè fiat: Quoniā prędefinitio efficax nō repugnat actui libero cōuersionis, neq; ratione libertatis, neq; ratione supernaturalitatis: ergò nō est necessariū recurrere ad istam congruitatem loci, & naturæ: ad hoc vt gratia efficax, & fiat efficax; & vt sit infallibilis euentus rei futuræ. Quod præcipuè est verū, cùm auctores oppositæ sententiæ nō ponant connexionem infallibilem inter euentū liberum futurū, & efficaciā gratiæ sumptam ex tali congruentia: sed tantum moralē: & non omninò infallibilem, cui nō possit subesse fallum, addentes scientiam illam mediam: imò verò per solā congruitatem ad cōplexionem, & innatas vires naturales non saluatur efficacia, & infallibilitas gratię, & futuri euentus: ergò semper est recurrendum ad absolutā Dei prædefinitionem, & voluntatem eius circa huiusmodi actus liberos voluntatis creatæ: ergò illa congruitas non est satis ad saluandam diuinam prædestinationem in electis, neque ad certitudinem conuersionis, & operum supernaturalium liberorum in prædestinatis. Patet consequentia, quia, vt fatetur Franciscus Suarez libr. 3. de auxilijs, capit. 15. §. Primum ergò, pagin. 238. columna 2. incredibile, & parum consentaneum est Scripturis dicere, Deum nunquam prædefinire absoluta voluntate effectum exequendum per actus liberos. Quod planè sequitur, tum ex aduersariorum positione, & suæ scientiæ mediæ, suæque præuisionis ante decretum, & voluntatem Dei: tùm etiam ex opinione, quam alij eiusdem familiæ tenent, asserentes: neque Deum potuisse eligere ad gloriam prædestinatos, nisi prius ex præuisione meritorum, quia læderetur libertas, quoniam per actiones liberas assequuturi sunt gloriam. Probatur sequela: Quia si non potuit Deus voluntate efficaci præordinare effectum vllum, per modum executionis per actum liberum implendum, & exequutioni mandandum, sequitur quòd Deus non potuit efficaciter eligere Beatam Virginem vt esset mater Dei ante præscientiam absolutam liberi consensus eius futuri: quia re vera, & de facto non nisi per illum consensum consequutura erat illam dignitatem matris Dei: sed hoc est valdè absurdū, & contra omnem modū loquendi, & contra rationem: quia ad illū consensum præstandum præuēta est Beata Virgo Maria gratia efficaci, & vocatione excellētissima secūdū propositū:

Ante absolutam liberi cōsensus præscientiā B. Virgo efficaciter est electa, vt esset mater Dei.

ergò hæc illi data sunt, quia fuit electa,& prædefinita in matrem Dei:ergò hæc electio antecessit præscientiam illius consensus futuri, & fuit origo, & radix gratiæ,à qua ille consensus natus est.

Electi etiã sunt eodem modo Apostoli ad suũ Apostolatũ

PARI modo fieri potest argumentum de electione Apostolorum ad apostolatum, & de conuersione Pauli,& electione eius ad apostolatum:Nam in re,& in executione illi non sunt consecuti talem dignitatem nisi medio consensu libero,& tamen Ioann.15. Christus dicit de illis. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* quia licèt ipsi re vera cõsenserint, & elegerint sequi Christum,tamen quia electio Dei antecessit,& fuit origo vocationis secundùm propositũ gratiæ efficacis,per quam ipsi elegerunt Christũ, idcircò Christus sibi attribuit illam electionẽ: vt accuratè perpendit Diuus Augustinus, libr. de gratia,& libero arbitrio,capite 17. Si autem opinio aduersariorum esset vera prius videret Deus consensum Virginis, quàm eam eligeret in matrem suam: imò verò in opinione aliorum ex præuisione per scientiam mediam in tali ordine rerum, præuisa est prius consentire, quàm fuerit electa: quod neque est intelligibile,neque verum. Et profecto in exemplis adductis, & similibus, negari non potest quin gratia illa,& vocatio specialis secũdùm propositum,quæ ad talem consensum liberum datur, procedat ex voluntate Dei intendentis absolutè,& efficaciter talem finem, vt,verbi gratia,facere hunc Apostolum, vel operari cõceptionem filij Dei ex tali fœmina consentiente, & volente:sed nõ potest dici in his casibus, intentionem istam Dei tantùm esse cõditionatã, vt de se satis euidens est: igitur est efficax electio,& intentio Dei etiam per modum executionis absolutè implenda.

Isaiæ. 14. cap.

VNDE Isaiæ.14. capite, legimus. *Iurauit Dominus exercituum dicens: si non vt putaui ita erit,& quomodo mẽte tractaui ita eueniet.* & statim infra. *Dominus enim exercituum decreuit, & quis poterit infirmare?* Quis obsecro non videat huiusmodi decretum antecedere præscientiam effectus sic decreti. Rursus sunt expendẽda verba illa: *Quomodo mente tractaui ita eueniet*: hoc est,quomodo prædefiniui, & decreui, intendẽdo illud,& volẽdo ita eueniet:scilicèt in executione: Nam euenire pertinet ad executionem, & idcircò quod Deus prædefinit absoluta voluntate,& intentione,& per modum intẽtionis absolutæ, id quidem intendit etiam per modum executionis.

TANDEM potest hoc probari, & confirmarũ Quoniã,maximè pertinet hoc ad Dei prędestinationem,& rerum præordinationem, ad prædefinitiones, & decreta futurorum,ad diuinam prouidentiã,& potissimè etiã videtur hoc pertinere ad dominiũ,& ad omnipotentiã Dei, vt possit perfectè,& prout voluerit prędordinare,decernere,atq;disponere effectꝰ futuros per

Sapiẽtiæ. 8 actiones liberas: Nã Scriptura sacra hoc clamat Sapientiæ 8.dicens. *Attingit à fine vsq;ad finẽ fortiter,& disponit omnia suauiter.* Hoc etiam apertè sensit D. August. in Enchir.cap.95.& sequẽtibus dicens: *Quis tam impiè desipiat, vt dicat malas hominum voluntates Deum non posse conuertere quando voluerit, quas voluerit,& vbi voluerit:* quo in loco euidentissimè loquitur de voluntate efficaci & absoluta,quæ infallibiliter habet effectum: quæ voluntas non potest esse consequens ad præscientiam futuri euentus, cùm ex mente Augustini sit prima causa,& radix futuritionis eius. Extat rursus elegans,& palmariũ illud testimoniũ,quod antea retulimus pro nostra sententia,& pro re de qua nũc agimus, ex eodem Augustino lib.de Correp.& Gratia capite.14.vbi ait: *Deo volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium: sic enim velle & nolle in volẽtis est potestate,* (hoc est in vsu libero eiꝰ) *vt diuinam voluntatem non impediat, neq; superet potestatem.* Et inferius, *De ipsis hominum voluntatibus facit quod vult,& quando vult,habens humanorum cordium quo voluerit inclinãdorum omnipotentissimam potestatem.* Vides quo pacto D. Augustinus loquatur de omnipotẽtissima potestate,tam morali quàm physica, qua mouet corda hominum quò vult? & nõ dicit Augustinus quòd per hoc læditur libertas, aut qꝰ necessitatur voluntas, aut quòd mensura faciendorũ, & efficacitas gratiæ suæ, sumitur,aut regulatur, per cõmensurationẽ,aut congruitatem ad complexionẽ vel cõditionẽ naturæ,vel ad tẽpus,& locũ: imò totũ hoc refert Augustinꝰ ad Dei volũtatẽ Et sanè hoc testimoniũ D.Augustini euidentissime firmat nostrã sententiã,& planè repellit quidquid aduersarij dicunt contra nos.

D. Aug.

Voluntas Dei prima causa & radix futuritionis.

IDEM sensit D. Basilius in oratione sacri altaris,cuius testimoniũ adducit, & approbat valdè Petrus Diaconus,lib.de Incarnatione,& gratia cap.8.vbi habentur hæc verba: *Dona Domine virtutem ad tutamẽtum, malos quæsumus bonos facito,bonos in bonitate conserua,omnia enim potes, & nõ est qui contradicat tibi, cũ enim volueris saluas,& non est qui resistat tibi.* Auctores oppositę sententiæ attendentes vim huius argumenti,& sententiã Augustini,& Basilij euasiones prætẽdũt,sed sine causa. Dicunt enim quòd Deus prędefinit actũ liberum voluntate absoluta, & efficaci per modũ intentionis. Sed non per modũ executionis:sed profectò stare hoc non potest: Quia stare nõ potest efficax volitio, & efficax absolutumq; decretũ de re aliqua, & quòd hoc etiã non sit per modũ executionis faciendę suo tempore, & loco, aut quòd nõ includat ordinẽ ad effectũ executionis potissimè in Deo: Nã si quis vult efficaciter finẽ,etiã vult exequi media quibꝰ perueniat in id qꝰ intẽdit efficaciter, imò verò ex intentione efficaci,& absoluta rei intẽtæ,& prædefinitę,sequitur electio mediorũ, & executio:aliàs si nõ sequitur executio id quidẽ erit, vel quia impeditur à sua efficaci volũtate, & intẽtione,is qui intendit, quia nõ est potens, & hoc non potest cõuenire Deo vllo pacto: & est cõtra Scripturã dicentem: *Omnia,quæcunq; voluit, fecit in cœlo, & in terra*, & cõtra D. Augu-

D.Basilius

Stare nõ potest efficax volitio absolutumq; decretum de reliqua,& quòd non includat ordinem ad effectum executionis.

gustinum, & D. Basilium. Vel est quia intentio illa non est absoluta & efficax, sed est quasi velleitas, & hoc non, quia, vt supponitur, Deus habuit in his actibus liberis, de quibus fit mētio in argumento, definitionē, & prædefinitionē cum absoluta intētione: ergò &c. Imò verò nunquā stat me velle efficaciter aliquid, absoluta & efficaci volūtate, & ꝙ nō exequar illud si valeo, & id possum facere, & maximè si nō possum impediri, aut retardari. In qua re expēdēda sunt verba Augustini modo citata, ex quibus colligitur, quòd si Deus per modum intentionis decreuit, & voluit dare efficax auxiliū similiter in hoc decreto includitur efficax volitio, & absoluta dādi suo tempore illud, exequendo intentionem, & electionem mediorum, quia qui dat formam dat consequentia ad formam, & hæc se infallibiliter consequuntur.

CONFIRMARI hoc potest, quia licèt distinguantur ordo intentionis, & executionis, quia quod est primum in intentione est vltimum in executione, tamen qui intendit aliquid facere absolutè, & efficaciter, si id potest facere, nō solùm habet intentionē agendi, & faciēdi, sed etiā habet voluntatē exequendi. Vnde in volūtate Dei tanquā in mente artificis omnipotētis & efficaciter volentis, vtrumq; ordinē constituimus, quem Deus vnico actu habet, cōprehēdit, & vult. Quapropter licèt ordo executionis exerceatur in re ipsa, tamē quādo talis ordo executionis emanat ab eodem artifice per voluntatem suā, necessariò oportet hanc cōstituere, & ponere in eodem artifice præter totum ordinē intentionis, à qua immediatè emanet executio, neq; hoc est nouū, sed antiquū apud omnes philosophos morales: ergò apertè constat, quod si intentio est efficax & absoluta in eo qui prudēter debet agere, & potissimè in Deo necessariò etiam ei copuletur ordo exequendi intentionem, qui potens est, & sapiens, & qui impediri non potest.

Sexta Conclusio.

Concluſi. 6. Contra aduerſarios & eorum ſentē tiam militant obiectiones quæ aduerſus nos ipſi machinantur.

DICO sextò. Difficultates omnes quæ nobis obijciuntur ab aduersarijs contra nostrā sententiā, ferè omnes militant cōtra eos, & cōsequēter se ipsos impugnant, si verus esset modus dicendi eorū circa efficacitatem gratiæ, quam illi suo modo statuere volunt. Quo fit falsum esse, quòd modus eorū constituendi efficaciam auxilij gratiæ Dei, sit sufficiētissimus, quia neq; saluat efficacitatem gratię, neq; infallibilitatē operū Dei, aut suorum decretorum, neq; reponit in libero vsu potestatis quòd possit homo se cōuertere, aut quòd sit in potestate eius, neq; saluat certitudinē diuinæ prædestinationis, neq; diuinā prædefinitionē ante præuisionem operū, vt constat ex his quæ diximus in superioribus, & constabit etiā ex dicendis paulò inferiꝰ. Nam certè modus dicendi oppositæ sententiæ non tribuit Deo quod suum est, neq; declarat efficaciam vocationis, neq; euidentissima testimonia D. Augustini, & Sanctorū Patrū, neq; respondet testimonijs Conciliorū, & diuinę Scripturæ, si repellat efficacē Dei gratiā mouentem corda hominū, inhærentē eis per modum actus primi, aut si dicat Deū expectare voluntates nostras, vt sub ea conditione Deus influat, nimirū expectando influxum voluntatis creatæ. Vnde opinio illorum lędit exactam Dei prouidētiam & prædestinationem, & dū extollit vires innatas liberi arbitrij, minuit Dei gratiā, & voluntatē efficacem atq; absolutā, & omnia vult fieri à Deo ex præuisione operum, & ex cōsilio voluntatis nostræ. Cùm tamen Deus iuxta Paulum ad Ephe. 2. operetur secundùm cōsiliū voluntatis suæ, & non secundū consilium voluntatis humanæ. Si enim Deus non prædefinit ea quæ agere debet ad extra absolutè vt ipse vult, sed ex præuisione voluntatis creaturæ, qua antecedenter ad suam voluntatē præuidit, quid essent volituræ, & facturæ voluntates nostræ sequitur Deū agere, & prouidere de rebus secundū consilium voluntatis humanæ. Vnde si Deus nihil definit nisi conditionaliter, aut dependēter à voluntate creata præuisa quid sit operatura, & expectata à Deo, vt ipse velit, & operetur: sequitur omne decretū Dei, & consiliū voluntatis suæ, à nobis processisse, & ita ab hominum volūtate, & Angelorū, & à consilio eorum, consensu, & influxu, fieret Dei consiliū, expectata voluntatis eorum influentia, antecedenter ad se ipsum. Rursus minuitur Dei gratia & extolluntur vires innatæ voluntatis humanæ, vt ostendimus supra, cùm tamen in Concilio Moguntino capite 8. Patres qui adfuerunt in Tridentino dicant hæc verba. *Sic enim extenuandæ sunt vires humanæ, vt non simul, & gratia Dei vilis reputetur: sic in bono opere faciendo, deprimenda est facultas hominis, vt interim cogitemus, Spiritus Sancti motum & in nobis efficacem, & apud Deum acceptum, ac pretiosumeſſe.*

Ad Epheſios. 2.

Conci. Moguntinum.

Obiectiones cōtra aduerſarios. Prima.

DICENDVM igitur est ferè eadem difficultates manere in sententia aduersariorum circa sufficientiam gratiæ, & efficaciam, quas ipsi volunt nobis obijcere. Nā vocatio efficax quā aduersarij suo modo constituunt, vel illa est necessaria ad omnes actus supernaturales, & ad cō sensum, & cōuersionem peccatoris, vel non requiritur, neq; est necessaria. Hoc vltimū dici nō potest, quia nō solū repugnat sententię D. Augustini, sed etiam communi consensui Theologorū dicentium, neminē posse credere sine vocatione sufficienti: & hanc gratiā sufficientem dicunt auctores oppositæ sentētiæ esse efficacē si cōgrua sit. Si autem dicas vocationem illā efficacē ratione illius cōgruitatis esse necessariā ad singulos actus supernaturales, sequiturq; sine hac vocatione nemo habet gratiam sufficientē ad cōsensum, vel conuersionē, quia caret aliqua re necessaria ad talem actū supernaturalē. Rursus nō est in potestate hominis habere illā talē vocationem. Nā quid faciet homo, vt Deus vocet illum tempore oportuno: cùm non sit in potestate hominis illa vocatio? aut quòd vocet eum Deus illo tempore congruo & oportuno,

quo ipse prænouit illum consensurum esse.

Euadere conantur aduersarij vim huius obiectionis.

Hoc argumentum conantur eludere auctores oppositæ sententiæ, & re vera pro eis nihil video quod ipsum dissoluat. Dicũt enim admitti debere, prædictã vocationem efficacem esse quidẽ necessariam ad singulos actus supernaturales in re efficiendos, non tamen ad potestatẽ faciendi singulos actus: quia necessitas illa non est ex parte causæ, neq; ex suppositione antecedente quomodo repugnat aliquid esse necessariũ ad facere, & non ad posse: sed est necessitas ex suppositione consequente, & extrinseca, quia nihil potest fieri in tempore, quod nõ fuerit præscitum ab æterno: & ea suppositione facta, non potest aliter fieri quàm præscitum sit; quia hypothesis illa supponit iam effectum ita esse futurum. In quo sensu dicũt huiusmodi auctores admitti debere auxiliũ efficax vt necessarium ad singulos actus, quia necesse est dari sub illa Dei præscientia, qua Deus nouit an detur oportuno tempore, quo habiturum est effectum, nec ne: & quia hoc ipsum, nimirũ quod sit, vel non sit habiturum effectum, pendet ex libero vsu voluntatis, idcircò tota illa necessitas non est antecedens, sed consequens, & ob id nõ repugnat libertati, &c.

Repellitur euasio.

Sed profectò hæc euasio nihil omninò valet vt dissoluat difficultatem in argumento tactam. Nam primò, nos etiã fatemur efficacem Dei gratiam esse necessariã ad singulos actus, & cõsensus supernaturales in re efficiendos, nõ tamen ad primam illã potestatem faciendi quæ per sufficientem gratiã nobis tribuitur. Secũdò, quia falsum est affirmare hãc necessitatem aut non esse ex parte causæ, aut non sumi ex suppositione necessitatis propter actũ supernaturalem, & defectum virium liberi arbitrij, aut propter dependentiã à Deo in ratione causandi & agendi, maximè in supernaturalibus. Tertiò, quia falsum est quòd tota necessitas huius auxilij, & gratię efficacis sit consequens. Negamus etiam constituendam esse illam scientiam mediã, seu præscientiam, qua fingunt auctores oppositæ sententiæ, Deum antecedenter ad suã volũtatem, & ad sua diuina decreta, cognoscere quid operatura sit voluntas, quasi expectato libero vsu voluntatis, prius quàm Deus velit aliquid fore, aut quã permiserit vel ordinauerit. Vide S. Tho. 1. p. q. 25. ar. 5. ad 1. affirmans non posse fieri vt Deus aliqua faciat, quæ non præsciuit, & pręordinauit se facturum: subiungit rationem huius, quia ipsum facere subiacet præscientię, & prædeterminationi, & non dixit, subordinationi, vt malè Suarez posuit, nõ recitans fideliter verba D. Thomæ lib. 1. de cõcursu Dei cũ volũtate cap. 14. pag. 68. quo in loco volens respondere ad verba D. Thomæ, quæ sibi videbantur vehementer cõtraria, posuit pro prædeterminatione Dei, subordinationẽ actionis ad extra, quia nihil potest effici, nisi se applicet ad agendũ Deus, & hanc dicit S. Thomam vocauisse prædeterminationem. Extorta quidem explicatio, quia S. Thom. apertè loquitur de diuina prædeterminatione, qua decreuit, prædeterminauit, & præsciuit ea quæ facturus erat: quod constat, tum ex argumento illo primo D. Thomæ in oppositum, tum etiam ex eadem solutione ad primum Diui Thomæ, vt patebit legenti, præcipuè cùm S. Tho. dicat talis sapiẽtiæ & potentię esse Deum, quòd potest alia facere de potentia absoluta, quàm quæ præsciuit, & prædeterminauit se facturum, non tamen potest esse quòd aliqua faciat quæ non præsciuerit, & prædeterminauerit se facturum, quia ipsum facere subiacet præscientiæ, & prædeterminationi, &c. Constat ergo S. Thomam loqui de prædeterminatione diuina, secundùm quam præsciuit se facturum quod voluit, iuxta illud Isaię. 14. *Iurauit Dominus exercituum dicens: si non vt putaui ita erit, & quomodo mente tractaui ita eueniet: Dominus enim exercituum decreuit, & quis potent infirmare?* Quartò non potest constare solutio seu euasio, quam tribuit argumento superius facto. Nam quamuis esset verum pendere ab homine quòd Deus præsciuerit per scientiam mediam quid homo esset facturus antecedenter ad suum decretum, & ad suam voluntatem, tamen facta suppositione, quòd Deus præsciuerit, hoc vel illud hũc hominem esse facturum, & Petrum fore cõsensurum tali vocationi, tali etiam tempore, & loco, & Paulum repugnaturum: hoc inquam posito, nullo modo est in potestate Petri quòd hoc vel illo tempore vocetur à Deo. Neq; rursus est in potestate Pauli, quòd alia vocatione, vel alio tempore congruo, aut magis oportuno vocetur: & tamen hinc pendet tota salus Pauli, & Petri, & hoc est absolutè necessarium vt detur illis efficax gratia: igitur sine hoc nihil sufficit; ergò neq; efficacia gratiæ est in hominis potestate ac libertate, neq; sufficiẽtia simpliciter. Vnde in hac re habet locum sententia Pauli ad Roma. 9. *Non est volentis neq; currentis, sed Dei miserentis.* & etiam illud. 1. Corin. 4. *Quis enim te discernit?* Nam profectò ex sola Dei volũtate prouenit talis discretio ex congrua illa vocatione, homine tamen cooperante ex vocatione illa secundũ propositum Dei: ergò cùm quòd vocemur à Deo congrua illa vocatione, nõ sit in potestate nostra, sed in libera Dei volũtate, sequitur eandem difficultatem militare contra aduersarios, quam ipsi nobis obijciunt, de gratia efficaci pręmouente corda nostra, & diffusa in nobis per modum actus primi, vt dictum est.

Isai. 14.

Necessitas auxilij efficacis nõ est consequens.

Etiamsi efficacitas gratiæ consisteret in illa congruitate ad complexionem, &c. verum esset talẽ efficaciam nõ esse in hominis potestate, & libertate.

Secvndò & principaliter, quia licèt in illa præscientia media de mẽte aduersariorũ supponatur, quid homo in hac vel illa occasione cõstitutus sit voliturus, tamen in re ipsa, dicitur ab aduersarijs, hominẽ hoc esse voliturum ex se, & se etiã ex suo arbitrio determinaturum esse: ita vt nõ idcircò sit facturus aliquid, quia Deus id præsciuit, sed è conuerso ob id Deus præscire, quia ipse homo illud erat facturus: ergo in re ipsa efficacia gratiæ, vel reducitur ad liberũ arbitriũ, & ad euentũ seu ad cooperationẽ liberi arbitrij, à qua dicitur pendere, vel Deo tantũ attri

Secundò arguitur contra aduersarios.

bui-

buitur, quòd tunc dederit gratiã vocationis Petro, quando præuidit, quòd liberum arbitriũ repugnaturum nõ erat, in quo tribuitur libero arbitrio quod gratiæ tribuendum erat. Sanè neq; hãc obiectionem, & difficultatẽ diſſoluunt auctores oppoſitæ ſententiæ: Nã licèt cùm dicitur ab eis, efficaciam gratiæ, quam ipſi ponunt, pendere ab homine, ſeu ab eius arbitrio ex ſe, æquiuocum habere ſenſum: quia non volunt ita liberum arbitrium ex ſe poſſe, vt ſolis ſuis viribus poſsit, quantum ad efficiẽdum, licèt ex eiſdem poſsit quantum ad reſiſtendum: tamen ſentiunt efficaciam gratiæ ita requirere vſum liberi arbitrij, vt gratia ſubijciatur libero arbitrio, ita vt efficacia gratiæ non ſumatur in actu primo cum reſpectu, & habitudine ad infallibilem connexionem cum actu ſecũdo: nam certè efficacia illa gratiæ, quæ eſt in ipſo actu primo, ſemper coniuncta eſt cum cooperatione liberi arbitrij, quæ omnia proueniunt ex intentione Dei diſponẽtis hæc fortiter & ſuauiter. De qua re nos fuſè ſatis diximus ſupra, quo pacto hoc debeat intelligi.

Secundũ oppoſitã ſentẽtiam gratia ſubijcitur liberoarbitrio nõ è cõtra.

Tertiò obijcitur cõtra aduerſarios.

Tertiò obijcere poſſumus contra eoſdẽ auctores, & contra modum quem habent explicandi efficacem gratiam: Quia licèt Dei miſericordia oſtendatur, & explicetur in huiuſmodi vocatione cõgrua, quę datur à Deo quibus vult, in his quos vocat cõgruè pro ſua voluntate: nihilominus videtur alienũ à miſericordia, & bonitate Dei, vt in reliqua multitudine aliorũ hominum Deus ea obſeruet tempora, & eas occaſiones ad eos vocandos, in quibus certò ſcit illos eſſe repugnaturos: in quo videtur poſitiuè, quòd Deus nolit homines illos moraliter ſaluare: nam ſi id verè vellet, & optaret, adhiberet congrua media, & oportuna, & potius obſeruaret occaſiones vocandi, quàm eas quæ tales non ſunt.

Diſſoluere contendunt hoc argumẽtum fautores oppoſitæ ſentẽtiæ, ſed magis implicantur.

Hoc argumentum etiam effugiunt auctores oppoſitæ ſententiæ: quod militat contra eos, & tenentur illud ſoluere. Et quidem exiſtimo diuinam bonitatem oſtendi, eiuſque ſapientiam, prouidentiam, & ordinẽ diuinæ prudentiæ, in eo quòd quibuſdam dedit auxilia efficacia, & vocationem congruam, quibuſdã vero dedit auxilia ſufficientia, eos etiam vocãdo: quæ auxilia quotieſcunq; Deus inſpirat, excitat & vocat ad pœnitentiã, & conuerſionem ſemper quidem congrua ſunt, & ex Dei beneuolẽtia procedũt: Qui vult omnes homines ſaluos fieri: qui etiam ſtat ad oſtium, & pulſat dicens: *Aperi mihi ſoror mea, &c.* Quòd vero ex hominibus ita vocatis, pulſatis, & excitatis plures reſiſtant & repugnent, & impedimẽta offerãt gratiæ Dei culpa eſt repugnantiũ. Vnde nihil indignum eſt Deo attribuendũ: nam ſi Deus nõ dedit efficacem gratiam omnibus hominibus, aut non dedit quærendo occaſiones vocationis, in primis certum eſt Deum non eſſe debitorem huius gratiæ; ſecundò certũ eſt quòd poſt quã homo peccauit illi debetur damnatio, & pœna, quia peccator eſt, & idcircò quidquid Deus facit per ſuam gratiam vt eum conuertat, ex ingenti liberalitate facit. Quare non eſt concedẽdum Deus ex volũtate ordinante affectaſſe, & voluiſſe, atq; ordinauiſſe, vt auxilia ſufficientia darentur incongruè, cum ea videlicet intentione, vt ſolùm eo tempore dentur quo præuidentur repugnaturi eſſe homines: hoc enim indignum eſt diuina ſapientia, & bonitate. Quapropter aduertenter dixi ego paulò antea, diuinam gratiam ſufficientem, excitantem, & vocãtem nunquam eſſe incongruam, neq; eſſe vllum tempus, in quo detur à Deo incongruè, & quòd idcircò culpæ ipſius hominis eſt tribuendum, quod vel obicem ponat, vel reſiſtat, cùm ei dãtur huiuſmodi auxilia, & vocationes. Quare Deus ſua prouidentia ſemper curat de hominũ ſalute, varijs tamen, & diuerſis modis reconditis in theſauro ſapientiæ ſuæ; quidquid autẽ culpæ, & repugnantiæ eſt ex hominum libera voluntate procedit. Neque Deus tenebatur creare hominem in gratia confirmatum ne peccaret vnquam, neque huiuſmodi modus prouidentiæ in conditione Adami fuit à Deo electus, aut ſtatutus. Et expediebat vt oſtẽderetur hominis imbecillitas, & fragilitas, & quã parũ poſsit creatura: & in alio extremo expediebat oſtendere quantũ oportebat hominẽ præueniri & cuſtodiri per gratiã Dei. Rurſus etiam ex alio capite expediebat Deũ multa permittere, & vt bonũ ex malo eliceret, & vt oſtẽderet ordinẽ ſuæ iuſtitiæ, ex quo oſtẽderetur theſaurus miſericordiæ ſuæ in electis. Demiq; Deus nullo iure aſtrictus erat efficaciter omnes ſaluare, & idcircò nihil Deus circa ſalutem hominum ordinauit, decreuit, aut geſsit, q̃ incõgruè dicatur decretũ aut geſtũ eſſe. Et per hęc diſſoluitur propoſita obiectio quatenus poteſt contra nos militare.

Negãdum eſt Deũ ea intentione, & tempore quædam cõferre auxilia, quo volũtas repugnatura præuidebatur.

Qvartò ſeſe offert difficultas cõtra eoſdẽ aduerſarios: Nam certè ex poſitione eorum de gratia efficaci moraliter cõgrua cõplexioni naturali, & ingenio, obſeruato tẽpore, & loco, ſequitur poſſe cõtingere & euenire, q̃ detur aliquis homo qui vel nõ poſsit à Deo vocari efficaciter, vel q̃ Deꝰ nõ poſsit id efficaciter velle. Sequela probatur, quoniã ad hoc vt Deus poſsit velle vocare aliquẽ efficaciter, ſupponũtur duo in opinione aduerſariorũ: quorũ primũ eſt ſciẽtia cõditionata, qua Deus antecedẽter ad omnia & ad ſuã voluntatẽ, & decretũ, cognoſcit hominẽ in aliqua occaſione cõſenſurũ eſſe ſuæ vocationi, ſi hoc vel illo modo excitetur, & vocetur. Secundũ eſt, quod Deus ſub cõditione vult influere, & cõcurrere ad actũ hominis, expectãdo tamẽ influxũ voluntatis creatæ: ſed hæc duo nõ debent vllo pacto cõcedi, quia neq; datur ſciẽtia media cõditionata, neq; illa eſt neceſſaria ſimpliciter, vt in libro de ſcientia media oſtendimꝰ, ſupponit enim hęc ſcientia, ante omnẽ Dei voluntatem, obiectum cũ futuritione cõtingente, quod fieri poteſt, vt nunquam eueniat, vel nunquam ſit futurum, & conſequenter quòd nunquam fuerit præſcitum à Deo. Vnde talis ſcientia vt terminata ad tale obiectum non eſt

Obiectio quarta.

necessaria. Quòd si possibilis esset sequitur, q̃ potuit Deus per eam præscire de aliquo homine in omni tẽpore, occasione, atq; loco repugnaturũ esse Deo, & vocationi eius, & nunquã esse consensurum: ergò seruato illo modo efficacitatis gratiæ, quem volunt auctores oppositæ sententię, Deus non posset illum hominem efficaciter conuertere: quod est alienum à sententia D. Augustini, & à diuina sapiẽtia, & omnipotentia. Rursus etiã neq; est verum, neq; debet concedi Deum expectare influxum voluntatis nostræ, aut consensum, & sub ea conditione Deum velle influere, hoc enim impugnatum est suprà, & fusius infrà repellendum est.

Solutio quæ huic obiectioni accõmodatur nõ euacuat vim argumenti.

HVIC argumento contendunt satisfacere aduersarij, sed non benè satisfaciunt. Primùm enim negant sequelã inferri ex sua positione, & opinione; quia cùm sit infinita Dei potentia, & sapientia qua nouit omnia auxilia, & modos omnes quibus potest inclinare hominis voluntatem ad aliquid, impossibile est quin præuideat aliquem modum quo homo verè consentiat, si illi applicetur. Quæ solutio, & responsio sufficiens videbatur, nisi auctores eius fuissent in ea sententia, & modo dicendi, quòd efficacia gratiæ solùm est præcisè moralis, quia aliàs lęderetur liberũ arbitrium: Cùm autẽ certitudo moralis seu infallibilitas eius, non sit talis cui non possit subesse falsum, apertè sequitur nõ sufficere responsionem eorum, quia stat dari illam congruentiam, & quòd non sit consensus, si illa efficacia precisè est moralis. Quod ipsi concedere non renuunt, si consideretur efficacitas solius gratiæ moralis ex vi sua. Quare necesse est vt accedat nõ solùm efficacitas gratiæ moralis, sed etiam simul efficacitas propriè efficiens, quæ secum adducat modum vocandi, quo cor hominis suauiter, & fortiter moueatur ad conuersionem & consensum. Itaq; nos non solùm constituimus modum mouendi moraliter hominem cùm ipse rationalis sit, & intra ordinem moris, sed etiam constituimus veram efficaciam in genere causæ efficientis propriè simul cum priore, & D. Augustinus vtramq; cõstituit efficacitatem, & vtriusque meminit, quia semper coniunguntur in adulto operante ex electione, & deliberatione.

RVRSVS secundò, tota illa infallibilitas solùm est moralis, & consequenter non implicat euenire oppositum. Nam certè fieri potest, vt sit aliqua voluntas tam prauè affecta vt omnibus momentis, & temporibus resistat vocationi morali, & modo vocandi moraliter, quem præcisè cõstituunt aduersarij. Et ita sequeretur quòd si daretur homo tã auersam habens voluntatem, & induratã, vt semper resisteret huic præciso modo morali vocandi, quem prædicti, auctores solũ constituunt pro efficacitate gratiæ: quòd Deus nõ posset iuxta eorum opinionem voluntatẽ huius hominis liberè conuertere, quia præsupponitur semper resistens si liber vsus ei cõcedatur. Quod quidẽ nõ video qua ratione sit affirmandũ: nam certè iuxta nostram sententiã, de vocatione nõ tantũ morali, sed propriè efficiente seu physicè, non potest nõ cognosci humanam voluntatem ita vocatam consentire, aut conuerti, & hoc esse infallibile simpliciter.

Obiectio quinta.

QVINTA obiectio, quæ militat contra aduersarios suppositio modo dicendi eorum, est: Quia sequeretur eundem modũ vocationis cõgruæ efficacis, necessarium esse ad bona opera moralia, & naturalia, qui est ad supernaturalia, non quòd sit æqualitas in ratione entis perfectionis supernaturalis, sed solùm quòd sit æqualitas in modo efficaciter vocandi pro loco, & tempore, & respectu complexionis, & ingenij huius vel illius hominis: ergò requiritur ista efficacitas ad bona opera moralia præcisè. Nã ad consensum in bonis actibus moralibus, solent accedere ex diuina prouidentia, persuasiones, & excitationes bonæ: ergò similiter potest accedere ad consensum, & operationẽ bonam moralem congruitas loci, & temporis, & persuasiones aptæ iuxta conditionem ipsius hominis, nimirum Petri, aut Pauli. Hoc autem videtur inconueniens, quia sequeretur ad omnẽ actum moraliter bonum necessariũ esse auxilium speciale gratiæ, quia illa vocatio moralis efficax non est debita naturæ: quoniam posset Deus ita disponere res vt tali homini neque offerretur talis occasio, neque tale obiectum, illum excitans ad talem actum bonum, tali tempore, & modo, quo illud erat operaturus: ergò quòd Deus, disposuerit res illo modo, fuit beneficium quoddam speciale gratuitum, sine quo homo non posset exercere actum illum. Hoc autem esset magna ex parte consentire cum Gregorio Ariminensi, & minuere necessitatem gratiæ, & etiam sequuntur alia incommoda.

Ad operabona moraliter, nõ minꝰ quã ad opera supernaturalia necessariũ esse auxiliũ efficax ex aduersa sententia sequeretur.

Quid respondeãt adhoc.

HAEC obiectio quæ maximè militat contra aduersarios, ab eis (vt putant) dissoluitur: sentiunt enim quantum attinet ad præscientiam mediam æquè infallibile esse apud Deum, hominem esse benè operaturum moraliter oblata hac occasione tẽporis, & loci, vel existẽte tali repræsentatione obiecti: sicut etiam infallibile est cõsensurum esse si supernaturaliter vocetur tali modo. Imò verò in actibus peccaminosis ex parte prę̃sciẽtiæ est eadem infallibilitas: quamuis ex parte volũtatis diuinæ non sit par ratio quoad actus malos: Nam cùm Deus præscit hominem peccaturum si in tali occasione constituatur, non vult ipsum in ea constitui vt peccet, sed potius vel permittit in ea constitui propter bonũ aliquem finem, vel permittẽdo peccatum in ea occasione, & volendo permittere, hoc vult, vt eliciat bonum aliquod. Cæterùm respectu actuũ bonorũ, præcipuè supernaturaliũ, Deus vult positiuè constituere hominem in ea oportunitate in qua est benè operaturus, ex affectu, & intentione eiusdẽ operationis bonæ. Verũtamẽ quãdo operatio illa est supernaturalis, quia vocatio ad illã, & oportunitas eã agẽdi prouenit ex speciali prouidentia supernaturali

gratiæ, & ex peculiari diuina intētione, dicitur esse ex efficaci vocatione. Quando autem opus bonum moraliter solius ordinis naturę fit, tunc potest à sola generali prouidētia Dei prouenire, & emanare, absq; vlla specialiori præmotione, aut prædiffinitione diuina: & idcircò talis operatio moralis non tribuitur speciali vocationi efficaci, aut alicui excitacioni diuinæ ad tale opus. Et hac solutione contenti sunt auctores oppositæ sententiæ.

Non satisfacit.

Ego verò nō video quo pacto plenè dissoluatur obiectio proposita cōtra eos. Quia negari non potest, quin homo qui rationalis est, & qui operaturvt agens morale per deliberationē & cōsultationē, moueatur à cōgruitate tēporis & loci, ab occasione, & persuasione iudiciorum suorum, & à repræsentatione talis obiecti cum talibus circunstantijs, præcipuè quādo hæc maximè quadrant cum ingenio, & conditione talis hominis: ergò cū Deus prędefiniuerit actiones bonas moraliter omni ex parte, præsertim illas quæ sunt pietatis, commiserationis, & eleemosynæ: sequitur, quòd si illi homini offeratur illa congruitas loci, & temporis, & illa occasio, cū moralibus persuasionibus quæ excitant, & impellunt, quòd erit infallibile, non minus quā in supernaturalibus, illum hominem benè operaturum esse moraliter. Nam certè cum illi homini non deficiant vires ad opus morale, & adsint persuasiones inuitantes cū occasione temporis, & loci: sequitur eum infallibiliter operaturum. Quia posset Deus ita disponere res omnes ad operationes aliquas morales, vt excōgruitate quæ in re inuenitur infallibiliter sequeretur operatio moralis. Quòd si Deus hoc ita ageret intra ordinem moralem præcisè, & crearet hominem sub tali dispositione, & rerum circūstantijs, & sub talibus motiuis, & occasionibus benè operandi, sistendo in eodem ordine naturali, & morali præcisè, hoc pertineret ad beneficium prouidentiæ ordinis moralis, & naturæ, qui ita disposuit talem ordinē moralem vt voluerit tale beneficium intra statū moralem alicui generi hominum concedere, ex beneuolentia eiusdem prouidentię. Hac ergo ratione cùm hoc opus sit Dei, secundùm statum morum, & ad opera præcisè moralia, nō ob id sequitur hoc esse ex aliquo speciali auxilio gratiæ in ordine ad finem aliquem supernaturalem: quoniam illa occasio, & illæ circunstantiæ temporis, & loci cum illa repræsentatione obiecti mouentis, & instigantis ad bonam actionem moralem, ex communi prouidentia & generali beneuolētia, & influxu Dei prouenit: quæ omnia suppositā prima, & generali dispositione causarum ipsius vniuersi intra prouidentiam hanc naturalem, & moralem cōtinentur. Neq; requiritur præmotio aliqua efficienter physica ex parte volūtatis sicut in operibus supernaturalibus, quia volūtas secundùm se habet vires innatas ad bona opera moralia, & ad se determinandū, atverò respectu operū supernaturaliū, quę sunt ordinis superioris supra totā naturā, sine dubio in illis reperitur specialis ratio, cur volūtas indigeat illa speciali gratia præmouente ad supernaturalem cōuersionem, & consensum cum efficacitate determinandi voluntatem ad hoc.

Suppositā cōgruitate temporis loci, &c. non minus videtur infallibile hominē esse operaturū benè moraliter, quā supernaturaliter.

Sed contra eosdem auctores argumentari possumus circa modum explicandi suam sententiam: Quia si Deus non tribuit aliam efficacitatem gratiæ ad supernaturales actus, & expectat nostræ voluntatis influxum, vt ipse influat, & aliàs concursus Dei cum voluntate ad actionem liberam, non includit determinationem vllam sed indifferentiam: sequitur causam secundam determinare primam ad operandum, & influendum magis in hūc actum quàm in alium: quod potissimè esset verum in causa secunda libera qualis est voluntas, quod dici non potest. Sequela autem probatur, quia si, verbi gratia, causa prima, quæ est Deus, applicat concursum suum indifferenter, imò verò expectat concursum, & influxum voluntatis nostræ, vt ipse influat, & operetur, sequitur, quòd ipse non se determinat ad hunc singularem effectum, sed quòd determinatur à causa secunda. Hoc autem non esse ferendum constat, quia ad primam causam maximè pertinet determinare secundam: quoniam illa causa, quę aliam determinat, ea ratione videtur esse superior, & perfectior, & habere quandam vim in illam. Et sanè negari non potest quin Deus applicet suam omnipotentiam per liberam determinationem suæ voluntatis, qua intelligimus Deum se determinauisse ad dandum hoc auxilium, & hanc efficaciam gratiæ actualis, vt fiat hæc operatio hic, & nunc, qua ratione creatura non potest dici, quòd efficiat hanc determinationem Dei, maximè quantum ad id quod habet ad intra, quia diuina voluntas se ipsa formaliter intelligitur se determinare sua libertate. Si autē consideretur hæc determinatio ex parte obiecti, & ex parte effectus, & humanæ volūtatis hac ratione determinatio volū tatis creatæ, quę in ipsa est, & ab ipsa etiā est, dicitur determinatio ad extra, & habet dependētiā essentialem à Deo, & ab ipsius volūtate applicante suam potentiam ad motionem ad extra. Nam certè verisimum est voluntatis determinationem in actu secundo, quæ effectiuè procedit à voluntate, & à Deo, esse exercitium actionis, secundùm quem intelligitur voluntas determinans se, & determinata ad hoc obiectum, & ad hanc operationem hic, & nunc, & sine dubio totum hoc fit à Deo agente, & applicante voluntatem, sine quo nihil fieri potest. Per hoc autem non excluditur, quin voluntas se determinet, & sit etiam proxima ratio determinationis illius: Deus tamen immediatior, & prior.

Aliter contra aduersarios arguitur: quia sequitur ex ipsorum positione causam secundam determinare primam.

Diuina voluntas se ipsa suaq; libertate sede terminat.

Vnde fit vt in eo momento, & instanti in quo illa actio, & determinatio fit à volūtate humana, & diuina, quamuis prius natura intelligatur voluntas indifferens, respectu actus secundi, & prius natura sit, quàm influat in actū secundum, tamen verè est ordo inter huius-

Simul in eodem momēto temporis voluntas se determinat & determinatur à Deo prius tamē natura à Deo quàm à se.

modi voluntates, quòd prius natura Dei voluntas influit, quàm secunda, licèt simul influant in eodem momento, & concomitanter in illo. Rursus vtraque voluntas quando actu agit est formaliter determinata quoad actionem: licèt vtraque voluntas quando intelligitur esse in actu primo, prius natura quàm in actum influat, intelligatur per actum primum proximum inclinata inclinatione libera in ipsum actum. Dico, inclinatione libera, quia actus ille prius secundùm quem voluntas verè dicitur in actu primo, afficit eam iuxta ipsius naturam, & relinquit eam liberam, vt cum ad actum secundùm procedit ita se agat, & explicet in actionem liberam, vt in ea maneat potestas faciendi oppositum: Quia sicut operatio quam exercet est libera, & liberè exercetur à voluntate, ita etiam ipsa voluntas est constituta in actu primo libero, quæ non lædit vsum eius quamuis eam inclinat. Quo fit vt Deus in eodem illo instanti in quo influit vt causa prima suauiter, & fortiter prius natura intelligitur habere determinationem quandam ortam à sua voluntate libera qua expositus est ad hunc actū ad extra, vel illum liberè, quæ determinatio ex suppositione suæ liberæ voluntatis quæ supponitur dicit immutabilitatem in Deo ad influendū in voluntatem creatam, quæ statim atq; intelligitur esse in actu primo inchoat actionem suam liberā, & Deus pariter influit, & inchoat prius natura, & prius perfectione subijciendo voluntatem sibi, cui non tantùm tribuit vires ad agēdum per influxum gratiæ, sed etiam per eas applicat, & mouet voluntatem vt agat. Itaq; licèt voluntas quando est in actu primo sit indifferens, quia actus primus non determinat nisi relinquendo potestatem ad oppositum, tamē ille primus actus verè inclinat eam: esto maneat illa potestas in ea ratione cuius dicitur esse indifferens ad faciendum vel non faciendum.

Prius natura, & perfectione influit Deus in operationem voluntatis, quàm ipsamet voluntas.

Qvòd verò dicunt auctores oppositæ sententiæ, quòd quando Deus per voluntatem suā applicat suam potentiā respectu alicuius actionis, quam liberè intēdit ad extra, quod potentia est indifferenter applicata, id malè dicitur: nam certè si Deus liberè determinat ad extra aliquid producere, & applicat ad hoc voluntatē, & potentiam suam, sine dubio intelligitur non solū determinatio voluntatis diuinæ ad intra, cū respectu rationis ad id quod ad extra est efficiendum, sed etiam intelligitur, quòd suppositā Dei volūtate, quæ liberè se determinauit, & est immutabilis, quòd potentia quę applicatur ab eadem voluntate, ad exercitium operis ad extra vt sic, habet quandam determinationē ad opus, & exercitium illud ad extra circa volūtates hominum, vel circa alia: quam quidem determinationem minimè haberet ipsa potentia ex se: quia eam solùm habet, ex eo quòd Deus vult liberè, & per quandam liberam determinationē suæ voluntatis applicare potentiam suam huic hominis voluntati, ad hanc actionē vel ad illam in indiuiduo pro hoc loco, & tempore, &c.

Alia argumenta sese offerebant, quæ licèt possent hoc loco reponi, tamē commodius explicabuntur, & proponentur in fauorem nostrę sententiæ sectione secunda sequenti, vbi agendum est: Vtrùm verum sit quod aduersarij dicunt Deum expectare influxum voluntatū nostrarum, & sub cōditione velle, si nos velimus, expectando inquam influxum nostrū vt Deus ipse vel influat, vel velit influere.

Infallibiliter Deūflectere posse nostram voluntatē quocunq; voluerit, putant aduersarij, suppositata men scientia media.

Rvrsvs auctores oppositæ sentētiæ vt dissoluant multa argumenta, quæ pro nobis militant, dicunt: quòd cor hominis seu voluntas eius est quidem in manu Dei, ita vt infallibiliter Deus vertat cor nostrum, & voluntatem nostram quocunque Deus voluerit, suppositā tamen scientia media seu conditionata, qua Deus prę sciuit, quid facturum esset liberū arbitrium hominis, si in tali vel tali ordine, & combinatione rerum crearetur, antecedenter ad diuinum decretum, & ad diuinam prædefinitionem de rebus liberè euenturis. Vnde concludunt huiusmodi auctores, totalem efficaciam gratiæ, & vocationis diuinæ, in hoc consistere quòd Deus sapientia sua infinita præuidens quid vnaquæque causa, seu voluntas in omni euentu, & occasione operatura sit, si in ea constituatur, etiam cognoscit quando, & cui vocationi vnaquæque voluntas sit consensum liberum præstitura, si illi donetur. Quocirca quando Deus vult hominem conuertere, vult eum vocare illo tempore, & modo quo antea prænouit esse consensurum, & tunc talis vocatio appellatur efficax: quia licèt ex se non habeat infallibilem effectum, tamen vt subest tali scientiæ mediæ, infallibiliter est illum habitura: Negat tamen hæc sententia hanc efficaciam spectandam esse in ipsa vocatione secūdùm se, id est, secundùm gratiam actualē, & motionē Dei quam ponit in homine, vt est ab ipso Deo mouente efficaciter, suauiter, & fortiter, sed solùm vt procedit à Deo sub sciētia Dei & directione morali eius. Sed quoniā tota ferè dissenfio, quæ circūfertur hodie præter ea quę iam diximus, est circa hunc specialem modūponendi scientiam quandam mediam, idcircò hæc res de scientia media paucis perstringetur à nobis hoc loco, quia aliàs integrum postulat tractatum, quem nos retroactis diebus confecimus.

Septima Conclusio.

Conclusi. 7. Necessariū non est constituere sciē tiam mediā & ea posita non saluaturefficacia gratiæ, neq; infallibilitas futuri euentus.

Dico septimò non esse necessarium constituere scientiam mediam iuxta eum modum quo Molina, & sui eam constituunt, & sentio per eam non saluari efficaciam gratiæ Dei, neque omnimodam certitudinem infallibilitatis futuri euentus liberi, & contingentis, nimirum consensus, conuersionis, aut pœnitentiæ liberæ, sed repellendam esse, sicut verè eam repellit Diuus Augustinus, non quidem sub hac serie verborum, scientiæ mediæ, sed sub alijs terminis atque verbis æqui-

ualen-

ualētibus. Quoniam D. Augustinus negat apertè aliquid factum esse à Deo, aut ex præuisione operum antecedenter ad propositum voluntatis suæ, aut ex præuisione meritorum. Et D. Prosper epistola ad Augustinum, quæ habetur ante lib. de prędestinat. Sanctorum, si recte perpendatur hanc eandem scientiam mediā repellit: & execratur sententiam, quæ dicit, tolli virtutes & industriam omnem, si Dei constitutio aut prædefinitio, humanas præueniat voluntates: Nam putant Pelagiani præuisos esse à Domino credituros, & ex hac præuisione dispensasse Deum omnia, quæ sane volunt per scientiam mediam conditionatam à Deo præcognosci. Quocirca D. Prosper petit solutionem à Diuo Augustino propter dissensiones ortas apud plures ex fidelibus de hac re: Quia plerique eorum non putabant Christianam fidem hac dissensione violari, & idcircò D. Prosper petit ab Augustino resolutionem, vt explicet quātum periculi sit in hac persuasione aduersariorum. Legenda est pariter epistola D. Hilarij ad Augustinum, quæ etiam reponitur ante lib. de prædestin. Sanctorum.

Hæc habentur in illa epistola D. Prosperi.

D. Augus. Divvs Augustin⁹ lib. 1. de prædestinatione Sanctorum, capit. 14. explicans locum illum. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius*: inquit, *Dictum est enim secundùm pericula vitæ huius, non secundùm præscientiam Dei qui hoc præsciuit quod futurum erat, non quod futurum non erat: id est, quod ei mortē immaturam fuerat largiturus, vt tentationum subtraheretur incerto: non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* Quo in loco D. Augustinus expresse dicit Deum non præsciuisse id quod futurum non erat, scilicet hunc hominem esse peccaturum: quia hoc re vera non erat aliquando futurum, & ideò solùm dicitur futurū sub conditione, scilicet si ille homo maneret in tentationibus huius vitæ. Et lib. 1. de anima & eius origine, cap. 12. disputans an homines sint puniēdi propter peccata quæ Deus præsciuit eos esse commissuros si viuerent, apertè videtur Augustinus negare Deum habere hanc scientiam mediam omnium futurorum conditionatorum: Nam in fine illius capitis ita dicit. *Quòd ipsa exinanitur omninò præscientia, si quod præscitur non erit, quomodo non rectè dicitur præsciri futurum, quod non est futurum.*

D. Prosp. D. Prosper in epistola ad Augustinū de reliquijs Pelagianorum, vt confutet Masilienses, qui dicebant paruulos mortuos ante vsum rationis saluari aut damnari iuxta merita vel demerita, quæ diuina scientia præuidit eos esse habituros, si ad adultam seruarentur ætatem, ita inquit: *Sed in tantum quibuscūque commentitijs meritis electionem Dei subijciunt: vt quia præterita quæ non extant, futura quæ non sint futura confingant, nouoque apud illos absurditatis genere, & non agenda præscita sint, & præscita non acta sint.* His ergo sententijs repellitur hæc scientia media.

D. Damas. Divvs Damascenus lib. aduersus Manichæos propè finem, distinguit prænotionem, agnitionem, cognitionem, decretum, & prędefinitionem, & dicit prænotionem esse eorum quæ futura sunt, antequam in ortu prodeāt: vbi negat præscientiam respectu eorum quæ nunquam sunt in ortum proditura, qualia sunt futura conditionata. Et statim apertius id explicat his verbis. *Ac quidem vis Dei præsciens à nobis causam haud quaquā habet. At verò vt ea quæ facturi sumus præsciat à nobis proficiscitur, nam si facturi non essemus, nec ipse quidem quod futurum nō esset prænosceret: & quidem Dei præscientia vera atque inuiolabilis est: verùm ipsa haud quaquā causa est cur omninò fiat quod futurum est.*

D. Augus. Vnde egregiè D. Augustinus lib. illo primo de prædest. Sanctorum, cap. 19. inquit: *Cùm ergo Deus nos prædestinauit, opus suū præsciuit qui nos sanctos & immaculatos facit.* Vnde rectè hoc testimonio Pelagianus error arguitur: Et adducit Augustinus quòd sorte prædestinati sumus & eam consequuti secundùm propositum Dei, non quidem ex præuisione operum, sed ex vocante: Nā vt ibi insinuat Augustinus si ex præuisione operum Deus operaretur & ageret per hanc mediam scientiam quam aduersarij constituunt, tunc non ex proposito Dei, neque sorte, sed ex consilio voluntatis nostræ præuisæ: & ex electione & consensu nostri arbitrij etiam præuisis Deus eligeret nos: cùm tamen Christus dicat: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Nec quia credimus, sed vt credamus vocamur, atque illa vocatione quæ sine pœnitentia est, id prorsus agitur & peragitur vt credamus. Legendus etiam est D. Augustinus in eodem lib. cap. 16. præcedente.

Si ex præuisione operis Deus ageret per hanc scientiam, tunc non ex proposito, & consilio voluntatis suæ, sed nos ſtræeligeret nos.

Sed perpendendum est D. Augustinum dixisse, quòd cùm nos Deus prædestinauit, opus suum præsciuit: non dicit Augustinus opus nostrum præsciuisse, aut ex præuisione nostrorū operum Deum aliquid egisse, aut nos prædestinasse: sed potius è conuerso, quòd cū Deus prędefiniuit & prædestinauit nos, opus suum præsciuit. Rursus idem Augustinus eodē lib. 1. cap. 18. explicans illud Pauli ad Ephesios. 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi cōstitutionem vt essemus sancti & immaculati.* & infra, *Secundùm placitum voluntatis suæ.* D. Augustinus loco citato vt Pelagiū omninò repellat paulò inferius inquit. *Præsciebat ergo ait Pelagianus qui futuri essent sancti & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium: & ideò eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia qua tales esse futuros præsciuit: elegit ergo, inquit, antequam essent, prædestinans filios quos futuros sanctos, immaculatosque præsciuit: vtique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros eße præuidit. Intueamur ergo verba Apostoli, atque videamus: vtrum propterea nos elegerit ante mundi constitutionem, quia sancti & immaculati futuri eramus, an vt essemus.* Hactenus Augustinus referens & impugnans Pelagium. Et iterum Augustinus paulò inferius ex Pauli sententia refert Deum elegisse nos vt sancti essem⁹ & immaculati. Imò affirmat Paulus quòd

Ad Ephe. 1

creati ſnmus à Deo in operibus bonis: ergo ſicut creatio nihil ſupponit, ita non ſupponitur præuiſio operum, vt Deus vel nos eligat, vel vt ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, & ſorte gratiæ ſuæ benedicat in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus: vt Paulus ait.

Timuit Molina introducere hãc ſuã ſententiam de ſciẽtia media.

Ego ſanè in Schola D. Auguſt. & D. Thomę educatus nõ acquieſco huic ſciẽtiæ mediæ, quæ ex præuiſione operum antecedenter ad volũtatẽ Dei & ad eius prædefinitionem & decretum affirmat Deũ omnia præſciuiſſe & cognouiſſe. Et ſanè Molina in ſua Cõcor. q. 14. ar. 13. diſp. 50. pag. 330. timuit introducere hanc ſcientiam mediam, & idcircò dixit ibidem: quòd hæc doctrina de ſcientia media intellecta vt ipſe eã docet primo ſuo aſpectu conturbat. Timuit ergo ille, quòd diſpliceret Theologis antiquis nõ id ſentientibus. Et quod hoc ſit verum ſtatim oſtẽdemus: nam quamuis Franciſcus Suarez adducat ferè omnes auctores pro ſe, tamen decipitur vt modo auctores huius ætatis aduerterunt, etiã illi quibus non diſplicet talis ſcientia: quia re vera ex antiquis nullus hoc dixit, neq; placuit antiquis Patribus ſentire hunc modum ſcientiæ mediæ.

Difficultates contra ſcientiam mediam, & de efficacia gratiæ aliqua.

Plura quæ ſequuntur abſurda ex poſitione huius ſcientiæ mediæ.

Oſtendamvs ergò hoc eſſe verum. Primò quidem ex ijs quæ diximus ex ſacris Literis, & ex D. Auguſtino. Secundò, quia ex modo ponendi hanc ſcientiam reuocatur tota efficacia gratiæ, non in diuinum beneplacitum aut in diuinam ſortem, ſed in præuiſionem boni conſenſus & boni vſus liberi arbitrij. Tertiò, quia deſtruitur per hoc infallibilitas ordinis diuinæ prædeſtinationis: Nam hic ordo ex doctrina Pauli firmiſsimè conſtituitur, & fundatur in electione & propoſito, ſeu decreto efficaci diuinæ voluntatis, quo ante omnem præſcientiam noſtrorum operum deſtinauit Deus vnumquẽque illorum qui ſaluandi ſunt ad certum & determinatum gradum gloriæ per certa & determinata media. Quarto, quia ſecundùm prædictum modum dicendi ſequitur non aliter præſciuiſſe, ſeu prædeſtinaſſe Deum bona hominũ opera quàm mala: ex cuius præſcientiæ ſuppoſitione, vtraque deſtinauit, vel ad æternam damnationem vel ad æternam gloriam: Cùm tamẽ ſancti Patres & Concilia dicant bona prædeſtinari à Deo, mala autẽ ſolùm præſciri, vt liquet ex D. Auguſt. & ex Leone PP. & ex Concilio Arauſicano. Quintò deficit Molina conſtituendo ſcientiam mediam ſeparatam ab alia ſcientia ſimplicis intelligentię, & viſionis in Deo. Dico, ſcientiam mediam, quã ipſe conſtituit futurorũ contingentium liberorum ex præuiſione operum antecedenter ad voluntatem Dei & decretum eius: quia ponit Molina ſcientiam infallibilem & certam de obiecto ſecundũ quod eſt fallibile & incertum, & potens aliter ſe habere, quod tamen eſt manifeſta implicatio contra ra-

Scientiam infallibilẽ de obiecto fallibile abſque ratione conſtituit præfatus auctor.

tionem veræ & perfectæ ſciẽtiæ, ad quam pertinet vt conformetur totaliter ſuo obiecto tanquam propriæ regulæ. Sextò, quoniam futura contingentia quæ pendent ex libero arbitrio quandiu non intelliguntur actualiter eſſe in ſe ipſis, neque in determinatione abſoluta & immutabili diuinæ voluntatis, ſubiacent variationi, taliter quòd nõ magis ſunt futura ipſa quàm oppoſita, poſſunt enim aliæ & aliæ rationes euenire ne illa ſint futura, ſed potius oppoſita, atque ita ex natura rei implicat, quòd ſcientia totaliter certa & infallibilis terminetur ad illa, niſi ſecundùm quòd præſentialiter exiſtunt in ſe ipſis, vel in determinatione abſoluta, & immutabili voluntatis diuinæ. Et hæc eſt ſentẽtia D. Thomæ, quæ ſanè confirmari poteſt ex communi proloquio; quia ſicut res ſe habẽt ad eſſe, ita ad cognoſci. Ab eo enim quòd res eſt vel nõ eſt cognitio dicitur vera vel falſa, & regula totius veritatis eſt eſſe rei: ergo implicat dari ſciẽtiã determinatam omninò incertam & infallibilem, de eo quod neque in ſe neque in ſuis cauſis habet eſſe determinatum, ſed variabile contingens & indifferens ad vtrumlibet. Vnde meritò D. Auguſtinus lib. 5. de ciuitate Dei, cap. 8. & 9. docet, ex omnium cauſarum ſerie, atque cõnexione cuncta certò & infallibiliter euenire ſi ipſe cauſarum ordo tribuatur Dei volũtati, cuius poteſtas inſeparabiliter per omnia porrigitur. Et inter alias cauſas connumerantur voluntates creatæ. Si autem ſecludatur determinatio abſoluta diuinæ voluntatis, nullus aliarum cauſarum ordo nullàve connexio ſufficit ad inferẽdum certò & infallibiliter effectum; neque ad fundandam ſcientiam certam & infallibilem alicuius futuri contingentis liberi, quia quibuſcũque cauſis, conditionibus, & circunſtantijs particularibus poſitis, & quomodocunq; ordinatis, adhuc poteſt eſſe vel non eſſe contingens futurum ſi tale eſt: ac proinde niſi addatur actualis productio ipſius, vel determinatio abſoluta & efficax diuinæ voluntatis, ad illud ſuo tempore producendum, nulla ſcientia poteſt certò & infallibiliter ad huiuſmodi futura cõtingentia terminari, vt apertè cõſtat ex doctrina D. Thomę.

Regula totius veritatis eſt eſſe rei.

Tandem oſtendi hoc poteſt ex S. Thoma 1. par. quæſt. 14. art. 13. vbi ſupponit futura contingentia poſſe conſiderari ſecundùm duos ſtatus, ſcilicet vt ſunt in ſe ipſis, & vt habent eſſe in ſuis cauſis: ſicut hæc mea ſcriptura hac hora eſt in ſe ipſa, & ante hanc horam habebat eſſe in ſua cauſa, ſcilicet in determinatione liberæ meæ volũtatis. Rurſus Sanctus Thom. duplex conſtituit diſcrimen inter hos duos ſtatus, vnũ quantum ad modum eſſendi ipſorum futurorũ, & alterum quantum ad cognoſcibilitatem quæ fundatur in modo eſſendi. Primum diſcrimen eſt futura ſecundùm priorem ſtatum non habere rationem futurorum cõtingentium ad vtrũlibet, ſed præſentium, & determinatorum ad vnum: at verò ſecundùm poſteriorem ſtatũ habere rationem futurorum & contingentium ad vtrumlibet, atq; adeò indeterminatorum: quia

Futurorum contingentiũ duplex conſideratio.

cau-

causæ in quibus habent esse sunt indeterminatæ: aut propter intrinsecam indifferentiam, & libertatē: aut quia multis modis possunt ab extrinseco impediri ne reducantur in actum circa tales effectus. Secundum discrimē quod ex hoc sequitur est, futura secundùm priorem statum posse cognosci omninò certo certitudine tenēte se ex parte obiecti materialis: at verò secundùm posteriorem statum non posse cognosci omninò certò, si loquamur de certitudine ex parte obiecti materialis se tenente: sed solùm coniecturaliter, aut quātum natura rei patitur.

DIXI autem, hoc secundum discrimen sequi ex primo: quia ex eo est sumenda eius ratio à priori: nam cùm hæc certitudo ex parte obiecti non sit aliud, quàm determinatio ipsius obiecti ad illud esse quod de eo cognoscitur, non poterit aliquid cognosci hoc genere certitudinis, nisi prout fuerit secundùm se determinatū ad esse. Et ita quia futura secundùm priorē statum habent aliquam determinationem ad esse, & non secundùm posteriorem, ideò secundùm priorem statum possunt certò cognosci, loquēdo de certitudine ex parte obiecti materialis, & non secundùm posteriorem.

Duplex modus, quo à Deo cognosci possunt futura contingentia.

ET ex his duobus colligit S. Thom. modum quo futura contingentia cognoscantur à Deo, & dicit futura contingentia si considerētur secundùm priorem statum cognosci à Deo certò certitudine tenēte se ex parte obiecti materialis, si verò cōsiderentur præcisè secundùm posteriorem statum, cognosci sicut cognoscibilia sunt: quia vt sic non subduntur alicui conditioni certæ aut per certitudinem. Sed nihilominus cognoscuntur à Deo nō præcisè secundū hunc posteriorem statum, sed secundùm priorem vel simul cum priori. Et licèt diuina cognitio non possit habere certitudinem obiecti materialis ratione posterioris status, nimirum quatenus continetur in suis causis contingentibus, indeterminatis, & indifferentibus, tamen potest habere eam ratione prioris status. Quocirca Sanctissimus Præceptor colligit hanc regulam generalem: Quicunque cognoscit effectum contingentem in sua causa contingente & indifferente tantùm, non habet de eo nisi coniecturalem cognitionem.

Probatur futura conditionata quæ nunquam erūt nō posse cerò ab aliquo intellectu cognosci.

EX his possumus nos tale conficere argumētum. Futura conditionata quæ nunquam erunt, non possunt considerari secundùm priorem statum, sed solùm secundum posteriorem: ergo à nullo intellectu siue creato, siue increato possunt cognosci huiusmodi futura certò, certitudine se tenente ex parte obiecti materialis, sed solùm coniecturaliter & quantum est ex parte causarum eorum. Patet consequentia ex discursu D. Thomę adducto, & ex regula generali eiº. Antecedens autē probatur. Primò ratione admittenda ab omnibus: quia futurum cōtingens & liberum non potest habere esse in se ipso, nisi quatenus pro aliqua differentia temporis habeat realiter esse extra suas causas: q̄ est habere pro tali tempore vnam de in esse veram: sed hæc futura conditionata non habent neque habebunt esse extra suas causas, pro aliqua differētia temporis: ergò non possunt cognosci secundùm priorem statum, neque considerari vt habentia esse in se ipsis. Quocirca conditio nunquam adimplenda nunquam est futura, & ex cōsequenti solùm est posibiliter futura: & hoc non excedit rationē posibilis, omne enim ens posibile est posibiliter futurum: quia futuritio posibilis de re, quæ nunquam erit, nihil addit ad verè posibile, neque est nouus modus entis. Omne enim ens posibile quod nūquam erit, & est posibiliter futurum, & etiam est futurum sub conditione.

RVRSVS probari potest cōtra auctores oppositæ sententiæ nostra assertio ratione oppositā illi, qua S. Thom. loco citato probat futura absoluta quæ aliquando erunt cognosci à Deo simul & ab æterno, secundùm statum quo sunt in se ipsis: quia ratio D. Thomæ est huiusmodi: Vnumquodque ex his futuris habebit aliquando in tempore priorem statum quo sit actu in se ipso: sed æternitas qua mēsuratur diuina cognitio, ambit simul, & sine successione illum statum, quo sunt actu in se ipsis: ergo necesse est vt cognoscantur à Deo simul & ab æterno secundùm illum statum. Ex quo nos possumus contrario modo argumentari hoc pacto: Nullum ex his futuris conditionatis habebit aliquando in tempore esse in se ipso: quia supponimus fieri sermonem de futuris quæ nunquam erunt: ergò nec in æternitate, & ex consequenti nullum potest cognosci neque considerari secundùm priorem statum quo actu sit in se ipso, neque in tempore, neque in æternitate, quod est huiusmodi futurum non posse simpliciter considerari secundum illum statum: quia aut haberet eū in tempore aut in æternitate.

Futuraquæ nunquam erunt solū habent rationēposibilium.

EX quo sequitur huiusmodi futura cōditionata quæ nunquam erunt, solùm habere rationem posibilium, seu posibiliter futurorum, & nullo pacto esse futura, & solū cognosci vt posibilia, vel vt posibiliter futura quod idem est, & etiam cognosci secundùm propensionem & inclinationem causarum: atque ita non esse necessariam scientiam mediam, quam isti ponunt.

Quoad 2. partem ostēditur conclus.

DE secunda parte huius conclusionis, nimirum, quòd neq; saluetur per hanc scientiā mediam efficacia gratiæ Dei, neque omnimoda certitudo infallibilitatis futuri euentus liberi, quāuis multa in superioribus dicta sint, volumus tamen aliqua adijcere de nouo. Nā profectò quòd accedat certitudo huius præsciētiæ mediæ, nullam rationem causalitatis habet ad illam infallibilitatem: quia vt dicunt auctores oppositæ sententiæ, præcipuè Suarez lib. 3. de auxilijs, cap. 12. prius ratione quàm Deus præsciat talem actum esse absolutè futurum, imò prius ratione in ordine finis, quàm Deus velit applicare media, vel dare auxilia, per quæ talis actus futurus est, intelligitur talis effectus futurus per scientiam conditionatam, qua cognoscitur proprietas liberi arbitrij huius hominis: quòd si in tali-

bus cunſtātijs cōſtituatur,& cū talibus auxilijs proculdubio exibit in actum conſenſus liberi: ergo præſcientia huius futuri euentus concomitanter ſe habet,non cauſaliter ad euentum illū futurum ex innata libertate,& ex illa congruētia gratiæ,quæ in nullo alio reponitur ab iſtis auctoribus, niſi in eo quòd oportuno tempore datur, quæ quidem oportunitas non aliunde deſumitur quàm ex conditione & proprietate huius liberi arbitrij comprehenſiuè cogniti à Deo,cui tantummodo ſolam rationem cauſalitatis moralis attribuunt: propterea quòd Deus ſciens,& prudens eo tempore dedit auxilium gratiæ ſufficiens in quo præcognouit liberum arbitrium ex innata libertate conſenſurū: neque aliam abſolutā prædiffinitionem volūt iſti auctores,neque abſolutum & efficax propoſitum:niſi quia ſua induſtria talia auxilia ſufficientia, & tali tempore dare conſtituit, quando ſcientia conditionata cognouit liberum arbitrium illa congruentia ſibi facturum & adaptaturum tanquam cauſam moralem & phyſicam.

Exemplum quo ab auctoribus oppoſitæ ſententiæ ſuus explicatur dicendi modus.

RVRSVS vt falſitas huius ſententiæ magis manifeſtetur, & vt aperiatur in quo reponant iſti auctores efficaciam gratiæ Dei,oportet aduertere exemplum quo aptiſsimè explicatur mens illorum. Exēplum eſt huiuſmodi: Sit medicus egregius,qui duorum pariter ægrotantiū naturæ complexionem & conditionem penetret:deinde æquale pharmacum ſeu medicamētum iuxta medicinæ regulas conficiat: quod auxilium & præſidium ipſi naturæ præſtare poſſit ſufficienter,ſi congruo tempore & loco applicetur: verumtamen vni ex ægrotis propinauit illud medicamentum nō congruè, ſed in die critico,vel in nouilunio,quando certus erat nihil profuturum eſſe illud medicamentum: alteri verò ægroto dedit oportuno tēpore, in quo ſciebat medicinam illam ſic fore congruam & aptam ipſi naturæ, quòd illo medicamento adiuta,ſe ipſam phyſicè ſanaret:id quod ſine præſidio & auxilio medicinæ facere non poterat medicus. Sanè huius ſanitatis cauſa phyſica non eſt medicus,ſed tantum moralis prudenter applicans medicinam per ſcientiam quam habet. Similiter ergo inſtar huius exempli volunt auctores oppoſitæ ſententiæ philoſophari, ſi attentè perpendantur. Dicunt enim, Deum eſſe ſaluatorem & medicum animarū, ita vt quemadmodum corporalis ægritudinis medicus non eſt cauſa,neque etiam eſt cauſa phyſica ſanitatis,ſed eſt quaſi remouens prohibens adiuuans naturam, quæ vi naturali propria ſe ipſam ſic adiutam ſanat,ita proportionabiliter in adultis qui vtuntur libero arbitrio, auxilium ſufficiens diuinæ gratiæ fit efficax,ſi fiat cōgruum,& aptum complexioni & conditioni iſtius hominis, & proprietati indiuiduali huius liberi arbitrij, quam habet ex ſua materia & natura indiuidua li,& ſic ſi oportuno tempore tale auxilium recipiat efficiet ſuum conſenſum non ſolū vt cauſa moralis,ſed vt cauſa quæ includit omnem efficaciam phyſicam, præueniente ipſo auxilio, ac proinde tam liberum eſſe volunt arbitrium ſuum,vt ipſum ſolum ſuæ actioni liberæ dominetur,tanquam ſola cauſa propriè efficiens ſeu phyſicè præmouens ſe,aut determinans ad conſenſum. Quòd ſi ita res hęc ſe haberet facilè intelligeretur concordia liberi arbitrij cum auxilio gratiæ, vel melius coaptatio diuinæ gratiæ cum naturali complexione, & cum indiuiduali & naturali proprietate ſeu cōditione huius liberi arbitrij.

SED profectò hæc concordia intellecta iuxta hanc ſententiam maximè contrariatur in primis maieſtati diuinæ Omnipotentiæ: de qua Prouerb.21. Scriptura dicit. *Cor Regis in manu Domini,quocunq; voluerit vertet illud.* & Diuus Auguſtinus in Enchir.ca.95. *Quis tam impiè deſipiat, vt dicat malas hominum voluntates quas voluerit,vbi voluerit, & quò voluerit in bonum non poſſe conuertere.* Quare nos qui infallibilem certitudinem ponimus, & non tantùm moralem inter diuinam gratiam actualem, & actum liberum conuerſionis multò aliter ſentimus & loquimur de hac concordia liberi arbitrij cum donis diuinæ gratiæ,iuxta D. Thomā & D. Auguſt. Proſperum, Hilariū, Athanaſiū, Hieronymum,& ferè iuxta omnes Sanctos Patres Latinæ Eccleſiæ,& iuxta antiquam doctrinam quam maiores noſtri Theologi tradiderunt: imò verò iuxta verum ſenſum literæ ſacræ Scripturæ,& Concilij ſecundi Arauſicani.

Octaua Concluſio.

Conclu.8. Omnis cognitio vel eſt rerum poſsibilium vel exiſtentiū.

DICO octauò. Implicat quòd in Deo ſit aliqua cognitio quæ neque ſit naturalis neq; libera. Hoc oſtendo,quia Deus vel cognoſcit res ſecundùm ſuas entitates & perfectiones poſsibiles,vel cognoſcit res ſecundùm ſuas entitates exiſtentes ad extra: Nam futura conditionata quæ nunquam erunt re vera ſolùm habent poſsibilem futuritionem, & idem eſt iudicium de illis atque de poſsibilibus. Si dicas primum,eſt cognitio omninò neceſſaria & naturalis: ſi ſecundum,eſt cognitio omninò libera: ergo,&c. Poteſt oſtendi diſtinctio mēbrorū,quę in diuiſione antecedentis ponuntur: Quoniam inter rem exiſtentem in ſe,& rem exiſtentem in ſua cauſa non datur medium,& ex conſequenti nō datur medium inter res vt poſsibiles ſeu ſolùm habentes eſſe in ſua cauſa: & res ipſas exiſtentes iam verè ad extra:ergo quidquid Deus cognoſcit creaturarū, vel illud cognoſcit quatenus eſt in ſua potentia, vel quatenus habet eſſe ad extra, aut in ſuo decreto libero:ſi primū neceſſariò cognoſcit illud; ſi ſecundum omninò illud cognoſcit ex ſuppoſitione vſus liberi voluntatis ſuæ in ordine ad extra: ergo, &c.

Nulla Dei cognitio, quæ non ſit aut libera, aut naturalis.

FAVET nobis in hac parte: Quia nullus dixit ex antiquis Patribus dari in Deo cognitionem, quæ neque ſit naturalis neq; libera: Nam D. Damaſcenus in dialogo contra Manichæos ait. *Si Deus aliquem non condidiſſet, quia præſciſſet peccaturū,nō eſſet hæc præſcientia, ſed impoſturamā*

ſicut cognitio eſt earũrerũ quæ ſunt, ita prænotio eſt earũ rerũ quæ certò futura ſunt. Ecce his verbis repulit Damaſcenus ſcientiam hanc mediam etiã reſpectu futuri conditionati, & illud voluit à Deo cognoſci per vnam ex illis duabus ſciẽtijs: vel illud non eſſe cognoſcibile. Et D. Auguſtinus lib. de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 14. ait. *Hoc præſciuit Deus quod futurum erat, nõ quod futurũ non erat*: Hoc eſt, nõ præſciuit Deus practicè id quod non erat executioni tradendum: ac proinde reliqua ſolùm naturali ſciẽtia debẽt cognoſci, vel ſi per ordinem ad aliquod liberum decretum iam ſcientia illa dicetur libera. Et poſtea lib. 1. de anima & origine eius, cap. 12. impugnat Auguſtinus, eos qui dicebãt, Deum deſerere aliquos ex infantibus, vt in ſolo originali morerentur, quia præuidebat eos malos eſſe futuros & peiores ſi viuerent: & contra hos qui hoc futurum conditionatum proponebant, ait Auguſtinus. *Quid quod ipſa omninò exinanitur præſcientia ſi quod præſcitur nõ erit? Quomodo enim dicitur præſciri quod non eſt futurum?* En apertè Auguſtinus ait ꝙ exinanitur præſciẽtia: ergo ſolum oportet duplicem illam cognitionem in Deo ſtatuere. Tandem D. Proſper in epiſtola ad Augu. ait: *Nouo abſurditatis genere, & non agẽda præſcita dicuntur, & præſcita acta non eſſe.* Et eſt mirabile quòd auctores oppoſitę ſententiæ qui conſtituunt ſcientiam mediam, & præſcientiam rerum non agendarum: negant ex alia parte præſcientiam realẽ in ęternitate in rebus agẽdis præſcitis à Deo: circa quæ agenda, ait Proſper, eadem eſt cõſideratio de iam actis, quia reſpectu præſciẽtiæ diuinæ nihil eſt agẽdũ, ſed ipſum præſcire eſt facere pro tota ęternitate. Legẽdus eſt D. Hilarius epiſtola ad Auguſt. quæ habetur de prædeſtinatione Sanctorum in exordio, vbi expreſſè impugnat modum defendendi ſcientiam conditionatam, &c.

D. Auguſ.

D. Proſper.

D. Hilari.

Tertiò oſtenditur præfata aſſertio: Quia eſt irrationabile dicere quòd detur aliquis actus qui neque ſit naturalis, neque liber aut deliberatus, quia actus, qui procedit à potentia, vel procedit à potentia vt natura eſt, vel vt libera eſt: Nam implicat quòd detur potentia eliciens actum niſi vt determinata ad vnum, vel vt indifferens ad vtrumlibet. Quòd ſi ſit determinata ad vnum producit actum naturalem: ſi autẽ ſit indifferens producit actum liberum: Et de his quæ ſunt in Deo oportet philoſophari more noſtro ex creaturis ſecluſis imperfectionibus: Sed in hominibus & Angelis nõ reperitur actus aliquis medius inter actum liberum ſeu deliberatum, & actum naturalem: ergo fictitiũ eſt illum in Deo conſtituere: ergo impoſsibile eſt quod detur in Deo aliqua cognitio, quæ nec ſit naturalis, neque libera ſeu neutra. Probatur conſequentia: quia omnis actus qui inuenitur in homine, vel antecedit deliberationem, vel ſequitur eam: ſi antecedit omnem deliberationẽ eſt actus merè naturalis: ſi ſequitur, vel illa eſt plena vel ſemiplena deliberatio: At in Deo non ſunt ponendæ imperfectiones ſemiplenæ deliberationis aut imperfectæ deliberationis: ergo apertè colligitur quòd in Deo eſt conſtituendus vel actus totaliter liber, vel totaliter naturalis.

Omnis actꝰ aut liber, aut naturalis.

Sed dicunt auctores oppoſitæ ſentẽtiæ hãc ſcientiam mediam poſſe dici liberam, & mediã, quia ea cognoſcit Deus quid facturum ſit liberum arbitrium creatũ in tali occaſione: & quia in ea occaſione liberum arbitrium poteſt facere oppoſitũ, quo ita exiſtẽte Deus ſciret oppoſitum. Sed profectò falſum apertè videtur eſſe, quòd talis ſcientia dicatur eſſe libera in Deo ex eo quòd in poteſtate cauſæ liberæ ſit exercere illum actum ſcitum ſub conditione, vel nõ exercere non poſita conditione. Quod planè probo: Nam illa libertas quæ in diuinis actibus cogitatur, non participatur à rebus creatis, ſed veriſsimè eſt perfectio conueniens ex ſe eiſdem actibus: quia de fide eſt Deum eſſe liberum, idque conuenire Deo ſecundùm ſe, etiamſi non crearet res, neque decreuiſſet eas producere ad extra: ergo nõ dicitur ſciẽtia media libera propter libertatem inuentam in rebus ſcitis. Hoc poteſt declarari: Quia libertas ortum habet radicaliter ex indifferentia agentis liberi: ſed illa indifferentia quæ eſt in Deo, non poteſt ſumi per ordinem ad indifferentiam quæ eſt in agentibus creatis: ergo neque ſcientia Dei dicetur libera, ex libertate extrinſeca quæ eſt in creaturis: imò verò res creatæ habent libertatem creatam participatam à Deo, non è conuerſo: ergo, &c. Vnde friuolum eſt affirmare, quòd ex eo illa ſciẽtia media dicitur eſſe libera in Deo, quòd res cognitę per eam poſſunt aliter euenire: ſed magis è conuerſo quòd eo res poteſt aliter eſſe quia aliter Deus poteſt de ea diſponere. Rurſus ſcientia illa libera eſt formaliter in Deo, & perfectio diuini intellectus: ergo nõ debet deſumi ex rebus materialibus ad extra per ordinẽ & habitudinem ad illa. Patet cõſequentia: Quia nulla perfectio formalis deſumitur in Deo per ordinem ad res creatas, aut ex ipſis rebus creatis. Tandem poteſt hoc efficaciter oſtẽdi: Quia ſi Deus manet indifferens ad cognoſcendum hunc & illum euentum futuri conditionati, ita vt determinatio ad vnam vel alterã partem proueniat ex eo quod arbitrium creatum potius eſt facturũ hoc quàm illud: vt auctores oppoſitæ ſententiæ dicunt, ſequitur quòd liberum arbitrium increatum Dei quod eſt à ſe ipſo & nõ participatum, non ſe determinet ad cognoſcendum prædictam partem, ſed potius quòd determinetur ab extrinſeco. Probatur ſequela: Nam determinatio illa Dei prouenit ex principijs extrinſecis: nimirum quia arbitrium creatum potius eſt acturum hoc quàm illud: ergo, &c. Vnde ſicut noſter intellectus determinatur ab ipſis rebus quia commenſuratur eiſdem iuxta illud quod eis conuenit ſecundùm ſe ad extra: quia ab eo ꝙ res eſt vel non eſt propoſitio etiã mẽtalis dicitur vera vel falſa: ſic diceretur quòd intellectus diuinus determinaretur ab ipſis rebus: ſi ita foret quòd ad veritatem intellectus di-

Libertas, quæ in Deo cogitatur nõ participatur à rebus creatis, ſed eſt perfectio conueniens ipſi ex ſe.

Liberum arbitrium increatũ Dei determinaretur ab extrinſeco, ſi vera eſſet oppoſita ſententia.

uini & ad veritatē cognitionis diuinæ, præsupponeretur & præintelligeretur quid vnaquæque res esset operatura & factura ad extra, seu quid futurum esset in rebus cognitis: quod est contra diuinam maiestatem.

Non potest Deus cognoscere aliquem actū bonum verè futurū qui Dei voluntatem præueniat.

Imò verò quamuis hæc scientia reponeretur in Deo, & per eam esset formaliter in Deo cognitio futurorum conditionatorum, nihilominus esset verum, quòd Deus ante omne decretum suum non cognosceret quid futurū esset in eisdem rebus conditionatis. Probatur ex dictis: Nam impossibile est, quòd Deus cognoscat actum aliquem bonum verè futurum in re, qui præueniat volūtatem ipsius Dei, & eius decretum: ergo etiam est impossibile, quòd talis actus cognoscatur sub cōditione, vt prēueniens voluntatem Dei & decretum eius. Patet consequentia: quia nulla conditio potest mutare naturas rerum: ergo si natura cuiuscunque rei respectu existentiæ suæ, postulat vt sit & existat ex diuina volūtate & decreto eius præuio, vel si postulat vt à Deo præmoueatur in suis actibus, maximè supernaturalibus, implicat quòd talis actus intelligatur sine subordinatione, etiam quacunque conditione posita, aut quòd intelligatur sine voluntate Dei, aut decreto eius. Et confirmatur hoc: Quia valet consequentia: Cognoscitur actus absolutè futurus: ergo cognoscitur absolutè diuina voluntas & decretum Dei, aut præmotio ipsius: ergò pari ratione hæc erit bona cōsequentia: Cognoscitur actus sub conditione: ergo sub eadem cōditione cognoscitur præuia voluntas, seu præuium decretum, aut prædeterminatio.

Aliæ probationes adducuntur.

Praeterea si Deus relinqueret liberum arbitrium absq; decreto & voluntate sua & applicatione circa bonum opus, nullam haberet operationem bonam tale arbitrium: ergo si sub conditione cognoscceretur antecedenter ad Dei voluntatē & decretum, nulla in eo posset cognosci bona operatio.

Rvrsvs si Deus antequam aliquid decerneret se facturum circa arbitrium creatum solū ex cognitione innatę libertatis Ioannis aut Petri cognoscit certò & infallibiliter, quòd oblata occasione operabitur circa hanc partem & non circa oppositam, sequitur quòd vel illud arbitrium Petri non est liberum & indifferens, sed infallibiliter determinatum ad vnum, vt ipsi cōtra nos argumentantur: aliàs iudicium Dei posset falli: vel sequitur quòd Deus ab extrinseco sumeret certitudinem suæ cognitionis: quòd si eam ab extrinseco sumeret, ab extrinseco perficeretur, vel illa non esset infallibilis, sicut non est infallibile cui falsum subesse non possit, q arbitrium creatum operabitur hoc & nō illud. Et tandem sequitur quòd arbitrio creato vt primo agenti, seu secundùm se tribuitur tunc amplecti virtutem & vitia relinquere absque Dei voluntate, aut prædeterminatione, seu decreto eius: consequens est falsum: ergo, &c. Probatur sequela. Nam in illo priori antequam Deus cognoscat aliquod decretum suum, vel aliquam prædeterminationem, cognoscit quid liberum arbitrium facturum verè est oblata occasione: ergo cognoscit quod in tali occasione & conditione, homo ille Petrus amplecterctur virtutē secundùm suam naturam de facto antecedenter ad Dei voluntatem, seu prædeterminationem, & decretum.

Ex doctrina tradita colligitur quòd cognitio qua Deus cognoscit illa futura, sub explicata conditione, esset cognitio libera. Probatur: quia implicat quòd Deus cognoscat extra se aliquem actū liberum, nisi sub ratione sui proprij influxus liberi, & attendendo ad primum exemplar omnis libertatis, vnde in omni libertate quam Deus extra se cognoscit incipit à se ipso tanquā à prima ratione & à primo libero.

Nona Conclusio.

Conclus. 9.

Dico nonò. Omnes actus liberi secūdùm existentiam quam habent in re, seu positi in exercitio, siue absolutè, siue sub conditione, cognoscuntur à Deo, secundùm quandam processionem, seu exitum à prima & suprema ratione libertatis Dei, & per reductionem ad ipsam: Nam alia ratio est repræsentandi rē præcisè: alia autem repræsentandi rem in ordine ad existētiam. Ad primū enim sufficit idea speculatiua; ad secundum verò exigitur idea practica: & hac ratione futura conditionata non possunt repræsentari per ideam merè speculatiuā: quia aliàs minimè differret cognitio illorum futurorum à cognitione qua eadem futura cognoscerentur, vt possibilia solùm, & idcircò cognoscuntur per ideam practicam. Cùm igitur idea practica addat super speculatiuam diuinam determinationem, inde fit vt ante hanc determinationem, nō cognoscantur à Deo futura illa conditionata: nam futura sub conditione includunt habitudinem ad existentiam sub eadem conditione.

Duplex idea alia speculatiua, alia practica.

Rvrsvs extat communis difficultas circa eādem scientiam mediam ex parte diuini intellectus. Nā si hæc scientia est formaliter in Deo: cum sit & libera & practica ex vna parte, & ex altera naturalis, vt dicunt auctores qui eam tradunt: sequitur, quòd iudicium scientificum eius est imperfectum respectu futurorum conditionatorum, & ita non erit in Deo. Probatur sequela. Quia iudicium quod ab intrinseco est practicum, & ex altera parte non sortitur effectum, neque habet executionem operis, est imperfectum: sed ista iudicia conditionata sunt practica ex sua natura, & non habent operis executionem: ergo deuiant à ratione perfectionis: ergo, &c. Minor in qua est difficultas probatur, Quia si illud iudicium tantum esset speculatiuum, solū iudicaretur de rebus vt possibilibus: Nam quidquid respicit aliquam operis executionem, & transit terminum & limites solius possibilitatis, sine dubio accedit ad praxim: ergo consequenter fit quòd quantumcunque cōditionaliter aliquis iudicet aliquid esse faciendum

Iudicium scientificū Dei esset imperfectū si constitueretur hæc scientia.

dum ad extra, posita hac vel illa conditione absque intentione exequēdi nisi impleta cōditione: quòd nihilominus tale iudicium non procedit purè & præcisè secundùm regulas speculationis, sed secundùm regulas pertinentes ad praxim: præcipuè quòd intellectus procedit, etiam sub conditione, modo compositiuo, & non tantùm modo resolutorio, attendendo ad rerum naturas: igitur cùm apertum & certum sit, quòd illud iudicium non habet executionem, consequens est, vt intra limites proprios iudicij practici habeat imperfectionem quandam, non sane ab extrinseco, sed intrinsecè, cùm conditio illa ab intrinseco suspendat executionem omnem. Declaratur argumentum factum: Nam id quod non habet completam naturam, aut essentiam, neque proprietates, nō cadit sub speculatione completa, sed tantùm secundùm se posset esse speculabile incompleto modo ac imperfecto: igitur illud quod in genere practico præscindit ab opere & ab executione, quæ propria perfectio est ipsius praxis, & ad quam intrinsecè ordinatur practicum iudicium, ex natura sua est imperfectum & deficiens in eodem genere: ac proinde si cognitio ista in genere practico dicit imperfectionem ab intrinseco, sequitur quòd talis vt sic non est formaliter reponēda in Deo: quia illud iudicium licèt includat aliquid speculationis, cæterùm magis principaliter est verè practicum.

Declaratur vis istius argumenti.

D. Prosper

Hvc pertinet D. Prosper in epistola ad August. cùm ait. *Nouo absurditatis genere & non agēda præscita dicuntur, & præscita acta non esse.* & D. Augustinus lib. 1. de prædestinatione Sanctorum, cap. 14. ait: *Hoc præsciuit Deus quod futurum erat, non quod futurum non erat.* Hoc est, non præsciuit Deus practicè id quod executioni nō erat tradendum, quia omnis præscientia practica in Deo, est principium executionis verę. Et iterum Diuus Hilarius in epistola ad D. August. carpit expressè modum defendendi scientiam mediam, & dicit esse impugnatum à Sanctis Patribus. Præterea etiam verba Augustini

D. Augu.

superius relata efficacia sunt contra scientiam mediam. Ait enim D. Augustinus: *Quid quod ipsa omninò exinanitur præscientia, si quod præscitur non erit? Quomodo enim dicitur præsciri quod non est futurum?* Vnde modus sciētiæ mediæ, quem moderni volunt hac ætate, à D. Augustino repelli tur, & hoc perpendunt illa verba: *Exinanitur omninò præscientia si quod præscitur non erit.*

Adde quòd futura conditionata nunquam erunt: quòd si nūquam verè futura sunt, sequitur quòd non habent determinatam veritatem in tota duratione æternitatis, ac proinde sequitur quòd ex se non sunt infallibiliter cognoscibilia: Nam cum talia futura tantum sint in causis indifferētibus ad vtrūlibet pro tota duratione æternitatis, & fit impossibile quòd in causis habeant determinatā veritatem: sequitur quòd ex se non sunt certò cognoscibilia. Quæ ratio militat maximè contra eos qui sentiunt, idcircò res cognosci à Deo, quia sunt, & non è contrario, idcircò esse quia cognoscuntur practicè: Nam profectò in opinione istorū dicere oporteret, q vt res certò à Deo cognoscātur, requiritur quòd prius habeant certitudinem in se ipsis. Et sanè in futuris absolutis optimè stat, q in ipsa duratione æternitatis habebant determinatam veritatem, qualem habere non possunt futura conditionata, quæ nunquam sunt futura, neque habent esse nisi in causis indifferentibus & indeterminatis, & ita implicat quòd pro aliquo priori inueniatur determinata veritas in eis, ratione cuius dici valeat, quòd ob id cognoscuntur à Deo certò & infallibiliter, quia in se sunt determinatę & infallibilis veritatis, cùm id eis conuenire non possit.

Ista futura conditionata non habent determinatā veritatem, & sic certò cognosci non possunt.

APPENDIX CONTROVERSA.

In gratiam scientiæ mediæ, seu neutræ, obijciunt auctores oppositæ sententiæ difficultates cōtra nos: & soluuntur, & explicantur variæ opiniones multorum: & de futuris conditionatis aliqua.

Argvmentantvr & obijciunt contra nos auctores oppositæ sententiæ vt defendant scientiam suam mediam: quia ad perfectā prouidentiam qualis est in Deo de actibus liberis pertinet huiusmodi scientia conditionata, quod hoc exemplo intelligitur: Si quis vellet persuadere alicui rem aliquam, profectò perfectior prouidentia & prudentia esset expectare occasionem quam ipse ex cōiecturis nouit aptam esse, vt alter velit facere quod ipse intendit persuadere: sic ergo cùm Deo sit concedenda perfectissima prudētia & prouidentia actuū humanorum, similiter concedenda est Deo perfectissima scientia istorum futurorum sub conditione, quod scilicet tali occasione oblata Petrus voliturus sit istud, & in alia occasione volitурus sit oppositum. Quod confirmari potest, quia Deus scit omne verum: sed futura cōditionata habent aliquam veritatem: ergo scit illa Deus. Discursus tenet, Maior autem est nota lumine naturali, quia intellectus Dei est infinitæ virtutis & perspicacitatis, & habet infinitum lumen: ergò si extenditur ad cognoscendum omne verum; ergò etiam ad cognoscendum hæc futura conditionata per scientiam mediam. Et declaratur hoc amplius, Nam sicut ex eo quòd Deus est omnipotens & eius potentia est infinita apertè colligitur, quòd possit facere quidquid est factibile, & quidquid non implicat contradictionem, taliter quod si aliquid dicitur non esse factibile à Deo, hoc prouenit ex defectu ipsius obiecti, quia non est possibile & non ex defectu potentiæ diuinæ: ergo pari ratione cū scientia diuina tam infinita sit sicut eius potentia, sequitur quòd se extendit ad omne scibile

&

& per consequens ad omne verum, quia omne verum est scibile. Tota autem difficultas est in probatione minoris, nimirum, quòd huiusmodi futura cõditionata habeant aliquam veritatem: & hoc probatur: Primò: quia sicut in futuris absolutis est determinata veritas, quia hoc ipso quòd futura sunt est verum dicere quòd erunt, sic etiam in futuris conditionatis non absolutè, sed data hypotesi est verum dicere quòd erunt, sicut de alijs futuris. Et cõfirmatur vlteriùs hoc, quia si verum est dicere loquendo de futuris absolutis quòd erunt, quia verum est dicere quòd Petrus peccaturus est in tali occasione, aut q̃ responsurus est tali vocationi: ergo similiter est verum dicere, quòd si detur Petro talis occasio peccaturus est, aut si detur talis vocatio responsurus sit. Quòd si in futuris, quæ absolutè futura sunt, etiam reperitur veritas conditionata & ex hypotesi: idem dicendum erit de futuris conditionatis, quæ nunquam erunt, quia quantum ad hoc par ratio militat vtrobique. Rursus secundò probatur eadem minor: Nam hoc disiunctũ est verum data hypothesi, verbi gratia, Tali vocationi Petrus respondebit aut non respondebit: ergo vna pars istius disiuncti scorsum est vera. Consequentia probatur, quoniam veritas disiuncti aut disiunctiuæ propositionis pendet ex veritate alterius partis scorsum sumptæ. Et confirmatur fortius: quia istæ sunt contradictoriæ data hypothesi: Si daretur talis vocatio Petrus respondebit, Petrus non respondebit: ergo altera est vera, & altera falsa, quamuis nobis sit ignotum, quæ illarum vera sit, & quæ falsa, Deo tamen hoc est manifestum, quia scit omne verum.

Dissoluitur hoc argum.

RESPONDETVR, hoc argumento aduersariorum probari Deum cognoscere futura conditionata, quòd nos etiam affirmamus, & tam ex Sanctis Patribus quàm ex sacris Literis, & optimis fundamentis Theologicis ostendimus in disputatione speciali de cognitione contingentium futurorum, dubio. 5. de futuris conditionatis: negamus tamen ad hoc necessariam esse hãc scientiam mediam, quam auctores oppositæ sententiæ volunt introducere: Quia diuisio illa & partitio scientiæ diuinæ in scientiam naturalem & liberam, seu in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis est adæquata: & nõ oportet aliud tertium membrum distinctum de nouo addere, aut subdiuidere. Rursus etiam negamus necessariam esse hanc scientiam mediam, quia negari non potest vlla ratione quin in Deo fuerint multa decreta libera, non solùm circa futura absoluta, sed etiam circa futura cõditionata, in quibus Deus potuit cognoscere hæc futura conditionata, nimirum in decretis includentibus conditionẽ in obiecto: quod nos stabiliuimus in tractatu illo de cognitione futurorum conditionatorum, in quem locum remitto lectorem, quia hic non vacat locus disputandi amplius de hac re.

Sufficientissima diuisio scientiæ Dei est illa in naturalem, & liberam.

SED nihilominus possemus etiam dicere esse diuersam rationem de futuris absolutis & de futuris conditionatis, quantum ad hoc, quòd futura conditionata non sunt cognoscibilia à Deo in se ipsis neque in sua causa: non in sua causa, quia illa est libera, & indifferens, & non magis propensa ad vnum, quàm ad oppositum, neq; in se ipsis, quia nunquam sunt futura in se ipsis: vnde quantum ad hoc est diuersa ratio de futuris absolutis, quæ in se ipsis futura sunt. Sed certè argumẽtum aduersariorum petit qualiter, & vnde Deus cognoscat futura conditionata, & quod medium habeat ad ea cognoscenda, vel vtrum habeant sufficientem veritatem in se ipsis, vt possint terminare cognitionẽ Dei: Quoniam sicut est verum, quòd Petrus responderet vocatus à Deo tali modo: ita est verũ quòd responderet Iudas si aliter vocaretur, vocatione nimirum efficaci.

Quòd non cognoscat Deus futura conditionata in libero arbitrio creato.

QVO fit, vt Deus non cognoscat futura conditionata in sua causa proxima, scilicet in libero arbitrio certò & infallibiliter, etiam cognitis occasionibus, excitationibus, & congruitate temporis & loci, quoniam omnibus illis positis adhuc voluntas manet indifferens & libera, hoc enim est de ratione causæ liberæ, vt positis omnibus prærequisitis ad agendum ipsa possit agere, & non agere: ergo in ipsa voluntate positis etiam circunstantijs, & illa congruitate, tempore, & loco, adhuc certò & infallibiliter in ipsa non potest cognosci quid ipsa volitura sit liberè, ita vt talis cognitio non solùm sit certa moraliter, vt dicunt auctores oppositę sententiæ, sed etiam sit talis cui non possit subesse falsum, etiam metaphysicè. Propter quam causam aliqui Theologi dixerunt Deum posse cognoscere huiusmodi futura libera siuè absoluta siuè cõditionata, comprehendendo nimirum vocationem qua vocatur aliquis efficaciter & secũdùm propositum, quia talis vocatio potest præuenire voluntatem nostram moraliter prædeterminando eam, ita quòd vt in plurimum & ferè semper qui tali vocatione præuenitur, velit id ad quod excitatur ipsa voluntas. Hoc dicunt esse consonum doctrinę D. Augustini qui vocationem prædestinatorum dicit esse congruam, & ipsos congruè & aptè vocari vt respondeant. Rursus dicunt hoc posse confirmari, quia huiusmodi vocatio dicitur efficax: ergo infallibiliter habet effectum: ergo ex cognitione illius cognoscitur infallibiliter actus voluntatis futurus absolutè, vel sub conditione.

Ex cognitione vocationis si solùm habeat moralem efficacitatem non potest haberi infallibilis certitudo futuri actus.

SED profectò si illa vocatio solùm habet efficacitatem moralem non est sufficiens medium ad certam & infallibilem cognitionem actus voluntatis futuri, qui vel est liber absolutè futurus vel sub conditione, & idcircò requiritur quòd illa vocatio habeat non solùm vim præmouendi moraliter, sed etiam vim præmouendi ex intentione efficaci Dei, & secundùm intentionem & secundùm executionem præmouendo sub morali illa motione, etiam efficienter propriè seu physicè, vt alij dicunt. Negamus ergo solam vocationem moralem ita prædeterminare voluntatem, vt ex præuisione illius possit cognosci

quid

quid voluntas sit volitura absolutè, vel sub cõditione certò, & infallibiliter, poterit tamen ex hoc cognoſci ad quid vt in plurimũ ſe determinaret volũtas, ſed nõ ad quid infallibiliter, quia poteſt voluntas re vera, & de facto deficere pro libertate ſua, & ob id indiget maiori præſidio, vt vocatio illa reddat certitudinem infallibilitatis, cui non poſsit ſubeſſe falſum. Quocirca congrua vocatio prædeſtinatorum eſt, qua vocantur per gratiam Dei ſuauiter, & fortiter, ita vt congruè moraliter, & congruè etiam efficienter propriè vocentur, vt vocatio illa efficax & infallibilis ſit ſecundùm propoſitum intentionis efficacis Dei, vt hac ratione habeatur firmum, & infallibile fundamentum prædeſtinatorum.

Aliqs dicẽdi modus.

VNDE auctores oppoſitæ ſententię videntes hoc eſſe verum, & certum excogitarunt alium modum dicendi ad prædictam difficultatem, dicentes, Deum cognoſcere, quòd prædeſtinati ſint reſpõſuri ſuæ vocationi, & hanc cognitionem eſſe certam, & infallibilem, ſed non prouenire hoc præciſè ex cognitione illius vocationis congruæ moraliter, nã illa poſita poſſent non reſpondere, ſed prouenire ex eo quòd cognoſcit Deus ſuum concurſum efficacem, & concomitantem, quem decreuit tribuere poſt vocationem illam, qui concurſus apud hos auctores eſt omninò idem realiter cum actu libero noſtræ volũtatis. Vel rurſus cognouit Deus reſponſuros eſſe prædeſtinatos, quia re vera reſponſuri ſunt, & Deus nouit quidquid verum eſt ſiuè præſens, ſiuè futurum, & hoc ſiuè abſolutè ſiuè ſub conditione. Sed profectò hoc eſt negare influxum Dei in voluntatem per modum actus primi. Et ſecundò eſt Deum facere concomitãtem, & quaſi partialem cauſam. Tertiò eſt conſtituere vt verum, quòd concurſus Dei aut influxus eius eſt idem cum actu voluntatis noſtræ, qui re vera debet eſſe effectus illius diuini influxus, & concurſus Dei, quia tam influxus quàm concurſus Dei habent re vera rationem cauſæ reſpectu actus voluntatis qui producitur à Deo per ſuum influxum, & concurſum. Multa occurrebant hoc loco dicenda, quæ tamen, quoniam in ſuperioribus ſuſè tacta ſunt, idcircò hæc ſufficere duximus pro nunc.

Falſus eſt, & breuiter impugnatur.

Aliorũ ſententia.

ALII vt diſſoluãt difficultatem de cognitione horum futurorum dixerunt, Deum in primo ſigno ante quam intelligatur à nobis aliquid liberè decernere, cognoſcere quid ſit ipſe pro ſua libertate voliturus, eo quòd comprehendat ſuã voluntatem: ergò pari modo ex comprehenſione voluntatis creatæ, & omnium circunſtãtiarum, quibus poteſt moueri, cognoſcit etiam Deus voluntatem non ſolùm in actu primo ſed in actu ſecundo, & hoc dicunt eſſe cognoſcere quid ſit ipſa volitura. Similiter in illo primo ſigno comprehendit Deus ſuam volũtatem nõ ſolùm in actu primo, ſed in actu ſecundo, & hoc eſt cognoſcere quid ſit ipſe voliturus. Similiter comprehendit voluntatem creatam tã in actu primo quàm in actu ſecundo, & ita omnes operationes liberas illius: nõ tamen cognoſcit operationes liberas ſiuè ipſius Dei, ſiuè noſtras in voluntate ipſa vt in cauſa. Aliud eſt enim quod Deus in primo ſigno cognoſcat determinationem ſuæ voluntatis quaſi futuram: aliud verò quòd cognoſcat illam in voluntate vt in cauſa ſecundùm rem, vel ſecundùm rationẽ. Primum enim dicunt eſſe verum, ſecundum autem cenſent eſſe falſum, & negãt modo illud. Sed certè hoc indiget magna diſcuſsione, de qua egimus ſuſè in illa controuerſia de conditione futurorum conditionatorum, & de medio quo Deus illa cognoſcat: dubio.

VERVMTAMEN ex ſuperius dictis colligitur tanquam res certa, quòd quamuis Angelus cõprehendat naturam volũtatis noſtræ, quatenus eſt naturalis quædam potentia animæ noſtræ, nõ tamen poteſt cognoſcere actus liberos eius, quia natura noſtræ voluntatis eſt indifferens. Imò verò licèt Angelus cõprehendat voluntatẽ, tamen non cõprehendit modos & rationes quibus poteſt cõſtitui in actu primo, vel per vocationẽ Dei hoc vel illo modo factam, vel per ſuggeſtionẽ aut appetit⁹ vel alterius, & idcircò nõ poteſt cognoſcere certò ad quid determinabitur: imò verò vlterius, quamuis Angelus cognoſceret hos modos & rationes, nõ tamen cognoſcit ad quid determinanda ſit voluntas, quia poſita quacunque vocatione, vel ſuggeſtione, poteſt conſentire aut diſſentire. Sed nihilominus nos qui ponimus auxiliũ efficax per modum actus primi inhærentis volũtati, in illo dicere poſſumus Deũ cognoſcere quid volitura ſit voluntas certò, licèt voluntas liberè agat, & poſsit oppoſitum diuiſim.

Non poteſt Angel⁹ quãuis comprehendat naturam volũtatis, cognoſcere actus liberos eius.

SVNT etiam alij Theologi dicentes Deum cognoſcere huiuſmodi futura conditionata in ſe ipſis, quia propter eius infinitatem, tam intellectus quàm ſui luminis, nihil latet ipſum. Cũ ergò hæc futura conditionata habeant veritatem aliquã, eo ipſo ſunt nota Deo abſq; aliquo alio: Neq; eſt aſsignabilis alia ratio, vnde aut quomodo Deus illa cognoſcat, niſi quia ſunt vera. Et de hoc modo dicendi, ſi rectè explicetur, diximus non eſſe improbabilem, libro illo de cognitione futurorum conditionatorum. Nam loquendo de diuino intellectu ſecundùm ſe, non eſt dubium quin ſit ratio ſufficiens ex parte obiecti, vt aliquid intelligatur eſſe verum: ſicut enim prima principia intelligũtur per ſe à nobis, ſine aliquo alio medio per ſe ipſa, ſic omne quod eſt verum intelligitur à Deo abſque aliquo alio medio aut ratione.

Deum futura contingẽtia cõditionata cognoſcere propter infinitatem ſui luminis ſentiũt quidam.

SED nihilominus eſt difficultas contra hanc ſententiã, quia ſecundùm noſtrum modũ intelligendi quoad nos nõ poteſt aſsignari ratio vnde Deus nouerit iſta futura cõditionata ſicut poteſt aſsignari reſpectu eorũ quæ ſunt futura cõtingẽtia abſoluta, & à parte rei: Nã diximus rationẽ cognoſcẽdi illa eſſe decretũ diuinę volũtatis, quo vult me facere hoc vel illud, ſic enim cognoſcit liberè futurã eſſe ſcripturã hãc. Et hac ratione queri poteſt, vnde noſtro modo intelligẽdi

Difficilè aſſignatur modus cognoſcendi iſta futura in hac ſententia.

Deus nouerit me liberè scripturum esse, in tali occasione si daretur: Nam certè futura conditionata quamuis sint vera, tamen non habent hanc veritatem ex se, sed dependentè à sua causa, quãdo quidem veritas illorum est quid creatum extra Deum: ergò quidquid ego sim facturus, aut quod ego sim cras ambulaturus vel lecturus, est verum dependens ex voluntate, & decreto Dei: ergò sicut futura absoluta cognoscit Deus ex cognitione sui decreti absoluti, ita futura cõditionata ex cognitione decreti conditionati ipsius Dei. Sed de hac re diximus multa huic proposito accõmodata, vbi nostrã edidimus sententiã, opusculo illo de sciẽtia media.

Excognitione sui decreti conditionati Deum cognoscere futura cõditionata quorundam opinio.

Fateor esse Theologos non infimæ notæ, qui censeant Deum cognoscere futura conditionata ex cognitione sui decreti conditionati, sicut nouit futura absoluta ex cognitione decreti absoluti. Quem modum dicendi examinaui in tractatu sæpius à me citato de scientia media: Quia dupliciter potest hoc intelligi. Primò, quòd de facto in Deo sit decretum conditionatum, respectu omnium futurorum, quæ essent in nobis, posita qualibet occasione hac vel illa, aut positis his vel illis circunstantijs, ita vt de facto Deus velit, quòd si daretur Petro talis vocatio, & occasio, responderet, licèt talis occasio nũquam detur. Quòd si hac ratione intelligatur hæc sententia, falsa iudicatur ab aduersarijs: Quia frustra constituitur tale decretum actu existens in Deo, respectu eorum quæ futura nõ sunt: maximè cum huiusmodi decretum nullo modo videatur pertinere ad Dei prouidẽtiam. Et augetur hæc difficultas, quia si de facto istud decretum est in Deo: vel ergo est actus voluntatis necessarius, vel liber non necessarius, quia est determinatus ad aliquid extra Deum: & quidquid est extra Deum non necessariò est volitum ab ipso: Nam solùm circa creaturas sub esse possibili habet actum complacentiæ necessarium: quia quòd aliquid sit futurum sub conditione non pertinet ad naturalem perfectionem ipsius Dei: ergò neque hoc potest esse necessariò volitum à Deo. Si autem dicas hoc decretum esse liberum in Deo: ergò potest non esse. Rursus, non existente hoc decreto Deus eodem modo cognoscet futura conditionata, quia scientia conditionata nõ est libera in ipso Deo: ergò non dependet ex libero decreto eius.

Repugnare decretũ Dei conditionatum autumant aucto resquidam.

Quibusdam placuit hoc decretum conditionatum repugnare Deo, & ad id mouentur ex argumento iam facto: itaque non solùm censent non reperiri in Deo, sed etiam censent repugnare Deo, quia vel tale decretum esset liberum, vel necessarium non liberum, quia omnis actus liber in Deo dicit respectum rationis ad obiectum, qui respectus fundatur in aliqua mutatione reali ad ipsum obiectum, sed futurum conditionatum quod nunquam erit non est terminus, neque subiectum alicuius mutationis realis: ergò neque potest esse obiectum, ad quod terminatur actus liber diuinæ voluntatis. Neque rursus ille actus dicitur esse necessarius, cum sit decretum terminatum ad aliquid extra Deum, sub conditione obiecti, cum futuritione cõditionali: & Deus secundùm se est qui vult, & amat se ipsum necessariò, alia à se liberè.

Sed profectò ego non video, cur huiusmodi decreta, etiam conditionalia, Deo repugnent: Nam sine dubio potuit ab æterno Deus habere hoc decretum, & hunc actum voluntatis, quo sic secum disponeret & vellet, si Adam non peccaret Spiritus Sanctus fieret homo, vel si producerem talem Angelum perfectissimũ, eum prædestinarem: quia nulla hic reperitur repugnantia, neque ex parte obiecti, neque ex parte actus diuini, nam vt intelligatur libera determinatio ad obiectum aliquod non semper requiritur realis mutatio physica in illo obiecto: Quoniam illa voluntas, qua Deus vult aliquem obligare, nullam ponit in eo mutationem formaliter ex vi sua. Quam rem fusius prosequuti sumus loco à me sæpius citato. Dicendum igitur est, quòd si huiusmodi decretum conditionatum esset in Deo, illud quidem esset liberum, non necessarium. Neque etiam necessariò requiritur, quòd si actus liber in Deo dicit respectum solius rationis ad obiectum illius decreti, quòd talis respectus rationis, vt dictum est, fundetur in mutatione aliqua reali vel physica ipsius obiecti, sed sicut futurum conditionatum, quod nunquam erit, est fundamentum respectus rationis, quem dicit ista Dei scientia conditionata, ita potest esse fundamentum illius respectus, quem diceret illud decretum liberum. Ex quibus colligo, quòd potest Deus aliquid liberè velle, quamuis nulla sit mutatio realis ex parte obiecti, nam quidquid homo potest velle per mutationẽ sui, si aliunde non repugnet, etiam potest Deus velle sine sui mutatione propter summam eminentiam actus suæ voluntatis. Constat ergò ex dictis valdè probabile esse, & rationabile, esse de facto decretum in Deo circa futura conditionata.

Non repugnare tale decretum probatur.

Potest tamen sententia hæc de decreto conditionato aliter explicari, nimirum, quòd Deus nouerit futura conditionata, ex cognitione sui decreti, non actu existentis circa illa futura, sed quòd esset ex hypothesi, in tali occasione sub his circunstantijs, & tali tempore atque loco: ita vt licèt Deus de facto non decreuerit, quòd, verbi gratia Franciscus responderet tali vocationi si daretur, supposito quòd non sit danda vocatio, tamen decreuisset respondere Francisco illi vocationi, si talis vocatio, & occasio illi daretur: Sicut decreuisset quòd Tyrij, & Sidones agerent pœnitentiam, si illis facta fuissent signa, quæ facta fuerunt in Bethsaida, & Corozain. Vnde ex eo quòd Deus comprehendit se ipsum, cognoscit quid ipsemet volturus est. Rursus volũtatẽ humanã Deus similiter cognoscit, ac proinde cognoscit quid homo esset liberè volturus.

Aliter explicatur præ dictum decretum.

Et

Et in hoc sensu est difficilior hæc sententia: quia non ponit decretum hoc per modum actu existentis, & cum illud sit liberum, multo maiora dubia occurrunt in eius intelligentia.

Obiectio.

SED obijciet aliquis contra hanc cognitionem Dei de futuris conditionatis: quia Deus cognoscit peccata sub conditione futura, & nō habet decretum, quo velit illa, neq; potest habere quo peccata illa fore vellet: ergò non cognoscit omnia futura conditionata, ex cognitione decreti, quod habuisset ipse Deus in tali occasione, & loco.

Quorūdam solutio.

HVIC obiectioni aliqui respondent, quòd licèt Deus non habeat decretum suæ voluntatis, circa peccatū formaliter, quātum ad formale, & ad malitiam: tamen circa substantiam actus peccati positiuam, & realem, seu pro materiali, dicunt, quòd potest Deus habere decretum, circa huiusmodi actum, quia Deus causat, & vult illum actum secundùm suam substātiam, & entitatem, & quòd pari modo Deus vellet, & causaret actum positiuum realē peccati futuri sub conditione, secūdùm substantiam actus: ac proinde ex hoc quòd Deus cognoscat decretum, quod habuisset in tali occasione circa actū positiuum realem entitatiuum, cognoscit malitiā, quæ ex defectu humanæ voluntatis esset in illo actu.

Reprobatur.

VERVM hæc sententia non mihi probatur, vt tam prima parte, quàm prima secundæ latè deduximus, & idcircò secundò respondetur: Quòd licèt peccata futura sub conditione non cognoscat Deus ex conditione sui decreti conditionati, tamen reliqua omnia alia futura præter ipsa peccata cognoscit Deus ex cognitione talis decreti. Neq; hoc dicitur voluntariè: quoniam potest assiguari opposita ratio huius differentiæ: cùm enim Deus cognoscat quam libet rem, ex eo quòd sit vera, & futura scientia conditionata ex decreto Dei conditionato, peccata autem non dependeant ex decreto Dei sicut dependent reliqua omnia, quæ non cognoscuntur nisi ex cognitione decreti illius: sequitur, quòd peccatum formaliter, & in quantum tale sit absolutè, vel sub conditione futurū dependenter quidem à voluntate creata, non à diuina: quia sine ipso factū est nihil, id est, peccatū, vt dicit diuus Augustinus: Hinc est q̄ peccata futura absolutè vel sub cōditione cognoscātur à Deo ex eo præcisè quòd futura sint, aut essent in tali hypothesi. Quæ solutio vt minimum est vera, loquendo de peccato formaliter quantum ad malitiam, & priuationem. Rursus absolutè loquendo quando homo peccat ipse est prima causa sui peccati: quoniam homo ad peccandum nō subordinatur Deo vt primo auctori, sed homo, & Dæmon sunt primi auctores peccati, Deus autem non item, præcipuè cū Deus neque excitet, neque moueat hominem ad peccandum; solùm enim permittit peccatū, & vult permissionem eius, vult etiam concursu suo concurrere ad substantiam actionis entitatiuam, quia hæc fieri non potest nisi concurrente Deo. Verū tamen primus auctor peccati est homo, & Diabolus dependēter à volūtate creata hominis, & idcirco non benè dicitur Deum habuisse aut habere decretum peccatorū, &c.

Dissoluitur obiectio.

QVOD si aliquis dicat, si Deus decerneret aut decreuisset prius, quid liberum arbitriū creatū esset voliturum in quacūq; occasione, tunc tolleretur, & lederetur liberum arbitrium creatū: quia non videtur qua ratione stare possit, q̄ prius Deus decernat quid voluntas creata sit volitura in quacunque occasione, & quòd ipsa maneat libera, vt possit agere, & nō agere. Respondetur hoc neq; obstare quidquam neq; lædere liberum arbitrium: quia vt superius diximus, etiam respectu eorū quæ sunt absolutè futura in voluntate nostra, Deus habet absolutū decretum, nō lædens libertatem eius; quia tale decretum est, vt voluntas liberè operetur, & liberè determinetur, quia modi agendi, & operādi subiacent Deo, & decreto eius. Rursus etiam decretum hoc non lędit libertatē hominis; quia ex illo solū sequitur Deum adaptare voluntatem in tempore iuxta conditionem eius, vt quamuis non stet Deū decreuisse, & voluntatē nō agere, stet tamen volūtatē moueri à Deo suauiter, & fortiter, ita vt actus primus qui volūtatē determinat, eā ita aptet, vt nō repellat ipsam neq; extrahat à conditione sua, sed tantùm eam firmet, & corroboret vt certò, & infallibiliter sequatur libera actio eius, quamuis possit diuisim in oppositum; non quòd tunc nō habeat simul potestatē ad illud, sed quòd non stat simūl, & coniunctim adesse actum illum primum, & quòd revera, & de facto ipsa nō agat. Quo fit vt ille actus primus inhęrens determinet volūtatem determinatione libera, non necessaria.

Quāuis Deus non cognoscat peccata futura sub cōditione ex conditionato suo decreto, reliqua tamen omnia sic futura poterit ex vi talis decreti cognoscere.

Aliorum solutio.

ALII Theologi, qui in hac parte diuersum dicēdi modū sequuntur, dissoluere conātur obiectionem tactam dicentes, absolutum decretum nullo modo lædere voluntatem nostram, quia concomitanter se habet cū visione determinationis nostræ liberæ, quantum ad substantiam; quamuis decretum Dei sit prius secundùm rationem causalitatis, seu prius causalitate, & perfectione. Sic ergo in proposito Deus dicitur cognoscere futura cōditionata, quæ pendent ex nostra volūtate, cognoscendo quid ipsemet Deus decreuisset circa illa: & quidē illud decretū non lædere libertatē nostrā: quia licèt esset prius causalitate secundū rationē aut prius perfectione, tamē concōmitanter se haberet ad visionem nostri cōsensus sub cōditione futuri. Quæ sanè respōsio min⁹ difficilis, & dura est, quā illa quæ dicit Deū expectare influxū voluntatis creatę, & cōsequenter decretū Dei sortiri effectū expectādo prius influxū volūtatis creatæ si ipsa voluerit. De qua re dicem⁹ sectione secūda sequēti.

Prius priori-tate ratio-

QVIDAM obseruant circa hāc materiā de cognitione futurorū contingentiū: quòd omnia futura cōtingētia absolutè, cognoscit Deus prius secūdū rationē vt futura cōditionata quā vt futura absoluta. Nā certè prius quā Deus cognoscceret hūc ordinē vniuersi qui modo est, & act⁹

nis cognoscit Deus futura contingentia vt cõditionata, quàm vt absoluta.

omnes liberos tam hominum, quàm Angelorũ qui creati sunt, Deus cognouit eosdem actus liberos futuros sub conditione si crearentur homines, & Angeli cum tali gratia efficaci aut sufficienti, & cum tali dispositione, & ipso Deo sua prouidentia, & gubernatione taliter vel taliter se gerente. Et hæc omnia nouit Deus non solùm in cõmuni, sed in particulari, & distinctè: verbi gratia, quòd si crearetur Adam in iustitia & gratia originali, & permitteretur peccare, & taliter atque taliter tentari, casurus esset. Et ratio huius esse potest, quia cognitio omniũ istorum futurorum, quæ re vera, & absolutè sunt futura, pendent ex cognitione decreti liberi ipsius Dei, non conditionati, sed absoluti: at verò cognitio eorundem futurorum sub conditione, nullo modo potest pendere ex cognitione istius decreti, sed ex cognitione eius quòd decreuisset in tali occasione, tempore, & loco: ergò hæc cognitio secunda futurorum sub cõditione prior est quàm altera. Rursus etiam in primo illo signo non solùm nouit Deus futura conditionata, quæ postea decreuit fore absolutè, sed etiam nouit alia multa futura sub conditione, quæ nunquam erunt, quia non decreuit Deus quòd forent. Quæ res fusius tractatur & explicatur à nobis in prædicto tractatu de scientia media.

Differẽtia inter actum diuinæ voluntatis, & nostræ.

SED in hac re non quiescit animus, quoniam tota ratio, cur Deus conditionata futura cognoscat, quæ ex nostra voluntate pendent ad hoc videtur reduci, quòd Deus decreuisset in hac aut illa hypothesi de illis, sed hoc nõ videtur esse certum, aut verum, quia plures sunt qui sentiãt Deum non posse cognoscere decretum conditionatum suæ voluntatis, seu id quod ipse decreuisset ex hypothesi. Huius rei rationẽ ostendunt, & assignant ex differentia quæ versatur inter actũ liberum nostræ voluntatis atq; Dei, quòd in nostra volũtate actus liber est elicitus, distinctus secundũ rationem à voluntate nostra, sed in Deo tantũ addit respectum rationis supra suã essentiã. Rursus secundò, nõ quiescit animus, quia virtus intellectiua in Deo superexcedit omne obiectũ creatum, & omnẽ voluntatẽ creatã, & idcircò potest Deus penetrare quid voluntas creata sit volitura in quacunq; occasione, vt Ludouicus Molina dixit: at vero nõ excedit obiectũ increatum, neq; voluntatẽ increatã Dei, & idcircò non penetrat, neq; attingit ad penetrandũ, quid ipsemet Deus ex hypothesi esset voliturus in hac vel illa occasione.

Hoc docet D. Augus. lib. 1. de præd. Sanctorũ, in multis capitib⁹: & in 2. de dono perseuerantiæ.

SED profectò hæc non sunt valdè difficilia: Quoniam nemo ex Theologis dicere potest, Deũ cognoscere, & cognouisse quid nostra volũtas sit volitura in tali hypothesi, & occasione, seu ex tali hypothesi: & q̃ ignoret Deus quid ipsemet esset facturus, aut sit facturus in tali hypothesi, & conditione, quasi volũtas nostra posset aliquid velle sine voluntate ipsius Dei. Quòd autem hoc verum sit Scriptura docet Psalmo. 80. *Si Populus meus audisset me; Israel si in vijs meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, & super inimicos eorum misissem manum meam.* Et idem est quod legimus Mathei. 26. de Christo dicente: *Possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plus quam duodecim legiones Angelorum.* Rursus accedit ratio pro hac re: Nam sicut est verum futurum conditionatum esse pendens ex voluntate creata, verbi gratia, quòd si Tyris, & Sidonijs factæ fuissent virtutes atque signa, quæ Bethsaidæ, & Corozain, illi pœnitentiam egissent, ita futurũ conditionatum est pendens ex voluntate Dei, vt quòd si Adam non peccaret, Verbum Dei non fieret homo, saltem in carni passibili sicut alij dicunt: ergò sicut Deus nouit futura conditionata, quæ pendent ex voluntate nostra, sic etiam nouit illa, quæ pendent ex voluntate sua, & ex consequenti nouit quid ipsemet Deus esset voliturus liberè in tali hypothesi, circunstãtia, & occasione. Ex quibus patet non esse difficilia ea quæ obijciuntur, aut quæ animum inquietant. Dicendum est enim priorem obiectionem nihil probare, nam eodem discursu, & argumento ostenderetur Deum minimè cognoscere suum decretum liberum actu existens: quia nõ est aliud quàm suamet essentia Dei, & solùm addit respectum rationis. Quòd si hoc non obstat quominus Deus decretum suum liberum actu existens cognoscat, neque etiam obstabit, vt cognoscat suum conditionatum decretum, seu quid ipse esset volitorus in quacunque hypothesi, & conditione. Illud verò quod secũdo loco obijciebatur similiter nihil valet, neque quidquam concludit: Nam quamuis intellectiua virtus in Deo non excedat intellectionẽ sui ipsius, sufficit tamẽ q̃ adequet illã ad hoc vt cognoscat libera decreta siue absoluta siue cõditionata. Nã peterem, & interrogarem ego, an etiãsi virtus intellectiua non excedat suimet intelligentiã aut intelligibilitatem, nunquid non se extendet ad cognoscendum omninò verum, id est, totum illud quod est intelligibile in se ipso? Si ergo est verũ, quòd si populus Dei audisset ip sum, illemet humiliasset inimicos eius: igitur hoc nouit Deus, ac per consequens nouit quid ipse decreturus esset in hypothesi illa.

Decretum Dei existens non est aliud quàm ipsa Dei essentia.

Dubitatio perpendenda.

Quaratione & vnde sit cognoscibile Dei decretum sub cõditione futurum.

SED dubitabit forsan aliquis qua ratione Deꝰ, aut vnde nouerit quid ipse volitorus esset in tali hypotesi, & occasione. Ratio dubitandi est: Nam quid voluntas creata volitura esset cognoscit Deus, cognoscendo quid ipsemet decreuisset in illa hypotesi: cæterum hoc quòd ipsemet Deus decreturus est, quæritur vnde est cognoscibile, & qua ratione possit cognosci. Huic difficultati aliqui dicunt, quòd quia nouit quid melius esset idcircò illud voliturus esset. Alij autẽ Theologi dicunt, q̃ propter connexionẽ ipsius cõditionis seu hypothesis, quæ supponitur cũ eo quòd futurũ esset, verbi gratia, sicut Deus ait, quòd si apud Tyros, & Sidones facta fuissent signa, & virtutes, & daretur illis talis vo-

catio quæ esset efficax, congrua, & apta vt cõuerterentur, vellet ipse concurrere cum voluntate illorum media gratia adiuuante, & concomitante: quoniam talis gratia adiuuans debetur tali vocationi, ita vt quodammodo videretur inferri quasi violentia quædam vocationi efficaci, aptæ, & congruæ, si Deus non cooperaretur illi per adiuuantem gratiam suam, & concomitantem.

Duo modi dicendi non placent, & reijciũtur.

NEVTER modus dicendi satisfacit interrogationi aut difficultati propositæ. Nõ primus, quia licèt Deus nouerit quid esset melius, tamẽ non ob id nouit quid ipse volituru esset. Rursus etiam Deus necessitari non potest ad volẽdum id quod inter multa iudicat esse melius: aliàs non produxisset hunc mundum, quem de facto produxit, & creauit: quia rectè cognoscebat alios plures mũdos potuisse producere perfectiores isto: Non igitur nouit Deus quid esset volituru, aut quòd esset volituru id quod melius esset in quacũq; hypotesi, quia posset velle quod est æquale, aut id quod esset minus bonũ vel non tantum bonum. Prætera etiam secundus ille dicendi modus non satisfacit, & vt ab eo, quod postremo loco dicitur, exordium sumamus, ego non video qua ratione Deus inferret violentiam, si supposita vocatione non tribueret gratiam adiuuantem aut præmouentẽ: quia multoties Deus vocat, & tamen non tribuit illam aliam gratiam adiuuantẽ illis qui non respondent vocationi: Nam certè gratia adiuuans, concomitans, & cooperans nullo modo esset debita Tyrijs, & Sidonijs, quamuis data fuisset illis vocatio, & signa quæ facta sunt Bethsaidæ, & Corozain. Quod ostendo, quia cùm facta sunt hæc signa Bethsaidæ, & Corozain, & data fuit illis talis vocatio, non contulit illis Deus gratiam adiuuantem, aut cooperantem, vel efficaciter præmouentem, & tamẽ ob hoc non inferebat violentiam aliquam vocationi: ergò neq; inferret vim vllam suppositæ eadem vocatione, & eisdem signis apud Tyros, & Sidonios, nisi dedisset illis gratiam adiuuantem, & cooperantem. Ad hoc respondent auctores illius modi dicendi, non fuisse debitam gratiam adiuuantem cuicunque vocationi, sed tantùm congruæ. Sed contra hoc facit, quòd vocationem esse congruam nihil aliud videtur esse quàm dicere, & habere coniunctam gratiã adiuuantem aut efficaciter præmouentem: ergo dicere, quòd vocationi congruè debetur gratia adiuuans, est dicere, q̃ erit gratia adiuuans, vbi est gratia adiuuans. Quod sanè exẽplo posito declarari potest in opinione quorundam: Nã vocatio quæ Bethsaidæ, & Corozain non fuit cõgrua, esset tamen cõgrua Tyrijs, & Sidonijs, quia in illis esset coniuncta cũ gratia adiuuante aut præmouente efficaciter, & in alijs nõ fuit coniuncta. Et quidquid sit de hoc adhuc modus iste nõ videtur omninò satisfacere: Nã Deꝰ non solũ nouit, quòd si daretur Petro talis vocatio respõderet, sed etiã, quòd si daretur talis occasio, aut suggestio appetitus peccaret, vel q̃ ipsemet Deꝰ misertus esset, & missurus esset debitũ tali occasioni, aut quòd violẽtia aliquã inferretur si nõ peccaret, & multò minus inferretur si nõ permiteret: Nam Deũ permittere nihil aliud videtur esse, quàm subtrahere illã maiorem gratiã, quã si tribueret, Petrus non peccaret. Quòd si dicas hoc esse debitum in pœnã prioris peccati, cõtra hoc est, quòd si loquamur de permissione primi peccati, illa permissio nõ potest habere rationem pœnæ aut debiti: sed permittit primum peccatum, aut subtrahit illã maiorem gratiam, non quidem ea intentione vt quis cadat, vt falsò imponebant olim nonnulli D. Augustino, à quo ipse se liberat respõdẽs ad articulos sibi falsò impositos. Permittit ergo, vel subtrahit gratiam, vel vt seruet suauem modum prouidendi in omnibus, vel vt seruet multipliciter dispositionem concurrendi cum libero arbitrio, vel vt ostendat se dare gratis illam gratiam cuicunque dat, & nemini debere illam, seu debitorem esse.

Deum permittere peccatum non est aliud, quàm subtrahere maiorẽ gratiã quam si tribueret non fieret peccatum.

TANDEM hic modus dicendi videtur esse insufficiens; quia Deus non tantùm nouit futura conditionata, quæ habent connexionem cum ipsa hypotesi, sed etiam illa, quæ nullam habent connexionem: verbi gratia, non tantùm nouit Deus, quòd si crearetur Adam cum iustitia, & gratia, & nihilominus permitteretur peccare, aut taliter tentari casurus esset, sed etiam quòd si crearet Adam daturus illi esset originalem iustitiam: similiter quòd si crearet Deus alios Angelos, daturus esset illis talem vocationem: & tamen inter ista nulla est connexio; ergò non cognouit Deus quid ipse esset volituru ex connexione sui decreti cum hypotesi. Sed ad hoc respondent prętati auctores, quòd quando nulla est connexio inter decretum diuinæ voluntatis cum hypotesi, non cognouisset Deus quid decreuisset cum tali hypotesi. Sed profectò hoc videtur mirabile, quòd cognoscat Deus, q̃ si crearetur alius Angelꝰ, & daretur illi talis gratia perseueraret, aut nõ perseueraret in illa, & tamen non cognoscat si ipse crearet alium Angelum: Verum est quòd daturus esset illi talem gratiã, aut non daturus: ergò alterum istorum cognoscit Deus, quia cognoscit omne verũ. Sed respondent, neutrũ mẽbrum istorũ esse verũ, & quòd neutrum sequitur ex illa hypotesi, & quòd illa duo mẽbra nõ sunt contradictoria, quia vtrobiq; copula cõditionalis affirmat. Sed certè ex dictis hæc impugnantur: Nam si sumantur istæ propositiones conditionales in sensu illationis, verum est quòd non sunt contradictoriæ, neque necesse est vt altera pars sit vera, ac per consequens neque à Deo cognita, tamen neque hoc pacto cognoscit Deus alias propositiones conditionales, quas isti asserunt de suo decreto: nimirum, quòd si daretur Angelo talis vocatio, decreuisset Deus dare gratiam adiuuantem, vt perseueraret, quia non sequitur in bona consequentia, ex hoc quòd detur talis vocatio, q̃ Deus decreuisset cooperari cũ illo Angelo,

Non solum cognoscuntur à Deo conditionata quæ habent connexionem cum ipsa hypotesi; sed etiam illa quæ sali connexione carent.

Occuritur solutioni.

quia suppositа tali vocatione non necessariò, sed liberè Deus decreuisset cooperari: in sensu ergò illatiuo neque istas cõditiones cognosceret Deus, in quibus videtur esse aliqua cõnexio: sed alium sensum possunt eædem propositiones habere, nimirum quòd per modum simplicis affirmationis ducitur vnum ex altero facta hypotesi, & hoc pacto sicut est verum, quòd data tali vocatione, Deus decreuisset cooperari, ita quòd si Deus crearet Angelum daret talem vocationem. Et rursus hoc pacto istæ sunt contradictoriæ data hac hypotesi, q̃ si Deus crearet Angelum, daturus esset illi talem vocationem, aut non daturus: sicut sunt contradictoriç, data tali vocatione vellet Deꝰ cooperari, aut nõ vellet, ac per cõsequens altera pars est vera, & à Deo cognita. Quod totum confirmatur, quia licèt ex hypotesi illa neutra pars istarum necessariò sequatur, tamen necesse est alteram partem istarum concomitantiam habere cum illa hypotesi, quòd si Deus vellet creare Angelum, aut vellet nimirum dare gratiam aut non: ergò alterum istorum decreuisset, & ita alterum cognoscit; quia cognoscit omne verum.

Cognoscit Deus quid sit ipse liberè volituras ratione luminis infiniti sui intellectus, ex parte verò obiecti quia est verum.

Deus igitur cognoscit quid sit ipse liberè volituras in quacunq; hypotesi, ex parte quidem intellectus, nulla alia ratione nisi quia habet infinitum lumen, attingens omne verum, ex parte verò obiecti in se, quia est verum. Vnde sicut cognoscit Deus decretum suæ voluntatis liberum, eo ipso quòd est, quia comprehendit omne verum: sic etiã cognoscit in priori signo antequam liberè decernat quid sit volituras: quia verum est dicere in illo signo, quòd est volituras hoc aut illud absolutè. Et pari modo in alio priori signo cognoscit quòd esset volituras hoc, data hac hypotesi, verbi gratia, si vellet creare hominem, vellet illi dare iustitiam, & gratiã. Atq; ita omnia hæc signa possunt intelligi in Deo circa scientiam, quam habet de creaturis, vt in primo signo cognoscat illas vt possibiles, in secundo futura conditionata, quæ pendent ex libera voluntate tam creata quàm increata, taliter tamen, vt quæ pendent ex voluntate creata, intelligat Deus ipsa dependere ex eo quòd ipse decreuisset facere, aut permittere in quacunque hypotesi, atq; ita prius nostro modo intelligendi quid ipse pro sua libertate decreuisset, quàm quid volũtas creata vellet. In tertio signo cognoscit Deꝰ creaturas existentes in qualibet differentia tẽporis: & quoniam existere creaturas pendet ex libero decreto Dei, prius secundùm rationem saltem prioritate causalitatis, & perfectionis cognoscit Deus hoc suũ decretũ. Rursus etiam nostro more intelligendi bifariam cognoscitur hoc suum decretum, nimirũ aut quatenus actu existens, vel quatenus consideratur veluti futurum secũdum rationem in priori illo signo vt dictũ fuit.

Obiectio.

Sed obijciet aliquis, quòd sicut assignatur ratio, cur Deus cognoscat quid ipse decreuisset in quacunq; hypotesi, quia verum est quod decreuisset, quòd idem dici potest de cognitione, qua Deus cognoscit quid voluntas creata volitura esset, nimirũ Deum cognoscere hoc, quia verum est ipsam volituram esse hoc, aut illud. Respondetur, verum esse Deũ cognoscere quid voluntas creata sit volitura in quacunq; hypotesi, quia verum est dicere esse volituram hoc aut illud: tamen hoc taliter est verum, quòd dependet ex eo, quòd Deus decreuisset hoc, aut illud, & non pendet ex aliquo alio: igitur quòd Deus nouerit futura conditionata, quæ ex voluntate creata pendent, dicemus nostro more intelligendi, quòd Deus nouit illa, quia nouit quid ipse decreuisset in quacunque hypotesi. Sed verũ vnde nouit quid ipse decreuisset, nos fusè explicuimus in tractatu de scientia media dubio. 5. in quem locum remitto lectorem, vbi etiam diximus, quòd verum vnde Deus nouit quid ipse decreuisset in quacunque hypotesi, sub qualibet conditione, non est aliud nisi quia est verum, & quoniam ipse omne verum cognoscit: & nullum est verum quod possit subterfugere infinitum lumen sui intellectus, & suæ cognitionis. Quam sententiam diximus loco citato non esse improbabilem, licèt ipsa plerisque etiam difficultatibus prematur. Et eodem loco dixi negari nõ posse vlla ratione quin fuerint in Deo multa decreta libera, nõ solùm circa futura absoluta, sed etiam circa futura conditionata, ac proinde falsum esse affirmare, quòd futura conditionata cognoscantur certò, & infallibiliter in suis causis secundis, seu in sua cõditione sumpta ex parte rerum. Quo fit vt eodem loco citato, conclusione. 5. duxerim valdè rationabile esse dicere Deum certò, & infallibiliter cognoscere futura conditionata, non sanè in decreto aliquo absoluto futuritionis eorum cum ipsa futura non sint, sed in decreto includente conditionem in obiecto, & hoc non esse fingere huiusmodi decreta, sed probabiliter veritatem affirmare. Et in hunc modum dicendi inciderunt postea nonnulli ex aduersarijs nostris, quamuis retulerint me ipsum, vt meã sentẽtiam primò repellerent, quam in discursu disputationis suæ non valuerunt impugnare, & idcirco amplexi sunt eam, vt constabit ex eorum doctrina, & ex solutionibus argumentorũ & difficultatum, quæ de hac re occurrerunt.

Soluitur.

Quid tandem oporteat supponere pro nostra sentẽtia defendenda, & explicanda.

No s igitur in hac longissima cõtrouersia Primo dicimus, Deum non solũ esse causam omniũ actionum nostrarum supernaturalium, sed etiam verè, & realiter propriè efficientẽ, & influentem seu physicè attingentẽ, nõ tantũ ad inducendum, & infundendum auxiliũ suæ gratiæ actualis in hominis mentem, siuè in intellectum, siuè in voluntatem, sed eadẽ gratuita motione diuina, etiam pertingentem vsque ad consensum.

SECVNDÒ, consequenter affirmamus gratiam Dei actualem, seu efficax auxilium gratiæ Dei prout venit, & datur à Deo, adaptare sibi liberum arbitrium hominis tam suauiter ac fortiter, vt ipse bonus vsus liberi arbitrij in pijs operibus non attribuatur innatis viribus aut innatæ conditioni, & ingenio eius, sed potius libero arbitrio eleuato, & perfecto ab auxilio diuinæ gratiæ propriè efficiẽter ipsum mouente, quo per modum actus primi inhęrentis intelligitur affici liberum arbitriũ respectu operationis supernaturalis quã efficit, & cũ qua cõnectitur infallibiliter, pendereq; hoc primò à diuina volũtate efficacissima, & moraliter, & efficiẽter propriè & à libero arbitrio ita affecto, & à Deo suauiter aptãte, illęsa libertate, vt nihilomin⁹ infallibilitas huius nunquam deficiat: Deus enim est qui omnia quæcunq; voluit fecitin cœlo, & in terra. Neq; hoc circa excellentissimã creaturam, qualis est liberum arbitrium hominis, & Angeli, dicit factum esse cum læsione naturæ liberæ aut libertatis ipsius. Hoc ita esse probat Paulus ad Hebręos. 13. dicens: *Deus pacis aptet vos in omni opere bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quòd placeat corã se.* Et quid minus est aptet vos, quam determinet, & præmoueat? nam verba æquiualent.

Ad Hebræos. 13.

SED oportet valdè obseruare quantum distet sententia oppositа à verbis Pauli. Dicunt enim auctores oppositæ sententiæ, quòd ex quadam congruitate ad conditionem, & complexionem naturalem ad ingenium, & proprietates indiuiduales huius hominis, & suæ libertatis innatę, mensuratur gratia, ex qua congruitate, & proportione gratia ipsa fit efficax, & saluatur concordia cum libero arbitrio huius hominis. At verò Apostolus Paulus inquit: Deus pacis aptet vos in omni bono opere, Deus reconciliator, & pacificator, & princeps pacis ac dominus, aptet vos, id est, vestrã voluntatẽ, & vestrũ liberũ arbitriũ in omni opere bono, vt faciatis ea quæ ipse vult, faciens ipse in vobis, id est intimè faciens q̃ placet coram se, id est, piũ affectũ, & pium opus. Diuus Anselmus ad Hebręos. 13. explicans hunc locum Pauli dicit: *Aptet vos Deus in omni opere bono, id est, aptos & voluntarios vos faciat, faciens in vobis quod placet coram se: Hæc est gratia quæ mentem præuenit, & adiuuat, vt homo voluntatis suæ obsequium seu consensum præstet.* D. Thomas super Paulum ait. *Aptet vos Deus, id est, faciat vos velle omne bonũ:* Et statim. *Dupliciter aptatur homo ad benefaciendũ, vno modo exterius operãdo, & sic vnus homo aptat aliũ moraliter persuadendo, aut quæsita occasione cõminando: alio modo aliquid interius exhibẽdo, & sic solus Deus aptat voluntatẽ, qui solus potest immutare ipsam. Prou. 21. Cor Regis in manu Domini quocunque voluerit vertet illud. Vnde dicitur faciens in vobis, Et ad Philippenses. 2. Deus est qui operatur in vobis velle, & perficere.* Et Glossa inter linealis. *Aptos faciat vos.*

D. Anselmus.

D. Thomas

Prouer. 21.

Ad Phili. 2

DIVVS Burchardus de Synodo initianda, in Concilio Salegustadiense ante sexcẽtos annos ait: *Veni ad nos, & dignare illabi cordibus nostris, docens quid agamus. Quo gradiamur ostende. Quid faciamus operare. Esto salus, & suggestor, & effector iudiciorum nostrorum. Iunge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, vt & hic à te in nullo dissentiat sententia nostra.* Et sanè in his nõ solùm astruitur gratia actualis per modum actus primi intimè hærẽtis, sed etiam astruitur libertas, quæ vt non deficiat, & succumbat, talis Dei gratia petitur. Et per hæc omnia quæ retulim⁹, nõ dicunt Sancti, quòd necessitatur volũtas, aut quòd læditur libertas eius, aut quòd tollitur cõ cordia liberi arbitrij cũ huiusmodi donis gratię Dei, sed potius stabilitur, & firmatur, quæ ex sententia D. Augustini quanto magis subijcitur gratiæ Dei tanto est liberior. En quomodo Sancti tradunt efficaciã verè, & propriè efficientẽ. Ecce etiam quam magis piè constituimus cõcordiam liberi arbitrij creati cum efficaci auxilio gratiæ diuinæ prout venit à Deo, qui vt pur gari velimus, & pœnitere, ipse sumit, & accipit tẽpus quod vult, & non sumit mensuram huius ex conditionibus, & proprietatibus naturæ indiuidualibus huius liberi arbitrij, aut ex cõplexione huius hominis, cui auctores contrariæ sententię attribuunt mensurã, & efficaciam gratiæ: sed potius ipse Deus sapientissimus, & ineffabilis prouisor, simulq; dominus nostræ voluntatis, & omnia potens, qui impediri non potest, ipse facit vt faciamus, & ipse facit oportunitatem adaptans sibi, & suæ gratiæ ineffabili quodlibet liberum arbitrium, cui tale suæ diuinæ gratiæ auxiliũ donatur, quouis tempore donetur Dei efficax gratia, vt ad se trahat ipsum, perficiẽdo illud, & eleuando, vt secũ liberè consentiat atq; cõcordet. Hæc gratia est, de qua ait Augustin⁹, quòd à nullo duro corde respuitur: de qua alibi dixit: *Volenti saluũ facere nullum hominũ resistit arbitriũ.* Plurimũ etiã fauet huic nostræ veritati D. Augustinus lib. 1. de prædestinatione Sanctorũ ca. 16. & 17. vbi Augustinus loquens de efficaci vocatione qua vocãtur electi, de qua dicitur: sine pœnitẽtia sunt dona, & vocatio Dei, id est sine mutatione stabiliter fixa sunt, cap. 17. statim dixit: *Hæc est immobilis veritas prædestinationis & gratiæ.* Expẽdẽdũ est verbũ immobilis.

D. Augustinus.

TERTIÒ, cõsequenter affirmamus Deũ mouere voluntatẽ nostram ad pœnitentiã, & conuersionem, motione gratuita actuali sui diuini auxilij, & ea infallibiliter, & suauiter determinare arbitriũ nostrum non minus intimè quã arbitrium ipsum se determinat, moraliter & efficienter propriè, determinatione libera, & non necessaria: quæ non ex iudicio à natura infixo, sed cũ collatione, & cõferentia procedit. Non enim Deus minus intimè est in ipso arbitrio, quã ipsum in se: neq; minus intimè in ipsa determinatione, quã volũtas facit de se ipsa, quã ipsa: imò verò reducitur volũtas in ipso actu cõuersionis de potẽtia ad actũ, tanquã à prima causa ab ipso Deo reducente eã efficienter ad actũ determinationis. Quod expressè videtur docuisse Caietã. 1. p. q. 106. art. 2. non alio actu quàm

Caietanus.

suo eiusdē voluntatis, ad quæ omnia vtitur principio agendi, & quasi Spiritus Sancti instrumēto, actuali auxilio gratiæ suæ efficacis: imò verò implicat, quòd Deus quāuis moueat volūtatē moraliter ad conuersionē efficaciter, quòdnō eam moueat simul etiā efficienter propriè. Primò, quoniam cū Deus voluntatem mouet in actu cōuersionis, & piæ operationis, efficienter propriè producit actū illum determinatiuū voluntatis, & simul efficienter extrahit eū de potentia eius: idq; totū facit Deus attingēdo physicè voluntatem, & influendo in eam. Nam certè cū auxilium illud diuinum sit aliquid reale in voluntate receptū, & non creetur ex nihilo, sequitur, quòd à Deo extrahitur de potētia obedientiali liberi arbitrij: sed extrahitur ab ipso vt sit principium effectiuū piæ operationis: ergò prius natura Deus premouet voluntatē sic producendo auxiliū illud, qui est actus primus piæ operationis, & cōsensus. Secūdò etiā, quia motio ista, & causalitas moralis, simul habet cōiunctam realem entitatem, & fundatur semper in actione physica.

Ex oppositā sentētia exaltatur natura, & deprimitur gratia: ex nostra verò hæc eleuatur, humiliatur illa.

Avctores oppositæ sentētiæ volunt gratiā seruire proprietati indiuiduali, cōditioni & complexioni singulari huius hominis, si oportuno tempore detur illi: quā oportunitatem nō ab alia mensura, neq; ab alio perpendiculo, aut horologio desumunt, quàm ab illa complexione, conditione, ac proprietate indiuiduali huius liberi arbitrij, prout est obiectum scientiæ mediæ, & conditionatæ.

Nos verò humiliare volumus naturam nostram, & subijcere eā Deo, & gratiæ suæ: vt nō in se glorietur liberū arbitrium, sed in Deo glorietur, itavt nihil boni habeat, quòd à Saluatore Deo per merita Christi non acce perit, etiā ipsam determinationem ad bonum, & ad consentiendum, & maximè ipsum egressum de potentia ad actum supernaturalem primum, & secūdum. Quoniam, vt sæpè repetit D. Augus. lib. 1. de prædestinatione Sanctorum, cap. 23. & 4. & pluribus alijs ex D. Cypriano, in nullo gloriādum quando nostrum nihil est: igitur determinatio voluntatis nostræ ad bonum, qua etiā ipsa se determinat hāc accipit à Deo, dicente Paulo: *Quid habes quòd non accepisti?* Imò verò hæc est consequentia necessaria ex Paulo deducta, nempe quòd accipit homo à Deo hanc determinationem, qua voluntas se etiam actiuè, & efficienter determinat ad bonum.

Dubium annexum ex præcedentibus pendens.

Sed interrogabit aliquis, vtrū voluntas ita se moueat vt non moueatur à Deo in suis motibus, & actibus liberis, & an ipsa cùm reducitur de potentia ad actū, reducatur etiam à Deo, vel an ista reductio sit à sola voluntate, & nō à Deo. In qua re sentio, & firmissimè teneo (neq; auderem oppositum affirmare,) quòd voluntas ita se mouet in ipso actu cōuersionis, & cōsensus, & ad id etiā mouetur à Deo efficiēter verè, & propriè, & quòd ab ipso Deo etiā reducitur de potentia ad actū primum, & ad secūdum, ipsa etiam se agēte, quem appellat Caietanus inclinationem actualem in obiectum: Nam Caietanus hanc inclinationem actualē vocat, & appellat velle ipsius voluntatis, seu actum secundū. Ita docuit ipse expressè. 1. p. q. 106. art. 2. & D. Thomas. q. 105. dixerat, quòd Deus intimè operatur in omnibus, & quòd applicat omnes causas ad agendum. Et Caietanus dicit voluntatem non posse reduci potentia ad actum volēdi ex parte potentiæ ab aliquo extrinseco nisi à Deo datore, & conditore voluntatis, & ita nō ab Angelo, non à Dęmone, non à cœlo, non ab alio homine, sed solū à Deo datore voluntatis: vbi loquitur de reductione actiua, & propriè efficiente seu physica, nō de morali tantùm: quia hæc communis est etiam Angelo, & Dęmoni, sed nō illa quæ est reductio physica quādo Deꝰ illabitur mēti, & eā ab intus immutat propriè efficienter. Quæ doctrina est S. Thomæ locis citatis: Nam cū prius intelligatur voluntas in potentia ad actum primū supernaturalem gratiæ actualis Dei, seu auxilij sui, indiget aliquo superiori agente supernaturali, à quo fiat in actu illo supernaturali, & à quo trahatur ad actum primum, & secundum; iuxta illud Ioannis. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*. Rursus voluntas tam in essendo quàm in causando, & in conuersione, & pœnitentia pēdet à Deo. Nam ab illo habet etiam dependentiam causalitatis cui subordinatur in causando in omni opere bono: vt Caietanus prima parte. q. 105. art. 6. affirmat dicens; Quòd omnis executio causæ secūdæ infert executionem in prima causa: quia ab actione illius pendet omnis actio: ergo implicat oppositum dicere. Confirmatur, quia de fide est, quòd Deus efficit omne bonum naturale, & supernaturale morale, & liberū: ergò multò magis ipsam determinationem ad bonū supernaturale conuersionis, aut pœnitentiæ, & qua voluntas se determinat, & à Deo determinatur. Rursus etiā ipsa reductio volūtatis de potentia ad actum bonū est maximè bona: ergò etiā est à Deo vt à primo fonte, & à primo auctore propriè efficiente, qui voluntatem reducit de potentia ad actum.

S. Thomas.

Ioannis. 6.

Probatio. 2

Moveor secundò ex ratione Diui Thomæ. Nam potentia Dei intelligitur in ijs quæ sunt ad extra vt exequens efficienter voluntatem Dei, voluntas autem vt imperans, intellectus autem, & sapientia Dei vt dirigens: sed quod attribuitur potentiæ Dei est id omne in quo potest saluari ratio entis: quòd verò attribuitur potentię secundùm quod exequitur imperiū voluntatis suæ, etiam est quidquid fit à libero hominis arbitrio, Deo volente, & dirigēte, sed etiam vt ab exequente actiuè per potentiā suam: quia potentia Dei intelligitur vt actiuè exequens voluntatē Dei, & directionē diuinæ sapientiæ suæ: ergò vt efficiens, & actiuè exe-

quens

quens consensum & conuersionem hominis: & vt actiuè reducens ipsum hominem, eiusque liberum arbitrium de potentia ad actum: & ad actum primũ & secundum, hoc autem est præmouere ipsum arbitrium seu determinare tam moraliter quàm efficienter: scilicet dirigendo & persuadẽdo, inuitãdo & excitãdo hominẽ & exequendo etiã per suam infinitam potestatem id quod vult re vera fieri à libero arbitrio. Quę quidem ratio expressè insinuatur à Sãcto Thoma 1. par. quæst. 25. artic. 5. ad 1. vbi etiam affirmat: Quòd non potest esse quòd aliqua faciat Deus, quæ non præsciuerit, & præordinauerit se facturum: quia ipsum facere subiacet præscientiæ & præordinationi diuinæ.

Sustulit Suarez in testimonio D. Thom. verbum præordinationi & loco ipsius posuit subordinationi.

Quem locum obijcit contra se Franciscus Suarez lib. 1. de concursu cum volũtate cap. 14. §. Nunc scholasticorum, pag. 68. quo in loco cũ retulisset verba D. Thomæ, nescio qua de causa ille sustulit verbum, *& præordinationi*, & loco ipsius posuit, *& subordinationi*. Et præterea sinistrè explicat D. Thomã: Quia dicit nihil aliud intendere D. Thomam in illo loco quàm explicare subordinationem actionis diuinæ ad extra ad voluntatem diuinam, quia nihil potest efficere nisi per voluntatem se applicet ad agendum: Et hanc dicit ille appellauisse Sanctum Thomã præordinationem, & idcircò ipse Suarez posuit verbũ, subordinationis, cùm tamen S. Thomas minime verbum, subordinationis, posuerit, sed præordinationis, & sensus D. Thomæ est apertè: quia debet accipi verbũ prędordinationis propriè, pro ea qua Deus præordinauit, statuit, & decreuit de rebus futuris à se facturis & fiendis, absolutè ab eo præordinatis & decretis vt forent: aliàs non responderet S. Thom. ad primum argumentum illius articuli. Interrogat enim S. Thom. in illo artic. Vtrùm Deus possit facere quæ non facit? Et argumentatur quod non hoc argumento: Deus non potest facere quæ non præsciuit, & præordinauit se facturũ: sed non præsciuit neque præordinauit se facturum nisi ea quæ facit: ergo non potest facere nisi ea quæ facit. Huic difficultati non satisfacit S. Thomas per distortam explicationem quã Suarez adducit dicens: Quòd S. Tom. illo loco, solutione ad primum nihil aliud intendit quàm explicare subordinationem actionis diuinæ ad extra ad diuinam voluntatem: quia nihil potest efficere nisi per voluntatem se applicet ad agẽdum: quod sanè est satis alienum ab instituto D. Thomæ eo loci, quoniã S. Thomas in argumento illo citato petit difficultatem illã, Vtrũ Deus possit facere quod non facit, ex eo quòd nihil potest facere nisi ea quæ præsciuit, & prędordinauit se facturum. Et præ ordinatio seu statutum Dei de rebus agendis habet quandã immobilitatem certitudinis postquam Deus decreuit & præordinauit: & idcircò hæc difficultas non tollitur per hoc quòd Suarez dicebat de subordinatione actionis Dei ad extra: quia nihil potest Deus facere nisi se applicet per voluntatem ad agendum. Vnde constat S. Thomã pro nobis militare, & præfatum auctorem sinistrè eum explicuisse.

Probatio. 3

Movetur tertiò. Quia Deus est primum deliberans infinitum & omnipotens, sicut est primum liberum & habet dominiũ arbitrij nostri: ergo omnis nostra deliberatio & determinatio libera voluntatis subiacet dominio Dei, non minus quàm proprio dominio eiusdem voluntatis: ergo per hoc quòd voluntas se determinet ad agendum sub determinatione Dei, nõ lædit vllo pacto eius libertas aut eius dominium, vt animaduertit Ruardus Tapper Decanus Louanienſis art. 7. de libero arbitrio. Et cõfirmatur, quoniam si volũtas esset quæ ita se reducit de potentia ad actum vt non reduceretur à Deo, neque determinaretur, aut præmoueretur actiuè propriè ab ipso, sequeretur quòd ipsa esset primum agens, & primum deliberans ac proinde sequeretur quòd esset Deus. Hoc sanè expressè est contra Concilium Arausicanũ, vbi expressè sic decernitur. *In omni opere bono nos non incipimus.* Et videtur esse cõtra propositionem illam, in qua catholici omnes conueniunt, nempe Deum esse causam propriè efficientem totius entitatis realis bonæ politiuè: ergo cùm Deus sit primum liberum, & consequẽter primum deliberans, & habeat dominium nostræ voluntatis, sequitur quòd omnis nostra deliberatio, & determinatio libera subiacet dominio Dei, & ex consequenti voluntas se determinat sub determinatione Dei, & non minus libere quã si ipsa sola se ipsam determinaret: quod optimè animaduertit Decanus loco citato.

Cõfirmatio.

Argumenta aliqua aduersariorum contra punctum principale totius controuersiæ repelluntur, quæ videtur militare contra infallibilem connexionem inter consensum nostrum, & auxilium Dei efficax, & campus libertatis nostræ aperitur.

Postremò circa punctum principale huius controuersiæ certum est apud nos esse infallibilem connexionem inter efficax auxilium Dei & consensum nostrum, & hanc infallibilem cõnexionem auxilij efficacis gratiæ Dei ex vna parte, & conuersionis aut consensus ex altera, tribuendam esse ipsi Deo, & eius efficaci auxilio actiuè operanti & influenti efficienter propriè in voluntatem, seu physicè vt aiunt: Nam certè, si non tribueretur ipsi Deo, & eius efficaci auxilio, nulla esset certitudo omnimoda, aut infallibilis in his quæ Deus facere decreuit, aut in effectibus diuinæ prædestinationis. Quod probo: Quia infallibilis cõnexio & omnimoda certitudo, non potest habere pro causa liberum arbitrium creatũ vt sic, quia hoc est defectibile & fragile, & maximè infirmum propter peccatum. Rursus est facultas defectibilis

in sua indifferentia vt se ad bonum determinet: ergò si auxilium non est secundùm se efficax adæquatè & completè, hæc infallibilitas nõ est certa: ac proinde si Deus non est vera causa realis actiuè, propriè influens & efficiens, & non tantùm moralis, non potest constare de omnimoda certitudine & infallibilitate effectuum diuinæ prædestinationis, cùm tamen dicat D. Augustinus diuinã prædestinationem esse prę-parationem beneficiorum Dei & gratiæ suæ, quibus certissimè liberantur quicunque liberã-tur: ergo huiusmodi infallibilitas nõ potest de-sumi ex eo quòd liberum arbitrium creatum facturum esset, aut quia erat in talibus circun-stantijs constitutum, & cum tali congruitate ad conditionem & complexionem, sic enim euaneſceret infallibilitas & omnimoda certitudo cõnexionis, & solùm maneret coniecturalis cõ-nexio, & præcisè moralis cognitio cui potest absolutè & simpliciter loquendo subesse fal-sum, cum tamen D. Augustinus dicat, Deũ prę-destinatione sua præsciuisse quæ fuerat ipse fa-cturus, in quo significauit hac ratione constare infallibilem illam connexionem: quia ipse fa-cturus erat.

Quòd in nostra sententia optimè saluetur infallibilitas futuri euentus cum efficaci gratia satis apertè cognoscunt aduersarij.

AVCTORES oppositæ sententiæ in hac re optimè vident, in nostra sententia apertè & le-gitimè saluari infallibilitatẽ connexionis futu-ri euentus & consensus liberi cum efficaci gra-tia actiuè influente seu physicè, & multo magis saluari quàm in suo modo dicendi: & hoc esse maximè conforme D. Augustino, lib. 1. de præ-destinatione Sãctorum, cap. 16. qui loquens de efficaci vocatione qua vocantur qui à Deo eli-guntur, dicit electos vocari vocatione secũdùm propositum, de qua dicitur sine pœnitẽtia sunt dona & vocatio Dei, id est sine mutatione stabi liter fixa sunt. Et cap. 17. Hæc est immobilis ve ritas prædestinationis & gratiæ. In quibus locis apertè ostenditur infallibilitatem & immobili-tatem sumendam esse ex gratiæ efficacitate, & ex proposito fixo & immobili Dei, & non ex illa congruitate temporis & loci ad comple xionem naturalem & conditionem hominis, vt aduersarij crediderunt.

Argumẽtã tur aduersa rij.

SED contra hoc argumentantur, Nã si Deus efficienter proprié influit in voluntatem, & physicé causat, præmouendo voluntatem ad consensum, sequitur lædi & non seruari liberta tem hominis in vsu liberi arbitrij: quia non es-set in potestate eius non moueri. Sed profectò simili argumento possumus contendere contra eos. Nam si huius hominis qui conuertitur, ea est liberi arbitrij proprietas & cõditio singula-ris & indiuidua, vt certissimè in talibus circun-stantijs constitutus ille homo, ita determinatè sit operaturus: ergò constitutus in illis circun-stantijs non manet indifferens ad vtrumlibet: neque cum defectibilitate & debilitate infirmi-tatis, aut imbecillitatis: aliàs prouidentia Dei & præuidentia fallibilis esset, imò & illa scientia conditionata esset falsa, aut non omnino certa: ergò si homo tunc infallibiliter operatur, aut non manet indifferens, nõ operatur liberè, sed ex necessitate propriæ naturæ singularis, & in-diuidualis, in cuius definitione est radicaliter, quòd sic operetur certò & determinatè dum cõ stituitur in talibus circunstantijs. Et talis homo non sumit à scientia conditionata determina-tionem & vim se determinandi, sed à comple-xione sua indiuiduali habet, dum constituitur in talibus circunstantijs iuxta, oppositam sen-tentiam: ergo, &c.

Cõfirmatur

ET confirmari hoc potest: Quia liberum ar-bitrium est, quod positis omnibus requisitis ad agendum potest agere & non agere, vel cõtra-rium agere: sed positis omnibus requisitis & ne cessarijs quæ ponuntur ab aduersarijs ad consen sum, impossibile est voluntatem non consenti-re: ergò non liberè consentit. Probatur minor. Nam Suarez, Molina, & qui eos sequuntur tria ponunt tanquam necessaria ad completam effi-caciam auxilij gratiæ præuenientis, nempe enti tatem ipsius diuini auxilij cum sua vi & motio-ne, qua hominis mens excitatur: Secundò con-gruentiam cum libero arbitrio, cum ingenio, cõ plexione & cõditione indiuiduali huius vel il-lius hominis, secundùm oportunitatem tem-poris & loci. Tertiò, præscientiam mediã Dei: ex quibus cõpletur efficacia. Imò verò opor-tet in ipso actuali consensu voluntatis, simul po nere actualem Dei concursum & influxũ: quo posito non stat Deum actu concurrere, & vo-luntatem non agere, neque consentire: quia ijs positis impossibile est liberum arbitriũ seu vo luntatem actu non agere, aut non consentire: er gò non liberé consentit.

RVRSVS confirmatur: Hæc est necessaria consequentia: Ponuntur illa tria: ergo voluntas consentit: Antecedens est causa consequentis, & non est in potestate hominis: ergò neque cõ sequens. Minor negari nõ potest ab aduersarijs, nisi modò velint oppositum affirmare eius q̃ antea dicebant. Scio enim aliquando eos res-pondisse efficaciam gratiæ præuenientis totam haberi à solo Deo sicut à causa propriè & dire-ctè efficiente illam, neque in sua entitate aut vi supernaturali à voluntatis libertate vllo modo dependere infallibilem tamen eius connexionẽ cum consensu futuro: quę in completa efficacia etiam cõprehenditur, cum sine libero arbitrio ex motione gratiæ operaturo, secundùm fidem esse non possit, aliquo modo ab eo esse debere saltem remotè & indirectè: quam responsionẽ dederunt retro actis diebus: ergò & cõsequens est verum.

HAEC & alia argumenta in simili forma obij ciunt auctores oppositæ sententiæ contra nos: & idcircò nos eadem & similia retorquemus cõtra eos. Scio tamen illos in solutione eorun-dem argumentorum confugere ad infinitatem suæ scientiæ mediæ quam expressè repellit D. Augustinus locis superius citatis, & etiam lib. 1. de prædestinatione Sanctorum, cap. 17. qui locus mirabilis est & eius verba ponderanda: Nam explicans Augustinus illud Ioannis. 15.

Notandum D. Augustini testimonium cõtra præsciẽtiã mediã.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. ait Augustinus: *Elegit ergò eos de mũdo cũ hic ageret carnẽ, sed iam electos in seipso ante mundi cõstitutionem: Hæc est immobilis veritas prædestinationis & gratiæ. Nam quid est quod ait Apostolus: Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem? Quod profecto si propterea dictum est, quia præsciuit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes: contra istam præscientiam loquitur filius, dicens: Non vos me elegistis, sed ego vos elegi: cum hoc potius præscierit Deus quod ipsi eum fuerant electuri.* Et paulò inferius. *Electi sunt itaque ante mundi constitutionem, ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præsciuit: electi sunt autem de mũdo ea vocatione, qua Deus id quod prædestinauit impleuit.* Idem docet cap. 18. sequenti. Et sanè D. Augustinus vult destruere hoc fundamentum, quod sibi assumebat Pelagius, nimirum quòd Deus operetur ex præuisione operum, & quòd statuit agere hoc aut illud ex præuisione operum antecedenter ad suum decretum. Itaque negat præuisionem operum futurorum antecedenter ad suũ velle, & ad suum decretum, atque statutum: & cõcedit Deum operari ex cognitione operum possibiliter futurorum, ex infinitis combinationibus possibiliter futuris à Deo præcognitis. Quocirca nos in nostra sententia habemus sacrum & tutum sacellum, infinitatem ineffabilẽ diuinæ Sapientiæ, prouidentiæ, & omnipotentiæ, quo possumus tuto confugere. Nam quia Deus habet illimitatum modum essendi in se & in sua omnipotentia atque sapientia, non comprehenditur finitis regulis aliarum causarum, neque à secundis causis limitatur in modo operandi.

Sic ergo dicimus Deum fortiter & suauiter mouere liberum arbitrium ad rectè agendum auxilio efficaci, tam moraliter quàm efficienter propriè, seu vt aiunt physicè. Concurrit enim cum libero arbitrio Deus ad ipsius actionis entitatem, & ad moralitatẽ etiam, dum intus actualiter illuminat, vt bonum hic & nunc proponatur, & simul inspirat, & mouet voluntatem, ad eligendum quod proponitur, in qua re confitemur incomprehensibilem modum, quo Spiritus sanctus mirabilis est in sanctificatione hominum.

Denique per hunc modum dicendi aduersariorum, de sola efficacia morali ex parte Dei, & suorum auxiliorum: quod præcisè ad oportunitatem temporis & ad congruitatem reuocatur, non satisfit regulis Theologiæ, neque Scripturis, neque etiam satisfit cur huic homini potius donet Deus oportuno tempore auxilium illud quo conuertitur, quàm alteri homini cui non confert. Nam certè si non datur oportuno tempore, non poterit iste homo cum illo auxilio credere aut conuerti de facto. Et cum nõ sit in potestate eius quòd illud auxilium detur sibi oportuno tempore: cõsequenter sequitur, quòd non peccabit non credendo. Quem modum argumentandi seruant contra nos tanquam infallibilem, auctores oppositæ sentẽtiæ, in simili omnino forma, vt constat ex his quæ diximus suprà, conclusione 6. & ex his quę dicit Suarez in breui resolutione, pag. 372. num. 15. 16. & 17.

Obiectio ex doctrina aduersariorũ refellitur.

Dices, quòd auxilium efficax à sufficiente solùm distinguitur, quòd efficax infallibiliter infert cooperationem nostræ voluntatis, ex ordine quem dicit ad præscientiã, quem ordinem cum non dicat sufficiens non erit infallibiliter effectum habiturus. Sed hæc doctrina aduersariorum, quam in publicis cõclusionibus eorum vidi anno 1601. quæ ab eis adducitur in sui defensionem, ego non video cur ad veritatem stare possit: Nam si volunt dicere, quòd efficax auxilium ex se, & vt à Deo est, infert illatione causalitatis efficacis, & influentiæ suæ cooperationem, & executionem, & actualem cõsensum, & vsum libertatis, suauiter, fortiter, & infallibiliter mouendo, quia ineffabiliter attingit à fine vsque ad finem disponendo suauiter & fortiter voluntatem, consensum cooperantem cum suo modo libero, id quidem est verum. Si verò volunt, quòd ratione præscientiæ mediæ infert illam cooperationem, hoc est apertè fugere punctum, de quo agitur, quia præscientia illa media non habet causalitatem neque influxum ad cooperationem illam voluntatis, neque ponitur alia causalitas quæ eam inferat. Secundò, quia cognitio illa præscientiæ mediæ est speculatiua. Tertiò, quia dicere, quòd infert infallibiliter cooperationem nostram ex ordine ad præscientiam, & non ex ordine ad causalitatem, solùm est dicere, quòd ex parte cognoscentis habetur certa cognitio de illa connexione & concomitantia, sed non est dicere differentiam auxiliorum inter se se, ex vi & natura eorum: Nam auctores oppositæ sententiæ videntur confundere hæc auxilia, quia illa distinguunt voluntariè & ab extrinseco.

Obiectio.

Dices non posse vllo pacto dari aliam distinctionem inter auxilium efficax & sufficiẽs sine præiudicio libertatis: Quia si auxilium efficax prius natura determinat voluntatem, quàm velit: ergo prius natura, quàm velit non relinquit illam liberam, aut indifferentem, vt possit velle & non velle: ergo lęditur libertas eius: ergo quocunque alio modo debet poni efficacitas huius auxilij sine hac determinatione, ne lædatur indifferentia ipsius liberi arbitrij.

Solutio.

Sed respondetur, quòd auxilium illud effectiuum illius determinationis, & quasi principium eius, & forma voluntatis, est de se suaue & efficax, atque virtute multiplex, & datur per modum actus primi, & quasi habitualiter: & habitus, qui habent modum actus primi, quamuis sint effectiui operationum voluntatis, neque eã necessitant, neque determinant necessariò, sed cum modo libero eius, & ita liberam ipsam relinquũt. Dico secundò, quòd tale auxiliũ quod prius natura determinat voluntatem eam quidẽ determinat determinatione libera, & non necessaria: quia relinquit iudicium ex parte intellectus cum vera collatione & conferentia, vt sequatur vsus liber. Et quoniam tale auxilium da-

tum voluntati non tribuitur ad operãdum quomodocũque, sed præsuppositã deliberatione & præcedente iudicio, & conferentia intellectus, & consilio quæ pertinent ad rationem libertatis, & non datur ex iudicio infixo ad vnum sicut in brutis, sed potius datur per quandam accommodationem ad libertatem & vsum eius, & ad potentiam libere agentem, permanente modo libero eius cum collatione illa & conferentia, sic manet libera voluntas. Hæc autem determinatio libera cum sit, nõ repellit liberũ vsum voluntatis, & indifferentiã ad actum secundum.

Plures rationes ex quibus constat determinationẽ non repellere liberum vsum volũtatis.

Primò: Quia potest resistere ex eo quòd habet actum primum, non quomodocunque, sed manente potestate ad oppositũ in eadem voluntate. Secundò: Quoniam cum iudicium intellectus non sit à natura infixum & determinatum cũm necessaria connexione ad vnum, sicut iudicium quod est ex instinctu naturæ, quod est determinatum determinatione necessaria: sequitur, quòd nõ est necessitata voluntas, neque ad vnum determinata determinatione necessaria, sed potest velle, & cùm vult vult quidẽ cũ potestate ad oppositum. Tertiò: Quia licèt voluntas sit determinata ex parte formæ quãtum ad specificationem, seu in actu primo ex parte principij, tamen in executione, seu in exercitio actus secundi semper mouetur voluntas à Deo iuxta liberam eius conditionem, & semper cum consilio, conferentia, & consultatione ex parte intellectus. Quas rationes validas esse voluit & rationabiles Ruardus Tapper artic. 7. de libero arbitrio. Quartò id ipsum ostenditur: Quoniam per auxilium efficax voluntas determinatur in primo signo, & in priori naturæ per modum actus primi: Nam cùm Deus producit illud auxilium gratiæ actualis, dum illud educit ex voluntate, nondum intelligitur esse determinata omninò iuxta conditionem eius, nisi cùm determinatur per modum actus primi, qui sequitur conferentiam, cõsilium, & deliberationem, quæ fiunt in eodem instanti, quorum deliberatio acceptatur & completur in voluntate. Quintò: Auxilium sufficiens receptum in voluntate mouens & incitans illam ad pœnitentiam, etiam se habet per modum cuiusdam formæ supernaturalis, & motionis diuinæ, & quasi per modum actus primi, & non necessitat volũtatem: quod fatentur auctores oppositæ sententiæ. Rursus: auxilium illud sufficiens est ad benè agendum supernaturaliter, & determinatum positiuè ad bonas actiones, nõ enim datur ad malè agendum, quia hoc implicat, sed datur, vt venit à Deo determinatè ad benè operãdum supernaturaliter, ad pœnitendum, vel ad quid simile: ergo quando venit cum efficacia, & infert cooperationem nostram suauiter, & fortiter, & infallibiliter, nõ lædit libertatem. Solent aliqui dicere auxilium sufficiens determinare sufficienter, sed non efficaciter applicare. Sextò: Quia auxilium sufficiẽs in omni opinione etiam est aliquid receptum ad extra in ipsa voluntate, & est entitas aliqua realis physica, & non lædit libertatem quamuis

Ruardus Tapper.

sit forma supernaturalis, & data per modũ principij, à qua actuatur, & informatur voluntas, & sufficienter determinatur: ergò pari modo in ipso efficaci auxilio dicere oportet, quòd licèt sit forma supernaturalis habens suam entitatem realem physicam non necessitat voluntatem: Nam etiam sufficiens auxilium gratiæ Dei dũ est in voluntate determinat eã sufficienter per modus actus primi, & non necessitat illam lædendo libertatem.

Obiectio.

DICES. Voluntas prius natura quàm velit debet esse indifferens vt velit, aut nolit obiectum, vel vt omninò actũ cohibeat: ergo si hoc illi adimitur & auferetur per auxilium, quod est de se efficax, vt procedit à Deo, sequitur quòd non maneat indifferens ad velle & non velle, vel ad cohibendum actum suum.

Solutio. Volũtas est indifferens respectu vsus ipsius libertatis, nõ autem respectu supernaturalis formæ nisi indifferentia passiua.

RESPONDETVR, quòd voluntas debet esse indifferens, non quidem ita vt non receperit in se ipsa supernaturalem formam vllam, quia hæc esset indifferentia passiua seu indifferentia formæ, id est, quòd nullam formam receperit, sed debet esse indifferens respectu operationis, & respectu vsus ipsius libertatis, ita sanè vt voluntas non sit determinata sicut naturales formæ necessariè determinant naturales potentias naturalium agentium, aut sicut iudicia brutorũ determinant appetitum eorum ad vnum ex necessitate instinctus naturæ. Hac igitur ratione non necessitatur volũtas, quia licèt determinetur id fit determinatione libera cum præordinatione, subordinatione, & subiectione ad Deum vt ad primum præordinans & prædeliberans, subordinans sibi volũtatem vt verus & primus prouisor, qui prædefinit actus liberos & supernaturales voluntatis.

DICO secundò, quòd quãdo voluntas se actu determinat effectiuè ad actionem suam, in illo eodem instanti, in quo eam elicit, tunc est verũ in exercitio & in ipso vsu, seu actu secundo, vere esse determinatam: & nihilominus habet potentiam ad oppositum in eodem momento, sed prius natura intelligitur esse in se determinata per modum actus primi licèt in eodem puncto vniatur cum sua operatione quam infert liberè consentiendo aut pœnitendo, in quo intelligitur se actu determinans: Neq; ex hoc sequitur voluntatem simul posse velle & non velle idẽ, sed solùm quòd prius natura quã velit est actu indifferens ad oppositа, vt velit aut nolit obiectum, vel vt omninò actum cohibeat: non tamẽ ita indifferens, vt non receperit omninò vllam formam diuinæ gratiæ actualis, aut diuini auxilij.

S. Thom.

S. Thom. 1. part. quæst. 105. artic. 4. fatetur Deum mouere volũtatem dupliciter, nimirum obiectiuè, & etiam actiuè ab intus, sed nihilominus dicit Deum mouendo voluntatem neq; eam cogere, neque eam necessitare: quia dat ei propriam inclinationem eius: quoniam moueri ex se nõ repugnat ei, quod est moueri ab alio, quia si voluntas ita moueretur ab alio, quòd nõ se moueret, eius operatio non imputaretur ad

meri-

meritum vel demeritum: sed quoniam per hoc quòd volũtas mouetur ab alio, id est à Deo, nõ excluditur quòd moueatur à se, ex consequenti sequitur, quòd ab ea non auferatur ratio meriti vel demeriti, ac proinde neque ratio libertatis, sine qua meritum esse non potest.

Ruardus Tapper.

In hoc proposito Ruardus Tapper, arti. illo 7. de libero arbitrio, aduertit, Dei prouidentiam eò quòd rerum naturas non corrumpat, sed seruet, idcircò omnia mouere secundùm eorum cõditiones, vt per diuinã motionem consequãtur effectus suos. Quo fit vt naturales causas moueat eas cum suo modo necessario: liberas verò cum suo modo libero, propter quod Deus liberum arbitrium sic mouet, vt non moueatur necessariò, id est, non liberè, sed potius fit à Deo vt voluntas liberè moueatur, & motus eius sit contingens. Huic doctrinæ subiungit S. Thom. 1. 2. q. 10. art. 4. quem sequitur Ruardus, ar. 7. de libero arbitrio: quòd si Deus voluntatem ad aliquid mouet, impossibile est huic positioni, quòd ad hoc nõ moueatur, neque tamen est simpliciter impossibile, quia eo momẽto quo ad aliquid mouetur potest cõtrarium velle, sed posita hac motione concursu & influxu Dei, quo vult nos velle, & agere, volemus & agemus. Dicit autem Sanctissimus Præceptor, quòd si mouet Deus voluntatem, hac suppositione facta, impossibile est quòd non moueatur: quia non stant duæ illæ propositiones de in esse simul compositiuè, scilicet Deus actu mouet voluntatem, & voluntas non mouetur: absolutè tamen loquendo voluntas potest contrarium velle, quia liberè vult. Potest tamen (inquit Ruardus Tapper) Deus necessitare voluntatem, sed hoc fiet auferendo ab ea vsum libertatis, nimirum non mouendo eam cum modo libero, sed cum modo necessario sine collatione & conferentia, sine consilio & deliberatione, & cum iudicio à natura infixo, sicut fit in brutis: radix & origo facultatis eligendi hoc vel illud, est indifferentia, & indeterminatio intellectus in sua collatione & conferentia, & in suo iudicio, quia hoc nõ est à natura infixum ex naturæ instinctu, neque ad vnum determinatum necessariò, quia procedit ex conferentia & collatione, &c. A quo autem nascatur hæc indifferentia id quidem explicant discipuli D. Thomæ dicentes: quòd hæc indeterminatio nascitur ex vniuersalitate obiecti propter quam intellectus reflecti potest super suum iudicium, super consilium & electionem, & super collationem & conferentiam. Potest etiam finem cognoscere & habitudinem mediorum ad ipsum & ad inuicem conferre media: quia respicit intellectus rationem veri, sicut voluntas rationem boni vniuersalis in genere & in communi: & idcircò conferre potest media, & collatiuum habere iudicium, quibus omnibus bruta carent, quia iudicant ex instinctu naturæ iudicio à natura infixo: & non iudicant nisi de vno, & non de habitudine mediorum ad finem nec mediorum inter se: ideòque sicut grauia semper mouentur deorsum à Deo, & à generãte, ita animalia bruta à Deo auctore naturæ ex instinctu etiam naturæ cum iudicio ab ipsa natura infixo.

D. Bernar.

D. Bernardus ex hac potissimùm libertate & indeterminatione intellectus, lib. de libero arbitrio, videtur colligere, quòd semper iudicio respõdet appetitus, & vbi iudicium est naturale, sine vlla conferentia, necesse est appetitionem vel refutationem esse naturalem, si verò iudiciũ non est naturale, ab ipsa natura infixum, seu ex naturæ instinctu, sed tale, quale suprà diximus, tunc appetitio vel refutatio libera est: quòd docuit D. Bernardus. Quam doctrinam amplectitur Ruardus Tapper, art. 7. sæpius citato.

D. Thom.

Sed oportet aduertere, quòd prima volitio finis, & amor vltimi finis, qui est primus actus voluntatis & prima cogitatio apud S. Thomam, Ferraram, & Capreolum, & alios eius discipulos est necessaria, & à Deo indita: & rationem huius rei assignant, quia est sine prœuio consilio, sine deliberatione & conferentia intellectus: ergò quotiescunque manent conferentia illa, & consilium intellectus, & vsus ille collatiuus rationis, semper manet libertas in voluntate: ergo pari modo, cùm Deus suauiter & efficienter propriè moueat voluntatem per suam gratiã actualem efficacem, si nõ absorbetur vsus rationis, & voluntas agit ex collatione & conferentia intellectus & sub consilio, & ex illustratione intellectus, quam Deus adhoc immittit: sequitur, quòd operatur & agit liberè: & ob hanc causam dixit D. Augustinus, quòd voluntas quanto gratiæ subiectior tantò liberior est.

A quo nascatur indifferẽtia quã habet volũtas.

Volũtas nõ se habet passiuè ad volitionem vltimi finis.

Sed tantisper sistere oportet gradum hoc loco, circa amorem & volitionem vltimi finis: Nã voluntas non se habet merè passiuè ad eam volitionem, ita vt solus Deus actiuè eam producat in voluntate: Nam cum sit actio vitalis actiuè elicitur à voluntate in qua recipitur. Cæterum amor ille vltimi finis, qui primò adest, idcircò dicitur esse à solo Deo, quia ab eo solo voluntas accepit eam inclinationem per quã potest prosequi finem ab intellectu sibi ostensum. Vnde voluntas ea ratione dicitur à solo Deo applicari ad primã volitionẽ finis, quatenus ipse Deus solus indidit ei vim illam, per quam appetit finem, & non per priorem volitionem sicut appetit media. Quam doctrinam sequuti sunt Caietanus & Conradus. 1. 2. q. 9. arti. 4. & est sentẽtia D. Thomæ. Et ex hac doctrina colligitur volũtatem nostrã non ita moueri à Deo ad primam volitionem finis propter inclinationem illã ab ipso datã, vt non liberè appetamus obiectum, ita vt possimus non appetere, aut ita vt voluntas supposita inclinatione quã habet non se moueat ad media, aut se applicet ad illa. Rursus doctrinam hanc de prima illa volitione finis multi explicant de prima volitione finis in quouis negotio de nouo, de quo nihil homo antea cogitabat. Ad hanc igitur volitionem dicitur voluntas moueri à Deo per inclinationem ipsi ab eo inditam. Quòd si adhuc præcedente hac inclinatiua motione voluntas sese liberè applicat ad

media, vt in nostra potestate adhuc maneat appetere obiectum, & eligere media, & sese applicare ad illa: cur non, etiam si Deus infundat suã efficacem gratiã actualem, si nõ absorbetur vsus rationis, & voluntas agit ex conferentia intellectus & ex illustratione, quã Deus ab hoc immittit, aget liberè & operabitur liberè?

Libertas, qua possumus in opposita est proprietas sequens naturam intellectiuam.

Ex dictis suprà colligitur libertatem nostrã qua possumus in opposita, esse proprietatẽ sequentem naturam intellectiuam habentem cõferentiam & collationem, & idcircò reperiri in Angelis & hominibus, & inseparabilem esse à natura intellectiua, quamuis à suo vsu possit multis ex causis impediri. Officium igitur quod est de ratione libertatis, seu de ratione liberi arbitrij, est ferri posse in diuersa obiecta ad finẽ ordinata, & posse agere & non agere: Nam posse ferri in malum, sicut & in bonum fertur, id quidem non est de ratione libertatis vt sic, sed solũ ei conuenit quatenus est in natura defectibili, seu potente deficere. Rursus etiam quòd voluntas libera modo velit vnum, & deinceps mutetur, & velit postea oppositum conuenit libertati, non quidem vt libertas est, sed potius quatenus est in natura mutabili, & ideò hęc nõ sunt de ratione liberi arbitrij propriè, quod propriè inest Deo. Quam doctrinã fusè explicat Ruardus Tapper, ar. 7. de libero arbitrio, pag. 286. in impressione Louanien si, anno. 1555. Illud maximè est aduertendum ex D. Augustino lib. 2. ad Simplicianum, quæst. 2 Quòd quamuis in cuiusuis potestate sit velle aut non velle, tamen non est in cuiusuis libertate quòd possit agere, &c. Et idcircò diximus in superioribus, quòd aliud est libertas nostræ voluntatis seu arbitrij, & aliud potestas & vires, in libertate enim voluntatis humanæ est mutare voluntatem, quamuis eius potestas nulla sit nisi à Deo detur: verbi gratia, in supernaturalibus mutare voluntatem à prauo in bonum non fit nisi à Deo detur per suam gratiam actualem influentem in voluntatem, à qua vires accipit liberũ arbitrium. Quam doctrinam satis aperte insinuauit D. Augustinus lib. 1. retracta. vbi suprà.

Aliud est potestas ad operãdum, aliud libertas.

CONFIRMARI hoc potest ex D. Augustino lib. 2. de bono perseuerantiæ, cap. 8. quo in loco citat D. Ambrosium circa locum illũ Pauli. *Non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est:* inquit Augustinus. *Quod D. Ambrosius sequutus Paulum ausus est dicere: Non in potestate nostra est cor nostrum, & nostræ cogitationes: quod omnis qui humiliter & veraciter pius est esse verissimum sentit.* Et paulò inferius: *Non itaque in hominũ, sed in Dei potestate est, vt homines habeant potestatem filij Dei fieri. Ab ipso quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeant fidem quæ operatur per dilectionem.* Qui locus est maximè perpendendus cõtra Molinã in cõcordia. q. 14. art. 13. disputat. 10. Sed vt campus totius materiæ aperiatur obseruare oportet fuisse hæresim detestabilem Lutheri & suorũ: Quòd homo habet se mere passiuè in actibus interioribus voluntatis, licèt respectu operum ad extra quãtũ ad actiones & operationes imperatas exterius à volũtate effectiuè se haberet: Ita refert Ruardus art. 7. de libero arbitrio hãc fuisse hæresim Lutheranã, quæ damnata est in Tridentino Sessio. 6. can. 4. Motio ergo qua Deus applicat intellectum ad cogitãdum salutaria & volũtatem ad eadem bona gratiæ necessaria est ad benè operãdum: Quocirca viribus diuinitùs applicatis & motis, per eas liberè operamur & per liberum arbitrium sicut per principium effectiuũ cui ratio agendi est diuinæ gratiæ motio, seu actualis Dei gratia impressa. Sed opera pietatis operatur liberum arbitrium, non sicut aqua calida quæ calefacit, quia in aqua tota ratio operãdi est calor contra naturam aquæ impressus, at verò in operibus supernaturalibus pietatis ratio sic agendi & operandi est gratia quæ perficit liberum arbitrium, & ipsum ad consensum mouet, non destruendo eius naturam, sed maximè perficiendo, quia gratia perficit naturam & libertatem eius. Rursus etiam liberum arbitriũ à Deo motum & eleuatum actiuè cooperatur, quod non habet aqua.

Ruardus Tapper.

Dubitatio de qua superius multa dicta sunt.

SED interrogãt Theologi omnes, an ad vsum gratiæ, quo consentimus & aquiescimus salutaribus monitionibus, & suasionibus, & internæ vocationi diuinæ: & quo pulsanti ostiũ cordis aperimus: per quæ omnia ex parte obiecti inclinatur voluntas, requiratur adhuc aliqua alia gratia per quam immediatè inclinetur, determinetur, & accõmoderur seu applicetur voluntas per pium affectum, & per quã gratiam voluntas à Deo etiam effectiuè moueatur & determinetur. Et hanc dubitationem proposuit Driedo, & post illum Ruardus Tapper, eius discipulus art. 7. de libero arbitrio, quæ fuit tacta sub alijs verbis temporibus D. Augustini, D. Ambrosij, & D. Thomæ: & huic interrogationi nos satisfecimus in discursu huius disputationis partem affirmatiuã defendentes contra aduersarios. Ruardus Tapper, quia solet citari ab aliquibus pro contraria sententia, fine dubio ille fuit varius, quamuis declinet in aliam sententiam. Ego tamen fideliter referam quid dicat ipse pro nostra sententia: Namcùm proposuisset interrogationem tactam, Respondet quòd ponere ad vsum gratiæ, ad consensum, & conuersionem, specialem aliã Dei gratiam per quã voluntas moueatur immediatè effectiuè à Deo, & flectatur, nihil impedit voluntatis libertatem in libero vsu gratiæ: quia ita suauiter inclinat & determinat eã Deus, vt ex iudicio ac consilio præsuppositis ex parte intellectus, vt sic liberè sequatur hanc Dei appropriationẽ: ita dicit Ruardus in præfato art. 7. de libero arbitrio, pag. 300. in impressione Louaniẽsi citata. Et paulò antea pag. 296. videtur assignare rationem huius dicens: Suasio enim sola siue à Deo fiat, siue ab homine, non mouet voluntatem efficaciter, quia solùm in ge-

nere

nere cauſę finalis & obiectiuę, & ſi actiuę nō ſufficienter, ipſa enim ſola ex ſuo iudicio ſe flectit in eā partem, quæ magis placet, quā tamen tūc refutare poteſt, nec vlla creatura quacunq; ſuaſione, cōminatione, vel promiſsione ei dominari poteſt, & reddere neceſſariò ſeu indeclinabiliter volentem aut nolentē, quam tamen poteſtatem in eā habet Deus, in cuius manu ſunt corda etiā Regum. Et hoc eſt quod ſuprà diximus ex D. Ambroſio, & D. Auguſtino. Non in poteſtate noſtra eſt cor noſtrum. Et lib. 2. de bono perſeuerātiæ, cap. 8. Non itaq; in hominū, ſed in Dei eſt poteſtate, vt habeant homines poteſtatem filij Dei fieri, ab ipſo quippe accipiunt eam qui dat cordi humano cogitationes pias. Videndus eſt D. Auguſt. lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum, capi. 2. & 3. & de libero arbitrio & gratia, cap. 20. & 21. & de corrept. & gratia, ca. 4. vbi ait. Agit Deus omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat, quod per eos agere voluerit. Ex qua doctrina multi Theologi colligūt cū Ruardo, quòd præter gratiam inſpirationis, motionis & tactus diuini, & ſanctarum cogitationum intelligitur etiā eſſe alia gratia, quę eſt operatio ipſa efficax Dei, quæ hæc dona fidē, conuerſionē, & opera pietatis, & horum initia in nobis operatur. Addit tamē hic auctor, quòd ſola gratia efficax diuinę operationis, ſi ſemel ponatur, ad hanc infallibiliter, & indeclinabiliter ſequitur effectus quem operatur, nempe conuerſio, fides, & opus pium: quamuis ſimpliciter per arbitrij libertatem poſsint non fieri. Quare Ruardus art. 7. propoſitione. 6. concludit impoſsibile eſſe, quòd gratiæ præcedentes conuerſionem vel fidem, ſi fiant ex vocatione ſecundùm propoſitum Dei, quòd ſuo effectu & fine fruſtrentur. Vnde ille colligit hanc regulam. In omni materia ita pietatis & gratiarū, ſicut morali & ciuili ad voluntatem pertinet ſe determinare ad vnam vel alteram partem quāuis ſub determinatione Dei, non tamen propterea minus liberè ſe determinat, quàm ſi non concurreret neq; determinaret Deus. Et paulò inferius dicit eſſe obſeruandū, quòd illi qui vocantur ſecundùm æternum Dei propoſitum, indeclinabiliter & inſeparabiliter vocationem ſequuntur, vt ait D. Auguſtinus de corrept. & gratia, cap. 12. dicit enim: *Subuentum eſt infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur.* Dixit, diuina gratia, & non dixit ex innatis viribus. Et explicans locum Sapien. 8. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter & diſponit omnia ſuauiter*, ait: *Ita vt liberè & contingenter, quamuis indeclinabiliter & infallibiliter ſemper ſequatur voluntas.*

D. Ambr. D. Auguſ.

D. Auguſ.

An propoſitum Dei ponat in volū tate aliquid antecedēter ad conſenſum, & de-

Ex duobus verò qui vocantur, & vnus eorū conuertitur, alter non conuertitur, an aliquid poſitiuum requiratur ad hoc vt conuertatur, vel an propoſitum Dei ponat in voluntate aliquid antecedenter ad conſenſum, & determinationē eius, in eo qui ſecundùm propoſitum Dei vocatur, id quidem obſcurū eſt dicit Ruardus, art. 7. de libero arbitrio, pag. 306. ſed nō dicit per hoc lædi libertatem: Imò verò antea dixerat, quòd Deus determinat voluntatem efficiēter actiuè, & quòd eam inflectit, & non tantùm ex parte finis & obiecti, & quòd hæc inflexio actiua procedens à Deo non lædit libertatem. Ecce quid ille dicat. In qua re duo ſunt certa, quæ negari non poſſunt ab aduerſarijs. Primum eſt, quòd ille qui vocatur, ſi conuertitur & conſentit, ille quidem dirigitur ſecundùm æternum Dei propoſitum, & vocatur ſpecialiter vocatione ſecundùm propoſitum, vt dicit D. Auguſtinus: non tamen ſic vocatur ille alius, qui non conuertitur, aut ſecundùm hanc directionem. Secūdum eſt, quòd in eo qui ſequitur vocationem eiuſdē vocationis eſt modus quidam vel aliquid quod non eſt in alio: & præterea eſt ablatio impedimentorum quæ non eſt in alio. Quæ duo dicta etiam fatetur & concedit Ruardus Tapper, pagi. 306. & Bartholomęus Medina. 1. 2. q. 111. ad ſecundum & tertium. Ex quo ſequitur quòd vocationes non ſunt æquales ſecundùm ſe: aliàs homo qui conuertitur, ſe diſcerneret ab altero, qui non conuertitur, quod eſt contra Paulum dicentem: Quis te diſcernit? Tandem Ruardus varius eſt, vt retulimus, & vtrunque putat probabile.

terminationem velnō, obſcurū eſt, neutrum tamen libertatem lædit.

Quem modum dicendi excogitarint nōnulli circa efficaciam gratiæ.

DICVNT tamē nonnulli auctores oppoſitæ ſententiæ, completam efficaciam gratiæ ſine libero arbitrio eſſe non poſſe, ac proinde, quòd infallibilis connexio cum conſenſu futuro, quæ cōprehenditur in ipſa completa efficacia, cum non poſsit eſſe ſine libero arbitrio ex motione gratiæ operaturo, aliquo modo debet eſſe ab eo, ſaltem remotè, & indirectè, non quidem tanquam à cauſa in ipſam gratiam vllo modo influente, aut ex ſe propria virtute operatura, ſed ſicut à cauſa minus præcipua, Deoq; ſubordinata ex motione gratiæ, cùm ipſa gratia ſit conſenſum effectura, ad quem tanquam ad effectum efficacia cōpleta refertur, & cum quo infallibiliter connectitur.

HANC reſponſionem retroactis diebus dederunt nonnulli reſpondentes obiectionibus noſtris. Quòd ſi hanc infallibilem connexionem, Deo & eius auxilio tanquam cauſę realiverè & propriè efficienti aſsignarent, nō opus eſſet deceptatione. Nos enim pariter confitemur illam infallibilem connexionem cum conſenſu futuro non poſſe habere pro cauſa liberum arbitriū, ex propria virtute quod ſecundùm ſe ita eſt facultas indifferens ad vtrumlibet: quod eſt defectibilis & fragilis in ſua indifferētia. Sed quoniā negant Deum eſſe cauſam realem propriè efficientem ſeu phyſicam illius infallibilis connexionis, affirmantes dumtaxat eſſe moralē cauſam, quatenus Deus præcognouit quid liberum arbitrium facturum eſſet in talibus circunſtantijs conſtitutum, & quòd ob id decreuit ſua miſericordia illo tempore oportuno dare auxi-

xilium alicui, quo faceret id, quod Deus in illo facturus non esset, vt causa directè & intimè efficiens realiter consensum, quod illi appellant influentiam physicam circa voluntatem. Hoc egrè ferendum est, quoniam qui ita respondēt, & loquuntur, volunt auferre à Deo quod sibi proprium est, in omnibus omnia operari, etiam ipsum velle pium, & liberum, multò perfectius quàm nos operemur: Nam ipse vt operemur operatur: non tamen vice versa ex nostra operatione ipse operatur.

Nō esse voluntatē liberè consensuram gratiæ Dei, si illa fiat efficax iuxta proprietatem liberi arbitrij cui datur, sequitur ex opposita sententia.

Scio auctores oppositæ sententiæ negare hanc causalitatem ex parte Dei, quia putāt per eam lædi libertatem hominis in vsu liberi arbitrij, sed profectò si hoc esset verum multò magis contra eos possemus obijcere: Quia si huius hominis, qui conuertitur, ea est sui liberi arbitrij proprietas, vt certissimè in talibus circunstantijs constitutus homo ille, ita determinatè sit operaturus (neque enim à scientia conditionata determinationem, & vim se determinandi physicam accipit) ergo constitutus in illis circū stantijs non manet indifferens ad vtrumlibet: aliàs præuenientia Dei fallibilis esset, imò & illa scientia conditionata esset falsa: ergò si homo tunc non manet indifferens non operabitur liberè, sed ex necessitate proprię naturæ singularis, in cuius definitione est radicaliter, quòd sic operetur certò, & determinatè dum constituitur in talibus circunstantijs.

Positis his, quæ aduersarij asserūt necessaria esse ad conuersionem, impossibile est, quòd non sequatur: vnde non liberè, sed necessariò fiet.

Rvrsvs obijcio argumentum à nobis iam factum: Quoniam liberum arbitrium est, quod positis omnibus requisitis ad agendum potest agere, & non agere, vel contrarium agere: sed positis omnibus requisitis, quæ aduersarij ponunt ad consensum, impossibile est voluntatem non consentire: ergo non liberè consentit. Probatur minor, quia tria tantùm necessaria ponuntur ab eis ad completam efficaciam auxilij gratiæ. Primò, entitas ipsa auxilij cum sua vi, & motione, qua mens hominis excitatur. Secundò, cōgruentia & contemperatio cum libero arbitrio secundùm oportunitatem temporis & loci. Tertiò, præscientia Dei infallibilis, ex quibus completur efficacia: At his positis impossibile est voluntatem non consentire: ergo non libere consentit. Et confirmatur, hæc est necessaria consequentia, illa tria ponuntur: ergo voluntas consentit: antecedens est causa consequentis: & non est in potestate hominis: ergo neque consequens: Minor non negatur ab auctoribus huius nouæ responsionis: ergo consequens verum est.

Neque satisfacit recurrere ad scientiam mediam seu neutram, quasi ad clauem Dauid, quę sola aperit mysterium concordiæ diuini auxilij efficacis, cū libero hominis arbitrio. De qua quidam auctor eius dicit, quòd si Sancti Patres eam fuissent assequuti, facilè in suam sententiam Pelagianos reduxissent. Et nunc etiam auctores oppositæ sententiæ putant hoc suo modo dicendi, statuendo similiter scientiam illam mediam, se posse Lutheri asseclas à suo errore depellere, eos in præfatam eorū sententiam pertrahendo. Nam Ludouicus Molina in sua concordia, quæst. 23. artic. 4. & 5. disput. 1. membro vltimo, pag. 489. postquam suam tradiderat opinionem dixit: *Quòd si ratio conciliandi libertatem cum diuina gratia, præscientia, & prædestinatione, quam ille tradiderat in suis disputationibus, deductam ex quibusdam fundamentis, & principijs, & ex scientia media: data explanataque semper fuisset, fortè neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrij nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cum diuina gratia, præscientia, & prædestinatione cohærere non posse: Neque ex Augustini opinione, concertationibusq; cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent, facilèque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in epistolis Prosperi, & Hilarij fit mentio, fuissent extinctæ.* Hactenus Molina.

Confidenter nimis, & audacter loquitur de sua sententia Molina.

Vides quonam pacto confidit de sua opinione Molina? Vides etiam quomodo sentiat de Augustini eruditissimi doctrina & sententia? dum putat ex illa plures fideles ad Pelagianos defecisse. Vides etiam quàm confidenter loquatur de sua scientia media, quam nos non admittimus? de qua dicit, quòd si data, & explanata fuisset semper simul cum alijs suis fundamentis, Pelagiana hæresis non fuisset exorta. Vides quomodo ille sentit Augustinum, Prosperum, & Hilarium, vel non intellexisse eius opinionem, vel fideles ex illorum sententia fuisse turbatos? Hunc modum loquendi huius auctoris ego non intelligo; remitto illum Summo Ecclesiæ Romanæ Pontifici Clementi VIII. qui de hac re decernat, cum ille sit Magister fidei.

Nos ergo istorum multiplicem dicendi modum, aut hanc suam scientiam mediam, seu conditionatam, prout ab ipsis traditur & explicatur, nolumus: vt in simili Diuus Augustinus dixit. Quia tandem modus dicendi aduersariorum concedit arbitrio humano, vt proprium, quòd soli Deo competit, videlicet vltimam resolutionem boni vsus liberi arbitrij, ad eius proprietatem singularem & indiuiduam reducendam esse, tanquam ad causam realem & physicam: Deo autem dumtaxat moralem quandam causalitatem attribuit, quia videlicet oportuno tempore dederit auxilium sufficiens.

Moveor etiam contra hunc modum dicendi & respondendi, qui adinuentus est ab his auctoribus per scientiam mediam ad saluandam concordiam libertatis cum Dei gratia: Quoniam si daretur ista scientia media, qua Deus ante decretum suum præuideret quid facturus esset homo in quacunque classe, & in quocunque ordine rerum si in eo crearetur: sequitur apertè, quòd omnia euenirent necessariò, & fatali quadam necessitate. Quod patet, quia ex præuisione futurorum eueniunt, & prius est quòd ipsa sint futura hæc vel illa in tali vel tali ordine rerum, quàm Deus de-

cer-

Omnia euenire ex fatali quadã necessitate, si admittatur hic dicẽdi modus de scientia media, non ineptè deducitur.

cernat de illis, aut præuiderit illa, vt dicunt auctores oppositæ sententiæ. Consequentia probatur, quoniam quidquid Deus faciat, hæc vel illa sunt determinatè futura antequam de illis decernat & statuat in opinione aduersariorum: ergò, &c. Quod confirmari potest, quia scientia ista media, vt Molina dicit est certa, & infallibilis, & fertur in res futuras obiectiuè præsentes: & postea subsequitur quædam complacentia seu voluntas complacendi in eis ipsius Dei: ergò ante decretum & voluntatem Dei ipsæ sunt determinatæ, & non ponitur in Deo nisi illa complacentia: vel saltem res ipsę quidquid Deus agat erunt, & consequenter sunt necessariæ, quia apertè sequitur quod ante voluntatem & Dei decretum erunt, & idcircò similiter sequitur quòd à casu erunt, & fatali necessitate.

Repellitur solutio.

Dices Deum per hanc mediam scientiam, seu neutram præuidisse ad quam partem sese determinatura esset Dei voluntas. Sed contra hoc est, quòd voluntas Dei liberè determinat, & statuit, quidquid decernit respectu creaturarum, & non habet connexionem necessariam cum creaturis: ergò habet indifferentiam volendi hoc vel illud: ergò non potest scire infallibiliter per hanc scientiam mediam quid voliturus sit determinatè. Fauet etiam & confirmat hoc: Quia Deus apud aduersarios, non potest scire ante decretum suum aliquid esse liberè futurum absolutè, nisi sub conditione, sed nihil decreuit de conditione, quæ non est à Deo determinata vt sit, vel vt ponatur in esse, sed est indifferens, & Deus nõ est determinatus ad statuendũ de illa ante absolutum decretum eius circa eam: ergò nihil potest scire infallibiliter ante determinationẽ suæ voluntatis: aliàs omnia necessariò sunt futura, quæcunq; futura sunt, ante decretum Dei. Quare ista sententia tollit sine dubio contingentiam & libertatem, & latenter affirmat omnia euenire à casu, aut fatali necessitate.

Qvòd verò modò dicunt defensores oppositæ sententiæ, nimirum connexionem infallibilem consensus futuri cum efficaci Dei gratia, cum esse non possit sine libero arbitrio ex motione gratiæ operaturo, aliquo modo ab eo esse saltem remotè, & indirectè, non quidem tanquam à causa in ipsam gratiam vllo modo influente, aut ex propria virtute operatura, sed sicut à causa minus præcipua Deoque subordinata ex motione gratiæ, cum ipsa gratia consensum effectura, ad quem tanquam ad effectum efficacia completa refertur, & cum quo infallibiliter cõnectitur. Sanè multa hîc in uoluuntur & implicantur, quæ distinguere oportet. Primum est id quod dicitur, nimirum aliquo modo à libero arbitrio efficaciam completam necessario prouenire, saltem remotè & indirectè. Secundum est, quòd negant liberum arbitrium vllo modo in ipsam gratiam influere: aut ex se propria virtute fore operaturum: quod planè confitentur. Tertium est, quòd cùm huiusmodi auctores explicant illum modum auxilij completè efficacis à libero arbitrio dicunt esse ab illo sicut à causa minus præcipua Deoque subordinata, & effectura consensum ex motione gratiæ Dei. Ad quẽ consensum dicunt quarto loco tanquam ad effectum completam efficaciam referendã esse: & cum quo consensu infallibiliter connectitur.

Hæc, quæ ab aduersarijs dicuntur, non bene inter se copulantur

Dixi hæc omnia, nempè illa quatuor distinguenda esse & explicanda: quia inter se non satis omnia conueniunt. Nam primum dictum non satis benè conuenit cum tertio: cuius ratio est: Quoniam causa subordinata Deo quæ ex ipsa motione gratiæ, cum eadem gratia consensum efficit, non potest dici causa indirecta & remota secundùm veram Philosophiam, quamuis sit causa minus principalis. Mirabile namque esset, quod ita loquerentur Philosophi & Theologi, vt insinuarent liberum hominis arbitrium ex motione gratię eleuatum, esse causam indirectam & remotam sui consensus. Nam pari ratione dicerent intellectum eleuatum lumine gloriæ esse causam indirectam & remotam visionis beatificæ.

Quamuis tota vis auxilij à Deo prouenial, effectus tamen ipse nõ solùm Deo, sed libero arbitrio vt causæ subordinatæ tribuitur.

Nos sane libenter fatemur liberum nostrũ arbitrium sic eleuatum efficere proprium consensum vt causam secundam proximam & directam, licèt sit minus principalis & secundaria. Rursus quod dicunt quarto loco efficaciam completam referri ad consensum tanquam ad effectum, cum quo infallibiliter connectitur, obscurum est, & explicatione indiget. Nam certè si sentire volunt vim completam efficaciæ auxilij prius prioritate naturæ, saltem adesse libero arbitrio, completè & formaliter perficiens ipsum, vt sit potens operari: hoc sanè facilè conceditur. Si autem volunt, aut intendunt efficaciam auxilij completam, dici, & esse, non ab aliquo intrinseco, sed ab effectu: hoc est quod nos non admittimus, & quod prædicti auctores plurimis verbis velare & occultare volunt. Nos enim totam vim intrinsecam ipsius auxilij gratiæ Dei completè ex parte principij à Deo prouenire agnoscimus: effectum verò nõ solùm ipsi gratiæ, sed etiam libero arbitrio eleuato tribuimus, tanquam causæ subordinatæ & cooperanti: Deo principaliter operante & præueniente. Et hac via tantùm abest, vt liberum arbitrium destruatur, quod potius perficitur. Cęterum in via oppositа potius prȩcipitatur, quàm ædificetur, dum eius proprietati singulari æquale auxilium, quod in alio effectum non habet, accommodatur moraliter, quadam accõmodatione ex parte Dei cognoscentis illam singularem proprietatem, ac volentis dare opportuno tempore illud æquale auxilium, quod alteri datum non haberet effectum. Denique per illum modum dicendi de sola efficacia morali ex parte auxilij Dei quæ dumtaxat reuocatur ad oportunitatem temporis & loci, & ad congruitatem cum complexione, & ingenio indiuiduali cuiusque non fit satis diffi-

cultatibus occurrentibus, neque diuinæ Theologiæ, præsertim quia si efficacitas gratię consistit in illa oportunitate, in qua datur auxiliū sufficiens, sequuntur duo difficilia. Primum est, quòd si non datur gratia oportuno tempore, non poterit ille, cui datur sufficiens auxilium, de facto conuerti, aut cum illo credere & consentire. Secundum est, quòd non erit in potestate eius, quòd illud auxilium detur sibi oportuno tempore: quia non est in potestate hominis, quòd vocetur à Deo vocatione illa cōgrua, & quòd detur sibi tali vel tali tempore, quia hoc positū est tantùm in voluntate libera Dei, ac proinde sequitur, quòd non peccauit homo non credendo. Quem modum argumentandi obseruant auctores oppositæ sententiæ contra nos, vt supra vidimus, & eundem obseruat Suarez in breui illa resolutione de concursu, & efficaci auxilio, pag. 372. à nume. 15. & deinceps vsque ad 18.

Duo difficilia quæ sequuntur.

Propositiones quæ negari non possunt ab aduersarijs, & quæ nobis plurimum fauent pro nostra sententia.

TANDEM quòd nostra sententia in discursu huius sectionis explanata tuta sit, & magis cōformis sacris Literis, sanctis Patribus, & Cōcilijs, rationibusque Theologicis; & quòd oporteat distinguere auxiliū efficax à solo sufficiente, ita vt sint secundùm se membra cōdistincta, nullus est qui si rem hanc velit aduertere negare debeat: sed vt minimum duas habemus pro nobis, vel tres propositiones, quæ cùm verissimæ sint, de quibus dubitare non licèt, vehemēter fauent nostræ sententiæ.

Prima propositio quæ nostræ sententiæ fauet.

PRIMA propositio est, Deum esse veram causam propriè actiuè efficientem totius entitatis realis bonæ, maximè supernaturalis, etiamsi sit in voluntate nostra libera, aut in vsu eius. Quæ propositio in tantùm est vera, vt omnes dicant & fateantur, Deum etiam esse causam veram, efficacem, & efficiēter agentem, seu physicè non solùm cuiuscunque actionis bonæ intellectus & voluntatis, sed etiam actionis malæ quantū ab substātiam actus seu actionis, id est quoad materiale tantùm: Sed determinatio voluntatis ad bonum pœnitentiæ, seu ad bonum conuersionis in Deum, est quædā eius actio, qua voluntas se mouet, & ad vnam partē se inclinat in exercitio, seu in actu exercito: ergo Deus est efficiens causa propriè huius determinationis, qua se actiuè voluntas determinat ad consensum, seu qua est adæquatè determinata & formaliter: ergò si voluntas se determinat in operibus gratiæ ad consentiendum & pœnitendum, sequitur, quòd Deus sua gratia actuali, & suo auxilio influit efficienter propriè in voluntatem se determinantem, & in actionē eiusdem voluntatis determinatiuam sui. Patet consequentia, quia si Deus excitat, & inuitat, & inspirat, & præuenit ad prædictam determinationem voluntaris ad consensum & piam operationem, sequitur, quòd multo magis efficienter concurrit ad dictam determinationem & cōsensum. Vnde Christus dixit: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Rursus Christus Ioannis 6. ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Et Ioannis primo. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Ad Philippenses 2. *Operatur in nobis velle & perficere.* Isaiæ capite 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Et Paulus dixit. *In ipso enim mouemur & sumus.* Et tandem de corde Regis dicitur Prouerbiorum 21. *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit vertet illud.* Tunc vltra: Homo per liberū arbitrium mouet se ad agendum: sed non est de necessitate voluntatis aut libertatis se mouentis, quòd sit prima sui causa id quod liberum est: sicut neque ad hoc quod aliquid sit causa alterius requiritur, quòd sit prima causa eius: ergò Deus est prima causa mouens naturales causas & liberas: ergò sicut mouendo naturales causas non aufert ab eis, quin actus earum sint naturales, ita mouendo causas liberas & voluntarias non aufert ab eis, quin actiones earum sint voluntariæ & liberæ: imò potius hoc in eis facit, quia operatur in vnoquoque secundùm eius proprietatē. Hæc ratio est Sancti Thomæ 1.p.q.83.art.1.ad 3. & idem habet solutione ad secundum explicans locū Pauli ad Romanos 9. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Quod verbum Apostoli non sic est intelligendum quasi homo non velit & non currat libero arbitrio, sed quia liberū arbitrium ad hoc non est sufficiens nisi moueatur & iuuetur à Deo: quo in loco motionem in liberum arbitriū verissimè constituit Sānctissimus Præceptor in instanti & puncto, quo volūtas se determinat & consentit.

Ioannis 1.

Ad Philippenses 2.

Isaiæ 26.

Prouer. 21.

S. Thom.

Ad Romanos 9.

SED obseruandum est valdè Sanctissimum Præceptorem D. Thomam prima parte, quæstione 105. articulo 4. apertè docere Deum mouere volūtatem duobus modis, scilicet obiectiuè & efficienter, sed præcipuè mouere eam efficienter interius, immediatè eam inclinando: & affirmat, quòd ipsum velle voluntatis nihil aliud est, quàm inclinatio quædam actualis in obiectum. Caietanus in Commentario articuli dicit: Quòd nō differt Deus ab alijs motoribus per hoc quòd ipse solus possit voluntatē obiectiuè mouere: quia hoc potest quodlibet bonū, sed per hoc quòd ipse solus potest sufficienti efficacia voluntatem mouere.

Duob⁹ modis voluntas mouetur à Deo.

CVIVS rei probatio est, quia sola virtus actiua excedens vel adæquans virtutem passiuam, potest sufficienti efficacia eam mouere, & ita solùm Deus in quo continetur omne bonum, quoad secundum modum mouendi voluntatem efficienter mouet, quem modum solius Dei esse proprium affirmat Caietanus. Probat, quia inclinare in bonum vniuersale est primi mouentis: ergò & inclinare in obiectum voluntatis, quod est ipsum velle voluntatis: ergò dare ipsum velle: ergò dare virtutem volitiuam. Patet prima consequentia, quia velle ni-

hil aliud est quã inclinatio in tale obiectũ. Secunda autem consequẽtia est per se nota: Quia eiusdem est dare actum ab intrinseco, & potentiam seu principium eius. Quòd verò maximè proprium sit mouere secundo modo, idcircò dictum est: quia mouere obiectiuè voluntatẽ cõmunicatur alijs, quamuis non sufficienti efficacia, at verò mouere ab intus nulli cõmunicatur: quia solus Deus est qui illabi potest libero arbitrio creato. Vnde egregiè Caietanus eadẽ quæstione 105. art. 6. ait: Quòd omnis executio causæ secundæ infert executionem in causa prima. Quia ab actione illius pendet omnis actio: ergò vsus gratiæ operantis & sufficientis, qui in ipsa executione libera consistit est ab actione diuina exequente, seu ab executione Dei, & ita efficienter propriè,

Ex S. Tho. non solùm Deus mouet res omnes ad operandum, sed etiã eas applicat.

HAC igitur de causa Sanctus Thomas in eadem 1. parte quæst. 105. composuit articulum quintum in quo interrogat, Vtrùm Deus operetur in omni operante? & tenet, quòd Deus operatur intimè in omni operante & agente: & quòd non solùm mouet res ad agendum, & operandum, sed etiam applicat secundas causas, & formas, & virtutes earum ad operandum, sicut etiam artifex applicat securim ad scindendum. Vnde Isaiæ 26. dicitur. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Et Caietanus colligit in Commentario, Deum esse causam operationum aliarum causarum tribus modis, primo dãdo virtutem agendi & principium: Secundo applicando eandem virtutem & idem principium agendi: Tertio conseruando rem & virtutem: & postquam hæc dixit articulo 6. sequenti dixit Caietanus, quòd omnis executio secundæ causæ infert executionem in causa prima, quia ab actione illius pendet omnis actio nostra. Et idem Caietanus in art. 1. præcedente interrogans, vtrùm vnus Angelus possit mouere voluntatem alterius? affirmat, quòd voluntas non potest reduci de potentia ad actum volendi ex parte potentiæ ab aliquo extrinseco, nisi à datore voluntatis: ergò Deus qui solus est dator voluntatis, est qui efficienter & actiuè primũ ipsam reducit de potentia ad actũ tam primum, quàm secundum, ipsa etiam actiuè operante & se mouente, cùm sit potentia viuens & libera.

Etiã ab Angelo reduci nõ potest voluntas de actu primo in secũdũ, sed hoc fit solũ à Deo.

SECVNDA propositio quæ nobis vehementer fauet est: Quòd in omni opere bono & sancto, & in bono piæ operationis & conuersionis nos non incipimus. Hanc definit expresse Concilium Arausicanum secundum, cap. 25. dicens: *Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur: Sed ipse nobis prius & fidẽ, & amorẽ inspirat sui.* Et loquitur Concilium non de operibus tantùm quæ antecedunt opus liberum piæ operationis vel conuersionis, sed etiam de ipso opere libero, & de inchoatione actuali libera eius. Et idem Concilium c. 23. de voluntate Dei & hominis ait: *Quando homines ita faciunt quod volunt, vt diuinæ seruiant voluntati, quamuis volentes agant quod agũt illorum tamen voluntas est à quo præparatur, & obitur quod volũt.* Id est, peragitur & in executione ponitur à Deo. In quibus verbis Concilium nõ solùm dicit, quod præparatur voluntas, & disponitur per auxilium sufficiens, sed etiã dicit secundo: Quod voluntas cũ vult obitur à Deo, hoc est peragitur, & in executione ponitur à Deo. Quæ sanè sentẽtia est D. Augustini mille in locis, & verbũ, obitur, importat executionẽ volitionis ipsius hominis à Deo exercitã per suã gratiam actualẽ. Quare Augustinus li. 3. hypognosticon. *In opere sancto prior est volũtas Dei posterior liberi arbitrij*, & loquitur Augustinus de volitione libera, quia loquitur de actione liberi arbitrij vt sic.

Secunda ꝓpositio. In omni opere bono nos non incipimus. Concilium Arausica.

EX his ergò propositionibus hunc cõficio discursum. Volitiones quæ in pijs & sãctis operibus liberis, ab hominibus fiunt & eliciuntur, istæ sunt à Deo, à quo non solùm ipsa volũtas præparatur, sed etia obitur, (vt dicit Conciliũ) id est, peragitur & exercetur: Quia in omni opere bono nos non incipimus, sed ipse Deus prius in nobis fidem & amorẽ sui inspirat: Sed quãdo voluntas consentit, & determinat se ad omne opus sanctũ piũ & bonũ, tunc benè & maximè benè operatur, & incipit actualiter benè vti gratia, liberè volendo, & cõsentiendo, aut se cõuertendo: ergò in illo opere bono vsus liberi, & determinationis liberi cõsensus actualis, Deus est à quo obitur illa volũtas, & Deus est qui primò incipit determinare voluntatẽ, & à quo obitur & peragitur seu exercetur & in executione ponitur: Nã aliàs si inter duos æqualiter sufficiẽti auxilio adiutos & vocatos, præter auxiliũ sufficiẽs, nõ datur ex Deo specialis gratia qua discernatur is qui cõuertitur, ab eo qui nõ cõuertitur; sequitur apertè, ꝙ homo se ipsum discerneret ab alio, imo vero sequitur, quòd ex libero arbitrio aut ex innatis viribus se discerneret: quod est contra D. Paulũ: Nã certè, si homo simul natura incipit cũ Deo vti gratia, & nõ posteriꝰ natura, & cũ æquali auxilio gratiæ cõuertitur, & alter non conuertitur, sequitur, quòd non est refundenda ista conuersio ad inæqualitatẽ auxilij, sed ad inæqualitatẽ liberi arbitrij. Nã ex parte auxilij sufficiẽtis isti duo sunt æquales vt supponimus: quia sunt æquales ex parte auxilij ipsius auxiliãtis: ergò si vnus cõuertitur & se determinat, aut vtitur hoc auxilio, & alter non, hoc facit, vel ex alia gratia maiori ex parte principij, & sic habeo intentũ: quòd cũ æquali gratia non stat vnum conuerti, & alterũ non cõuerti: vel hoc facit solũ ex libero arbitrio, quia vult: & tunc sequitur apertè, quòd inæqualitas istorum, quorũ vnus conuertitur, & alter non conuertitur, non est referenda ad inæqualitatẽ auxilij, cùm illud sit æquale in vtrisq;, sed ad inæqualitatem liberi arbitrij secundùm se.

Discursus efficitur ex propositionibꝰ certis.

Ex libero arbitrio & innatis viribus vnus se ab alio discerneret, si verũ esset quod asserunt contrarij.

HOC argumentum est D. Augustini libro 1. de prædestinat. Sanctorum c. 5. vbi D. Augustinus loquens contrà humanam superbiam, ne quisquã in se glorietur, sed in Domino, ait: *Nũquid per hæc dona quæ omnibus cõmunia sunt homi*

D. Augu.

nibus, discernuntur homines ab hominibus? Quasi dicat non. & subiungit id quod Apostolus 1. Corint. 4. dixit: *Quis enim te discernit?* Et deinde addidit: *Quid autẽ habes, quod non accepisti? Posset quippè dicere homo inflatus aduersus alterũ: Discernit me fides mea, iustitia mea, vel si quid aliud: vel quia ego cooperor meo libero arbitrio* (vt Molina ait:) *Talibus occurrès* (inquit Augustinus) *cogitationibus bonus Doctor addidit: Quid autẽ habes quod non accepisti? A quo, nisi ab illo, qui te discernit ab alio, cui nõ donauit, quod donauit tibi.* Ergò ei qui ab alio discernitur, donatur aliquid gratiæ speciale, quod non donatur ei, qui non cõuertitur: Ergò nunquam stat æqualitas in auxilio ex parte principij, si vnus conuertitur, & alter non: aliàs hoc reduceretur in ipsum arbitriũ, & in vires eius. Ex quibus omnibus satis patet, semper esse in Domino gloriandum.

Repellitur occursus.

DICES, quòd gratia operans transit in cooperantem, quamuis in vtroque sit æqualis, & ita iste, qui habet gratiam cooperantem, discernitur ab alio ex gratia cooperante, quam non habet ille, qui non conuertitur.

SED contra: gratia operans transit in cooperantem: ergò vel hoc fit ex ipso libero arbitrio, ex innatis viribꝰ eius, vel fit ex alio nouo dono gratiæ: nõ ex nouo dono gratię per te, aliàs nõ essent æquales: ergò ex ipso libero arbitrio.

Alia euasio refellitur, contra quam agit auctor pluribus in locis.

DICES, quòd hoc fit nõ ex libero arbitrio secundùm se, sed ex libero arbitrio quatenus subordinatur gratiæ, & ita non ex libero arbitrio secundùm se.

SED contra, quia liberum arbitrium æqualiter est subordinatum gratiæ, vt supponimus: quoniam æqualis etiam est gratia, cui subordinatur voluntas vt principio agendi, & æqualẽ rationem habet inclinandi & mouendi voluntatem: aliàs si motio æqualis nõ esset, aut modus inclinandi in ipso principio gratiæ, tunc non esset casus argumenti de duobus æqualiter adiutis. De hoc argumento, quia fusè id sumus prosequti 1. parte, q. 23. art. 3. disput. 9. & 1. 2. q. 111. ar. 3. disputat. 3. conclusione 3. & q. 112. ar. 2. disputat. 4. hoc loco plura non dicimus.

DICES, quòd iste discernit se ab alijs, quoniam ex cooperatione & conuersione, quã habet, se discernit. Sed profectò quamuis cooperetur, nihilominus responsio petit principium: quia disputatio & difficultas est de ipsa cooperatione, quòd non possit cooperari, & se determinare vnus, & non alter, si auxilium est vtrobique æquale omnibus modis, ex parte principij. Nisi dicas, quòd hoc prouenit ex ipso libero arbitrio secundùm se: Nam illa cooperatio fit per vsum ipsius gratiæ, per quam gratiam operans transit in cooperantem: ergò, quòd vtatur ipsa gratia, & quòd fiat conuersio & transitus in gratiam cooperantẽ, vel hoc fit ex ipso libero arbitrio, seu ex innatis viribus eius, & hoc non: vel ex ipsa gratia, quæ est principium influens, & hæc est æqualis, vt supponitur: vel prouenit ex libero arbitrio, vt subordinatur gratiæ, & etiam hęc subordinatio est æqualis & est subordinatio libera, & reddit idem argumentum: Nam interrogo, ex quibus viribus cooperatur homo, & vtitur gratia Dei? Si ex innatis viribus: ergò ex ipso arbitrio habet ille homo se determinare: si ex gratia Dei, vel ex libero arbitrio subordinato gratiæ, hoc non satisfacit, quia gratia semper est æqualis, vt dictum est, & subordinatio est similiter æqualis: ergò, &c.

Alia solutio reijcitur

DICES, quòd vnus resistit peccando, alter verò non resistit. Sic argumentor, & reddit in idem, argumentum supra tactum: Quia ille qui non resistit, & non conuertitur, si se habeat negatiuè non resistendo illi, ęqualem habeat gratiam & subordinationem ad eam, ergò debes recurrere ad inæqualem gratiam & efficacẽ, vel ad ipsum liberum arbitrium: quod non est dicẽdum. Vnde Augustinus li. 1. retractationum c. 23. dicit securissimè dixisse hanc sententiam. *Neque velle possumus, nisi vocemur, & cùm post vocationem volumus, neque sufficit voluntas nostra & cursus noster, nisi Deus vires currentibus præbeat, & perducat quo vocat.* Et ita manifestissimum est non volentis, neque currentis, sed miserẽtis Dei esse, quòd benè operemur, quod nõ vocationi tantùm tribuit sufficienti, sed vlteriori etiam gratiæ. Et in eodem 1. retractationũ c. 9. dicit, quòd ipse vsus bonus liber, seu bonus vsus liberæ voluntatis ex Deo est, & hoc quia perducit Deus voluntatem, quo vocat.

Quid Molina dicat.

Deum & liberum arbitrium cõcurrere ad opus supernaturale tã quam duæ causæ partiales sensit Molina.

SED iuxta hanc secundam propositionem superius alatam: Quòd in omni opere bono nos non incipimus, Molina ait: Quòd Deus & liberum arbitrium concurrunt ad operationem liberam tanquam duæ causæ partiales, ita vt quamuis secundaria causa libera pendeat à Deo in esse, & conseruari, & similiter quamuis libera actio procedens à libero arbitrio, etiam procedat & pẽdeat à Deo, tamen non prius à Deo quàm à libero arbitrio, sed ab vtroque simul, taliter quòd liberum arbitrium, in hoc quod est agere, non pendeat à Deo de nouo per influxum in ipsum, sed per influxum in actionẽ & in effectum, præter conseruationem, quam à Deo habet, & habuit, & ita inquit, quòd cõcursus Dei nõ tollit libertatẽ, quia nõ ponitur cõcursus Dei ante actum liberũ, sed simul cũ ipso actu. Et ita necessitas, quę inde sequitur, nõ est antecedẽs, sed consequens, aut cõcomitãs, quæ stat cũ libertate. Et præter hęc addit Molina in sua concordia q. 14. ar. 13. dispu. 38. Quòd sicut influxus habituũ ad actus virtutũ quos eliciũt potentię, pendet vt existat in rerum natura ab influxu ipsarum potentiarum in eosdem actus, eo quod habitus nõ est causa sufficiens sine influxu, & concursu potẽtiarũ ad tales actus producendos, ita, vt existat verè in rerum natura, nouus influxus gratię præuenientis circa actus pœnitendi, credendi, & diligendi, &c. id quidẽ pendet ab influxu nostri liberi arbitrij in eosdẽ actus, & à cooperatione eius per intellectũ &

volun-

voluntatem. Et subiungit rationem huius, ex eo quod affirmat, quòd gratia præueniens similiter non sit causa sufficiens eorundē actuū sine nostri arbitrij influxu ac cooperatione in ipso.

Est expressè contra D. Thomæ opinio ista.

HAEC tamen sententia quantum ad primam partem est expressè contra D. Thomam 1. parte q. 105. art. 5. qui de omnibus causis secundis naturalibus, & liberis affirmat, quòd sunt subordinatæ primo principio, scilicet Deo: & ex cōsequēti si liberum arbitrium est subordinatum Deo, ergò in hoc ipso quod agit, dependet à Deo, & ita eius actio aliquo modo prius pēdet à Deo, quàm à libero arbitrio creato subordinato ipsi Deo in agendo.

Est etiā cōtra secundā propositionem.

PRAETEREA hæc opinio Molinæ vehementer aduersatur his quæ diximus: & rursus non est conformis modo loquendi Theologorum, neque secundæ propositioni superius positæ: Quia si in omni opere bono, & in ipso vsu libero nos non incipimus, sed Deus est qui primò incipit, sequitur, q̄ actio libera bona supernaturalis, prius sit à Deo quā ab ipso libero arbitrio, & quod nō est ita abvtroq; simul, vt à duabus causis partialib⁹ sine ordine, sed à Deo prius à quo primò pendet, & à suo influxu & causalitate, & ita à Deo prius natura.

Sicut liberū arbitriū est ens per participationem, ita & agens.

PRAETEREA ista sententia Molinę est apertè contra rationem, & contra philosophiam: Quoniam liberum arbitrium creatum, sicut est ens per participationem, ita etiam est agens per participationem: sed ex hoc quòd sit ens per participationem, sequitur, quòd pendeat in suo esse, & in suo fieri, & conseruari à Deo, qui est ens per essentiā: ergo ex hoc quòd sit agens per participationem sequitur etiam, quòd in hoc quod est agere pendeat à Deo, & per consequens, &c.

Vltima dispositio ad gratiam nō ab habitu, sed à voluntate, & auxilio specialis gratiæ p̄cedit.

MOVEOR rursus contra Molinam: Quia declaratur hoc potissimè in entibus & actibus supernaturalibus voluntatis, præsertim cùm voluntas elicit eos sine habitu, cum solo speciali auxilio: Nam est valdè probabile vltimam dispositionem adulti ad gratiam non esse ab habitu, sed à voluntate & auxilio gratiæ Dei speciali. Quo supposito sic obijcio: Voluntas respectu illius actus supernaturalis qui est ab auxilio sine habitu, habet se vt instrumentum liberum, sed de ratione instrumenti est quòd in agendo subordinetur, & pendeat à motione causæ principalis: ergò voluntas, dum elicit actum illum supernaturalem, subordinatur Deo, & pendet ab ipso, non tantùm quia est factura illius, & conseruatur ab eo, sed vlterius etiam in hoc quod est agere, talem actum eliciendo: ergò Deus & voluntas non se habent vt duæ causæ partiales, sed vt duæ causæ subordinatæ: quarum inferior in hoc quod est agere pendet à superiori: & sicut se habet voluntas in ordine ad auxilium speciale quantum ad actus supernaturales, ita in ordine ad auxilium generale quantum ad actus ordinis naturalis.

QVOD verò affirmat vltimo loco non est verum in multis: Nam certè influxus gratiæ prius pendet à Deo, quàm à nobis, nam quamuis gratia non influat in operationem, nisi operante libero arbitrio, dependentia tamen prius est à Deo. Quocirca influxus liberi arbitrij in supernaturalibus, qui fit media gratia sui auxilij actualis, veluti ex principio agendi, prius à Deo pendet, ita vt cooperatio supernaturalis liberi arbitrij pendeat à Deo, & à gratia eius actuali prius: & rursus pendeat à libero arbitrio eo efficiente, & cōsentiente sicut à secunda causa subordinata primæ, & subordinata auxilio diuinæ gratiæ suæ.

SED perpendum est valdè, quòd gratia præueniens efficiens datur etiam per modum principij in omni opere bono supernaturali: sed subiungit Molina, quòd gratia præueniens secundùm se (quod est dicere vt est à Deo) non est sufficiens, sed quòd sufficientiam & efficaciam, totum hoc habet à libero arbitrio à quo pendet. Nam si secundùm se, vel prout est à Deo non est sufficiens, apertè sequitur, quòd sufficientiam & efficaciam totum habet à libero arbitrio. Hoc animaduerto quia in sua concordia q. 14. art. 13. disput. 38. obscurè & lubricè loquitur, etiam de hac sufficientia auxilij, & ob id indiget attentione.

Tertia propositio. Voluntatē nostram verè & realiter moueri à Deo per suam gratiam.

TERTIA propositio fidei, & quæ nobis vehementer fauet est, Deum immittere in liberum arbitrium veram & realem gratiam vocantem, præuenientem, excitantem, inspirantem, per realem & verum motum atque influxum in liberum arbitrium: vereque & realiter voluntatem moueri à Deo per suam gratiam. Quod sanè est conforme Concilio Tridentino Sessione 6. canone 4. & 5. & in decretis capite 7. & deinceps. Et sanè talis motus, qui est gratiæ præuenientis, vt minimum est prius consensu liberi arbitrij: Nam cùm influxus gratiæ præuenientis antecedat cooperationem liberi arbitrij ad actum supernaturalem conuersionis idcircò vocatur gratia præuia seu præueniens, excitans & mouens arbitrium nostrum ad actū conuersionis: à qua gratia & gratuita Dei motione dicit Concilium sumendum esse iustificationis exordium. Quo fit vt consequenter sit dicendum talem gratiam, vt minimum, præcedere prius natura. Quocirca Propheta Psalmo 78. ait: *Citò anticipent nos misericordiæ tuæ Domine.* & Concilium Arausicanum secundum can. 14. *Nullus miser liberatur à miseria, nisi qui Dei misericordia præuenitur.* Et D. Augustinus expressè libro 3. hypognosticon statuit hanc regulam generalem. *In omni opere sancto prior est voluntas Dei, posterior est voluntas liberi arbitrij.* Idem docet de bono viduitatis capite 17.

Psalm. 78. Concilium Arausica. D. Augu.

DIVVS Gregorius libro 16. moralium capite 10. & 11. & super caput 22. Iob ait: *Superna pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, &c.*

D. Gregor.

SANE ratio huius doctrinæ est, quòd cùm primum exordium nostræ iustificatio-

nis sit supernaturale, requiritur quòd fiat ex aliquo supernaturali principio, seu ex aliqua supernaturali forma, aut ex supernaturali aliqua motione, quia liberum arbitrium secundùm se sumptum pertinet ad ordinem naturæ. Igitur ad hoc vt ex eo sequatur supernaturalis operatio, necesse est vt prius ponatur & sit in eo aliquid supernaturale. Vnde Cæleſtinus Papa in epistola ad Episcopos Galliæ dixit. *Neminem benè vti libero arbitrio nisi per gratiam.* Ergò vsus gratiæ & efficacia eius debet tribui gratiæ Dei: & Diuus Augustinus libro primo ad Simplicianum, quæstione 2. ait: *Quòd gratia Dei & eius vocatio non solùm dant posse benè velle voluntati: sed etiam esse effectricem bonæ voluntatis.* Et libro primo retractation. capite 23. expresè inquit: *Quòd cùm post Dei vocationem volumus, non sufficit voluntas nostra & cursus noster, nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quò vocat.* Et sanè post vocationē perducere est noua gratia Dei: Quoniam perducere pertinet ad ipsam executionem, & ad ipsum liberum vsum actualem, & non tantùm ad primam gratiam præuenientem. Quare duas gratias ibidem astruit Augustinus: vnam qua tribuuntur vires, & alteram qua in actu secundo perducitur & trahitur voluntas ad executionem. Quas duas gratias optimè distinxit Enchiridium Concilij Colonienſis, & post illum Andreas à Vega loco citato. Et idcircò præter sufficientem gratiam oportet vlterius aliam gratiam constituere, quam nos efficacem esse dicimus cum cooperamur.

Cæleſtinus Papa.

D. Augu.

Ad argumenta, & fundamenta aduersariorum solutiones.

LONGISSIME egimus de efficaci Dei gratia in hac prima sectione in cuius exordio retulimus fundamēta & rationes quibus auctores oppositę sententię mouentur. Et quoniā duo fundamenta nōnulli adducunt, quorū primum est: Quòd si pertinet ad efficaciā gratiæ, quòd ex illa certò & infallibiliter proueniat opus liberū, sequeretur lædi libertatē, quia talis infallibilitas & certitudo oriretur ex aliqua motione Dei præuia propriè efficiente, quæ cōstitui nō potest sine præiudicio libertatis. Respondetur, negādo lęsionē libertatis vllo pacto posse procedere ex efficacitate gratiæ Dei. Nā Dei gratia efficax, de qua loquimur, inclinat voluntatē iuxta suum modum agendi, & non immutat modum operandi liberum eius, neq; eam agit, aut disponit, vt operetur, velut fiat actus illius, sine potentia ad oppositū: Nam adhuc manet potētia in voluntate vt possit impedire effectū ponendo obicem ex suis viribus deficiendo: hoc enim salubriter profitemur. Nā certè voluntas nō ita mouetur & determinatur à Deo, vt totaliter ab extrinseco determinetur, sicut sagitta aut sicut lapis, ex impulsu proijcientis, ita vt voluntas creata nullo modo se moueat ex vi propriæ deliberationis, & electionis sed omninò mouea tur ab extrinseco. Et hæc determinatio & præmotio no cōuenit indifferētiæ volūtatis & libertati eius. Et hanc obijciunt nobis auctores oppositæ sententiæ, quā nos minimè ponimus, & ipsi volūt eam nobis impingere, nos tamen negamus eam. Fatemur tamen voluntatem nostrā posse moueri à Deo efficaciter ad opera gratiæ supernaturalia conuersionis, & pœnitentiæ, ita vt cum voluntas præmouetur & determinatur à Deo, simul se ipsam determinet, & agat cum subordinatione ad determinationē causæ superioris, quę est Deus, à qua in omnibus pendet, etiam in modo se determinandi cum accōmodatione ad conditionem, & naturam ipsius voluntatis. Vnde neganda est læsio libertatis ipsius volūtatis, quod præcipuè est verū propter secundum fundamentum, quod à nobis etiā cum auctoribus oppositæ sententiæ susciptur: nimirum: nō posse salua fide negari Deū præstare nobis posse velle & operari, quæ ad salutem spectant: Neque etiam negari posse Deum facere, quòd nos ea liberè velimus, & faciamus, vt ex sacris Literis & Sanctorum Patrum atque Conciliorū decretis diximus supra. Quo fit vt posita efficaci vocatione Dei ex hypothesi verissimum sit certò & infallibiliter sequi hominis conuersionem, & voluntatem determinari à Deo determinatione libera. Et hāc esse sententiam D. Augustini lib. de bono perseuerantiæ cap. 14. dicentis per Dei gratiā certissimè liberari quicunq; liberantur. Est enim diuina prædestinatio nō sola præparatio gratię & beneficiorū Dei, sed talis præparatio gratiæ & beneficiorū, quibus certissimè liberātur quicunq; liberantur. Ex quibus cōstat præter sufficientē gratiam dari aliam efficacē: Quia præparatio gratiæ sufficientis tantū, hæc est communis omnibus etiā reprobis. Et tamen non ob id dixit D. August. lædi libertatem, sed potius perfici. Et Tridentinum Concilium dixit Sessione 6. cap. 11. debere omnes iustos firmissimā spem in Dei auxilio collocare: quia nisi nos ipsius gratiæ defuerimus ipse nunquam deerit. Et non dicit spem nostram ponendam esse in illa dependentia à libero arbitrio, à quo redditur efficax gratia apud aduersarios, nimirum ex ipsa cooperatione liberi arbitrij.

Ex efficacitate gratiæ Dei libertatem nostrā vlla ratione lædi negatur.

Nō ita mouetur volūtas à Deo, vt totaliter ab extrinseco determinetur, sed ita mouetur, vt se etiam moueat, & determinet.

Concilium Tridentin.

Hoc rectè sensit Vega li. 6. in Tridentinū ca. 9. dicens, quòd posita vocatione efficaci ex hypothesi necessariò sequitur, seu infallibiliter hominis cōuersio. Nā si Deus vocat efficaciter eo ipso cōcurrit efficaciter ad cōuersionē facitque nos respōdere, & tūc similiter nos respōdemus, & cōsentimus. Posita tamē vocatione Dei qualicūq; nō sequitur cōuersio: quia potest esse inefficax vocatio. Rursus prēter internā gratiam vocantem requiritur ad pīam actionem, ad consensum, & ad conuersionē aliquod aliud internum donum gratiæ actualis, seu auxilium realiter omninò distinctū ab ipsa gratia interna vocāte. Et saltē ex fide certū est quòd propter vocationem internā requiritur internū au-

Vega in Tridentinum.

xilium, eleuans & corroborans potentias ad consentiendum, & ad pias operationes supernaturales.

QVOD verò posita efficaci vocatione ex hypothesi, sequatur infallibiliter hominis conuersio, ita vt si Deus efficaciter nos vocat, similiter faciat efficaciter nos respondere; & quòd hoc sit maximè consonum Concilio Tridentino; & quòd minimè pugnet cum his quæ dicuntur Sessione 6. cap. 5. & can. 4. & quòd homo liberè vocationi efficaci respondet, ita vt ei dissentire possit, constat: quoniam licèt vocatio Dei consideretur, vt iam est efficax, & ex hypothesi habens infallibilem consensum vnitum, tamen necessitas ex hypothesi actus vel præsentis, vel certò futuri ex infusione auxilij diuini commensurati cum volũtate non pugnat cum libertate simpliciter. Imò verò homo etiam cùm actu respondet Deo, & consentit diuinæ motioni, in sensu diuiso & simpliciter potest non respondere. Quod etiam auctores oppositæ sententiæ negare non potuerunt. Nam Gregorius a Valentia tomo 2. dispur. 8. q. 3. punct. 3. dicit in hæc verba: *Necessitas ex hypothesi actus vel præsentis vel certò futuri non pugnat cum libertate simpliciter. Cùm enim quis respondet eatenus liberè respondet, quia non fuit illi necessariũ respondere, sed potuit vocationem reijcere, & etiam tunc cum respondet, in sensu diuiso, vt dicitur, & simpliciter potest non respondere, vt magis infra declarabimus, cum ostendemus actiones supernaturales, quibus vocationi respõdemus, esse liberas, tametsi requirant auxilium gratiæ Dei efficax, cui ex hypothesi resistì nequit.* Hæc ille: de qua re lege D. Augustinum in Enchiridio cap. 95. Et obserua, quod sicut diuina vocatio ad totam hominis mentem dirigitur, vt videlicet tam per intellectum, quàm per voluntatem respondeat, ita diuinæ vocationi & auxilio, quo Deus efficaciter nos iuuat, & mouet, tribuendum est, quòd intellectu & voluntate respondeamus, cũ conuertimur, & consentimus, neque ob id læditur vllo pacto libertas arbitrij nostri.

Gregorius Valentia.

Diuina vocatio ad totam hominis mentem dirigitur, scilicet tã ad intellectũ, quàm ad voluntatem.

SCIO quosdam ex nouioribus Theologis dicere, quod illa infallibilitas, seu necessitas ex hypothesi respondẽdi tali auxilio inde oritur, quòd quamuis neque obiectum neque actus, neque natura voluntatis per id auxilium mutetur, neque à sua conditione extrahatur: ab initio tamen talis est facta nostra voluntas à Deo, vt eo auxilio incitata ad actum aliquem bonũ supernaturalem, necessarium illi sit talem actũ exercere: eo autem auxilio remoto non necessarium sed liberum.

SED profectò nulla necessitas libertati opposita currit ex positione auxilij efficacis gratiæ Dei: quoniam Deus adaptat voluntatem suo auxilio per cõmensurationẽ cum ea, ne extrahatur à sua libertate, & modo agendi: iuxta illud quod dicit Paulus ad Hebræos 13. *Adaptet vos Deus in omni opere bono, vt faciatis eius voluntatem.*

Ad Hebr. 13.

Ad argumenta seu rationes, quæ fiunt contra sententiam S. Thomæ, pro opinione aduersariorum.

AD argumenta, quæ militant contra sententiam D. Thomæ, & proposita fuerunt post tertiam opinionẽ non longè à principio huius sectionis, respondetur. Ad primũ dico: Quòd si per auxiliũ sufficiens gratiæ non solũ excitantis, sed simul adiuuantis intelligatur gratia adiuuãs efficaciter actuãs volũtatẽ, veluti actus eius primus, sic per tale auxiliũ gratiæ actu adiuuãtis & cooperantis non tantũ potest liberũ arbitrium elicere actum supernaturalẽ liberum, ad quẽ datur illud auxilium, sed etiam de facto eliciet illum. Si verò per gratiã sufficientem intelligas gratiam excitantem & præuenientẽ, hæc enim dicitur etiam adiuuare nos, per hanc tantùm præcisè sumptã liberum arbitrium re vera & de facto non eliciet actum conuersionis, quia semper requiritur efficax gratia à Deo vnitã data per modum principij in ipso auxilio, quod peculiarem vim habeat atque efficaciã, vt voluntatem humanã moueat, & inducat vt consentiat. Nam certè per excitantem gratiã fieri potest prædeterminatio, aut præmotio moralis, quę includit conditionem diminuentem, nõ tamen præmotio efficax verè, & propriè efficiens, quia per moralẽ præmotionem aut determinationẽ videtur posse fieri quędã propensio vehemens, quæ frequenter possit ad effectum perducere, non tamen quæ certò & infallibiliter effectum sortiatur. Vnde suppositâ hac solutione & interpretatione antecedentis negatur consequentia. Et ad probationẽ antecedẽtis similiter respondetur, q̃ in præsenti est nobis sermo de auxilio sufficienti tantũ Theologicè loquẽdo, & nõ Grãmaticaliter aut Logicè, & ob id licèt gratia excitans dicatur sufficiens auxiliũ, tamen quia non includit efficaciã dicitur ineficax aut nõ efficax. Quòd si dicas: Per illud auxilium sufficiens voluntatem constitui in actu primo ad opus supernaturale, aliàs nõ rectè diceretur sufficiens: respõdetur, quòd est illud auxilium sufficiens non quidem adæquatè & immediatè absque aduẽtu efficacitatis, sed dicitur sufficiens mediatè & inadæquatè: Quia si homo non deficiat huic gratiæ, neque resistat, aut ponat obicem, Deus non deerit per gratiam suã efficacem, & omninò adæquatè & immediatè sufficientem.

Ad primũ argumentũ 3. opinionis

Per gratiã adiuuantẽ efficaciter non solùm potest liberũ arbitriũ elicere actũ, sed de facto eliciet illum, minimè verò id fiet p gratiam excitantẽ præcisè.

AD confirmationẽ respondetur, quòd absq; præmotione efficaci homo nõ potest immediatè & proximè actu cõuerti de facto: negatur tamen, quòd illi, quibus non datur de facto hæc efficacia gratiæ & præmotio Dei, careant sufficienti auxilio, quia habent gratiam vocantẽ & excitantem, & primò adiuuantem, cui si non resistant Deus illis minimè deerit, vt eliciant actum fidei, vel conuersionis. Ex quo fit, vt illis possit imputari ad culpam, si non pœnituerint.

Ad Confirmationem.

Obiectio: q̃ non sit in libera hominis potestate sua conuersio.

DICES si necessaria est præmotio efficax propriè efficiens, vt homo consentiat & conuertatur, sequitur, quòd illa determinatio Dei, qua Deus per modũ influxus arbitrium determinat, ita est necessaria, vt sine illo Dei influxu voluntas non possit moueri, saltem potentia proxima & immediata, & immediatè expedita ad opus: sicut ignis non potest calefacere sine Dei concursu. Nam certè multò magis pendet voluntas à diuina motione & à determinatione eius intimius & essentialius in sua actuali operatione, quàm brachiũ aut manus pendeant à voluntate nostra: ergò nisi Deus prius tribuat hãc motionem gratiæ, & prædeterminationẽ, quæ solũ in eius arbitrio & potestate est, sequitur, quòd vel voluntas nõ habet omnia necessaria, vel quòd non est in eius potestate libera conuerti. Atq; adeò determinatio & præmotio voluntatis soli Deo erit libera, non tamen voluntati creatæ, sicut motio manus non est libera manui, sed solùm est libera voluntati: ergò illa operatio, quæ dependet essentialiter à determinatione voluntatis diuinæ, non est in potestate hominis: Nam certè si deficit principium essentiale operandi, & illud haberi non potest, similiter haberi non poterit operatio inde proficiscens, & consequenter non erit libera operanti.

Solutio. Quamuis sine efficaci auxilio nõ habeat voluntas potẽtiam proximã ad opus est tamẽ in ipsius potestate habere eam.

RESPONDETVR negando secundam consequentiam, & concedendo, quòd sine illo influxu actualis gratiæ Dei non habet voluntas immediatam & proximè expeditam potentiam ad opus: nihilominus tamen esse in potestate hominis habere illam determinationem à voluntate Dei, si homo iam præuentus non resistat, aut ponat obicem, vel sese diuertat ad alia negotia secularia: Quia si homo non deficiat gratiæ Dei, neq; Deus deerit illi per efficacem gratiam. Et quantum ad hoc liber est homo, & non indiget nouo Dei concursu, nisi aliàs magnis tentationibus cõcuteretur. Vnde S. Thom. de malo, q. 3. art. 2. dicit, quòd ad recipiendum influxum & motionem Dei non requiritur in homine aliqua dispositio positiua, sed sufficit, vt posita vocatione Dei & gratia eius excitante, quæ reddit hominem quiuocatur attentum, quòd non sit rebellis, neque ponat obicẽ Deo, neq; deficiat gratiæ ipsius. Sic enim fiet, vt culpa ipsius hominis sit, & per ipsum stet, quòd nõ præmoueatur à gratia Dei infallibiliter, quæ motio & determinatio ad opus est verè libera: quia in potestate eius est, si non resistat, vel nõ deficiat gratiæ Dei, talis motio diuina, & determinatio. Propter quã causam Caietanus 1. parte, q. 19. art. 8. dixit voluntatem nostram liberè vti motione Dei, quia cum excitatur & vocatur à Deo per auxilium gratiæ actualis liberè non resistit, & liberè non ponit obicem, neque deficit gratiæ Dei, neque se diuertit ad alia negotia secularia. Ferrara li. 3. contra Gentes cap. 159. explicans D. Thomã dicit de mente illius, quòd illa propositio. Nulli imputatur quod ab alio dependet. est falsa, quando defectus non est ex parte eius à quo illud dependet, quin illud habeatur, sed ex parte recipientis ponentis impedimentum voluntariæ illius receptioni. Sic autem dicit accidere, quando quis gratiam non accipit, & quòd ob id non est absque eius imputatione. Quam rem fusè explicat ibidem & legendus est. Et per hæc patet solutio ad ea quæ replicantur pro eodem primo argumento.

Caietanus.

Ferrara.

Solutio 2. argumenti.

AD secundũ argumentũ respondetur. Quòd posita illa præmotione efficaci Dei, per quam arbitrium cõstituitur in actu primo immediato & adæquato ad opus, seu ad conuersionem, simul ponitur ipse actus liber conuersionis, vel pœnitentiæ, non pro aliquo priori in quo sit, & existat verè determinatio voluntatis ex Dei auxilio per modum actus primi, in quo non sit actus conuersionis & consensus: quia in hoc sensu simul sunt: sed nihilominus in aliquo priori causalitatis dicitur prius attingi à Deo quàm à nostro arbitrio, quia quamuis simul in eodẽ momento à Deo & ab arbitrio nostro attingatur consensus noster, & conuersio nostra, tamen, quia voluntas nostra attingit huiusmodi actus dependenter à motione causalitatis diuinæ, idcircò prius natura dicitur Deus attingere, quã arbitrium nostrum. Neque dici potest ex hoc sequi ante actionẽ nostri liberi arbitrij iam esse productum à Deo actum conuersionis aut pœnitentiæ: Et ex consequenti liberum arbitrium creatum nihil efficere. Nam Deus mouet arbitrium nostrum infundendo illi principiũ agendi, quo attingat effectum, & actionem simul cũ ipso, & dependenter ab eo in ratione causandi & agẽdi. Si verò in aliquo priori existeret actus antecedenter ad actionẽ liberi arbitrij, tunc nõ esset sola naturæ prioritas, sed alicuius durationis aut instãtis. Et quãdo dicitur, quòd inter potẽtiam sufficienter constitutã in actu primo, & ipsum actũ secũdũ, qui est operatio actualis nullũ mediũ potest intelligi. Respondetur, quòd si potẽtia intelligatur sufficiẽter cõstituta in actu primo omnino adæquato proximo & immediato respectu operis cũ quo inseparabiliter vnitur, tũc nullum mediũ intercedit: sed in eo casu auxiliũ illud sufficiẽs, quo constituitur arbitriũ nostrum in actu primo, includit efficaciã gratię actualis Dei, à qua habet adæquatam rationem actus primi proximi & immediati. Quo fit vt inter auxilium sufficiens non efficax, quod non habet adęquatam rationẽ actus primi proximi, & ipsum actum secundum mediet & intercedat efficacia gratiæ, per quã gratia Dei actualis habet adæquationem & inmediationem cum actu secũdo. Vnde negatur consequentia argumenti, nimirum quòd non sit necessaria gratia actualis efficax, quæ in ipsum liberum arbitrium à Deo infundatur: nam tunc solùm liberum arbitrium perfectè constituitur in actu primo proximo, immediato, & adæquato cum actu secũdo. Ad probationem consequentiæ, & ad illa quæ ibi replicantur sufficienter ibidem respondetur. Nam certè præmotio diuina, quæ tunc est, cùm à Deo producitur illud auxiliũ gratiæ

Attingit volũtas nostra dependenter à motione causalitatis D. suos actus.

Inter auxilium sufficiens nõ efficax & actum 2. mediat & intercedit efficacia gratiæ.

actus

actualis per modum actus primi, non solùm habet pro termino gratiam & eleuationem voluntatis ad actum secundum, sed etiam ipsum actum secundum, & actionem liberi arbitrij nostri: & idcircò intelligitur optimè dependentia, & prioritas naturæ respectu arbitrij nostri ad actum secundum.

Solutio ad 3. argum. Sola prioritas causalitatis, qua antecedit efficax auxilium, nõ tollit liberum consensum.

Ad tertium respondetur negando minorẽ: quia sola prioritas causalitatis & naturæ, quæ ponitur propter dependentiam agendi ex infusione gratiæ actualis efficacis, non tollit, quòd homo liberè operetur, & liberè consentiat, nõ resistendo neque obicem ponendo. Nam certè si homo, sicut potest ex se obicem ponere, non ponat, aut non resistat, in hoc includitur virtualiter consensus liber voluntatis nostræ. Posita autem efficaci motione Dei, facta quidem hac hypothesi & suppositione, in sensu cõiuncto, & composito non stat eam esse & poni, & hominem nihil agere, quia hoc habet manifestã implicationem. Et illa Dei præmotio inseparabiliter trahit coniunctam nostram actionem liberam, quæ solet dici necessitas suppositionis & consequentiæ minimè libertatem lædens, cùm talis gratia actualis efficax proprie efficiens & mouens commensuretur à Deo, & aptetur iuxta conditionem & modum agendi liberum voluntatis. Deus enim agit, & mouet voluntatem etiã efficienter propriè, sicut ipsa apta nata est agi, & moueri cum suo modo libero, vt sic liberè operetur: nam certè cum mouet causas naturales secundas, mouet eas cum suo modo necessario, & cum suo specifico & indiuiduali ad suos determinatos effectus, etiã in specie. Quid igitur mirum si Deus moueat voluntatem cum suo modo libero, cũ ipse sit auctor illius, factor, & creator, & qui intimè in ea est, & à quo ipsa etiam in ratione liberè agendi, omninò & omnibus modis pendet in omnibus actibus bonis, maximè in supernaturalibus? Quocirca præter concursum causæ primę, quę est Deus, aliud auxilium requiritur ex parte principij ad supernaturales actus, imo præter excitantem gratiam, qua sola nunquam voluntas præmouetur, & prædeterminatur efficienter propriè ad actum conuersionis vel pœnitentiæ, &c.

Nulla est implicatio quòd voluntas creata prædeterminetur à Deo sua gratia, & quòd maneat indifferens, & cũ potestate ad oppositum.

Ad replicam dico, nullam esse implicationẽ contradictionis, quòd voluntas creata præmoueatur determinatè præmotione libera, & quòd maneat nihilominus indifferens, hoc est cum potestate ad oppositum, quamuis de facto nõ resistat, aut ex suppositione & hypothesi in sensu composito non possit, licèt absolutè possit. Nam etiam hoc concedunt auctores oppositę sententiæ de gratia actu adiuuante & cooperante, quæ inest voluntati. Vnde sicut non repugnat libertati electio Dei ante præuisa merita, multo minus prædeterminatio libera, quæ fit cum conferentia & collatione & cum deliberatione. Quoniam Deus potest prædefinire actum liberum, & infallibiliter facere, vt liberè fiat, vt etiam concedunt aduersarij nostri, præcipuè Suarez: quod potissimè est verũ de actibus supernaturalibus. Est enim incredibile & parũ consentaneum scripturis, Deum nunquam prædefinire absoluta voluntate effectum exequendum per actus liberos, quod tamen sequitur ex sententia aduersariorum, præcipuè ex illa, quæ negat Deum potuisse eligere prædestinatos ad æternã vitã ante præuisa merita, quia per actiones liberas sunt illam cõsequuturi. Ex quo etiã sequeretur Deum non potuisse eligere efficaciter Beatam Virginem in matrem suam, maximè ante præscientiam absolutam liberi consensus eius futuri, quia per ipsum consensum ventura erat in hanc dignitatem ex diuina dispensatione: ad quem sane consensum præstandum præuenta & præmota est Virgo Sanctissima per gratiam excellentissimam & efficacissimã, quæ idcircò data est illi, quia eligebatur in matrem Dei: vnde huiusmodi electio non solùm antecessit præscientiam illius consensus, sed etiam fuit radix & origo gratiæ à qua ille consensus liber processit. Eadem ratio militat de electione Apostolorum: quoniam illi non sunt consecuti talem dignitatem, nisi medio libero consensu: & nihilominus Christus Ioann. 15. dixit de illis. *Non vos me elegistis sed ego elegi vos.* Quia quamuis re vera Apostoli elegerint sequi Christum, tamen quia ipsa electio Dei antecessit, ipsa etiam verè fuit causa & origo gratiæ & vocationis efficacis, per quam ipsi Christum elegerunt: Et hæc est causa cur Christus sibi attribuit electionem illam, vt egregiè adnotauit D. Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 17. Et sanè negari non potest vllo pacto quòd illa gratia, & vocatio, quæ in prædictis exemplis data est ad talem consensum liberum, procedat ex voluntate efficaci & absoluta Dei, intendentis illum finem, nimirum Incarnationẽ & Conceptionem Filij Dei ex tali Virgine & fœmina, & assumptionẽ ad Apostolatum istorum vel illorum hominum. Et non potest responderi intentionem illam solùm esse conditionatam, vt de se constat: & consequenter sequitur, talẽ electionem esse efficacem, de qua constat non læsisse libertatem arbitrij. Huic rei attestatur testimonium Augustini in Enchir. cap. 95. dicentis: *Quis tam impie desipiat, vt malas hominum voluntates neget Deum posse conuertere, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit?* Quo in loco loquitur euidẽter Augustinus de efficaci & absoluta voluntate, quæ infallibiliter habet effectum, & non dicit per hoc lædi libertatem: & consequenter etiam non lædi per illam prædeterminationem & præmotionem Dei ab eo factam in executionem electionis suæ, vt suauiter & fortiter cum suo modo libero moueatur voluntas.

Ioann. 15.

D. Augu.

Est etiam egregium testimonium ad rem hanc ostendendam lib. de corrept. & gratia ca. 14. ex D. Augustino, dicente: *Deo volenti saluũ facere nullum hominum resistit arbitrium, sic enim velle vel nolle in volentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Ex qua Doctrina D. Augustini colligo, quòd

Præmoueri voluntatẽ ab agẽte infinito in potestate & in sapiẽtia nõ arguit necessitatẽ cũ læsione libertatis.

præmoueri voluntatem ab agente infinito, nõ solùm in efficacia & potestate, sed etiam in sapientia, prouidentia & dispositione, atque modificatione rerum, & modo agendi earum, non arguit necessitatẽ cum lęsione libertatis & cõtingentiæ in libero arbitrio: siquidem D. Augustinus quamuis copulet liberum arbitrium cum voluntate absoluta Dei, & cum potestate infinita eius, per hoc neque dixit, neq; sensit lædi libertatem arbitrij nostri. Sed cum Deus determinat voluntatem nostram, certum est verè ipsam ad vnum determinari, non sanè determinatione necessaria, sed determinatione libera cum potestate ad oppositum, vt superius explicuimus. Et hoc probant testimonia citata S. Thomæ in argumento.

Et quando vltimo loco in argumento seu confirmatione dicitur, quòd voluntas non determinat seipsam: negatur hoc: Nam licèt ipsa non producat efficienter ipsam entitatem auxilij efficacis, tamen præstat consensum liberum cùm à Deo illi infunditur, & sua actione tam formaliter, quàm efficienter se determinat voluntas, agendo, & operando, & se conuertendo. Vnde negatur, quod solùm spontaneè moueatur, præcipuè cùm illa gratia Dei moueat voluntatem ex collatione & conferentia quæ præintelligitur.

Ad 2. confirmationẽ.

Ad secundam confirmationem respondetur, quòd si Deus vellet necessitare voluntatem sine dubio eam ageret efficienter, exploso & repulso modo libero agendi eius, & sine coaptatione suaui gratiæ actualis ad libertatẽ eius vt sic, & sine conferentia & collatione vlla, in qua fundatur libertas, & à cuius exercitio pendet vsus libertatis, & diuina præmotio, & prędeterminatio, de qua agimus, & loquimur, non repellit hæc, sed potius includit, cùm dictum sit Deũ mouere voluntatẽ cum suo modo libero. Hoc etiam sensit D. Augustinus loco citato de correp. & gratia cap. 14. vbi extollens Augustinus quantum possit Deus circa voluntates hominum, vt liberæ sunt, & quantuncunque liberæ, ait. *De ipsis hominum voluntatibus facit quod vult, & quando vult, habens humanorum cordium quo voluerit inclinandorum omnipotentissimam potestatem.*

D. Basili.

Divvs Basilius in oratione sacri altaris, vt refert Petrus Diaconus lib. de incarnatione & gratia cap. 8. ait. *Dona Domine virtutem ac tutamentum, malos, quæsumus, bonos facito, bonos in bonitate conserua: omnia enim potes, & non est qui contradicat tibi, cum enim volueris saluas, & non est qui resistat tibi.* Simile habetur Isaiæ. 14.

Isaiæ. 14.

iurauit Dominus exercituum dicens. Si non vt putaui ita erit, & quomodo mente tractaui ita eueniet. Et post pauca. *Dominus enim exercituum decreuit, & quis poterit infirmare?* Ecce quo nam pacto hæc non necessitant voluntatem hominis, sed efficiunt eam certò & infallibiliter peragere suas actiones, cùm Diuus Augustinus dicat Deum habere omnipotentissimam potestatem humanorum cordium seu voluntatum quo voluerit inclinandarum: & loquitur de voluntatibus hominum vt liberæ sunt: & ob id adducuntur verba Diui Ambrosij: Deus quem vult religiosum facit.

Ad 3. confirmationẽ.

Ad tertiam confirmationẽ respondetur cõcessa maiori, negando minorem: quia prędmotio Dei efficax & propriè efficiens determinat voluntatem & liberum arbitrium ad agendum, sed determinatione libera: quia absolutè adhuc potest in oppositum, quamuis facta hypothesi nõ stent simul illa duo de in esse, nimirũ, quòd voluntas efficaciter moueatur à Deo vt operetur, & quòd ipsa de facto non agat, neque operetur videlicet in sensu coniuncto & composito. Et simile dicitur de gratia cooperante & adiuuante, quæ inhæret voluntati: quia hæc tantùm dicitur necessitas ex suppositione & hypothesi, quę potius dicitur infallibilitas. Vnde negatur, quod liberum arbitriũ non præmoueatur prius prioritate naturæ & causalitatis. Et quãdo obijcitur Concilium dicere, quòd voluntas potest abijcere diuinã motionẽ, & ei dissentire, apertè supponit illã motionẽ adesse & intendere, quòd etiam ex suppositione & in sensu composito cuiuscunque motionis præuenientis cõtensum liberũ possumus nõ consentire. Hoc nobis non obstat: quia etiã in sensu cõposito fatemur manere in volũtate potestatẽ ad oppositũ, quia cum liberè consentiat & conuertatur, negari nõ potest quin relinquatur potestas in ipsa ad oppositum. Sed non ita vt quantum ad propositiones de in esse ambæ sint verę, videlicet: Deus mouet voluntatem efficaci gratia, & voluntas de facto re vera non mouetur, neque conuertitur, quamuis possit non conuerti, vt egregiè animaduertit Stapletonus, & cum eo etiam nouiores Theologi.

Etiã in sensu composito manet in nostra voluntate potestas ad oppositum.

Ad 4. argumentum.

Ad quartum possumus negare antecedens: & licèt concedatur, nihil ex tali cõcessione infertur contra libertatem arbitrij, sicut neq; infertur læsio vlla in actionibus liberis ordinis gratiæ. An verò in actibus bonis moralibus ordinis naturæ Deus influxu naturali applicet voluntatem nostram, & prædeterminet in eodem ordine, nos fusè disputauimus 1. 2. q. 111. qui locus est legendus. Nunc verò satis sit scire, quòd etiamsi Deus determinet voluntatem in actibus moralibus bonis ordinis naturę semper voluntas manet illęsa.

Ad confirmationem.

Ad confirmationem nobis certissimum est Deum non prędmouere ad peccatum, sicut alibi fusè ostendimus 1. 2. quæst. 111. & 1. parte, q. 22. ar. 4. disput. vnica, non enim militat vtrobique par ratio de actibus bonis & de malis seu peccaminosis. Primò, quia homo non subordinatur Deo vt peccans est, sicut subordinatur Deo vt est benè agẽs. Rursus Deus non est causa peccati neque prima, neque secunda, neque per se, neq; per accidens, homo verò est vere & propriè causa sui peccati, & in peccãdo minimè subordinata Deo. Tertiò Deus neq; excitat neque vocat, aut inuitat ad malũ actum peccati, sicut excitat, & vocat ad bonum actum conuer-

Peccata nõ prædeterminantur nec prædefiniũtur à Deo: & quæ sint huius rationes.

sionis

sionis & pœnitentiæ. Quartò, quia Deus prohibet peccata, & actiones malas, quæ sunt contra legem & præcepta eius. Et quidem leges prohibentes peccata ne fiant ab hominibus prohibent etiam actiones peccaminosas & pravas moraliter. Quintò, quia Deus non est causa moralis cõsilians neque præcipiens vllo pacto actus pravos, & solùm dicitur causa naturalis actionum. Sextò, quia Deus est prima bonitas per essentiam, ac proinde non potest illi subordinari actio mala vt sic, neque homo vt pravè & malè agens. Cum igitur hæc tam diuersa sint & intercedant inter actus bonos & malos non oportet consequenter loqui de actibus malis & peccaminosis sicut de actibus bonis, & consequenter negandum est Deum prædeterminare & prædefinire odium Dei, aut volitionem iurandi, aut similes actiones malas.

Ex hac doctrina satis constat obiectiones alias contentas in argumento contra eos quiputant Deum posse prædefinire peccata quoad materiale & quoad actiones ipsas potius militare pro nobis & pro nostra sententia, quàm contra nos. Vnde ex argumentis factis minimè conuincitur vllo pacto lædi libertatem hominis ex efficacitate diuinæ gratię præmouentis arbitrium nostrum.

Ad alia quinque posteriora argumenta aduersariorum solutio.

Ad reliqua posteriora argumenta, quæ pro Suarez & suis militant, restat vltimo loco respondere, in cuius opinione, si omnia quæ scripsit, expendenda sunt, multa inuenientur pugnãtia, quæ incidenter nos retulimus in discursu huius sectionis. Et in primis ille concedit Deum posse prædefinire actum liberum humanæ voluntatis absolutè faciendum, & per hoc non lædi libertatem, in qua re pro nobis & pro nostra sententia militat, sed contra se. Imò verò sentit contra aliquos suæ familiæ, non repugnare præelectionem absolutam ante præuisa opera & merita, cũ libertate, quod nos etiam dicimus, atque adeò non esse impossibile Deo salua libertate arbitrij ipsius hominis prędestinare & præeligere ante præuisionem omnium operum, imò verò dicit hoc esse maximè consentaneum modo loquendi Scripturæ, in qua hęc efficacitas diuinę voluntati tribuitur, vt possit mouere & moueat humanam voluntatem, quo ipse Deus voluerit, & ad hoc adducit illud Prouerbiorum 21. *Cor Regis in manu Domini quocunque voluerit vertet illud*. Rursus adducit illud Diui Augustini, de correptione & gratia, capite 14. *Volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium: sic enim velle vel nolle in volentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem*. Et infra. *De ipsis hominum voluntatibus facit quod vult, & quando vult, habens humanorum cordium quo voluerit inclinandorum omnipotentissimam potestatem*. Et dicit per huiusmodi electionem ante præuisa merita sicut per prædefinitionem absolutam Dei minimè lædi libertatem, etiamsi hæc sint ante præuisionem operum. Quod qua ratione cohæreat cum sola morali præmotione, & cum sola certitudine morali respectu operationum, quæ prædefiniuntur, & quæ certò & infallibiliter debent esse futuræ, non satis benè percipio, quidquid ipse dicat, si sistendũ esset in sua opinione, quoniã certitudo moralis non est talis cui nõ possit subesse falsum, neque habet omnimodam infallibilitatem. Præterea non satis benè intelligitur, quod sit medium, quo etiam supposita scientia media conditionata, infallibiliter cognoscantur futura libera, si infallibilitas huius cognitionis solùm sit moralis: Quia, vt ipsi etiam auctores fatentur, quamuis moralis infallibilitas sufficiat vt homo simpliciter iudicet talem effectum contingentem esse futurum posita tali causa, non tamen vt Deus ita simpliciter iudicet, quia diuinum iudicium, ita est infallibile, vt implicet contradictionem esse falsum, aut Deum decipi in eo. Moralis autem infallibilitas, quæ ex vi solius causæ moralis procedit, non potest ad tantam infallibilitatem peruenire vt implicet contradictionem. Et ob id sola moralitas non efficit infallibilitatem prorsus. Quare prædictus auctor videns se oppressum in hac re, semper confugit ad salices, & ad scientiam suam conditionatam, iuxta quam, vt ipse putat, facilè defendit, posse Deum intra se absoluto & efficaci proposito decernere, vt in particulari & cum talibus circunstantijs, fiat aliquis actus in tempore ab arbitrio hominis, prius ratione quàm præsciat talem actum esse absolutè futurum: & prius ratione in ordine finis quàm velit applicare media, vel dare auxilia, per quæ talis actus est futurus, quamuis non sine illis, vel aliquo illorum: & hoc dicit esse prædefinire talem actum conseruata eius libertate. De qua re dicemus fusius sectione secunda sequenti.

Verum antequam ad responsiones argumentorum descendamus, suppono auxilium efficax gratiæ actualis Dei, datum & infusum à Deo per modum actus primi suauiter aptatum, quamuis fortiter, ab ipso Deo infundente, ita determinare propriè voluntatem, vt simul determinet eã ad actum secundum, cum pręcisa solius naturæ prioritate, seu cũ prioritate causalitatis, quam habet auxilium illud efficax gratiæ actualis Dei: per quam prioritatẽ naturæ & causalitatis, quę non est ante actum secundum, quantum ad durationem, sed simul in eodem momento & instanti cum eodem actu secundo libero, non lęditur vsus libertatis quoad exercitium in eo actu. Quare quòd fiat prædeterminatio in volũtate per aliquid quod se habet per modum principij & per modum actus primi in ordine ad actũ secũdũ, cuius est

Quòd p nobis, licèt cõtra se & suos, loquatur Suarez.

Ex sola moralitate haberi non potest infallibilis certitudo.

Suppositio prima.

Prioritas auxilij efficacis nõ est prioritas durationis: sed solũ naturæ & causalitatis.

causa, quia constituit voluntatem in statu completo & adæquato ad agendum, hoc sicut potius perficit voluntatem ad opera supernaturalia quàm lædat ita non aufert ab ea vsum liberum. Nam auxilium illud gratiæ, quod vt venit à Deo determinat voluntatem non est ipsum solum totum principium actus, voluntatem excludens, sed potius dum eam eleuat vt operetur ipsam includit: quæ sanè ex se non est determinata ad vnum, ac proinde actus eius non est necessarius, necessitate oppositæ libertati. Vnde auxilium illud efficax gratiæ actualis Dei contemperatum libertati voluntatis, quia suaue est ponitur in ea, ita vt volũtas subijciatur auxilio gratiæ: & præterea ita vt ipsa gratia quatenus efficit vnum principium cum voluntate ad actum secundum pendeat, & quasi subijciatur vsui libero eius, quod totum ex dono Dei procedit. Itaque voluntas affecta auxilio illo per modum actus primi liberũ habet vsum, à quo in exercitio suorum operum pendet cum respectu & ordine, quem habet voluntas ad Deum ratione dependentiæ, quam in eodem vsu habet ab ipso Deo. Negandũ igitur est voluntatem ita totaliter omni ex parte esse determinatam ad vnum antecedenter, & omninò indepẽdenter, sine connexione à libertate eius, & à collatione, & conferentia, & deliberatione ipsius liberi arbitrij.

Habet voluntas affecta auxilio liberũ vsũ, quamus in eodem habeat ab ipso Deo dependentiam.

Suppositio secunda.

SVPPONO secundò voluntatem nostram cum prẽmouetur per morale auxilium, quod traditur præcisè ab auctoribus oppositæ sententiæ: etiam prẽmoueri efficienter proprie: nã auxilium morale, quod Deus præbet præmouendo hominem ad conuersionem & consensum, etiam habet entitatem physicam: Quoniam illa moralitas illuminationis & illustrationum, & persuasiones illæ, atque excitationes & motiua rationum cum ostensione bonitatis obiecti, & cum vniuersis persuasionibus quibus præmouetur, & prædeterminatur voluntas: hæc omnia esse non possunt si non habeant fundamentum physicæ entitatis, & nisi habeant simul coniunctam efficientiam propriam ipsius agentis & prẽmouentis: dum hæc omnia auxilia moralia prẽbet. Itaque entitas prẽmotionis moralis, dum recipitur in voluntate, secum adducit fundamentum suæ entitatis, quod physicum esse debet, & voluntatem determinans, eam informando, àqua non tollit facultatem suspendendi actum suum, aut resistendi.

Auxilium morale etiã habet physicam entitatem.

Suppositio tertia.

SVPPONO tertiò, quòd tam in sensu diuiso, quàm in sensu composito semper voluntas est libera libertate oppositæ necessitati. Quod verò dicitur ex hypothesi gratiæ adiuuantis & cooperantis, voluntatem agere ex necessitate suppositionis, nõ est dicere, quòd agat necessariò necessitate oppositæ libertati, sed tantùm est dicere quòd non stant simul illa duo, nimirum gratia actualis efficax præmouens & cooperans, & quòd voluntas non cooperetur, quia hoc habet manifestam implicationem.

Quocirca cùm Tridentinũ Conciliũ dicat: Liberũ hominis arbitrium à Deo motum & excitatum ita agere & cooperari dum consentit, vt possit dissentire si velit, intelligit, voluntatem posse dissentire, ex eo quod libera est, & sui iuris domina, etiam cum mouetur, & in sensu composito: non tamẽ ita, vt si moueatur efficaciter à Deo per auxilium gratiæ cooperantis & adiuuantis, ipsa de facto non cooperetur & resistat: hoc enim non admittit D. Augustinus affirmans Deo volenti saluum facere nullum hominum resistere arbitrium: Quia sic velle vel nolle in volentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem: lib. de correptione & gratia, cap. 14. Et iterum: De ipsis hominum voluntatibus facit quod vult, & quando vult, habens humanorum cordium quo voluerit inclinandorum omnipotentissimam potestatem. & in Enchir. cap. 95. Quis tam impiè desipiat, vt dicat Deum malas hominũ voluntates, quas voluerit, & quando voluerit, & vbi voluerit, in bonũ nõ posse cõuertere: aliàs quomodo erit verum quod in psalmis dicitur: Omnia quæcunque voluit fecit, si aliqua voluit & non fecit, & quod est indignius: ideò non fecit: quoniã ne fieret quod volebat omnipotens voluntas hominis impediuit? Quo in loco loquitur Augustinus apertè de voluntate efficaci & absoluta Dei. Vnde semper est verũ, quòd licèt voluntas liberè agat siue in sensu diuiso siue in composito, tamen ex hypothesi & suppositione, quòd efficaciter præmoueatur à Dei gratia non stant illa duo, quòd ponatur hypothesis & suppositio, & quòd ipsa resistat.

Tam in sensu diuiso quàm in composito volũtas est libera libertate opposita necessitati.

NEGARI etiam non potest quin si fieret sermo de gratia tantùm excitante & mouente, quòd huic auxilio vocanti & excitanti voluntas potest resistere: hanc enim inspirationem & illuminationem liberum arbitrium abijcere potest illique dissentire, vt apertè Tridentinum Concilium Sessione 6. capite 5. & canone 4. dixit. Imò verò sæpè de facto resistit: itaque verisimum est Tridentinum Conciliũ loqui de motione excitante cui volũtas hominis potest resistere. Hæc tamen motio excitãs non est quæ efficaciter determinat voluntatẽ. Imò verò potest tempore præcedere consensum: at verò auxiliũ gratiæ efficacis præmouẽtis natura tantũ non tempore antecedit cõsensum, & potest dici, quòd pertinet ad gratiã adiuuantem per modum principij ad præstandũ liberum consensum: & licèt huiusmodi gratia actualis efficax præmouens prout infunditur, & producitur effectiuè à solo Deo posset dici gratia operans non tamen excitans solùm, tamen quia habet sibi coniunctum inseparabiliter & infallibiliter actum secundum, dicitur etiam cooperans, quæ quatenus est in ipsa volũtate inhęsiuè & per modũ actus primi determinat volũtatem, sed determinatione libera vt dictum est. Hac etiam gratia existente in voluntate voluntas est libera, & potest sicut peccare, ita etiam resistere: nam ita trahit & mo-

Nõ solùm voluntas potest resistere gratiæ excitãti & vocãti, sed de facto sæpe resistit.

uet liberam voluntatem, vt illam liberam relinquat, hoc est cum potestate ad oppositum & cum potestate liberè consentiendi.

Quacũque suppositâ præmotione in libero arbitrio manet semper potestas resistendi ipsi.

Quo fit vt Tridentinum Concilium nõ solùm doceat de ratione libertatis esse potestatem ad resistendum cuiuis motioni liberæ non necessitanti ad consensum necessitate opposita libertati, sed etiam nullam præmotionem antecedentem ex his de quibus nunc loquimur ita determinare arbitrium nostrum, vt in eo non relinquat potestatem resistendi motioni, si libertas in ipso libero arbitrio manet. Nam quãuis, cùm Deus operatur per voluntatem actum secundum, operetur cum quodam dominio voluntatis, iuxta sententiam D. Augustini dicentis, quòd voluntas nostra magis est in potestate Dei, quàm in potestate nostra, tamen voluntas ipsa vt libera est semper operatur cum dominio sui actus. Hæretici verò duo negant, præsertim Lutherani, vt dicit Ruardus Tapper. Primum, voluntatem efficere actum suum, quia dicunt merè passiuè se habere, & hoc patet expressè ex litera ipsius Concilij. Secundò, consequenter loquentes ad hoc negant libertatem voluntatis: nam certè hoc secundum sequitur ex primo: si enim voluntas non efficit operationem vllam, sequitur, quòd non liberè agit, & quòd merè passiuè se habet. Et idcircò fatemur, quòd sicut non aufertur libertas à voluntate per gratiam efficacem, quæ illi datur, & suauiter infunditur iuxta modum liberum eius, ita etiam cùm voluntas ipsa nostra libera sit, & deficere possit, necessaria est potestas resistendi cuicunque motioni gratiæ liberè determinantis voluntatem: Nam quamuis quoad propositiones de in esse non stent simul illa duo, nimirum actualis præmotio efficax cum actuali dissensu, tamen propter libertatem ipsius voluntatis stant simul hæc alia duo, videlicet efficax præmotio, & potestas resistendi, aut ponendi obicem, & potestas etiam abijciendi motionem: quod, vt notauit Stapletonus, solerter dixit Tridentinum Concilium Sessione 6. canone quarto, cùm dixit, liberum hominis arbitrium à Deo motũ & excitatum posse dissentire si velit: quoniam cum recipit Dei motionem, & mouetur, & excitatur cum potestate ad oppositum seu cum potestate resistendi. Et ex his patet qualiter sit consequenter loquendum de sensu composito, & de necessitate ex hypothesi seu ex suppositione, iuxta ea quæ fusè dicta sunt in superioribus.

Ad primũ argument. secundi ordinis.

His ita prælibatis ad primum argumentũ pro nouioribus Theologis factum respondetur, præmotionem illam efficacis gratiæ Dei necessariam esse ad prædeterminationem liberam voluntatis, & vt actum secundũ exerceat: nam voluntas intimè & essentialiter dependet tum propter defectum virium, tum etiam propter dependentiam in agendo, & subordinationem ad primum auctorem gratiæ ab ipso vt præmouente & determinante, & à sua motione & determinatione gratuita. Et per hanc efficacem Dei gratiam præmouentem dicitur voluntas habere proximam immediatam & expeditam potentiam ad opus adæquatè. Et quando infertur in argumento: ergò toto tempore, quo Deus non tribuit hanc motionem, non est positum in potestate voluntatis velle vel operari, quia non est in potestate voluntatis habere talem motionem vt velit: ergò nunquam ipsum velle est in potestate eius, nisi Deus prius premoueat, &c.

Respondetur, auctores oppositæ sententiæ teneri pariter ad soluendum hoc argumentum, quia pariter militat contra eos, sistendo in opinione eorum. Nam efficacia gratiæ, iuxta opinionem aduersariorum, consistit in hoc, quòd Deus velit vocare hominem illo tempore & modo quo nouit illum esse consensurum, vocando inquam secundùm quandam congruitatem ad conditionem, ingenium, & naturam eius, qui vocatur, sine qua nemo conuertitur: sed hæc vocatio congruatali tempore & modo data solùm est in potestate libera Dei donantis eam, atque adeò solùm est libera Deo, cùm ex ipsius libera voluntate pendeat eam donare, vel non donare huic vel illi homini: ergò simili modo possemus inferre contra aduersarios, quòd non est in potestate nostra illa gratia vocationis cum congruitate loci & temporis, quia non est in potestate nostra facere vocationem hanc: Nam quid faciet homo, vt Deus vocet illum tempore oportuno, quo prænouit illum esse consensurum.

Pari modo tenẽtur soluere hoc argumen. aduersarij sicut nos.

Hvic obiectioni putant auctores oppositæ sententiæ se satisfacere dicendo esse disparem rationem de gratia efficaci seu vocatione efficaci morali explicata prædicto modo quo ab eis defenditur, & de gratia efficaci præmouente propriè efficienter liberum arbitrium: quòd gratia efficax præueniens vsum liberi arbitrij, prout explicatur ab ipsis, non requirit rem aut motionem aliquam inter auxilium sufficiens non efficax & ipsum actum secundum voluntatis, at verò gratia efficax, prout à nobis constituitur, ponit quidem gratuitam motionem efficacem præmouentem à sufficiente distinctam. Sed profectò hoc nihil est: Quia adhuc semper manet difficultas, quòd illa vocatio, quæ liberè conceditur à Deo illo tempore & loco secundùm congruitatem cum ingenio & natura hominis, quæ dicitur congruitas in actu primo, illa quidem à sola diuina voluntate pendet, & non subijcitur libero vsui voluntatis. Nam quid faciet homo, vt Deus illum vocet tempore oportuno, quo prænouit illum consensurum? Vnde hoc liberum est Deo, non homini, cùm non subijciatur vsui libero eius. Et tamen prædicta vocatio efficax est necessaria ad singulos actus in re efficiendos. Sed nihilominus præfati auctores respondent, quòd quamuis prædicta vocatio efficax, sit necessa-

Quid respõdeãt aduersarij.

Non placet.

ria ad singulos actus in re efficiendos, non tamē ad potestatem faciendi. Sed certè si hæc solutio illis fauet, cur non nobis? Vnde Diuus Augustinus de correptione & gratia cap. 11. & 12. dicit dari auxilium ad posse perseuerare, distinctum ab auxilio ad perseuerandum actu & de facto.

SANE adhuc difficultas videtur permanere in sua vi: Quoniam posito huiusmodi auxilio vocationis tali tempore & loco, à quo pendet, quòd Deus præsciuerit, quòd Petrus sit hoc vel illud facturus, vel acturus: hoc adhuc posito, nullo modo est in potestate Petri quòd hoc vel illo tempore vocetur, neque est in potestate Pauli, quòd alia vocatione vel alio oportuno tempore vocetur: & tamen hinc pendet tota salus Petri vel Pauli. Hoc autem est maximè necessarium, vt homo habeat efficacem gratiam: Igitur sine hoc nihil sufficit: ergò neque efficacia gratiæ, neque sufficientia est in hominis potestate ac libertate ad suam salutem.

HIC est punctus in quo aduersarij nescierunt respondere. Nam dicunt in hoc maximè habere locum illud Pauli ad Romanos nono. *Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis.* & illud primæ Corinthiorum quarto. *Quis enim te discernit?* Quoniam posita illa hypothesi, re vera ex sola Dei voluntate prouenit talis discretio, quia licèt verum sit quòd in potestate hominis est operari cum tali vocatione, à qua pendeat Deum præscire an Petrus hoc vel illud sit facturus, vt volunt auctores oppositæ sententiæ, nihilominus etiam hoc posito vt diximus, nullo modo est in potestate Petri, quod hoc vel illo tempore & loco oportuno vocetur, ex quo pendet tota salus huius hominis. Vnde difficilius est argumētum contra eos quàm contra nos.

Ad Romanos 9. Corinth. 4.

SED ad hoc dicunt aduersarij, quòd hinc nec minuitur potestas obtinendi salutem in eo qui non conuertitur, nec imponitur necessitas ei qui conuertitur: quia illa diuina dispositio est merè extrinseca, & non immutat modum operandi causæ proximæ, sed relinquit illam operari, vel non operari, prout nouit esse operaturam vel non operaturam, si in tali opportunitate & congruitate temporis & loci constituatur. Quo etiam fit, vt totum illud prouidentiæ genus sit ex suppositione liberi vsus præuisi, saltem conditionatè, & idcirco talis suppositio non est antecedens, qualis est illa, quæ ponitur à discipulis D. Thomæ.

Quòd p hāc responsionē ppōsita difficultas nō dissoluatur

SED profectò per hanc responsionem minimè dissoluitur tacta difficultas, videlicet quòd non esset in potestate Petri potestas obtinendi salutem, atque adeò quod non erit culpandus si non saluetur, quia non est in potestate Petri, quòd hoc vel illo tempore vocetur à Deo, neque in potestate Pauli quòd alia vocatione, vel alio magis oportuno tempore vocetur, ex qua vocatione taliter efficaci, pendet tota salus Petri aut Pauli. Rursus quòd illa gratia seu diuina dispositio sit merè extrinseca nihil fauet his auctoribus: existimamus enim gratiam Dei tam sufficientem, quàm efficacem esse intrinsecam voluntati, tum quia hoc est magis consonum scripturæ & Sanctis Patribus, tum etiam, quia hæc gratia auxilij est data voluntati per modum actus primi. Et præterea, quia Deus est qui efficit, & producit ad extra hanc actualem gratiam diuini auxilij, quæ cum non ex nihilo producatur, in voluntatem infunditur, Deo ipsam producente, & cui voluntas subijcitur per potentiam obedientialem vt producatur. Et rursus, quia non sunt vires in voluntate ad conuersionem & pœnitentiam salutarem, nisi recipiat formam per modum principij cōmensurati ad salutem, & ad opera supernaturalia. Tandem quia diuina gratia intrinseca tam sufficiens quàm efficax non immutat modum operandi voluntatis, sed potiùs perficit, quia eam disponit cum modo libero eius, iuxta diuinam prouidentiam, quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.

DENIQVE prędictus auctor immemor sui, & eorum quæ dixerat lib. 3. de auxilijs sibi ipsi repugnat lib. 1. de concursu Dei cum voluntate ca. 9. vbi dicit: quòd si aliquis respondeat in potestate hominis esse habere determinationē ad actum salutis pium & supernaturalem, & idcircò ei vt liberæ causæ attribui carentiā eius, & illorum actuū qui ex illa sequerentur: Cōtra hoc arguit, quòd non potest hoc constare, neq; hoc modo responderi, quia Deus pro suo arbitrio dat vel negat hanc efficacē gratię motionē, quibus vult, & quando vult, absq; vlla dependētia ab vsu vel consensu libero humanæ volūtatis vt antecedente vel concomitante, & solùm respicere illum consensum vt effectum subsequentem. Sed certè hæc obiectio & replica etiam est contra eos apertè si perpendatur modus dicendi eorum. Nam vocare hominem congruo tempore & loco hoc vel illo, hac vocatione aut illa, nō est in potestate hominis, sed in arbitrio solo Dei: Nam quid quæso faciet homo ille vt vocetur à Deo tali tempore & loco oportuno & congruo? Quòd si in potestate, v. g. Petri vel Pauli positum est habere vocationem illam congruam pro tempore & loco: ergò hoc erit positum in voluntate cuiuscunque eorum. Nam vt D. Augustinus affirmat: nihil magis est in nostra potestate quàm quòd est in nostra voluntate. Quomodo igitur erit in potestate voluntatis hominis habere illam vocationem cōgruam pro tempore & loco, quàm Deus pro arbitrio suo dat quibus vult, & quando vult, absque dependentia ab vsu & consensu libero voluntatis? Nam certè vocatio illa congrua, qua Deus vocat Petrum vel Paulum, quando vult pro tempore & loco, dicitur esse à solo Deo, ac proinde non pendet ab vsu vel consensu libero humanę volūtatis. Quo argumēto

Obiectio hæc a Patre Suarez facta cōtra eos pugnat, & ab eis dissolui debet.

præ

præfatus auctor putat se concludere contra nos in simili, quia si non est in potestate hominis habere præmotionem & prædeterminationem gratiæ efficacis Dei: ergò non est in potestate eius salus sua, quia ponitur hæc præmotio independenter ab vsu & consensu libero voluntatis humanæ. Quòd si non est in potestate hominis habere hanc determinationem, similiter non erit hoc positum in voluntate eius, quia nihil est magis in potestate nostra, quàm quod est in voluntate nostra. Vides quo pacto hoc argumentum, quod contra nos obijciunt, pari passu cõtra eos militet: quoniam si vocatio illa congrua pro loco & tempore data, quæ à solo arbitrio Dei pendet: quia non est in potestate hominis, quòd hoc vel illo tempore vocetur hac vel illa vocatione congrua, sequitur etiam, quòd non est in potestate Petri eam habere, sicut in simili ipsi contra nos obijciunt, quòd non est in potestate nostra habere determinationem illam, qua voluntas creata determinatur a Deo, dum infunditur ei auxilium gratiæ efficacis.

Quid tandẽ inferatur, aut videatur inferri ex his quæ dicta sunt.

RELINQVITVR ergò, quòd si efficacia gratiæ necessaria ad pia opera diuina, & ad salutem nostram est necessaria, quòd cùm hæc pendeat à solo Dei arbitrio, vt pro tempore & loco, quo voluerit, detur, quòd non est in potestate hominis libera eam habere, sed in sola libera Dei voluntate. Nam eodem argumento eorum obijcio contra hos auctores: Quoniam aut aliquid potest facere voluntas hominis, quo obtineat à Deo certò illam vocationem congruam, qua sicut ipse vult, & quando vult pro solo suo arbitrio vocat hoc vel illo tempore, vel nihil potest facere ad hoc. Si nihil potest facere voluntas: ergò non est in potestate eius habere vocationem illam congruam, quàm Deus pro solo suo arbitrio dat. Si autem aliquid potest facere voluntas, quo vocatio illa sit in potestate eius, & quo illam obtineat: interrogo vtrùm ad hoc liberè volendum postulet vocationem etiam congruam? quòd si requiritur, fiet processus in infinitum, & semper manet argumentum in sua vi: si autem non requiritur aliqua talis vocatio congrua, ergò vel illa non est in potestate hominis, vel nihil omninò potest facere homo, quo sit in potestate eius talis vocatio, & hinc minuitur potestas obtinendi salutẽ. Et rursus si non requiritur aliqua vocatio congrua, vt homo faciat aliquid ad obtinendum illam priorem, pari ratione sequitur, quòd nõ requiritur talis vocatio congrua, quam isti ponũt pro ratione temporis & loci ad illud primum opus, quod voluntas liberè operari debebat. Si enim non requiritur ad hoc secundum, neque ad primum.

RESTAT iam respondere ad argumentum, de quo dixi, quòd auctores oppositæ sententiæ tenebantur dissoluere ipsum, quia pari passu currit contra eos, vt ostensum est. Dico ergò voluntatem non habere integram, adæquatam, seu proximam, expeditam & immediatam potestatem ad pium opus supernaturale, repulsa gratia efficaci diuinæ præmotionis efficienter propriè mouentis animam, & arbitriũ nostrũ. Neque est simile de igne calefaciente respectu calefactionis, & de volũtate nostra respectu operum supernaturalium: quia ignis suo calore affectus posito solo Dei cõcursu sine vllo alio principio calefacit, & operatur, quia per formã suã & per calorẽ integrè & adæquatè est immediatè expeditus potẽtia proxima & immediata ad opus, voluntas verò per se sumpta etiamsi cõsideretur vt voluntas est, neq, habet vim, neque formam, neq; principiũ vllũ, aut vires respectu actuũ supernaturalium: sicut ignis habet vires, formam & principiũ cum calore ad actum calefaciẽdi, quibus est proximè expeditus ad illum actũ: & idcircò pluribus indiget volũtas. Nam certè per solam gratiam excitantem, seu per solum auxilium sufficiens & non efficax voluntas non est adæquatè cum potentia immediatè expedita & proxima ad opus, sicut est quando actuatur per efficacem Dei gratiam cum qua infallibiliter coniungitur actus secundus consensus vel conuersionis. Et fatemur voluntatem nostram intimius, vt voluntas est, dependere in sua operatione à diuina voluntate, & causalitate, cui per debitum dominium subijcitur, quàm à se ipsa. Nam per hoc non adimitur libertas ab ea: aliàs Deus non posset facere creaturam aliquam liberam, quia intimius pendet creatura à Deo, quàm à se ipsa in omnibus, in quibus ei subijcitur & subordinatur.

Secluſa gratia efficaci volũtas nõ habet integram & proximam potentiam ad opus ſupernaturale.

ET quando dicitur, quòd non esset in potestate voluntatis positum velle vel operari piũ opus: quia non est in potestate voluntatis velle sine tali præmotione & determinatione: neq; rursus est in potestate eius, quòd Deus velit taliter præmouere & prædeterminare voluntatem, quia hæc motio & determinatio voluntatis creatæ solùm est libera ipsi Deo & non homini. Ad hoc dico: Primò, volũtatem affectam auxilio sufficienti gratiæ actualis non solũ esse constitutam intra ordinem agentis supernaturalis, verùm etiã iam habere vires, vt si non dissentiat neque resistat, aut obicem ponat, sed potius attendat ad id, ad quod mouetur à Deo, q̃ est dicere si his prioribus auxilijs benè vtatur, Deus non deerit neque deficiet per illam efficacem gratiam de qua est controuersia: Quod optimè dixit Tridentinum Concilij Sess. 6. c. 13. dicens, quòd in Dei auxilio omnes firmissimam spem collocare & reponere debent: Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cẽpit opus bonum ita perficiet, operans velle & perficere. Et certè impugnationes, quæ contra hoc adducuntur, sunt voluntariæ & minimè efficaces. Dico secundò cum Sancto Thoma lib. 3. contra gentes cap. 159. vbi affirmat: quòd rationabiliter homini imputatur si ad Deum non conuertatur, quamuis hoc sine gratia quę datur nobis à Deo non possit. Vnde illa propositio,

Voluntas affecta auxilio ſufficienti nõ ſolùm eſt conſtituta intra ordinẽ agentis ſupernaturalis, ſed etiã habet vires &c.

quæ

quæ adducitur & ait: Nulli imputatur quod ab alio dependet: reputatur falsa à S. Thoma vt egregiè perpēdit Ferrara. Dicit enim falsum esse, quod nulli imputetur, quod ab alio depēdet, quādo defectꝰ nō est ex parte eius à quo illud dependet, quin illùd habeatur, sed ex parte recipientis ponētis impedimentū voluntariè illius receptioni. Quod enim aliquis non recipiat aliquid ab eo qui paratus est dare, præcipuè ab eo qui ad accipiendum incitat & instigat non est absque eius imputatione. Cum igitur Deus per auxilia gratiæ præuenientis incitantis & mouentis dicatur instigare hominem & incitare ad pœnitentiam; sequitur, quòd si tali fauore & dono gratiæ auxiliantis, pulsantis & mouentis non benè vtatur, sed potius impedimentum & resistentiam præstet, quòd culpæ eius sit tribuendum, quòd non saluetur, aut non conuertatur. Quocirca Sanctus Thomas docuit loco citato ad doctrinam hanc comprobandam: quòd potest homo se ipsum impedire ne recipiat diuinam gratiam, iuxta illud Iob 24. *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* Et cap. 21. præcedente. *Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* Et subiungit S. Thomas. Quòd cum hoc sit in potestate liberi arbitrij impedire diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, ad quam incitamur & pulsamur à Deo: iure imputatur ad culpam illi, qui dum incitatur, vel resistit vel impedimentum præstat, vel non attendit, nec bene vtitur hac diuina gratia, quare illi efficaci gratia priuātur, qui vel prioribus auxilijs male vtuntur, vel resistunt, & ex consequenti homini imputatur, quòd ab ipso Deo dependet, quando defectus non est ex parte Dei à quo illud dependet quin habeatur, sed ex parte ponentis obicem vel resistētis. Et hæc est causa cur nonnulli ex Theologis dixerint, quòd voluntas à Deo pulsata & incitata per gratiam præuenientem vt se conuertat, si non resistat, neq; obicē ponat, sed attendat nō diuertēdo se ad negotia alia secularia videtur habere quasi implicitum consensum & bonū vsum priorum auxiliorū, quæ Deus suo numine fouet, statim impartiendo gratiā efficacem Dei, adducentem secum actum secundum & consensum. Sed quoniam de hac solutione & responsione diximus multa in discursu huius operis & sectionis, hæc modo dixisse sufficiant: solùm enim aduerto, quòd cùm Deus tribuit actualem gratiam efficacem nunquam id facit sine quadam colligatione cum consensu libero voluntatis humanæ, respicereque illum non solùm vt effectum consequentem gratiam, sed vt concomitantem. Et ex his patet solutio ad alia quæ in eodem argumento continentur.

Quòd aliquis non recipiat ab eo qui paratus est dare, eiꝰ qui non recipit culpa est, aut ipsi imputatur.

Iob. 24.

Sic fit satis toto primo argumento

Ad secundum & tertium argumētum aduersariorum.

Mouet Deus causas secūdas ad operandum, quando actu causant.

AD secundum argumētum respondetur ex sentētia D. Thomæ, 1. p. q. 105. quòd Deus mouet causas secundas ad operandum, quando actu causant & operātur, quod qua ratione fiat explicat, asserendo hoc fieri à Deo quasi applicando formas & virtutes rerum ad operationē, sicut etiam artifex applicat securim ad scindendum. Et hac ratione colligit, quòd Deus operatur intimè in omnibus rebus. Et secundò colligit, quòd cùm Deus operetur sufficienter in nobis ad modū primi agentis, quòd propter hoc non superfluit operatio secundorum agētium. Tādem tertio colligit eadem q. 105. ar. 5. quòd Deus non solùm dat formas rebus, sed etiam conseruat eas in esse, & applicat eas ad agendū: Quo autem modo fiat hæc applicatio id non explicat, sed nihilominus supponit duo, nimirum quòd Deus operatur in quolibet operante iuxta illud Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Et secundò supponit, quòd agens secundum agit in virtute primi agentis, ex eo quòd primum agens mouet secundum ad agendum. Ex quibus colligi potest, quòd influxus causæ primæ, quæ est Deus, non solùm est influxus in effectum, sed in causam: & secundò colligi potest, quòd Deus applicat secundas causas ad operandum per motum innominatum & virtute multiplicem occultum quē non percipimus.

Secundas causas non pendere essentialiter in suis operationibus ab applicatione Dei sentiunt cōtrarij, malè tamen.

AVCTORES oppositæ sententiæ contra S. Thomam semper senserunt Dei influxū & motionem esse motionem & influxum in effectū, & non in causam, loquentes consequenter cōtra D. Thomā. Quia enim animus erat illis negandi efficax auxiliū prout venit à Deo, quod est influxus gratiæ actualis præmouentis efficienter voluntatem nostram, idcircò etiamsi viderint D. Thomam sentire influxum Dei nō solum esse in effectum, sed etiam in ipsas secundas causas, ausi sunt in hac parte contra D. Thomam scribere. Addunt vlterius secundas causas creatas non pendere essentialiter in suis operationibus ab applicatione Dei & præmotione vlla eius. Quod sane nos apertè negamus: & fatemur secundas causas non solū pendere à Deo in esse, fieri & in cōseruari, quia hoc modo etiā quando quiescunt & nihil agunt & operantur pendent, sed etiā pendere quatenus actu operātur & causant, nimirum in ratione causandi & agendi, & hanc esse vlteriorem dependentiā ex parte causæ efficiētis actu agētis & exercentis actus suos, & sub hac ratione, ob hanc necessitatem agendi & causandi Deum influere motū & applicationem suam, qua cunctę secundæ causę illi subordinatæ mouentur ad suas actiones. Nam in ipso mouentur & sunt.

Causæ 2. quāuis ad producēdos effectus in specie determinatæ sint, minimè tamen ad hoc indi

CONSTAT etiā, quòd quamuis secundæ causæ per suas formas intrinsecas, & per potentias adiectas dicantur habere quandam determinationem ad effectus in specie, non tamen dicuntur determinatæ ad hoc indiuiduū magis, quàm ad illud efficienter. Nam, v. g. ignis & calor eius licèt sint determinati secundū speciem ad hoc, vt si operentur producant ignem vel calorem, non tamen sunt determinati efficienter, ad hūc

uiduum potius, quàm ad illud.

ignem, & ad hunc calorem singularem. Quare vt minimum applicantur à Deo hoc loco, & tempore, ad hunc actum secundum, & ad hunc vel illum ignem seu calorem à Deo, vt determinatæ efficienter hic, & nunc operentur hunc determinatum effectum: quæ ratio communis, & generalis est in causis secundis Deo subordinatis, quatenus causant, & agunt: & hoc etiam reperitur in voluntate libera, quæ à Deo præmouetur in conuersione, & pœnitentia ad hoc obiectum, & ad illud, & ad hunc actum secundū potius quàm ad aliud. Et quamuis effectus indiuidui suum habeant intrinsecum indiuiduationis principium, quod eis conuenit in genere causæ materialis formaliter loquendo, tamē quòd causæ secundæ determinentur efficienter ad actu agendum hic, & nunc hunc effectum singularem, id ex diuina applicatione pendet tanquā ex primo efficiente: sicut etiā est maior dependentia illa, qua secunda causa non solū pendet à prima, quæ est Deus, in esse, fieri, & conseruari, sed etiam vlterius quatenus actu causat, & agit, seu in agēdo, & efficiendo actualiter. De qua re alibi multa diximus.

IGITVR auctores oppositæ sententiæ presi nostris rationibus, admittūt dici posse, determinationem causæ secundæ pendere ex voluntate, & applicatione primæ causæ, negant tamē hanc applicationem, & determinationem fieri à Deo, aut imprimendo rem aliquam causæ secundæ, aut per præuiam aliquam actionem, & vix potest excogitari, quòd alio modo fiat huiusmodi applicatio: & adducunt friuola argumenta ad hoc ostendendum: Nos verò superius diximus ex Sanctissimo Præceptore. 1. p. quæst. 105. art. 5. Deum intimè operari in omnibus rebus, & primum agens, quod est ipse Deus, mouere secundum ad agendum, & applicare formas, & virtutes secundarum causarum ad operationes suas, sicut etiam artifex applicat securim ad scindēdum. Vnde Deus, qui illabitur omnibus rebus, per occultum motum innominatum, efficacē, & suauem agit, mouet, & applicat secundas causas illi subordinatas, ad suos actus secundos, & ad suas operrtiones: nā intimè operatur in omnibus, attingens à fine vsque ad finē fortiter, & disponens omnia suauiter. Et ex his patet solutio ad hoc secundum argumentum. Quod verò dicunt præfati auctores ignem perpetuò agere, ac proinde non posse intelligi quomodo recipiatur in eo applicatio aliqua ad agendum, aut quomodo determinetur, nos diximus. 1. p. q. 8. quòd quia ignis perpetuò agit, & nūquā ab actione sua desistit semper applicatur à Deo, & semper mouetur, & recipit influxū Dei sine nouitate essendi: nisi q aliquando ignis ad hunc magis quā ad illū effectū applicatur. In operibus autem voluntatis, à quibus voluntas aliquando cessat, & iterum reuertitur, præcipuè in operibus supernaturalibus, in quibus voluntas maximè indiget auxilijs gratiæ Dei, & vbi vires ei deficiunt, res de qua agimus est manifestior, quòd voluntas indiget

Ignis semper applicatur, & mouetur à Deo quia semper & cōtinuò agit.

hac determinatione, & diuina præmotione cum actu operatur, & exequitur actiones supernaturales.

AD tertium argumentum aduersariorum respondetur, quòd voluntas in naturalibus, potens est sua virtute, & forma cum generali concursu, sese ad suū actum determinare: si tamē prius sit in actu primo, quàm in secundo. Rursus potens est se determinare tanquam secunda causa, quæ subijcitur, & subordinatur Deo. Vnde si sua virtute potest se determinare ad actū suum hoc necessariò debet esse sub determinatione Dei, & voluntate eius à quibus pendet, & debet reduci ad actum primum. In actibus verò supernaturalibus, de quibus est tota nostra cōtrouersia, res multò clarior est, cū voluntas ex sua intrinseca virtute non habeat vires ad supernaturales actiones, neq; ad se applicandum ad eas, nisi diuinitus à gratia Dei moueatur. Quocirca cùm voluntas sit causa secūda creata nō potest nō dependere à primo auctore gratiæ in agendo, & causando supernaturaliter, & hoc esse, & pertinere maximè ad perfectionem eiusdē voluntatis: quoniā dominium suarū actionum minimè repellitur ab ipsa voluntate per hoc quòd subijciatur suo creatori in determinatione sua, vt ab eo quadam prioritate naturæ applicetur seu præmoueatur. Vnde neganda est consequētia, nimirū quòd non indigeat gratia efficaci prę mouente, seu prædeterminatione illa, vt operetur salutis actiones. Fatemur etiam voluntatē actiuè liberā esse, & actiue etiā habere indifferentiā, ac proinde habere dominiū suorū actuū, vt positis omnibus requisitis possit agere vel nō agere hoc aut illo. Vnde valet se determinare ad suū actum secundum, sed sub determinatione Dei, quia Deus ita eam determinat cum suo modo libero, vt etiā ipsa tanquam secunda causa se determinet. Nā par ratio currit in motionib⁹ de quibus S. Thom. dicit, quòd in his quæ volū tariè mouentur, & à principio intrinseco moueri ex se nō repugnat ei quod est ab alio moueri. Cuius rei rationē reddit S. Thom. 1. p. q. 105. ar. 4. solut. ad 3. vbi ait: Quòd si volūtas ita moueretur ab alio, quòd exse nullaten⁹ moueretur, operavolūtatis nō imputarentur ad meritū, vel demeritū: sed quia per hoc q mouetur ab alio nō excluditur quin moueatur ex se, idcircò nō tollitur ratio meriti vel demeriti, ac proinde nec ratio libertatis. Et Caietanus in commentario perpendit, maximè proprium Dei esse mouere voluntatem efficaciter, & efficienter: quia mouere obiectiuè voluntatem communicatur alijs non sufficienti efficacia: mouere autem ab intus nulli communicatur, sed quia solus Deus illabi potest libero arbitrio, soli Deo conuenit. Et in eadem prima parte, quæstione. 83. articulo 1. ad tertium, postquàm dixit D. Thomas quòd homo per liberū arbitrium se ipsum mouet ad agendum, subiungit, quòd quamuis hoc sit verum tamen non est de necessitate libertatis, quòd sit prima causa sui id quod liberum est, sicut nec ad hoc quòd

Ad tertium argumētū Volūtas potens est se determinare tanquā secunda causa, scilicèt, sub determinatione Dei

Si ita moueretur voluntas ab alio, quòd ex se nō moueretur, opera voluntatis non imputarētur ad meritū vel demeritum.

aliquis sit causa alterius, requiritur, quòd sit prima causa eius. Vnde Deus est prima causa mouens non solũ naturales causas, sed voluntarias seu liberas. Et sicut naturalibus causis mouendo eas, nõ aufert quin actus earũ sint naturales, ita mouendo causas volũtarias, nõ aufert quin actiones earũ sint voluntariæ: sed potius hoc in eis facit: operatur enim in vnoquoq; secundũ eius proprietatẽ. Quare statim in solutione ad 4. quãuis dicat electiones, quæ sunt in nobis, à nobis fieri, tamẽ semper D. Th. affirmat has liberas electiones interiores ipsius voluntatis in actibus præpatatorijs ad gratiã fieri, supposito prius diuino auxilio, videlicèt in ratione principij. Vides quo pacto hæc nõ cohereant cum his quæ in argumento ab aduersarijs dicũtur.

Obiectio.

DICES, liberum est quòd positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, & non operari, sed posito hoc efficaci auxilio cũ hac prædeterminatione, quã efficit voluntas, nõ potest non agere, aliàs gratia illa præmouens non esset efficax: ergò illa posita voluntas nõ manet libera. Patet consequentia quia in eo casu volũtas non manet domina suarum actionum, ita vt se determinet ex electione propria cùm prædeterminetur ab extrinseca Dei motione: ergò per eam libertas eius læditur, & aufertur. Respondetur negando minorem. Nam etiam existente præmotione illa diuina cui liberè cõsentit voluntas, potest non solũ simpliciter, sed etiã in sensu composito vel resistere vel non operari, licèt operetur infallibiliter propter infallibilitatem efficacis gratiæ Dei, & prædefinitionis: imò etiam & ipsius cõcursus actu cooperãtis. Concursus enim actu cooperans non tollit nec minuit libertatem, & tamen non stat Deũ actu concurrere, & quòd homo non agat, neque hæc duo sunt compossibilia inter se. Illa autem gratia efficax præmouens voluntatem, eam inclinat iuxta suam naturam, & ob id eã insequitur iuxta liberam eius naturam, non auferendo, neq; lædendo libertatem. Nam certè talis præmotio gratiæ actualis non immutat modũ operandi voluntatis nostræ, nec per eam prædeterminatus, vt non possit, sed tantùm vt id faciat quòd prædefinitum est à Deo, & idcircò hæc potestas non est ad resistendum voluntati Dei: quia hæc non disponit vt fiat actus ipse sine potentia ad oppositum, neque alio modo quã est prædefinitus à Deo. Atque adeò ex hoc habetur, quod licèt illa potestas talis maneat vt possit esse ad impediendum effectum, quem Deus prædefiniuit vt fiat, quia prædefiniuit simul, vt fiat impedibiliter, & contingenter, tamen quia suppositа prouidentia infallibiliter prouidens actus erit, idcircò hæc potestas non est ad actu resistendum voluntati Dei de facto. Vnde solum fieri non potest, vt simul componantur ista duo, nimirum aliquid esse prędefinitum & prouisum à Deo, & re vera non euenire, quia hoc includit repugnantiam. Ad probationẽ vltimam consequentiæ respõdetur ex doctrina S. Thomæ locis citatis, quòd sicut de intrinseca ratione causæ est influere in effectum quẽ causat, non tamen primò influere, quia hoc pertinet ad rationem primæ causæ vt sic, ita etiam de ratione dominij humani est vt homo possit vti rebus, & actibus suis, & quòd per hoc non auferatur dominium excellentissimum Dei, q̃ ipse habet super omnia: nam egregiè vti potest, & melius quàm homo rebus humanis. Sic igitur etiam est de ratione liberæ voluntatis nõ solũ quòd sit domina suarum actionum, sed etiã quòd se determinet ad agendũ, tamen non est de ratione eius, quòd primò se determinet, aut quòd primò sit domina suarum actionum: quoniam hoc maximè pertinet ad primam causam liberam, & primò prædeliberantem: cui sanè ob id quòd est causa prima, primò domina, & primò determinans, & prædeliberans debetur nõ solũ prima causalitas, sed etiam prima determinatio, & primum dominium circa omnia.

Solutio. In sensu etiam cõposito potest voluntas operari, & non operari.

Hæc duo repugnant, q̃ scilicet aliquid sit prædefinitum à Deo, & q̃ de facto nõ eueniat.

Obiectio.

DICES vlterius, hanc esse validam consequentiam: Deus efficienter propriè seu physicè præmouet, & prædeterminat voluntatem ad suos actus: ergò prius natura attingit operationem secundæ causæ, quàm ipsa secunda causa. Sequela probatur, quoniam illa prædeterminatio voluntatis, quam Deus efficit non potest intelligi sine eo quòd Deus operetur aliquid, seu agat circa effectum ipsius secundæ causæ: Igitur si Deus secundam causam prædeterminat, sequitur quòd attingit effectum illius prius natura quàm ipsa causa secunda. Consequens autem non videtur esse verum, quia aliàs sequeretur, quòd secunda causa nihil produceret. Quod potest ostendi, quia ante operationem ipsius secundæ causæ præintelligitur totus effectus productus à prima causa. Et confirmari hoc potest, quia in opinione aliquorum influxus Dei actualis, seu concursus, nihil aliud est, quàm operatio ipsa causæ secundæ quatenus à Deo est: sed talis operatio non prius natura est ens quàm sit à secunda causa: quoniam secunda causa etiam concurrit ad totam rationem entitatis illius actionis: igitur non attingitur à Deo prius natura quàm à secunda causa.

Dissolvitur.

RESPONDETVR posse negari sequelam. Et pro intelligentia eorũ, quæ argumento probantur, perpendendum est ex Caietano 1. parte quæstion. 19. articul. 8. in responsione ad secundum Scoti, quòd concursus causæ primæ potest conferri cum concursu secundæ causæ. Primò quidem si consideremus concursum secundæ causæ, quatenus exit, & dependet ab ipso primæ causæ concursu: Et hac ratione primæ causæ concursus intelligitur prius natura, quàm concursus secundæ causæ, qui exit & dependet ab ipso primæ causæ concursu. Verumtamen in illo priori nondum intelligitur effectus produci, neq; à causa prima, neq; à secunda, quia in illo priori dependentiæ nondum consideratur aut intelligitur habitudo illius ad effectum productum vel qui producitur. Secũdò sanè concursus ille causæ secundæ conside-

Duplex modus, quo concursus causæ primæ conferri potest cũ cõcursu causæ secundæ.

rari potest quatenus attingit effectũ, qui producitur, & hac ratione concursus, & influxus primæ causæ non attingit effectum secũdæ causæ in aliquo priori, in quo non attingatur à cõcursu, & influxu secundæ causæ. Nam certè cùm causa prima in suo genere sit causa totalis, & nõ partialis illius effectus, si attingeret illum in aliquo priori, in quo verum esset dicere, quòd non attingitur à secunda causa, totaliter attingeret illũ, ac proinde nihil relinqueretur, quod attingeretur à causa secunda. Quocirca sentiẽdum est concursum primæ causæ effectum attingere quatenus à concursu causæ secundę cõcipitur, & quasi determinatur: quod solet à quibusdam explicari, nimirum quòd quamuis in genere causæ efficientis concursus primæ causæ determinet causam secundam, & eius concursum, tamen quodammodo in genere causæ materialis determinatur, & quasi modificatur à concursu secundæ causæ ad hoc vt cum ipsa liberè concurrat, & agat secundùm exigentiam suæ naturæ. Semper tamen est affirmandum, quòd prima causa, quæ est Deus, non solũ se liberè determinat, verum etiam inferiores alias causas sibi subordinatas, & subditas in genere causæ efficientis, quamuis ex ipsius superioris causæ dispositione, & ordinatione, eius motio, & influxus in genere causæ materialis recipiatur in ipsa causa secunda iuxta conditionem, & modum eius. Sed de hac re, & de dependentia secundę causæ à prima, & de modificatione cõcursus nos diximus fusè multa. 1. p. q. 14. articu. 13. disputa 6.

Quamuis in genere causæ efficiẽtis cõcursus primæ causæ determinet secundã tamen in genere causæ materialis non ita.

Obiectio.

OBIICIVNT vlterius contra nos auctores citati pro opposita sententia, quòd si Deus voluntatem præmouet efficienter per efficacem gratiam ante quam intelligatur ipsa agere, aut se se in exercitio determinare, sequitur apertè, quod sine causa, seu frustra proponeretur illi electio inter diuersa obiecta aut media, vt ex illis eligeret quodcunque vellet: hoc autem dici non potest: ergò. Sequela probatur: quoniam si Deus decreuit ante voluntatis determinationem præuisam, vt ipsa determinatè hoc eligeret: frustra ipsa conaretur eligere indifferenter vnum ex illis: quia Deus in eo casu decreuit vt ipsa non aliud eligeret, imò verò efficienter eam ad id efficaciter præmouet. Respondetur negandum esse antecedens: Nam certè præuius ille Dei concursus datur à Deo aptè ad libertatem voluntatis, ac proinde non lædit libertatem eligendi hoc vel illud. Et quamuis posito diuino decreto voluntas potius eligat hoc determinatè, quàm illud, nihilominus absolutè & simpliciter potest non eligere, etiam in sensu composito ad modum quem supra exposuimus. Vnde voluntatis libertas non tantùm posita est in hoc, quòd ipsa sit indifferens ante receptionem gratiæ efficacis ad agendum vel non agendum, & ad agendum hoc vel illud, ex sua natura, sed præcipuè posita est in hoc, quòd etiam efficaciter mota ab ipso Deo propter suauitatem diuinæ motionis, & modum operandi voluntatis, in qua recipitur, & propter voluntatem Dei volentis efficaciter seruare modum agendi voluntatis, quamuis ipsa de facto operetur, tamen possit non operari, & non agere, & idcircò quamuis moueatur voluntas efficienter, tamen influxus suauis aptus, & virtute multiplex ipsius Dei voluntatem agit cum suo modo libero.

Solutio.

Ad quartum, & quintum argumentum solutio.

AD quartam obiectionem nouorum Theologorum respondetur negando sequelam: non enim ex præueniente gratia efficaci lædit libertas aut tollitur. Et quãuis volũtas nostra non sit causa efficiens productiua ipsius auxilij gratiæ actualis efficacis, nihilominus est productiua consensus, quia liberè consentit illi motioni gratiæ Dei, cũ ipsa motio quantuncũque sit fortis detur à Deo cũ quadã adaptatione ad modũ liberum operãdi eius. Quare posita illa motione Dei, quæ nõ necessitat, vt opponitur libertati, sed solũ reddit voluntatẽ firmam ad id ad q̃ actu mouetur ex intentione Dei, adhuc volũtas potest dissentire, & nõ operari, licèt infallibiliter voluntas sit operatura id quod Deus disposuit: Hoc enim voluit Paulus etiã dicere ad Ro. 9. cũ affirmauit: *Voluntati eius quis resistit?* Ex hypothesi enim illius diuinę determinationis, & præmotionis nõ stat non agere, quãuis voluntas absolutè possit non agere.

Non est voluntas nostra causa efficiens productiua auxilij efficacis: benè tamen consensus.

QVAE solutio non placet auctoribus oppositæ sententiæ: quia dicũt discipulos D. Thomę ex ipsius sententia. 1. 2. quæstio. 10. arti. 4. ad. 3. affirmare: Quòd si Deus moueat voluntatem ad aliquid, impossibile est poni q̃ volũtas nõ moueatur. Ex qua doctrina dicũt in Schola D. Thomæ, & familia eius semper versari, q̃ posita Dei motione volũtas nõ potest non operari, seu q̃ posita motione Dei necesse est operari. Quæ propositiones nõ videtur cohærere cũ præcedẽte solutione quæ dicit, quòd posita illa determinatione libera, & motione Dei, potest voluntas dissentire, & nõ operari, licèt infallibile sit operaturã esse ex intentione, & motione Dei. Sed profectò hæc nõ sibi cõtradicũt, neq; pugnant si rectè intelligãtur. Nã si loquatur. D. Thomas de motione cooperatiua, quæ includit ipsum actũ, verissimũ est facta hac cõpositione, quòd volũtas nõ potest nõ operari: quia esset implicatio in adiecto, & hęc est etiã necessitas ex suppositione. Si autẽ loquatur S. Thom. de motione gratiæ efficacis, quæ vt à Deo venit efficax est, & per quã Deus determinat voluntatẽ nostrã, cũ cõnexione quadã ad liberũ consensum qui est actus secũdus eius, sine dubio cũ talis gratia efficax moueat voluntatẽ cũ modo eius libero, & cũ adaptatione ad cõditionẽ liberam, quãuis nõ stent illæ duo, per propositiones de in esse, stant tamẽ per modales de possibili cũ propositionibus de in esse: verbi gratia, non stant hæc duo: quòd Deus actu præmoueat voluntatem

Vendicãtur à contradictione quæ à nobis dicta sunt.

tatem sua gratia efficaci, & quòd voluntas de facto non consentiat: quia tunc infallibiliter consentit, quamuis liberè consentiat. Stant tamen hæc duo quoad modales de possibili, nimirũ, q̃ Deus actu moueat voluntatem, & quòd voluntas possit dissentire, cùm liberè cõsentiat: & consequenter possit non consentire. Neque est hoc alienum à plerisque ex aduersarijs, qui sentiunt quòd posita vocatione efficaci Dei, quæ supponitur vt principium conuersionis ex hypothesi, necessariò sequitur hominis conuersio. Quia si Deus efficaciter vocat, eò ipso efficaciter influit, & concurrit ad conuersionem, & tunc respondemus consentiendo: quod dixit Gregorius à Valentia tomo. 2. disp. 8. quæst. 3. punct. 3. & desumpsit illud ex Vega, vt ipse fatetur lib. 6. in Tridentinum capit. 9. Quæ doctrina (dicit ille) non pugnat cùm Tridentino Sessione. 6. capit. 5. & canon. 4. cùm dicitur liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum posse dissentire si velit, videlicet illi motioni, & excitationi. Nam doctrina hæc dupliciter verissima est, vt idem auctor fatetur: Primò: quia si diuina vocatio, & inspiratio cõsideretur precisè secundùm entitatem suam, vt solum inspiratio, & vocatio est, & non quatenus iam est facta efficax certò habens effectum, vel certò habitura, propter talem efficaciam, ratione cuius effectus secuturus est ex tali gratia: potest omninò reijci, cùm contingat quandoque vocationem, & motionem illam esse inefficacẽ. Secũdò: quia licèt vocatio sumatur, vt iam efficax est & secundũ propositum, tamen simpliciter loquendo liberè ei consentitur: etiamsi ex hypothesi, scilicèt posito quòd vocatio sit verè efficax, & quòd ei quis consentit vel consensurus est, simul fieri nõ possit, vt quis non consentiat, aut non sit consensurus. Necessitas enim ex hypothesi actus procedentis ab illa gratia nõ pugnat simpliciter cum libertate. Cùm enim quis respondet vocationi efficaci eatenus respondet liberè: quia non necessitatur respondere repellendo libertatem, sed potuit vocationem reijcere, & etiã tunc cum respondet in sensu diuiso vt dicitur, & simpliciter potest non respondere. Nam actiones supernaturales, quibus respõdemus vocationi secundùm propositum, sunt liberæ, tametsi requirant auxilium gratiæ Dei efficax, cui ex hypothesi resisti nequit. Hæc dicit in summa Gregorius à Valentia. Ex qua doctrina vt mens eius facilè percipiatur colligit, eò esse maiorem conuersionem quò maior est vocatio efficax vt efficax est. Nam si Deus vehementius vocat efficaciter, eo ipso maiorẽ efficit conuersionem.

Gregorius Valent. Vega in Trident. num.

Stapleton⁹.

Stapletonvs libr. 4. de gratia, & libero arbitrio, cap. 8. mouet difficultatem circa huius propositionis sensum: Excitanti & adiuuanti gratię humana voluntas potest resistere liberè: & affirmat: quòd quamuis fortassè satis clarũ sit, posse hominem dissentire Deo excitanti per gratiam suam; tamen quòd in adiuuante gratia idem fieri possit difficile intelligi posse videtur (inquit Stapletonus) nam adiuuans gratia illa est in qua homo Deo cooperatur: Si cooperatur, quomodo ergò reluctatur? Huic obiectioni postquam Stapletonus vidit difficultatem eius perpendit ad hanc difficultatem soluendam: Aliud esse quærere vtrum voluntas adiuta vel prępparata de facto repudiet gratiam, aliud verò an possit repudiare: & adductis testimonijs quibusdã diui Augustini, & Scripturæ, ex illis arguendo colligit prædictus auctor, sic dicens: *Quòd ergo alij conuertuntur per gratiam, alij non conuertuntur, non inde fieri videtur, quòd alij liberè acceptent gratiam, alij liberè reluctentur, sed quia gratia datur vel non datur, ideòque quia quemadmodum nemo conuertitur sine gratia, ita omnes cõuertuntur quibus datur gratia, videtur quod operatur gratia in omnibus necessariò, & efficaciter non liberè*: *Quòd si ita est nec repudiari gratia liberè à quoquam potest.* Hæc obijciens, & argumentans ad elucidandam difficultatem tactam inculcat Stapletonus.

Quid respõdeat ad propositam difficultatem.

Sed respondet obiectionibus, & locis à se adductis contra libertatem arbitrij. Primum, quòd omnia illa loca à se adducta, in quibus diu⁹ Augustinus ipsi gratiæ refert conuersionem, & non libero vsui voluntatis, nihil aliud ostendũt, quàm infallibilem, & efficacissimã gratiæ operationem, non tamen necessariam nisi ex hypothesi, & suppositione: nam quibus datur gratia efficax infallibiliter operantur, liberè tamen; multa enim ex suppositione dicunt ur necessariò fieri, & infallibiliter, quæ tamen liberè, & contingẽter ex causis suis fiunt: sic D. Augustin⁹ rem hanc intellexisse videtur, quoniam libro. 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 8. ait: Non fallit aut fallitur qui ait: Omnis qui audiuit à Patre meo, & didicit venit ad me, &c. vt planè videas eum ex hoc loco infallibilitatem operantis gratiæ, non necessitatem in modo operandi colligere voluisse. Rursus paulò post concludit Augustinus: Ergo trahi à Patre ad Christũ, audire ac discere à Patre vt veniat ad Christum nihil aliud est quã donum acceptare à Patre, quo veniat ad Christum. Hæc ex D. Augustino dicit & alia. Pro qua re, quòd rem hanc ita exponendam esse iudicemus, legendus est S. Thom. 1. 2. q. 112. art. 3.

D. Augus.

Secvndò, quòd ad rem attinet Stapletonus ait, notandum esse ipsum Augustinum pluribus alijs in locis, causam conuersionis ad Deum etiam in ipsa voluntate ponere, non in sola gratiæ subministratione, vt videtur colligi ex libr. 12. de ciuitate Dei capit. 6. & libr. 2. de peccatorum meritis capit. 17. dicens: *Cum voluntate humana, gratia adiuuante diuina, sine peccato in hac vita possit esse homo, cur non sit: possem facillimè ac veracissimè respondere, quia homines nolunt.* Subiungit Stapletonus. *Non ergo sanctus Augustinus voluntatis libertatem in reluctãdo gratiæ excludit, sed infallibilitatem operationis eius docet. Rursum causam quidem, cur alius venit, alius non venit, ponit gratiam; quia illa est potissima, & efficacior causa. Negat autem voluntatem esse*

Ex Stapletono.

cau-

causam discriminis, nõ quia nulla causa est, sed quia posterior, & inferior causa est: quam propterea aliquando agnouit, & docuit. Notãdum est ergo aliud esse quærere, an voluntas adiuta à Deo gratiam de facto repudiet: aliud an repudiare possit. Ideoq; non diximus adiuuanti gratiæ à voluntate resisti, sed resisti posse si velit: sicuti etiam Concilium Tridentinum solerter loquitur Sessione. 6. can. 4. Quod verum erit quamuis nunquam propter gratiæ efficaciam resistat. Quemadmodũ enim Adam ante lapsum non peccauit, peccare tamen potuit: Et confirmati in gratia in hac vita, vt de B. Virgine, & Apostolis credit Ecclesia non peccauerunt post confirmationem, peccare tamen potuerunt, ideoque peccatum liberè vitabant, sic efficacia, certitudo, vel infallibilitas alicuius efficacissimæ gratiæ, nõ tollit libertatem suscipientis illam gratiam, neque possibilitatem resistendi illi gratiæ. De hac infallibilitate efficacis gratiæ intelligenda sunt Augustini loca difficillima libr. de correption. & gratia capit. 14. Volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium, sic enim velle aut nolle in nolentis aut volentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. Et paulò post: Non est dubitandum voluntati Dei, voluntates humanas resistere nõ posse, quo minus faciat ipse quòd vult: quia de ipsis etiam voluntatibus hominum quod vult, cũ vult facit. Et iterum, habet sine dubio Deus, humanorum cordium quo placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem. Deniq;: Magis habet in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas. Hactenus Stapletonus tam ex sua sententia quã ex mente Augustini. Vnde postremò subiungit ita: Hæc enim omnia non liberam voluntatis actionem tollunt, sed Dei circa eas operationem infallibilem, & efficacem ponunt, iuxta ipsam in alijs locis citatis Augustini doctrinam. Et loquitur Stapletonus de gratia verè, & propriè efficaci adiuuante per modum principij.

Confirmati in gratia quamuis nõ peccauerũt peccare tamen potuerunt.

Psalm. 119

1. Reg. 8.

Ex his omnibus facile perspici potest infirma, & impia Caluini collectio, qui ex illis verbis Prophetæ Psalm. 119. *Inclina cor meum in testimonia tua*: Et ex illis. 1. Regum. 8. *Inclinet cor nostrum ad se Dominus*; colligit voluntatem necessitari, & cogi, cùm tamen Scriptura non dicat coge cor meum aut necessita, sed inclina. Inclinatio enim conuersionem, & inflexionem significat, quam Deus in homine, iuxta naturæ eius conditionem agit, & operatur. Idem dicendum est de verbis illis Prophetæ: *Cor mundũ crea in me Deus*. Et de illis ad Ephesios. 2. *Creati in eo in bonis operibus*. Quæ sententiæ dictæ sunt iuxta diuũ Augustin. de Spiritu, & litera capit. 31. Quia totum principium huius creationis, seu cõuersionis nouæ ad Deũ, à solo Deo est, atque ab eius multiplici gratia, & præueniente misericordia. Vnde cum à Propheta dicatur. Cor mũdũ crea in me Deus, per hoc præintelligitur Deus præuiè agere: Nam creatio id importat, non tamen quia creatio illa præter hominis propriam conditionem in homine fiat. Sic ergo constat hæc analogia inter veram creationem, & hanc mysticam, qua cor renouatur in noua quadam spirituali existentia & sic quasi ex nihilo constituitur: & sine vlla etiam causa ex parte nostra.

Corollariũ ex dictis.

Ex dictis sequitur, quòd adiutorium gratiæ importat influxum in causam, & in ipsum liberum arbitrium. Et præterea quòd quantumcũque sit efficax non tollit arbitrij libertatem, siuè liberã consensionem, sed potius statuit, roborat, & confirmat eã, vt perpendit Stapleton⁹ vbi supra cap. 9. Nam postquã dixit adiutorium gratiæ quantũcunq; efficax, & potens non tollere libertatẽ arbitrij seu liberam consensionẽ, sed potius statuere, & roborare: hæc addit. *Rursum gratia depraua tam voluntatem, & non sapientem ea quæ Dei sunt sanat, sanando autem liberam facit, non solùm eo sensu quo liberat à lege peccati, & à Diabolo, sed etiam hoc sensu, quòd ipsam iustitiam liberè operamur, vel ad Deum à peccato liberè nos conuertimus*. Hoc enim est quòd Diuus Augustinus dixit Epistola. 89. quæst. 2. *Voluntas libera tanto erit liberior quanto sanior, tanto autem sanior quanto gratiæ subiectior*. Et paulò inferius: *Neq; enim ideo voluntatis arbitriũ tollitur, quia iuuatur, sed ideo iuuatur quia nõ tollitur*. Hæc Augustinus.

Ad quartũ argumentũ

Ex his patet solutio ad quartum argumentum, seu ad quartam obiectionem aduersariorum, & ad confirmationem etiam. Nam voluntas nostra quamuis non producat efficienter auxilium gratiæ, tamen dum fit, & in ipsa recipitur consentit, & liberè per consensum suum se habet, & non merè passiuè, & potest operari, habetque liberum vsum, cui coniungitur infallibiliter illud auxilium tanquam eius principiũ infallibile, & tunc determinatio volũtatis formalis per actum secundum non solùm prouenit ex efficaci illa gratia actuali, sed etiam ex causa morali à quibus homo vt rationalis est præmouetur: & sanè forma illa gratiæ, quæ homini infunditur iuxta connaturalem modũ operandi ipsius voluntatis, habet vt à Deo datur trahere, & determinare voluntatem cũ suo modo libero: nam sic ei conuenit ex effectione Dei in ordinæ ad effectionem actualem cõuersionis. Et per hunc eundem modum cum huiusmodi gratia inhæreat voluntati, eam determinat per modum actus primi determinatione libera, siuè cum modo suo libero. Nam sicut operatio conuersionis, & actus secundus consentiendi, relinquunt in voluntate potestatem ad oppositum, quamuis voluntas ipsa per talem actum sit formaliter determinata ad vnũ ita actus ille primus proportionatus actui secundo, quamuis voluntatem determinet ad conuersionem, & consensum: nihilominus relinquit in ea potestatem ad oppositum: quia sicut cum formali, & actuali determinatione voluntatis quando est liberè determinata ad illud vnum quod agit, manet in ea potestas ad oppositum, vt experimur in nobis, ita etiam posita illa gratia (de qua loquimur) per modum actus primi, qui non tollit potestatem ad oppositum in ipsa potentia voluntatis, manet

potestas ad oppositū, quia actus ille primus nō determinat determinatione necessaria, sed libera; quæ quamuis non compatiatur secum alium actum primum immediatè proximum ad oppositum, compatitur tamen secum potestatem voluntatis liberam ad oppositum.

Ad ea quæ specialiter adducūtur ex Tridentino.

Ad ea, quæ adducuntur in argumento ex Tridentino Session. 6. cap. 5. & can. 4. certū est Cōcilium loqui de supernaturalibus actibus liberis, in quibus volūtas prēuiè mouetur à Deo, tum quia voluntas secundùm se vires nō habet in supernaturalibus actibus, tum etiam quia ipsa ex sua natura postulat subordinationem ad Deum, non solùm vt auctorem naturæ suæ liberæ, sed etiam postulat subiectionem ad Deū, vt auctorem gratiæ tribuentem ei principia supernaturalia suarū operationum supernaturalium. Et similiter Conciliū voluit hanc gratiam præuiam, & prēuenientem atque mouentē voluntatem nō tollere libertatem eius, & ob id dixit voluntatem posse resistere, non obstāte motione: quia certum est, quòd potest voluntas ex se ipsa obicem ponere, & sic resistere, & inspirationem atq; motionem illam abijcere. Vnde non solū, iuxta hanc explicationē, diuisim, sed etiam adhuc existēte motione illa manet in voluntate potestas resistendi: cum quo tamen quātum ad propositiones de in esse est verum dicere, quòd non stant hęc duo, quòd Deus moueat voluntatem adiuuando illam, & cooperando cū ea, & quòd non cooperetur ipsa. Nam adiuuans gratia illa est, in qua homo Deo cooperatur: si ergo homo cooperatur quomodo igitur reluctatur. Quocirca superius adnotauimus ex Stapletono: Aliud esse querere an voluntas adiuta à Deo gratiam de facto repudiet; aliud an repudiare possit: Nam ob id non dicitur per propositiones de in esse adiuuanti gratiæ à voluntate resisti, sed resisti posse si velit: sicut solerter loquitur Concilium, Sessione. 6. can. 4. Infallibilis autem colligatio gratiæ actualis efficacis cum actu secundo, cum non sit nisi cum consensu libero voluntatis, sequitur, quòd determinatio illa voluntatis fit cū modo operandi libero cōnaturali non solū voluntati, sed illi formæ. Quòd verò gratia illa actualis, & efficax data voluntati per modū actus primi, à qua censetur voluntas determinata iuxta conditionem suam, sit principiū propriè efficiens & causans actum secundum infallibiliter illi connexum ex ordinatione Dei, non tollit, neq; lædit vllo pacto libertatem, vt non maneat potestas in voluntate ad resistendū: quæ si resistat statim aufertur actus ille primus à primo puncto quo intelligitur volūtas recedere aut resistere vel obicē ponere: quia compositiuè non stant illa duo simul per propositiones de in esse, vt dictū est, quāuis stet vna de in esse cū altera de possibili. Sicut in simili dici solet, quòd postquā Christus dixit Petro, ter me negabis, nō stant istę duę propositiones simul, Christus dixit Petro ter me negabis, & Petrus nō negat. Stat tamē illa propositio Christus dixit Petro, ter me negabis, cū altera de possibili, videlicet Petrus potest non negare: quia liberè negat. Omittamus modò, q̄ gratia ponit aliquid positiuū in voluntate, illa autē reuelatio Christi nihil posuit in voluntate Petri vt eū negaret, quia Deus nō præmouebat Petrū ad negationē Christi. Dico, q̄ omittamus modò hęc: quoniā solum adduxi exemplū ad ostendendā bonitatem vel malitiam illationis, & cōsequentiæ, & quantū valeat ad illam sensus compositus, & suppositio ex hypothesi, & sensus diuisus. Ex quibus colligitur, quòd etiā in sensu cōposito quando voluntas mouetur habet potestatem resistendi: Quia si prævia determinatio nō relinqueret potestatē vllā nō operādi seu ad oppositum lęderetur libertas.

Statim atque voluntas resistit, seu reluctatur gratiæ, neq; potest esse, neq; intelligi quòd sit determinata ad operandum ex illa.

Sed obijciunt auctores oppositæ sententiæ contra hoc: Nam illa determinatio dicitur esse aliquid impressum à Deo in nostra volūtate per effectionē Dei: ergò vel illa determinatio subditur vsui libero voluntatis in ordine ad actum secundum, ita vt voluntas possit illa vti, & non vti ad volendum; vel non subditur illi vsui libero voluntatis, sed ea posita emanat necessariò actus secundus, & secum rapit voluntatē ad eundem actum eliciendum: nam inter hæc non potest medium aliquod excogitari. Si dicatur primū, nihil aliud est quàm dicere determinationem illam voluntatis ad opus se habere ad modum actus primi, qui de se ad vnum actū inclinat, adhuc tamen relinquit potentiam liberam, vt possit oppositum facere vel repugnare. Quòd si hoc totum concedatur iam tollitur determinatio propriè efficiens voluntatis ad vnū vt auctores oppositæ sententiæ dicunt.

Obiectio.

Sed profectò, nos non negamus actum illū primum datum à Deo suauiter, & fortiter iuxta conditionem voluntatis, & cum modo eius libero, semper dicere contēperationem & colligationem cū exercitio libero, seu cum vsu libero ipsius voluntatis, qui est ipse actus secundus. Negamus tamē diuinam illā gratiam à Deo effectā ita subijci libero vsui, & pendere à libertate volūtatis nostræ, vt gratia ipsa efficax Dei à Deo nobis data ad opus conuersionis ex intentione Dei dicatur expectare prius voluntatem nostrā seu vsum eius: sicut sentiunt auctores oppositæ sententiæ: Nam profectò cùm actus secundus voluntatis sit effectus ipsius gratiæ, posterior est, & inferior, & idcirco non rectè dicitur determinationē factam per gratiā ita pendere à libertate nostra, vt dicatur expectare voluntatē, & libertatem, seu vsum liberū illius. Diximus enim supra ex D. Augustino causam verā cur inter duos vnus velit, & nō alter, illā esse efficacem gratiam: Non sanè quòd voluntas ita affecta non possit dici aliqua causa, sed quia posterior, & inferior causa est, ex eo quòd ex actu secundo, causato, & effecto ab ipsa gratia, à posteriori sumi possit aliqua ratio. Vnde concedendū est ab aduersarijs, gratiā Dei verè inclinare voluntatē ad actum conuersionis, & vt dicit D. Augustinus declinat eam, & inflectit: Quod sanè non fit sine determinatione voluntatis,

Solutio, & mens auctoris proponitur.

facta

facta per modum actus primi, quæ cum sit per modum actus primi, prius intelligitur determinata voluntas, & ab ea determinatione prodire effectum, & actum secundum. Quæ quidem determinatio facta per gratiam actualem Dei, voluntati adaptatam, iuxta modum operandi cõnaturalem, & liberum eius, dicitur determinare voluntatem determinatione libera, & cum colligatione etiam ad determinationem moralem: ac proinde relinquitur in ea vis, & potestas ad oppositum, ita tamen vt hæc gratia efficax, & actualis Dei, seu præmotio diuina, dicatur inseparabilis, & infallibiliter coniuncta cum actu secundo, quatenus venit à Deo, & efficax est: neque ob id actum secundum esse necessarium necessitate opposita libertati, & determinationi liberæ vt sic. Quo fit pessimum esse illũ modum loquendi, quem aduersarij prętendunt cõtra nos, dicendo tantã esse necessitatem præmotionis diuinæ, vt secum rapiat voluntatẽ: Nõ enim dicitur eã rapere, sed potius firmare & sanare vt dixit D. Augustinus vbi supra, ac proinde cũ voluntas ex gratia præmoueatur à Deo suauiter, & cũ quadam adaptatione ad cõditionem eius: sequitur, quòd stante hac motione diuina adhuc relinquitur potestas ad oppositа in ipsa voluntate. Quæ sanè potestas non tollitur per determinationẽ illam liberam, vt dictũ est.

Præmotio diuina nõdicitur rapere volũtatem, sed potiꝰ firmare, & sanare.

Obiectio.

Sed obijciunt vlterius aduersarij: Quod vnũ ex his duobus sit necessarium, videlicet quòd vel determinatio subsit vsui libero voluntatis, vel è contrario, vt determinatio ex necessitate naturali efficiat actum, & secum rapiat voluntatem: Quia si non ex necessitate rapit illã, voluntas ex sua libertate potest suspendere suum influxum, non obstante tali motione, & prædeterminatione. Quòd si potest: hoc ipsum est determinationem illam in agendo subesse vsui libero voluntatis, quatenus illa agere non potest nisi voluntas simul agat.

Dissoluitur.

Respondetvr, affirmandum esse gratiam illam efficacem, seu determinationem factam à Deo, minimè agere actu influendo, nisi voluntas simul agat, hoc est cũ colligatione ad agere voluntatis, quia oppositum non est intelligibile, & hoc nõ est rapere voluntatem cum quadã necessitate naturali, sed est eam efficaciter mouere cũ colligatione ad libertatẽ illius: quatenus ipsa gratia efficax agere non potest actum secũdum, nisi voluntas simul agat in eodem momento, quamuis gratia prius causalitate. Quòd si determinatio quæ fit per efficacem gratiam, non esset suauis, & fortis, neque diceret coaptationem ad liberum modum agendi voluntatis, & colligationem ad libertatis vsum, tunc ex quadam necessitate naturali raperetur ad actum secundum. Quòd si aliquis interroget, vnde sit nobis certum, & infallibile voluntatem, posita efficaci gratia, seu determinatione illa per modum actus primi, semper operaturam iuxta actum illum primum?

Dubitatio.

Solutio.

Respondetur hoc esse certum, tum ex diuina prædefinitione, & intentione Dei id ita volentis voluntate efficaci: tum etiam tanquam à causa veluti secũda ex ipsa efficacitate gratiæ adiuuantis, & pręmouẽtis fortiter, & suauiter. Quare cõsiderata gratia ista efficaci, aut adiuuante, quatenus concurrit cum voluntate ad operationes eius affirmandum est in nobis esse potẽtiam, vt separetur à suo effectu: quoniam suus effectus est nostra cooperatio, & ad hanc nos liberè cõcurrimus, & cũ potentia ad oppositum: cæterũ re ipsa nunquam separatur, quia hæc gratia efficax est verè adiuuans in actu primo, & secũdo, & cõsequenter nõ dicitur sic adiuuans sine suo effectu præsenti: neq; hoc derogat libertati nostræ: quia hæc gratia sic cõsiderata, quatenus est adiuuans in actu primo, & secũdo simul, quòd non separetur à suo effectu, nõ prouenit ex eo quòd à nobis auferatur potentia ad nõ consentiendũ ipsi, sed ex efficacia ipsius gratiæ, tanquã ex ratione per se, & ex præsentia sui effectus, qui est noster consensus, tanquam ex conditione sine qua non esset gratia efficax, & adiuuans, in actu primo, & secundo. Itaq; huiusmodi gratia actualis efficax, quæ designari potest per actualem illam motionem venientem à Deo, censetur quasi inchoatio ipsius actus secũdi, hoc est, inseparabilis ab eo ex diuina dispositione, vt venit à Deo.

Certum est, & infallibile voluntatem posita efficaci gratia operaturam: & hoc ex D. prædefinitione, & ex ipsa efficaci tate gratiæ.

Ad quintam obiectionem, seu quintum, & vltimum argumentum aduersariorum, quod dicitur argumẽtum commune inter eos, affirmare nos oportet influxum gratiæ efficacis Dei esse influxum gratiæ in voluntatem nostram, à qua gratia efficaci ex voluntate Dei inchoatur actio, trahiturque voluntas, vt ipsa liberè consentiat: quod fatemur non esse alienum à sententia Scoti de determinatione effectiua voluntatis creatæ per efficacem Dei voluntatem & gratiam. Vnde ad obiectionis discursum respondetur: quòd cùm Deus ex ingenti liberalitate misericordiæ suæ præuenientis nos, vocet nos, excitet, & inspiret, & stet ad hostium pulsans, si nos non resistamus vel ponendo obicẽ, vel diuertendo nos, aut peccando, Deus, qui extendit manus suas etiam ad populũ non credentem, & cõtradicentem sibi, dabit nobis gratiã illam, qua conuersionem nostrã operemur, ita vt rationabiliter homini imputetur, si ad Deum non conuertatur, quamuis hoc non possit sine gratia, quæ nobis à Deo datur. Quare propositio illa, quæ à quibusdã adducitur: Nulli imputatur quod ab alio depẽdet, reputatur falsa à Sancto Thoma. Quod optimè expendit Ferrara dicens falsum esse, quòd nulli imputetur quod ab alio dependet, quando defectus nõ est ex parte eius à quo illud depẽdet, quin illud habeatur, sed ex parte recipientis ponentis impedimentum volũtarię illius receptioni. Quòd enim aliquis non recipiat aliquid ab eo qui paratus est dare, maximè ab illo qui incitat, & instigat ad accipiendum, non est absque eius imputatione. Cum igitur Deus per auxilia gratiæ dicatur incitare, & instigare hominem ad pœnitentiam: sequitur, quòd si tali fauo-

Solutio ad quintũ argumentum principale.

D. Thomas

Ferrara.

re,& dono gratiæ auxiliantis,pulsantis,& mouentis non benè vtatur,resistentiam, & impedimentum præstando, quòd culpæ eius sit tribuendum,quòd non conuertatur, aut saluetur. Quam doctrinam latiùs prosequitur Ferrara ex diuo Thoma, lib.3.contra Gentes cap.159.

Semper est verum esse in hominis libera potestate saluari, etsi non sit in eius viribus.

VNDE ad argumentum negatur, quòd non sit in potestate hominis libera, quãuis nõ sit in viribꝰ eius saluari: potest enim quilibet homocũ præuenitur à Deo,& à gratia eius dum vocatur, excitatur, & pulsatur, benè vti his auxilijs, vt Deus posteriora, maiora & efficacia det. Vnde iuxta Tridentinũ: cũ dicit Deus: Conuertimini ad me, libertatis nostrę admonemur ad salutẽ; cũ verò nos per Prophetam dicimus: Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, gratia Dei nos indigere,& præueniri cõfitemur. Vbi perpendendum est nos vocari à Deo per eius gratiam ad iustificationẽ, Deo tangẽte nos, & corda nostra per Spiritum Sanctum: ita tamẽ vt sine Dei gratia nemo se mouere possit ad iustitiã corã illo, libera sua voluntate, vt concilium solerter, & egregiè aduertit: & idcircò cũ respõdemus Deo dicenti, conuertimini ad me, clamantes, conuerte nos Domine ad te,& conuertemur, Dei nos gratia præueniri confitemur. Quapropter plures ex Theologis grauissimis, dixerunt esse in potestate hominis habentis auxiliũ sufficiens, habere etiam efficax si velit, vel si nõ malè vtatur Dei gratia, vel si non resistat, & idcircò ei ad culpam attribui, quòd non conuertatur, & per eum stare ne moueatur à Deo efficaciter per actualem gratiã, quia nisi ob defectum hominis, aut ex aliqua libera resistentia nunquam homo caret hac diuina motione gratiæ. Quæ sanè responsio maximè consona est veritati,& principijs Fidei: aliàs nõ esset homini possibile, qui non recipit hoc efficax auxiliũ præmouens, re vera conuerti ad Deum, aut implere supernaturalia præcepta, si nec haberet gratuitam præmotionem Dei, neq; esset in potestate eius eam habere vllo modo. Quocirca Tridentinum Concilium idcircò dicit præcepta Dei possibilia esse, quia vel pręcipiunt, vt faciat homo quòd potest, vel vt petat quòd non potest. Et Deus quantum in se est semper adiuuat vt possit, neque deserit hominẽ, nisi prius homo ipsum deserat. Vnde postquam vocat Deus, & excitat hominem, in manu eius constituit, seu in libertate, vt si non malè vtatur gratia Dei, vel si non resistat, aut si velit, & benè vtatur, habeat auxiliũ illud gratiæ efficacis Dei.

Obiectio aduersariorũ.

SED contra hoc obijciunt auctores oppositæ sententiæ dicentes hoc stare non posse, si vera sunt quę diximus de efficaci Dei gratia nos propriè efficienter præmouente. Nam hoc auxilium efficax est aliqua entitas supernaturalis., quam Deus producit, & efficit in nobis; quia tale auxilium non est ipse actus vitalis noster, sed potius est virtus quædam præuia indita nobis à Deo ad eliciendum actum vitalem conuersionis: ergò quòd entitas talis auxilij nobis infundatur non pendet à nobis, neque ab arbitrio nostro, vt ab efficiente entitatem illam, & auxilium: nam si fieret à voluntate nostra efficienter, indigeret voluntas alio priori auxilio, &c. Respondetur, quòd liberum arbitrium consentit Deo mouenti per auxilium gratiæ actualis. Hoc autem auxilium gratiæ Dei, quod supernaturale est, productiuè efficienter fit à solo Deo in homine, sed non excludendo consensum simultaneum liberi arbitrij: Quia hoc auxilium, prout à Deo procedit, secum adducit perficere arbitrium nostrum, & efficere suauiter, vt arbitrium ipsum consentiat in eodem instanti. Quare auxilium illud gratiæ efficacis nõ dicitur esse in potestate arbitrij tanquam in causa efficiente, sed tanquam in consentiente, volente, & non repugnante: Nam certè homo cõsentiendo liberè venit ad Christum, sed nihilominus trahitur à Deo, & dicitur trahi propter efficaciam diuinæ gratiæ actualis prout descendit à Patre luminum. Quòd si dicas: ergò auxilium illud gratiæ efficacis solùm dici potest esse in potestate hominis mediante aliqua dispositione: Respondetur, nos non affirmare necessariam esse aliam dispositionem antecedentẽ ptius tempore, tametsi frequenter disponatur liberum arbitrium antecedenter per talem dispositionẽ, quæ est ab auxilio sufficiente, vt homini proponatur vt possibile conuerti ad Deũ præmouentẽ, & inuitantem. Et huic motioni sępè contingit hominem resistere, non ita vt ille nõ recipiat, sed quia nõ vult vltra progredi. Et hic dissensus ipsi libero arbitrio imputatur ad peccatũ, quod cõmittit nõ volens vltra progredi. Et sic verificatur illud ad Rom.2. *Ignoras quoniã benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autẽ secundũ duritiem tuã, & impœnitens cor thesaurizas tibi irã in die iræ.* Quæ solutio est cõformis doctrinę D. Thomę & Theologorũ omniũ 1.2.q.113.a.3. Sed de hac re nos diximus in speciali tractatu quẽ cõfecimus anno. 1594. quẽ inseremus in fine huius libri, vt nouа, & vetera pateant discreto lectori, quo in loco proponũtur alia aduersariorũ argumenta, quibus ibidẽ satisfacimus, vbi specialiter de discursu huius quintę obiectionis egimus, & de responsione illius.

Dissoluitur obiectio.

Auxilium gratiæ efficacis non dicitur esse in potestate arbitrij tanquã in causa efficiente sed tanquã in consentiente.

Non est necessaria alia dispositio voluntatis antecedens prius tempore liberũ consensum. Ad Romanos.2.

SANE hoc argumentum quintum, quod auctores oppositæ sententiæ obijciunt cõtra nos, pariter militat cõtra eos: quia si vocatio efficax ab eis arguitur, quòd non esset in potestate nostra, pari modo possemus argumẽtari cõtra eos, quòd vocatio, quã ipsi constituunt, pro tẽpore & loco,& efficacẽ dicunt esse, quòd nõ sit in potestate nostra,& in manu nostra, quia ꝙ vocemur à Deo tali vel tali tẽpore, quo Deus nouit nos esse cõsensuros, vel respõsuros,& nõ eo quo nouit nos repugnaturos, id quidẽ nõ pendet ex libero vsu nostræ libertatis: quia nõ est in potestate nostra, quòd vocemur tali tempore,& tali loco,& non alio.

Quòd quintum argumentum militet pariter cõtra aduersarios.

SED adhuc obijciunt aduersarij cõtra nostrã sententiã: Quia si liberum arbitriũ determinatur, & applicatur à Deo ad operandum prius natura, quàm operetur: ergò vel determinatur

Obiectio.

libe-

liberum arbitrium ſemper, & applicatur ad illud idem, quod poſterius natura ipſum arbitriũ operatur, ſeu voluntas ipſa: vel euenit interdũ, quòd determinatur voluntas & applicatur ad vnum, & ipſa ſe applicat ad aliud contra diuinã applicationem: vel determinatur & applicatur ſemper à Deo indifferenti quadam ratione ſeu determinatione ad hoc vel illud, voluntas autẽ per ſe ipſam ſe ad operandum applicat magis hoc, quàm illud. Primum autem dici non poteſt, quia læderetur libertas voluntatis, & arbitrij noſtri, neque etiam ſecundum dici poteſt, quia cùm voluntas eligit caſtitatem, & vult fugere adulterium nõ ſentiunt ſe applicari & prędeterminari ad hoc.

Repellitur.

SANE huic difficultati poſſumus ſatisfacere, ſi dicamus voluntatem noſtrã prius cauſalitate, ſeu prius natura applicari & moueri à Deo ad illud omninò idem, quod voluntas ipſa poſterius natura operatur, & agit. Vnde Deus efficaci influxu gratiæ ſuæ voluntatem noſtram efficienter propriè mouet, & determinat ad actum conuerſionis vel pœnitentiæ liberum, prius natura quàm ſe ipſam voluntas aut ſe determinet vel applicet. Ex quo quidem neque læditur libertas, neque repellitur à voluntate noſtra reſpectu ſuarum actionum, vt argumentum videtur contendere: quia tanta eſt prouidentia Dei ipſiuſque infinita ſapientia, vt non ſolùm det vires effectiuas mouẽdo voluntatem: verum etiã det eas ſeruato modo libero voluntatis, adaptãdo efficaciam gratiæ conditioni voluntatis, & conſequenter præmotio & prædeterminatio Dei eſt naturæ voluntatis, & modo operandi eius accommodata. Quod quidem maximè cõuenit Deo quatenus eſt prima cauſa infinitè ſapiens, prudens, & prouidens, ac diſtribuens efficaciam ſuam applicando ſecundas cauſas ad agẽdum, ſicut ipſæ poſtulant, & ſicut aptæ natæ ſunt applicari conſeruata earum natura. Et licèt liberum arbitrium prædeterminetur à Deo, tamen prædeterminatur prædeterminatione libera vt exercita, quæ nõ tollit indifferentiam intrinſecam cum poteſtate ad oppoſitum. Nam verbi gratia, cum peccator ſe determinat ad pœnitentiam, certum eſt, quòd talis homo eſt determinatus determinatione vt exercita ſeu actuali, ſed nihilominus cũ tali determinatione in actu exercito poſita relinquitur in voluntate quædam indifferẽtia, quæ eſt poteſtas ad oppoſitum eius quod exercet. Nam profectò in illa cauſa, quæ ex ſe eſt indifferens & indeterminata ad hoc vel oppoſitum, determinatio exercita ſeu actualis ad vnam partem neque lędit, neque repellit libertatem, ſi hoc fiat per quandam proportionem & adaptationem ad conditionẽ & naturam cauſæ liberæ, quia cùm mea voluntas ſe determinet ad vnam partem nullam amittit libertatem, imò neque indifferẽtiam, in qua concipitur poteſtas ad oppoſitum, quoniam licèt in voluntate libera ſit poteſtas ad actus oppoſitos, non tamen vt componantur ſimul duo actus contrarij, quia hoc implicat, ſed quòd ex modo operandi potentiæ liberæ poſsit operari hoc & oppoſitum, ſi tamen ad vnum ſe determinet, aliud voluntariè relinquit. Vnde potentia libera accepta in actu primo cum omnibus requiſitis ad agendum non neceſsitatur à principio aliquo auferente indifferentiam eius, quia ſolùm mouetur & determinatur iuxta naturæ ſuæ conditionem & modum agẽdi cum indifferentia ad vtranque partem: qui modus agendi conuenit potentiæ liberæ, etiam quando liberè in exercitio ſe determinat ad vnã partem, quia taliter agit & operatur, vt ex modo agendi & operãdi poſsit in oppoſitum vel ceſſare ab operatione. Neque libertas voluntatis conſiſtit in hoc, vt vtrunque actum poſsit exercere ſimul, aut in hoc, quòd poſsit operari & non operari actu & in exercitio per ſimultatem vtriuſque, quia hoc implicat, ſed in hoc quòd quamuis poteſtas ſit vtriuſque, quia poſitis omnibus requiſitis ad agendum poteſt voluntas agere & non agere, tamen exercitium non eſt vtriuſq; ſimul compoſitiuè, quia ſi vnum fit determinatè, alterum relinquitur liberè. Voluntas igitur quamuis reſpectu eiuſdem, & in eodẽ genere nõ poſſit eſſe ſimul determinata & indifferens, ſecus tamen eſt in diuerſis & non reſpectu eiuſdem.

Determinatio exercita ſeu actualis ad vnã partem in cauſa quæ ex ſe eſt indifferens non repellit, neque lædit libertatem.

VERVM vt res hæc egregiè aperiatur obſerua, quòd cùm voluntas ſit libera & indeterminata, & præterea careat viribus ad ſupernaturales actiones, eget, vt exeat in actum ſecundum determinatione quadam, qua indifferentia antecedens omnem actum tollatur, quia cauſa indifferens vt indifferens eſt indifferentia antecedente omnem actum, nihil poteſt operari quandiu ſic manet, ſcilicet indifferens. Verum huiuſmodi determinatio voluntatis, quæ formaliter eſt per actum ſecundum volũtatis, non fit tantùm à Deo, ſed ſimul etiam fit ab eadem voluntate liberè ſe agente, quia ſi actus ille quo volũtas intelligitur formaliter determinata eſſet à ſolo Deo, non eſſet liber, ſed neceſſarius. Et ex hoc conſequenter colligitur hanc voluntatis determinationem minimè fieri per aliquem alium actum diſtinctum ab illo, quo voluntas determinatè proſequitur obiectum aliquod, ſed per eũdem actum numero habentem diuerſos reſpectus, vt ſuperius explicuimus. Addunt prętereà nonnulli, quòd in genere cauſæ efficientis ordinè naturæ prior eſt determinatio Dei, ſicut prior eſt influxus Dei, tamen in genere cauſæ materialis videtur illa determinatio voluntatis intelligi quaſi antecedens, licèt ſint ſimul in eodem momento, ſicut diſpoſitio ad gratiam quæ eſt contritio, licèt in genere cauſæ efficientis ſit effectus gratiæ & poſterior ea, tamen in genere cauſæ materialis dicitur antecedere ipſam gratiam.

Volũtas cũ ſit indifferẽs, vt exeat in actum ſecundum eget determinatione quadã, qua indifferentia antecedens omnẽ actum tollatur.

Licèt in genere cauſæ efficientis prior ſit Dei determinatio, in genere tamẽ cauſæ materialis non ita.

TANDEM quamuis ad infallibilitatem diuini decreti requiratur, quòd eueniat id quod ipſe Deus ita diſpoſuit, tamen actus noſter ſecundus & exercitus reſultat dependenter ſi formaliter loquamur à determinatione libera voluntatis, quæ phyſicè potuit non eſſe, ac proinde poſito

diuino decreto effectiuè influendi, quamuis nō potuerit frustrari decretum diuinum, tamen potuit actus physicè non esse, cùm liberè à voluntate ipsa fiat, & non à qualicunque voluntate, sed voluntate determinata à Deo suauiter & efficaciter cum suo modo libero, iuxta doctrinam S. Thomæ.

SECTIO II.

Vtrùm Deus expectet voluntates nostras, vt ipse influat, & concurrat, ne lædatur libertas?

Hæc quæstio de actibus bonis tā naturalibus quàm supernaturalibus procedere potest.

DISPVTATIO hæc est difficilis, non paucis ab hinc annis: & propter aduersarios nouè suscitata est. Et sanè potest controuerti tam de actibus bonis naturalibus quàm de supernaturalibus, Vtrùm Deus sub cōditione velit, vt, verbi gratia, fiat hic actus contritionis & pœnitentiæ, vel hic actus misericordiæ & eleemosynæ à voluntate creata, si ipsa velit, seu quòd Deus velit huiusmodi actus fieri ab arbitrio nostro sub conditione, si ipsum se se ad illos eliciendos determinauerit: & sub eadem cōditione Deum velle influere in eos, expectando tamen influxum voluntatis nostræ creatæ, aut influxum arbitrij nostri.

D. Chrysost.

DE hac re inuenio Chrysostomū ante exortam hæresim Pelagij Homilia. 12. ad Hebræos super caput septimum dicentem: Quòd prius nos à nobis ipsis oportet mundari: & quòd tūc Deus mundat nos, Quod probat ex elogio diuino, in quo cùm Deus dixerit, Mundi estote: intulit, Deus tunc: Ego dealbabo. Et paulò antea idem Chrysostomus clarius inquit. *Oportet nos quippe eligere primùm quæ bona sunt: & tunc ipse, quæ sua sunt, introducit. Non antecedit nostras voluntates, ne lædatur liberum arbitrium: cum autem nos elegerimus, multam tunc nobis adfert auxiliationem.* Et inferius. *Efficiamur mundi quantum valet virtus nostra, abstergamus à nobis peccata.*

Molina de errore notat Chrysostomum.

LVDOVICVS Molina in Cōcordia quæst. 14. art. 13. disput. 41. notat Chrysostomum de errore, quòd cum non valeret intelligere qua ratione libertas arbitrij nostri salua posset consistere, si Deus sua gratia nostram præueniret electionem, putauit & credidit, electionē qua primò acceptamus bona, eaq; facere decernimus, esse priorem ipsa Dei gratia: postea verò subsequi gratiā, qua adiuuamur, & cooperatur Deus. Subiungit tamen Molina. Quòd quia res hæc difficillima erat illis temporibus, antequam toties fuisset disputata & examinata, errare potuit humano more, absq; vlla culpa Chrysostomus, nesciens distinguere gratiam vocantem, præuenientem ac excitantē liberum arbitrium ad bonam electionem. Porrò Chrysostomus viginti quinque annis ante Augustinum & ante Hieronymum defunctus est. Concertationes autem cum Pelagianis post illius mortem extitere: En quomodo Chrysostomus sensit Deū expectare arbitrium nostrum, vt Molina notat.

Quid sentiat Molina.

VERVMTAMEN ipse idē Ludouicus Molina in eadem Concordia, quæst. 14. ar. 13. disputatione. 10. affirmat: Quotiescunque liberum arbitriū ex suis viribus naturalibus conatur, præstóve est ad conandum totum id quod ex seſe potest, tam circa ea addiscenda & amplectenda quæ fides habet, quàm circa dolorem de peccatis ac iustificationem, à Deo conferri gratiam præuenientem, & illa auxilia quibus id faciat, vt oportet ad salutem. Addit etiam hoc fieri ex lege Dei. Vnde asseuerat Christum promeruisse atque obtinuisse eam legem subueniendi hominibus, quam cum Patre cōstituit: per quam eatenus facta est potestas, vt filij Dei fiant homines, quatenus si quantum in se est conentur ex suis naturalibus, præsto illis aderit Deus, vt fidem & gratiam consequantur, neque desiderio suo fraudentur: & ea ratione dicit in potestate eorum esse, vt filij Dei fiant. Et Frāciscus Suarez quamuis in hac parte non sentiat cum Molina, tamen contendit excusare eum lib. 3. de auxilijs, cap. 2. §. Non omittam. Vides quo pacto Molina sentiat Deum expectare ex lege Dei conatum virium naturalium liberi arbitrij, & opera ex viribus naturalibus eius, vt ipse influat aut præsto sit homini per auxilia, vt fidem & gratiam consequatur, aut ne defraudetur à desiderio suo: Imò verò subiungit, quòd hac ratione in potestate hominum situm est, si conentur quantum in se est, vt filij Dei fiant.

Proponitur sententia M. Suarez.

FRANCISCVS Suarez lib. 1. de concursu Dei cum voluntate ad actiones liberas: post quā negauit præmotionem diuinam, & prædeterminationem per gratiam efficacem efficiēter propriè præmouentem animam, & cor nostrum, quia putauit per hoc lædi liberum arbitrium, dicit: Quòd duobus modis intelligi potest diuinam voluntatem velle influere in actum liberū voluntatis nostræ. Primus est volendo simpliciter, quòd talis actus à tali voluntate & tali tēpore, & modo fiat, ita vt voluntas Dei, absolutè secundùm rationem antecedat præscientiam absolutam talis effectus liberi & futuri, & ipsa voluntas Dei sit efficax, qua vult applicare potentiam suam, vt influat in voluntatem nostrā & determinet eam. Et hunc modum dicendi dicit esse falsum. Secundus modus dicendi est quē ipse putat verum, & probabilem valde, & aliū non posse excogitari commodiorem: in quo affirmat, Deum non absolutè, sed quasi sub conditione velle, vt hic actus fiat à voluntate creata, si ipsa se se ad illum eliciendum determinauerit: & sub eadem cōditione velle ipsum Deū influere, & concurrere in eundem actum: expectando tamen influxum creatæ voluntatis: non quia Deus non posset eundem actum aliter efficere, sed quia vult se se nostræ voluntati accommodare, ne eius lædat libertatem. Et subiungit statim. Quòd ex vi huius diuinæ voluntatis, ita manet applicata diuina omnipotentia ad in-

fluendum in actum humanæ voluntatis, vt hac influente Deus etiam influat expectando influxum voluntatis creatæ.

1. *Argum.* HANC sententiam seu modum dicendi probat Suarez: Primò quia talis modus nullam habet repugnantiam aut implicationem contradictionis: Est enim talis modus concurrendi possibilis Deo, & non potest cogitari quæ impossibilitas reperiatur in eo. Quod hac ratione ostenditur: Diuina voluntas est omnipotens vt faciat quod vult, & quomodo vult, potestque velle omne id in quo non est cõtradictio: ergò Deus potest concurrere cum secundis causis liberis sub conditione, si ipsæ se ad actum eliciendum determinauerint, aut si ipsæ voluerint, & velle influere sub eadem conditione in eundem actũ liberum, expectando tamen influxum voluntatis creatæ. Hoc confirmatur exemplo Solis ab huiusmodi auctore: Quoniam Sol est ex natura sua generali quodammodo veluti expositus ad concurrendum cum singulis causis secũdis, quæ ab illo pendent, iuxta vniuscuiusque capacitatem ac modum: Quid igitur mirum, quòd Deus sua voluntate possit efficacitatem seu potentiã suam, prædicto modo veluti indifferenti ac generali, applicare & offerre humanæ voluntati: vt sit paratus ad concurrendum cum illa, ad actũ quem ipsa voluerit, & effecerit, expectando influxum eius.

2. *Argum.* RVRSVS probat: quia vnus homo potest hoc modo offerre auxilium suum ad omne id quod alter elegerit: sed quia homo imbecillis est, neque habet vires efficaces, id facit multiplicando actus & mutationes, ac tantùm iuuando extrinsecùs potius ad continuationem, vel consummationem, quàm ad primam inchoationẽ: ergo Deus qui est omnipotens potest illo modo suum auxilium offerre, aut concursum, seclusis imperfectionibus.

DICVNT præterea auctores oppositæ sententiæ, quòd si iste modus dicẽdi est possibilis, sine dubio est accommodatissimus ad vtranque libertatis partem in voluntate nostra tuendam, videlicet quoad specificationem & exercitiũ: seu quoad posse agere & posse non agere: Nã cùm potestas liberæ voluntatis sit veluti superior, & eminentior cæteris agentibus naturalibus, vt in suo vsu nõ contrahatur, neq; adstringatur ad vnum tantùm, ex parte diuini auxilij, aut diuini concursus: necesse est vt tale auxiliũ seu talis concursus cum eadem eminẽtia, abstractione, & vniuersalitate tribuatur voluntati: Quia si ad vnam partem determinetur, ad illam volũtas erit necessariò adstricta, nõ quidem necessitate orta ab eadem voluntate, sed ab alio, quæ est necessitas libertati repugnans: ergò Deus ita confert suum auxilium, influxum, seu concursum ipsi voluntati liberæ, vt ei sit liberũ vti eo, vel non vti, & hunc aut illum actum omninò efficere: Igitur hic modus dicendi influendi & concurrendi, non solùm est aptissimus ad vsum libertatis, sed neque vllus alius ad hunc finem potest videri accommodatus. Hactenus prædictus auctor: qui re vera prædictum modũ dicendi superius allatum ita amplectitur, vt dicat nullum alium posse videri accommodatum ad defendendam voluntatis libertatem: Nam quamuis posset Deus alio modo concurrere cũ voluntate nostra, eam præmouendo & determinando efficienter propriè sua diuina voluntate, tamen concursus ille longè diuersæ rationis esset ab eo, quem prædicti auctores constituunt, scilicet expectando influxum voluntatis creatæ, & concurrendo sub conditione si voluntas ipsa voluerit: aliàs si voluntas ageret non expectante Deo influxum eiusdem voluntatis, sed potius ageret determinata à Deo, & non ageret liberè: sequeretur etiam quòd eadem potentia hic & nunc, & respectu eiusdem actus, ageret determinata & non determinata; & quòd ageret indifferẽs positis omnibus requisitis in actu primo, & determinata ab alio in actu primo, id est, non indifferens. Quare si voluntas ageret præmota & prædeterminata à Deo, hoc nõ esset disponere fortiter & suauiter negotium liberi arbitrij, sed potius esset fortissime illud ligare & rapere, & vi potius quàm suauitate illud ad consentiendum pertrahere.

Ita approbat Suarez suum dicendi modũ, vt nullum aliũ accommodatum posse esse dicat.

TERTIÒ, quòd Deus expectet influxũ voluntatis creatæ, ita vt velit sub conditione influere si voluntas ipsa creata velit: probatur ex illo Eccles. 15. *Reliquit Deus hominem in manu consilij sui.* sed si non expectaret Deus influxũ voluntatis nostræ, volendo influere & concurrere sub conditione, si volũtas ipsa voluerit agere, non diceretur Deus reliquisse hominem in manu consilij sui. Nam si Deus obtulit homini aut voluntati eius auxilium aut concursum ad vnum tantum actum determinatum, nullus relinquitur locus consilio, neque deliberationi: quia illa determinatio omne consilium humanum, non tantùm in tempore existens, sed etiã vt ab æterno præuisum antecesit: & post illam determinationem nullum mediũ relictum est, nec potestas euitandi illum actum, nec faciendi alium: ergo cum Eccles. cap. 15. dicatur, quòd Deus reliquit hominem in manu consilij sui, sequitur, quòd verè habet homo in manu sua Dei auxilium, influxum, & concursum necessarium ad ea de quibus verè potest consultare. De quo dicitur alijs in locis: *Appositi tibi ignem & aquã, vitam & mortem, elige quod vis, tibi optio datur.*

3. *Argum.* *Ecclesiastici.* 15.

QVÒD si obijcias Concilium Arausicanum secundum can. 4. dicere Deum non expectare voluntatem nostram vt purgari velimus: Respõdent hoc esse intelligendum, quòd nõ expectat ante primã vocationem: nihilominus post illam Deus expectat liberum consensum: ita docet idem auctor, lib. 3. de auxilijs, cap. 15. exponendo Concilium Arausicanum; & etiam lib. 1. de concursu Dei cum volũtate, cap. 17. pag. 86. vbi ait necesse esse Deum ita esse expositum ad cooperandum, vt solùm quasi expectet liberi arbitrij creati influxum, & idem docet lib. 3. de auxilijs, capi. 13. præsertim num. 12. Quo in loco dicit, quòd Deus expectat liberam coope-

Repellere eõtendunt ad uersarij obiectionẽ ex Concilio Arausicano.

ratio-

rationem creatæ voluntatis: & quòd virtus diuina applicatur ad influendum in actum voluntatis creatæ ex voluntate quasi conditionata, & sub conditione Deum velle influere, si humana volũtas ad illum actum cooperari voluerit, Dei voluntate expectante liberam cooperationem creatæ voluntatis: Et idem Franciscus Suarez in tractatu cuius titulus est: Breuis resolutio cõ trouersiæ de auxilio efficaci, pag. 379. sic concludit: *Ex quibus nobis constat post vocationẽ expectare Deum, vt homo aperiat & consentiat, &c.* & lib. 1. de concursu Dei cum voluntate num. 5. fusius hoc idem tenet. Sed de hoc modo respondendi ad Concilium, videnda sunt quæ superius diximus in sectione. 1. huius disput. 5. in discursu conclusionis tertiæ iterum propositę secundo loco, vbi testimonia Conciliorum retulimus.

HANC volunt auctores citati esse sententiã D. Thomæ, sed sine causa, volunt etiam esse sententiam Capreoli & Gregorij Ariminensis, sed profectò valde decipiuntur, vt ostendemus in discursu huius sectionis.

4. *Argum. D. Damas.* QVARTÒ arguitur ex sententia D. Damasceni lib. 2. de fide orthodoxa, capit. 29. vbi ait: *Quæ in potestate nostra sita sunt, non prouidentiæ, sed libero nostro arbitrio assignari debent.* Et capit. 30. subiungit: *Illud scire interest, Deum omnia quidem præscire, sed non omnia prædefinire.* Præscit enim ea quæ in nostra potestate & arbitrio sita sunt, at non item ea prædefinit: ergò non præmouet Deus voluntatem, sed potius illi prouidet sub conditione, vt si ipsa velit agere, Deus tunc concurret & influet, expectando influxũ voluntatis creatæ, ne lædatur eius libertas. Hoc enim est quod in prædicto testimonio videtur insinuare Damascenus.

Gregorius Nicenus. CITANT aduersarij alia testimonia ex Græcis Patribus præcipuè Gregorium Nissenum lib. 7. Philosophiæ, cap. 1. & lib. 8. cap. 4. & vltimo, vbi docet ea quæ sunt ex nobis, nõ esse ex prouidentia, quod non potest aliter intelligi, nisi non esse ex voluntate Dei prædeterminante nos ad vnum: ergò oportet loqui iuxta modum dicendi superius assignatum. Eodem modo loquitur Theodoretus lib. 5. diuinorum decretorum, cap. de prouidentia, vbi in eodem sensu dicit virtutes & vitia, seu liberas actiones non esse ex prouidentia, nimirum prædeterminante voluntates nostras. Iustinus Martyr. quæst. 8. ad Orthodox. inquit: *Non igitur causa est Deus virtutis nostræ, aut vitij, sed propositum nostrum & voluntatis*: ergò valde rationabile est Deum expectare influxum voluntatis creatæ & sub conditione velle influere & concurrere ad eundem actum. Citant præterea D. Chrysostomũ Homilia. 12. ad Hebræos dicentem: *Non antecedit nostras voluntates, ne nostrum lædatur arbitriũ.* ergò expectat influxum nostræ voluntatis, vt Deus ipse velit concurrere & influere. Citant præterea D. Dionysium de cœlesti hierarchia, capit. 9. sic dicentem: *Neque enim vita nobis data est, cui vis illata sit, aut impositа necessitas: neque liberi arbitrij gratia diuinitus indulta mortalibus, prouidentiæ diuinæ luce & splendore obtunditur.*

Theodore. *Iustinus Martyr.* *D. Chryso.* *D. Diony.*

D. Hieron. D. Hieronymus epistola. 146. ad Damasum de filio prodigo, inquit hominem ita esse liberũ vt viuat, non ex imperio Dei, sed ex obsequio suo, id est non ex necessitate, sed ex voluntate.

D. Augus. D. Augustinus videtur hoc ipsum dicere. 7. de ciuitate, cap. 30. cum ait: *Ita Deus administrat res quas condidit, vt eas motus suos agere sinat.*

Oecumenius. OEcumenius ad Timoth. 2. *Si Deus vult quare non fit quod vult?* Et respondet: *Non fit, quia illi nolunt: nihil enim ex necessitate facit in nobis Deus.* Igitur hoc est ac si dicat, ideo non fit quia non absolutè vult, sed conditionatè & dependenter à nostro consensu, & expectando influxum voluntatis nostrę, ne nobis necessitatem imponat.

5. *Argum.* QVINTÒ, illa præmotio voluntatis, qua Deus præuenit voluntatem non expectando eam neque influxum eius non est necessaria ad hoc, vt dicatur Deus auctor operum volũtatis, neque ad hoc, vt cõcurrat ad omnes actus eius, neque etiam ad hoc, vt liberum arbitrium nostrum habeat debitam subordinationem, & subiectionem ad Deum, vt ad primam causam, quæ omnibus prouidet, & vniuersa gubernat: sed hoc nulla ratione melius fiet, quàm sine prædeterminatione voluntatis: Quoniam hæc omnia sufficiẽtissimè possunt fieri & intelligi per modum dicendi supra tactum. Nam certè videtur, quòd si Dei volitio antecedit & æternitate & causalitate volitionem causæ secundæ, quòd prius Deus vult, vt ego velim, quàm ego re ipsa velim: & consequẽter quòd non possem ego velle, nisi prius Deus sua voluntate efficaci disposuisset vt ego velim, sed per hoc læditur libertas hominis: ergo nullus modus excogitari potest magis accommodatus, quàm ille, quem aduersarij defendunt ad saluandam libertatem hominis.

Modus dicendi quorundam. ALIQVI Theologi vt saluent libertatem cũ gratia Dei, & præsertim cum gratia adiuuante ad actus supernaturales dicunt actus supernaturales, qui eliciuntur à voluntate, nullum habere in homine principium propriè effectiuum sibi inhærens præter voluntatem, Deumque ipsum per se, & efficacitate sua supplere efficientiam, quam poterat habere vel gratia vel habitus aliquis. Vnde affirmant hac ratione Deum dici posse virtutem assistentem productiuam & elicitiuam istorum actuum, & consequenter Deus dicitur influere & concurrere ad hos actus duplici ratione: videlicet & vt prima causa in ordine gratiæ; & præterea vt causa principalis proxima, non tamen integra seu totalis in omni genere, quia non excludit actiuitatem voluntatis. Hunc modum dicendi approbat Suarez lib. 3. de auxilijs, cap. 4. prope finem. §. Posterior modus explicatur. vbi inquit, quòd hic modus dicendi est posibilis, & quòd sibi videtur satis certus: quia nulla intercedit repugnantia, & præterea quia non est facile subtrahendum aliquid diuinæ potentiæ, vbi non satis constat de impli

catio-

catione contradictionis, quæ nulla hic ostendi potest. Quoniam Deus concurrendo hoc modo cum volũtate non excludit efficientiã eius, quæ sola ex parte hominis ad actum vitalem & præsertim liberũ necessaria est, sed supplet solùm efficientiam gratiæ, aut principij effectiui inhærentis, quæ non est ita necessaria aut intrinseca actui vitali: omnem autem efficiẽtiam extrinsecam secundæ causæ potest Deus per se ipsum supplere: ergo sicut gratia aut principiũ effectiuum inhærens, aut habitus est virtus iuuãs potentiam, ita & Deus potest illam iuuare, & tunc dici potest Deus virtus assistens, & hoc nihil refert ad puram efficiẽtiam vel adiutorium in efficiendo dummodo, voluntati semper relinquatur suus locus.

Deum de facto vtihoc modo, quem aduersarij fingunt, si possibilis est, colligũt ipsi.

Ex dictis colligunt auctores oppositæ sententiæ, quòd cùm prædictus modus dicendi sit possibilis, non est difficile credere de facto Deũ vti illo in huiusmodi actibus, tũ quia deest virtus causæ proximæ ad eliciẽdum illum actum, ad quem Deus ipse per suam gratiam illam excitat, & idcirco ad ipsum pertinet supplere defectum proximæ causæ: tum etiam quia tunc Deus operatur principaliter in anima, illam ad se conuertendo. Et idcircò dicit D. Thomas cõuersionem, per quam homo se præparat ad gratiam habẽdam, non exigere habitualem aliquã gratiam, sed operationem Dei animum ad se cõuertentis. Legendus est S. Thom. 1. par. quæst. 62. art. 2. & solutione ad 3.

Ad suauẽ Dei prouidẽtiam maximè pertinet dare secundis causis virtutes intrinsecas per quas operẽtur.

Sed profectò inter alia quæ difficilem reddunt hanc opinionem, illud vnum est inter multa, quòd ad suauem prouidentiam Dei maximè portinet dare secundis causis virtutes intrinsecas per quas operẽtur: ergò id multò magis necessarium est in operibus supernaturalibus à voluntate elicitis, præcipuè in effectibus & actionibus in quibus non suppetunt vires voluntati: quod quidem etiam est multò magis necessariũ, quia voluntas in hoc statu peccati non solùm caret principio & forma supernaturali, verum etiam ipsa manst vulnerata post peccatum, & contraxit imbecillitatem quandam. Rursus illa assistentia Dei, vel ponit aliquid supernaturale in ipsa volũtate vel, nihil: si aliquid, habetur intentum; si nihil, quo pacto volũtas poterit operari absque eo quòd sit in actu primo per aliquem actum primum supernaturalem per modum principij? sola enim assistentia nisi ponatur aliquid ad extra relinquit voluntatem nudam.

Addvcor ad sentiendum hanc opinionem esse difficilem, quia iuxta illam, hæc adiuuans gratia non est aliquid creatum & in voluntate positum, sed est aliquid increatum, & ex consequenti non erit aliquid animæ inhærens intrinsicè, cùm tamẽ Tridentinum sessione. 6. cap. 5. oppositum significet. Decernit enim hominem ita moueri à Deo, vt per eius excitantem, atq; adiuuantem gratiam ad iustitiam se disponat.

Sed contra hoc aduersarij dicunt non esse inconueniens vllum aliquam adiuuantem gratiam esse increatam. Rursus dicunt, quòd quãuis hæc gratia in actu primo cõsiderata sit quid increatum, quia nihil aliud est, quàm Deus ipse vt assistens animæ, quam ad suam conuersionem excitauit, paratus specialissimè iuuare & subleuare eam ad perfectum supernaturalem actum efficiendum si ipsa cooperari voluerit: Tamen in actu secundo ipsa actio, vt procedẽs à Deo, sub hac ratione considerata, est quid creatum, & potest dici gratia adiuuans. Hoc tamen mihi videtur difficile, quoniã ipsa actio supernaturalis est effectus & supponit auxiliũ, quod se tenet per modum principij eius ex parte auxiliantis seu auxiliatoris, qui est Deus.

Actio supernaturalis effectus est, & supponit auxilium.

Pressi veritate & rationibus his auctores oppositæ sententiæ, respondentes ad Concilium Tridentinum concesserunt gratiam adiuuantem esse aliquid inhærens voluntati: quia supernaturalis concursus Dei recipitur in ipsa voluntate: in quo Dei concursum videtur fateri esse concursum in voluntatem & in causam, & nõ tantùm in effectum, seu in actionem. Dicunt tamen non esse necessarium, vt omne principiũ adiuuans inhæreat ipsi voluntati. Hoc tamen nõ satisfacit, quia in præsenti nos loquimur non de his quæ fieri possunt de potentia absoluta, sed de his quæ de facto fiunt secundùm suauem Dei prouidentiam, & modum proprium agendi debitum & regularem in causis secundis, præcipuè in voluntate in ordine ad supernaturales actus, respectu quorum voluntas præcisè secundùm se & suam entitatem naturalem nõ habet proportionem vllam.

Probatur à cõtrariè opinantibus nõ debere, nec posse poni auxiliũ efficax.

Sed obijciunt prædicti aduersarij, adeò esse probabilem eorum sententiam, vt ex principijs Fidei possit ostendi eam sententiam, quæ ponit auxilium efficax gratiæ efficiẽter propriè prædeterminans voluntatem nostram ad supernaturales actus, non esse possibilem: quia contrariatur libertati quoad exercitium. Quòd igitur huiusmodi auxilium efficax non sit necessariũ, neque possit esse ad præstandum supernaturalẽ consensum liberum: & quòd ex eius positione destruatur sufficiens auxilium gratiæ Dei probari potest hoc modo: Nam auxilium quod vocatur sufficiens, verè & realiter dicitur esse sufficiens ad hoc, si liberum arbitrium cooperari velit cum diuina gratia: ergò non est necessarium vllum aliud auxilium simpliciter loquendo, quod dicatur efficax efficaciter præmouens & determinans voluntatem: vel è contrario si huiusmodi auxilium efficax efficienter propriè præmouens voluntatem nostram, vt venit à Deo, esset necessarium simpliciter ad liberum consensum supernaturalem: sequitur illos, qui non conuertuntur, non habere sufficiens auxilium, vt conuertantur, seu vt conuerti possint, atque hac ratione & sensu pugnare hoc cum sufficientia gratiæ diuinæ: quia dum tantùm extollitur efficacia gratiæ, tollitur illa quæ est sufficiens.

Cõfirmatio.

Et confirmari hoc potest: Nam qua ratione aliqua gratia dici potest sufficiens, si aliquid illi

neces-

necessarium deficit? cùm sufficiens auxilium tale dicatur esse, quia includit aliquo modo quidquid necessarium est ad effectum, ad quem dicitur sufficiens: sed auxilium datum ei qui non cõuertitur, non includit præmotionem efficacem gratiæ prædeterminantem voluntatem: igitur si hæc præmotio, quæ non tantùm est moralis, sed etiam propriè efficiens, est necessaria: sequitur, quòd illud auxilium sufficiens non est.

Solutio. DICES, quòd auxilium sufficiens non dicitur esse sufficiens ad velle, & ad actum exercitum, sed tantùm ad posse velle: & quòd præmotio illa gratiæ efficacis, seu prædeterminatio propriè efficiens non dicitur esse necessaria ad posse, sed ad velle, & quòd hæc duo non habent inter se repugnantiam, & ob id non sequi efficax auxilium non esse necessarium: quia sine illo nunquam per solum auxilium sufficiens fit, vt homo actu velit, aut consentiat.

Replica. SED contra hoc est, quia efficax auxiliũ est quædam motio voluntati impressa, illique inhęrens, quæ censetur esse veluti vltimum complementum virtutis necessariæ ad agendum: ergò hoc auxilium non tantùm dicitur esse necessarium vt voluntas actu velit & operetur, sed etiã vt velle possit, quia sine illo virtus voluntatis imò verò virtus habitualis infusa est incompleta & non sufficiens ad eliciendum actum & ad operandum actu: igitur sine illo tali auxilio nõ solùm non aget voluntas, sed neque potest agere: ergò omne auxilium, quod hoc nõ includit, nimirum quod non includit hoc efficax non potest vocari sufficiens etiã ad posse, vt suprà insinuatur.

Aliter arguitur. RVRSVS argumentãtur, quia auxilium efficax præmouens voluntatem, quod non expectat voluntatem, vel est necessarium per modũ principij, vel per modum concursus immediati in ipsum actum. Si dicãs primum, quia hoc auxilium est immediatè in causam & in voluntatem & non in effectum: sequitur huiusmodi auxilium esse necessarium ad posse velle, & non tantùm ad velle. Nam cùm dicitur esse aliquod auxilium ad posse, non est intelligendum ipsum posse esse terminum vel finem ad quem ordinatur auxilium, sed esse quasi formalem effectum qui confertur per auxilium: omne autem auxilium necessarium, quod per modum principij datur, tribuit posse agere: Nam cum datur vt principium ad agendum, constituit cum ipsa voluntate integrum principium agendi: & hoc sine dubio est tribuere voluntati, vt possit agere: igitur huiusmodi auxilium non tantum est necessarium ad velle, sed etiam ad posse: quia absque ipso nondum est constitutũ sufficiens principium, nec sufficiens potentia ad agendum: ergo implicat absque hoc efficaci auxilio intelligere sufficiens auxilium. Et confirmari **hoc** potest, quia dictum est auxilium sufficiens tribui per modum principij, cum detur absque actu, & consequenter, vt in eo ordine sufficiens sit debere includere aliquo modo omne auxilium, quod est necessarium per modum principij, ob id quòd non potest vocari sufficiens principiũ, quod non includit quidquid necessarium est in ratione principij: igitur si huiusmodi efficax auxilium est necessarium in ratione principij, sine illo nullum erit sufficiens auxilium. Imò verò si auxiliũ aliquod vocatur sufficiens ad actũ, quem non potest efficere sine alio maiori auxilio, quod similiter sit principium actus, illud tale auxilium non poterit esse proximè sufficiẽs cum per se non sufficiat, sed remotè, siue per aliud: & propter hoc ostensum fuit esse necessariũ vt in potestate hominis sit facere aliquid per prius auxilium, quo posterius & maius obtineat ad efficiendum alium actum. Sic ergo in proposito, si huiusmodi efficax auxilium verè est necessarium per modum principij, sequitur quòd sine ipso nullum aliud poterit esse immediatè & proximè sufficiens, vt liquet ex dictis: sed rursus neque potest esse sufficiens mediatè, quia per illud nihil potest homo facere, quo efficax auxilium obtineat: ergò.

Aliud mẽbrum propositi argumẽti. QVòD si huiusmodi efficax auxilium dicatur esse necessarium, solùm per modum concursus, verum sanè est tale auxilium vt actu exhibitum & collatum necessarium esse ad agendum vel volendum, & non ad posse: quoniam tale auxilium consideratum hoc modo nihil aliud est, quàm ipsa actio vt procedens & manãs à Deo. Nihilominus tamen vt homo ante exhibitum hoc auxilium in actu secundo sit potens simpliciter, & habeat sufficiens auxilium ad eliciendũ talem actum, necesse est, vt illud auxilium habeat ita præparatum seu oblatũ ex parte Dei, vt sit in manu & potestate hominis illud habere si voluerit. At si efficax auxilium quamuis dicatur esse per modum concursus datur per prę-motionem illam efficientem & efficacem ad arbitrium diuinæ voluntatis, sequitur, quòd is qui non habet talem motionem, non solùm non habet actu concursum, sed nec etiam potẽs est habere: ergo non tantùm non aget, sed neque est potens agere, & consequenter non habet sufficiens auxilium. Et ex his potest confici argumentum: Nam quamuis concedatur aliquid esse necessarium ad actionem & ad actu operandum, quod non est necessarium ad potentiam, quod sanè est verum in concursu actuali, non in actu primo, cæterùm ad potentiam simpliciter, nimirum proximè & immediatè expeditam ad agendum cum omnibus prærequisitis, necesse est, vt homo ad minus in actu primo, seu in sua potestate habeat quidquid est necessarium ad actionem: quia aliàs potentia non erit immediata & proxima, sed solùm remota & insufficiens: igitur si efficax auxilium censetur esse necessarium ad velle actu, requiritur, vt saltem in potestate hominis sit habere illud: aliàs non potest homo dici habere sufficiens auxilium & potestatem ad eliciendos hos actus, & ex consequenti non poterit attribui quòd eos non eliciat voluntati eius. Hæc argumenta conficiunt aduersarij contra nos, vt probabilem efficiant suam sententiã, & de nostra dicant minimè esse verã.

Ex dictis cõficitur argumẽtum.

Tan-

Arguitur præterea cõtra nostram sententiam ex quibusdam inconuenientibus.

TANDEM si voluntas hominis excitata & præparata per gratiam excitantem non potest consentire, nisi prius natura in se recipiat motionem illam efficacis gratiæ Dei, quam à solo Deo pro illius voluntate potest recipere: ergò si solus ille qui actu cõuertitur illam recipit, sequitur eum qui non conuertitur simpliciter nõ posse conuerti, quia neque habet, neque sua libertate habere potest completam virtutem & sufficientem ad se conuertendum. Secundò sequitur, huiusmodi hominem non habere sufficiens auxilium ad conuersionem suam: Probatur, quia non habet actu principia omnia necessaria conuersionis suæ: nam vnum ex huiusmodi principijs est hoc efficax auxilium; quod sanè non habet homo, neque in potestate eius est positum, vt illud habeat moraliter loquendo. Tertiò sequitur, eum, qui non consentit vocationi Dei, quantumcunque sufficienter excitetur in ratione gratiæ excitantis, minimè peccare non consentiendo illi gratiæ excitanti. Probatur quia nunquam fuit in manu eius consentire: siquidem neque habuit gratiã efficacem, neque potuit facere quidquam vt illam haberet, at sine huiusmodi potestate non potest attribui culpæ illius hominis carentia actus. Quartò sequitur carentiam illius actus nimirum cõuersionis vel consensus non esse ex libertate, sed potius ex necessitate propter impotentiam habendi actum. Ostendo sequelam ex eo quòd vsus liber qui consistit in carentia voluntaria & libera alicuius actus nunquam est sine potentia morali & proxima operandi. Et præterea is qui non consentit vocationi etiam iuxta nostrã sententiam caret potentia proxima ad consentiẽdum vocationi: quoniam caret principio necessario ad eam eliciendam, quod quidem principium nullo modo in potestate sua habet neque est. Quintò sequitur ex necessitate auxilij efficacis consistentis in præmotione illa efficaci & efficienti auferri libertatem in non efficiendo actus supernaturales, quia hoc minimè proueniet ex libertate, sed ex impotentia: ergò cùm tot difficultates sequantur, ex sententia nõ expectante voluntatem nostram, sed præuenientem eam per præmotionem gratiæ efficacis Dei, sequitur præfatum modum dicendi de influxu conditionali Dei & concursu eius, si ipsa voluerit expectato prius influxu ipsius voluntatis multò certiorem & veriorem esse. Et pro hac sententia adducunt multa testimonia, præcipuè ex Græcis, quæ quidem minimè probãt ea quę aduersarij dicunt, vt ostedimus supra sectione. 1.

Supponuntur aliqua breuiter.

Suppositio prima. Quidquid Deus operatur ad extra siue se ipso siue cũ causa 2. liberè operatur. D. Augus.

PRO explicatione huius difficultatis, suppono primò: quòd quidquid Deus operatur ad extra, siue operetur cum causa secunda siue nõ, omnia liberè & voluntate sua operatur, & agit. Nam omnia quæcunque Deus voluit fecit in cœlo & in terra, & non alia, neque alio modo quàm ipse voluit: quia omnia agit, & operatur secundùm consilium voluntatis suæ. Hæc est sententia expressa D. Augustini mille in locis, in Enchir. ca. 95. 102. & 103. vbi affirmat, quòd quidquid Deus operatur, volens operatur, & quòd Deus nõ esset omnipotens, si aliquid vellet voluntas eius & non fieret, aut si volũtas hominis impediret voluntatem Dei. Rursus loquens de Elia Propheta lib. 26. contra Faustum Manichęum, cap. 4. inquit. *Hoc de illo factum est, quod Dei voluntas habet: quod verò Dei voluntas non habet, scimus de aliquo fieri omninò non posse.* Verum hoc duobus modis explicari potest. Primò sanè quòd ipsa volũtas Dei sub proprio conceptu voluntatis, aut sub propria & præcisa ratione concepta, sit ipsa Dei omnipotentia efficacissima, qua Deus executioni mandat id quod vult. Secundò potest explicari, quòd Dei omnipotentia, per quam Deus influit in res ad extra, sit quoddam attributum Dei à voluntate distinctum: quod quidem minimè operatur, nisi præeunte, & præcedente intellectu, vt dirigente, & voluntate vt applicante omnipotentiam. Et hic secundus modus videtur esse consonus D. Thom. 1. par. quæst. 19. art. 4. ad. 4. & quæst. 25. art. 1. ad 4. & etiam est consonus sacris Literis Sapientiæ. 12. vbi Dei omnipotentia prædicto modo exponitur: Quia subest ei cùm voluerit posse.

Suppositio secunda.

SECVNDÒ suppono semper esse in potestate voluntatis se ipsam determinare: quia determinatur à Deo determinatione libera, essęq; ad liberam determinationem exercitam eiusdẽ voluntatis necessarium, vt voluntas prius natura, quàm se determinet in actu exercito, & per proprium actum, habeat aliquo modo vel actu vel potestate, omnia quæ ad talem determinationem factam per proprium actum sunt requisita, quia si hoc non habet non erit in potestate voluntatis liberè agere: neque ipsa actualis determinatio poterit esse in eius potestate, ac proinde non erit libera.

Suppositio tertia.

SVPPONO tertiò, quòd si determinatio ita esset extrinseca & ab alio, tam in actu primo quàm in actu secundo, & non etiam ab ipsa voluntate, & actu eius, liberè agente & consentiẽte; ita vt respectu illius solùm passiuè se haberet, tunc talis determinatio non esset libera voluntati. Cum autem gratia Dei perficiat naturã, sequitur, quòd determinatio voluntatis, quæ ab arce prouidentię & gratiæ Dei procedit, potius perficiat libertatem voluntatis, quàm eam lædat.

Suppositio quarta. Quòd iuxta Concilij Tridentini decretum sess. 6. cap. 5. saluetur libertas.

SVPPONO quartò, decretum Concilij Tridentini, sessio. 6. cap. 5. & canone quarto, id voluisse decernere absolutè: nimirum quòd cum auxilio diuino saluatur libertas, & quòd liberũ arbitrium à Deo motũ potest dissentire si vult: quod nos salubriter profitemur & credimus. Vnde in illis decretis de gratia Dei, solùm determinatur voluntatem nostram, liberam manere, etiam si ponatur diuina motio. Quocirca decretum concilij non vult, quòd non detur auxilium gratiæ efficacis, vt est à Deo, præmouens

voluntatem etiam efficienter propriè seu prædeterminans eam, neq; vult efficacem Dei gratiam à Deo procedentem tollere libertatem. Deus nanque per auxilium suum efficax præmouens voluntatem, efficienter, & etiam moraliter mouet ipsam iuxta naturam, & conditionē ipsius, & maximè consentaneè libertati eius. Hoc nanq; maximè pertinet ad efficaciam gratiæ diuini auxilij procedentis à Deo, qui nouit voluntatem mouere, iuxta conditionem eius. Certum ergo est voluntatem posse dissentire si velit, quia liberè mouetur iuxta consentaneum modum ipsius: Vnde siue voluntas creata moueatur à Deo solo sufficiente auxilio, siue moueatur efficaci, cùm conuertitur homo, in ea cōuersione liberè præstat consensum & cooperatur, & non se habet merè passiuè, vt Concilium decernit. Tunc ergo liberum arbitrium potest dissentire, si vult, & potest abijcere illā motionem, quoniā absolutè & simpliciter potest dissentire: nam cum efficiēti præmotione, & prædeterminatione saluatur libertas: & hoc voluit etiam exprimere Concilium Tridentinum: nā hæc præmotio fit semper consentaneè ad conditionem libertatis, & naturæ ipsius voluntatis creatæ, quæ etiam vt libera est subijcitur Deo, illique subdita est. Non enim liberum arbitriū determinatur à Deo ad modū causæ naturalis, quæ ex sua natura est determinata ad vnum tantum, & ita non potest dissentire: neque determinatur ad modum quo pecora determinātur, aut sine vlla conferentia & collatione, sed determinatur iuxta modum voluntatis liberè, & per liberum actum, & ita potest absolutè dissentire si vult, & absolutè potest abijcere diuinam auxilij motionem: quamuis non stent simul illa duo de in esse: nimirum quòd Deus efficaci auxilio adsit, & præmoueat voluntatem: & quòd hoc stante ipsa non cooperetur, & præmoueatur: qui sensus est coniunctus, vt Magister notauit in 1. sententiarum vbi suprà.

Notandum pro quæstionis explicatione.

VERVM vt res, de qua nunc agitur, exactè aperiatur obseruare oportet, quod determinatio libera voluntatis ad alteram partem est aliquid reale in ea quidquid sit, vel aliquis modus realis eius: nam cùm voluntas sit libera & realiter indifferens ad hoc vel illud, & postea sit realiter determinata ad vnum oppositorem, sequitur quòd determinatur per aliquid reale, vel per modum aliquem realem pręuium ad operationem. Est enim prædeterminatio voluntatis ad pœnitentiam effectus gratiæ Dei, & auxilij diuini præmouentis eam efficaciter: ac proinde est aliquid reale, vel aliquis modus realis in ea, cùm sit effectus Dei positiuus & supernaturalis. Veruntamen huiusmodi determinatio voluntatis non fit per aliquem alium actum realiter distinctum ab illo quo voluntas prosequitur obiectum, sed per eundem secundùm rem, formaliter verò, & ratione distinctum. Quod quidem explicari potest in actu voluntatis, quo voluntas nostra Deum liberè amat: nam certè ille actus delectionis non est realiter distinctus ab illo, quo voluntas se determinat ad amandū illum: sed est vnus & idem actus secūdùm rem, differt tamen formaliter quatenus est determinatiuus voluntatis, & prout est amor Dei: vnde secundùm quod est prædeterminatiuus voluntatis præsupponitur prioritate naturæ, vel prioritate rationis ad se ipsum prout est amor Dei. Nam quando voluntas à Deo prædeterminatur per efficax gratiæ auxilium, prędeterminatur, ipsa cooporante, & concurrente ad suam prædeterminationem: debet autem concurrere per aliquem actum voluntatis: de quo actu affirmamus, quòd non distinguitur realiter ab illo actu voluntatis, quo prosequitur ipsum obiectum, sed solùm distinguitur ratione, & formaliter. Est simile in intellectu nostro, sicut enim intellectio & productio verbi sunt vnus & idē actus secundùm rem, differunt tamē ratione & quasi formaliter, vt benè perpendit Caiet. 1. p. quæst. 27. art. 1. & ille actus quatenus est productio verbi, seu dictio præsupponitur ad se ipsum vt est intellectio: sic etiam actus ille voluntatis præsupponitur, vt est prædeterminatiuus ad se ipsum prout est volitio obiecti. Hæc est doctrina discipulorum D. Thom. 1. 2. quæst. 9. art. 4. Et D. Thom. 1. 2. quæst. 16. art. vltimo ad 3. docet, quòd cum voluntas amat diuitias, similiter eodem actu virtualiter vult amare diuitias, in quo sanè videtur apertè insinuare, quòd eodem actu prædeterminatur ad dilectionem diuitiarum. Et sanè vnicus actus sufficit ad vtrunque: nam determinatio potentiæ nihil aliud videtur esse quàm operationis exordium, & initium. Rursus experientia hoc constat: nā quando aliquis liberè diligit rem aliquam non est ibi duplex actus, vnus, quo determinatur ad diligendam rem, & alius quo diligit rem: quod cum sit verisimum nihilominus affirmamus, quòd distinguantur formaliter vel saltim ratione hæc duo: quia prius est, quòd ipsa voluntas determinetur ad operandum, cùm de se sit indifferens, quàm quòd operetur: & consequenter talis prædeterminatio formaliter vel saltem ratione distinguitur ab operatione. Dicendū igitur est, quòd licèt in voluntate liberè agente & volente tantùm sit vnicus actus secundum rem, tamen est duplex formaliter & virtute multiplex. Vnde verè distinguuntur ratione, & idcircò ibi reperitur vera prædeterminatio voluntatis, & verum auxilium prædeterminans, & præmouens.

Libera determinatio voluntatis aliquid reale est in anima.

Determinatio voluntatis non fit per aliquem actum realiter distinctum ab illo, qua voluntas prosequitur obiectum, sed per eundem secundùm rem, licèt ratione distinctum.

Intellectio & productio verbi idem secundū rem, ratione verò distinguuntur.

Prima Conclusio.

Conclu. 1.

HIS suppositis dico primò. Deus determinat voluntatem nostram ad agendū & operandum, sed non determinat ipsam sine ipsa, sed cum ipsa: atque adeò voluntas, vt causa secunda libera, se determinat sub determinatione Dei in actibus suis liberis. Hanc assertionem veritate ipsa conuictus docuit Ruardus Tapper Decanus Louanienſis art. 7. contra Lutherum: & eam non potuerunt negare auctores oppo-

Ruardus Tapper.

sitæ

sitæ sententiæ. Et sequitur expresse ex doctrina D. Thomæ volente Deum applicare causas secundas ad agendum etiam voluntatem. Et probatur. Nam quidquid boni operatur, & agit secunda causa, id quidem agit prima: Nam si cælum influit in hæc inferiora, aut si Sol calorem producit circa nos, idipsum Deus facit: quoniam actio secundæ causæ magis est à prima causa, & magis pendet ab illa, quàm à secunda, sed voluntas se determinat in actibus eius liberis: ergò Deus eam determinat. Sanè determinatio volũtatis, qua per actũ suum se determinat ad conuersionem, & pœnitentiam, verè est aliquid, quod sine Deo fieri non potest: ergò Deus verè propriè efficit determinationem voluntatis nostræ. Cum igitur determinare voluntatem, non sit aliud quàm efficere determinationem eius, sequitur Deum determinare voluntatem nostram vt dictum est. Rursus Threnorum. 5. & Hieremiæ. 31. dicitur: *Postquam conuertisti me egi pœnitentiam*: Hoc est, postquam me ad pœnitentiam traxisti, & determinasti egi pœnitentiam: & in sacro eloquio dicitur: *Deus conuertere voluntates, & corda hominum ad te*. Et diuus Augustinus plerisque in locis dicit esse proprium Dei facere volentes ex nolentibus: ergò negari non potest vllo pacto, quin dicatur Deus determinare voluntates nostras, & corda nostra: per quam sanè determinationem quam Deus verè, & propriè efficit tam moraliter, quàm efficienter propriè, neque diuus Augustinus, neque Sacræ Literæ dixerunt lædi libertatem hominis. Et determinare voluntatem verè, & propriè, est agere ad extra, & idcirco propriè dicitur de Deo. Dixi autem Deum determinare voluntatem non sine ipsa sed cum ipsa, ne intelligatur, quòd determinatur voluntas merè passiuè, & quòd non se habet actiuè consentiendo, & operando: Et ne etiam videatur efficientia determinationis esse à solo Deo, voluntati verò tantum esse tribuendam receptionem passiuam determinationis: quia sic læderetur libertas voluntatis. Prædeterminatur igitur voluntas à Deo, sed non sine simultaneo consensu voluntatis, ita tamen, vt vel ipse concursus Dei aut influxus eius non solùm sit principalior causa, sed etiam sit aliquo modo prior natura, secundùm independentiam: & subsistendi consequentiam. Ex quibus constat, quòd ea quæ dicuntur de verbo determinandi, aut prædeterminandi, multo magis vera sint de verbo mouendi, aut conuertendi, & præmouendi. Nam sicut voluntas se mouet, ita etiam verè dicitur Deus illam conuertere, & mouere. Nam certè efficit illum actum, & inchoat in voluntate præmouendo ad ipsum. Vnde fit, quòd Deus dici potest præmouere vt causa prima, prouidens, & à qua in ratione agendi, & causandi pendet, tam ipsa voluntas, quàm etiam pendent aliæ secundæ causæ: propter quam causam in tali determinatione seu præmotione, denotatur priori tas naturæ, causalitatis, & independentiæ, imò verò denotatur requisita subordinatio causæ secundæ ad primam. Quocirca Deus potest ex speciali genere prouidentiæ, & motionis suæ gratiæ præmouere voluntatem, & intellectum, etiam ad collationem, & conferentiam, vt liberum arbitrium alliciatur, & moueatur ad præstandum liberum consensum. Et quamuis auctores oppositæ sententiæ sentiant, hoc non esse necessarium simpliciter, & per se, ad concursum, & influxum primæ causæ, tamen senserunt primò in operibus gratiæ, ex ratione propria, & speciali necessarias esse huiusmodi motiones supernaturales circa voluntatem. Secundò senserunt Deum determinare voluntatem nostram ad extra: quæ sanè determinatio, cum sit ad extra est indiuisa toti Trinitati, ac proinde negari non potest, quin fiat efficienter propriè à Deo præmouente nos, aut determinante, & conuertente. Vnde cum Hieremias dixerit: Postquam conuertisti me egi pœnitentiam; sequitur conuersionem nostram aut pœnitentiam esse effectum illius conuersionis actiuæ, qua Deus conuertit me, inchoat, determinat, & præmouet ad talem pœnitentiam.

D. Thomas.

Hieremiæ. 31.

D. Augus.

Quomodo loquantur, & quid sentiant quidã ex illis qui gratiã Dei oppugnant.

Illi qui lædunt gratiam Dei, & oppugnant id, vnde fit liberum arbitrium nostrum, vt dicit diuus Augustinus Epistola, 107. ad Vitalem, sentiunt (quòd magis est) priorem esse determinationem voluntatis nostræ in consensu, & operatione libera: tam in operibus gratiæ quàm naturæ: Priorem inquam determinatione voluntatis diuinæ, & qui sequuntur hunc modum dicendi ea ratione id asseuerant, vt explicent, & defendant cohærentiam libertatis nostræ cum diuina prædefinitione. Nam cum sit rationabile, & necessarium, assignare ordinem aliquem inter determinationem voluntatis nostræ, & diuinæ, si prædefinitio Dei esset prior aliqua ratione, nullus relinqueretur locus libertatis. Ex quo inferunt Auctores huius opinionis decretum Dei, & determinationem diuinæ voluntatis esse quid posterius libertate, & determinatione nostra: quia si voluntas determinaretur ab alio potius videretur agi, quã agere, & se mouere: quòd videtur repugnare libertati. Huius sententiæ censetur fuisse Ruardus Tapper, vt refert Gabriel Vazquez, 1. parte disputatione, 99. capite 5. Ego tamen nihil tale apud eum reperio, quin potius propositione 10. citata à Vazquez inuenio apud Ruardum, hæc verba. *In omni enim materia ita pietatis, & gratiarum sicut morali, & ciuili, ad voluntatem pertinet se determinare ad vnam vel alteram partem. Et quamuis sub determinatione Dei, non tamen propterea minus liberè se determinat, quàm si non concurreret nec determinaret Deus.* En assertiuè hic Auctor decernit, voluntatem se

Ruardus Tapper.

determinare sub determinatione Dei. Disputationes autem de prioritate inter Deum, & voluntatem: & an prius volũtas aliquid velit, quã Deus velit eam velle, vel è conuersio: inquit, ꝙ de his nihil disputare oportet, sed solũ esse obseruandum, quòd hi qui vocantur secundùm æternum Dei propositum indeclinabiliter, & inseparabiliter vocationem sequuntur: iuxta D. Augustinum de correptione, & gratia cap. 12. dicentem: *Subuentum est infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur.* Et ideò quamuis infirma sit voluntas non tamen deficeret, nec aliqua aduersitate vinceretur. Et adducit Ruardus illud Sapientiæ. 8. *Attingit sapientia à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*: ita vt libere, & contingenter quamuis declinabiliter, & infallibiliter semper sequatur voluntas. Ecce ex his non potest intelligi, quòd Ruardus Tapper faueat illi sententię quæ dicit, priorem esse determinationem voluntatis nostræ in consensu, & cooperatione libera, tam in operibus gratiæ, quàm naturæ, ipsa determinatione Dei, & decreto eius: sed potius quod voluntas se determinat sub determinatione Dei.

D. Augus.

Sapiẽtiæ 8.

Cuiuscunq; sit propositæ sententia non placet.

Sed quidquid sit de eo quod senserit Ruardus: mihi non placet relata sententia: Quoniã impossibile est in aliquo instanti priori, aut in aliquo priori naturæ, voluntatem nostrã prius se determinare, aut prius operari, quàm Deus cum ipsa operetur: ergò pari modo neq; in ipsa æternitate potest intelligi determinatio voluntatis vt prior sine decreto, & determinatione Dei non solùm concurrendi cum illa, sed præmouendi ipsam prioritate naturæ tantùm, quæ est prioritas causalitatis. Præterea voluntas humana, & diuina ambę concurrunt in ipsa determinatione actuali voluntatis: & nostra volũtas subordinatur Deo vt primò deliberanti, & voluntati diuinæ vt primò mouenti: ergò implicat priorem esse determinationẽ voluntatis nostræ in sua operatione libera determinatione Dei, cui ipsa subordinatur tanquã inferior. Rursus illa opinio quæ voluntatem facit priorẽ in sua determinatione in operatione sua libera seu in consensu, planè derogat gratiæ Dei cooperãti, & etiam præuenienti. Nam cum voluntas nostra non solũ indigeat ad supernaturaliter agẽdũ, & operandum excitatione, & motione Dei, sed etiã cooperatione gratiæ: vt cõsentiat excitationi indigebit cooperatione vt se determinet ad cõsensum. Nõ ergo intelligitur aut cognoscitur determinata in aliquo priori sine cooperatione gratiæ Dei cõcurrentis per modũ principij. Quapropter nõ mihi probatur ille modus dicendi quorundam affirmantiũ: Quia ego loquor, Deus vult me loqui, nõ è cõuerso: & quia ego credo, Deus vult me credere nõ è cõtra, sanè hoc nulla ratione debet cõcedi, vt alibi ostensum fuit à nobis, tunc enim nos diceremur præuenire Deũ, & ipse actus credẽdi, & loquẽdi tribueretur primo arbitrio nostro sine cooperatione gratiæ, aut Dei. Quo fit negandũ nõ esse id ꝙ omnibus semper fuit certũ, & indubitatum: quod summæ sapientiæ, & curæ diuinæ prouidentiæ, maximè conuenit: nimirum Deũ singula bona opera nostra quæ facit nobiscum in tempore, ab æterno ea prædefiniuisse distinctæ, atq; ita prius Deum prioritate naturæ, seu causæ concurrere, quamuis simul in eodem instanti cum ipsa voluntate influat, & cooperetur. Voluntas verò cum quadam subordinatione ad ipsum Deum.

Concedi nõ debent istæ propositiones. Quia ego loquor Deus vult me loqui. Quia ego credo, Deus vult me credere, & similes.

Secunda Conclusio.

Conclu. 2.

Deus nõ expectat influxum voluntatis nostræ vt ipse velit, & operetur. Probatur ex Concilio Arausican.

Dico secundò. Deus non dicitur expectare influxum voluntatis nostræ, vt ipse velit & operetur, ita vt Deus sub conditione velit, si voluntas voluerit, & se determinauerit expectando eam, aut influxum eius. Hæc assertio est maximè conformis Sacris Literis, dictis Sanctorum, & diuinæ Theologiæ: estque contra aliquos Theologos huius ætatis. Nam opposita certè repellit à Deo integrã, & adęquatam rationem primi principij efficientis, & rationem exactam primæ causæ causantis. Cõcilium Arausicanum expressè decernit, quòd in omni opere bono nos non incipimus, sed Deus: at si Deus expectaret voluntatem nostram, & influxum eius, ita vt quasi sub conditione velit hunc aut illum actum à voluntate fieri, si ipsa sese ad eliciendum illum determinauerit, seu si ipsa voluerit, tunc non esset verum, quòd in omni opere bono nos non incipimus, sed potius è conuerso, quòd in omni opere bono Deus expectat influxum arbitrij nostri prius; quia tantùm vult sub conditione vt actus misericordiæ fiat à voluntate, si tamen expectando voluntatem, ipsa voluerit, vel se ad eliciendum illum determinauerit. Rursus iste modus dicendi videtur valdè distare ab his quæ decernit Arausicanum Concilium capit. 4. vbi sic decernitur: *Si quis vt à peccato purgentur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus per Sancti Spiritus infusionem, & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino: & Apostolo salubriter prædicanti: Deus est qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.*

Sane hoc testimonium Concilij potissimè est contra aduersarios, quia ipsi ad suam sententiam ostendendam, & probandam, vtuntur testimonio Chrysostomi, Homilia. 12. ad Hebræos: quo in loco Chrysostomus è regione contrarium affirmat & sensit eius quod ex Concilio attulimus: Dicit enim ille Deum non antecedere nostras voluntates ne lædatur arbitrium nostrum: Quia prius nos à nobis ipsis oportet mundari: & ꝙ tunc Deus mundat nos. Et præterea dixerat antea. Oportet nos quippe eligere primum quæ bona sunt: & tunc ipse quæ sua sunt introducit. Cùm igitur aduersarij velint suam probare sententiam

ex testimonio Chrysostomi citato, ex eo quòd dicant eum defendere eandem sententiam cum ipsis: sequitur quòd Concilium definiens contrarium à Chrysostomo, pari ratione determinat, & decernit contrarium à sententia, & modo dicendi aduersariorum.

Hoc etiam idem Concilium Arausicanum secundum videtur supponere, in discursu omnium decretorũ, vbi neminẽ liberari dicit à quacunq; miseria nisi Dei misericordia præueniatur, iuxta illud Psalm. *Cito anticipet nos misericordia tua Domine.* Et iuxta illud: *Deus meus misericordia eius præueniet me.* Et cap. 23. de voluntate Dei, & hominis habetur ita, in eodem Concilio. *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet. Quando autem ita faciunt quod volunt, vt diuinæ seruiant voluntati: quamuis volentes agant quod agunt, illorũ tamen voluntas est, à quo præparatur, & obitur quod volunt:* ergò Deus neq; expectat volũtates nostras, neq; influxum earum antecedenter ad se: hoc enim significat verbum, expectare. Neq; rursus dicitur Deus sub conditione velle vt actus fiant à voluntate si ipsa se determinauerit ad eliciendum eos, & sub eadem conditione ipsum velle influere. Vnde Sancti Patres, cum diuo Augustino dixerunt: non quidem sub conditione expectando voluntatem creatam, sed absolutè: Quòd prior est voluntas Dei, & posterior est voluntas hominis.

Alia eiusdem conclusionis probatio ex eodẽ Concilio.

Rvrsvs si, ne læderetur arbitrium ad saluandam libertatem hominis, requiritur, Deum expectare influxum volũtatis creatæ, volente inquam Deo sub conditione quadam agere, influere, & concurrere ad actum voluntatis, si ipsa tamen sese determinauerit ad illum eliciendum expectato influxu ipsius voluntatis: sequitur neque esse vera quæ dicit Concilium Arausicanum capite 3. & 4. & deinceps: neque illa quæ Tridentinum decreuit, Sessione 6. capite 5. & canon 3. vbi ait. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur: Anathema sit.* Vbi aduerte, dicere Concilium sine præueniente Spiritus sancti inspiratione: atque eius adiutorio, quòd dictio illa, sine præueniente, refertur nõ solum ad inspirationem Dei, sed etiam ad eius adiutorium: Quia vtrunque præuenit de mente Concilij. Et non dicit Concilium Deum hæc velle sub conditione si nos velimus, aut si voluntas sese determinauerit, ipsa expectata: sed potius dicit absolutè Deum præuenire nos suo etiam adiutorio gratiæ, quæ est distincta gratia: neq; per hoc lædi libertatem eius: ergo aduersariorum sententia stare non potest.

Concilium Trident.

Intelligibile non est q Deus obsequatur placito voluntatis nostræ

Probatvr etiam: quoniam non est intelligibile, quod à quibusdam nouioribus, Theologis conceditur: nimirum: Quòd Deus obsequitur placito voluntatis nostræ. Nam profectò omnem voluntatem nostram bonam siuè naturalem siuè supernaturalem operatur Deus in nobis secundum consilium voluntatis suæ, quod efficax causa est ad operandum omne consilium bonum voluntatis nostræ: & idcircò D. Augustinus Epistol. 106. dixit voluntatem nostram esse pedisequam gratiæ, & diuinæ motionis, & non præuiam; cuius oppositũ videtur affirmare aduersarij nostri: Quia duo affirmant: quorum primum est Deum in bonis operibus non absolutè velle, sed sub conditione quòd actus bonus à voluntate nostra fiat si ipsa voluerit, aut si ipsa sese ad illum eliciẽdum determinauerit. Secundum est Deum sub eadem conditione velle influere, & concurrere ad actũ bonum liberum, expectando tamen influxum volũtatis creatæ. Si enim Deus nunquam vult, nisi sub conditione illa, & expectãdo priꝰ influxũ voluntatis creatæ, planè sequitur quòd Deus obsequitur placito volũtatis nostrę. Vbi ergò est vox illa Christi Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eũ.* Et vbi etiã illa. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* & illa etiam Hieremiæ Prophetæ. *Postquam conuertisti me egi pœnitentiam.* & similiter vox illa Cã. 1. *Trahe me post te & curremꝰ.* Quare illud Lucæ. 9. *Qui vult venire post me abneget semetipsum, & sequatur me*, non sic est intelligendũ quod prius homo velit sequi Christũ, quã à gratia Christi prꝛeueniatur, sed è conuerso ex eo vult liberè sequi Christũ, quia à gratia Christi præuenitur. Qui sanè intellectus, & interpretatio continetur in Tridentino Sess. 6. cap. 5. dicente. *Cum in Sacris Literis dicitur Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, Malach. 3. libertatis nostræ admonemur: Cum respondemus, Threnor. vltimo. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. gratia Dei nos præueniri cõfitemur.* Nunquã igitur modus ille dicendi de expectatione voluntatis placere potest cuiquam mediocri Theologo, qui veram doctrinam sequitur.

Ioannis. 6. Canticor. 1. Lucæ. 9.

Tridentinũ Sessio. 6.

Rvrsvs, quomodo erit verũ elogium illud Pauli: *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* & illud: *Postquam conuertisti me egi pœnitentiam.* Si enim Deus non vult nisi sub conditione, & expectando influxũ voluntatis creatæ: ergò non erit primò verum dicere de voluntate Dei, cuius vult miseretur, & quem vult indurat, sed è contra: Quæ voluntas vult homi nis id consequitur, & id voluntati ascribitur in consecutione misericordiæ Dei. Et similiter cum Hieremias dixit: Postquam conuertisti me Domine egi pœnitentiam: quia hoc suppo nit prius Deũ conuertere & determinare nos, & non significat Deum expectare nos, aut sub cõditione velle si voluntas sese determinauerit ad actum illum eliciendum.

Certe cum propriè sit verissimum: Quòd Deus operetur omnia secundùm consilium voluntatis suæ, non rectè cum hoc testimonio Scripturæ cohęreret aduersariorum sententia, quæ dicit Deũ expectare influxum voluntatis creatæ, vt ipse operetur, & influat: quia hoc potius esset operari ex consilio voluntatis humanę. Et similiter testimonium citatũ nõ cõhęre-

Deus omnia operatur secundũ consiliũ volũtatis suæ.

ret cum eodem aduersariorum modo dicendi, quo dicunt Deum non absolutè, sed quasi sub conditione velle vt actus bonus fiat à voluntate creata, si ipsa sese ad eum eliciendum determinauerit, expectato voluntatis influxu: Nam hoc esset subordinare consilium voluntatis suæ consilio voluntatis humanæ in operando, & agendo. Confirmari hoc potest ex argumento deducto à visceribus Augustini, Epistola. 106. ad Paulinum de Pelagio Britone, vbi D. Augustinus inquit, non haberi in Sacris Literis: Est quidem volentis atque currentis. ad Roman. 9. sed è conuerso: Non est volentis atque currentis. Si autem Deus expectaret influxū volūtatis creatæ vt ipse ageret, aut si nō absolutè, sed quasi sub cōditione vellet quòd actus aliquis bonus fieret à voluntate creata, si ipsa sese ad illum eliciendum determinauerit: tunc dici posset: est quidem volentis atque currentis vt Deus misereatur, cum tamen scriptum sit: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Vnde in eadem Epistola concludit. D. Augustinus *Quòd voluntas, vt ad vera credenda moueatur, non sibi sufficit, nisi per gratiam Dei opituletur.* Et adducit illud Ioannis. 6. *Nemo venit ad me nisi ei fuerit datum à Patre meo.*

Confirmatur ex D. Augusti.

Verba D. Augustini.

Mirabile est quantum dissentiant verba, & sententiæ quæ apud D. Augustinū reperiuntur à sentētia aduersariorū. Nam Epist. 107 ad Vitalē Carthaginensem, vbi ait: *Si verè volumus defendere liberum arbitrium nō oppugnemus vnde sit liberum: Nam qui oppugnat gratiam qua nostrum ad declinandum à malo, & faciendum bonū liberatur arbitrium: ipse arbitrium suum adhuc vult esse captiuum.* Et inferius: *Quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitriū: qui confitentur omnem hominem, quisquis suo corde credit in Deum, non nisi sua libera credere voluntate: cum potius illi oppugnent Dei gratiam, qua verè ad bona eligenda, & agenda fit liberum.* Et statim. *Præparatur volūtas à Domino: ac nō potius per occultam inspirationem gratiæ Dei: quoniam quidem pro eis qui eidem doctrinæ contradicentes nolunt ei credere: ipsum Deum fide recta rogamus vt velint. Quomodo Deus expectat voluntates hominum: vt præueniant eum, quibus det gratiam, cum gratias ei non immeritò agamus de his, quibus non ei credentibus, vt eius doctrinam voluntate impia persequentibus, misericordiam prærogauit: eosque ad se ipsum omnipotentissima facilitate conuertit: ac volentes ex nolentibus fecit, &c.* Et iterum: *Vt quid tanto magis eum magnificamus, quanto nolebant credere quos credidisse gaudemus, si gratia diuina voluntas in melius non mutatur humana?* Hæc, & multa alia dicit diuus Augustinus loco citato, ex quo deducere possumus argumentum. Nam certè proprium est Dei facere volentes ex nolentibus: ergò si hoc decreuit facere circa voluntates hominum: sequitur quòd non expectat voluntates eorum vt velint seu vt influant, neque vult sub conditione tantum concurrere, & influere si voluntates nostræ voluerint, aliàs non est intelligibile quomodo faciat volentes ex nolentibus, quia conditio nolentis habet implicationem ad modum dicendi huius sententiæ. Nam si debet facere volentes ex nolentibus propriè, & verè oportet Deum præuenire, & præmouere, & non expectare voluntates hominum. Vnde diuus Augustinus infert non esse agendas gratias Deo, si ipse nos non aptat, præuenit, & præmouet expectando voluntates nostras: sed potius è conuerso nos aptamus nos ipsos, conuertimur, & determinamus nos. Quocirca subiungit D. Augustinus ex Apostolo Paulo: *Eram inquit ignotus facie Ecclesijs Iudææ, quæ sunt in Christo: tantùm autem audiebant: quia qui aliquando nos persequebatur, nunc euangelizat fidem, quam aliquando vastabat, & in me magnificabant Deum. Vt quid magnificabant Deum, si non Deus ad se ipsum cor illius viri, suæ gratiæ bonitate conuerterat? quando (vt ipse confitetur) misericordiam consequutus est, vt fidelis esset ea fide, quam aliquādo vastabat: ipsum etiam verbum quod posuit, quem nisi Deum hoc tantum magnum bonum fecisse declarat? Quid est enim: In me magnificabant Deum: nisi; in Deum magnificum prædicabant: si magnum illud factum de Pauli conuersione ipse non fecerat? Et quo pacto ipse fecerat, si volentem credere ex nolente ipse non fecerat? Nempe manifestum est ex illis duodecim sententijs, quas pertinere ad Catholicam fidem negare non scieueris: non solùm omnibus, verum etiam singulis id confici, vt confiteamur gratia Dei præueniri hominum voluntates; & per hanc eis potius præparare, &c. Et nisi Dominus ædificauerit domum in vanum laborauerunt ædificantes eā: Non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Fateamur ergo cum D. August. in prædictis duabus Epistolis gratiam Dei, & adiutorium eius non solùm dari ad singulos actus, sed præuenire nos, & præire, atque adeò non verè dici quòd Deus expectat voluntates nostras, vt velit influere, vt ipse influat, & velit influere, & concurrere, sed pedisequas esse.

Perpēde ex D. Paulo optima D. Augustini verba.

Moveor rursus ex sententia D. Thomæ. 1. p. q. 25. arti. 6. ad primum. Vbi docet fieri nō posse, vt Deus aliqua faciat quæ non præsciuit & præordinauit se facturum, quia ipsum facere subiacet præscientiæ, & præordinationi Dei: ergò ex sententia D. Thomæ non expectat Deus voluntatem nostram, sed præordinat, & ipsum opus, quod est in voluntate creata, subiacet præordinationi, sicut & præscientiæ diuinæ. Quem locum non recitant fideliter auctores oppositæ sententiæ.

D. Thomas

Addvcor etiam, quoniam Franciscus Suarez, vt confirmet suum modum dicendi, citat quosdam Græcorum, de quibus superius Molina notauit, & dixit, quòd cum nondum fuisset exorta hæresis Pelagij, res hæc, de qua nunc agitur, nondum fuerat satis examinata, & errare potuerunt sine culpa sua. Alios verò citat, de quibus Spenceus dixit in disputatione præsenti de gratia præuia, eis non esse assentiendum, quia noluerunt Pe-

lagium in Cathalogo hæreticorum Orientalis Ecclesiæ reponere: illi enim negant prædefinitionem operum, & de præduce gratia non ita, sicut Latini Patres docuerũt. Imo vero D. Augustinus, vt refert Hyeronimus Osorius libr. 9. de iustitia, videns Græcos Patres negare diuinã prædefinitionem, & prædestinationem, ante præuisionem operum, recessit à sententia illorũ, timens ne sentiret cum Pelagio.

Recessit D. Augustinꝰ à Græcis timens ne cũ Pelagio sentiret.

ADDVCIT præfatus auctor D. Damasc. lib. 2. de fide Orthodoxa cap. 29. dicentẽ: Quæ in potestate nostra sita sunt, non prouidentiæ, sed libero nostro arbitrio assignari debent. & capit. 30. sequenti. Illud scire interest Deum omnia quidem præscire, sed non omnia prædefinire. Præscit enim ea etiam, quæ in nostra potestate, & arbitrio sita sunt: at non item ea prædefinit: neque enim vitium admitti vult, neque etiam virtuti vim affert. Quod testimonium Sanctus Thom. 1. parte q. 23. art. 1. ad 1. explicat de prædefinitione necessitante: non quidem quòd Deus non prædefiniat, sed quòd virtuti vim non inferat. Quòd autem hoc ita debeat intelligi, constat ex his quæ dixerat Damascenus de diuina prouidentia, vbi cap. 29. inquit: Quæ in potestate nostra sita sunt, non prouidentiæ, sed libero nostro arbitrio assignari debent. quo in loco non vult negare Dei prouidẽtiam, sed solùm declarare, nõ subijci necessitati, quæ sunt in arbitrio nostro. Et pari modo cum dixit Deum non omnia prædefinire, id quidem est verum, quia non prædefinit peccata, neque prædeterminat. Secundò est verum, quia loquitur, vt dicit D. Thomas loco citato, de prædefinitione illa, quæ necessitat, & vim affert, aliàs si hoc non esset ita intelligendum quomodo stare posset quod Gregorius Nissenus li. 7. de Philosophia cap. 1. & lib. 8. capi. 4 & vltimo dixit, ea quæ sunt in nobis non esse ex prouidentia, vt refert & citat Suarez. Quod sanè non potest aliter intelligi, nisi non esse ex prouidentia necessitante nos, & vim afferente aut prædeterminante more rerum naturalium, aut more pecudum. Et hoc ita esse etiam testantur verba Damasceni citata. Quæ in potestate nostra (inquit) sita sunt non prouidentiæ, sed libero nostro arbitrio assignari debent. & certum est ꝙ non negat prouidentiam, neque Dei prædefinitionem: alioqui hæc testimonia non rectè cohærerent cum diuina prouidentia, quam Catholica docet fides. Hoc etiam confirmant verba D. Dionysij de Cœlesti Hyerarchia, capite 9. dicentis. *Neque enim vita nobis data est, cui vis illata sit, aut imposita necessitas. Neque liberi arbitrij gratia diuinitus indulta mortalibus, prouidentiæ diuinæ luce, & splendore obtunditur.* Voluerunt etiam negare necessitatem fati, & idcirco similes voces aliquãdo scripserunt. Simile est illud Iustini quæstione 8. ad Orthodoxos vbi ait: *Non igitur causa est Deus virtutis nostræ, aut vitij, sed propositum nostrum, & voluntas. Et tamen nemo negare potest Deum esse causam virtutis.* Ex quibus omnibus deduco ea quę

Explicatur testimoniũ Damasceni ex S. Thoma.

D. Diony. de cæsti Hyerarch.

Iustinus ad Orthodoxos.

Suarez adducit ex Græcis nihil omninò contra nos probare: imo verò malè citat Grego. Nissenum, vt patebit intuenti ipsum, & ei nõ fauet.

ALIA adducit ex Latinis Patribus, quę tamẽ si rectè intelligantur neque sunt contra nos, neque probant suam sententiam: Quia solum ostendunt Deũ non necessitare nos, neq; vim inferre voluntati vllam, sed Deum ita se habere sua prouidentia, & gubernatione, vt non dicamur fati necessitate agitari: neq; dicamur moueri necessaria determinatione ad vnum. Quod sanè nos luculenter, & fusè explicuimus Sectione. 1. præcedente, vbi adduximus testimonia Patrum in quibus planè aperitur, quòd senserint Deum prædefiniuisse, & prædestinasse res, neq; ob id ablatam aut læsam esse libertatem.

VIDENTES hoc auctores oppositæ sententiæ simul etiam viderunt dupliciter posse Deũ velle efficaciter determinare voluntatem humanam. Vno modo determinando voluntatem determinatione necessaria, necessitãte eam more aliarum causarum naturalium, aut more pecudum ex iudicio à natura infixo sine collatione, & conferentia. Altero modo determinando voluntatem, non quidem vt necessariò velit, sed vt liberè velit cum collatione, & conferentia intellectus: Propter quam causam plures ex Theologis sentiunt, duplicem posse esse determinationem voluntatis factam ab extrinseco principio, vnam quidem liberam, & ex iudicio libero non quidem à natura infixo, sed cum collatione, & conferentia: Alteram verò esse determinationem necessariã necessitantem omnino ad vnum ex iudicio infixo, & sine vlla collatione, & conferentia. Neque requiritur, quòd quando voluntas operatur liberè vel necessariò, ita operetur, vt homo ex parte obiecti apprehendat illam necessitatem aut libertatem, aut quòd in obiecto velit libertatem, vel necessitatem, seu quòd velit liberè vel necessariò operari, sed satis esse, quòd voluntas in exercitio liberum actũ agat ipsumque eliciat liberè. Deus autem cũ voluntatem mouet motione libera, ineffabili & multiplici auxilio gratię suę suauissimo, & efficacissimo, id agit intus tam moraliter, quàm efficienter propriè, vt neq; destruat iudicium intellectus, sed potius iuuet ad collationem, & conferentiam vt ad rectũ iudicium moueat, & voluntatem agat per conformitatem ad iudicium suauiter efficienter inclinando, cum quadam adaptatione, potissimè cùm voluntas sit inclinatio quædam, quæ à rationis iudicio monetur.

Dupliciter intelligi potest Deum velle determinare voluntatem humanam.

SED obijciunt aduersarij, quòd quando dicitur Deum posse velle efficaciter determinare voluntatem, etiam efficienter propriè, & liberè, in hoc obiecto inuoluitur contradictio: quia tantundẽ est, ac si diceretur, posse velle vt simul in eodẽ actu necessariò ac liberè operetur. Sed respõdetur negãdo antecedens, & illationẽ: Nã certè volũtas etiã vt libera depẽdet à Deo in causãdo & in agẽdo, & etiã vt libera subijcitur Deo habenti dominiũ eius. Et ex hoc in

Solutio ad obiectionẽ aduersariorum.

fertur Deum habere efficaciam ex multiplici eius sapientia, atque gratia, vt efficaciter, & infallibiliter moueat volũtatem, & vt pari modo efficaciter efficiat propriè, vt voluntas liberè velit, attingendo ipsam efficienter propriè, non tamen attingendo necessariò necessitate vim inferente cum modo necessario, quo mouet naturales, & necessarias causas secundas, hoc enim esset necessitare physicè seu efficienter propriè. Vnde optimè Deus potest facere, quòd voluntas moueatur ab efficaci gratia efficaciter, & infallibiliter cum suo modo libero, sicut facit in his quos per gratiam mouet, non quidem eos ex iudicio infixo more pecudum aut agentium naturalium determinando, sed modo quo diximus. Hoc Tridentinum insinuauit Sessione. 6. capit. 5. & canon. 4. vbi docet hominem excitatum, & præmotum à Deo liberè agere, posseque non consentire non obstante præmotione illa. Quare Concilium videtur distinguere præmotionem seu, motionẽ: quia videbat duplicem esse præmotionem seu prædeterminationem, vnam quidem liberam, qualem exercet circa viatores adultos, quos nunc mouet per gratiam, & hanc præmotionẽ à Concilio cognitam, & comprehensam, dicit non lædere libertatem. Neque volũtatem Dei hoc volentem per gratiam suam, destruere, diminuere, vel lædere libertatem voluntatis nostræ. Alteram verò necessariam, qualem supra descripsimus, quæ omnem indifferentiam tollit & radicem ipsius indifferentiæ, quia fit ex iudicio infixo sine collatione vlla & de hac non loquitur Concilium, sed de illa priori prædeterminatione efficiente, quam Deus in nobis cum nobis operatur, & efficit propriè efficienter, de qua diximus in prima assertione simpliciter asserendum esse, Deum determinare voluntatem non sine illa sed cum illa. Nam certè actio secundæ causæ magis est à prima causa, quàm à secunda: sed voluntas determinat se efficienter propriè: ergò multo magis Deus ipsam determinat. Efficit namque Deus determinationem voluntatis, cùm ipsa sit aliquid, quod sine Deo fieri non potest. Vnde Deum nos conuertere ad se non fit sine determinatione: hoc enim inuoluitur in cõceptu conuertendi. Et hoc falsus est Suarez libro. 1. de concursu Dei cum voluntate capi. 17. pagin. 85. Vt ergo Concilium Tridentinum retunderet sinistram sententiam existimantium, quòd ex motione voluntatis, & arbitrij nostri, qua Deus influit in voluntatem, & eam efficienter propriè mouet lædi tur libertas, dixit liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum posse dissentire si velit, liberèque agere; & loquitur Concilium de motione propriè efficiente, cùm non limitet prædictam motionem ad solam moralem, & loquatur de motione, quæ fit per gratiam supernaturalem, per quam Deus in ipsam voluntatem influit.

Duplex præmotio, & prædeterminatio, libera & necessaria.

Testimonia verò D. Augustini quæ ab aduersarijs adducuntur locis citatis non sunt ad propositum. Citant enim D. Augustinum libr. 3 de libero arbitrio capit. 18. dicentem. *Si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc brebissimum tene: quæcunque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ceditur.* Sanè hoc ipsum nos tenemus, diximus enim voluntatem ita præmoueri à Deo, & prædeterminari prædeterminatione libera, vt in ea maneat potestas ad oppositum. Non enim repugnat, quòd Deus infallibiliter moueat volũtatem, & quòd moueat cũ potestate ad oppositum, quia repugnantia non est respectu potestatis, sed respectu actus, quantũ ad propositiones de in esse, nimirũ quòd Deus efficaciter moueat voluntatem ad consentiendum, & quòd actu de facto ipsa nõ consentiat, quamuis possit resistere, & non consentire, cum ad resistendum & non consentiendũ ipsa habeat vires sibi proprias intra se, & possit se sola deficere cum liberè omninò operetur.

Quòd testimonia D. Augustini quæ ab aduersarijs citantur, non sint ad propositum.

Dices cum aduersarijs præmotionem hãc non esse necessariam, vt Deus tanquam auctor bonorum operum supernaturalium, & vt causa prima, ad omnes actus liberi arbitrij concurrat: neque esse necessariam vt nostrum liberum arbitrium debitam habeat dependentiam à Deo in agendo, & causando: vel vt subordinationem debitam habeat ad Deum, vt ad causam primam, & primum auctorem gratiæ, qui omnibus prouidet, & vniuersa gubernat. Nam Deus non quidem absolutè, sed quasi sub conditione vult, vt, verbi gratia, iste vel ille actus fiat à nostra voluntate, si ipsa se determinauerit ad illum eliciendum, & sub hac conditione velle influere, & cõcurrere, expectando tamen influxum voluntatis creatæ: quod videtur insinuare, & dicere auctores oppositæ sententiæ.

Obiectio.

Sed profectò valdè decipiuntur. Primò quidem, quia dependentia in causando, & agendo, qua secundæ causæ pendent à prima, est intrinseca in secundis causis respectu primæ quæ est Deus. Et ego minimè auderem dicere, secundam causam non dependere à prima, in actu causandi vt sic, non tantùm in esse, fieri, & conseruari, quia de hoc non erat difficultas: neque quantum ad dependentiam effectus, quia de hoc similiter nemo dubitare potest, sed quòd etiam dependet ipsa secunda causa à diuina motione, & à diuino influxu in ratione causandi, & agendi actu, & in ratione reductionis de potentia ad actum primum, & secundũ, maximè in operibus supernaturalibus, vbi nullæ suppetunt vires voluntati, præcipuè cum in Deo, & per Deum non solum simus, sed moueamur: ex ipso enim mouemur, & sumus. Quo fit, vt voluntas ipsa indigeat diuina motione, & præmotione, cùm in omnibus voluntas à Deo pendeat. Non enim causa prima præbet suum concursum nisi volendo: eius autem volitio antecedit & æternitate, & causalitate volitionem causæ secundæ: ergò prius Deus vult

Destruitur & primò impugnatur.

ad hoc vt ego velim, & prius quam ego re ipsa velim. Imò verò nõ posſem ego velle, nisi prius Deus ſua voluntate efficaci diſpoſuiſſet, vt ego velim: ergò neceſſe, eſt vt per illẽ ſuam antecedentem voluntatem, quæ efficaciſsima eſt, voluntatem humanam prædeterminet. Quod amplius declarari poteſt à nobis: Quoniam vel Deus vult me velle aliquid, quia ego id ſum volaturus, & Deus id prænouit: vel è cõtrario homo vult, quia Deus voluit, & diſpoſuit eũ velle. Primũ dici non poteſt, quia eſt cõtra debitũ ordinẽ, & ſubordinationem, & quia inuoluit repugnantiam, tollitque magna ex parte dependentiam ſecundæ cauſæ à Deo: præſertim cùm homo nihil velle poſsit ſine voluntate diuina: ergò neceſſe eſt dicere ſecundum: ergò prædeterminatur voluntas noſtra ad volendum per illam voluntatem efficacem, qua Deus voluit & diſpoſuit vt aliquid vellet.

Secũda impugnatio.

SECVNDÒ decipiuntur valdè aduerſarij noſtri: quoniam vt voluntas Dei concurrat cum noſtra, & influat vt cauſet, debet coniungi cum illa in volendo eundem actum, ſeu actionem, & non ſolùm debet coniungi, & vniri, ſed vlterius requiritur, vt voluntas noſtra ſubijciatur, & ſubordinetur Deo agenti, & operanti cum quadam dependentia intrinſeca in cauſando, & agendo: duæ enim voluntates diſtinctæ, & quæ non ſunt æquales, aut ſine ordine non poſſunt coniungi, aut conuenire ad influentiam, & cauſalitatem agendi in eundem effectum, niſi vel vna ſupponatur, & altera illi conſentiat, vel altera moueat & trahat alteram, vt ſecum conſentiat: Nam ſi alterum iſtorum non interueniat, non poteſt intelligi quo pacto duæ illæ voluntates concurrant, & conueniant in aliqua re volenda, niſi forte à caſu, & fortuitò: ergo cum Dei voluntas ſit prior, & non procedat ex præſuppoſitione humanæ voluntatis, neceſſe eſt, vt fiat hæc conſenſio, & coniunctio ex eo quod voluntas diuina efficacitate ſua trahit humanam, vt ſecum conſentiat, idque velit quod ipſa vult eam velle, quod eſt illam ad volendum determinare: ergo dum præter extrinſecum imperium Dei, hoc exerceri debet in tempore, ſequitur neceſſariũ eſſe hanc præmotionem, & prædeterminationem. Quod quidem bene perſenſerunt aduerſarij noſtri, & idcircò excogitauerunt modum dicendi ſuperius tactum de voluntate conditionali Dei, cum expectatione influxus voluntatis creatæ.

Volũtas diuina efficacitate ſua trahit humanam, vt ſecum conſentiat.

ADDVCVNT præterea auctores oppoſitæ ſententiæ locum alium diui Auguſtini contra nos, libr. 7. de ciuitate, capite 30. in quo ſcribit. *Ita Deus adminiſtrat res, quas condidit, vt eas motus ſuos agere ſinat*: Sanè id ipſum nos confitemur, & dicimus, ſed nihil contra nos: Mirabile enim eſt, quid aduerſarij inueniant in hoc teſtimonio, contra nos. Nam cum Deus diſponat omnia ſuauiter, nullam violentiam, aut vim rebus infert, neq; coactionem rebus naturalibus, neque ſuſpenſionem ſui curſus, neque etiam vim infert voluntati aut coactionem, ſed eam ſinet agere liberè, & ad id iuuat, & omnia ſinit eſſe in ſua debita diſpoſitione. Hoc autem dicere voluit Auguſtinus. Non igitur video cur hæc teſtimonia faueant auctoribus oppoſitæ ſententiæ, aut cur ea velint ſuo modo dicendi accomodare ſine cauſa.

Rationibus agitur contra aduerſarios, & Patrum ſententijs, & probatur aſſertio.

MODVS dicendi aduerſariorum eſt Deum non abſolutè, ſed quaſi ſub cõditione velle, vt hic actus fiat à voluntate creata, ſi ipſa ſeſe ad illum eliciendum determinauerit, & ſub eadem conditione velle influere, & concurrere in eundem actum, expectando tamen influxum creatæ voluntatis. Vnde mirabile eſt, quòd etiam affirmat Franciſcus Suarez, Deum videlicèt expectare voluntates creatas hominum in pijs operibus, vt ipſe influat, & concurrat, ſub conditione quadam, ſi voluntas velit, aut ſe voluntas determinauerit ad eliciendum actum, ita vt Deus ſit expoſitus ad influendum, & concurrendum ad id, ad quod voluntas ſe voluerit determinare. Et idcircò, vult explicare Concilium Arauſicanum ſecundum, quoniam canon. 4. dicit Deum non expectare voluntatem noſtram vt purgari velimus. Aſſerit enim præfatus auctor, hoc debere intelligi tantum, quod non expectat ante primam vocationem, ſed quòd poteſt illam Deus expectat liberum conſenſum, & pœnitentiam in ſuo ſenſu, ita docet libr. 3. de auxilijs capit. 15. pag. 230. & 231. & lib. 1. de concurſu Dei cum voluntate, capite 17. pagin. 86. columna ſecunda. vbi ait neceſſe eſſe Deum ita expoſitum eſſe ad coperandum voluntati, vt ſolùm quaſi expectetur liberi arbitrij influxus, vt ſimul etiam ponatur in actu ſecundo influxus Dei. Et libro 3, de auxilijs diuinæ gratiæ, capite 13. pagina 208. numero 12. in fine ait: Quòd Deus quaſi expectat liberam cooperationem creatæ voluntatis. Et in breui reſolutione de efficacia auxiliorum Dei, pagina 379. columna prima, ſic concludit. *Ex quibus notis conſtat poſt vocationem expectare Deum, vt homo conſentiat, & aperiat*. Et idem docuit libro primo de auxilijs, capite 14. pagina 65. numero 5. Quæ ſanè doctrina ſi ita intelligatur, nec eſt conformis ſententiæ diui Auguſtini, neq; verbis Concilij Arauſicani. 2. Nam præter teſtimonia Auguſtini, & Sacræ Scripturæ citata extat egregium teſtimonium libr. 1. retractationum capite 23. vbi ait. *Velle non poſſumus niſi vocemur, & cum poſt vocationem voluerimus non ſufficit voluntas noſtra, & curſus noſter, niſi Deus, & vires currentibus præ-*

Concil. Arauſicanũ quomodo explicetur à P. Suarez.

D. Auguſ.

beat, & perducat quò vocat. Et subiungit: *Manifestum est ergò non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei esse quod benè operemur.* Ergò consensus, cùm vocamur, ex Deo nos sua misericordia perducente, trahente, & præmouente est.

Deo attribuendũ esse influxum, & concursum conditionatum à nobis dependentem sequitur ex aduersariorũ positione

RATIONIBVS etiam agendum est contra prædictum modum dicendi. Nam si Deus sub conditione vult influere, & concurrere, expectando influxum voluntatis nostræ, & quid nostra velit voluntas, & ad quid se determinet: sequitur Deo attribuendum esse influxum, & concursum conditionatum, à nobis vt sic dependentem, per quandam applicationem confusam, & generalem, voluntatis suæ, aut potentiæ, ad concurrendum cũ creata voluntate, qui modus imperfectionem inuoluit, & non potest Deo attribui. Et confirmari hoc potest: quia Deus dicitur expositus esse indifferenter ad influendum, & concurrendum expectata voluntate nostra ad id ad q̃ ipsa volueritvel se determinauerit: ergo Deus dicitur expositus ad cõcurrendum modo quodam confuso, & imperfecto. Et cõfirmatur magis, quia si vera esset hæc positio, sequeretur, quòd Deus cæco quodam modo esset expositus, & veluti ignoranti modo ex vi talis decreti, & haberet applicatam potentiam ad influendum in actum voluntatis, & quasi tendere in incertum, ex vi talis prouidẽtiæ, nimirum in id, quod voluntas creata voluerit, & elegerit. Imò sequitur ex isto modo dicendi, quòd omnia euenirent à casu ex vi talis prouidentiæ Dei, quia Deus non magis est expositus ad hunc actum volũtatis, quàm ad illũ.

Ad quid se extendat scientia simplicis intelligentiæ.

HOC argumentum efficax est contra aduersarios, & nusquam ab eis dissoluitur, sed statim confugiunt ad suam scientiam mediam, seu neutram, & conditionalem, nos verò eam repellimus. Fatemur enim Deum cognoscere omnia, quæ ab ipso fieri possunt, & omnia media, & causas per quas fieri possunt. Rursus cognoscit quidquid per secundas causas, & volũtates creatas, cum hoc vel illo auxilio, & concursu fieri potest. Hanc autem cognitionem Theologi vocant scientiam simplicis intelligentiæ. Præterea cognoscit Deus, quòd si vult efficaciter aliquid fieri hoc aut illo tempore applicando per volũtatem omnipotentiam suam id quidem fiet, & eueniet, si cum hoc aut illo influxu, & auxilio velit agere, & adhuc talis cognitio non egreditur limites simplicis intelligentiæ. Nam totum hoc includitur intra rationem possibilium, aut possibiliter futurorum: quoniam omne id quod est possibile, est possibiliter futurum. Vnde si Deus cognoscat quòd si vellet istud agere, hoc aut illo tempore, & occasione, tribuendo influxum, & concursum suum, & reducendo illud possibile futurum ad aliquem specialem modum, seu ad aliquam speciem possibiliter futurorum, nimirum si dicatur quòd si in hac occasione, & loco daretur tale auxilium, talis influxus aut concursus, fieret hoc aut illud, & eueniret determinatè iste effectus, & non ille, aut quòd si voluntas moueretur tali influxu, & motione à Deo, sequeretur, & eueniret talis actus aut talis effectus. Hæc etiam omnia nõ egrediuntur limites possibiliter futurorũ quousque accedat decretum liberum Dei, & contrarium dicere est ridiculum, & idcircò non est necessaria scientia illa media. Nam futuritio vera dicit ordinem ad differentiam temporis verè futuri, seu durationis verè futuræ: Futuritio verò possibiliter futurorum, vel futurorum sub conditione, quæ nunquam erunt, antecedit voluntatẽ Dei, & omne decretũ liberum ipsius, ratione cuius solũ res erunt futuræ, cũ futuritio rerũ ad extra dicat per se habitudinẽ ac decretũ liberũ Dei: quod in eo est, & ab æterno fuit de facto. Quo fit vt non sit necessaria vllo pacto scientia hæc neutra seu media, & conditionata, sed sufficiunt scientia illa perfectissima simplicis intelligentiæ, & scientia visionis. His enim cõtenti fuerũt antiqui Patres ad perfectã prouidentiam, & gubernationem Dei.

Futuritio possibiliter futurorum, vel futurorum sub conditione, antecedit volũtatem Dei.

VNDE posita scientia perfectissima simplicis intelligẽtiæ in Deo, positoq; iudicio Dei practico accedit diuina volũtas, quæ decernit pro libertate sua de futuritione harũ vel illarum rerũ, destinando res singulas in suos fines, & præscribẽdo ea media quæ sibi placent, & quæ sunt rerũ naturæ conuenientia. Igitur illa quæ Deus sic ab æterno distinctè ordinauit postea in tẽpore quo ipse decreuit per omnipotentiã suã exequitur, quæ sanè executio potẽtiæ Dei, & volũtatis liberæ ipsius, & sui decreti comprehendit gubernationem Dei, productionẽ, creationẽ, conseruationem, & directionem.

Decretũ liberũ D. volũtatis intelligitur post scientiam simplicis intelligẽtiæ.

DEINDE si est vera sententia istorum vt ipsi putant ad saluandam libertatem expectando influxum voluntatis creatæ, & præuidendo quid voluntas creata sit operatura antecedenter ad decretum suum: sequitur quòd Deus habet scientiam horum operum desumpta ab extrinseco nimirum à voluntate creata seu à creaturis, ante decretum suum: Quia videlicèt præuidet quid voluntas creata operatura est in tali ordine rerum, antequam Deus quidquam decernat: & ita à creaturis, & ab extrinseco Deus sumeret suam cognitionem, siquidem potentia Dei est indifferens vt efficiat futurum contingens, vel non efficiat: hoc enim pendet ex libera Dei applicatione, & similiter essentia eandem habet indifferentiam.

RVRSVS sequitur, si est vera sententia eorum, quòd talia cõtingentia euenient velit nollit Deus. Probatur: quia talia futura contingentia iuxta oppositam sententiam præuidendentur à Deo infallibiliter futura per simplicem intuitum antecedenter ad suum decretum & ad suam voluntatem prædefinientem: ergò cùm Deus decipi non possit in sua cognitione, sequitur quòd necessariò euenient illa futura, quæ præuisa sunt ab ipso Deo ventura, quidquid Deus postea velit: quia auctores citati putant Deum ex infinitate, quam habet luminis, & intellectus, præuidere determinationem omnium causarum liberarum, ita vt posita

voluntate creata in tali ordine rerũ ex infinitis ordinibus rerum, quos Deus nouit, Deus ipse ante prædefinitionem, & decretum suæ volũtatis de tali futuritione effectus, & sine vlla prędeterminatione efficienti propriè præuideat, quid vnumquodque arbitrium est facturũ per scientiam mediam, quã auctores citati cõtendũt: Cum tamen non pendeat Deus in cognitione infallibili futurorum contingẽtium ab eo quod causa secunda libera effectura est in tali rerum ordine, vel in tali alio, &c. Ergo si Deus præuidet verè esse ventura futura illa contingentia ante decretum voluntatis suæ: sequitur quòd non poterunt nõ euenire quidquid Deus agat: aliàs certitudo suæ cognitionis non esset infallibilis.

Quid respondeãt ad propositum. 1. argumen.

AVCTORES oppositę sententiæ contendũt se posse satisfacere primo argumento superius pro nobis facto: negant enim Deũ imperfecto aut confuso aliquo modo offerre concursum suum voluntati creatæ, eò quòd Deus offerat illum non ad vnum tantum actũ, sed indifferenter ad plures vel ad omnes. Sed profectò hæc responsio magis est contra ipsos: Nam si Deus dicitur expositus esse ad actus voluntatis sub cõditione, nimirum ad eos, quos ipsa voluerit expectando ipsamet influxum eius, nõ video cur non dicatur attribui Deo imperfectus & confusus quidem concursus, cùm non sit ad hunc & illum actum determinatè, sed confusè & indifferenter ad quemlibet voluntas voluerit, expectãdo determinationem eius, Deus autem quamuis distinctissimè cognoscat per scientiam simplicis intelligentiæ omnes actus possibiles vel possibiliter futuros, tamen si in re est expositus non determinatè ad hos & illos, sed confusè ad eos omnes, quos sub conditione voluntas ipsa voluerit & sese determinauerit, quidquid sit de cognitione diuini intellectus, tamen concursus & influxus Dei per quãdam confusam, & vniuersalem, seu generalem applicationem attribuitur voluntati Dei, quæ applicat potentiam ad influendum & cõcurrendum illo modo. Vnde offerre concursum & influxum non determinatè, sed dependenter ex determinatione alterius, & ex aliena voluntate expectando quod velit aliena voluntas, id quidem est offerre cõcursum indifferenter & confusè, nimirum sub conditione voluntatis alienæ, expectata aliena voluntate & libertate. Quo fit, vt Deus quamuis cognoscat omnia possibiliter euentura, tamen ex modo prouidendi eius, si diuina voluntas non vult nisi sub conditione, dependenter à voluntate creata influere, & expectato influxu creatæ voluntatis ad id quod ipsa voluerit, satis apertè infertur quod ex modo prouidendi, cæco modo Deus procederet, & quasi in incertũ tendens ex vi prouidentiæ horum auctorum.

Impugnatio.

Prius volũtatẽ nostrã quàm Deũ concurrere ad suũ actũ ex oppositosequitur.

ACCEDIT etiam quòd si Deus non concurrit nisi sub conditione, si voluntas voluerit expectando ipsam: sequitur ex vi huius prius voluntatem nostram concurrere ad id quod vult quàm Deum, secundùm antecessionem naturæ, vel rationis vt minimum, atque adeò quamuis propter mensuram æternitatis Deus, cui omnia præsentia sunt, ab æterno videat quid sit euẽturum ex suo concursu cum voluntate creata, cæterùm in ipsa æternitate prius concurrit voluntas creata & prius etiam concurrit Deus & vult concurrere quàm cernat ad quid concurrat in particulari, quia totum hoc pendet à voluntate expectando ipsam ad quid velit se determinare, & ad quid velit influere. Rursus obijcio. Si Deus expectat quid nostra voluntas eligat, sequitur apertè quòd Deus non cognoscat illam electionem vt participatam à se ipso quãdo est bona. Patet sequela: Nã si expectat Deus, quid velit arbitrium creatum, ad cognoscendã electionem, cognoscitur electio in illo puncto præcisè seu instanti vt procedit à causa creata libera: Nam si cognosceretur vt procedẽs à prima causa non expectaret Deus quid causa secũda egit aut ageret, sed præueniret illud: Quòd si pro illo instanti Deus cognosceret actum liberi arbitrij creati vt ens participatum, nõ cognosceret primò & per se tale ens nisi vt procedens ab ente per essentiam: ergo est aperta implicatio dicere ex vna parte, quòd actus ille nõ cognoscitur vt procedens à libero arbitrio creato, tanquam à prima radice, non subordinata alteri, sed potius vt participans libertatem ab altero: & dicere ex altera parte Deum expectare, quid liberum arbitrium creatum operari velit pro sua innata libertate. Hoc argumentum præcipuè est contra Molinam.

QVÒD sanè argumẽtum non satis dissoluitur per scientiam mediam, qua Deus ante decretum suum prędidit quid facturus esset homo in quocumque ordine rerum si in eo creetur. Primò quia tota hęc scientia est conditionalis omninò. Secundò quia in præsenti est sermo de diuina prouidentia & de modo, quo Deus disponit omnia, & etiam est sermo de modo, quo Deus vult cõcurrere cum causis secundis & cũ libero arbitrio: Quòd si modus dicendi aduersariorum esset sequendus sequerentur omnia absurda illata. Tertiò quia non est constituenda scientia media seu neutra, quia sufficit scientia simplicis intelligentiæ: Nam si daretur talis sciẽtia media & tertia inter scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, qua Deus ante decretum suum præuideret quid facturus esset homo in quocumque ordine rerum si in eo creetur: sequitur apertè, quòd omnia euenirent necessariò, nam ex præuisione futurorum eueniũt ante voluntatem Dei: & prius est, quòd ipsa sint futura hæc vel illa in tali vel tali ordine rerum, quàm Deus decernat de illis, aut præuiderit illa: Nam quidquid Deus faciat hæc vel illa sunt determinatè futura antequã de illis decernat & statuat ergo, &c. Et augetur efficacia huius argumenti quoniam sciẽtia ista media, vt Molina dicit, fertur in res futuras obiectiuè præsentes, atque ita est certa & infallibilis: deinceps verò subsequitur quædam complacentia Dei in eis seu voluntas complacentiæ in ipsis: ergo ante decretũ &

Quòd nostrum argumentũ non soluatur per scientiã mediam.

Omnia euenirent necessariò si talis esset scientia.

voluntatem Dei ipsæ sunt determinatè futuræ, & non ponitur in Deo apud hunc auctorem nisi illa complacentia. Vel saltem res ipsæ quidquid Deus agat erunt: quo fit, vt ante voluntatem & decretum Dei dicantur, quòd erunt, & ita sequitur, quòd necessariò erũt & à casu respectu Dei. Quod quidem maxime habet verũ in modo dicendi aduersariorum supra posito.

DICES, Deum per hanc scientiam præuidisse ad quam partem determinatura se esset Dei voluntas. Sed contra: Quia voluntas Dei liberè determinat & statuit, & non habet necessariam connexionem cum creaturis: ergò habet indifferentiam volendi & statuendi hoc vel illud: ergò non potest scire per hanc scientiam mediam ad quid se determinabit ante decretum liberum eius. Et confirmatur: Nam Deus apud aduersarios non potest scire ante suum decretũ aliquid futurum liberè nisi sub conditione, sed nihil decreuit de conditione quę non est à Deo determinata vt sit, vel vt ponatur in esse, sed est indifferens, & Deus non est determinatus ad statuendum de illa ante suum decretum liberum: ergò nihil potest scire infallibiliter ante determinationem suæ voluntatis: aliàs omnia necessariò sunt futura quæcumque futura sunt ante decretum Dei. Quare sententia aduersariorum cum sua scientia media contendit latenter omnia à casu euenire respectu Dei, aut fatali necessitate.

Omnia etiã à casu respectu Dei euenire sequitur ex opposito.

Duo alia inconuenientia contra propositam sententiam.

SECVNDÒ obijcio contra aduersarios duo inconuenientia, si modus dicendi quem prætendunt posset defendi. Primum est quòd Deus tã quam prima causa operationum voluntatis influeret per modum agentis naturalis expositi cum quadam indifferentia & dependẽtia. Quod probo: quia apud auctores oppositæ sententiæ Deus non absolutè, sed sub conditione vult influere & concurrere ad actus voluntatis quos ipsa voluerit, & ad quos ipsa sese determinauerit, expectando influxum voluntatis creatæ: ergò vere dicitur expositus indifferenter per modum agentis naturalis. Secundum inconueniens, quia iuxta prędictum modum dicendi planè sequitur causam secundam determinare primam ad operandum & influendum in hunc actum potius quàm in alium. Probatur sequela: nam si causa prima indifferenter applicat suum influxum, & concursum dependenter ab eo, quod voluntas decreuerit expectando ipsam: ergò ipsa prima causa, quæ est Deus non se determinat ad hunc effectum singularem: ergò determinatur à secunda causa seu à voluntate nostra creata: at potius pertinet ad primam causam vt sic determinare secundam causam, quàm è contra, quoniam causa, quæ aliam determinat habet superioritatem quamdam, & quasi vim quamdam supra illam, & independentiam, ab ea quam determinat in genere causę efficientis: ergo.

Soluere contendunt auctores oppositi ista inconuenientia.

HIS obiectionibus respondent, sed non rectè: Nam ad primam dicunt Deum supposito decreto suæ voluntatis ex quadam necessitate agere, non minus quàm si ex natura sua & absque præuia voluntate sua esset expositus ad sic influendum. Sicut ex suppositа voluntate, qua ab æterno Deus voluit creare mundum tali tẽpore, sine noua voluntate ex necessitate quadam postea mundus processit à Deo, quæ respectu diuinæ voluntatis tantùm est necessitas immutabilitatis, respectu tamen potentiæ operatiuæ ad extra est quædã necessitas simpliciter, quia simpliciter est necessarium Deum per suam potentiam facere id, quod per suam volũtatem facere decreuit: sic dicunt Deum se habere quantum ad influxum in actionem voluntatis humanæ, supposito decreto voluntatis suæ, quo voluit illi offerre concursum & influxum suum.

SED quis non videt responsionem hanc nõ dissoluere difficultatem tactam? Nam quamuis Deus immutabiliter efficiat, quæ decreuit facere ad extra, tamen cum res produxit in tempore, absolutè & simpliciter est verum liberè eas produxisse: Conditio enim immutabilitatis neque lædit, neque minuit libertatem, non enim est de ratione liberi mutabilitas: solùm enim est de ratione creaturæ, vt talis est, quòd mutetur aut sit mutabilis. Rursus non est verum neque verisimum Deum etiam suppositо decreto libero voluntatis suæ agere ex quadam necessitate non minus quàm si ex natura sua, & absque præuia voluntate sua esset expositus ad sic influendum (vt aduersarij dicunt.) Quoniam si ex natura sua, & non ex libera voluntate ita esset expositus ad sic influendum, tunc sanè nõ liberè ageret, sicut modo ex decreto libero voluntatis suæ: sed ex determinatione prouenientе ex sua natura ageret, & absque volutate præuia diceretur expositus. Et prętерea quamuis sit verũ, quòd Deus est immutabilis, & quòd suppositо decreto de creatione mundi immutabiliter & infallibiliter ac necessitate immutabilitatis dicatur eum producere, tamen nũquam est dicendum mundum ex necessitate quadam processisse à Deo, sed potius absolutè est dicendum mundum liberè processisse à Deo: sic enim loquuntur sancti Patres, quamuis viderint Mundum processisse à Deo, suppositа libera eius voluntate & suppositо diuino decreto.

Non est de ratione liberi mutabilitas, sed solũ de ratione creaturæ.

ROGARE tamen volo ab auctoribus oppositæ sententiæ quam conueniẽtiam habeat responsio ab eis data cum difficultate argumenti seu obiectionis, nam certè non est ad propositum neque dissolut vim eius: Quia inconueniẽs adductum erat sequi ex dictis oppositę sententiæ Deum vt causam primam influere per modum agentis naturalis indifferẽter expositi ad agendum, vt cœlum quod determinatur à causis inferioribus. Quocirca nõ respondent intẽtioni argumenti seu obiectioni tactæ.

Solutio eorundem ad 2. inconueniens.

RVRSVS contendunt dissoluere secundum inconueniens tactum; nimirum quòd sequeretur secundã causam determinare primam ad influẽdum & operandum potius in hunc actũ, quàm in alium, quia vt illi dicunt prima causa indifferenter applicat concursum & influxum suum

expe-

expectando influxum voluntatis creatæ. Ad hoc inquam respondent, quòd Deus applicuit omnipotentiam suam ad concurrendum cum causa secunda & ad adiuuandum illam, quæ applicatio fit per liberam voluntatem Dei, quæ posset liberum concursum suum non dare ipsi secundæ causæ, & liberè se ad illum dandum vel offerendum determinauit, & hac ratione censent secundam causam non determinare primã. Cæterũ si fiat sermo de determinatione ad extra, quatenus dicit determinatam actionẽ creatam egredientem à diuina voluntate & à potentia cooperante cum humana voluntate, hac ratione actio illa Dei ad extra egrediens à Deo accipit determinationem suam à proxima causa seu ab humana voluntate: non sanè quòd ab hac sola talis determinatio effectiuè procedat: quia determinatio illa nihil aliud est, quàm exercitium talis actionis in tali specie, & hoc totum necesse est fieri à Deo, sine quo nihil fieri potest: sed quòd humana volũtas sit propria & proxima ratio illius determinationis.

Nulla est, nec difficultatem soluit.

Sed profectò ego non video quo pacto hęc responsio dissoluat difficultatem obiectionis & inconuenientis adducti: Quoniam argumentũ contendit tam voluntatem nostram, quàm creaturam, seu secundam causam creatam determinare primam ad operandum & influendum in hũc actum, potius quàm in illum, quia illa Dei voluntas libera influens vt prima causa indifferenter applicat influxum & concursum suum, imò verò vult influere, si voluntas voluerit, eam expectando, vt antecedenter influat & velit. Vnde tam voluntas diuina quàm potentia Dei indifferẽter dicũtur esse applicata ad hunc vel illum actum, vel etiam ad nullum, si creata voluntas non influeret: ergò proxima causa, quæ primam determinat non solùm quantum ad actionem creatam egredientem à diuina voluntate ad hanc speciem & ad hoc tempus: sed etiã quæ determinat liberum Dei decretum, & liberam eius volitionem vniuersalem & indifferentem ad omnia, quæ voluntas creata voluerit, est ipsa voluntas creata. Hic autem modus determinandi Dei maximam imperfectionem habet, quia licèt non fiat per aliquam vim, tamen ponit Deum se determinare cæco modo, & in cõmuni expectando voluntatem nostram, & ad illud generaliter seu in confuso, quod ipsa voluntas creata voluerit: ipsam autem voluntatem dicunt se determinare explicitè & sine confusione ad hũc actum in specie & in indiuiduo, quod non facit voluntas diuina vt isti putant, sed solùm indifferenter & in vniuersali, expectando id quod voluntas velit: ergo inconueniens adductum non dissoluitur per euasionem eorum.

Modus quo voluntas creata iuxta oppositã sententiam determinat 1. causam ad operandum maximam imperfectionem Deo attribuit.

Qvòd si dicas, argumento facto ad hominem, contra hos auctores: In eodem momento in quo eadem actio fit ab humana voluntate & diuina vtraque voluntas prius natura quàm influat in actum est indifferens ad influendum & non influẽdum, & ad influendum in hunc actũ & in alium: quando autem in secundo naturæ signo vtraque iam influit in actum, vtraq; etiã est formaliter determinata quoad actionem: ergò nulla ratio est cur potius attribuatur determinatio ipsi causæ secundæ, quàm primæ.

Hvic obiectioni respondent, quòd quantũ ad efficientiam vtrique causæ potest attribui determinatio, & neutri debet attribui sine altera: quia secunda causa neque potest agere quicquam sine influxu primæ, neque causa prima in tali modo agendi, qui sit liber causæ secũdæ potest efficere determinationem eius sine illa. Cæterùm speciali quodam modo attribuitur ipsi causæ secundæ hæc determinatio, & libertati eius tanquam proximæ radici illius: quia ex illius libertate dependet talis determinatio: Nã Deus in eodem illo primo momento in quo influit, vt prima causa, intelligitur prius natura habere determinationem quamdam ortam à volũtate sua, qua ipse expositus est ad concurrendũ ad hunc vel illum actũ, ad quem voluntas se determinauerit expectato eius influxu: & solùm dicitur indifferens vniuersali quadam & absoluta differentia, determinatus verò quasi sub conditione ad cooperandum creaturæ, ita vt si hæc adiungatur necessariò ipse Deus influat.

Impugnatio huius responsionis.

Verum hæc responsio non satisfacit: Primò quidem, quia in ea supponitur tanquam res certa modus dicendi aduersariorum. Secundò, quia in eodem instanti, in quo actio libera fit à voluntate humana & diuina, vtraque voluntas quamuis liberè agat nihilominus prius natura quàm in actum ipsum exeat aut influat est in actu primo antecedenter ad secundum prolo priori, actus autem ille primus est determinatiuus voluntatis & determinans illam determinatione tamen libera, itaque quantum est ex cõditione illius actus primi positi in volũtate, volũtas ipsa intelligitur determinata per modum actus primi ad influendum in hunc actum, sed liberè quidem, quia ita liberè determinatur vt fiat cum potestate non agendi illum neque influendi in ipsum. Sicut ergo in secundo naturæ signo vtraque voluntas est formaliter determinata quoad actionem, quia vtraque influit, ita etiam in primo naturę signo intelligitur determinata vtraque voluntas per modum actus primi, ita tamen vt ex determinatione voluntatis diuinæ sequatur influxus in primam, à quo actus ille primus deriuetur in voluntatem creatam, quem acipit à Deo nostra voluntas ad pia opera, non tamen sine consensu libero eius, sic enim causa non se habet merè passiuè, sed potius consentiendo operatur & actiuè agit, & voluntas se determinat actiuè: atque adeò est verũ quantum ad efficientiam posse attribui vtrique voluntati ordine quodã determinationẽ hanc, sed voluntati creatæ cum quadam dependentia ab efficientia primæ, & cum quadam subordinatione ad ipsam tanquam ad primum auctorem determinationis, quia Deus est primum prædeliberans. Vnde quòd ex libertate voluntatis creatæ pendeat talis determinatio quam ipsa habet, ex hoc non infertur, quòd non depen-

Qualiter determinatio voluntatis creatæ sit subdeterminatione volũtatis diuinæ.

deat

deat à Deo tanquam à vero principio primum determinante & prædeliberante, vt suſius in antecedentibus diximus.

QVOD verò dicunt auctores oppoſitæ ſententiæ, quòd Deus intelligitur in inſtãti in quo inſluit vt cauſa prima, habere quandam determinationem ortam à ſua voluntate prius natura, qua expoſitus eſt ad concurrẽdum & inſluẽdum in hunc vel in illum actum, & Deum ſolũ eſſe indifferentem vniuerſali quadam & abſoluta indifferentia: determinatum tamen quaſi ſub conditione ad cooperandum voluntati creatæ: Certè hoc non ſatisfacit & eſt impertinens, quia iſte modus determinationis primæ cauſæ, iuxta modum dicendi aduerſariorum confuſus eſt, & dependens à voluntate creata propriè loquẽdo. Nam ſi quis diceret: Ego nihil volo agere neque efficienter propriè, neque ex conſilio aut determinatione mea, ſed tãtùm volo id agere & velle quod Paulus voluerit, ſiue ex cõſilio ſuo, ſiue ex determinatione ſuæ volũtatis, quidquid ipſe voluerit, & quidquid ipſe inſluendo & concurrendo determinauerit: ſanè in eo caſu mea determinatio imperfecta & confuſa eſt, & ſuſpenſa pendens à determinatione alterius: Ergò ſimili, & pari ratione id dicendum videtur de Deo in modo dicendi aduerſariorum iuxta eorum ſententiam & fundamenta. Imò verò reſpectu cuiuſcumque actus liberi ad quem voluntas creata ex conſilio & conferentia ſe determinauerit hic & nunc, cum Deus ſuſpenſus mãſerit, & non ſe determinauerit circa hunc actũ niſi expectata voluntate creata, dicetur agere ex conſilio voluntatis creatæ & inſluere ex determinatione voluntatis noſtræ in particulari. Et non obſtat quòd Deus in opinione iſtorum ſub conditione & generali ratione voluerit id omne in confuſo ad quod voluntas noſtra ſe determinauerit, quia talis determinatio eſt confuſa & pendens à creatura, & à conſilio voluntatis eius.

Iuxta oppoſitã ſententiã diceretur Deum agere ex conſilio voluntatis creatæ.

EX dictis, iuxta id quod ſentimus, colligo, primam cauſam, quæ eſt Deus, non ſolùm eſſe primò deliberantem, ſed etiam prius natura inſluere in genere cauſæ efficientis propriæ: quod auctores oppoſitæ ſententiæ negare non potuerunt. Rurſus ſentio, Deum, qui prius natura inſluit in genere cauſæ efficientis, in eodem etiã genere mouere, & diſponere omnem modum, qui eſt in cauſa ſecunda, etiam libera, iuxta conditionem eiuſdem cauſæ ſecundæ cum ſuauitate & efficacia, ita quidem vt omnis modus materialis, qui in ſecunda cauſa cõſideratur, à Deo & à diſpoſitione eius fiat & procedat, in genere cauſæ efficientis. Quocirca non eſt ferendũ quod Suarez dixit lib. 1. de concurſu Dei cum voluntate, cap. 15. quòd cauſa prima non antecedit ſecundam prioritate cauſalitatis. Hoc enim eſt contra Philoſophiam & contra Theologiam, ſi ſermo fit de cauſa prima per eſſentiã, quæ eſt Deus, à qua omnes ſecundæ cauſæ habẽt participatiuè cauſare, quia per participationem ſunt cauſæ, Deus autem, qui eſt prima cauſa per eſſentiam, eſt independens. Vnde ex ſententia videtur negare prioritatem cauſalitatis in prima cauſa, quæ nullis ſubordinatur in cauſando, & ipſa ſubordinat ſibi omnes: videat hoc Theologus Chriſtianus, & mediocris Philoſophus, ſi rem hanc attentè perpendat.

Cauſa. 1. quæ eſt Deus non ſolũ eſt primò deliberans, ſed etiam prius natura influit in genere cauſæ efficientis.

QVONIAM ab aduerſarijs citatur Gregorius Ariminenſis ſine cauſa, idcircò eius mentẽ & ſententiam adducam hic: nam certè in ſecundo ſententiarum diſtinct. 28. q. 1. art. 3. poſtquã dixit ex ſententia Diui Auguſtini lib. 1. Retractationum, ex Deo eſſe etiã ipſum bonũ vſum liberæ volũtatis: paulò inferius ſolutione ad 12. argumentum dicit: *Quod quamuis Deus inuet hominem ad benè & piè agendum per aliquod habituale donum, quod cauſat in anima, non tamen tantum ſic inuat, ſed etiam inuat ipſum actum immediatè cauſando, & ad ipſum immediatè mouendo potentiã. Vnde homo habens gratiam etiam gratum facientẽ, & aliud quodcumque habituale Dei donum, adhuc ad piè ſeu benè operandum indiget alio ſpeciali auxilio Dei ſecundum doctrinã Beati Auguſtini.* Hæc Gregorius: Et paulò inferius ſubiungit Deum efficere ſpeciali modo, vt ipſa voluntas cooperetur ipſi Deo, applicata, & quaſi inſtrumentaliter mota à Deo ad cooperandum. In qua tamẽ motione ipſa non neceſsitatur, ſed inſtrumentum liberum exiſtens in cuius poteſtate eſt ſequi motionem primi agentis: & ad hoc probandum adducit D. Aguſt. de gratia & libero arbitrio vltra medium, ita dicentem. *Certum eſt nos velle cum volumus: ſed ille facit, vt velimus bonum, de quo dictum eſt, quod præparatur voluntas à Deo: qui operatur in nobis & velle. Certum eſt nos facere cum facimus, ſed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficaciſsimas voluntati. Qui dicit faciam vt in inſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis & faciatis.* Itẽ paulò poſt. *Ipſe vt velimus operatur incipiens: qui volentibus operatur perficiens.* Illud autem teſtimonium Scripturæ de filijs Dei, quod eſt D. Pauli. *Qui ſpiritu Dei aguntur hi ſunt filij Dei*, magnificat D. Auguſt. lib. de correctione & gratia, cap. 7. vbi ait. *Aguntur enim, vt agant, &c.* Capreolus approbat hanc doctrinam Gregorij in ſecundo diſtinct. 28. q. 1. art. 3. in ſolutionibus argumentorum ad 12. Et addit Capreolus, quòd concordat Sanctus Thomas. 1. 2. q. 109. Docet enim Capreolus Deum præmouere voluntatem, ſeu prædeterminare eam ad bonum & ad pœnitentiam.

Gregorius Arimin. malè citatur pro ſe ab aduerſarijs, & ideò quid ſenſerit expenditur.

Capreolus.

D. Auguſtinus lib. 1. ad Simplician. q. 2. dicit, quòd gratia Dei & vocatio ipſius non ſolũ dat poſſe velle, ſed etiam dat eſſe effectricem bonæ voluntatis: ergò antecedenter & prius natura ſe habet auxilium Dei: ergò non expectat voluntatem noſtram: & lib. 1. Retract. cap. 23. & lib. 3. Hypognoſt. In omni opere ſancto prior eſt voluntas Dei, poſterior liberi arbitrij: ergò non expectat Deus voluntatem noſtram, ſed nos expectamus ſuam.

D. Auguſ.

D. Fulgentius lib. de incarnatione & gratia Chriſti, cap. 17. & 18. ait. *Deus, qui homini pœni-*

D. Fulgen.

tentiam dat, ipse mutat hominis voluntatem. Proinde si quis dicit, meum est velle credere, Dei autẽ gratiæ est adiuuare, mutet dictorum ordinem: neq; quod posterius priori loco, neque quod prius est in loco posteriori constituat: malè enim gratiam Dei suæ voluntati postponit, cum ista bona esse nõ possint, si illa defuerit, non enim dicat meum est velle credere, Dei autem gratiæ adiuuare: sed dicat, gratiæ Dei est adiuuare, vt sit meum velle credere. Tunc enim verè rectèque ait eius hoc velle, cum gratia præuia cœperit adiuuare. Expendantur hæc verba & videbis esse contra hos auctores. Nam Fulgentius dicit malè gratiam Dei voluntati postponi: & similiter affirmat gratiam adiuuantem non solùm esse comitem, sed etiam esse præuiam. Ex quibus liquet Deum, vt influat per suam gratiam, & vt concurrat & adiuuet, non expectare voluntatẽ nostram, vt dicit Suarez. Vnde cap. 18. adducit illud Pauli: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei.* Et lib. 1. ad Monimum in impressione Basileæ anno 1566. fol. 18. & 19. quem malè citat Molina, cõtra ipsum loquitur, vbi inquit. *Deus sicut in prædestinatione semper habuit, sic per gratiam sicut prædestinauerat facit: prædestinationis itaque ipsius instituatur agnitio, cum dicit Scriptura: Et præparatur voluntas à Domino. Non autem ob aliud præparata dicitur, nisi quia danda prædicitur. A quo enim præparatur per bonitatem sempiternam, ab ipso datur per indebitã gratiã, iuxta illud Ezechielis: Dabo vobis cor nouũ, & spiritũ nouũ dabo in vobis, & auferetur cor lapideum, & spiritum meum dabo in vobis, & faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis.* Et infra pag. 18. & 19. *Vnde cognoscimus Dei esse vt bonum facere velimus, & vt bonum facere valeamus:* ergo non dicitur Deus velle sub conditione, si voluntas sese determinauerit, aut si ipsa voluerit expectando influxum eius. Et non dicit Fulgentius Deum expectare voluntatem nostram.

D. Irenæus

Divvs Irenæus lib. 4. aduersus Valentinum & Similium, capit. 76. dicit: *Non enim tu Deum facis, sed Deus te facit. Si ergo opera Dei es, manum artificis tui expecta, oportunè omnia facientem.* Et infra, *Manus eius, scilicet Dei, limet te intus & à foris auro puro & argento*, & non dicit Irenæus, quòd Deus non expectat voluntates nostras, sed quòd nos expectamus Deum.

D. Prosper

D. Prosper Aquitanicus agens de gratia Dei in Epistola ad Ruffinum postquam multa dixerat de gratia Dei concludit: Quòd gratia est bonorum operum creatrix, de qua dicit liberum arbitrium obedire gratiæ, quia ipsa Dei gratia affectum credendi obediẽdiq; generauit. Alioquin sufficere moueri hominem, non etiam in ipso nouam fieri voluntatem. Hæc Prosper, & statim cùm adduxisset illud Pauli ad Philippenses. 2. *Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate*: subiungit. *Pro qua bona voluntate? nisi, quam in ipsis operatus est Deus*, tandem in postremis verbis epistolæ D. Prosper dicit, Deum inspirando, & auxiliando vsque in finem præeundo seruare liberum arbitrium. Non dicit Diuus Prosper, quòd Deus expectat voluntatem nostram, sed potius dicit, quòd semper præeundo seruat eam.

D. Athan.

Divvs Athanasius ad Ephes. 2. explicans illud: *Ipsius factura sumus creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus:* inquit Athanasius: *Es namque in Christo Iesu creatus, in nouamque es immutatus facturam: & quemadmodum ex nihilo ad esse aliquid creauit te Deus: sic nunc ad benè esse prouexit.* Et loquens statim de bonis operibus subiungit Athanasius: Deus autem hæc præparauit quæ differri non possunt, neque intermitti quin peragantur, tãtanquam diuinitùs sit præfinita quousque sit procedendum. Vides quo pacto doctrina Athanasij cum aduersariorum opinione non solùm non consentiat, sed magis illi aduersetur. Nam exemplum creationis, quod adducitur ab Athanasio, malè conuenit cum expectatione voluntatis, quam introducunt aduersarij. Rursus prædefinitio diuina, secundùm quam omnia præparantur, similiter non rectè consentit cũ opinione de expectatione voluntatis.

D. Ioann. Rusbrochius.

D. Ioannes Rusbrochius quem nonnulli vocant alterum Dionysium Areopagitam libr. 1. De ornatu spirituali nuptiar. capit. 1. de vita actuosa distinguit duas gratias præuenientes, quibus intus permouetur homo, tenetque expressè vim gratiæ ex Deo, à quo furculo trahit originem opus pium. Et lib. 2. de ornato spiritualium nuptiarum cap. 4. agit de influxu diuinæ gratiæ in spiritum nostrum & semper supponit auxilium intrinsecum, & nõ dicit Deum expectare voluntates nostras, vt influant.

Glossa interlinealis. Caieta.

Sane mirabile est quantum expendatur apud Lucam, capit. 14. in parabola de inuitatis ad cœnam, cum multi excusarentur & nolent ingredi ad cœnam, verbum illud. *Compelle eos intrare, vt impleatur domus mea.* Quod sanè verbum, compelle, non potest non explicari de magna efficientia, & motione virtutis Dei ad credendum, qua præuenta & præmota est voluntas, vt numerus prædestinatorum fidelium inexpletus, aut dubius non remaneret. Et profectò verbum: *Compelle eos intrare*, non tantùm dicit moralem inuitationem, quæ iam præcesserat, sed efficientem premotionem propriè, quasi ad modum causæ physicæ. Idque insinuat glossa ex Theophilacto & interlinealis etiam. Caietanus Lucæ. 14. explicans hunc locum, ait. *Modus quodammodo violentus conuertendi istos significatur. Considera conuersionem Pauli, & videbis compelle intrare. Si sciremus quibus vijs Deus aliquos conuertit, videremus pluries impleri quòd compelluntur intrare: non quòd compellatur voluntas, sed quòd mutantia voluntatis talia sunt, vt compellatur quis mutare voluntatem, vt vides in exemplo Pauli: vt impleatur domus mea, hoc est, vt compleatur numerus electorum: & perpende verbum, non quòd compellatur voluntas, quia semper manet libera.* Possem plura testimonia Patrum adducere, hæc tamen sufficiant

modò pro hac 2. assertione. Nam sectione præcedenti multò plura retulimus ad opinionem aduersariorum retundendam.

Tertia Conclusio.

Conclus. 3. DIco tertiò. Dicere, quòd quotiescumque ex suis viribus naturalibus conatur liberum arbitrium hominis, præstóve est ad conandum totum id quod ex sese potest, tam circa fidem, quàm circa dolorem de peccatis, ac iustificationem, à Deo conferri gratiam præuenientem seu auxilia gratiæ ex infallibili lege, quibus id faciat, vt oportet ad salutem, mihi non probatur. Sancta sedes Apostolica Romana iudicio suo decernat de hac re, cui meum submitto. Nam certè Concilia, præcipuè Arausicanum secundum, & antiqui Patres semper dixerunt, non solum auxilium gratiæ Dei esse gratuitum ad opera salutis, sed etiam dixerunt Deum non expectare voluntates nostras. Si autem ex lege Dei infallibili, conantibus nobis ex innatis viribus nostris Deus præsto est per auxilia supernaturalia, & gratiam præuenientem: sicut semper est præsto per generalem concursum ordinis naturæ ad opera naturalia, Deus confert ex lege infallibili omnia illa auxilia gratiæ, quibus homo id faciat, quod ad salutem oportet, sine dubio Deus expectaret conatum naturalium virium ex lege infallibili ab eo lata, vt tribueret gratiam præuenientem, & auxilia gratiæ actualis. Et auctores oppositæ sententiæ dixerunt esse legem de hac re, quam Pater æternus & Christus dominus statuerunt. Hac inquam ratione supra tacta, vt quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere, quòd in nobis est, opus aliquod ex his, quæ ad iustificationem spectant, præsto ex eadem lege infallibili nobis essent auxilia gratiæ, quibus illa opera vt oportet ad salutem efficeremus: Vt ea nimirum ratione semper in manu liberi arbitrij sui posita esset in homine salus eius, & per ipsum stare quod ad Deum non conuertatur. Ex quo sequitur, quòd Deus esset debitor gratiæ præuenientis ex lege, quam tulit, & quòd esset infidelis si id non faceret & impleret postquam homo peccauit mortaliter, si tamen ex viribus naturæ benè operaretur motaliter.

Concil. Arausicanū.

Molina hunc dicendi modum introduxit. HVNC modum dicendi introduxit Ludouicus Molina in sua Concordia disputatione 10. vt inueniret modum, quo sit in potestate hominis habere gratiam necessariam salutis, etiam quoad primum auxilium præueniens: Quia aliàs ipse non potuit intelligere, quomodo sit in potestate hominis salutem obtinere, & idcircò excogitauit prædictam sententiam, quòd quotiescumque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præstóve est ad conandum totum id, quod ex se potest, tam circa ea, quæ fides habet addiscenda & amplectenda, quàm circa dolorem de peccatis, ac iustificationem, à Deo conferri gratiam præuenientem, seu auxilia diuina, quibus id faciat, vt oportet ad salutem: idque dicit statutum esse ex lege infallibili Dei. De hoc modo dicendi, & de plerisque pronunciatis in eo contentis expectamus hodie decretum Apostolicæ sedis, eiusque definitionem vt iam diximus.

Initium salutis spiritualis nullo modo ab innatis viribus incipit. PRO explicatione nostræ sententiæ contra hanc quam Molina edidit suppono: initium salutis animæ nulla ratione incipere ab innatis viribus naturalibus. Quæ suppositio verum habet fundamentum in Conciliis & in Sanctis Patribus: Nam certè Tridentinum sess. 6. cap. 5. sic determinat. *Declarat præterea* (Sancta Synodus) *ipsius iustificationis exordium in adultis, à Dei per Christum Iesum præueniente gratia, sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, &c.* Idem habetur in Arausicano Concilio canon. 3. 4. 17. 18. & 25. Idem tradit Celestinus primus epist. 1. ad Episcopos Galliæ, cap. 12. & Leo primus epist. 84.

Sancti Patres damnãtes Pelagiũ potissimum intendebãt damnare infallibilẽ cõsecutionem gratiæ ex viribus innatis. EX veritate huius suppositionis colligo, non esse ferendam sententiam Molinæ: Quia scriptura & Concilia, Sanctique Patres non solùm dicunt neminem posse ex innatis viribus naturæ obligare Deum ad conferendam gratiam per modum dispositionis aut meriti, verùm etiam negant posse nos ex innatis viribus naturæ, & liberi arbitrij facere quæ necessaria sunt secundùm legem Dei ad hoc, vt Deus conferat nobis gratiam: & tamen auctores oppositæ sententiæ censent, esse legem infallibilem, vt quoties homo peccator ex suis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex ijs, quæ ad iustificationem spectant, illud exequatur prout ad salutem oportet. Hoc non video qua ratione ferendum sit: Quoniam Sancti Patres damnantes Pelagium, potissimum intendebant damnare hanc infallibilem & necessariam consecutionem gratiæ, & auxiliorum eius, ex innatis viribus naturalibus: quasi ipsis expectatis ex lege lata: vt Deus suam gratiam præuenientem daret.

OPTIME vidit Ludouicus Molina rem hanc: & cùm voluit introducere hunc modum dicendi, adeo hæsit in eo, vt in eadem Concordia quæst. 23. artic. 4. & 5. disputa. 1. membro vltimo, dixerit, quòd si ipsius sententia expenderetur cum principijs ex quibus eam deducit prout in variis locis tradita sunt ab eo, & illa fuissent tempore Pelagij data & explanata, fortè Pelagiana hæresis non fuisset exorta. Siquidem conantibus nobis ex viribus naturalibus aggredi pœnitentiam & alios actus salutis Deus ex lege infallibili præsto esset, non minus quàm per concursum generalem est præsto rebus naturalibus: tribuendo auxilia gratiæ actualis, quibus homo faceret opera supernaturalia talia sicut ad salutem oportet, vt Molina dicit. Quodque Molina non solùm contentus est hoc dicere, verum etiam in hoc sensu suæ doctrinæ videtur vo-

Ioan. 1.

luisse explicare locum illum Ioann. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*: dicit enim prædictus auctor de hominibus hæc verba: His enim eatenus facta est potestas vt filij Dei fiant, quatenus si quantum in se est conentur, præsto illis aderit Deus, vt fidem & gratiam consequantur, neque desiderio suo fraudentur. Quare ea ratione in potestate eorum est vt filij Dei fiant. Et in exordio illius disputationis decimæ citatæ, idem Ludouicus Molina asseuerauit, quòd quotiescunque ex suis viribus naturalibus conatur liberum arbitrium, præstóve est ad conandum totum id quod ex sese potest tam circa fidem, quàm circa dolorem de peccatis, ac iustificationem, à Deo conferri gratiam præuenientem, seu auxilia gratiæ, quibus id faciat, vt oportet ad salutem, & de hac re dicit esse legem.

Nunquam adeò desipuit Pelagius, vt asseueret posse nos facere Deum debitorem simpliciter primæ gratiæ.

Hoc autem, quod dicit de libero arbitrio ex suis viribus naturalibus & ex conatu earum, non video, vt dixi, quo pacto verum sit: Quoniam sancti Patres etiam damnantes Pelagium potissimum intendebant damnare hanc infallibilem & necessariam consequutionem gratiæ ex operibus naturalibus, seu ex innatis viribus, ortis à libero arbitrio præcisè. Vnde est valdè perpendendum quod Vega & Bartholomæus Medina dicunt: Nimirum Pelagium non adeò desipuisse, vt diceret, nos posse facere Deum debitorem simpliciter primæ gratiæ, & mereri illam de condigno, aut ex rigore iustitiæ, sed tantùm ex lege sua infallibili. Quoniam ad rationem meriti sufficere videtur, quòd merces debeatur, non ex natura operis, sed ex pacto & lege diuina, videlicet sub conditione eiusdem operis. Imò verò meritum, quo iusti merentur gloriam, fundatur etiam in lege & ordinatione diuina: igitur si secundùm infallibilem Dei legem sequitur gratia positis solius naturæ viribus & operibus, ita vt peccator, eis factis, & positis, habeat potestatem auxiliorum gratiæ vocationis & excitationis, ita vt quoties peccator aggredi voluerit ex suis naturalibus viribus opus aliquod ex his, quæ ad iustificationem pertinent, illud exequatur, pro vt ad salutem oportet, vt Molina dicit: sequitur, quòd talia opera ex innatis viribus naturæ facta possent dici meritoria illius gratiæ actualis, & auxiliorum ad opera, quæ ad iustificationem spectant, vt illa operetur, & exequatur, vt ad salutem oportet: & quòd Deus ex debito legis & fidelitatis teneretur dare præuenientem gratiam, & quòd esset infidelis si eam non daret.

Vnde aduertendum est Ludouicum Molinam verè quidem repulisse rationem digni meriti respectu gratiæ actualis seu auxiliorum supernaturalium, per vires & conatum naturæ: Quia videbat ex sua doctrina posse colligi rationem meriti respectu auxiliorum gratiæ. Sed quamuis meritum repulerit, tacuit tamen & minimè expressit, vtrum opera naturalia bona moraliter facta ex innatis viribus naturæ, haberent rationem dispositionis suppositæ lege infallibili, quam ipse constituit ab operibus naturæ præcisè ad gratiam auxiliorum supernaturalium. Et mirabile profecto est, quod tacuerit an bona opera naturalia haberent rationem dispositionis ad prædicta supernaturalia gratiæ auxilia, in sensu quem ipse tradit, & suprà ex ipso retulimus: cùm non lateret ipsum Doctores Catholicos non solùm expellere rationem meriti ab ijs operibus respectu gratiæ, vt etiam repellitur à Concilio Tridentino sessione 6. capit. 5. sed etiam repellere rationem dispositionis ab operibus præcisè naturalibus factis ex innatis viribus nostris.

Nō expressit Molina an opera bona moraliter ex viribus naturæ facta habeant rationem dispositionis respectu gratiæ suppositæ lege, quam ipse cōstituit.

Imò verò Tridentinum Concilium definit nullum hominem sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate posse. Et tamen Molina dicit: Quòd quotiescunque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præstóve est ad conandum totum id, quòd ex sese potest, tam circa fidem, quàm circa dolorem de peccatis ad iustificationem, à Deo conferri gratiam præuenientem, auxiliáve, quibus id faciat, vt oportet ad salutem. En Molina docet hominem libera sua voluntate, & ex innatis viribus se mouere posse tam circa fidem, quàm circa dolorem de peccatis, ac iustificationem: ad quam motionem ex naturæ conatibus, & viribus factam, ex lege confertur illi gratia præueniens, & conferuntur etiam auxilia, quibus faciat alia opera, vt ad salutem oportet: de quo modo dicendi iudicium sit ex sacro Tridentino Concilio qualiter hoc dicatur.

Quæstioni, quam insolutam reliquit Diuus Paulus, facilè responderetur, si vera esset opposita sententia.

Moveor etiam quia si vera esset sententia prædicti auctoris, incideremus in illud Augustini: *Cur hunc trahat, & illū non trahat, noli iudicare si nō vis errare*: & cōsequenter possemus facilè soluere quæstionē illam D. Pauli, quam ille excitat in epistola ad Romanos, & insolutam relinquit: nimirum, quid est quod hunc trahit, & illum non trahit? Posset enim quis respondere iuxta hanc sententiam. Hunc trahit, quia ex innatis viribus suis, seu naturæ, fecit bona opera, & conatus est, & ex lege infallibili se disposuit per illa; illum verò non trahit, quia non fecit bona opera naturalia neque conatus est ex viribus naturæ, quibus infallibili lege correspondent auxilia gratiæ, & ita non se præparauit ex suis viribus neque conatus est ex illis. Rursus si est talis lex infallibilis omninò, illa quidem esset lex ab operibus naturæ ad opera gratiæ, seu à natura ad gratiam. Quomodo ergo Scriptura & Concilia definiunt hominem ex facultate naturæ nihil posse facere, quod ad salutem æternam conducat, sine speciali gratia Dei? Nam profectè vtilissimum & maximè conducens esset, ponere talem præparationem ex naturæ conatu, & ex innatis viribus facultatis naturæ, ad quem de lege

omni-

omninò infallibili fieret, vt quoties peccator ex suis viribus naturalibus aggredi vellet opus aliquod, ex his quæ pertinent ad iustificationem, illud exequeretur, prout ad salutem oportet.

Primũ nostræ salutis initium esset in potestate nostrarum viriũ naturaliũ, si vera esset Molinæ sententia.

Movebor vlterius, quia si vera esset doctrina Molinæ, sicut ille eam tradit, sequeretur posse dici, quòd primum initium absolutè & simpliciter nostræ salutis esset in potestate nostri conatus & virium nostrarum naturalium: non quidem primum in ordine supernaturalium, sed absolutè & simpliciter primum initium ante quod non est aliud. Probatur sequela: Quoniam ex lege infallibili non aliter (vt ille dicit) quàm ex concursu generali ordinis naturæ, lege quasi naturali ordinaria, qua omnibus agentibus statuit Deus non denegare talem concursum generalem, Deus ipse conantibus nobis ex solis naturæ viribus dat gratiæ auxilia, quibus homo peccator quantumcunque sit Dei inimicus, exequatur & faciat ea, quæ ad salutem & iustificationem oportent. Et est sermo de homine, qui ex conatu naturali, & ex suis viribus naturalibus aggredi vult opus aliquod ex his quæ pertinent ad iustificationem. Supponamus opus illud esse dispositionem vltimam ad iustificantem gratiam, seu contritionem aut vltimam conuersionem, tunc planè sequitur ex aduersariorum dictis, quòd primum initium huius consequutionis vltimæ dispositionis ad iustificationem, seu ad gratiam sunt vires naturales innatæ liberi arbitrij, seu operationes merè naturales ordinis naturæ bonæ moraliter. Quapropter prædictus auctor videtur reducere initium & exordium gratiæ actualis & auxiliorum supernaturalium, & etiam operum supernaturalium, in vires innatas liberi arbitrij, & in operationes factas ex eisdẽ viribus naturalibus: ac proinde quòd facienti quod in se est ex viribus & conatu naturæ Deus ex lege infallibili dat gratiam, & auxilia omnia ordinis gratiæ: quia aliàs esset infidelis non seruando legem illam. Diuus Augustinus libr. 1. contra Adimantum, cùm dixisset in nostra esse potestate voluntatem in melius mutare: postea lib. 1. Retractationum, capit. 22. sic illud interpretatur dicens: *Hoc non est contra gratiam Dei, quã prædicamus: in potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatẽ, sed ea potestas nulla est, nisi à Deo detur, de quo dicitur: Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et libr. 2. Retractationum, capit. 1. & de dono perseuerantiæ capit. 8. apertè docet hanc potestatem nobis communicari, sancta cogitatione, quæ est gratia operans & præueniens. Augustini verba hæc sunt. *Nõ itaque in hominũ, sed in Dei potestate est, vt habeant homines potestatẽ filios Dei fieri.* Reddit rationem huius: Ab ipso quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias: idque confirmat ex Diuo Ambrosio libro de fuga seculi, capite. 11.

Infidelem esse Deum si non daret auxilia gratiæ operanti ex viribus naturalibus, sequitur ex aduersa sentẽtia.

Addvcor præterea ex modò dictis: quia si ex operibus naturalibus infallibiliter ex lege dantur homini auxilia gratiæ, imò prima auxilia præuenientia, sequitur, quòd si Deus non daret illa infidelis esset cum Scriptura dicat: Deus fidelis est, se ipsum negare non potest, & tamen cernimus, quòd Deus Tyrijs, & Sidonibus non dedit auxilia, quibus conuerterentur de facto, aut quibus facerent & aggrederentur opera ex his, quæ ad iustificationem spectant, quamuis opera eorum multò meliora erant quàm illa quæ ciues Corozain & Bethsaidæ egerunt, & tamen si ex lege infallibili propter naturalia opera facta ex innatis naturæ vibus dantur auxilia gratiæ & auxilia præuenientia, sequitur illa potius donanda esse Tyrijs & Sidonibus, quàm ciuibus Corozain & Bethsaidæ, imò verò illis infallibiliter & ex lege infallibili, istis verò nonitẽ. Fauet etiã quòd Deus dedit ingentia auxilia gratiæ Paulo, Latroni, & Magdalenæ, & tamẽ Paulus cum hæc auxilia recepit, & cum vocatus est à Deo efficacissima vocatione non solum non operabatur benè, sed persequebatur actu Ecclesiam Dei, Latro etiam seditiosus erat, & in peccatis vixit: similiter etiam Magdalena peccatrix fuit: ergò non receperunt auxilia gratiæ Dei etiam præuenientia ex hac lege infallibili facta ex operibus naturæ, & innatis viribus nostri liberi arbitrij ad gratiam actualem seu ad auxilia supernaturalia, sed ex diuina misericordia & mera liberalitate Dei. Imò verò fuerunt plures, qui bona opera naturalia fecerunt ex viribus naturæ, seu ex innatis viribus nostri arbitrij, qui tamen non receperunt tot auxilia, sed permissi sunt permanere in peccato in quo erant.

Plures bona opera naturalia fecerunt ex viribus naturæ: qui tamen permissi sunt permanere in peccato, in quo erant.

Ex quibus omnibus etiam satis liquet non esse ferendam aliam quorumdam sententiam asserentium, opera facta per vires naturæ ita conferre ad gratiam consequendam, vt ex eis & ex lege infallibili sequatur ac infallibiliter inferatur vltima dispositio ad gratiam. Nam hoc incidit in errorem Pelagij. Nam quid aliud est dare initium salutis spiritualis, nisi efficere opus, ad quod infallibiliter sequatur ipsa salus, aut iustificatio, vel immediatè, vel mediante aliqua operatione, quæ ex lege habeat modum dispositionis ad ipsam? Et multò minus est ferenda illa sententia quæ præter infallibilitatem moralem constituit legem vniuersalem, & connexionem necessariam gratiæ actualis & dispositionis, aut conuersionis, cum operibus ex viribus naturæ præcisè factis.

Sane omnis operatio, quæ parat viam ad gratiam, ad conuersionem & iustitiam semper Sancti Patres, & Concilia dicunt eam esse ex auxilio supernaturali Dei, de qua re egregiè legendus est D. August. 1. de prædestinatione Sanct. capite 7 & D. Ambros. super Lucam libr. 2. capit. 12 & libro 6. capite 32. & libr. 10.

Omnis operatio, quæ ad gratiam viam parat semper est ex auxilio supernaturali Dei.

cap. 96. D. Hieronymus lib. contra Pelagium, & in epistola ad Damasum Papam, D. Gregorius 16. moralium cap. 11. & lib. 33. cā. 25. & D. Bernardus super cant. sermone 8. Et iterum D. Ambrosius super epistola ad Ephesios 1.

PERPENDERE oportet sanè in hac re Cōcilia Patrum, & antiquos Ecclesię Proceres sem per dixisse auxilium gratię Dei ad opera salutis gratuitum esse omninò, non debitum, Deumq; non expectare voluntates nostras. Neque solū male diceretur, & contra Concilia, præcipuè contra Tridentinum, primum auxilium salutis nostræ, quod à vocatione incipit, ex meritis da ri, vel de congruo, vel de cōdigno, cùm Sessio. 6. cap. 5. dicatur, quòd nullis existentibus meritis vocantur peccatores: sed etiam esset valdè difficile affirmare Deū influere in nos sub conditione operationis nostræ, aut voluntatis influentis, expectando videlicet eam, & influxum eius ad actum, quasi sub conditione illa, si ipsa voluntas se ad eliciendum illum determinauerit: & est sermo de primo auxilio vocationis circa exordium iustificationis. Nam datis plerisq; auxilijs, quibus tangitur & inspiratur homo, & mouetur à Deo, quibus etiam non resistit sed benè vtitur, Deus vlteriora dat, vt D. Augustinus epistola 105. 106. docet. Vnde quamuis in omnibus istis auxilijs reperiatur gratia Dei, tamen sancti Patres potissimè in primo auxilio, quod ad voluntatem credendi datur & ad initiū conuersionis, hanc gratiam constituunt: & idcir cò dicunt auxilium gratiæ Dei non solum supernaturale esse, sed omninò gratuitum, & hac ratione inter alias plures, negant initium salutis posse esse ex nobis, negantq; totam gratiā, quatenus in illo primo auxilio inchoatur, posse aliquo modo fundari in nostris operibus: quod non tantùm debet intelligi de operibus aut me ritis de condigno, sed etiam de congruo.

Etsi in omni auxilio reperiatur gratia Dei, potissimum in primo, q̄ est iustificationis exordium.

RVRSVS est vlterius obseruandum Semipelagianos post Pelagium non posuisse meritum de condigno in eo actu humano, seu opere voluntatis nostræ, propter quod initium gratiæ, seu primū auxilium dari affirmarent: & ita non dicebant dari ex iustitia, sed ex misericordia: affirmabant tamen dari per respectum ad aliquē laborem nostrum vel conatum, seu ad volūtatē & desiderium obtinendi gratiam, vel iustitiam, quatenus ex innatis viribus liberi arbitrij haberi potest ante omnem gratiam. Quam sentētiā Cassianus tradit lib. 12. de instit. Cænob. cap. 14. & sequentibus, & in collat. 13. sed profectò in hoc sensu D. Augusti. epist. 105. & 106. & li. de gratia & libero arbitrio c. 6. & sequentibus, & Psalm. 31. scripsit contra hanc sententiā. Nā etiam in hoc sensu, in quo præcedentem sententiam retulimus, dixit Augustinus contra istos: *Gratiam nihil humani meriti præcedere*, vocat autem D. Augustinus prædictis in locis humanū meritū illud, quod sine vlla gratia præsumitur ex innatis viribus, & ex sola liberalitate. Cōtra quam sententiam scripsit D. Prosper contra Collatorem: & Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia cap. 12. 13. & 27. & Cælestinus Papa epistola 1. & Concil. Trident. Sessio. 6. ca. 5. & Arausicanum secundum, & Leo Papa sanctissimus expressè epistola 84. citata.

Quid Semipelagiani assererent, & quomodo D. Augu. contra eos agat.

D. Prosper. Fulgentius.

Cælestinus Papa. Concilium Tridentin. Leo Papa.

VOLVERVNT tamen hodierna die nōnulli Theologi posse hominem per vires naturę & per conatū naturæ efficere aliquid, quo primū gratiæ auxilium, seu primam vocationem obtineat, ex lege à Deo posita ad hoc ipsum. Cūtamen omnis operatio, quę parat viam ad gratiā, iuxta sanctos Patres & Concilia, fit ex auxilio supernaturali Dei.

NAM profectò si homo peccator ex innatis viribus & naturæ operibus & conatibus precisè, consequitur auxilia supernaturalia, qualia sunt necessaria ad conuersionem & iustificationem ex lege Dei, tunc initium operum disponētium ad iustificationem esset ex nobis ita conātibus ex nostris viribus naturalibus, ex lege posita à natura ad gratiam, seu ad auxilia gratiæ: ac proinde homo haberet quid rationabiliter respōderet Paulo interrogāti: Quis te discernit? Posset enim homo respondere, discernit me primò iste conatus ex viribus mei liberi arbitrij, cui ex lege infallibili debentur vel debito promissionis, vel debito fidelitatis aut legis infallibilis, infallibiliter auxilia gratiæ: sicut debetur concursus generalis ordinis naturæ libero arbitrio, vt naturaliter velit, aut nolit prout placuerit. Hoc enim exemplum adducunt auctores illius sententię: Nam hac ratione dicunt aduersarij nostri prę sto esse Deum per auxiliū gratiæ sufficiens illi homini, quoties ex suis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex his, quę ad iustificationem spectant, vt illud exequatur, prout ad salutem oportet. Haberemus rursus quid responderemus Paulo interroganti: Quis prior dedit illi? Nam posset homo dicere se ex suis viribus naturalibus voluisse aggredi opera aliqua ex his quę ad iustificationem spectant, & hoc dedisse & fecisse ex suis innatis viribus. Imò verò quis facilè posset satisfacere illi quæstioni, quam Paulus insolutam reliquit in epistola ad Romanos. *Quid est quod hunc trahat, & illū non trahat?* Posset enim homo si aduersariorum doctrina esset vera respōdere, hunc trahit, quia iste fecit quod in se est ex viribus naturæ adimplendo legem, quam statuit, & promissionis ius in eadē lege inclusum. Aliū verò minimè trahit, quia non facit quod in se est ex eisdem naturæ conatibus & innatis viribus.

Hominem plurimū posse ex facultate naturæ ad vitæ æternæ consecutionē contra sacrā Scripturam & Cōcilia, clarè sequitur ex oppositō.

PRETEREA si ab operibus factis ex naturæ viribus, quibus homo ex precisō naturæ conatu conatur, prę stóve est ad conandum opera salutis, fit consecutio infallibilis auxiliorum supernaturalium, quibus tanquam ex principijs salutis homo operatur illa opera quæ ad iustificationem spectant, sequitur totum hoc refundi suppositā lege in illum conatum naturæ & in vires innatas arbitrij creati. Quòd si hoc esset verum, quo pacto Scriptura & Concilia sentiunt hominem ex facultate naturæ nō

posse aliquid facere, quod ad vitam æternam sit vtile sine gratia Dei speciali. Quia supposita hac sententia vtilissimum est ponere conatum ex viribus naturalibus liberi arbitrij: Quoniam eo posito de lege dãtur auxilia diuinæ gratiæ, quibus faciat homo id, quod oportet ad salutem, tam circa ea quæ fides habet addiscenda, & amplectenda, quàm circa dolorem de peccatis, ac iustificationem, vt aduersarij fatentur in suo modo dicendi: imò verò Deus expectaret naturæ conatum, & vires naturales in operationibus naturæ precisè, ad donationem auxiliorum gratiæ, seu actualis gratiæ.

Quarta Conclusio.

Conclus. 4. DIco quartò. Locus ille Ioannis primo, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt, &c.* non potest vlla ratione intelligi de potestate accepta, si homo operetur ex naturæ conatu, aut quantũ in se est ex viribus naturæ, ita vt ob id, quia ex naturæ viribus conatur præsto illis Deus adsit infallibiliter ex lege, vt consequantur auxilia gratiæ, quibus pariter consequantur & efficiant opera illa, quæ ad salutem sunt necessaria, ita sanè vt ratione conatus virium naturalium, &c. dicatur esse in potestate hominum vt filij Dei fiant. Dicit enim Molina disput. 10. suæ Concordiæ, circa quæstionem decimam quartam art. 13. hæc quæ sequuntur sub hac forma verborum. *His enim eatenus facta est potestas vt filij Dei fiant, quatenus si, quantum in se est, conentur, præsto illis aderit Deus, vt fidem & gratiam consequantur, neque desiderio suo fraudentur: quare ea ratione in potestate eorum est, vt filij Dei fiant.*

Contra D. Augustinũ est modus dicendi Molinæ. SED profectò de hac re postulandũ est iudicium sedis Apostolicæ. Est enim modus iste dicendi expressè contra D. Augustinũ lib. 1. cõtra duas epist. Pelagianorũ ad Bonifaciũ Papã c. 3. tomo 8. quo in loco videbis optime lector quantũ impugnet hunc auctorem D. Augustinus: videndus est etiam Augustinus c. 2. precedenti prope finem. Oppositum etiam huius auctoris docuit Ruardus Tapper ar. 7. contra Lutherum pag. 238. & 239.

MOVEOR etiam, quoniam D. Augustinus lib. 2. de prædestinatione Sanctorum, seu de bono perseuerantiæ cap. 8. sic ait. *Non itaque in hominum, sed in Dei est potestate, vt habeant homines potestatẽ filij Dei fieri: ab ipso quippè accipiunt eã, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem, quæ operatur per dilectionem.* Ergò ratione conatus naturalis virium naturæ liberi arbitrij non potest dici quod prætendit aduersariorum sententia, nimirum hominibus factam esse potestatem, vt filij Dei fiant, quatenus si quantum in se est conentur, præsto illis aderit Deus ex lege, vt fidem & gratiam consequantur, neque desiderio suo fraudentur, ita vt ea ratione in potestate eorum sit vt filij Dei fiant, quatenus si quantũ in se est conẽtur. Addiderunt prẽterea auctores illius sententiæ hęc quæ sequuntur. *Quòd si conantibus ex suis naturalibus facientibusque quod in se est* (inquit Molina) *vel vt fidem amplectantur, vel vt de peccatis doleant: Deus non est semper præsto per auxilia & gratiam præuenientem, vt actus sint quales ad salutem oportet: Quanam ratione verum erit, Deum velle omnes homines saluos fieri?* Hactenus ille. Ex cuius sententia & verbis satis apertè constat qualiter ille vult, quòd ex innatis viribus liberi arbitrij nobis conantibus infallibiliter habemus ex lege certa, quamdam potestatem in ordine ad gratiam præuenientem, seu ad auxilia supernaturalia gratiæ actualis: & ita videtur hic auctor facere quoddam ius in homine peccatore, à conatu virium naturalium, seu à natura ad gratiam, cum quadam obligatione iuris & legis obligante Deum.

Pulchra D. Augu. verba, quæ sunt expressè cõtra Molinam. HOC ego aliter reperio apud Diuum Augustinum libro 1. contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium capite 2. dicentem hoc pacto: *Cum itaque non viuant benè homines nisi effecti filij Dei: Quid est quod iste libero arbitrio vult benè viuendi triouere potestatem: cum hæc potestas non detur nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, dicente Euangelio: Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Ioannis primo. Quid clarius dici poterat à Diuo Augustino contra ea, quæ Molina superius protulit? Rursus etiam Diuus Augustinus eodem lib. capite 3. sequenti explicans illud Ioannis 6. *Nemo potest venire ad me nisi pater qui misit me traxerit eum.* ait. *Et hoc propter credentes & non credentes se dixisse manifestauit, exponens quod dixerat: Nisi pater qui misit me traxerit eum: id ipsum alijs verbis repetendo in eo quod ait: Nisi fuerit ei datum à Patre meo. Ille quippè trahitur ad Christum, cui datur, vt credat in Christum. Datur ergò potestas, vt filij Dei fiant qui credunt in eum: cum hoc ipsum datur, vt credant in eum: quæ potestas nisi detur à Deo nulla esse potest ex libero arbitrio, &c.* Vides quo pacto ferenda non est aduersariorum expositio. Lege etiam D. Augustinũ lib. 1. Retractationum capite 22. vbi manifestè interpretatur mentem suam: & ea etiam quæ olim dixerat lib. contra Adimantum. Et paulò superius ante hanc conclusionem adduximus verba Augustini, prope finem tertię conclusionis, in quibus locis videbis qualiter Augustinus interpretatur locum citatum Ioannis primo. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

D. Ambr. SED volo rem hanc altius repetere & explicare. Hoc autem consequar si interpretationem huius loci Ioannis primo, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* tradidero ex alijs Patribus. D. Ambrosius lib. 4. de fide cap. 4. dicit Euangelistam in illis verbis: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri,* hanc particulam posuisse, vt hominum filiatio distinguatur ab illa Verbi, qua Verbum filius etiam Dei est. *Nostra quippè filiatio adoptionis*

est,

est, *Verbi verò naturæ: nostra potestatis, illius est proprietatis. Sensus ergò erit: Dedit eis potestatem vt sint filij Dei, quia natura nõ sunt filij, sed gratia.*

D. Ansel. Divvs Anselmus ad Romanos 9. explicans illud. *O homo tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quare sic me feciſti?* dicit Anselmus. *Ille qui verus figulus, id est creator, & artifex, & formator noster est habet potestatem salua iustitia, cuius vult misereri, & quem vult indurare. Sed tu quandiu figmentum es nodũ perfectus es filius: Quia nondum hausisti plenissimã gratiã qua nobis data est potestas filios Dei fieri, vt possis audire, iã non dicã vos seruos sed amicos, &c.* En D. Anselmus si rectè perpendatur cõtrarius est Molinę in hac potestate, qua Deus dicitur dedisse facultatem, vt fiant filij Dei.

D. Athan. D. Cyrillꝰ. Divvs Athanasius sermone 3. contra Arrianos, & D. Cyrillus lib. 1. in Ioannem capite 14. dicunt hanc potestatem esse gratiam, vt sint filij ex gratia non ex natura: quę doctrina verissima est.

D. Gregor. Divvs Gregorius homilia 6. in Ezechielem aliter interpretatur, vt per potestatem eorum qui recipiunt Christum, cum dicat Euangelista: *Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri*, dignitas & excellentia significetur. vt sit sensus: dedit eis hanc dignitatem & excellentiam vt filij sint Dei, seu, qui eum receperunt dedit eis potestatem filios Dei fieri. Verba Gregorij hæc sunt. *Quid hac potestate altius? quid hac altitudine sublimius dici potest, in qua creatus quisque efficitur?*

Theophila. Theophilactvs explicãs locum Ioannis. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* cum illis verbis, *quotquot autem receperunt eum*, inter alia quæ dicit affirmat, quòd per recipientes Christum intelliguntur Catechumeni, qui fidem habent ante Baptismum, per quem datur gratia adoptionis, isti ergò per fidem nondum regenerati sunt. Baptismus enim est quo homines renascuntur in spiritu, & fiunt filij Dei, habent tamen credentes potestatem & facultatem suscipiendi Baptismum & per eum renascendi.

Cardinalis Toletus. Quam explicationem sequitur Toletus annotatione 34. super Ioannem & subiungit ille: *Nec obstat huic, quòd aliqui ante Baptismum gratiam filiorum aliquando accipiunt: id enim fit per Baptismum in voto susceptum, eius enim tanta est efficacia, vt antequam in re suscipiatur, operetur per votum in credentibus.* Rursus idem Cardinalis Toletus dicit congruentius sibi videri per fidem hominem non fieri, nec renasci filium Dei, sed per Baptismum, qui dat gratiam filiorum: Per fidem autem solùm datur potestas renascendi per Baptismum, qui regenerat, & facit filios Dei solos credentes in Christum: Nam soli credentes gratiam adoptionis recipiunt, quam Baptismus solet dare etiam voto susceptus.

Caietanus. Caietanvs Ientaculo 5. dicit verbum illud: dedit eis potestatem, ita esse exponendum vt intelligamus ijs, qui recipiunt & credunt in Christum dari potestatem, non qua postea fiãt filij Dei, sed qua eo ipso tempore vel momento quo credunt fiant filij Dei. Fides enim ex se nõ potest filios Dei nos facere, sed ex gratuito Dei dono habet hãc potestatem, hac ratione. vt qui recipiunt Christum & credunt in eum data dicatur esse illis potestas, qua fiant & fiendo sint filij Dei ex gratuito Dei dono.

D. Thom. Divvs Thomas videtur etiã hoc modo intelligere rẽ hanc: Qui receperũt eum, his Deus dedit potestatẽ, neq; recepissent eum, nisi Deus dedisset illis potestatẽ filios Dei fieri: Hanc autem potestatem dedit secundùm interpretationem D. Thom. proponendo eis credenda, & per infusionẽ gratiæ suæ corda eorum mouendo ad credendum, & recipiendum ipsum. En quo pacto iuxta sensum Patrum & etiam D. Thomæ ex illis verbis, dedit eis potestatẽ filios Dei fieri, non potest, neq; licèt colligere sensum Molinę de innatis viribus, aut conatibus liberi arbitrij, maximè cũ dicat auctor ille, quòd quoties homo ex suis viribus naturalibus aggredi vult opus aliquod ex ijs quæ ad iustificationem spectant, &c. vbi perpendẽda est Molinę doctrina. Nam postquam suam tradidit sententiam dicens: Quotiescunq; liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præstóve est ad conandum totum id, quod ex sese potest tam circa ea, quæ fides habet amplectenda, quàm circa dolorem de peccatis, ac iustificationem, conferri à Deo gratiam præuenientem seu auxilia quibus id faciat vt ad salutem oportet, subiungit inferius: *Sæpe etiam liberum arbitrium quasi sopitum ac torpens excitat.* & quid in his verbis dicere voluerit ipse explicet. Nam videtur insinuare inuolutè maximas has vires liberi arbitrij sopitas esse in eo ad hanc potestatem, vt homines fiant filij Dei, in eo sensu, quem ipse vult, vt per innatas vires & conatum naturæ lege infallibili donet Deus auxilia gratiæ debita ex tali lege, si nõ debito iustitiæ, saltem debito legis & promissionis infallibilis, & debito fidelitatis, ita vt Deus non possit non dare gratiæ auxilia homini ita operanti ex solis naturæ conatibus, quia fidelis est & se ipsum negare non potest, præcipuè facta lege.

Iansenius. Iansenivs in concordia Euangel. explicans etiam hunc locum Ioannis, vt satisfaciat intentioni Euangelistæ, affirmat dictionem illam, *Potestatem*, si consulamus Græcum codicem, significare non solùm potestatẽ, sed etiam ius & facultatem alicuius rei faciendæ, vt ita verti possit. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, hoc est: Dedit eis ius, auctoritatẽ, & dignitatẽ, vt fiant filij Dei & sint. Et ait Christum Dominum accepisse dictionem illam, potestatem, pro iure & auctoritate seu dignitate, constat ex illis verbis, cum potestatem ipsis datam & seruui naturam filio enodauerit, & adoptionem ac gratiam per potestatem hanc intellexerit tutissimè postea intulit, ex Deo nati sunt. Atque hoc modo inquit Iansenius etiam accepisse quendã in paraphrasibus cõstat, cùm sic habeat: *Quicunque receperunt sermonem hunc his vicissim hoc dignitatis contulit, vt per fidem & Baptisma*

insiti Christo, fierent & ipsi filij Dei. Proinde nomen potestatis hic accipitur quemadmodum frequenter pro præeminentia & dignitate. Vnde sensus litteræ est. Dedit eis hanc excellentiam, & dignitatem, & hoc ius, vt fiant filij Dei, eo ipso quo eum recipiunt. Nam ob id dixit Euangelista. Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri: eo ipso quo eum recipiunt. Vt autem explicaret qui sint qui recipiunt eum, adiecit. His qui credunt in nomine eius, vel, vt habent Græca, in nomen eius, quod est credere in ipsum & in nomem eius, quia non est datum aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in Christo IESV.

Nullus ex Sanctis Patribus explicuit hoc D. Ioannis testimoniũ sicut explicatur à Molina.

HAS omnes retuli Sanctorum & Theologorum interpretationes, vt palam sit lectoribus & Catholicis omnibus, nullum ex antiquis Patribus, neque D. Augustinũ, neque aliquem ex Theologis Scholasticis exposuisse locum Ioannis in eo sensu quem Molina voluit. Quocirca Ruardus Tapper articulo 7. de libero arbitrio contra Lutherũ dicit in potestate hominis esse in melius mutare voluntatem, sed eam potestatem nullam esse nisi à Deo donetur: de quo dictum est. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, Ioannis primo: & subiungit Ruardus: *Cum enim hoc fit in potestate, quòd cum volumus facimus, nihil tam est in nostra potestate, quàm ipsa voluntas, sed operatur voluntas à Domino*, &c. Et Diuus Augustinus libro secundo de bono perseuerantiæ postquam multa dixerat de hac re capite octauo, concluſit. *Non itaque in hominum sed in Dei est potestate, vt habeant homines potestatem filij Dei fieri: ab ipso quippè accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeant fidem, quæ operetur per dilectionem.* Vides quo pacto in Schola Diui Augustini repellitur sententia Molinæ. Neque solùm hoc, sed etiam in Schola Diui Ambrosij, vt refert Diuus Augustinus loco citato. Qui de Diuo Ambrosio loquens, dicit hæc dixisse verba secutus Diuum Paulum. *Audet enim Ambrosius hæc dicere, nõ enim in potestate nostra est cor nostrũ & nostræ cogitationes: quod omnis qui humiliter & veraciter pius est, esse verissimum sentit.* Quid clarius & euidentius adduci potest contra Molinam quam quod Augustinus & Ambrosius dicunt? ergò non potest congruere sententia Molinæ cum Sanctis Patribus & cum Euangelio Ioannis: cum Euãgelista dicat: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus neq; ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.* Ergo dici non potest quod conantibus nobis ex innatis viribus, &c. vt Molina disputat. 10. citata, dicit.

D. Ambr.

Quinta Conclusio.

Conclus. 5.

DICO quintò: Deus quantũ in se est paratus est ad dandum omnibus gratiam suam, & ad vocandum omnes adultos, iuxta illud, Deus vult omnes homines saluos fieri: ac proinde dicitur cõmuniter quod in potestate cuiusuis hominis est saluari, quia potest habere hoc diuinũ auxilium, nõ quidem ex merito, aut dispositione sua, aut quia ex innatis viribus aut naturę conatibus ex lege obligetur Deus ad danda auxilia gratiæ & primam vocationẽ, seu gratiã præuenientem, sed ex liberali & magnifica largitione Dei prouidentis. Vnde Christus Matth. 11. dixit. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis.* Ecce quomodo vocat etiã peccatores, qui valde onusti & onerati sunt peccatis.

Est homo ex naturæ viribus nihil posśit efficere vt diuinum auxilium obtineat, potest tamen quãtum in se est impedire, ne illud recipiat

PRO intelligentia huius assertionis obserua, quòd quamuis homo ex sese & ex innatis viribus seu naturæ conatibus nihil possit efficere quo diuinum hoc auxiliũ gratiæ obtineat, quia Deus sola gratuita volũtate & liberali illud tribuit & offert vt gratuitum: potest tamẽ homo sua voluntate impedire sufficienter & quãtum in ipso est, ne recipiat hoc auxiliũ à Deo & hãc vocationem, nimirũ multiplicando peccata & resistendo, reddendoq; se magis atq; magis indignum illius gratiæ Dei auxiliatricis: quod expresse docuit S. Thom. lib. 3. contra Gentes ca. 159. Dixi hominem sua voluntate per peccatũ posse sufficienter impedire quantũ in ipso est, ne recipiat à Deo hoc auxiliũ gratiæ: quia peccatum quantum est de se dignum est huius pœnæ; licèt non obstãte quocunque peccato Deus possit hanc gratiam conferre, & plerumq; id faciat illuminando, & efficacissimè vocando grauissimos peccatores, vt certissimũ sit hanc gratiam dari cui datur ex liberalissima largitione Dei: quamuis ei cui actu non datur ex demerito & impedimento eius non detur. Quocirca ex liberalissima Dei largitione factum est vt vocaretur Paulus, etiã quando actu persequebatur Ecclesiam Dei. Ita docet D. August. lib. de gratia & libero arbitrio ad Valentinum cap. 5. dicens: *Vt autem de cælo vocaretur & tam magna & efficacissima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat sola: quia merita eius erant magna sed mala. Denique alibi dicit ad Timoth. D. Paulus: Collabora Euangelio secundùm virtutẽ Dei saluos nos facientis, & vocantis vocatione sua sancta: non secundùm opera nostra sed secundùm suum propositum & gratiam quæ data est nobis in Christo* IESV. Hæc D. August. Quocirca postquam homo peccauit & est in peccato mortali, & inimicus Dei verè est indignus diuina gratia, & solũ esset illi donanda pœna pro delicto & peccato atque offensa Dei: ita enim D. Augustinus satis insinuat loco citato dicens. *Item merita sua sed mala commemorans* (nimirum Paulus ad Titum 3.) *ait: Fuimus enim stulti & nos aliquando, & increduli errantes, seruientes desiderijs, & voluptatibus varijs, in malitia & inuidia agentes, abominabiles, inuicem odio addentes. Quid istis tam malis meritis nisi pœna vtique debebatur? Sed Deo reddente bona pro malis per gratiam quæ non secundũ merita nostra datur factũ est, quod deinde subiungit & dicit: Cum autem benignitas & humanitas illuxit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit*, &c.

QVAPROPTER si homo peccator ita se

geret

Si peccator non adhibeat noua impedimenta tunc qui dē recipiet auxilium gratiæ non ex debito, sed ex liberali Dei largitione.

gereret aut vitam traduceret, vt nullum nouū impedimentum gratiæ adhiberet aut obicē, nullumque obstaculum, tunc auxilium gratię verè reciperet, nō quidem ex debito, sed ex illa liberali Dei largitione qua ipse est ad omnium ostiū & pulsat. Vnde non ponenti obicem & impedimentum cernimus Deum ex sua liberalitate dare gratuita illa auxilia: quod satis insinuat Tridentinum Sessione 6. cap. 11. & 13. dicens. *Deus neminem deserit, nisi prius deseratur ab ipso.* Verissimum igitur est Deum ex liberalitate sua, cuius interest ostendere diuitias gratiæ suę, dare suam gratiam homini non ponenti obicem, sed per hoc nihil attribuitur homini, sed tantùm quòd possit illam gratiam impedire per peccatum, vel quòd possit vitare peccatum contra legem naturę, quo posset illam impedire.

Sexta Conclusio.

Concluſ. 6.

DIco sextò: vt homo recipiat primam gratiam excitantem & prœuenientem, omninò inquam primam, & prima etiā auxilia, quę necessaria sunt ad salutem, nulla dispositio est simpliciter necessaria ex parte ipsius hominis, quę ex innatis eius viribus aut conatibꝰ naturę proficiscatur, antecedenter ad ipsam gratiam excitantem omninò primam. Hanc ego assertionē tradidi 1. 2. q. 112. art. 3. disputatione 4. & dixi esse de fide: quia certum est Deum vocare plerumque homines omninò indispositos, sicut vocauit Matthæum Telonearium, & Paulum actu persequentem Ecclesiam Dei, & Magdalenam peccatricem. Vnde negari non potest Deum vocare plerumque homines indignos auxilio Dei, & omninò indispositos. Quod persentiens Isaias Propheta capite 65. inquit. *Quæsierunt me qui non antea interrogabant, inueuerunt qui non quæsierunt me, dixi ecce ego, ecce ego ad gentem quæ non inuocabat nomen meum, expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Et inferius: *Inuentus sum à nō quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.* Et Ezechiel. 3. *Non propter eos faciam sed propter nomen meum.* Et Regius Vates Psalmo 75. *Dixi nūc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi est.* Quem locum perpendit D. Augustinus libro contra duas epistolas Pelagianorum secundo capite vltimo, vbi Diuus Augustinus ait. *Quæ cum ita sint nihil in Scripturis sanctis homini à Domino video iuberi propter probandum liberum arbitrium, quod non inueniatur vel dari ab eius bonitate, vel posci propter adiutorium gratiæ demonstrandum, neque omninò incipit homo ex malo in bonum per initium fidei commutari, nisi hoc in illo agat indebita & gratuita misericordia Dei. De qua suam cogitationem recolens quidam sicut legimus in Psalmis: Numquid obliuiscetur, inquit, misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas? Et dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi. Cum ergò dixisset: nunc cœpi: non ait: Hæc mutatio arbitrij mei, sed dexteræ Excelsi.* Ergò quotiescunque homo primùm mouetur à Deo, aut sua prima gratia excitatur, & prœuenitur, aut auxilio suo & vocatione trahitur, non est dicendum Deum obligari lege aliqua conantibus viribus naturalibus, vt tribuat inceptionis auxilium, aut primam prœuenientem omninò gratiam peccatori, quatenus liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur præstò ve est ad conandum, &c. Et subiungit Augustinus. *Sic itaque Dei gratia cogitetur, vt ab initio bonæ mutationis suæ vsque in finem consummationis qui gloriatur in Domino glorietur.* Propter quòd testimonium Augustini in Concilio Arausicano Canone 4. dicitur, Deum non expectare voluntatem nostrā, vt à peccato purgemur. Quod sanè intelligitur ratione gratiæ excitātis, & dicitur non expectare. Vnde non ex præuisione voluntatis nostræ, quo fit vt Deus aliquando pro sua voluntate & liberali donatione maiorem gratiam excitantem conferat, minus dispositio secundùm naturam, & minus benè operanti ex conatibus naturæ aut viribus liberi arbitrij.

Concilium Arausica.

Absque vlla dispositione ex parte ipsorū vocauit Deus Matthæū, Paulum, Magdalenam, &c.

Isaiæ 65.

Ezechie. 3.

Psalm. 75.

D. Augu.

Ex dictis colligo hominem peccatorem ex operibus naturalibus & ex conatibus naturæ aut ex innatis viribus liberi arbitrij non valere se disponere ad gratiam excitantem primam: & oppositum non potest defendi sine præiudicio fidei. De hac re nos diximus multa 1. 2. quæst. 109. art. 6. disputatione vnica, quæ eo in loco videnda sunt, vbi retulimus plurima testimonia Scripturæ & Conciliorum, & ostendimus non solùm hominem non mereri primam gratiam, neque de condigno, neq; de congruo, sed neq; parare viam dispositionis ad gratiā Dei, ita vt ex lege vniuersali & infallibili peccatori operanti ex conatibus naturę benè moraliter donentur auxilia supernaturalia, quibus quoties ex naturalibus viribus aggredi voluerit opus aliquod ex his quę ad iustificationem spectant, illud exequatur prout ad salutē oportet, vt aduersarij dixerunt. Hæc etiam est causa cur Paulus secunda Corinthiorum 3. dixit. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, &c.* & prima Corinthiorū 4. *Quid habes quod non accepisti? Si accepisti quid gloriaris quasi non acceperis?* Quòd si ex innatis viribus & naturæ conatibus, aut ex operibus merè naturalibus homo haberet quoddam quasi ius ex lege à Deo statuta ad consecutionem gratiæ prœuenientis & auxiliorum supernaturalium, vt quoties vellet peccator ex suis viribus naturalibus aggredi aliquod opus ex his quæ ad iustificationem spectant, illud exequatur prout ad salutem oportet: iam homo peccator haberet aliquid ex suis viribus, quo de facto acquireret ius ad auxilia gratiæ actualis, & ad gratiam primò prœuenientem: & haberet aliquid quo quasi ex dispositione morali per naturæ vires consequeretur de facto vocationem Dei, actualemque gratiam seu diuina auxilia, cuius oppositum sonant Scripturę & Concilia. Imò verò contritio, quæ est dispositio ad gratiam, dicitur esse dispositio

Peccator viribus naturæ nō valet se disponere ad gratiam, & cōtrarium citra fidei periculū defendi nō potest.

2. Corint. 3

1. Corint. 4

moralis ad gratiam ex lege & ordinatione diuina: ergo si ex lege Dei & diuina ordinatione sub conditione operis procedentis ex solis naturæ conatibus & viribus Deus donaret primam vocationem & gratiam primò præuenientem, & illa auxilia actualia, quibus homo de facto efficeret opera salutis, prout ad salutem oportet, sequitur naturæ conatum & opus inde procedens ex solis naturæ viribus habere quandam rationem iuris, & quasi dispositionis ex lege & ordinatione posita respectu gratiæ consequendæ.

D. Augu. Divvs Augustinus libro de gratia Christi c. 14. & li. 2. contra duas epistolas Pelagianorũ cap. 8. & 10. & etiam libro 1. capite vltimo dicit præcipuum errorem Pelagij fuisse per liberum arbitrium prœuenire hominem ad gratiam Dei, & lib. de prædestinatione Sanctorum: & epistola 107. & de spiritu & litera ca. 34. aperte dicit nõ esse in potestate nostra, quòd Deus nobis inspiret, ita Prosper in libris contra Collatorem. Fulgentius libro de gratia Christi. Et hi omnes Sancti Patres communiter appellant vocationem simpliciter opus Dei: quia nullo modo potest esse ab homine. At si aduersariorum sententia de innatis viribus aut conatibus naturæ esset vera, iam homo haberet per liberum arbitrium, quo de facto perueniret positiuè & infallibiliter ad primam gratiam. Quocirca D. Augustinus lib. 83. quæstion. q. 68. dicit: Quòd si quis sibi tribuat quod vocatus veniat, tamen non potest sibi tribuere quod vocatus sit. Et Conciliũ Arausicanũ can. 25. generaliter decernit in omni opere bono nos non incipere quod vt minimum verificari debet ratione primi principij & primi initij iustitiæ. Fauent etiam nostræ sententiæ testimonia Scripturæ in quibus iustificatio comparatur creationi, quia nullum habet principium & initium ex homine. Idem habetur in Concilio Arausicano cuius meminit Prosper loco citato.

Prosper. Fulgẽtius.

Ratione pbatur cõclusio. Ratione etiam ostenditur præfata veritas. Quoniam ordinari in finem supernaturalem conuenit homini ex sola Dei gratia, & non ex innatis viribus aut conatibus naturæ: igitur nihil potest homo præcipuè peccator ex viribus naturæ facere, quo vel se disponat ad inchoandum illum ordinem gratiæ vel habeat ali quod ius ad principium inchoationis illius ordinis gratiæ. Quod probo quia si se disponeret vel illa dispositio esset talis ex sua natura, & hoc non, cum sit inferioris ordinis, vel esset talis ob relationem operantis, hoc est hominis peccatoris operantis ex naturæ conatu seu ex innatis viribus, & hoc etiam non, quia operans maximè in hoc statu naturæ lapsæ antequam præueniatur à gratia, cum sit in peccato est indignus & inimicus Dei: ergò neque titulo dispositionis, neque aliquo titulo iuris aliqua ratione dici poterit, quòd ex innatis viribus liberi arbitrij, aut per operationes naturales bonas paret sibi viam infallibilem, qua perueniat ad illam primam Dei gratiam seu ad vocationem, & ad auxilia gratiæ actualis: hoc etiam censent sanctus Thomas 1. 2. quęstione 109. articulo 6. & quæst. 112. articulo 2. Driedo libro de gratia & libero arbitrio vbi supra, Diuus Bonauentura in 2. distinctione 28. art. 2. quęst. 1. Vega lib. 6. in Tridentinum capite 10.

Nullo titulo aut iuris aut dispositionis &c. dici potest, quòd homo ex naturalibus paret sibi viam ad gratiam. S. Tho. Driedo. D. Bonauentura.

Septima Conclusio.

Concluſ. 7. Explicatur illa sententia Theologorũ facienti quod in se est &c.

Dico septimò: Celebris illa sententia Theologorum quæ in ore eorum in Scholis versatur, nimirum: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*: nulla ratione explicari potest de faciente quod in se est ex viribus innatis, aut naturæ conatibus, seu ex operationibus ordinis naturę præcisæ, ad quas ex lege Dei consequatur gratia, diuina ordinatione ita disponente & decernente. Neque potest explicari de dispositione positiua operum naturalium, ad quam ex lege Dei consequatur gratia: Quo fit, vt non possit intelligi neque explicari de homine peccatore facien te quod in se est per solas naturæ vires, sed per gratiæ auxilium, ac proinde non potest accomodari tale axioma ad sensum, quem aduersarij prętendunt. Doctrina huius assertionis est sanctissimi præceptoris D. Thomæ 1. 2. quęst. 109. ar. 6. ad 2. vbi ait: Nihil hominem posse facere quin à Deo moueatur, iuxta illud Ioannis 15. *Sine me nihil potestis facere.* & quòd idcircò cum homo dicitur facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis secũdũ quod est motus à Deo, de qua re lege Concilium Tridentinum Sessione 6. ca. 5. Vbi obiter aduerte quòd conuersio hominis ad Deum fit quidem per liberum arbitrium, & secũdùm hoc homini pręcipitur, quòd se ad Deum conuertat: sed libe rum arbitrium ad Deũ conuerti non potest, nisi Deo ipsum ad se conuertente: iuxta illud Ieremiæ 31. *Conuerte me Domine & conuertar: quia tu Dominus Deus meus.* Et threnorum vltimo. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Quæ doctrina ex D. Thoma loco citato solutione ad primũ, & solutione ad quartũ inquit: quod hominis est præparare animum, quia hoc facit per liberum arbitrium: sed tamen hoc non facit sine auxilio Dei mouentis & ad se trahentis. Primum igitur gratiæ auxilium non datur homini ex aliquo iure, aut ex aliqua obligante lege, neque ex aliqua dispositione, neque ex aliquo merito condigni aut de congruo: neque ex innatis naturæ viribus & conatibus. Nam quamuis primum auxilium supernaturale antecedant in homine opera moralia bona facta ex naturę viribus, non est dicendum illa opera moralia ex eiusdem naturę conatibus & viribus facta vel parare viam, vel habere rationem dispositionis, vel inuoluere aliquod ius obligandi, vel infallibitatem necessariam ad supernaturale auxilium obtinendum. Primò, quia huiusmodi opera naturalia etiam bona moraliter sunt hominis peccatoris & inimici Dei.

D. Thomas

Ioann. 15.

Concilium Tridentinũ

Ieremiæ 31 Threnorũ vltimo.

Secun-

Rationes quare opera bona moralia hominis peccatoris non dicantur prodesse ad salutem.

Secundò, quia sunt inferioris ordinis, & facta à naturæ conatibus, & vt sunt ab homine operante nihil habent supernaturale. Tertiò, quia nulla est lex infallibilis à natura ad gratiam ratione operum naturalium. Quartò, quia huiusmodi opera ex viribus naturæ facta precisè, si bona sunt solùm poterunt impedire peccata, quæ aliàs essent obex & obstaculum talis gratiæ. Quo fit vt ex naturæ viribus & conatibus non fiat id quod aduersarij prætendunt.

Ex dictis repelluntur omnes illi Theologi, qui sentiunt hominem posse se præparare aut disponere ex innatis naturæ viribus ad gratiam excitantem omninò primam: Nam in hoc sensu putauerunt verum esse proloquium illud: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*: Nam credunt, quòd si per naturæ vires homo faciat quod potest, infallibiliter assequetur gratiam illam excitantem. Quam sententiam insinuauit Albertus Magnus in 2. distinctione 28. quæstione 1. & Alensis 3. parte, quæstione 69. art. 6. imò vero Durandus & Scotus.

S. Thomas.

Sanctvs Thomas tertio contra Gentes capite 159. proponens eandem difficultatem, quam nos hoc loco tractamus, nimirum quòd nulli potest imputari quod ab alio dependet, & quòd non sunt nobis libera auxilia gratiæ, neque in potestate nostra: respondet, quòd quamuis aliquis per motum liberi arbitrij diuinam gratiam neque promereri, neque acquirere possit, potest tamen se ipsum impedire ne eam recipiat. Quia de quibusdam dicitur Iob 21. quòd Deo dixerunt: *Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* Iob 24. *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* Atque adeò, inquit Diuus Thomas, quòd cum hoc sit in potestate liberi arbitrij impedire diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, rationabiliter imputatur ad culpam homini, qui impedimentum præstat receptioni gratiæ: Quoniam Deus quantum in se est paratus est omnibus gratiam dare: vult enim omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vt habetur prima ad Timotheum secundo; ac proinde gratia priuantur illi, qui resistunt, & illi qui in se ipsis gratiæ impedimentum præstant: Stat enim Deus ad ostiam, & pulsat. Quare Sole mundum illuminante, ad culpam imputatur ei, si oculos claudat, aut impedimẽtum aliquod præstet, aut si ex hoc aliquod malum sequatur, quamuis videre non possit nisi lumine Solis præueniatur; ita in proposito de quo loquimur. Vnde Christus. *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.*

Iob. 21. & 24.

1. Ad Timotheũ. 2.

Explicatur ex Ferrara propositio illa nulli imputatur quod ab alio dependet.

Verumtamen Ferrara 3. contra Gentes, capite 159. in Commentario sancti Thomæ, quod est valdè perpendendum, aduertit, illam nimirum propositionem: Nulli imputatur quod ab alio dependet. non esse veram sed falsam, vt colligitur ex Sanctissimo Præceptore ibidem. Dixi sanctum Thomam ex his quæ illo capite 159. tradit velle falsum esse, quòd nulli imputetur quod ab alio dependet, quando defectus non est ex parte eius, à quo illud dependet, quin illud habeatur, sed ex parte recipientis, liberè & voluntariè ponentis impedimentum illius receptioni. Sic enim euenit quando quis gratiam non accipit, quòd non est ex parte eius à quo illud dependet nempè Dei: & idcircò non est absque hominis imputatione. Et ex hoc constat quomodo homini imputatur si gratiam non habeat, quamuis à solo Deo eam habere possit. Nam certè quòd aliquis nõ recipiat aliquod donum à Deo, qui paratus est dare, & qui ad accipiendum inuitat, & instigat, non est absque imputatione ipsius qui inuitatur.

ab alio dependet.

Obiectio ex eodem.

Sed obijcit Ferrara: quòd si auxilium illud, sine quo homo non potest aliquod bonum & pium opus facere; aut sine quo non potest quis se ad gratiam præparare, non esset omnibus commune, sed alicui deesset: tunc videtur difficile quòd alicui imputetur quòd nõ habeat operationem illam bonam, aut quòd non agat bonũ aliquod si caret prædicto auxilio, aut quòd gratia non adquirat: Quia nulli videtur imputandum esse si nõ habeat quod sine auxilio alterius acquirere non potest; quando sibi auxiliũ illud non adest. Huic obiectioni respondet Ferrara nihil concludere contra veritatẽ: Quia si quis propria voluntate in malum aliquod incidat, à quo per se liberari non potest, si non liberetur, non est absque eius imputatione: Quoniam debebat cauere ne in illud malum incideret, à quo sciebat se propria virtute liberari non posse: sicut non est absque imputatione, quòd aliquis non exeat ex puteo, à quo exire non potest nisi ab alio adiuuetur, quando liberè & propria voluntate in illum se deiecit. Homo verò, qui liberè & voluntariè peccat, propria voluntate cadit in ipsum peccatum, per quod gratia priuatur, quam per se acquirere non potest: idcircò meritò sibi imputari potest si gratiam non habeat etiam deficiente sibi auxilio diuino, quo aliàs pararet sibi viam ad gratiam. Quocirca propositio sumpta, dumtaxat habet veritatem quando is qui sic priuatur non fuit ob aliquam suam culpam causa talis priuationis. Nam si ipse sua culpa & voluntate libera fuit causa huius carentiæ & priuationis falsa est.

Respondet idem Ferrara.

Sed vt hæc res rectè intelligatur aduertenda sunt quæ sanctus Thomas docet 3. contra Gentes, capite 160. & in eodem loco Ferrara eius discipulus, quibus libenter subscribo. Quòd quando dicitur in potestate liberi arbitrij esse non præstare impedimentum gratiæ, quòd hoc absolutè intelligitur de his, in quibus naturalis potentia integra fuerit. Nam si homo voluntariè declinauerit & inciderit in malum & peccatum non erit omnino in potestate eius nullum impedimentum gratiæ præstare. Quia licèt ad breue tempus possit abstine-

Notandum ex D. Tho.

stinere ab aliquo actu peccati propria potestate, cæterum si diu sibi relinquatur, in peccatum cadet, per quod gratiæ impedimentum præstatur secundùm receptissimam sententiam D. Gregorij homilia 11. super Ezechielem, & 25. moralium capite 15. quem refert sanctus Thomas 1. 2. quæstione 109. articulo 8. *Peccatum quod mox per pœnitentiam non deletur suo pondere in aliud trahit.* Fundamentum huius rei sanctus Thomas adducit dicens, quòd quando mens hominis à statu rectitudinis declinat, tunc recedit ab ordine debiti finis, ac proinde illud quod in affectu, & in amore & desiderio deberet esse præcipuum tanquam finis vltimus efficitur minus dilectum illo, ad quod mens inordinatè conuersa est, tanquam in finem vltimũ. Quo fit vt quotiescunq; occurrit aliquid conueniens respectu finis inordinati, cui afficitur peccator, repugnans fini debito, eligitur quidem à peccatore, nisi reducatur ad debitum ordinem vt finem debitum omnibus præferat, quod est gratiæ effectus. Dum verò eligitur aliquid, quod fine vltimo repugnat, impedimentum præstat gratiæ, quæ dirigit in finem debitum: ergò manifestum est quod post peccatum, homo quandiu in ipso manet non potest abstinere ab omni peccato, antequam per gratiam ad debitum ordinem reducatur. Præcipuè fundamentum hoc est verum: Quoniam impetus passionum carnalium, occasiones male agendi, appetibilia secundùm sensum, tentationes & passiones plurimæ, quibus de facili prouocatur homo ad peccatum, nisi retrahatur per firmam inhæsionem ad finem vltimum, quam gratia facit, non relinquunt hominem diu permanere sine alio mortali. Nam cum mens iam est propensa, & inclinata ad aliquid, non se habet æqualiter ad vtrumque oppositorum, sed magis ad illud ad quod est propensa, & affecta seu inclinata. Illud autem ad quod mens magis se habet, & in quod magis inclinatur, illud eligit, nisi per rationis discussionẽ ab eo quadam sollicitudine abducatur: Vnde & in repentinis signum interioris affectus & inclinationis, aut habitus, præcipuè accipi potest: sed non est possibile moraliter loquendo, seu potentia morali, mentem hominis continuè in ea vigilantia esse, vt per rationem discutiat quidquid debet velle aut agere: ergò consequitur quod mens aliquando eligat id ad quod est affecta & inclinata affectione & inclinatione manente, ac proinde si fuerit inclinata in peccatum non stabit diu quin peccet, & ita præstet impedimentum gratiæ, nisi reuocetur ad statum rectitudinis. Ex qua doctrina sanctus Thomas 3. contra Gentes capite 160. colligit stultam esse Pelagianorum sententiam, qui dicebant hominem in peccato existentem sine gratia posse vitare peccata, cuius oppositum constat ex illo quod Psalmista petit: *Dum defecerit virtus mea ne derelinquas me.* Et Christus docens nos orare ait. *Et ne nos inducas in tẽtationem, sed libera nos à malo.*

D. Gregor. super Ezechielem.

Homo in peccato manẽs non potest abstinere ab omni peccato.

Nõ est possibile moraliter peccatorem esse in ea vigilia vt per rationẽ discutiat quid debeat velle aut agere.

Sed profectò quamuis illi, qui sunt in peccato, vitare non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent vel ponant, vt dicit sanctus Thomas, nisi auxilio gratiæ præueniantur: nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam. Quia hic defectus ex precedente culpa in eis remansit. Adducit exemplum huius sanctus Thomas de ebrio qui ab homicidio non excusatur, cum cognoscit furorem suum: quia incidit in ebrietatem sua culpa & voluntate. Præter illa tamen quæ diximus, valdè obseruandum est vt explicetur veritas & difficultas de qua agimus. Primò quòd quamuis ille qui est in peccato quandiu in eo manet non habeat hoc in propria potestate, quòd omninò vitet peccatum, habet tamen potestatem & libertatem vitandi nunc hoc vel illud peccatum, ac proinde quodcunque committit, liberè & voluntariè committit & sic non immeritò illi imputatur ad culpam. Secundò, quando sanctus Thomas dicit liberum arbitrium peccatoris suppositа affectione peccati, & inordinatione eius, & ijs quæ ad ipsam consequuntur, non habere in potestate sua vitare peccatum, hoc intelligitur de potentia propinqua, & de libertate morali, sed non intelligitur de potestate & libertate physica. Nam potentia proxima & morali ad vitandum diu huiusmodi peccatum, & ad remouendum impedimenta gratiæ, non dicitur potens per se peccator. Tertiò, quod est valde aduertendum: quia homo in peccato existens & gratia carens potest vitare peccata singula diuisim, quoniam ostenso quocunque peccato in particulari, si non adsint maximæ tentationes & occasiones, verum est dicere hominem vitare posse peccatum hoc secundùm se. Nam vt diximus ad breue tempus ab aliquo actu particulari potest se abstinere, sed non potest omnia coniunctim vitare, ita vt neque hoc neque illud committat omnibus & singulis enumeratis, sed necesse est quod committat aliquid vagè, sed non hoc neque illud determinatè, quod satis apertè significauit sanctus Thomas lib. 3. contra Gentes capite 160.

Quamuis homo qui est in peccato vitarenõ possit omne peccatum, potest tamẽ nũc hoc vel illud vitare & ideò q-cunque non vitat libere cõmittit

Optime ergò stare posse necessitatem ad peccatum vagè & in communi, cum libertate ad singula quæque peccata in peccatore, constare potest ex dictis à sancto Thoma locis citatis. Quòd probari potest Matthæi 18. Vbi eadem necessitas moralis cum libertate coniungitur. Nam sic legimus: *Necesse est vt veniant scandala.* En necessitas moralis actus vagi. Sed audi statim libertatem actus in particulari in verbis sequentibus. *Verumtamen ve homini illi per quem scandalum venit.* Non autem fuisset illi Ve, hoc est penè reus nõ esset sine libera culpa Diuus Hieronymus eo loci ait: *Cum necesse sit in isto mundo fieri scandala vnusquisque vitrio suo scandalis patet.* Idem fere ait Chrysostomus homilia 60. super Matth. Rursus probatur: Quia euidens est nullum hominem compotẽ mentis, communemque vitam agens posse diu-

Matt. 18.

D. Hieron.

Chrysosto.

tur

turnam traducere vitam sine aliquo actu libero, siue bono siue malo, siue circa Deum, siue circa res creatas, diuitias, iustitiam, mercaturam, seu circa temperantiam, cibum vel potum, vel circa aliud quoduis obiectum ex cõmuniter occurrentibus huius vitæ: & tamen quilibet actus liber erit liber, idque euidentius erit si ad omnium hominum collectionem vagè referatur hæc infallibilitas. Nam existente ea ratione prouidentiæ, quo gubernamur euidens est fore infallibiliter, vt plures hominum liberè loquantur, aut liberè emant, vel vendant, vel commutent, pactum ineundo, aut amicitias. Quod si infallibilis est actus in specie, vel in obiecto, salua libertate, multò facilius manebit libertas integra, quamuis infallibilis sit actus in genere. Quia hæc infallibilitas latiorem relinquit indifferentiam, nimirum non solùm in indiuiduo & circunstantijs, sed etiam in multiplici specie. Est autem necessitas de qua loquimur moralis, quæ prouenire potest ex circunstantijs humanæ rationis inconstantis, ignorantis, debilis carnis, blanditijs delinitæ, specialibus auxilijs aut efficacibus non muuitæ, quas quidem rationes non tantùm apud Sanctos Patres citatos, sed etiam apud alios auctores legimus. Nam infallibile est alicuius certè speciei actum in varijs temporum interuallis, varijsque occasionibus atque circunstantijs eliciendum esse, idque prouenire ex insita voluntatis propensione circa bonum, quòd si magnum sit & satis cognitum, & pondere aliarum circunstantiarum notabili excessu vestitum, ita vt potius inclinet in eius prosecutionem, quàm in omissionem illius, tunc infallibile est volũtatem nostram aliquãdo consensuram esse liberè. Cum hac autem infallibilitate actus manere libertatem nemo negare potest. Quia hęc non est necessitas physica sed tantùm moralis, quæ physicam libertatem non repellit. Sed de infallibilitate actus & de libertate eius multa diximus & aliqua dicemus infra. Vnum aduerte quòd ex dictis colligitur: non solùm in malis actionibus, sed etiã in bonis & honestis reperiri posse necessitatem actionis vagè & in genere cum libertate coniunctam: hæc enim non magis pugnant in bonis, quàm in turpibus operationibus. Sed quod diuinæ prædefinitiones de actionibus bonis in particulari fieri possunt sine præiudicio libertatis, præterquam quod id diximus tam prima parte quam 1.2. dicemus etiam nunc aliqua sectione 3. sequenti, si Deus dederit, propter aduersariorum ortas sententias.

Ratio quare necessarium omnino sit esse in vniuerso peccata.

Octaua Conclusio.

Conclu. 8. DIco octauò. Deus sufficienter præbet auxilia adultis omnibus, ita sane, vt quolibet tempore vitæ possint si velint non apponere impedimenta, & per auxilia illa disponi. Nam certissimum est Deum ex liberalitate, & dono misericordiæ suæ inuitare omnes, & quãtum ex se est parata habere, seu dare auxilia necessaria hominibus ad salutem, quamdiu sunt in hac vita, taliter vt per ipsum non stet quin saluentur: quod apertè constat ex illo Ezechielis Prophetæ capite 18. & 33. *Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat.* & 2. Petri 3. *Patienter Deus agit, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Colligiturque apertè ex illo Pauli prima ad Timotheum 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri.* Hanc assertionem Sancti Patres colligunt etiam ex illo Ioannis primo. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et Diuus Augustinus libr. 3. de libero arbitrio capite 13. & de natura & gratia capite 67. ex eodem primo capite D. Ioannis Euangelistæ, nimirum ex illis verbis *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* probat assertam assertionem. Et quod id homines habeant absolutè loquendo ex Dei liberalitate, & misericordia, & auxilijs à prouidentia sua profiscentibus vt salui fiant, certum omninò est: quia aliàs non imputaretur homini, &c. Hinc est quod in capitulo firmiter de summa Trinitate & Fide Catholica definitur, semper posse hominem quantumuis peccatorem conuerti ad pœnitentiam dum est in hac vita, aliàs daretur tempus aliquod, in quo non posset saluari. Idem definiuit Gelasius Papa in epistola de vinculo Anathematis. Quocirca id quod diximus ex communi sententia sanctorum Patrum Dionysij, Irenæi, Chrysostomi, Ambrosij, Augustini, & aliorum quos alibi citauimus verisimum est.

Ezechielis 18. & 33.

2. Petri 3.

1. Ad Timotheũ. 2.

Ioannis 1.

D. Augu.

Gelasius Papa.

RATIO autem præcipua huius veritatis sumitur ex liberali Dei voluntate quę in Scriptura manifesta est. Et reddi potest cungruentia ex differentia inter paruulos & adultos. Nam peccatum ita nocet paruulis, quòd proprijs actibus sibi subuenire non possunt, & ob id Deus illis prouidet debitè ab initio mundi. Imò verò paruuli in protoparente Adamo tanquam in capite totius naturæ habebant originalem iustitiam in quo prouidit omnibus de remedio salutis. Rursus peccante Adamo, paruuli omnes quantum est ex parte Dei habent sufficiens remedium contra peccatum. Nam quantum est ex parte Dei pro omnibus mortuus est Christus, & pro omnibus instituit baptismum, & Sacramenta in remedium peccati: Adulti verò, qui iam sunt rationis compotes, & per propriam & actualem voluntatem incedunt, possunt se ipsos perdere suis proprijs actibus, ac proinde fuit conueniens vt possent suis actibus proprijs disponi & operari ex gratia Dei, atque eadem ratione fuit conueniens vt gratia præueniens & excitans instigans & inuitans, quæ est initium salutis præsto esset semper illis, Deus namque stat ad ostium & pulsat dicens etiam: *Aperi mihi soror mea.* Et ex se paratus est ad dandam talem gratiam, si homo non ponat illi obicem. Nam licèt homo non possit per innatas vires, aut ex naturæ conatibus se disponere ad gratiam

Ratio præcipua pro Cõclusione.

potest tamen per eandem impedire talem gratiam, vt aduertit S. Thomas lib. 3. contra Gentes cap. 159. & cap. 160.

Ex dictis liquet quod multi Theologi dicunt, in potestate nostra esse nostram salutem, est enim in voluntate nostra, quia Deus paratus est semper ad dandum auxilia gratiæ, quibus homo faciat id quod ad salutem oportet, hoc etiam pendet aliquo modo à voluntate nostra: quia potest à nobis impediri salus, non quia tale sit impedimentum quòd Deus non possit vincere & superare illud: sed quod de se tale est vt sit sufficiens ad impediendum, nisi Deus sua benignitate ipsum superare velit: ita docuit sanctus Thomas vbi supra, & etiam lib. 3. contra Gentes capite 159. & 160. & de veritate, quæstione 14. articulo 11. & 2. 2. quæstione 2. articulo 5. ad primum, Henricus Quotlibeto 4. quæstione 19. Ruardus Tapper articulo 7. contra Lutherum. Vnde cùm Deus dicit, cõuertimini ad me, libertatis nostræ admonemur, vt dicit Tridentinum, nam Deus ex se paratus est semper ad dandum auxilia gratiæ, quibus nos necessariò indigemus ad conuersionem & pœnitentiam.

S. Thomas.

Henricus. Ruardus Tapper.

Ad argumenta aduersariorum solutiones.

Ad primũ argument.

AD primum negamus, modum dicendi aduersariorum nullam habere repugnantiam aut contradictionem. Primò, quia talis modus repellit à Deo perfectionem causandi primæ causæ. Secundò, quia tribuit Deo imperfectum modum concurrendi cum rebus, nimirum conditionatum. Tertiò, quia potius facit Deum dependere à nostra voluntate quàm nos à sua, vt egregiè Diuus Fulgentius significauit vbi supra. Quartò, quia repellit perfectam prouidentiam à Deo, & perfectam gubernationem ad extra. Quintò, quia Deus per accidens operaretur & influeret, videlicet si ipsa voluntas velit, aut si ipsa velit se determinare. Sextò, quia Deo accideret, & à casu eueniret quidquid voluntas vellet, quia Deus, in opinione aduersariorum, expectat voluntatem nostram vt ipse influat. Septimò, quia sequeretur in opinione aduersariorm, , quòd non est verum illud Pauli testimonium dicentis, quòd creamur in operibus bonis ab ipso Deo, siquidem Deus expectat voluntates nostras, & tantùm vult influere conditionaliter expectata voluntate si ipsa velit. Octauò, quia ex opinione aduersariorum sequitur Deum velle operari secundùm consilium voluntatis nostræ, siquidem vult, expectando voluntatem, & sub conditione quod ipsa velit.

Ad cõpendium rediguntur rationes & inconuenientia, quibus falsum esse modũ dicẽdi oppositũ constat.

QVOCIRCA multa sunt inconuenientia & absurda in prædicta opinione aduersariorum, imò verò non esset prorsus aut omninò verum proloquium illud D. Augustini & Concilij Arausicani: In omni opere bono nos non incipimus, nam si Deus expectat voluntatem nostram, vt ipse influat, sequitur apertè, quòd non est integrè verum, quòd in omni opere bono nos non incipimus: vbi perpendendum est enuntiationem illam, quæ dicit nos non incipere esse negatiuam & consequenter negat absolutè nos incipere, si cum Deo fiat collatio & comparatio, quare neque incipimus simul cõcomitanter, sed posterius natura à Deo, quamuis simul cum Deo simultate eiusdem instantis aut momenti.

In forma respõdetur ad argum. primum.

IGITVR ad argumentum, concesso antecedente, nimirum quòd voluntas diuina est omnipotens, vt faciat quod vult, & quomodo vult, quia hoc prouenit ex efficacia eius, & dominio, quod habet rerum & voluntatum creatarum: negatur id quod dicitur in consequenti, seu in consequentia, nimirum quòd Deus dicatur expectare influxum voluntatis creatæ, & quòd velit sub conditione, si voluntas velit: Neque iuuat recurrere ad exemplum Solis operantis, vt est quædam natura sine prudentia & prouidentia, imò operantis vt instrumentum quoddam respectu inferiorum, Deus autem operatur cum consilio voluntatis suæ & cum prouidentia. Præterea etiam operatur ex prædefinitione & decreto circa singula quæ vult, quare non est simile illud de Sole & de Deo aut de influxu indifferenti.

Solutio secundi argumenti.

AD secundum argumentum respondetur hominem optimè posse facere illud quod dicitur in antecedenti, & offerre in communi auxiliũ ad illud quod alter voluerit, expectando id quod vult, & dependendo à voluntate alterius, quia per hoc quod homo hoc ita velit facere, & per hoc, quod ita se gerat nullum sequitur inconueniens in ipso: Deo autem hoc minimè conuenire potest, nam argueret imperfectionẽ in ipso & sequerentur multa inconuenientia in discursu huius sectionis tacta.

Ad replicã in secundo argumento factam.

AD replicam, negatur quòd voluntas necessitaretur necessitate oppositа libertati, sed solùm sequitur, quòd voluntas determinaretur à Deo, & moueretur efficaciter suauiter iuxta conditionem ipsius cum modo libero, infundendo actũ primũ, quẽ voluntas recipit cum consensu, quia posset non consentire: & simul volũtas se mouet operãdo & agendo iuxta suauitatẽ actus primi, per quam operationem voluntas se determinat, & intelligitur formaliter determinata, iuxta ea quæ diximus sectione prima precedente. Imò verò cùm Deus determinat voluntatem auxilio suo: & in opinione aduersariorum auxilium nihil aliud sit, quàm ipsa operatio voluntatis vt est à Deo, sequitur, quòd cum eadem actione voluntas se determinet, quòd non necessitatur necessitate orta ab alio, aut necessitate oppositа libertati. Negamus igitur sequelam, nimirum quòd non ageret liberè voluntas, si præmoueretur & prædeterminaretur à Deo fortiter & suauiter cum modo eius libero, ita vt posset resistere per vires suas: Nam per hoc cognoscitur quòd liberè agit, & quamuis ex determinatione libera Dei,

tamen

tamen cum quadam potestate ad oppositum, ratione cuius talis determinatio, quæ libera est, non repugnat cum indifferentia: hoc est, cum potestate ad oppositum: An verò hæc potestas sit physica vel moralis dicemus Sectione 3. sequente.

Ad tertiũ argument. solutio.

Ad tertium argumentum. Mirabile est aduersarios adducere testimonium illud ad probandam suam sententiam: Nam possent ex illo testimonio inferre, sed malè: Quòd si Deus fecit hominem & reliquit illum in manu consilij sui: quod non gerit prouidentiam illius, neque dirigit illum, neque præparat, neq; prospicit, sed quòd solùm habuit prouidentiam conseruandi esse ipsius, & concurrendi ad operationes suas, relicto ipso in manu consilij sui: hæc enim ratio mouit eos qui negant prouidentiam Dei, nimirum quòd Deus fecit hominem liberum, & reliquit illum in manu consilij sui. Negant igitur prouidentiam Dei, quia putant lædi liberum arbitrium si Deus gerit prouidentiam hominis, aut si gubernat & regit illum, idque probant hæretici, quia Deus

Ecclesiastici. 15.

Ecclesiastici 15. *Reliquit hominem in manu consilij sui.*

Dicendvm igitur est. Quod non dicitur Deus reliquisse hominem in manu consilij sui, quia expectat influxum voluntatis suæ, aut quia non gerat curam illius, aut quia non habet prouidentiam, aut quia non exerceat gubernationem circa ipsum, sed quia fecit hominem liberum cum consilio, conferentia & deliberatione: Non tamen dicitur homo ita esse in manu consilij sui, quòd non sit etiam in consilio Dei cum dependentia ab ipso. Quocirca

S. Thomas. Quare dicatur Deum relinquisse hominem in manu consilij sui.

S. Thomas 1. parte, q. 22. art. 1. ad 4. inquit ex eo dici Deum reliquisse hominem in manu consilij sui, quia non præfixit illi virtutem aliquam operatiuam determinatã ad vnum sicut in brutis, quæ operantur ex iudicio infixo à natura, & non se mouent nec se dirigunt in proprios fines, sed dirigũtur necessario à naturæ auctore: cæterum creaturæ rationales deliberant de se ipsis & eligunt media ad finem, ad quem se liberè dirigunt: sed nihilominus omnis consultatio & electio creaturæ rationalis circa finẽ supernaturalem, & omne illud quod facit in illis proportionem aliquã ad supernaturalem finẽ, procedit ex diuina misericordia: quia aliàs non tantùm essemus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed etiam consultare & eligere: Imò verò sequeretur, quòd non esset ex Deo tota sufficientia nostra in ordine ad finem gratiæ, quod est contra Paulum dicentem: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis*: Ergò quod dicitur Deum hominẽ sibi reliquisse, non excludit eum à perfecta ipsius prouidentia, sed solùm ostenditur quod non dedit illi Deus virtutem operãdi determinatã ad vnũ, sicut rebus naturalibus quæ tantùm aguntur, & non se agunt quasi se dirigẽtia in finem, vt creaturæ rationales quæ per liberũ arbitriũ consiliantur & eligunt. Sed quoniam ipse actus liberi arbitrij bonus reducitur

Quòd Deus hominẽ reliquerit in manu consilij sui, non excludit ipsum à perfecta sua prouidentia.

in Deum sicut in causam, necesse est, vt ea quæ ex libero arbitrio fiunt diuinę prouidentię subijciantur. Nam prouidentia hominis continetur sub prouidentia Dei, sicut causa particularis sub causa vniuersali. Quod vero dicunt noui Theologi loquentes de nostra voluntate benè operante ex viribus naturæ, quòd Deus obsequitur placito voluntatis nostræ, intollerabile est. Nam omnem nostram bonam voluntatem, siue naturalem, siue supernaturalẽ efficit Deus in nobis secundùm consilium voluntatis suæ: quod est efficax causa ad operandũ omne cõsilium bonum voluntatis nostræ. Vnde sequitur, quòd non expectat Deus voluntatem nostram, vt ipse influat, sed potius nostra voluntas semper est pedisequa, vel diuini influxus vt ipsa influat, vel est pedisequa ipsius gratiæ, vt dixit D. Augustinus epistola 106. & lib. de correctione & gratia, cap. 8. iuxta illud Cant. 1. *Trahe me post te, & curremus.* & Ioannis 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Vnde illud Lucę 9. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & sequatur me.* non ita est intelligẽdũ, quod prius homo velit sequi Christum, quam à gratia Christi præueniatur, sed è contra, ex eo vult liberè sequi Christum, quia à gratia Christi præuenitur: quæ interpretatio colligitur ex Tridentino Sessione 6. c. 5. dicente: *Quòd quando in sacris Literis habetur: conuertimini ad me & ego conuertar ad vos: libertatis nostræ admonemur: Cum autem respondemus: Cõuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Threnor vltimo. Gratia Dei nos præueniri confitemur.* Quæ sanè præuentio gratiæ nõ tollit quin minus homo sit liber, & in manu consilij sui.

D. Augu. Canticor. 1. Ioannis 6.

Lucæ 9.

Concilium Tridentinũ

Sed dices. Conuerti ad Deum non est in potestate humanæ voluntatis ex innatis viribus, aut libertate eius, quia nemo potest credere nisi vocetur, tangatur, & moueatur cor eius: nemo autem habet in potestate sua vt vel vocetur à Deo, vel tangatur aut inspiretur: ergo, &c.

Obiectio.

Respondetur verissimum esse, quòd ex innatis viribus aut conatibus naturæ liberi arbitrij non est in potestate humanæ voluntatis conuerti: sed potestas hæc est à Deo. Nam certè quamuis libertas nostra sit, vires tamen ad hoc efficiendum à Deo nobis donantur, & sic intelligitur illud Ioannis 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Vnde in potestate hominis est in melius mutare voluntatem, sed hæc potestas nulla est nisi à Deo detur, vt dicit Diuus Augustinus, quem citat Ruardus Tapper articulo 7. de libero arbitrio adducens verba eius. Cum enim Euangelista Ioannes capite primo dixerit: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, inquit Augustinus, *Quòd cum dicatur esse hoc in potestate quod cum volumus facimus, nihil tam est in nostra potestate magis quã ipsa volũtas sed operatur volũtas à Domino.* Rursus dicitur esse in potestate hominis cõuerti ad Dominũ, non solũ quia in hoc admonetur homo suę libertatis, sed quia Deus ex liberali manu sua stat ad ostiũ & pulsat, inspirat & vocat,

Solutio.

Ioannis 1.

D. Augu.

&

& tribuit auxilia, quibus homo habet in sua potestate resistere malis si velit, iuxta illud Matthæi 23. *Matt. 23.* *Hierusalem Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti, &c.* Itaque sine gratia Dei nemo mouere se potest ad iustitiam coram Deo, libera sua voluntate, vt habetur in Tridentino Sessione sexta, capite quinto: quapropter in eadem Sessione sexta capite 6. sequenti agens Concilium de modo præparationis ad iustitiam inquit. *Concilium Tridentin.* *Disponuntur homines ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum: credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata & promissa sunt.* Vnde licèt homo non sit efficiens causa ipsius gratiæ actualis, aut auxiliorum aut vocationis qua vocatur & tangitur cor eius, nihilominus quia homo potest resistere Deo vocanti, & liberè apponere impedimentum peccati, vel non resistere, & ex alia parte Deus ex liberali manu sua stat ad ostium & pulsat nos vocans, verè dicitur homo liber ad suam salutem: nam potest dissentire, vel ex auxilio gratiæ Dei liberè consentire. Quare quæ ab aduersarijs assumuntur solùm probant neminem posse credere, aut conuerti absque diuino adiutorio gratiæ. Et ob id dicitur Ioannis sexto. *Ioannis. 6.* *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille.*

Obiectio. Dices: si Deus obtulit homini aut voluntati eius auxilium determinatum ad vnum tantùm, nullus relinquitur locus consilio aut deliberationi: quia determinatio illa omne consilium humanum anteceſsit, & post illam determinationem nullum medium relinquitur, neque potestas euitandi illum actum. *Solutio.* Respondetur: auxilium, quod Deus offert vel tribuit homini determinatè vt se conuertat hodie aut cras, esse quidem auxilium liberum, id est non necessitans hominem. Quoniam tale auxilium ex decreto & ordinatione Dei fit à Deo commensurando ipsum & adaptando libertati voluntatis nostræ simul cum quadam fortitudine & suauitate, & etiam præmouendo hominem ad collationem & conferentiam rationis. Et licèt determinatè Deus tribuat auxilium ad consensum, taliter tamen, vt maneat in homine potestas resistendi absolutè loquendo: licèt in sensu composito non stent simul illæ duæ propositiones de in esse, nimirum quòd Deus tribuat auxilium efficax & præmoueat hominem ad cõsensum, & quòd homo nõ moueatur neque consentiat, quamuis possit re vera & absolutè non consentire. *Etiãsi auxiliũ sit efficax ad cõsensum, manet tamen in homine potestas ad resistendũ.*

Ad quartum argumentum, quod ex Diuo Damasceno assumitur, quis non videat frustrolè & impertinenter adduci testimonium Damasceni dicentis. Quæ in potestate nostra sita sunt, non prouidentiæ, sed libero nostro arbitrio assignari debent: Nam hoc Damasceni testimonium pariter militat contra aduersarios sicut cõtra nos, & idcircò pariter dissolui debet ab illis. Cum enim auctores oppositę sententię non negent Dei prouidentiam erga nos, & circa operationes liberi arbitrij nostri, non video cur locus Damasceni dicentis: *Quæ in potestate nostra sita sunt non prouidentiæ, sed libero nostro arbitrio assignari debent:* non militet pariter contra eos. Dicendum igitur est in Damasceno non reperiri verba, quæ ab aduersarijs citantur libro secundo de fide Orthodoxa capite 29. Vnde Franciscus Suarez malè, ne dicam falsò, citat Damascenum libro primo de concursu Dei cum voluntate cap. 13. pag. 60. §. Accedant igitur testimonia Patrum: nam Damascenus non dicit quæ Suarez ex ipso citat, sed potius oppositum: Non enim inquit Damascenus, quòd quæ in potestate nostra sunt, non prouidentiæ sed libero nostro arbitrio assignari debent, sed dicit potius, quòd ea quæ in nobis sunt, non prouidentiæ solùm sunt, sed liberæ potestatis nostræ, & arbitrij. Vnde apertè Damascenus voluit operationes liberas optimè concordes esse cum prouidentia & gubernatione Dei. Suarez verò suppressit dictionẽ illam, nõ solùm, & expressit negationem.

D. Damas.

Male citatur à Suarez.

Nequè aliud intelligi poterat ex doctrina & sententijs Damasceni: nam in illo capite 29. dicit in exordio eius, quòd prouidentia est voluntas Dei, per quam omnia quæ sunt, conuenientem gubernationem suscipiunt. & inferius vt infallibilem dicat esse Dei prouidentiam citat illud Psalmi 134. & illud Pauli ad Romanos 9. *Omnia quæcunque voluit Deus fecit in cælo & in terra:* & *Voluntati eius nullus resistit.* Et tandem concludit multos esse modos prouidentiæ diuinæ, qui neque sermone explicari, neque mente comprehendi possunt. Quocirca malè citatur Damascenus, qui potius eo in loco militat pro nobis, quàm contra nos.

Psalm. 134 Ad Romanos 9.

Illvd verò quod ex ca. 30. citatur vbi ait. *Operæpretium est agnoscere, omnia præscire Deum, non autem omnia prædefinire atque prædestinare. Præscit enim & ea quæ in nobis, non prædefinit autem hæc: nam non vult prauitatem fieri, neque cogit, neque vim affert virtuti, &c.* Quam sententiã D. Thomas explicat de prædefinitione necessitante: nam prima parte quęst. 23. art. 1. ad 1. dicit, quòd Damascenus nominat prædeterminationem impositionem necessitatis, sicut est in rebus naturalibus, quæ sunt prædeterminata ad vnum. Quod patet ex eo quod subdit. *Non enim vim affert virtuti neque cõpellit.* Quare explicata sententia Damasceni, quæ minimè fauet aduersarijs, negatur cõsequentia argumẽti.

Explicatur ex D. Tho. locº D. Damasceni.

Ad reliquos auctores, quos ex Græcis citat Frãciscus Suarez iã diximus in discursu controuersiæ huius sectionis quo pacto sint intelligẽdi, & quã malè citẽtur ab ipso & omninò sine causa. Citat etiã D. Chrysostomum homilia 12. *D. Chryso.*

ad Hebræos, qui locus non admittitur à Molina, sed potius affirmat in eo erraſſe Chryſoſtomum, vt conſtat ex his quę dixit in ſua Concordia quæſtione 14. articulo 13. diſputatione 41. Diuus autem Dionyſius de cœleſti Hierarchia & verba illius nobis fauent. Nam duo dicit Diuus Dionyſius: Primum eſt quod Deus non imponit nobis neceſsitatem in operibus vitæ moralis; Secundum eſt quod gratia & diuina prouidentia, neque lędunt, neque auferunt libertatem arbitrij, quia ſplendore diuinæ prouidentiæ non obtunditur libertas eius. Quod nos liberè profitemur: Nam prędſcientia prouidętia, prædeſtinatio, & prædefinitio opti mè apud Sanctos Patres concordari poſſunt cū operibus liberi noſtri arbitrij: & eadem ſolutio poteſt aſsignari Hieronymo & Auguſtino, quod homo non viuit ex neceſsitate illata à Deo, ſed ex voluntate libera. Illud autem Auguſtini 7. de ciuitate dicentis: *Deus ita adminiſtrat res quas condidit, vt eas motus ſuos agere ſinat.* Hoc quidem etiam nos dicimus, nimirum quòd Deus diſponit omnia ſuauiter per prouidętiam quam gerit circa res omnes, ita vt nullam vim inferat illis aut coactionem quia vnumquodq; agit, & diſponit ſecundùm modum ſibi propriū ſeu debitum.

D. Diony. quòd nobis faueat.

D. Hiero. & Augu.

Ad quintū argument.

Ad quintum argumentum reſpondetur præmotionem voluntatis in bonis operibus & applicationem eius ad agendum multis titulis eſſe neceſſariam & requiri, præcipuè in ſupernaturalibus, vbi requiritur gratia tanquam principium præuium operationum ſupernaturalium, cum vires naturales liberi arbitrij nihil præſtent ſupernaturalibus actionibus. Rurſus liberum arbitrium noſtrum in agendo & operando & in determinatione ſua pendet à Deo, vt à prima cauſa, quæ prioritate naturæ dicitur influere, & vt a prima cauſa prouidente cum quadam neceſsariò debita ſubordinatione ad Deum & ſubiectione ad ipſum, quam ſubterfugere non valet. Item etiam Deus prædefinit & decernit intentione ſua quidquid per gubernationem in tempore euenturum eſt, ac proinde Deus præuenit voluntati arbitrij noſtri: vnde neganda eſt minor argumenti quæ dicit, quòd hæc omnia nulla ratione melius fient, quam ſine prędeterminatione & præmotione voluntatis. Et ex conſequenti, per modum dicendi aduerſariorum, non aſsignatur ſufficiens prouidentia & gubernatio rerum, & infallibilitas diuinorum decretorum.

Falſum eſt non dari in homine principium effectiuū ſibi inhærēs ad actus ſupernaturales præter ipſam voluntatem.

Illvd verò, quod nouiores Theologi dicunt, vt ſaluent libertatem cum gratia Dei, quòd ad actus ſupernaturales qui eliciuntur à voluntate nullum datur in homine principium effectiuum ſibi inhærens præter voluntatem, non approbo, vt in ſuperioribus diximus. Ponit enim hæc opinio Deum per ſe ſupplere efficientiam quam poterat habere auxilium gratiæ Dei, & affirmat Deum eſſe aſsiſtentem: poſſeque dici virtutem productiuam aſsiſtentem & elicitiuam iſtorum actuum: quæ ſanè ſententia pugnat cum communi ſenſu doctorum, qui reſpectu actuum ſupernaturalium volunt cauſam proximam ſecundam eſſe ſupernaturalem & conſtitui in actu primo ſupernaturali ad ſuas actiones, vt quod naturaliter operantur, ſicut videmus Deum indidiſſe rebus omnibus formas, non quidem aſsiſtentes ſed inhærentes aut informantes ad ſuas actiones, ille autem modus operandi per ſolam aſsiſtentiam Dei licèt poſsit adaptari Deo volenti agere de potentia abſoluta, tamen non video quomodo conueniat ſuaui prouidentiæ Dei & modo agendi connaturali rerū & cauſarum.

Ad alia quæ hinc & inde replicantur & obijciuntur ab auctoribus oppoſitæ ſententiæ patet ſolutio tam ex dictis in hac ſectione, quàm in precedente: nam fatemur liberum arbitrium noſtrum non producere effectiuè gratiam quæ infunditur à Deo, tamen quia non fit in nobis ſine nobis conſentientibus, ſequitur nos effectiuè concurrere ad conſenſum voluntatis. Et quamuis per primam gratiam præuenientem dicatur homo habere ſufficiens auxilium, tamen non dicitur habere ſufficiens adæquatum donec ad conſenſum efficaciter ſuauiter moueatur & trahatur à Deo: & hoc explicuit Euangeliſta per verbum trahere. Et quando dicitur ab aduerſarijs, quòd ſequeretur: eum qui non conſentit vocationi Dei quantumcunque ſufficienter excitetur & vocetur in ratione gratiæ excitantis minimè peccare, non conſentiendo illi gratiæ. Reſpondetur: ſibi imputari, ſeu illi homini ſi non conſentiat cum ad id vocetur à Deo & non ſtet per ipſum Deum quin homo ipſe conuertatur, quem vocat & excitat ad conuerſionem. Imò verò currente præcepto ſupernaturali vel de conuerſione & pœnitentia, vel de credēdo, verè peccaret talis homo, quod alibi nos fuſius explicuimus. Quocirca negandum eſt quod carentia illius conuerſionis vel conſenſus proueniat in caſu de quo loquimur ex impotentia habendi actū: quoniam cum Deus ſtet ad oſtium & pulſet, & vocet hominem ad pœnitentiam & tribuat ſufficientia auxilia ad hoc & ex culpa ipſius hominis careat ipſe efficacitate gratiæ Dei, ſequitur, quòd carentia illius conuerſionis non prouenit ex impotentia: quam rem fuſius ſupra proſecuti ſumus, vbi pariter interpretati ſumus quonam pacto ex pręuia Dei gratia actuali eiuſque prędmotione nō lædatur libertas. Reliqua quæ hic dici poterant, ſoluētur ſectione 3. ſequenti.

Per primā gratiā præuenientem dicitur homo habere ſufficiēs auxilium, licèt nō adæquatum.

(.?.)

SECTIO III.

Vtrùm pendeat collatio gratiæ ex viribus naturalibus & innatis liberi arbitrij: ex lege aliqua ad id facta à Deo seu pacto facienti quod in se est, & conanti precisè ex eisdem naturæ viribus?

Massilienses aliquã impetratiõnẽ ex nobis esse ponẽdã respectu primæ gratiæ his ductis fũdamẽtis admittebant.

SANCTI Patres nõ solùm repellunt meritum condigni, sed etiã quoduis aliud minimum meritũ etiam impetratorium primæ gratiæ. Massilienses verò vt minimũ dixerunt aliquam remotam occasionem seu impetrationem ex nobis esse ponẽdam, vt aliquo modo electio ad gratiam, & donatio illius ex arbitrio nostro penderet: atque ita senserunt, quòd daretur intuitu operum nostrorum. Itaque initium & exordium aliquod ex nobis esse docuerunt & affirmarunt.

Primũ fundamentum

2. fundam.

FVNDAMENTVM eorum illud fuit: quia si exordiũ non est ex nobis, sed ex gratia præuenitur liberũ arbitriũ, in primis læderetur libertas eius, & inferretur vis aliqua & coactio ipsi arbitrio. Rursus alterũ eorũ fundamẽtũ erat, quod affirmabant gratiã ex nostra libertate pẽdere, ne ab ipsa gratia vim pateretur libertas, & cõsequẽter quod si arbitriũ nostrũ inciperet antecedenter libertate sua benè vti, vt gratiã sibi cõpararet, tũc optimè gratia ipsa ex nostra libertate pẽderet nulla vi libero nostro arbitrio illata.

Tertium.

DICEBANT etiã hoc Massilienses, vt acceptionem personarũ à Deo propulsarent concesso enim semel exordio & initio gratię ex nobis, tũc optimè posset inueniri ratio, curvni potius quã alteri gratia daretur: ne id in solã Dei volũtatem reuocaretur: quia aliàs esset personarum acceptor, vt ipsi dicebant.

TERTIÒ, hoc ex innatis viribus initiũ gratiæ constituebant, vt haberet in nobis locũ fraterna correptio: Nam si prius Deus deberet incipere, frustra videbatur illis esse correptio, siquidẽ homo ex se ipso non incipit aliquo modo: Neque curant Massilienses de supernaturalibus operibus, sed contenti sunt, si aliquid boni ex nobis præcedat Deũ, cuius intuitu Deus donet gratiã suam, seu eam nobis tribuat.

SOLVM ergò auctores citati volebant absurda illa vitare, quæ sequi videbantur si Deus præueniret omnem nostram sollicitudinem: hęc autem de medio tollebant constituendo vel minimum aliquod initiũ ex nobis ipsis.

SENTENTIA igitur istorum fuit, voluntati humanæ & labori humano, aut orationi humanæ subiungendã esse gratiam in tempore, hoc est eam nobis donari, propter aliquid horum q̃ fit ex nostro arbitrio: Nomine autem gratię nõ habitualẽ, sed auxilia omnia gratię, quibus promouemur ad iustitiã intelligebãt. Et hoc ipsum quod de collatione gratiæ in tempore asserebant, dixerunt etiam de diuina prædefinitione, & prædestinatione: nimirũ primã gratiã & primam vocationẽ nobis à Deo prædestinari, quia præsciuit aliquod volũtatis nostræ ex nobis bonũ initiũ. Quare eorũ erat in ore prouerbiũ, nisi Deus adiuuet conatus nostros, idest nisi Deus iam à nobis inceptos promoueat, irriti sunt. Et quãuis Massiliẽses in aliquo discreparẽt interdũ inter se: omnes tamen in hoc cõueniebãt, vt aliquod initiũ ex nobis præcederet gratiã Dei in tempore, eiusq; prædestinationẽ in præsciẽtia.

In quo cõueniret Massiliẽses, quãnis in alijs esset dissensio.

HORVM Massilienſium ſententiam tradũt multi ex Græcis Patribus, inter quos fuit Chryſoſtomus qui fuit magiſter Caſsiani: Caſsianus verò dux fuit Maſsilienſium, quem per totam ferè Galliam ſecuti ſunt Epiſcopi illius ætatis, inter quos refertur fuiſſe Vincentius Lirinẽſis.

Caſsianus Maſsilienſium dux.

SVNT tamen nonnulli Recentiores Theologi (quod dolendum eſt vehementer) qui vt defendant præcedere ex nobis opera quędam moralia, quibus ad primum auxilium gratiæ remotè diſponamur, & illud ex Dei benignitate impetremus, ſicut antiquiores aliqui docuerũt, affirmant ſuam ſententiam ab errore Caſsiani, & Maſsilienſiũ plurimum differre: quòd Maſſilienſes non ſolùm concederent exordia & initia ex nobis, quæ ſint bona opera moralia virtutis acquiſitæ: ſed opera etiam virtutis infuſę & ſupernaturalis, vt orationem, qua quis petit ſibi à Deo iuſtificationem, hæc enim eſt quid ſupernaturale, aut voluntatem & deſideriũ iuſtificationis: & hoc meritò damnari, quoniam opera ordinis ſupernaturalis nõ poſſunt attribui libero noſtro arbitrio nudo. Verumtamẽ dicunt Theologi iſti recẽtiores, neminẽ negare poſſe opera moralia virtutis acquiſitæ ex nobis eſſe, & ex innatis noſtris viribus antequã Dei gratia nos adiuuare incipiat, & eis Deũ moueri, vt nobis tribuat auxilia ſuę gratię. Cæterum non minus decepti mihi videntur qui his operibus moralibus nos incipere, & Dei gratiã arbitrantur impetrare, quam Maſsiliẽſes. Omnes enim eodem modo conueniunt in illa propoſitione in Concil. 2. Arauſicano canone 6. damnata. *Labori aut obediẽtiæ humanæ ſubiũgitur gratia.* Quã etiam damnauit Petrus Diaconus li. de Incarnatione & gratia c. 8. Nam certè apud D. Auguſt. Cæleſtinum Papam, D. Proſperum, Concilium Arauſicanũ ſecundũ, cęteroſq; Patres qui contra Maſsiliẽſes ſcripſerunt nuſquam inuenitur notata hæc diſtinctio, neq; minimum exordiũ ſeu initium gratiæ ex nobis, ſeu ex innatis noſtris viribus conceſſum. Rurſus etiam Caſsianus lib. 12. de inſtitutis cęnobiorum cap. 13. & 14. inter alia exordia, quæ ex nobis affirmat præcedere, recenſet aliquas virtutes omninò morales, vt vigilias, ſeparationem à conuictu, & alia eiuſdem generis: vnde in eodem Concilio Arauſicano 2. canone 6. damnantur qui ſenſerint ſine gratia Dei laborantibus & vigilantibus gratiam ipſam conferri. Ad hoc videtur alludere Diuus Hilarius in epiſt. ad D. Auguſtinũ poſt mediũ:

Concilium Arauſican.

SS. Patres.

Recẽtiores ponũt in nobis ante primã gratiã præcedere opera bona moralia quibus dicunt Deum moueri vt auxilia gratiæ tribuat

quo

D. Augu.

quo in loco proponit Maſsilienſiũ argumentũ & obiectionem contra doctrinã D. Auguſt. ſic ſcribẽs. *Nam ſi ſic prædeſtinati ſunt ad vtrãq; partẽ, vt de aliis ad alios nullus poſsit accedere, quo pertinet tanta extrinſecus correptionis inſtantia? Si ab homini, & ſi non fides integra, ſaltẽ vel dolor cõpunctæ infirmitatis exoritur aut periculũ demonſtratæ mortis horretur. Nam ſi non poteſt timere quis vnde terretur, niſi ea volũtate quæ ſumitur, non ex eo cui pandus, quod nunc non vult, ſed in eo & cũ eo qui ſic aliquando noluit, vt eã damnationẽ cum ſuis poſteris mereretur incurrere, aut nunquã recta, ſemper autem praua vellet appetere. Si autẽ eſt qualiſcunq; dolor qui ad exhortationẽ corripientis oriatur, hãc ipſam dicũt cauſam propter quam vel reijciatur alius, vel alius aſſumatur.* En his verbis planè refert Maſsilienſiũ ſenſum: nimirũ ſitum eſſe in hominis arbitrio aliqualẽ ex ſe habere dolorẽ, ſi ſaltẽ fidem habere non poſsit: & ob eum dolorẽ gratiam Dei homini prædeſtinari, & ipſum à Deo aſſumi: ſicut propter oppoſitũ repellitur alter.

Quomodo Maſsilienſes vitarẽt etiam inconuenientia, quibus mouebantur, ſi concederetur opera bona moralia præcedere gratiã ipſiſq; Deũ moueri.

Et deniq; hominẽ ex ſuis viribus innatis poſſe aliquid boni agere ratione cuius donum gratiæ conſequatur. Semel autẽ cõceſſo hominem ex viribus ſuis poſſe aliquid boni agere etiã virtutis acquiſitæ moralis propter quod gratia ei tribuatur iam Maſsilienſes aſsignarent cauſam cur vnus aſſumatur ad gratiã & alter repellatur, etiã ſi nullus ratione fidei prædeſtinetur, & ita perſonarũ acceptio de medio tolleretur & nullã vim arbitrio humano inferre manifeſtarent cũ in eo caſu arbitriũ gratiã præueniret. Rurſus etiã ex his aſsignarẽt locũ correptioni, vt homo prius correptus benè operetur ex ſuis viribus & gratiam à Deo obtineat. En candide lector qualem obiectionem & doctrinam contra Auguſt. ſententiam Maſsilienſes obijciebant.

Sententia Molinæ de pacto & lege Dei vt donet auxilia facienti quod in ſe eſt, &c. proponitur.

Molina, quẽ nos alibi retulimus, affirmat quotieſcunq; liberũ arbitriũ ex ſuis viribus naturalibus conatur, præſtò eſt ad conandũ totũ id quod ex ſeſe poteſt, tam circa ea addiſcenda, & amplectenda quæ fides habet, quàm circa dolorẽ de peccatis, ac iuſtificationẽ à Deo cõferri gratiã præueniẽtẽ, & illa auxilia quibus id faciat vt oportet ad ſalutem. Addit etiã hoc fieri ex lege Dei, nã aſſerit Chriſtũ promeruiſſe, & eã legẽ obtinuiſſe ſubueniendi hominibus, quam Chriſtus ipſe cũ Patre conſtituit: per quã eatenus facta eſt poteſtas vt filij Dei fiãt homines, quatenus ſi quantũ in ſe eſt conẽtur ex ſuis naturalibus, præſto illis aderit Deus vt fidẽ & gratiã cõſequãtur, neq; deſiderio ſuo fraudẽtur, & ea ratione dicit in poteſtate eorum eſſe vt filij Dei fiãt. Sentit, ergò Molina Deũ expectare ex lege, conatũ viriũ naturaliũ & opera ex viribꝰ innatis liberi arbitrij: vt ipſe influat & præſtoſit homini per auxilia gratiæ vt fidẽ & gratiã cõſequatur, ne defraudetur deſiderio ſuo.

Probaturi. horũ ſentẽtia ex D. Paulo ad Timoth. 1.

Horvm omniũ ſententia probari poteſt ſicut nonnulli cõtendunt, primò ex illo Pauli 1. ad Timoth. 1. vbi Apoſtolus Paulus de ſe ipſo dicit. *Qui blaſphemus fui, & perſecutor, ſed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate mea.* Enviderur Paulus cauſam aliquã aſsignare ex parte ſua, propter quam conſecutus fuerit miſericordiam gratiæ Dei. Et Diuus Auguſtinus lib. 83. quæſtionum q. 68. ait. *Hic fortaſsis conturbatus ad illam quæſtionem redis, cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat. Quid adhuc conqueritur? Volũtati enim eius quis reſiſtit?* Cui reſpondet D. Auguſt. per hæc verba. *Sed hæc volũtas Dei iniuſta eſſe non poteſt. Venit enim de occultiſsimis meritis, &c.* Concedit ergò D. Auguſt. merita quamuis occulta, propter quæ Deus vnius miſereatur & ad ſuam gratiam eũ eligat: alterius verò non miſereatur.

Secundũ argumentum ex teſtim. Matt. 25.

Secvndò probant ex illo Matth. 25. de homine illo qui peregrè proficiſcens diſtribuit talenta ſua ſeruis & famulis ſuis, non quidẽ abſolutè ſed vnicuiq; ſecundũ propriam virtutẽ vt Chriſtus dicit. Quæ ſanè parabola Chriſti docet diſtributionẽ quã Chriſtus facit gratiæ ſuę, vt ea rectè homo viuat, & negotietur, fieri dependẽter à propria virtute innata: ergò ſicut talenta pecuniæ homo ille deuiſit habẽs rationẽ virtutis & facultatis naturalis, quã vnuſquiſque ex ſe habebat ad negotiãdũ, ſic etiam Chriſtus talenta diuiſit gratiæ iuxta proportionem naturalis virtutis vniuſcuiuſque: ergò ſecundùm vſum liberi arbitrij & ſuarum virium.

Tertiũ argumentum ex teſtimo. Pauli ad Roman. 8.

Tertivm argumentũ deſumunt præfati auctores ex illo Pauli ad Romanos 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini Filij ſui:* quo in loco prędeſtinatio gratiæ, qua efficimur cõformes filio Dei, dicitur habere exordiũ ex præſciẽtia: ſiquidem quos præſciuit hos prędeſtinauit: ſed nulla præſcientia præcedere poteſt prædeſtinationem gratiæ, niſi ſola illa quæ eſt boni vſus liberi arbitrij: ergò ex illo bono vſu tanquam ex initio & ortu, & aliquali diſpoſitione prædeſtinamur. Quẽ modũ explicandi ſequuntur Græci, & ſecuti ſunt etiam Maſsilienſes & Chryſoſtomus cum Caſsiano eius diſcipulo: nam homil. 12. in epiſt. ad Hebręos inquit. *Oportet nos quippè eligere primũ quæ bona ſũt, & tũc ipſe quæ ſua ſunt introducit: non antecedit noſtras voluntates ne lædatur arbitriũ, cum autẽ nos eligerimus, multam tũc nobis affert auxiliationem.* Imò verò in eodem capite dicit Chryſoſtomus prius oportere nos à nobis mundari.

D. Chryſo.

Quartum argument.

Qvartò argumentantur. Homo ex ſe ſine alia gratia quam dono creationis, & liberi arbitrij poteſt facere aliquod bonum opus morale: ergo illud poteſt eſſe initium ex nobis, vt ita nos prius aliquid Deo tribuamꝰ, propter quod ipſe gratiam ſuam nobis tribuat.

Quintum.

Qvintò obijciunt. Quia Deus non expectat noſtrũ liberũ arbitriũ, & occaſionẽ aliquã, ſed prout ei placet præuenit peculiari ſua gratia hunc vel illum: apertè videtur lædi libertas, & infertur vis arbitrio noſtro: ſic enim gratia, neq; erit in noſtra poteſtate, neq; pendebit ex arbitrio noſtro. Hanc obiectionẽ attigerũt Fauſtus Regienſis, & Marcus Heremita, & Chryſoſtomus, vt ex concertationibus D. Auguſtini contra prædictam ſententiam licet colligere.

Sextum.

SEXTÒ obijciunt. Quia si Deus gratiam suam distribuit non expectata voluntate nostra, sequitur, quòd Deus vtitur iure dominantis, & quasi tyranni, qui pro libito tantùm suo gratiam distribuit, & quòd non vtitur debito ordine regentis & gubernantis, qui distribuit dona iuxta dispositionum vniuscuiusque. Hac obiectione Faustus ille Regiensis putat se aliquid probare & inuehitur contra D. August. li. 2. de gratia & libero arbitrio cap. 6. imò verò ex oppositâ sententia, Faustus colligebat funditus auferri causam futuri iudicij, ac proinde homines nasci iam iudicatos, non iudicandos.

TANDEM Massilienses argumentabantur vt referunt D. Prosper & Hilarius in duabus epistolis quæ habentur apud D. August. ante libros de prædestinatione Sanctorum: Quòd si vera est sententia August. quæ dicit gratiam peculiarem ex sola libertate Dei donari, præcipuè illa prædestinatorum gratia vocationis frustra fit oratio: si quidem humana oratione nequit gratia obtineri: ac proinde adimitur omnis spes impetrandi gratiam, nam frustra tunc homines corripiuntur aut exhortantur si gratia, & prædestinatio ex eorum non pendet arbitrio.

Notãdum pro vera sẽtentia.

VT rem hanc explicemus, & quæ in superioribus diximus apertiora fiãt obseruare oportet, auxilium gratiæ per Christum non solum dici illud quod ad opera virtutum infusarum, & Theologicarũ tribuitur, sed etiam quidquid boni ingreditur ordinem supernaturalem per Christum ad tentationes superandas & ad omne id, quo peruenitur ad iustificationẽ, vel quo ad illam promoueri possumus, qualis est cogitatio illa sancta & pia quæ ascendit ad ordinẽ supra naturam, & quæ sollicitudinem nostrã atq; industriam similiter superat, & quæ datur ex intentione finis supernaturalis. Huius cogitationis sanctæ meminit Paulus Sanctissimus dicens. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et quamuis gratia Dei dici possit donũ quoduis liberaliter nobis collatum à Deo: etiãsi pertinere possit ad gratiam creationis, nihilominus tamẽ nũc loquimur de dono gratię Christi, quod est auxiliũ, quo homo ita dirigitur ad benè agendum, vt promoueatur, tum ad vincẽdas tentationes, tũ etiam ad finem supernaturalem & ad iustificationẽ. Vnde cùm agimus de prædefinitione, & prædestinatione gratiæ Dei, non agimus de sola prouidẽtia, qua Deus homines decreuit creare, & cõdere, sed qua per Christũ ipsos ad finẽ supernaturalẽ, ac iustificationẽ, vitamq; purã deducere destinauit. Et quoniã hoc ita est, dicemus infra, nullũ opus bonũ ex innatis viribus ortũ fuisse Deo rationẽ aut causam sine qua nõ vel occasionẽ dandi aut præ destinãdi nobis gratiã Christi: Quia quodlibet etiam minimũ opus vnde homo incipit iustificationis viã ingredi est ex gratia Christi, & ex auxilio eius. In hoc genere includitur cogitatio pia & sancta quæ primò hominẽ tangit cũ cogitatione boni mouetur, quæ ita proponit obiectũ, vt re ipsa sicut Deus nouit, voluntas ipsum prosequatur, & amet. Hæc autem gratia cogitationis huius non tãtùm est donum cuiusdã protectionis externæ, sed etiam simul est donũ internæ inspirationis, & cogitationis prædictæ. Imò verò omnis series externæ protectionis ad hoc dirigitur & ordinatur, vt interius homo sancta inspiratione & cogitatione moueatur.

Quia quodlibet op⁹ bonum vnde iustificationis gratia incipit est ex gratia Christi.

HOC videtur esse quod D. Prosper insinuauit ad capitula Gallorũ c. 9. cũ ait. *Dicamus gratiam Dei per Iesum Christum Dominũ non solũ ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam iustitiam nos per actus singulos adiuuare, ita vt sine illa nihil veræ, sanctæq; pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus. Neq; hæc dona ita ex Deo esse opinemur, vt quia ipse nostræ naturæ auctor est per conditionẽ iã hæc contulisse videatur, quia dedit quidẽ ab initio hanc hominifacultatẽ, sed omnes eã in illo amisimus, in quo omnes peccauimus. Vnde alia creatione, alioq; principio renouari egemus in Christo.* Ecce D. Prosper loquitur de gratia Christi quæ est auxiliũ eius, quo homo alia creatione, & alio principio per Christũ inspiratur & dirigitur, &c. Et hanc gratiã dicit fuisse decretã à ducentis quatuordecim Sacerdotibus cõtra inimicos gratiæ Dei, vt patet ex concilijs Africanis. Hanc etiã gratiã per Christũ sanctę & pię cogitationis, & auxiliorũ eius, qua homo ex ipso Christo ad iustificationẽ contẽdit, & qua impedimẽta & tẽtationes superãtur, & homo puriorisvitę desiderio accẽditur commemorat D. August. epist. 90. & 95. Similiter etiam D. Fulgentius li. de Incarnatione & gratia Christi c. 12. vbi de huiusmodi inspiratione & cogitatione sancta sermonẽ instituit. Hoc etiã ex Cõcilio Tridẽt. cõstare potest Sessio. 6. c. 16. vbi definitur gratiã Dei semper præuenire, comitari, & subsequi bona opera iustorũ. Verumtamen perpendere oportet hanc cogitationẽ sanctã posse esse ante fidẽ, & notitiã supernaturalem Dei, & post fidẽ etiam: nã quocunq; modo contingat circa promotionem nostrę salutis illa intelligitur auxiliũ gratiæ Christi, esseq; tale initium, quod dum præuenit cõsensum dicitur gratia operans.

D. Prosper

D. Augu. D. Fulgen.

SECVNDÒ aduerte, quòd nõnulli ex Scholasticis re vera cõueniunt cũ Massilienſibus & cũ Cassiano inter quos sine dubio sunt omnes illi, qui dispositionẽ aliquã & præparationẽ ad iustificationẽ docent esse ex nostro libero arbitrio, aut ex innatis eius virib⁹: Gabriel in 4. dist. 14. q. 1. ar. 2. prope finẽ, & in 2. dist. 27. q. 1. art. 2. conclusione 4. & ar. 3. dub. 4. & in tertio dist. 27. q. 1. ar. 3. dub. 2. propositione 2. Scotus in 4. dist. 14. q. 2. §. de secundo, Caietanus in opusculis tomo 1. tractat. 4. q. 1. Hi namq; dicũt posse hominẽ dolere de peccatis propter Deũ super omnia dilectum exproprijs viribus, & hãc esse dispositionẽ vltimã ad gratiam iustificantẽ habitualem, & esse meritũ de congruo ad illã. Addunt præterea contritionẽ hanc posterius natura informatã gratia habituali esse iam meritoriã de condigno Regni Cælorũ: Quãuis Scotus dicat nõ statim sed paulò post fieri iustificationẽ

Notãdum secundò, q̃ quidam ex Scholasticis cũ Massilienſibus conueniãt: Gabriel, Scot⁹, Caietanus.

illam,

illam, nimirū cōtinuata contritione illa per aliquod breue tēpus, Caietan⁹ verò & Gabriel in eodem prorsus momento temporis fieri dicūt: & sentiunt se ab errore purgari, eo quod non concedant vltimam hanc dispositionē ex innatis viribus esse meritū de cōdigno ad gratiā habitualē iustificantem, sicut affirmabat Pelagius.

Qui explicant illam maximam: Facienti q̄ in se est &c. de facienti ex viribus naturæ, cum Massilien. sibus conueniunt.

VNDE qui dicunt: Faciēti quod in se est ex viribus naturæ Deus non denegat gratiā: huic sententiæ velint nolint consentient: inter quos videtur esse nonnulli ex recentioribus: & Gabriel multa opera cōcedit, quæ si ex proprijs viribus fiant ab aliquo cōsequetur à Deo non solū auxilia gratiæ, quibus ad remissionem peccatorū paulatim disponatur, sed etiā ipsam gratiā habitualem, qua actu iustificetur, & iuxta hunc sensum intelligit prædictū axioma: Facienti quod in se est viribus naturæ Deus non denegat gratiam. Imò verò addit infidelē tunc facere quod in se est ex viribus naturæ, vt iustificetur statim gratia Dei, cum suū arbitrium ratione naturali cōformat, & petit ex corde illuminari ad cognoscendam veritatem, & iustitiā: fidelem autem dicit facere quod in se est, si secūdum regulam fidei detestatur peccatum, proponens in omnibus Deo obedire propter ipsum: quæ omnia affirmat Gabriel hominē præstare posse viribus naturæ sine aliquo auxilio gratiæ interioris.

SVNT etiam hodierna die nouiores Theologi, qui sentiunt ex operibus bonis ex naturæ viribus innatis obtinere, illisque tribui ea auxilia gratiæ quibus faciant ea quę oportent ad salutem, & iustificationem, eaque auxilia gratiæ adeò infallibiliter illis donari vt ex lege, & pacto teneatur id Deus facere: de quorum opinione, & intellectu eius infrà dicemus.

Driedo. Ruardus Tapper.

DRIEDO tamen, & Ruardus Tapper solū dixerunt benè vtenti naturæ viribus exercitio aliquorū bonorū operum moraliū, Deū liberalitate, & misericordia sua præsto esse vt auxilia cōferat gratiæ suę, quibus paulatim disponatur ad iustificationē, & remissionem peccatorum.

P. Vazquez censet prædictam sententiam Semipelagianorū partes agere.

DE his omnibus censent, & existimāt Theologi huius ætatis, inter quos vnus eorum censor est Gabriel Vazquez Bellomontanus. 1. p. disp. 91. qui asseuerat, & censet prefatam sententiam superius relatam cū suis Auctoribus facere cum Semipelagianis, & pari modo quotquot illā propositionem commemoratam probabilem putant: nimirum, Facienti quod in se est ex viribus naturę Deus non denegat gratiā.

HOS ergo omnes, imò & plures alios, quos prædictus Gabriel Vazquez commemorat, & citat, dicit facere cū Massilienfibus, eo quod manifestè concedant initium aliquod ex nostro libero arbitrio, cui gratia subiungatur. Sic enim nos incipiemus & Deus expectabit, si non semper, saltem aliquando, voluntatem nostram, & experietur arbitrium bonumque vsum illius, vt gratia sua auxilia nobis conferat. Et subiungit prædictus auctor q̄ si in tēpore ita fit secundū horū Doctorū sentētiā quos retulimus, vt Massilienses affirmabant, ex hoc efficitur hoc similiter initiū debere concedi in æterna Dei prædestinatione: Quia eadem ratio militat donationis gratiæ in tempore, & electionis seu prædestinationis æternæ: vt si gratia datur ex aliqua occasione, aut dispositione, aut initio nostro, nimirū ex viribus innatis ex eadē etiā in præsciētia præparetur. Quocirca Gabriel, qui prius dixerat prædestinationis dari causam meritoriam de cōdigno, quia credidit eam solùm versari circa beatitudinem, locis citatis dixit, & subiunxit, quòd si prædestinatio versaretur etiam circa gratiam, dandam quoque esse causam ex parte nostra, nimirum dispositionem remotam ex libero arbitrio, & meritum congrui dumtaxat: quam sententiam putat probabiliorem Ricardus in primo, distinction. 41. articulo secundo, quæstion. 2. & sanè non minus solicitos nos oportet esse de prædestinatione quàm de gratia, ne vllam causam vtriusque cōcedamus: Nam qui concedunt causam aliquam, occasionem, vel dispositionem donationis gratiæ quæ in tempore fit, pari modo debent eam concedere prædestinationis vt comprehēdit ea quæ sunt dona gratiæ: Nam cum quæritur an prædestinationis detur causa, de prædestinatione gratiæ fit sermo.

Quòd non emendetur prædicta sententia per hoc quod dicunt quidā.

IMÒ verò sententia prædictorum Theologorum, non emendatur, aut temperatur omninò, licèt dicerent: Facienti quod in se est ex proprijs viribus ita gratiam Dei cōferri, vt nulla lege aut promissione ad donandum sit Deus astrictus, vt malè nouiores Theologi huius ætatis concesserunt: Nam neque in hoc Massilienses errarunt, quòd dicerent, Deum gratiam hanc non posse negare facienti quod in se est: neque etiam si ratione promissionis ad donandam obligatus esset, gratia non esset gratia: sed solùm si daretur gratia propter aliquod initium ex nobis,

VNDE Scholastici Theologi qui concedunt propositionē hanc: Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, volunt nullum initium vel occasionem bonorum operū moraliū ex innatis viribus esse dispositionem ad gratiā: Quia hoc videtur illis esse Pelagianū eo quod iā esset ex nobis aliquod opus supernaturale: quia dispositio ad aliquam formam eiusdem ordinis est cum ipsa forma: gratia verò est ordinis supernaturalis: ergò dispositio ad illam eiusdem ordinis esset. Sanè dicemus opera procedentia ex innatis viribus talia quidem esse vt non ob id possimus dicere præcedere ex nobis meritum vllum, etiam impetratorium aut congruū vllámve dispositionem, sed neque vllum initiū minimum seu occasionem ob quam gratia donetur: Et hanc esse sanam doctrinam manifestè ostendimus nos. 1. 2. quæst. 109. arti. 6. disputa. 1. & q. 112. artic. 3. disput. 1. & 2. vsque ad quintam. Quare Sancti Patres semper damnauerunt doctrinam quæ dicit gratiam dari ob aliquid liberi arbitrij nostri.

Prima Conclusio.

Conclu. 1.

His ita suppositis dico primò. Quãuis liberũ arbitrium hominis liberè vtatur libertate sua, in dispositione contritionis ad gratiã, & in actibus quos liberè, & meritoriè exercet ex Dei auxilio & gratia in discursu vitæ vsq; in finẽ, nihilominus negari non potest quin idem liberũ arbitrium pendeat à gratia Dei cui subordinatur, & subijcitur. Nã si liberum arbitriũ creatũ subijcitur gratię Dei ad huiusmodi opera, & subijcitur Auctori eiusdẽ gratiæ, verisimè dicitur quòd liberũ arbitrium in prædictis operibus, pendet à gratia sicut illi subijcitur, & pendet à Deo, & ab auxilijs eiusdẽ gratiæ suæ: ac proinde quòd Deus sua infinita & suauissima virtute atq; potestate gubernat, & regit liberũ arbitriũ hominis in cuius potestate est, & cuius dominiũ habet, etiã vt liberum est. Quæ sanè sentẽtia apertè est D. Augustin. pleriſq; locis superius citatis, & eam supponit semper vt verã in discursu suorũ operum præcipuè agens de diuina prædestinatione, & etiã Epist. 89. ad Hilarium. Hanc eandẽ sententiã tenentur tueri omnes illi qui censent prædestinationem gratiæ nõ esse in nostra potestate. Hi enim dicunt nõ minus certũ esse prædestinationẽ gratiæ, & ipsam primam gratiã, quod idem est, nõ esse in nostra potestate, quã prædestinationes, & ipsius gratiæ nullã causam, aut occasionẽ ex nobis præcedere: Nã certè eius quod verè est in nostra potestate nos sumus causa, vt dixit D. Augustin. lib. 1. Retractationũ cap. 22. affirmans hoc esse in nostra potestate quod cũ volumus facimus: atque eius quod facimus quando volumus, nos sumus causa: ergò etiã eius quod est in nostra potestate nos sumus causa: ac proinde si prædestinatio & effectus eius est in nostra potestate, sequitur nostræ prædestinationis, & totius effectus illi⁹ nos esse causam: quod dici nullo modo potest.

D. Augustin.

Tueri tenẽtur nostram conclusionẽ omnes qui censent prædestinationem gratiæ non esse in nostra potestate.

Doctrina huius assertionis videtur mihi esse D. Augustin. lib. de correptione, & gratia ca. 14. cùm ait: *Deus de hominum volũtatibus quod vult, cũ vult facit, habet enim humanorũ cordiũ sine dubio quo placet inclinandorũ omnipotentissimã potestatẽ. Deniq; magis habet in potestate sua volũtates hominum quã ipsi suas.* Et in eodẽ cap. paulò ante: *Incrementũ dat Deus cui volenti saluũ facere nullũ hominum resistit arbitriũ: Sic enim velle vel nolle in volentis est potestate, vt diuinã voluntatem nõ impediat, nec superet potestatẽ.* & libr. 2. contra duas Epist. Pelagianorũ cap. 8. *Inuito & reluctãti homini Deus inspirat boni cupiditatẽ, vt iam non sit reluctans, nõ sit inuitus, sed cõsentiens bono, & volens bonũ.* Est ergò verissima sententia liberũ arbitrium ita subordinari gratiæ Dei, vt pẽdeat ab ea per prius, ita vt quo magis subijcitur illi, eò liberior sit homo, & liberius consentiat bono, & velit ipsum: cũ dicat D. Augustin⁹: Magis habet in potestate sua volũtates hominũ quam ipsi suas: & loquitur Augustinus de volũtatibus hominum, vt liberæ sunt, quia in hoc sita erat difficultas.

Sane prima vocatio, & gratia operans, quam sine nobis, hoc est sine nostro consensu Deus in nobis operatur, hæc non est in nostra potestate, cùm ex nobis ipsis non detur causa eius, neque situm sit in nostra potestate vt in nobis incipiat effectus prædestinationis, qui incepit à prima vocatione: ac proinde nõ erit in nostra potestate, vt simus prædestinati: Nã quamuis in nostra potestate sit vsus liberi arbitrij, & cõsensus illius in liberis operibus à Deo præde stinatis, tamẽ ipse primus effectus prædestinationis qui est prima vocatio, hæc nõ est in nostra potestate: semper ergo subijcitur liberũ arbitrium gratiæ Dei, & etiã gratiæ Dei prædestinantis, atq; ita totus effectus gratiæ prædestinationis ad primũ vsq; ad vltimum, totus inquã non dicitur esse in nostra potestate ita vt nõ potius dicatur pendere liberum arbitrium à gratia quàm è conuerso gratia à libero arbitrio: ipse etiam bonus vsus gratiæ, cum homo benè illa vtitur, est ex gratia Dei, vt Cælestinus Papa determinat.

Prima vocatio nõ est in nostra potestate.

Hæc omnia sunt cõtra eos auctores qui putant, ex nobis dari conditionem aliquam, sine qua non esset prædestinatio nostra, quod quidẽ nonnulli recentes Theologi affirmarunt, vt dicerent prædestinationem nostram omninò esse in nostra potestate. Imò verò dicũt esse in nobis conditionem sine qua illa gratia quæ nobis datur non esset effectus prædestinationis, & cõsequenter dicunt in nostra potestate esse, vt illa vocatio ad prædestinationem pertineat, non tamen vt illa nobis tribuatur aut prædestinetur: & pari modo consequenter cõcedunt in nostra esse potestate vocationem aliquam, nõ esse effectum communis prouidentiæ sed ad prædestinationem pertinere: quia in nostra est potestate illam esse congruam vocationem, & efficacem, quo pacto ad prædestinationem pertinet; si verò congrua vel efficax non esset solùm ad communem prouidẽtiam pertineret. Atque ita colligebãt in nostra potestate esse, vocationem illam esse effectũ prædestinationis, quãuis in electione nostra nõ esset vt illa nobis donetur. Tandẽ ad hæc addunt noui isti Theologi, potuisse Deũ ad vsum liberi arbitrij quẽ futurũ esse præsciuit, & ad alias circũstantias prædesti nati respicere, idque decens fuisse, vt talivel tali modo cõstituere thomini opitulari: imò verò sen tiunt hoc pacto cõciliari posse Patres antiquos Græcos cũ Latinis, & cũ D. Aug. vt cũ Græci di cunt nos prædestinari ex bono vsu liberi arbitrij, intelligant solũ ex nobis esse conditionem, & rationẽ propter quã vocatio gratię ad prędestinationẽ pertineat: cũ verò Augus. & alij negãt prædestinationẽ fuisse ex bono vsu liberi ar bitrij pręuiso, intelligant nullũ ex nobis fuisse initiũ vt gratia nobis donaretur, & prędestinare tur, nimirũ vocatio illa quę futura erat efficax.

Quòd hæc omnia sint contra auctores supra citatos.

Sed profectò non est sentiendum decens aut consentaneum fuisse, vt Deus donaret gratiam primam, aut eam prædestinaret respiciendo ad vsum liberi arbitrij. Nam velloquimur

Conueniens & verũ nõ esse Deum tribuere primam gratiam respi-

de

ciendo ad vsum liberi arbitrij probatur.

de vsu liberi arbitrij procedente ab ipsa gratia, & hic esse non potuit causa, conditio, vel ratio aliqua decentiæ propter quam Deus illam gratiã donaret, vt communiter Theologi ostendũt disputatione de diuina prædestinatione: ergò dici non potest Deum respectu vel intuitu illius prædestinasse gratiam: quod sanè idem est ac si dicamus non respexisse ad illum vsum, vt gratiam prædestinaret. Vel loquimur de vsu liberi arbitrij nudi, & nullus talis vsus potuit esse ratio decentiæ, vt Deus primã gratiam tribueret, & prędestinaret, aliàs iam initiũ aliquod esset ex nobis; qui est Massilienſium error. Sed de hac re non vacat modò locus amplius disputandi: solũ volo recensere D. Augustinum qui cum antea libro contra Adimantum dixisset in nostra esse potestate voluntatem in melius mutare; postea lib. 1. retractationum cap. 22. illud sic interpretatur dicens. *Hoc non est contra gratiam Dei, quam prædicamus: in potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est nisi à Deo detur, de quo dicitur: Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* idẽ docet lib. 2. retractationum cap. 1. & de bono perseuerantiæ cap. 8. vbi aperte docuit hanc potestatẽ nobis communicari ipsa sancta cogitatione, quæ est gratia operans, & præueniens. Inquit ergò Augustinus. *Non itaq; in hominũ sed in Dei est potestate, vt habeant homines potestatem filios Dei fieri.* Et statim reddit rationẽ huius dicens: *Ab ipso quippe eã accipiunt, qui dat cordi humano cogitationes pias.* Igitur apertè est sentiendũ liberum arbitriũ subijci gratiæ Dei, & in his operibus liberis, & supernaturalibus semper ab illa pendere. Quare D. Hieronymus illud Hieremiæ. 10. *Scio Domine quòd nõ est in manu hominis via eius*: interpretatur & explicat cõtra Pelagium de quouis iusto, in cuius manu nõ est gressus suos dirigere, nõ quia non possit gratia Dei excitatus, & promotus, rectè ambulare, & ei ad hunc effectum ex gratia cõsensum præbere: sed quoniã nõ est in potestate sua tali gratia vocari, qua gressus suos rectè dirigat. Omitto modò huius loci Hieremiæ alterũ etiam esse sensum: cæterũ in præsenti quem adducit Hieronymus nobis sauet. Quod verò noui Theologi contendunt modo superius tacto cõciliare Græcos Patres cũ Latinis, & cum D. Augustino ita vt sibi non aduersentur inanis labor esse videtur, vt præcipuè cõstabit ex inferius dicendis: & præcipuè quoniã D. Augustinus semper sensit suam doctrinam atq; sententiam contrariam esse cum Græcis.

D. Augustinus.

D. Hieronymus. Hierem. 10.

D. Augustinus

Divvs Augustinus Epist. 89. ad Hilarium non longè à principio, respondens quibusdam interrogationibus eius, præcipuè de his qui valdè fauent libero arbitrio cõtra gratiam Dei, sic ait. *Desinant ergo sic insanire, & ad hoc se intelligant habere quantum possunt liberum arbitriũ: non vt superba voluntate respuant adiutorium, sed vt via voluntate innocent Dominum. Hæc enim voluntas libera tanto erit liberior quanto sanior: tanto autem sanior quãto diuinæ misericordiæ gratiæque subiectior. Ipsa quippe fideliter orat, & dicit itinera mea dirige secundùm verbum tuum, &c.* & paulò inferius. *Non enim ait, itinera mea dirigo secundùm meũ arbitriũ liberũ: sed itinera mea, inquit, dirige secundùm verbum tuum, ne dominetur mihi iniquitas*: & subiungit Augustinus. quòd in prædictis verbis Dauid cum dicit ad Dominum itinera mea dirige secundùm verbum tuum, Psalmo 118. optat plenissimam libertatem, non iactat propriam potestatem. Et iterum inferius illud Sapientiæ. 8. *Quia nemo potest esse continens nisi Deus det. Iubet ergo Deus continentiam, & dat continentiam. Iubet per legem, dat per gratiam. Iubet per literam dat per Spiritum.* & inferius. *Vnde etiã qui iam continens est, non habet vtique continentiã nisi adsit voluntas, sed nisi accepisset, quid haberet voluntas? Quid enim habes, inquit, quod non accepisti, si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis?* Sed contra hanc sanam doctrinam, si quæ nouiores Theologi dicũt vera essent, posset homo dicere Deo, habeo efficaciam, quam tu non mihi dedisti: quia ego ex mea cooperatione feci, quòd gratia illa efficax esset in me, & feci vt ex arbitrio meo penderet, vt vocatio aliqua esset in me efficax, & vt effectum haberet in me: quando ipsa vocatio efficax non esset vt venit à Deo. Quod velint nolint, virtualiter cõcedunt noui isti Theologi supposita doctrina ipsorum: quod nõ est dicendũ. De qua re alibi multa diximus. Nunc hæc sufficiant vt ostendamus hanc dependentiã liberi arbitrij à gratia Dei, ipsumq; liberius agere dum magis ipsi subijcitur.

Psalm. 118
Sapiẽtiæ 8.

Secunda Conclusio.

Concluſ. 2. contra Maſſilienſes.

Dico secũdò Massilienses, & plures alios cũ eis errauisse: dicentes aliquam occasionẽ seu impetrationem ex nobis esse ponendã, vt aliquo modo electio ad gratiã, & donatio illius ex arbitrio nostro penderet, ita vt daretur intuitu operũ nostrorũ: aliquod initium ex nobis esse docẽtes, vt optimè gratia ipsa ex nostra libertate pẽderet, nulla vi libero nostro arbitrio illata. Rursus etiã: Dico sentiendũ non esse Deũ expectare arbitrium nostrũ, vt ipse influat per gratiã & auxilia gratiæ suæ, vt per hoc pẽdeat gratia ab ipso libero arbitrio. Et multò minus sentire debemus Deũ expectare ex lege posita voluntatẽ & conatũ liberi arbitrij ex viribus eius innatis vt Deus donet gratiã, & ea auxilia quibus iustificationem consequatur. Est enim sententia vera, & sana nullã causam, nullúmve initium seu occasionem ex parte hominis, aut prędestinati excogitari posse, propter quam Deus aut in tempore gratiam suam ipsi contulerit, aut in præscientia dare decreuerit, aut expectare voluntatem hominis operantis ex innatis viribus præcisè.

Quòd doctrina propoſita intelligenda ſit nõ ſolum de operibus quæ ali-

Sane doctrina traddita nõ solùm debet intelligi de illis operibus quæ circa Deum aliquo modo versantur, qualia sunt religionis, vel de desiderio salutis, si præcisè ex solis innatis viribus naturæ liberi arbitrij fiant, verum etiã intelligenda est de quolibet opere moralis virtutis, quòd in ipsum solũ bonum honestum

quo modo sunt circa Deum, sed etiã de quocunq; opere bono moraliter.

referatur, vt nullo modo aliquod huiusmodi opus possit esse initiũ, ratio, aut occasio donationis gratiæ, aut prædestinationis gratiæ. Vnde nõ tantũ repellimus initium quod sit meritũ aliquod de condigno vel de congruo, sed etiã repellimus meritũ impetratorium, aut dispositionẽ vel quãlibet causam, & occasionem propter quã Deus huic homini ex lege expectando voluntatẽ suam, illi magis quã alteri gratiam donauerit, aut donare, & tribuere prædefinierit, sed potius tota ratio præparandi huic homini magis quàm alteri gratiam est liberalitas diuina, & beneplacitũ diuinæ volũtatis: nihil autẽ vel minimũ ex parte hominis aut ex parte prædestinati, & virium liberi arbitrij nudè considerati.

D. Thomas

Hæc est doctrina D. Thom. 1.2.q.109.artic.6. & q.112.arti.3. quibus locis apertè docet hominẽ ex viribus proprijs non posse aliquo modo se ad gratiã disponere, & q.112.ar.2. & 3. quibus in locis non tantũ docet nullam præparationẽ ad gratiã esse posse in homine ex proprijs viribus, quæ auxiliũ Dei præueniat: verũ etiam propositionẽ illam: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiã*: intelligit de eo, qui facit quod in se est ex auxilio diuinæ gratiæ, non ex innatis seu proprijs viribus. Nunquã ergò debet concedi initium aut exordiũ aliquod ex nostro libero arbitrio, cui gratia subiungatur: Sic enim nos incipiemus, & Deus expectabit voluntatẽ nostrã bonum q; vsum illius, vt gratiæ suæ auxilia nobis tribuat. Et Concilij Arausicanum secundũ damnat propositionem illã. *Labori aut obedientiæ humanæ subiungitur gratia*. & vult Concilij non posse quenquam sentire hãc propositionem: Sine gratia Dei laborãtibus, & vigilantibus gratiam ipsam conferri.

Concilium Arausic.

D. Augus.

Divvs August. lib. 2. de peccatorũ meritis & remissione ca. 17. interrogans: *Cur homines sine peccato nõ sint?* Respõdet. *Possem facillime hac veracissima respondere, quia homines nolunt. Sed si ex me quæritur quare nolint, imus in longũ. Verumtamen etiã hoc sine præiudicio diligentioris inquisitionis, breuiter dicã. Nolunt homines facere quod iustũ est siuè quia latet aniustum sit, siue quia nõ delectat: vt autẽ innotescat, quod latebat, & suaue fiat quod nõ delectabat, gratiæ Dei est.* Vnde lib. de bono perseuerãtiæ cap. 19. & plerisque alijs in locis adducit elogiũ illud D. Cypria. *In nullo gloriandũ quando nostrũ nihil est*: & illud etiã. *Non est in potestate nostra cor nostrũ & nostræ cogitationes.* & lib. 2. cõtra duas Epist. Pelagianorũ cap. 8. contra Semipelagianos, qui initiũ aliquod ex nobis esse dicebant: sic ait Augu. *Verũ audiant & Apostolũ, Dominus enim cũ ait sine me nihil potestis facere, hoc vno verbo initiũ, finem q; cõprehendit: Apostolus verò tanquã sententiæ Dominicæ expositor apertius vtrunq; distinguit, dicens: Quoniã qui in nobis bonũ opus cœpit, perficiet vsq; in diẽ Christi Iesu: sed in Scripturis sanctis apud eundẽ Apostolũ, isto, vnde loquimur amplius inuenimus. Loquimur ergò nunc de boni cupiditate quã si volũtario vis incipere, à Domino perfici; Videant quid respondeant Apostolo dicenti. Nõ quia idonei sumus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis.* & libr. 1. ad Simplicianũ. q. 2. prope finẽ volens ostendere quo pacto bona nostra opera à Deo eligãtur ne quidquã gratiæ derogetur ait Augustꝰ. *Restat vt volũtates eligantur à Deo, sed volũtas ipsa nisi aliquid occurrerit quod delectet, atq; inuitet animã mouere nullo modo potest: hoc autẽ, vt occurrat nullo modo est in hominis potestate: est enim sancta cogitatio, quæ omnem consensum nostrũ præcedit.* Vnde D. August. cũ initium, & exordiũ gratiæ Dei cõtra Pelagiũ in sanctam cogitationẽ reuocaret, quæ in nostra nõ esset potestate, neq; ex nobis occasionẽ, aut meritũ etiam impetratoriũ respiceret seu causam impetratoriã: vt ita Deus sola sua liberali voluntate distribueret dona gratiæ singulis. Cassianus, & Massilienses cũ plerisq; alijs per Galliã, & Africã non ferentes August. sententiã prædicare cœperunt ex nobis esse initiũ aliquod nõ tamẽ dignũ, propter q̃ Deus dona gratiæ suæ, & pias cogitationes quæ ad gratiã pertinent donaret, & distribueret. Qui quãuis variè senserint quantũ ad initium gratiæ ex nobis assignandũ, nihilominus in hoc vnum cõsentiebant, vt ex nobis initium aliquod esset donationis, & prædestinationis gratiæ Dei. Hanc August. sententiã contra Massilienses, & Cassianum, & cõtra quosdã ex Græcis, propugnatores D. August. verã esse dixerunt: contrariam verò Cassiani damnabãt erroris. Sic D. Prosper in libris contra Collatorem: & Gelasius Papa in Concilio Rom. 76. Episcoporũ libros Cassiani eò quod multa perperam doceant, repellit.

D. Prosper Gelasius Papa.

Divvs August. vt propositã veritatem cõfirmet Epist. 106. ad Paulinũ de Pelagio Britone, contra ipsum agens, nõ longè à fine adducit illud Pauli: *Non volentis neq; currentis sed miserẽtis est Dei*: & illud Prophetæ. *Nisi Dominus ædificauerit domũ in vanum laborauerunt ædificantes eam.* Et subiungit: *Quòd si Dominus non ædificet in vanũ ædificans laborasse dicatur; Neq; scriptũ habetur: Est quidẽ volentis atq; currentis, facilius autẽ miserentis Dei: sed scriptũ est: Non volentis neq; currentis sed miserentis est Dei: nõ quia in illa est hominis, atq; voluntatis cõcursus: sed quia nihil potest nisi ille misereatur.* Quòd si operibꝰ liberi arbitrij & inuocationi humanæ, & labori humano tribueretur gratia, eorũ occasione aut aliquo intuitu, verũ esset quòd volentis & currẽtis esset gratiã Dei habere: quod est contra Paulũ dicẽtẽ: Non est volentis neq; currentis. Et iterũ idẽ August. paulò inferius in eadem Epistola ait: *Voluntas vt ad vera credenda moueatur non sibi sufficit nisi per gratiam Dei opituletur, dicẽte ipso Domino cùm de nõ credẽtibus loqueretur: Nemo venit ad me nisi ei datũ fuerit à Patre meo.* igitur nõ itur ad Christũ neq; ad eius gratiã per opera illa aut desideria ex viribus innatis facta tanquã per rationẽ cui gratia donetur. & Epist. 107. ad Vitalẽ de cuius fide recta dubitabatur dicit August. *Quòd Scriptura nõ ait: à Domino gressus hominis diriguntur quia viã eius voluit; sed dirigũtur inquit scriptura & volet. Nõ igitur quia voluit diriguntur sed quia diriguntur volet, Deus est enim qui operatur*

Conficitur argumentū ex hoc D. Augu. testimonio.

tur in nobis & velle: In quibus verbis vera Dei gratia commendatur, quæ non secundùm merita nostra datur, sed dat merita ipsa cum datur: quia præuenit hominis voluntatē bonam, neque eam cuiusquam inuenit in corde, sed facit. Si ergo ita præpararet, atque operaretur Deus hominis voluntatem, vt tantummodo legem suā, atq; doctrinam libero eius adhiberet arbitrio; nec vocatione illa alta atq; secreta sic eius ageret sensum, vt eidem legi, atq; doctrinæ acōmodaret assensum: proculdubio eam legere vel intelligere legendo, vel etiam exponere ac prædicare sufficeret: neq; opus esset orare, vt Deus ad fidem suam infidelium corda conuerteret. Si nimirum ex viribus suis innatis, hominibus id orantibus gratiam tribueret, & ad fidem suam infidelium corda cōuerteret vel eis gratiā quasi ex lege, & pactodebitam, vt se possent conuertere tribueret. Et iterum idem August. ait. *Si verè volumus defendere liberum arbitrium: non oppugnemus vnde sit liberum. Nam qui oppugnat gratiam qua nostrum ad declinandum à malo, & faciendum bonum liberatur arbitrium: ipse arbitrium suum adhuc vult esse captiuum.* Quod dixit August. quia antea dixerat Dei gratiam esse vnde fit liberum nostrū arbitriū, & non vnde ląditur.

RVRSVS in eadem Epistola ad Vitalem idē August. non longè à fine, vt se defendat à calū nia, quam illi obijciebant, de negatione liberi arbitrij inquit: *Quomodo dicuntur negare liberū voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominē quisquis suo corde credit in Deum, non nisi sua libera credere voluntate: cum potius illi oppugnent Dei gratiam, qua vere ad bona eligenda, & agenda fit liberum? Quomodo dicitur quòd per legem Dei, atque doctrinam Scripturarum fiat quod eadem Scriptura dixit: Præparatur voluntas à Domino: ac non potius per occultam inspirationem gratiæ Dei? Quomodo Deus expectat voluntates hominum, vt præueniant eum quibus det gratiam, cùm gratias ei non immeritò agamus de his quibus non ei credentibus, vt eius doctrinam voluntate impia persequentibus, misericordiam prærogauit: eos q; ad se ipsum omnipotentissima facilitate conuertit, ac volentes ex nolentibus fecit: vt quid ei inde gratias agimus, si hoc ipse non fecit?* En quomodo Deus non expectat voluntates hominum vt præueniant eum quibus det gratiam cū illi merito gratias agamus, quod nos præuenit nō expectādo nos, teste August.

D. Fulgentius.

DOCTRINAM assertionis nostræ: propter Diuum Augustinum, sequutus est Fulgentius lib. 1. ad Monimum à cap. 8. vsque ad decimum quartum, & lib. de incarnat. & gratia Christi cap. 16. & de inceps, & in primo capite approbatur sententia proposita: Nam cum Fulgentius contenderit probare exordium nostræ salutis, & gratiæ non esse neque habere initium ex nobis; pariter vult vt sine vllo ex nobis exordio aut occasione prædefinita aut prędestinata fuerit. Hæc enim verba profert: *Quique non aliter perfecit in opere, quàm in sua sempiterna, atque incommunicabili habet voluntate dispositum.* Et de omnibus effectibus gratiæ quos ipse recensuit à primo initio bonæ voluntatis vsque in finem bonæ beatitudinis idipsum docuit ipse Fulgētius eodē libro primo ad Monimum cap. 8. eos omnes effectus nimirum gratiæ, sicut in præscientia prædestinat, sic per gratiam in tempore facere.

Cælestinus Papa.

VERITAS etiam nostræ assertionis definita fuit à Cælestino Papa Epistola prima ad Episcopos Galliæ: vnde canon. 7. contra Massilienses decernit, quòd nemo nisi per gratiam libero benè vtatur arbitrio. Idem Innocentius, Primus in Epistola ad Mileuitanum Conciliū prædicat: & habetur 1. tomo Conciliorū inter Epistol. Innocentij, & can. 8. ait, quòd omnia studia, & omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriā laudemq; referenda sunt, quia nemo ei placet nisi ex eo quod ei donauerit. & can. 9. dicit: *Deus in cordibus hominū, & in libero ipso arbitrio ita operatur, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit.* Quocirca Petrus Diaconus lib. de incarnation. cap. 8. postquam legit, & retulit doctrinam Cælestini, & Innocentij, loquutus est contra Faustū: *Anathematizamus* (dicens) *libros Fausti Galliarum Episcopi, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non dubium est: in quibus non solùm contra horum patrum, verum etiam contra ipsius Apostoli contradictionem venens, humano labori subiungit gratiæ adiutorium.* Sentit igitur Petrus Diaconus Beatissimum Cælestinum Papā apertè damnauisse hanc Fausti sententiam, quę eadem erat cū Massilienſibus. Quòd si Cęlestinus non damnasset asserentes, labori humano subiungendam esse gratiā, vt cōtendebant Massilienses, libri Fausti contra Cælestim definitionem scripti non essent, nihil namq; aliud cōtinent, quàm Massilienſium illā doctrinam. Cū ergò Cælestiuns definiat gratiam donari nobis liberaliter in tępore, absque aliquo intuito boni alicuius operis ex nobis: pari ratione decernit ab æterno in Dei præscientia absq, respectu boni initij, quod sit ex nobis gratiā præparari. Vnde can. 3. Concilij Arausi. 2. damnantur qui dixerint oratione humana, hoc est ex proprijs viribus, gratiā iustificationis, id est auxilia gratiæ ad iustificationem obtineri. & can. 4. damnā tur qui aiebant Deum expectare voluntatē nostram, qua velimus purgari. & can. 5. discernitur initium fidei quod est voluntas credendi, sicut etiā augmentum esse donū Dei: & expressissimè veritas nostræ assertionis definitur can. 6. contra Cassianum sub hac forma. *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus, nobis misericordiā dicit conferri, non autem diuinitus, vt credamus velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus per infusionem, & inspirationem Sancti Spiritus, in nobis fieri consitetur: aut humilitati vel obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium, nec vt obediens, & humillimus ipsius gratiæ donum esse consensit, resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod nō accepisti, &: Gratia Dei sum id quod sum.* Qui-

Petrus Diaconus.

Innocentius Primus.

Plura quæ damnātur à Concilio Arausicano: quod est pro nostra sentētia.

bus verbis manifestè damnatur modus loquēdi & opinio Cassiani docentis Deum expectare voluntatem nostram, & quòd orationi humanæ subiungitur gratia: & etiam damnatur Cassianus quia plane dixit, gratiam Dei dari, prius nobis quærentibus, pulsantibus, & vigilantibus: quem modum loquendi Augustinus repellit contra Massilienses lib. de bono perseverantiæ capit. 23.

Damnatur à D. Aug. quodcunq; etiam minimum iustificationis exordium esse à nobis.

QVOCIRCA D. Augustinus in lib. de prædestinatione Sanctorum retundit Massilienſiū argumenta, & Pelagianorum, ostenditque nullum esse ex nobis exordium gratiæ, negatque vlla esse opera aut moralis virtutis adquisitæ, aut religionis ex innatis viribus tantùm facta esse rationem, aut causam vel initium salutis, & gratiæ. Hoc euidenter affirmat libro. 4. contra Iulianum Pelagianum capit. 3. dicens: *Cum ergo diuinitùs adiuuatur homo, non tantùm ad capessendam perfectionem adiuuatur, quod ipse posuisti, vtique volens intelligi eum posse incipere sine gratia, quod perfecit gratia; sed potius quod Apostolus loquitur, vt qui in nobis opus bonum cœpit perficiat vsque in finem. In quo enim vis hominem sicut loqueris ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari: acsi priorem dare vt retribuatur illi, eoque modo gratia, iam nō sit gratia quia nō est gratuita.* Vides quo pacto D. Augustinus repellit & damnat initiū, & exordiū aliquod generosi animi cui gratia donetur: Nam certè si bonum opus morale ex naturæ viribus factum Dei gratiam nobis impetraret, & esset ratio, aut occasio vel causa impetrandi gratiam, sine dubio daretur aliquod exordium ex nobis gratiæ: quòd contendebat Iulianus Apostata, dicens opus moralis virtutis, vt pudicitiæ coniugalis, esse ex nobis initium adquirendæ gratiæ. Hæc est ratio propter quam Concilium secundum Arausicanum canon. 6. excludit omne exordium ex nobis dicens, *Eos qui obedientiæ humanæ gratiā subiungunt contradicere Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti?* Nā certè si quis obedientia, & labore humano sibi impetrat gratiam, rectè posset in aliquo sine Christo plurimum gloriari: atque eodem prorsus modo posset similiter gloriari qui operibus moralibus gratiam aliqua ratione adquireret. Idem ergo definit Concilium de his operibus ex innatis viribus factis, atque de quibuscunq; alijs. Damnat igitur Conciliū Semipelagianos, eo quòd affirment nos incipere, aut expectare nos Deū, nostrisq; operibus obtinere Dei gratiā: quod ferēdum non est, & tam absurdum est id intelligere de moralibus operibus, atq; de alijs ex innatis viribus factis, quoniam vtroque modo Patres Concilij colligerent gratiam non dari ex misericordia, & mera liberalitate sed potius retribui ex gratitudine.

Concilium Triden.

CONCILIVM Tridentinum antequam cōtra Lutherum ageret de gratia Dei, placuit illi præmittere erroris Pelagiani damnationem, sicut fecit Sess. 5. can. 1. & 2. Deinceps verò vt Pelagianorū reliquias propulsaret addidit ea quæ continentur can. 3. Hunc enim canonem præcipuè esse cōtra Semipelagianos, quàm contra Pelagium constat: quia Semipelagiani concedebant gratiam remissionis peccatorum, & auxilia necessaria ad eam nostris operibus à Deo impetrari, & adquiri: initium verò ex nobis inter alia dicebant esse fidem ex nobis, & dolorem atque pœnitentiam aliquam: quem errorem Semipelagianorum Arausicanum Concilium canon 25. damnat dicens. *Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus quod in omni opere bono nos non incipimus, & posteaper Dei misericordiam adiuuamur: sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem sui prius inspirat, vt & Baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post Baptismum cum ipsius adiutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus.* Per amorem intelligit Concilium aliquam dilectionem Dei, qua ipsum diligere incipimus vt fontem iustitiæ ante Baptismum, sicut dixit Tridentinum Session. 6. capi. 6. Loquitur namque Tridentinum Concilium, ibi de dispositione quæ præcedit baptismum, quæ non est semper actio charitatis Theologicæ. Vnde Tridentinum Concilium cum Arausicano vt excludant omne initium, & exordium ex nobis contra Pelagianorum reliquias id definiunt quod in prædictis canonibus continetur. Hanc esse apertam intelligentiam Concilij colligo ex eodem Tridentino illo canone tertio quintæ Sessionis: quo in loco postquā in primo, & secundo canone repulit Hęresim Pelagij damnatam in Concilio Africano, & Mileuitano ne prætermitteret Semipelagianos edidit tertium hunc canonem dicens: *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, Anathema sit.* Per particulam illam, sicut oportet, debemus intelligere, sicut oportet ad verè impetrandam gratiam: Nam Massilienses dicebant nos posse incipere aliquo ex illis modis damnatis à Concilio, vt oportet, ad primam gratiam obtinendam, & idcircò Arausicanum Concilium cum dixit particulam illam, sicut oportet, agere valeamus, statim subiungit. *Aut humiliati aut obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutoriū resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti? & Gratia Dei sum id quod sum.* Sic ergo explicanda est particula sicut oportet tradita in Arausicano Concilio. Per gratiam verò iustificationis intelligit Tridentinum Concilium in illo canone tertio, omne etiam auxilium gratiæ quo à principio mouemur ad iustitiam. Pelagius verò iam fuerat dānatus in primo, & secundo canone, quia credebat remissionem peccatorem propria virtute fieri: auxilium verò ad id solùm aliquando tribui, vt melius fieret: vnde negabat gratiam remissionis peccatorum nobis donari ex diuina misericordia, & liberalitate, & eam nos, bonis operibus nostris, ex nobis, à Deo

Cōcil. Arausican.

obti-

obtinere aiebant: ac proinde remissionem peccatorum propria virtute fieri.

Tertia Conclusio.

Conclu. 3. Non expectat Deus voluntates nostras.

DICO tertiò. Deus nõ dicitur expectare voluntates nostras ita vt ex viribus innatis, sine præuenięte Spiritus Sancti inspiratione, homo dum vult pœnitere, credere, aut diligere, id Deus expectet ex naturæ conatu ab ipso homine, vt ei iustificationis gratia tribuatur, seu ad impetrandam gratiam à Deo: ac proinde falsa est illa sententia, quæ dicit, quòd quotiescunq; liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur totum id quod ex se potest tam circa ea quæ fides habet addiscenda, & amplectenda quàm circa dolorem de peccatis, ac iustificationem; tribui gratiam à Deo, seu ea auxilia quibus id faciat, vt oportet ad salutem, tribuique etiam gratiam præuenientem ex lege Dei infallibili, quia id Christus obtinuit ob iua merita, inter leges quas Pater æternus, & Christus statuerunt de auxilijs, quarum vna fuit, vt quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis est, adessent nobis ex eadem lege gratiæ auxilia, quibus ea vt oportet efficeremus, vt hac ratione semper in manu liberi arbitrij nostri posita esset salus nostra.

Ostenditur Conclusio.

HAEC assertio sequitur ex superioribus, præcipuè ex doctrina tradita ex libris Augustini: est tamen à nobis explicanda. Prima autem eius pars affirmat Deum non expectare voluntates nostras, ita vt expectet ad impetrandam eius gratiam, & vt homini iustificationis gratia tribuatur, quòd antecedenter ad præuenientem Spiritus Sancti gratiam, auxilium, & inspirationem, homo ex suis viribus naturalibus præcisè conetur facere quod in se est aggrediendo vel opus morale quodcunque, vel opus aliquod ex his quæ pertinent ad iustificationem circa dolorem aliquem naturalem de peccatis, vel desiderium fidei, merè ex naturæ conatu: Nam certè si Deus respiciendo ad conatum viriũ naturaliũ tribueret gratiã seu ea auxilia quibus homo operaretur, vt oportet vt ei iustificationis gratia tribueretur: iã homo haberet quo se discerneret ab eo qui nõ habuit illum naturæ conatum, siue circa opera moralia, siue circa opera pia doloris seu pœnitentiæ de peccatis, aut aliorum operum, & ita haberet vnde gloriari posset ex viribus naturalibus: quod est contra Paulum, & contra Scripturam: Nam Scripturæ testimonijs ostendi potest nullum omnino ex libero arbitrio esse initium aut exordium propter quod Deus gratiam suam nobis tribuat: ergo dici non potest quòd Deus expectat nostrarum virium conatum, seu voluntates nostras. Locus celebris ad rem hanc ostendendam est, quem magnificat diuus Augustinus, qui habetur prima Corinthio. 4. ex diuo Paulo dicente. *O homo quis est qui te discernit? quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Illud ergo quod discernit hominem, cum operatur vt oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, & quo se discernat ab eo, qui nihil tale agit, debet esse acceptum, & receptum à Deo specialiter ex arce gratiæ suæ. Non enim loquitur Paulus de dono creationis, aut de naturalibus donis, sed de eo dono gratiæ, quo homo se discernit ab alio. Hunc locum eleganter explicat Diuus Augustinus lib. 1. de prædestinat. Sãctorum capit. 4. & 5. & ex eo ostendit vnum hominem ab alio sola Dei misericordia, & gratia discerni, & non ex aliquo naturæ conatu aut ex aliquo bono opere ex se ipso facto. Vnde perpendens Augustinꝰ verba Pauli: *Quis enim te discernit*, inquit August. quòd Paulus loquitur contra humanam superbiam, ne quisquã aut in se ipso, aut in homine glorietur, sed in Domino. Erat enim diuisio apud Corinthios, quòd vnus dicebat se esse Apollinis, alter verò Cephæ, ita vt vnusquisque in homine præceptore suo gloriaretur: & hanc volens reprimere superbiam docet, & suadet, ne vnus aduersus alterum insletur, neque glorietur in homine, aut in se ipso, sed in Domino. Quòd si aliquis ex se haberet fidem aut opus morale, quo gratiã à Deo consequeretur, se ipsum ab alio sine gratia Christi solo dono creationis discerneret, & in eo posset saltem sine Christo gloriari, quãuis non sine Deo, qui per creationem auctor est omnium. Si autem Deus expectat conatum virium naturalium circa prædicta opera, vt iustificationis gratiam infundat ex lege, iam sequitur apertè inconueniens illatum, ne ergo in absurdum hoc incidamus sentiendum est Deũ nõ expectare voluntates nostras ex naturæ conatibus agentes.

1. Cor. 4.

D. August.

Concilium Arausic.

ARAVSICANVM Concilium secundũ cap. 3. repellit eos, qui dicunt oratione humana, & inuocatione humana, hoc est ex proprijs, & innatis viribus, seu ex naturæ conatu, gratiam iustificationis, id est auxilia gratiæ ad iustificationẽ obtineri: & ca. 4. damnãtur omnes illi qui dicebant, Deũ expectare voluntatẽ nostram qua purgari velimus: ergò si quis ex naturæ conatu, & viribus innatis, absque præueniẽte Spiritus Sancti inspiratione, posset præcisè ex illis versari circa dolorẽ de peccatis, & circa ea quæ fides habet addiscẽda (vt supponũt Auctores oppositæ sentẽtiæ) vt iustificationis gratia tribuatur, seu ea auxilia, quibꝰ mouetur ad iustitiã, vt illis faciat ꝙ ad salutẽ oportet: sequitur ꝙ Deus expectat volũtates nostras agentes ex naturæ conatu, ad hoc vt ipse tribuat suã gratiã. Et est perpẽdendũ nos supra dixisse per gratiã iustificationis debere intelligi omne auxilium quo à principio ad iustitiam promouemur.

RVRSVS etiã vt explicemus quàm aliena sit sententia aduersariorum à veritate, audiamus quod in eodem Arausicano Concilio capite 6. habetur sub hac serie verborum. *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, stu-*

dentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus, nobis misericordiã dicit cõferri: nõ autẽ diuinitus vt credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem, & inspirationem Spiritus Sancti in nobis fieri confitetur: aut humilitati vel obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium, nec vt obediens, & humillimus ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti? &, gratia Dei sum id quod sum. En doctrina huius capitis apertè continet doctrinam assertionis nostræ: Nam in primis dicit, quòd si quis ex viribus naturæ seu ex conatu eius crederet, vellet, desideraret, laboraret, vigilaret, peteret, quæreret, & pulsaret, quòd nihilominus his operibus ex naturæ conatu factis sine Dei gratia nõ tribuitur gratię: imò addit quòd humilitati, & obedientiæ humanæ, id est ex naturæ viribus, & conatu, non subiungitur gratia: ac proinde qui his operibus moralibus, vel alijs quibusdam ex viribus naturæ factis, arbitrantur subiungi gratiam, nosque Dei gratiã impetrare arbitrantur ex illis, in hoc capite videntur cõtineri: & cõsequenter his operibus Dei gratiã impetrare arbitrantur. Quod præcipuè efficacius concluditur cõtra eos, si tribueretur gratia ex lege statuta: cùm tamen Cõcilium dicat oppositum, maximè dum ait, sicut oportet, qp est intelligẽdũ sicut oportet ad impetrandã gratiam. Massilienses verò cũ Cassiano aiebant, nos posse ex naturæ conatu incipere aliquo ex illis modis à Concilio Arausicano relatis vt oportet ad primam gratiã obtinendã: & idcircò Cõciliũ subiungit statim: *Aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium, resistit Apostolo*: quibus verbis repellit illum naturæ conatum ex quo sine gratia Dei, ita credebant fieri operationes illas, vt eis subiungeretur gratia, hoc enim non ita est: quia hæc opera ex innatis viribus facta non fiunt sicut oportet ad impetrandam gratiam.

Rvrsvs expende pariter etiam damnari in eodem Cõcilio eos qui dicunt nos minimè indigere infusione, & inspiratione Spiritus Sancti vt credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, nimirum ad impetrãdam gratiam. Ex quo colligo Deum non expectare volũtates nostras, ita vt quotiescunq; liberũ arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur totũ id quod ex se potest tã circa dolorẽ de peccatis, quã circa desiderium salutis, & Fidei, quã etiã circa opera moralia, sine Spiritus sancti præuenientegratia tribuat gratiã iustificationis, per quã intelligitur omne auxiliũ quo àprincipio ad iustitiã mouemur. Hũc esse verũ sensum illius decreti facti in Concilio Arausicano planè colligo ex Triden. Sess. 5. can. 3. quo in loco postquã in primo, & secũdo canone repulit, & damnauit Heresim Pelagij, iam etiã damnatam in Cõcilio Africano, & Mileuitano, ne prætermitteret Cassianum, & Semipelagianos, in hoc canone tertio, Tridentinũ Conciliũ sic decernit. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet*, (scilicèt ad impetrandã gratiã) *vt ei iustificationis gratia conferatur, Anathema sit*: Et per gratiã iustificationis intelligit, vt diximus, etiã omne auxiliũ gratiæ quo à principio ad iustitiam mouemur. Nõ ergò potest vera esse sententia aduersariorum, quæ docet quòd si homo ex suis viribus naturalibus, & innatis aggrediatur aliquod opus ex his quæ ad iustificationẽ spectant, vel doleat de peccatis, vel circa fidem amplectendã, & addiscendãversetur, sine præueniente Spiritus sancti gratia, & inspiratione, id facit ex lege sicut oportet ad impetrãdã iustificationis gratiã: cuius oppositũ dixerunt illa, quæ nunc retulimus: lege Soto primo de Natura & Gratia cap. 21.

Soto. 1. de natura, & gratia, cap. 21. nobiscũ sentit.

Divvs Augustinus Epistola. 107. ad Vitalem, de cuius fide, & doctrina nõ erat certus, inquit. *Quomodo Deus expectat voluntates hominum vt præueniant eum quibus det gratiam, cùm gratias ei non immeritò agamus de his quibus non ei credentibus, vt eius doctrinam voluntate impia persequentibus, misericordiam prærogauit: eosque ad se ipsum omnipotentissima facilitate conuertit, ac volentes ex nolentibus fecit. Vt quid ei inde gratias agimus, si hoc ipse non fecit? vt quid tãto magis eum magnificamus, quanto nolebant credere quos credidisse gaudemus, si gratia diuina voluntas in melius non mutatur humana?* & loquitur D. August. de expectatione voluntatis hominis, operante ex naturæ conatu, cui det gratiam: & infert August. nõ esse Deo gratias agendas si Deus expectaret naturæ conatum, cùm tamen Deus ex summa misericordia & gratia sua, faciat volẽtes ex nolentibus.

D. Augus.

Extat pro hac re celebre illud testimoniũ eiusdẽ Cõcilij Arausicani dicentis cap. 25. *Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus, quòd in omni opere bono nos non incipimus, &c.* Si autem in processu nostræ salutis prius inciperemus tanquam per initium ab illo conatu virium naturalium, iam repelleremus dicta Concilia. Pariter etiam repelleremus quæ capite 4. de purgatione peccati dicuntur, sub hac forma. *Si quis vt à peccato purgemur voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus per Sancti Spiritus infusionem & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino. & Apostolo salubriter prædicanti: Deus est qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* Auctores verò, qui nobis aduersantur, dicunt, quòd ex lege adest Deus si homo primum conetur ex suis viribus naturalibus aggredi opus aliquod ex his quæ ad iustificationem spectant: nimirum antecedenter ad gratiam præuenientem, & ad auxilia gratiæ, vt illi conferat iustificationis gratiam: seu illa gratiæ præsidia, & auxilia, quibus faciat, & exequatur opus prout ad salutem oportet, id est ad impetrandam gratiam.

Conc. Arausican.

Divvs Augu. li. 2. cõtra duas Epist. Pelagianorũ capi. 8. videns Simipelagianos plurimum

D. Augus.

ex-

extollere conatus naturæ, veluti initium ex nobis ortum ad impetrationem gratiæ, sic scribit: *Verum audiant & Apostolum: Dominus enim cũ ait: Sine me nihil potestis, facere: hoc vno verbo initium finemque comprehẽdit: Apostolus verò tanquã sententiæ Dominicæ expositor apertius vtrunque distinguit, dicens: Quoniam qui in vobis bonũ opus cœpit, perficiet vsque in diem Christi Iesu, sed in Scripturis sanctis, apud eundem Apostolum isto vndelo quimur amplius inuenimus. Loquimur enim nunc de boni cupiditate: quam si voluntario vis incipere, à Domino perfici, videant quid respondeant Apostolo dicenti: Nõ quia idonei simus cogitare aliquid quasi ex nobis metipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Cogitare, ait, aliquid, vtiq; bonum: minus est autem cogitare quam cupere. Cogitamus quippe omne quod cupimus: nec tamen cupimus omne quod cogitamus, quoniam nonnũquam & quod non cupimus cogitamus. Cùm igitur minus sit cogitare quàm cupere: potest enim homo cogitare bonum quod nondum cupit, & proficiendo postea cupere quod antea non cupiendo cogitauit: quomodo ad id quod minus est idem ad cogitandum aliquid boni non sumus idonei tãquam ex nobis metipsis: sed sufficientia nostra ex Deo est: & ad id quod est amplius: idest ad cupiendũ aliquid boni sine diuino adiutorio idonei sumus ex libero arbitrio? Neque enim & hic Apostolus ait: Nõ quia idonei sumus cogitare quod perfectum est, tanquam ex nobis metipsis: sed cogitare ait aliquid cui contrarium est nihil. Vnde est illud Domini: sine me nihil potestis facere. Sed nimirum quod scriptum est: Hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ: non benè intelligendo falluntur, vt existiment cor præparare, hoc est bonum inchoare sine adiutorio gratiæ Dei, ad hominem pertinere. Absit vt sic intelligant filij promissionis.* Et infrà: *Absit vt sic intelligant, nisi superbi sui arbitrij defensores, & fidei Catholicæ desertores. Ideo quippe scriptum est: Hominis est præparare cor, & à Domino respõsio linguæ: quia homo præparat cor, non tamen sine adiutorio Dei: Quis te tangit? cor. Homo præparet cor: in responsione autem linguæ, id est in eo quòd præparato cordi lingua diuina respondit: nihil operis habet homo, sed totum est à Domino Deo. Nam sicut dictum est: hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ. Ita etiam dictum est: aperi os & adimplebo illud. Quãuis enim nisi adiuuante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire, tamen nos aperimus illius adiumento, & opere nostro: implet autem illud Dominus sine opere nostro. Præparatur enim voluntas à Domino.* Ecce nihil clariꝰ dici potuit à D. Augustino, ad confirmandam nostram sententiam.

Perpende valdè D. Augustini sententiã.

ERAT enim quæstio proposita à Diuo Augustino libro illo secundo contra duas Epistolas Pelagianorum capite. 8. in principio: *Vtrùm inuito, & reluctanti homini Deus inspiret boni cupiditatem: vt iam non sit reluctans, non sit inuitus, sed consentiens bono, & volens bonum: isti enim,* (hoc est Semipelagiani) *volunt in homine ab ipso homine incipere cupiditatẽ boni, vt huius cœpti meritum etiam perficiendi gratia consequatur.* Et infra: *Si enim sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito, gratiæ veniat adiutorium, ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed secundùm meritum nostrũ dabitur.* Ecce quonam modo ex hac doctrina Augustini reijcitur opinio illa, quæ dicit quòd ex naturæ viribus circa quædam operà sumitur quasi initium & exordiũ, quo posito Deus ex lege quadam tribuit gratiã iustificationis, hoc est illa omnia auxilia quibus hæc faciat, vt ad salutem oportet: nimirum ad impetrandam gratiam. Et idem August. cap. 9. sequenti ait. *Tunc enim bonum concupisci incipit quando dulcescere cœperit: quando autem timore pœnæ non amore iustitiæ fit bonum, nondum benè fit bonum, nec fit in corde quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere si posset impunè. Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis, vt nos delectet & cupiamus, hoc est amemus quod præcipit nobis: in qua si nos non præuenit Deus, non solùm non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis: si enim sine illo nihil possumus facere, profectò nec incipere nec perficere: quia vt incipiamus dictum est: misericordia eius præueniet me. Vt perficiamus dictũ est: Misericordia eius subsequetur me.* Et paulò antea in eodem cap. 9. inquit August. *Auertat Deus hanc amentiam, vt in donis eius nos priores faciamus, posteriorẽ ipsum: quoniam misericordia eius præueniet me: & ipse est cui fideliter veraciterque cantatur, quoniam præuenisti eum in benedictione dulcedinis: & quid hic aptius intelligitur, quàm ipsa de qua loquimur cupiditas boni?* Vnde cap. 10. seu postremo illius libri inquit Augustinus. *Nec omninò ex malo in bonum per initium fidei cõmutari, nisi hoc in illo agat indebita, & gratuita misericordia Dei.* Ad quam rem ostendẽdam adducit illud Prophetæ Psalmo. 76. *Et dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi. Cum ergo dixisset, nunc cœpi, non ait hæc mutatio arbitrij mei, sed dexteræ Excelsi. Sic itaque Dei gratia cogitetur, vt ab initio bonæ mutationis suæ vsque in finem consumationis, qui gloriatur in Domino glorietur. Quia sicut nemo potest bonum inchoare sine Domino, sic nemo perficere sine Domino.* Hæc Augustinus.

Psalm. 76.

ET lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorũ ad Bonifacium, cap. 19. explicans locum Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum.* inquit Augustinus. *Non enim ait duxerit: vt illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem.* Ex his ergo satis apertè constare potest dici non posse ex naturæ conatibus ita posse hominem agere aggrediendo aliquod opus ex his quæ ad iustificationem pertinent, vt quoties ex suis viribus naturalibus illud aggredi voluerit, illud exequatur prout ad salutẽ oportet, hoc est ad impetrandam gratiam: quia ex lege illi præsto est Deus per auxilium gratiæ sufficiens sicut semper est præsto per concursum generalem libero arbitrio vt naturaliter velit aut nolit prout placuerit. Sententiã autem illam D. Cypriani. *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est:* magnificat D. August. lib. 1. de prædestinatione Sanctorum, cap. 3. & de bono perseuerantiæ, cap. 19. Vbi pariter ad-

Ioannis. 6.

D. Cypria.

ducit elogium illud: *Non est in potestate nostra cor nostrum & nostræ cogitationes.* Addit Augustinus. *Nec ipsa facta & dicta præterijt. Non enim est dictum, factúmve hominis, quod non ex cordis cogitatione pendeat:* quod dixit: Quoniam D. Augustinus semper contra Pelagiũ initiũ gratiæ Dei in sanctam cogitationem reuocauit, quæ in nostra non est potestate, neque ex nobis, aut ex nostris viribus occasionem, rationem, aut causam, aut impetratorium meritum respiceret, ita vt Deus sola prorsus sua liberali voluntate dona gratiæ singulis donaret, ac distribueret, cũ Paulus dicat: Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, sed sufficiẽtia nostra ex Deo est.

Declaratur magis tertia Assertio.

Adducuntur duo testimonia D. Augus.

ADDE etiam id quod D. Augustinus duobus in locis perpendit ad confirmãdam doctrinã assertionis nostræ. Primus locus est lib. de fide ad Petrum, cap. 3. vbi ait. *Bonæ quoque voluntatis & cogitationis initium, nõ homini ex se ipso nasci, sed diuinitus & præparari, & tribui.* Et subiungit inferius. *Quia si possibile esset vt humana natura postquam à Deo auersa est bonitatemque perdiderit voluntatis, ex se ipsa rursus eam habere potuisset: multo possibilius hoc natura haberet Angelica: quæ quanto minus grauatur terreni corporis põdere, tanto magis hac esset prædita facultate:* Et iterum: *Sed ostendit Deus vnde bona voluntas hominibus datur.* Satis ergò apertè constat D. Augustinum euidentissimè sensisse initium, quod à prima cogitatione incipit bonæ voluntatis respectu salutis ipsorum hominum non esse naturæ suæ conatum, neque innatas etiam suæ naturæ vires, neque Deum posuisse principium & exordium hoc, cui ex lege, quam ipse semel posita non posset non implere, tribueret gratiam seu auxilia gratiæ actualis. Secundus locus habetur lib. 1. de prædest. Sanctorum cap. 5. Quo in loco cùm exortę fuissent apud Corinthios dissensiones dũ Christiani iam essent, ex eo quod quidam illorum dicebant: ego sum Pauli: alijs dicentibus: Ego sum Cephæ, ne quisquã gloriaretur in homine, vt humiliaretur homo, & exaltaretur Deus in hac intentione persistens, ad hoc venit vt diceret. *Itaque nemo glorietur in homine: Qui gloriatur in Domino glorietur.* Et statim. *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem & accepisti quid gloriaris quasi non acceperis? In hac Apostoli euidentissima intentione qua contra humanam superbiam loquitur: ne quisquam in homine, sed in Domino glorietur dona Dei naturalia suspicari, siue ipsam totã perfectamque naturam qualis in prima conditione donata est, siue vitiatæ naturæ qualiscunque reliquias, nimis quantum existimo absurdum est. Nunquid enim per hæc dona, quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus? &c.* Vides quo pacto ex nullo naturæ conatu nullisque naturæ viribus fit, vt ex lege tribuatur homini diuina gratia: aut ea auxilia gratiæ, quæ auctores oppositæ sentẽtiæ tribuunt operantibus ex conatu naturæ ex lege debitis, in eo sensu, vt si homo ex solo naturæ conatu velit aggredi opus aliquod sine Spiritus sancti gratia, ex his quæ ad iustificationem oportet illi tribuantur? Vides etiam quàm malè hæc quæ prędicti auctores dicunt consonent cum testimonijs & doctrina Augustini? Vides etiam quonã modo si verum esset quod isti dicunt, homo ex suæ naturæ conatu, & ex solis viribus naturæ in ordine ad salutem & iustificationem acquirẽ dãhaberet quo se discerneret ab alio qui nõ agit ex illo naturæ conatu: & id ex lege infallibili: quod abhorret Augustinus: quod etiam Patres Ecclesiæ nunquam dixerunt? Quòd si orationi humanæ, & dolori humanæ de peccatis facto ex solo naturæ conatu seu ex naturæ viribus subiungitur de lege gratia: cur in Arausicano Concil. canone. 3. damnãtur qui dixerint oratione humana, hoc est ex proprijs viribus iustificationis gratiam, hoc est auxilia gratiæ, ad iustificationẽ obtineri? aut cur can. 4. eiusdem Concilij damnantur qui dixerint Deum expectare voluntatem nostrã, qua purgari velimus, cùm auctores citati ex lege infallibili sentiant Deum expectare conatum naturæ nostrum & vires naturales, ita vt quoties ex illis homo aggredi voluerit opus aliquod ex his quæ ad iustificationem spectant: Deus illi conferat suam gratiam, vt illud faciat, & exequatur sicut ad salutem oportet?

ADDE etiam, quòd in eadem opinione dicitur, & supponitur: nimirum hominem ex solo naturæ conatu, viribusque naturæ tantum, sine Spiritus sancti inspiratione quia hoc indicat dicere ex solis naturæ viribus aggredi posse opus aliquod ex his quę ad iustificationem pertinent, tam circa ea quæ fides habet addiscenda, & amplectenda, quàm circa dolorem de peccatis ac iustificationem: Hoc enim indiget declaratione ab eisdem auctoribus agenda: & quantum sufficere valeant vires solius naturæ, vt aggrediatur homo ex solo naturæ conatu opera quæ ad iustificationem pertinent, tam circa ea quæ fides habet amplectenda, quàm circa pœnitentiam de peccatis ac iustificationem: quod ipsi dicunt & sentiunt: sed non noui quem sensum ipsi habent: Nam etiam in eodem Araufica no Concilio can. 5. decernitur: initium fidei, quod est voluntas credendi esse donum Dei. Et can. 6. Dicitur etiam. *Si quis sine gratia Dei credẽtibus, volẽtibus, desiderãtibus, conantibus, laborãtibꝰ, vigilãtibus, studẽtibus, petẽtibus, quærẽtibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri:* Et statim: *Non autem diuinitus, vt credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet agere valeamus* (hoc est ad obtinendam iustificationis gratiam) *per infusionem & inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri cõfitetur: aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium, nec vt obediens & humillimus ipsius gratiæ donum esse consensit, resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti, &c.* Et rursus in Tridentino sess. 6. can. 3.

habe-

habetur. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Aduersarij verò dicunt hominem ex conatu naturæ, seu liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus sine Spiritus sancti inspiratione, si ita conetur circa ea quæ fides habet amplectenda quam circa dolorem de peccatis ac iustificationem, à Deo cõferri gratiam præuenientem, seu auxilia, quibus id faciat vt ad salutem oportet. Enponit in operibus illis præcedentibus ex naturæ conatu factis, sine Spiritus sancti inspiratione, vim impetrandi gratiam qua faciat, quæ ad salutem & iustificationem pertinent. Hoc videat, & decernat ac iudicet sancta sedes Apostolica Romana: legantur etiam quæ nos de hac re diximus in disputatione de gratia super 1.2. D. Thomæ.

D. Fulgen. D. Fulgentius lib. de incarnat. & gratia Christi cap. 18. cõtra Faustum & Episcopos Galliæ, qui dicebant nostrum esse velle credere & velle amplecti fidem: propter quam voluntatem: seu cui voluntati Deus nobis largiretur spiritũ & gratiam fidei: sic loquitur. *Si verò secundùm opinionem illorum, nostrum est velle credere, prius quam nos Dei gratia incipiat adiuuare* (hoc est ex naturæ conatu, & naturæ viribus) *iniustè dicitur gratia, quia non gratis homini datur, sed bonæ retribuitur voluntati: Hoc est tribuitur voluntati humanæ ex conditione operis agenti, seu ex lege vt quoties ita operetur ex conatu naturæ Deus tribuat illi auxilia gratiæ sufficientia circa opus aliquod ex his quæ ad iustificationem spectant, vt illud exequatur prout ad salutem oportet, quod est ad obtinendã gratiam.* Et continuans Fulgentius traditam doctrinam prosequitur vlterius dicẽdo. *Bonæ retribuitur voluntati: Hanc enim, sicut illi volunt, gratia in nobis inuenit, quam ipsa non dedit. Imò si sic est, nos priores Deo voluntatem damus, atque ita gratiam non miseratione tribuentis, sed æquitate Dei retribuentis accipimus. Veruntamen quis prior dedit illi & retribuetur? Nemo vtique, &c.* Auctores verò contra quos Fulgentius loquitur non ob id cõtra eos agit, quia concederent meritum cõdigni ex conatu nostro, sed quandam impetrationem cui subiungitur gratia. Et etiam Fulgentius agit contra hos auctores etiam si intelligerent Deum tribuere gratiam suam illis operibus ex naturæ conatu factis quasi ex ratione gratitudinis. Nam gratitudo omnino à misericordia & liberalitate differt, quia gratitudo supponit aliquid quasi acceptum: gratiam autem per Christum habemus ex mera misericordia non ex gratitudine propter quam causam Paulus ad Rom. 9. dixit. *Miserebor cuius misereor, & misericordiam præstabo cui misereor: igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Et iterum: *Cuius vult miseretur & quem vult indurat.* Et D. Prosper Dub. 4. ad excerpta Genuensiũ explicando Paulum ad Rom. 11. *Gratia iam nõ est gratia*, ait. *Nõ præcessit eorũ aliquid, quod priores darent, & retribueretur illis: pro nihilo enim saluos fecit eos.*

Gratitudo & misericordia differunt, quia illa supponit aliquid quasi acceptum hæc verò non. Ad Ro. 9.

D. Prosper

Altera pars assertionis explicatur: & ambæ rationibus Theologicis ostenduntur.

VIDENTES auctores oppositæ sententiæ vim & efficaciam eorum quæ contra eos diximus commenti sunt (vt sibi persuaderẽt posse fugere inconuenientia illata) quãdam doctrinam in secunda parte assertionis tertiæ ex opposito contentam: Nimirum Christum, Patrẽque eius æternũ inter alias leges quas tulerũt, hanc fuisse vnam, de auxilijs & donis quæ nobis promeruit Christus: vt quotiescunque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præstóue est ad conandum & aggrediendũ viribus eisdem naturalibus opus aliquod ex his quæ ad iustificationẽ spectant tã circa ea, quæ fides habet amplectenda, & addiscenda, quàm circa dolorem de peccatis, ac iustificationem, à Deo conferri gratiam præuenientem ex lege illa, auxiliáve gratiæ quibus illud opus exequatur, & id faciat prout ad salutem oportet.

Quid verũ, quid falsum sit in proposito exponitur.

QVAMVIS verum sit Christum meruisse hominibus omnia auxilia gratiæ & omnes dispositiones ad gratiam, & etiam gratiam ipsam: cæterum quod Christus legem constituerit, & simul æternus eius Pater, quod benè operanti ex solis naturæ viribus si ex illis præcisè & ex conatu earum aggredi voluerit ex sese opus aliquod ex his quæ ad iustificationem spectant, tam circa ea quæ fides habet amplectẽda & addiscenda, quàm circa dolorem de peccatis, ac iustificationem, à Deo illi conferri gratiam præuenientem ex lege statuta, eaque auxilia quibus id faciat & exequatur, vt oportet ad salutẽ, non est verum: Quod verò sine præueniente Spiritus sancti gratia, aut sine auxilio supernaturali Dei ex solis naturæ conatibus & viribus præcisè, tribuatur gratia Dei sic operanti & aggredienti illa opera, quę opinantes, seu auctores illius sententiæ dicunt: non mihi probatur: Præsertim cum velint, ex lege, aut ea suppositа ex debito legis gratiam conferri operibus illis factis solum ex naturæ conatibus, & viribus. Multa etiam alia inuoluit sententia prędicta de mẽte sui auctoris, quæ nos Deo adiuuante hoc loco qualia sint & quam habeant veritatem dicemus.

Quòd doctrina illa de lege Dei cũ Christo domino facta non sit Sanctis Patribus conformis.

SED profecto horum auctorum sententia neque reperitur in sanctis Patribus, neque in D. Augustino, neque insinuatur in Concilijs, neque possum intelligere cur habeat veritatẽ. Moueor autem ad hoc: tum propter testimonia superius citata, tã D. Augustini, quàm aliorum Patrum, & Conciliorum: tum etiam propter ea quæ inferius dicemus. Nam certe si vera esset istorũ sentẽtia, sequitur esse veluti pactum & cõtractũ inter Deũ & peccatorẽ postquã peccauit, ratione legis illius quã isti dicunt statutam esse à Patre & Christo filio eius: si tu prius inceperis ex tuis viribus & conatibus naturæ, etiã antecedẽter ad primã gratiam præue-

nien-

1. *Ratio ab inconueniẽti cõtra hãc legem.*

nientem, & sine illa aggredi volueris, ex tali conatu, opus aliquod ex his quæ ad iustificationem spectant circa fidem addiscendam, & amplectendam, & circa dolorem de peccatis: ac iustificationem, tribuam tibi gratiam præuenientem & illa auxilia, quibus exequaris illa opera iustificationis prout ad salutem oportet. Ita vt si tu inceperis ex tuis viribus naturalibus, & earum conatibus opera illa aggrediendo: ego ex lege hac dabo tibi gratiam præuenientem, & reliqua eiusdem gratiæ auxilia: quibus exequaris id quod ad iustificationem spectat. Imò verò sequitur vlterius, quòd supposita illa lege tenetur & obligatur Deus quasi ex debito fidelitatis, tribuere peccatori ita conanti ex solis viribus naturæ gratiam iustificationis: de qua diximus supra, Tridentinum Concilium intelligere omne auxilium quo à principio mouetur homo ad iustitiam. Hoc autem videant prædicti auctores quomodo possit sustineri, & sanctæ sedes Apostolica de hac re iudicet & nos doceat: Imò verò si debet constitui illa lex pro illis operibus ex meritis naturæ, seu ex viribus & conatibus eius tantùm, videtur Deus quasi ex quadam conditione onerosa hominis si eam impleat, ex debito legis teneri, ad tribuendam illi prædictam gratiam. Tandem posset quis dicere Deum in eo casu aliqua ratione obligari quasi ex debito gratitudinis respectu hominis sic aggrediẽtis opera illa quantum ex sese potest ex viribus naturalibus eius.

2. *Ratio.*

Secvndò ostendere possumus assertionẽ nostram contra præfatos auctores: quoniam data eorum sentẽtia verissima redderetur illa propositio: Facienti quod in se est ex proprijs naturæ viribus & conatibus Deus ex lege dabit gratiam iustificationis, vt faciat illa opera quæ aggressus est ex suis viribus vt ad salutem oportet: Hoc autem non est verum. Et certè si est lex qua sancitur quòd homini ita conãti ex naturæ viribus detur gratia præueniens, & dentur illa auxilia iustificationis, sequitur consequenter, cõcedi debere, quòd Facienti quod in se est ex proprijs naturæ viribus non solùm Deus non denegat gratiam: sed de facto tribuit illam ex statuta lege, & peccator impetrat eam ex suis conatibus & viribus infallibiliter.

Ratio. 3. ab inconuenientiã.

Tertiò idipsum ostendi potest: quia sequitur ex opinione istorum, & ex modo dicendi eorum, quòd daretur ex nobis initium, supposita illa lege, quo itur ad gratiam iustificationis, & ad gratiam præuenientem, quod initium ex viribus nostris inciperet supposita lege. Sanè contentus esset Pelagius si videret hunc immediatum ordinem infallibilem ex lege à viribus naturæ ad gratiam: & si videret Deum iudicasse esse expediens pro regimine supernaturali hominum, Facienti quod in se est ex solis viribus naturæ, tribuendam esse gratiã, & eã impetrare infallibiliter de facto quãtum ad auxilia supernaturalia & gratiam præuenientem, quibus de facto exequeretur quæ pertinent ad salutem eius. Imo vero iuxta prædictã opinionem daretur ex viribus naturæ dispositio moralis ad impetrandam gratiam, quamuis nõ esset connaturalis gratiæ: quod patet quia homini peccatori sic dispositio ex suis naturæ conatibus, etiam sine gratia præueniente Spiritus sancti ad aggrediendum illa opera, tribuitur gratia ex lege, vt ipsi sentiunt: ergo, &c.

Ratio. 4.

Potest etiam confirmari nostra sententia atque doctrina quia ex opposita videtur sequi quod nostris operibus ex naturę viribus factis tribuitur gratia, & ita quasi ex nostris meritis, loquendo de merito prout D. Augustinus ipsum repellit, si gratia respõdeat operibus factis ex conatibus naturæ, præcipuè ex lege infallibili ad id posita: Vnde auctores qui introduxerunt propositam sententiam, quamuis dicant quòd eo conatu non efficitur homo dignus vt promereatur gratiam præuenientem, & illa alia auxilia diuinæ gratiæ: tamen cum expresserint meritorum dignitatem, aut meritum dignum non antecedere, neque dignè promereri gratiã illam: tacuerunt tamen meritum de congruo, & silentio prætereuntes hanc congruitatem, dixerunt factam esse legem vt homini conanti ex viribus naturæ & aggredienti illa opera ex viribus suis daretur gratia, de qua loquimur, infallibiliter ex lege.

Ratio. 5. ex Arausic.

Tandem potest confirmari, quia si est lex illa quam præfatus auctor vult: ergo non est verum quod in Arausicano Concilio dicitur: In omni opere bono nos non incipimus. Siquidem data tali lege, de aggrediendis operibus gratiæ: ex solis viribus naturæ, homo in ordine ad opera iustificationis primo inciperet suis viribus, & illi sic incipienti daretur gratia, scilicet actualis auxiliorum supernaturalium, quibus vt oportet efficeremus ea quæ ad iustificationem spectant.

Soto lib 2. de natura & gratia, cap. 4. in medio.

Dominicvs Soto vir egregiæ eruditionis ac Magister meus lib. 2. de natura & gratia ad sanctum Concilium Tridentinum aduertit, quòd meritum non dicitur condignũ quia propriè Deus nobis aliquid debeat, sed quia talem gratuitò legem statuit certissimam, vt iussa sua facientibus, præmia retribueret: ergò qui dicit posse nos ex viribus naturalibus sine præueniẽte gratia Dei, ita aggredi illa opera superius cõmemorata, vt Deus ex lege tribuat suam gratiã protinus, vel sine dubio, non longè abest vt dicere cõpellatur vel meritum quoddam præcedere de condigno ipsam gratiam: quod sanè nõ est dicendum: quia tale meritum affirmabat Pelagius ante primam gratiam: vel præcedere saltem meritum de cõgruo: quod similiter falsum est. Sed dices ad hoc, quòd per illam operationem, qua homo ex viribus naturæ eiusque conatibus aggreditur prædicta opera, nõ fit propriè debita gratia per meritum dignum aut quasi de iustitia. Hoc quidem videtur petitio principij, quoniam inter nos & Deum nulla est alia iustitia vel debitũ, quàm lex ipsa Dei. Profectò, inquit Soto eodem lib. 2. de natura & gratia, cap. 4. Quòd si Pelagio largita hoc fuisset olim Ec-

cleſia, credo fuiſſet contentus, quia ipſe non cõtendebat deberi à Deo nobis gratiam propter opera, vt eſt inter homines dignum debitum, aut æqualitatis debitum: ſed quòd eſſet lex illa iuſta Dei, vt benè agenti ex ſuis naturalibus, infallibiliter tribueret gratiam. Hactenus loquitur Sotus. Vnde ſententia illorum quos retulimus non mihi probatur.

D. Auguſ. HAEC eſt D. Auguſtini expreſſa ſententia qui meritum etiam de congruo repellit, ſeu largitionem gratiæ operibus naturæ ex lege correſpondentem. Nam in exordio libri de prædeſtinatione Sanctorum inquit. *Gratia nulla eſt ſi ſecundùm merita noſtra datur.* Et idem dicit ſi daretur ſecundùm opera noſtra. Et cap. 2. eiuſdem libri ait. *Rurſus ſi operatur Deus fidem noſtram vt credamus, nunquid metuendum eſt, ne totum facere non poſsit, & ideò homo ſibi primas eius vendicet partes, vt nouiſsimas ſeu vlteriores ab illo accipere ex lege ſuo opere quaſi mereatur? Videte* (inquit Auguſtinus) *quid aliud agitur iſto modo, niſi vt gratia Dei ſecundùm noſtra merita detur quolibet modo.* Nota & perpende, quolibet modo, perinde enim eſt ac ſi dixiſſet, vt gratia ſit gratia perfecto modo, nullo etiam modo debet præcedere aliquid cui tribuatur quaſi meritum dignum vel congruum.

D. Auguſt. lib. 4. contra Iulianum Pelagianum, capi. 3. ſatis apertè fauet nobis, ſic ſcribẽs. *Cùm ergo diuinitus adiuuatur homo, non tantùm ad capeſſendam perfectionem adiuuatur, quod ipſe poſuiſti, vtique volens intelligi eum poſſe incipere ſine gratia quod perficit gratia, ſed potius quod Apoſtolus loquitur, vt qui in nobis opus bonum cœpit, perficiat vſque in finem. In quo enim vis hominem, ſicut loqueris, ad aliquid laudabile generoſi cordis ſtimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino, ſed in libero arbitrio gloriari: ac ſi priorem dare vt retribuatur illi, eoq; modo gratia iã non ſit gratia, quia nõ eſt gratuita.* Ecce, candide lector, quomodo D. Auguſtinus damnat initium aliquod generoſi animi cui gratia tribuatur. Eſſet autem proculdubio aliquod huiuſmodi exordium ex noſtris viribus aggrediendo opera illa, quæ aduerſarij recenſent ii faciẽtes illa ex conatibus naturæ præciſè gratiam nobis impetraremus. Lex autem illa, de qua inferius dicemus, quam iſti auctores conſtituunt nulla talis eſt neque apud D. Auguſtinum, aut alios Patres, vel apud Theologos Scholaſticos quæ hactenus audita ſit: præſertim in concertationibus ſuis, vt ratione eius dicatur in nobis fore ex noſtris conatibus quaſi initium adquirendæ gratiæ.

Idem diuus Auguſti. 1. ad Simplicianum. RVRSVS lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. hæc verba profert Auguſtinus. *Vnde admonemur nec ipſis operibus miſericordiæ quenquam gloriari oportere, & extolli, quod eis quaſi ſuis Deum promeruerit, quandoquidem vt haberet ipſam miſericordiam, ille præſtitit, qui miſericordiam præſtabit, cui miſericors fuerit.* Et ſubiungit ſtatim Auguſtinus. *Quòd ſi eam credendo ſe meruiſſe quis iactitat, nouerit eum præſtitiſſe ſibi, vt crederet, qui miſeretur inſpirando fidem, vel diceret qui miſeretur ſtatuendo legem de illis naturæ conatibus vt inſpiraret fidem.* Vbi aduerte, quòd non loquitur Auguſtinus de merito digno vitæ æternæ, ſed de operibus impetratorijs, quibus nonnulli credebant ex proprijs viribus nos impetrare gratiam: & hoc eſt quod dicit nos promereri Deũ, hoc eſt gratiam illius. Et cum dicat non eſſe gloriandũ in operibus miſericordiæ, quaſi his Deum hoc eſt gratiam, & miſericordiã ſuam nobis noſtris operibus veluti promeriti fuerimus: pari ratione repellit omne opus morale ex nobis & omnia illa opera quæ aduerſarij dicunt ex noſtris viribus & conatibus fieri ante præuenientem Spiritus ſancti gratiam quæ dicantur impetratoria gratiæ. Et hęc eſt ratio cur Conciliũ Arauſicanum ſecundum, can. 6. repellit quodcunque exordium & qualemcunque operationem ex viribus naturæ factam, decernendo, eos qui obedientiæ humanæ ſubiungunt gratiam, contradicere Apoſtolo dicenti: Quid habes quod non accepiſti? ſi enim quis obedientia & labore humano ſeu conatibus illis naturæ ſibi impetrat gratiam plurimum gloriari poſsit de viribus naturæ. Quòd ſi eſſet illa lex lata à Deo, vel promiſsio aliqua, iam Deus teneretur ex ſua lege & promiſsione dare noſtris naturæ conatibus, quando ex noſtris viribus aggredimur illa opera, de quibus ipſi loquuntur gratiam præuenientẽ, & illa præſidia & auxilia, quibus homo exequatur, vt ad ſalutem oportet ea quæ ad iuſtificationem ſpectant. Cum ergo nullibi legamus apud D. Auguſtinũ neque apud Cõcilia, Arauſicanum præcipuè & Mileuitanũ, quòd Deus tribuat gratiam iuſtificationis & præuenientẽ his naturæ viribus & conatibus aut operibus ex naturæ principio prouenientibus, quantumcunque aliquis ex ipſa natura velit, & conetur aggredi opera doloris peccatorum, pœnitentię, aut ſpei: ſequitur prędictam ſententiã carere vero fundamento.

Concilium Arauſic. 2.

QVO circa D. Auguſtinus quęſtione illa ſecunda ad Simplicianũ in fine inquit. *Non enim habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam ſalutarem, ſi ad examẽ huius electionis aliqua cogitatione præmitor, niſi vel maius ingenium, vel minora peccata, vel vtrumque: addamus etiam ſi placet honeſtas vtileſque doctrinas. Quiſquis ergo fuerit quam minimis peccatis irretitus, nam nullis quis poteſt? & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam. Sed cùm hoc ſtatuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi elegit, vt confundat fortia, vt eum intuẽs pudore correctus ego irrideam multos, & præ quibuſdam peccatoribus caſtiores, & præ quibuſdam piſcatoribus oratores.* Hactenus Auguſtinus. Qui idcircò irrideret illos: quia cũ eſſent caſtiores relicti fuiſſent, peccatores vero & meretrices electi: Et idem intelligit de illis, qui ex naturæ conatibus præciſè aggrediuntur opera quæ opinantes dicũt: nam peccatores, latrones & meretrices electi ſunt: Plures autem qui & caſtiores & naturę conatibus aggreſsi ſunt illa opera relicti fuiſſent. Cũ vero Auguſtinus ait, nihil præcedere poſſe ni-

D. Auguſ. li. 1. ad Simplicianum. q. 2. infine.

si vel maius ingeniū & melior indoles vel pauciora peccata, aut maior castitas, &c. & nihil horum posse eligi ad gratiam: sine dubio repellit quodcunque quātumuis minimum, aut magnū quod ex nostris viribus procedat ad impetrationem gratiæ præuenientis aut iustificationis, & in solam Dei voluntatem hoc refert, & quantumcunque minimum initium ex nostris viribus repellit. Mirabile autem esset si cum de facto peccatores obtinerent gratiam præuenientem, & alia auxilia supernaturalia eiusdem gratiæ Dei ex solis naturæ viribus, quibus aggredi conarentur præcise sine Spiritus sancti gratia præfata opera, quòd D. Augustinus nō fecisset mentionem huius vt explicaret quo pacto potest obtineri gratia à peccatore, si aliquibus solius naturæ conatibus aggrederetur opera superius commemorata ante omnem Dei gratiam etiam præuenientem, præcipuè cum D. Augustinus sanctam cogitationem ex Dei dono, & gratia prouenientem constituerit tanquam primum initium & exordium electionis gratiæ.

D. *Prosper Ad Rom.* 11.

Hæc est mens discipulorum D. Augusti. D. Prosper dubio 4. ad excerpta Genuensium sic ait circa illud Pauli Romanorum. 11. *Gratia iam non est gratia*: non præcessit eorum aliquid quod priores darent, & retribueretur illis: pro nihilo enim saluos fecit eos Psalmo. 55. Quam doctrinam accepit Prosper ex D. Augus. lib. 1. de prædest. Sanctorum, cap. 6. Et D. Fulgētius contra Faustum, & contra quosdam Episcopos Galliæ, qui aiebant nostrum esse velle credere, propter quam voluntatem aggrediendi amplexum fidei, quamuis illa esset ex nostris naturalibus viribus Deus nobis gratiam largiebatur & gratiam fidei, sic ait in lib. de incarnat. & gratia Christi, cap. 18. *Si verò secundùm opinionem illorum nostrum est velle credere, priusquam nos Dei gratia incipiat adiuuare, iniustè dicitur gratia, quia nō gratis homini datur, sed bonæ retribuitur voluntati. Hanc enim, sicut illi volunt gratia in nobis inuenit quam ipsa non dedit. Imò si sic est, nos priores Deo voluntatem damus, atque ita gratiam non miseratione tribuentis, sed æquitate Dei retribuentis accipimus: Veruntamen quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* ergo quocunque modo siue ex promissione, siue ex lege detur gratia operanti ex conatibus naturæ tolùm non esset gratia: ac proinde semper intelligimus operibus factis ex auxilio gratiæ Dei, & non ex solo libero arbitrio tribui gratiam. Sanè si auxilium præueniens, & reliqua gratiæ præsidia, quibus ad iustificationem promouemur, nobis darentur ex suppositione conatus virium naturalium ad illa bona opera quę natura conaretur, iam daretur nobis gratia occasione accepta alicuius operis nostri: ac proinde illa gratia præueniens & auxiliorū non esset gratia, & cōsequenter ex nostris operibus haberemus, quibus in gratiam ipsam impetrandam ita moueremur, vt ipsis retribueretur operibus tanquam debita. Vnde D. Paulus ad Roma. 3. & 4. cap. & ad Galatas. 2. & 3. omninò vult repellere opera solius arbitrij ab ordine & respectu gratiæ iustificantis, sed omnia ad gratiam, & auxilium gratiæ refert.

Psalm. 55. D. *Fulgen.*

D. *Paul. Ad Rom.* 3. & 4. & *ad Galat.* 2. & 3.

Hoc est etiam quod expressè habetur in Cōcilio Arausicano. 2. can. 25. sub hac forma verborum. *Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui inspirat, &c.*

Obiectio. Zachar. 1.

Sed dices: Deus nihil nobis præcipit impossibile: sed præcipit vt in ipsum conuertamur Zachariæ. 1. Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos: ergo conuersio ista est nobis ex naturæ conatibus possibilis: ergo q̄ Deus se conuertat ad nos fundatur in illo præcepto: ergo nobis ex natura conantibus ex lege tribuetur gratia, qua Deus se ad nos conuertat. Hinc videtur habere vim commune proloquium: Facienti quod in se est Deus non deest: iuxta illud Matth. 7. Deus dat spiritum bonum petētibus se: sed hominē facere quod in se est, est facere quod suæ est facultatis & suarum virium naturalium: ergo illi tribuitur gratia. Respondetur quod cùm gratia iustificationis non comprehendatur intra naturæ finis, sed sit donum supernaturale, neque personæ debitum, neque naturæ: fide quæ suprà naturam esse constat, quod illud donum ita solus Deus nobis largitur, vt nihil ex nobis præstemus, ex quo tanquā ex nobis seu ex nostris conatibus, vlla infallibilitate certitudinis, consequatur: aliàs planè sequeretur quòd nos essemus aliquo modo illius causa, & Patres antiqui qui contra Pelagium agebant nulla vtebantur ratione naturali, sed solis Scripturæ elogijs præliabantur contra ipsum, vt constituerent nullam nostris operibus prioribus factis ex solis naturæ viribus gratiam tribui. Vnde quamuis homo cognoscēdo peccatum suum, cognosceret esse Dei offensam, & haberet ex suis naturalibus aliquam illius detestationem: tamen dicere quod ea suppo sita ex solis naturæ conatibus infallibiliter consequimur gratiam id non est verum nisi ex gratia Spiritus sancti, & auxilio diuino promouea mur: illa autem infallibilitas & certitudo esse non posset nisi propter legem aliquam Dei. Lex autem hæc conferendi hoc modo gratiam nulla est, nisi ei quem Deus ad se traxerit, iuxta illud Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum*: scilicet per gratiam suā. Rursus respondetur quòd cum dicitur: Cōuertimini ad me & ego conuertar ad vos, libertatis nostræ admonemur: præcipimur enim conuerti quatenus cooperatio nostri liberi arbitrij ominò est necessaria, & requisita: quod sanè quāuis non possimus sine Dei gratia & auxilio, nō tamen est nobis impossibile: quia promptissimus est, & stat ad ostiū pulsans nobis aperitulari volens nisi nos resistamus illi. Veruntamen perpendere semper oportet quòd facere hominem quod in se est, non intelligitur ante auxilium gratiæ Dei, sed potius præueniente Deo, tunc enim facit homo quod in se est, quando

Solutio.

Matth. 7.

Ioann. 6.

Deo inſpirante ſuam gratiam reſpondet illi, per eam cooperando, & tunc certiſsima lege tribuitur ei quod per eandem gratiã intendit cooperando vel pœnitendo.

Difficultates ortæ ex opinione aduerſariorum, in ſecunda parte aſſertionis tertiæ propulſantur.

Prima difficultas.

RESTANT tamen explicanda duo difficilia circa opinionem aduerſariorum. Primum eſt: Vtrùm ſit lex quam Pater æternus ſtatuerit cum Chriſto Domino filio eius ob ſua merita, vt quotieſcunque arbitrium noſtrum ex ſuis viribus naturalibus conatur præſtóve eſt ad conãdum id quod ex ſe ipſo præciſe poteſt, tam circa ea quæ fides habet amplectenda, quàm circa dolorem de peccatis, ac iuſtificationem, à Deo tribui gratiam preuenientem & ea auxilia quibus id faciat, vt ad ſalutem oportet. Secundum eſt: Vtrùm teſtimonium D. Ioãnis, cap. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, debeat intelligi vt prædicti auctores cenſent: nimirum quòd hominibus qui nondum ſunt filij Dei, eatenus facta ſit illis poteſtas vt filij Dei fiant, quatenus ſi quantum in ſe eſt conentur ex viribus naturalibus ſuis aggredi illa opera prædicta, præſtò illis adſit Deus ex lege infallibili, vt conſequantur gratiam & fidem, ita vt ea ratione in poteſtate eorum ſit vt filij Dei fiant, ſi quantum in ſe eſt conentur aggredi illa opera ex viribus naturalibus ſuis.

Secunda.

VTRVMQVE putant prædicti Auctores eſſe verum ex illo Pauli. 1. ad Thimotheum. 2. *Vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem Dei venire*. Quòd ſi hominibus conantibus ex ſuis naturalibus, facientibuſque quod in ſe eſt, vel vt fidẽ amplectantur, vel vt de peccatis doleant Deus non eſt ſemper præſto, nimirum ex lege infallibili, per auxilia & gratiam præuenientem vt actus ſint quales ad ſalutẽ oportent: qua ratione erit verum dicere Deum velle omnes homines ſaluos fieri: Nam vtique qui legem omnibus dedit nullum excepit à ſalute. Quæ omnia oſtenduntur ex illo Apocalypſis. 3. *Sto ad oſtium & pulſo*: paratus ex lege infallibili tribuere auxilia & præſidia gratiæ ſpecialia conatibus noſtris naturalibus antecedentibus.

1. *Ad Timotheũ.* 2.

Apocal. 3.

DE primo, quod difficile eſt, an ſit lex aliqua à Deo ſpecialiter ſtatuta, vt ſi homo conetur ex ſolis naturę viribus aggredi prædicta opera, Deus ex lege tribuat illi gratiã præuenientem & ea etiam auxilia, quibus exequatur vt oportet ad ſalutem, illaq; ex illis ſolis naturæ conatibus aggredi volebat. Sanè non inuenio in D. Auguſtino, neque in Concilijs, aut in ſacris Literis, aut apud Scholaſticos talem modũ dicendi: imò verò omnes ſupponunt nullam eſſe legis infallibilitatem de tribuẽda hominibus gratia præueniente & auxiliorum ad iuſtificationem pro vllis naturæ conatibus, ſi ex illis tantùm homo operetur. Hoc oſtendunt vniuerſa teſtimonia D. Auguſtini ſuperius allata, quæ iterum repetenda non ſunt. Imò verò reperio Scripturam Ioan. 6. ca. dicentem ex ore Chriſti: *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater meus traxerit eum.* igitur hæc eſt lex quòd nemo habeat poteſtatem veniendi ad Chriſtum, aut vt filius Dei fiat niſi trahatur à Patre, quod intelligit de tractu per gratiam ſuam, & nõ quòd habeat poteſtatem ſi quantum in ſe eſt homo ex viribus naturalibus conetur, &c. Quo fit vt D. Auguſtinus de prædeſt. Sanctorum lib. 2. capit. 6. duo dicat. Primũ eſt: quòd voluntas amplectẽdi fidem & credendi præparetur & præueniatur à Deo per ſuam gratiam. Secundum eſt elogium quod ipſe adducit: quòd pro nihilo ſaluos facit homines: Et cap. 4. præcedente adduxerat illud D. Cypriani proloquium. *In nullo gloriã dum quando noſtrum nihil eſt*. Nam profectò ſi vera eſſet aduerſariorum opinio iã homo ſuppoſita illa lege, quam ipſi conſtituũt circa naturæ conatum, haberet & habere poſſet ex ſuis viribus naturalibus aliquid, quo ſe diſcerneret ab illo alio, qui non tentaret ex ſuis naturalibus aggredi illa opera: quod valdè repellit & expreſsiſsimè D. Auguſt. eodem lib. de prædeſt. Sãctorum, cap. 5. Et Paulus ad Rom. 11. inquit. *Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt*. non dicit eſſe legem, vt ſi ex operibus naturæ homo conetur aggredi ex ſe ipſo tantum, opera viribus naturæ facta, per hoc reliquiæ ex lege ad eum ſtatum perducantur, vt per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſint: ſic enim iuuarent naturæ opera ex lege infallibili, cum tamen Paulus dicat abſolutè: Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ per electionẽ gratiæ ſaluę factæ ſunt. Quod argumentum plerunque facit D. Auguſt. lib. illo citato de prædeſtinat. Sanctorum multis in capitibus. Præterea ſi talis lex eſſet, vt ex naturæ conatibus operanti & aggredienti illa opera, Deus ſuã gratiã tribueret ſequeretur Deũ ex lege ſua feciſſe, ꝙ oſtiũ intrãdi in gratiã præueniẽtem & in gratiã iuſtificationis, eſſent vires naturales & illi naturæ conatus. Cũ tamẽ Chriſtus dicat ſe eſſe oſtium per quod intrare debemus. Et rurſus ſimul ipſe Chriſtus dicat. *Nemo venit ad me, niſi cui datum fuerit à Patre meo*. quod intelligit de dono gratiæ diuinæ, vt Sancti Patres interpretantur: ac proinde nemo venit ad hoc oſtium quantumcunque conetur ex ſuis viribus naturalibus, niſi ex diuina gratia præueniente.

Duo quæ aſſerit diuus Auguſtinus contra aduerſam ſententiam.

Ad Rom. 11.

Quòd vires naturales eſſent oſtiũ ad gratiam ex aduerſa ſententia ſequitur.

HOC dixit egregiè D. Auguſt. lib. 1. de prædeſtinat. Sãctorum, cap. 20. per hæc verba. *Hoc donum cæleſtis gratiæ in illam purpurariam deſcenderat, cui ſicut Scriptura dicit in actibus Apoſtolorum: Deus aperuerat ſenſum eius, & intendebat in ea quæ à Paulo dicebantur: ſic enim vocabatur vt crederet.* Et paulò inferius dicit. *Cũ Deus vult fieri quod non niſi volentibus hominibus oportet fieri, inclinare eorum corda vt hoc velint, eo ſcilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur & velle.* Quam ſententiã adducit Auguſtinus contra quoſdam qui ſibi aduerſabantur.

D. *Augu.*

Rur-

RVRSVS etiam D. Augustl. lib. de Spiritu & litera ad Marcellinum cap. 34. inquit. *Profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est. Quæ res non solũ nõ infirmat quod dictum est: quid enim habes quod non accepisti, verum etiam confirmat: accipere quippe, & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo: ac per hoc quid habeat, & quid accipiat Dei est: accipere autem & habere vtique accipientis, & habentis est.* Et cap. 33. apertè D. Augustinus voluntatem credendi donum Dei esse dicit, & non ex naturæ viribus.

Dominicus de Soto.

DOMINICVS Soto vir egregię eruditionis, postquam dixit lib. 2. de natura & gratia, cap. 3. neminem ex naturæ conatibus aut ex facultate humana posse se ad gratiam disponere nisi speciali auxilio gratiæ subnixus, ita vt operationi hominis certa lege & infallibili tribuatur gratia vel subsequatur, apertè satis negat esse legem vllam tribuendi, aut conferendi gratiã nisi ei quẽ Deus ad se traxerit per donum speciale suum: ac proinde consequenter expresse negat legem, quam isti auctores modo prædicto constituunt.

Franciscus Suarez pro nostra sentẽtia est: explicare tamen contendis recentiores in bonũ sensum.

FAVET nobis Franciscus Suarez lib. 3. de auxilijs diuinæ gratiæ, cap. 2. §. Non omittam, vbi affirmat, quòd si axioma illud: Faciẽti quod in se est, &c. explicetur de dispositione positiua, ad quam ex lege Dei consequatur gratia, nõ potest intelligi de homine faciente quod in se est per vires naturæ, sed per gratiæ auxilium: vnde non potest accommodari ad collationem primi auxilij, sed ad subsequentia: nimirum supposito priori, vt Sanctus Thomas rectè exposuit. 1. 2. quæst. 109. art. 6. ad 2. Et inferius idem auctor inquit. *Vtà Semipelagianis magis separemur hoc intelligamus de primo auxilio supernaturali, & ad supernaturales actus immediatè tendente.* Perpendendum tamen est quòd Suarez loco citato in exordio illius §. Non omittam, contendit excusare recentiores aliquos, qui tenuerunt sententiam quam suprà retulimus: eam nimirũ, quæ dicit posse hominem per vires naturæ aliquid efficere, quo primum gratiæ auxilium seu primam vocationem obtineat: qua ratione intelligunt illud: Facienti quod in se est Deus nõ denegat gratiam: de illo qui per vires liberi arbitrij quod in se est facit. Quam sententiã (propter Molinã) dicit ille, piè esse explicandam & non statim cum Semipelagianis inuoluendam, sed nullam mentionem facit de lege illa quam Molina constituit, ex qua, certitudine infallibili, tribuitur homini gratia præueniens, cũ reliquis eiusdem gratiæ auxilijs si ex naturæ conatibus efficiat & aggrediatur aliquid, quo obtineat primam vocationem, seu primum auxilium supernaturalis gratiæ cum reliquis actualibus. Vt autem prædictos auctores recẽtiores Suarez excusare possit magis sine occasione & vestigio suspicionis, vt ipse ait: dicit, *Quòd prædicti Doctores studuerunt, vt sufficientiam & necessitatem gratiæ declararent, inuenire modum, quo sit in potestate hominis habere illam etiam quoad primum auxilium gratiæ præuenientis, quia alioqui non apparet, quomodo sit in potestate illius salutem obtinere, si non est in potestate illius illam inchoare. Atque hinc supponunt id quod certissimum est, Deum quantum in se est, paratum esse ad dandũ omnibus gratiam suam, & ad vocandum omnes adultos: Nam sic verum est illud: Deus illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundũ, & illud: Deus vult omnes homines saluos fieri: iuxta expositionem magis receptam. Hoc ergo modo est in potestate cuiuscunque hominis saluari, quia est in potestate eius habere hoc diuinũ auxilium, non ex merito, aut dispositione sua, sed ex liberali, & generali largitione Dei. Quamuis autem homo nihil ex se possit efficere, quo diuinum hoc auxilium obtineat, sed Deus sola gratuita voluntate sua illud offerat: potest tamẽ homo vt D. Thomas lib. 3. contra gentes cap. 159. docuit, sua voluntate impedire sufficienter, & quantũ in ipso est, ne à Deo actu recipiat hoc auxilium, & hanc vocationem, si multiplicando peccata magis ac magis, illius indignũ se ipsum reddat. Dico autem sufficienter, quia peccatum quantum est in se huius pœnæ est dignum, quamquam non obstante quocũque peccato Deus possit hanc gratiam conferre, & sæpè id faciat illuminando, & efficacissimè vocando etiam grauissimos peccatores, vt certissimum sit hãc gratiam dari cui datur sine merito eius, quamuis ei cui actio nõ datur ex demerito, & impedimento eius non detur.* Hactenus Franciscus Suarez loco citato.

D. Thom.

SED profectò licèt hæc vera sint, tamen nõ refert integrè sentẽtiam Molinæ: nam Molina in Cõcordia quæst. 14. art. 13. disput. 10. non tantùm dixit posse hominem per vires naturæ aliquid efficere, quo primum gratiæ auxilium, seu primam vocationem obtineat, sed etiam voluit vt quoties liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur quod ex se potest aggrediendo circa ea quæ fides habet amplectẽda, & circa dolorem de peccatis, ac iustificationem id quod ex viribus suis potest, antecedenter ad omnem gratiam Dei præuenientem: Statutam esse legem à Deo conferendi gratiam præuenientem illi homini, & reliqua auxilia quibus hoc faciat vt ad salutem oportet. Hoc inquam non retulit Suarez cum tamen in hoc sita sit tota difficultas, de qua nunc agimus: & quonam pacto sit verum Deum legem statuisse tribuendi gratiam homini ita conanti ex puris naturalibus circa illa opera prædicta: ita vt si non ad impleret Deus suam legem esset infidelis non tribuendo gratiam præuenientem, ac reliqua auxilia, homini ita operanti ex viribus naturæ tantùm.

Quod sentẽtia Molinæ non fideliter & integrè à Suarez referatur.

RVRSVS non recenset quod idem Molina dixit, ex suis naturalibus viribus hominem peccatorẽ aggredi posse opus aliquod ex his quæ ad iustificationem spectant, tam circa fidem amplectendam & addiscendam, quàm circa dolorem de peccatis, ac iustificationem: & huic operi esse tribuendam ex certitudine legis præue-

nien-

nientem gratiam, & reliqua auxilia eius vt illud exequatur prout ad salutem oportet, quòd est suppositа lege statuta à Deo gratiam præuenientem esse debitam homini illo modo operāti ex viribus naturalibus.

Concilium Arausicā.

SANE si est lex illa, quā vult introducere ipse Molina sequeretur non esse verū quod in Cōcilio Arausicano 2. dicitur capit. 25. hoc modo: *Hoc etiā salubriter profitemur & credimus quod in omni opere bono nos nō incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur: sed ipse nobis nullis præcedētibus bonis meritis, & fidē, & amorē sui prius inspirat vt & bapt: smi sacramenta fideliter requiramus.* Et inferius. *Vnde manifestissimè credendū est quod & illius latronis, quē Dominus ad Paradysi Patriā reuocauit, & Cornelij Centurionis, ad quē Angelus Domini missus est, & Zachei qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tā admirabilis fides nō fuit de natura, sed diuinæ largitatis donum.* Vides quomodo in omni opere bono nos non incipimus, sed Deus est qui primò incipit per suā gratiā præuenientē, prius inspirando, & eam gratiā nō cōferri nostris bonis operibus ex naturæ conatibus factis, ex lege aliqua à Deo statuta de tali conferentia gratiæ. Vides etiā quomodo si data esset talis lex de collatione gratiæ, pręuenientis, & aliorū auxilorum eius, his qui voluerint aggredi opera circa fidē amplectendā, vel circa dolorē de peccatis ex solis naturæ viribus, in ordine ad opera iustificationis: primò quidē inciperet homo suis viribus, & illi sic incipienti daretur gratia Dei præueniens, & adiuuans certa, & infallibili lege, à qua lege Deus debitor diceretur, & gratia ipsa debita ex sua lege, & promissione: quod dici nō debet respectu conatus naturæ, quem homo adhiberet in casu posito, ex suis viribus præcisē.

FATEOR Christū meruisse nobis gratiā prę uenientē, & omnia auxilia gratiæ: meruisseq; vt cōtritio quæ est ex gratiæ Dei auxilio sit impetratoria veniæ & vltima dispositio ad iustificātē gratiā: Sed cū hoc sit verissimū, vnde habet quis quod statuta sit lex ex meritis Christi, vt quoties homo aut liberū eius arbitriū ex suis viribus naturalibus præcisē conatur ad opera iustitiæ, & fidei, illi tribuatur gratia pręueniens, & vocatio, &c. & quod ex lege sit tribuenda gratia illis operibus ex naturæ conatibus, & viribus tantū factis. Et vnde habet quis hominē incipere velle credere, & velle amplecti fidē Dei, & reliqua opera quæ ad iustificationē pertinēt ex solius naturæ viribus aut conatibus eius? Quod si hoc nō ostendunt, corruit eorū sentētia. Vnde D. Augustinus lib. 2. cōtra duas Epist. Pelagianorū ad Bonifaciū cap. 8. contra Pelagium agens inquit: *Si enim sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptū erit meritū: cui tanquā ex debito gratiæ veniat adiutoriū: ac sic gratia Dei nō gratis donabitur, Dominus autē vt respōderet futuro Pelagio nō ait: sine me difficile potestis aliquid facere, sed ait: Sinè me nihil potestis facere. Et vt responderet futuris etiā istis in eadē ipsa euangelica sentētia, nō ait. Sinè me nihil potestis perficere, sed facere. Nā si perficere dixisset, possent isti dicere: Nō ad incipiendū bonum quod à nobis est, sed ad perficiendū esse Dei adiutoriū necessariū. Verū audiant & Apostolū. Dominus enim cum ait: sinè me nihil potestis facere, hoc vno verbo initiū finemque cōprehendit: Apostolus verò tanquā sententiæ Dominicæ expositor apertius vtrūq; distinxit, dicens: Quoniam qui in vobis opus bonum cœpit, perficiet vsque in diē Christi Iesu. Sed in Scripturis sanctis apud eundē Apostolū isto vnde loquimur amplius inuenimus. Loquimur enim nūc de boni cupiditate, quā si voluntariò vis incipere à Domino perfici, videant quid respondeāt Apostolo dicenti, nō quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobis metipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Cogitare ait aliquid vtique bonum, minus est autē cogitare quā cupere. Cogitamus quippe omne quod cupimus: nec tamē cupimus omne quod cogitamus. Cū igitur minus sit cogitare quā cupere: potest enim homo cogitare bonū quod nondū cupit: & proficiendo postea cupere quod antea nō cupiendo cogitauit: Quomodo ad id quod minus est, id est ad cogitandū aliquid boni, nō sumus idonei, & sufficientes tanquā ex nobis metipsis: sed sufficiētia nostra ex Deo est? & ad id quod est amplius: id est ad cupiendū aliquid boni sine diuino adiutorio idonei sumus ex libero arbitrio?* En doctrina hæc D. August. vult sine Dei gratia hominē ex se ipso, & conatibus suis atq; viribus liberi arbitrij naturalibus, non posse velle amplecti fidē, & opera quæ ad iustificationē pertinent, nisi Deo inspirante, & incipiēte: opus enim ex his quæ ad iustificationē pertinent, & ad amplectendam fidē diuinā, primū initium habet ex Deo, neq; ad hoc sufficiētes sumus ex nobis metipsis. & cap. 10. idē Augustinus ait: *Nec omninò incipit homo ex malo in bonū per initiū fidei commutari, nisi hoc in illo agat indebita, & gratuita misericordia Dei.* & adducit illud Psalm. 76. *Dixi nūc cœpi hæc mutatio dexteræ Excelsi: Cū ergo dixisset, nunc cepi, nō ait: hæc mutatio arbitrij mei sed dexteræ Excelsi. Sic itaq; Dei gratia cogitetur, vt ab initio bonæ mutationis suæ vsq; in finē consumationis qui gloriatur in Domino glorietur.* Vides quā aptè D. Augustinus loquatur vt repellat modum dicendi aduersariorum.

Psalm. 76.

Quòd nullum habeat fundamentū huiusmodi lex. D. Augus.

SANE D. Augustinus eodē lib. cap. 3. in fine ait: *Ad fidem pertinet credere in Christo: sed nemo potest credere in eū, hoc est venire ad eum, nisi fuerit illi datum: Nemo igitur potest habere voluntatem iustam* (nimirum voluntatem amplectendi fidē Christi,) *nisi nullis præcedentibus meritis acceperit veram, hoc est gratuitam desuper gratiam.* Et eodem lib. 1. contra duas Epist. Pelagianorum cap. 19. Postquam dixit. *Quòd multi inimici Christi quotidie subito Dei occulta gratia trahuntur ad Christum:* adducit illud Ioannis. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum. Non enim ait duxerit: vt illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur si iam volebat? Et tamen nemo venit nisi velit. Trahitur ergò miris modis vt velit, ab illo, qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari: non vt homines* (quod fieri non potest) *nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant.* Et pau-

Ioannis. 6.

lò antea in eodem cap. loquens de conuersione D. Pauli inquit. *Quibus meritis bonæ voluntatis Deus illum ab his malis ad bona, mirabili, & repentina vocatione conuertit? Quid ergo dicam, quibus meritis cum ipse clamet. Non ex operibus iustitiæ quæ nos fecimus, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit. Quid illud quod iam commemorauì dixisset hominum: Nemo potest venire ad me, quod intelligitur credere in me, nisi ei datum fuerit à Patre meo? Vtrum iam volẽti credere pro meritis bonæ voluntatis hoc datur: an potius, vt credat ipsa volũtas?* Igitur ex sententia Augu. voluntas credẽdi, aut amplectendi Fidem ex Dei gratia procedit.

Et lib. 4. contra Iulianum Pelagianum, cap. 8. ait. *Omnes ergo qui salui fiunt, & in agnitionem veniunt veritatis, eo volente salui fiunt, eo volente veniunt. Quia etsi nondum sicut paruuli vtuntur voluntatis arbitrio, eo volente regenerãtur, quo creã te generantur. Et qui iam vtuntur voluntatis arbitrio, nisi eo volente, ac subueniente à quo præparatur voluntas, velle non possunt. Vbi si dixeris mihi: Cur ergo nõ conuertit omnium nolentium voluntates? Respondebo: Cur non omnes morituros adoptat lauacro regenerationis infantes, quorum adhuc nullas, & ideo nec contrarias inuenit voluntates?*

Quòd sit cõtra D. Paulum aduersa sentẽtia.

Rvrsvs si vera esset istorum auctorũ sententia sequitur, quòd cum Paulus dixit. *Non est volentis, neq; currentis, sed Dei miserentis.* similiter dici posset suppositis pacto, & lege Dei respectu hominis operantis ex naturæ conatibus ad Fidem amplectendam, & ad alia opera: est volentis, & currentis suo arbitrio, ac sic Dei miserentis. Nã si homine ex suis naturalibus volente aggredi amplexum fidei, & dolorem de peccatis, ac iustificationem, Deus ex pacto & lege misereturˌ sine dubio dici posset: est volentis, & currentis, ac sic Dei miserentis: ita vt infidelis diceretur Deus si non misereatur, deficeretque pactũ, & lex eius. cùm tamen Scriptura dicat: Cuius vult miseretur, & quem vult indurat: ergò intentũ. Hanc etiam sententiam repetit, & fusè satis explicat D. August. lib. vnico de gratia, & libero arbitrio ad Valentinũ ferè per singula capita, & sine dubio tempus nos deficeret si singula Augstu. loca recenseri deberẽt, in quibus testatur Deũ vt velimus operari incipere in nobis, qui iã volẽtibus cooperatur perficiens.

Legendvs est etiã D. August. lib. 1. retractationũ cap. 23. vbi D. August. ipsum velle credere dicit nos minimè posse nisi vocemur, & cũ post vocationem voluerimus non sufficit volũtas nostra, & cursus noster, nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quo vocat.

Quòd hæc lex non sit Ecclesiæ reuelata.

Ex quibus omnibus testimonijs, tam Scripturæ diuinæ, quàm Conciliorum, & D. August. aliorũq; sanctorum Patrum nullibi reperies legẽ hanc quam Molina cõstituit de cõferenda gratia præueniente homini conãti ex solis naturę viribus iuxta modũ, quem ipse constituit, & quẽ supra iam fideliter retulimus. Si enim talis lex fuisset à Deo cõstituta sine dubio reuelata fuisset Ecclesiæ: mirabile nanq; & inauditũ est quòd cũ Concilia omnia, & Tridentinũ etiã in dispu. de processu & progressu peccatoris ad adquirendã Dei gratiã, & impetrationem venię egerint, nullam omninò post mille sexcẽtos annos mentionẽ egerint de hac lege, & pacto ab operibus quibusdã ex solis naturæ viribus & conatibus factis, ad gratiã etiã præuenientẽ acquirendã ex pacto isto, & lege statutis à Deo. Cũ tamẽ tota mentio fiat de liberalitate & gratia ac diuina misericordia absque legis huius vlla recordatione, vt visum est.

Obiectio q̃ hæc lex videatur contineri in verbis Pauli.

Qvòd si dicas legẽ hanc inuolui in illa volũtate qua Paulus 1. ad Timoth. 2. ait: *Vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem Dei venire.* Quia si conantibus hominibus ex suis naturalibus faciẽtibusq; quod in se est, vel vt fidẽ amplectãtur, vel vt de peccatis doleant circa pœnitẽtiã de illis, ac iustificationẽ, Deus nõ est præsto per legẽ, tribuẽdo gratiã præuenientẽ, & reliqua auxilia, vt actu sint quales ad salutẽ oportet, nõ erit verũ Deũ velle omnes homines saluos fieri: His enim hominibus ita ex viribus naturę, conantibus Christus eã legem obtinuit, quã cum Patre cõstituit, ratione cuius dedit illis potestatẽ filios Dei fieri; quę potestas eatenus facta est illis vt filij Dei fiãt, quatenꝰ si quatũ in se est conentur, nimirũ ex viribus naturalibus, Deus ex lege quã tulit illis tribuat præueniẽtẽ gratiã, & reliqua auxilia, vt fidẽ & gratiã cõsequãtur, neq; desiderio suo fraudẽtur: quare ea ratione in potestate eorũ est, vt filij Dei fiãt, & hac ratione videntur dicere debere intelligi locum Ioannis primo. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

Solutio, & quod duo falsa contineantur in cõtraria sententia. Primum-

Sed oportet fugere hunc modũ dicẽdi, quia cõtinet duo falsa & difficilia. Primũ est, quòd eatenus data est potestas hominibus, vt filij Dei fiant si conentur tantũ ex naturę viribus aggredi opera circa fidẽ amplectendã, & circa dolorẽ de peccatis, ac iustificationẽ ante Spiritus sancti gratiã, & inspirationẽ. Hoc nanq; Molina sensit: eatenus inquã factam esse potestatẽ homini peccatoris, vt fiat Dei filius quatenus si ex se conetur ex proprijs viribus aggredi fidẽ, ac iustificationẽ. Hoc nanq; dicit nõ esse intelligendũ de his qui per gratiã facti sunt iam filij, dignitatẽque possident, sed de illis qui ad eam nõdũ pervenerunt, sed ex naturæ conatibus viribusq; naturalibus, aggrediunturque opera illa.

Sed certè hoc verũ esse non potest, vt expresse D. Augu. affirmat li. 1. cõtra duas Epi. Pelagianorũ ad Bonifaciũ cap. 3. vbi ait. *Datur ergo potestas vt filij Dei fiãt illis qui credũt in eũ: cum ipsum datur vt credant in eũ. Quæ potestas nisi detur à Deo nulla esse potest ex libero arbitrio: quia nec liberũ in bono erit, q liberator nõ liberauerit.* Quo testimonio nihil clarius adduci poterat ex Augu. calculo. Rursus etiã c. p. 2. præcedẽte dixerat Augu. *Cũ itaq; nõ viuant benè homines nisi effecti filij Dei: Quid est quod iste libero arbitrio vult benè viuendi tribuere potestatẽ? cum hæc potestas non detur nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: dicente Euangelio. Quotquot autem receperunt eũ didit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius.* Et capite 3. sequenti

idducit illud Ioann. 6. Quod Dominus ait: *Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum*: ergò nemo accipit potestatem veniendi ad Christum, nisi trahatur à Patre, neque potest venire ad ipsum, nisi fuerit ei datum à Patre Domini nostri Iesu Christi. Quam sententiam egregiè confirmat diuus Augustinus libr. 4. contra Iulianum Pelagianum capit 8. in medio, quo in loco inquit, quòd adulti qui iam vtuntur voluntatis arbitrio nisi Patre volente, ac subueniente, à quo præparatur voluntas, velle non possunt: Non igitur datur potestas illis vt fiant & velint esse filij Dei ex eo quod conantur ex viribus naturalibus, & ex vsu naturali liberi arbitrij, nisi Deo subueniente prius per spiritum gratiæ suæ.

Ioann. 1.

2. Corint. 3

D. Ambrosius.

Accedit etiam euidentissimum testimonium sapientissimi Augustini, libr. secundo de bono perseuerantiæ capit. 8. dicentis: *Non itaque in hominum sed in Dei est potestate vt habeant homines potestatem filij Dei fieri: A ipso quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias per quas habeant fidem, quæ operetur per dilectionem.* Et paulò antea in eodem cap. citans Apostolum Paulum ait. *Non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Quem secutus Beatus Ambrosius audet, & dicit: Non enim in potestate nostra est cor nostrum, & nostræ cogitationes. quod omnis qui humiliter, & veraciter pius est, esse verissimum sentit. Hoc autem Ambrosius vt diceret in eo libro loquebatur quem de fuga seculi scripsit, docens hoc seculum non corpore, sed corde esse fugiendum, quod nisi auxilio Dei fieri non posse disserit.* Hæc Augustinus.

Disput. 5. Section. 2. cõ. 3. 4. & 5.

De hac re, & de intelligentia eius contra auctores huius sententiæ egimus nos suprà disputa. 5. Sectione. 2. conclusione 3. 4. 5. & 6. quo in loco diximus multa in defensionem veritatis, & diximus etiam de hac eadem re postulandũ esse iudiciũ Sedis Apostolicæ: adduximusq; pro nostra sentẽtia plures ex sanctis Patribus: D. Athanasiũ, D. Prosperũ, Fulgentiũ, Augustinũ, Irenęum, Theophilactũ, D. Gregoriũ, D. Anselmum ad Romanos. 9. & idipsum fecimus tom. 3. variarum disputationum ad 1. 2. Sancti Thomę. Sanè Tridentinum Conciliũ Sessio. 6. capit. 5. decernit nullum hominem sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate posse: & tamen auctores opinionis citatæ dicunt, quòd quotiescunq; liberum arbitriũ ex suis viribus naturalibus conatur, præstò ve est ad conandum totum id quod ex sese potest tam circa fidem, quàm circa iustificationem, ac dolorem de peccatis, à Deo cõferri gratiam præueniẽtem, auxiliáve quibus id faciat vt oportet ad salutem ex infallibili lege à Deo statuta: quam negant omnes: vt eã negat esse cõstituendã Soto lib. 2. de natura, & gratia cap. 3. & 4. vbi docet legem nullã esse conferendi gratiã, neq; hoc fundari posse in aliqua lege statuta Dei semper annuendi, & infallibiliter concedendi quod petitur: neq; gratia tribuitur aut auxilia eius quę sunt ad iustificationem nisi ei quẽ Deus ad se traxerit. Illa igitur potestas, vt homines fiant filij Dei fundari debet. Primò, tanquã in vera radice, & semine, in auxilio speciali Dei, seu in gratia eius, in qua homo spẽ collocare debet. Hoc etiam videtur mihi satis insinuari in Tridentino Sess. 6. can. 3. dicẽte: *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur: anathema sit.* Et Theologi catholici huius ætatis sensum huius Canonis cognoscentes dicunt: Quod per gratiam iustificationis intelligit Concilium omne auxilium quo à principio mouemur ad iustitiam. Et tamen Cõcilium Tridentinum dicit hoc non posse fieri sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, vt oportet, nimirum ad impetrandam gratiam, & præcipuè ad primam gratiam obtinendam: igitur ista potestas à Deo datur per auxiliũ gratiæ eius, & non quatenus homo conatur ex suis viribus naturalibus aggredi opus, ex his quæ ad iustificationem spectant: sed ex summa eius liberalitate sine lege obligante ipsum. Quocirca Apocalypsis. 3. ne homo se excusaret dicendo se non posse, neque vim agendi pœnitentiam habere: quam Deus ab eo poscebat: statim subiecit Deus: *Ecce ego sto ad ostium: & pulso*. Rationes, & argumenta Theologica quę contra hos auctores fieri possunt satis apertè paulò superius à nobis sunt constituta, vbi ostendimus quòd illa potestas qua quis potest fieri filius Dei à gratia Dei descendit.

Apocal. 3.

Ego sanè ita premor pro defensione veritatis, vt si certa, & infallibili lege dicerem sequi gratiam ad opus peccatoris ex naturæ conatibus, & viribus factum quoties aggreditur ex vi suæ naturæ præcisè dolere de peccatis, aut velle credere, &c. Pari ratione sequeretur dicendum esse ex eisdem naturæ conatibus esse quandam inchoationem iustificationis in homine peccatore supposita illa lege antecedenter ad Spiritus Sancti inspirationem. Quod tamen satis apertè diuus Paulus repellit affirmando: quod non sumus sufficientes à nobis vel quidquam cogitare quasi ex nobis. Et nomine cogitationis designat primum initium motus, & primam inchoationem, quæ sit via ad gratiam quasi interpretans verbum Christi: sine me nihil potestis facere. Loquitur enim Christus illic de fructu quem ferimus in Christo, veluti palmites in vite: cuius prima inchoatio est à vite. Et ideò aduersus Pelagium vt patet in Concilio Mileuitano, & in Palęstino vt diuus Augustinus refert ad Paulinum, non solùm definitum est gratiam nullis meritis nostris dari, verum neque vllum esse in nobis initium aut inchoationem, sed Deum esse inceptorem: De quo ipse August. lib. 1. retractationum se ipsum correxit & emendauit, qui aliquando in ea fuerat sententia vt crederet oppositum.

Nomine cogitationis designatur à D. Paulo primũ initium & inchoatio, quæ sit via ad gratiam

Alterum falsum quod in relata sententia

Secundum falsum

Perpendenda ratio.

Plures adducuntur auctores.

continetur in oppoſita ſententia.

cõtinetur, eſt, de illis omnibus quæ dicit, eſſe legem ſtatutam à Deo, quæ ſanè licèt potuerit à Deo ſanciri, ſi ipſe voluiſſet: tamẽ quod fuerit lata de facto pro hominibus peccatoribus ita ex viribus merè naturalibus agentibus, id non video, nec id mihi Fides oſtendit, ſed potius agnoſco, quòd poſtquam adultus peccauit mortaliter, Deus ex iuſtitia, & iuſtiſſima lege repellit eum à ſua gratia, poteſtq; ab eo exigere pœnas debitas. Quòd ſi illius miſereretur: non ex lege aliqua, aut operibus eius ex viribus ſuæ naturæ factis tribuit gratiam: ſed ex ſumma liberalitate, & ex ea ſtat ad oſtium & pulſat vocãdo nos & tangendo cor noſtrum. Hocque oſtendimus iam pleriſq; argumẽtis & teſtimonijs ſuperius.

Obiectio.

QVOD ſi dicas, & inſtes adhuc: poſitam fuiſſe talem legem, & eam contineri in verbis Pauli: *Qui vult omnes homines ſaluos fieri*, &c. Quia aliàs ſi conantibus hominibus ex ſuis naturalibus, vel vt fidem amplectantur, vel vt de peccatis doleant, Deus non eſt ſemper præſto, videlicèt ex lege ab eo ſtatuta, per auxilia ad gratiam præuenientem, vt actu ſint quales ad ſalutem oportet, qua nam ratione verum erit, Deum velle omnes homines ſaluos fieri: eaque ratione acceptum coram eo eſſe, vt obſecrationes, orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus fiant, vt Paulus eodem loco dixit 1. ad Thimoteum. 2.

Solutio.

RESPONDETVR: negando talem legem qualem iſti fingunt in teſtimonio illo Pauli cõtineri. Nam profectò D. Auguſt. interpretatur hunc locum pleriſq; in locis ſuorum operũ, & nullam mentionẽ fecit alicubi exponendo ipſum de huiuſmodi lege à Deo ſtatuta pro illis bonis operibus. Neq; eſt veroſimile D. Auguſ. clariſsimũ, & ſapientiſsimum præcipuè in controuerſijs cõtra Pelagianos, & Semipelagianos & Maſsilienſes, non intelligiſſe rẽ hanc. Quod patet quia in Enchiridio cap. 103. interpretatur hunc locũ per diſtributionem quandã accomodã: quaſi Paulus Apoſtolus diceret: Nemo ſaluatur quẽ Deus non velit ſaluum facere: Veluti de Magiſtro ciuitatis alicuius dicere ſolemus eũ docere omnes ciuitatis infantes, & pueros: quãuis non omnes doceantur. Quod eſt dicere nullus eſt in hac ciuitate, ſi docetur, qui ab illo Magiſtro non doceatur. Hanc etiã interpretationẽ amplectitur D. Anſelmus. 1. ad Timotheũ 2. ſuper eũdem locũ Pauli, & Beda ibidem: imò verò D. Fulgentius lib. de incarnatione, & gratia cap. 31. & eundem ſenſum vult D. Auguſt. tribuere teſtimonio Ioan. 1. *Illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum*. Verũ eſt D. Auguſt. alias adhibere interpretationes, quas multò magis probat.

D. Auguſ.

D. Anſelmus, Beda, D Fulgentius.

QVOCIRCA eodem loco citato in Enchiridio cap. 103. quẽ ſequuntur Anſelmus, & Beda circa eundem locum Pauli. *Qui vult omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. inquit Auguſtinus prædictum locum interpretandum eſſe pro generibus ſingulorum, ita vt ſenſus ſit. Ex omni hominum genere, Deus vult homines ſaluos fieri: nimirum ex potentatibus, ex Regibus, ex pauperibus, ex mercatoribus, ex viris, & fœminis, & paruulis, & infantibus, &c. Et huic interpretationi ſatis fauet contextus Pauli: Nã cũ Apoſtolus diceret orandum eſſe pro Regibus, & in ſublimitate poſitis, ſtatim addidit cauſam huius dicendo: Qui vult omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire. Alias etiã interpretationes adducit quas nos 1. parte, quæſtion. 19. de voluntate Dei retulimus.

DIVVS Damaſcenus li. 1. de Fide ortodoxa cap. 29. explicat locum Pauli de voluntate antecedenti, & primaria: quod deſumpſit ex diuo Chryſoſtomo ſuper Epiſtol. ad Epheſ. Homil. 1. qui primariam, & ſecundariam voluntatem diſtinguit in Deo eodem modo atque D. Damaſcenus, antecedentem, & conſequentem. Hi autem Sancti Patres nullam mentionem faciunt de huiuſmodi lege tribuendi gratiam pro illis operibus ex naturæ viribus factis ab homine peccatore antecedenter ad gratiam Spiritus Sancti præuenientem, & inſpirantem. Vult igitur Deus ſingulorum hominum ſalutem, & iuſtam vitam, & idcircò paratus eſt pro omnibus, & ſtat ad oſtium, & quamuis poſtquam homo peccauit mortaliter, Deus non teneatur lege aliqua ab eo ſtatuta dare illi gratiam præuenientem, quia quod poſt peccatum ſequitur eſt demeritum iuſtæ vltionis diuinæ: nihilominus Deus miſericors, non ex debito, ſed ex miſericordia, & ex liberalitate ſumma eius, vocat ad ſe homines, & offert auxilia gratiæ, vt ipſi reſipiſcant, & curent de ſua ſalute: ſed totum hoc eſt gratia Dei, & non debitum ex lege aliqua, qua teneatur Deus dare illi homini gratiam præuenientem. Vnde fit quòd Deus, ſi non tenetur ex lege, & pacto aliquo, non eſt dicendum, quòd circa collationem gratiæ præuenientis, non aliter ſe habet quàm circa legem, & pactum, de generali concurſu rebus naturalibus impenſo animalibus, & arboribus, quem Deus illis impendit, vt generationes, & corruptiones rerum fiant. Dicit enim Ludouicus Molina, quòd ad eum modum, quo Deus per generalem concurſum, nimirum ordinis naturæ ſemper eſt præſto libero arbitrio, vt naturaliter velit, aut nolit, prout placuerit, ita eſt præſto illi per auxilium gratiæ ſufficiens, vt quoties ex ſuis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex ijs quæ ad iuſtificationem ſpectant, illud exequatur prout ad ſalutem oportet. Nam per generalem concurſum ordinis naturæ ex lege præſto eſt libero arbitrio ad naturalia, lege quaſi naturali ordinaria, qua à gentibus omnibus ſtatuit nõ denegare talem concurſum, verbi gratia, igni ad comburendum, & aquæ ad infrigidandum. Et oppoſitum eſſet miraculũ, & vſus potentiæ abſolutæ. Pari modo dicit Chriſtum promeruiſſe apud Patrem, & obtinuiſſe, vt cum filio eius talem legem ſtatuerent ſubueniendi hominibus,

D. Damaſ.

D. Chryſoſtomus.

Non ſe habet Deus in collatione gratiæ ſicut ſe habet in generali concurſu rebus naturalibus impenſo.

& libero arbitrio: vt quotiescunque ex viribus suis naturalibus peccator voluerit aggredi opera qualia ad iustificationē oportet continuò ex lege statuta tribuatur homini operanti ex naturæ conatibus gratia præueniens cum auxilijs eius, ex lege infallibili, seu ex debito illius legis ad id statutæ, seu ex tali pacto.

Licèt Deus potuerit hāc sancire legē, tamen non constat quod ita fecerit.

PROFECTÒ quāuis Deus potuisset si vellet hanc statuere legem: tamen quòd eam statuerit pro illis operibus ex solis naturæ viribus factis à peccatore, vt auctor illius sententię sensit, nunquam potui mihi persuadere; quia cōtrarium reperio in omnibus locis superius citatis & explicatis, præsertim apud D. August. inter sanctos Patres, qui diligentius de hac reloquutus est. Et quāuis Deus, & Dominus noster Iesus Christus meruerit omnia auxilia gratiæ, quæ hominibus tribuuntur à prima gratia prę ueniente, & à prima vocatione vsq; ad vltimum effectum: tamen quòd Deus teneatur lege aliqua homini qui peccauit mortaliter, si ex viribus naturæ velit aggredi opus aliquod ex cōmemoratis superius, quòd Deus ex debito legis teneatur illi tribuere primam gratiā prę uenientem, & primam vocationem, aut inspirationes diuinas, hoc mihi alienum videtur ab his omnibus, quæ dicta sunt.

QVOCIRCA vellem aduertere pium lectorē in hac parte quo pacto possint cohęrere hęc duo: Nimirū quòd de iustitia homo mortaliter peccans repellitur à gratia & amicitia Dei, & damnatur ex iusta, & rationabili lege ad pœnas inferni: Et quòd simul Deus legem statuerit de eodē homine peccatore, qui actu moraliter peccauit, de ipso inquam admittendo, seu de tribuēdo illi gratiam præuenientem cū reliquis gratiæ auxilijs, si ipse homo peccator ex viribus solius naturæ præcisè conetur ante omnē præueniētem gratiā aggredi opus aliquod circa fidē amplectendā, & addiscendam, & circa pœnitētiam de peccatis, & dolorem eorū, ac iustificationem: vt tandem adquisita illa gratia ex solis viribus naturalibus faciat illud opus prout ad salutem oportet, ac iustificationem.

Gabriel Vazquez 1. p. disp. 93. cap. 4. prope finem.

SCIO satis modernum Theologum voluisse docere, quòd bonum ingenium hominis facilius gratia Dei mouetur: illud tamen nunquam esse causam, vt aliquis congrua cogitatione vocetur. Vnde colligit non esse errorē Semipelagianorum, concedere dispositionem naturalem ex nobis, aut ex bona indole naturali, non quidem ad gratiam obtinendā, sed vt gratia ex misericordia collata, facilius in nobis operetur: sic enim neq; initium, neque occasio etiam remota, aut per accidens, gratiæ conceditur. Sed profectò hæc indigebant noua discussione: & illud primum, quòd bonum ingenium facilius gratia Dei mouetur: nam certè experientia cernimus plures ex hominibus acutissimi ingenij, & validioris plurimū resistere gratię Dei, & perditos esse in republica: alios verò mediocris ingenij modestos esse, & minus repugnare gratiæ Dei. Negari enim nō potest hoc: quoniam cernimus plures ex Hęreticis habuisse acuta ingenia, qui plerunq; tū ex miraculis, tum ex persuasionibus, tū etiā ex diuinis pulsationibus, mirisque portentis, nō sunt facilius moti; vt liquet in Pharaone, qui non facilius mouebatur: & constat etiam in perditis hominibus seculi, eos videlicèt quos magni ingenij, & acrimoniæ esse videmus: Imò verò eligit Deus infirma huius Mūdi vt fortia quæque confunderet: sed interdum videmus etiam gratiam Christi mirabiliter profeciſſe in quibusdā hominibus acuti & optimi ingenij, vt constat de diuo Augustino, de Sancto Thoma, & alijs. Id tamen quod dicitur, hos facilius moueri à gratia Dei quàm reliquos modesti ingenij naturalis, seu mediocris, indigebat longiore discursu, & maiore interpretatione. Hoc tamen vt certum intelligo, communiter ita accidere: nimirum eos qui non cumulant peccata, neque resistunt suis sceleribus, etiamsi obtineant non ita acuta, sed mediocria, & modestia ingenia, multò magis proficere cùm per gratiam Dei mouentur, & excitantur. Et quidquid sit non potest assignari regula de hac re. Illud verò quod dicit Gabriel Vazquez. 1. p. q. 23. art. 7. in fine capi. 4. non esse errorem Semipelagianorum cōcedere dispositionem naturalem ex nobis, aut ex bona indole naturali, non ad gratiam obtinendam, sed vt ipsa gratia ex misericordia collata facilius in nobis operetur. Hoc habet difficultatem, quam sentio, & considero propter multa: & etiam propter ea quę paulò antea dicebam⁹. Vnde Sedis Apostolicæ iudicium expectandum est. Et quia plurimū temporis in hac controuersia consumpsimus, tempus est vt ei finem imponamus, & vt satisfaciamus argumentis in principio positis.

Experientia constat homines acutissimi ingenij plerunq; magis resistere gratiæ Dei quàm alij mediocris ingenij.

Disput. 93. 1. p. q. 23. artic. 7.

Ad argumenta in exordio facta.

AD primum quod desumitur ex testimonio Pauli. 1. ad Timotheum cap. 1. *Qui prius fui blasfemus, & persecutor & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum: quia ignorans feci in incredulitate.* Hoc in loco volunt nonnulli Paulū assignare causam, cur ipse fuerit consecutus misericordiā gratię Dei & remissionē peccatorū: quia per ignorantiā persecutus est Ecclesiā, & Christi discipulos. Alij verò dicūt, quòd illis verbis D. Paulus nō voluit significare causam, cur fuerit vocatus à Deo, sed conditionem sine qua nō vocaretur. Sed profectò si potest assignari vel causa vel conditio, quæ præcederet aliquo modo vel vocationē, vel remissionē peccati, vel donationem primæ gratiæ, ex qua Deus sumpserit occasionē donationis gratiæ: nimirū cur Paulus magis quàm alij qui persequebantur Ecclesiā consequeretur misericordiā: quæ ex parte Pauli in eo præcederet, hoc dici non potest, quia plurimum fauent Massilienſibus.

Ad primū argumētū ex testimonio D. Pauli.

QVOCIRCA Hugo Cardinalis super eundem locum Pauli aliter explicat eum. *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci: id est remissionem peccatorum per eius mi-*

Hugo Cardinalis.

Leuitici. 5.

Quòd nõ placeat proposita prædicti testimonij expositio.

D. Thomas

sericordiam, non per mea merita. Quia ignorans feci: id est facilius habui misericordiam: quia non ex certa scientia peccaui. Vnde Iy, quia, non dicit causam: credebat enim Paulus, se obsequium præstare Deo persequendo Ecclesiam, sicut habetur Ioannis 16. Quapropter inquit Hugo quòd est argumentum factum, ignorãtiam excusare à tanto, etsi non à toto, iuxta illud Leuitici. 5. *Qui orabit pro eo, quia nesciens fecit, & dimittetur ei: quia per errorem deliquit in Dominũ.* Et modernivolẽtes saluare difficultatẽ huius testimonij dicunt ꝙ negatio maioris peccati, & non minus peccatum fuit occasio, & causa remouens impedimentum ad hoc vt Paulus cõsequeretur misericordiam à Deo, & vt Deus eam prædestinaret illi. Causa autem remouens impedimentum, dici non debet causa per se impetratoria, sed quædam conditio vel causa sine qua non, quę videtur esse minus initium, quàm illud quod Massilienses constituere voluerunt. Sed certè hæc interpretatio nouorum Theologorum mihi non probatur: Nam si hoc quod est minus peccauisse, vel nõ peccauisse ex malitia, quod se tenet ex parte hominis, est cõditio, vel causa sine qua non vel occasio illius misericordiæ conferendæ, iam tunc ex parte nostra contemplaremur aliquid cur tribueretur nobis vel gratia vel remissio peccati: quod dici nõ potest. Rursus si ille qui peccat ex malitia est massa minus idonea quã ille quia peccat ex ignorãtia, sequitur nos nõ posse dicere cũ Paulo ad Roman. 9. Deum fecisse ex eadem massa alium ex nobis vas in hónorem, alium verò in contumeliam, quod est inconueniens: ergò omnis differentia non est referenda nisi in Deum, qui quibus placuit dedit gratiam suam.

His igitur modis dicendi prætermissis, aliter dicere oportet: nimirum vt supra insinuabamus, quòd particula, *quia*, non dicat causam, & sit sensus. *Misericordiam consecutus sum de eo quod ignorans feci in incredulitate, cum eo tempore non persequebar Ecclesiam Dei ex malitia neque ex affectu, sed quia iudicabam me obsequium præstare Deo.* Quam interpretationem insinuat etiam Hugo loco citato, & iuxta eam cessat difficultas mota in argumẽto ex occasione huius testimonij. Huic interpretationi consonat illa altera: Misericordiam consecutus, quia ignorans feci, hoc est, & certè ignorans feci, non sicut fratres mei qui sciebant, & ex malitia peccauerũt. Ita sanè vt particula, quia, tantùm valeat sicut, & certè ignorans feci.

Divvs Thomas in commentarijs super primam ad Timotheum capit. 1. inquit. *Deinde cum dicit Paulus: sed misericordiam Dei, ostendit quomodo fuit liberatus per Christum: & primò ponit misericordiam liberantem: secundò ostendit quòd superabundaret in bonis. Nam cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Et statim subiungit diuus Thomas in persona Pauli hæc verba. *Sed ex parte mea aliqua est excusatio peccati, quia ignorans feci: hoc est per ignorantiam, quia si scirem non facerem.* Ex hac autem interpretatione nihil sequitur contra nostram doctrinam superius positam.

D. Chrysostomus.

Divvs Chrysostomus Homilia. 3. super eundem locum Pauli ait. *Blasphemus inquit erã, & persecutor, & contumeliosus. Igitur & supplicio dignus: verum non pœna affectus, sed misericordiam sum cõsecutus.* Et statim: *Ergo ne igitur hoc solũ Dei misericordiam prædicat quod supplicia nõ intulerit? minime id quidem: neq; enim solùm imminente pœna nos eripuit Deus, sed & iustos fecit, & fratres, & filios, & amicos, hæredes & cohæredes: idcircò inquit superabundauit gratia. Excessit, ait, misericordia modum.* Et quòd particula, quia, non sit causalis potest colligi ex eodẽ Paulo inferius dicente. *Sed idcircò misericordiã consecutus sum, vt in me primò ostenderet Christus Iesus omnem patiẽtiam ad cõfirmationem eorum, qui crediturí sunt illi in vitam æternam.* Legendus est Chrysostomus Homil. 4. sequenti; loco citato.

Glossa.

Glossa post Chrysostomũ sic habet. *Sed Dei misericordiam cõsequuntur, & qui scienter peccant vt Dauid, & qui ignoranter, quod facilius ignoscitur.* Et negat ignorantiam propriè esse causam, cũ sit mala; misericordia verò gratuita.

Nicolaus Lyranus.

Nicolaus Lyranus. *Quia ignorans feci:* ait, *Quod enim ignoranter cõmittitur facilius ignoscitur, quàm quod ex certa malitia perpetratur.* Vnde iuxta has interpretationes particula, quia, non est causalis.

Ex quibus omnibus satis colligitur neq; initiũ aliquod, neq; causam sine qua nõ præcessisse ex parte Pauli, quę fuerit Deo ratio cur remitteretur illi peccatũ, aut quæ fuerit causa vocationis vel gratiæ quæ ei donata est, sed totũ fuit liberalitatis, & misericordiæ Dei absolutè.

Ex verbis D. Augustini non colligitur data causam prædestinationis

Ad illud verò D. Augustin. in eodem argumẽto: qui cum circa verba Pauli: *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat:* subiũxisset. *Quid adhuc conquæritur? voluntati eius quis resistit?* Respondet D. Augustinus. *Sed hæc voluntas Dei iusta esse nõ potest, venit enim de occultissimis meritis.* Veruntamen non debemus intelligere D. Augustin. in illis verbis sensisse dari causam prædestinationis gratiæ, sed solũ voluntatẽ Dei iustã, hoc est, rationabilẽ esse, voluisseq; ex bonis suis liberaliter cõcedere alicui gratiã suã ordinãdo salutẽ eius ad aliquod bonũ: Nam certè Augustin. lib. 1. retractationũ cap. 26. explicans mẽtem suã & id quod dixerat lib. 83. quęst. q. 68. in quit. *Parum est velle nisi Deus misereatur, qui ad pacem vocat nisi voluntas præcesserit, quia in terra pax hominibus bonæ volũtatis.* Quo autem pacto id debeat intelligi statim aperit per hæc verba. *Hoc dictum est post pœnitentiã: nam est misericordia Dei etiam ipsam præueniens voluntatẽ, quæ si nõ esset nõ præpararetur volũtas à Domino, & ad eã misericordiam pertinet ipsa vocatio, quæ etiã fidem præuenit. De qua paulò post cũ agerẽ dixi. Hæc autẽ vocatio siue in singulis hominib⁹, siue in Populis atq; ipso genere humano per tẽporũ oportunitates operatur & altæ & profundæ ordinationis est.* Igitur ꝙ Aug. dicit venire ex occultissimis meritis ꝙ misereatur alicuius, nõ intelligit de prima misericordia gratię suę, sed de alijs, quas post pœnitentiã tri-

D. Augus.

buit,

buit, & ſuppoſita priori gratia, qua præexiſtẽte vel eſt congruitas, vel aliquid impetratoriũ, ſed nunquã ex ſolius arbitrij meritis, ſed vt dictum eſt alicuius gratiæ prioris omninò liberaliter datæ.

Ad 2. argumen. Nõ omnia quæ in parabolis continentur ſunt minutatim accipienda.

Ad ſecundum reſpõdetur, quòd non omnia quæ in parabolis continentur minutatim ſunt accipienda: ſed oportet ad ſubſtantiam parabolæ, & finẽ attendere. Parabola ergo ad id ordinatur vt oſtendat quòd Dominus petiturus ſit rationem talenti gratiæ Chriſti, & creationis, quod nobis liberaliter cõtulit, ſicut ille Pater familias à ſeruis exigebat. De modo autẽ partitionis ipſorũ talentorũ nõ ita ſollicitus fuit Chriſtus, ſed narrando parabolã adduxit illam diuiſionem ſolũ vt oſtenderet rationẽ beneficij, & gratiæ acceptæ, & iuxta menſurã ipſius poſtulandã eſſe rationem. D. Thomas 2.2.q.24.art.3 ad primum, nomine propriæ virtutis dicit intelligendã eſſe cuiuſq; diſpoſitionẽ procedentẽ ex auxilio gratiæ Dei: iuxta quã Deus diuiſit gratiã vnicuiq;, & diſtribuit. Et D. Hieronymus hunc eundem locũ intelligit nõ quidem de remiſsione peccatorũ, ſed de alijs donis Spiritus ſancti, & de prædicatione Euangelica: ſic enim ait. *Vocatis Apoſtolis doctrinam tradidit Euangelicã, nõ pro largitate, & parcitate alteri plus & alteri minus tribuens, ſed pro accipientiũ viribus.* Intelligit Hieronymus vires non naturales, ſed ſtructas etiã donis gratiæ: nam hac ratione vni dedit maius miniſteriũ, quàm alijs, nimirũ Petro: aliàs ſi loqueremur de gratia prædeſtinationis, qua vnuſquiſq; ſaluatur, quamuis ſecũda aliqua gratia detur iuxta diſpoſitionem recipiẽtis, quæ ex alia gratia proceſsit: prima tamen omnium gratia neq; tribuitur neq; diſtribuitur niſi ex ſola liberalitate & beneplacito Dei, ipſiuſque miſericordia.

D. Thomas

D. Hieronymus.

Ad tertiũ ſolutio.

Ad tertium reſpondetur, quòd in hoc teſtimonio D. Paulus probat ſuperiorem ſententiã, quam ipſe attulerat cùm dixit. *Scimus autẽ quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: iis qui ſecundũ propoſitum vocati ſunt ſancti.* Probat ergo Paulus hanc ſententiam: nimirũ, diligentibus Deũ, qui vocati ſunt ſecundũ Dei propoſitũ, omnia cooperari in bonũ, & ſimul exponit quod ſit hoc propoſitũ. *Quos*, inquit Paulus, *præſciuit*: Hoc relatiuũ, (*quos*) refertur ad præcedens, nẽpe ad eos, de quibus dictũ eſt, vocatos eſſe ſecundùm propoſitum: Hos enim vocatos Deus præſciuit antequã eſſent. Quos ſanè prẽcognitos, & prius vocatos ſecundũ propoſitũ, magno eſt proſecutus beneficio; prædeſtinauit nãq; eos ab æterno, vt eſſent cõformes imagini Filij ſui. Quã cõformitatẽ alijs verbis expreſsit Paulus ad Epheſ. 1. dicens: *Qui prædeſtinauit nos in adoptionẽ filiorũ per Ieſum Chriſtũ.* Prædeſtinare verò in adoptionẽ filiorum per Chriſtũ, eſt prædefinire, & decernere; facere eos filios adoptionis, perficereq; in eis adoptionẽ: hoc autẽ prædefiniuit Deus per ipſum Chriſtũ & poſtea fecit in tẽpore. Dico ergo illud relatiuũ (*quos*) referri ad præcedentia, nimirũ ad eos qui vocati ſunt ſecundũ propoſitũ, nam quos præſciuit vocatos ſecundũ propoſitũ ſunt, hos verè prædeſtinauit: ac proinde ſi referamus illud relatiuũ ad antecedentia ceſſat omnis difficultas: quia Paulus exponens quòd præceſſerat, omnia cooperari in bonũ dilig entibus Deũ, non omnibus, ſed illis qui ſecundũ propoſitũ vocati ſunt, adiecit improbationẽ, quia hos tales vocatos præſciens prædeſtinauit, vt eſſent conformes imagini Filij eius. Et Oecumenius idẽ ſenſit: Docuit enim relatiuũ (*quos*) ad præcedẽtia eſſe referendũ. D. Anſel. ſic ordinat verba prædicti teſtimonij. Quos præſciuit cõformes futuros imagini Filij ſui prædeſtinauit tales fore: quæ verborũ connexio, vt Toletus ad notauit Cardinalis, violenta eſt.

Oecumenius D. Anſelmus.

Toletus.

Caietanvs ſuper Paulũ dicit: Quòd prẽſciẽtia horũ euentuũ non præcedit diuinã prædefinitionẽ eorũdẽ euentuum, ſed ſequitur illã. Prius enim ordine rationis Deus volẽdo definit hos euẽtus, quã ſciat illos fore: imò ratio, quòd ſciat illos fore, eſt quia volẽdo definit illos. Nõ ſignificat itaq; Paulus præſcientiã eſſe rationẽ prædeſtinationis, ſed è cõuerſo, prædefinitionẽ eſſe rationẽ præſcientiæ. Eſt itaq; ſenſus Pauli: nã quos præſciuit conformes, & prædefiniuit, hoc eſt etiã prius prædefiniuit, quàm præſciret: vt præpoſitio poſitãte definiuit, non ſolùm referatur ad definitos, ſed ad præſcientiam, diſpari tamen ordine, nam ad illos ordine durationis, ad iſtam ordine quaſi cauſalitatis. Probando enim quòd ſecundum propoſitum dixit hæc ad confutandũ illorũ dogma, qui primum noſtræ ſalutis locum tribuunt præſcientiæ futurorum veluti rationi diuinæ definitionis: ad cõfutandũ inquã hanc rationẽ præſcientiæ meritorũ, primũ noſtrę ſalutis locũ tribuit diuino propoſito, dicendo: ijs qui ſecundũ propoſitũ vocati ſunt. Et probãdo hoc manifeſtat, q̃ diuina definitio conformiũ filio Dei: prior eſt diuina præſciẽtia eorundẽ: dicens: nã quos præſciuit, & prædefiniuit; hoc eſt, etiã priuſquã præſciret definiuit.

Caietanus.

Interpretatio exaliorũ mente.

Alivm interpretatio eſt quòd præſciẽtia dupliciter accipi poteſt in Sacris Literis, primò pro ſcientia approbationis, quæ eſt idem quod prædeſtinatio, vt voluit D. Auguſtinus de bono perſeuerantiæ capit. 18. iuxta illud ad Romanos. 11. *Non repulit Dominus plebem ſuam, quam præſcivit.* Et ſecundùm hanc acceptionẽ, ſenſus eſt; Quos Deus approbauit ſua approbationis ſcientia, etiam prẽdiſtinauit: non quòd prius ſit prẽſcire, quã prẽdeſtinare: idẽ enim eſt, ſed fit eiuſdem repetitio more Scripturæ. Rurſus præſcire ſimiliter ſignificat ſcientiam Dei ſpeculatiuam, qua Deus nouit bona, & mala, quæ futura ſunt, & hoc modo ſenſus illius loci eſſe poteſt, quem voluit Anſelmus, ſed non quẽ voluit Caietanus: & nihilomin⁹ poteſt eſſe ſenſus: Quos Deus nouit futuros cõformes imagini Filij ſui, etiam prædeſtinauit cõformes fore. Hoc modo vtrumq; verbũ, præſciuit & prædeſtinauit, refertur ad illud conformes fieri: & tũc non eſt repetitio, ſed ſignificat Paulus filios

Ad Roma nor. 11.

Dei ita fuisse præscitos à Deo, vt etiam fuerint prædestinati: cū aliàs multa præsciat Deus quæ non prædestinat: nimirum peccata. Sic autem non opus est vt præscientia sit prior prædestinatione, sed etiamsi posterior sit, optimè dicitur quos præsciuit etiam prædestinauit.

Solutio. 4. argum.

Ad quartum respondetur, concesso antecedente, & negando consequentiam, oppositum enim fusè, & luculenter diximus, ostendentes initium nostræ salutis esse Dei gratiam: non vires naturales nostrę, neq; conatus nostri.

Solutio quinti. D. Ambr.

Ad quintum argumentum respōdetur debile argumētum esse, vt optimè adnotauit Diuus Ambrosius lib. 1. de vocatione gentium capi. 1. prope finem. Quocirca dicēdum est, quòd nulla infertur vis aut coactio libertati nostræ ex eo quòd Deus præuenit sua gratia nostrum arbitrium, & voluntatē: Nam certè libertas non consistit in hoc, vt ipsa voluntas sit primum deliberans, aut in eo quod ipsa ex se prius operetur, aut quòd ex potestate ipsius pendeat auxilium gratiæ præuenientis per occasiones singulas, & opera ad quę tribuitur, sed potius in eo vt voluntas ex eadem Dei gratia consentiat liberè cogitationi sanctæ, & gratiæ Dei excitāti ad bona opera salutis, itaq; liberū est voluntati cōsentire, & cooperari gratiæ Dei præuenienti, & operāti, & hic consensus est liber, & in libertate volūtatis positus. Hoc docuit Tridentinū Concilium Sess. 6. cap. 5. vbi affirmat, Exordium iustificationis incipere à Dei vocatione, quæ sine dubio prœuenit, & præcedit nostrū consensum: in quo sensit Cōcilium nihil esse ex nostro libero arbitrio q̄ tribuat exordiū, & initium gratię Dei. Rursus cū idē Cōcilium docet nos liberè assentiri eidem gratiæ, & vocationi Dei, & posse etiā ei repugnare: satis apertè indicat libertatē nostrā esse in ipso consensu, quo assentimur vocationi: ex quo sufficiēter satis saluatur in operibus volūtatis libertas nostra. Vnde D. Ambrosius loco citato inquit: Primitus itaq; de volūtatis humanæ motibus, & gradibus disputandū est. Inter quā, & gratiam Dei quorundā non sana discretio est, existimantiū quòd prędicatione gratiæ liberum negetur arbitriū, nec aduertentiū eadem regula sibi posse obijci quòd gratiā negent: cū eam humanæ voluntatis non ducem volunt esse, sed comitē. En auctores huius temporis, & ætatis volunt gratiā tantùm esse comitem nō ducem, & præuiam, quando voluntas consentit auxilio efficaci Dei in actibus pœnitentiæ & alijs, in quibus gratia Dei requiritur, vt format principium eorum.

Concilium Trident.

Solutio sexti argumenti.

Ad sextum negatur sequela, quæ satis inefficax est ridiculaq;. Ex hoc enim quòd Deus distribuit liberaliter diuitias gratiæ suæ, cùm gratia nō sit debita homini peccatori neq; sit debita illi ex vi creationis, sed sit verè gratia, & noua gratia atq; liberalitas distincta à dono creationis liberi arbitrij, & cū peccatori adulto, post quā ille peccauit mortaliter, Deus non sit debitor suæ gratię, inde fit, quòd Deus nō sit acceptor personaru: nam in donis gratuitis, & merè liberalibus nō est acceptio personæ, atq; ita cū vni potius Deus vocationē suam aptam, & cōgruā tribuit, quàm alteri non dicitur personarū acceptor: acceptio nanq; personarum solū inuenitur in distributione debita ex iustitia: quod insinuauit Christus in parabola illa, de operarijs vineę, quibus æqualiter denarius tributus est, licèt non eadē horā labori fuerint intenti, neque æquè laborauerint. Dixit enim illis Christus se nullā iniuriam irrogare illis. *Amice*, inquit, *non facio tibi iniuriam, nonne ex denario conueniſti mecum? An non licèt de meo quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Ecce quomodo ingratuitio nulla vis aut iniuria irrogatur neq; iniustitia acceptionis personarum. De hac ergo gratuita, & liberali distributione gratiæ potest iure dici illud Pauli Rom. 9. *Volūtati eius quis resistit? O homo tu quis es, qui respondeas Deo? An non habet potestatē figulus ex eadem masa facere aliud vas in honorem. &c.* Ex doctrina tradita apertè sequitur, quòd homines non nascuntur iā iudicati, hoc est absq; vllo suo demerito, sed nascuntur iudicādi ex suis operibus quibus suppliciū vel præmium sunt recepturi. Non enim adultus iudicabitur à Deo quòd habuerit potius hanc vocationem quā illam, sed ex eo quod noluit respondere illi, aut rectè viuere cū posset: omnes enim sufficienti auxilio, & vocatione excitantur, neq; aliquis destituitur à Deo, & gratia eius vt peccata vitare nō possit, aut quòd nō habeat libertatē de qua admonemur à Deo cū per Prophetā dicit: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad nos.

Quare Deo non sit acceptor personarum.

Rom. 9.

Solutio septimi argumenti.

Ad septimum respondetur, quòd vnus iustus pro alio nō frustra orat, neq; etiā frustra postulat primam gratiā alteri, quam sanè aliquando vnus impetrat alteri. Cæterū oratio illius qui alteri gratiam obtinet non oritur ex solis liberè arbitrij viribus, & naturæ conatibus, sed ex gratia Dei, & auxilio eius. Quod satis apertè constat in ratione Stephani pro Paulo. Rursus, Nemo sibi oratione sua obtinere potest primā omnium gratiam: nam etiā oratio qua gratiā petimus, & postulamus procedit ex auxilio gratiæ: quapropter oratio nō prœuenit primā gratiam omniū. Et idcircò in Concilio Arausicano 2. can. 3. definitur oratione humana gratiā Dei non obtineri: intelligit primā gratiam: quia secunda gratia quāuis non oratione humana, hoc est ex proprijs viribus: tamē oratione ex spiritu gratię Dei obtinetur. Vnde can. 6. damnatur qui dixerit gratiā Dei videlicèt primā, dari orātibus sine spiritu grātiæ, sicut Massilienses affirmabant. Probat autē hoc Concilium ex illo Isaiæ. 65. Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant. Et ex illo Pauli. 1. Corinth. 4. Quid habes quod non accepisti? Quapropter D. Augu. lib. de bono perseuerantię cap. 16. & D. Prosper lib. 2. de vocatione Gentiū cap. 8. & aliàs 2. respondent obiectioni in argumēto tactę. Dicūt enim quòd non est frustra oratio nostra ex spiritu gratiæ, quæ nos prœuenit vt oremus: quoniam illa ora-

tio-

tione ex spiritu sancto facta aliud secundum auxilium gratiæ possumus à Deo consequi, & illud sæpè impetramus. Et D. Prosper lib. 2. de vocatione gentium, cap. 36. aliàs vltimo, probat ex D. Augustino eius magistro, non auferri solicitudinem nostram & orationem, si gratia Dei liberaliter ab eo donatur: & reddit rationem huius dicens: Cum implendæ voluntatis Dei ita fit præparatus effectus vt per laborem operum, per instantiam supplicationis fiat incrementa meritorum. Hoc est ac si diceret: quamuis oratione nostra primam gratiam non possimus obtinere, tamen in gratia accepta ab Spiritu sancto oratione & sollicitudine crescere possumus nouaque dona à Deo impetrare.

SECTIO IIII.

An possit prædefiniri à Deo actus liber sine læsione libertatis?

De quibus possit esse cõtrouersia.

REM aggredior difficilẽ & in qua plures habeo aduersarios: faxit Deus vt salutis portum inuenire possimus. Nobis enim non est animus cõtendẽdi, sed potius attingendi veritatis scopum. Illuminet Deus corda nostra & intellectum aperiat, vt sicut affectu nostro veritatem inquirimus, ita intellectu assequamur & amplexemur illam.

POTEST ergo disputatio & controuersia hæc esse vel de prædefinitione actus in specie, vel de prædefinitione actus in indiuiduo, & rursus de prædefinitione actus indiuidui secundũ omnes circunstantias. Vt, verbi gratia, potest esse disputatio de prædefinitione actuum supernaturalium in specie, videlicet Pœnitentiæ, Fidei, & Charitatis, quibus peccatores illęsa libertate eorum reducuntur ad Deum. Et quidem omnes conueniunt hanc prædefinitionem in specie minimè posse lædere libertatem, quia nõ prędefinit actionem aliquã in indiuiduo secundum omnes circunstantias eius. Præcipuè cum auctores huius prædefinitionis in specie, solum constituant concursum Dei moraliter allicientem ad actionem studiosam in specie, siue longo, siue breui temporis interuallo, ad eam eliciendam prædeterminet Deus hominis voluntatem. Hanc autem prædeterminationem voluntatis, præcisè dicunt esse moralem, & moraliter prædeterminare voluntates nostras, ita tamen vt tales actus infallibiliter eliciantur à voluntate creata. Nã si sunt aliqui hominum adeò prudentes vt in aliorum animos inducant quod volunt, aliorum libertate illęsa & sine læsione vlla relicta: quid ergo mirum, si Deus per scientiam infinitam, & potestatem nostris voluntatibus ita dominetur, vt libertatis iure, ad obediẽdum infallibiliter vtatur eis?

Quòd omnes conueniant admittendã esse & non lædere libertatem præ. definitionẽ actus in specie: & quantum ad hãc prædefinitionẽ qua via incedant aduersarij.

NAM si homini propenso ad diuitias & destituto specialibus Dei auxilijs, diuitiæ apponãtur gratis accipiendæ, vel monarchia orbis, nemo prudenter dubitabit hominem illum nõ esse consensurum & venturum esse in locum vbi ingentes illas diuitias, vel regnum esset accepturus: in quo casu nulla physica necessitate moueretur, & nihilominus infallibile esse iudicaremus talem hominem non esse recesurum à consensu diuitiarum, quæ illi offeruntur, vel ab acceptatione monarchiæ: sic ergo noui Theologi dicunt, potest Deus mentem nostram illustrare, tam apta & aperta cognitione tum cœlestium bonorum, tum etiam vanitatis huius seculi, vt prorsus sordescant animo res omnes caducæ huius vitæ, & contemnantur infallibiliter propter illud æternæ gloriæ pondus quod speramus: & ita infallibiliter posse prædefiniri à Deo aliquem actum in specie cum certitudine infallibilitatis moralis.

Exẽpla quibus vtũtur aduersarij ad explicandam suam prædefinitionẽ moralem, & certitudinem quæ ex ea haberi potest.

ADDVCVNT aliud exemplum, Nam hominem sanæ mentis magno currentem impetu infallibiliter retinebis si viarum grassatores & occisores expectantes eum ostendas: cur ergo Deus mortis & inferni cognitione tam aperta vt homo videatur iam iã experiri durissima illa tormenta, non reducet infallibiliter errãtem? Rursus infallibile est patrem familias liberè vigilaturum ad seruandum bona sua si sciret qua hora fur veniret. Mercator etiam si nauim submergendam esse, vel capiendam à pyratis cognouisset non illi merces suas committeret. Neque agricola eo anno quo præsagiret certò nihil colligendum esse, imò neq; semina ipsa, cõmitteret semina terræ: ergo sicut in his reperitur vera infallibilitas, sic pari ratione si Deus prædefiniret concursu moraliter alliciente aliquã actionem studiosam in specie, illa quidem infallibiliter eueniret manente integra libertate illius actionis.

Quæ sint rationes propter quas sensibilia magis moueant.

QVÒD si aliquis respondeat negando consequutionem ab obiectis sensibilibus ad supernaturalia & spiritualia desumptam, quia sensibilia obiecta fortius, & hæc segnius mouent animum. Respondetur, quòd ex hac solutione potius fiet fortius argumentum supratactũ, quia omnes rationes ob quas magis capimur à sensibilibus obiectis reducuntur ad hæc capita. Nimirum quoniã facilius, prius, & euidentius cognoscimus bonitatem obiectorum sensibilium, quàm spiritualium quorum notitiã per discursum postea ex sensibilibus colligere debemus, & quasi per vmbras tantum & alienas species virtutis pulchritudinem cognoscendo. Secundum est delectatio ex sensibilibus à nobis perceptа, vel è conuerso anxietas vehemens qua premimur quando vel sensibilibus caremus vel dolore afficimus. Tertium est, quòd sensibilia longa consuetudine ab infantia vires susceperũt. Quartum est, quia præsentia ardentius expetuntur, quàm futura, quæ in longa tempora prophetari videntur. Quod si hæc quatuor ita è conuerso commutentur vt in spiritualibus bonis validiora sint quàm in sensibilibus infallibiliter rapient, & inuitabũt seu mouebunt homi-

nem, vt sensibilia bona infallibiliter antea rapiebant ipsum: Sed potest Deus primò per cõtemplationẽ, per dona sapientiæ & intellectus, per infusam scientiam clariorem, certiorem, facilio-rem & constantiorem, & per prophetiæ gratiã spiritualium rerum cognitionem præbere multo excellentiorem, quàm sit quælibet cognitio rerum sensibilium, præsertim si ostendat Deus vmbras & fictiones huius vitæ & in eis ostendat virus occultũ. Prætereà etiam potest Deus appetitũ maiori delectatione afficere dum flagellis cæditur, vel dum fame premitur: quàm quodlibet aliud sensibile obiectum afficere potest, quod crebrò experti sunt Sancti Dei. Rursus potest Deus vibrare iudicis gladium, & ignẽ inferni ita succendere in mentis oculis vt videamus & cogitemus omnes seculi delectationes quasi præteritas & nullas esse.

Quomodo à Deo fieri possit vt spiritualia vehementius nos moueãt explicatur ab aduersarijs.

Magis doctrina proposita confirmatur.

Ecce igitur rationes omnes, quibus trahi possunt homines infallibiliter à rebus sensibilibus multò fortiores posse constitui in rebus spiritualibus. Quæ omnia vlterius possunt confirmari: Nam nullus est tam perditus qui nõ optaret honestatem virtutis cum delectatione atq; cũ impetu sui appetitus copulare: Nullus enim fugere potest virtutẽ propter se ipsam, sed propter aliquod bonum quo priuat, vel propter difficultatem quam habet: sed potest Deus omnem delectationem sensibilem, honestatem & honorem in animis nostris copulare cum virtute: ergo potest nos ad illam infallibiliter allicere, ita vt non possit frustrari Dei prædefinitio.

Molina quid in hoc sentiat.

Ludovicvs Molina 1. par. quæst. 14. artic. 13. disput. 18 membro. 3. differit de diuinis prædefinitionibus, & in eo explicat quousque prædefinitiones sint admittendæ. Et sanè si sermo fiat de actionibus liberis & contingentibus quæ à nobis fiunt, inquit primò, negari non posse ante omnem liberum actum diuinæ voluntatis & consequenter ante omnem prædefinitionem præcessisse ex parte diuini intellectus scientiam minimè liberam, qua Deus cognouit illa quæ fieri poterant & esse per omnipotentiam suam siue immediatè per se ipsum, siue interuentu secundarum causarum, aut interuentu cuiuscumque liberi arbitrij creati: ex quacumque cõditione & hypothesi, seu data quacumq; prædefinitione sua. Secundò inquit, quòd ad quamcumque actionem bonam moralem requiritur, quòd præcedãt sequentes prædefinitiones Dei ab æterno. Nempe voluntas creandi totum ordinem rerum vsque ad Petrum: & voluntas cõcurrendi cum singulis causis secundis tam liberis, quàm naturalibus, quæ à principio mundi in ea serie & ordine fuerunt vsque ad Petri productionem: voluntas creandi animam Petri, & infundendi illam, concurrendique simul cum omnibus secundis causis, quæ ad Petri generationem immediatè concurrunt; atque adeõ voluntas tribuendi illi liberum arbitrium & reliquas potentias ad omnia necessaria quousque Petrus deuenturus esset ad tempus & instans operandi liberè aut agendi benè moraliter: cum voluntate non denegandi illi suum concursum si pro sua voluntate ille vellet loqui, aut bonũ opus morale agere, vt eum eo pacto adiuuaret. Rursus etiam præcessit in Deo voluntas conferẽdi, Petro aut illi homini eum cõcursum, quoniam videbat Deus illum pro sua libertate esse operaturum opus aliquod bonum morale, vel præuidebat illum locuturum esse. Tertiò ait Molina hunc Dei influxum & concursum non esse motum Dei in arbitrium nostrũ, quo Deus moueat vel applicet aut determinet arbitrium ipsum, vel ad operandum, vel ad eam numero actionem vel loquutionem liberam, sed affirmat esse influxum cum arbitrio pendens vt sic ab influxu & cooperatione ipsius arbitrij creati: & hunc influxum dicit esse ex se indifferentem concursum, & pendere vt sic ab influxu & cooperatione influxus creati.

Adhuc eadem recenseture sententia.

Hvc vsque constituit ille diuinas prædefinitiones, & diuina decreta, de rebus agendis procedere & non vltra: quibus sanè prædefinitionibus ita præcedentibus nihilominus liber manet Petrus & integrum illi est in cõstituto instãti velle studiosè loqui iuxta arbitrium suum: vel abutendo donis Dei & influxu eius ad malum finem peruersè loqui: vel se applicare ad quodcumque aliud opus agendum. Ex quibus concludit: Quòd quoniam Deus, verbi gratia, præuidit pro libertate Petri aut hominis illius futuram esse operationem bonam vel locutionem bonam moraliter: aut in supernaturalibus præuidit pro libertate illius hominis futuram esse conuersionem aut pœnitentiam ex hypothesi quòd vellet Deus prædefinire eo pacto illum adiuuare & auxilia adiuuantia illi tribuere sibi complacendo voluntate beneplaciti, voluit, vt talis voluntas hominis esset futura, quæ aliàs præuisa fuerat futura ex hypothesi quòd Deus præfinire vellet eo pacto illum adiuuare. Hactenus Molina. Qui totam rationem conciliandi libertatem reducit tum ad scientiam hãc mediam qua præuidentur futura libera antecedenter ad diuinum decretum beneplaciti, tum etiam ad concursum Dei generalem indifferentem pro bonis actionibus moralibus præcisè vel ad auxilia gratiæ indifferentia, quæ cum talia sint, nisi præuideretur futuritio operis ab homine exercendi non dicerentur neque essent efficacia neque præfinirentur à Deo voluntate complacentiæ & beneplaciti.

Totam rationem conciliandi libertatem cũ prædefinitionibus cõstituit Molina in scientia media.

Mvlta alia dicit Molina loco citato quæ non probat, affirmat tamen obseruandum esse maximè scientiam mediam esse quidem in Deo ante omnem actum liberum suæ voluntatis, essęque omnium effectuum non solùm eorũ quæ ipsa futuri sunt, per arbitria quæ creare statuit in eo ordine rerum & circunstantiarum quem condere decreuit: sed etiam qui futuri essent, tum per hæc ipsa arbitria, tum etiam per infinita alia quæ creari potuit variata quacumque circunstatia in rerum ordine quem condere decreuit: quæ tamen scientia media ita præuidet omnium istorum effectuum euentum vt

nullius sit, nisi ex hypothesi præfinitionis diuinæ voluntatis, quòd hunc vel illum ordinem vellet condere, atque hoc vel illo modo eo ipso ordine mediisve & circunstantijs illius vellet prouidere & adiuuare.

TANDEM vult hic auctor, actus liberos prę definitos & pręuisos esse à Deo, quales ipse futuros esse præuidebat per scientiam mediam, complacendo vt essent dependenter ab arbitrij libertate & ab ipsa sua prædefinitione ac prouidentia, tãquam à duabus causis ita necessarijs ad illorum actuũ existentiam & futuritionem, vt si earum altera pro sua libertate deficeret tales actus non essent. Sanè multa alia dicit Molina, quæ clarius dicere potuisset si locutionem sermonis non protendisset. Et non video quibus argumentis ille probet hunc dicendi modum, in quo multa dicit difficilia. Primum est, quòd constituit scientiam mediam conditionatam seu neutram. Secundum est, quòd negat influxum Dei in causam secundam. Tertiũ, quòd negat applicationem seu præmotionem quam Deus habet dum secundas causas ad agendum mouet & applicat. Quartum, quòd vult influxum Dei esse indifferentem: quòd si hoc affirmet de influxu supernaturali gratiæ Dei adiuuantis per modum actus primi, aut per modũ actus secundi non video qua ratione possit defendi. Quintum, quòd non constituit nisi prædefinitionem quamdam & decretum Dei depẽdentem omnino à rebus ipsis, & à præuisione operum repellendo infallibilitatem euentuum in actibus liberis respectu prouidentiæ Dei: quod velit nolit ex doctrina eius colligitur. Sextum, quòd cum nõ assignet fundamenta efficacia, neque probationes suæ opinionis, contendit has prædefinitiones introducere suo modo, volens eas firmare assignãdo quasdam inefficaces, & aliquando friuolas responsiones ad nostra argumenta, & distortas aliquando illationes inferendo ex sana doctrina antiqua de efficaci gratia Dei.

Quòd in hac sententia multa dicãtur difficilia.

ALII Theologi sunt qui negant omninò posse fieri salua arbitrij libertate quòd Deus prædefiniat aliquem actum liberum hic & nũc liberè eliciendum cum reliquis circunstantijs. Hoc probant primò ex Damasceno li. 2. Fidei Orthodoxæ, cap. 30. dicentem. *Operæpretium est cognoscere Deum omnia præscire, non autem omnia prædefinire atque prædestinare. Præscit enim & ea quæ in nobis, non prædefinit autem hæc. Nam nõ vult prauitatem fieri, neque cogit, neque vim affert virtuti: Quare præsciæ iussionis diuinæ opus est prædefinitio.* Ecce ex sententia Damasceni videtur constare Deum non prædefinire liberos actus nostros, seu ea quæ sunt in nostra potestate.

Aliorũ sententia negãtium prædefinitiones cum arbitrij libertate stare posse.

EXPLICATVR autem Damascenus à S. Thom. 1. par. quæst. 23. art. 1. ad primum, vt nõ loquatur Damascenus nisi de prædeterminatione, ne imponente necessitatem. Verumtamen cõtra hoc insurgunt aduersarij dicentes, quòd quãuis ita Damascenus interpretari possit tamen satis inde colligitur non agnouisse ipsum aliud genus prædefinitionis aut prædestinationis. Eiusdem sententiæ videtur esse D. Chrysostomus, præsertim hom. 12. in epist. ad Hebræos vbi ait. *Non antecedit Deus nostras voluntates, ne liberum lædatur arbitrium. Cum autem elegerimus multam tunc nobis affert auxiliationem.* Idem repetit hom. 19. ad Hebr. & hom. 42. ad Pop. & hom. 42. in Genesim, & 17. in Ioannem.

Damasceno à S. Th. explicatur.

D. Chrysos.

ATQVE cùm D. Chrysostomus non abstulerit præuenientem Dei gratiam & excitantis auxilij necessitatem quã alibi profitetur, præsertim hom. 1. de Adam & Eua, & hom. 44. super illud. *Beatus es Simon Bariona*. consequens est à D. Chrysostomo negari solummodo eam voluntatem Dei, qua ante præuisum nostrum consensum prædefiniat actum in particulari: Nam aliquos actus vagè prædefiniri ex eodem Chrysostomo colligimus, vt infra citabimus.

D. Hieron.

D. Hieronymus in epistola ad Damasum Papam ait. *Dedit eis mentis propriæ libertatem, vt vi ueret vnusquisque non ex imperio Dei, sed obsequio suo.* idest, non ex necessitate, sed ex libertate: vbi Hieronymus supponit imperium Dei afferre necessitatem: quod imperium cum non possit esse voluntate obligandi quia hæc libertatẽ permittit, videtur hoc imperiũ esse idẽ quod voluntas efficax vel prædefinitio.

Vvaldẽsis.

HVIVS sententiæ videtur esse Vvaldensis tom. 1. doctrinalis fidei lib. 1. art. 1. cap. 35. & idem colligitur ex Origene & alijs, quos superius retulimus Sectione præcedẽte pro opinione aduersariorum. Idemque sensit Hieronymus Osorius lib. 9. de iustitia. Nam asserunt futura contingentia libera non propterea esse futura quia sciuntur à Deo sed proterea sciri quia futura sint. Quòd si Deus prædefinit futura contingentia in particulari cum omnibus circunstantijs: non erit necessariũ pręsupponi eorum existentiam futuram vt à Deo cognoscantur: sed in decreto absoluto & efficaci certissimè illa cognoscet. Atque propter eamdem rationem colligitur eadem sententia ex Boetio, ex Theophilacto, & S. Tho. qui docent futura non posse à Deo certò cognosci, nisi præsentia sint in ęternitate. Verumtamen hi auctores & alij explicari possunt, vt loquantur de contingentibus illis, quæ summæ contingentiæ sunt, & nõ continentur infallibiliter in causis suis. Huiusmodi sunt quę prædefiniri nequeunt iuxta hos auctores, & idcircò quòd loquuntur citati auctores de modo vniuersali cognoscendi contingentia, qui non potest esse apud eos, nisi suppositа eorum præsentia in æternitate contenta: & vera futuritione rei ad extra.

Origenes.

Hieronym. Osorius.

Boeti. Theophilactus.

PROBANT etiam. Quia prædefinitio propriè loquendo dicit decretum antecedẽs præsciẽtiam futuri actus, quo Deus antequam videret Paulum, verbi gratia, habiturum actum contritionis absolutè decreuit, vt haberet illum, & idcircò ordinauit media per quæ fieret. In hoc enim sensu loquimur nunc de decreto seu prædefinitione Dei, & vt dicit antecessionem ad præscientiam visionis, & quatenus pertinet ad

Probatur sentẽtia ista

ratio-

rationem prouidentiæ: Sed loquendo de prædefinitione hoc modo fieri non potest, vt Deus prædefiniat aliquem actum liberũ: quia eo ipso tolleret libertatem eius. Quod ostendo: Quoniam illa talis prædefinitio est causa efficax, & est suppositio antecedens, qua posita non potest non poni effectus: ergo.

Sanè auctores huius sententiæ censent, quòd posita hac prædefinitione sequuntur inconuenientia quæ ex prædeterminatione propriè efficiente, seu physica inferuntur à multis contra nostram sententiam: Nam etiam hæc prædefinitio necessariò infert effectum: Quòd si illa ponenda est, etiam erit necessaria, & consequẽter sine ipsa non poterit poni effectus.

Aliter arguitur.

PRAETEREA prædefinitio Dei, de qua nũc loquimur, non potest suo effectu frustrari, sed necesse est esse infallibilem: Nam si Deus prædefinit aliquem actum voluntatis liberum in particulari cum omnibus conditionibus & circunstantijs eius, necesse est vt ex vi suæ prædefinitionis faciat efficaciter actum illum fieri: cùm prædefinitio Dei frustrari non possit effectu suo: ergo necesse est vt Deus per se ipsum efficaciter determinet voluntatem nostram ad talem actum, vel quòd applicet alia media quibus efficaciter, vel infallibiliter determinetur: ergo si Deus per scientiam conditionatam non præcognouit voluntatem ipsam cum his vel illis conditionibus fore determinandam ad talem actum infallibiliter, necesse est vt ipse Deus efficacia sua illam determinet & præmoueat, aliàs prædefinitionis effectus non esset omninò infallibilis, quod repugnat cũ tali prædefinitionis decreto: ergò ex tali prædefinitione læditur libertas voluntatis.

Quorũdam sententia asserentiũ nõ pertinere ad perfectionẽ prouidẽtiæ Dei, quod prædefiniat in particulari actus liberos.

PROPTER hæc argumenta Theologi nonnulli, qui dicũt Deum non prædefinire in particulari hos actus, censent alia via procedendum esse. Affirmant enim non pertinere ad perfectionem prouidentiæ Dei, quòd prædefiniat in particulari hos actus liberos, sed tantum pertinere ad prouidentiam Dei, quòd vnicuique rei prouideat modo cõsentaneo naturæ illius. Vnde sentiunt quòd si Deus interdum prædefinit effectum aliquem qui per actus liberos executioni est mandandus, quod in eo casu non prædefinit singula media in particulari, sed præordinat tantum talem mediorum seriem & ordinem, vt si vnum non habeat effectum aliud applicetur, & illo deficiente aliud adiungatur donec effectus intentus obtineatur & eueniat. Qui quidem modus dicendi non displicet aduersarijs nostris: imò verò dicunt hunc modũ dicendi optimum esse, præcipuè si Deus nõ haberet scientiam illam mediam futurorum contingentium conditionatorum, quia tunc ita esset omninò philosophãdum multò potius quã constituere prædeterminationem voluntatis creatæ propriè efficientem.

P. Suarez.

FRANCISCVS Suarez lib. 1. de concursu Dei cum voluntate, cap. 16. & lib. 2. de concursu Dei ad actus ordinis naturæ cap. 7. & lib. 3. de auxilijs diuinæ gratiæ expressè tenet duo. Primum est, quòd quacumque prædefinitione secluſa, diuina prouidentia perfecta omnibusq; numeris absoluta manet. Secundum, quòd prædefinitio diuinorum decretorum non repugnat libertati. Ex quibus infert, quòd Deus potest prædefinire actum liberum cum omnibus circũstantijs sine læsione libertatis posita in Deo scientia illa futurorum sub conditione, quæ media appellatur: Quia suppositâ hac scientia cõditionata ab omni anguſtia & perplexitate liberamur, & vsus libertatis nostræ cum quacũque perfectione prouidentiæ Dei, & cum quacumque prædefinitione actuum liberorum cõponitur & concordatur, ita vt illęsa maneat. Quod potissimè defendit, quia efficacitatem diuinæ gratiæ reponit ille in vocatione, qua vult Deus hominem conuertere & vocare illo tempore & modo quo nouit illum consensurũ per scientiam mediam: quæ quidem vocatio appellatur efficax, quia licèt ex se non habeat infallibilem effectum, tamen vt subest tali scientiæ diuinæ, infallibiliter est illum habitura. Et hanc efficaciam dicit esse moralem per congruitatẽ vocationis ad tempus, locum, & conditionem eius qui vocatur. De qua prædefinitione præter ea quæ diximus Sectione. 1. nũc in discursu huius Sectionis alia dicemus.

Singularis opinio & dicendi modus.

REPERIO etiã alios auctores, qui singularem habent modum dicendi de diuinis prædefinitionibus. Fatentur enim Deum posse prædefinire actum liberum voluntatis nostræ illæsa libertate eius, quando quædam circunstantiæ nostræ actionis prædefiniuntur, aliæ verò nostro permittuntur arbitrio. Et quidem quatuor sunt quorum prædefinitio potest ligare aut soluere libertatem. Primũ est instans indiuisibile, siue intrinsecum siue extrinsecum, quod debet esse determinatum tempus aut momentũ productionis ipsius actus. Secundum differentia numerica indiuidualis ipsius actus. Tertiũ extensio actus ad materialia obiecta. Quartum intensio eiusdem actus.

Quid primò dicat hæc opinio.

QVO suppositio dicit primò hæc opinio: Quòd si prædefiniatur instans productionis actus liberi, non prædefinita differentia numerica & indiuiduali ipsius actus, manebit actus liber, non solùm quoad differentiam numericã, sed etiam quoad totam substantiam, quia ex eo quòd non prædefinitur differentia numerica actus, & manet sine læsione libertatis quoad hoc, talis libertas refunditur & redundat in totam substantiam actus, ac proinde in eius rationem specificam & genericam. Verumtamen, quoniam hęc libertas quamuis in totam substãtiam actus refundatur, emanat tantum à sola differẽtia numerica, suppositâ necessitate eliciẽdi actũ eiusdem speciei in eodẽ instãti: ideò adeò materialis est hæc libertas, & tam parum ad mores referens, vt non videatur esse sufficiens ad mortalem culpam, vt hi auctores affirmant.

Obiectio.

QVOD si obijcias illis: eo ipso, quòd potentia determinatur ad operandum in hoc instanti

deter-

determinatur etiam ad hanc numero actionem: quia non potest fingi aliud principium naturale à quo determineturvt dicitur à metaphysicis in disputatione de principio indiuiduationis: ergo non potest definiri instans, quin prædefiniatur differentia numerica saltim virtualiter.

Impugnatur. Respondent in eodem instanti posse à nobis elici diuersos numero actus eiusdem speciei, sed non simul circa diuersa obiecta materialia. Si enim ames Deum & proximũ explicitè propter Deum erit actus charitatis numero distinctus ab eo actu, quo solùm Deum amares in eodem instanti: & ratio est, quia amor proximi propter Deum includit essentialiter amorem Dei, quia amor Dei essentialiter inclusus & realiter idem cum amore proximi, necessariò distinguitur realiter à quolibet amore Dei, qui separatus existit ab explicito amore proximi.

Dicit secũdò hæc opinio. Secundò dicit hæc opinio, quòd si posset prædefiniri differentia numerica non prædefinito instanti: quòd supernaturaliter est possibile, manere libertatẽ. Quia quamuis totum actũ sit necessarium aliquando fore & esse, nihilominus quocumque instanti potest non existere: ac proinde totus actus quando existit, libere existit. Vnde videtur esse simpliciter libertas sufficiens ad meritum & peccatum.

Tertium dictum. Tertiò dicit, quòd licèt prædefiniri non possit differentia numerica actus, quin prædefiniatur, vtrum extendi debeat ad obiecta materialia, quia variato obiecto materiali variatur differentia numerica actus: nihilominus prædefiniri potest totum obiectum materiale, & formale actus, non prędefinita eius differentia numerica, neque prædefinito eius instanti, & tunc actus erit liber.

Quartum dictum. Quartò dicit, quòd quamuis prædefiniatur totum obiectum materiale & formale, differentia numerica, & instans in quo producendus est actus, si tamen illius intensio nõ prędefiniatur, poterit actus esse liber, quoad se totum: verumtamen illius partibus non collectiuè, sed diuisiuè sumptis, dummodo actus non habeat minimum intensionis, sed quacumque exigua intensione data, possibilis sit operanti alia minor: verbi gratia, si ex vi prædefinitionis necessarium est elici actum charitatis, & tamen non est prædefinitus gradus intensionis eius, sed actum remissiorem, & remissiorem sine termino, pro sua libertate elicere potest arbitrium nostrum, tunc quælibet intensio actus charitatis erit libera, quia illa potuit non esse, quamuis aliquam vagè existere necessarium fuerit. Si autem prædefinitus est gradus intensionis relicta potestate addendi maiorem intensionem, tunc potest esse liber actus, quoad eas partes intensionis, quæ superadduntur.

Obiectio, quæ contra ipsos fieri potest. Quod si obijcias ex dictis sequi amorem Dei in patria liberum esse, quia poterunt beati, ex hominibus vel Angelis, plures paucioresve explicitè amare vt obiecta materialia, ac proinde mutare differẽtias numericas amoris: & quia similiter poterũt intensius amare vel remissius: ergò amor ille erit liber iuxta traditam doctrinam eorum. Respondetur primò. Beatos necessario amore quanta possunt intensione: & fortè ab initio beatitudinis necessariò amant omnes illos, quos postea ex charitate amaturi sunt sicut ab initio beatitudinis eos omnes vident in Deo, quos in tempore visuri sunt in ipso, vt plures Theologi dicunt. 1. part. quæst. 12. art. 7. & 8. *Diluitur primò.* Secundò respondetur ab his auctoribus non esse magnum inconueniens si concedamus beatis liberum esse amorem libertate promanante ex differentia obiecti materialis: dummodo necessarium sit Deum semper amari à Beatis. *Secundò.* Cæterum hæc & alia quæ circa prædictas prædefinitionum differẽtias excogitãtur à nouioribus Theologis satis fuerit proposuisse illa, non tamen probare.

Corollariũ in hac sententia. Ex dictis colligunt auctores prædictæ doctrinæ, quòd libertate non læsa prædefiniri potest actio libera in singulari cum omnibus circunstantijs. Primò: quia non implicat contradictionem tantam esse bonitatem obiecti, tam euidenter cognitam, eamque vim esse auxiliorũ Dei, & bonorum habituum, eam obedientiam appetitus sensitiui, ac denique eiusmodi esse reliquas hominis circunstantias, vt ex vi illarum infallibile sit voluntatem hic & nunc eliciturã esse actum circa hoc obiectum formale, & hoc obiectum materiale cum tanta intensione, & tamen liberè: quòd si hoc est possibile Deus prędefiniet actum salua libertate, si eiusmodi circunstantias adhibere decernat certus de infallibili actionis euentu.

Alia obiectio. Si obijcias: Nullus hominum cognoscit naturaliter aliquod instans fixũ determinatè, neque rursus determinatè cognoscit gradum intẽsionis operationis suæ: sed nobis ignorantibus labitur pars exigua temporis, cum infinitis instantibus: & additur vel detrahitur pars intensionis in ipso actu: ergo nullis motiuis poterit esse infallibilis actus in determinato instanti, & cum determinata intensione eliciendus. *Istorũ proponitur solutio.* Respõdent negando consequentiam: Quia tanta potest esse vis, & tantus auxiliorum impulsus, & cæterarũ circunstantiarum, vt infallibiliter inclinet voluntatem ad eliciendum actum quàm primum possit, & quanta possit intensione: ac proinde in illo instanti determinato, quo datæ fuerint hæ circunstantiæ, infallibiliter eliciendus erit actus cum tota intensione quæ respondere potest auxilijs, quare non requiritur instãtis fixi cognitio, neque intensionis assignatæ. Rursus in Christo Domino, qui singula instantia, & singulos gradus intensionis cognoscebat distinctè, facilius prædefiniri poterat instans, & quantitas intensionis, si proponeretur illi quasi consilium Patris, actus in tale instanti quanta posset intensione ex vi suorum habituum & auxiliorum eliciendus.

Probatio secunda. Secundò probant id ipsum explicata infallibilitate morali actus liberi in particulari & in tali instanti: Quia quandoque infallibilis est omissio libera actus hic & nunc, veluti in obdu

ratis

ratis ex vi circunstantiarum infallibilis est omissio libera conuersionis, & in damnatis infallibilis est omissio libera amoris naturalis Dei super omnia, in quantum est auctor naturæ: At qui qua ratione consentire potest libertas omissionis cum illius infallibilitate hic & nunc: eadem ratione potest consentire libertas actus cum illius infallibilitate hic & nunc.

Cõfirmatio

Hoc confirmatur ab eis: Quoniã in eo casu, quamuis in obdurato maneat moralis potestas omittendi conuersionem sine vllo actu positiuo, vel actu positiuo volendo omissionem, nihilominus cum negatio conuersionis sit infallibilis, & tamẽ simul sit libera physicè, videtur eadẽ ratione possibile esse, vt actꝰ sit physicè liber, quãuis sit moraliter infallibilis in hoc instanti.

Probatio 3.

Tertiò probant: Quoniam respectu alicuius determinati temporis aliquis actus vagè est moraliter infallibilis, & tamen physicè potest non esse in toto illo tempore collectiuè: ergo iam libertas physica, & moralis infallibilitas non repugnant in eodem tempore eodem modo considerato, & respectu eiusdem actus: ergo eadem ratione poterit esse infallibilitas, & libertas physica respectu eiusdem actus in particulari & in eodem instanti. Primũ antecedens ostẽditur: Quia libertas physica non est aliud, quã voluntas & intellectus sui compotes per deliberationem operantes, & habentes omnia prin cipia continendi se ab actu, quæ omnia habet ille, cui propter destitutionem specialium auxiliorum infallibile est aliquod peccatum lõgo tempore. Lege Vegam lib. 14. in Trident. cap. 21. & sequentibus.

Obiectio cõtra istorum mentem.

Quod si obijcias repugnare infallibilitatẽ moralem & libertatem physicam in eodẽ actu, & in eodem instanti, quia actus non potest esse infallibilis, nisi impossibilis sit omissio illius: si autem impossibilis sit omissio non est libertas ad actum. Antecedens probatur: quia infallibilis connexio actus cum voluntate & circũstantijs illius est ordo effectus ad causam, & causæ ad effectum: At qui in causa non aliter existit actus nisi secundùm potentiam ad illum, & impotentiam ad illius omissionem: quia in causa nõ potest actus esse infallibilis propter existentiam quam habet actus in se ipso, sed tantùm propter esse quod habet in causa, sed in causa non reperitur alia ratio nisi potentia & impotẽtia: ergo. Confirmatur primó: quia si impossibilis est omissio actus, iam actus est necessarius, nam æquipollentia sunt impossibile non, & necessarium: ergo idem actus non est liber. Secundò confirmatur: quia in ordine ad causam non potest esse infallibilis actus, nisi causa sit determinata ad illum actum: ergo causa non est indifferens & libera.

Quid respõdeant ad obiectionem.

Huic obiectioni respondent hoc argumento conuinci, infallibilitatem moralem esse quãdam necessitatem & determinationem actus, & impossibilitatem omissionis, veruntamen non est necessitas simpliciter: cõsistit autem in hoc formaliter, quòd voluntas ex eo quod est essentialiter inclinatio in bonum cognitum, & ex eo quod habitus & aliæ quædam circunstantiæ ex natura sua voluntatem impellunt, sequitur vt semper voluntas infallibiliter amplectatur illud bonum in quod omnium circunstantiarum pondus maximè declinat, & maximo quodam excessu, quamuis verè habeat omnia quæ requiruntur vt idem bonum repudiet, ac proinde absolutè possit illud repudiare. Dicitur maximo excessu, quia non quilibet excessus sufficit ad infallibilitatem actus. Dicitur quod hæc necessitas non est simpliciter necessitas, sed tantùm secundùm quid: quia relinquit libertatem simpliciter sufficientem ad perfectissimum meritum vt in Christo Domino: & ad peccatũ mortale vt deinceps dicetur.

D. Cyrillus

Hanc existimant D. Cyrilli esse mentem lib. 8. in Ioannem, cap. 21. in id: *Propterea non poterant credere.* vbi latè probat, id quod difficillimum est & valde contra voluntatis propensionem & inclinationem, in Sacris literis dici impossibile. Idem Anselmus in dialogo de libero arbit. ca. 5. & 6. & D. Hieronymus li. 1. & 3. cõtra Pelagia. docet illud esse impossibile nobis, quod nullus vnquam hominum fecit, & hac ratione probat impossibile esse dici perseuerare sine culpa sine speciali priuilegio, Vnde Arist. 1. de cælo, cap. 11. impossibile oriri aliquando dicitur quod non facile oriri potest: & 2. de cælo, ca. 12. rectè agere multa aut sæpè difficile est, vt talos Coenses milleproijcere impossibile est, sed vnum vel duos facilius: vbi nota vocem difficile, in impossibile commutatam.

Anselmus. D. Hieron.

Aristotel.

Altera obiectio.

Quod si iterum obijcias: Quia ex natura voluntatis & circunstantiarum prouenit vt infallibiliter determinetur à maximo aliquo excessu præponderante: ergo hæc necessitas est physica & nõ moralis. Patet cõsequentia: quia prouenit ex physica & intrinseca natura voluntatis.

Istorum solutio.

Similiter huic obiectioni respondent negando consequentiam: quia necessitas physica non eo distinguitur à morali, quòd à natura physica voluntatis proueniat, sed eo quod sit eiusmodi vt non relinquat physicam potestatẽ omittendi, quam tamen moralis determinatio relinquit, quamuis ex natura voluntatis proueniat.

Si vrgeas præterea: Voluntas non habet physicam potestatem operandi cõtra suam naturalem inclinationem & determinationẽ, sed hæc determinatio moralis est naturalis prouenies ex natura voluntatis: ergò voluntas non habet potestatẽ operandi contra illam, ac proinde non est libera circa eiusmodi actus.

Quid aduersarij respondeant.

Sed respondent, distinguendo antecedens: Nam voluntas nullam potestatem habet operandi contra eam inclinationem, quæ ita naturalis est, vt non solum à natura procedat, sed etiam inclinet ad operationẽ sine deliberatione, & collatione seu conferentia, ad eum modũ quo operantur naturales causæ. At verò quantumuis inclinatio proueniat ex natura volun-

tatis

tatis, si tamen inclinat ad operandum post collationem intellectus & circa obiectum nō prorsus rapiens: voluntas habet simpliciter & absolutè potestatem operandi contra talem inclinationem.

Alia obiectio.

Qvòd si postremò obijcias contra hos auctores: Quia si actus ille est tātum moraliter infallibilis & non physicè, aliquando deficiet hęc infallibilitas: Nam in eo distinguitur moraliter certum, à certo metaphysicè, quod aliquando deficit.

Eorundem solutio.

Hvic etiam obiectioni conantur respondere auctores huius sententię: sed malè respondēt, & non satisfaciūt. Dicunt enim, non in eo sensu vsurpari in pręsenti nomen moralis infallibilitatis, sed potius vt significat certitudinē quæ in nullo vnquam singulari deficiet, manente tamen physica potestate deficiendi.

Ex quibus colligunt, vim & significationem horum nominum: libertas moralis, necessitas moralis, libertas physica, necessitas physica: Nam certè ad libertatem moralem, non sufficit quod voluntati possibilis sit & liber actus moralis, sed requiritur vt sit possibilis moraliter, hoc est, sine maximo aliquo excessu præpōderante vt dictum est. Itaque aliud est actum moralem esse liberum, & aliud est esse moraliter liberum. Rursus necessitas physica est simpliciter necessitas, at verò necessitas moralis non est simpliciter necessitas, & propterea congruentius appellatur infallibilitas.

Quorundam huius ætatis opinio, & sententia.

Conciliant libertatem quidam cū prædefinitione infallibili Dei, sicut eandē cum morali infallibilitate actus.

Hisce diebus nōnulli Theologi cēsent, optimā rationem conciliandi libertatem cū prædefinitione Dei infallibili omninò, eandem esse prorsus, quæ libertatem cum morali infallibilitate actus cōciliat, præscissa omni præscientia & prædefinitione. Quod vt ostendant premittunt primò: Physicè composibilem esse omissionem actus infallibilis, simul cum illis circunstantijs ex quibus infallibiliter sequitur: exempli gratia supponamus D. Petro quando interrogatus fuit à Christo Domino: An illum diligeret & amaret, infallibilem fuisse amorem Dei in illo instanti, ex vi vberrimi auxilij, & intensi habitus charitatis, & reliquarum circunstantiarum.

Suppositio prima in hac sententia.

Asservnt igitur nihilominus omissionē illius amoris, physicè fuisse posibilem simul cum eisdem circunstantijs: & hanc compossibilitatem physicam omissionis esse necessariam, vt amor sit liber. Quod inde constat euidenter: Quia aliàs prorsus esset necessarius amor Petri, nam circunstantiæ illæ citra voluntatem & libertatem præsentem Petri adsunt illi: quare si illis circunstantijs positis impossibilis est omissio amoris in sensu composito, iam necessarius est amor secundùm ea quæ dicta sunt, & quæ inferius dicentur. Quid autem sit ea infallibilitas moralis & libertas physica paulò superius dictum fuit.

Suppositio 2.

Secvndò præmittunt, in prædicto casu quo infallibilis erat dilectio & amor Petri: & tamen erat physicè composibilis omissio amoris, eandem omissionem amoris in re positam sub duplici ratione cōsiderari posse: Primo modo vt respicit potestatem physicam ratione cuius est posibilis. Secundo modo vt respicit potestatē moralem, quæ directè opponitur infallibilitati amoris, ratione cuius certum est talem omissionem non esse futuram.

Vnde si petas, vtrùm omissio amoris aut dilectionis in re posita, satis sit vt irrita reddatur infallibilitas amoris: Respondent absolutè sufficere, veruntamen quod ad præsens attinet valde interest distinguere (vt dicunt) qua ratione omissio amoris redderet infallibilitatem amoris irritam. Nam omissio considerata præcisè, vt procederet à sola potestate physica, abstrahendo ab omni infallibilitate, sub hac ratione præcisè non redderet irritam infallibilitatem amoris seu dilectionis: Quia sub hac ratione nō opponitur infallibilitati amoris, quæ vt dictum est permittit secum potestatem physicam omittendi amorem seu dilectionē, at verò eadem omissio amoris absolutè redderet irritam infallibilitatem amoris, quatenus omissio respicit potestatem moralem sine qua ex vi circunstantiarum certum est illam non esse ponēdam in re, quamuis physicè posset poni.

Argumentum quod sit cōtra infallibilitatem actus liberi.

Qvòd si præscissa omni sciētia diuina, & omni prædefinitione, ac si in rerum natura nō fuissent, de sola infallibilitate actus liberi disputans, illam sic quispiam impugnet. Petrus si de facto omittat amorem, reddit irritam infallibilitatem amoris: sed Petrus potest omittere amorem: ergo potest reddere irritam infallibilitatem amoris. Huic argumento responderi solet, distinguēdo vtranque pręmissam, maiorem ac minorem: si Petrus de facto omittat amorem, irritam reddit infallibilitatem amoris, cæterùm non reddit illam irritam in quantum omissio procedit à potestate physica, sed in quātum eadem omissio respicit potestatem moralem, sine qua nunquam existet in re, quamuis possit existere: atque potestas moralis omittendi amorem directè excludit & irritam reddit infallibilitatem amoris. Rursus etiam similiter distinguunt minorem: Nam Petrus potest omittere amorem potestate physica, quæ est simpliciter & absolutè potestas, sed non potest potestate morali, sine qua certum est non esse omittendum amorem, quamuis possit omitti: ac proinde non sequitur Petrum posse frustrare infallibilitatem amoris, quia omissio non est possibilis Petro sub ea ratione qua frustrare potest infallibilitatem amoris seu dilectionis: nimirum potestate morali, sed est possibilis sub ea ratione sub qua non frustrat, videlicet præcisè quatenus respicit physicam potentiam tantum.

Solutio quæ adhiberi solet.

Replica.

Si vrgeas vlterius: Possibili posito in esse

se nullum sequitur inconueniens: sed omissio amoris est simpliciter possibilis: ergò quamuis ponatur non sequetur aliquod falsum: sed si in re ponatur omissio amoris, sequitur amorem non esse infallibilem Petro hic & nunc: ergo verè non est infallibilis. Hanc replicam eadem distinctione dissoluunt & repellunt. Dicunt enim quod possibili posito in esse nullum sequitur inconueniens in eo genere possibilitatis in quo est possibile: at verò in alio genere possibilitatis non erit mirum sequi aliquod inconueniens (& hanc explicationem vis & natura extremorum docet, & ad illam compellit præsens argumentum) at verò omissio amoris in præsenti casu non est possibilis moraliter, sed tantum physicè, vnde ex illa in re posita non est mirum sequi inconueniens contra infallibilitatem morale, quamuis nihil falsi sequatur contra necessitatem aut potestatem physicam.

Quid primò dicant auctores huius sententiæ.

His igitur sic prælibatis: Auctores citatæ sententiæ accedentes ad prædefinitionem & præscientiam conditionalem actuum liberorum, qui sunt infallibiles in particulari cum omnibus circunstantijs duo affirmant. Primum est, simul cum prædefinitione amoris in sensu composito possibilem esse physicè omissionem eiusdem amoris, & eadem ratione, compossibilem esse cum scientia conditionalium infallibilium, qua prædefinitio dirigitur. Quomodo autem ex hac assertione non colligatur prædefinitionem frustrari posse aut scientiam decipi, dicendum erit assertione sequenti seu dicto secundo sequenti. Hæc tamen quæ posita est probatur. Primò: Quia nullam contradictionem implicat, ac proinde possibile est Deum velle constituere Petrum sub illis circunstantijs, in quibus infallibilis est amor hic & nunc, & prædefinire amorem ea tantum ratione & ea solum certitudine ex parte obiecti, qua continetur virtute in voluntate Petri & illius circunstantijs, ita vt Deus consultò & dedita opera velit non addere vllam maiorem certitudinem huic prædefinitioni amoris præter infallibilem quam habet ex circunstantijs: Atque data hac voluntate absoluta Dei ita præcisa, amor elicietur infallibiliter, & tamen simul cum huiusmodi prædefinitione est physicè possibilis omissio amoris. Quod probari potest quia omissio amoris est in sensu composito physicè possibilis cum circunstantijs infallibiliter inclinantibus ad amorem vt nuper ostensum fuit: sed prædefinitio hæc de qua loquimur non aliter vult & determinat amorem nisi vt continetur in circunstantijs infallibilibus: ergo simul cum illa est etiam possibilis physicè omissio amoris.

Probatio prima huius dicti.

Præterea non alia ratione possunt prædefiniri actus liberi nisi ea ratione qua continentur in causis infallibilibus relinquentibus libertatem physicam: quia prædefinitio supponit certum esse quod euenturus sit actus liber si prædefiniatur, ne prædefinitio exposita sit deceptionis & irritationis periculo: at qui hoc non potest esse certum nisi per scientiam conditionalium infallibilium, hæc autem in actu non cognoscit aliam certitudinem præter eam quam actus habet in circunstantijs: Nam hæc scientia non versatur circa actum in se ipso existentem vt alibi latè ostendimus de hac scientia disputantes.

Hinc sumitur secunda ratio pro hac sententia: Nam quamuis scientia hæc conditionalium infallibilium plus quam methaphysica certitudine videatur euidens esse, nihilominus in actu conditionaliter futuro non cognoscit certitudinem vel necessitatem physicam, sed tantum moralem infallibilitatem, & ex vi huius decernit & prædefinit Deus amorem liberum, sed simul cum infallibilibus circunstantijs est physicè possibilis omissio amoris: ergo est etiam physicè possibilis simul cum scientia conditionali & prædefinitione amoris.

Secũda probatio.

Rursvs tertiò potest probari: Quoniam nisi cum præscientia conditionali & cum prædefinitione amoris esset physicè compossibilis omissio amoris hic & nunc, sequeretur absolutè necessarium ac nullo modo liberum esse Petro amorem in singulari prædefinitum, cuius ratio est, quia scientia conditionalis amoris infallibilis, est scientia prorsus necessaria, quæ nunquam potuit non esse in Deo, & præterea circunstantiæ, cum quibus infallibilis est Petro amor, adueniunt Petro sine eius libertate præsenti: hoc enim cum sit possibile supponitur in hypothesi: & prædefinitio actus fit independenter à libertate aliqua actuali Petri: At qui si ex prædefinitione & præscientia conditionalium non solum necessitate morali, sed etiam necessitate physica sequeretur amor prædefinitus, ita vt cum illis non esset physicè possibilis omissio amoris, iam amor esset prorsus necessarius: etenim quando antecedens est prorsus necessarium, & non supponens libertatem consequentis: & præterea consequentia est prorsus necessaria non solum moraliter, sed etiam physicè optimè infertur prorsus necessarium esse consequens, cuius argumenti vis magna est apud hos auctores.

Tertia probatio.

Dicvnt secundò. Omissionem amoris prædefiniti non esse compossibilem moraliter cum prædefinitione ipsa amoris: sed ex vi connexionis moralis, qua amor sequitur ex talibus circunstantijs volitis à Deo, est infallibile amorem esse futurum, & hoc dicunt sufficere vt prædefinitio nullo modo frustrari possit neque decipi scientia conditionalium. Itaque quamuis detur potentia physica omittendi amorem prædefinitum, non datur potentia physica neque vlla alia potentia frustrandi prædefinitionem, neque decipiendi scientiam conditionalium, quod est egregiè aduertendum, ne male in-

Secundum huius sentẽtiæ dictũ.

telli-

telligantur, quæ paulo superius dicta sunt.

VERVMTAMEN nos aliter solemus rem hanc aperire: dicimus enim omissionem amoris prædefiniri non esse compossibilem cum prædefinitione ipsa amoris: Quod autem non sit compossibilis oritur tum ex prædefinitione ipsa, tum etiam ex incompossibilitate duarum cõtradictoriarum de in esse. Quoniam istę sunt incompossibiles: Deus prædefinit contritionẽ meam: & ego non conteror, quia valet non cõteror: ergò Deus non prædefiniuit. Et idem argumentum est si dicas: Christus dixit Petro, ter me negabis, & Petrus potest non negare, non obstante prędictione Christi. Quòd si ponatur in esse quod non neget: sequitur Christum non dixisse. Cæterum arguitur à sensu diuiso ad compositum, si ex eo quod Petrus potest non negare, inferas: ergo Christus potest non dixisse: quia in antecedente solum est sensus diuisus, in consequente autem est sensus cõpositus, nimirum quod postquam dixit potest non dixisse.

Quorundam sententia: quòd non requiritur fortis aliquis cõcursus & influxus Dei efficax, vt prædefiniatur à Deo actus bonus liber, etiam supernaturalis.

QVONIAM in hac controuersia disputari solet: Vtrum maximus aliquis concursus effectibus Dei, ad eliciendum actum liberum bonum, sufficiat, vt prædefinatur actus ab ipso Deo, manente libertate in ipso actu prædefinito. Idcirco quando omnes circunstantiæ voluntatis (præter influxum & concursum Dei) eiusmodi sunt, vt voluntas maneat moraliter libera ad omittendum actum: quæritur an diuinus concursus ea mensura possit augeri vt infallibiliter moueat & inclinet voluntatem ad actum liberum, permanẽte seu relicta libertate physica? & in hac parte loquimur de actu bono libero etiam supernaturali.

Partis negatiuæ sententia.

SVNT ergò nouiores Theologi qui negatiuam partem docent, non solum illi qui prorsus prædefinitiones reijciunt & negant vniuersaliter, sed etiam nonnulli iuniores qui concedentes prędefinitionem per motiua allicientia nihilominus negant posse prædefiniri actum liberum per concursum effectiuum, & influxũ effectiuum Dei. Horum argumenta sunt: Primum, quia suppositia libera voluntate qua Deus decreuit ad nostros actus concurrere, & in eos influere, cõcursus diuinus ad extra est tam necessarius, & tam necessariò resultans ex prędicto decreto diuino, vt illuminatio resultat ex Sole: ergò noster actus necessariò resultabit, & non liberè à diuino concursu effectiuo si Deus efficaciter decreuit nostrum actum effectiuè producere: vnde non erit actus liber. Cõfirmatur primò: nam eodem modo resultabit ille actus à concursu diuino & influxu eius, sicut gratia resultat in anima ex diuino influxu & concursu cooperante & eleuante animam, quæ actio ad extra est prorsus necessaria & nullo modo libera actio. Confirmatur Secundò: quia si Deus se solo produceret eum actum, quem prædefiniuit per concursum effectiuum, ille actus non esset liber nostræ voluntati: ergò non erit liber, quamuis voluntas nostra cõcurrat, si à Deo determinetur virtute alicuius maximi concursus effectiui.

Probatio prima.

Prima confirmatio.

Secunda.

SECVNDVM argumentum oritur ex discrimine inter prędefinitionem per motiua allicientia, & prædefinitionem per concursum effectiuum. Nam in priori prædefinitione voluntas inuitata à medijs cognitis ipsa se determinat & non determinatur ab alio, ac proinde libera manet. Cæterum quando omnia motiua vt à voluntate cognita sunt, nõ alliciunt infallibiliter voluntatem vt se determinet sed solus concursus & influxus effectiuus Dei infallibilem reddit determinationem voluntatis, tunc nõ determinat se volũtas ipsa. Quod probatur: Quoniam aliquando non cognoscit concursum illum effectiuum specialem Dei: ergò voluntas non se determinat inuitata per concursum, sed potius determinatur à concursu & influxu Dei.

Secundum argument.

TERTIVM argumentum horum auctorum est. Quia ille concursus effectiuus determinat infallibiliter ad actum, & non determinat infallibilitate morali: ergò physica, ergò aufert libertatem physicam. Consequẽtia constat: quia omnis infallibilitas actus aut est moralis, aut physica. Minor autem probatur: quia determinatio moralis est per motiua allicientia; illa autem per concursum & influxum physicum effectiuum: ergò est determinatio physica. Quod explicant hoc exemplo. Nam Petro aut Paulo suaderi potest egressus ex hac ciuitate rationibus quæ eum infallibiliter moueant, vt libere velit egredi, videlicet propesita ruina ciuitatis, aut peste, vel aliqua simili calamitate imminẽte, vt egrediatur à domo suâ vel à ciuitate: cæterum possibile non est impetum impellentem Paulum vt extra domum vel ciuitatem exeat, ita imprimi à Deo vt Petrus vel Paulus infallibiliter exeant, & tamen physicè possint non exire Petrus aut Paulus. Nam vel ille impetus superat prorsus resistẽtiã, verbi gratia, Pauli, & tunc Paulus non poterit non exire, vel non superat, & tùc nõ erit infallibilis egressus virtute illius impetus. Et hinc sumitur confirmatio argumenti: Quia vel concursus diuinus prorsus determinat voluntatem, & sic necessitatem afferet, vel nõ prorsus determinat, sicque non poterit in illo concursu prævideri actus infallibiliter futurus.

Tertium argumentum

QVARTVM argumentum est. Quoniam illa prædefinitio per effectiuum concursum, vel certò infert actum, antequam supponatur futuram esse determinationem voluntatis, & tunc

Quartũ argumentum

iam infert necessitatem, quia illa prædefinitione presuppositа non manet voluntas indifferēs, vel non certo infert actū nisi præsuppositа futura determinatione libera voluntatis, & tunc non est prædefinitio actus de cuius ratione est vt antequam præuideatur actus futurus illum prędeterminet.

Quintum. QVINTÒ obijciunt, quia si voluntas eliceret illum actum prorsus determinata ab aliqua infusa qualitate, tunc non operaretur liberè: sed non minus necessitat diuinus concursus & influxus effectiuus: ergò.

Sextum. SEXTÒ obijciunt, quia Deus re vera potest necessitare voluntatem ad aliquem actum si vult: idque prestare potest effectiuo concursu, & non erit alius modus effectiuè concurrendi quandocunque prædefinierit actum ex vi concursus & influxus effectiui: ergò semper necessitatem afferet effectiuus concursus si illo prædefinitus est actus ille.

Septimum. SEPTIMÒ. Quoniam si à Deo prædefiniatur ex vi concursus effectiui, tunc sanè nullus est possibilis concursus ad oppositum: ergò non manet libertas ad oppositum. Probatur antecedens: quia repugnat voluntatem Petri simul amare & non amare: ergò similiter repugnat Deum efficaciter velle concurrere vt Petrus amet, & nihilominus velle concurrere vt non amet sed odio habeat, seu velle non concurrere vt non amet.

Vltimum. POSTREMÒ obijciunt: nam nulla creatura potest resistere potentiæ diuinæ aut voluntati eius absolutè, neque physicè, neque moraliter: sed quando Deus concursu effectiuo efficaciter determinat voluntatem ad actum, tunc actus est effectus diuinæ potentiæ: ergò illi nulla voluntas resistere potest, ergò non poterit cessare ab actu, & consequenter non erit liber. Hæc argumenta à nobis dissoluentur inferius in decisione quæstionis & in solutione argumentorum.

Quòd non possit prædefiniri actus liber, in determinato instanti eliciendus, & euenturus, cum tanta intensione, & cum omnibus circunstantijs: quorundam recentiorum sententia refertur.

Pro hac sententia referūtur ab auctoribus qui

SVNT hodierna die plerique Theologi qui quamuis concedant prædefinitiones actuum humanorum, negant tamen omnes actus liberos posse in particulari prædefiniri aut in aliquo determinato instanti, aut secundùm omnes eorum circunstantias, quo ad locum, tempus & intensionem, ita vt tali prædefinitione non lædatur libertas eorum. Pro qua sententia adducuntur ab eis Damascenus libro secundo fidei, capite 30. & Chrysostomus homilia 12. & 19. in epistolam ad Hebreos, & homilia 42. ad Populum Antiochenum Hieronymus epistola 147. ad Damasum, Vvaldensis tomo primo doctrinalis fidei, libro primo, articulo primo, cap. 35. cuius verba Sectione præcedente & superius in hac disputatione retulimus.

dam Sancti Patres.

CAETERVM quoniam huiusmodi auctores vniuersaliter sentire videntur prædefinitiones cum libertate pugnare, quod reiectum est suprà, presertim in Schola sancti Thomæ: idcirco eorum testimonium, vel limitandum & explicandum est, vel non est sequendum. Sanè Doctores illi qui prædestinationem siue efficacem electionē ad gloriam fieri dicunt ex pręuisis operibus, non parum huic sententiæ fauent. Cæterum quia suo loco prædestinationem constituere debemus ante præuisa opera: & quia plerique ex Patribus, si eorum verba diligenter expendantur, non tam loquuntur de præuisione actionis absolutè futuræ, quàm de precognitione circumstantiarum, ex quibus actio infallibiliter sequitur, idcirco placet eorum testimonia in disputationem propriam de prædestinatione referre, & aliqua explicare inferius in discursu huius Sectionis.

Pro hac sententia ex S. Thoma. de sumitur argumentum

VERVMTAMEN in presenti iuxta placitum istorum Theologorum, probandum erit ex generali ratione diuinæ prouidentiæ atque concursus & influxus Dei, necessarium non esse vt actiones omnes in particulari prędefinitæ fuerint, neque circunstantiæ, ex quibus infallibiliter actio sequitur. Sanctus Thomas Prima Secundæ quæstione 9. articulo sexto ad tertiū, docet quòd licèt inclinatio & determinatio ad bonum in communi sit à Deo indita nostræ voluntati, & quòd quamuis Deus nos determinet ad bonum in communi, tamen ad volendum hoc vel illud bonum voluntas se ipsam determinat. Rursus ne quis existimaret voluntatem nostram se determinare semper infallibiliter ad aliquod bonum particulare quod à Deo fuerit prædefinitum, subiungit sanctus Thomas interdum aliquos homines moueri specialiter à Deo ad aliquid determinatè volendum, sicut contingit in his qui mouentur per gratiam: ergò ex sententia Diui Thomæ constat non omnes homines, neque semper determinatè moueri ad aliquid in particulari agendum, sed pleraſque actiones & earum determinationem nostro libero arbitrio relinqui & permitti, nullo prius determinante diuino decreto. Et prima parte quæstione 23. articulo tertio & de veritate quæstione sexta, articulo tertio, in corpore docet necessarium esse actum prædefiniri à Deo vagè & in communi, cæterùm liberum esse in singulari, & circunstantijs temporis & loci, sicque libertatem cum prædefinitione conciliari asserunt huius sententiæ patroni: igitur apud sanctū Thomam non prædefiniūtur omnes actus in particulari aut in determinato instanti.

Prima ratio quæ pro hac mulitat opinione.

PRIMA ratio, quæ ab auctoribus huius sententiæ adducitur, est quia Boëtius, sanctus Thomas, & alij cum eo in disputatione de cognitione futurorum contingentium docent non posse cognosci à Deo omnia futura contingentia certo & infallibiliter, nisi cognoscantur & præsentia Deo in æternitate: hoc est supponendo quòd illi actus in aliqua differentia temporis futuri sunt: Quod falsum erit, si omnes actus liberos bonos Deus prædefiniuit in particulari cum omnibus circunstantijs: nam in hac prędefinitione euidenter cognoscentur, ita vt necessariò sit fatendum omnia contingentia posse cognosci nõsolùm ob præsentiam in ęternitate, sed etiam in diuina prædefinitione. Quòd si dicas nos concedere quædam prædefiniri & in prædefinitione præcognosci: & consequenter non esse inconueniens idem affirmare & concedere in omnibus actibus bonis prædefinitis: respondent, negandam esse illationem, quia quædam actiones sunt prorsus liberæ non solùm physicè, sed etiam moraliter, vt supra significauimus, & inferius dicetur. Hoc etiam confirmant, quia iste propositiones sunt veræ, Deus scit Paulum conuersurum esse liberè ad Deum & liberè locuturum esse, quia Paulus liberè conuersurus & locuturus est: At qui si prædefinita esset Petri conuersio aut locutio, ideo sciretur hoc à Deo, quia scitur prędefinitio eorum, & non esset expectanda futuritio locutionis aut conuersionis.

Quòd hæc & aliæ aduersariorũ rationes nõ multum valeant cõtra nos, si ex efficacia auxilij inferatur infallibilitas actꝰ

VERVM, vt in re propria disputationis huius paucis dicam quæ necessariò supponenda sunt: Sentio minus solidas esse rationes quibus plures recentiores vtuntur contra nos: quasi radicitus conuelleretur nostra libertas, si ex vi & efficacitate auxilij gratiæ Dei colligi posset infallibiliter noster actus. Quæ sanè rationes dissoluentur & dissoluuntur vbi ostenditur libertatem actus manere posse cum prædefinitione & infallibilitate eiusdem actus in particulari propter efficacitatem auxilij & aliarum circunstantiarum. Quocirca ab his auctoribus dissentio: quia concedo plerumque essici vt ex duobus vel pluribus hominibus accipientibus efficax auxilium Dei, nullum fore qui dissentiat, deficiente verò efficaci auxilio & existente tenuitate solius sufficientis neminem de facto conuerti: qui modus prouidentiæ non solùm est Deo possibilis, sed etiam concordare potest cum libertate voluntatis nostræ, in qua relinquitur libertas physica & moralis: Nam certè non repugnat hoc naturæ voluntatis nostræ aut propter specialem rationem prouidentiæ supernaturalis circa eam, neque propter indigentiam diuini influxus & concursus ad actiones eius, neque propter naturam voluntatis, quæ non solùm se physicè determinat liberè, sed etiam se determinat moraliter ad actum liberum, ita vt simul voluntas nostra cum se ipsam se determinat physicè, similiter liberè se determinat moraliter cum collatione & conferentia ex parte rationis. Vnde quod attinet ad nostram voluntatem ostendimus Sectione prima & secunda ipsam etiam cùm mouetur à Deo per gratiã frui dominio suarum actionum.

Obiectio ex aduersarijs

SED obijciunt contra nos aduersarij, quod quamuis decretum diuinum ratum fuerit ante præuisa opera, & prædefinitio actionum nostrarum virtute auxiliorum facta fuerit in electis, tamen satis fuerit illas actiones vagè prædefinitas esse longo tempore & ex vi diuersorum auxiliorum sufficientium. Rursus quod attinet ad concursum diuinum & influxum Dei constat ita constituendum esse vt in actu primo sit quandoque ex se indifferens vt pro nostra morali libertate determinetur à nobis.

Agitur contra eos.

QVÒD si dicas contra eos: Si auxilium diuinum à nobis determinatur vt sit actu efficax, sequitur, quòd in vires innatas arbitrij nostri refunditur conuersio nostra in Deum, ac proinde totam illam laudem non esse referendam in Deum, quod est contra Diuum Augustinum & contra Diuum Cyprianum ab eodem Augustino citatum libro primo de prædestinatione Sanctorum, vbi celebrem sententiam Cypriani refert & sæpius repetit. *In nullo gloriandum quando nostrum nihil est.* Respondent hanc obiectionem non concludere contra eos, quia Deus præuenit nos excitando & auxilia offerendo, ac proinde quòd licèt nos pro libertate nostra determinemus illum ad actum bonum quem elicimus, nihilominus ab auxilio supernaturali actus præcipuè habet esse, dignitatem & meritum & laudem, quæ libertas nostra inde sortitur, refertur etiam in Deum auctorem libertatis & voluntatis: ac proinde Deus est qui præcipuè iustos discernit ab iniustis, quamuis ad hanc discretionem iusti homines aliquando libertate morali cooperantes determinet, & plerumque Deus infallibiliter determinet.

Quid ad hoc respondeant.

Quòd nõ sit alicuiꝰ momenti adhibita solutio

HAEC tamen solutio non dissoluit difficultatem obiectionis: & quamuis hic non vacet locus agendi de hac re, nihilominus breuiter obijcio contra eos. Quod si duo homines sint pares per omnia: & æquales ex parte gratiæ & diuinorum auxiliorum & ex parte circunstantiarum loci & temporis, &c. Si vnus conuertitur altero se non conuertente, sed potius repugnante: tunc cùm ex parte gratiæ sit omninò æqualitas in vtrisque, non potest referri quod vnus eorum conuertatur & alter non, nisi in ipsum liberum arbitrium: quod argumentum fecit Diuus Augustinus libro 1. de prædestinatione Sanctorum: vbi Augustinus sentit, quòd vbi non datur maius aut efficacius donum gratiæ, vnus hominum non discernitur ab alio: aliàs id esset referendum in vires ipsas hominis aut liberi arbitrij creati. Sed non est hic immorandum, quia in materia de gratia de hac re fusè diximus.

Secundaratio.

PROBANT igitur aduersarij nostri suam sententiam, quia vt dicunt qui minoribus auxilijs adiuuantur, conuertuntur, & melius vtun-

tur, quàm alij qui maioribus præsidijs & auxilijs fouentur, quod experientia dicunt cõstare: ergò non requiritur prædeterminatio efficax Dei vt aliqui actus boni fiãt certo: Quapropter quod aliqui actus boni à Deo nõ prædefiniãtur sic ostendũt: Quia actio libera non potest prædefiniri ante illius præuisionem, nisi Deus decernat constituere voluntatem sub circunstantijs sub quibus sciat talem actum eliciturũ esse per scientiam conditionalium, sed quando actus attentis omnibus auxilijs & circũstantijs nõ sequitur ex illis infallibiliter, tunc actus non potest præsciri certò: ergò tunc non potest prædefiniri. Maior constat, quia temere atque graui cum periculo frustrationis prædefiniret Deus actũ liberũ, nisi præcognosceret media quibus infallibiliter assequeretur actum intẽtum. Minor verò constat ex dictis: ergò, &c.

Tertia ratio.

RVRSVS probatur tertio loco istorũ placitum: Quia licèt apud eos admittatur illa sentẽtia quę asserit hominem nunquam conuerti nisi ex vi diuini influxus & concursus ita prædeterminetur illius conuersio, vt infallibiliter sequatur, ad huc tamen sub potestate moraliter libera maneret hominem intẽsiori aut remissiori actu conuerti propter hoc motiuum potius quam propter illud, ac proinde hoc potius quã illo actu atque momento tẽporis, citius aut tardius, quia non omnes circũstantiæ actionis possunt infallibiles reddi per media cõmunis prouidentiæ: Et probatur: quia ad infallibilitatẽ nõ sufficit quilibet excessus ponderis eorum quæ ad vnam partem inclinẽt, sed requiritur excessus magnus: At qui euenire potest vt quamuis pondus circunstãtiarum occurrentium magno excessu inclinet ad intẽsionem, verbi gratia, vt quinque, cæterum non eodem excessu inclinet ad intensionem vt sex, quia ad intensionẽ vt sex requiritur maior conatus ac proinde ab illa retardat maior difficultas. Et similiter, quãuis intensio auxilij magno excessu vincat resistentiã nostrę voluntatis quoad dandam eleemosynam verbi gratia, centum aureorum, nõ eodem excessu vincet quoad dãdam eleemosynam ducẽtorum, quia magis retardat inopia maior, quæ ex maiori eleemosyna timetur: & nihilominus poterit auxilium nonnihil magis inclinare ad hæc. Simile argumentum confici potest in plerisque alijs circunstantijs & motiuis actionum.

1. Confirmatio ex Tridentino.

HOC confirmant primo ex Trident. Sessione 6. cap. 7. cuius verba sunt. *Iustitiam in nobis recipientes vnusquisque suam secundùm mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.* Quo in loco satis ostenditur gratiæ intensionem potissimum ab auxiliorum copia pendere, sed nihilominus liberè posse nos eidem auxilio maiori contentioene animi cooperando intensiorem gratiam recipere, quam si tepidè aut segnius cooperemur.

Secunda cõfirmatio.

SECVNDÒ confirmant: quia plures circunstantiæ sunt quæ efficiũt actum esse numero diuersum; & tamen nihil referunt vel conferũt ad supernaturalẽ finem prædestinationis, vtrũ sic vel aliter fiant, ergo illę saltem circunstantiæ non erunt prędefinitæ ex vi supernaturalis auxilij. Vt. v. g. licèt sit prædefinita volũtas dãdi eleemosynã propter Deum, tamen nihil interest ad eius meritum quod velis in eleemosynam tribuere panem aut vestem vel nummos, si æqualis valoris & vtilitatis fuerint, & præterea nihil refert huic potius pauperi quã illi tribuere, si in illis nullũ agnoscis discrimen quod eleemosynam honestiorem reddat.

Quarta ratio.

QVARTA ratio pro eadem sententia. Nam licèt concedatur supernaturales actus prędefiniri à Deo ex vi efficacis auxilij, nihilominus actus naturalium virtutum nulla ratione probaretur indigere auxilio prędefiniẽte, quia plures actus eiusmodi faciliores sunt quibusdam peccatis, sed vt cõmittatur peccatum non est necessarium actionẽ peccati prædefiniri diuino concursu: ergò, &c. Exempla huius aperte cõstant: nam facilior est actus naturalis virtutis qua mater diues vnicum filium charissimum alit, quam patrare homicidium.

Quinta & vltima.

POSTREMA ratio est. Quia actus qui sunt liberi non solum physicè sed etiã moraliter nõ possunt prædefiniri in particulari, & in instanti determinato, sed plures actus sunt liberi moraliter, ergò plures non prædefiniuntur in particulari. Maior satis constat ex dictis in superioribus, & etiam ex his quæ dicũtur in disputatione de scientia futurorum. Nam non potest dari scientia quæ certò dirigat & tutam reddat prædefinitionem, nisi quando actus habent infallibilem connexionem cum circunstantijs. Minorẽ verò docet D. Damascenus lib. 2. fidei ca. 26. ad mittit enim sæpe atque contingens, & hoc dicit esse quod idem possum, & eius oppositũ, quod ab Arist. nuncupatur contingẽs ad vtrumlibet. Sanè si omnes actus essent moraliter necessarij ex vi circunstantiarum, sequeretur cognitis circũstantijs posse cognosci actus nostros liberos saltẽ tacita conditione, nisi Deus peculiari prouidentia id impediret. Rursus voluntas nostra nullam libertatem habebit vnquã nisi in aliquibus circunstantijs habeat etiam libertatẽ moralem. Præterea quia hanc libertatem moralem habebit voluntas, saltẽ quando vtraq; pars contradictionis æqualiter allicit voluntatem. Imò verò experimur in nobis indifferẽtiam moralem. Qui autem oppositum dicunt, dum omnẽ moralem libertatem nobis eripiunt solam physicam relinquentes, rectè agendi spem deijciũt magna ex parte & eneruant constantiã nostri decreti, minuuntq; consilij & deliberationis nostræ fructum: ergò possibilis est libertas moralis in voluntate creata, ac proinde cõstat non posse prędefiniri actus liberos in particulari & in instãti determinato vt habetur in maiori propositione postremę huius rationis. Et profectò quod libertas moralis sit possibilis in voluntate creata nullam implicat cõtradictionem: & præcipuè quia concedendum est Deum ab æterno fuisse moraliter liberum ad ea quæ in tempore

D. Damas.

facienda decreuit, ita vt nullius rei electio fuerit Deo moraliter necessaria: sed nullum incõueniens est hanc indifferẽtiam moralem cõmunicari voluntati nostræ, ergò, &c. Tandem Angelis ex vi circunstantiarum non fuit infallibile peccatum, sed moraliter liberũ. Similiter primum peccatum Adami fuit moraliter liberũ. Et ad vitãda peccata breui tempore datur potestas moralis ex vi communium auxiliorum: ergò.

PLVRES alię sunt opiniones de hac controuersia, obscuræ etiam & difficiles quæ nõ prętermittentur à nobis, sed erunt recensendæ suis locis, nimirum cum stabiliemus nostram sentẽtiam & assertiones atque pronuntiata, quo loco adducemus argumẽta & fundamenta varia earundem opinionum quæ non solùm dissoluentur à nobis sed impugnabuntur etiam.

Huius cõtrouersiæ decisio, & explicatio.

In quo sita sit huius cõtrouersiæ difficultas.

HVIVS difficultatis apertus Campus inde habet difficilem exitum: quia si semel admittatur prędefinitio certa & infallibilis actuũ humanorum, de quibus loquimur, apud Deum: sequitur lædi liberum arbitriũ in actibus eius liberè elicitis. Et è conuerso negare actuum liberorum prædestinationem apud Deum, videtur apertè alienum à sacris Literis & à perfectione prouidentiæ Dei. Nã certè si non admittantur diuina decreta de actionibus humanis, continuò sequitur multa quasi à casu euenire respectu Dei, & non quia sint ab illo præordinata & præuisa. Rursus sequitur Deum non solùm non habere exactam prouidẽtiam nostrarum actionũ, & actuũ liberorum, sed etiam eos minimè efficaci decreto voluntatis suæ prędefinire futuros, priusquam illos videat fieri à voluntate nostra. Nam si illos decreto suo prædefiniret, moueret determinatè & efficaciter voluntatem nostram ad executionem eorundem actuum prædefinitorum: Quoniam si decretũ illud Dei, efficax & absolutum est, necessariò debet habere effectum, quem sanè minimè habebit, imò neque habere potest nisi efficaciter mouendo voluntatem, & applicãdo eam ad actũ prædefinitum: quod negant auctores oppositæ sententiæ.

Prima Conclusio.

Conclus. 1. Quòd sit Dei prædefinitio actũ D. voluntatis.

SED vt in hac parte rectè procedamus, dico primò: Prædefinitio Dei de rebus agendis est quoddam æternum decretum voluntatis diuinæ, suppositio actu diuini intellectus diuinæq; prudentiæ, quo statuit absolutè vt aliquid fiat ad extra & in tẽpore. Itaq; sermo noster est de diuina prædefinitione quatenus prior dicit decretũ Dei antecedens pręscientiã veræ futuritionis actuũ bonorũ, aut supernaturalium: quo Deus antequã cerneret Paulũ persecutorẽ Ecclesiæ habiturũ esse actum conuersionis, absolutè decreuit vt illum haberet eo tẽpore quo persequebatur Ecclesiam, & quo motiua multa extrinseca ipsum ad id inuitabãt: & idcirco Deus ordinauit media quę pro tali occasione conueniebant vt talis fieret conuersio. In quo sensu nunc loquimur de diuina prædefinitione quatenus spectat ad rationem prouidẽtię, & dicit antecessionem ad prescientiam visionis. Quo fit vt sit prædefinitio diuinum quoddam decretum quo Deus statuit aliquid absolutè fore in tempore euenturum, vt quod voluntas Petri Apostoli negantis ipsum tali tempore & loco fieret amare & eliceret actum contritionis. Ex quibus constat decretum hoc Dei non esse subsequens ad scientiam visionis qua Deus scit Petrum habiturum actum contritionis: quia sub hac ratione non est decretum aut prædefinitio, quia non consideratur vt causa illius effectus, sed magis supponeret tunc actum illum vt præuisum & futurum antecedenter ad ipsum decretum. Cum tamen talis prædefinitio seu decretum Dei includat aliquo modo rationem causæ, & ordinet media atque disponat causas ad effectus, includendo voluntarem ordinatiuã causarum vel mediorum. Illa igitur voluntas quæ subsequitur scientiam visionis actuum futurorum, sicut non est prædefinitio, ita neque est decretum, sed dicitur voluntas complacentiæ aut approbationis in effectu præuiso: quod sanè egregiè est perpendendũ, quia in hoc nõnulli ex aduersarijs decipiuntur & errant. Et nihilominus hęc voluntas approbationis poterit pertinere ad prouidentiam, quatenus si Deus velit poterit effectus & actiones ordinare vel ad pręmiũ speciale, vel adaliquid aliud quod sibi benè visum fuerit. Vnde prædefinitio non tãtùm dicit antecessionem eternitatis ad tẽpus, sed antecessionem rationis ad pręscientiam effectus prædefiniti futuri in aliqua duratione & eius differentia, & includit ordinem mediorum & causarum, per quas ille effectus executioni mandandus est.

Dei prædefinitio non est subsequens scientiam visionis.

Secunda Conclusio.

Conclus. 2. Præcipuè loquitur Paulus de actibus supernaturalibus.

DICO secundò Deus potest prædefinire actum humanum bonum liberum & liberè à voluntate eliciendum. Et est sermo de diuina prædefinitione seu decreto Dei, in sensu superius explicato. Hoc videtur mihi per æquiualentia verba Paulus docuisse, qui de facto dicit Deũ prædefiniuisse omnia, etiam actiones bonas liberas ipsius hominis dicens: *Creati in operibus bonis quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* vbi perpendendum est verbum illud: creati in operibꝰ bonis, quod sicut creatio nihil supponit, ita decretũ seu diuina prædefinitio, non supponit scientiam visionis futurorũ antecedenter ad ipsum decretum, seu ad ipsam prędefinitionem. Et ob eam causam ad Ephes. 1. Paulus etiam dixit: *Qui operatur omnia secundũ consiliũ volũtatis suæ.* & non dixit ex præuisione consiliorũ nostrorum, neque operum nostrorum. Et sanè verbo illo *Creare*, tanquam æquiualente, vsus est Paulus, vt nobis insinuaret, prædefinitionem & decreta humanorum actuum bonorum & liberorum. Rursus probari hoc potest ex his quæ dicunt Theologi de diuina prædestinatione. Di-

Ad Ephes. 2

cunt enim prędestinationem significare prædefinitionem. Sic Caietanus ad Romanos nono, Caietanus
Diuus Hieronymus in prioribus Commentarijs ad Ephesios 1. Vbi prædestinare dicit esse D. Hieron.
prędefinire: Albertus Pighius libro 8. de libero arbitrio capite 2. idem dicit. Et sanè cum Deus Albertus Pighius.
prędestinat homines præparat opera & media & prędefinit ea quæ necessaria sunt ad consecutionem salutis: & non dicitur prædestinare ex præuisione futurorum operum, sed potius è conuerso: hoc est non ex pręuisione operũ, sed potius per prędestinationem opera pręparare, & præscire, prouidereque. Extat etiam elegans Prouer. 21.
testimonium Prouerbiorum 21. *Cor Regis in manu Dei est, & quocunque voluerit inclinabit illud.* Et extant etiam penè infinita testimonia Scripturæ, in quibus significatur Deum de facto præ definire actiones bonas humanæ voluntatis. Quare huiusmodi prædefinitio operum liberorum valde consentanea est modo loquendi Sacrarum Literarum, in quibus hęc efficacitas tribuitur diuinæ voluntati vt possit mouere vel inclinare voluntatem liberam hominis quo voluerit. Imò verò hoc est maximè confor me modo loquendi Sanctorum & modo loquendi D. Augu.
Diui Augustini in Enchir. capite 94. & 95. libro 1. ad Simplicianum quæstione 2. vbi dicit non defuisse Omnipotenti modũ mutandi voluntatem Pharaonis si vellet, hoc est, si prædefinitiuè vellet, seu efficaciter & absolutè vellet. Sanè incredibile est maximeque indignum, de Deo affirmare quod non possit absoluto decreto voluntatis aliquid decernere agendum si faciendum sit per voluntatem creatam liberam, nisi prius Deus videat futuros esse tales effectus. Nam hac ratione diuina potestas esset valde limitata & contracta circa actum liberum humanæ voluntatis, vt nihil posset agere circa opera volũtatis creatę: nisi quod prius prędideret euenturum si voluntas sub cõditione id vellet. Rursus etiam sequeretur, quòd effectus omnes liberi quamuis non essent pręter scientiam Dei, tamen vt minimum essent pręter intentionem efficacem Dei, & sine voluntate & decreto eius, quod non est ferendum. Nam licèt in malis actibus liberis & pecaminosis verum sit Deum eos non prędefiniuisse, tamen id asserere in omnibus, ita vt non possit Deus aliud facere, quia aliàs læderetur libertas, neque videtur cõforme modo loquendi Scripturæ, neque perfectioni Dei infinitæ, diuinæ Sapientiæ, Potentiæ, & prouidentiæ. Dixi non esse consonũ modo loquẽdi Scripturæ: quia sacræ Literę loquũtur de plerisque effectibus diuinæ prouidentiæ qui fiunt per liberas causas, vt inferius dicemus: ergò certum est possibile esse Deo antecedenter ad præuisionem operum futurorum & ante absolutam præscientiam alicuius humani liberi actus, velle efficaciter prędefinire, & præordinare, non tantùm vt fiat, sed vt liberè fiat à nobis.

Hanc nostram assertionem apertè docet Caietanus prima parte quæstione 22. articulo Caietanus
quarto, neque oppositum docet quæstione 23. articu. septimo, sed potius fauet si bene intelligatur: & Ferrara tertiò contra Gentes capite 99. & Theophilactus in illud Osee 5. *Sublatus est Ephraim*, dicit Deum omnia prœoccupare sua prœsentia, & prędefinitione. Ex antiquis, illi maximè fauent huic nostræ sententię qui dicunt omnes actus liberos futuros Deum certò cognoscere in suo decreto & prouidentia: ita Ricardus in primo distinctione 38. articulo 1. quæstione 5. Scotus in primo distinctione 39. quæstione 1. præsertim §. viso de contingentia Henricus prima parte articu. 36. quęstione 5. versus finem, Durandus in 1. dist. 38. q. 3. num. 9. & nume. 22. Ferrara
Teophilact.
Ricardus. Scotus.
Enricus. Durandus.

Caeterum aduersarij nostri non cessant clamare sedulò: sentiunt enim, Patres & Doctores superius citatos loqui, non de voluntate efficaci Dei, qua absolutè velit & prædefiniat omnes actus nostros bonos in singulari, sed de voluntate, qua Deus efficaciter vult præbere omnia necessaria ad actiones bonas, volens voluntate inefficacis complacentiæ, aut voluntate sufficiente seu velleitatis, vt omnia bona quæ diuinis auxilijs possibilia fuerint operemur, & complacens in quibusque bonis, quæ scientia visionis videt à nobis esse facta, quo modo Deus non vult actus malos, sed tantùm bonos. Eodem modo explicant Patres qui dicunt bona prædestinata esse, mala verò præscita, sed nõ prædestinata: ita Leo 9. in epistola decretali ad Leo PP. 9.
Petrum Antiochenum, D. Augustinus de articulis sibi falso impositis, art. 10. D. Augus.

Sed profectò tam Leo Papa quam Diuus Augustinus apertè loquũtur de diuina prædestinatione, & prædefinitione operum nostrorum, non limitantes prædefinitionem & decretum Dei nisi respectu malorũ, de quibus permissionem peccatorum decreuit. Vnde diuus Athanasius explicans illud ad Ephesios secundo. *Ipsius factura sumus, creati in operibus bonis quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus*, ait: *Deus autem hæc præparauit, quæ differri non possunt neque intermitti quin peragantur, tanquam diuinitùs sint præfinita quousque fit procedendum.* Envbi Athanasius prædefinitionem bonorum operum dicit à Deo esse factam: de quibus ait, quòd neque deferri, neque intermitti possunt, quin peragantur tanquam à Deo prædefinita quousque sit procedendum. Vides quo pacto Athanasius non solùm affirmat prædefinitionem Dei de bonis operibus liberis, sed etiam de eis secundùm circunstantias? Et hinc constat aduersarios male loqui, dicentes, quòd quamuis apud quosdam ex Patribus prædestinare sit efficaciter decernere quod futurum est, cæterùm ex illis non satis constare, vtrùm efficacia voluntatis pertingat ad singula bona opera in particulari, vel solùm ad bona in specie, & vagè, manente velleitate & voluntate antecedente circa particulares circunstantias: præsertim cum illorum præcipua mens fuerit ostendere discrimen bonorum à D. Athan.

malis, quod mala prædestinari non possint vt bona. Sed quis non videat horum sensum & interpretationem, expressè esse contra verba Athanasij dicentis, Deum prædefiniuisse & pręparasse bona opera quæ differri non possunt, neque intermitti quin peragantur, tanquam diuinitùs sint præfinita quousque sit procedendum? Ecce cum dicitur quod differri non possunt neque intermitti explicuit Athanasius tempus determinatum præfinitum à Deo & circunstantias, infallibilitatem & intensionem, atque continuationem quousque sit procedendum, de quibus omnibus ait prædefinita à Deo esse.

S. Thomas. RVRSVS perpendendus est maximè sanctus Thomas prima parte quæstione 22. articulo secundo ad quartum, vbi affirmat necessarium esse dicere omnia subiacere diuinæ prouidentiæ, non tantùm in vniuersali, sed etiam in singulari & in particulari. Quia tantùm se extẽdit ordinatio effectuum in finem, quantum se extendit causalitas primi agentis, & quia hæc causalitas se extendit ad omnia entia, & ad omnia in diuidualia principia tam rerum omnium quam bonorum operum, idcircò secundùm rationem particularem omnia cadunt sub diuina præordinatione, & prædefinitione. Dicit præterea sanctissimus Præceptor quod Deus dicitur reliquisse hominem in manu consilij sui, non quidem excludendo eum à diuina prouidentia, sed quia fecit eum arbitrio liberum: Eadem prima parte quæstione 23. articulo quinto expressè negat ex præuisione aliquorum operum Deum prædestinasse aliquem aut præordinauisse se daturum effectum prædestinationis, sed potius ante hæc omnia prædefiniuisse & prædestinauisse quos voluit.

Non omnes aduersarij negant prædefinitionẽ Dei. ET sanè aduersarij nostri non omnes potuerunt negare omnem prædefinitionem Dei circa bona opera libera, & idcircò fatentur huiusmodi prædefinitionem, vt eam fatetur Franciscus Suarez infra citandus, in disputatione de auxilijs, contra aliquos ex suis.

Explicatur modus quo fieri potest vt prædefiniatur actus ante absolutam ipsius præscientiã & tamẽ sit liber. SED vt de hac prædefinitione diuina operum nostrorum aliquid apertius dicamus oportet aduertere quomodo fieri possit à Deo, vt ante absolutam præscientiam futuri actus humani liberi velit efficaciter prædefinire & præordinare vt fiat actus humanus, & vt liberè fiat. Nam certè sicut aliud est in Deo decretum, prædefinitio, & prouidentia, & aliud gubernatio: quia prouidentia & prædefinitio in ea inclusa, dicunt ipsam rationem rerum agendarum prout sunt in mente Dei: gubernatio verò dicit rationem illam quatenus in actiones seu effectus ad extra se explicat & prodit: quo fit vt prouidentia & prædefinitio de rebus agẽdis sint æternæ, gubernatio autem quæ ex eis sequitur sit temporalis: ita in hac diuina prædefinitione & prædeterminatione Dei, debemus distinguere aliam prædefinitionem internam Dei, quam Deus sua voluntate sanciuit, non vt per eam ita immutet secundam causam vel res ad extra, vt eas extrahat & propulset à suo proprio & connaturali modo agendi, sed tantùm vt in se habeat absolutam & definitam intentionem rei efficiendę & alicuius finis ex cuius vi applicet optima media, apta & cõsentanea, vt eo modo quo prædefinitus est euentus aliquis, seu opus liberum, infallibiliter fiat. Hinc possumus colligere aliam prædefinitionem voluntatis diuinæ quæ est veluti illatio præcedentis, & quæ cum tali suauitate & efficacia se se prodit & explicat in opus ad extra & in liberum arbitrium creatum, vt fiat id quod prædefinitum est. Vnde prior illa prædefinitio dicitur esse immanens & interna cum relatione rationis ad extra: posterior verò dicitur esse transiens prædefinitio, & quasi terminus illius prioris prædefinitionis, quæ considerari potest per modum intentionis & quasi actus primi sicut hæc secunda per modũ executionis. Et quoniam diuina voluntas non tantùm est efficacissima ad operandum quod vult: quia attingit à fine vsque ad finem fortiter, sed etiam operatur id quod vult, quomodo vult, & per media quæ vult, & quæ ipse vult, & eligit: quia ita attingit fortiter quæ vult, & secundas eorum causas, vt disponat omnia suauiter. Vnde perpende concordiam inter fortiter agere, & suauiter agere: hæc enim non pugnant sed ex diuina sapientia mutuo fœdere copulantur inter se, maximè in operibus liberi arbitrij. Quocirca licèt Deus absoluto & efficaci proposito atque prædefinitione velit & intendat fieri aliquid, non ob id necessitatur Deus vt vim inferat voluntati nostræ: quia potest Deus ita mouere liberum arbitrium nostrũ fortiter sua gratia, vt ex diuina sapientia disponatur suauiter, quamuis efficienter propriè moueatur ad infallibilem consecutionem operis intenti.

Nõ pugnat fortiter & suauiter agere.

Consectariũ vnum. EX his facilè colligitur, quòd quamuis Deus ad extra operetur, & agat per potentiam suam, tamen potentia ipsa determinatur à voluntate vt sic vel sic agat & operetur, præcipuè dum operatur influendo in liberum arbitrium creatum: & hinc fit vt determinatio voluntatis, libera sit nobis, & cui possit resistere nostra voluntas quia volũtas liberè cõsentit, & liberè etiam se se mouet ad cõsentiendũ. Vnde voluntas suo decreto ex cõsilio volũtatis Dei præeunte, prędefiniens & decernens actũ euẽturũ ex arbitrio creato: habet voluntatem coniunctã talis medij quod nõ necessitet, aut determinatione necessaria rapiat liberũ arbitrium: sed tantùm vt fortiter & suauiter ipsum attingat & moueat, vt infallibiliter sequatur opus ab eo eliciendum. Quo fit vt voluntas prędeterminans voluntatẽ applicet potentiam influẽtem gratiam fortiter attingentem liberum arbitriũ, & fortiter ipsum suauiter mouentem. Ita tamen vt illa voluntas prior prædefiniens actũ liberũ prædefiniat ipsum cum habitudine eius ad extra, & cum habitudine ad modum operandi ipsius arbitrij, aut

causæ secundæ: & idcirco in obiecto suo includit actum vt faciendum infallibiliter tam ex determinatione Dei quàm ipsius liberi arbitrij cum influxu & concursu, atque etiam auxilio Dei iuxta dispositionē diuinæ sapientiæ & iuxta Dei sapientissimā & multipliciter suauem gubernationē. Vnde posterior hæc voluntas Dei quæ à nobis concipitur quasi ratione distincta à priori quæ prædeterminat voluntatē nostrā & pertinet ad prædefinitionem externam seu gubernationem non solum habet pro obiecto ipsum actum libere euenturum: sed etiam modum eius & prædeterminationem per motionē Dei efficacem & suauem. Formalis ergò intentio finis, quæ vult adulto dare gloriā, efficax est mediorum: vnde cum Deus intendens finē, & eligens media, non indigeat inquisitione mediorum aut aliquo discursu, quia omnia habet simul præsentissima, non prius intendit finem & postea eligit media, sed simul intendit finē per talia media, & ita vult prædestinato dare gloriā per talia media: & hæc intentio est efficax, quia volūtas finis in eo qui perfectè operatur est in eo formaliter imperatiua mediorū, & includit efficaciter volitionē electionis mediorū: Vnde illa intentio Dei est efficax, tum circa media, cum sit fons & ratio mediorū: quo fit vt Deus vnico actu simplicissimo secundum rem intendit finem & media, & finem per talia media. Potest esse exemplum de eo qui intendit magnificā ædificare domū, ex hac enim intentione efficaci eligit media proportionata tanquā ex fonte electionis: nam in efficaci intentione includitur ipsa electio, & qui intendit integram domum similiter intendit tecta & fundamenta, &c.

Aliud corollarium.

RVRSVS colligitur quod prædefinitio illa seu decretū immanēs Dei, habet se veluti actus primus, & definitio interna, quę tamen respicit ex diuina ordinatione effectionem seu applicationē mediorum suo tempore exercendā iuxta præscriptum diuinæ voluntatis, & suorū decretorū: quæ sanè prædefinitio antiqua, media potentia Dei cuius est applicatiua, dicitur effectiua operis ad extra: Hinc fit quod ex vi huius prędefinitionis, ita dirigitur & gubernatur volūtas hominis dum efficitur determinatio voluntatis vt ipse Dei influxus & concursus talis sit, vt eo infallibiliter Deus vtatur ad suauiter & fortiter mouendā voluntatem, suauiter quidem ad conseruandā libertatem eiusdē voluntatis operantē ex conferentia & collatione: & fortiter ad infallibilitatem præstandā iuxta prædefinitionis diuinæ decretum. Itaque diuina prædefinitio nō tollit libertatem quoad exercitium in actibus prædefinitis, quia volūtas Dei non mouet quomodocunque voluntatem, sed suauiter & fortiter: neque immutat modum naturalem operādi eius cum conferentia & collatione applicādo media quibus ita moueatur liberum arbitriū vt re vera possit non operari, quia tota illa motio suauis est, & adaptatur potestati liberi arbitrij quoad libertatem eius. Vnde si rem de qua agimus optimè perpendamus, & non multorū varias sententias, manifestè potest à nobis cōcipi & videri differentia inter hanc internā prędefinitionē per modū actus primi considerata, & inter prædefinitionem executiuam seu prædeterminationem ad extra: quod vtraq; habet infallibilem cōnexionem cum actu prædefinito, tamen illa conexio cum executione actuali fundatur in illa prædefinitione priori per modum actus primi existentis in Deo, adiunctis motiuis moraliter mouentibus & attrahentibus voluntatem ad effectū in re, ita vt prædeterminatio executiua habeat cōnexionem cum prædefinitione morali & physica, & quandam dependentiam ab vtraque: itaque non est cōnexio cū sola pręmotione efficiente, sed etiam est cōnexio cum præmotione morali, inuicem inter se dependentes iuxta decretum Dei & prædefinitionem eius, qui iuxta D. Augustin. omnia quæcunque fecit eo modo quo voluit fecit, nimirū libere contingenter vel necessariò.

Diferentia inter prædefinitionem internam & externā seu executiuā.

SED dicunt aduersarij hanc prædeterminationem prodeuntem à prædefinitione interna Dei lædere libertatem si talis prædefinitio sit efficax, & antecedens ad scientiam mediam cōditionalium: si enim prædefinitio Dei proprie dicit decretum antecedens præscientiam futuri actus quo Deus antequam videret Petrum habiturum actum contritionis, absolutè decreuit vt haberet illum, & idcirco ordinauit media per quæ fieret: sequitur fieri non posse vt Deus hoc modo prædefiniat aliquem actum liberum vt sic, quia hoc ipso tolleret eius libertatem: quod probant, quia illa prædefinitio est causa efficax & suppositio antecedens, qua posita nō potest non poni effectus: quia talis prædefinitio infert effectum necessariò, & sine ea non potest poni effectus. Vnde auctores oppositæ sententiæ censent nos premi his illationibus, si non admittimus in Deo scientiam cōditionatā futurorū contingentiū, & liberorum: nam si Deus prædefinit aliquem actum voluntatis liberum in particulari cū omnibus conditionibus ac circunstantijs eius, & indeterminato tēpore & loco, necesse est vt ex vi illius prædefinitionis efficaciter faciat illū actum fieri: quia prædefinitio eius non potest suo effectu frustrari, sed oportet infallibilem esse: ergo necesse est vt per se ipsum efficaciter determinet voluntatem humanam ad talem actum, vel quod applicet talia media quibus efficaciter seu infallibiliter determinetur: ergò si per scientiam mediam conditionatam non præcognouit Deus voluntatem ipsam cum his vel illis conditionibus fore infallibiliter determinandam ad talem actum, necesse est & requiritur vt ipse illam determinet efficacia sua: aliàs effectus prædefinitionis suæ non esset prorsus infallibilis quod repugnat.

Obiectio, ꝙ ex hac prædefinitione lædatur libertas actꝰ.

HVIC obiectioni respondetur negando sequelam, nimirum quòd lædatur libertas: quia integram & illæsam manere censemus in voluntate prædeterminata a diuina voluntate,

Solutio.

mouente arbitrium noſtrum fortiter & ſuauiter, cum collatione & conferentia, ſeu cum modo libero voluntatis, nõ ex iudicio à natura infixo. Itaque cum voluntas noſtra ex diuina prouidentia & ſapientia, prædefiniatur & prędeterminetur operatura, cum conferentia & collatione, & non ex iudicio infixo à natura, Deo mouente ipſam ſuauiter & cum quadam coaptatione, quæ ſuauiter facta, eam non repellit à propria cõditione: ſequitur actum eius fore liberum. Scientia autem conditionata media ſeu neutra futurorum conditionatorum, nõ habet ſolidum & firmum fundamentum, ſed ab omnib⁹ reijcitur, vt ex ſentẽtia D. Augu. Proſperi & Hilarij, & Doctorum Theologorũ oſtẽdimus in diſputatione quam edidimus contra hanc ſcientiam neutram, ſeu mediam futurorũ conditionatorum. Propter quam cauſam nonnulli ex Theologis preſsi & ſuperati difficultate hac, negantes etiam hanc mediam ſcientiam, in quoddam baratrum inciderunt. Dicũt enim Deum prędefinire quidem in communi, aut vagè hos actus liberos & contingentes, non tamẽ prædefinire eos in particulari, neque hoc ſpectare ad perfectionem prouidentię eius, quia ad prouidentiam Dei ſolũ pertinet, vt Deus prouideat vnicuique rei, modo conſentaneo illius naturæ: Vnde conſequenter dicunt, quod ſi Deus prædefiniat aliquem effectum, qui per actus liberos mandandus eſt executioni, ſi debet eſſe liber requiritur nõ quòd prędefiniat ſingula media in particulari, ſed tantùm quòd præordinet talem mediorum ſeriem, vt ſi vnum non ſortiatur effectum, aliud & aliud applicetur, & illis deficientibus, adiungatur aliud, donec effectus prædefinitus & intentus re vera fiat. Hunc modum dicendi non omninò repellunt auctores oppoſitæ ſententiæ, quibus aliquando ille non diſplicuit prorſus. Et hodierna die dicunt Doctores Theologos, qui prędictam ſententiam ſequũtur, loqui conſequenter ſi verum eſſet Deũ non habere ſcientiam illam mediam aut neutram futurorum contingentium conditionatorum. Sed profectò hic modus dicendi nunquam mihi placere potuit: primò quia ex ipſo ſequitur re vera & de facto fruſtrari intentionem Dei & fruſtra prædefiniri actum illum, verbi gratia, Cõtritionis, Fidei, aut Caſtitatis, ſi relinqueretur in confuſo, ita vt non haberet medium vllum certum, ſed tantùm confuſè & vagè, ita vt non eſſet infallibilis Dei prædefinitio de tali actu, aut effectu: quia poſſet eidem prædefinitioni ſubeſſe falſum cum poſſet fruſtrari, ob id quòd nullum medium haberet infallibilem connexionem cum illo actu, & ita eſſet diminuta & imperfecta prouidentia Dei, circa illa quæ firmiter decreuit facere ad extra, quia decretum & prædefinitio Dei non haberent infallibilitatem in ſummo gradu, in quo requiritur exacta certitudo & connexio infallibilis talis effectus cum ſua cauſa, ſed ſolũ habere moralem quandam certitudinem cui deficere non repugnat. Igitur vt certitudo diuinorum decretorum nullo modo fruſtretur, requiritur vera infallibilis connexio, cui non poſsit ſubeſſe falſum: quod quidem inter alia expreſſiſſe videtur teſtimonium illud iam citatum Prouerbiorum 21. *Cor Regis in manu Dei eſt, & quocunque voluerit vertet, & inclinabit illud.* Quo fit vt ſit valde conſentaneum modo loquendi Scripturæ & Sanctorum hæc infallibilitas, non ſolùm moralis ſed metaphyſica, cui non poſsit in re & de facto ita ſub eſſe falſum, vt fruſtretur decretum & intentio Dei: & idcirco tam Scriptura quàm Sancti Patres tribuunt talem efficacitatem voluntati Dei, vt poſsit mouere & inclinare volũtatem quo voluerit iuxta elogium citatum: *Cor Regis in manu Dei eſt quocunque voluerit vertet illud.*

Quòd ſcientia media à nullo ex Patribus & Doctoribus admittatur

Hic modus dicendi non placet, & ideo impugnatur.

Prouer. 21.

PRAETEREA reſpondetur ad argumentum prædefinitionem diuinam factam à Deo ab æterno, non eſſe ſuppoſitionem neceſſariam ſeu neceſsitantem voluntatem in actibus ſuis, nam ſi quis ſentiat voluntatem ipſam Dei per ſe ipſam eſſe potentiam executiuam eorum quæ vult, adhuc poteſt dicere prædefinitionem internam includentem voluntatem Dei, verſari circa cauſam ſecundam vt ipſa ad extra operetur eò modo quo decretum voluntatis Dei ſtatuit vt ageret, nimirum liberè & contingenter, volendo executiuè influere, non tantùm fortiter, ſed ſuauiter, mouendo etiam ad conferentiam & collationem cum vera cognitione finis, & non plus aut aliter ipſam mouere ad talem actum eliciendum, quam neceſſe ſit vt actus infallibiliter fiat, & non fruſtretur intentio, aut prædefinitio Dei. Ad hoc autem requiritur prædeterminatio efficax Dei, ex vi illius prædefinitionis Dei, quæ fruſtrari non poſsit, & non ſufficit quælibet alia motio, ſi quamuis ſit ſuauis fortis non eſt. Nam ob id Spiritus Sanctus dixit, diuinam Sapientiam & prouidentiam, à fine vſque ad finem non ſolùm attingere ſuauiter, ſed etiam fortiter. Itaque non ſufficit ſola moralis illa motio: neque eſt verum per illam præſcientiam conditionalem præuideri certò & infallibiliter quod hoc ſit operatura voluntas, quia ſi adhuc dum ponitur voluntas in his aut illis ordinibus & circunſtantijs, adhuc ipſa non conſentiret gratiæ Dei non præuideretur conſentire, & tunc non poſſet prædefiniri talis actus niſi Deo efficaci auxilio præmouente: ne Dei intentio & prædefinitio fruſtretur, & innanis fiat.

Prædefinitio Dei æterna non eſt ſuppoſitio neceſsitans volũtatem in actibus ſuis.

ET hinc etiam nos colligimus & cõcedimus: quod quamuis actus diuinæ voluntatis & ſuæ prædefinitionis vnus ſit tantùm, & ſimpliciſsimus: tamen ſentimus eſſe virtute multiplicẽ, & in ipſo eſſe perfectionẽ omnigenã cum ſuauitate coniunctam. Et idcircò in illo actu diuinæ prædefinitionis & voluntatis Dei, quatenus liberè terminatur ad obiecta extrinſeca, reperitur non ſolùm ratio intentionis, ſed ratio

Actus diuinæ voluntatis vnus cum ſit, eſt tamen virtute multiplex.

electionis, & vsus, fortitudo & suauitas. Et ob id Deus ita potest prædefinire actum liberum per modum intentionis alicuius finis, vt per illam intentionem concipiatur & sequatur electio, qua ad extra efficiatur quod intenditur. Nam non potest intelligi in Deo prædefinitio efficax per modum intentionis efficacis, nisi eo ipso intelligatur adesse voluntas eidem intentioni conformis, eligendi media: quibus efficaciter sequatur quod intenditur à diuina prædefinitione: & oppositum non est intelligibile. Illa igitur intentio in diuina prædefinitione inclusa, in qua etiam cum sit virtute multiplex, & liberè determinetur ad obiecta extrinseca non solùm est intentio, sed etiam includit rationem electionis, atque ita dicitur operari media electione. Quocirca Deus dum prædefinit, & decernit atque intendit aliquid per modum intentionis, cuiusdam proximi finis, non intendit finem seorsum à medijs, sed simul cum illis. Cum enim sit Deus infinitæ perfectionis & comprehensionis, ita intendit vnico illo actu hunc finem, vt ipsum intendat per hæc media, & volendo huiusmodi media propter hunc finem: & idcircò Deus non intendit finem seorsum à medijs, sed simul cum illis. Et consequenter Deus intendens absoluta & prædefinitiua voluntate actum liberum hominis, simul prædefiniuit illum per tale mediũ quo certò & infallibiliter eueniet ne frustraretur eius absoluta intentio & eius decretum efficax, sed eo suaui & efficaci modo vt voluntas actum intentum eliceret infallibiliter ad consentiendũ attracta à Deo suauiter & fortiter, vt dictum est. Et nihilominus verissimũ est Deũ ex vi suæ intentionis & prædefinitionis huius aut illius actus in particulari velle voluntatẽ hominis eo modo mouere quo scit si eam ita moueat liberè operaturam, quia ex sua prædefinitione & decreto vult ex quadã efficaci intentione quam ipse habet vt sic operetur volũtas.

Non intendit Deus finẽ seorsum à medijs cũ intendit aliquid per modum intentionis.

Hæc prædefinitio Dei non est simpliciter antecedens vsum libertatis apud auctores oppositæ sententiæ, quia apud eos talis prædefinitio supponit præscientiam conditionalium, & supponit cognitionem talis actus futuri sub conditione, sine qua præscientia nullo modo posset intelligi talis prædefinitio. Vnde potius supponitur ille consensus liber futurus si hæc vel illa conditio adhibeatur, & tunc prædefinitur actus; prædefinitio verò ex tali suppositione scientiæ mediæ concepta, respicit intrinsecè consensum illum liberum vt perducendum ad effectum per illud medium, seu per illam conditionem qua posita præcognitus est infallibiliter futurus. Et hac ratione apud hos auctores prædefinitio non censetur esse suppositio simpliciter antecedens, sed potius supponens aliquo modo vsum libertatis, cui sese acommodat in modo quo perducitur ad executionem. Quæ sanè doctrina si vera esset & si saluaret libertatem arbitrij nostri, non tamen infallibilitatem diuini decreti, neque perfectam Dei prouidentiam & voluntatem absolutam, qua Deus de rebus euenturis firmiter & efficaciter prædefiniuit seu decreuit.

Quod apud oppositos auctores nõ dicatur simpliciter Dei prædefinitionẽ vsum libertatis antecedere.

Addo vlterius: quod si Deus videret voluntatem alicuius hominis in hoc ordine rerum & conditionum moralium, aut in alio nunquam esse operaturam actum contritionis, vel pœnitentiæ: quòd tunc non posset Deus prædefinire & decernere aliquem actum pœnitentiæ eliciendum à tali homine, nisi necessitando & vim inferendo illi, & in tali casu deficere Deo modum quo ille homo ageret pœnitentiam per liberum actum: Et pariter deficere Deo modum quo plurimi ex hominibus operarentur liberè in plerisque actionibus aliàs liberè euenturis ab ipsis exercendis: & ex consequenti deficere Deo modum prædefiniendi actionem liberam bonam alicuius hominis, nisi necessitando & inferendo illi vim, nimirum illius, qui ita durę esset ceruicis, vt nunquam præuideretur cum solis communibus & moralibus auxilijs consentire, aut pœnitere, sed resistere, quia tam imbibitam haberet malitiam vt semper resisteret, sicut illi de quibus Scriptura dicit. Vos semper spiritui Sancto resistitis. Cum tamen diuus Augustinus dicat proprium esse Dei facere volentes ex nolentibus, quam excellentiam dicit specialiter conuenire Deo toto libro primo de prædestinatione Sanctorum. Tandem media ista scientia quam præfati auctores constituunt vt difficultates in hac parte fugiant, & argumenta nostra suo modo dissoluant, non est certum & solidum fundamentum. Quare cum à nobis negetur & sit impugnata firmissimis rationibus & efficacibus argumentis, apertè sequitur, quòd ea repulsa & impugnata nihil habent aduersarij, quo possint libertatem arbitrij cum diuinis prædefinitionibus copulare, & concordare. Vnde si semel negemus hãc mediam scientiam continuo corruit quidquid pro soluendis difficultatibus aduersarij adducunt.

Perpende iuxta oppositum modum, quòd aliquando non posset Deus prædefinire aliquem actũ pœnitentiæ liberè, nisi necessitãdo voluntatẽ.

Dicendvm igitur est diuinam prædefinitionem esse quidem suppositionem antecedentem, includere tamen intentionem & electionem mediorum & vsum, hæc enim in illo actu voluntatis diuinæ includuntur, quatenus terminatur liberè ad obiecta extrinseca, quo fit vt talis prædefinitio debeat esse certa & infallibilis ne frustretur decretum diuinum, & consequenter hanc vim habet vt efficacitate sua per media proportionata cum quadam etiam connexione à causalitate morali, & efficiente simul, inferat effectum. Et quoniam Deus quamuis fortiter moueat voluntatẽ, nihilominus debet eam mouere suauiter, & iuxta modum operandi eius: idcircò ex vi illius decreti & prædefinitionis quæ sunt conformes cum modo agendi libero eiusdem vountatis, debet moueri voluntas per media

Diuina prædefinitio est suppositio antecedens vsũ nostræ libertatis.

con-

conuenientia ab ipso Deo, non tantùm efficienter propriè, sed etiam cum quadam cõnexione motionis moralis, & mouendo liberum arbitrium cum cognitione finis & collatione & conferentia vt sic liberè operetur. Quapropter fateor posse Deum voluntatẽ mouere quocunque voluerit, & in quocunque instanti, & euentu, vt liberè aliquod bonũ opus exerceat, vt fecit cũ D. Paulo cum persequebatur Ecclesiam, quod egregiè ostendunt verba illa Prouerbiorum 21. *Cor Regis in manu Domini quocunque vlouerit vertet illud*: Et egregiè etiam id ostendit D. Augustinus qui loquens de voluntate hominum resistentium Deo, dicit mirabiliter, hoc esse proprium Deo, nimirum facere homines volentes ex nolentibus, videlicet in liberis actionibus eorum: & non loquitur de hac proprietate conueniente Deo, de modo mouendi homines per sola motiua moralia: Nam etiam homines expectato tempore & loco, & circunstantijs oportunis, solent mouere alios homines & consequi infallibiliter moraliter effectum quem intendunt, sed non infallibiliter omninò physicè aut metaphysicè, ita vt non possit illi motioni precisè solùm morali subesse falsum. Nam quo pacto potest supponi infallibiliter futurus consensus liber Petri si motiua & media non præmouent ipsum efficienter propriè, sed solùm moraliter, sic enim absolutè loquendo frustrari posset & inane reddi decretum Dei: cum illud sit infallibile, media autem hæc moralia non sint infallibilia omninò.

Prouer. 21.

Prædefinitio quæ assignatur in modo dicẽdi ad uersariorũ non est prædefinitio, sed quædã complacentiæ volitio.

Adde etiam quòd prædefinitio quæ constituitur ab auctoribus oppositæ sententiæ propriè non est prædefinitio sed tantùm est quædam volitio complacentiæ, quod ipsi facile ferunt & concedunt. Quod probo: nam in eorum opinione postquam Deus per scientiam mediam futurorum conditionatorum præuidit Petrum elicere actum aliquem liberum bonum in tali vel in tali ordine rerum, tunc voluit & quasi sibi placuit Petrum creare in illo ordine in quo ille aliàs habiturus erat prædictum actum liberum: hoc autem non est prædefinire efficaciter aut intendere actum illum includendo electionem mediorum ad ipsum, sed solùm est sibi cõplacere in actu quem præuidet euenturum, & quem præcognoscit eliciendum esse à Petro si in tali ordine rerum creetur. A qua illatione non multum abhorret Ludouicus Molina infra citandus.

Obiectio.

Sed dices: prædefinitio ista diuina non est necessaria ad operandum ex vi subordinationis causæ secundæ ad primam, neque propter necessarium concursum Dei ad actum liberum voluntatis: ergò non requiritur talis prædefinitio.

Dissoluitur

Respondetur: diuinam prædefinitionem esse quidem necessariam, non solùm propter subordinationem causæ secundæ ad primam in bonis operibus, sed etiam ratione diuinæ prouidentiæ, & ratione diuinę voluntatis, qua dum liberè decreuit creare mundum, & creaturas rationales, & liberas pertinentes ad Rẽpublicam etiam ciuilem & supernaturalẽ, non solùm voluit illis prouidere in communi, sed etiam tanquam exactus prouisor in particulari, sicut expediebat perfectioni diuinæ sapientiæ & prouidentiæ. Vnde decretum Dei de productione rerum, cum sit infinitum & infinitæ perfectionis ad omnia omninò se extendẽs, in se ipso habet prædefinitiones omnium in particulari præcipuè supernaturalium, & etiam bonorum operũ in quibus secundę causæ agentes subordinãtur primæ causæ. Hinc fit, actus creaturę rationalis bonos, positiuè prædefinitos esse à Deo, & intentos ab eo ad aliquem specialem finem: & ob id præparasse media vt fiant, ne frustretur hæc intentio diuina, in qua, vt diximus, etiã includitur electio. Sed nõ quiescunt aduersarij & obijciunt hanc prædefinitionem esse quidem possibilem & non repugnare libertati, non tamen requiri neque esse necessariam. Sed profectò si non repugnat libertati prædefinitio hæc, non video cur non sit ponenda: præcipuè quia perfectissima & exacta omnino gubernatio qualis Deo est tribuenda, supponit in Deo voluntatẽ eiusdem gubernationis, & euentuum futurorũ ad extra, qua voluntate Dei, tanquam in principio infinito, includitur determinatio eorum omnium, quæ potissimè in Republica liberi arbitrij essent fienda & euentura: Quare prædefinitio diuina necessaria est ex perfectione Dei operãtis optimo modo, efficacissimo, & suauissimo propter honestissimos fines, efficaciter intentos: ac proinde non tantùm ratione productionis effectuum ad extra & dispositionis, atq; gubernationis eorum, & propter fallibilem consecutionem intentionis efficacis Dei, ad finẽ præconceptum & intentum, sed etiã ex parte operãtis Dei: quia hoc sibi debetur & perfecto modo agendi & operandi ipsius: Atque adeò vt Deus cõuenienti modo præordinet ea quæ sub eius voluntatẽ & actionẽ cadunt & vt similiter prouideat perfectè illa quæ sub eandẽ voluntatem Dei cadere debent, requiritur prædefinitio diuina & ne frustretur intentio Dei in his quæ ipse efficaci intentione prædefinit euẽtura. Vnde necesse est secundã causam quæ est liberũ arbitriũ subordinari Deo in agendo & operando & influxui diuino non solùm vt agat & operetur quod prædefinitum est, sed etiam ne frustretur & innanis fiat diuina prædefinitio. Quod sanè præcipuè est necessarium in actibus supernaturalibus: cum in eis non sufficiant vires liberi arbitrij nostri.

Alter aduersariorũ occursus destruitur.

Vt perfectè prouideat Deus de ijs quæ sub eius actionẽ cadunt exigitur necessariò prædefinitio.

Hinc etiam fit, simpliciter affirmãdum esse Deum determinare voluntatem nostram ad supernaturalẽ consensum, imò verò absolutè ad consensum bonarum actionum, non quidẽ sine voluntate ipsa verè cõsentiẽte, sed cũ illa, quia talis prædeterminatio & præmotio non potest esse sine simultaneo consensu volũtatis ab eadẽ volũtate effecto & à prędetermination Dei tãquam ab eius causa. Quam doctrinam negare non potuerunt auctores oppositæ sententiæ:

&

& eam concesit Franciscus Suarez lib. 1. de concursu Dei cum voluntate cap. 17. pag. 85. Imo verò dicit hanc determinationem voluntatis quæ à Deo fit rem esse claram & certam. Nã quidquid secunda causa agit, similiter idipsum agit prima, cui secunda subordinatur in agendo & causando, quia si ignis calefacit, etiam Deus calefacit: cum certissimum sit actionem secundæ causæ magis esse à prima causa, quàm à secũda, sed voluntas creata sese determinat liberè ad operationem & consensum, ergò multo magis Deus ipsam determinat ad eundem consensum. Quod sanè euidentissime sacræ Literæ docent, cum plerumque repetant Deum conuertere peccatores ad se, & conuerterevoluntatem nostram, & determinare seu prædeterminare illam. Et vt minimum negari non potest quin Deus efficiat determinationem voluntatis & consensum eius ad pœnitentiam, non solùm moraliter sed etiã efficienter proprie seu physicè, quoniam determinatio illa voluntatis est aliquid ad extra, quod sine Deo fieri nõ potest: ergò cum secunda causa, quæ est voluntas, ad talem determinationẽ se moueat, & essentialiter in hoc pendeat à Deo vt à primo principio & causa influente & agente sequitur Deum volũtatem nostram prædeterminare & non solùm efficere determinationem eius: ac proinde cõstituendam esse effectiuam Dei extrinsecã præmotionem & determinationem & significari etiam Dei influxum & concursum aliquo modo esse priora secundùm naturam, in dependentiam & subsistendi consequentiam & hac ratione similiter dicitur Deus præmouere, quod etiã aliquando fatentur auctores oppositæ sententiæ veritate ipsa compulsi.

Pro nostra sentẽtia est sacra Scriptura.

MVLTA possem ego adducere argumenta in confirmatione huius assertionis prẽter ea fundamenta & argumenta quæ retulimus, sed quia fusè diximus de hac secunda assertione, idcirco in sequentem remitto lectorem.

Tertia Conclusio.

Concluſ. 3. Prædefinit Deus actiones liberas in particulari cũ omnibus circũſtantijs.

DICO tertiò. Deus prædefinit non solùm actiones liberas voluntatis creatæ in particulari, sed etiã prædefinit eas cum omnibus circunstantijs quibus sunt euenturæ. Et est sermo de bonis actionibus in particulari præcipuè supernaturalibus. Hanc assertionem constituo primo, contra eos qui censent Deum prædefinire posse actiones liberi arbitrij in communi, & vagè vt cum libertate consentiant, non tamen in particulari & cum omnibus circunstantijs. Nam solùm vt putant quando actio prædefinita est, nõ quidem in particulari, aut in determinato instanti & circunstantijs determinatis elicienda, sed solùm prædefinitur in communi & vagè, tunc circa singula instantia, & circa singula indiuidua actionis, retinetur libertas non tantùm physica, sed etiam moralis: Quia in quibuscunque instantibus non prædefinitis possumus resistere cuicunque motiuo impellenti, & cuique circunstantiæ ad eundem actum.

RVRSVS hæc eadẽ assertio constituitur cõtra eos qui dicunt, quod influxus Dei & conuersus effectiuus eius, quamuis moueat ad omnes actiones & ad eas applicet volũtatẽ nostrã, nihilominus, nõ prædefinit omnes illas actiones bonas. De qua sententia quatenus militare potest contra nos aliqua dicemus inferius.

Probatur Conclusio quantũ ad actus supernaturales ex D. Augustino.

PROBATVR ergò hæc tertia assertio: quod attinet ad prædefiniendũ infallibiliter actus supernaturales, videlicet actum Fidei, Spei, Charitatis, Pœnitentiæ, seu aliarum virtutum, quibus peccatores reducũtur ad Deum manente libertate. Hoc sensit D. Augustl. li. de Correctione & gratia cap. 12. cum ait. *Subuentum est infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur.* Idem prosequitur c. 8. & q. 2. ad Simplicianum docet, vnumquẽque vocare aut vocatione secundùm propositũ quæ est efficax vocatio, aut alia vocatione idonea: quod sanè egregiè explicauit & melius li. 1. de prædest. Sanctorum cap. 16. & de gratia & libero arbitrio ca. 16. inquit. *Certum est nos facere cum faciamus, sed ille facit vt faciamus præbẽdo vires efficacissimas voluntatis: Qui dixit, faciã vt in iustificationibus meis ambuletis.* Fauent etiam nobis ea quę D. Aug. dicit 5. de Ciuit. c. 1. quo loco agens de modo diuinæ prouidentiæ perfectissimę Dei, & de dispositione speciali quam Deus habet in regnis & populis, circa ea quæ pendẽt à libero arbitrio inquit. *Prorsus diuina prouidentia regna cõstituũtur humana, quæ si propterea quis Fato tribuit quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem Fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat, & cohibeat.* En vbi Regnorum gubernationem, & hominum, atque voluntatũ eorũ, dicit tribuendã esse voluntati, seu dispositioni & decreto voluntatis Dei, seu prædefinitionis eius. Vehementer etiam nobis Augustinus fauet lib. 2. de peccatorum meritis ca. 15. 33. & 34. & lib. de gratia Christi.

D. Gregor.

DIVVS Gregorius 1. Dialog. c. 8. docet obtineri non posse quæ prędestinata non sunt, & quęcũq; obtinentur per ipsam æternam gratiã seu liberalitatem Dei prędestinata esse vt interdum etiam orationibus, & operibus obtineantur. Vnde apertè etiam colligitur opera bona & orationes esse etiam prædefinitas à Deo: idem docet Diuus Anselmus de concordia liberi arbitrij cum prædestinatione capite secundo, vbi ait bona prædestinari à Deo, & apud illum prædestinare est futuram rem statuere, & prædefinire.

D. Ansel.

DIVVS Ambrosius vt refert Augustinus li. primo de gratia Christi contra Pelagianos plerisque in locis. *Dominus*, inquit, *quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* Rursus idem Ambrosius libro secundo, de vocatione Gentium capite 10. ad finem ex professo probat diuini decreti efficacitatem infallibilem cum libertate consentire: & inter alia sic loquitur. *Quamuis ergò quod statuit Deus nulla*

D. Ambr.

possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, neque per electionis propositum liberi arbitrij deuotio relaxatur: cum implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, vt per laborẽ operũ per instantiam orationũ fiant incrementa meritorũ.

D. Athan. Divvs Athanasius explicans illud ad Ephesios secundo. *Ipsius factura sumus creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus*: Loquens de operibus inquit Athanasius: *Deus autem hæc præparauit quæ differri non possunt, neque intermitti quin peragantur, tanquã diuinitus sint præfinita quousque fit procedendum: sed vbertim hæc sunt præparata vt cunctis in rebus rectè agatur, & ita vt si vel vna in re delinquatur, necesse sit mutilata appareat virtus & manca.* Vides quo pacto Diuus Athanasius non solùm constituit apud Deum prædefinitionem bonorum operum, verum etiam constituit virtutem efficacem vt vbertim fiat executio eiusdem prædefinitionis diuinæ ad extra, ita vt nunquã suo effectu frustretur, aliàs virtus diuina mutilata & manca videretur. Et non dicit, aliàs Deus non cognosceret certò quid euenturum esset per scientiam conditionatam: sed potius dicit, quòd si diuina prædefinitio in aliquo ex his quæ disposuit & decreuit non implerẽtur ad extra, tunc virtus Dei & efficacia eius mutilata & manca esset. In quibus verbis non tantùm Athanasius expressit diuinam prædefinitionem, sed etiam efficacem gratiam ad effectionem euentuum liberorum vt venit à Deo, quia aliàs virtus Dei mutilata & manca appareret. Legendus est Diuus Irenęus li. 2. aduersus Hæreses cap. 45.

D. Irenæus

D. Chryso. Divvs Chrysostomus homilia quarta de laudibus Pauli, postquam descripsit vehementiam & efficacitatem vocationis Pauli dixit hanc efficacitatem non læsisse liberum arbitrium eius, sed cum eo concordiam habuisse. Et inferius ita concludit. *Concede incomprehensibili Dei prouidentiæ salutes esse hominum notis sibi temporum opportunitatibus ordinanti. Sic enim etiam ipse fatebatur, dicens: Cum autẽ placuit ei qui me segregauit de vtero matris meæ, vocauit per suam gratiam, vt reuelaret Filium suum in me.* Et inferius adducit Diuus Chrysostomus multa motiua quæ poterant mouere Paulum vt Christum reciperet, nimirum quod videret mortuos resurgere, claudos ambulare, paralyticos sanari, Dęmones effugari, & alia multa supernaturalia & diuina motiua: & nihilominus diuinæ voluntati & efficaci gratiæ Dei & diuinis placitis atq; decretis attribuit, quod cum motiua quæ dicta sunt non traxissent Paulum, tamen ex ordinatione Dei ita disponentis & ordinantis hoc factum est per efficacem vocationem & efficacem gratiam suam. Et deinceps addit. *Et verè diuina virtus, nec vlli omnino superabilis, idcircò & ipse cuncta vicit atque perdomuit.* Legendus est homilia 131. in Matthæum: similia dicit de vocatione Matthęi, Petri, Ioannis, & Pauli.

Divvs Augustinus libro 1. de prædestinatione Sanctorum capite 14. dicit de prædestinatis: *quos prædestinauit & præordinauit liberè saluandos esse*, videlicet adultos: Quod per beneficia Dei certissimè liberantur quicunq; liberantur, quia intentio Dei non potest deficere.

D. Thomas Ex quo loco sanctus Thomas desumpsit doctrinam quam ipse 1. 2. quæstione 112. articulo 3. tradit vbi ait. *Si ex intentione Dei mouentis est, quòd homo, cuius cor mouet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam cõsequitur.* Vides quo pacto in Deo conceditur efficax prædefinitio & intentio euentuum futurorũ in singulari & in particulari, simul etiam cum executione & consecutione infallibili? Vnde cum Paulus ad Romanos 9. dixerit: *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret.* De qua electione ait D. Augustinus 1. retractation. capi. 24. propriam esse electorũ & prædestinatorũ: & de prædestinatione Sanctorum capite 16. & 17. præsertim inquit. *Intelligamus ergò vocationem qua fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur vt credant.* Et nõ dixit Augustinus: Quod fuerunt electi qui per scientiam mediam præuisi sunt credituri, sed eos fuisse tali vocatione vocatos, qua fiunt electi, & qua eligũtur, vt credant.

Ad Romanos 9.

Sanctvs Thomas 1. 2. quæstione 109. ar. vltimo in fine dicit, Maius donum perseverantiæ collatum esse per gratiam Christi, quam Adamo in statu innocentiæ collatum fuit, cui datum non fuit vt perseueraret, sed vt perseuerare posset: multis autem per gratiam Christi datur, quòd perseuerent: ergò hoc donum abũdãtiorem gratiam per Christũ trahit, ac proinde maximè efficacem & infallibilem perseuerantiam quibusdam hominibus esse collatam. Præcipuè tamen perpendendum est testimonium D. Thomæ dicentis. Si ex intentione Dei mouentis est, quod homo cuius cor mouet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam cõsequitur. Voluit igitur Diuus Thomas docere quod cum intentio Dei non possit deficere, vt dixit Diuus Augustinus, quod Deus interdum vocat aliquos de quibus ex efficaci proposito & intentione decreuit sanctificare illos, & eos conuertere, & infallibile esse vt consentiant & sanctificentur: & hęc omnia disponit & decernit Deus facere secundùm consiliũ voluntatis suæ.

Addvximvs testimonia aliqua sanctorũ in quibus apertè ostenditur decretum & prædefinitio actuum liberorum, & in quibus similiter ostẽditur infallibilitas eorum, & executio ad extra: quæ esse non potuit nisi ex consilio volũtatis Dei, & ex intentione eius quæ in prędefinitione diuina includitur, Et quoniã hoc ipsum ostẽdẽdũ est à nobis, tũ ex sacris Literis, tũ etiã rationibus Theologicis, & singularibus exẽplis: idcircò antequã vlteriꝰ progrediamur, & intellectu huiꝰ tertiæ assertionis suppono aliqua.

Supponuntur aliqua ꝓintellectu 3. Conclus.

Primvm est, difficile videri quibusdã quod huiusmodi actus sint prædefiniti, & quod maneant liberi, & pro hac sua sententia adducunt quosdã ex Græcis auctoribus: Qui tamẽ si re-

Suppositio prima. Quidam ex Græcis patribus nunquã negant Dei prædefinitionem absolutè, sed eã quæ infert vim libertati.

ctè intelligantur & perpendantur solũ astruũt Deum non prædefinire inferendo vim libertati nostræ, non tamen negant Deum potuisse prædefinire actus bonos liberos, sed solùm voluerunt significare opera liberi arbitrij Fato non agi neque prouidentia necessitari: Quod voluit Diuus Damascenus locis superius citatis: & id ipsum voluerunt alij ex Græcis quos superius retulimus: qui generaliter & sine distinctione negant, Deum prædefinire ea quæ sunt in nobis: & rationem reddunt, quia non vult vim inferre libertati nostræ, in quam sententiam solent citari aliqui Scholastici, sed male: Nam certè hæc disputatio in eo sensu in quo nunc tractatur non fuit olim expressè cognita & disputata. Ex nouioribus Theologis, aliqui eam disputant, & negant diuinam prædefinitionem, præsertim illi qui dicunt causam prædestinationis, vel electionis dari ex parte nostra: vel qui dicunt electionem fieri ex præuisione operum. Alij verò dicunt prædefinitiones operum bonorum possibiles esse in Deo: Deumque per scientiam mediam futurorum contingentium, quæ conditionata vocatur, posse prædefinire supernaturalem actum liberum infallibiliter euenturum: illa verò scientia secluſa vel negata, non posse Deum talem actum prædefinire sine lęsione libertatis. Hoc est nisi constituendo efficacem gratiã efficienter propriè mouẽrem cor hominis.

Svnt tamen quidam qui licèt concedant hanc scientiam conditionatam actuum liberorum, nihilominus sentiunt, eos prædefiniri non posse integra manente libertate eorum: propter efficaciam cuiuslibet prædefinitionis diuinæ, & propter necessariam connexionem cum actu prædefinito. Ex quibus auctoribus, sunt qui putent non potuisse homines efficaciter eligi ad gloriam, ante præuisa futura merita per absolutam præscientiam. Verum alij putant absolutam præelectionem ad gloriam, posse dari absque prædefinitione absoluta alicuius actus liberi in indiuiduo & in particulari, sed in communi tantùm, quia prædefinitio in communi non repugnat libertati, sicut repugnat prædefinitio actus liberi in particulari & in indiuiduo, cum omnibus circunstantijs: & ratio est: quia cum necessitate actus in communi potest stare indifferentia actus in particulari. Adducunt exemplum de homine quem necesse est aliquando peccare venialiter, quamuis in particulari non peccet nisi liberè: quoniam libertas nunquam exercetur circa actum in cõmuni & abstractè, sed in particulari & in indiuiduo cum omnibus circunstantijs.

Suppositio secunda.

Secvndvm est: Auctores oppositæ sententiæ suppositâ scientia sua conditionali affirmare posse Deum intra se voluntate sua, absoluto & efficaci proposito, decernere vt aliquis actus in particulari, & cum talibus circunstantijs fiat in tempore à libero arbitrio creato, prius ratione, quàm Deus præsciat & cognoscat talem actum esse absolutè futurum imò & prius ratione in ordine finis quàm velit applicare media, vel dare auxilia, per quæ talis actus futurus est, licèt non sine illis vel alio quo illorum: Et hoc dicunt esse prædefinire talem actum conseruata libertate eius.

Huiusmodi suppositio quæ ex mẽte aduersariorum est probatur ab eis.

Hvnc sensum & modum dicendi ostendũt: quia talis actus est supernaturalis & honestus: ergò ex hac parte nihil repugnat quòd Deus illum absolutè prædefiniat, seu quod Deus illum absolutè velit, amet vel eligat, tanquam medium ad finem hominis supernaturalem proportionatum. Rursus idipsum ostendunt: quia Deus præcognouit talem vocationem vel auxilium esse medium proportionatum, vt per illud voluntas humana de facto inclinetur ad talem actum eliciendum: imò verò præcognouit esse tale vt voluntas infallibiliter sit cooperatura illi: ergò Deus potest actu simplicissimo voluntatis suæ, velle, quòd voluntas hominis eliciat illum actum, dando illi tale auxilium: quoniam Deus ipse liber est ad volendum hoc, & præterea obiectum ipsum est amabile à voluntate Dei, & nihil repugnans includit. Quòd verò in huiusmodi decreto Dei nihil sit libertati repugnans constat: quoniam per tale decretum Deus vult actum illum in ordine ad causam, & ad medium, per quę liberè futurus est (quod etiam nos fatemur sed non ad sensum eorum) ergò non est vnde tale decretum possit libertatem lędere: Pręcipuè quia decretum Dei vult directè actum hominis vt liberum, & ex vi eius Deus ordinat medium aptum ad causandam determinationem liberam influendo in voluntatem creatam. Et sanè hoc medium procedens ex diuino decreto, & etiam ille actus diuinę prędefinitionis, non comparantur ad nostram voluntatem vt determinandam solùm concomitantur, sed antecedenter & causaliter: quoniam per decretum illud Deus ipse non tantùm vult concurrere si voluntas consenserit, sed vult vt consentiat, idque non per velleitatem solam, seu simplicem affectum, sed absoluto & efficaci decreto, quale est illud de quo dixit Diuus Augustinus de Correptione & gratia, capite 14. *Volenti Deo saluum facere, nullum humanum resistit arbitrium*: ergò est, & datur vera prędefinitio, quę nullam necessitatem infert, quamuis ipsa comparetur ad voluntatem nostram antecedenter & causaliter, & non tantùm concomitanter.

Qvando verò nonnulli ex Græcis patribus significant nullum actum liberum prędefiniri, intelligendi sunt de prędefinitione transeunte, quæ non mouet cum collatione & conferentia, neque cum cogitatione finis vt sic. Rursus intelligendi sunt de prædefinitione necessitãte, quæ fit per iudicium infixum: seu de prædefinitione quæ nullum habeat respectum ad liberam determinationem & modum agendi proprium ipsius voluntatis.

(.?.)

Testimonijs sacræ Scripturæ, & etiam rationibus Theologicis & aliorũ Sanctorum dictis probatur Cõclusio tam hæc tertia, quàm præcedens.

HIS iam prælibatis ostendenda est assertio à nobis posita testimonijs sanctarum Literarum, in quibus apertè ostẽditur de facto Deum prædefiniuisse plerosque actus supernaturales liberos, & liberè euenturos, & eliciendos à libero arbitrio creato. Primum testimonium efficacissimum pro diuina prædefinitione operum liberorum illud est Pauli ad Ephesios 2. *Creati in Christo* IESV *in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in eis ambulemus.* Quod sanè testimonium etiam auctores oppositæ sententiæ fatentur efficax esse, & nihil ominus conantur eius efficaciam eludere: Nam primo dicunt, in hoc testimonio vel non esse sermonem de præparatione efficaci, sed solùm de sufficiente, vel non de præparatione prædefinitiua: vel si intelligatur de præparatione prędefinitiua, & efficaci, solùm ibi sermonem esse de prædestinatis, & consequenter non erit vniuersalis prędefinitio de omnibus actibus supernaturalibus.

Quod hoc testimonium Pauli ad Ephesios 2. nobis nõ faueat contendunt aduersarij.

Contra solutionem & fugam, quã isti prætendũt, agitur.

SED profectò hæc est euidentissima fuga: quoniam in prædicto testimonio duo docet Paulus: primum est, quòd creamur in operibus bonis: secundum est quòd præparantur hæc opera à Deo, vt in eis ambulemus. Creari autem in operibus bonis, satis æquiualenter significat prædefinitionnem & decretum Dei de bonis operibus à Deo statutis, quæ sanè Deus ab æterno præparauit seu prædefininit & disposuit, vt in eis ambulemus. Vnde actus ille diuinæ prædefinitionis comparatur ad voluntatem nostram vt determinandam non tantùm concomitanter, sed antecedenter & causaliter, quia per illum actum Deus non tantùm vult influere & concurrere si voluntas consenserit: sed vult vt consentiat absoluto suo & efficaci decreto, & non solùm per simplicem affectum seu velleitatem. Rursus quamuis sit sermo de prædestinatis solùm: hoc quidem nihil iuuat aduersarios: Quoniam si semel concedatur Deum prædefinire, imò in nobis creare bona opera, sine læsione vlla libertatis arbitrij nostri, iam habemus totum quod intendimus, nimirum Deum de facto prædefinire & prædefiniuisse, & potuisse prædefinire actiones bonas supernaturales liberas, etiam absoluto & efficaci decreto, sine læsione libertatis nostræ: de quo decreto voluntatis Dei dixit Diuus Augustinus: *Volenti saluum facere, nullum hominum resistit arbitrium.*

D. Augu.

Alia aduersariorũ præ dicti testimonij solutio.

ALIAM auctores oppositæ sententiæ prætendunt euasionem, volentes eludere testimonium Pauli: dicunt enim, quòd aliud est prædefinire, aliud verò præparare: nam prædefinire est statuere omnino vt fiat: præparare autem tantùm est disponere omnia necessaria vt aliquid fiat: sicut præparat prandium qui disponit omnia, licèt non statuat omninò vt aliquis commedat, sed solùm quasi sub conditione si quis voluerit.

Quod propositæ explicatio exacta nõ sit ex D. Aug. & ex alijs probatur.

SED responsio hæc non satisfacit: primò quia Diuus Augustinus libro de prædestinatione Sanctorum capite 10. interpretatur hæc verba de preparatione per diuinam prædestinationem, in qua ipsa prædefinitio bonorum operum includitur, per quam non solùm ab æterno Deus interna præparatione decreuit de illis, sed etiam, quia prædestinatio est præparatio gratiæ circa prædestinatorum opera. Secundò, quoniam Diuus Fulgentius libro primo ad Monymum inquit. *Bona opera nostra Paulus à Domino asserit præparata, hoc est, in prædestinatione disposita*: & inferius subiungit. *Sicut præparata est per prædestinationem voluntas à Domino, qua bonum velimus, sic etiam bona opera præparauit Deus, vt in eis ambulemus.* Et sanctus Thomas super eũdem locum Pauli explicans verbum illud: *Quæ præparauit Deus vt in eis ambulemus*, inquit: *Dicitur autem Deus nobis aliqua præparare, in quantum disposuit se nobis daturum.* Vides quo pacto sancti Patres intelligunt verba Pauli de præparatione per diuinam voluntatem prædestinantem, disponentem, atque adeò prædefinienttm, dare nobis talia opera. Quocirca perpendendum est sanctos Patres non tantùm dicere Deum præparasse nobis auxilia gratiæ, sed etiam præparasse ipsa bona opera per æternam prædestinationem, quæ idem est quòd prædefinitio respectu talium operum liberorum.

D. Fulgen.

D. Thomas

Aliæ rationes quibus constat nullam esse expositionem prædictam.

TERTIÒ non mihi probatur quod auctores oppositæ sententiæ dicunt in ea interpretatione, seu fuga, cum dicunt quod præparare solùm est prout hic accipitur disponere necessaria vt aliquid fiat, sicut præparat prandium, qui disponit omnia, etiam si non omninò statuat vt aliquis comedat, sed solùm quasi sub conditione si voluerit. Hoc inquam non placet: primò, quia Deus non imperfectè disponit omnia necessaria vt aliquid fiat, sed potius perfectè disponit: Secundò: quia non se habet sicut ille qui præparat prandium etiam si non omninò statuat vt aliquis comedat, sed solùm quasi sub conditione si voluerit: Nam Deus ita præparauit opera & prandium, vt simul statuerit quos ille voluit, & qui & quales prandium essent accepturi, & ad mensam eius sessuri, prædefiniendo omnia necessaria opera, vt hoc fieret. Idque præcipuè, quia nihil euenit ad extra nisi Deo liberè volente, aut permittente: cuius voluntati, decreto & præordinationi omnia subiecta sunt. Tertiò & postremo nõ mihi probatur quod qui præparat & disponit omnia necessaria

vt aliquid fiat, si perfectè disponit, dicatur disponere, si non omninò statuat quis disponatur, & ad quid disponatur in particulari: esset enim indiscretus prouisor, qui magna diligentia pararet prandium, non statueudo vt aliquis comedat. Et multo minus sufficit dicere satis esse vt qui disponit omnia per prandium & ad comedendum, licèt non statuat omninò vt aliquis comedat; tamen quasi sub conditione id facit si quis voluerit. Hoc autem valde repugnat auctoribus huius sententiæ & Francisco Suarez qui dixit oppositum lib. 3. de auxilijs diuinæ gratiæ cap. 17. vbi ait prædefinitionem Dei nõ repugnare libertati nostræ, & quamuis ille loquatur suppositа sua scientia media, nihilominus concludit: Quod actus diuinæ prædefinitionis, non comparatur ad nostram voluntatem vt determinandam solùm concomitanter, sed antecedenter & causaliter. Cuius rei rationem ille assignat ibidem, nimirum: Quia per illum actum diuinæ prædefinitionis, Deus non tantùm vult concurrere si voluntas consenserit, vi delicet sub conditione; sed vult vt consentiat, idque non per velleitatem seu simplicem affectum, sed absoluto & efficaci decreto, quale est illud de quo dixit Augustinus: *Volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium*. Videsne quo pacto doctrina hæc, quæ vera est, contrariatur interpretationi quam ipse antea dederat ad testimonium D. Pauli citatum: vbi adduxit simile de eo qui præparat prandium disponendo omnia, etiam si non omninò statuat vt aliquis comedat, sed solùm quasi sub conditione si voluerit. Hoc enim præterquã quod magnam inuoluit imperfectionem, valde repugnat cum doctrina prius ab eo tradita de actu diuinæ prædefinitionis & diuinorum decretorum circa bona opera libera supernaturalia.

Explicare cõtẽdit Suarez sacræ Scripturæ testimonia de sola durationis antecessione.

Et cum multa sint sacræ Scripturæ testimonia quibus diuinæ prædefinitiones astruuntur: & plurima facta, rerumque euentus contingentes & liberi, ex quibus apertè constat Deum de facto prædefiniuisse actus nostros liberos in particulari & in indiuiduo, nihilominus præfatus auctor, vt sensum suũ defendat dicit: Quòd quamuis sint testimonia Scripturæ in quibus est sermo de diuinis prædefinitionibus, non tamen constare vtrùm in illis dicatur prædefinitio propter antecessionem æternitatis ad tẽpus, vel propter antecessionem secundùm rationem ad præscientiam futurorum. Mirabile profectò hoc est. Nam cum diuina Scriptura dicat Deũ omninò disposuisse & decreuisse agere secundũ consilium voluntatis suæ, ipse velit Scripturã & consiliũ diuinæ voluntatis, eiusq; decretum ad solam durationis antecessionẽ referre, & non ad dispositionem æterni consilij: Quod satis apertè in prædefinitione prædestinatorum elucet: nam prædestinatio inuoluit prouidentiam Dei infallibilem, & ordinem atque rationem prædestinatorum simul cum præparatione beneficiorum Dei. Maximè cum prædestinatio, quæ per se includit prædestinatorum electionẽ, tam formaliter, quàm materialiter, includat actũ Dei prædestinantis, qui supponit actum intellectus connotando voluntatem vel è conuerso: ergò prædicti auctoris fuga nullo modo potest quadrare cum plerisque Scripturæ testimonijs.

Rvrsvs in sacris Literis quæ actiones ex vi circunstantiarum prædefinitæ sunt à Deo infallibiliter, plures sunt quàm dici nunc possint. Primò enim quis non videat infallibile fuisse Israelitas discessuros ex AEgypto fuisse, fugientes tam diram oppressionem, labores, paupertatem, filiorum suffocationem, & calumnias, maximè præcipiente Deo & promittente regionẽ lacte & melle manantẽ, & promissum suum prodigijs confirmante? Quis non videat etiam infallibilem fuisse liberam voluntatẽ AEgyptiorum dimittendi Iudeos post primogenitorum necem, & alia tam acerba flagella?

Sane Diuus Ambrosius lib. 2. de vocatione Gentium cap. 10. affirmat omnia illa quæ in li. Thobiæ leguntur ad prædefinitum Thobiæ iunioris coniungium ordinata fuisse; & qui legerit circunstantias inuenti comitis expediti accinctique ad iter (nimirum Angeli) viarum peritissimi agnoscentis Gabelum, & ex magno quodam genere Israel vt Thobias putabat, videbit infallibile fuisse liberam voluntatem Thobiæ, admittendi illum vt viæ ducem, & comitem. Videbit etiam hæc omnia ex diuino consilio diuinaque prædefinitione processisse. Præterea quis dicat factum illud Iudith nõ processisse ex diuino consilio? vbi hostes etiam fugati sunt? &c. *D. Ambr.*

Sed inter hæc omnia perpendenda sunt verba Ioseph ad fratres Genesis 45. *Pro salute vestra misit me Dominus in Ægyptum, &c.* Et inferius. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi Patrem Pharaonis.* Quæ sanè verba præ se ferunt prædefinitionem absolutam & independentem à præuisione effectus absolutè futuri. *Genesi. 45.*

Addvcor etiam: Quia Diuus Petrus non potuit fidem amittere, & tamen fidem liberè retinebat, tunc etiam quando tentationibus fidei pulsabatur, vt videtur tentatus fuisse passionis tempore: Iuxta illud Christi Domini. *Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua.* Lucæ 22. Quibus tentationibus, non poterat ex suppositione assensum præbere, reijciendo fidem, & tamen eam liberè retinebat, & liberè Dæmonis incursus propulsabat. Vnde D. Augustinus lib. de correptione & gratia cap. 8. sic ait. *An audebis dicere etiam rogante Christo vt non deficeret fides Petri, deffecturam fuisse si Petrus eam deficere voluisset. Quasi aliud Petrus vellet, quàm pro illo Christus rogauit, vt velet?* Et post pauca. *Sed quia præparatur voluntas à Domino, ideo pro illo non posset esse omninò inanis: quando rogauit, ergò ne fides deficeret, quid aliud rogauit nisi vt haberet in fide libertatem, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimã voluntatem* *Lucæ 22.* *D. Augu.*

Vides quo pacto secundùm gratiam Dei, non contra eam, libertas defenditur voluntatis: voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem consequitur, & vt perseueret delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem. hactenus diuus Augustinus. Ecce igitur, oratio Christi Domini infallibiliter consequitur Petro constantiam, quam non consequeretur, si prius præuisam vt existentem prænuntiaret, & peteret. Quare prius fuit ex parte obiecti Christum petere illam constantiam, quam Petrum illam consequi, & tamen Petrus constantiam Fidei ita consecutus fuit vt frustrare non posset orationem Christi, & nihilominus fortitudinem quæ superari non posset simul cũ libertate coniunxit.

Lucæ. 14. MOVEOR etiam ex illo Lucæ, 14. *Exi in vias, & sepes, & compelle eos intrare, vt impleatur Domus mea.* Ex quo sic argumentor. Ad Domum Dei quæ est Ecclesia nemo adultorum ingreditur nisi per actus liberos: ergò nomine compulsionis nihil aliud intelligimus congruentius, quàm summam vocationis efficaciam, ratione cuius conuersio sit infallibilis, & moraliter etiam necessaria, & tamen in quolibet instanti determinatè est libera, hanc enim libertatem Ecclesiæ, ingressus requirit.

D. Paulus VLTERIVS: quando Charitas ad perfectionem peruenit quam hoc seculum ferre potest infallibilem reddit impletionem cuiusque actus præcepti, ita vt nulla difficultate superari queat: Quare Paulus de similibus heroicis viris ita loquitur. *Quis nos separabit à Charitate Dei, tribulatio an angustia? &c.* Et post pauca: *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantiæ, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei.* Vbi Athanasius hanc insuperabilem constantiam ex Charitatis ardore prouenire putat. Quare iam ex vi circunstantiarum redditur infallibilis Paulo, & quibusdam alijs viris sanctissimis cuiuslibet præcepti occurrentis impletio. Simile argumentum fieri potest de omnibus confirmatis in gratia qui secundùm sententiam Theologorum ex vi specialis perfectionis diuinæ infallibiliter in gratia perseuerabunt, vnde illis infallibilis est cuiusque grauis præcepti obseruatio. Et confirmatur quia Apostolos non potuisse frangi minis, & terroribus, sed liberè superatos fuisse omnia: idque propter diuinum decretum efficax traditur actorum. 5. dum referuntur: & tacite laudantur verba Gamalielis, ad seniores dicentis. *Discedite ab hominibus istis, & sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissoluetur: si verò ex Deo est non poteritis dissoluere eos, ne forte & Deo repugnare inueniamini.*

D. Athan.

Actorũ. 5.

PRAETEREA probatur Ioannis. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego agnosco eas, & agnoscunt me, & sequuntur me, & non rapiet eas quisquam de manu mea: Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est* (scilicèt dignitas,) *& nemo potest rapere de manu Patris mei.* In quo testimonio saltem quorundam conuersionem aut perseuerantiam in gratia à nullo impediri posse testatur Dominus contra Pharisæos, qui populos ne in Christum crederent deterrere conabantur. Nam Chrysost. hom. 60. & Euthymius, de conuersione, electorum, D. Basilius lib. 1. contra Eunomiũ de eorundem perseuerantia intelligunt. Fauet ad idem specialis modus prouidentiæ ratione cuius infallibile fuit neminem Apostolorum periturum præter Iudam: quod apertè indicatur Ioannis 17. *Quos dedisti mihi ego custodiui, & nemo ex eis periit, nisi Filius perditionis, vt Scriptura impleatur.* Vbi licèt Chrysostomus Homil. 80. & Cyril. lib. 11. cap. 21. discrimen Iudæ, à cæteris Apostolis totum in Iudæ voluntatem, & non in peculiari aliorum protectione constituere videantur: tamen modus loquendi Scripturæ satis indicat hunc esse illius germanum sensum. *Solertem adhibui diligentem, efficacemque custodiam, vt omninò nullus periret, nisi ille tantum quem ego sciebam te ò Pater velle vt illa speciali protectione non seruaretur, sed permitteretur perire ad aliorum salutem.*

Ioannis 10.

D. Chrysostomus.

Euthymi⁹.

D. Basilius.

Ioannis. 17

FAVET item illud Matthæi. 24. vbi de falsis Antichristi prodigijs prædicitur eiusmodi esse futura, vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Vbi apertè supponitur electos non posse in errorem induci, quod tamen non prouenit ex scientia visionis, neque ex scientia conditionalium, quia videlicèt electi persistent constanter, ex diuinis auxilijs & protectione Dei.

Math. 24.

ACCEDIT id quod sæpius retulimus Prouerbiorum 21. *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit vertet, & inclinabit illud.* Cor inquit Regis alium non habens in terris à quo vel coërceatur legibus, vel pœnæ timore flectatur, vel præmiorem spe alliciatur. Hoc potest Deus suis donis emoliri, suauiterq; & fortiter in vnam atque aliam partem conuertere, seruato iure libertatis humanæ: ergò poterit reliquos homines infallibiliter mouere, & inducere ad actus liberos quos ipse voluerit. Nã hoc est quod D. Augustin. dixit propriũ Dei esse facere volentes ex nolẽtibus. Quod facit Deus cum Sapientiæ. 8. *Attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* fortitudo enim efficaciam obtinendi finis, quæ frustrari nequeat; suauitas verò libertatem indicat.

Sapient. 8.

SANE id quod diximus constat. Quia in vocatione Petri, Andreæ, Ioannis, & aliorum Apostolorum, & in conuersione Magdalenæ latronis, & Pauli, Dei auxilium, ex se, adeò efficax fuit vt infallibiliter obtineret huma

næ voluntatis consensum: Nam fideles ita communiter videntur existimare, Deum resolute voluisse hos sibi socios atque testes adiungere. Atque verba illa Christi Domini ad Paulum: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*: nihil aliud significare videntur, quam irritum infallibiliter fore omnem conatum Pauli contra tam acrem stimulum, & efficax vocationis diuinæ; tunc enim vocatus est à Deo, quãdo spirans minarum, & cædis persequebatur ecclesiam Christi.

DEMVM cum omnes sentiant saltem aliquas actiones Christi Domini prædefinitas fuisse, præsertim eam voluntatem qua pro salute hominum se ipsum obtulit morti, & præcepto Patris. Certè durum est dicere ex vi tam ardentis amoris in Deum, & ex vi tam insignium donorum, quibus mens eius illustrabatur, & inferiores vires ad nutum, & despoticè superioribus subijciebantur, non fuisse omninò infallibile Christum Dominum obediturum esse paterno præcepto. Ex vi ergò tantorum donorum non potuit non esse adimpletio illius operis. Neque ob id negandum est Deum læsisse liberum arbitrium animæ Christi, & non mansisse, in eo libertatem physicam. Potest etiam fieri argumentum in actionibus liberis quibus beatissima Virgo consensit, & Dei vnigenitum atque suum nutriebat. Potuit etiam Deus prædefinire vt Dæmones, & Iudæorum Principes liberè abstinerent à procuranda morte Christi Domini, poteratque eos mouere, & applicare, vt Christi diuinitatem agnoscerent, & omnes rationes dubitandi repellerent. Nam si Principes seculi cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. 1. Corinth. 2.

Isaiæ cap. 14. ISAIAS capite 14. eleganter ait: *Iurauit Dominus exercituum dicens: Si non vt putaui ita erit: & quomodo mente tractaui, ita eueniet*. Et inferius: *Dominus enim exercituum decreuit, & quis poterit infirmare?* Quis non videat apertè huiusmodi decretum, seu hanc prædefinitionem antecedere absolutè omnem præscientiam futurorum. Nam certè maximè videtur pertinere ad omnipotentiam Dei, vt possit perfectè, & prout voluerit disponere, & ordinare effectus futuros per actiones liberas. Quod planè sensit *D. Augus.* diuus Augustinus expressè libro de correptione, & gratia capite 14. Quo in loco post quam dixit, *Deo volenti salnum facere nullum hominum resistit arbitrium*: subiunxit causam huius dicens, *Si enim velle vel nolle in volentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Et Paulo inferius: *De ipsis hominum voluntatibus facit quod vult, & quando vult, habens humanorum cordium quò voluerit inclinandorum, omnipotentissimam potestatem*. Quòd sanè dicit diuus Augustinus propter libertatem voluntatis nostræ, qua non obstante, imò verò illæsa manente, Deus in potestate sua habet velle, & nolle illius liberum. Quo fit vt in Enchirid. capite 95. colligat sic. *Quis tam impie desipiat vt malas hominum voluntates neget Deum posse conuertere, quas voluerit, quando voluerit, & vbi voluerit?* Quo in loco euidentissime loquitur Augustinus de voluntate absoluta, & efficaci Dei, quæ habet infallibiliter effectum: quæ non potest esse consequens ad præscientiam futuri euentus, cum de mente Augustini talis Dei voluntas sit prima radix, & causa futuritionis. *D. Basilius D. Ambro.* Diuus Basilius in Oratione Sacri altaris idipsum dicit cum diuo Augustino. Hoc etiam Diuus Ambrosius voluit, dicens: *Quem vult religiosum facit*. Tandem diuus Augustinus de gratia, & libero arbitrio capite. 18. ait. *Eligentium hominum meritum nullum esset, nisi eos eligentis gratia Dei præueniret: quia electi sunt elegerunt, non quia elegerunt electi sunt.* Rursus de prædestinatione Sanctorum capite 17. *Intelligamus vocationem qua fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur vt credant*. Vides quo pacto diuus Augustinus non solum repellit merita, sed etiam repellit præuisionem credendi vt futuram antecedenter ad decretum, & prædefinitionem suam: vt repellat omninò etiã eorum doctrinam, qui dicunt ex præuisione crediturorum in certis ordinibus rerum si in eis essent, Deum hanc secutum fuisse rationem in eis prædestinandis, & in decernenda eorum salute per opera ab ipso præuisa. Et libro de bono perseuerantiæ capite 14. loquens de Tyrijs, & Sidonibus, inquit. *Quoniam vt crederent non erat eis datum: ideò vnde crederent negatum est*, nimirum efficax auxilium.

Quòd nullo ex capite repugnet hos actus à Deo prædefiniri DICAMVS ergo; quòd cum actus liberi boni, sint honesti quod ex hac parte non repugnat quòd Deus illos absolutè velit & amet: & si supernaturales sunt quod Deus non tantùm eos amet, & velit, sed etiam eligat tanquam media proportionata ad finem supernaturalem ipsius hominis. Rursus Deus vult actiones nostras liberè fieri, & euenire: ac proinde voluntas eius in decreto ipsius inclusa nõ solùm applicat auxilia gratiæ accommodata, & efficacia, per quæ de facto voluntas nostra moueatur, & inclinetur ad talem actum liberum eliciendum cum quo cõnexionem habet medium gratiæ, quia voluntas infallibiliter est illi cooperatura: sed etiam Dei voluntas applicat omnipotentiam Dei ad efficientiam, & executionem huius. Igitur Deus vnico actu voluntatis suæ potest intendere actum liberum bonum à nobis eliciendum, & quod creata voluntas illum habeat dando illi efficax auxilium, & influxum vt fiat. Per hoc autem minimè læditur libertas arbitrij nostri: quia quamuis Deus ipsum fortiter moueat per gratiam suam, tamen mouet ipsum cum conferentia, &

colla-

collatione, & vera cognitione finis, & sui oppositi: & suauiter efficienter propriè inclinando, & mouendo ad obiectum bonum ipsius actus quod est amabile à Deo, & cum voluntas sit inclinatio ad bonum, & ratio, vt communiter dicitur, sit quæ deprecatur ad optimum, inde colligere possumus non esse dissonam libertati, & naturæ ipsius voluntatis, quod à Deo moueatur propriè efficienter, quatenus voluntas quæ decreuit opus bonum præcipuè supernaturale liberè eliciendum à nobis, applicat Dei potentiam iuxta id quod diuina prædefinitione statutum est vt in tempore fiat à nobis. Quodque cum hoc decretum non debeat frustrari, erit infallibile, & habebit certam, & infallibilem connexionem, cum quo operatione nostri arbitrij iuxta tempus à Deo prædefinitum per actum immanentem virtualiter transeuntem in determinationē voluntatis nostræ.

De omnibus actibus bonis statuitur Deum eos prædefinire.

Hactenvs diximus posse à Deo prædefiniri actum liberum illæsa manente libertate eius, & vlterius ex factis contentis in Sacris Literis ostendimus Deum prædefiniuisse simpliciter plures actus liberi arbitrij in particulari, & cum circunstantijs. Vnde Franciscus Suarez libro secundo de Concursu Dei ad opera nostra, capite 7. dicit, non indoctè affirmari posse à nobis hanc prædefinitionem bonorum operum. An verò Deus prædefinierit bona opera, de hoc ait nihil posse à nobis certa ratione definiri, quia hoc pendet ex libertate Dei, & non constat quid ipse voluerit. Sed profectò valdè decipitur, quia ex Scriptura constat Deum multa opera prędefiniuisse, vt ex locis citatis, & ex testimonijs adductis constare potest. Et prętereà tam ex actionibus ipsis quam ex effectibus constare potest rationabiliter, & efficaciter valdè tanquam certum Deum prædefiniuisse bona opera. Quare quòd hæ actiones bonæ re ipsa fiant, & Deus in eas influat, prius intendendo, & volendo illas, sine dubio est sufficiens signum quod Deus ab æterno decreuerit eas vt in tempore fierent eo modo quo ipse disposuit, & voluit. Quod si hoc negetur de operibus bonis supernaturalibus liberis, nō est ferendum.

Sane ego non video cur dubitent Suarez & Molina de prædefinitione omnium bonorū operum à Deo factam: cum ipsi non constituant prædefinitiones ipsorum operum liberorum nisi post opera præuisa per scientiam mediam, per quam Deus præuidet quid euenturum sit, & quæ opera sint de facto eliciēda à nostro arbitrio suppositā conditione quod Deus creet voluntatem nostram in tali: vel tali serie, & ordine rerum: Quare non loquuntur consequenter: maximè cum in sua opinione, hic modus prædefinitionis non habeat repugnantiam cum libertate, nec vllam eius læsionem. Sed corrigit se Suarez, & limitat sententiam suam dicens: Probabilius videri aliquas ex his actionibus prædefiniri à Deo non verò omnes. Quod sanè hac distinctione declarat: Quia huiusmodi actiones vel de facto ordinantur ad finem aliquem particularem, intentum à Deo efficaciter, ac prædefinitum, & sic tales actiones necessariæ sunt ad aliquem finem. Vel tales actiones non sunt specialiter ordinatæ ad finem sic intentum: sed sequuntur ex quadam prouidentia generali, & ordine causarum vniuersi. Et quidem priores actiones quæ de facto ordinantur ad particularem aliquem finem à Deo intentum efficaciter, & præfinitum certò procedunt ex voluntate Dei prædefiniente, quoniam voluntas circa finem, & media seruat propositionem quantum fieri potest, præcipuè in Deo qui simul, & perfectissimè intendit finem per determinata media. Hac ratione putat Suarez actum voluntatis liberum Angeli mouentis primum mobile, quo vult cœlum mouere: qui est actus bonus moralis, & non supernaturalis prædefinitum esse adeo sine vlla læsione libertatis. Similiter dicit hic Auctor actum illum liberum quo Ioseph voluit ducere Beatam Virginem in vxorem: & è conuerso actum Beatæ Virginis quo voluit virum ducere Ioseph, cui non repugnabat, quòd esset tantùm bonus moraliter, & non supernaturalis quo ad substantiam, sed præcisè ex fine vel imperio Charitatis prædefinitos esse à Deo: Nam cum desponsatio illa inter Ioseph, & Beatam Virginem fuerit ex speciali prouidentia Dei præordinata, & prædefinita, vt constat ex Sanctis Patribus: certissimè sentiendum est, & affirmandum, etiam consensum ipsum in tale matrimonium fuisse prædefinitum à Deo. Atque adeo cum Dei prouidentia sit perfectissima, non est verosimile fuisse consensum illum prædefinitum à Deo in confuso vel abstractè vt malè nonnulli voluerunt, sed potius fuisse prædefinitum in particulari cum omnibus circunstantijs eius absque vlla libertatis læsione. Nam certè Deus sua prouidentia sic disponit res omnes.

Quasdam actiones à Deo prædefiniri quasdā vero non explicat Suarez.

Sed profectò cum hoc sit certissimum, & verissimum, ego non video cur si Deus, prædefinit actum bonum moralem Angeli, quo vult mouere cœlum sine libertatis læsione, & cum omnibus circunstantijs, in particulari; cur etiam non prædefiniat re vera actus moraliter bonos, & consilia Regum ac Principum gubernantium Rempublicam, consilia etiam prudentum, & seniorum in particulari sine vlla libertatis læsione. Et pari ratione est credendum Deum prædefinijsse voluntarem illam qua primi Parentes, voluerunt, & consenserunt coniugio copulari. Ex quibus omnibus patet Deum non tantùm prædefinire aliquos actus moraliter bonos in particulari, sed etiā omnes, quia de omnibus militat par ratio: cum omnes sint honesti, & habeant honestum finem: ac proinde

Ab actionibus certò etiam in aduersa sententia prædefinitis fit argumentum ad alias omnes.

posſint eſſe obiecta diuinæ voluntatis. Si: ergò in definitione hac non læditur libertas: nulla ratio poteſt militare cur non omnes prædefiniantur à Deo: Et hoc negare eſt tollere à Deo exactiſsimam prouidentiã,& malè tribuere illi vagam quandam prædefinitionem,& confuſam multorum actuum bonorum, de quibus aduerſarij tantùm tribuunt Deo, quòd vagè eos prædefinierit:vel ſolùm abſtractè, & in confuſo, & non in particulari. Quo fit, vt ſi Deus non prædefiniat actus bonos morales in particulari, quòd non eos ordinet in aliquem finem ſpecialem: ac proinde quòd non habeat exactiſsimam prouidentiam eorum:cùm prouidentia hoc habeat, quòd ſit recta ratio ordinandorum in finem per conuenientia media, præcipuè cum ordo diuinæ prouidentiæ ſit infallibilis iuxta intentionem Dei, & iuxta ea quæ ipſe diſpoſuit, & prædefiniuit fore vel non fore, vel permittere. Nam profectò ſi Deus non prædefinit hos actus in particulari bonos moraliter, ſequitur Deum ex ſe, & ex intentione ſua ſpeciali non efficere illos: ſed veluti à caſu, & non ex perfecta prouidentia eos efficere. Cùm igitur hæc prædefinitio diuina non pugnet cum libertate iſtorum actuum moralium, & bonorum vt probatum eſt, ſequitur hoc non eſſe Deo denegandum, maximè cum in actibus ſupernaturalibus conſtet eos liberos eſſe, etiam ſi prædefiniantur à Deo, vt aliqui ex Auctoribus oppoſitæ ſententiæ fatentur.

Aduerſariorũ obiectio.

SED obijciunt aduerſarij contra nos: Quòd quando actus moraliter boni non ſunt à Deo ordinati ad aliquem ſpecialem finem ex ſpeciali eius efficaci intentione: quia ſolum oriuntur ſeu fiunt ab humana voluntate cum concurſu generali Dei ac prouidentia quaſi confuſa, non requiritur vt tales actus procedant ab ſpeciali Dei voluntate prædefiniente. Reſpondetur negandum eſſe, actus moraliter bonos hominum, & Angelorum, conſilia etiam ſapientum, & prudentum, Principum atque Regum, & Ciuium quæ propter fines honeſtos fiunt, non eſſe ordinatos à Deo ex intentione alicuius finis. Nam profectò ſi huiuſmodi actus ſolùm dicerentur oriri ab humana voluntate cum generali concurſu, & ſine ſpeciali prouidentia eorum in particulari, hinc ſequeretur apertè Deum in prouidentia iſtorum actuum ſe habere per modum cuiuſdam prouidentiæ permiſsiuæ, ſicut ſe habet in malis actibus, in quibus Deus non habet ſpecialem intentionem agendi eos, ſed ſolùm voluntatem concurrendi ad actus illos ſecundùm ſubſtantiam actus ex generali concurſu, quia ita oriuntur ipſi actus ab humana voluntate cum generali concurſu, & voluntate conditionali aut permiſsiua, relinquendo in communi voluntatem vt ſi voluerit velit. Et tamen Tridentinum Concilium Seſsione. 6. Canon 6. ait: *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere: ſed mala opera ita vt bona Deum operari, non permiſsiuè ſolum, ſed etiam propriè & per ſe, &c. Anathema ſit.* Quòd ſi Deus non intendit decreto ſuo facere actus bonos in particulari, neque eos prædefinit, neque ad eos efficiendos applicat ſecundas cauſas ſeu voluntates, neque præmouet efficienter, ſed tantùm vult ex generali concurſu fieri hos actus ab humana voluntate, ſi ipſa velit: ſequitur quod non aſsignatur ab his Auctoribus ſufficiens diſtinctio ex parte Dei circa bonos actus morales, & circa malas actiones: ac proinde ſequitur Deum non aliter concurrere ad actus morales bonos quam ad malos. Imò ſequitur quod non ſatis exactè explicatur diſtinctio quam vult Tridentinum, circa cauſalitatem malorum, & bonorum operum.

Quid reſpõdeant contrariè opinantes.

HVIC argumento reſpondent Auctores oppoſitæ ſententiæ, quòd actus mali non tantum non ſunt à Deo prædefiniti, ſed neque ſunt intenti à Deo, voluntate etiam ſimplici ſeu antecedente; quia Deus neque vult, neque cupit actus illos fieri: ſed ſolum non impedit illos, & generalem ſuum concurſum ad illos neceſſarium tribuit: actus tamen bonos morales de quibus eſt diſputatio, qui non ſunt ordinati à Deo ex efficaci intentione alicuius ſpecialis finis, qui ab humana voluntate cum generali concurſu ac prouidentia oriuntur, Deus intendit, & vult fieri voluntate antecedente ſiue ſimplici, aut conditionata. Sed profectò hoc non ſatisfacit. Quoniam Tridentinum Concilium loco citato Seſsione 6. Canon 6. non loquitur de voluntate antecedenti ſimplici tantùm, ſed de operatione Dei circa mala opera quæ à nobis ad extra fiunt, cum ita dicat: *Si quis dixerit mala opera ita vt bona Deum operari, non permiſsiuè ſolum, ſed etiam propriè, & per ſe, &c. Anathema ſit.* Secundò non ſatisfacit quia citati Auctores dicunt Deum habere decretum quoddam generale, & commune, quo Deus vult concurrere ad illos omnes actus, ſub conditione, quos voluntas elicere voluerit, expectando influxum voluntatis creatæ: hoc autem etiam videtur commune actibus malis materialiter, iuxta eorum opinionem qui dicunt, ob id non tribuendam eſſe Deo prædefinitionem malorum actuum, quia Deus ſolùm habeat generalem quandam voluntatem concurrendi cum arbitrio noſtro ad hos vel ad illos actus ſub conditione, quos ipſa voluerit elicere voluntas creata, & ſi ipſa voluerit. Et nihil aliud fatentur neque videntur concedere magis de actibus bonis, quidquid ipſi dicant quam de malis: qui ſanè valdè ſe torquent in reſponſione ad obiectionem contra eos modò factam: Quia non reſpondent ad propoſitum, & non ſolum eſt ſermo de generali illo concurſu phyſicè neceſſario ad entitatem actus, ſed etiam de operatione Dei circa mala, & bona opera, de quibus ait

Eiuſdem ſolutio.

Contra ſolutionem poſitam ex Cõcilio Tridè. arguitur

Conficitur argumentũ in fauorem noſtrum.

Secũdo impugnatur ſolutio.

Concilium, Deum non operari mala opera, ita vt bona, non tantùm permisiuè, sed etiam propriè, & per se. Quo fit vt illa differentia quam aduersarij adducunt, quòd Deus malos actus permittit, bonos verò non tantùm permittit, non sit sufficiens responsio, quia Concilium non vult esse sufficientem: cum ita decernat: *Si quis dixerit mala opera, ita vt bona Deum operari non permisiuè solùm, sed etiam propriè, & per se, &c. anathema sit.* Vnde pressi hac difficultate aduersarij nostri cõcesserunt quo ad modum concurrendi ipsius diuini concursus, Deum non aliter concurrere ad actus bonos morales quàm ad malos, & consequenter eodem modo concurrere Deum vt primam causam ad actus bonos morales de quibus disputamus, & ad actus malos seu ad materiale peccati: quia eadem est essentialis dependentia à Deo in hoc, & in illis. Quod sanè concesit Franciscus Suarez loco superius citato. Tertiò quia præfati auctores sicut negant efficacem intentionem Dei circa materiale peccati, ita etiam negant efficacem intentionem Dei circa bona opera moralia quæ fiunt ad extra, & non prædefinita: Quòd si non sunt prædefinita non sunt intenta: intentio enim eorum includitur in ipsorum prædefinitione: & solùm isti ponunt voluntatem concurrendi ad opus, si voluntas voluerit operari: quod etiam concedunt respectu substantiæ actus mali: ergò intentum. Tandem ex modo dicendi aduersariorum videtur colligi & sequi aliquos actus morales bonos esse à Deo tantùm permissos, sicut sunt mali: & ex consequenti non aliter Deum concurrere ad actus bonos morales quam ad malos, neque magis illos esse ex voluntate Dei, & prouidentia quàm hos. Probatur sequela: Quia cum apud aduersarios multi actus moraliter boni qui eueniunt, neque sint à Deo prædefiniti, neque efficaciter voliti, & intenti in particulari, sed tantùm relinquantur voluntati si ipsa velit, quasi in confuso, & in communi, solùm cum voluntate Dei concurrendi ad prædictos actus: sequitur planè Deum solùm permisiuè se habere ad illos actus non prædefinitos in particulari, & in diuiduo. Nam quamuis in communi Deus consulat rectè agere, & prohibeat malè operari, tamen quia in particulari iuxta opinionem istorum, neque prædefinit actus aliquos bonos, neque eos intendit in particulari per modum executionis, sed tantum volendo concurrere ad operationes ipsas si voluntas voluerit eos elicere, sequitur permisiuè se habere ad actus illos morales bonos non prædefinitos neque efficaciter intentos à Deo, & pari modo se habere ad malos in re, quia neque sunt voliti à Deo, neque intenti ex prædefinitione aliqua, sed solùm vult concurrere ad actiones voluntatis sub conditione quòd ipsa velit aliquid agere: Igitur non satisfacit modus sentiendi aduersariorum affirmantium plures esse actus humanos bonos moraliter, qui neque prædefiniuntur à Deo, neque sunt ordinati ab ipso ex efficaci aliqua intentione alicuius specialis finis, sed solùm sunt ab humana voluntate cum generali concursu, & non à voluntate prædefiniente. Hac enim ratione actus humani mali, neque sunt prædefiniti à Deo, neque voliti ex intentione speciali, quamuis Deus, si oriantur à voluntate cum generali concursu concomitanter, velit ad eos concurrere. Sanè militat contra prædictos Auctores, quod si vera esset eorum doctrina, sequeretur ex ea prouidentiam diuinam non solum esse confusam, conditionalem, & quasi dependentem ab humana voluntate, sed etiam non esse certam aut omninò infallibilem, possèque re vera defacto frustrari, & inaniri: quod quidem est contra perfectionem diuinæ prouidentiæ. Probatur sequela: quia ea quæ non sunt à Deo statuta aut prædefinita vt eueniant sunt incerta, sed actus illi boni moraliter de quibus est controuersia non sunt à Deo statuti neque intenti efficaciter aut absolutè neque prædefiniti: ergò prouidentia quam habet Deus de illis talis est, & tam incerta vt frustretur aliquando. Et profectò si prouidentia Dei diuina per hos actus dirigit rem in finem aliquem, sequitur quod si de illis non decernit efficaciter, & in particulari aut si illos non prædefiniuit, & intendit quòd talis prouidentia non erit exacta neque profecta. Et profecto ego non video quid respondeant Auctores oppositæ sententiæ huic argumento, nisi friuolas quasdam fugas, & euasiones quæ vim difficultatis tangunt neque dissoluunt.

Tertia impugnatio.

Vltima.

Quòd Deus solum permisiuè se haberet circa bonos quosdam actus morales, si verũ esset quod contrarij asserunt.

Prouidẽtiã Dei esse cõfusam, conditionalem, & incertã ex opposita sentẽtia sequitur.

MVLTA alia in gratiam nostræ sententiæ adduci poterant, quæ tamen modò sub silentio prætereo, quia inferius se offeret occasio dicendi de illis.

Quarta Conclusio.

DICO quartò: actus supernaturales omnes, præcipuè illi qui præordinantur à Deo ad finem bonum, & communem Ecclesiæ: sunt à Deo prædefiniti in indiuiduo, & cum omnibus circunstantijs. Huic instituto maximè fauet locus Pauli ad Ephesios secundo. *Creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.* Et ob id dixit nos creatos esse in operibus bonis quæ præparauit Deus, quia non solum prædefiniuntur isti actus in indiuiduo, & in particulari, sed etiam cum omnibus circunstantijs, quia vt sic assimilantur creationi, ex eo quod nihil est in eis quod non prædefiniatur, & statuatur à Deo.

Conclus. 4. Quòd supernaturales actus in indiuiduo, & cum omnibus circũstantijs sint à Deo prædefiniti.

HAEC assertio à fortiori sequitur ex superioribus: Sanè omnes actus meritorij Christi Domini Seruatoris nostri prædefiniti sunt à Deo, & tamen non sunt prædefiniti sub conditione ex suppositа scientia

media, neque sunt prædefiniti ex præuisione eorundem operum Christi per scientiam mediam: neque etiam ex prædefinitione meritorum, & operum Christi sequebatur vlla læsio libertatis, in voluntate Christi creatæ: ergò actus meritorij Christi sine læsione libertatis sunt à Deo prædefiniti absolutè. Rursus consensus Beatissimæ Virginis ad filij eius conceptionem sine dubio prædefinitus fuit à Deo: Nam Deus prædefinuit, & decreuit incarnationem Verbi diuini: sed non est rationabile affirmare Deum non prædefiniuisse Virginis consensum, aut non decreuisse tempus incarnationis Verbi in particulari, sed id reliquisse quasi in confuso, & sub cõditione determinandum per Beatæ Mariæ voluntatem: ergò vera est assertio proposita. Patet consequentia ex illo Pauli ad Galatas. 4. *Cum venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.* Quod testimonium sancti Patres explicant, & intelligunt de plenitudine tẽporis à Deo prædefiniti, & statuti. Et pari modo actus meritorij Christi Domini à Deo ordinati, & prædefiniti sunt non solum secundùm substantiam, sed etiam cum omnibus circunstantijs quibus ipse acceptauit pro nobis satisfacere: non enim alio modo Christus id voluit quam vt à Patre suo cognouit dispositum fuisse ipsi. Hoc apertè Paulus ad Hebræos 10. docuit dicens: *Hostiam, & oblationem noluisti: Corpus autem aptasti mihi: holocaustomata, & pro peccato, non tibi placuerunt. Tunc dixi. Ecce venio, in capite libri Scriptum est de me: vt faciam Deus voluntatem tuam.* Vides quo pacto hæc omnia in capite libri Dei scripta sunt prędefinita, & decreta. vnde Ioannis. 5. ait Christus. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me Patris.* & Lucæ. 22. dicitur: *Filius hominis vadit sicut scriptum est de illo.* Leo Papa, sermone. 7. de passione dicit hæc verba. *Neque vlla poterat ratione turbari, quod ante æterna secula, & misericorditer erat dispositum, & incommutabiliter præfinitum.* Rursus Leo. IX. in Epist. ad Petrum Antioch. tom. 4. Conciliorum in symbolo Fidei, inter alia credenda proponit Deum prædestinare bona, non mala. Quod testimonium doctrinale est, & prædefinitionem significat. Vnde non tantùm se extendit ad supernaturalia opera quæ ordinantur ad salutem hominum tanquam media, vel dispositiones aut conditiones salutis, sed etiam se extendit ad opera bona, moralia quæ in tempore fiunt ex æterna Dei prædefinitione statuta: Neque vllus ex sanctis Patribus dixit hanc prædefinitionem, & prædestinationem, aut electionem fieri supposita scientia media, aut sub conditione, si voluntas velit quasi expectando ipsam: Quis vnquam hoc audiuit in Concilijs? aut in Sacris Literis? aut in Patribus?

Galat. 4.

Ad Hebr. 10.

Ioann. 5.

Lucæ. 22.

Leo Papa.

Ratione ostenditur.

OSTENDI autem potest efficaciter hęc assertio: quoniam non repugnat Deo prædefinitio istarum operationum, præcipuè supernaturalium de quibus nunc loquimur, & aliàs tales operationes sunt bonæ, & amabiles: ergò ex hac parte non repugnat quod à Deo prædefiniantur. Rursus hæc prædefinitio non repugnat libertati eorundem operum: ergò nulla potest excogitari ratio cur non prædefiniantur efficaciter à Deo in particulari. Patet consequentia: Quoniam non repugnat libertati saluandorum electio ante præuisa merita: ergò pari modo non repugnat libertati istorũ operum prædefinitio eorum ante præuisionem futuritionis ipsorum. Et confirmari hoc potest, quoniam alienum est valdè à Sacris Literis, & ab omni Theologia Deum nunquam prædefiniuisse absoluta voluntate effectum exequendum per actus liberos. Nam si verbi gratia, vt nonnulli ex nouioribus Theologis dicunt, Deus non potuit eligere ad gloriam prædestinatos ante præuisionem futurorum meritorum ob id quod per actiones liberas sunt illam assecuturi: ergò pari modo, & ratione Deus non potuit efficaci, & absoluta voluntate prædefinire, & præordinare effectum vllum executioni tradendum per liberam actionem: ex quo satis apertè infertur, quòd non potuit Deus absoluto proposito, & efficaciter eligere D. Virginem vt esset Dei mater, ante absolutam præscientiam liberi consensus eius futuri: quoniam non aliter quam per illum consensum liberum, consecutura erat dignitatem illam Matris Dei: hoc autem dici non potest, cùm sit contra diuinam Theologiam, & contra modum loquendi Patrum. Nam certè negari non potest quin ad consensum illum præstandum præuenta sit Virgo Sanctissima quadam gratia præcellenti, & vocatione efficacissima, quæ talis donata est illi, quia erat electa, & prædefinita vt esset Mater Dei: ergò huiusmodi electio antecesserit præscientiam illius consensus futuri, & fuit fons, & radix gratiæ illius, à qua consensus ille est natus, & ortus.

4. *Conclu.*

Veritatis cõfirmatio.

THEOLOGI scholastici, præcipuè illi, supponunt hanc nostram sententiam esse veram, & sequendam, qui sentiunt homines prædestinari ante præuisa opera futura: Et illi etiam qui quamuis negent omnes ita prædestinari, concedunt tamen aliquos esse insigniter prædestinatos ante præuisa opera, vt etiam Catherinus concesserit cum suis. Rursus illi Auctores qui ce nsent aliquos actusà Deo prædefiniri, vt minimum sunt intelligendi de actibus supernaturalibus prædestinatorum: de quibus à fortiori intelligendum est quod Paulus dixerat ad Ephesios secundo: *Creati in operibus bonis quæ præparauit Deus vt in eis ambulemus?*

Qui sentiũt homines prædestinari ante præuisa nostra opera futura hanc tenẽt sententiam.

ADDVCOR vlterius: Nam prædicatio Apostolorum, & Prophetarum quæ per actus liberos, & supernaturales erat exequenda sine dubio singulari Dei decreto prædefinita fuit, & consilio diuinæ mentis tractata cum omni-

bus

De prædicatione Prophetarũ, & Apostolorũ quòd fuerit à Deo prædefinita.

bus circunstantijs, etiam loci, & temporis, quibus Deus duxit conuenienter agendam esse, & exequendam. Dicere autem Deum vel non disposuisse in particulari hæc omnia, vel disposuisse illa vagè in communi, & in confuso, & non præordinauisse sua voluntate particulares circunstantias, sed tantùm præsciuisse determinandas fore per hominum voluntates valdè alienum est à perfectione diuinæ prouidentiæ, & à modo quo Sacræ literæ loquuntur de huiusmodi diuinis consilijs: ergò. Idem discursus fieri potest de electione Apostolorũ ad Apostolatũ: Nam certè medio consensu libero ipsi sunt consecuti talẽ dignitatem, Deo hoc prædefiniente, & volente vt ipsis consentientibus id fieret, & nihilominus de illis Christus dixit. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. Ioannis. 15. Nam quamuis Apostoli re vera elegerint sequi Christum Dominum, tamen quia electio Dei antecessit, & fuit principium, & origo vocationis secundùm propositum, & gratiæ, per quam ipsi Christum elegerunt: idcircò Christus sibi attribuit electionem illam: vt eleganter adnotauit D. Augustinus lib. de gratia, & libero arbitrio capit. 17. Vnde negari non potest quin vocatio illa specialis secundùm propositũ, & gratia data à Deo specialiter ad talem consensum liberum Apostolorũ procedat ex voluntate Dei intendentis talem finem, vt, verbi gratia, facere hunc eius discipulum, & Apostolũ, aut operari Verbi Dei incarnationem, & conceptionem ex Beata Virgine, & non ex alia: hoc inquam non potuit non procedere ex intentione speciali Dei, & prædefinitione seu decreto eius: & non potest dici illam intentionem Dei tantùm esse conditionatam vt per se manifestũ est: ergò talis electio, & intentio Dei fuit efficax in ipso.

Quòd hoc sit maximè Dei omnipotẽtiæ conforme.

PRAETEREA hoc videtur maximè pertinere ad Dei omnipotentiam, vt possit disponere perfectè, & ordinare prout voluerit, & decreuerit effectus futuros, per actiones liberas, vt apertissimè docuit, & sensit diuus Augustinus libro de correctione, & gratia cap. 14. vbi Augustinus ait. *Deo volenti saluum facere, nullum humanum resistit arbitrium: sic enim velle vel nolle in volentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem*. Et loquitur D. Augustinus de operibus liberis, quibus homo disponitur ad salutem vt manifestè constat ex verbis ipsis eiusdem Augustini. Qui paulò inferius vt ostendat se loqui de actibus liberis arbitrij humani subiungit quæ sequuntur: *De ipsis hominum voluntatibus*, (Deus scilicèt) *facit quod vult, & quando vult, habens humanorum cordium quò voluerit inclinandorum omnipotentissimam potestatem*: Et non quadrat dicere quod facit quod vult ex præuisione futuri operis per scientiam mediam, si voluntas velit: cum dicat Augustinus, quòd Deus de humanis voluntatibus facit quod vult, & quando vult, habens humanorum cordium omnipotentissimam potestatem: quod in modo loquendi illorum non esset verum, si Deus non prædefiniret nisi quod præuideret futurum per scientiam mediam, & post præuisionem operis euenturi à nostra voluntate, ex scientia cõditionata, vel quasi expectando voluntatem vt velit. In quibus verbis citatis satis explicat Augustinus quod dixerat sæpius in libris de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseuerantiæ, vbi dixit maximè proprium Dei esse facere volentes ex nolentibus. Et id intelligit esse proprium Dei ex parte omnipotentiæ suæ, atque infinitæ sapientiæ, & prouidentiæ, & quia etiam est dominus liberi arbitrij nostri, & illi subditur vt est creatũ arbitrium, & creata voluntas. Nam idcircò in Enchiridio capite 95. & sequentibus dixit confirmans nostram sententiam. *Quis tam impiè desipiat, vt malas hominum voluntates neget Deum posse conuertere, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit*. Quo in loco planè Augustinus loquitur de voluntate absoluta, & efficaci Dei, quæ habet infallibiliter effectum, & non potest esse consequens ad præscientiam futuri euentus antecedenter ad decretum, & statutum Dei, & ad prædefinitionem, & præordinationem eius, cùm ex D. Augustini calculo, voluntas illa absoluta, & efficax Dei sit prima radix, causa, & origo futuritionis, & euentus: hoc enim sonant verba diui Ambrosij superius citata à diuo Augustino cum ponderatione quadam, vbi Ambrosius ait. *Quem vult religiosum facit*. In quibus omnibus testimonijs neque Ambrosius, neque Augustinus, neque Leo Papa, neque aliquis ex sanctis Patribus dixit perhoc lẽdi libertatem arbitrij. Neque diceret Ambrosius: Quem vult religiosum facit: sed quem præuidit religiosè operaturum, illum vult religiosum esse, si vera esset aduersariorum sententia.

D. Ambrõ.

D. Augus.

EX dictis satis apertè colligitur Deum prædefiniuisse actus omnes liberos bonos prædestinatorum etiam in indiuiduo, & cum circunstantijs suis. Hoc etiam proclamat testimonium sæpè citatum Pauli. *Creati in operibus bonis quæ præparauit Deus, vt in eis ambulemus*. Quæ verba interpretatur diuus Augustinus, libro de prædestinatione Sanctorum capit. 10. de præparatione per diuinam prædestinationem seu prædefinitionem. Iuxta illud quod retulimus ex diuo Fulgentio libro 1. ad Monimum dicente. *Bona opera nostra Paulus à Domino asserit præparata, hoc est in prædestinatione disposita. Sicut præparata est per prædestinationem voluntas à Domino, qua bonum velimus, sic etiam bona opera præparauit Deus vt in eis ambulemus*. Et Diuus Thomas super eadem verba Pauli explicans etiam quid sit præparatio beneficiorum Dei, & præparatio bonorum operum ait. Dicitur autem Deus nobis aliqua præparare, in quantum disposuit se nobis daturum. Quocirca Sancti Patres videntur intellexisse verba illa de præparatione per diuinam voluntatem Dei statuentem, dis-

D. Fulgẽ.

Deum præparare nobis bona opera per æternã prædestinationem idẽ est quòd præ definire.

ponentem, prædestinantem, atque adeò prædefinientem dare nobis talia opera. Et non solùm dicunt Sancti Deum præparasse nobis auxilia, sed vlterius dicunt præparasse ipsa bona opera per æternam prædestinationem: quæ est idem quòd prædefinitio, respectu talium operum. Imò verò quamuis diceremus hanc præparationem consistere in auxiliorum præparatione ad opera exercenda hoc in idem coincideret cum his quæ diximus. Nam si Deus homini prædestinato prædefiniuit, & præparauit auxilium efficax, vt conuertatur vel perseueret, idcircò est, quia decreuit illi efficaciter dare pœnitentiam, & perseuerantiam: Quia applicatio medij acommodata est intentioni finis: & è conuerso, ex modo applicandi media, vt si applicentur efficaciter, rectè colligimus qualis fuerit intentio finis. Quòd est conforme diuo Augustino locis superius citatis, & etiam libro primo, de prædestinatione Sanctorum capite. 17. vbi ait. *Intelligamus ergo vocationem qua fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur vt credant*: Ex quibus constat Deum elegisse, & mente sua atque voluntate statuisse liberas hominum, & bonas operationes, nam electio prædefinitionem importat.

SANE si Deus homini prædestinato vt dictum est, præparauit auxilium efficax vt credat, vel vt conuertatur, aut perseueret, vt Paulus dixit in illis verbis. *Creati in operibus bonis quæ præparauit Deus vt in eis ambulemus*: idcircò est quoniam efficaciter decreuit prædestinato dare fidem, pœnitentiam, & perseuerantiam, & illa auxilia quibus de facto hæc fiant: quia applicatio medij debet acommodari intentioni finis: ita sanè vt ex ipsis medijs, & ex modo applicandi media apertè sequatur qualis fuerit intentio finis. Vnde diuus Augustinus manifestè significat, & docet auxilium efficax, & proportionatum, vnde homo credit inde prouenire quod Deus intentione, & prædefinitione sua, iam illi homini decreuit dare tale auxilium cui intendit donare fidem, & cui hoc auxilium Deus non prouidit, esse apertissimum signum quod Deus non elegerit ipsum ad fidem. *D. Augus.* Hinc Augustinus de bono perseuerantiæ capite 14. ait. *Quoniam vt crederent non erat eis datum, etiam vnde crederent est negatum.* Quocirca ex dictis satis patet Deum prædefiniuisse opera omnia supernaturalia quæ sunt media ad hoc vt prædestinati, & electi consequantur gloriam ad quam sunt electi.

RATIO autem istorum omnium est, quia qui efficaciter intendit finem aliquem, si prudenter agit, eligit, & decernit atque determinat media per quæ statuit, & vult comparare finem illum: & ob id prædefiniuit illa media, præsertim si sint talia, quæ in voluntate efficaciter intendentis finem posita sunt.

Quid respondeant auctores oppositæ sententiæ, & quo pacto impugnentur.

DICES, Deum prædefinire media per quæ intentio Dei consequatur finem suum, sed non prædefinire huiusmodi media, si sint actiones humanæ, & liberæ in particulari: vel saltem non prædefinire actiones illas, vt fiant in aliquo determinato instanti, aut cum circunstantijs determinatis, quia ad hoc vt actio aliqua prædefinita à Deo maneat libera, vel requiritur quod prædefiniatur in communi, & vagè, vel non, circa singula instantia, vel vagè circa singula media: Tunc enim retinemus libertatem non solum physicam sed etiam moralem, quando actio prædefinita est in communi, & vagè: quia tunc circa singula instantia, & circa singula indiuidua actionis manet libertas, nimirum physica, & moralis: ex eo quod in quibuscunque instantibus possumus resistere cuicunque motiuo, & cuicunque circunstantiæ impellenti ad eum actum: & ex consequenti omnibus collectiuè possumus resistere: ac proinde possumus irritam reddere prædefinitionem Dei.

Obiectio aduersariorũ iuxta modũ dicendi eorum.

SED profectò hic modus dicendi non mihi probatur. Primò quia in huiusmodi decreto & diuino consilio Dei excogitare confusam quandam præordinationem mediorum, seu meritorum prædestinati, vagè & in communi, abstrahendo vel ab speciebus actionum vel ab indiuiduis earundem actionum, vel à circunstantijs ipsorum: hæc quidem aliena & indigna sunt Deo, & longè ab infinita perfectione prouidentiæ suæ, præcipuè ab ea quam gerit cum prædestinatis: quos singulariter amauit & etiam elegit ad determinatum gradum gratiæ & gloriæ, ita quidem non in confuso, sed specialissima cura prouidet in particulari.

Impugnatio.

DICES, quòd si Deus prædefiniret actũ in specie, quamuis non posset prædefiniri actus in indiuiduo cũ omnibus circunstantijs, illa prædefinitio sufficeret vt Deus ante præuisa nostra opera vt futura, prædestinet efficaciter quos velit, decernens illis conferre ea media, quibus infallibiliter conuertantur, & in gratia discedãt ex hac vita: non quidem ex vi vnius medij, sed ex vi plurium mediorum, ex quibus si vnum non consequitur effectum, aliud consequetur, vt videtur explicare D. Thomas de veritate, q. 6. art. 3. in fine corporis.

Occurritur impugnationi.

SED hic modus dicendi est valdè difficilis, quia talis modus prouidendi & agendi est valdè imperfectus, quia in eo videretur Deus quasi dubitando, & tentando incedere, vt si nunc nõ consentiat iterum reuertatur ad vocandum eũ: quod non congruit in casu de quo loquimur, nimirum quando Deus efficaci intentione decreuit aliquam actionem ad aliquem finem. Imò verò talis modus prouidendi & agendi si rectè consideretur est insufficiens ad efficaciam vel

Euertitur occursus: difficilis enim est istorum modus dicẽdi.

infal-

infallibilitatem, quam postulat prouidentia diuina in medijs quorum præordinatio prouenit ex intentione finis efficaci, & absoluta: Nam hæc intentio tam certa & infallibilis est, vt implicet contradictionem non peruenire ad finis consecutionem. Quo fit vt illa vaga, & confusa prouidentia atque prædefinitio, si non haberet certitudinem aliunde, quàm ex multitudine mediorum seu vicissitudine quorundam auxiliorum sufficientium, & non efficacium, non haberet tantam infallibilitatem, sed potius defectibilitatem, quia non repugnaret neque implicaret contradictionem, simpliciter loquendo, illa omnia media vaga & auxilia casla reddi, ex voluntatis libertate: ergò supposita intentione efficaci Dei qua, verbi gratia, vult alicui salutem necesse est Deum decreuisse, & in eo decreto præcognouisse non in confuso & vagè, sed in particulari, certa media quibus infallibiliter omnino possit intentiò illa efficax Dei, ad exitum & executionem perduci: ergo non tantum in confuso prædefinit Deus media, sed in particulari: Rursus cum Deus efficaciter statuit vocare hominem vocatione secundùm propositum, vt conuertatur, vel credat, non decernit de vocatione aliqua in confuso & vagè aut abstrahendo à circunstantijs, sed de vocatione determinata hic & nunc danda quam Deus & no uit & vult talem esse vt penetret eius animam, vt de vocatione Pauli dixit D. Chrysostomus. Et sanè talis actus prædefinitur à Deo qualis debet respõdere intentioni efficaci Dei & etiã vocationi secundùm propositum.

Secũda impugnatio.

Secvndò & principaliter non dissoluitur per doctrinam quam aduersarij superius contendunt difficultas de concordia libertatis nostræ cum diuina prædefinitione, etiam si actio prædefinita sit, solum vagè & in communi, & non in particulari neq; cum particularibus circunstantijs. Quod probo proposito exemplo sequenti. Prædefinit, verbi gratia, Deus Petrũ habiturum esse, & eliciturum actum contritionis liberum intra mensem, nimirum per centũ inspirationes varias & motiua allicientia, relicta libertate in Petro circa singula indiuidua cõtritionis, & circa singula instantia in quibus contritio elicienda est: Ex hac libertate sequitur Petrum posse in toto mense nũquam elicere actũ contritionis: ac proinde frustrari prædefinitionem Dei, vel deueniendum esse ad vltimum instans, in quo si non debet frustrari Dei prædefinitio, necessarium sit, quòd Deus tribuat illud auxilium efficax gratiæ, quo efficienter propriè præmoueatur voluntas ad contritionem illam: & consequenter quod prædefiniat non vage, sed in particulari: ac proinde ex prædefinitione vaga illius contritionis etiam sequi læsionem libertatis vt ostendam: ergo per vagam prædefinitionem non satis saluatur libertas. Probatur sequela, & consequentia: quoniam potest Petrus per viginti & nouem dies illius mensis permanere liberè in peccato: & pari ratione poterit Petrus non elicere contritionem vsque ad vltimum diem mensis, & vsque ad vltimam illius horam: & vsque ad vltimam partem millesimam illius horæ: & ratio est quia contritio prædefinita non est nisi vt elicienda intra mensem, vt casus supponit, quare licèt antè mẽsem non eliciatur, etiam in penultima minuto illius mensis, nihil contra prædefinitionem accidit. Et ne quis difficultatem pendere putet ex temporis diuturnitate, aut ex numero inspirationum: fingat tempus intra quod elicienda cõtritio prædefiniri potest, siue sit vnius anni, siue vnius minuti horæ, fingatque quem voluerit numerum inspirationum, in eoque conficiemus nostrum argumentum, accepta aliqua valde exigua parte posteriori illius temporis, ante quam possibile est Petrum non pœnituisse de peccatis: Cum autem possibili posito in esse nullum sequatur inconueniens: Demus ita cõtigisse vt Petrus ita liberè restiterit omnibus inspirationibus, & motiuis contritionis, quæ præcesserunt hanc exiguam temporis partem, quæ restat: ac proinde restare vnicum tantum motiuum, & vnicam inspirationẽ, cui si Petrus dissentiat non eliciet contritionem in tempore prædefinito. Nunc sic argumentor. Possibile est Petrum non assentire vltimæ inspirationi quæ restat quia in hoc tempore, & respectu istius inspirationis non minus liber est Petrus quam respectu præcedentium inspirationum, & præcedentis temporis: ergo poterit prorsus frustrare prædefinitionem de elicienda contritione in toto hoc tempore.

Ex suppositis conficitur argumẽtum.

Ergò si deueniendum est ad vltimum instans, in quo actus contritionis prædefinitus debet executioni mandari, in quo si non eliciatur inanis fiet & frustrabitur diuina prædefinitio: Sequitur posse Deum prædefinire contritionem, quæ sit elicienda in vltimo instanti illius horæ. Quòd si Deus non posset prædefinire in vltimo instanti, verbi gratia, vitę contritionẽ eliciendam esse à Petro vt æternam vitam consequeretur, quia aliàs non liberè contereretur Petrus, non video quo pacto effugiant auctores huius vagę prædefinitionis idem inconueniens, quod ipsi putant, si prædefiniatur contritio elicienda à Petro intra mensem, & ventum sit ad vltimum instans illius mensis, in quo prædefinita contritio elicienda est vel inanis reddẽda. Si autem Dei prædefinitio frustrari non potest, sequitur Deum debere applicare voluntatem efficaci applicatione ad tunc elicienda contritionem. En quibus angustijs premitur aduersariorum sententia, quia non effugiunt ipsi argumenta quæ contra nos efficiunt. Vnde in opinione eorum, si Deus definiat in vltimo vitæ instanti Petrum habiturum esse contritionem, & id Deum disposuisse dicas & decreuisse, vt sic consequeretur salutem æternæ vitæ, tunc iuxta eorum doctrinam, sequitur, vel Deum hoc facere non posse, vel si potest, Petrum non liberè conteri quod non est dicendum.

Perpende valde rationem istam.

Ex dictis constare poterit quantis difficultatibus plena sit sententia illa, quæ vt saluet li-

Quòd pluribus sit inoluta difficultati, opposita sententia.

bertatem fingit, Deum non prædefinire actiones aliquas in particulari, ne lædatur libertas, sed tantùm prædefinire actionem aliquam liberam à Petro vel Paulo eliciendam, non quidem in aliquo determinato instanti, aut cum his & illis circunstantijs, sed solùm vagè & in communi, ita vt circa singula instantia, & circa singula indiuidua actionis humanæ retineamus per hoc libertatem, non solùm physicam, sed etiam moralè, ita vt in eodem instanti vel in diuersis possit produci actus ille humanus huius indiuidui vel illius, iuxta distinctas differentias numericas nostrorum actuum, quæ sanè non prædefiniuntur à Deo: & ita manet libera nostra voluntas circa huiusmodi actiones in indiuiduo, vel circa intensionem actionis liberę, vel circa tempus & locum, & alia huiusmodi.

PLENA igitur est difficultatibus supra positis solutio aduersariorum relata, quia eadem argumenta militare possunt contra eandem solutionem, quę auctores oppositæ sententię conficiunt contra nos, cùm constet etiam ad infallibilitatem prędefinitionis vagè & in communi, tandem deueniendum esse ad vnum actum singularem, & ad vnum instans ad quem deuoluitur illa infallibilitas diuinę prędefinitionis, vt argumentum superius à nobis factum ostendit contra ipsos. Et quamuis aduersarij dissoluere contendant prędictum argumentum & ad hoc penè infinitas responsiones, & solutiones adducant nulla earum satisfacit, neque difficultatem eius soluit.

Quòd vera sit sententia D. Thomæ, & quòd non læditur libertas ex diuina prædefinitione.

QVARE semper sentiendū est, posse à Deo prędefiniri actum singularē, hic & nunc liberè eliciendum: quę sententia meritò tribuitur D. Augustino locis omnibus à me citatis, & de correptione & gratia, cap. 11. & 12. & lib. 1. de gratia Christi cap. 46. & de gratia & libero arbitrio, cap. 2. 4. 5. 15. vsque ad 17. Neque ex his locis colligitur solùm prædefiniri à Deo actiones aliquas, sed etiam prædefiniri in singulari cum omnibus circunstantijs. Nam cùm D. Augustinus loquatur de prędefinitione nostrarum operationum loquitur de illis in particulari. Iure tribuitur hoc D. Thomæ 1. part. quæst. 19. art. 8. & quæst. 22. art. 4. & lib. 3. contra gentes, cap. 94. Nam vbique docet Deum efficaciter velle, & ordinare vt actus liberè fiat, & infallibiliter eueniturum: quia explenda est diuina voluntas, tam quoad rem quam vult, scilicet actum humanum, quàm quoad modum quo impleri vult, scilicet liberè vel necessario. Et 1. 2. quæst. 112. art. 3. in corpore inquit: *Alio modo potest considerari præparatio, secundùm quod est à Deo mouente, & tunc habet necessitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, nō quidem coactionis, sed infallibilitatis: quia intentio Dei deficere non potest, secundùm quod Augustinus dicit in libris de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseuerantiæ, quòd per beneficia Dei certissimè liberantur quicunque liberantur. Vnde si ex intentione Dei mouentis est, quod homo cuius cor mouet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequetur, secundùm illud Ioannis. 6: Omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me.* Fauent huic sententię D. Bonaucntura in primo dist. 47. art. 2. q. 1. Ricard. in primo dist. 48. art. 1. q. 1. Marsilius in primo dist. 45. art. 1. in fine. Driedo de concordia liberi arbitrij cum prædestinatione. 2. part. cap. 3. ad primum arg. qui omnes admittunt Dei efficacem volūtatem de nostris liberis actionibus, de quibus expressius posse prædefiniri in particulari Durandus in primo dist. 47. q. 1. Ferrara. 3. contra gentes, cap. 94. & Caiet. 1. part. q. 22. art. 4. idem videtur sentire. Et efficaciter colligitur ex Scoto in 1. dist. 39. q. 1. præsertim. §. viso de contingentia. Ricardus in 1. dist. 38. art. 1. q. 5. & Henricus 1. p. art. 36. q. 5. versus finē, asserentibus omnia futura cōtingentia certò cognosci in diuino decreto causandi vel permittendi nostras actiones, quæ cognitio non poterit esse omnium cō tingētium nisi omnia in particulari cum omnibus circunstantijs infallibiliter cōsequantur ex voluntate diuina ex decreto causandi bona vel permittendi mala.

D. Augus.

D. Thom.

D. Bonauē tura. Ricardus, Marsi. Drie. Duran. Ferra. Caiet. Sco. Henricus.

HANC sententiam, quidquid dicant aduersarij, Sanctus Thomas ostendit locis supra citatis: Quia videlicet ad infinitam potentiam pertinet, & ad diuinam & perfectam prouidentiam Dei, non solùm res illas fieri, quas Deus fieri vult, sed etiam eo modo fieri, quo Deus eas vult fieri: vult autē Deus quosdam effectus liberè & contingenter euenire: quia hoc pertinet ad perfectionem Dei, vt ita disponat res & prędefiniat: & hoc etiam pertinet ad perfectionem vniuersi: & idcircò Deus illis adaptauit causas contingentes, vt ab illis contingenter eueniant: ergo infallibiliter & cōtingenter eue nient quæ Deus prædefinierit.

Ratio S. Thomæ pro hac sententia.

AVCTORES oppositæ sententiæ conantur repellere rationem hanc, & dicunt, quòd si procedat de effectibus contingentibus vagè & in communi prædefinitis, euidens est ac benè cohærens cum prædictis D. Thomæ sententijs: Quia euidens est productis tot causis liberis in vniuerso infallibile esse illas aliquando operaturas esse liberè, idque pertinere ad vniuersi perfectionem. Si autem eadem ratio accipiatur de actionibus prædefinitis in singulari cum omnibus circunstantijs, dicunt esse vitiosam: quia quod probandum erat supponit, videlicet non implicare contradictionem libertatem manere in actu prædefinito in singulari cum omnibus circunstantijs.

Euasio quā prætendūt aduersarij.

SED profectò superius ostendimus prædefinitionem vagam quæ ad vnum actum singularem deuoluitur & ad vnum instans, vt ostensum fuit, easdem pati difficultates: ac proinde malè loquuntur & sentiunt aduersarij de ratione D. Thomæ. Præcipuè cùm superius expli-

Ex dictis impugnatio.

cue-

cuerimus qua ratione optimè concordentur diuinæ prouidentiæ decreta, & prædefinitiones rerum de actibus humanis cum eorum libertate: & tandem quia auctores contrariæ sententiæ, ex sua vaga prædefinitione, non solùm repellunt perfectam prouidentiam à Deo, verùm etiam infallibilem euentum, cui falsum subesse non possit, & etiam ex consequenti infallibilē certitudinem diuinæ cognitionis repellūt si solū actus boni de quibus loquimur vagè prædefiniantur. Lęditurque diuina prædestinatio, & media etiam quæ sub ea cadunt lęduntur.

Tribuit S. Thomas Deo perfectissimam prouidētiā.

Quæ ratio Sancti Thomæ optima est, valida & efficax, & magis conformis diuinæ Theologiæ: quia tribuit Deo perfectā & exactam prouidentiam, non confusam, aut aliquo modo casualē sicut eam tribuunt prędicti auctores, dum tribuunt Deo prædefinitionem quandam confusam, vagā & in communi tantum. Est prætea ratio Sancti Thomæ optima, quia tribuit Deo certitudinem, & infallibilitatem suorum decretorum, imò verò diuinæ prædestinationis & mediorum eius & donorum quibus certissimè liberantur quicunq; liberantur. Saluat etiā melius veritatem Scripturæ dicentis, quod creamur in operibus bonis quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. Saluat præterea liberum arbitrium sine læsione vlla, quia Deus suo diuino decreto attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, quod efficit etiam attingendo liberum arbitrium ipsumque suauiter mouendo cum cōferentia & collatione & cognitione finis atque attētione vt latius superius deduximus.

Argumentum contra veram sententiam.

Sed dices, actus prædefinitus à Deo in particulari necessario erit: ergò non erit liber: probatur consequentia: quia voluntas quando operatur liberè, quamuis illi remaneat sola libertas physica, nihilominus absolutè potest non operari: ergò absolutè poterit frustrare prædefinitionē diuinam si manet libera circa actum prædefinitum. Probatur consequentia: quia non facere actum prædefinitum est frustrare prædefinitionem: ergò posse non facere est posse frustrare. Et augetur difficultas: Quia posibili posito in esse nullum sequitur inconueniens: sed posito in esse quod non eliciatur actus prædefinitus sequitur magnum inconueniens, videlicet inanem & irritam fieri diuinam prædefinitionem: ergò non est posibile prætermitti actum prædefinitum. Et confirmatur secundò quia in bona consequentia si antecedens est necessarium consequens debet esse necessarium, & non potest esse contingens vt alibi argutum est: sed hæc est bona consequentia: Deus prædefinit & prædeterminat hunc actum: ergò hic actus erit: sed diuina prædefinitio est iam necessaria: ergo consequens nimirum actus prædefinitus non est iam liber sed necessarius.

Quantæ sit difficultatis hoc argumentum

Hoc argumentum adeò difficile est vt ex nouioribus Theologis aliqui recesserint à S. Thom. Molina enim in Cōcordia disp. 14. 15. & 18. memb. 2. & sequent. circa. quæst. 14. de scientia Dei. art. 13. & Franciscus Suarez. 3. par. disput. 37. sectione. 3. inde conciliant prædefinitionem cum libertate arbitrij nostri: quia prę definitio supponit priorem scientiam mediam, qua Deus cognoscit quid voluntas liberè effectura esset si poneretur in talibus circunstātijs: & Deus nō aliter (vt dicunt) prædefinit actum quàm decernendo voluntatem constituere in illis circunstantijs, sub quibus præsciuit voluntatem ita operaturam, quod si voluntas pro sua libertate non fuisset ita operatura Deus id præcognouisset, ac propterea non constituisset voluntatem sub his circunstantijs, sed sub alijs, in quibus actionem à Deo intentam ipse præcognosceret: quia præcognosceretur voluntas elicitura actionem illam à Deo intentam. Itaque prædefinitio supponit scientiam, qua Deus cognoscit quid voluntas liberè factura sit & volitura si in tali serie rerum & circunstantiarum reponatur à Deo quod pręsciuit Deus ante omne decretum voluntatis diuinæ. Quod si voluntas pro libertate sua id non fuisset factura aut volitura Deus id præcognouisset & consequenter non constituisset voluntatem in tali serie rerum, neque sub his circunstantijs, sed in alio ordine rerum, & sub alijs, in quibus cognosceretur voluntas elicitura actionem à Deo prædefinitam & intentā, quamuis potuisset facere oppositum. Et quoniam hæc scientia media antecedit omnem actum liberum diuinæ voluntatis, neque est in potentia Dei aliud scire per illam scientiam quam re ipsa sciuit, quia non est in potestate Dei aliud facere, si homo poneretur in illa serie rerum, sed est in potestate hominis aliud facere, & consequenter potuit Deus aliud scire: idcirco talis scientia media cum nō sit simpliciter naturalis ipsi Deo, sequitur quod est media seu neutra inter naturalem & liberam.

& quid respondeant quidam.

Hæc responsio quamuis videatur prædictis auctoribus expeditissima via conciliandi libertatem cum prædefinitione Dei, & cum diuinis decretis: verūtamen nō ita videbitur si conijciamus oculos ad eam scientiam mediā, quæ supponitur, qua cognoscantur omnes actiones liberæ vt conditionaliter futuræ: Quæ scientia cum nullum libertatis exercitium actu & absolutè existens supponat, simpliciter necessaria est & veram necessitatē infert nostris actionibus, vt nos fusè deduximus in disputatione de scientia media: & vt alij Theologi deducunt. 1. part. q. 14. art. 13.

Quòd prædicta sentētia non placet & agitur vno verbo contra scientiam mediam.

Rvrsvs, prædicta solutio Molinæ tota fundatur in positione scientiæ mediæ, quæ inaudita est à seculo: noua & inutilis, etiam ad conciliandam libertatem, in quo valde decipiuntur isti. Quòd si aliquo tempore mentio facta fuerit de hac scientia id quidem non placuit antiquioribus Patribus: Nam repulsa fuit à D. Prosper & à D. Augustino iam olim, vt in controuersia de hac scientia media diximus. Maximè cum auctores oppositæ sententiæ dicāt: Quòd quia liberum arbitrium est operaturum, ideo Deus illud scit: Et consequenter sequitur pri-

Quædã inconuenientia quæ sequũtur ex hac scientia.

mò quod operatio liberi arbitrij est ante scientiam Dei,& quòd cognoscitur extra ipsum. Secundò infertur quod obiectum cognitum per talem scientiam mediam tribuit certitudinem & infallibilitatem scientiæ Dei : ac proinde quòd scientia Dei desumatur à rebus:quod dici nõ potest. Sequela patet: quia certitudo & infallibilitas illius scientiæ posita est in potestate liberi arbitrij, in cuius potestate positũ est aliter agere : ergo certitudo & infallibilitas illius scientiæ non est posita in Dei potestate, sed in potestate nostri arbitrij : ergò ab illo dependet tanquam ab extrinseca mensura. Præterea liberum arbitrium creatũ secundùm se & essentialiter indifferens est ad vtranque partem contradictionis:ergo per solam comprehensionem eiusdem liberi arbitrij nõ cognoscitur certò & infallibiliter,vt putauit Molina, ad quam partem voluntas se determinauit, aut sit determinatura,etiam si constituatur homo in tali ordine vel serie rerum,& cum talibus circunstantijs atque auxilijs. Probatur consequentia:quoniam ille ordo rerum, & illæ circunstantiæ nõ determinant liberum arbitrium ad alteram partem,vt auctores oppositæ sententiæ volunt & fatentur:ergò cùm arbitrium creatum secundũ se sit indifferens, semper manet indifferens & cognoscitur indifferens. Imò verò implicat: Quòd vt sic arbitrium cognoscatur determinatum : quia iam cognosceretur id quod non est: Nam etiam constitutum in illa serie seu in illo ordine rerũ retinet essentiam liberi arbitrij indifferentem secundum se: ergò fieri non potest vt cognoscatur ad alteram partem determinatum. Quo fit vt non posset cognosci determinatum nisi in diuinæ voluntatis determinatione. Nouit nanque Deus quod si constitueret liberum arbitrium in tali serie rerum,& cum his aut illis auxilijs efficacibus,ipsum determinaret ad hanc partem aut illam. Nam profectò nõ est intelligibile quomodo cognoscat Deus voluntatem se determinare in hoc ordine, aut in illa serie rerum,si in nulla earum est efficax auxiliũ Dei, sed tota illa cognitio videtur incerta & nõ attingens infallibilitatem. Imò verò vlterius ad cognitionem hanc nostrarum actionum non videtur necessarium cognoscere has diuersas series rerum,seu hunc & illum ordinem : sed hoc & illud auxilium tantùm cum quo voluntas cõsentiet, vel nõ consentiet,in supernaturalibus. Tandem quamuis admittatur hæc scientia conditionatorum,tamen est inutilis ad conciliandã Dei prædefinitionem cum libertate voluntatis nostræ : quia,vt dictum est,talis scientia media nullum exercitiũ libertatis actu & absolutè existẽs supponit,& consequenter est necessaria,veram inferendo necessitatem nostris actibus: Ergo si scientia media nõ supponit aliquod libertatis exercitium actu & absolutè existens præuisum, non potest fieri illa concordia libertatis cum scientia Dei & prædefinitione eius, cùm non præuideatur liberè actu agens. Quocirca cum scientia hæc media non debeat vllo pacto constitui,vt fusius ostẽdimus alibi,sequitur per eam non conciliari libertatem cum diuinis prædefinitionibus atque decretis.Hæc obiter dicta sint de hac scientia.

Hæc suppositæ scientia non cõciliatur Dei prædefinitio cũ libertate.

Aliorũ solutio ad argumentũ.

ALIORVM secunda responsio:& solutio esse solet : Quòd licèt sit infallibile elici actum, quem Deus prædefiniuit, veruntamen eadem & pari ratione,infallibile est fieri actum eo modo quo Deus prædefiniuit illũ fieri: quia vtrũque pertinet ad Dei omnipotentiam & suauitatem in agendo : ac proinde cum Deus voluerit actum fieri manente libertate & potestate vt non fiat,hæc potestas abstinendi ab actu prædefinito non reddit irritam aut inanem prædefinitionem Dei,sed potius illam implet: quam solutionem tradit diuus Ambrosius. 2. de vocatione Gẽtium,ca. 10. dicens : *Quamuis ergo quod statuit Deus nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi,neque per electionis propositum liberi arbitrij deuotio laxatur cum implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, vt per laborem operum,per instantiam orationum fiant incrementa meritorum*. Hanc eandem solutionem apertius docet S. Thom. præcipuè lib. 3. contra Gentes,ca. 94. ad secundum & 1. part. q. 22. art. 9. ad primum & q. 19. art. 8. ad secũdum. Ricardus in primo distinct. 48. artic. 1. quæstio. 1. & communiter discipuli S. Thomæ,& ferè omnes qui hoc tempore scripserunt in schola sanctissimi Præceptoris.

D. Ambr.

D. Thom.

Ricard. Discipuli D. Thom.

SED insurgunt aduersarij dicentes:hanc solutionem habere locum, quando actus vagè est prædefinitus :quia tunc supponitur id quod euidentius est, nimirum rem in vniuersali & vagè infallibilem, posse nihilominus liberam esse in particulari. At verò dicunt,si actus est prædefinitus in singulari cum omnibus circunstantijs,hanc solutionem minimè satisfacere : quia non conciliat libertatem cum diuina prædefinitione. Quod tamen ego non video qua ratione id fit:Quia ad Dei prouidentiam & sapientiam pertinet,vt infallibiliter fiat ad extra, quod ipse decernit, eo modo quo fieri vult, & manente libertate in voluntate cum potestate vt non fiat. Illud verò quod in hac solutione dicitur,nimirum infallibile esse fieri actũ eo modo quo Deus prædefiniuit illum fieri, quia hoc pertinet ad Dei omnipotentiam : ac proinde quod cùm Deus voluerit actum fieri manente libertate,& potestate vt non fiat, hæc potestas abstinendi ab actu prædefinito non reddit irritam prædefinitionem Dei, sed magis illam implere. Hoc inquam est valdè perpendendum quoniam in eo significatur dari potentiã physicam vt prædefinitio Dei reddatur irrita,quod est durum. Nam quamuis prædicta solutione recte ostendatur de facto non frustrari diuinam prædefinitionem, licèt in nostra voluntate sit potestas physica cohibendi se ab actu prædefinito,nihilominus non ostenditur quomodo in voluntate nostra non sit physica potestas frustrandi prædefinitionem diuinam, etenim inde nascitur difficultas,quia si Deus vult efficaciter

Aduersariorum euasioni occurritur.

In quo sita sit difficultas argumẽti, & quod eius vis nõ euacuetur exposita solutione.

actum

actum liberum fieri, duo vult; primum est actū fieri, secundum est in voluntate manere potestatem physicam vt actum non faciat: & hoc secundum pugnare videtur cum primo: Quia si vult esse potestatem non faciendi actum, vult esse potestatem frustrandi efficax decretum, quo decreuit actum fieri.

Quid alij dicāt, & quòd nullius sit ponderis.

SED sunt nonnulli qui præterea censent addendum esse, ad potestatem frustrandi voluntatem diuinam non sufficere potestatem omittendi actum, quem Deus vult fieri, sed requiri potestatem omittendi actum, quem Deus vult nō posse omitti. Sed hoc facile repellitur & reijcitur ex præcedente distinctione: Quia licèt illud requiratur vt iam actu esset irrita Dei volitio: nihilominus vt irritari possit euidens est satis esse si possimus non facere quod prædefinitum est manente prædefinitione in sensu composito: Quia non facere actum prædefinitum manēte prædefinitione, est frustrare prædefinitionē, & non est intelligibilis alius modus, quo voluntas efficax siue creata, siue increata frustrari possit: ergo posse non facere actum prædefinitum manente prædefinitione est posse frustrare prædefinitionem.

Aliter alij dicunt.

SOLENT aliqui Theologi dicere posse concedi, quòd potest homo facere aliquid ad quod si ponatur in esse, sequitur quod Deus nō præsciuit neque voluit illud fore: Nam Petrus potest damnari, & si ponatur in esse Deus nunquā præsciuit neque voluit illum saluum esse efficaciter. Et si ponatur in esse quod Petrus nō peccet, sequetur quòd Deus nunquam sciuit Petrū peccaturum. Et pari modo Petrus potest mori in peccato impœnitentiæ, quod si in eo moriatur tūc faceret aliquid ex quo sequeretur quod Deus nunquam præsciuerit Petrum esse saluandum, de qua re diximus multa. 1. par. quæst. 14. art. 13. disput. 6. ad 2. & 3. Gregorij Arimin.

Pro veritate notandū.

SED vt præcedens solutio & responsio magis explicetur, addendum est id quod frequenter inculcatur à Theologis, nimirū actum prædefinitū in sensu composito præsuppositā prædefinitione Dei, dici necessariū ex suppositione: Cæterū esse liberū in sensu diuiso: ac proinde simpliciter esse liberum, quia præcisa prædefinitione voluntas potuisset illum actum non elicere: & quia necessitas in sensu cōposito nō tollit libertatem: atque in idem reddit distinguere necessitatem consequentiæ & consequētis, necessitatem conditionis, & absolutam, & similes, quas Theologi hoc loco adducunt. Ita respondet Sanctus Thom. 1. part. quæst. 19. art. 8. ad 1. & 3. contra Gentes, ca. 94. D. Bonauen. in 1. dist. 49. art. 2. quæst. 5. Ricardus in 1. distin. 48. art. 1. quæst. 1. Hæc tamen doctrina ita generaliter, & inuolutè accepta adhuc patitur difficultatem: Quoniam vel assumit hoc generale principium, nulla suppositio aufert libertatē, quamuis ex ea necessariò inferatur actus, vel tātum modo vult aliquam suppositionē esse eiusmodi, vt non auferat libertatem, quamuis ex illa necessariò sequatur actus. Primum est prorsus falsum: Quia plures sunt suppositiones, quæ libertatem auferunt: Nā Deus, vt supponimus, potest si vult necessitare voluntatem nostram ad actum bonum, vt si vellet mouere eam sine modo libero eius, tunc enim aufertur libertas, & tamen nō aufertur nisi ex suppositione quòd Deus id ita velit, & ex suppositione diuini decreti id ita decernentis, atque adeo ex suppositione influxus Dei omnino necessitātis & mouentis voluntatē absque modo libero eius: quare illa necessitas est in sensu composito. Rursus amor Dei in patria non est liber, & tamen est necessarius ex suppositione visionis infiniti boni, qua suppositione sublata amor ille, vt in via foret liber. Vel si dicas secundum, nimirum aliquam esse suppositionem quæ libertatem neq; lędat, neque auferat, quamuis actum necessariò inferat, tunc diminuta videtur esse solutio, & doctrina eius, quia non explicat quæ suppositio libertatem auferat, quæ vero relinquat, & quæ sit ratio discriminis. Nam si suppositio omnino antecedat consensum voluntatis, & non ponatur dependenter à libertate eius, tunc ea suppositione facta nihil restat, in quo sit libertas circa omissionem actus, suppositione manēte, cum suppositio à libertate non pendeat, & actum voluntatis necessariò inferat: ergò cum Dei prędefinitio nullo modo præsupponat actū præuisum vt futurum, neque propterea Deus prædefiniuerit illum, quia præsciuit esse futurum, sed potius e cōtra: sequitur quòd actus infallibiliter erit necessarius, quia Deus prædefiniuit.

Plures sunt suppositiones quæ libertatem auferunt, quāuis aliquæ non ita.

EXPLICARI & confirmari potest ratio hæc. Nam ad libertatem requiritur, vt positis omnibus requisitis ad operandum, voluntas possit operari & non operari: sed vnum ex requisitis est voluntas diuina de præbendo concursum & auxilium: ergo si illa posita non est potestas abstinendi ab actu, non manet libertas. Ex his volunt auctores oppositæ sententiæ repellere sententiam & doctrinam D. Thomę, & exempla quæ in hac parte adduci solent pro doctrina scholæ S. Thomæ. Dicunt enim discipuli S. Thomæ actionem voluntatis esse liberam, quamuis non possit non esse ex suppositione, quòd voluntas se determinauerit ad illam: Et electionem medij vnici ad finem esse liberam, quamuis non possit non esse suppositā intentione finis. Ad hoc respondent non aliam esse determinationem ad actum liberum nisi ipsummet actum liberum: Quare dicunt idem esse dicere actum liberum non posse non esse ex suppositione, quòd voluntas se determinauerit ad illum, atque dicere, actus liber ex suppositione quod est, necessariò est: Vnde sicut suppositio est libera, ita quod sequitur ex suppositione est liberum, quamuis consequentia sit necessaria. Et pari ratione quando medium vnicum eligitur, ideo libera est electio, quia in eodem instanti libera est intentio finis, & liberè possumus illam deponere, quæ si necessariò permaneret, electio non esset libera.

Actio volūtatis est libera, quamuis non possit non esse ex suppositione quòd voluntas se determinauerit ad illam.

S. Thomas D. Bonauē tura. Ricardus.

Posteriora necessitatẽ habent à prioribus secundùm modum priorum.

SED nihilominus prædicta doctrina D. Thomæ, & solutio difficultatum quæ per eam assignatur, præter quam quod est D. Thomæ, est etiam grauissimorum Theologorum: & potest ita commode intelligi, vt cum prædefinitione non sit compossibilis moraliter omissio actus prædefiniti, quamuis sit physicè compossibilis in sensu composito: Quã rem vt intelligas aduerte, quòd posteriora habent necessitatem ex prioribus secundùm modum priorum. Vnde illa quæ fiunt à voluntate diuina, talem necessitatem habent, qualem Deus vult habere. Cum autem Deus velit vt quędam res habeant conditionalem necessitatem, & non absolutam, fit vt ea simpliciter sint libera, ita sensit S. Thom. 1. part. quæst. 19. art. 8. ad 3.

VNDE aduersariorum argumenta & obiectiones nihil concludunt contra scholã S. Thomæ: Primò, quia suppositio voluntatis diuinæ in bonis operibus quæ fiunt ad extra, quam ab æterno habuit, non potest impediri, quin facta fuerit ab æterno: & nihilominus operationes meritorię & supernaturales, quarum volitio æterna præcessit antecedẽter ad nos, liberè fiũt & exercentur. Omnia enim bona quæ fiunt & erunt Deus vult & voluit fieri: ergò si suppositio huius voluntatis ab æterno statuta non fuit in potestate nostra: sequitur, quòd omnia bona eueniunt ex necessitate, & sic perit liberum arbitrium, & ex hoc constat, quòd voluntas Dei quæ supponitur tanquam vera suppositio, sine qua opera nostra minimè fierent, nullo modo aufert libertatem nostram: Aliàs cum voluntas Dei sit causa rerum omnium quę fiunt, & Deus vult fieri, si voluntas eius imponeret rebus volitis necessitatem, tunc omnia ex necessitate euenirent, & periret liberum arbitrium. Quo circa cum D. Augustinus in Enchiridio, cap. 103. dixit *Nullum fieri saluum nisi eum, quẽ Deus saluari voluerit: & quod idcirco rogandus est vt velit, quia necesse est fieri si voluerit*. Per illud verbum necesse est fieri, intelligenda est apud D. Augustinũ non quidem necessitas absoluta in rebus volitis à Deo, sed conditionalis. Necesse est enim hanc conditionalem veram esse: Si Deus hoc vult, necesse est hoc esse: quia ex hoc ipso quod Deus aliquid vult, non solum fit id quod vult fieri, sed etiam fit contingenter libere vel necessariò, sicut ipse voluit & decreuit vt fieret: quæ doctrina est D. Thomæ. 1. part. quæst. 19. art. 8.

D. Augus.

Diuina voluntas non est suppositio necessitans ad opera.

ET ex his constat, diuinam voluntatem & prædefinitionem non esse suppositionem necessitãtem ad opera: imò verò sentiendum est actiones humanas contingenter & liberè prodire, propter efficaciam voluntatis diuinæ. Cuius rei rationẽ assignat S. Thomas loco citato. Nam si aliqua causa est efficax ad agendum, tũc effectus consequitur causam: non tantum secundùm id quod fit, sed etiam secundùm modum fiendi. Cum ergò diuina voluntas sit efficacissima, non solùm sequitur, quòd fiãt ea quæ Deus vult fieri, sed quòd eo modo fiant, quò Deus ea fieri vult. Vnde quibusdam operibus & effectibus Deus aptauit necessarias causas cum modo necessario agendi, ex quibus effectus necessarij prodirent: quibusdam verò aptauit causas liberas & contingentes cum modo libero aut contingenti, ex quibus prodirent effectus liberi & contingentes. Ex quibus etiam constat, quòd effectus voliti à Deo, non dicuntur contingenter euenire: quia præcisè proximæ causæ sunt contingentes, sed propterea, quia Deus voluit eos contingenter euenire, contingentes causas ad eos præparauit. Vnde sua prædefinitione præparauit liberum arbitrium cum modo libero eius, & præparauit auxilia congrua & alta, quæ suauiter & efficaciter & efficienter traherent voluntatem cum modo libero eius, & cum quadam cõnexione liberi vsus voluntatis, non cum dependentia causæ, sed cum dependentia connexionis auxiliorum cum libero vsu arbitrij humani, quæ est dependentia connexionis concomitans. Et ideo liber vsus à Deo pendet: Deus tamen non dicitur proprie loquendo dependere, quamuis velit habere connexionem cum aliquo & illi suum tribuere auxiliũ & influxum vt aliquid fiat. Suppositio igitur diuinæ prędefinitionis non necessitat, quia ponitur à Deo simul cum connexione libertatis, & liberi vsus voluntatis humanę, Itaque sufficit quod suppositio ponatur simul, & concomitanter cũ connexione consensus ipsius voluntatis: seu simul cum dispositione eiusdem prædefinitionis, quæ supponitur vt disponens liberum vsum & consensum arbitrij nostri per auxilia congrua, alta, efficacia, & suauia, vt à Deo disponuntur in suo diuino decreto: Quod si hoc dicas dependere à libertate volũtatis nostræ: id est fieri, disponi, & prædefiniri à Deo cum ordine ad libertatem arbitrij nostri, seu cum habitudine, & cõsideratione ad liberum vsum & consensum, id quidem dicimus, & id affirmamus, includi in illa prouidentia perfecta & exacta Dei, & suorum decretorum: sed hoc nõ est Deum à nobis pendere: sed potius est Deum perficere & disponere omnia suauiter, & velle conseruare, & statuere seu prouidere de modo agendi conueniente voluntati nostræ, & modo libero eius & in hoc voluntatem nostram pendere à Deo.

Et si bonæ nostræ actiones prædefiniantur à Deo cum ordine ad libertatem arbitrij: ipse non dependet à nobis, sed in hoc potius disponit omnia suauiter.

PRAETEREA optimè explicatur aliquam esse suppositionem quæ libertatem non auferat neque libertatem lædat, quamuis actum infallibiliter inferat: Nam si suppositio includit habitudinem cum connexione ad libertatem voluntatis, & ad consensum eius, ex vi dispositionis inclusæ in eadem suppositione, tunc minimè aufertur libertas, sed potius stabilitur à suppositione illa, vt constat in casu de quo loquimur. Rursus suppositiones quæ fiũt diuinarum prædefinitionum, seu decretorum Dei, quatenus includunt dispositionem mediorum in ordine ad exercitium libertatis nostræ, inferũt actum & consensum liberum: & in hoc sensu dicuntur pẽdere à libertate, quatenus diuina prę-

Quæ suppositio libertatem non lædat.

definitio & si non supponat actum præuisum vt futurum, tamen in eodem decreto statuit futurum, & cernit euenturum, vt ipse disponit, & cum his auxilijs: & tunc obiectum quod disponitur ab hac diuina prædefinitione vt eueniat, est ipse liber consensus voluntatis nostræ.

NEQVE est simile de amore Dei in patria, qui non est liber ex suppositione visionis infiniti boni per lumen gloriæ: quia in illa visione aufertur modus liberæ agendi voluntatis, quæ operatur cum conferentia & collatione intellectus, & sine iudicio infixo à natura, & circa obiectum quod non habet omnem plenitudinem bonitatis: Sic enim talis suppositio à libertate non pendet; sed potius necessitat ad actum, quia aufert modum liberum agendi.

Soluitur ad aduersariorũ obiectio.

VNDE constat non valere aduersariorum obiectionem cum ita argumentantur: Ad libertatem requiritur vt positis omnibus requisitis ad operandum voluntas possit operari & non operari: sed vnum ex requisitis est diuina voluntas disponens & statuens actum euenturum, estque Dei decretum de præbendo concursum & auxilium: ergo si posita illa diuina voluntate non est potestas abstinendi ab actu non manet libertas. Respondetur, quòd quando in illa diuina voluntate disponente & decernente prædefinitiuè, statuitur artificiosè modus libertatis in consentiendo cum potestate libera abstinendi ab actu, & nihilominus cũ infallibili certitudine mediorum ad ipsum actum euenturũ, tunc vere manet libertas. Præterea quis dixit, quòd diuina voluntas absoluta & efficax de bonis operibus prædestinatorum, cum sit suppositio antecedens merita præuisa eorum, quam ponere vel repellere à Deo, non fuit in potestate nostra? quod hæc auferat libertatem? aliàs cum omnia sint & prodeant ex diuina voluntate præsupposita sequeretur, quòd omnia necessariò euenirent, quod dici non potest, vt egregie explicuit Sanctissimus Præceptor. 1. part. quæst. 19. art. 8. vbi proponit hoc argumentum quod est tertium in ordine. *Illud quod habet necessitatem ex priori est necessarium: sed res creatæ à Deo comparantur ad voluntatem diuinam sicut ad aliquid prius: ergo omne quod Deus vult sequitur quod est necessarium, cum hæc conditionalis sit vera: Si aliquid Deus vult illud est: omnis autem conditionalis vera, est necessaria: ergo, &c.* Respondet D. Thom. *Ad tertium dicendum: quòd posteriora habent necessitatem à prioribus secundum modum priorem: Vnde & ea quæ fiunt à voluntate diuina talẽ necessitatem habent qualem Deus vult ea habere. scilicet vel absolutam vel cõditionalem tantũ. Et hic non omnia sunt absolutè necessaria.* Vult ergo S. Thomas contingentiam & vsum liberum etiã prouenire ex artificiosa dispositione Dei & modificatione primæ causæ in genere efficientis: & idcirco in fine corporis articuli concludit per hæc verba. *Non igitur propterea effectus voliti à Deo eueniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes: sed propterea quia Deus voluit eos contingenter euenire, contingentes causas ad eos præparauit.* Caietanus in comẽtario reddit causam huius doctrinæ dicens cum S. Thoma, hoc prouenire ex efficacia diuinæ voluntatis. Quia nimirum effectus consequitur causam efficacem non tantum secundùm id quod fit, sed etiam secundùm modum essendi vel fiendi: ergò ea quæ Deus vult fieri, sortiũtur à voluntate sua, non solum quod fiant, sed etiam modum, quo vult, quod sint, & fiant: & ex hoc adaptauit causas & media, vt effectus sint quidam necessarij, & quidam liberi & contingentes: ergo non imponit omnibus volitis necessitatem voluntas diuina: quia tantæ efficaciæ est, vt fiant res etiam quomodo vult.

Argumentum & solutio, quæ adducuntur ex D. Tho.

Caiet. explicat D. Thomæ doctrinam.

EX qua doctrina satis apertè colligitur quòd ea quæ fiunt, disponuntur & ordinantur à diuina prædefinitione & voluntate ipsius, talẽ necessitatem habent & cõtingentiam qualẽ Deus disponit & vult habere: cũ igitur Deus velit, & disponat vt quędã res habeãt cõditionalẽ necessitatẽ & non absolutã, fit vt ea simpliciter sint libera: quod dixit S. Thomas locis citatis, præcipuè cum dixit posteriora habere necessitatẽ ex prioribus secundùm modum priorum. Vnde rationabilis valde est responsio frequenter repetita à grauissimis Theologis vt à nobis explicata est supra, nimirũ actum prædefinitum quatenus in dispositione prędefinitiua traditur modus liberè operandi cum medijs ad id aptatis esse liberum, licèt in sensu composito suppositа prædefinitione illa dicatur infallibilis & infallibiliter euenturus ex necessitate suppositionis prædefinitiuæ, vt explicatum est supra. Potest etiam commodè intelligi doctrina grauissimorum Theologorum, vt cum prædefinitione & decreto Dei non sit compossibilis moraliter omissio actus prædefiniti, quamuis sit physicè cõpossibilis in sensu composito vt etiam auctores oppositæ sententiæ probabile esse censent & rationabile valde in quo eis assentimur.

Obiectio ex mente D. Thomæ ab aduersarijs opposita.

SED contra discursum doctrinæ traditæ ex schola discipulorũ D. Thomæ, imò verò ex mẽte & sensu illius opponunt & obijciunt auctores oppositæ sententiæ: Quod licèt verissimũ sit, illa quæ Deus vult esse necessaria, seu necessariò futura, non alio modo nisi quò Deus vult esse necessaria, nihilominus tamen Deus non vult contradictoria simul esse: Sed decretum efficax producendi hunc actum hic & nunc, & voluntas vt hic actus non sit necessariò simpliciter, sed tantum conditionaliter, sunt duæ voluntates quæ ex parte obiecti repugnare videntur, & ideo nisi prius hæc obiecta concilientur inter se, scilicet infallibiliter esse actum, & posse non esse non satisfacit principium illud certissimum. Respõdetur. Fateor quod Deus non vult contradictoria simul esse: sed hæc non sunt contradictoria, nimirum dispositio & ordinatio diuinæ voluntatis artificiosæ de causando & efficiendo actu libero à voluntate creata eliciendo. Et illę duæ võluntates non repugnant ex parte obiecti, quia cum dispositione & ordinatione diuina de effi-

Solutio.

Quod non sunt contradictoriæ ista propo-

cien-

sitiones nec ex eis inferatur: Deus efficaciter vult hunc actum fieri, & Deus vult quod hic actus nõ sit necessarius.

ciendo actu libero, stat bene actum illum liberum à Deo prædefinitum infallibiliter euenturum, quamuis in ipsa potentia voluntatis re vera maneat physica potestas ad omissionem eiusdem actus. Itaque decretum efficax Dei producendi hunc actum liberum hic & nunc à voluntate libera eliciendum cum conferentia & collatione seu modo eius libero non opponitur volũtati, quæ vult, vt hic actus non sit necessarius, aut huic, quod hic actus non sit necessariò simpliciter, sed tantum conditionaliter: Quia in illo decreto efficaci producendi hunc actum artificiosè, & cum modo libero eius, potius includit voluntatẽ illam, qua Deus vult vt hic actus non sit necessariò simpliciter, & duæ istę voluntates ex parte obiecti non repugnant: Quia vt dictum est hoc obiectum volitum cum modo libero eius, potius inuoluit quòd non sit necessariò simpliciter à voluntate eliciendus, sed cũ libertate & potestate physica ad oppositum. Vnde actus ille potest dici solùm necessarius, non quidem necessitate opposita libertati, sed in quantum subest prædefinitioni infallibili Dei.

Voluntatẽ Dei efficacem frustrari non posse verisimũ esse contra quosdam defenditur.

Svnt nonnulli, qui pressi argumentis superius factis audent concedere voluntatem Dei efficacem, qua prædefinitur actus liber, frustrari posse, veruntamen euidens est nunquam fore frustrandam. Quod si illis obijcias: imperfectionem esse voluntatis diuinæ, qnamuis frustranda non sit, dari tamen aliquam potentiam in nobis qua frustrari possit. Respondent id esse imperfectionem quando Deus vult nullam omnino potentiam relinquere, qua frustrari possit volũtas eius, veruntamen quando vult manere potestatem aut potentiam ad frustrandum, tunc dicunt quod non est imperfectio si frustrari possit: vt constat in libero arbitrio creato defectibili prędestinatorum, de quibus multa bona merita & supernaturalia opera decreuit Deus euẽtura cum potestate libera eorundem hominum qua possent deficere & nõ agere illa. Sed nihilominus prędictus modus respondendi difficilis esse videtur propter modum loquendi Patrum, qui plerunque dicunt, voluntatem diuinam de nostris actibus liberis indeclinabiliter & insuperabiliter impleri. Ita Ruardus Tapper, art. 7. contra Luterum & alij plures cum eo sentiunt moti ex sententia & verbis D. Augustini. Rursus hoc videtur repugnare quibusdam Theologis Scholasticis superius citatis: Nam omnes supponunt frustrationem repugnare efficacivoluntati Dei, quòd si repugnat, non est possibilis, imò hoc ex terminis videtur euidens.

Ruardus Tapper.

Si diuina volũtas frustrari posset sciẽtia eiũ Dei posset decipi, quod est absurdũ.

Ratione autem hoc probari potest, quia si efficax voluntas Dei frustrari posset, pari ratione scientia diuina posset decipi, quamuis sit euidens nunquam esse decipiendam: sicut euidens est efficacem voluntatem nunquam esse frustrandam: sed manifestam contradictionem implicat scientiam diuinam posse decipi: tum quia hoc non liberatur ab imperfectione, ex eo quòd Deus velit, quod eius scientia possit decipi, quia esset velle rem absurdissimam, & quia certitudo scientiæ diuinæ non pendet à libertate diuina, tum etiam quia quando euidens est scientiam de facto nunquam esse decipiendam ex vi eiusdem euidentiæ, est euidens non posse decipi: Si enim ex secunda euidentia, quod non sit de facto decipienda potuisset decipi non esset certa euidentia. Quòd autem sequatur diuinam scientiam posse decipi si efficax Dei volũtas potest frustrari: inde probatur, quia voluntas efficax Dei dum decernit à nobis fieri actũ liberum, ducitur à sapientia & prouidentia atq; prudentia eius, quæ dictat faciẽdum esse actum à voluntate nostra si talibus medijs Deus vtatur. Vnde si actus quia potest non fieri in sensu composito, frustrare potest voluntatem diuinã, potest etiam falsam reddere scientiam. Tãdem potest hoc confirmari: quia si possibile est frustrari Dei voluntatem efficacem, ponatur ergo in esse: iam tunc non erit efficax voluntas: ergo non est possibile voluntatem efficacem frustrari: etenim id quo posito voluntas necessariò debet non esse efficax contradictionem implicat cum efficaci voluntate: vnde non solum eius actualis existentia, sed etiã eius possibilitas excluditur. Sed profectò hæc maiori indigebant discussione & examine, quia certum est hominem ratione liberi arbitrij manere in operibus eius etiam bonis & supernaturalibus cum indifferentia libertatis, seu cum potestate ad oppositum: ac proinde ex parte liberi arbitrij posset efficere & oppositum facere. Et idcirco hæc vberius tractanda sunt alibi: interim relinquo illa disciplinatis ingenijs & modestis.

Quidam eodẽ modo conciliant libertatẽ nostrã cum prædefinitionibus quo cũ sciẽtia visionis.

Video quosdam viros, alias peritos, qui nituntur cõciliare libertatem cum prædefinitionibus eo modo, quo plures conciliant libertatẽ cum scientia visionis: dicunt enim quòd sicut visio futurorum supponit futuram existentiam illorum, & propterea illorum libertatem non minuit, quia si non essent futura, non scirentur esse futura: ita prędefinitio diuina non minuit libertatem, quia supponit futuritionẽ infallibilẽ illorum actuum infallibilium. Vnde si admittatur hypothesis, quòd actꝰ prædefinitus nõ existeret, ex hac hypothesi nõ colligitur diuinam prędefinitionem frustrari, sed potius colligitur non extitisse in Deo talem prędefinitionem: Huic modo dicendi videtur fauere Anselmus tractatu de concordia prædestinationis cum libero arbitrio, cap. 2. dum ait prædestinationem eodem modo conciliari cum libertate, sicut ipse prius conciliauerat præscientiam, nimirum quia actus prędefinitus non est necessarius necessitate antecedente, sed necessitate consequenti.

Qvòd si interroges quo pacto prædefinitio supponat futuritionẽ infallibilem actuum, qui prędefiniuntur: Respondent, quia prędefinitio supponit pręscientiam, qua Deus certò scit quid voluntas infallibiliter faceret, si constitueretur in his circũstantijs: Hæc autem prę-

scientia supponit futuritionem conditionalem

actionis liberæ, sicut scientia visionis supponit futuritionem absolutam. Qui modus dicendi coincidit cum alijs citatis.

Triplex futuritionis ratio, & q̃ nulla profit ad conciliandam libertatem cũ prædefinitionib⁹ probatur.

HANC solutionem minimè satisfacere constabit, si prius distinguamus triplicem futuritionem. Prima est futuritio absoluta, & hanc apud omnes constat non præsupponi ante prę definitionem, vt ostendimus plerisque in locis superius. Secunda futuritio est ex suppositione, seu conditionalis, sine vlla tamen connexione, sed prorsus dissoluta: & hanc nihil esse nihilque prodesse insinuauimus supra. Tertia futuritio propria huic instituto apud Auctores oppositæ sententiæ, est ratione cuius actus liber virtualiter continetur in voluntate, & illius circunstantijs, infallibiliter, & moraliter determinantibus ad illum actum.

QVOD igitur hæc futuritio supponatur à prædefinitione nihil conducit ad libertatem propugnandam, nisi amplius aliquid dicatur: & ratio est, quia hanc futuritionẽ suppoeni, non est supponi existentiam actus in se ipso, sed tantùm est supponi virtutem essentialem voluntatis, & circunstantias rei, & connexionem, quam habent cum actu, & actus cum illis, quæ existentia actus in causa non est libera vt aliqui volunt, sed necessaria, & propterea quamuis hæc supponatur, non liberatur à necessitate existentia actus in se ipsa, quæ sola libera est & necessariò infertur ex prędefinitione. Et cõfirmari hoc potest: Primò, quia quòd cognoscitur in causa determinata ad effectum non cognoscitur in se ipso, & in propria existentia, sed actus hi infallibiles vt conditionaliter futuri cognoscũtur in causa moraliter determinata: ergo nõ supponitur eorũ existentia in se ipsis. Cõfirmatur secundò, quoniam scientia conditionalium propositionũ quæcunq; fit siuè infallibilium, siuè dissolutarũ, si conceditur debet esse scientia prorsus necessaria, & illi voluntati libera, vt insinuatur in disputatione de scientia contingentium: ergò quamuis ea scientia supponat futuritionem conditionalem inde nullam contrahit indifferentiã, ac proinde nihil proderit vt futuritio absoluta libera maneat. Confirmatur tertio: Quia conditionalis futuritio quæ à Deo cognoscitur est propositio perpetuæ veritatis, quæ nunquam potest esse falsa: ergò quod hæc supponatur nihil fauet libertati: Quocirca prædefinitio diuina solum supponit possibilem futuritionem, & possibiles omnes dispositiones, quas Deus potest velle si ipsi placuerit, in diuersis ordinibus possibilibus ex infinitis quos Deus cognoscit, & quos potest ipse ad extra facere sicut voluerit, & mente decreuerit, & conceperit vt prodeant, & hęc suppositio possibiliter futurorũ quæ præsupponitur diuinis decretis, & prædefinitionibus, non obstat libertati, vt alibi ostendimus: sed potuis iuuat, & ea futuritione possibili posita, Deus volens se communicare, Mundum atque Angelos creare, vt operẽtur bene decreuit omnia disponere, mente tractare, vt exterius prodirent iuxta modum conuenientem libertati hominum, & Angelorum, cui non officit suppositio futuritionis possibilis.

Confirmatio prima.

Secunda.

Tertia.

EX dictis de diuina prædefinitione constare potest, qualiter non repugnet libertati operum, & qualiter etiam per scientiam mediam, quam Auctores oppositæ sententiæ constituunt, non saluatur libertas: quoniam scientia illa conditionata non supponit existentiam liberam actus. Rursus etiam scientia media non solùm non supponit libertatis exercitium actu, & absolutè existens, sed etiam quamuis scientia ista media supponat futuritionem conditionalem, inde nullam contrahit indifferentiam, ac proinde nihil proderit, vt futuritio absoluta libera maneat. Quare si Deus suo decreto, & dispositione prædefinitiua voluntatis suæ, non decerneret in particulari quidquam de operibus bonis præcipuè supernaturalibus, non apparet quomodo per scientiam illam mediam sciret infallibiliter, quid determinatè actura esset voluntas in tali ordine, aut serie rerum, in quibus nulla efficacia mediorum, aut auxiliorum physica reponeretur, nam certè ex indifferentia illa voluntatis cum circunstantijs occurrentibus solum posset coniecturaliter cognosci quid actura, & operatura esset, maximè in ea sententia quæ docet ad saluandam libertatem voluntatũ Deum expectare voluntates nostras vt velint, ad hoc vt Deus ipse influat. Nam cognita voluntate quatenus est libera potentia, & indifferens in tali serie, & ordine rerum cum talibus circunstantijs medijs, & motiuis præcisè moralibus: vel Deus cognoscit actum liberum in ipsa voluntate, quę alias est indifferens in illo ordine rerum, & tunc talis cognitio non excedit scientiam coniecturalem, ob id quod talis scientia non esset omninò infallibilis cui falsum subesse non potest: vel cognosceret actum liberum in se, hoc est determinatione iam facta ipsius voluntatis, & hoc est cognoscere rem in se ipsa: Quo fit, quòd cum scientia illa conditionata, nullum libertatis exercitium absolutè, & actu existens supponat simpliciter, non saluet libertatem, neque quidquam conducat ad diuinam prædefinitionem. Cùm ergo omnes ordines, & series rerum possibilium, & omnes dispositiones, & prędefinitiones possibiles & imaginabiles, prę cognoscantur à Deo, ex illis Deus potest mente cogitare, & voluntate statuere, quas ipse voluerit, prout placuerit sibi, eas ita ordinando, cum habitudine ad futuritionem, & executionẽ veram. Ad hæc autem omnia sufficit quod supponatur antecedenter ad hanc prædefinitionẽ actualè scientia illa perfectissima simplicis intelligentiæ, in qua continetur, omnis dispositio prædefinitiua excogitabilis, quã Deus potest mẽte tractare: vt interpore fiat à secũdis causis, & à libero arbitrio, q̃ creare potest, & mouere in hoc ordine rerũ & mediorũ. Sicq; fiet vt infallibilis sit actus liber ad extra, nõ quidẽ infallibilitate fundata in determinatione potẽtiæ determi-

Quòd prædefinitio non repugnet libertati, & quòd non conciliẽtur per scientiã mediam clarè proponitur

Antecedenter ad actualẽ Dei prædefinitionẽ non supponitur nisi scientia simplicis intelligentiæ.

natæ ad vnum tantum, more pecudum, aut causarum mere naturalium, sine vllo vsu libertatis aut sine vlla indifferentia, & potestate ad oppositum, aut sine conferentia, & collatione, & attentione ad obiectum minimè necessitans voluntatem, sed infallibilitate fundata in dispositione suaui, & forti diuinæ prædefinitionis, quæ supponitur fieri à Deo cum connexione libertatis, & liberi vsus voluntatis humanæ: quæ prædefinitio supponitur vt disponens liberum vsum, & consensum arbitrij nostri futurum, per auxilia alta efficacia congrua, & suauia, qua ratione huiusmodi prædefinitio fit cum quadam habitudine ad liberum consensum euenturum; & id affirmamus includi in illa prouidentia perfecta, & exacta Dei ab eo cognita, & mente tractata: & hoc est non quidem Deum à nobis pendere: sed è conuerso Deum perficere, & disponere omnia suauiter, & efficaciter: & nos ab eo pendere.

Digressio pro libertate operum, ad maiorem explicationem eorum quæ scripta sunt.

Occurrunt & proponũtur nouæ difficultates circa libertatis vsum, & circa alia, quæ dicta sunt.

QVONIAM ea quæ diximus, etsi vera sint, nihilominus difficultatem suam habent, præsertim apud aduersarios, idcircò rem hanc amplius aperire volui, & difficultates occurrentes magis explicare. Est enim præcipua difficultas circa vsum libertatis propter prædefinitionem actionum humanarum etiam supernaturalium, quo nam pacto sint liberæ, si à Deo sunt prædefinitæ antecedenter ad præuisionem operum. Rursus etiam est difficultas circa propositionẽ illam à nobis superius allatam, vt nostram ostenderemus sententiam de actibus liberis Christi, quo loco supponimus prædefinitos fuisse à Deo, & nihilominus fuisse liberos. Præterea etiam est insignis difficultas de consensu Beatissimæ Virginis ad Filij eius conceptionem, de quo sine dubio censemus non solùm fuisse liberum, sed etiam fuisse à Deo prædefinitum, atque adeò prædefinitionem diuinam non læsisse libertatem eius, neque factam fuisse sub conditione cognita perscientiam illam mediam. Tandem difficultas proposita vrgeri potest de voluntate Christi humana, quo pacto potuerit esse libera, supposito quòd erat impeccabilis ex vnione, & supposito quòd Christus habuerit præceptum à Patre sese offerendi in holocaustum pro redemptione generis humani. Quæ sanè difficultates obscuræ sunt, nihilominus ex diuina Theologia habent explicationem & responsionem.

Primum dictum in hac digressione.

VERVM vt rem hanc aperiamus, & etiam vt separemus certa ab incertis. Dico primò. Christi Domini voluntatem humanam in actibus suis fuisse perfectè ac propriè liberam, & non tantum fuisse liberam à coactione, sed etiam à necessitate, atque adeò inuoluere, & habere potestatem agendi, & non agendi seu operandi, & non operandi. Hæc assertio quatenus dicit Christum in actibus suis habuisse propriè libertatem, & voluntatem eius fuisse verè liberam, est credenda de fide. Probatur Isaiæ. 53. *Oblatus est quia ipse voluit*: Qui locus de oblatione libera facta à Christo explicatur à Sanctis Patribus. Adde etiam illud Ioannis. 10. *Ego pono animam meam, nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso.* Quo loco Diuus Cyrillus adducit locum Isaiæ citatum, & fusè agit de libertate Christi Domini & Diuus Hieronymus super Isaiam ait. *Non necessitate, sed voluntate crucem subijt.* Vbi Hieronymus illam Christi voluntatem necessitati opposuit. Diuus Chrysostomus Homilia 59. super Ioannem ex verbis Euangelistæ citatis intulit Christum habuisse liberam facultatem vitandi mortem. Diuus Thomas tertia parte quæstione 18. articulo 4. vt probet in Christo fuisse liberum arbitrium, & vsum libertatis adducit illud Isaiæ. 7. *Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*; Quod est actus liberi arbitrij: & hoc modo exponit hunc locum Diuus Basilius. Denique Sacra Euangelia passim explicant libertatem Christi Seruatoris nostri: imò verò in plerisque locis fit mentio de obedientia, & de præcepto quod Pater imposuit Christo: Voluntas verò non dicitur esse capax præcepti, & obedientiæ nisi libera sit: ergò. Accedit etiam, quòd Concilia generaliter determinant in Christo Domino fuisse omnes proprietates naturales, & etiam propriam operationem naturæ humanæ, quarum vna est liberum arbitrium: est enim maximè propria homini operatio rationalis libera. Rupertus Abbas libro, 6. in Ioannem circa locum citatum Ioannis. 10. Sic ait: *Cum Christus dicat potestatem habeo ponendi, & non ponendi animam meam*: interrogat sic: *Quare ergo ponis pro omnibus animam tuam, cum potestatem habeas etiam non ponendi*. Diuus Augustinus ex eodem loco Ioann. libro 4. de Trinitate capite 13. ita colligit. *Qui potuit non mori si nollet, proculdubio quia voluit mortuus est*. Denique nullus est ex Patribus siuè Græcis siuè Latinis, qui non confiteatur Christum fuisse liberum, & habuisse vsum libertatis in operibus suis, etiam in operibus passionis suæ, & sese liberè obtulisse æterno Patri, quamuis habuerit præceptum ab eo moriendi pro redemptione generis humani.

Christ⁹ Dominus in suis actionibus vere & proprie habuit libertatem.

Isaiæ. 53.

Ioannis. 10

D. Hiero.

D. Chryso.

D. Thom.

D. Basili.

Rupertus Abbas.

D. Augus.

HOC licèt verissimum sit, tamen si supponamus Deum absoluta voluntate ante præuisionem operum suorum prædefiniuisse actus liberos voluntatis Christi, quos habiturus erat in discursu vitæ pro redemptione generis humani, quod possibile dubitari non potest. Imò verò de facto ita fuisse certum est. maximè vrget cõtrouersia, & difficultas proposita: Et ratio huius esse potest Nã Christus Saluator noster euidẽter videbat & intuebatur in Verbo

Maior difficultas circa libertatẽ operationũ Christi D. suppositaearum prædefinitione.

hanc

hanc diuinæ voluntatis prædefinitionem, cum anima Christi euidenter intueretur, & cognosceret illa omnia, quæ cadunt sub scientiam visionis, quam Christus habebat: ergò Christus intuebatur, & videbat semper in singulis occasionibus atque momentis quid esset consentaneum diuinę voluntati, & quid vellet Deus ipsum tunc operari: ergò verè cernebat, & intuebatur quid esset magis gratũ Deo, magisq; consentaneũ diuino amori: ergo necessario illud volebat. Non enim poterat velle recedere ab illa voluntate diuina cum videret se non posse efficaci voluntati Dei resistere: igitur volebat necessariò quidquid intuebatur, & cognoscebat prædefinitum esse à diuina voluntate vt Christus ipse illud vellet, & amaret.

Maxima difficultas circa eandem libertatem Christi ex præcepto eidẽ impoſito orta.

ADDE rursus argumentum quod nos sæpe sæpius prima parte quæst. 22. artic. 4. retulimus. Si præceptum volendi mortem imponeretur Christo determinatè cum omnibus circunstantijs, tunc actus ille moriendi prædefinitus ex præcepto obedientiæ Paternæ esset necessarius, & non posset esse liber: ac proinde non esset meritorius: ergò ex diuino præcepto suppoſito, seu ex diuina prædefinitione circa actus Christi aufertur libertas, & inducitur necesitas in operibus Christi. Probatur consequentia, nam posita suppositione seu hypothesi diuinæ prædefinitionis tollitur ratio indifferentiæ: ergò diuina prædefinitio auferenda est, si ratio libertatis debet manere in operibus Christi, & aliorum hominum.

Cõfirmatio

ET confirmari hoc potest: quoniam voluntas Christi ex vi vnionis erat determinata ad vnum, nimirum ad bonum, & ad obediendum Patri, & vt faceret determinatè quidquid ab illo prædefinitum est: ergò voluntas Christi ab intrinseco carebat potestate ad oppositum, ac proinde carebat indifferentia, & consequenter libertate.

HAEC argumenta postulant vt explicemus quo pacto cum prædefinitione operum Christi, & cum præcepto eorum stet libertas operum Christi, quibus nobis maximè meruit. Si enim ille actus, quo seſe obtulit pro nobis Deo Patri, fuit illi præceptus: ergo non potuit transgredi præceptum illud, quoniam hoc sequitur intrinsecè ex impeccabilitate, & idem videtur esse: non posse transgredi præceptum & non posse peccare: ergo non potuit non habere actum illum prędefinitum seu præceptum à Deo: quia aliàs non poſset non transgredi, præceptum: igitur erat omninò determinatus ad actum illum: & ad quemlibet prędefinitum & præceptum à Patre suo.

Dictum ſecundum. Christ⁹ D. habuit phyſicam poteſtatem aliquo modo non faciendi quod faciebat, & tamen peccare non potuit.

DICO secundò: Christus Dominus liberè agens ea quæ faciebat, ratione libertatis quam habuit, habuit etiam phyſicam potentiam seu poteſtatem aliquo modo non faciendi id quod faciebat, vel etiam faciendi aliquid aliud: sed nihilominus absolutè, & simpliciter neque potuit peccare, neque habuit potentiam peccandi, quamuis ratione libertatis vt diximus habuerit potentiam faciendi vel nõ faciendi: Itaque consideratis omnibus, quæ ad operationem liberam Christi concurrunt in ipso, non potuit esse peccatum vllum, ratione vnionis ex qua sequebatur tanquam sibi debitum regimen voluntatis, protectio etiam, & directio eiusdem voluntatis creatæ Christi Domini, quamuis ratione libertatis vt sic habuerit poteſtatem phyſicam non faciendi, vel faciendi aliud.

Poſsibile dupliciter dictum.

RES hæc explicari potest si aduertamus bifariam aliquid posse dici posſibile; vno modo ex sola denominatione à proxima potentia sufficienti ex se ad illud producendum: eò inquã modo quo actus aliquis dicitur esse posſibilis ex denominatione potentię ex se sufficienti ad eundem actum producendum: Altero modo aliquid dicitur esse posſibile non quidem ex sola, & præcisa denominatione à tali potentia, sed præterea etiam quatenus simul repellit, & excludit omne illud, cum quo talis effectus est incompoſsibilis, ita sane vt aliquid dicatur posſibile, quia simul adest potentia ex se sufficiens faciendi illud, & carendi omni alia re incompoſsibili cum eo.

Qua ratione fuerit poſsibilis Chriſto D. actus aut carentia eius, & qua etiam non.

QVO suppoſito posſibilis fuit in Christo carentia actus vel oppoſitum actus, præcisè inquam considerata ratione libertatis, & ratione potentiæ phyſicæ, nullo alio spectato, & hoc fuit satis ad libertatem non obstante præcepto extrinseco. At verò secundo modo, talis actus non fuit posſibilis, vel carentia; quoniam erat impoſsibile, vt in re ipsa componeretur talis actus vel carentia, cum vnione aut cum regimine quod ratione vnionis tribuebatur tali voluntati, neque poterat illo carere: quæ sanè posſibilitas requiritur ad potentiam peccandi: quoniam peccare poſse non tantum dicit potentiam phyſicam ad faciendũ actum, vel ad omiſsionem eius, sed vlterius includit potentiam proximam deficiendi, ita sanè vt accidere posſit nihil prorsus interuenire, quod talem potentiam in officio contineat, ita vt nunquam omninò deficiat: quod non potuit habere locum in Christo, in quo non fuit potentia proxima deficiendi, & in quo aliquid interuenit continens in officio voluntatem, ratione vnionis, ita vt nunquam posſit deficere, vt dictum est.

Quod doctrina aſsignata de præcepto locum habeat etiã in præ definitione

HAEC doctrina locum habet non tantum in diuinis præceptis liberè impletis à Christo, sed etiam in prædefinitione eorum à Deo facta quæ vt minimum per modum intentionis admittitur ab aduerſarijs. Quia iuxta veriorem sententiam illa Dei interna prædefinitio per modum intentionis neque repellit libertatem, neque lędit poteſtatem proximam faciendi oppoſitum: quamuis auferatur solùm poteſtas componendi in re actum oppoſitum cum prædefinitione illa, atque ita consideratis, & pensatis omnibus, solũ dicitur esse impoſsibilitas quædam ab extrinseco ad omne illud, quod repugnat tali prædefinitioni, vel quod inuoluit

compositionem illam, licèt non sit impossibilitas simpliciter ad actum nudè consideratum, hoc est in ordine ad suam potentiam proximam ex se consideratam: Quo fit vt optimè quadret in præsenti illa distinctio Theologorum de sensu composito, & diuiso. Nam quamuis absolutè, & simpliciter loquēdo Christus ita liberè operabatur, vt considerato modo intrinseco agendi, & operandi voluntatis suæ posset operari, & non operari: tamen ex suppositione diuinæ motionis & prędefinitionis infallibile erat talem actum esse operaturum, & ita in sensu composito, quantum ad duas de in esse propositiones non poterat aliud fieri: quia neque poterat diuina prædefinitio falli, neque aliud componi cum ea, neque cum tali diuina motione, ita vt essent istæ duæ veræ propositiones, hic: actus Christi est prædefinitus, & præceptus à Deo; & istemet actus non fit à Christo.

Distinctio de sensu cõposito & diuiso in præsenti ad aptatur optimè.

Ex qvibvs omnibus colligitur, vt si sermo fiat de libertate Christi simpliciter possit concedi quidquid indicat proprium modum operandi ipsius Christi, si non inuoluit aliquid contrarium dictæ suppositioni. Atque simpliciter est verum Christum Dominum liberè perfeciſſe actum, quo implebat præceptum, seu actum prædefinitum à Deo: quoniam ita illum operabatur, vt per facultatem propriam suæ voluntatis, quæ impedita non erat posset illum non agere. Simpliciter verò falsum est affirmare Christum potuisse peccare, vel non implere præceptum, quia in hoc includitur sensus compositus, & indicatur Christi voluntatem potuisse carere illa diuina custodia, seu illa diuina protectione sibi debita ratione vnionis, cum qua non potuit componi peccatum.

Dictũ tertium. Nõ habuit Christ⁹ D. præceptum de omnibus suis actibus

Dico tertiò: licèt dicamus Deum voluntate absoluta prædefiniuisse omnes actus voluntatis Christi in particulari: etiam cum omnibus circunstantijs, non inde colligitur Christum habuisse præceptum de vniuersis suis actibus in particulari, & in indiuiduo. Prima pars huius assertionis est de prædefinitione omnium actuum voluntatis Christi, & hoc est valdè rationabile, vt ex superioribus assertionibus satis constare potest. Rursus etiam hoc est magis conforme doctrinæ, & sententiæ D. Thomæ: Nam libr. 4. contra Gentes, capite. 36. affirmat Christum voluntate humana nihil voluisse, nisi secundùm quod eum velle voluntas diuina disposuit. Et hoc satis apertè indicauit Ioann. Euangelista capite 8. dicens *Quæ placita sunt ei facio semper*. Et tertia parte quæstione 21. articul. 4. asseuerat Christum secundùm voluntatem rationis nihil voluisse nisi quod sciuit Deum velle. Secunda pars assertionis, nimirum quòd non inde colligitur, hoc est ex prædefinitione actuum Christi, ipsum habuisse præceptum de omnibus actibus eius in particulari, probatur: Nam voluntas qua Princeps seu superior vult, & quasi intra se disponit, vt subditus aliquid velit, ex hoc præcisè talis voluntas non habet vim legis neque præcepti, etiam si nota sit aliunde ipsi subdito, vt egregiè docuit Sanctissimus Præceptor prima secundæ quæst. 90. Quo loco docet quod ad obligationem præcepti requiritur vt Princeps vel superior velit, & decernat obligare subditum, vel inferiorem ad aliquid agendum, & quod eam voluntatem intimet inferiori practicè, & imperando: vnde licèt superior vel Deus velit, & disponat vt ego aliquid faciam seu velim, non idcircò vult vt ex obligatione id faciam, aut velim: quia potest velle vt merè liberè, & sine obligatione vlla id faciam aut velim. Quo fit vt aliud sit Deum prædefinire actum meæ voluntatis, & aliud sit Deum velle me obligare ad illum actum.

D. Thom.

Ioannis. 8.

Non satis est voluntas superioris de aliquo faciendo, vt vim habeat legis: sed opus est vt decernat obligare subditũ intimando ei suam voluntatem.

Ex qvibvs constare potest explicatio, & solutio ad vnam ex difficultatibus propositis: Nimirum quòd quamuis Christus Dominus apertè cerneret Dei prædefinitionem circa suos actus, non tamen idcircò videbat aut intuebatur se teneri ex præcepto ad illos faciendos: imò verò cernebat, & intuebatur potius ex eadem diuina voluntate prædefinitum esse, & decretum vt quosdam faceret ex obligatione, quosdam verò sine illa, velut moderni dicunt, quasi ex consilio.

Dubium occurrens annexum, quo explicantur omnia. Et quo explicatur etiã quomodo cohereat libertas in Christo, currente præcepto de impletione alicuius actus.

Qvomodo autem Christi voluntas quæ necessariò Deum amabat, in reliquis actibus potuerit esse libera id explicatione indiget. In qua re quidam dicunt Christum Dominum non habuisse præceptum proprium charitatis amandi Deum: quia non indigebat tali præcepto, ex eo quod eius voluntas erat necessariò determinata ad hanc dilectionem. Nam etiam hac ratione alij Beati carent huiusmodi præcepto, ex eo quòd de necessarijs non constituuntur præcepta. Et inde fit, vt præceptum dilectionis Dei quod impletur in via per actum liberum charitatis pro statu beatitudinis non obliget: quoniam neque obligat ad actum necessarium vt dictum est, neque ad distinctum actum charitatis, quia charitas ex sua natura contenta est vnico actu, & ille sufficit ad agendum, & operandum semper honestissimè propter Deum. Dicit autem hæc sententia hunc dicendi modum neque esse singularem neque nouum: quoniam cum huiusmodi præcepta sint affirmatiua nõ obligant pro semper, sed pro certo, & determinato tempore seu pro articulo necessitatis: articulus verò necessitatis durante statu Beatitudinis nullus est, quia talis necessitas videtur quasi præuēta ab illo necessario amore Patriæ, & Beatitudinis. Potest

huius rei esse exemplum in præcepto naturali amandi Deum dilectione, & amore naturali. Nam quia est præceptum affirmatiuum, & non obligat pro semper, idcircò quamdiù aliquis actu Deum amat amore supernaturali non obligatur pro eo tempore ad diligendum ipsum per actum naturalem, quamuis posset, quia tunc nulla necessitas vrget. Quod in alijs actibus virtutum cerni potest: nam obligatio vnius non viget pro illo tempore ex eo quod præuenitur ab alia virtute suum actum operante, vt patet in obedientia, & charitate, in misericordia, & iustitia, & cæteris alijs.

In anima Christi D. præter amorem beatificũ D. fuisse aliũ sentit hæc opinio.

RVRSVS hæc sententia, quæ à quibusdam introducitur vt dissoluat difficultatem tactam, supponit, quòd in anima Christi Domini, præter amorem beatificum Dei potuit esse alius amor Dei: nam sicut anima Christi, duplici scientia supernaturali, Deum cognoscebat, nimirum beata, & infusa, ita potuit duplici actu dilectionis amare illum: præcipuè cum Christus simul fuerit comprehensor, & viator; ex qua mirabili coniunctione mirabiliter effectum est consequenter, vt actus beatifici ita in superiori parte animæ residerent, & continerentur, vt in inferiorem non redundarent, neque suam perfectionem cum illa communicarent.

QVIBVS ita prælibatis dicit hæc opinio: posse ad hunc modum intelligi, ita animam Christi amare Deum necessariò, vt amor ille sisteret in sola formali coniunctione, & vnione ad Deum, suo modo pertinente ad formalem beatitudinem ita vt nõ se extenderet, seu nõ se communicaret alijs actibus, & operibus, qui Christo vt viatori conueniebant. Atque ita cum extensio hæc, seu communicatio sit per modum cuiusdam efficientiæ, seu in genere causæ efficientis, poterat facile impediri, sicut de facto fruitio beata impedita fuit, ne omnem tristitiam repelleret: nec portioni inferiori sese communicaret.

Quo modo in hac sententia dicatur liber amor Christi D.

HIS ergo sic propositis, & constitutis iuxta prædictam opinionem facilè & apertè intelligitur amorem illum Dei, quem Christi anima habuit veluti consequentem scientiam infusam & non beatam, liberum fuisse: ex eo quòd neq; ab intrinseco habuit necessitatem, cum non verearetur circa Deum clarè visum vt sic, neq; etiã ex præcepto dilectionis, vt supponit esse possibile hæc opinio, quæ dicit Christum non habuisse speciale præceptum amandi Deum: tum propter superius dicta: tũ etiam quia tale præceptum non est veluti connaturale, & intrinsecum ipsi charitati: quoniam satis est illi vnico actu Deum diligere aut amare: ac proinde si habeat vnum actum necessarium dilectionis Dei, non obligat ex natura sua ad alium actum. Erat igitur amor ille Christi liber, vt sequebatur sciẽtiam infusam. Et ex hoc facile, & apertè intelligitur ab illo libero amore, liberè etiam processisse actus obedientiæ dilectionis proximi, & aliarum virtutum, quos Christus Dominus vt viator exercuit in terris: non solũ quia amor ille sufficiens principium est, & causa illorum, sed etiam quia amor beatificus (vt dicit hæc sententia) veluti continebatur ne influeret in huiusmodi actus, sed relinqueret voluntatem, vt operaretur modo proportionato accomodatoque viatori, quia in tali casu amor beatificus sisteret in sola formali coniunctione, & vnione ad Deũ. Vnde hæc sententia tenet dilectionẽ illam beatificã seu amorem beatificũ minimè influxisse in huiusmodi actus liberos qui pertinebant ad statum viatoris: nam aliàs ipse amor beatificus est causa efficax necessariò inducens obedientiam præcepti.

Quòd amor beatificus Christi non influeret in actus liberos qui ad statum viatoris pertinebant tenet hæc opinio.

SED profectò ex hac responsione, & modo dicendi adhuc non videtur soluta esse difficultas tacta. Quomodo voluntas Christi ex necessitate diligens Deum potuerit esse libera in actibus, quos in via exercuit pro redemptione generis humani? imò verò non omnia quæ hæc sententia dicit sunt certa aut explorata: Præcipuè illud quod amor beatificus in Christo fuit quasi impeditus ne influeret tanquam efficax causa inducens obedientiam præcepti, seu mouens & influens ad alios actus liberos obedientiæ, aut ad similes sine præcepto. Rursus etiã quia ex modo dicẽdi posito à suis Auctoribus videtur colligi Christũ Dominũ nũc in cœlo non habere libertatẽ in operibus suis, aut in vllo opere suo: Nam amor ille beatificus Christi erga Deum minimè impeditur, vt sistat in sola formali coniunctione, & vnione ad Deum, sed potius operatur quantũ potest: consequens autem est expresse cõtra D. Thomam 3. p. q. 18. ar. 4. ad 3. vbi planè docet in hoc parẽ esse rationem de Christo Domino, & de alijs beatis: esset autem valdè inconueniens, & absurdum affirmare beatos omnes carere libertate arbitrij aut vsu illius: Nam quamuis verum sit Beatum in Patria amare Deum necessariò, quantum ad specificationem, & exercitium simul, amore illo qui est de necessitate charitatis perfectè excludentis omne malum beatitudini repugnans, & omne peccatum, qualis est amor charitatis Patriæ: non tamen videtur esse necessarium vt Beatus semper actualiter, & quoad exercitium, quoad omnem modum, & perfectionem obiectiuam possibilẽ ipsi charitati amet Deum actu & in exercitio. Nam non est necessarium vt semper Beatus actu velit honorem Dei, vel gloriam extrinsecam, quam habet ex conuersione hominum infidelium, & alia similia quæ secundaria sunt obiecta. Etenim quamuis cum Beatus operatur circa huiusmodi obiecta, semper operetur ex Charitate perfecta, tamen neque requiritur, neque est necessarium, vt semper actu operetur circa illa. Atque adeò pari ratione non est necessarium, neque requiritur vt illo actu quo necessariò Deum amat, formaliter expliciter, & actualiter velit semper voluntatem diuinam implere, etiã in illis quæ præcepta non sunt, neque sub obli-

Quòd ex dicta sententia non sit soluta difficultas: nec vera sit respõsio in aliquibus.

D. Thom.

Non est necessariũ vt semper beatus actu velit honorem & extrinsecam gloriam Dei.

gatione aliqua includũtur: quoniam hoc etiam est secundariũ respectu charitatis Patriæ, & nõ est de necessitate absoluta charitatis illius seu beatitudinis, & idcircò nõ est vnde oriatur necessitas, quoad exercitium in tali actu, seu in tali extensione actus.

Quòd maneat in sua vi difficultas de prædefinitione in hac opinione.

TANDEM difficultas illa superius tacta de prædefinitione voluntatis diuinæ adhuc manet integra si modus dicendi opinionis propositæ sequendus est: Nam etiam amor ille qui consequitur scientiam infusam Christi, si fuit in ipso Christo, verè prædefinitus fuit à Deo: ergò &c. Quamquam obiectio hæc non concludat omnino, quia si amor ille Christi non oritur necessariò ex alio priori actu eiusdem voluntatis, sola Dei prædefinitio non illi imponit necessitatem, quoniam neque eam illi imponit ex parte ipsius potentiæ, vt patet ex superius dictis, neq; etiã ex parte obiecti.

Ex dictis soluitur præsens difficultas.

SED nihilominus si rectè inspiciamus quæ antea diximus dicto tertio, & in discursu eius, & quæ nunc etiam dicebamus, ex his constare potest solutio difficultatum præcedentium: nam ex his quæ animaduertebamus supra, cessant difficultates omnes, quæ fiunt de actibus non præceptis: nam quamuis illi sint à Deo prædefiniti, & ob id consentanei diuinæ voluntati, non idcircò sunt sub obligatione, & simpliciter necessarij, neque etiam in amore illo beatifico Patriæ reperitur aliquid quòd ad huiusmodi actus eliciendos necessitatem inferat, vt paulò antea explicabamus in impugnatione præcedentis opinionis.

Obiectio.

SED dices: voluntas Christi necessariò diligebat Deum: ergò actu necessariò volebat quid quid ad hunc amorem, & ad hanc dilectionem necessarium erat: ergò in nullo actu habuit libertatem. Prima consequentia constare potest ex his quæ dicuntur 1.2.quæst.13.&.1.p.q.82. quibus in locis probatur voluntatem efficacem finis necessariò inducere voluntatem medij necessarij ad finem, atque ita si talis intentio est simpliciter necessaria, similiter etiam erit electio. Et sanè si amor Dei est efficax, & perfectus, statim includit formalem vel virtualẽ voluntatem placendi Deo in omnibus, & per omnia, & faciendi quidquid ad conseruandam Dei amicitiam fuerit necessarium, aut requisitũ. Secunda verò consequentia quæ in actibus præceptis à Deo magis vrget etiam probari potest. Quoniam præceptum efficit vt actus cadens sub eo habeat connexionem necessariam cum diuino amore, quia non potest esse talis amor Dei sine obseruatione mãdatorũ, & idcircò posito amore illo Dei, & posito etiam præcepto videtur esse in obiecto illo & potentia, intrinseca vis, & efficacia inducens necessitatem ad talem actum: tandem potest hoc argumentũ militare, seu fieri de omnibus actibus voluntatis Christi: nam amor ille diuinus Christi, qui necessario erat in tali voluntate, erat perfectissimus: igitur claudebat affectum, & voluntatem amãdi seu volendi quidquid esset magis gratũ Deo: quia hoc est de ratione intrinseca amoris perfectissimi: sed Christus cognoscebat de singulis actibus, & obiectis quid esset Deo gratius: ergo tam necessariò illud volebat, quàm necessariò Deum amabat, & diligebat.

Solutio obiectionis.

HOC argumentum insinuatum fuit in superioribus, cuius difficultas non est leuis: sed nihilominus præter illa, quæ superius dicta sunt respondere possumus iuxta ea, quæ communiter in Scholis dicuntur in simili quantum ad necessariam connexionem, quæ ratione præcepti oriri potest inter actum qui præcipitur, & amorẽ Dei: Nam in hoc fundatur difficultas propositæ obiectionis: nimirum in illa necessaria cõnexione, quæ potest oriri ratione præcepti inter amorem Dei, & actũ præceptum à Deo. Dico ergò quod actus qui præcipitur potest dupliciter considerari: Vno modo sub ratione electionis, seu volũtatis medij necessarij ad cõsequẽdũ finem, & ad conseruandum diuinum amorem: Altero modo potest considerari actus qui præcipitur, quatenus habet ex suo obiecto aliquam intrinsecam bonitatẽ: videlicèt sub ratione iustitiæ, fortitudinis, misericordiæ, vel obediẽtiæ &c. Sub qua ratione actus ille est per se amabilis, & nõ habet rationẽ medij, sed potius cuiusdã finis proximi. Quo supposito licèt actus ille qui præcipitur ratione electionis medij necessarij ad obtinendũ finem habeat necessariam cõnexionem cum amore illo, nõ tamen habet illã quatenus actus ille ex suo obiecto suam habet bonitatẽ iustitiæ, vel misericordiæ, sub qua ille actus est per se diligibilis, & amabilis, & nõ habet rationẽ medij. Quo fit vt Christus potuerit considerare obiecta omnia proxima secundùm proprias bonitates, & honestates intrinsecas eorũ, & vt sic illa velle, & amare liberè. Quod ostendere possumus quia nihil fuit in Christo quod illi necessitatem inferret ad eliciendos huiusmodi actus: nam in illis non intelligitur operari ex intentione necessaria alterius finis, sed tantũ quia illi secundùm se sunt honesti, & conuenientes: licèt necessarij non sint. Et ex hoc videtur fieri vlterius neq; ipsam præcepti obseruantionem esse necessariam simpliciter quoad exercitium, & specificationẽ ex vi amoris diuini, quoniã præceptum illud satis obseruari potest vel eligendo illud tanquã mediũ necessariũ ad amorem, vel aliàs per se illud amando, & volendo propter motiua varia, quæ in ipso possunt inueniri. Et ex hac indifferẽtia oritur, vt habeat locũ operatio libera, quoniã ex vi ipsius amoris nõ determinatur ad certum modũ agendi, & operandi, amor nanq; finis non inducit necessitatẽ electionis, vt electio est, nisi ipsa formalis electio proponatur tanquã necessaria ad cohsecutionẽ talis finis: quia si alius actus sufficiat nulla est causa sufficiens necessitatis, & ita euenit in præsenti casu de quo fuit argumẽtũ

Actus qui præcipitur duplex consideratio.

Replica.

QVOD si dicas iterum adhuc argumentum vrgere, quia si verum est Deum prædefiniuisse omnes actus volũtatis Christi Domini: sequitur quod siue actus fiant per modum electionis

siuè per modum intentionis, siuè etiam ex hoc motiuo aut ex illo, aut quomodocunque fiant semper fuerunt à Deo prædefiniti, & decreti: & ex alia parte hæc diuina voluntas, & prædefinitio fuit semper manifesta, & patens Christo: ergò ex vi diuini amoris necessariò sese conformabat illi: Nam certè voluntas absoluta Dei, & efficax qua vult me velle aliquid, si illa sit mihi manifesta, & sufficienter proposita videtur habere vim præcepti, quia homo tenetur parere diuinæ voluntati, præsertim absolutæ, & efficaci: ergò si Deus voluntate absoluta prædefiniuit omnes actus voluntatis Christi Domini, & circunstantias eorum, & hanc voluntatem manifestauit Christo hoc ipso videtur intimasse illi præceptum de omnibus agendis in particulari.

Solutio. Et si omnes actus voluntatis Christi prædefinierit Deus, nõ ideò de eis imposuit præceptũ.

HVIC obiectioni respondetur iuxta ea quæ nos dicebamus supra, nimirum quod licèt concedamus Deum voluntate sua absoluta prædefiniuisse omnes actus voluntatis Christi, vt ostensum est supra ex sanctissimi Præceptoris calculo: tamen non inde colligitur: Christum Dominum habuisse præceptum de vniuersis actibus suis in particulari, & in indiuiduo: & ratio est, quia voluntas qua princeps vel superior vult, & intra se disponit, vt inferior aliquid velit, ex hoc præcisè non habet vim præcepti, aut legis, quamuis hæc voluntas aliunde sit inferiori cognita: quod quidem est doctrina Diui Thomæ. 1.2. quæstion. 90. sed ad obligationem sub ratione legis, aut præcepti requiritur tanquam necessarium, quòd princeps aut superior velit, & decernat obligare inferiorem ad aliquid agendum, suam voluntatem intimando illi per imperium, & practicè. Vnde quamquam superior, vel Deus velit seu apud se statuat, vt ego aliquid velim, non ob id vult vt ex obligatione, & præcepto ego id faciam, aut velim: sed potest velle, vt absq; obligatione, & merè liberè id faciam, & velim. Et ex his apertè colligo hæc duo esse valdè distincta, nimirum Deum prædefinire actum meæ voluntatis: & velle me obligare ad actum illum exercendum. Vnde quamuis Christus intueretur apertè Dei voluntatem prædefinientem omnes actus suos, non idcircò videbat aut intuebatur se teneri ex aliqua lege aut præcepto ad faciendum, & volendum eos: Imo verò videbat, eadem diuina voluntate prædefinitum & sancitum esse, vt aliquos faceret ex obligatione, quosdam verò sine illa, seu quosdam quasi ex consilio. Et ex his patet responsio ad replicam.

Löge diuersa sunt Deũ prædefinire actum meæ voluntatis, & obligare me ad illũ exercendũ.

ADDE etiam de Beatis in Patria, quòd licèt necessariò ament Deum quo ad specificationẽ, & exercitium ex charitate perfecta excludente omne malum quod beatitudini repugnat: nihilominus tamen non videtur necessariũ quod actu semper ita Deum amẽt quo ad exercitium quantum ad omnem modum, & ad omne obiectum possibile. Nam non est necessarium, vt superius diximus, quòd semper Beatus actu, & expresse velit vel gloriam extrinsecam quam ex hominum conuersione habet, vel honorem Dei, vel alia obiecta similia secundaria. Quia licèt quando operatur Beatus circa hæc obiecta operetur semper ex Charitate perfecta, tamen nõ requiritur vt operetur semper actu circa illa, & pari modo non requiritur neque est necessarium vt eo actu quo necessariò Deum diligit, & amat formaliter, actualiter, & explicite velit semper implere voluntatem Dei, maximè in his quæ præcepta non sunt, neque cadunt sub obligatione aliqua, quia hoc est secundarium, & non est de absoluta necessitate Beatitudinis, aut Charitatis, & ob id non est vnde oriatur necessitas quoad exercitium in tali actu siuè in tali extensione, seu perfectione actus. Ex his ergò ita prælibatis dissoluuntur, & cessant difficultates omnes, quæ fiunt de actibus non præceptis à Deo: nam licèt prædefiniti sint ab ipso, & ob id consentanei, & conformes voluntati Dei, non tamen idcircò cadunt sub obligatione, neque etiam in amore illo beatifico reperitur aliquid quod ad huiusmodi actũ eliciendos inferat necessitatem.

Non est necessariũ q̃ Beatus amet Deum necessariò quãtũ ad exercitiũ quoad omne obiectum possibile.

SCITO etiam esse antiquam doctrinã Theologorum nimirum quòd amor, & dilectio finis infert necessariò volitionem medij, quando medium simpliciter, & per se, seu ab intrinseco est omninò necessarium ad finem illũ: cæterum si mediũ illud ab extrinseco solùm, & ex sola aliqua suppositione facta requiritur non oportet vt absolutè, & simpliciter necessariò ametur ex amore finis. Et huiusmodi est ille actus, qui tantũ requiritur seu est necessarius propter extrinsecum præceptum, sicut fuit illa oblatio mortis Christi à Patre præcepta, quæ responsio solet assignari ad tactam difficultatem, & est valdè rationabilis, & probabilis.

Alia solutio valdè etiam rationabilis.

VERVMTAMEN modernus quidam eã repellit hac ratione: Nam quacunq; ratione mediũ sit necessariũ, eius voluntas, seu amor habet cõnexionem necessariam cũ amore finis: quia hęc connexio inter actus sequitur ex cõnexione necessaria inter obiecta: ac proinde si re vera in obiecto sit illa necessitas, impertinens est quòd oriatur ex causa intrinseca vel extrinseca ex præcepto vel aliunde. Nã si quis vult efficaciter conseruare vitam, & hic, & nũc non habet nisi vnicum mediũ, verbi gratia, vti hoc cibo particulari, aut fugere inuasorem: necesse est vt velit tale medium vel tollat priorem voluntatem quãuis necessitas illius medij ab extrinseco, & per accidens orta sit.

Obijcitur cõtra eam.

SED profectò hoc argumentum debile est contra responsionem antiquam: Nam in exemplo adducto constat ipsum minimè cõcludere aut aliquid probare: nam si quis vult efficaciter vitam conseruare, & non habet aliud medium quàm inuasorem fugere, sine dubio liberè fugiet inuasionem, quia liberè vult conseruare vitam, & ex hoc liberum est illi fugere vel expectare; nam vnde habent Auctores oppositæ sententiæ, quòd ille non liberè fugit, non enim

Obiectionis solutio. Qui liberè, & si efficaciter, vult conseruare vitã, liberè etiam fugit inuasorem.

possunt illud habere ex volitione finis, quæ libera est, & consequenter velle fugere est liberum illi; neque etiam ex connexione obiectorum necessaria: quia licèt ex suppositione sit connexio, tamen sicut suppositio est libera, ita liberè connectuntur in hoc sensu: quod quamdiu libera manet suppositio, libera etiam debet esse connexio: quia id cui innititur connexio, nimirum suppositio, est quid liberum.

Liberè obseruat præcepta qui liberè diligit Deum, & si efficax sit amor.

Neque etiam alterum exemplum ab eis adductum illis fauet, de illo qui nunc vult efficaciter saluari, qui necesse est ex præcepto, vt velit baptizari: nam similiter vtrumque est illi liberum, propter iam dicta: neque valet quod qui efficaciter diligit Deum vult seruare omnia præcepta siue naturalia siuè positiua: quia efficax amor Dei includit hanc voluntatem ex eo quòd obseruatio mandatorum necessaria est ad amorem Dei: nam quamuis hoc verum sit, quis non videat hoc totum liberè fieri: illa enim efficax dilectio libera est, & libera sunt illa inde secuta, & connexio illa liberè dissolui potest: quod si aliquid probarent exempla adducta in fauorem istorum theologorum, consequenter probarent neminem regulariter liberè agere, sed necessariò in electione medij vnici ad finem quem efficaciter intendunt homines in discursu vitæ. Nam sæpissime vnicum patet medium: vel iudicatur ab operante esse vnicum: ergò &c. Et aliquando euenit vt quamuis aliquis efficaciter velit finem aliquem, si postea cum incipit cogitare de medijs videt solùm esse vnicum medium, & illud esse difficile, continuo voluntas electionis propter difficultatē medij incipiat languescere, quod esse non potest nisi quia ille hoc liberè sequebatur, & quia suppositio libera est, & suam libertatem, etiā transfundit in sibi subsequentia: ergò quādo suppositio ex voluntate finis, quamuis sit efficax, est libera, & virtute includat omnia media, non sequitur inde electionē mediorum absolutè esse necessariam: atque hinc dicunt Theologi quod necessitas ex suppositione non tollit neque lædit libertatem.

Tota necessitas de qua agitur in argum. est ex suppositione.

Vnde ad argumentum respondetur negando, quòd quacunque ratione medium sit necessarium ad finem: eius connexio est necessaria respectu operantis: ita vt non maneat in eo libertas, quia si volitio finis est libera, etiam est libera volitio medij. Imò aliquando volitio medij senescit ex difficultate quam in se habet, & hæc est causa cur incipiat volitio illa prior efficax finis deficere: ergò tota necessitas de qua est sermo, solùm est ex suppositione, & hæc non lædit libertatem. Quare qui recederet à medio difficili, & vnico, recederet quidem à fine: cæterum hic recessus ortum haberet tunc à liberavoluntate medij quæ adeo libera est, vt si medium est difficile, pro sua libertate incipiat illud nolle, & consequēter diuertere eandem voluntatem à volitione priori finis.

Difficultas de libertate ob impositionem præcepti.

Sed nihilominus semper supereſt difficultas superius tacta circa libertatem operum Christi ex suppositione præcepti operantis. Nam suppositio præcepti de qua nunc loquimur, videtur esse ex illis, quæ simpliciter auferunt libertatem: quia quando suppositio habet has duas conditiones: nimirum vt illa posita necessariò sequatur actus, & illam poni non pendeat ex libertate voluntatis, sed ominò antecedat liberum consensum illius, tunc talis suppositio videtur tollere libertatem, & inducere necessitatem, quia in eo casu neque suppositio est libera, neque dimanatio actus ex tali suppositione, seu ex voluntate sic affecta, & ita nullibi relinquitur circa talem actum libertas. Sicut si intentio finis non est libera, & electio talis medij vnici sequitur necessariò ex intentione, non potest electio esse libera. Huiusmodi autem est in præsenti impositio præcepti, quæ non pendet ex humana voluntate Christi: Nam ante omnem actum, & liberum consensum Christi fuit illi impositum tale præceptum: facta autem tali suppositione, non poterat non sequi actus, qui præcipiebatur: ergò intentum.

Duæ conditiones ex quibus videtur colligi necessitas in actu.

Hvic obiectioni multa dicunt, & respondent Theologi. Nam primò dicunt quòd etiam facta illa suppositione, seu hypothesi, manebat voluntas Christi indifferens ad eliciendum potius hunc actum numero quàm illum, & hoc fuisse satis ad libertatem Christi vt erat viator. Verumtamen hæc responsio non satisfacit, quia posset aliquis pari modo dicere actum amoris Beatorum esse liberum, quia licèt obiectum illud inducat necessitatem amandi, non tamen amandi hoc actu singulari in indiuiduo. Item quia etiam actus ipse in indiuiduo potuit esse præscriptus ex diuino præcepto, & absoluta, & efficaci voluntate Deus potuit prædefinire hunc actum liberum in particulari, & cum omnibus circunstantijs. Quod si Deus potuit prædefinire hoc modo talem actum, potuit etiam præcipere vt fieret, quia non repugnat vnum magis quam aliud.

Quòd voluntas Christi adhuc supposito præcepto manebat libera, & indifferens ad eliciendū hūc numero actum vel illum sentiūt quidam. Non placet.

Vnde aliter respondetur, quòd etiam impositio præcepto voluntati humanę Christi infallibile erat voluntatem illam impleri & efficere id quod præceptum erat Christo, & de facto seu in sensu cōpositio impossibile esse suppositionem illam præcepti simul componi cū omissione talis actus. Sed nihilominus negandum est, ex suppositione illa sequi voluntatem Christi necessariò efficere actum illum, & non liberè, hoc solo quod impeccabilis est.

Vera solutio.

Ratio autem seu fundamentum huius esse potest: quia vt lædatur libertas ex aliqua suppositione non satis est, vt suppositio antecedat cō sensum voluntatis, & quòd posita tali suppositione sequatur infallibiliter talis actus, sed vlterius etiam requiritur vt id quod per talem suppositionem ponitur determinet voluntatem ad talem actum modo necessario, & non libero,

Fundamentū cui innititur.

hoc est auferendo modum agendi voluntatis, & libertatis, quia hoc esset propriè inducere necessitatem. Nam si id quod supponitur non tollit modum agendi voluntatis, inducendo determinationem necessariam ex vi sua, tunc non potest mutare modum agendi connaturalem volũtatis: ac proinde non auferet, neque lædet eius libertatem. Præceptum verò quod in hac difficultate supponitur licèt sit talis suppositio, vt à voluntate non pendeat, & illa posita sequatur infallibiliter obedientia nõ tamen est talis, quæ auferat modum agendi voluntatis, cùm præceptum vt sic, sit quid extrinsecum quod potius mouet ex parte obiecti & non ponit in obiecto per se loquendo aliquid quo possit necessitatem inferri voluntati. Et idem dici potest de diuinæ voluntatis decreto seu prædefinitione quæ humanam antecedit voluntatem, nam posito diuino decreto infallibile est humanam voluntatem esse operaturam, quia neq, intentio, neque operatio ad extra Dei, aufert modũ agendi voluntatis liberũ cum moueatur à Deo suauiter & fortiter, & cum suo modo, & supposita aduertentia, collatione, & conferentia rationis: igitur suppositio illa præcepti extrinseca nõ lędit libertatem.

Præceptum licèt à volũtate Christi non pendeat & eo posito sequatur infallibiliter actus, nõ aufert liberũ modum agẽdi voluntatis.

Adducunt recentiores aliam solutionem.

Sed dicunt nouiores Theologi, quòd difficultas posita euacuari potest, si dicamus, quòd Deus potest voluntatem aliquam ita excitare, regere & mouere, vt cõsentiat infallibiliter quãuis liberè, quia potest motionem, & occasionẽ operandi illi præstare cum qua Deus præsciuit infallibiliter esse operaturam, & hac ratione dicunt factum esse à Deo cum voluntate Christi: ac proinde cum Christi voluntas habuerit præceptum operandi, & se se offerendi Patri pro redemptione generis humani, sic mouebatur, & applicabatur per gratiã diuinam, & prouidentiam suam, vt illum actum efficeret, quòd ipsa consentiret, eo modo quo præsciuit Deus id fore infallibile, & ipsam sic esse operaturã. Vnde hæc infallibilis connexio cum consensu voluntatis Christi supponit præuisionem operis in voluntate Christi.

Impugnatur: quia sequeretur manere in Christo physicã peccandi potentiã, quod est absurdũ.

Sed hic modus dicendi præterquam quod supponit Deum operari ex præuisione operũ per scientiam mediam, de quo nunc non oportet nos immorari, non dissoluit tactam difficultatem. Possumus enim obijcere contra responsionem datam: nam sequitur ea posita manere in Christo physicam peccandi potentiam: ac proinde posse Christum trãsgredi præceptum sibi à Patre impositum, & peccare: quod dici non potest vllo pacto. Probatur sequela. Nam Christus etiam ex obligatione implens præceptum Patris liber erat, & liberè illud implebat hic, & nunc: ergo habuit libertatem faciendi illud & non faciendi: ergo potuit implere & nõ implere: sed posse non implere præceptum, est posse peccare: ergo etiam suppositа responsione & solutione illorum sequitur idem argumẽtum: vel Christum non liberè egisse, vel potuisse carere actu præcepto & non implere legem sibi à Patre impositam, quod dici non potest: ergo, &c. Vnde aliter dissoluenda est difficultas proposita. Neque iuuat hoc loco adducere distinctionem de potentia in sensu diuiso præcise, & non in sensu composito: nam vel sensus diuisus est, quòd ablato præcepto posset non facere actum qui præcipitur, seu quod habet potentiam & potestatem, vt si præceptum auferatur, vel cesset, nõ faciat: & hic sensus non euacuat difficultatem, quia non videtur satis hoc esse ad vsum libertatis, circa actum præceptum vt sic, hoc est suppositа impositione præcepti: nam illa conditio, videlicèt quòd auferatur præceptum, neque ponitur in esse, neque est in potestate volũtatis humanæ, vt sic, ipsius Christi vt ponatur, & ob id si illa requiritur ad libertatis vsum, illa ablata impeditur talis vsus. Quo circa sensus ille diuisus ita explicatus, solum facit hunc sensum: nimirum quod in Christo habente præceptum, manet potentia quæ ex se est libera ad non faciẽdum actum præceptum: & ablato præcepto esset expedita ad vtendum illa potestate, nunc verò posito tali præcepto impedita est, vnde fit vt quamuis ex se sit libera, tamen hic & nunc & suppositis illis omnibus quæ eam circunstant in ordine ad hãc actionem quæ præcipitur non habet vsum liberum: Vel ille sensus diuisus est, quod stante adhuc præcepto potest re vera non facere actum præceptum: de facto tamen nunquam componet, neque simul ponet hoc nõ facere stante & currente præcepto ipso, ita vt illud posse in sensu diuiso non excludat suppositionem præcepti, sed excludat tantùm coniunctionem & compositionem præcepti cum vsu talis potestatis: & in hoc sensu posse in sensu diuiso nihil aliud est, quàm ita posse, quòd infallibiliter non faciet. Atque adeo si hoc modo explicetur sensus diuisus, in communi loquẽdo minimè inuoluit repugnantiam, vt constat in gratia, seu vocatione efficaci, & vt constat etiam in confirmatis in gratia.

Duplex acceptio de sẽsu diuiso nõ fauet in præsenti aduersarijs.

Sed nihilominus etiam in hoc sensu difficultas manet: Nã sequitur simpliciter dici posse Christum posse peccare, quod est valdè intolerabile, & absurdum, minimeque ferendum: quamuis aliàs sit infallibile ex præsciẽtia & prouidentia Dei Christum non esse peccaturum: ergo, &c. Probatur sequela, quoniam facta etiã suppositione præcepti, adhuc potest non facere actum præceptum: sed non facere actũ præceptum est peccare: ergo posse nõ facere actũ, qui præcipitur, est posse peccare. Et valet consequentia, potest trangredi præceptum: ergò & peccare. Rursus confirmatus in gratia suppositа confirmatione infallibiliter non peccauit, & nihilominus absolutè potest peccare, quia manet in eo potestas non faciendi actum præceptum: ergo pari modo consequentia hæc fieri potest de Christo. Falsitas verò huius consequentis constat ex superius dictis: Quia si talis potestas Christo tribueretur refunderetur in Deum ipsum: Deo autem ita repugnat pecca-

Idem quod prius sequitur in 2. acceptione sensus diuisi.

tum, vt non tantum peccare, sed etiam peccare posse, imò verò ipsa potentia peccandi includant imperfectionem Deo repugnantem.

Quòd supposito præcepto præscribente actũ cum omnibus circunstantijs non maneat indifferẽtia & libertas in Christo sentiunt quidam.

Hoc argumentum adeò difficile visum est quibusdam Theologis, vt crederent ex suppositione præcepti præscribentis actum cum omnibus circunstantijs loci, temporis, intensionis, & quibuscunque alijs quæ possunt excogitari, & etiam posita voluntate Christi in eo articulo in quo præceptum sic obligat tale præceptũ tollere indifferentiam libertatis, quia aufert potestatem non faciendi etiam physicam: aliàs relinqueret in Christo potentiam peccandi physicam quæ repugnat Deo. Sed hic modus dicendi nulla ratione admittendus est, nec difficultas argumenti tanta est vt opprimat nos ad dissẽdam veritatem. Nos enim Catholicè profitemur Christum liberè exercuisse actus redemptionis, neque ex impositione præcepti Paterni de illis exercendis libertatem amisisse, sed potius liberè eos exercuisse & in eis propriè & vere fuisse meritum. Atque adeo suppositionem illam præcepti extrinsecam non substulisse libertatem eius.

Vera solutio. Ioan. 10. 14 & 15.

RESPONDETVR ergo, & melius, verè fuisse impositum præceptum voluntati Christi de redemptione generis humani per oblationem sui in ara crucis, iuxta illud Ioann. 10. *Hoc mandatum accepi à Patre*, & cap. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio.* & ca. 15. *Patris mei præcepta seruaui*: Quæ sane loca D. Augustinus lib. 13. de Trinitate, cap. 14. & super Ioannem tractatu. 79. propriè dicit esse intelligenda de præceptis impositis animæ Christi. Et D. Paulus ad Heb. 10. explicãs ilud Psal. 39. *In capite libri scriptum est de me vt facerem voluntatem tuam*: Volũtatẽ hanc legem appellauit, statim dicens. *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*. vt perpendit Agathus Papa Epist. 1. vt habetur in sexta synodo actione. 4. Præterea ad Philip. 2. *Factus obediens vsque ad mortem: mortem autẽ Crucis.* quod sanè de propria & vera obedientia est intelligendum: Vera autem obedientia est, vbi interuenit præceptum quod est veluti obiectũ formale eius, vt habetur ex D. Thom. 2. 2. quæst. 104. Et confirmari hoc potest ex illo Pauli ad Roma. 5. *Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* ergo obedientia Christi opponitur inobediẽtiæ Adæ: ergo sicut illa inobedientia Adæ fuit verè præcepto contraria, ita hæc obedientia Christi fuit conformis præcepto Patris: de qua re legendus est Origenes Homil. 2. in Cantica: Et D. Cyril. lib. 10. in Ioann. cap. 11.

Ad Heb. 10

Ad Philip. 2.

Ad Rom. 5

Origines. D. Cyril.

SVPPOSITA ergò impositione præcepti: concedendum est post impositum præceptum voluntati Christi infallibile esse voluntatem illam Christi Domini efficere id quod præceptũ est: & rursus esse impossibile suppositionem illam præcepti simul poni aut componi cũ omissione talis actus præcepti. Et nihilominus negandum esse ex suppositione colligi aut sequi, Christi voluntatem necessario efficere talem actum sine libertate, hoc solo quod impeccabilis est. Ratio autem seu fundamentum huius esse potest, quia vt repellatur libertas ex aliqua suppositione, non sufficit, quòd suppositio ipsa antecedat voluntatis consensum, etiam si tali suppositione posita sequatur infallibiliter talis actus, sed præterea requiritur & est necessarium, vt id quod ponitur per talem suppositionem determinet voluntatem cum modo necessario ad talem actum, quia hoc est propriè necessitatem inducere. Nam si id quod supponitur non habet hanc vim, & efficacitatem repellendi modum agendi connaturalem voluntati non auferet libertatem eius. Vnde cum sermo est de suppositione præcepti antecedente consensum voluntatis, tamen suppositio præcepti, vt sic non est talis quæ habeat in Christi voluntatem talem vim auferentem modum liberum agendi eius: Præcipuè quia præceptum vt sic est quid extrinsecũ & potius mouet ex parte obiecti quam ex parte ipsius potentiæ. & præceptum per se non ponit in obiecto aliquid quo possit necessitatem inferre voluntati: Idẽ prorsus sentiendum est de prædefinitione, seu decreto diuinæ voluntatis, quod antecedit voluntatẽ humanam: & illo posito infallibile est esse consensuram voluntatem humanam seu operaturam, cum tamen huiusmodi decretum intelligatur esse in Deo per modum intentionis efficacis iuxta ea quæ nos pro nostra sententia superius diximus.

Quod maneat libertas etiam ex suppositione præcepti in Christo D.

Præceptum est quid extrinsecum, & potius mouet ex parte obiecti quam ex parte potentiæ.

DICENDVM igitur est stante affirmatiuo præcepto Patris, adhuc mansisse in voluntate Christi veram libertatem cum indifferentia faciendi & non faciendi talem actum, & nihilominus absolutè & simpliciter loquendo non fuisse in Christo potestatem peccandi. Vnde sentio Christum ratione libertatis suæ quæ includit indifferentiam habuisse aliquo modo physicam potentiam non faciẽdi: & nihilominus simpliciter & absolutè loquendo peccare non potuisse, neque habuisse peccandi potentiam: Nã certissimum est, consideratis & pensatis omnibus quę ad Christi operationem concurrunt, non potuisse in Christo esse peccatum: non quidem quia careret libertate & indifferentia, seu propter defectum libertatis Christi, sed ratione vnionis & ex diuina protectione, & diuino regimine ita sibi debito ratione vnionis cũ persona Verbi, vt nullo modo potuerit illo carere. Et vt rem hanc amplius explicemus, & aperiamus maximè obseruare oportet, quod duobus modis dicitur aliquid possibile: vno modo ex sola denominatione à potẽtia proxima ex se sufficiente ad illud producendum: altero modo non ex sola denominatione à tali potentia, sed simul vlterius repellendo & excludendo omne id cum quo sit incompossibilis talis effectus, ita vt illud dicatur possibile, quia simul est potẽtia faciendi illud & potentia carendi omni alia re illo incompossibili. Primo modo ratione libertatis fuit possibilis in Christo carentia actus

Simpliciter loquendo nõ fuit in Christo D. potestas peccãdi.

non obstante præcepto, & hoc videtur fuisse satis ad libertatem. Posteriori ergo modo nō fuit posibilis carentia illius actus, non quidem ex defectu libertatis, sed quoniam impossibile erat in re ipsa componi talem actum vel carentiam cum vnione, & cum regimine quod ratione vnionis tali voluntati tribuebatur, neque poterat illo regimine sibi debito carere durāte vnione. Huiusmodi autem posibilitas erat necessaria ad potentiam peccandi: quia peccare posse non tantum dicit physicam potentiam ad faciēdum actum, vel ad omittendum, sed vlterius includit proximam potentiam deficiendi. & hoc non potuit conuenire Christo qui deficere nō poterat ratione vnionis. Et hæc distinctio admittenda est non solum in præcepto, sed etiam in Dei prædefinitione, quæ per modum intentionis efficacis est in Deo, illa nanque iuxta veriorem doctrinam non lędit libertatem, neque tollit potestatem proximam faciēdi oppositū, quamuis tollatur potestas componendi in re actum oppositum vel carentiam eius qui prædefinitus est cum illa prædefinitione Dei: Quo fit vt pensatis omnibus sit solum quædam impossibilitas ab extrinseco ad omne id, quod repugnat tali prædefinitioni, vel quod inuoluit compositionem illam, licèt non sit impossibilitas ad actum simpliciter, & nude conceptum, ac consideratum in ordine ad suam potētiam proximam sufficientem liberam.

Peccare posse non tantum dicit physicam potentiam ad faciendum vel omittendum actum sed præterea includit proximam potentiam deficiendi.

Dißoluitur in forma argumen. suprafactum.

VNDE ex his dissolui potest in forma argumentum superius factum: nimirum negando lequelam eius: Quoniam tantum infertur, & sequitur, Christum Dominum non esse impeccabilem ratione libertatis creatæ, seu ex vi modi proprij operandi voluntatis creatæ, cum quo nihilominus stat, vt ex conditione personæ, ratione vnionis, & ex modo regendi voluntatem illam creatam sit impeccabilis: & quoniā Christus, simpliciter dictus vt Christus est, includit illam personam, & illud regimen ratione vnionis debitum Christo, idcirco absolutè impeccabilis dicendus est. Neque est simile de Christo Domino, & de alijs confirmatis in gratia: nam illi ab extrinseco habēt hanc gratiā, & possunt illa carere absolutè loquendo, & ob id sunt absolutè peccabiles, quamuis in sensu composito, hoc est suppositā tali gratia confirmationis non possint peccare, quia non potest componi pecatum cum illa protectione sui gratia & prouidentia Dei: Christus vero vt Christus est habet ratione vnionis illud regimen infallibile, quasi connaturale, & ab intrinseco, & ob id nullo modo potest illo carere & hæc est ratio cur in ipso nomine Christi vt sic includitur sensus compositus, & ob id est impeccabilis simpliciter: quare hic optimè quadrat distinctio desensu composito, & diuiso. Nam quamuis simpliciter loquendo Christus operaretur ita liberè vt cōsiderato modo intrinseco operandi suæ voluntatis posset operari, & non operari, agere & nō agere, tamen ex suppositione diuini regiminis, & motionis diuinæ, infallibile erat talem actū esse operaturum: ac proinde insensu composito non poterat aliud fieri, neque carentia actus, aut alius actus componi cum tali diuina motione. Ex quo consequitur, vt si loquamur de libertate Christi simpliciter concedi possit quidquid indicat proprium modum agendi & operandi ipsius Christi & non inuoluit aliquid repugnās aut cōtrarium dictæ suppositioni: & sic simpliciter est verum Christum liberè egisse actum illum quò adimplebat præceptum sibi impositum à Patre: nam ita perficiebat actum illum, vt posset illum non facere per facultatem propriæ voluntatis suæ, quæ ab intrinseco impedita non erat. Simpliciter verò est falsum concedere aut dicere Christum Dominum potuisse peccare, seu nō implere præceptum, quia iam includitur sensus compositus vt dictum est, & indicatur potuisse Christi voluntatem, vt Christi est, carere illa diuina protectione sibi debita ratione vnionis cùm qua minimè potuit componi peccatum: Nam quāuis voluntas illa Christi non vt cōiuncta Christo, seu vt Christi erat, sed secundùm se vt erat voluntas creata & non Christi capax peccati esset non tamē vt est voluntas Christi, quia iam componitur cum illa voluntate coniunctio cū diuina persona: & hæc solutio fugat omnia dubia & dissoluit difficultates in superioribus allatas.

Voluntas creata Christi, vt creata, capax erat peccati non tamen vt erat voluntas Christi.

Christus absolute impeccabilis dicendus est: non ita in gratia confirmati.

Alia responsio & explicatio quorundam.

INTER Theologos huius ętatis reperio quosdam qui dicunt, nunquam impositum fuisse præceptum voluntati Christi circa aliquem actum implendum determinando actū ipsum, & modum & motiuum, & omnes prorsus circūstātias, atque hoc supposito semper in ipso prę cepto, & obedientia relictam fuisse indifferentiam sufficientem libertatis. Quōd verò negari posit præceptum fuisse hoc modo impositum cum tota illa determinatione actus quo ad omnes circunstātias & quo ad omnia motiua: hac ratione explicari potest, & deduci: Nam cum hic modus præcipiendi, neque ex natura ipsius præcepti, neque ex sacra Scriptura, aut aliqua ratione colligatur, & aliàs sit rarus, & minimè vsitatus, aut extra ordinē communē nō est cur sine fundamēto asseratur de facto. Quōd sanè satis apertè potest declarari in illo præcepto moriēdi & satisfaciēdi pro hominibus, de quo pęrcipuè est difficultas hęc, nā pręceptū illud directè cadit in ipsum actū exteriorem, qui est obiectum interioris actus volntatis, qui etiā pręcipitur consequenter quatenus cum exteriori componit vnum actum moralem, & liberum. Et quoniam actus ille exretior moriēdi potest liberè fieri per varios actus interiores diuersarum virtutum, & propter motiua diuersa, etiam si pręceptum determinaret circanstantias loci & temporis, vel similes alias, non est necesse, neque est consentaneum naturę talis pręcepti, vt prorsus & omnino determinet actum interiorē

Non fuisse impositū præceptum Christo determinando omnes circūstantias tenent quidā.

Probatur.

vel

vel motiuum, vt in alijs præceptis, quæ imponuntur hominibus, satis aperte constat: & hoc sufficit ad hoc vt in executione talis præcepti maneat libertas & indifferentia: Quod si præceptum de facto esset impositum determinando aliquem actum interiorem quo ad motiuum, & omnes circunstantias nihilominus volũtas posset habere alios actus liberos circa illud idẽ obiectum, & circa eundem actum exteriorem ex alijs motiuis: imò verò in ipsomet actu ita præcepto potest voluntas ex libertate sua quã habet, quasi supra ipsum obiectum reflecti & velle illud propter suam honestatem, ex tali affectu & conditione, vt etiam si cum illo actu non esset coniuncta necessitas præcepti, vellet illud, vel etiam si talis actus non esset necessarius ad dilectionem diuinam. Et hic modus exercendi libertatem tam intrinsecus est voluntati, & tam honestus vt non possit impediri prudenter rationabili præcepto, cum hic modus & affectus volũtatis reflexus sit bonus & honestus intrinsecè, & minimè impediens obseruationem aliorum præceptorum.

Hoc est valde aduertendum.

Ex omnibus supradictis dissoluuntur vniuersæ difficultates tactæ in superioribus, iam tempus est vt circa discursum cõtrouersiæ vlterius procedamus.

Quinta Conclusio.

Conclu. 5. Ad perfectã Dei prouidentiam pertinet præ definire actus bonos, maximè supernaturales.

Dico quintò. Perfectio diuinæ prouidentiæ postulat prædefinitionem actuum bonorũ, supernaturalium maximè. Hæc assertio est cõmunis in schola D. Thomæ, & est contra nouos Theologos, & etiã contra eos, qui putant actus non posse esse liberos si prædefiniantur à Deo. Et etiam est contra eos, qui putant quòd quacunque prædefinitione repulsa diuina prouidẽtia manet perfecta & omnibus numeris absoluta: putat enim hæc opinio, quòd negare prædefinitionẽ actuum supernaturalium in particulari, secũdum dispositionem eorum in aliquẽ finem, non fit cum læsione prouidentiæ perfectę eorundem actuum. Quo circa asserere Deũ non posse prædefinire actus moraliter bonos, neque supernaturales, neque vnquam prædefiniuisse illos sine læsione libertatis, neque est vera doctrina, neque probabilis neque conformis D. Augustino, neque sanctissimo Præceptori D. Thomæ aut probatioribus Theologis: neq; modo loquendi sacræ Scripturæ, loquentis de plerisque effectibus liberis diuinæ prouidẽtiæ, præcipuè de illis, qui vel ad salutem hominum, vel prædestinationem eorum, aut cõmune bonum Ecclesiæ seu Reipublicæ, vel ad significationem bonorũ futurorum pertinent. De quibus omnibus multa diximus in superioribus.

Vnde non est vera sententia illa quæ affirmat prędefinitionem non esse requisitam aut necessariam, vt Deus verè & propriè atq; perfectè habeat prouidentiam, præcipuè actuum supernaturalium in particulari. Et argumenta quæ aduersarij adducunt non solum non sunt efficacia neq; probabilia, sed sunt friuola. Quod vt ostendamus suppono: Dogma fidei esse diuinam prouidentiam versari non solum circa res in communi & in confuso, sed etiam circa minutissima quęque entia, & etiam circa ordinem & dispositionem earundem rerum. Vnde Sapient. 14. dicitur. *Tua autem Pater prouidentia a initio cuncta gubernas.* Prouerb. 8. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter & disponit omnia suauiter.* Matth. 6. *Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant neque nent: Dico autem vobis, quoniã nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodiè est & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos minimæ fidei?* Et cap. 10. *Nonne duo passeres asse venent, & vnus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* Verba autem Sãctorum Patrum, quibus hanc rerum omnium in particulari curam, dispositionem & prouidẽtiam testantur, cum passim occurrant in ijs quę de prouidentia disputantur non est cur in eis immoremur modò, præcipuè cum superius de hac re testimonia & facta Scripturæ pleraque retulerimus.

Suppos. 1. Dogma fidei est D. prouidentiã versari circa res incõmuni & in particulari. Sapien. 14. Prouer. 8. Matth. 6. & 10.

Ratione autem demõstratur. Quia quæcunque res creata præcipuè supernaturalis quo ad vltimam differentiam pendet à Deo vt à prima causa immediatè concurrente & disponẽte, seu ordinante, neque enim solum communes rationes, sed etiam differentiæ numericæ & specificæ cuiuscunque rei sunt essentialiter entia creata: ergò quælibet res quamuis minima quo ad vltimam differentiam siue specificam, siue numericam, ordinatur, gubernatur, & disponitur per diuinam prouidentiam. Consequentia est euidens, quia Deus nihil agit nisi per intellectum & voluntatem: & quodcunque agens per intellectum & voluntatem intendit aliquem finem agendo, quare Deus in aliquem finem ordinat quamcunque rem minimam & quamcunque illius rei differentiam quam producit: vnde prouidentia nihil aliud videtur esse quam ratio & dispositio atque ordinatio mediorum ad finem in practico intellectu existens, & per voluntatem volita efficaciter. De qua re legendus est S. Thomas. 1. part. quęst. 22. art. 2. Et deinceps, & legenda sunt etiam ea quæ nos ibi scripsimus.

Probatur ratione.

Deus nihil agit nisi per intellectum & voluntatem.

Svppono secundò: quòd prædefinitio prout hic sumitur, nõ tantum dicit antecessionem æternitatis ad tempus, sed etiam dicit antecessionem rationis ad præscientiam effectus prædefiniti vt futuri in aliqua duratione tẽporis, & consequenter includit ordinationem mediorum & causarum quibus effectus ille executioni debet mandari, quatenus futuritio sui terminatur simul cum ordinatione eius, quando ad extra fit. Qua propter diuina prædefinitio est decretum diuinæ voluntatis efficax & absolutum, quo Deus voluit talem actum liberũ, verbi gratia, cum his dispositionibus, & circunstãtijs à me fieri prius ratione, quàm præsciret fa-

Suppos. 2. Prædefinitio dicit antecessionem rationis ad præscientiã effectus prædefiniti vt futuri.

ctu-

ęturum, in quo decreto Deus ipse cognouit futuritionẽ veram eiusdem actus, atq; adeo Deus prædefiniuit huiusmodi actus per modum intẽtionis alicuius finis, & cum debita ordinatione & dispositione mediorũ. Prædefinitio enim ita connotat habitudinem finis, & modum intẽtionis, vt simul inuoluat dispositionem, & quasi electionem mediorum, quando talis prædefinitio procedit ex infinito intellectu, & ex infinita sapientia & prudentia, qualis est Dei, maxime quia id quod est medium respectu vnius potest esse finis respectu alterius.

Conficitur argum. ex dictis: & Deum care re perfecta prouidẽtia, si vera sunt quæ dicunt aduersarij, apertè probatur.

NVNC verò ita conficio primum argumentum pro nostra sententia. Si Deus non prædefinit omnes actus liberos bonos maximè supernaturales in particulari, & cum omnibus circũstantijs, sed tantum in communi: sequeretur Deum non habere prouidentiam nostrorum actuum quo ad vltimas differentias illorum in particulari, sed solum in communi & vagè. Cõsequens autem falsum esse cõstat ex prima suppositione præsertim cum prouidentia tanto sit perfectior quãto gubernator melius potest singula cognoscere & ordinare. Sanè si actiones aliquæ non prædeterminantur, sequitur respectu illarum in se ipsis non esse prouidentiam, sed tantummodo respectu causarum quibus tribuuntur auxilia, vt huiusmodi actus producantur: ergo si actus boni & supernaturales prædefiniuntur à Deo, ad perfectionem suæ prouidentiæ pertinet actus illos prædefinire: maximè cum diuina prædefinitio sit decretum non tantum de re quomodocunque euentura, sed decretum cum suo modo & dispositione atque circũstantijs rei euenturæ, quod sine prouidentia esse non potest: ergo negare prædefinitionem humanorum actuum bonorum & supernaturaliũ est negare prouidentiam illorum actuum, quã illud decretum prædefinitiuum inuoluit.

Boëtius lib. 4. de Consolatione.

CONFIRMATVR hoc ex his quæ dicit Boëtius lib. 4. de consolatione prosa. 6. vbi aperte insinuat ad diuinæ prouidentiæ perfectionẽ pertinere vt omnia prædeterminet, his verbis: *Ordo fatalis ex prouidentiæ simplicitate procedit: sicus enim artifex faciendæ rei formam mente percipiens mouet operis effectum, ita Deus prouidentia singulariter stabiliterque faciendadisponit, fato vero hæc ipsa quæ disponit multipliciter administrat.* loquitur autem Boetius de effectibus contingẽtibus qui cum præcipuè mutabiles sint fato dicuntur comprehendi, non vt Ethnici Fatum accipiunt: sed vt Catholici eo vsi sunt pro ordine, serie, & dispositione à Deo præscripta. Idem videtur colligi ex D. Augustino lib. 5. de ciuitate,

D. Augus.

cap. 1. dicente: *Si propterea quisque res humanas Fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem Fati nomine appellat sententiam teneat, & linguam corrigat.* Vnde D. Thom. 1. part. quæst. 116. art. 1. in corpore, colligit concedi posse Fatum in quantum omnia quæ in mundo aguntur diuinæ prouidentiæ subduntur tãquam per illam ordinata & prælocuta. Et paulò antea in eodem corpore articuli, dixerat dicendum &

D. Thom. Fatũ in bono sensu cõcedit.

sentiendum esse, quòd ea quæ hic per accidens aguntur, siue in rebus naturalibus, siue humanis, reducuntur in aliquam causam præordinantẽ, quæ est prouidentia diuina: Itaque quę hic agũtur etiam fortuita & casualia, reducuntur in aliquam causam ordinantem, quæ per intellectum agit, & præcipuè in diuinum intellectum: nam solus Deus potest volũtatem immutare, & per consequens ordinatio humanorum actuum, quorum principium est voluntas, soli Deo attribui debet. Sic igitur in quantum omnia quæ hic aguntur, diuinæ prouidentiæ subduntur, tanquam per eam ordinata, & quasi prælocuta (ait S. Thomas) Fatum ponere possumus: licèt hoc nomine sancti Doctores vti recusauerint propter eos, qui ad vim positionis syderum hoc nomen retorquebant. Et idcirco D. August. lib. 5. de ciuitate Dei protulit verba citata dicens: *Si propterea quisquam res humanas Fato Dei tribuit, quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem Fati nomine appellat, sententiam teneat & linguam corrigat.* Nam certè omnia quæ hic per accidens fiunt & contingenter, siue naturalia siue humana, reducuntur in regulam diuinæ prouidentiæ, sicut reducuntur in regulam diuinæ prædefinitionis. Confirmari hoc potest: Quia non solum in particulari res dicuntur prędefiniri, sed etiam dicuntur prædefinitæ omnes illarum circunstantiæ, vt expressè habetur Sapient. 11. quo in loco omnia Dei opera dicuntur fieri & esse constituta in numero, mensura, & pondere. Et confirmatur iterum. Quoniam prudẽtissimus Dux vel Paterfamilias, si posset prouidere exercitum vel familiam cum omni debita dispositione, & ordinatione, definiendo omnes & singulas res & particularia media: vel ad domum seu familiam rectè constituendam, vel ad victoriam obtinẽdam, certè id pręstaret, quoniam hæc esset perfecta & exacta prouidentia, eaque gubernandi ratione illius sapientia atq; potentia eluceret: quod autem homines id non pręstent defectu scientiæ atque potentiæ prouenit: Deus autẽ facillimè potest hoc modo rebus omnibus prouidere: ergo prædefiniet omnia singularia.

Confirmatio. 1.

Secunda.

HOC argumento vsus sum. 1. par. multis in locis quæstio. 19. artic. 8. & quæst. 22. de diuina prouidentia, articul. 2. & 4. & quæst. 23. art. 3. disput. 2. Vbi locuti sumus de prædefinitione præordinatiua quæ includit decretum quod Deus apud se statuit, præsertim quæst. 22. de prouidentia artic. 4. disput. 1. & 1. 2. quæst. 111. de diuisione gratiæ artic. 3. disput. 5. & in alijs præcedentibus. Sed nihilominus auctores oppositæ sentẽtiæ obscurare & occultare contendunt efficaciam huius rationis: quia vt dicunt diuina prouidentia non erit confusa vaga & in communi tantum, sed distincta determinata & in particulari, quamuis non prædeterminet omnia in particulari: quod sanè videtur habere implicationem: quia cum prouidentia Dei se extendat ad omnia ordinabilia ab ipso, & ad omnia media, & ad omnem rationem & dispositio-

Euertere cõtendunt ad uersarij vim principalioris rationis.

nem

Firmatur ratio, & impugnatur solutio.

nem eorum respectu alicuius finis, quem sibi præscribit perfectus prouisor: sequitur, quòd si non prædefiniat & statuat de his omnibus in particulari, quòd ipsius prouidentia confusa erit vaga, & in communi tantum non distincta & determinata in particulari.

Replica & obiectio cõtra dicta.

SED dices: Prouidentia est iudicium practicum intellectus disponens media ad finem cum voluntate conferendi hæc media in ordine ad finem, quæ tota ratio reperitur circa singulas actiones in particulari, & vltimas illarum differentias, quamuis non prædefiniantur aut prędeterminentur: quia Deus tribuit libero arbitrio omnia iustrumenta necessaria ad illius actiones liberas & omnes dispositiones, & applicationes obiecti, insuper offert concursum effectiuum immediatum ex se indifferentem, & hæc omnia tribuit eo fine vt voluntas liberè faciat vel omittat: atque actiones futuras præuisas Deus adiuuat ad alium vlteriorem finem salutis aut præmij. Et denique ita se habet Deus respectu cuiusque rei in particulari, vt illares non esset in particulari, nisi Deo concurrente & habente decretum circa talem rem in particulari, quo vel constituat eam rem producere, vel constituat & statuat seu decernat eam in particulari permittere, vnde fit neque folium de arbore moueri, neque laqueum passeribus parari sine diuina prouidentia.

Solutio obiectionis, & maior veritatis confirmatio.

SED profecto hæc aduersariorum obiectio magna ex parte confirmat nostram sententiam: Quoniam si prouidentia est practicum iudicium intellectus, disponens media ad finem, cum voluntate conferendi hæc media in ordine ad ipsum, & cum voluntate singularũ actionum in particulari: Ego non video quo pacto hæc prouidentia non includat, & supponat prędefinitionem omnium in particulari, cum in ea includatur voluntas conferendi hæc media, taliter disposita in ordine ad talem finem in particulari. Quòd si hoc statuit & decreuit Deus in particulari, eo fine vt voluntas faciat liberè quod ipse disponit & ordinat: sequitur, quòd prædefinit influxum, & concursum effectiuum, ne frustretur ipse Deus circa voluntatem quam gessit erga singulas actiones in particulari, & vltimas earum differentias. Quod sanè præcipuè est verum: quia ordo diuinæ prouidentiæ inaniri non potest, aut casus reddi. Peccata verò præterquã quod non sunt prædefinibilia sicut alibi diximus, nihilominus cadunt sub diuina prouidentia: & prædefinitione, ex parte permissionis. Rursus quoad actiones materiales, negari non potest quin Deus decernat concurrere ad substantiam actionum realium sicut Theologi omnes fatentur.

ADDVCVNTVR ab aduersarijs aliqua testimonia Origenis & Damasceni, quæ nihil omnino probant in hac parte, vt superius ostendimus, præsertim cum sententia Græcorum de hac re aduersariumhabeat D. Augustinum de quibus Spenceus ait, quod noluerunt reponere Pelagium in Cathalogo Hęreticorum. Verba autem Origenis Homil. 3. in Genesim hæc sunt: *Mœrente, quia nihil sine eius prouidentia geri dicimus, non sine voluntate: multa enim sine voluntate eius geruntur, nihil sine prouidentia. Prouidentia enim est quæ procurat, dispensat, & prouidet, quæ geruntur, voluntas verò quæ vult aliquid vel non vult.* Quid rogo in hoc testimonio reperitur contra nos? Nihil sanè. Non enim Origenes vult sine voluntate Dei fieri actiones bonas, supernaturales aut morales, & præcipuè eas, quæ ad commune bonum vniuersi vel reipublicæ aut Ecclesiæ fiunt & ordinantur aut sine voluntate prædefinitiua eius. Vnde cum dicit quod multa geruntur sine voluntate Dei intelligit hoc de his quæ geruntur peccando & male agendo, ex eo quod non vult peccata neque culpas hominum, cum ipse Deus hæc omnia prohibeat, & nihilominꝰ adhuc vult permittere peccata, ex quibus solet multa elicere bona, ordinando ea ad alios fines, vt egregiè D. Augustinus adnotauit. Quòd autem reliqua omnia Deus velit, Scriptura expressè testatur; Quia attingit fortiter omnia à fine vsque ad finem, quod pertinet ad Dei voluntatem efficacem, sine qua nihil fit, nisi tantum peccatum, quod est nihil: ipsis autem rebus à Deo volitis omnia illa disponit Deus suauiter, Sapient. 8. Hoc etiam dixit Matth. cap. 10. dicens: *Non ne duo passeres asse veneunt, & nullus eorum cadit super terram sine Patre vestro?* Rogo etiam audebit quis affirmare, bona facta naturalia, moralia & supernaturalia fieri in rebus ad extra, sine voluntate Dei positiua? Ea igitur cum sint prædefinibilia & bona, præsupponuntur à Deo prędefiniri & prædeterminari sua voluntate, sicut per sapientiæ suæ practicum iudicium expedit, & sicut per prouidentiam eius in debitum finem prędordinantur. Et hoc ipsum Paulus apertè docet affirmans: quòd operatur omnia Deus secundum consilium voluntatis suæ: Hoc est secundùm consilium suæ voluntatis prędefinitiuę: non vagè, non in communi, non temerè. De qua re legendus est Anselmus super hunc locum. Theophilactus etiam ad Ephesios. 1. ait. *In quo & sortem adepti sumus, prædefiniti secundùm propositum eius, qui omnia operatur iuxta decretum voluntatis suæ.* Et antea in principio cõmentarij explicans illud: *Elegit nos ante mundi constitutionem*, inquit. *Elegit autem ante mundi creationem, à supernis enim iam olim prædefinita erant, quæ in nos derivata sunt: neque enim recentia sunt, vel noua, sed à principio dispensata ordinataque.* Et inferius: *In dilectione prædefinitis nobis ad adoptionem filiorum, &c.* Propterea adiecit: *Prædefiniuit ad filiorum adoptionem, secundùm consilium voluntatis suæ.* S. Thomas super eandem epistolam ad Ephes. dicit quę sequuntur: *Quod autem secundùm propositum prædestinauit probat Paulus: Quia non solum hoc, sed*

Verba Origenis, quæ adducũtur pro aduersa sentẽtia, nõ sunt contra nos.

Sapient. 8. Matth. 10.

Anselmus. Theophila.

S. Thom.

etiam

etiam omnia alia, quæ Deus facit, operatur secundùm consilium voluntatis suæ, iuxta illud Psal. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit. Isaiæ. 46. Consilium meum stabit & omnis voluntas mea fiet. Non autem dicit secundùm voluntatem, ne credas quod sit irrationabilis, sed secundùm consilium voluntatis suæ, ideſt, secundùm voluntatem suam, quæ est ex ratione, non secundùm quod ratio importat discursum, sed secundùm quod designat certam & deliberatam voluntatem.

Isaiæ. 46.

Ex quibus omnibus satis apertè colligitur, quo pacto perfectio diuinæ prouidentiæ circa res omnes in particulari, maximè circa operationes bonas liberas præcipuè supernaturales, minimè consistere valeat sine prædefinitione rerum in particulari; vt constat ex testimonijs adductis & ex rationibus supra relatis, & aduersariorum obiectionem nihil probare contra nos: Præsertim quia efficax auxilium gratiæ Dei, ex natura sua est ordinatū seu ordinatur ad efficientiam actus boni supernaturalis. Neque valet dicere, quod Boëtius solum voluit docere omnium actuum liberorum seriem à diuina prouidentia procedere, non tamen tanquam à determinante, sed tanquam ab efficiente, hoc enim est voluntarium, vt constat ex verbis eius & ex testimonijs citatis S. Thomæ, & D. Augustini, & aliorum. Idque satis apertè constat propter comparationem ex artifice desumptam: quæ non solum adducitur à Boëtio ad ostendendum, quòd in mente Dei omnia prius sunt distinctissimè cognita, sub esse possibili per ideas artificis, sicut artis effectus ab artifice cognoscuntur: sed etiam adducitur ad ostendendum, effectus præcipuos huius vniuersi, supernaturales & morales bonos & liberos, à Deo prædefiniri & prædeterminari: desumpta ad hoc similitudine quadam effectus artificiosi, nam sicut effectus artis determinantur & præscribuntur ab artifice, sic aliquali similitudine Deus iuxta modum & conditionem actuum liberorum, statuit & determinat eorum futuritionem & liberum euentum: Quia non tantum subiacent Deo & prædefinitioni atq; prædeterminationi eius, res omnes, & effectus isti, sed etiam modi eorum. Ob id autem Diuus Augustinus de Fato voluit cohibere linguam: quoniam Ethnici putabant res omnes prouenire ex fato, dicentes fatum esse meram & absolutam necessitatem: & hoc sustineri non potest, neque debet.

Exẽplo artificis præscribentis artificiosos effectus aliqualiter explicatur prædefinitio actuum liberorum.

Ergo constat aduersariorum responsa friuola esse, & non dissoluere efficaciam rationis a nobis propositæ, & pari modo non dissoluunt, sed fugiunt locum Sapient. 11. vbi dicuntur omnia facta esse à Deo in numero, pondere, & mensura, Nam quamuis non eodem modo diuina prouidentia constituat numerum, pondus, & mensuram in omnibus, tamen hoc commune rebus est, omnia prædefinire decreto suo, quæ ipse vult fore, ordinando etiam in finem, & præscribendo pondus, numerum, & mensuram, iuxta conditionem & statum rerum, quas ipse fore decernit.

Volvnt auctores oppositæ sententiæ eneruare & eludere argumentum adductum de Patre familias & de duce gubernante Rẽpublicam vel intendente victoriam, dicentes concesso antecedente negandam esse consequentiam, quia est dispar ratio: ex eo quod ad finem intentum à Duce, qui est victoria, vel ad optimam Rei publicæ gubernationem, quietem & incolumitatem, nihil interest vtrum actionibus moraliter liberis ciuium, aut militum, vel actionibus necessarijs hæc obtineantur, sicut etiam ad finem intentum à Patre familias nihil interest vtrum actionibus necessarijs domesticorum familia rectè constituatur. Sed profecto valde irrationabilis est disparitas quæ assignatur ab istis, Primò: quia re vera gubernatio Ducis, Prætoris seu Regis, est gubernatio ciuilis & politica, quæ fit per actus liberos, tam ex parte gubernatoris, quàm ex parte gubernatorum, seu eorum qui gubernantur. Et idcirco plurimum interest, quòd actionibus moralibus liberis hæc fiant cum non sit gubernatio pecudum, aut aliarum rerum insensibilium. Secundò quia Reipublicæ moderator non solum intendit tanquam finem reipublicæ tranquillitatem, sed etiam intendit tanquam finem intermedium bonos efficere ciues, quod non fit sine bonis operibus liberis eorum. Tertio quia Dux & gubernator nihil efficiunt, neque efficere possunt ad consecutionem finis intenti ab eis, nisi imperando ciuibus, vt obediant ciuiliter & politicè non despoticè: ergo disparitas, quæ ab eis deducitur, male consonat, cum his, quæ nunc agimus. Vnde Deus, cui veluti vniuersalissimo duci, rerum moderatori: Regi & artifici, præpositus est finis gubernandi omnia suauissimè, efficaciter & aptissimè, iuxta rerum naturas & modos, ipse est qui vult voluntates nostras agere & operari liberè, sed infallibiliter adimplere decretum voluntatis suæ, ita vt non frustretur: cum omnia quę ipse voluit in cælo & in terra fiant, nec vnquam impediatur omnipotens voluntas ipsius: idcirco prædefinit actus bonos prædefinibiles etiam liberos, & prædeterminat. Quod si aliquis paterfamilias proponeret sibi ob oculos vt finem, honestissimas liberasque actiones filiorum, illa sanè si valeret & posset id præstare tunc sanè deberet actiones morales omnes bonas filiorum prædefinire: vel permissionem malorum operum ad aliquem finem bonum decernere.

Quòd solutio, quæ statuitur aduersarijs ad argum. de Patre familias nulla sit.

Potest etiam probari nostra Assertio: quoniam si Deus non prædefiniret aut prædeterminaret aliquas actiones sequeretur diuinam prouidentiam & illius voluntatem absolutam aut efficacem habere dubium euentum, consequens autem est impossibile quia voluntas absoluta aut efficax Dei nulla ratione frustrari aut inaniri potest aut in re aut inmodo,

Alia nostræ conclusionis probatio ab incõuenienti, q̃ scilicet si vera nõ esset, D. prouidẽtia dubium haberet effectum.

suo fine, hoc enim esset impotentia, & defectus sapientiæ infinitæ: ergo, &c. Et confirmatur. Quoniam quælibet collatio mediorum & electio, supponit voluntatem efficacem finis, ad quem ordinantur media: sed omnia media requisita ad liberè eliciendum hunc numero actum ordinantur ad illum eundem actum: ergo illorum collatio & donatio præsupponit voluntatem efficacem Dei, qua vult nostram operationem liberam, & illam prædefinit & determinat: Quare cum in prouidentia Dei concipiantur quasi plures actiones, nimirum diuina voluntas, efficax concursus ad extra, Dei iudicium & prudentia: cognitio actus vt possibilis & vt futuri, si Deus ipse velit, & ordinatio illius ad vlteriorem finem: dicendum est diuinam prouidentiam inuoluere prædefinitionem, & Deum prædeterminare actiones nostras, vt hac ratione euentus efficaciter intentus à diuina prouidentia non sit incertus aut dubius, sed omnino certus: quia effectus efficaciter intentus nō solum est nos habere liberam & sufficientem potestatem operandi, sed etiam liberè operari & actu agere cum exercitio liberæ operationis in particulari: & hoc intenditur à Deo non solum voluntate complacentiæ, sed etiam voluntate prædefinitiua, quando actus est bonus, nam quando malus est tantummodo permittitur. Hoc clamant omnia testimonia allata supra: Et sanè prædefinitos esse omnes actus supernaturales bonos & liberos in particulari apertè tradit Diuus Paulus ad Ephes. 2. dicens de operibus præsertim prædestinatorum: *Creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*: ergo similiter prædefiniti erunt sine læsione libertatis omnes actus boni liberi supernaturales hominum & Angelorum & omnes actus boni in rectum & bonum finem ordinati.

Ad Ephe. 2

RVRSVS probatur nostra assertio, quia valde consentanea est modo loquendi Scripturæ in qua apertè significatur Deum prædefinire posse actum liberum humanæ voluntatis absolutè faciendum: Nam in sacris Literis talis efficacitas diuinæ voluntati tribuitur, vt efficaciter moueat vel possit mouere & inclinare voluntatem humanam, quo voluerit secundum illud: *Cor Regis in manu Dei est quocunque voluerit vertet illud*. Et certe frequentissimum est apud Diuū Augustinum hoc pertinere ad Dei omnipotentiam & sapientiam. lib. 1. ad Simpli. quæst. 2. vbi dicit: *Non defuisse Omnipotenti modum mutandi voluntatem Pharaonis si vellet*: hoc est si efficaciter & prædefinitiuè vellet. Idem docet Augustinus in Enchiridio, cap. 94. & 95. & in libris de prædestinatione Sanctorum, & de gratia & libero arbitrio. Et profecto incredibile est & indignum de infinita potestate & sapientia Dei affirmare Deum non prædefiniuisse neque potuisse prædefinire absoluto decreto voluntatis suæ aliquid faciendum in tempore ad extra, si per voluntatem liberam hominis vel Angeli sit faciendum, nisi prius præuideat tales effectus liberos absolutè futuros esse, nam sic Dei potestas esset limitata nimis & coarctata, quia non posset in actum humanæ voluntatis liberum se extendere prædefiniendo & statuendo illum. Et consequenter sequeretur, quòd omnes effectus liberi hominis licèt non essent præter scientiam & cognitionem Dei, tamen necessariò essent præter efficacem intentionem eius, vel sine efficaci intentione Dei, quod non est ferendum, quia est præter omnem rationem & Theologiam. Quia etsi in malis operibus & peccatis, verum sit Deum non prædefiniuisse illa, tamen in bonis operibus liberis & supernaturalibus id affirmare, & ex necessitate, ita vt Deus non possit aliud facere, neque est consentaneum perfectioni Dei, neque modo loquendi Scripturæ, quæ loquitur de plerisque effectibus diuinæ prouidentiæ, qui fiunt per causas liberas: vt superius fusè ostensum est: ergo nobis certum debet esse Deum ante præscientiam futurorum actuum humanorum efficaciter voluisse, & prædefiniuisse vt fiant, & vt liberè fiant hoc præordinauisse, & decreuisse.

Quod actus humani essent præter & sine efficaci intentione Dei sequeretur ex aduersa sententia.

HAEC etiam dicta sint contra aliquos, qui sentiunt, quòd actus in particulari qui, verbi gratia, elicitur à Petro vel Paulo non est effectus efficaciter intentus à Deo, sed tantū intentus voluntate antecedenti, quando actus est bonus, cum quadam complacentia voluntatis Dei si fiat. Vnde dicunt, quòd quando diuina prouidentia non prædeterminat actiones nostras, tunc euentus efficaciter intētus à diuina prouidentia, nullo modo est dubius, sed omnino certus: quia effectus efficaciter intentus est solūmodo nos habere liberā & sufficientem potestatem operandi. Sed profecto hic modus dicēdi stare non potest, vt constat ex dictis & cō stabit amplius ex dicendis inferius: Et prēterea quia auctores qui sequūtur hunc dicendi modū censent, quod cum actus in particulari non sit efficaciter à Deo intentus, sed solū volūtate antecedente seu complacentiæ: quando est actus bonus, quod tunc nullum inconueniens est voluntatem illam qua intenditur talis effectus carere posse euentu, imò verò frequenter carere. Rursus etiam contra hoc est quod D. Augustinus ait in Enchirid. cap. 100. nimirum quod ad efficaciā diuinæ voluntatis requiritur vt fiat omne quod efficaciter vult, & nihil fiat quod efficaciter nolit, & quod quidquid euenerit ab ipso, ordinatum sit ad iustitiæ vel misericordiæ finem.

Quo modo quidam effectus a D. prouidentia intentos nō esse dubios saluare contendant.

SI ergo Deus tantùm prædefiniret causas liberas fore, & solummodo intenderet nos habere liberam & sufficientem potestatem operā di, non prædeterminando actiones nostras in particulari: sed solu euentus liberi arbitrij in cō muni, aut voluntate antecedente & complacentiæ solum, sequeretur, quòd Deus tantum haberet cōfusam prouidentiā hominū & cōfusam

D. Augus. libr. 1. ad Simplicia.

Impugnatur hic dicē di modus.

voluntatem vt constat. Imò verò sequeretur, quòd aliqua euenirent, quamuis Deus non intenderet illa bona, libera voluntate efficaci. Vnde præter intentionem Dei efficacem eliceretur in particulari actus bonus & solùm ex voluntate complacentiæ communi, itaq; quãuis actus illi non prædefiniti non euenirent præter intentionem voluntatis antecedentis aut complacẽtiæ: euenirent tamen sine voluntate & intentione Dei efficaci aut absoluta: & ex hac parte efficacitatis Dei & intentionis eius, aliquo modo à casu, & sine respectu diuini decreti: Nam certè si non prædefinitur, & prædeterminatur actus ille bonus in particulari, tunc sicut causa hunc produxit effectum liberum, potuit alium producere diuersum, & ita talis effectus quodãmodo esset à casu, & præter intentionem absolutæ voluntatis & efficacis Dei. Nam certè quod casu dicatur fieri actus ille, id quidem debet accipi respectu intentionis & præordinationis diuinæ in particulari, quæ cum sit talis & absoluta, effectus ille non dicitur esse intentus & præordinatus respectu efficacitatis Dei & intentionis, neque obstat talem effectum esse præuisum in æternitate aut intentum in communi, quia hoc est ob id quod Deus comprehendit sua æternitate quidquid fit in tempore: & non ob id quod fuerit à Deo intentus in particulari & in se, ac proinde aliquid de casu habet.

Vltima eiusdem concl. probatio.

PRAETEREA in omnibus actionibus liberis Deus concurrit: sed non potest intelligi quomodo concursus diuinus detur causæ secundæ influendo in ipsam ad hunc & illum effectum absque præuia voluntate absoluta Dei: ergo necessariò oportet constituere prædefinitionem ante præuisionem operum quatenus dicit antecessionem voluntatis ad scientiam illius euentus. Et confirmari hoc potest: quoniã Deus concurrit per voluntatem suam ad hunc actum meæ voluntatis liberum hic & nunc, nimirum ad amorem proximi, vel ad actum pœnitentiæ: ergò in se habet voluntatem determinatam, qua vult hunc actum in particulari esse hic & nunc: ergo vel habet voluntatem prius natura, quàm intelligatur voluntas mea se determinare ad actum illum, & sic præcedit Dei prædefinitio, vel habet Deus voluntatem illam nostro modo intelligendi, quasi expectata voluntate nostra, ita vt quia præuidit determinationem voluntatis meæ, ideo influit & concurrit, vt aliqui ex auctoribus oppositæ sententiæ dixerunt, & hoc est impossibile & minimè ferendum, vt ostensum fuit Sectione secunda præcedente. Tum quia hoc est contra Diuum Thomam. Tum etiam contra rationem causæ primæ vt sic, quæ prius influit in effectum. Tum denique, quia voluntatem liberè se determinare ad actum, non est aliud, quàm incipere actum producere: & ita nostro modo intelligendi prius natura voluntas efficeret actũ quàm Deus vellet illum efficere & concurrere: quod implicat. Et tandem quia Deus prius natura, siue prius nostro modo intelligendi præuidens determinationem voluntatis meæ præuideret etiam actum eius, quæ præuisio pertinet ad scientiam visionis: & sic scientia visionis præueniret Dei voluntatem, quod est contra prius dicta, & contra veram doctrinam. De hac re multa diximus superius, & etiam prima parte quæstione 22. art. 4. disputatione 1. de diuina prouidentia & quæstione 23. de diuina prædestinatione art. 3. disputatione 2. conclusione 3. Hæc tamen omnia, quæ hactenus dicta sunt amplius explicabuntur & aperientur cõclusione sequenti.

Sexta Conclusio.

Concluſ. 6. Omnes actiones liberæ bonæ & permiſsio malorũ operum fuerũt à Deo prædefinita ſuppoſita libera mundi creatione.

DICO sextò: supposita creatione mundi liberæ, & his quæ in illo à Deo facta, creata, & producta sunt, & fuerunt, suppositа etiam eiusdem orbis gubernatione, consequenter dicendum est, Deum prædefiniuisse omnia bona, quę ab ipso facta & producta fuerunt: & omnes actiones liberas bonas præcipuè supernaturales, & prædefinitam etiam fuisse permissionem malorum operum & peccatorum: idque requisitum esse ad exactam Dei gubernationem, & prouidentiam exercitam & vt res in tempore essent: & vt ante sui productionem essent verè & absolutè futurę. Hæc assertio certa est doctrina D. Thomæ, & eam tenet & supponit prima parte quæstione 103. & similiter supponit eam in eadem prima parte quæstione 19. 22. & 23. & etiam in eadem prima parte quæstione 25. de potentia art. 5. ad primum: vbi ait fieri nõ posse, vt Deus aliqua faciat, quæ non præsciuit, & præordinauit se facturum, quia ipsum facere subiacet præscientiæ, & præordinationi eius.

D. Thomas

Actus diuinæ voluntatis, quãuis ſit in re & formaliter vnicus, virtute tamen eſt multiplex.

VT autem melius hoc percipiatur aduerte, quòd quamuis actus diuinæ voluntatis sit vnicus & simplicissimus tamen est virtute multiplex, quia in eo est vnita omnis perfectio, quæ in varijs actionibus humanæ voluntatis reperitur partita & diuisa, & in eo est absque imperfectione vlla. Quocirca in illo actu diuinæ voluntatis quatenus liberè terminatur ad obiecta extrinseca reperitur propria ratio intentionis, electionis, & vsus, quia huiusmodi rationes vt tales sunt dicunt perfectionem, & possunt inueniri vnitę absque imperfectione vlla. Potest igitur Deus ita prædefinire actum liberum per modum intentionis cuiusdam proximi finis, vt per illam intentionem adiunctis alijs cũ imperio ad extra efficiatur opus. Vnde licèt intẽtio secundùm se dici possit internus actus, tamen si est efficax secum adducit electionem, & vsum in ordine ad extrinseca obiecta, ad quæ terminatur: ex qua etiam nostro modo intelligendi sequitur imperium, vt fiat determinatio ad extra: Et Deus ob infinitam perfectionem suam, cum intendit finem hunc, non intendit illum seorsum à medijs, sed simul cum illis, nimirum intendendo hunc finem per hæc media, & volendo hoc medium propter hunc finẽ, quod

Confirmatur.

est contra auctores oppositæ sententiæ quidquid ipsi dicant & in omne latus se vertant. Quare Deus intendens absoluta sua voluntate, & prædefinitiua, actum liberum fidei vel contritionis in particulari, simul etiam prædefinit illum per tale medium efficax, & suaue atque altum, quo moueat voluntatem ita vt medium sit certum & infallibile ad consentiendum: quia Deus non tantum vult actum illum fieri posse, sed vlterius vult de facto euenire efficienter proprie, sed suauiter voluntatem ad id mouendo.

Deus cum intēdit finē non intēdit illum seorsum à mediis, sed simul cum illis.

SVPPONO etiam in Deo esse prouidentiam rerum omnium, & hanc esse rationem rerum agendarum existentem in mente diuina: Gubernationem verò dicere eandem illam rationem quatenus in actiones seu effectus ad extra se prodit. Et hinc fit vt gubernatio sit expressio prouidentiæ, & directio ordinatorum in finen. Et sanctus Thomas prima parte quæstione 103. articulo primo in fine corporis sic concludit. Cum enim optimi sit optima producere non conuenit Summæ Dei bonitati, quod res productus ad perfectum non perducat. Vltima autem perfectio est vniuscuiusque in consecutione finis. Vnde ad diuinam bonitatem pertinet, vt sicut produxit res in esse, ita eas ad finem perducat quod est gubernare. Ex qua doctrina sequitur apertè, quòd cum Deus inferiora hęc gubernet: & ea produxerit in esse, ita etiam ea perducat ad finem, vt vltima perfectio posita sit in consecutione finis intenti. Ad hoc autem requiritur efficax intentio, ex qua hæc sequūtur quæ dicta sunt: ac proinde prædefinitio certa in particulari.

Gubernatio expressio p nidentiæ & directio ordinatorum in finem.

Cōficitur ratio ex dictis

Ex his conficio argumentum: Gubernatio est expressio diuinæ prouidentię, seu ratio rerum agendarum quatenus in actiones seu effectus ad extra se prodit, sed non potest ista expressio prouidentię ad extra se prodere in actiones & effectus nisi ex decreto libero volūtatis diuinę: ergò diuina prædefinitio requisita est ad exactam Dei gubernationem & prouidentiam exercitam, & vt res sint, & absolutè dicantur futuræ: ac proinde prouidentia cum expressione sui & cum gubernatione exercita constare non potest sine diuina prædefinitione & decreto libero voluntatis diuinæ. Alioqui quomodo se exeret prouidentia in sui expressionem & gubernationem sine decreto illo & prædefinitione Dei. Quod sanè maximè est verum, quia actus diuinæ voluntatis vnicus cum sit & simplicissimus, ita est virtute multiplex, vt in illo quatenus liberè terminatur ad obiecta extrinseca reperiatur simul propria ratio intentionis & vsus: ergò in hac eadem intentione volūtatis Dei concipitur etiam decretum & definitio eius circa determinationem rerum ad extra. Fauet etiam ratio Diui Thomæ prima parte quæstione 103. articulo quinto ad secundum, vbi postquam dixit, quòd gubernatio est quędam mutatio gubernatorum à gubernante, & quòd secundùm vnam artem Dei gubernantis, res diuersimodè gubernantur, secundùm earum diuersitatem, colligit quædā esse quæ secundùm suam naturam sunt per se agentia tanquam habentia dominium sui actus. Sed hæc gubernantur à Deo non solùm per hoc quod mouentur ab ipso Deo in eis interius operante, sed etiam per hoc, quòd ab eo inducuntur ad bonum, & retrahuntur à malo, per præcepta & prohibitiones, præmia & pœnas: ergò cum hæc quæ sunt ad extra moueantur à Deo interius operante, id fieri non potest absque decreto voluntatis suę liberè agentis & operantis ad extra.

Quod ratio D. Thomæ faciat p hac parte.

PRAETEREA Diuus Augustinus libro quinto de Ciuitate Dei cap. 11. ait. *Quòd Deus non solùm cælum & terram, nec solùm hominem & Angelum, sed nec exigui & contemptibilis animantis viscera, nec auis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium, sine suarum partium conuenientia derelinquit.* Ergò gubernationi Dei omnia subduntur: ergò & prædefinitioni & decreto & imperio libero ipsius Dei, etiam quantum ad omnia particularia. Nam etiam optimū in omni genere cognitionis practicæ, consistit in cognitione vsque ad particularia: particularia verò sunt, in quibus vt in terminis & subiectis, est actus seu operatio rationis practicæ vt exercitę ad extra: ergò sine voluntate Dei statuente hæc minimè fieri possunt: atque adeò, neque gubernatio, neque exacta prouidentia suppositā libera creatione mundi, & his quæ in illo producuntur & gubernantur constare possunt sine diuino decreto prædefiniente. Adde etiam quod gubernatio rerum tanto melior est, quanto maiorem perfectionem gubernantis communicat: ergo diuina gubernatio sic gubernat res vt illis in gubernando causas instituat, & operationes determinet, quæ omnia supponunt Dei decreta & prędefinitiones. Vnde qui negant hæc diuina statuta suppositā mundi productione libera, seu has prædefinitiones, videntur magna ex parte fauere opinioni dicentium, quòd hæc inferiora & singularia etiam quæ in rebus humanis fiunt non gubernantur à Deo, quod est erroneum.

D. Augu.

Duæ rationes ex sancto Thom. pro diuina gubernatione. Prima.

SANCTISSIMVS Præceptor loco citato cōstituit duas rationes pro diuina gubernatione, quatenus gubernatio est expressio diuinæ prouidentiæ, quibus ostenditur diuinam prædefinitionem seu decretum requiri ad exactam Dei prouidentiam exercitam & gubernationem quarum prima est: Quod secudnùm eandem rationem competit Deo esse gubernatorem rerum & causam rerum, quia eiusdem est rem producere, & ei perfectionem dare, quod ad gubernantem pertinet: Sed Deus est causa non particularis vnius generis rerum, sed vniuersalis totius entis: ergò sicut nihil potest esse quod non sit à Deo creatum, ita nihil potest esse quod non sit à Deo gubernatum, eiusque gubernationi subiectum: ac proinde præsupponitur accomodata prædefinitio & acco-

mo-

Secunda ratio D.Tho.

modatum decretum respectu gubernationis, quæ est expressio diuinæ prouidētiæ. Secunda ratio Diui Thomæ est, quam ille accipit ex ratione finis. In tantùm enim, alicuius gubernatio se extendit, in quantum se potest extendere finis gubernationis: Finis autem diuinæ gubernationis est ipsa sua bonitas: ergò cum nihil esse possit, quod non ordinetur in diuinam bonitatem sicut in finem, impossibile est quòd aliquod entium subtrahatur gubernationi diuinæ, consequenter neque à diuina voluntate, neque à decreto & prædefinitione eius, à quibus pendet quòd prouidentia eius se prodat in effectus ad extra: ergò negare hanc prædefinitionem Dei, de qua loquimur magna ex parte est negare prouidentiam & gubernationem bonorum actuum liberorum, & magna ex parte est negare prouidentiam quatenus ad extra se prodit per expressionem gubernationis.

Quòd si actus aliquis non prædefiniatur quòd nō ordinetur etiā in aliquem finem

SANE si Deus non prædefinit hunc actum in particulari, verbi gratia, pœnitentiæ vel amoris proximi: neque statuit illum, sequitur, quòd re vera & de facto non ordinat illum in aliquem finem: ergò læditur prouidentia illius actus, cum ad rationem prouidentiæ pertineat ordinatio rei in finem suum per media conuenientia. Rursus si demus, quòd auctores oppositæ sententiæ volunt nimirum, quòd quamuis prædefinitione seclusa, diuina prouidentia adhuc manet perfecta omnibus modis, & minimè læsa, etiam si non prædefiniat Deus hunc actum in particulari: sequitur ex hoc, quòd Deus non efficit illum actum in particulari ex intentione absoluta terminata ad ipsum, & quod fit veluti casu respectu efficacis voluntatis absolutæ Dei, non quidem respectu voluntatis antecedentis seu complacentiæ, sed respectu voluntatis efficacis & absolutæ in particulari: ergò in eo casu Deus ex perfecta prouidentia non influit in talem actum, sed ex prouidentia antecedente præcisè & ex generali complacentia.

FACIT etiam. Quoniam in eo consistit rerum gubernatio, vt scilicet ordinatio illa & directio rerum in fines, quę per actum diuinæ prouidentiæ ab æterno prædefinita est, executioni mandetur statuto tempore: Nam certè quod Deus per suam prouidentiam ab æterno statuit facere, certò ac infallibiliter facit, cum diuina prouidentia sit certa ac infallibilis, sicut & diuina voluntas efficax: ergò cum omnia per quæ res suppositò aliquo sui esse diriguntur in fines sint effectus gubernationis diuinæ, sequitur quòd prius præintelligitur prædefinitio eorum in particulari, patet sequela; quia quodam ordine rationis prius est velle res esse, imò verò prius quodammodo est res esse, quam res gubernari & regi, cum creatio seu productio, vel volitio creandi & producendi per quam res absolutè accipiunt esse absolutè, sint prius quodam ordine rationis quam gubernatio: sicut scientia & voluntas seu decretum Dei & dispositio rerum creatarum, quarum executio est creatio, prius secundùm rationem considerantur fuisse ab æterno in Deo, quam prouidentia, cuius executio est gubernatio: ergò oportet dicere quod hæc omnia præsupponunt ex parte diuinæ prouidentiæ prædefinitionem. Vnde ad diuinam prouidentiam ex parte gubernationis pertinet prædefinire quid, & quomodo possent Angeli agere in homines eosque custodire, incitare, & promouere, quod sine diuina voluntate & prædefinitione minimè fit, neque fieri potest, præsertim cum hęc ordinentur ad directionem & productionem bonorum operum: falsum igitur est aduersariorum fundamentum, quatenus dicit prædefinitionem istorum omnium non esse necessariam, vt Deus non solùm verè aut propriè habeat prouidentiam talium actuum, sed etiam neque vt perfectè habeat prouidentiam illorum.

Prio est res esse quā res gubernari & regi.

Testimonium Origenis quod adducitur ab aduersarijs non facit eis.

ADDVCVNT auctores oppositæ sententiæ testimonium Origenis homilia tertia in Genesim: qui cum dixisset Deum curare mortalia, nihilq; absq; eius prouidentia geri, neque in cælo neque in terra, subiunxit. *Memento quia nihil sine eius prouidentia geri dicimus, non sine voluntate: multa enim sine voluntate eius geruntur, nihil sine prouidentia.* Sed interrogo cum aduersarij citant hoc testimonium, quid sibi volunt; aut prætendunt? Nunquid volunt prætet culpas & peccata, multa sine volūtate Dei fieri ad extra? aut multa geri bona in humanis ab hominibus sine Dei voluntate aut decreto eius: Ergò cum nemo audeat dicere, quod sine voluntate Dei ista geruntur, imò neque in malis & peccatis sine voluntate permissiua: sequitur eos auctores malè dicere, aut aliquid velle occultare, cum hæc dicant, & similia testimonia adducant.

Omnia quæ fiunt à Deo subijciūtur non solùm præscientiæ Dei sed etiā præordinationi eius.

CVR ergò non erit receptum Theologorum dogma illas omnes res comprehendi diuina prędefinitione & prędordinatione, quæ indigent diuino influxu & concursu effectiuo, nam sine dubio omnes actiones, præcipuè supernaturales, etiam liberę & bonę, indigent in particulari hoc influxu & concursu effectiuo Dei: ergò omnes in particulari prędefiniuntur. Vnde Sanctissimus Prędceptor prima parte quæstione 25. articulo quinto ad primum apertè & eleganter dicit omnia quę fiunt à Deo subijci non solùm præscientiæ Dei, sed etiam præordinationi eius, qua præordinauit se facturum illa: quia ipsum facere subiacet non tantùm præscientiæ, sed etiam præordinationi: ergò omnes illę res, quæ indigent diuino concursu effectiuo, & non habent contrarietatem, neque dissonantiam cum diuinis attributis cōprehenduntur sub diuina præordinatione & voluntate prædefinitiua eius. Illa etiam quæ ex S. Thoma retulimus supra præsertim in disputatione de diuina gubernatione, confirmant esse dogma Theologorum receptum, res om-

nes illas comprehendi sub diuina prædefinitione & præordinatione, quæ indigent diuino influxu, & concursu effectiuo Dei: ergò falsum est quod non reperiatur apud Theologos antiquos recepta illa sententia, quæ dicit res omnes comprehendi diuina prædefinitione & præordinatione, quæ indigent diuino influxu & concursu effectiuo, illæ videlicet quæ non habent dissonantiam ad diuina tributa, neque ad diuinam bonitatem, qualia sunt peccata: cum igitur actiones omnes in particulari indigeant hoc influxu & concursu effectiuo Dei: sequitur quòd omnes prædefiniuntur in particulari.

ERGÒ quamuis præter ordinem & voluntatem aut conditionem alicuius causę particularis aliquis effectus euenire possit, non tamen præter ordinem & præordinationem causę vniuersalis. Cum ergò Deus sit prima causa vniuersalis, & infinita omnia transcendens, non vnius generis tantùm, sed totius entis, impossibile est quòd aliquid subter fugiat præordinationem Dei: ergò verum dogma est res illas cõprehendi diuina predefinitione & præordinatione quæ indigent diuino influxu & concursu effectiuo, &c.

Probatur prædefinitio ex eius possibilitate.

PROBATVR etiam, quod ex parte diuinæ prouidentiæ perfectè requiratur ista præordinatio & prædefinitio rerum in particulari. Nam certè vt ostensum fuit supra possibile est omnes actiones nostras prædefiniri à Deo, & hic erit perfectior diuinæ prouidentiæ ordo: ergò concedendus est: Maior ostendi potest, quoniam Deus omnia comprehendit, etiam modum agendi voluntatis nostræ, penetratque & scit artificiosum modum: motiua & circunstantias, quibus trahere potest voluntatem ad operandum, non solùm artificiosè efficienter propriè, & per influxum & intrinsecum concursum effectiuum: sed simul etiam moraliter, vt alibi fusius explicuimus: ergò intentum. Huic argumento auctores oppositæ sententiæ respondere conantur, dicentes forte posse concedi de potentia absoluta omnes actiones in particulari prædefiniri, si Deus alio modo temperaret vniuersum: sed de potentia ordinaria, secundùm optimum ordinem prouidentiæ, quem modo exercet esse impossibile, quia libertas voluntatis repugnat prædefinitioni. Sed quis non videat solutionem hanc esse voluntariam fugam: & potius confirmare nostram sententiam? Quia si vt isti auctores fatentur, actiones liberæ possunt prædefiniri in particulari cum omnibus circunstantijs suis de potentia Dei absoluta sine læsione libertatis: cur dicemus, Deum prætermisisse in prouidentia & gubernatione actuum bonorum huius vniuersi, hunc modum prædefiniendi: aut vnde habent præfati auctores, quod Deus re vera & defacto non fuerit vsus nunc hac prædefinitione, & præordinatione sua, prædefiniendo actiones liberas bonas in particulari, aut cur non vsus fuit Deus temperamento illo, quo sine præiudicio libertatis prædefinire & præordinare potest actiones òmnes in particulari? Quod verò libertati voluntatis repugnet prædefinitio bonarum actionum, hoc est pondus prælij inter nos & ipsos, & non debuissent supponere rem, de qua est controuersia, vt certam, sed potius probare illam efficacioribus argumentis.

Solutio quã adducunt aduersarij.

Impugnatur.

MOVEOR vlterius: quia omnes prædestinati prædefiniti sunt à Deo: ergò oportuit prædefiniri plures actiones liberas eorum à quibus pendebat executio & ordo salutis eorum. Vnde Diuus Paulus dixit prædefinitos esse omnes actus supernaturales in particulari ad Ephesios secundo dicens. *Creati in operibus bonis quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.* Ergò si huiusmodi prædefinitio non repugnat libertati istorum operum: sequitur quod non defuit Deo modus quo prædefiniret omnes actus bonos liberos. Quapropter optimè cernimus quod quoties datur auxilium efficax homo conuertitur, & quoties illo caret re vera & defacto non cõuertitur: ergò per influxum efficax & auxilium illud prædefinitur omnis actus supernaturalis.

Ex certa prædestinatorum prædefinitione probatur plures actus præcipuè supernaturales prædefinitos esse.

TANDEM si Deus non prædeterminaret aliquas actiones in particulari sequeretur, quòd illis actionibus propterea Deus prouideret, quia futuræ sunt, & quod non ideo futuræ essent quia Deus prouidit de illis & præordinauit aut prædefiniuit: quod non est dicendum, vt fusius in disputatione de scientia media seu neutra cõtra auctores oppositæ sententię ostẽdimus: ergò, &c.

Alia pro veritate probatio.

CVM igitur diuina prouidentia non dicat rationem speculatiuam sed practicam & operatiuam, cuius effectus est gubernatio ipsa rerum: sequitur, quod cum ipsa ratio diuina & potentia Dei non applicentur ad opus, nisi per voluntatem, quod prouidentia habet coniunctam voluntatem, seu decretum eius, aut prædefinitionem: de qua voluntate fuit tota concertatio, & de hac diximus ad perfectam prouidentiam requiri, cum prædefinitio significet decretum diuinæ voluntatis.

Argumentum aduersariorum: & eius solutio.

SED contra ea quæ diximus insurgunt auctores oppositæ sententiæ contendentes repellere hanc diuinam prædefinitionem rerum, & bonarum actionum in particulari: & quod ad exactam & perfectam prouidentiam nullo modo requiratur. Et argumentor à priori: Nam ad perfectionem diuinæ prouidentiæ, tria solùm videntur esse requisita, nimirum, scientia, voluntas, & potentia: sed ex nullo istorum est necessaria absolutè prædefinitio ad exactam prouidentiam, neque ad perfectionem illius: ergò nullum stat fundamentum firmum cur talis prædefinitio sit requisita: Maior est per se nota, minor verò quo ad primam

Argumentum aduersariorum, & ex nullo capite sit necessaria huiusmodi prædefinitio propter perfectã prouidentiam.

par-

Primò ex parte scientiæ.

partem de scientia probatur: Nam si fiat sermo de scientia simplicis intelligentiæ, prædefinitio non est necessaria ad perfectionẽ scientiæ Dei: quia illa supponitur perfectissima in Deo ante omne decretum liberum voluntatis suæ, & omnino independenter ab illo, quia talis scientia est simpliciter necessaria Deo: hoc autem decretum non est necessarium vt terminatur ad creaturas, quia vt sic est liberum vt de se patet: ergo. Rursus diuina hæc prædefinitio necessaria non est ad perfectionem potentiæ: quia vel est sermo de potentia secundùm se, vel quatenus applicatur ad opus. Et priori modi diuina omnipotentia prior est more nostro intelligendi & loquendi omni decreto libero voluntatis Dei, quia omnis perfectio talis potentiæ necessaria simpliciter est in Deo cum tamen libera decreta vt sic necessaria Deo non sint. Non igitur est necessaria prædefinitio propter perfectionem potentiæ diuinæ secundùm se. Quod si potentia consideretur quatenus applicatur ad opus ad extra, seu vt applicata ad ipsum opus, tunc in his, quæ operatur Deus per se ipsum immediatè, necessarium quidem est absolutum decretum voluntatis diuinæ vt prodeat in opus: Nam in his operibus & actionibus non requirit consortium alterius causæ, & ideo ex sola voluntate Dei pendet, quod effectus sequatur vel non sequatur: ac proinde necessarium est, vt absoluto decreto alterum istorum decernatur & prædefiniatur. In his vero, quæ Deus agit & operatur per secundas causas, & præsertim liberas, non requiritur neque est necessarium, tam absolutum decretum, ex vi diuini concursus necessarij ad actionem creaturæ: quia satis est, quòd Deus velit applicare potentiam suã ad concurrendum cum secunda causa, ipsa etiã concurrente.

Secundò q̃ non sit necessaria propter perfectionem potentiæ.

Neque ex hoc sequitur aliqua imperfectio in Deo vt concurrente cum secunda causa: Nam licèt ex vi talis voluntatis & applicationis ad agendum, nihil agat, imò neque possit agere, sine influxu causæ secundæ; id quidem non est ob impotentiam, sed ex voluntate sua: quia neque vehementius, neque absolutè voluit agere: idque ob suauitatem prouidentiæ suæ, qua vnicuique rei offert auxilium suæ naturæ accommodatum. Neque etiam sequitur, quòd voluntas creata prius influat quàm Deus, neque quòd determinet Dei potentiam ex parte eius, sed tantùm sequitur Deum non prius agere prioritate causalitatis, & quòd actio transiens respectu Dei, seu quæ est extra Deum, determinetur ad talem actionem ex concomitantia causæ secundæ. Hæc autem non dicunt imperfectionem vllã, sed potius commendant perfectionem diuinæ prouidentiæ, quæ sese accõmodat suauiter secundis causis, vt ipsæ operentur modo connaturali sibi. Tandem non sequitur influxum Dei tendere in incertum, aut in aliquid confusum, seu indeterminatum: quia Deus applicans potentiam hoc modo præcognoscit quid sit euenturum ex tali applicatione; & ad illud in particulari applicat influxum suum: ergò ad perfectionem diuinæ potentiæ seu causalitatis non requiritur in vniuersum illa prædefinitio de qua loquimur.

Vltimò, q̃ non requiratur ex parte voluntatis diuinæ.

Postremo non requiritur talis prædefinitio ex parte voluntatis diuinæ. Nam dupliciter possumus intelligere Deum velle actiones liberas bonas creaturarum. Primò quidem tanquam fines quosdam speciales & proximos: hoc est propter se ipsas & propter honestatem quæ in ipsis inuenitur: vt si dicamus Deum velle, vt ego nunc amem illum, propter amorem ipsum & excellentiam ipsius actus. Sicut etiam vult Angelum esse propter perfectionem eius, à quo fine proximo non excluditur, neq; repellitur, quin ordinetur ad finem vltimum diuinæ gloriæ. Secundò possumus intelligere Deum velle has actiones, vt media ad alium finem consequendum: sicut vult homini actiones liberas bonas meritorias vt per eas consequatur beatitudinem. Primo modo non est per se necessaria Deo prædefinitio illarum actionum ad perfectionem exactã prouidentiæ suę: quoniam neque est simpliciter & per se necessarium, vt Deus velit illo modo tales actiones, neque ex aliqua suppositione libera: ergò nullo modo: Nam profectò sicut est liberum Deo, & nullo modo necessarium velle simpliciter aliud extra se, ita velle hoc vel illo modo & hoc vel illo motiuo: ergò velle has actiones humanas propter perfectionem earum, & voluntate prædefinitiua, per sese & absolutè non est necessarium ad perfectionem diuinæ volitionis, seu diuini velle. Quòd si intelligamus Deum velle has actiones vt media ad alium finem consequendum, sicut vult actiones meritorias, vt per eas beatitudinem consequatur homo: neque ad hoc requiritur prædefinire has actiones: quia media vt media non sunt per se necessariò amata, sed solùm iuxta exigentiam finis & intentionis eius: ergò ex fine harum actionum, & ex modo quo Deus talem finem intendit iudicandum est vtrùm prædefinitio talium actionum sit necessaria. Tunc vltra sic argumentor. Finis ipse ad quem actiones istæ ordinantur non est semper prædefinitus à Deo, neque efficaciter intentus: ergò neque actiones ipse, quæ ad illum ordinantur, & propter ipsum potissimè poterant prædefiniri, erunt necessariò prædefinitæ, etiã si aliquando in rerum natura sint constituendę. Consequentia videtur euidens: antecedens autem patet ex communi doctrina, quæ dicit duobus modis posse Deum aliquem finem creaturæ intendere, nimirum vel absolutè & efficaciter, vt vult prædestinatos saluari: vel tantùm secundùm quid seu antecedenter, quo modo vult omnes homines saluos fieri, quæ voluntas vera & propria est in Deo, & magnos parit effectus, quamuis non sit tam absoluta sicut prior, neque ita infallibiliter im-

pleatur. Prior voluntas est propriè prædefinitiua non item posterior: ergo non spectat neque pertinet ad perfectionem prouidentiæ diuinæ ex parte voluntatis, quam supponit circa finem creaturæ, quod illa sit voluntas prædefinitiua: ergò nec de actionibus creaturæ quæ sunt media ad illum finem, necessaria erit prædefinitio, quia inter modum intendendi finem: & prouidendi media debet esse proportio.

Responsio ad argumentum pro aduersarijs factum.

Requiritur decretum Dei ppter ipsius scientiam quatenus terminatur ad res & vt est earum causa.

DISSOLVAMVS igitur argumentum quod nobis obijcitur ab auctoribus oppositæ sententiæ; non enim concludit, neque efficaciter ostendit aliquid contra nos. Decretum enim Dei liberum verè requiritur, quatenus scientia Dei terminatur ad res vt earum causa. Nam licèt scientia simplicis intelligentiæ supponatur in Deo ante omne decretum liberum Dei: tamen scientia vt terminatur ad res & vt causa earum, quæ adiunctam habet voluntatem; supponit nostro modo intelligendi decretum & voluntatem Dei. Supposito ergò quod voluit condere mundum, cuius prouidentiam & curam pariterq; gubernationem gerere debebat: fuit necessariò requisita prædefinitio & præordinatio atque prædeterminatio. Si autem non decreuisset condere mundum nihil horum esset necessarium de diuinis decretis eo modo quo nunc loquimur de illis.

DICO rursus hanc diuinam prædefinitionem seu hoc decretum Dei necessarium esse ad scientiam approbationis, & ad scientiam Dei vt est causa rerum adiuncta voluntate: quamuis ad solam scientiam simplicis intelligentiæ non sit necessaria propter rationem in argumento tactam ab aduersarijs. Quod præcipuè est verum, quia prouidentia rerum in Deo continet rationem omnium agendorum & ordinandorum in finem, & ita dicit respectum & quēdam ordinem seu habitudinem ad Dei prædefinitionem, eorundem agendorum & ordinandorum vt sic.

Quamuis non sit necessarium hoc decretū seu prædefinitio ad perfectionē potentiæ diuinæ in se, requiritur tamen ad exactam executionem potentiæ.

PRAETEREA libenter concedimus non esse necessariam hanc prædefinitionem ad perfectionem potentiæ diuinæ in se, sed esse necessariam ad perfectam & exactam executionem potentiæ vt se extendit ad extra in actu secundo. Et falsę sunt posteriores illationes argumenti, & magis falsum affirmare: quod Deus ita præcisè se habeat in rerum ordinata effectione, vt solùm velit applicare potentiam suam conditionaliter ad cōcurrendum cum secunda causa si ipsa voluerit: Hic enim est modus concurrendi imperfectus, & quasi cęcus & casualis. Ex quo etiam sequitur Deū expectare concursum voluntatis nostræ & quod est quasi prius quam concursus Dei: quod nos supra impugnauimus euidentissimis argumentis. Nam certè ex hoc etiam sequitur quod voluntas nostra determinat voluntatem Dei, & quod prius agit & vult: si enim Deus expectat concursum nostrum planè constat quod voluntas nostra de facto ita est prior vt voluntas Dei determinetur hic & nunc ad volendum hoc vel illud in particulari, & consequenter sequitur quod voluntas nostra determinat Dei voluntatem & quod prius velit hoc vel illud in particulari quam Deus. Vnde omnia quæ aduersarij in hac parte respondent proponentes hoc argumentum contra nos sunt euasiones friuolæ, & fugæ.

Tam in ordine ad ea quæ Deus per se ipsū operatur, quam quæ vult operari per causā 2. requiritur decretū Dei.

DICO ad hæc non minus requiri decretum Dei & voluntatis eius, vt prodeat voluntas eius in opus ad extra in his quæ Deus per se ipsum se solo operatur: quàm in his, quæ ipse operatur & vult operari per causam secundam: Nam in his quæ Deus operatur per secundam causam, non solùm Deus vult agere, sed etiam vult causam secundam agere, & vult etiam in eam influere & eam applicare & mouere ad agendum: ergò non minus requiritur decretum voluntatis suæ, vt prodeat voluntas eius ad extra in his, quæ Deus se solo operatur, quàm in his quæ operatur & vult operari per secundam causam: ergò Dei prædefinitio est necessaria ratione potentiæ Dei quatenus debet applicari ad opus quod liberè fit à Deo etiam per secundas causas. Fauet etiam, quòd vt Deus offerat auxilium conforme rerum causis & effectibus requiritur Dei voluntas hoc ita decernens: ergò, &c. Et sanè quod actiones bonæ & supernaturales re ipsa fiant, & quòd Deus in eas influat & in earum causas, hoc inquam est sufficiens signum prædefinitionis earum. Vnde quòd Deus offerat auxilium conforme, neque vehementius, neque maius aut minus, sed suaue, licèt sit efficax, & quod sit accommodatum naturæ rationali iuxta suauitatem prouidentiæ suæ ad hoc requiritur Dei voluntas, hoc ita decernens & determinans. Nam profectò hoc nemo negare potest.

QVOD autem Dei prædefinitio & decretum requirantur ad integram omnimodam & exactam Dei prouidentiam, hoc sanctus Thomas tanquam rem certam supponit & tenet 1. parte quęstione 22. articulo primo: nam quamuis ratio ordinis rerum in summo ipso opifice & principe sit æterna: tamen ipsa dispositio & executio ordinis, quæ dicitur prouidentia exercita, seu gubernatio, est quid temporale, & est circa existentia, quæ talia esse non possunt sine voluntate diuini decreti & prædefinitiua Dei. Vnde sicut præcipere de ordinandis in finem pertinet ad prouidentiā Dei, ita & decernere, disponere & prædefinire. Quare ita prouidētia est in intellectu, quòd supponit necessariò voluntatem finis: quia nullus præcipit de agendis propter finem nisi velit finem.

HINC fit quod sanctus Thomas prima parte quæstione 22. articulo 2. ad 4. agens de prouidentia iustorum & impiorum: affirmat, quod ex ecellētiori modo Deus habet prouidentiam

iusto-

Excellētior modo habet Dei prouidentiā in iustorū, quā impiorum.

iustorum quam impiorum : in quantum non permittit contra eos euenire aliquid : quod finaliter impediat salutem eorum : Hoc autem sine Dei decreto, prædefinitione & voluntate esse non potest : nimirum velle vt nihil eueniat quod impediat salutem eorum. Quocircà aliqui dixerunt prædefinitionem pertinere ad scientiam prædefinitiuam, quæ vere est causa rerum, ac proinde ad prouidentiam exercitam, vel vt exercendam. Adde rursus voluntatem Dei circa finem, qui est manifestatio suorum attributorum, & suæ gloriæ, & infinitatis, inuoluere; & habere voluntatem absolutam, & prædefinientem. Hunc autem finem consequitur Deus per omnes actiones creaturæ in singulari, ad quod requiritur prædefinitio Dei de ipso opere, vel prædefinitio permissionis cum voluntate concurrendi ad opus ipsum in particulari: & ob id sanctus Thomas, ex diuo Augustino affirmat, nihil esse omnino quod ordinem diuinæ voluntatis, & prouidentiæ, atque præordinationis subterfugiat. Quare non solum non repugnat Deo hæc bonarum actionum prædefinitio, sed etiam est illi maximè consentanea cum huiusmodi actiones sint bonæ, & honestæ, & à Deo amentur, neque ob eam definitionem auferatur libertas vlla, vt ostensum est.

Plures actiones prædefiniri à Deo, sine læsione libertatis sentiunt auctores oppositæ sententiæ.

Vnde auctores oppositæ sententiæ compulsi veritate huius doctrinæ concesserunt plures actiones prædefiniri à Deo, sine læsione libertatis, præsertim eas quæ ordinantur de facto ad aliquem finem particularem à Deo intentum efficaciter. Quod vero dicunt esse aliquas actiones bonas, quæ sequuntur solum ex ordine causarum vniuersi, seu ex quadam communi indeterminata, & generali prouidentia, hoc mihi non probatur, vt superiùs ostendimus. Nam certè Deus non tantùm prouidit in his quæ operatur, vel operaturus est ad extra secundas causas, sibi ipsis eas ita relinquendo, vt nihil vlterius de eis, aut circa eas, & earum actiones, & effectus decerneret, præter communem concursum, sed etiam circa finem, & media decreuit, cùm ipse Deus simul, & perfectissime intendat per media determinata finē. Atque hac ratione fuit prædefinitus à Deo cōsensus Virginis, quo voluit virum habere Ioseph. Negari enim non potest matrimonium illud, vtrilque nimirum Virgini & Iosepho, liberum fuisse, sed nihilominus fuisse prædefinitum, & non in confuso, aut in quadam abstractione, sed in particulari. Imò verò simili ratione prædefiniuit Deus voluntatem illam primorum parentum, qua voluerunt matrimonio copulari, & non reliquisse rem in confuso, aut sub quadam confusa prouidentia, vt malè multi senserunt, sine causa credentes per hoc lædi libertatem arbitrij, quem modum dicendi nos refutauimus. 1. p. q. 22. de diuina prouidentia.

Quis enim dicat Deum cum conuertit hominem peccatorem duræ cernicis, non solùm volendo concurrere ad actum conuersionis eusdem hominis, sed etiam vlteriùs consulendo, pulsando, inspirando, & plerumq; excitando, & tandem inclinando cor eius in ipsam conuersionem hoc Deum non decreuisse, & prædefiniuisse prius ex directa intentione antecedenter ad præuisionem huius operis hominis indurati? Nam ex induratione ipsius potius præuisio esset resistentiæ, quàm conuersionis.

Cōcluditur pertinere ad exactā prouidentiam hoc decretū, seu prædefinitionē

Pertinet ergo ad exactam prouidentiam Dei hoc decretum, seu hæc prædefinitio. Aliàs ex aduersariorum sententia sequitur apertè diuinam prouidentiam non esse infallibilem & certam, & posse frustrari, aut quod sæpè frustretur, & de facto impediatur, quod est contra perfectionem prouidentiæ diuinæ. Quod probo, quoniam ea quæ à Deo non sunt decreta, aut prædefinita, vt sint, & fiant vel vt permittuntur esse; & fieri sunt incerta, & frustrari possunt : igitur si actus boni tàm supernaturales, quàm boni morales non sunt à Deo prædefiniti, & decreti specialiter sequitur prouidentiam, quam Deus habet de illis non esse omnino certam, aut infallibilem, sed frustrari posse, & cassari. Nam certè prouidentia diuina per huiusmodi actus dirigit res in aliquos fines speciales : ergo si non prædefinit eos potest deficere talis prouidentia à fine, quam intendit, & hoc est prouidentiam incertam esse, & euitari, frustrari, & impediri posse, cùm tamen de certitudine, & infallibilitate prouidentiæ diuinæ, absolutè, & simpliciter loquendo, dubitari minimè possit. Neq; iuuat respondere, quòd infallibilitas, & certitudo pertinent ad intellectum, quod nos etiam fatemur, quia certitudo, & infallibilitas possunt pertinere non tantùm ad intellectum & cognitionem eius, sed vlteriùs etiam ad certitudinem ordinis, & dispositionis prouenientis ex decreto, & voluntate adiunctis. Vnde S. Thom. egregiè dixit absolutè loquēdo prouidentiæ ordinem esse infallibilem 1. p. quæst. 23. articulo 6. & non sunt audiendæ solutiones aduersariorum qui fugiunt à vero sensu D. Thomæ.

Soluitur arg. in forma.

Ex dictis ergò constat solutio argumenti superiùs : facti neganda enim est minor illius, nam decretum Dei liberum verè requiritur quatenus scientia terminatur ad res, vt earum causa modo superiùs explicato. Suppositò ergò quòd voluit Deus condere mundum, cuius prouidentiam, & curam pariterq; gubernationem gerere debebat, fuit necessariò requisita prædefinitio, & præordinatio, atq; prædeterminatio. Imò verò licèt ad perfectionem diuinæ potentiæ in se non dicatur esse necessarium decretum Dei, aut prædefinitio, tamē ad exactam, & perfectam executionem potentiæ, vt se extendit ad extra in actu secundo, & ad certitudinem infallibilem ordinis requiritur prædefinitio, seu decretum, vt etiam neq; magis, neq; minùs fiat, neq; aliter, neq; vehementius, neq; tardius quā

ipse decernat, & velit propter excellentiam, & suauitatem prouidentiæ suæ, deniq; omnia quæ in argumẽto tacta sunt ab aduersarijs, & ab eis obijciũtur manent soluta ex superius dictis.

Ad argumenta quæ in singulis opinionibus, & modis dicendi continentur solutio ex dictis constare potest.

Ex quibus constare possit solutio argumẽtorum.

ARGVMENTA quæ in principio huius sectionis tertiæ, & in discursu opinionum eius proponuntur ab aduersarijs, non erit difficile repellere, si quis rectè perpendat. Primò eos nihil scire, nisi scientiam mediam, quàm nos minimè admittimus, vt ex speciali tractatu à nobis composito constare potest. Secundò, quia falsum est Deum ex præuisione operum futurorum ante ipsius decretum dispositionem, & prædefinitionem, atque voluntatem in omnibus processisse, aut quod sit præuisio operum contingentium, & liberorum antecedenter ad Dei decretum dispositionem, & prædefinitionem. Tertiò, quia tota certitudo, & infallibilitas diuinæ prouidentiæ, quam isti constituunt, non excedit re vera certitudinem moralem, & non illam constituunt, cui non potest subesse falsum vllo pacto. Vnde corruit sententia Molinæ, quæ omnino fundatur in scientia media. Corruit etiam sententia illorum, qui solùm ex certitudine morali philosophantur, & non ex omnimoda, & infallibili, cui non potest subesse falsum. Corruit vlteriùs illa sententia, quæ affirmat non pertinere ad perfectionem prouidentiæ Dei, quòd prædefiniat in particulari actus bonos liberos per certa, & determinata media: quoniam hæc sententia, neq; omnimodã certitudinem diuinæ prouidentiæ assignat: sed tantùm præordinat talem mediorũ seriem confusam, vt si vnum nõ habuerit effectum aliud applicetur, & sic vagè, siue hoc, siue illud. Rursus quæ de hac re dixit Suarez, lib. 1. de auxilijs, multis & efficacissimis rationibus impugnata sunt.

Sententiæ supra positæ quomodo ex dictis de falsitate cõuincantur.

ILLA autem sententia, quæ tenet Deum posse prædefinire actum liberum voluntatis nostræ illæsa libertate eius, quando quædam circunstantiæ nostræ actionis prædefiniuntur, aliæ vero non item: satis manifestam habet repugnantiã. Nã certè si ex prædefinitione actionis, vel circũstantię tollitur, omnino libertas, vt hæc sententia dicit, in eo casu actus, & circunstãtia liberè minimè fiet, sed necessariò. Quia talis est natura prædefinitionis diuinæ, quã nos ponimus, vt iuxta aduersariorum placitum, repellat libertatem: in quo sanè decipiuntur valde. Et profecto obiectiones quæ in discursu huius opinionis à nobis ibi adducuntur non benè dissoluuntur ab aduersarijs, cum militent contra eos. Deniq; in ea opinione hinc inde multa adducuntur ab aduersarijs, quæ solùm deseruiunt ad cognoscendam difficultatem ex vtraq; parte, sed non concludunt aliquid certum, & indubitatũ. Postremo neq; D. Cyrillus, neq; Anselmus, neq; Hieronymus, neq; Aristoteles, ample ctuntur hanc sententiam, sicut neq; obiectionibus, & argumẽtis à nobis positis contra eã sententiam vllo pacto respondent auctores eius.

QVOD si dicas iuxta hanc opinionem, quòd si prædefiniatur instans in quo aliquis actus bonus & liber fieri debeat non prædefinita differentia numerica actus, quòd tunc actus ille manebit liber non solũ quoad differentiam numericam, sed etiam quoad totam substantiam. Cæterũ quoniam hæc libertas quamuis in totam substantiam actus refundatur emanat tamen à sola differentia numerica supposita necessitate eliciendi actum eiusdem speciei in eodem instanti. Sanè id ipsum nos dicere possemus, quia nobiscũ consentiũt in hoc quod affirmãt actũ illum fieri liberè: sed nos addimus vlteriùs, quòd etiam si omnia prædefiniantur non lædetur libertas. Rursus eo ipso quod potentia determinatur ad operandum, in hoc instanti determinatur etiam ad hanc numero actionem, quia nõ potest fingi aliud principium à quo determinetur: igitur non potest definiri instans in quo aliqua actio fiat libera, & bona, quin prædefiniatur differẽtia numerica eius. Imò verò cum definitur aliqua actio efficienda in hoc instanti, aut in illo determinatè, vt minimũ virtualiter, definitur differentia numerica.

Etiam si omnia quæ sunt in actione ipsa prædefiniantur non ideo lædetur libertas.

SVNT qui dicant, quod si prædefiniri posset differentia numerica alicuius actionis, non prædefinito instanti in quo fieret, quod supernaturaliter est possibile, maneret libertas: quia licèt totum actum necesse sit aliquando esse, nihilominùs quocunq; instanti exiſtit, potest nõ existere: ac proinde totus actus, quando exiſtit, liberè exiſtit. Vnde videtur esse simpliciter libertas sufficiens, tàm ad meritũ, quam ad peccatum. Imò verò vlteriùs addunt, quòd si definiatur, seu prædefiniatur totum obiectum materiale, & formale, circa quod actus ille debet versari, & differentia numerica etiam, & instans in quo producendus est talis actus, si tamen illius intensio non prædefiniatur, poterit actus esse liber quo ad se totum, veruntamen illius partibus non collectiuè, sed diuisiuè sumptis, dummodo actus non habeat minimũ intensionis, sed quacunq; exigua intensione data possibilis sit operãti alia minor. v. g. si ex vi prædefinitionis necesarium est elici actum Charitatis, & non est prædefinitus intensionis gradus, sed actum remissiorem, & remissiorem sine termino pro sua libertate elicere potest arbitrium, tunc quælibet intensio actus charitatis erit libera, quia illa potuit non esse, licèt aliquam vagè existere necesarium fuerit.

In propositis sententijs licet aliqua dicãtur quæ aduersarijs faueant, aliqua tamen con-

HAEC retuli ex aliorum opinione, qui quãuis oppositæ sententiæ in multis alijs faueant, tamen in his quæ modo retulimus aliqua dicũt, quæ & nobis fauent, & libertatem seruant: Quę quidem discutienda relinquo lectori, vt eius ingenium amplius appareat, & maior dicendi eãpus pro veritate nostræ sententiæ offeratur. Vnde libertate nõ læsa prædefiniri potest actio

cedũtur, ex quibus veritas poteſt noſtræ ſententiæ colligi.

in ſingulari cum omnibus circunſtantijs. Nã ad infinitam ſapientiã, & ad infinitã potentiã Dei pertinet nõ ſolum res illas fieri quas Deus fieri vult, ſed etiam eo modo fieri, quo Deus eas fieri vult. Vult autem Deus pro infinita efficacia ſua quoſdam effectus liberè, & contingẽter euenire ac proinde talia futura libera, & contingẽtia ita eueniẽt ſicut ipſe diſponit, & diſpoſuit, quo fit omnia futura cõtingẽtia, & libera certò cognoſci à Deo in diuino decreto cauſandi, vel permittẽdi actiõnes noſtras, quæ cognitio nõ poterit eſſe omniũ contingentiũ, niſi omnia in particulari cũ ſuis circunſtãtijs infallibiliter cõſequantur ex diuina volũtate, & ex illo diuino decreto cauſandi, vel permittendi, ſicut expediebat pro ſuauitate omniũ. Itaq; quãuis ſit infallibile elici actum, quẽ Deus prædefiniuit, veruntamẽ eadẽ ratione infallibile eſt fieri actũ eo modo, quo Deus prædefiniuit illũ fieri, vtrunq; enim pertinet ad Dei omnipotẽtiã, & perfectã prouidentiam exercitam, & ad ſuauitatem eius: ac proinde cum Deus voluerit actum fieri manẽte libertate, & poteſtate, vt non fiat, hæc poteſtas abſtinendi ab actũ prædefinito non reddit irritam prædefinitionẽ Dei, ſed potiùs illã implet.

Scotus.

S. Thom. D. Ambr. Henricus. Ricardus.

HANC tradit doctrinam non ſolum Scotus in 1. d. 39. q. 1. §. Viſo de contingentia, &c. ſed etiam tradit eam S. Tho. locis ſuperiùs citatis in hac controuerſia, & 3. contra Gentes, c. 94. ad 2. & 1. p. q. 22. & q. 19. arti. 8. ad. 2. Tradit etiam eam D. Ambr. li. 2. de vocatione Gentiũ c. 9. & 10. Et docuerũt idem Henricus 1. p. art. 36. q. 5. & Ricar. in. 1. d. 35. ar. 1. q. 5. quapropter doctrina quę in aduerſariorũ ſententia continetur, nõ ſolum reddit irritã prædefinitionẽ Dei, ſed etiã ſi admittat eã, putat ex ea lædi libertatẽ, q̃ nõ eſt verũ. Et prætereà malè concedit, quòd ſi cõcedẽda eſt prædefinitio in Deo illa quidem, vel debet eſſe tãtùm vaga, vel tãtùm in cõmuni, vel ſi fiat in particulari ait non poſſe cõſiſtere ſine læſione libertatis, quod nos impugnauimus ſupra. Hic enim modus prædefiniendi vagus, & in cõfuſo repugnat perfectioni Dei, & dũ vult ſaluare libertatẽ hominis repellit à Deo perfectionẽ ſuæ omnipotẽtię, ſapientię, infinitatis, & gubernationis, ſuę etiã, puidẽtiæ circa hæc inferiora. Quocircà qui ita loquuntur nõ plurimũ diſtãt ab eorũ ſentẽtia qui dicũt, ſufficere q̃ Deus diceret: volo eſſe aliquẽ mũdũ cũ creaturis intellectualibus, & operibus earũ liberis, nõ hunc, neq; illũ, ſed mundũ in cõmuni cũ creaturis intellectualibus, ipſarũque actionibus: tũc ſanè ſi hoc decretũ vagũ eſſet, nullus fieret mũdus, imò verò tale decretũ eſſet imperfectũ, & nõ poſſet Deo attribui. Ergò aliquid ſimile huic ſentẽtiæ videtur dicere, qui vagã & cõfuſam prædefinitionẽ conſtituunt in Deo, & decretũ quoddam in cõmuni. Valeant ergò iſti, & recedant à nobis cum ſuo modo dicendi.

Communis & vera ſolutio circa propoſita argumenta.

PROFECTÒ frequẽs ſolutio circa propoſita argumẽta, & ſatis trita reſpõſio eſt, actũ prædefinitũ præſuppoſita prædefinitione, neceſſariũ eſſe in ſenſu cõpoſito, non quòd ſit actus neceſſarius, aut nõ liber, ſed quòd nõ ſtent illa duo nimirũ actũ eſſe prædefinitũ, & quod nõ fiat. At verò liberũ eſſe in ſenſu diuiſo: ac proinde ſimpliciter eſſe liberũ, quia volũtas potuiſſet illum actũ nõ elicere; & ita dico prædefinitionẽ minimè inducere neceſſitatem, ſed ſolũ inducere incõpoſsibilitatẽ in ſenſu cõpoſito, nimirũ, quòd ſtet actu decretum Dei, & prædefinitio eius de aliquo actu in particulari, & quòd hac ſtãte prædefinitione actus de facto nõ fiat, & quòd actu ſit irrita Dei volitio efficax & abſoluta de aliquo actu in particulari, & quòd ſimul ſtet omiſſio eius. Quia nõ facere actũ prædefinitum, manẽte prædefinitione, eſt fruſtrare prædefinitionem re vera: Quæ quidẽ ſolutio eſt D. Tho. D. Bona. Ricar. & aliorũ quos ſuperius retulimus.

Obijciũt cõtra ẽa quæſdã difficultates.

VERVM cõtra hãc ſolutionẽ inſurgũt difficultates: quia hæc ſolutio ita generaliter accepta eſt difficilis, & nõ plenè ſatisfacit: Quoniam vel aſſumit hoc generale principiũ: nulla ſuppoſitio aufert libertatẽ, quamuis ex ea inferatur actus; vel tantũmodo vult aliquã ſuppoſitionẽ eſſe eiuſmodi, vt nõ auferat libertatẽ, quãuis ex illa neceſſaria ſequatur actus. Primũ eſt prorſus falſum: quia plures ſunt ſuppoſitiones quæ auferũt libertatẽ, cũ certũ ſit Deũ poſſe neceſsitare volũtatem noſtrã ad actũ bonum ſi velit, tũc enim ex ſuppoſitione aufertur vſus libertatis & illa neceſsitas eſt in ſenſu cõpoſito. Pari modo amor Dei in patria nõ eſt liber, & tamen eſt neceſsarius ex ſuppoſitione viſionis infiniti boni, qua ſuppoſitione ſublata amor ille vt in via foret liber. Si vero dicatur ſecundũ, ſcilicet aliquã eſſe ſuppoſitionẽ, quæ libertatẽ non auferat, quãuis actũ neceſsario inferat, iã diminuta erit ſolutio, quia nõ explicat quæ ſuppoſitio libertatem auferat, quæ vero relinquat, & quæ ſit ratio diſcriminis.

Augetur vis difficultatis.

EXPLICATVR ampliùs hæc difficultas, quia ad libertatem requiritur, vt poſitis omnibus requiſitis ad operandum voluntas poſsit operari, & non operari, ſed vnum ex requiſitis eſt voluntas diuina de præbendo concurſum & auxilium: ergò ſi illa poſita non eſt poteſtas abſtinendi ab actu non manet libertas.

Quæ ſuppoſitio auferat libertatem, quæ verò non.

SED profectò quãuis ſuppoſitio antecedens poſsit auferre vſum libertatis, ſi ex ea neceſsitaretur volũtas, ſicut neceſsitatur ad amorẽ Dei in patria, tamẽ ſi ſuppoſitio eſt cũ modo libero volũtatis, minimè neceſsitabit illã, & talis eſt ſuppoſitio diuinorũ decretorũ circa actiones bonas liberas futuras. Nõ enim decernit Deus, aut cõcurrere ad actiones quas prædefinit, aut mouere volũtatẽ niſi ſuauiter, hoc eſt ſeruato modo libero eius, ſcilicet cũ cõferẽtia, & collatione, & cũ poteſtate reſiſtẽdi, ita vt influxus Dei circa volũtatẽ fiat cũ depẽdẽtia libertatis eiuſdẽ volũtatis, ita quòd nõ ſortiatur effectũ niſi cõſentiẽte, & nõ reſiſtẽte volũtate, cũ aliàs in ſenſu diuiſo poſsit reſiſtere. Rurſus hoc explicari poteſt. Nã certè actio volũtatis verè eſt libera, quamuis non poſsit non eſſe, ex ſuppoſitione quòd voluntas ſe determinauerit iam ad illam, & ad

electionem medij actualem. Et pari modo actualis electio medij vnici est libera, quamuis non possit non esse supposita actuali, & efficaci intentione finis: ergò simpliciter loquendo libertas manet cũ illa necessitate in sensu composito.

Omissio actus prædefiniti à Deo nõ solũ moraliter, sed neq; physicè est compossibilis cũ decreto Dei.

CVM ergò solutio superiùs data sit grauissimorum Theologorum non est repellenda, sed amplectenda. Scio tamen quosdam esse Theologos huius ætatis, qui censent prædictam solutionem ita posse commodè intelligi, vt cum prædefinitione non sit compossibilis moraliter omissio actus prædefiniti, quamuis sit physicè cõpossibilis in sensu composito. Sed profecto non solùm omissio actus prædefiniti à Deo non est compossibilis moraliter cum prædefinitione, & decreto Dei, sed neque est physicè actualiter compossibilis in sensu composito, propter rationes supra tactas: quia aliàs de factò frustraretur Dei voluntas efficax, & absoluta, & frustrarentur diuina decreta. Et licèt voluntas sit physicè etiam libera, & possit resistere quia est sensus diuisus, tamen nunquam stabunt simul illa duo, quòd Deus prædefiniat fore actum liberum bonum hic & nunc, vt verbi gratia consensum Virginis Sanctissimæ, & quod non sit talis actus, & hæc simultas inducit compositionem, & incompossibilitatem omissionis ipsius actus cum decreto, & prædefinitione Dei, non tamen inducit in sensu diuiso incompossibilitatem ad posse, cum diuinum decretum factum fuerit à Deo ea ratione, qua ipse vult voluntatem nostram suauiter moueri cum modo eius libero: qui non consistit in hoc quod est omittere, & non facere id quod à Deo decretum, & definitum est, sed potiùs in hoc quod est agere iudicio libero, absq; iudicio infixo à natura, id ipsum quod sancitum est à Deo volũtate sua absoluta seruato modo libero voluntatis creatæ, quem Deus impertitur voluntati suauiter, & efficaciter.

Dei prædefinitio non solũ est certa, sed nec frustrari aliqua ratione potest.

QVOCIRCA omissio alicuius actionis bonę & liberæ, non solum non est compossibilis moraliter cum prædefinitione eius, sed neque est compossibilis in sensu composito cum eadem prædefinitione Dei, seu decreto eius. Quare non solum Dei prædefinitio est certa, & infallibilis, sed etiam nullo modo frustrari potest. Quod verò non sit compossibilis omissio boni operis, aut consensus eius, oritur ex incõpossibilitate duarum contradictoriarum de inesse: & præterea, quia istæ sunt incompossibiles Deus prædefinit contritionem meam, & efficaciter vult meam conuersionem, & ego non conteror. Nam valet non conteror, ergò Deus non prædefiniuit. Et idem argumentum est si dicas, Christus dixit Petro ter me negabis: nam quamuis in sensu diuiso Petrus possit non negare non obstante prædictione Christi, tamen si ponatur in actu quod non neget, quia hic est sensus compositus sequitur Christum non dixisse, & sic arguitur à sensu diuiso ad compositum, & à propositionibus de inesse ad propositiones de possibili: sed de hac solutione plura dicemus statim, respondentes ad opinionem immediatè sequentem.

Ad illam opinionem positam post initium huius sectionis cuius titulus est: Quorundam huius ætatis opinio, &c.

PROFECTÒ quid dicendum sit ad Auctores huius opinionis satis constare potest ex discursu sectionis huius. Censemus enim non esse compossibilem omissionem actualem amoris prædefiniti à Deo in Petro, cum ipsa Dei prædefinitione. Quia non stant hæc duo: Deus prædefinit dilectionem Petri, & ille nõ diligit. sicut non stant illa duo: Deus prædestinat Paulum & recessum eius in gratia, & amicitia Dei in vltimo instanti vitæ suæ, & ille non moritur in gratia, neq; recedit ab hac vita in Dei amicitia. Et simili modo non stant hæc duo, Deus prædestinat Paulum, seu prædefinit eius vltimam salutem cum finali pœnitentia, & ille non saluatur, aut non pœnitet in vltimo vitæ instanti.

Obiectio cõtra solutionem.

SI DICAS, si hoc esset verum, actus amoris prædefinitus à Deo necessariò erit: ergò non erit liber: ergò non rectè cohæret, neq; conciliatur libertas hominis cũ diuina prædefinitione: probatur consequentia, quia voluntas quando operatur liberè, quamuis illi remaneat sola libertas physica, nihilominùs absolutè potest non operari: ergò absolute frustrare poterit prædefinitionem diuinam, si voluntas est libera circa actum prædefinitũ. Probatur consequentia, quia non facere actum prædefinitũ est frustrare prædefinitionem: ergò posse non facere est posse frustrare. Hoc potest primo explicari. Quia possibili posito in esse nullũ sequitur inconueniens, sed posito in esse, quod nõ eliciatur actus prædefinitus, sequitur magnum inconueniens, nimirum irritam fieri diuinam prædefinitionem: ergò non est possibile prætermitti actum prædefinitum. Rursus explicari potest hoc ampliùs: nam in bona consequẽtia si antecedens est necessarium, consequens debet esse necessarium, & non potest esse contingens: sed hæc est bona consequentia; Deus prædeterminauit hũc actum fore, ergò hic actus erit, sed diuina prædefinitio est iam necessaria: ergò cõsequens, scilicet actus prædefinitus nõ est iam liber, sed necessarius.

Solutio obiectionis.

HVIC obiectioni pro primo antecedẽte stat doctrina cõmunis. Vnde actus prædefinitus nõ erit necessariò, sed liberè. Quia prædefinitus est liberè fore, non necessariò necessitate repellẽte libertatem, sed infallibilitate euẽtus cũ modo libero, sicut à Deo prædefinitus est. Et cũ dicitur quod si liberè fit actus ille poterit frustrare absolutè diuinã prædefinitionem, negatur cõsequẽtia: quia fit argumẽtũ à sensu diuiso ad compositum. non enim stare possunt illa duo simul:

Quod immodo argumentandi aduersariorũ fiat argum. à diuisa ad cõpositam.

Deus prædefinit hunc actum fore, & iste actus non est neque erit: quia hic importatur sensus compositus. Quòd si dicas potest homo non facere actum prædefinitum: ergò potest stare frustratio diuinæ prædefinitionis & omissio illius actus seu diuini amoris. Negatur consequentia: quia in eo modo argumentandi & discurrendi semper fit argumentum a diuisa ad compositam: quare non valet voluntas est libera circa actum prædefinitum à Deo: ergò stare potest in re omissio eius actus prædefiniti: Nam etiam hic fit argumentum à diuisa ad compositam, nimirum quod actus prædefinitus omittatur postquam prædefinitus est à Deo.

Alia solutio & modus dicendi

Noviores Theologi quibus non placet hic modus respondendi, alium excogitare curant. Dicunt enim quòd libertas physica, & moralis infallibilitas non repugnant in eodem tempore eodem modo considerato, & respectu eiusdẽ actus, ac proinde, quod pari ratione poterit esse infallibilitas, & libertas physica respectu eiusdem actus in particulari, & in eodem instanti. Pro cuius doctrinæ intelligentia considerant, quòd libertas physica non est aliud, quàm voluntas, & intellectus sui compotes per deliberationem operantes, & habentes omnia principia continendi se ab actu, quæ omnia habet ille, cui propter destitutionem specialium auxiliorum infallibile est aliquod peccatum longo tempore. Libertas autem moralis dicitur illa, quæ non solùm postulat quod sit aliquis actus voluntati possibilis, & liber, tanquam actus moralis liber: sed vlterius requiritur, vt sit possibilis moraliter: id est sine maximo aliquo excessu præponderante. Vnde aliud est actum moralem esse liberum, & aliud est esse moraliter liberum. Adde etiam, quòd necessitas physica est simpliciter necessitas, at verò moralis non est simpliciter necessitas, & ob id solet appellari infallibilitas.

Quo supposito ad obiectionem supra tactam, imò verò ad argumenta in opinione posita respondent. Fuit enim argumentum tale: Petrus, verbi gratia, potest absolutè omittere amorem in sensu composito manente prædefinitione amoris, quia adhuc illa manente est liber: ergò potest frustrare prædefinitionem amoris. Respondent inquam concedendo antecedens, & negando consequentiam. Et quando vlterius vrges consequentiam positam hoc modo: Quod non elicere amorem prædefinitum est frustrare prædefinitionem, vt constat ex terminis: quoniam non facere quod voluntate absoluta & efficaci Deus vult fieri, est directè contra voluntatem Dei efficacem, & contra potentiam Dei quæ per talem voluntatem efficacem applicatur: Sed Petrus potest absolutè potestate physica omittere amorem: ergò potest frustrare prædefinitionem amoris. Probatur consequentia: quia si omissio est frustratio, potentia omittendi est potentia frustrandi, vt possibilis omissio est possibilis frustratio. Respondetur distinguendo maiorem, & minorem. Nam omissione amoris in re posita frustraretur quidem diuina amoris prædefinitio: cæterùm non frustraretur quatenus omissio procedit à potestate physica omittendi amorem: Quia prædefinitio non solùm non excludit potestatem physicam omittendi, sed etiam expressè vult manere talem libertatem, vt actus sit liber. Verumtamen omissione amoris in re posita frustraretur prædefinitio, quatenus talis omissio procederet a potestate & libertate morali, sine qua certum esset, quòd nunquam existeret in re omissio amoris, quamuis possit existere: At qui libertas moralis ad omittendum amorem, quam certo & infallibiliter infert omissio amoris in re existens, directè pugnat cum prædefinitione amoris, sicut pugnat cum infallibilitate amoris ex vi circunstantiarum, quam infallibilitatem existere in mente prædefiniuit Deus, & amorem non prædefiniuit, nisi media illa infallibilitate. Præterea minorem similiter distinguunt auctores doctrinæ traditæ. Nam Petrus amorem prædefinitum omittere potest potestate physica, sed non potestate morali, sine qua certum est non esse omittendum amorem prædefinitum, quamuis possit omitti.

Solutio obiectionis modò positæ per distinctionem de potentia physica & morali.

Vnde cum infertur: ergò Petrus potestate physica potest frustrare prædefinitionem: nego consequentiam. Et ad eius probationem respondetur distinguendo: Nam omissio amoris non est frustratio prædefinitionis, nisi vt omissio procedit ab ea potentia, quam excludit prædefinitio, ac proinde potentia physica omittendi amorem non est potentia physica frustrandi prædefinitionem amoris, quia talis prædefinitio non excludit potentiã physicam omittendi, cæterùm quia certum est nunquam futuram esse omissionem amoris, nisi detur etiam potentia moralis ad illam, ideo quoties omissio amoris extiterit in re erit frustratio prædefinitionis.

Potentia physica omittendi actũ prædefinitũ non est potẽtia physica frustrandi prædefinitionem.

Sane communiter Theologi dicunt posse concedi, quòd potest homo facere aliquid, ad quod, si ponatur in esse, sequitur quòd Deus non præsciuit, neque voluit illud fore. Nam Petrus potest damnari, & si ponatur in esse Deus nunquam præsciuit neque voluit illum esse saluum. Et si ponatur in esse quod Petrus non peccet, sequitur, quòd Deus nunquam sciuit Petrum peccaturum. Et pari modo Petrus potest mori in peccato impœnitentiæ, quod si in eo moriatur, tunc faceret aliquid ex quo sequeretur quod Deus nunquam præsciuerit Petrũ esse saluandum.

Sed contra ea quæ dicta sunt de libertate physica & morali, sic obijcio: Repugnare videtur infallibilitas moralis, & libertas physica in eodem actu & in eodem instanti, quia actus non potest esse infallibilis nisi impossibilis sit omissio illius, si autem impossibilis sit

Obiectio cõtra modò dicta.

omis-

omissio non est libertas ad actum: Quod patet, quia infallibilis connexio actus cum voluntate, & circunstantijs illius est ordo effectus ad causam, & causę ad effectum, sed in causa non aliter existit actus nisi secundùm potentiam ad illum, & impotentiam ad illius omisionem, quia in causa non potest actus esse infallibilis propter existentiam, quam habet actus in se ipso, sed tantùm propter esse quod habet in causa, sed in causa non reperitur alia ratio nisi potentia & impotentia: ergo, &c. Et confirmari hoc potest: Quia si impossibilis est omissio actus, iam actus est necessarius, nam sunt æquipollentia, impossibile non, & necessarium: ergò idem actus non est liber. Rursus potest magis confirmari, quia in ordine ad causam non potest esse infallibilis actus, nisi causa sit determinata ad illum actum: ergò causa non est indifferens & libera.

Confirmat.

Solutio. Infallibilitas moralis est quædam necessitas & determinatio actus in sensu cõposito.

Hvic obiectioni responderi potest, ex ea conuinci infallibilitatem moralem esse quãdam necessitatem & determinationem actus, & impossibilitatem omisionis in sensu composito: Verumtamen non est necessitas simpliciter. Consistit autem in hoc formaliter quod voluntas ex eo quod est essentialiter inclinatio in bonum cognitum, & ex eo quod habitus, & aliæ quædam circunstantiæ ex natura sua voluntatem impellunt: sequitur vt semper voluntas infallibiliter amplectatur illud bonum, in quod omnium circunstantiarum pondus maximo quodam excessu præponderant, quamuis verè habeat omnia, quæ requiruntur, vt idem bonum repudiet, ac proinde absolutè possit illud repudiare. Dicitur maximo excessu, quia nõ quilibet excessus sufficit ad infallibilitatem actus: imò verò requiritur fortis illa & suauis Dei motio, qua attingit ea omnia quæ disponit suauiter & efficienter, vt fiant & exequantur. Rursus dicitur hanc non esse necessitatem simpliciter, sed solùm secũdùm quid, quia relinquit libertatem simpliciter sufficientem ad perfectissimum meritum, vt patet in conuersione Diui Pauli, & in confirmatis in gratia & in Christo Domino.

Necessitas physica in quo à morali distinguatur.

Verum obserua quòd necessitas physica non eo distinguitur à morali, quod à natura physica voluntatis proueniat sed eo quòd sit eiusmodi vt non relinquat physicam potestatem omittendi. Quam tamen non exercet Deus circa liberum arbitrium necessitando ipsum cum attemperet concursum suum, & suauiter moueat efficienter propriè voluntatem nostram, cui motioni subiecta est ex conditione sua voluntas: quia id postulat liberum arbitrium creatum, quòd etiam vt liberũ subijciatur suo creatori & motioni efficienti Dei sub morali determinatione, & cum collatione & conferentia ex parte intellectus. Et hinc fit vt possit relinqui potestas omittendi physica etiam & moralis, quia non fit neque est physica determinatio more brutorum aut causarum merè naturalium quæ agunt per infixam determinationem ad vnum, sed est verè motio efficiens sub determinatione tamen morali, quæ relinquit potestatem omittendi etiam suo modo physicam. Hæc quæ dicta sunt attentè oportet aduertere, quoniam in eis interdum contraponuntur cum solutionibus oppositæ sententiæ, illa quæ nos ex propria sententia censemus veriora vt exerceantur ingenia, & vt veritas non deseratur. Quod præcipuè factum est, quia illa prædeterminatio efficiens, quæ fit sub determinatione morali cum efficacitate & suauitate influxus diuini attingentis fortiter & suauiter, minimè lædit physicam libertatem.

Actus noster non resultat quomodocunq; ex diuino decreto efficaci, sed cum quadam dependentia à determinatione libera voluntatis

In qua re solerter considera quòd absolutè loquendo noster actus non resultat quomodocunque ex diuino decreto efficaci, nimirum necessariò; sed resultat cum quadam dependentia à determinatione libera voluntatis nostra à Deo præscripta & ordinata, quæ cum sit physicè libera similiter potuit physicè non esse: ac proinde etiam posito decreto diuino influendi effectiuè & concurrendi, adhuc in sensu composito actus voluntatis est liber & exercetur liberè, & absolutè & simpliciter potuit actus ille non esse: sed non ob id sequitur potuisse frustrari diuinum decretum: quia nunquam stant simul compositiuè propositiones illæ de in esse, nimirum quòd Deus prædefiniat & decernat actum, & quod simul detur omisio illius actus. Vnde actus nostri præcisè qua ratione effectiuè emanant à diuino decreto, nullam inde habent libertatem formalem: sed ex suppositione, quod Deus ita decreuit vt euenirent liberè, per inde se habet Deus respectu nostrarum actionum ad extra, vt voluntatem moueat fortiter, suauiter attingendo ipsam, & circa eam influendo cum quadam etiam dependentia à determinatione morali, sub qua Deus etiam efficienter propriè voluntatem mouet: consequenter Dei decretum, & moraliter & efficienter propriè determinat.

Quæ physica determinatio libertati opponatur: quæ verò non.

Moralis verò determinatio accipi potest pro ea tantùm, quæ per obiecta & motiua cognita fit: & consequenter determinatio physica pro ea, quæ fit per effectiuum influxum & concursum. Verumtamen hæc acceptio physicæ determinationis non opponitur libertati, sed tantùm illa physica determinatio, quæ omninò repellit potestatem oppositi actus inducendo omnimodam necessitatem: & hæc quandoque fit per obiectum cognitum, vt in patria, quandoque autem per effectiuum influxum necessitantem & repellentem collationem & conferentiam, modumque omnem liberè agendi. Et è conuerso libertas physica potest manere, siue actus determinetur morali infallibilitate per effectiuum influxum & concursum, siue per motiua allicientia. Imò verò cernimus dari posse voluntati qualitatem, quæ illam infallibiliter determinet ad

actum

tum, & nihilominus libertatem partiatur, vt constare potest de habitu, qui est in voluntate cuius influxus efficiens est, qui licèt talis sit non repellit, quin voluntas determinet se ipsam: certum est enim concursum effectiuum habitus intensi & vehementis influxumque illius voluntatem vehementer & efficienter impellere, & nihilominus ex hoc non repelli libertatem voluntatis, neque liberam eius determinationem. Vnde quamuis futuritio actus liberi ex vi præparati auxilij efficacis certa sit, adhuc tamen manet voluntas physicè indifferens, quia potest resistere, quamuis moraliter determinata, quia sub tali motione morali auxilium illud effectiuum suum munus peragit.

DICVNT aliqui hunc influxum & concursum effectiuum attemperatum esse, quasi ad modum concurrendi habituum intensorum, qui nihilominus voluntati subduntur quoad vsum illorum. Nam certè ex modo influendi Dei circa voluntatem, cùm hoc fiat per collationem arbitrij & conferentiam eius, & cum quadam coniunctione ad determinationem moralem voluntatis, ex hoc modo concurrendi cum modo libero, semper relinquitur deliberandi tempus, & potestas considerandi omnia, & rationes quibus permoueatur voluntas ipsa.

Et si nulla creatura dicatur resistere voluntati Dei, voluntas tamen libera vt sic dicitur habere physicã potentiam vt omittat actum.

ET tandem dicunt, quòd quamuis nulla creatura dicatur resistere voluntati, & potentiæ Dei, nihilominus voluntas libera vt sic habere potest physicam potestatem omittendi eum actum ad quem diuina voluntas determinatur efficaciter per concursum & influxum, non quidem necessitantem, sed per concursum & influxum infallibilitantem: tunc enim posse omittere actum prædefinitum non est frustrare neque posse frustrare Dei decretum & voluntatem.

Solvuntur.

AD illud verò argumentum, quo nos vrgent aduersarij: Quod posibili posito in esse nullum sequitur inconueniens: iam ibidem ex quorundam calculo dedimus responsionem & solutionem aliquorum. Nam illam maiorem: Posibili posito in esse nullum sequitur inconueniens: ita explicare volunt, vt nullum sequatur inconueniens in eo genere posibilitatis, quo est posibile: at verò in alio genere posibilitatis poterit sequi aliquod inconueniens, vt in simili dicitur circa infallibilitatem. Quare posito in esse compositiuo, quòd manente prædefinitione amoris omittatur amor, de facto sequitur magnum & ingens inconueniens, scilicet decipi diuinam scientiam, & frustrari diuinam voluntatem, potentiam, & prædefinitionem, & sequitur inconueniens physicum simul & morale contra infallibilitatem moralem amoris, & inde sequitur inconueniens cõtra scientiam: ac proinde frustratur prædefinitio Dei.

ILLA verò argumenta quæ sunt numero tria: quæ ab aduersarijs, seu ab auctoribus illius opinionis post exordium huius Sectionis adducuntur, non est difficile soluere aut diluere. Nam certè si non implicat Deum velle constituere Petrum sub sola præmotione morali sine vlla effectiua circa voluntatem, non constat quo pacto esset infallibilis amor hic & nunc, cui non posset subesse falsum, quod requiritur ad veram infallibilitatem respectu Dei, & ad eam certitudinem, cui non potest subesse falsum. Omitto esse, & mihi videri implicationem Deum præmouere voluntatem moraliter, & non simul præmouere effectiuè propriè seu physicè. Quia præmotio moralis fit per applicationem obiectorum rationum & circunstantiarum, & aliorum quæ moraliter impellunt arbitrium nostrum: quæ omnia minimè fiunt sine præmotione & influxu efficiente circa voluntatem: nam quo pacto mouere potest obiectum & applicari circa voluntatem, aut quo pacto mouebunt repæsentationes rationum, nisi simul quasi fundamentaliter intelligatur præmotio applicationis istorum omnium in voluntate recepta, cum moralis præmotio esse non possit sine fundamento physico? Inuoluitur enim & implicatur semper motio propriè physica seu efficiens propriè, quando datur motio efficiens moralis. Aliàs motio illa moralis esset sine fundamento physico. Quare negatur, quòd secluso hoc physico fundamento effectiuo, ex sola moralitate præcisa infallibilis sit amor ille, ita vt prædefinitioni morali non possit subesse falsum: quòd Deo tribui non potest. Nam profectò sola infallibilitas moralis præcisè non est omnimodo infallibilitas, quia tantùm est moralis & quæ ex sua natura non repellit physicam deceptionem.

2. argumenta quæ à nobis, & pro illa prima opinione adducuntur.

Ad primũ argum. 1e rationem.

AD illud verò quòd non alia ratione possunt prædefiniri actus liberi nisi ea ratione qua continentur in causis infallibilibus relinquentibus libertatem physicam, & quod hoc non potest esse certum nisi per scientiam mediam: respondetur negando minorem, nimirum quod hoc non possit esse certum nisi per scientiam mediam. Nam potest esse certum per prædefinitionem Dei & per decretum eius vt satis ostensum est supra. Secundò respondetur, quòd actus liberi prædefiniũtur à Deo, vt fiant à causis liberis. Rursus etiam prædefiniuntur à diuinis decretis, ita vt id quod Deus mente sua disposuit circa ea quæ sunt ad extra compleantur ex ratione suæ prouidentiæ, & suæ gubernationis, quæ dicitur expresiua prouidentiæ. Hoc autem Deus disposuit & prædefiniuit antecedẽter ad omnem præuisionem futurorum, sed non ad omnem cognitionem posibiliter futurorum: idque Deus decreuit, prædefiniuit & disposuit fieri, tanquam primum prędeliberans & tanquã primus auctor prouisor & definitor. Et ante hoc ridiculum est existimare Deum ex

Antecedenter ad omnẽ præuisionẽ futurorũ decreuit & disposuit Deus quid vna quæ causa factura esset.

præ-

præuisione futurorum, quæ aliàs euentura erant processisse ad prædefinitionem per scientiam mediam seu neutram, quam aduersarij constituunt. Nam antecedenter ad hoc solùm ex cognitione possibilium, seu possibiliter futurorum processit Deus ad definiendum de futuritione rerum etiam contingentium. Quocirca actus liberi prædefiniuntur à Deo, vt re vera à causis liberis, seu à libero arbitrio de facto fiant & eliciantur cum modo libero eiusdem voluntatis. Et quando dicitur quod actus liberi non alia ratione possunt prædefiniri nisi ea qua continentur in causis infallibilibus relinquentibus libertatem physicam. Verum est hoc: sed non continentur in causis liberis infallibiliter vt sic, nisi ex infallibili Dei dispositione & decreto: aliàs non erit infallibilis certitudo eorum. Rursus ratio prædefiniendi formaliter non est quia continentur infallibiliter in causis contingentibus, sed vt fiant de facto à causis in quibus potentialiter sunt. Vnde si Deus tantum prædefiniret libera contingentia ex eo quod continentur in causis liberis ex vi huius, prædefinitio non esset infallibilis, & ita certa vt ei repugnaret subesse falsum, quia cum talis certitudo tantùm sit moralis non est infallibilis omninò, quia solùm est certitudo secundùm quid, scilicet moraliter, cui non repugnat deficere, si precisè consideretur, quatenus est sola moralis certitudo.

Ad secundam rationem.

Ad secundam verò rationem fatemur scientiam illam mediam fictam ab aduersarijs, quam nos negamus, si per impossibile daretur non cognoscere nisi solam moralem certitudinem, sed nihilominus negandum est Deum prædefinire ex vi scientiæ mediæ: quia ad prædefinitionem diuinæ voluntatis, & diuinæ prouidentiæ solùm præintelligitur scientia possibilium seu possibiliter futurorum. Facta autem hac prædefinitione de futuritione actuum liberorum non stat infallibilitas euentuum cum omissione & frustratione aliqua diuinorum decretorum.

Ad tertiã.

Ad tertium patet ex dictis hic & in discursu Sectionis. Negandum est enim quod repulsa scientia media aduersariorum, non possit prædefiniri absolutè actus liber. Vnde negandum est ex tali prædefinitione sequi absolutè esse necessarium & nullo modo liberum amorem Petri in singulari prædefinitum, quamuis verum sit voluntatem absolutam posse resistere & non facere, & hic habet locum distinctio posita de sensu compositio.

(?)

Ad argumenta illius opinionis, in §. Quorundam sententia: quòd non requiritur fortis concursus.

Ad primũ argumentũ

Ad argumenta prædicto loco contenta manifestè constat eorum solutio & responsio si considerentur ea quæ de diuinis prædefinitionibus & auxilijs gratiæ Dei dicta sunt: & de efficaci auxilio gratiæ Dei. Certum est enim Deum ea mensura posse augere influxum & auxilium suum, vt ab ipso reddatur & efficiatur efficax: & efficaciter atque suauiter inclinans voluntatem ad actum liberum, cum quadam infallibilitate ad diuinam ordinationem & dispositionem. Sed negandum est actus liberos & contingentes ita necessariò resultare ex præexistente decreto Dei, sicut illuminatio resultat ex Sole. Nam illuminatio resultat ex Sole cum quadam determinatione, naturæ ad vnum, sine vlla cognitione, conferentia, aut collatione, & sine modo aliquo libero à quo pendeat illuminatio resultans ex Sole, sicut pendet actus liber à collatione, & conferentia prædefinita, & à modo libero, quem Deus prædefiniuit, quo voluit liberè actum euenire: ipsum attingendo fortiter, & disponendo suauiter, iuxta conditionem voluntatis. Et ad confirmationem negatur quod actus liber eodem modo resultet ab influxu diuinorum auxiliorum gratiæ Dei, sicut gratia resultat in animam dum fit à Deo. Et ad postremam confirmationem negatur consequentia: quia voluntas non determinatur determinatione necessaria, sed determinatione libera cum modo libero cognitionis & conferentiæ & collationis, & cum potestate ad oppositum: quamuis existente efficaci hoc auxilio Dei, compositiuè simul non se compatiantur quod Deus prædefiniat, & moueat suauiter & efficaciter, & quod voluntas non consentiat de facto.

Non resultant actus liberi ex decreto Dei sicut illuminatio ex sole.

Ad confirmationem. 1. & 2.

Aliter alij respondent.

Alii Theologi sunt, qui conantur aliter respondere ad argumentum. Respondent enim negando antecedens, quia absolutè loquendo noster actus non resultat necessariò ex diuino decreto efficaci præcisè, ad hoc vt sit liber, sed resultat suauiter dependenter, seu cum quadam dependentia à determinatione physicè libera nostræ voluntatis, quæ physicè potuit non esse: ac proinde posito decreto diuino concurrendi effectiuè: adhuc in sensu composito actus est liber: potuitque non esse, sed non ob id sequitur potuisse frustrari diuinum decretum, vt supra ostendimus: Nam potuisse frustrari diuinum decretum inuoluit sensum compositum, & sanè à Deo est prædefinita dependentia actus liberi à voluntate & à determinatione ipsius arbitrij: quæ est determinatio libera, de qua supra diximus esse decretã à Deo & dispositam, vt ita fieret & eueniret.

Sane iuxta istorum responsionem duæ

con-

confirmationes præcedentes prioris argumenti dissoluuntur aliter: Constare enim potest solutio primæ confirmationis: Nam quando Deus concursu effectiuo eleuat aquam ad producendam gratiam, illud decretum concurrendi, vt sortiatur effectum, neque petit liberã cooperationem aquæ, neque expectat illam: neque rursus exigit connexionem aut dependentiam libertatis, sicut etiam non petit liberæ cooperationis expectationem, quæ aquæ conuenire non potest. Vnde constat discrimen illius à decreto efficaci concurrendi effectiuè ad nostrum actum: Nam concursus effectiuus Dei ad nostrum actum exigit & petit connexionem libertatis & liberæ cooperationis. Hinc soluitur etiam secunda confirmatio: Nam si Deus se solo produceret actum, non respiceret neque expectaret concursum liberum nostræ voluntatis, cæterùm quamuis Deus effectiuo concursu determinet tam moraliter quàm efficienter voluntatem nostram, adhuc tamen ipsius cõcursus efficax & suauis ita determinat voluntatem vt ipsa etiam se determinet sub determinatione Dei: Quare ille Dei concursus determinat voluntatem, non quomodocunque, sed per coaptationem & conformitatem respectu nostræ voluntatis physicè liberam, ac proinde talis concursus determinans, non solùm determinat, sed veluti determinatur, ex diuina ordinatione & dispositione: per comparationem ad nostram voluntatem, non solùm moraliter, sed etiam physicè liberam.

Aliter etiã dissoluũtur confirmationes.

Ad secundum argu.

Volũtas ad actum liberum & determinatur à Deo & se ipsam determinat.

Ad secundum argumentum respondetur negando illud membrum antecedentis, quo asseritur voluntatem non se determinare ad actum, sed determinari ab efficaci concursu effectiuo solùm. Nam certè non solùm determinatur voluntas & applicatur à Deo ad operandum tam moraliter quam efficienter, sed etiam ipsa se determinat, & liberè se agit & cooperatur cum quadam dependentia à determinatione Dei. Quocirca voluntas propter effectiuum Dei concursum, moralem & efficientem non se determinat more pecudum. Nam bruta cum determinatione ad vnum operantur ex iudicio à natura infixo, sine conferentia & collatione: & habent effectiuum Dei concursum sub ea ratione determinantem ipsa, quod longè aliter euenit in creatura rationali & in voluntate agente cum collatione & conferentia. Quare non probat argumentum, quòd voluntas non se determinet proter concursum eundem effectiuum quem habet datum à Deo cum quadam proportione, & connexione ad naturam & conditionem voluntatis, & veluti cum quadam dependentia conformitatis ad liberam cooperationem eiusdem voluntatis. Imò verò aliquando cernimus voluntatem, propter concursum effectiuum intensissimi & perfectissimi habitus determinari ad agendum, & nihilominus se liberè determinare sub eodem effectiuo concursu, vt superius interpretabamur: quod exemplum aliqualem habet similitudinem in proposito.

Ad tertiũ.

Moraliter & efficienter propriè determinatur voluntas à concursu Dei.

Physica determinatio quæ excludit potestatem actus oppositi aufert libertatem.

Ad tertium respondetur: concursum Dei determinare moraliter, & efficienter etiam, alliciendo voluntatem, & determinare infallibiliter ad actum, & determinare propriè efficienter. Et quando infertur: ergò aufert libertatem physicam: negatur consequentia. Nam certè infallibilitas actus voluntatis non solùm est moralis in suo genere, sed etiam physica, vt declaratum est. Rursus etiam argumentum factum fundatur in quadam equiuocatione: Nam determinatio moralis accipi potest pro ea tantùm quæ per obiecta & motiua cognita fit, & consequenter determinatio physica pro ea, quæ per effectiuum concursum fit: cæterùm hæc acceptio physicæ determinationis, seu efficientis propriè, non opponitur libertati, sed ea tantùm physica determinatio, quæ vel fit more pecudum, vel quæ prorsus excludit potestatem oppositi actus, quæ quãdoque fit per obiectum cognitum, vt in patria, quandoque verò per effectiuum influxum necessitantem, vt superius dictum est: & è contra libertas physica potest manere, siue actus determinetur per motiua allicientia, morali quadam infallibilitate, siue determinetur per concursum effectiuum cum quadam conformitate ad liberam cooperationem, & cum connexione motiuorum allicientium, & cum connexione effectiui concursus. Exemplum autem positum in argumento nihil contra nos concludit. Nam licèt aliquam videatur habere similitudinem, tamen absolutè est dissimile, quia impetus impellens Petrum extra ciuitatem imprimendus esset in corpore Petri, in quo actu exteriori nulla est libertas, quia est in corpore Petri: ac proinde in productione illius impulsus, seu impetus & in motũ inde resultante nihil haberet libertatis perinde ac impetus lapidis & nihilominus voluntas Petri esset libera, & cogeretur in actu exteriori, non in interiori elicito. At verò per decretum efficax Dei immediatè effectiuum actus in voluntate formaliter libera, pròducendus esset actus cum coaptatione & conformitate connexionis liberæ cooperationis, & libertatis eiusdem voluntatis quasi dependenter à libertate physica eius, non quod Deus, pendeat, sed quod non fit per concursum immediatè effectiuum ipse actus sine connexione libertatis & liberæ cooperationis. Esset autem quodammodo simile exemplum si imprimeretur impetus corpori Petri ea mensura temperatus, vt quamuis Petrus physicè posset illi resistere per conatum suum, cæterùm infallibile foret, vt Petrus non resisteret ob maximam difficultatem sine vlla vtilitate, & tunc libertate physica exire posset Petrus è ciuitate, sicuti liberè elicit actum prædefinitum efficaci concursu. Et ad confirmationem respondetur concursum illum non ita prorsus determinare voluntatem, vt hoc fiat, sine connexione

Ad confirmationem.

liber-

libertatis, & sine conformitate dependentiæ liberæ cooperationis: Nam concursus diuinus ita determinat voluntatem, vt sub eius determinatione ipsa se determinet infallibiliter, quāuis liberè: ac proinde in illo decreto effectiui concursus videbitur à Deo actus infallibiliter futurus.

Ad quartū argumentū

Ad quartum argumentum aliqui respondēt idem argumentum prorsus fieri posse quando actus prædefinitur per motiua infallibilia, & dicendum esse, quòd quamuis antequam supponatur futuritio actus certa sit illius futuritio ex vi præparati auxilij efficacis, adhuc voluntas manet physicè indifferens, quamuis moraliter determinata. Nos tamen consequenter ad nostram sententiam aliter respondemus, nimirum prædefinitionem Dei certò inferre actum voluntatis nostræ seu determinationem eius, veluti effectum inde prouenientem, nō quomodocunque, sed cum connexione liberę cooperationis. Quare prædefinitio Dei per effectiuū concursum moralem simul & efficientem, non infert actum nisi simul inferendo determinationē voluntatis cum quadā coaptatione & conformitate ad libertatem eius, & hoc modo non infert necessitatem, quia prædefinitione ista supposita adhuc voluntas manet libera, cum Deus eam determinet cum quadam coaptatione & conformitate ad libertatem eiusdem voluntatis, quę etiam se determinat sub illa determinatione Dei, & sic talis determinatio dicitur esse determinatio libera, quæ fit ex iudicio libero, & ex nō iudicio à natura infixo necessitante ad vnum. Prædefinitio autem seu decretum Dei de actu seu determinatione voluntatis intelligitur esse vt causa illius determinationis nostræ, seu illius actus voluntatis. Itaque simul infert determinationem voluntatis & actum: nam per ipsum actum, quem elicit determinatur à Deo: & ipsa se determinat, & non sunt duo actus, vt alibi diximus.

Prædefinitio Dei non infert actū, nisi, simul inferat determinationem voluntatis cū conformitate ad libertatē eius.

Ad quintū

Ad quintum respondetur nonnullos respondere explicando maiorem & negando minorē: Quia potest dari voluntati qualitas, quæ illam infallibiliter determinet ad actum, & tamen libertatem substineat & compatiatur, vt multi dicunt de habitu, & hoc modo dicunt determinare voluntatē concursum illum diuinū ad effectum de quo loquimur. Respondetur tamen iuxta nostram sententiam voluntatem nostram non ita determinari per vnam aliquam actionē ab extrinseco productam distinctam, & separatam ab actione qua ipsa se determinat, sed magis per eandem actionem quam elicit determinare se ipsum sub determinatione Dei, quæ prioritate rationis & naturæ tantùm, non temporis præintelligitur, & hac ratione neganda est minor argumenti: Et nihilominus ad maiorem dicendum est, quod si voluntas eliceret actum aliquem ex qualitate infusa determinante iuxta conditionem voluntatis, & iuxta coaptationem libertatis eius tūc liberè operaretur. Vnde non necessitat influxus effectiuus Dei talis qualis est iste de quo est sermo, quia exigit propter coaptationem, & conformitatem quam habet cum voluntate connexionem libertatis & liberæ cooperationis.

Pereandem quam elicit actionem se determinat voluntas, non per aliā diuersam.

Ad sextum argumentum respondetur, Deū pro sua sententia posse necessitare voluntatem ad aliquem actum effectiuo influxu necessitante & auferente modum liberum agendi ipsius voluntatis, & determinando eam ad vnum more pecudum determinatione necessaria. Vnde negatur illa propositio argumenti, nimirum quod non sit alius modus effectiuè influendi & concurrendi quandocunq; prædefinitur actus ex vi concursus effectiui. Nam certè quando prædefinitur actus ex vi effectiui concursus, cum quadam coaptatione & conformitate ad voluntatis conditionem, tunc talis effectiuus concursus aut influxus, non adducit necessitatem sed infallibilitatem. Non enim alligata est Dei sapientia cum potentia eius coniuncta ad vnū modum influendi effectiuè necessitatē, sed potius se extendit ad influxum effectiuū liberè determinantē cum potentia ad oppositum, qui concursus voluntatem determinat etiam relicta libertate physica, qui sanè modus concurrendi, & influēdi attemperatus est ad vsum voluntatis, & videtur aliquam similitudinem habere ad modum concurrendi habituum. Qui etiam modus concurrendi cum voluntate est proportionatus, & cōnaturalis magis ipsi volūtati, & essentiæ eius: Vnde non est concursus necessitans, sed relinquit liberum arbitrium cū collatione, & conferentia.

Ad sextum

Potest optime Deꝰ suo influxu nostrā necessitare voluntatē ad aliquem actū.

Ad septimum: negatur antecedens iuxta nostrum modum dicendi, & ad probationem negatur consequentia. Nam licèt sit repugnantia in actibus contradictorijs, quia repugnat simul voluntatem Petri actu amare Deum & non amare, tamen non repugnat Deum efficaciter velle concurrere vt Petrus infallibiliter amet, & nihilominus in potestate Petri esse posse non amare. Nam profectò compossibilia sunt amor infallibilis & efficaciter volitus & potestas physica non amandi. Dico secundò quod licèt Deus non posset simul velle cōcurrere ad omittendū amorem, nihilominus posset amor esse liber, quia mera omissio amoris non indiget vllo cōcursu Dei: quia quod nihil est non indiget concursu effectiuo.

Ad septimum.

Compossibilia sunt amor infallibilis & potestas physica non amādi.

Ad octauum respondetur, concedendo primam consequentiam, & negando vltimā. Nam quamuis voluntas creata nullam habeat potentiam resistendi voluntati absolutè & potentiæ diuinæ, nihilominus potest habere physicā potestatem omittēdi eum actum, ad quem diuina voluntas determinat per influxum & concursum tantùm infallibilitātem & non necessitantē, qualis est concursus, qui à Deo tribuitur suauiter, & cum quadā coaptatione & conformitate ad libertatem voluntatis & naturæ eius: tūc enim posse omittere actum prædefinitum non est resistere, neque frustrare, aut posse frustrare diuinum beneplacitum absolutum & efficax

Ad octauū

Dei

Dei, sed solum est voluntatem esse liberam, & liberè agere posse, & operari iuxta modum liberum illi à Deo consensum, & donatum, vt fusè satis explicuimus superius in discursu huius controuersiæ, & sectionum eius.

Ad rationes postremæ sententiæ in . §. Quod non possit prædefiniri actus liber in determinato instanti, quatenus aliqua dicunt contra nos, respondetur.

AD rationes postremæ sententiæ in exordio opinionum, ante decisionem nostram respondetur. Negamus enim nos, non posse actum liberum in tempore determinato euenturum à Deo prædefiniri. Nam certè satis apertè ostensum fuit contra recentes Theologos prædefiniri à Deo actus liberos humanos præcipuè supernaturales, etiam in aliquo instanti determinato. Neque repugnare libertati eorum generalem rationem diuinæ prouidentiæ, neque influxum, motionem, aut concursum Dei. & S. Thomas prima secunda quæstione 9. articulo 6. ad 3. nunquam somniauit, neque sensit, quòd quando Deus noster determinatè ad aliquid determinat volendum, sicut euenit in his quos mouet per gratiam, quod homines ipsi non se determinent voluntariè, & liberè, sed quòd ita se determinant, quòd simul mouentur à Deo per gratiam, & se mouent atque determinant sub determinatione, & motione Dei. Huic doctrinæ est conforme id quod sanctus Thomas apertè docet prima parte quæstion. 83. articulo. 1. & quæstion. 105. articul. 4. in solutionibus argumentorum, vbi ait quod hoc quod est moueri ab alio non repugnat huic quod est moueri à se, ac proinde, quod si agens ita moueatur ab alio, quod etiam se moueat, non auferatur à tali agente libertas, & liberè agere. & loquitur Sanctus Thomas de motione proprie effectiua qua voluntas mouetur à Deo.

D. Thomas explicatur.

ET hoc non esse tantundem atque loqui de inclinatione, & determinatione ad bonum in vniuersali, & in communi, cum Deus inclinat & determinat voluntatem ad bonum in vniuersali, & in communi. Hæc enim inclinatio & determinatio indita à Deo voluntati nostræ ad tale bonum in communi, est obiectum proprium voluntatis, & adæquatum, sub cuius ratione fertur, quod obiectum non potest subterfugere: ac proinde necessitatur ad bonum in communi quoad specificationem actus. Cæterum ad aliquid determinatè volendum, vt cernitur in exercitio, ita mouetur à Deo, vt se liberè moueat ad speciale & particulare bonum. Caietanus in comment. illius articuli circa responsionem ad 3. dicit, quòd quia Deus non solum potentiam voluntatis dat, sed etiam actum volendi clausum in omni actu volendi, nimirum volitionem boni, quia in omni volitione clauditur hæc volitio boni sicut principium in conclusione: Idcircò S. Thomas in litera dixit, quòd ex hac volitione, quæ se habet vt principium, voluntas se determinat per rationem ad hoc vel illud bonum particulare, siuè verum bonum siuè apparens bonum, & quod sine præsuppositа volitione inclusa nihil potest omninò velle, sicut neque intellectus potest quicquam intelligere sine cognitione principiorum. Et de hac volitione inclusa circa bonum vt sic in communi loquitur Sanctissimus Præceptor. 1. 2. quæstion. 9. articul. 6. in corpore, & ad 3. de qua inquit opportere voluntatē moueri ab alio etiam quo ad exercitium actus, quia secundum hanc fertur actu in finem, & ex hac vult quidquid vult, quæ sanè non impedit quo minus homo se determinet per rationē ad volendū hoc vel illud, quod vel est vere bonum, vel apparens bonū, & hoc non aufert quin minus voluntas moueatur liberè ad aliquid determinatè: etiam si sit supernaturale, quamuis specialiter per gratiam à Deo moueatur, vt dicitur in materia de gratia, & nos ibi diximus.

Caietanus.

Sinè volitione boni in communi nō potest voluntas aliquod bonū in particulari velle.

NAM cum prima parte quæstion 105. articulo, 4. interrogasset, Vtrùm Deus possit mouere voluntatem? arguit in hunc modum. *Motus magis attribuitur mouenti, quàm mobili, vnde homicidium non attribuitur lapidi, sed proiicienti: ergò si Deus mouet voluntatem sequitur, quòd opera voluntaria non imputarentur homini ad meritum vel demeritum: quod est falsum: Ergo Deus non mouet voluntatem.*

D. Thom.

HVIC difficultati respondet S. Thomas supposito prius testimonio Pauli ad Philippenses. 2. vbi Paulus ait. *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere:* Quod supposito dicit Sanctissimus præceptor. *Quòd si voluntas ita moueretur ab alio quod ex se nullatenus moueretur, opera voluntatis non imputarentur ad meritum, vel demeritum, sed quia per hoc quòd mouetur ab alio nō excluditur, quin moueatur ex se, idcircò non tollitur ratio meriti, vel demeriti.* Quare solutione ad 2. dicit Diuus Thomas. *Quòd moueri voluntariè est moueri ex se, id est à principio intrinseco: sed illud principium intrinsecum potest esse ab alio principio extrinseco, & ita moueri ex se non repugnat ei, quod est ab alio moueri.* Et loquitur S. Thomas. etiam de motione propriè efficienti: vt Caietanus in postrema parte articuli insinuat loquens de motione voluntatis, quia ipsa mouetur à Deo: inquit enim, quod mouere obiectiuè voluntatem communicatur alijs à Deo: mouere autem ab intus nulli communicatur, quia solus Deus illabi potest libero arbitrio. Et hinc constat solum Deum mouere efficienter propriè volūtatem, & non tantum obiectiuè, & moraliter, quia hoc etiam communicatur alijs. Vnde in corpore articuli idem S. Thom. dicit, quod sicut intellectus mouetur ab obiecto, & ab eo

Ad Philippens. 2.

Mouere vō luntatēobiectiuè, communicatur alijs à Deo; mouere autem ad intus nulli cō municari potest.

qui dedit virtutem intelligendi, ita volũtas mouetur ab obiecto quod est bonum, & ab eo qui creat virtutem volendi. Et in eadem 1. p. q. 83. articul. 1. ad 3. dicit Deum esse primam causam mouentem & naturales causas, & liberas seu volũtarias, & quòd sicut naturalibus causis, eas mouendo non aufert quin actus earum sint naturales (& loquitur de motione propriè efficiẽti qua mouet naturales causas) ita mouendo causas liberas, seu voluntarias, non aufert quin actiones earum sint voluntariæ, sed potius hoc in eis facit: operatur enim in vnoquoque secũdum eius proprietatem.

Quòd expro uidẽtia quã aduersarij ponunt non habeatur certitudo futuræ actionis.

RVRSVS ex prouidentia quadam confusa, & influxu quasi confuso, sicut ab auctoribus oppositæ sententiæ constituitur, non sequuntur infallibiliter, & omninò certo actiones taliter prædefinitæ, confusa inquam prædefinitione, sed sequuntur actiones bonæ præcipuè supernaturales certò, & infallibiliter ex perfecta prouidentia, qualis reperitur in Deo ex perfecta prædefinitione. Nam cum prouidentia sicut & prudentia sit ratio in intellectu existens præceptiua ordinationis aliquorum in finem, & ordinatiua omnium, sequitur quod necessariò debemus præintelligere volitionem præexistentem in Deo, seu decretum voluntatis. Vnde prædestinatio aliquorum in æternam salutem præsupponit secundùm rationem quod Deus illorum velit salutem, & quod prædefinierit eã & sanciuerit, sicut S. Thom. egregiè docuit. 1. p. q. 23. arti. 3. Hinc constat homines à Deo determinatè moueri ad bonum aliquod in particulari agendum. Falsum igitur est S. Thom. docere necessarium esse actum prædefiniri à Deo solùm vagè, & in communi: nam etiam si prædefiniatur actus à Deo in particulari voluntas manet re vera libera, vt ostensum fuit supra.

Solutio ad primam rationem.

EX DICTIS deduco primam rationem adductam ab auctoribus oppositæ sententiæ nihil concludere contra nos. Nam ex hoc quòd Deus cognoscat futura contingentia certò, & infallibiliter ob præsentiam in æternitate, non sequitur falsum esse, Deum vel non prædefinire actus bonos in particulari, vel si eos prædefinit non cognoscere eos in sua prædefinitione certo, ita vt talis cognitio non possit eludi aut frustrari. Sanè si non prædefiniret eos in particulari, sequeretur quod neque eos videret, neque cerneret intra mensuram æternitatis. Si autem actus bonos prædefiniat suaque prouidentia disponat, atque prudentia, quæ est præceptiua ordinandorum in finẽ, tunc Deus non solum cernit bona opera in hac prædefinitione & decreto, sed etiã cognoscit illa ob futuritionem habituram eorum inclusam in æternitate, in qua continetur omne tempus, & latitudo durationis infinitæ. Lege etiam optime lector quæ nos pro nobis diximus in discursu huius primę rationis, vbi multa retulimus contra recentiores aduersarios. §. Verum vt in re propria. quo in loco nos quasdam obiectiones proposuimus contra eosdem aduersarios.

AD secundam rationem aduersariorum dicendum est: neminem de facto conuerti nisi habeat efficaciam gratiæ Dei, & idcircò qui non conuertuntur carent illa efficacitate gratiæ ob defectum suum. Rursus negandum est non posse à Deo prædefiniri actionem liberam ante præuisionem illius, imò verò in ipso decreto prædefinitionis diuinæ præuidetur ipsa actio quam Deus sanciuit fore, & ob id ordo eius ad existentiam includitur intra mensuram durationis inclusę in æternitate, seu in duratione eius, quæ ambit omnem temporis differentiam seu durationem. Aduerte prętera quod quamuis voluntas constituatur sub certis quibuldam circunstantijs moraliter allicientibus, hoc non sufficit vt ex hoc infallibiliter sequatur certitudo futuritionis actus liberi, sed requiritur ad certitudinem hanc, quę frustrari non potest, decretum & prędefinitio Dei in particulari.

Ad secundam rationem.

Optime potest prædefiniri actio libera ante præuisionẽ illius.

INSVPER falsum est quod qui minoribus auxilijs præuenientibus, sed non efficacibus, adiuuantur illi conuertantur, quam alij, qui maioribus præsidijs fouentur. Nam certè sine efficacia gratiæ nemo conuertitur de facto. Vnde neganda est consequentia, nimirum quòd non requiratur efficax Dei decretum, & prædefinitio, vt actus bonus conuersionis habeat infallibilem certitudinem in sui euentu, & hac posita non requiritur quod Deus velit aut decernat ex præuisione operum futurorum, & præcognitione mediorum futurorum, sed in ipso decreto diuino hęc cognoscuntur ab eo: & eo etiam suppositio nihilagitur temerè, aut cum periculo frustrationis.

AD tertiam rationem respondetur, verisimum esse hominem peccatorem nunquam conuerti in Deum nisi ex vi gratię actualis, & diuini influxus, quibus non cõtradicit, quod homo conuertatur liberè cum potestate ad oppositum suppositia collatione, & conferentia determinationis liberę, qualem Deus efficit in hominibus, qui scit mouere corda hominum motione libera, siue vehementi influxu diuinę gratię, siuè minori efficacia. Præterea quomodocunque homo conuertatur semper liberè conuertitur, quamuis sub diuina prædefinitione, siuè intensiori actu conuertatur, siuè minus intenso. Et ad infallibilitatem actus omnimodam sufficit efficacia, & decretum Dei, eiusque prædefinitio.

Ad tertiã rationem.

AD priorem confirmationem ex Tridentino, sine dubio verba eius nihil contra nos continent, sed potius pro nobis militant. Fatemur enim gratiæ intensionem ex auxilio Dei pendere, sed nihilominus nos liberè cooperari.

Ad primã cõfirmationem.

AD secundam confirmationem iam diximus actum posse esse diuersum numero mutatis pluribus, vel vno pertinente ad vnitatem numericam eius. Rursus sentio nihil esse aut euenire in actu bono supernaturali, quod non sit à Deo decretum vt ita eueniat. Vnde quam

Ad secundam.

Nihil est in actu bono

uis

Supernaturali quodnō sit à Deo decretum.

uis ad meritum æternæ vitę possis conferre aut tribuere eleemosynā in nummo aut veste, quod vero tribuas vestem aut nummos æqualis valoris, & vtilitatis id non sine diuina prouidentia fit, aut absque voluntate speciali diuini decreti. Nam licet duos passeres dipondio vendantur, tamen nullus eorum cadit sine voluntate Patris, & iste magis quam ille: nam hoc indicat verbum nullus, pro singulis, quod sumitur distributiuè.

Ad quartā rationem.

Ad quartam rationem dicendum: quòd quamuis actus boni naturales tantùm, seu morales non indigeant speciali auxilio gratiæ vt fiant, indigent tamen decreto Dei prædefinientè vt infallibiliter eueniant, & certò, & vt in eo decreto Deus videat, & cernat omnia euentura in tempore, & vt compleatur perfecta prouidentia Dei, & modus gubernationis suæ, in qua exprimitur eadem prouidentia Dei, quæ non debet includere modum confusum, sed distinctum, & perfectum: Est enim gubernatio expressio diuinæ prouidentiæ. Adde etiam quod peccata, aut actus morales mali non possunt prædefiniri à Deo, non quia ab eis tolleretur libertas, sed quia repugnat diuinæ sapientiæ, & bonitati, atque rectitudini Dei talis prædefinitio malorum operum: solum enim Deus prædefiniuit permissionem peccati, & permissionem cuiuscunque operis mali, cum voluntate concurrendi ad substantiam operis, &c. Vnde diuersa ratio est de bonis operibus, & de peccatis, vt solerter aduertit Concilium Tridentinum Sessione. 6. canon. 6. Ac proinde neganda est consequentia argumenti. Nam bona opera non possunt suòterfugere latitudinem diuinæ voluntatis, & causalitatis, quæ quidem fiunt auctore Deo. At verò peccata non fiunt auctore Deo, neque volente peccata, sed solum volente permittere, & volente concurrere ad substantiam actionis positiuè realis.

Concilium Tridenint.

Ad quintā & vltimā rationem.

Ad quintam, & postremam rationem respondetur, quòd actus boni liberi physicè, & moraliter possunt prædefiniri à Deo etiam in instanti determinato. Homo enim quoties bene moraliter operatur libertatem habet moralem, etiam consultando, iudicando, conferendo etiam de rebus, quæ sub lege, & precepto cadunt cum potestate deficiēdi respectu sui, quamuis opera ab eo efficienda prædefinita à Deo sint hic, & nunc, & possint ab ipso homine non præstari. Reliqua autem quæ in eodem argumento continentur potius aperiunt campum disputationis, quàm sint contra nos, & aliqua sunt quæ militant pro nobis.

SECTIO V.

Vtrùm Deus voluntate efficaci, ante præuisionem meritorum, elegerit ad gloriam adultos prædestinatos? Et an hoc fieri possit salua libertate eorum qui ita eliguntur?

Hæc quæstio insignis est, & quæ postulat diuinum præsidium: in qua dissident nouiores, & recentes Theologi inter se: sed non antiqui, & proceres. Est ergo controuersia: Vtrùm Deus ex præuisis meritis elegerit prædestinatos ad gloriam: ita vt fuerit in Deo absoluta, & efficax electio ad gloriam respectu eorum qui saluandi sunt, sine respectu ad bonum vsum liberi arbitrij nostri, vt à Deo præuisum, in illis qui saluantur, & efficaci decreto diuinæ voluntatis eliguntur ad gloriam.

Prima sententia.

De hac controuersia hodie ortæ sunt opiniones variæ, diuersa sentiētes. Prima sententia est quę absolutè dicit Deum non habuisse efficacē volitionem dandi adultis gloriam, seu eligendi eos ad gloriā, nisi ex meritis præuisis, aut non sine respectu ad liberam cooperationem ipsorum perseuerantem vsque in finem, non vt præsentem in tempore quo futura erat, sed vt præuisam seu præcognitam à Deo, per suā præscientiam.

Notandū quòd volitio eligendi homines ad supernaturalē beatitudinē dupliciter potest intelligi quòd sit efficax.

Sed vt opinio hæc explicetur, & titulus quæstionis aperiatur obseruare oportet, quòd illa volitio eligendi, seu perducendi homines ad supernaturalem beatitudinem per ordinem ad hoc obiectum volitum, vel potest esse efficax, & absoluta sine respectu vllo ad vsum liberi arbitrij creati eorundem hominum, non tantum vt ad rationem motiuam siuè per modum meriti, siuè per modum congruitatis, siuè per modum conditionis requisitæ, sed etiā vt ad id sine quo non esset talis volitio, & electio ad gloriam. Vel rursus potest esse volitio efficax, & absoluta non tamen sine respectu ad vsum bonum liberi arbitrij, non sanè vt ad rationem motiuam, aliquo ex illis modis positis ad volendum: sed tanquam ad id sine quo Deus de facto non habuit talem volitionem efficacem: Ita sanè vt licèt Deus non habuerit nostro modo concipiendi pro motiuo ad volendum hominibus beatitudinem, hunc vsum bonum liberi arbitrij creati, de facto tamen ita se accōmodauerit quantum ad illam volitionem, naturæ, & libertati hominum, vt sicut in tempore neminem iustificat ex adultis, aut mouet ad conuersionem nisi ipso consentiente, ita etiam ab æterno nemini voluerit efficaci, & absoluta volitione suam beatitudinem, siue quoad gradum, siue absolutè, nisi consensu eius supposito, & bono vsu liberi arbitrij crea-

ti. Adde etiam quod hic bonus vsus liberi arbitrij potest supponi aut in tempore, aut in diuina præuisione: & cõtrouersia hæc non intelligitur de primo modo suppositionis, sed de secundo, & posteriori. Nam cum diuina volitio sit ab æterno, etiam habuit ab æterno suas proprias conditiones, cuiusmodi sunt esse absolutam, & efficacem efficacia interna: quod dico vt distinguatur hoc genus efficaciæ ab altero quasi extrinseco, quod consistit in hoc quod est habere effectum: & idcircò in exordio controuersiæ non dicitur absolutè sine respectu ad bonũ vsum liberi arbitrij, sed cum limitatione vt præuisum, & præcognitum à Deo. Vnde ex his potest intelligi sensus huius controuersiæ, an videlicèt electio adultorum, qui saluandi sunt, fuerit efficax, & absoluta sine vlla connexione cum bono vsu liberi arbitrij creati vt prę uiso à Deo, vel potius non sine connexione cũ huiusmodi bono vsu vt ita præuiso à Deo.

Quomodo intelligatur præsens controuersia.

Quomodo intelligatur ab aliquib⁹ prima sententia.

Quo supposito auctores primæ sententiæ plures eorum sentiunt intelligendam esse suam sententiam de respectu ad cooperationem nostram seu ad merita præuisa à Deo, non tanquam ad meritoriam causam, neque tanquam ad causam congruentem vel dispositiuam, neq; rursus tanquam ad conditionem requisitam sine qua non: ita vt Deus aliquo ex his modis fuerit excitatus, motus aut determinatus ab hac cooperatione, seu ab his meritis, nostro modo concipiendi, ad efficaciter, & absolutè volendum dare gloriam hominibus quos sic preuidebat cooperaturos, sed tanquam ad effectum ipsius volitionis diuinæ.

Cooperatio liberi arbitrij duobus modis potest intelligi quòd à Deo præuideatur, & cognoscatur vt futura.

Hæc autem cooperatio liberi arbitrij prę uisa à Deo duobus modis potest præuideri, & cognosci vt futura certò, & infallibiliter ab ipso Deo. Primò quidem vt futura absolutè, & sine conditione, & hoc modo cognoscitur per scientiam visionis & intuitiuam. Secundò autem potest cognosci vt futura non absolutè sed sub conditione; si voluntas præueniatur talibus auxilijs, vel sub talibus circunstantijs, & hoc pacto cognoscitur, apud auctores huius sententiæ per scientiam, quam ipsi vocant mediam: quæ neque est rerum vt possibilium præcisè, neque vt futurarũ absolutè, sed vt futurarum sub conditione, quòd apponantur tales vel tales circũstantiæ, quæ etiam scientia media dicitur ab eis quia antecedit liberam determinationẽ absolutã diuinæ voluntatis, & supponit determinationẽ sub conditione, videlicèt si Deus statuat producere res sub talibus conditionibus, vel circunstantijs: & propter duas has considerationes dicitur ab eis scientia media inter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis. Vnde dupliciter intelligitur hæc sententia quãtum ad præcognitionem seu præscientiam huius cooperationis liberi arbitrij vt futuræ: nimirum vel absolutè, & sine conditione, vel de præcognitione & præscientia eiusdem cooperationis vt futuræ, non quidem absolutè, sed sub conditione quòd Deus velit præuenire voluntatem talibus vel talibus auxilijs. Et sanè secundo modo intelligunt hanc sententiam Osorius lib. 9. de iustitia prope medium, & super Epistolam ad Romanos circa caput. 9. Molina in sua cõcordia. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro. 7. §. Iuxta priorem partem. & membro. 9. §. Et quidem Deus: & 1. p. q. 23. art. 5. disput. 1. membro. 11. post quintam conclusionem §. Vt quæ hactenus dicta sunt. & male citatur pro hac sententia Stapletonus. Osorius vero nunc pro hac sententia posteriori modo intellectavidetur loqui, nũc vero pro priori: cuius auctoritas in hac re, etiam si bene meritus sit de eloquentia latinæ linguæ, magna non est in re de qua disputamus, neq; talis vt quenquam opprimere possit. Priori autem modo intelligunt hanc sententiam à nobis primo loco adductam quidam Ioannes à Bononia in libello de æterna Dei prædestinatione, & reprobatione tract. 1. & citatur etiã pro hoc priori modo sententiæ, Osorius vbi supra, de quo iam diximus. Idẽ sensit Gręgorius à Valen. 1. p. q. 23. pũcto. 4. §. Discutiuntur varię sentẽtiæ: cũ alijs suæ familiæ, & suus Gabriel Vazquez infra citãdus.

Osorius. Molina.

Stapleton.

Ioannes à Bononia. Greg. Valẽtia. Gabriel Vazquez.

Argvmenta quibus probari potest prima hæc sententia à nobis superius relata in exordio sectionis huius, siuè intelligatur primo modo siuè secundo ab auctoribus eius nunc citatis, sunt quæ sequuntur. Primum igitur argumentum seu fundamentum horum auctorum est: Quoniam repugnat adultos prędestinatos eligi ad gloriam ex æternitate sine meritis, & in tempore non recipere gloriam, absque eisdẽ meritis: Nam Deus non alio modo tribuit in tẽpore gloriam, quàm ab æterno eam dare decreuit, aliàs vel mutaret decretum, vel non impleret illud: igitur cũ certa fide credamus electos non recipere in tempore gloriam nisi per merita & ex meritis; sequitur quòd non potuerũt eligi ab æterno à Deo absque illis meritis, & præuisio ne eorum.

Primum argumen. pro hac sententia.

Hoc argumentum confirmari potest, quia velle dare aliquid gratis & liberaliter omninò, & postea non dare nisi ex oneroso titulo, & ex iustitia, pugnant inter sese: non enim possunt duo isti tituli simul copulari quia vnus includit negationem alterius: ergò sicut in tempore datur gloria adultis, non quidẽ sine operibus gratis, sed ex titulo oneroso meritorũ, ita sanè electio ad gloriã ex eodẽ titulo est facta ex præuisis meritis seu præcognitis. Quocirca in Sacris Literis quando pręmiũ vltimũ dicitur dari pro meritis, huius rei ratio assignatur, quia ab æterno sub hac conditione & lege præparatũ est iustis tale pręmiũ. Huic rei consonat illud Iacobi Apostoli. 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod promisit Deus diligentibus se?* Ergo sicut Deus eligit ad hæreditatem regni cælestis quos cernit pauperes in hoc mundo, sic etiam quos diuites esse videt in fide. Hoc similiter videtur dixisse Christus Matthæi. 25. dicens. *Venite benedicti Patris mei, possidete*

Confirma.

Iacobi. 2.

Matth. 25

para-

paratum vobis regnum ab origine mundi, &c. In quo testimonio insinuat Christus rationem propter quam fuit præparatum illis regnum & non solum donatum, & collatum, esse quia subiungit Christus. *Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c.* Idem Paulus 1. ad Corinth. 2. significat ex illo Isaiæ. 64, *Oculus non vidit, & c. quæ præparauit Deus diligentibus illum.* Potest rursus idipsum confirmari: Nam si Deus elegisset absolutè absque præcognitione meritorum, seu absque præuisis meritis aliquos adultos ad gloriam: tunc verissimum esset affirmare illos habituros esse beatitudinem ex vi illius decreti, licèt merita non haberent, quia illud decretum fuit absolutum, nullam includens conditionem: ergò quacunque conditione sublata, habebit effectum electio illius decreti facti à Deo, absque meritis præuisis.

1. Corint. 2

Alia confirmatio.

Secundum argum.

Secvndvm argumentum est ad idem: Nam si electio ad gloriam in adultis prædestinatis non est facta ex præuisione meritorum: sequeretur, quòd in electis merita nihil prorsus operarentur ad consequendam gloriam: Quia si Deus non habens rationem meritorum ex sola gratuita liberalitate sua ab æterno decreuit Paulum tali tempore beare, etiam si ille postea habeat merita, non tamen retribuet illi gloriam Deus in tempore intuitu meritorum, sed gratis, & ex misericordia, sicut decreuit. Imò verò licèt merita non inueniat in eo, nihilominus gloriam illi donabit. Veluti si Rex semel apud se efficaci decreto sanciret eligere Petrum in Consiliarium, non quidem ex meritis eius, neque respectu sapientiæ aut doctrinæ eius, neque ex debito gratitudinis, sed ex sola voluntate sua id velit, & decernat, quamuis postea cognoscat esse sapientem, & prudentem, & habuisse merita: ex vi tamen prioris decreti eligit eum, non sanè ex ipsius meritis, sed quia ita illi placuit. Rursus licèt postea inueniat illum sine meritis, & cõperiat illum esse minus sapientem aut ignarum, nihilominus ex vi prioris decreti efficacis eliget illum: vel mutabit voluntatem. Quòd si semel facto decreto firmo, & absoluto illud mutare non potest, sicut in Deo contingit, sequitur apertè, quòd sicut non respicit aliquod meritum, quando dare illud decernit cuius intuitu id tribuat, sed sola voluntate sua liberali, quod de facto postea donabit illud, nisi propositum mutet. Cum igitur Deus prius apud se statuerit dare gloriam electis adultis, non intuitu, & ratione meritorum præuisorum, sequitur sola sua benignitate id facere, & sine meritis de facto in tempore dare gloriam; quia cum decretum Dei semel positum mutari non possit, efficitur vt ex vi illius conferat in tempore beatitudinem electis omninò gratis, & non intuitu aut ex præuisione meritorum, licèt ipsi habeant aliàs plura merita. Et consequenter sequeretur recipiendam esse sententiam. Faustti Regiensis dicentis: *Iam nos non nasci iudicandos sed iudicatos, si merita nostra nihil ad beatitudinem conferant imò neque impediant peccata.* Hoc argumentum plurimum valet apud aduersarios quod ipsi putant male torquere nos: sed leuiter hoc dicunt vt deinceps inferius constare poterit.

Tertiũ argumen.

Tertivm argumentum quod palmarium esse putant Auctores isti, apud eos est insolubile, & est argumentum ab inconuiniente deductum: nam si verum est adultos eligi ad gloriam sine meritis præcognitis, & præuisis, sequitur quod in electis non manet libertas consequendi, & amittendi gloriam. Nam per illam voluntatem efficacem eligendi aliquos ex adultis ad gloriam sine meritis præuisis, libertas ipsorum destruitur, liberumque arbitrium tollitur: Nam nullus potest resistere voluntati efficaci, & absolutæ Dei: ergò posita voluntate illa non manet potestas ad oppositum: ergò tollitur indifferentia: ergò & libertas. Cum igitur in Sacris Literis significetur expressè, vnumquenque ex adultis hominibus recepturum esse secundùm opera sua, sequitur illam electionem ad gloriã quorundam fuisse ex præuisis meritis factam.

Quartũ argumen.

Qvartvm argumentum sic formari potest pro hac sententia. Totalis effectus electionis efficacis, & absolutæ adultorum ad gloriam in tempore, habet connexionem cum libera cooperatione ipsorum: ergò etiam ipsa electio ab æterno importat respectum ad hanc cooperationem, vt præcognitam à Deo: consequentia videtur euidens, quia Deus ab æterno ita voluit, & decreuit res fieri in tempore, sicut postea executioni mandantur à Deo. Quod apertè S. Thomas fatetur prima parte quæstione 23. articulo 5. in argumento, Sed contra. & hoc desumitur ex Fulgentio libro de incarnatione, & gratia, capite vltimo; & prius ex Augustino libro de bono perseuerantiæ capite 23. & probatur euidenti ratione, quia aliàs non esset conformitas inter executionem effectuum electionis diuinæ, & ipsam electionem, atque adeò non haberet diuina electio tantam efficaciam, & certitudinem in productione suorum effectuum, quã tã Scriptura sacra, & ratio naturalis ei tribuunt.

S. Thomas. Fulgtiẽus.

Augustin.

Vt autem antecedens huius quarti argumenti ostendatur à nobis, suppono, vt minimum distinguendos esse quatuor effectus electionis diuinæ pro adultis, qui necessarij sunt secundùm legem Dei ordinariam, vt adultus qui est in peccato perducatur in gloriam. Primus effectus electionis diuinæ comprehendit illuminationes, & inspirationes internas, quibus peccator excitatur & mouetur, vt cõuertatur in Deum. Secundus effectus eiusdem electionis diuinæ continet ipsam conuersionem actualem contritionemque, seu vltimam dispositionem ad gratiam, & etiam ipsam gratiam iustificantem. Tertius effectus eiusdem electionis diuinæ cõprehendit omnia, quæ requiruntur,

Enumerantur quatuor diuinæ prædestinationis effectus

vt adultus perseueret in gratia vsque in finẽ vitæ, & vt in gratia moriatur, & decedat quatenus omnia hæc pertinent ad speciale donum perseuerantiæ aut constituunt ipsum. Quartus & postremus effectus est ipsa actualis gloriæ consecutio. Enumerantur autem à nobis hi quatuor effectus, quoniam reliqui omnes siuè sint interni siuè externi possunt ad hos reduci, & sine his nullus adultus potest de lege ordinaria Dei peruenire ad gloriam.

Probatur antecedens 4. argum. discurrendo per singulos prædestinationis effectus.

QVIBVS prælibatis ostendo antecedens huius quarti argumenti discurrendo per hos quatuor effectus electionis. Et in primis de illuminationibus, & inspirationibus internis, quæ (vt nunc suppono) sunt actus vitales producti à nostris potentijs, nimirum ab intellectu, & voluntate, sic formo argumentum. Huiusmodi illuminationes, & inspirationes, quamuis secundùm suam substantiam dentur nobis antecedenter ad nostram liberam cooperationem, tamen quoad hoc quod est habere effectum (quod ab aliquibus appellatur efficacia earum, & ab alijs efficientia) habent connexionem cum hac cooperatione: ergò hic primus effectus, saltem quatenus est peculiariter effectus electionis ad gloriam habet connexionem cum nostra libera cooperatione. Patet consequentia, quia illuminationes, & inspirationes sunt peculiariter effectus electionis quatenus efficaciter conducunt ad consequendam gloriam: & non conducunt hoc modo nisi prout in nobis habent effectum. Et probatur antecedens, nam effectus ad quem nobis dantur huiusmodi illuminationes, & inspirationes, est libera conuersio nostra in Deum, de qua est certum secundum fidem habere connexionem cum nostra libera cooperatione, vt statim manifestabitur amplius accedendo ad probationem secundi effectus diuinæ electionis, qui est huiusmodi actualis conuersio. Et in primis probatur auctoritate Concilij Tridentini Sessione. 6. capite 5. & canon. 4. vbi ita habetur. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quod iustificationis gratiam se disponat atque præparet, neque posse dissentire si velit, Anathema sit.* Rursus probatur ex Scriptura Sacra: nam vt idem testatur concilium quando in Sacris Litteris dicitur: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*: libertatis nostræ admonemur: & cum respondemus: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*: Dei nos gratia præueniri confitemur. Sunt etiam multa testimonia Scripturæ in quibus ab homine exigitur, vt ipse hanc suam conuersionem operetur: vt Isaiæ. 45. *Conuertimini ad me, & salui eritis*. & capite 52. *Solue vincula colli tui, captiua filia Sion*: & Hieremiæ. 3. *Reuertere auersatrix Israel dicit Dominus, & non auertam faciem meam à vobis*, & paulo inferius. *Conuertimini filij reuertentes dicit Dominus*, & postea, *Conuertimini Filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras.* Et ex hoc patet etiam gratiam iustificantem, quæ pertinet ad hunc secundum effectũ habere eandem connexionem cum nostra libera cooperatione, quia hæc gratia habet connexionem cũ nostra conuersione perfecta actuali, tãquam cum vltima dispositione. Deinde probari potest idem antecedens quantum ad tertium effectum, quia continet omnia quæ requiruntur ad perseuerandum in gratiam, & ipsum etiam augmentum gratiæ, & donorum supernaturalium, quibus potentiæ nostræ consolidantur, & confortantur ad bene operandum, & vitatio omnium peccatorum, mortalium, siuè hæc vitatio fiat adimplendo præcepta, siuè etiam resistendo tentationibus: & hæc omnia habent connexionem cum nostra libera cooperatione. Quod de augmento gratiæ, & donorum patet: quia datur nobis propter nostra opera meritoria, quæ sunt actus liberi, & similiter de adimpletione præceptorum, quia respectu præceptorum affirmatiuorum fit per actus liberos nostros, & respectu negatiuorum per liberam negationem actus prohibiti: & ex hoc patet esse tantumdem de victoria tentationum: quia hæc fit immediatè per adimpletionem præceptorum, ad quorum violationem tentamur, & mouemur.

Concil. Trident.

Isaiæ. 45.

Hieremi. 3

Ex Cõcilio Tridentino eadem veritas roboratur.

CONFIRMANTVR hæc omnia auctoritate Concilij Tridentini Sessione. 6. in decreto de iustificatione, capite 11. & 13. Nam vtrobique dicitur non deesse iustis auxilium requisitum ad adimplendum diuina præcepta, & vitandum peccata, & ad perseuerandum, nisi ipsi prius deserant Deum, & desint eius gratiæ. Ex qua sententia apertè colligitur auxilia quæ Deus dat iustis ad perseuerandum habere connexionem cum libera cooperatione ipsorum, saltem quantum ad effectum. Tandem probatur de vltimo effectu qui est consecutio gloriæ; quoniam gloria datur adultis vt præmium, & merces suorum meritorum, vt Tridentinum definit Sessione. 6. Decreto de iustificatione, capite 16. & canon 26. & 32. Ergò sicut merita habent connexionem cum nostra libera cooperatione, ita etiam consecutio gloriæ.

Quintum Principale argumentum.

QVINTÒ, & principaliter arguitur pro hac eadem sententia citata: Nam voluntas dandi gloriam, vt est in Deo ante præuisa merita est voluntas antecedens: sed hac voluntate Deus vult omnes homines saluos facere tam reprobos, quàm prædestinatos, vt est in ore omnium Theologorum, qui vno consensu fatentur Deum primaria sua voluntate, & antecedente voluisse omnibus dare vitam æternam iuxta illud Pauli 1. ad Timotheum. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*: ergò hæc voluntas est æqualis, & cõmunis omnibus hominibus, sed non est efficax respectu omnium hominũ: ergò nec respectu aliquorũ.

1. ad Timoche. 2.

At voluntas antecedens, & primaria est ante præuisionem meritorum : ergò talis Dei voluntas ante merita præuisa æqualis est omnibus : igitur cum Deus non decreuerit efficaci voluntate omnibus dare gloriam, efficitur sanè nullum ad eam electum fuisse efficaci voluntate nisi ex præscientia meritorum.

Sextũ argumentũ.

SEXTO possumus addere in fauorem eiusdem opinionis rationem procedentem ex humanis ad diuina : Nam de diuina voluntate, & ordine actuum eius possumus philosophari per analogiam, & proportionem ad humanam voluntatem : quoniam non possumus aliter concipere diuinam voluntatem, neque in ea inuenitur secundùm se talis ordo actuum, sed à nobis concipitur propter illam, vel simulem analogiam : sed si inter homines supponamus, & intelligamus Regem proponere aliquod præmium bene certantibus, ea lege vt nullus illo potiretur, nisi qui victor esset, aut qui talia merita haberet : Sanè nunquam decerneret alicui dare præmium quantuncunque ei desideraret præmium illud, antequam victorem videret, nisi mutaret priorem voluntatem, quia illæ voluntates sunt contrariæ : ergò idem sentiendum est de Deo, quia est vtrobique eadem ratio proportionabiliter. Poterat quidem, verbi gratia, Rex meliora arma, meliorem equum, & alia necessaria ad certamen tribuere, at decernere apud se præmium illud conferre sine certamine, & labore stultum esset, si tanquam præmium proponere volebat. Quod si præscius esset euentus, & sciret illum victurum, ex præscientia victoriæ posset apud se statuere præmium dare : sed si non esset præscius victoriæ non posset non in tempore expectare victoriam, vt intuitu illius, & propter illam præmium decerneret. Cum ergò Deus proponat omnibus vitam æternam, vt præmium, & illam promittat certantibus, & victoriam consequentibus, non potuit non expectare victoriam, vt ratione illius tale præmium conferre statueret. Veruntamen quoniam Deus præscius est futurorum, & omnia sunt nuda oculis eius, expectat quidem victoriam, non quidem tempore, sed secundùm rationem in sua æternitate, vt intuitu illius conferat : Nam stultum esset absque illius respectu præmium præfinire, si illud propter victoriam solum promisit, vt in exemplo Regis dictum est.

Septimum argumentum ex ordine obiectorum desumptum.

TANDEM potest confici argumentum efficax ex ordine obiectorum inter se. Quia eundem ordinem quem habent obiecta inter se, eundem assignare debemus in diuino decreto secundùm diuersum genus causæ, quo inter se comparantur obiecta in re ipsa : Nam aliunde inter Dei decreta & prædefinitiones, ordinem secundùm rationem non possumus constituere ; & licèt Deo tribuere debeamus perfectissimum modum operandi, & perfectissimum ordinem : nullus tamen ordo prohibito aut sine fundamento obiectorum circa quæ operatur, ei tribuendus est. Quare Deus non dicitur ordinare vnum ad aliud pro sola sua voluntate, nisi quatenus obiecta re ipsa inter se referuntur, & ordinantur : sed talis ordo constituitur in rebus, vt si aliquid est medium ad finem sicut causa physica finis consequendi, qualis est medicina ad sanitatem, in intentione sit mutatus, & inuersus ordo, vt prius volita sit sanitas, eo quod licèt sit medicinæ effectus in genere causæ efficientis, est tamen finis eius, finis verò relatus ad voluntatem prior est, quàm voluntas mediorum : ergò si media alicuius finis sunt moralia qualia sunt merita, quamuis is qui vult consequi ab alio talem finem per merita prius cogitet de fine, & ex voluntate efficaci illius velit habere merita tanquam media, tamen is qui alteri promittit finem consequendum per merita tanquam per media nunquam decernit dare illum, donec videat aut præuideat merita. Conficio ergo & colligo rationem pro sententia istorum : Nam medium morale quod est meritum, non est medium physicum quod actione sua reali efficiat, & consequatur finem, sicut medicina sanitatem : sed est medium per modum impetrationis relatum ad voluntatem eius, qui confert finem intuitu illius : nunquam autem meritum potest in tempore esse medium, nisi is qui actu confert finem illum, tribuat propter merita : ergò eo ipso fit, vt prius ea videat, quam decernat dare finem quem proposuit : sed hunc ordinem quem voluntas seruat in tempore, vt prius sint merita quam detur finis, seruat etiam Deus in præscientia sua, quia tam in præscientia quam in tempore ipso meritum comparatur vt medium morale cum voluntate illius qui confert finem, & ita debet præcedere in mente eius vt impetret.

Testimonia Scripturæ de electione ad gloriam ex præuisis meritis, & præcognitis, quæ pro aduersarijs militant.

PRAETER argumenta ex ratione, & discursu Theologico petita, qualia sunt ea quæ supra confecimus, & ex suis Auctoribus deprompsimus sese offerunt ex Sacris Litteris aliqua testimonia quibus argumentari possumus Deum elegisse efficaciter plures ex hominibus ad gloriam præuisis meritis, & perseuerantiæ dono in illis vsque ad mortem : quia aliàs sequeretur reliquos ex hominibus non electos ad gloriam, saluari non posse, neque etiam sic electos ex præuisione meritorum condemnari posse. Præsertim quia si electio est efficax, & non fit ex præuisione meritorum, sequitur, quòd om-

ninò antecedit vsum liberi arbitrij, & præscię tiam eius, ac proinde tolleret hominum libertatem in obtinenda, vel amittenda salute æterna.

Primum testimonium ex sacra pagina. 2. ad Timotheũ 2.

PRIMVM igitur Sacrarum Litterarum testimoniũest illud Pauli. 2. ad Timoth. 2. *In magna autẽ domo non solũ sunt vasa aurea, & argẽtea, sed etiã lignea & fictilia, quædã quidem in honorẽ, quædã autẽ in contumeliam: Si quis ergo emundauerit se ab istis erit vas in honorem sanctificatum, &c.* Vbi suppono per hoc vasorũ discrimen, & disidium significari discrimen, & disidium prædestinatorum, & reproborum hominum, vt constat ex Paulo ad Roman. 9. in quo capite iuxta magis communem sententiam, hac metaphora significatur huiusmodi discrimen. Quo supposito sic argumentor pro hac sententia. Potest vnusquisque dum est in hac vita pro sua libertate ex auxilio Dei emundare se à peccatis, atque adeò fieri vas in honorem, quod est esse electum: ergò electio hominum ad gloriam non fuit absoluta, & efficax sine præscientia eius, quod vnusquisque facturus erat pro sua libertate, vt esset vas in honorem, id est ad gloriam electum.

Ad Romanor. 8.

PRAETEREA quod illa volitio qua Deus voluit dare adultis prædestinatis gloriam non fuerit absolutè, & efficax sine prædicto respectu ad eorum cooperationem vt præcognitam ab ipso sub ratione futuræ certo, & infallibiliter, ostenditur ex illis testimonijs sacrarum literarum, in quibus satis indicatur coniunctio prædestinationis cũ præscientia cooperationis humanæ, idque videtur esse certum ex illo Pauli ad Roman. 8. *Nam quos præscinit & prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui: vt ipse sit primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* In quo loco Paulus illa duo verba, præscivit, & prædestinauit, non accipit pro eodem: tum quia aliàs imperfecta & suspensa esset sententia primi membri huius testimonij, tum etiam quia in membris sequentibus vbi eodem modo Paulus coniungit duo illa verba sumit ea pro diuersis. Vnde apertè significat Deum eos quos præscivit præ destinasse, ad hoc quod conformitatem habeant cum Filio suo & in filiatione cum ipso sint filij, per adoptionem tamen, & in hæreditatem ad quam filiatio est ius, cum ipsi sint hæredes vitæ æternæ, & cohæredes Christi. Quod autem Deus præsciuerit in his quos præ destinauit non explicat Paulus, sed ex ipsa sententia orationis constat esse aliquid ex parte ipsorum hominum ad quod prædestinatio importet aliquo modo respectum. Ita vt sine ipso à Deo præcognito prædestinatio non fuerit completa.

IDIPSVM quod prædicta opinio dicit ex alijs Scripturæ locis constare videtur, in quibus reperitur verbum præscire, aut cognoscere dictum de Deo respectu hominum: de quo colligitur id non esse aliud quam obedientiam, & cooperationem ipsorum hominum permanentem vsque in finem, ita vt sensus sit. *Quos Deus præscinit cooperaturos esse suæ gratiæ vsque in finem eos prædestinauit.* Et verbum hoc habere hanc vim patet ex illo ad Romanos 11. *Non repulit Deus plebem suam quam præscinit*: Nam ibi verbum præsciuit est hoc modo interpretandum, quam præsciuit permansuram in fide viua, & obedientia suorum mandatorum. Quod colligitur imprimis ex intẽtione Pauli in principio illius capitis, quæ proculdubio est ostendere Deum quamuis reiecerit populum Iudaicum, & loco eius vocauerit Gentilicum nõ defuisse promissis suis; id autem vt ostendat dicit Deum non promisisse beneficia salutis æternæ Israelitis secundùm carnem: sed Israelitis secundùm spiritum: nimirum illis, qui parentis sui fidem, & pietatem imitarentur siuè secundùm carnem ex populo Iudaico siuè ex Gentilico essent, & ita apponit se ipsum in exemplum, qui quamuis esset Israelita secundùm carnem, non tamen ob id erat à diuinis beneficijs excluſus: & vt hoc apertius explicet Paulus dicit vniuersaliter. Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit, hoc est quam præ cognouit mansuram in fœdere, & pacto suo, in fide & obedientia suorum mandatorum. Et dein de colligitur ex illo exemplo quo vtitur. Nam inquit Eliam cum existimaret totam decem Tribuum multitudinem recessisse à Deo, & propterea fuisse ab ipso repulsam, & reiectam; accepisse hoc diuinum responsum. *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal.* hoc est: Segregaui, & elegi mihi ex tota illa multitudine non paruum numerum, nimirum eos qui non curuauerunt genua ante Baal, atque ita non peribunt omnes Vbi vt adnotant Chrysostomus ibidem & Augustinus lib. 2. de dono perseuerantiæ capi. 11. verbum illud: *Reliqui mihi*, significat diuinam electionem: Nam ideò non dixit Deus relicta sunt mihi, vel reliquerunt sese mihi septem millia virorum: & ita de notatur in electione hac fuisse habitã rationem ebedientiæ vniuscuiusque. Tandem colligitur, ex verbis à Paulo statim adiectis: *Sic ergo & in hoc tẽpore reliquiæ secũdum electionem gratiæ saluæ factæ sunt.* In quibus verbis Paulus ex adducto exemplo Eliæ colligit, & docet eodẽ modo suo tempore reliquias ex Israel saluas fuisse factas per gratiã Dei, quæ non est data omnibus sine discrimine, sed illis qui voluerunt permanere in cõditionibus in quibus salus est hominibus promissa. Et idem prorsus colligitur ex his verbis, quãuis illud secundũ electionem gratiæ adiungatur nomini reliquiæ, ita vt sensus sit, reliquias electas per gratiã Dei saluas fuisse factas: quia particula sic, quæ est similitudinis, denotat reliquias illas eodem modo electas fuisse ad hanc salutem, quo relicta fuerant illa septem millia virorum scilicèt habita ratione perseuerãtiæ suæ in pietate, & religione.

Ad Romanos. 11.

Quod

QVOD autē verbū, prēsciuit, hāc habeatvim, cōstat præter ea quæ diximus ex illo Ioan. 10. *Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* Nā ibi Christus dicit se eas oues cognoscere, quæ cognoscunt ipsum, constat autem in Sacris Litteris solū dici de nobis quod cognoscamus Deū, quia ipsum audimus non solum retinendo eius fidem, sed etiam opere exequendo, quæ præcipit. Hoc etiam apertè constare potest iterū ex Paulo 2. ad Timotheum. 2. *Cognouit Dominus qui sunt eius: & discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomē Domini.* Vbi Paulus clarè insinuat Deum aliquos cognoscere vt suos, cum ipsi discedunt ab iniquitate, & D. Petrus Apostolus. 1. Epistola, ca. 1. inquit. *Petrus Apostolus Iesu Christi electis aduenis secundùm præscientiam Dei Patris, &c.* Vbi propter eandem rationem ait factam fuisse electionem Dei secundùm præscientiam Dei Patris.

Ioann. 10.

2. Ad Tim. 2.

1. Petri. 1.

DEINDE hanc electionem ad gloriam factam fuisse ex præuisis meritis & operibus disertè videtur tradidisse D. Paulus. 1. Corinth. 2. adducto testimonio Isaiæ, cap. 64. *Oculus non vidit neque auris audiuit, neque in cor hominis ascẽderunt quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum.* Sanè secundùm modum loquendi vulgatum & communem indicat in his verbis causam præparationis, nimirum dilectionem erga ipsum Deū. Imò verò pro eo quod habet Paulus, *ijs qui diligunt illum*, habet Propheta Isaias iuxta editionem vulgatam, *expectantibus te*: & subiungitur statim: *Occurristi lætanti & facienti iustitiam.* Septuaginta autem interpretes verterunt. *Occurrit enim facientibus iustitiam.* Vbi expectatio illa, cui Deus præparat bona, & occursus ille causam apertam significat meritorum. Idem constare potest ex illo Iacob. 2. *Nonne Deus eligit pauperes in hoc mũdo diuites in fide & hæredes Regni, quod promisit Deus diligentibus se?* In quibus verbis significatur eos qui in hoc mundo abiecti & pauperes erāt quia temporalibus diuitijs carebant, diuites tamen in fide, eos sibi elegisse vt ita ostendat non esse contemnendos pauperes in sedium & locorum distributione, cum ita à Deo æstimentur, si sunt diuites in fide. Quod si diuites in fide sunt electi sequitur eorum fidē elegisse non quidem ad gratiam: nam etiam pauperes in fide & nondum hæredes Regni eliguntur: sed ad gloriam. Et vt D. Iacobus indicaret se de æterna illa electione loqui subiungit: Quod promisit Deus diligentibus se, nimirum diuitibus in fide & operibus.

1. Corin. 2.

Iacobi. 2.

POSTREMO verba illa D. Petri. 2. Epistola cap. 1. *Quapropter fratres magis satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*, satis fauent sententiæ istorū. Nam suppono in illis fieri sermonem de vocatione & electione ad gloriam. Primò sanè, quia id exigit cō textus literæ: quia non fit ibi sermo de vocatione ad fidem: quoniam vt ex principio capitis cōstat D. Petrus scribit illis, qui coæqualem cū ipso sortiti sunt fidem. Rursus etiam quia verba antecedentia & consequentia hoc indicant. Nā præcesserat exhortatio ad opera virtutū, tanquam necessaria ad consequendum gloriam: Et subsequitur fructum huius exercitij esse introitum in æternum Regnum Domini nostri Iesu Christi. Et Trident. sessione 6. decreto de iustificatione, cap. 11. refert hoc testimoniū ad probandum non sufficere fidem neque iustificantem gratiam, vt quis sit securus de consecutione vitæ æternæ, sed necessarium esse exercere opera virtutum cum quadam permanentia in eis. Suppono vlterius per vocationem & electionem non solum intelligēda esse media, quæ Deus tribuit hominibus in tempore vt consequantur gloriam, sed etiam ipsam electionem æternam ad gloriā. Quod probari potest: Quia aliàs Petrus non vteretur vtroque nomine scilicet vocationis & electionis. Et præterea, quia nomen electionis quamuis sumatur in sacris Literis pro electis, sicut nomina abstracta sumuntur pro concretis aliquando: tamen non solet sumi pro medijs, quæ sunt effectus eius electionis. Et denique quia eadem ratio est de his medijs, & de æterna Dei electione per eadem media, quantum attinet ad præsentem controuersiam. Si enim omnia hæc media nō habent certitudinem respectu consecutionis gloriæ sine nostra cooperatione, aut antecedenter ad eam, bene sequitur, quod neque æterna Dei electio, quæ mandanda est executioni per eadem media habeat certitudinem sine præscientia eius cooperationis aut antecedenter ad eā. Quo supposito sic argumentor. Apostolus Petrus nos admonet vt per nostra opera reddamus certam electionem ad gloriam: ergo electio non habet certitudinem sine respectu ad eadem opera, & cum hoc non possit intelligi de his operibus quatenus in tempore fiunt, sequitur debere intelligi de eis vt præcognitis ab eo & ex consequenti electionem non fuisse certam, atq; adeò neque efficacem, neque absolutam antecedenter ad præscientiam horum operum.

2. Petri. 1.

Concil. Triden. sess. 6.

Quod Auctores huius sententiæ putent apud D. Augustinum & alios Patres defendi.

AVctores præcedentis opinionis eam ostendere conantur ex Græcis Patribus, imò verò etiam ex D. Augustino, quia putant esse de mente illius in quo decipiuntur: Sed nihilominus argumētantur primo ex D. Augustino, lib. 1. ad Simplicianum. quæst. 2. non longe à medio vbi explicans verba Pauli ad Rom. 9. *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni, vel mali egissent, vt secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori.* ait & interpretatur hoc modo. *Cum duo illi fratres Iacob & Esau nondum nati fuissent, neque ex se aliquid boni egissent, propter quod vnus præ alio, examine præmiso, ex suis bonis operibus ad iustificationem eligeretur, vt ita iustificationis propositū esset ex operibus: Cum inquā*

D. Augus. t. ad Simplicianum.

non ita esset, non ex operibus arbitrij, sed ex gratia factum est, vt minor præferretur maiori. intelligit in gratia iustificationis. Et subiunxit verba quæ sequuntur. *Non ergo secundùm electionem propositũ Dei manet, sed ex proposito electio, id est: non quia inuenit Deus bona opera in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum iustificationis: sed quia illud manet vt iustificet credentes, ideo inuenit opera quæ iam eligat ad regnum cælorum: nam si non esset electio non essent electi, neque recte diceretur, Quis accusabit aduersus electos Dei? Non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio. Nemo enim eligitur nisi iam distans ab illo qui reijcitur: Vnde quod dictum est, quia elegit nos Deus ante mũdi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientia. Hic autem quòd ait: non ex operibus sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori: non electione meritorum, quæ post iustificationem gratiæ proueniunt, sed liberalitate donorũ Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur.* Hæc Augustinus. Itaque videtur Augustinus distinguere electionem ad gloriam à gratuita & liberali donatione gratię, seu liberali præparatione. Et hanc docet antecedere ipsa merita seu præscientiam meritorum: & hanc esse ex sola voluntate liberali Dei, illam verò, quæ est ad gloriam esse posteriorem & non esse nisi ex meritis præuisis. Vnde Augustinus in eodem sensu videtur distinguere electionem à proposito, quia dicit: Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio. quod declarat debere intelligi iuxta verba in exordio testimonij relata. Tandem concludit epistolam Augustinus dicens. *Restat ergo vt voluntates eligantur, sed volũtas ipsa nisi aliquid occurrerit quod delectet, atque inuitet animum, moueri nullo modo potest, hoc autem vt occurrat non est in hominis potestate.*

Duplex electio distinguitur apud D. August.

Ecce ex discursu horum verborum Augustini apparet fuisse huius opinionis, quæ sentit Deum ante præuisa merita nulli homini voluisse efficaciter dare gloriam aut regnum cælorũ: sed solùm voluntate antecedente voluisse hoc, his qui iustitiam per merita vel per conuenientes dispositiones assequerentur. Pro qua re intelligenda aduertere oportet: quòd quamuis electio sit amor vnius præ alio, tamen apud Augustinum duplex electio inuenitur: Vna quidem præmisso examine eligendorum & reijciendorũ: & hæc dicitur electio secundum iustitiã vt ille videlicet præferatur qui est dignior, ille verò reijciatur, qui minus dignus vel non dignus inuenitur. Altera verò electio inuenitur nullo præmisso examine, & hæc est electio gratiæ: sed nihilominus est vnius præ alio. Nã hoc est proprium & intrinsecum in omni electione, vt electio est, quòd verò fiat electio præmisso examine videtur accidentarium & per accidẽs. Nam certè potest aliquis gratis omnino eligere aliquem inter multos, vt dona sua potius illi, quam alijs tribuat. Rursus etiam potest vnũ præ alijs eligere ad præmium, eo quod dignior iudicetur ab eo. Dicit ergo hæc sententia, quòd electio, quæ à Patribus & Augustino dicitur nõ esse ex præuisione meritorum debet hoc intelligi de electione ad gratiam & iustificationem, quæ non dantur ex meritis, nec ex præuisione meritorum, sed non de electione ad gloriam, & ad coronam, quia hæc electio fit ex præuisis & præcognitis meritis.

D. Chrysost. homil. 6. in epist. ad Roman.

Rursvs Græci omnes semper fuerunt in hac opinione vt electionem coniungerent cum præscientia eius, quod vnusquisque liberè & cũ indifferentia ad vtramque partem erat facturus virtute gratiæ, & ita Chrysostomus homilia. 6. in Epistolam ad Rom. explicans illud cap. 9. *Cum nondum nati essent, &c.* inquirit. *Cur Iacob amore, Esau autem odio habiturus erat.* Et respondet: *Quoniam ille malus, hic autem bonus erat.* Et rursum inquirit: *Quomodo possit hoc dici de his qui nondum nati erant, neque quidquam boni aut mali egerant?* & respondet. *Non expectat Deus quemadmodum homo à rerũ exitu videre quis nam bonus sit, quis nam item non talis, sed etiã antea nouit.* Et postea exponens illud. *Miserebor cuius misereor*, sic ait. *Beati Pauli studium in hoc potissimum versatur, vt per ea quæ dicit omnia doceat Deum vnum esse, qui dignos nouerit.* Et homilia. 18. in eandem epistolam, ita exponit illud capit. 11. *Non repulit Deus plebem suã quam præsciuit.* hoc est, quam clare cognouerat aptam fore fidemque recepturam. Et homil. 2. in Epistolam ad Ephesios circa illud Pauli cap. 1. *In quo etiam nos sorte vocati sumus prædestinati secundùm propositum eius:* Docet per illa verba *sorti vocati* denotari excellentiam & præstantiam electorum supra non electos: & per illa verba prædestinati secundùm propositum eius denotari nõ fuisse vocatos ea sorte, qua res fiunt à casu, sed habita ratione liberi arbitrij, & eius quod est in nostra potestate, aut quod vnusquisq; pro sua libertate facturus erat. Et homil. 31. in Matth. agens de vocatione Matthæi inquit Chrysostomus. *Sed cuius rei gratia non cum Petro simul ac Ioãne, & alijs discipulis ipsum vocauit? Sanè quemadmodum tunc ad illos accessit, vocauitq; quando obtẽperaturos sciebat, sic Matthæum quoque nunc vocauit quando miraculorum forma perdomitum minime reluctaturum videbat. Qua de causa & etiam Paulum post resurrectionem piscatus est: nam qui corda scrutatur & occulta mentium perspicit, is etiã quando vnusquisque ad obediendum paratus erat nõ ignorauit.* Et Theodoretus expendens verba citata ex cap. 9. ad Roman. inquit: *Non expectauit Deus rerum experientiam, sed cum adhuc in vtero gererentur eorum differentiam prædixit: prædixit autem cum eorum propositum præsciuisset.* Et circa illud ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi cõstitutionem.* inquit Theodoretus: *Ab initio enim ante constitutionem mundi, ea quæ ad nos pertinebant præsciuit & præfinijt.* Idẽ fere dicunt Theophylactus & alij Græci. Ex Latinis Hieronymus circa illud ad Galatas primo. *Cum autem placuit ei qui me segregauit.* ita inquit: *Ex Dei præscientia venit, vt quem scit iustum futurum prius diligat quam oriatur ex vtero.* Idẽ affirmat Malachiæ. 1.

Theodor.

Ad Ephe. 1

Theophyl. D. Hieron.

D. Ambr. *D. Damas.* *Anastasius Nicenus.*

& in epistola ad Hedibiam. quæst. 10. Ex D. Ambrosio ad Rom. 8. dicente. *Quos præscivit futuros sibi devotos ipsos elegit ad promissa præmia capescenda.* Damascenus lib. 2. Fidei orthodoxæ ca. 29. voluntatem antecedentem qua Deus vult homines omnes saluos fieri, dicit esse ex sola voluntate diuina ante præscientiam: voluntatē verò consequentem, siue efficacem dandi præmium vel pœnam, aliquo modo esse ex nobis, nimirum ex præscientia nostrorum operum. Rursus Anastasius Nicenus lib. quæstionum in Scripturā quæst. 59. ait. *Præscivit Deus fore, vt non pœniteret Pharaon, & indurauit cor eius: similiter præscivit Hieremiæ rectitudinem, & prædestinauit eum existere vas electionis. Si ergo quem vult Deus seruat, & quem vult perdit, neque qui seruatur dignus est mercede, neque qui perditur supplicio.*

Gregorius de Valentia adducit D. August. pro hac sententia.

Svnt nonnulli qui propter ea quæ dicta sunt supra, putent D. Augustinum fuisse in hac sententia, idque contendit Gregorius de Valē cia infra citandus in 1. par. q. 23. puncto. 4. §. 4. Vera sententiam explicatione secundę conclu sionis, & ex verbis Augustini insinuantur multa, quæ fauent primæ sententiæ superius positæ. Etenim videtur esse de mēte Augustini pla citum illud, nimirum etiam ipsos reprobos potuisse esse de numero electorum, si cooperaren tur Deo, quod tamen non posset esse verum si electio fuisset absoluta & efficax antecedenter ad præscientiam huius cooperationis. Illud autem dixit Augustinus lib. 1. quæstionū ad Simplicianum. quæst. 2. vbi hæc verba profert. *Noluit ergo Esau & non cucurrit, sed & si voluisset & cucurrisset Dei adiutorio peruenisset, qui ei etiā velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Idem dicit de Pharaone lib. de prædestinatione & gratia, cap. 14. & 15. vbi comparans ipsum cum Nabuchodonosore, ait: *Quid ergo finis eorum fecit esse diuersos, nisi quod vnus manum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnauit arbitrio.* Ex quo plane colligitur, quòd si non pugnaret, sed obediret sicut poterat cooperando diuinæ gratiæ, conueniret in fine cum electis, atque adeo esset de numero eorum. Præterea D. Augustinus insinuat electionem includere præscientiam, vel non esse sine præscientia eorum quæ Deus aliquando facturus est cōcurrente coope ratione libera ipsorum electorum. Quòd sanè expressè affirmat Augustinus li. de prædestina tione Sanctorum, cap. 10. 17. & 19. Et lib. de do no perseuerantiæ, cap. 14. 17. & 18.

Præterea D. Augustinus lib. 1. expositionis quarundam propositionum epistolæ ad Rom. cap. 60. idcirco dixit non posse esse ele ctionem inter æquales, quia putauit gratiam tribui ex meritis arbitrij: quam sententiam retra ctauit lib. 1. de prædestinatione Sanctorū. cap. 4. & lib. 1. retractationum, cap. 23. Postea verò pleriſque in locis fatetur electionem gratis om nino factam ex eadem massa, & conspersione inter æquè perditos: hanc tamen affirmat fuisse ad gratiam non ad gloriam. Vnde circa hanc controuersiam de qua agimus, eam solum electionē videtur admittere, quæ fit præmisso exa mine, nam alias inter æquales non videbatur agnoscere, nihilominus tamen optimè sensit de gratia, affirmans ad gratiam nullam talem electionem esse ex meritis præuisis, quam tamen ad gloriam videtur concedere. Et lib. de prædestinat. Sancto. cap. 19, concludit. *Cum ergo Deus nos prædestinauit opus suum præsciuit, quo nos sanctos & immaculatos facit.* Hoc loco solent citari Prosper. & Hilarius, sed siue causa vt postea videbimus. D. Anselmus lib. de concord. cap. 2. dicit, Deū non prædestinare nisi sicut est in præscientia, ex quo elogio concludit ibidem nō ma gis repugnare prædestinationem libertati, quā præscientiam: significans necessarium esse quod prædestinatio supponat præscientiam vt libertatem non impediat. Quare ipse Anselm. Matthæi. 1. distinguit duplex genus prophetię, vnū dicit esse ex prædestinatione quod impletur sine libertate nostra: aliud verò ex sola præscien tia, vt quæ pertinet ad præmium & suppliciū & liberas operationes. Hanc eandem diuisionē explicuit D. Thom. 2. 2. quæst. 174. ar. 1. Ergo cum electio ad gloriam sit de re comparanda per liberum arbitrium hominis, sequitur Deo esse tribuendam ex præuisione meritorum.

D. Prosper. *D. Hilarius* *D. Ansel.*

Duplex genus prophetiæ.

Conclvdit ergo præcedens opinio D. Augustini probare electionem Dei æternam, ita gratis factam esse vt nullum initium ex nobis Deus respiceret, aut respexerit: quia loquitur Augustinus de electione de qua erat concer tatio cum Pelagianis & Semipelagianis nimirū de electione gratiæ respectu cuius ex præuisis meritis dixerunt eam dari, non tamen loqui de electione ad gloriam, & ad beatitudinem quæ est præmium meritorum, & intenditur à Deo efficaciter ex præuisis meritis: Illa verò electio quæ est ad gratiā nulla ratione esse potest ex præuisis meritis, & de hac dicunt intelligen dum esse D. Augustinum cum negat electionem fieri posse ex præuisione operum aut ex præuisione meritorum.

Qvod si obijcias contra hos auctores, si ele ctio ad gloriam est efficax & est facta ex præ uisione meritorum sequitur ex illa, dari meritū vel causam prædestinationis nostræ ex parte nostra quòd dici non potest. Et probatur seque la, nam electio ad gloriam est id quod potissi mum clauditur in prædestinatione nostra: imò verò plures ex Sanctis Patribus nomine electionis efficacis ad gloriam & beatitudinem su pernaturalem intelligunt ipsam prædestinationem quæ non solum pertinet ad intellectum, sed etiam ad voluntatem: ergo si hæc electio efficax ad gloriam non fit à Deo nisi ex præuisis meritis iam sequitur ex isto modo dicēdi posse dari aliquid quod sit causa vel meritū prædestinationis nostræ ex parte nostra, nimirum illa merita præcognita, & præuisa antecedenter ad talem electionem.

Obiectio cõtra aduersarios.

Qvòd si obijcias cõtra hos auctores: Si electio ad gloriam est efficax, & est facta ex præuisione meritorum, sequitur ex illa dari meritũ vel causam prædestinationis nostræ ex parte nostra: quod dici non potest. Et probatur sequela. Nam electio ad gloriam est id quod potissimùm claudit in prædestinatione nostra, imò verò plures ex Sãctis Patribus nomine electionis efficacis ad gloriam & beatitudinem supernaturalem intelligunt ipsam prædestinationẽ quę non solum pertinet ad intellectum, sed etiã ad voluntatem: ergò si hæc electio efficax ad gloriam non fit à Deo nisi ex præuisis meritis, iam sequitur ex isto modo dicẽdi posse dari aliquid quod sit causa vel meritum prędestinationis nostræ ex parte nostra, nimirum illa merita pręcognita & præuisa antecedenter ad talem electionem.

Quid respondeant.

Hvic obiectioni respõdent auctores oppositæ sententiæ negando sequelam & consequentiam, si sit sermo propriè de prædestinatione Dei, nam aliqui sunt qui appellant electionem ad gloriam, prædestinationẽ, ex eo quod illud propositum dandi gloriam est decretum quoddam æternum quod iure dici potest prædestinatio & prædefinitio. In quo sensu præfati auctores sentiunt non esse incõueniens aliquod affirmare & concedere, mereri hominem prędestinationem ad gloriam. Cæterum hic non est receptus vsus aut proprius illius vocis prędestinatio: quoniam iuxta D. Thomã, & iuxta doctrinam D. Augustini de prędestinatione Sanctorũ cap. 10. Prædestinatio non solum includit finẽ, sed etiam media, imò verò propriè versatur circa media cum sit pars prouidentię. Quare prædestinatio nihil aliud est quam gratiæ præparatio iuxta Augustin. & lib. de bono perseuerantiæ. cap. 14. ait. Prędestinatio est præscientia & prępparatio beneficiorum Dei quibus certissimè liberantur quicunq; liberantur. Et accipiẽdo prędestinationem hoc modo nõ potest prędestinatio iuxta totam eius latitudinem cadere sub meritò cum meritum omne debeat fundari in aliquo effectu prędestinationis. Quo circa quamuis suppositio vno effectu illius, alius cadere possit sub merito, tamen neque tota prædestinatio, neque primus effectus eius nõ possunt sub merito cadere. Consecutio autem gloriæ solum est vnus effectus, imò verò vltimus totius prædestinationis, & idcirco quamuis electio ad gloriam fiat ex meritis præuisis non idcirco integra prædestinatio est ex meritis. Et pari modo videtur loquendum esse de electione diuina vniuersaliter & absolutè accepta: hoc est non determinata aut restricta præcisé ad gloriam: nam hoc modo electio non est tantũ ad gloriam, sed etiã dici potest ad gratiam, imò verò ad omnes gratias à prima vsque ad postremam, quibus dirigitur prædestinatus vsque ad postremam gloriæ consecutionem. Et hoc modo electio esse non potest ex præuisis meritis: quod etiam fatentur Auctores huius primæ sententiæ. Quam ego fideliter retuli, non quia vera sit apud me, sed vt eius cognoscantur fundamenta, & rationes.

Prædestinatio est gratiæ præparatio.

Secũda sententia Ambrosij Catherini.

Secvnda sententia, quam aliqui hoc loco recensent, est Ambrosij Catherini Politi, qui distinguit duas hominũ classes: alteram eorum, quos Deus tanta gratiæ, & donorum copia, & prouidentia speciali in æternam vitam destinauit, vt ex vi istorum & antecedenter ad omnem præscientiam cooperationis eorum fuerit infallibile atque certum eos homines cõsecuturos esse æternam vitam: Alteram verò classem constituit Catherinus eorum hominũ quibus Deus non decreuit dare tot auxilia aut tam efficacia, sed solum illa, quæ sufficientia & necessaria sunt, vt si velint eis cooperari possint cõsequi vitam æternam. Et in priori classe dicit contineri paucos & peculiares atque determinatos homines, qui in Scriptura solùm dicuntur prædestinati: ita vt particula (præ) non importet antecessionem ordinationis respectu executionis, sed excellentiam destinationis, propterea q̃ huiusmodi homines insigniter, ideſt antecedenter ad omnem vsum liberi arbitrij, & ad præuisionẽm eius fuerint à Deo destinati & ordinati in vitam æternam. In posteriori verò classe inquit comprehẽdi reliquos homines. Et quia ex tanta multitudine hominum quibus cõsultum est de medijs necessarijs ad vitam æternam, rationabile est, & videtur esse probabile multos re ipsa eam cõsequi (vt Catherinus ait) idcirco præter prędestinatos dicit esse alios homines, qui consequũtur vitam ęternam. Et hos non appellat ille prędestinatos, sed saluandos, non tamen negat dicendos esse electos ad gloriam, imò verò id fatetur. Vnde iuxta auctoris huius sententiam, priorum hominum electio consequenter ad suum dicendi modum, fuit absoluta & efficax sine vllo respectu ad eorum cooperationem: posteriorum verò hominum non fuit absoluta & efficax sine respectu ad liberam cooperationem ipsorum, vt pręuisam & à Deo pręcognitam.

Quid Gregorius de Valẽtia dicat.

Gregorivs de Valentia tom. 1. q. 23. de prædestinatione puncto. 4. disputans de causis prædestinationis. §. 2. loquens de verè prædestinatis, qui singulari quadam & excellenti ratione prædestinati sunt, vt fuerunt Apostoli & B. Virgo, D. Ioannes Baptista, & alij similes, qui in gratia ita sunt cõfirmati, vt peccare mortaliter nõ possent, dicit duo: Primum est quod in ea gratia in qua sunt confirmati necessariò perseuerarunt. Secundò dicit illos non liberè saluos fuisse, sed necessariò, & quod ob id non opus est quærere vtrum prædestinentur propter aliquod ipsorum meritum. Quæ sententia correctione indiget: & ob id nouissimè in impressione quàm nouè edidit Lugduni anno. 1693. eam emendauit & correxit, quia sustineri non potest Apostolos in gratia confirmatos & B. Virginem aut non liberè exercuisse opera salutis, aut quod non liberè, sed necessariò salui facti sint. Hanc verò correctionẽ aut declarationẽ fecit ille editione tertia, paucis mutatis ver-

bis & alijs additis: quod ego recensui, ne quis offendatur si viderit ea quæ ille dixit retro actis diebus & annis, in plerisque alijs impressionibus, nimirum cum edidit primum tomũ super primam partem D. Thomæ in primam lucem edens illud. Sanè quamuis detestabilis sententia sit Apostolos, non liberè, sed necessario salutem suam operatos esse & consecutos, tamen eo supposito consequenter loquitur loco citato prædictus auctor dicens, quod de talibus prædestinatis nõ oportet quærere vtrum prædestinentur propter aliquod ipsorum meritũ. Neque etiam oportet quærere vtrum electio eorum fuerit ex præuisis meritis si necessario, ideſt non libere, saluati sunt: sed de hoc alias, & inferius dicemus aliqua.

In hac controuersia Deo fauente aperiẽtur difficultates occurrentes, & fundamenta nostræ sententiæ, quæ data occasione sunt aperienda à nobis in discursu conclusionum. Rursus explicabuntur opiniones aduersariorum de mente eorum, & idcirco obseruationes & adnotationes, quæ nunc adduci possunt, multo melius in assertionibus adducentur & explicabuntur.

Prima Conclusio præambula.

Concl. 1. Gloria, quæ datur adultis prædestinatis, datur ex meritis.

His ita prælibatis, dico primo. Gloria, quæ adultis prædestinatis datur, ex meritis datur. Hæc est de fide: datur autem ex meritis tanquam præmium: & ob id verè dicitur corona iustitiæ, vt constat ex Tridentino sessione. 6. cap. 16. Vnde quamuis meritum iustorum fundetur in gratia, & innitatur misericordiæ & gratiæ Dei acceptantis, iuxta Paulum dicentem. *Gratia Dei vita æterna.* Et iuxta Regium Prophetam affirmantem: *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* nihilominus hoc meritum Sanctorum & iustorum tale est, cui re vera de facto correspondet gloria tanquam præmiũ eorundem meritorum: atque ita gloria, quæ adultis prædestinatis datur, ex meritis de condigno datur tanquam corona iustitiæ. Hanc tanquam Catholicam doctrinam tenent Theologi Scholastici, & Sancti Patres, quos retulimus. 1. 2. quæst. 114. in disputatione de merito à gratia Dei procedente. Certũ est enim, quòd nemo prædestinatorum ex adultis consequitur gloriam ad quam prædestinatur & eligitur, nisi cooperetur. Quod expressè dixit Paulus ad Ro. 8. *Si autem filij, & hæredes, hæredes quidẽ Dei, cohæredes autẽ Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* En quo pacto Paulus adultorũ gloriam, quæ hæreditate adquiritur, meritis, in quibus operamur, tribuit, & verissimum redditur elogium Pauli, *Si tamen compatimur vt eõ glorificemur.* Definitur etiam præfata conclusio in eodem Concilio Tridentino Sessione. 6. can. 26. & 32. *Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum: anathema sit.* Quare expendendum est verbum illud Ioannis. 4. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Vnde gloria & beatitudo illa cælestis appellatur nomine mercedis, coronæ, stipendij, & alijs eiusmodi pertinentibus ad iustitiam, & verè est præmium Sanctorum reddendum ex iustitia pro meritis cuiusque: sed nõ potest esse ratio iustitiæ aliqua sine condignitate operum: ergo illa necessario est admittẽda. Vnde. 2. ad Thessalon. 1. dicitur. *Vt digni habeamini in regno Dei pro quo & patimini.* Apocal. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Hãc etiam assertionem decreuit Cælestinus Papa epistola. 2. ad Episcopos Galliæ. Et Clemens primus epistola. 1. Hunc modum loquendi & dicendi seruant Sancti communiter, D. Basilius libr. de Spiritu sancto, cap. 24. Chrysost. homi. 4. de Lazaro, D. Augustinus pœnè in infinitis locis & Psalmo. 93. & 100. D. Hieronym. Isaiæ. 66. D. Hilarius Psalmo. 1. Legendus est D. Prosper lib. 2. de vocatione Gentium cap. 8. D. Isidorus lib. 2. de summo bono, cap. 15. Et hæc sint satis de hac assertione, quæ supponitur à me in controuersia hac, ne fortè quis confugiat ad implicatos vortices.

Ad Rom. 8

Conc. Trid.

Ioann. 4.

2. Ad The. 1

Apoc. 3.

Referuntur plures Sancti pro hac veritate.

Secunda Conclusio certa & præambula.

Concl. 2. Nulla ratio aut causa datur prædestinationis secundũ totam suã latitudinẽ. D. Augus. Ad Rom. 9

Dico secundo. Si prædestinatio propriè sumatur, secundum propriam latitudinem quo ad effectus suos omnes nulla ratio meritoria, aut causa in ipso prædestinato esse potest illius. Hæc assertio supponitur à me tanquam certa ex materia de diuina prædestinatione, quæ negari non potest sine præiudicio fidei. Et est expressa sententia Diui Augustini lib. 6. Hypog. Vbi habetur insigne pronunciatum eius: *Taceat humana lingua, & prorsus in prædestinatione de meritis non extollatur, diuinæ voluntatis est hoc donum, non humanæ fragilitatis meritum.* Idem docuit Augustinus epistola. 105. & 106. & lib. 1. ad Simpli. quæst. 2. Probarique potest hoc illis Scripturę testimonijs, in quibus simpliciter negatur diuinam electionem esse ex nostris operibus & meritis ad Roman. 9. *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est quia maior seruiet minori.* Quo in loco Diuus Augustinus docet, quonam pacto Paulus repellat prorsus omnia merita humana, idem facit lib. 1, ad Simp quæst. 2. citata. Ad Titum. 3. *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit.* Ad Ephes. 2. *Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur, ipsius enim factura sumus, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Sed obserua in his locis præcipuè

Ad Ephe. 2

exclu-

excludi opera, quæ ex libero arbitrio & non ex Christi gratia fiunt, & in quibus idcirco posset aliquis gloriari, quasi nõ ea etiam beneficio prædestinationis & gratiæ Christi acceperit & receperit, vt constat ex loco Pauli ad Titũ. 3. & ad Ephes. 2. Et ex illo. 1. Corinth. 4. *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Et rursus ex illo ad Rom. 11. *Quis prior dedit illi & retribuetur ei?* D. Augustinus epistola 105. ad Sixtum presbyterum cum probasset ex Paulo homines non prædestinari propter sua merita, sic ait: *Vbi nunc merita? vbi opera præterita vel futura? tanquam liberi arbitrij viribus adimpleta vel adimplenda?* Et quamuis verum sit hoc cæterum quoniam hæc testimonia Pauli absolutè & simpliciter repellunt opera nostra à ratione causæ aut meriti respectu prædestinationis: etiam repellit meritum prædestinationis, etiam operum quæ fiunt ex gratia, quod est conforme sententiæ Apostoli Pauli, vt cognoscamus omnia prorsus opera à Paulo remoueri à ratione causæ & meriti prædestinationis nostrę secundũ latitudinem eius, sunt enim nostra bona opera, præcipuè illa quę ex gratia procedunt non merita prædestinationis, neque causæ, sed effectus diuinæ prędestinationis.

1. Corin. 4.

Ad Rom. 11.

Ratione sua detur cõclusio.

SANE si ex parte prædestinati nihil est vllo pacto causa meritoria, aut ratio prædestinationis, & omniũ effectuum eius, similiter nihil ex parte ipsius erit vllo modo causa aut ratio meritoria prędestinationis relatę ad effectus omnes. Probatur minor: quia si aliquid ex parte prædestinati est causa meritoria aut ratio omniũ effectuũ prędestinationis: vel illud antecedit omnes effectus eius etiã vocationem efficacem, vel sequitur omnes effectus: sed nullũ istorũ dici potest: ergo probatur iterũ minor, quia si ex parte prædestinati datur ratio prędestinationis, & illud antecedit omnes effectus eiusdem prædestinationis, interrogo. Vtrùm hoc habeat certam connexionem cum vocatione, quæ est primus effectus prædestinationis, atq; adeo etiam cũ iustificatione ipsa: siue ea certa connexio sit ex lege iustitiæ diuinæ, siue ex lege diuina misericordiæ: si ponatur id tantũ esse causam meritoriã ex congruo, ita tamen vt Deus certo promiserit ob id conferre misericorditer iustificationem? Sed dici non potest id habere connexionem certam cum vocatione efficaci: Quia tunc iustificationis initium non esset positum in vocatione, sed in illo alio quod ex parte prædestinati affirmatetur causa meritoria vocationis & iustificationis, quod est hęreticum, & Pelagianum: initium enim iustificationis, & illud etiam, ex quo certa connexione sequitur iustificatio non est aliquid ex nobis, sed est ipsa gratia Dei vocans & præueniens: vt definitur in Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 3. & in Arausicano can. 5. 6. & 7. Rursus etiam non potest respõderi id ipsum. Nam quocũque posito quod antecedat vocationem, adhuc est in libertate hominis vocationi resistere, & ita repudiare iustificationis gratiam, vt traditur in Cõcilio Trident. sessione. 6. cap. 5. & can. 4. Quo circa nihil quod præcedat vocationem habet connexionẽ certam cum iustificatione. Si dicas illud quod antecedit vocationem non habere certam connexionem cum iustificatione aut cum efficaci vocatione: tunc etiam non potest rectè dici, quòd tale aliquid sit causa vel ratio vllo modo meritoria omnium effectuum prædestinationis Quia si constituẽda esset ratio aut causa meritoria vllo modo effectuum prædestinationis secundum totam latitudinem eorum, idcirco dici deberet vt ex illa causa meritoria posset bene cognosci aut intelligi, quo pacto sit in potestate libera hominis, cum Dei præsidio & auxilio consequi salutem, quę pendet ex prædestinatione: Sed ex tali causa & ratione meritoria quæ non haberet certam connexionem cũ primo effectu, & cum reliquis ipsius prædestinationis, minimè posset id sufficienter cognosci aut intelligi: Nam interrogaretur vlterius, quid tandem posset quis facere vlterius vt certo possit habere effectus omnes ipsius prædestinationis, & sic tandem consequi salutem. Præterea quia hoc etiam esset aliquo modo ponere exordium, & initium quoddam iustificationis ex parte hominis quod haberet connexionem certam cum iustificatione ipsa quod non est consentaneum definitioni Ecclesiæ. vt paulò antea ostendimus & diximus. Si dicas aliquid quod sequitur efficacem vocationem esse aliquo modo rationem seu causam meritoriam effectuum omnium prędestinationis: Contra. Nã quidquid est tale meriti in prædestinato ipso, id quidẽ effectus est eiusdem prædestinationis, & consequenter non erit ratio aut causa omnium effectuum. Adde etiam quia vel id habet connexionem certam cum ipsa iustificatione & finali perseuerantia: vel non habet, hanc certam cõnexionem: Si habet non poterit aliquid aliud esse quam cooperatio illa quam Henricus Gãdauensis dixit esse rationem & causam. Illa verò nõ est vt nos. 1. par. q. 23. art. 5. disput. 1. ostẽdimus contra eundem Henricum, imò verò etiam vt est à libero arbitrio est quidam prædestinationis effectus & Dei donum, vt egregiè adnotauit D. Augustinus de prædestinatione Sanctorum, cap. 10. & de gratia & libero arbitrio, cap. 16.

Impugnatur solutio quæ posset adhiberi.

Concil. Tri.

CONFIRMARI potest quod in eadem assertione secunda affirmamus ex prædestinatione Christi, quam Diuus Augustinus de prędestinatione Sanctorum, cap. 15. dicit esse prę clarissimum lumen prædestinationis Sanctorum, qui sunt membra Christi. Quoniam si Deus absque vllis meritis ipsius Christi, prædestinauit illum, vt esset filius Dei, sicut ait Paulus ad Roman. 1. omnino sentiendum est, etiam alios Sãctos sine vllis meritis suis à Deo prędestinari vt sint mẽbra Christi. Et cõfirmatur quia prædestinatio nostra quo ad eius fieri potest, similis est Christi prædestinationi, vt

Confirmatur.

Confirmatur.

ait

ait Paulus ad Rom. 8. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imagini filij sui.* quod si Deus nulla merita Christi requisiuit, vt illum constitueret caput nostrum, quod fuit longe maius: credibile etiam est neq; à nobis postulare aut requirere merita aliqua, vt nos faciat membra illius per prædestinationem. Nam certè omnia merita & opera Christi fuerunt effectus illius suæ prædestinationis. Quia nulla opera gessit ipse nisi efficacitate suæ ipsius personæ qua fuit Deus & homo, quod vt esset, id consequutus est per illam Dei prædestinationem. Quo argumento vtitur D. Augustinus de prædestinatione Sanctorum, cap. 15 & de bono perseuerantiæ cap. 24. Vbi sic concludit: *Quisquis igitur in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis inuenerit, ipse in nobis eius membris præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat.* Quasi dicat nulla vtrobique inueniet.

D. Augus.

Tertia Conclusio præambula.

Conclus. 3.

DIco tertio. Prædestinatio non est tantum propositum conferendi gloriam, sed etiam est dispositio & ordinatio mediorum, quibus in gloriam perueniendum est. Atque adeo prædestinatio non tantum includit finem, sed etiã omnia media, quæ ad eundem finem ordinãtur: includit enim omnem gratiam, fidem, vocationem, merita, perseuerantiam, gloriam. Hæc assertio est certa & quæ negari non potest vllo pacto; præcipuè quia Theologi definiunt prædestinationem quod est propositum conferendi gratiam in præsenti, & gloriam in futuro D. Augustinus de prædest. Sancto. ca. 10. ait: quod prædestinatio est præparatio gratiæ & beneficiorum Dei. Et citant illud Pauli ad Ephes. 2. *Creati in Christo Iesu in operibus bonis.* hoc ait Augustinus: *Gratia est.* quod autem sequitur, *Quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus: Hoc* (inquit) *prædestinatio est.* Tandè cõcludit: *Quo circa prædestinatio gratiæ præparatio est, gratia verò ipsius prædestinationis effectus.* Item prædestinatio est pars diuinæ prouidentiæ: & sanè ad Dei prouidentiã pertinet nõ solũ finẽ præscribere, quẽ rationalis creatura intẽdat & ad quẽ ordinetur, sed etiam pertinet ipsa ordinatio & præparatio mediorum, quibus in eum finem perueniendum est. Vnde Paulus ad Rom. 8. *Quos præsciuit & prædestinauit cõformes fieri imagini Filij sui: vt ipse sit primogenitus in multis fratribus. Quos autẽ prædestinauit hos & vocauit: & quos vocauit hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* In quo pacto prædestinatio includit ea omnia quę in assertione dicuntur, vocationẽ, fidem, gratiam, & iustificationem, & glorificationem: hæc enim omnia sunt effectus prædestinationis secundùm totam latitudinem eius. Ac proinde prædestinatio includit dispositionem, decretum, & propositum earum rerum fiendarum circa prædestinatos adultos.

Includit prædestinatio non tantum finem sed etiã media.

Ad Ephes. 2.

Ad Rom. 8

NON me latet quod aliquando apud quosdam ex sanctis Patribus prædestinationis nomen accipitur pro vltimo effectu, nimirum pro consecutione gloriæ, & vltimi finis, & idcirco ad id attendentes dixerunt Hieronymus, Ambrosius, & alij, merita esse causam prædestinationis: intelligunt esse causam consecutionis gloriæ & coronæ vltimi finis. Nam gloria, quæ est vltimus finis datur quidem adultis prædestinatis propter merita. A verò si sermo sit de prædestinatione secundùm omnem effectum & omnia media, quæ in ipsa includuntur, nulla dari potest prædestinationis causa aut ratio meritoria ex parte hominis. Nam Lucæ. 10. legimus: *Confiteor tibi Pater cæli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & reuelasti ea parvulis. Etiam Pater, quoniam sic placuit ante te.* Ecce quo pacto in diuinum beneplacitum referuntur & non in aliquam præuisionem aut pręcognitionem causę vel meriti. Huic veritati consonat illud Ioan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Et 1. Ioann. 4. *In hoc est charitas Dei, non quasi nos prius dilexerimus Deum: sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Quæ omnia verba vera non essent si Christus elegisset prędestinatos adultos, præuidens, quòd prius ipsi electuri essent illum & ad ipsum se applicaturi. Et Diuus Augustinus de prędestinatione Sanctorum, capit. 18. explicans hęc testimonia de Apostolis dicit ita esse interpretanda. *Non vos elegi, quia vos me elegistis aut in me credidistis, sed elegi vos, vt eadem mea electione me eligeretis, & in me crederetis.* Rursus probatur assertio ex illo Pauli. 2. ad Timotheum. 1. *Vocauit nos vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu.* Quibus verbis Paulus excludit quidquid ex parte nostra reperitur, aut pręuideri potest ad beneficium prædestinationis consequendum. Et idcirco ad Roman. 11. Paulus dixit: *Quis prior dedit illi & retribuetur ei.* Vnde ad Ephes. 1. legimus ex eodem Paulo: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati, in quo nos sorte vocati sumus.* vbi docet etiam bonum vsum liberi arbitrij esse effectum electionis & prędestinationis, quod præcipuè constat, quia sorte vocati sumus in Christo: ergo non ex pręuisione operum.

Lucæ. 10.

Ioan. 15.

1. Ioan. 4.

D. Augus.

2. Ad Tim. 1.

Ad Rom. 11.

Ad Ephes. 1

De quo sit controuersia.

HAE tres conclusiones propositę sunt à me veluti præambulæ in hac concertatione, de quibus fusè egimus. 1. part. quæsti. 23. At verò in præsenti difficultas non est de his, sed solùm de electione ad gloriam. Vtrum illa sit facta ex præuisis meritis, seu prævisis operibus. In qua re à nobis recitatæ sunt opiniones in principio Sectionis huius. Sed quoniam hodie nõnulli ex aduersarijs etiam circa merita prædestinationis, nonnulla dicunt quæ declaratione indigent, idcirco rem hanc euoluere amplius conabor.

Gre-

Sententia Gregorij de Valētia circa punctum difficultatis

GREGORIVS de Valentia tomo. 1. super primam partem D. Thom. quæst. 23. de prædestinatione, pūcto. 4. Vbi ait se verā tradere sententiam in discursu setūdæ assertionis affirmat. Deum non prædestinare adultos nisi cum respectu quodam præscientiæ suæ ad illorum cooperationem per gratiam. Quam propositionem dicit explicandam esse. Et eam explicat dicendo non qualemcunque respectū diuinæ cognitionis ad cooperationem esse intelligendum: quando ipse asserit adultos non prædestinari sine tali respectu. Nam certè cum prædestinatio sit decretum quoddam efficax Dei, & diuini intellectus approbante voluntate: quo quis à Deo dirigitur in beatitudinem per cooperationem suam, & alia media, non videtur posse intelligi quin prædestinatio adultorum sit cum aliquo respectu diuini intellectus ad illorū cooperationem, tanquam ad vnum quoddam medium, quod inter cætera respicit prædestinatio. Sed ait hic auctor se loqui de respectu diuinæ cognitionis, quæ sit præscientia cooperationis, vt actu futurę absolutè. Duobus autem modis diuinus intellectus respicit cooperationem prædestinati. Vno modo per scientiam simplicis intelligentiæ, qua nimirum nouit prædestinati cooperationem, vt possibilem, hoc est vt poterit à prædestinato fieri & adhiberi, aut etiam vt conditionaliter futuram, si hæ aut illæ circunstantię ponantur, & talis vel talis gratia conferatur. Quæ scientia Dei non vtcunque cum decreto prædestinationis coniuncta est, sed illud etiam omnino antecedit nostro modo intelligendi: de quo nō dubitant, qui admittūt scientiam mediam. Altero modo diuinus intellectus respicit cooperationem prędestinati per scientiam visionis, qua Deus nouit cooperationem prædestinati, vt actu etiam absolutè exhibenda est suo tēpore à prædestinato, & sic affirmat Gregorius de Valentia Deum non prædestinare aut efficaciter dirigere per intellectū & voluntatem suam hominem adultum in beatitudinem nisi cum respectu cognitionis suæ per scientiam visionis ad cooperationem futuram, vt absolutè etiam adhibebitur actu suo tēpore à prædestinato.

ITAQVE contendit hic auctor. Decretum Dei æternum & efficax de salute hominis, quo prædestinatio ipsa continetur, nequaquam ordine rationis in Deo antecedere modis omnibus præsciētiam actualis cooperationis futura prędestinati, sed simul hanc præscientiam in se includere, & cōiunctam habere. Ac proinde Deū non solum cognoscendo per simplicem intelligentiam cooperationem illam decreuisse & voluisse efficaciter, vt prædestinatus per cooperationem suam, & alia media salutem consequeretur (sicut oportet eos dicere qui imaginantur decretum prædestinationis modis omnibus antecessisse ordine rationis præscientiam cooperationis actualis) sed vt præsciuit demum cooperationem eam actu quoque adhiberi suo tempore ab homine quem prædestinat.

VNDE quam Gregorius de Valentia secundam assertionem constituit loco citato ita habet. *Quamuis neque cooperatio prædestinati, neque aliquod omnino opus ipsius sit ratio seu cōditio, aut vllo modo causa meritoria totius prædestinationis, tamen Deus neminē adultum ordinario modo prædestinat nisi cum respectu quodam præscientiæ suæ ad cooperationē perseuerantem ipsius prædestinati, vt est ex auxilio gratiæ & ex libero arbitrio, tanquam ad vnum quendam effectum & medium prædestinationis, cum quo reliqui omnes prædestinationis effectus sunt cōnexi. Ita sanè vt licèt verum non sit Deum ideo prædestinare aliquos, quia præscit ab æterno & præcognouit, aut prænidit eos cooperaturos diuinæ gratiæ cum perseuerantia vsque ad finem; quasi hæc cooperatio sit totius prædestinationis ratio seu conditio aut causa: verissimum tamen sit, Deum eos adultos omnes & solos ordinariè prædestinare, quos ab æterno præsciuit, seu præscit diuinæ gratiæ cooperaturos cum finali perseuerantia.* Et difficultas huius sententiæ in eo sita est quod affirmat Deum minimè prædestinare adultos nisi cum quodam respectu diuinæ præscientiæ suæ ad illorum cooperationem per gratiam. Nam certè hæc verba difficilia sunt, quatenus affirmant prædestinationem adultorum fieri à Deo cum respectu præscientiæ suæ ad cooperationē eorum. Hæc namque verba significare videtur ex respectu præscientiæ ad vsum gratiæ per liberū arbitrium, & gratiam simul fieri à Deo adultorum prædestinationem, ac proinde prædestinationem ex præuisa cooperatione simul fieri.

In quo huius sententiæ difficultas sita sit.

HVIC tamen obiectioni responderi solet hunc respectum præscientiæ diuinæ ad cooperationem & vsum prædestinati duobus modis excogitari posse coniunctum fuisse cum decreto prædestinationis, vno modo ita vt si consideretur decretum prædestinationis quātum ad omnia obiecta illius, seu quantum ad totum ambitum eius, in eo contineatur etiam ille respectus præscientiæ ad actualem cooperationem tāquam ad vnum quoddam obiectum siue effectum prædestinationis, ita sanè, vt sine tali respectu non fuerit facta à Deo, vel quasi transacta prædestinatio. Secundo modo ita etiam vt nullus prædestinationis effectus vt sic & vt talis est: nimirum vt habet certam habitudinem ad æternam salutē, decretus fuerit homini prædestinato sine respectu illo ad eius actualē cooperationem. Veluti in ipsa executione nullū medium certo & efficaciter conducit adulto ad æternam salutem obtinendam nisi accedente cooperatione actuali ipsius hominis adulti. Itaque vtroque modo intelligitur propositio illa apud prædictū auctorem: videlicèt Deum neminem prædestinauisse ex adultis ordinariè sine huiusmodi respectu præscientiæ suæ ad cooperationem ipsam actualem eiusdem prædestinati, tanquam ad vnum prędestinationis effectum, qui cōnexus est cum reliquis omnibus prędestinationis effectibus vt sunt effectus eius.

Quid soleat responderi ad difficultatem positam.

ITAQVE huiusmodi respectus ad coopera-

tio-

tionem adulti simul est coniunctus cũ ipsa prę destinatione vt sic: hoc est, quatenus vere est efficax decretũ perducendi hominem adultũ certò ad beatitudinem, siuè prædestinatio hæc sumatur, & consideretur in ordine ad sua omnia obiecta, per quæ Deus talem hominem dirigit in eum finem, siue in ordine ad obiectũ hoc vel illud, per quod etiam certò dirigat hominem in eundem finem, quamuis non tantùm per illud. Sed notant auctores huius sententiæ se non intendere prædestinationem non posse cogitari, tanquam priorem illo respectu præscientiæ ad actualem cooperationem liberi arbitrij, sed tãtùm velle ipsam prædestinationem secundùm vnam rationem fuisse simul cõiunctam, & connexam cum illo respectu, & ex consequenti non omnimodò illum antecessisse: Nimirum prout in ipsa executione talis ordo est seu connexio inter obiecta prædestinationis, vt neque omnia obiecta ipsius, neq; etiam aliquod eorum conducat prædestinato adulto ad assequendam certo æternam salutem: nisi accedente inter cætera illius cooperatione, aliàs si consideretur prædestinatio præcisè, vt respicit primum effectum, qui est vocatio, & vocatio etiam præcisè consideretur quatenus vna cum gratia adiuuante, & libero arbitrio est causa cooperationis, nõ negant quin ea ratione prædestinatio sit ordine quodam prior, quam præscietia cooperationis, sicut ipsa etiam vocatio efficax prior est quam cooperatio. Sufficit autem quod illa alia ratione superiùs iam dicta: nimirũ propter mutuum ordinem omnium effectuum prædestinationis in executione simul connexá sit prædestinatio, quatenus in executione nullus illorũ effectuum valet certè, & efficaciter ad assequendam beatitudinem sine prædestinati cooperatione. Nam vt effectus, & obiecta prædestinationis sunt sibi inuicem priores, & posteriores natura in diuersis generibus causarum, sic etiam sub alia consideratione omnes sunt simul natura per mutuam ad se inuicem relationẽ, si vnusquisq; illorũ cogitetur prout certo & efficaciter valet ad beatitudinem assequẽdam, atq; adeò quatenus est effectus prædestinationis. Nam nullus eorum effectuum valet certò ad eum finẽ, nisi cum respectu ad alios effectus omnes ipsius prædestinationis, quatenus omnes conueniunt in quadam sui habitudine ad idem subiectum: vtpote ad vnum, & eundem hominẽ prędestinatum, cui omnes contingunt & ad eandẽ beatitudinem. Et per hãc conuenientiam dicuntur illi effectus inter se habere mutuum quendam ordinem & reciprocum, seu relationem, ac proinde esse simul natura: & rursus vnumquenque illorum verè esse effectum prædestinationis: quia eorum nullus sine ordine ad reliquos certo & infallibiliter prodesset homini ad beatitudinem consequendam, id quod est de ratione effectus prędestinationis. Vnde propter hãc naturæ simultatem, quam habent omnes, & singuli effectus prædestinationis cũ cooperatione ipsius prædestinati, sentiunt prædicti auctores in ipsa prædestinatione includi respectũ, & habitudinem ad cooperationem liberi arbitrij: cùm ipsa prædestinatio respiciat effectus suos quatenus sunt inter se ordinati.

Quòd non sint constantes auctores huius sentẽtiæ.

Sed quoniam auctores huius sententiæ nimis adhærent præscientiæ cooperationis liberi arbitrij, & non ita clare loquuntur, in omne latus se vertunt, & valdè se torquent, vt mentem suam explicent. Quæ videtur esse illa quã nos, 1. p. retulimus art. 5. disput. 1. quę asserit Deum prædestinasse adultos non quidem propter bonum vsum cooperationis liberi arbitrij tanquã propter rationem, & causam, sed nihilominus ipsam cooperationem liberi arbitrij fuisse talẽ, quam Deus secutus est in prædestinandis adultis, ita vt re vera neminem prædestinauerit, nisi quem Deus simul præuidit cooperantem, & consentientem, &c. quia illam rationem secutus fuerit Deus in prædestinandis hominibus adultis: de qua re legenda sunt quæ 1. p. diximus loco citato. Rursus sententia & opinio istorum iam relata, si vt ab eis explicatur debet intelligi, nihil aliud videtur dicere aut prætendere quàm sensum quendam identicum, quatenus affirmat Deum non prædestinare adultos nisi cum respectu quodam præscientiæ suæ ad illorum cooperationem per gratiam, non quidem cum respectu causalitatis, aut meriti vel rationis, sed solùm cum identitate cooperationis atq; simultate eius cum prædestinatione, ita vt re vera neminem adultum prædestinet, nisi quẽ vult cooperari, & hoc est verum: nam nemo ex prædestinatis adultis est qui non cooperetur Deo prędestinanti, vt salutem consequatur? etenim illi ipsi qui prædestinantur vere cooperantur, & prædestinatio respicit hanc cooperationẽ adultorum tanquam effectum suum.

Quid respõdeãt isti auctores de sua sententia quã putant mediã.

Verumtamen auctores præfati respondent ad hoc, sententiã suam esse mediã, inter sententias extremas de causa prędestinationis. Quia non affirmant præscientiã aliquorum operum prædestinati antecedere decretũ ipsum prædestinationis quoad eius effectus, vt faciunt illi qui constituunt prædestinationis causam in aliquibus prædestinati operibus, sed solũ ponunt in ipso prædestinationis decreto includi prędiscietiã hanc, vel cũ illo decreto esse cõiunctã: quod videtur his auctoribus satis esse ad defendendũ nõ esse in prædestinato vllã rationẽ aut causam vel cõditionẽ totius prædestinationis: & simul necessariã habitudinem ad cooperationem, vt intelligatur vnũquenq; ex adultis cum gratia Dei posse consequi salutem. Vnde cum dicunt prædestinationem esse cum quodam respectu diuinæ præscientiæ ad cooperationẽ adulti prædestinati, tanquam ad vnum effectum ipsius prædestinationis, ex hoc satis apparet quomodo sit verum quod dictum est, nimirum cooperationem ipsam non esse vllo modo causam neque rationem, neque conditionem totius prædestinationis quoad omnes eius effectus: quia nihil potest esse causa, ratio, vel conditio etiam sui ipsius, imò verò neque suæ causæ.

Quo fit, vt neq; cooperatio illa sit causa, vel ratio, vel conditio prædestinationis quoad primum eius effectũ, qui est efficax vocatio: quãdoquidem illa cooperatio est effectus non solius liberi arbitrij, sed vocationis quoq; efficacis & gratiæ adiuuantis.

Sed profectò si hæc opinio est media inter duas sententias extremas, & contrarias de diuina prędestinatione: quarum vna ponit causam, & rationem seu meritum prædestinationis diuinę: siuè causa illa sit bonus vsus liberi arbitrij post acceptã gratiam, siuè sit cooperatio eiusdem arbitrij: altera verò, quæ nullam omninò causam cognoscit prædestinationis secundùm totam eius latitudinem: sequitur, quòd hæc opinio aliquid accipit ab extremis sententijs, & ꝙ neque omninò repellit cooperationem præuisam habere aliquam rationem coniunctam cum prędestinatione, quam Deus sequutus sit in prędestinãdis adultis, vel saltem dicere aliquam rationem sine qua non prædestinaretur iste adultus, &c. Rursus si hæc sententia noua est, vt auctores eius dicunt, & media inter extremas illas duas sententias, sequitur eam recedere ab ea sententia, quæ dicit cooperationem liberi arbitrij præuisam, non fuisse rationem, & causam prædestinationis adultorum, & ex consequenti eo ipso quod recedit ab hac extrema sententia declinat in oppositum. Vnde si est media, & noua post tot acta disidia inter Doctores & antiquos Theologos, sequitur, quòd attentè est legenda, aut minus sequenda. Præterea prefati auctores in hac sua opinione vel implicitè volunt in prędestinandis hominibus haberi respectum ad bonum vsum liberi arbitrij, & ad cooperationem, & consensum, & ita habetur intentum: vel solũ volunt quod in ipso decreto prędestinationis adultorũ tanquam in obiecto cognitionis diuinæ cernit Deus ipsum bonũ vsum, & cooperationem tanquã effectum ipsius prædestinationis: & hoc nõ est nouum, sed antiquum. Quid igitur est ista nouitas, & ista media opinio? Vnde aparet hanc opinionẽ & sententiam solũ facere sensum identicum, & quasi materialem, nimirum simul, & concomitanter esse coniunctum hunc respectũ ad cooperationem adulti, cum ipso decreto efficaci prædestinationis, vt est efficax decretum perducendi hominem certò ad beatitudinem, ita vt nemo prædestinetur, qui re vera non cooperetur illi efficaci decreto perducendi ipsum ad beatitudinẽ. Et hoc etiã non est nouum, neq; per illud respondetur formaliter ad tactam à nobis quęstionem, neq; ad intentionẽ illius controuersiæ in qua quæritur de ratione & causa diuinæ prędestinationis: Quamuis hæc sententia expresè neget dari rationem aut causam prædestinationis adultorũ. Sed doctrina eius apertè dicit Deum nõ prædestinare adultos, nisi cum respectu quodam pręscientiæ suæ ad illorum cooperationẽ per gratiam: quod indigebat maximè explicatione ab eis tacta, quæ si est media, & noua aliquid aliud inuoluit, quàm sonat, vel si non est noua neque media, nihil distinctũ ab his quę diximus tradit.

Quòd si hæc sententia sit media, & noua recedit à vera, & communi.

Quòd per hanc sentẽtiã non fiat satis propositæ difficultati.

Imò verò D. August. lib. de prædestin. Sanctor. cap. 10. semper supponit decretum prædestinationis Dei, cum intelligatur vt causa, esse prius cooperatione arbitrij nostri: est enim ex D. August. prædestinatio gratiæ præparatio; Gratia verò ipsa donatio. Vnde quod ait Apostolus, *Non ex operibus, ne forte quis extollatur, ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Iesu in operibus bonis*, Gratia est. Quod autem sequitur: *Quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus*, prædestinatio est, quæ ait Augustinus sine præscięntia nõ potest esse; ob id nimirũ ꝙ in ipso prædestinationis decreto cognoscũtur hæc & pręsciũtur omnia à Deo. Et ca. 19. inquit Augustinus. *Cũ ergo nos Deus prædestinauit opus suũ præsciuit, qui nos sanctos, & immaculatos facit.* Quocirca si mul cũ prædestinationis decreto coniuncta est præscientia cõsensus, & cooperationis nostræ, tãquam cognitio effectus per suam rationem, & causam. Nolo modò plura adducere testimonia, neq; plures alios citare ex Patribus, quod possem: quia hoc pertinet ad disputationem quæstion. 23. 1. partis. Vnde certissimũ fuit apud Theologos, quòd quidquid prædestinatio respicit tanquã effectum, seu obiectũ suum, id quidẽ vel est cooperatio libera hominis prędestinati, vel aliquid quod secundũ aliquam rationem est connexũ cum ea cooperatione: ac proinde in ratione prædestinationis includitur tanquam in decreto, & causa respectus ad cooperationem prædestinati tãquã ad effectũ. Vnde gratia præueniens seu præuia efficax in prædestinato adulto quæ videlicèt certo factura est, vt homo cũ perseuerãtia cooperetur finaliter, ac eatenus certò beatitudinẽ consequatur: nõ est absq; vllo respectu scientiæ infallibilis Dei ad eiusmodi cooperationẽ hominis, tanquam ad effectum, & mediũ: ergo pari modo ipsa certa prędestinatio per talem gratiam includit connexionem cum respectu ad cooperationem.

Explicatio controuersiæ.

Vt Sectionis huius difficultas proposita in titulo eius de electione ad gloriam, An sit ex præuisione meritorũ? à nobis explicetur: suppono primò, voluntatem dandi gloriam prædestinato adulto duplicem esse, seu duobus modis posse à nobis cogitari: primo per modũ intẽtionis, & secundo per modũ executionis: imò verò apud antiquos Theologos, & Philosophos, verè distinguũtur ordo intẽtionis, & executionis: vt quod est primũ in intentione sit posterius in executione, & vterq; ordo intẽtionis & executionis cõstituitur in mẽte artificis prudentis. Et idcircò vtrũq; ordinẽ intentionis, & executionis ponimus involuntate Dei, tanquã in mente prudentissimi artificis. Quæ sanè distinctio maximè cõformis est ad interpretãdã controuersiam hanc, & rem ipsam de qua agimus, & præterea egregiè consentaneam esse dicimus D. Augustino, & modo loquendi eius. Nam certè apud D. Augustinum duplex repe-

Suppositio 1. Volũtas dãdi gloriam duplex.

Duplex electio apud D. Augus.

ritur electio: vna iustitiæ, quæ supponit præscientiam, & discretionem meritorum: de qua locutus est Augustinus lib. 1. ad Simplicianum. q. 2. altera electio est gratiæ de qua loquitur idem Augustinus Sermone. 7. de verbis Domini, & præcipuè lib. 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 19. Electio igitur quæ fit secundū iustitiam vocari potest secundùm executionem: nam illa eadem voluntas est per quam Deus in tempore quibusdam tribuit gloriam, & non alijs, quamuis ipsa voluntas etiam formaliter sumpta secundùm talem respectum sit æterna: Electio vero gratiæ seu gratuita respectu gloriæ, hæc dicitur esse per modum intentionis: nam certè quod Auctores superius citati supponunt, nimirum electionem gratiæ non cadere in gloriam de mente Augustini, sed solùm in ipsam gratiam, aperte repugnat verbis Augustini: quia loquens de hac electione gratiæ, quæ cadit in gloriam, docet per eam gratiam eligi omnes quotquot eliguntur ad regnandum cum Christo: & hanc eandem electionem gratiæ vocat Augustinus voluntatem efficacem saluandi electos. Vnde, quidquid dicant aduersarij, hoc est verum in doctrina Augustini. Nam interrogo ab aduersarijs: quando respondent, quòd quia gratia est semen gloriæ, idcircò electio ad gratiam aliquando dicitur electio ad gloriam, seu ad salutem æternam, de qua gratia loquantur? Num de gratia iustificante quæ est gratia remissionis peccatorum? seu de gratia sanctificante? vel an solùm loquantur de gratia primę vocationis efficacis? Si loquuntur de hac posteriori, illa per se ac formaliter accepta, cum sit gratia actualis auxilij Dei, nec formaliter sanctificat animam, neque dicitur semen gloriæ, sicut dicitur communiter de gratia iustificante: sed solùm est quoddam initium horum bonorum: neque propter illam solam rationabile est dixisse Augustinum elegisse nos Deum ad regnum cælorum. Si autem loquantur de gratia sanctificante: interrogo vlterius, an eorum sermo sit de qualibet sanctitate? an de sanctitate illa quæ vsque in vitę finem duret? Primum sanè dici non potest, quia licèt omnis gratia huiusmodi ex se, vel secundùm præsentem iustitiam, sit semen gloriæ, tamen in re non semper perducit cum effectu in regnum cælorum: & tamen in præsenti est sermo de voluntate eligendi homines ad gloriam & perducendi eos cum effectu ad regnum cælorum. Quod si electio illa gratię est ad gratiam sanctificātem, perseuerantē, & finalem, illa est gratia consummata, & frustra est intentionem illius distingue re, ab intentione beatitudinis, & regni cælorum: tum quia hęc duo se consequuntur infallibiliter, & qui intendit formam, intendit etiam cōsequentiā ad formam: tum etiam quia eadem est vtriusq; ratio. Igitur ipsa electio gratiæ etiā i[n] sententia D. Augustini complectitur regnū cælorum, quod clarè & optimè cognouerunt, & viderunt Auctores oppositæ sententiæ, inter quos est nouus Theologus Gabriel Vazquez. 1. p. q. 23. art. 4. disput. 89. cap. 12, pagina 816. §. Benite video locū: vbi fatetur hanc esse sentētiā D. Augustini. ait enim: *Bene video locū illum Pauli ad Ephes. 1. Elegit nos in ipso ante mūdi constitutionem, vt essemus sancti: fuisse intellectum à D. Augustino de electione ad gloriam lib. 1. ad Simplicianum q. 2. vbi sane Augustinus rem hāc ex professò tractabat. Quod sane maximè conforme est Paulo dicenti ad Rom. 9. vt secūdùm electionem propositum Dei maneret.* En quo pacto non potuit negare præfatus auctor hanc fuisse sententiam D. Augustini, imò verò in hoc sensu explicauisse plura loca Sacræ Scripturæ. Sane S. Thom. cuius auctoritas magna est in hac parte, quia versatissimus fuit in doctrina Augustini, apertè affirmat sententiam D. Augustini fuisse: electionem adultorum prædestinatorum ad gloriam fuisse ante præuisa merita.

Gabriel Vazquez.

Dices neminem ex Philosophis constituere hunc vtrumq; ordinē in mente vel voluntate artificis, nimirum intentionis, & executionis simul, sed alterum tantùm ordinem, videlicèt intentionis in mente artificis: alterum verò nimirum executionis in re ipsa ad extra. Quam obiectionē præfatus auctor statuit, quasi alicuius esset momenti contra nos, ad impugnandam distinctionem factā de duplici voluntate Dei dandi gloriā per modum intētionis, & per modū executionis. Dicimus nanq; verissimum esse ordinem executionis reperiri in re ipsa ad extra; Cæterū cum executio emanatura sit ab eodē artifice operante per voluntatem suā, necessariò oportet esse in eodē artifice præter totū ordinem intentionis, voluntatem ipsam, & consultationē à qua emanet executio, quę incipiat prudenter à proximo medio, quod in electione ipsa fuit postremū, & ita progrediatur vsq; ad executionē finis primò intenti. Quæ sane doctrina nemo nisi cęcus sit potest eā repellere; neq; est noua, sed antiqua apud Philosophos morales, non tantū Latinos, sed etiā Græcos, quod magis est. Nā certè post totā electionē integram mediorū, vbi finitur ordo intētionis, incipit vsus, qui prout actiuè est ab eodē artifice à quo emanat, in voluntate eius existit, & ab illo incipit, & inchoatur executio. Quo fit vt licèt in Deo secundū rem nō sit distinctio istorum actuū secundū se: nihilominus tamen verè & propriè attribuitur illi hęc distinctio: nā secūdùm rationē distinguūtur à nobis isti actus, cū vnus simplicissimus Dei actus, ob fœcūditatē, & infinitatem quā habet, omnia comprehendat, & sit fundamentū iuxta ea quæ excogitare potest rectè intellectus noster ad fundandam hanc distinctionem intentionis, & executionis, & ita secundū rationē distinguuntur à nobis isti actus in Deo: Quoniam huiusmodi actus ad perfectionem pertinent, & formaliter nullam inuoluunt imperfectionem.

Obiectio cō tra distinctionem de duplici voluntate refellitur.

Non est in Deo distinctio istorum actuum secundùm rē, sed solùm secundùm rationem.

Quo fit illęsam, firmam, & solidam manere distinctionem illam actuum pertinentium ad vtrumque ordinem, tam intentionis quàm executionis. Et hanc esse intelli-

gendam non tantum de actibus immanentibus in mente artificis, & de transeuntibus quoad executionem ad extra, seu externa executione: sed etiam intelligendam esse quoad internos actus voluntatis eiusdem artificis: in cuius mente reperitur etiam dispositio, & ordinatio executionis quæ emanatura est ad extra: Adde etiam in ipso Deo æquè æternam esse voluntatem per quam exequitur postea quod vult: & voluntatem qua aliquid intendit seu prædefinit. Nam profecto in ipsa æterna Dei voluntate: & in liberis decretis eius, optimè distingui potest vnum quod sit per modum intentionis, & alterum quod sit per modum voluntatis executiuæ, & applicantis ad vsum, pro suo tempore, seu pro tali, & tali duratione, causas ipsas, seu potentiam executiuam, & proximam illorum actuum seu effectuum, eos exequens.

Admittunt tandem auctores oppositæ sententiæ hanc de duplici voluntate distinctionẽ.

VIDENTES autem Auctores oppositæ sententiæ rem hanc negari non posse succumbunt, & re vera admittunt destinctionem hanc propositam de duplici voluntate dandi gloriam, videlicèt per modum intentionis, & executionis. Nam quando Deus prædefinit cogitationem, ex qua cognoscit futurum esse opus virtutis, tunc verisimè dicitur velle dare cogitationem illam propter opus virtutis: at verò cum Deus vult concurrere ad cogitationem, ex qua scit futurum esse peccatum, non dicitur velle dare cogitationem illam propter opus peccati. Huius autem rei causa esse non potest, nisi quia in primo casu antecedit secundùm rationem, nostro modo intelligendi, aliquis actus voluntatis diuinæ, quo intendit tale opus bonum, ex quo actu orta est cogitatio, quæ futura est causa illius operis: At verò in secundo casu non dicitur antecedere talis intentio, sed solum postquam Deus habuit voluntatem concurrendi ad cogitationem, sequitur similiter in Deo voluntas concurrendi etiam cum arbitrio hominis ad entitatem actus realem peccati, & hæc est executiua voluntas actionis realis: & altera proportionalis multo melius & excellentius constituenda est circa bonum opus, quia etiam Deus vult ad illud concurrere: imò verò illud decernit, & prædefinit. Quocirca ad illum actum bonum ex parte Dei interueniunt duo affectus ratione distincti: vnus qui pertinet ad ordinem intentionis: alius verò qui pertinet ad executionem. Et hoc videntur concedere aduersarij, & præfati Auctores. Nam ipsi intentionem etiam in actibus malis circa cogitationem, quam Deus tribuit homini, ex qua scit futurum esse peccatum ponunt, & constituunt: & eam admittunt: imò debent eam concedere in actibus bonis, quam circa illos negare non possunt. Illa vero prior intentio quam ipsi ponunt circa cogitationem ex qua scit Deus futurum esse peccatum, solum ponitur ab ipsis per modum simplicis affectus, & idcircò necessaria est alia voluntas efficax, & operatiua in executione. Quod quidem in prædestinatione est apertum, & clarum: quia ipsi concedunt ante voluntatem dandi vocationem congruam præcedere ex parte Dei aliquam intentionem dandi æternam salutem. Nam aliàs non posset intelligi Deum tribuere talem vocationem, propter talem finem.

Quid cogantur concedere aduersarij.

EX quo colligitur eos conuictos esse ad concedendum illam intententionem præcedere ante præscientiam meritorum: quia ante primam vocationem nulla sunt merita, & tamen post præuisa merita ponunt electionem iustitiæ ad eandem æternam salutem, quæ ex parte Dei est executio actiua glorificationis adultorum qui prædestinantur, quæ fit in tempore, & illius transeuntis electionis seu externæ ad extra, qua boni sequestrantur, & separantur à malis, quibus dicitur à Deo. *Venite benedicti Patris mei percipite regnum quod paratum est vobis, &c.* Ergo præfati Auctores eundem ordinem constituunt, & eandem distinctionem per duplicem voluntatem dandi gloriam per modum intentionis, & executionis: atque adeò solum à nobis differunt, quod ipsi intentionem illam constituunt in efficacem, & per simplicem affectum: nos verò sentimus intentionem illam circa adultos prædestinatos non esse per simplicem affectum tantùm, & inefficacem: sed esse absolutam, & efficacem, quæ diuersitas, & varietas aliam postulat materiam ex alijs principijs examinandam, quæ sanè nihil interest quod nunc de ea non agatur: Nam quocunque modo ponantur illa principia intelligimus, & cogitamus ordines illos, & actus ad illos pertinentes, esse distinctos.

Suppositio secunda.

SECVNDÒ suppono ad intelligentiam huius controuersiæ, & ad explicationem nostræ sententiæ, vt aperiatur materiæ campus: quod actus ille quo Deus voluit, verbi gratia, Paulo gloriam, appellatur electio. Sed non comparatur ad ipsam gloriam præcisè sumptam: neque quatenus est finis aliorum bonorum, quæ eidem homini prædestinato conceduntur. Sed potest appellari electio, vt ordinatur sicut medium ad finem ad gloriam Dei aut Christi. Imò verò hic actus electionis ad gloriam si comparetur ad gloriam, & ad media quibus est obtinenda, potest nostro modo intelligendi distingui in duos actus, quorum vnus sit intentio, & alter electio. Nam respectu huius obiecti quòd est gloria danda homini possumus distinguere in Deo secundùm rationem duos actus, quorũ vnus qui est volitio dandi gloriam dicatur intentio, & alter qui est volitio dandi media proportionata ad consequendam gloriam dicatur electio, vt suppositione præcedente dicebamus. Cæterum vterque actus potest appellari volitio dandi gloriam, vt constat de primo: & de secundo probari potest: quoniam volitio medij in ordine ad finem etiam est volitio ipsius finis: & vter-

Actus quo voluit Deus gloriã alicui appellatur electio, & quomodo.

que

que actus comprehenditur in prædicta electione ad gloriam: Nam hæc vt completa sit quantum satis est, & requiritur vt habeat effectum, non tantùm importat voluntatem dandi gloriam, sed etiam importat volitionem dandi media. Vnde sententia, quæ asserit primam illam volitionem seu electionem adultorum prædestinatorum ad gloriam, fuisse absolutam, & efficacem antecedenter ad bonum vsum liberi arbitrij, seu sine connexione cum bono vsu liberi arbitrij potest quidem duobus modis intelligi, & cogitari. Primò quidem fuisse, & esse absolutam, & efficacem per modum intentionis, & electionis simul: quod est dicere Deum habuisse intentionem dandi gloriam quibusdam adultis, & electionem dandi media, & vtramque absolutam, & efficacem antecedenter ad connexionem cum bono vsu liberi arbitrij: seu sine connexione cum bono vsu liberi arbitrij vt à se prægnito, & præuiso. Secundò potest intelligi fuisse absolutam, & efficacem per modum intentionis tantùm: quod est dicere Deum habuisse vtrumque actum circa gloriam adultorum qui saluandi sunt, sed non eodem modo, sed priorem videlicèt intentionem, sine connexione cum vsu liberi arbitrij hominum ipsorum, & quasi antecedenter, sed non cum præcisione, & repulsa eius: posteriorem tamen nimirum electionem mediorum cum hac connexione cooperationis liberi arbitrij.

PRIMVM modum intelligendi, & explicandi sequuntur nonnulli ex familia Diui Thomæ circa difficultatem de qua agimus, licèt non satis apertè distinguant in hac electione ad gloriam duos illos actus intentionis, & electionis: sed loquantur de prædestinatione, atque adeò de electione completa, quæ includit actum voluntatis circa finem & media simul. Hic videtur esse sensus Caietani, prima parte quæstione 23. articulo. 5. §. Ad hæc quoniam manifestè: Quo in loco contra Henricum probat prædestinationem completam, prout includit etiam electionem perfectam præsupponi ad bonum vsum, & cooperationem liberi arbitrij. Idque apertius docet super illud Pauli ad Romanos. 9. *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam*: Vbi affirmat electionem certam, & absolutam, non solum quoad gloriam, verum etiam quoad media præsupponi nostræ libertati, & ob id se nescire componere eas inter se. Et loquitur Caietanus de præsuppositione non in tempore facta actualiter, quia de hac nullum poterat esse dubium, cum electio sit ab æterno, exercitium vero nostræ libertatis incipiat esse in tempore; sed in diuina præuisione, quæ etiam est ab æterno. Sotus etiam super Epistolam ad Romanos capite 9. circa expositionem eorundem verborum Pauli, impugnat quendam Doctorem Scholasticum, eo quod dixerit, & credi derit, nullam esse prædestinationem qualem Scholastici constituunt, nimirum absque præuisione operum, & omninò contendit prædestinationem quoad omnes actus quos includit, tam ex parte intellectus quàm ex parte voluntatis præsupponi præuisioni operum. Driedo etiam libro de concordia liberi arbitrij, & prædestinationis, capit. 2. & 3. sequentibus, eundem modum intelligendi sequitur.

POSTERIOREM vero sensum, & modum explicandi nimirum volùtatem illam dandi gloriam quibusdam adultis fuisse absolutam & efficacem per modum intentionis tantùm: hoc est Deum habuisse vtrumque actum circa gloriam adultorum qui saluandi sunt, sed non eodem modo: sed priorem scilicèt intentionem sine connexione cum vsu liberi arbitrij ipsorum, posteriorem tamen actum videlicèt electionem mediorum cum hac connexione, sequitur Bellarminus libro 2. de gratia, & libero arbitrio, capi. 9. & sequentibus, vbi multis argumentis probat electionem ad gloriam non habuisse vllam connexionem cũ consensu liberi arbitrij creati. Et capite. 15. eiusdem libri, & etiam libr. 6. eiusdem operis cap. 25. & 26. vt aperiat, & explicet qua ratione posita determinatione huius electionis antecedentis consensum liberi arbitrij, remaneat in electis libertas ad operandum, vel non operandum, & ad bene aut male agendum, vtitur doctrina quam ipse antea tradiderat de scientia quadam, qua Deus cognoscit quid voluntas factura sit pro diuersitate circunstantiarum, loci, & temporis, & aliarum rerum. Et affirmat Deum ad hoc vt prima hæc electio, quæ habet modum intentionis, impleatur, infallibiliter decreuisse per actum qui habet modum electionis dare libero arbitrio auxilia, cum quibus ipse per eam scientiam cognoscit esse infallibiliter operaturum, quantum requiritur, vt habeat merita sufficientia ad obtinendum gradum gloriæ ad quem per actum intentionis est ordinatum. Vnde cum non sit infallibile hæc auxilia habitura esse hunc effectum, nisi suppositа cognitione infallibili futuræ cooperationis liberi arbitrij cum eis, sequitur hunc actum qui habet rationem electionis non fuisse absolutum, & efficacem quantum ad effectum, qui est habere merita sine respectu ad consensum liberi arbitrij, vt præuisum, & prægnitum per scientiam illam.

TERTIA suppositio est, duobus modis posse nos disputare de modo electionis hominum ad gloriam: primò per respectũ ad voluntatem Dei consideratam, vt nostro modo intelligendi antecedit liberam determinationem ipsius ad assumendum vnum modum electionis potius quàm alterum. Secundò per respectum ad actualem determinationem voluntatis diuinæ, vt nimirum re ipsa, & de facto assumat aliquem determinatum modum electionis. Si in priori

Quid Caietanus sentiat.

Ad Romanos. 9.

Driedo.

Quod Bellarminus sequatur posteriorẽ dicẽdi modum.

Tertia suppositio. Duplex proponitur modus, in quo potest hæc difficultas de electione tractari.

sensu intelligatur hæc controuersia facile potest dissolui: Nam cum diuina voluntas libera potuerit assumere quemcunque modum electionis sibi placitum, in quo non contineatur aliquid repugnans, aut ipsi Deo, vel hominibus eligendis: & in nullo ex modis electionis superius relatis, & propositis contineatur aliquid repugnans: consequenter dicendum est quemcunque ex illis modis potuisse assumi à diuina voluntate, imò & plures alios nobis occultos, quos in Deo intellectus eius potuit proponere voluntati vt possibiles, quæ res per se est clara, & manifesta, quamuis aduersarij censeant in prædictis sententijs propositis aliquid repugnans contineri respectu diuinæ perfectionis aut prouidentiæ suæ. Sed re vera concedendum est Deum potuisse assumere diuersos illos modos eligendi homines ad gloriam, quia non potest assignari aliqua ratio repugnantiæ, siue ex parte Dei, siue ex parte hominum. Quem autem modum eligendi Deus de facto assumpserit, & habuerit non cognoscitur à nobis nisi per reuelationem. Et sanè nulla reuelatio proponitur ab auctoribus circa rem hanc, neque ex Scriptura, neque ex Concilijs, neque ex doctrina Sanctorum Patrum.

Assertiones pro decisione difficultatis, & controuersiæ.

Prima propositio.

Propositio. 1. Omnibus adultis voluit Deus dare gloriã nisi ipsi se ea indignos redderent.

His ergò ita prælibatis, & suppositis, Prima propositio est. Deum re vera voluisse dare hominibus adultis de quibus nunc loquimur gloriam, nisi ipsi suis peccatis, & culpis se redderent indignos ea: & præterea Deum voluisse dare auxilia, quæ essent sufficientia ad huius gloriæ consecutionem: quæ propositio ab omnibus admitti debet, & in quacunque opinione. Sed nihilominus vt magis aperiatur, dico posse eam intelligi, primò in communi de voluntate dandi gloriam, & necessaria auxilia, ad eius consecutionem, non explicando, Vtrùm huiusmodi voluntas, siue quantum ad gloriam, siue quantum ad auxilia terminetur ad ipsos homines secundùm se, & intrinsecè: vel potius in aliud, & extrinsecè. Secundò potest intelligi magis in particulari de voluntate dandi gloriam, & auxilia quæ terminentur ad ipsos homines secundùm se, & intrinsecè. Tertiò adhuc magis in particulari de voluntate dandi vnicuique homini omnia, quæ per modum principij intrinseci requiruntur ad adimplendum quodcunque præceptum obligans sub mortali, & ad resurgendum à peccato, & consequenter ad consequendum gloriam: quod fit vitando lapsum in peccata aut post lapsum resurgendo, & per alia media oportuna & necessaria, &c.

Triplex modus in quo potest intelligi hæc cõclusio.

Et in priori sensu: est communis consensus Catholicorum & Theologorum: & nemo est qui id neget; imò verò certa fide cognoscitur. Quoniam nisi hoc concedatur ita in communi de voluntate dandi gloriam, comunicandi beatitudinem, & auxilia necessaria ad eius consecutionem: sequeretur primum, quod Deus, cum apud se statuit, & decreuit condere homines, non decreuerit, neque decreuisset ordinare eos in supernaturalem beatitudinem tanquam in finem. Imò verò sequeretur non esse verum, quòd post visionem lapsus primi hominis in peccatum, atque adeò totius generis humani, in ipso Deo extiterit voluntas dandi Christum vt Redemptorem generis humani, & omnium hominum. Nam certè si Deus non habuit in communi hanc voluntatem dandi, & communicandi gloriam suam & necessaria auxilia ad eius consecutionem, sequuntur duę illationes factæ: & non poterunt esse vera, quæ dicta sunt: cum tamen Paulus prima ad Timotheum, secundo dicat. *Qui vult omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire.*

Quòd sit in 1. sensu communi.

1. ad Timotheum 2.

Sed sunt qui negant prædictam propositionem esse intelligendam in secundo sensu, de voluntate magis in particulari dandi gloriam, & auxilia, quæ ad ipsos homines terminentur secundùm se, & intrinsecè. Nam dicunt recentiores nonnulli, quod vt vera sint illa duo quæ ab omnibus admittuntur certa fide, de voluntate condendi homines in beatitudinem supernaturalem vt in finem, & de voluntate dandi Christum, vt reparatorem post lapsum, & vt redemptorem omnium, satis esse, quòd Deus in prima hominum conditione instituerit statum innocentię prout includit gratiam, & originalem iustitiam: quamuis minimè voluerit singulis hominibus secundùm se gloriam, & media ad consequendum eam. Et portionabiliter in reparatione generis humani dedisse Christum cuius meritum, & satisfactio esset sufficiens ad Redemptionem omnium, & sacramenta per quę posset valor meritorum Christi communicari omnibus: quamuis non voluerit communicari singulis hominibus secundùm se effectum huius valoris. Et vt explicent qua ratione sit hoc satis, ad verificandum illa duo, quæ de fide esse retulimus, dicunt ex eis solùm sequi Deum præparasse pro vtroque statu media sufficientia, quibus omnes homines possent consequi salutem, quamuis non voluerit hæc media in particulari aut eorum virtutem applicari singulis hominibus intrinsecè, & secundùm se. Hoc probant, quia si Rex aliquis habeat voluntatem reparandi scholas in quibus ab eruditis præceptoribus omnes homines sui regni instituantur in omnibus scientijs, & re ipsa reparet eas, & præparet, dicetur sine dubio omnium hominum institutionem & disciplinam velle, quamuis non voluerit singulos homines adire has scholas, aut non voluerit singulis secundum se, & intrinsecè cõmunicari

Quòd in secundo sensu à quibusdam negetur.

Ab exemplis arguũt auctores isti.

hanc

hanc institutionem: Et similiter si idē Rex pro redemptione omnium captiuorū velit mittere pretium sufficiens, & re ipsa mittat: vel pro salute omnium infirmorum sui regni velit præparare Medicos peritissimos, & medicinas sufficientes, & re ipsa præparet: dicetur velle omnium captiuorum libertatem, & omnium infirmorum sanitatem, quamuis non velit applicare aut singlis captiuis pretium, aut singulis infirmis medicinas: Ergò pari modo, quia Deus voluit in prima hominum conditione instituere statum quo omnes peruenire possent in beatitudinem, & pariter voluit in eorum reparationem dare Christum in Redemptorem omnium, dicetur voluisse condere omnes homines in beatitudinem, & omnes reparare ad eam, & dare eis media sufficientia ad eius consecutionem: licèt non habuerit volitionem dandi hæc omnia in particulari singulis hominibus secundùm se, & intrinsecè.

Aliorum sententia qui affirmāt nō posse in 3. sensu nostram conclu. defendi.

TANDEM sunt alij Theologi, qui negant Deum voluisse dare hominibus adultis gloriam in tertio sensu: si sermo fiat magis in particulari de voluntate dandi vnicuique homini omnia quæ per modum principij, intrinseci requiruntur ad adimplendum quodcunque præceptum obligans sub mortali, siue sit affirmatiuum siuè negatiuum, & ad resurgendum in quacunque occasione à peccato, & consequenter ad consequendum gloriam: quia dicuntad adimplendum quodcunque præceptum saltem supernaturale, & ad resurgendum à quocunque peccato mortali, & consequenter ad consequendum per hæc media gloriam, requiri duo auxilia ex parte principij operatiui, quatenus per modum principij præsupponitur saltem ordine naturæ actuali adimpletioni præcepti, & actuali resurrectioni à peccato: vnum ad excitandum hominem, & simul ad posse adimplere, & ad posse resurgere: & alterum ad actu adimplendum, & resurgendum per actuale exercitium operationum supernaturalium, quæ ad hoc requiruntur, & Deum voluisse dare omnibus hominibus tantùm primum horum auxiliorum non verò secundum.

Nostram propositionem. 1. in. 2. & 3. sensu verā esse

SED profectò omissa hac sententia, & sensu eius, quia de hac aliàs dictum est, & dicetur inferius, sentio priorem hanc propositionem veram esse etiam in secundo modo, & tertio explicationis eius, vbi distincti sensus reperiuntur. Nam certè quod Deus voluerit dare hominibus adultis gloriam loquendo magis in particulari de voluntate dandi gloriam, & auxilia, quæ terminentur ad ipsos homines secundùm se, & intrinsecè hoc est certum, habetque certitudinem conclusionis Theologicæ, ad quod probandum vtor hoc argumento. Si Deus voluit dare Christum vt Redemptorem omnium hominum in particulari, & secundùm se, necesse est voluisse illis salutem, & media sufficientia ad consequendum eam, & ad consequendam gloriam: Sed Deus voluit dare Christum vt Redemptorem omnium hominum in particulari, & secundùm se: ergo etiam voluit dare omnibus hominibus in particulari, & secundùm se gloriam, & media sufficientia ad eius consecutionem: Quæ conclusio certitudinem habet conclusionis Theologicæ, quia consequentia est euidens, & minor est de fide apud omnes: & maior etiam est euidens, quia impossibile est Deum voluisse dare Christum vt Redemptorem omnium hominum in particulari, & secundùm se, & quod non voluerit omnibus hominibus eodem modo sumptis effectum huius redemptionis: & hic effectus est gloria, & media sufficientia ad consequendum eam. Hoc maximè constare potest quoniam Christus Dominus defacto obtulit pretium mortis suæ pro omnibus hominibus, iuxta Paulum prima ad Timotheum secundo. *Qui dedit semetipsum Redemptorum pro omnibus*, & 1. Ioannis. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius Mundi*, & secunda Corinthio. 5. *Pro omnibus mortuus est Christus*: ergo huic oblationi respondet ex parte Dei acceptatio, & consequenter voluntas tribuendi vniuersis hominibus secundùm se illud ad quod ordinabatur pretium vitæ, & mortis Christi, scilicèt gloriam, & media requisita ad consequendum eam. Ex hoc apparet exempla superius allata non concludere. Quoniam voluntas illa Regis qui instituit Scholas, & pretium pro captiuis, medicinasque pro ægrotis non extenditur vsque ad effectus ad quos hęc ordinantur: & idcircò necesse non est quod si voluit hæc, voluerit etiam ipsos effectus nisi mediatè, & remotè. Sed nihilominus non videtur mihi satis certum quod Rex qui voluit efficaciter medicinas esse pro infirmis, aut pecunias pro captiuis, quod si hæc voluit remotè voluerit ipsos effectus, sed valdè proximè. Sed de hac re & de exemplis propositis redibit sermo inferius.

1. *ad Thimoth.* 2. 1. *Ioan.* 2. 2. *Corinth.* 5.

Probatur. 1 propositio in 3. sensu intellecta.

RVRSVS propositio hæc prima superius posita potest probari tanquam certa in tertio sensu. Nam auxilia quæ requiruntur ex parte principij, vt præsupponitur exercitio ad adimplendum quodcunque præceptum, & ad resurgendum in quacunque occasione à peccato continentur intra media requisita ad consecutionem gloriæ. Confirmatur hoc quantum attinet ad auxilium requisitum, ad impletionem alicuius præcepti, & ita ad exercendum quemcunque actum necessarium quo præceptum ipsum impletur. Nam Trident. decreto de iustificatione Sessione. 6. capite 11. de obseruatione mandatorum, & de necessitate, & possibilitate eorum prohibet vti voce illa tanquam temeraria, & à Patribus sub anathemate damnata: Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia: Et reddit rationem

Concil. Trident.

Ratione per quam datur hoc dictum.

huius: Quia Deus impossibilia non iuuet sed iuuendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis. Ex qua ratione, & verbis Concilij apertè sequitur etiã illam vocem damnatam esse respectu nõ iustificatorum, quia etiam respectu eorum Deus non iuuet impossibilia. De concordia, & coherentia huius primæ propositionis cum his quæ pro nostra sententia dicemus inferius agẽdum est, in quem locum remitto lectorem.

Propositio 2. Peculiare genus prouidentiæ habuit Deus cum quibusdam hominibus.

Secunda propositio.

DICO secundò: Dubitari non potest quòd Deus cum quibusdam hominibus in particulari habuerit, præter genus prouidẽtiæ generale quod in prima propositione cõtinetur, & quod Deus habuit cum omnibus hominibus adultis, illud genus prouidentiæ magis speciale in ordine ad finem supernaturalem, cum aliquibus hominibus in particulari, quod claudit curam voluntatis diuinæ: qua voluit dare gloriam, & media ad eius consecutionem, vt non tantùm possent illam cõsequi, sed etiam de facto, & infallibiliter eam consequerentur.

ITAQVE præter illud genus prouidentiæ quod Deus cum omnibus habuit, datur aliud specialius in ordine ad supernaturalem finem beatitudinis, quod sanè habuit Deus cum aliquibus hominibus in particulari, quibus sic voluit dare gloriam, & media ad consecutionem eius, vt non tantùm possent consequi eam, vt diximus, verum etiam de facto atque infallibiliter consequerentur illam. Sed nihilominus posito quocunque modo prouidentiæ istorum erga homines, in ordine ad finem supernaturalem, etiam hoc nunc explicato, in hominibus manet libertas respectu omnium actionum, quæ ex parte ipsorum requiruntur ad consecutionem huius finis supernaturalis, ad quem per talem modum prouidentiæ diriguntur: ac proinde non læditur libertas eorum ex genere huius præfatæ prouidentiæ. Vnde dici non potest ob prædestinatos speciali illo prouidentiæ genere, eos liberos esse ab obseruatione mandatorum: aut carere intrinseca indifferentia libertatis ad obseruandum mandata, vel violandum illa. Tum quia testimonia Scripturæ intelliguntur de omnibus hominibus, tam prædestinatis, quàm non prædestinatis: tum etiam quia Tridentinum, Sessione. 6. decreto de iustificatione, capite. 11. comprehendit omnes homines quantumuis iustificatos, & prædestinatos, & docet eos teneri obligatione præceptorum, & posse deserere Deum, ita vt deserantur ab ipso: quod ex parte eorum fit per peccatum morale: atque ita colligitur apertè prædestinatos habere hanc libertatem indifferentiæ, & quod quotiescunque determinatè operantur hanc actionem, & non aliam: siuè illa cadat sub præcepto, siue non, tunc determinatè in exercitio operantur determinatione libera, quæ ita illis conuenit, vt possint aliud agere cum non operentur determinatione necessaria ad vnum tantum, quæ est determinatio naturæ animalium & brutorum.

Cũ hoc speciali genere prouidẽtiæ stat libertas.

QVO constituto probatur proposita assertio ex doctrina Diui Augustini libro de correptione, & gratia capite. 11. & 12. Quo in loco quantum ad gratiam quæ requiritur ad perseuerandum in bono docet esse discrimen inter primum hominum ante lapsum cum erat in statu innocentiæ, & se ipsum ac reliquos homines post lapsum, & amissionem illius status: quod primo homini ante lapsum datum est adiutorium ad perseuerandum quo si vellet, posset perseuerare, & sine quo non posset etiam si vellet: non tamen quo fieret vt vellet perseuerare, & nunquam malus esse. At verò hominibus post lapsum primi parentis, & amissionem illius status, datur ad perseuerandum adiutorium, non solum quo possint perseuerare si velint, & sine quo non possint etiam si velint: sed etiam quo efficiatur vt velint. Rationem autem huius disparitatis reddit Augustinus in fine illius capitis 12. his verbis. *Fortissimo quippe primo parenti ante lapsum, dimisit atque permisit Deus facere quod vellet: infirmis vero hominibus post illum lapsum seruauit vt ipso donante inuictissimè quod bonum est vellent:* quasi diceret fuisse satis perfectè prouisum, quia id postulabat necessitas humanæ naturæ. Quare de omnibus hominibus post lapsum paulò inferius sic ait Augustinus. *Nam si in tanta infirmitate vitæ huius, ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei sine quo perseuerare non possent manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur vt vellent, inter tot, & tantas tentationes, infirmitate sua voluntas ipsa succumberet: & ideo perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis vt possent.* Et statim. *Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur: & ideò quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur.* Et non longè à principio eiusdem capitis. 12. dixerat Augustinus. *Aliud est adiutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adiutorium, quo aliquid fit.*

2. Propositio ex Diuo Augustino probatur.

EX qua Augustini doctrina formo argumentum, ad ostensionem huius secundæ propositionis, de speciali genere diuinæ prouidẽtiæ quod Deus habuit in particulari, cum quibusdam hominibus adultis. Ad perfectionem diuinæ prouidentiæ, quam Deus habuit erga homines circa supernaturalem finem, non quidem respectu ipsius actus diuini: sed ex parte effectus, & necessitatis humanæ naturę pertinet, vt vel omnibus sit possibile simpliciter, & verè, sed etiam suaue, & sine implicatione difficultatum fere impossibilium, consequi finem hunc: vel saltem quod aliqui de facto eum consequantur: Sed si Deus cum hominibus post lapsum solum habuisset illud genus prouidentiæ in com

muni, nimirum, vt statuisset dare eis tantum auxilia, quibus possent si vellent eis cooperari, difficillimum, & moraliter impossibile esset consequi supernaturalem finem; non solùm respectu omnium hominum, sed etiam respectu multorum: ergò ad perfectionem diuinæ prouidentiæ in sensu supra explicato pertinet vt præter illam prouidentiam communem, quam (vt constat ex ipsa assertione prima) Deus habuit erga omnes homines, habuerit aliam magis specialem erga aliquos, qua voluerit eos infallibiliter consequi hunc finem supernaturalē; & ex consequenti dare illis media quibus infallibiliter eum consequantur. Maior patet, tum ex doctrina D. Augustini, qui ob id supponit prouidentiam, quam Deus habuit erga genus humanum pro statu innocentiæ in ordine ad finē supernaturalem fuisse perfectam ex parte effectus ipsorum hominum, quia propter vires voluntatis, & paruam aut nullam difficultatem ad bene operandum esset facillimum, non solum aliquibus hominibus, sed etiam omnibus consequi finem supernaturalē: quamuis de facto nullus fuerit eum consecutus: & Deus præsciuerit ita futurum: tum etiam quia licet ille modus prouidentiæ etiam ex parte effectus esset sufficiens, vt satisfieret diuinæ bonitati & sapiētię, & vt singuli homines in particulari possent etiā cōsequi illum finem: & ex cōsequenti vt Deus iustissimè posset adducere in iudicium homines qui noluissent cooperari affectibus, & auxilijs illius prouidentiæ, tamen non sufficeret vt dicetur esse omnino prouisum humanæ naturæ iuxta suam necessitatem. Quia vt dicatur esse prouisum alicui communitati ad consecutionem alicuius finis perfectè, iuxta exigentiam ipsius communitatis pensanda est sufficientia mediorum in ordine ad talem communitatem vel magnam partem eius, & non ad singulos homines eiusdem communitatis: Si fortè possit contingere, vt media, quæ sunt simpliciter sufficientia respectu vniuscuiusque hominis in particulari non sint eodem modo sufficientia respectu totius communitatis vel maioris partis ipsius. Minor autem probatur, in primis auctoritate D. Augustini, qui expressè eam concedit, & præterea ratione ipsius: quia propter repugnantiam ex parte ipsius concupiscentiæ, & imbecillitatem ad resistendum tentationibus, quàm patitur natura humana post lapsum primi parentis esset moraliter fere impossibile, aut omnes homines, aut magnum eorum numerū cum solis auxilijs prouenientibus ab illa prouidentia consequi finem supernaturalem. Et nō obstat quod esset simpliciter possibile respectu singulorum hominum in particulari, quia multa sunt quæ vnicuique indiuiduo dicuntur possibilia aut ōtingentia: & respectu omnium indiuiduorum, aut totius communitatis dicuntur impossibilia aut necessaria. Et in hac re maximè sunt expendenda verba illa citata à D. Augusti. lib. de correpti. & gratia, cap. 12. nimirum aliud esse adiutoriū sine quo aliquid non fit: & aliud esse adiutorium quo aliquid fit. Quæ distinctio applicari potest huic nostro instituto.

Probatio secunda etiã ex D. August. petita.

Secvndò, etiam probari potest secunda hæc assertio efficaciter satis ex doctrina sapientissimi Augustini, quam nemo negare potest nimirum dari quandam vocationem efficacē, quā ipse appellat altam & secretam, & secundum propositum, quæ talis est vt ex ea semper & infallibiliter sequatur effectus: & aliam quam similiter ipse vocationem esse vult, & talem eam simpliciter compellet: quæ talis est, vt licèt ex ea possit prouenire effectus, non tamē semper, & infallibiliter proueniat: cui doctrinæ ex eodem Augustino adiungere oportet discrimen inter has duas vocationes, non consistere nisi in eo, quòd prima vt venit à Deo coaptata libertati hominis, & subordinata voluntati Dei, & prouidentiæ perfectè à qua procedit, semper ab ea infallibiliter proueniat effectus, nam ob hanc rationem eam appellat D. Augustinus vocationem secundùm propositum Dei, quod est habere vires efficaces vt venit à Deo, iuxta voluntatem qua Deus prouenire voluit ex ipsa infallibiliter effectum. Secunda verò vocatio procedit ex ea volūtate qua Deus sic voluit ex ea posse effectum prouenire, vt non solum impediri posset, sed etiam de facto ex defectu arbitrij creati. Ex quo adiuncto apertè sequitur ex tali Augustini sententia, Deum ita voluisse aliquibus hominibus in particulari gloriam, vt non solum possent eam consequi, sed etiam re ipsa eam consequentur: & idcirco voluisse ita vocare eos vt infallibiliter, & re ipsa consentiant vocationi, & conuertantur. Huic etiam instituto fauent verba illa superius repetita D. Augustini dicentis. *Aliud est adiutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adiutorium quo aliquid fit.*

Eadem vēritas magis roboratur.

Favet etiam prædictæ assertioni doctrina Augustini dicentis: Non ideo elegisse Deum aliquos homines quia erant Sancti, aut quia ipse præsciebat futuros esse sanctos, sed quia facturus erat ipsos sanctos. Ex qua doctrina apertè colligitur talis prouidentia specialis de qua fit sermo in secunda propositione, seu assertione. Nā sensus huius testimonij Augustini est, Deū re ipsa & infallibiliter facturū esse eos sanctos: quod quidem præsupponit voluntatem id faciendi. Adde etiam quod ad respondēdum huic quæstioni cur quidam ita vocentur, vt conuertantur, & postquam cōuersi sunt in Deum, aut non recedant ab eo, aut si recedunt conuertantur iterum, & sic permaneant in gratia vsque ad finem vitæ. Alij verò vel non vocentur ita, vt conuertantur, vel si conuertuntur labantur in peccatum, & non permaneant in gratia, recurrendum esse ad mysterium electionis & prædestinationis: ex qua etiam doctrina colligitur apertè id ipsum quod in assertione diximus de speciali prouidentia. Nam si Deus non habuisset peculiarem modum prouidentiæ in ordine ad finem supernaturalem cum aliquibus hominibus, & non cum alijs, nulla esset ratio propter

quam ad respondendum huic quæstioni oportere recurrere ad mysterium electionis & prædestinationis, quia vnus & idem modus prouidentiæ esset communis omnibus hominibus quantum est ex parte Dei: & posset responderi ideo posteriores non conuerti, aut non perseuerare post conuersionem, quia nolunt.

Ex sacra Scriptura præcipuè probatur cõclusio. 2.

RVRSVS eadem secunda assertio confirmari potest, quatenus tradit specialem illum modum prouidentiæ circa homines aliquos adultos in particulari: Quia est satis consentaneum modo loquendi Scripturæ de electis: quod in Scriptura sæpe significatur aliquos esse electos ex peculiari intentione dandi eis gloriam, vt Ioann. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternã do eis, & non peribunt in æternum, & nõ rapiet eas quisquam de manu mea.* Vbi cum non possit dici Christum per oues suas intelligere vniuersos homines qui ratione fidei aut præsentis iustitiæ pertinebant ad ipsum: quoniam multi ex fidelibus pereunt, & multi etiam ex iustificatis deficiunt & separantur ab ipso: dicendum erit intelligere eos qui ratione peculiaris electionis erant sui. Quo circa de his erit concedendum infallibile esse ratione huius electionis permansuros, esseque oues Christi, & ex consequenti consecuturos esse gloriam. Et cap. 17. *Pater manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo, tui erant & mihi eos dedisti.* Et postea: *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi & tui sunt.* Et paucis interpositis: *Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Et statim: *Quos dedisti mihi ego custodiui & nemo perijt ex eis nisi filius perditionis.* Vbi Christus per eos quos Pater ipsi dederat non intelligit omnes qui fuerant ad ipsum conuersi, sed eos qui peculiari Patris electione erant separati è mundanorum hominum cõsortio, & dati Christo, vt per ipsum salui fierent: sicut cõstat ex illis verbis. Tui erant & mihi eos dedisti. In quibus Christus explicat rationẽ propter quam Pater eos sibi dedisset, quasi diceret: Quia tui erant, non solum communi titulo creationis, sed etiam peculiari titulo electionis & prædestinationis, ideo eos mihi dedisti. De quibus statim Christus ostendit non frustra fuisse à Patre datos sibi, quia ipse eos custodierat, ita vt nullus ex eis periisset. Et licèt statim apponatur exceptio, nisi filius perditionis, & exceptio semper fiat ex genere quo reliqui comprehenduntur, atque adeo videatur significari, Iudam fuisse de numero eorum quos Christus dicit fuisse sibi datos à Patre, & ex consequenti per hos datos non intelligi electos & prædestinatos, quia Iudas nõ fuit prædestinatus. Veruntamen hoc non obstat, quia vt Iudas excipiatur é numero eorum, quos Christus dicit sibi datos à Patre, non est necesse eum fuisse eodem modo datum, sed satis est pertinuisse ad collegium eorum, qui fuerant ita dati, scilicet Apostolorum.

Ioann. 10.

Ioan. 17.

Ex Christi prædestinatione ostenditur eadẽ propositio.

TANDEM omnia quæ hactenus diximus confirmari possunt: Quoniam ex prædestinatione Christi videtur sequi Deum habuisse hũc specialem modum prouidentiæ cum aliquibus hominibus in particulari: Nam Christus vt homo fuit prædestinatus, & vt est caput hominũ, in beatitudinem, & vt in ea haberet fratres inter quos esset primogenitus & Rex, vt Augustinus docet de prædestinatione Sanctorum, cap. 15. & lib. de bono perseuerantiæ cap. vltimo: & colligitur ex illo ad Rom. 8. *Quos præscisuit & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* ergo hæc prædestinatio fuit Deo nostro modo intelligendi ratio, ad volendum ordinare ita aliquos homines in gloriam, vt infallibiliter eam consequerentur: & ex consequenti ad habendum erga eos prædictum modum prouidentiæ. Patet consequentia, quia aliàs non posset esse certum Christum futurum esse caput omnium in beatitudine, & habiturum in ea fratres inter quos esset Rex & primogenitus, vt constat ex his quæ paulò ante dicebamus de difficultate quam homines post lapsum primi parentis habent, circa consecutionem gloriæ, si relinquerentur cum communi prouidentia: quod nos reiecimus. 1. part. quæst. 23. de diuina prædestinatione art. 4. & 5.

D. Augus.

Ad Rom. 8

VERVM obseruare oportet hæc omnia quæ à nobis distinguũtur ex parte diuinæ voluntatis non plurificare aut multiplicare actus diuinæ voluntatis secũdum se: Nam vnico actu suo infinito omnia voluit: nos verò distinguimus eum secundùm nostrum modum concipiendi, quasi in plures, qua facta distinctione per ordinem ad conceptus nostros vnum actum consideramus & accipimus vt priorem alio, & vt antecedentem alium: Alium verò vt posteriorem aut subsequentem: præsertim respectu effectuũ ac obiectorum. Rursus vnum actum voluntatis diuinæ accipimus per modum intentionis: alium autem per modum electionis, & tandem alium per modum dispositionis executiuè: considerantes hæc omnia Theologicè, ac etiã prudenter, sicut in humanis etiam cernimus, quæ inter prudentes artifices cogitantur, & fiunt. Ita sanè vt ex his inferioribus manuducamur ad diuina & cœlestia. Hinc fit nos posse considerare actum diuinæ voluntatis internum per modum intentionis dandi gloriam, & per modum executionis, vt in prima suppositione deduximus, & inferius apertius interpretaturi sumus.

Notandum pro simplicitate actuũ Diuinæ voluntatis.

CIRCA illud verò quod secundo loco dicebamus in discursu huius nostræ assertionis statim in initio, nimirum quod posito quocunque modo prouidentiæ illorum erga homines in ordine ad supernaturalem finem, manet in eis libertas respectu actionum, quę requirũtur ad cõsecutionem huius finis, ad quem diriguntur per illos prouidentiæ modos. Imò verò quod verè & sufficienter in prędestinatis saluetur libertas quo ad actiones, & cooperationem liberi arbitrij, quamuis dicamus fuisse decretum Dei efficax: & prędefinitionem consensuum, & actuum eorundem prędestinatorum ante prę-

Quantum ad secundã partem de libertate nostrorũ actuũ etiam supposita prædestinatione probatur Concl.

uisio-

uisionem, seu præscientiam operum futurorũ. Video plures hoc loco reijcere sententiam D. Augustini, & D. Thom. sanctissimi, grauissimorumque Theologorum, & modum explicãdi eorum, vt nos fusè in hac disputatione deduximus, præcipuè in tribus Sectionibus superius factis. Imò verò in discursu huius libri disputantes de gratia actuali efficaci Dei.

NAM profectò si per prædestinationem, & decretum Dei, aut per illam electionem ad gloriam antecedentem opera & merita fieret vt in hominibus adultis prædestinatis non esset libertas quoad omnes actiones, maximè quia per auxilia quæ dantur ipsis prædestinatis determinaretur eorum volũtas ad vnum determinatione necessaria, ita vt non maneret in ea indifferentia libertatis, seu potestas ad oppositũ: sed hoc est contra fidem, nam certa fide profitemur prædestinatos liberè saluari & liberè agere & mereri. Nam certum est nullum esse auxilium gratiæ actualis Dei ex his quæ requiruntur ex parte voluntatis creatę quatenus per modum principij præsupponitur suis actionibus, quod ita determinet voluntatem ad agendum, vt non relinquat in ea potestatem ad oppositum cum quadam indifferentia libertatis ad non agendum, ita vt non obstante tali auxilio, re ipsa liberè operetur, & possit non agere atque adeo resistere. Quod quidem decernitur in Trident. sessione. 6. tam in decreto de iustificatione quàm in anathemate. An verò in sensu composito homo sit liber, ego semper existimaui hominem esse verè liberum etiam in sensu composito, & in eodem posse dissentire & abijcere gratiam: aliàs nunquam liberè operaretur homo & meritoriè: quoniam antecedenter ad illã omnem gratiam actualem quæ requiritur ad cõsentiendum & cooperandum, & quæ coniuncta est cum consensu & cooperatione, non operatur consentiendo, neque cooperatur illi gratiæ: ergò tunc cooperatur liberè, consentiendo eidem gratiæ, seu cooperando per actum conuersionis aut pœnitentiæ, quando adest actu & intrinsecè illa gratia in ipso libero arbitrio. Sed tunc importatur sensus compositus cum eadem gratia auxilij actualis: ergò tunc liberè agit: ergo in sensu composito etiam si præsupponatur illa gratia per modum principij operatiui homo liberè agit. Et non potest talis gratia non dari per modum principij, cum ipse consensus liberi arbitrij sit effectus eiusdem gratiæ actualis & efficacis. Vtrum autem stent simul illa duo, nimirum actualis gratia efficax simul cum concursu actuali Dei ad consensum seu ad actũ conuersionis in hoc non est parua concertatio verborum apud plures. Veruntamen in hac re semper procedendum est supposita sana doctrina, nimirum quod etiam in eo casu Deo actu concurrente & gratia efficaci existente tanquã principio ipsius consensus aut conuersionis, quia isti actus habent se vt effectus illius gratiæ & illius concursus, homo libere consentit & cooperatur, quod negari non potest. Sed nihilominus sana & certa doctrina est non posse stare, quòd actu influat efficax gratia & quòd actu influat Dei concursus, & quod non detur actualis consensus & cooperatio libera liberi arbitrij. Quod etiam debet esse verum in opinione aduersariorum. Nam si gratia non esset efficax nisi ex effectu, similiter sequeretur effectum non separari vnquam ab efficaci gratia, neque gratiam ab ipso effectu, quia iuxta eorum sententiam nunquam est efficax nisi ex effectu ipso: & nihilominus homo tunc liberè agit & liberè operatur, liberè conteritur & liberè consentit gratiæ. Stare autem potest hominem vocari à Deo & excitari, atque adeo moueri & dissentire Deo excitanti & vocanti, quia liberè agit, & potest dissentire si vult.

Quòd etiam in sensu cõposito volũtas sit libera in suis actibus.

QVO circa nos vt rem hanc amplius explicaremus. 1. 2. quæst. 111. art. 2. disput. 2. diximus gratiam adiuuantem posse considerari dupliciter, scilicet in actu primo: hoc est quatenus constituit voluntatem & liberum arbitrium in actu primo solum, aut in actu secundo, hoc est quatenus concurrit actu cum eisdem potentijs ad liberas operationes ipsarum. Si primo modo cõsideretur gratia actualis adiuuans, quamuis non possit separari à suo effectu formali, quem præstat vt forma ipsi voluntati eam actuando & informando, tamen potest seperari à suo effectu quem efficienter respicit propter resistentiam nostram, & tunc ex culpa eiusdem liberi arbitrij abijcitur illa gratia & repugnamus Deo, & resistimus iuxta illud: *Vocaui & renuistis.* Et iuxta illud: *Vos semper Spiritui Sancto restitistis.* In qua re obserua prudenter quod in Tridẽtino, sessione. 6. cap. 5. ob id dicitur, homo liberè assentiri & cooperari, atque adeo liberè agere, quia dum recipit diuinam inspirationem illam abijcere potest, & consequenter si abijciatur, sine dubio dum abijcitur à suo effectu separatur, quem præstitura erat. Et ex consequenti inquit Concilium fieri non posse, quod homo se ad iustitiam moueat coram illo sine huiusmodi gratia: ergo licèt sine illa & sine influxu eius non se possit mouere volũtas ad cõsensum vel cooperationem, non ob id lęditur libertas. Si verò consideretur actualis gratia in actu secundo & quatenus actũ influit cum eodem libero arbitrio ad operationes eius, sentiendum est, quòd in nobis est libertas & potentia vt separetur à suo effectu: Quia effectus suus est nostra cooperatio, ad quam liberè concurrimus cum libertate, atque adeo cum potẽtia ad oppositum: cæterum re ipsa nunquam separatur, quia hæc gratia efficax dicitur adiuuans in actu secundo, quatenus influit actu, & in exercitio, adiuuatque potentiam per modum principij ad operandum & ex consequenti non est talis sine effectu suo quem causat. Hoc autem non derogat libertari nostrę, quoniam quòd non separetur hęc gratia à cooperatione & consensu quem efficit liberi arbitrij, id non est ex eo quod auferatur à nobis potentia libera, aut libertas ad non consentiendum ipsi, sed ex efficacia ipsius gratię tã

Gratiam adiuantem dupliciter posse considerari: not. ex 1. 2.

Trident. sess. 6.

quam

quam ex ratione per se, & ex præsentia sui effectus, qui est noster consensus veluti ex conditione sine qua non diceretur gratia adiuuans & efficax in actu secundo. Atque ita ex hoc nõ sequitur necessitas in nostro consensu.

Gratiam excitãtem & adiuuãtem esse duas gratias ex dictis supra satisc̃ostat.

An verò sit vna tantùm gratia illa quæ excitat, & illa quæ est adiuuans qualis est efficax gratia actu influens in effectum de hac re satis diximus in superioribus, neque oportet rem hanc modò fusius agere, quàm superius dictum est. Sed in ea re certum sit tam gratiam vocantem excitantem, quam gratiam adiuuantem & efficacem esse veras entitates reales physicas & physicè influẽtes effectiuè propriè in effectus suos, quod solerter animaduertunt etiam auctores oppositæ sentẽtiæ nostræ, aduersarijque id cõcedunt libenter: Negant tamen esse duas gratias: quod tamen nos superius nõ approbamus, quia sentimus duplicem esse gratiam cum Concilio Colonien si in Enchirid. tractatu de Sacramento pœnitentiæ, pag. 91. in impressione Parisijs facta anno. 1558. quo tempore Patres illius Concilij Prouincialis plures eorum fuerũt in Concilio Tridentino, & habetur huiusmodi concilium in quinto tomo conciliorum. Verba autem & sententia horum Patrum est, hanc gratiam duplicem esse: Vnam qua Deus præuenit peccatorem vt resurgat: Alterà verò qua peccator prẽuenienti Deo assentiens iam resurgit. Et subditur ab eisdem Patribus eiusdem Colonien sis Enchirid. *Vtraque* (scilicet gratia) *voluntatem nostram præuenit Deus, sed priorẽ submin istrando solus operatur, in altera voluntas nostra Deum præuenientem subsequens, ei per velle seu assensum cooperatur.* Rursus Andreas à Vega Salmanticensis qui adfuit in Tridentino in confectione sextæ sessionis solerter etiã animaduertit. li. 6. in quintũ & sextum caput Cõcilij Tridentini circa sessionem. 6. vbi dicit hæc verba cap. 6. *Illud serio & magna attentione aduertendum est duplicem asseruisse Patres in ¶. capite gratiam, quam ponimus ad iustificationem excitantem, & adiuuantem. Excitat nanque Deus vocatione sua sancta & illuminatione, vt surgamus à peccato. Neque cõtentus excitare, quadam nobis ignota suæ virtutis applicatione, & nostræ voluntatis mirifica inclinatione & influxione benignè nos adiuuat, vt consentiamus & obediamus vocationi suæ, &c.* En Patres qui adfuerunt Concilio duas gratias cõstituunt, & de qualibet earum diximus habere suam entitatẽ realem & physicam, & suum influxum ab ea efficienter prodeuntem: sed de hoc aliàs, nunc hæc sufficiant.

Conci. Colonien se.

P. Vega.

D. Augus.

Hvic duplici gratiæ, de qua nunc loquebamur, plurimum fauet D. Augustin. lib. de correptione & gratia, cap. 12. vbi distinguit adiutorium gratiæ actualis Dei dicens. *Aliud est adiutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adiutorium quo aliquid fit.* Similiter etiam sine gratia vocationis, excitationis, & illuminationis aliquid non fit, veruntamen vocatione secundùm propositum & efficaci Dei gratia aliquid fit, & consequenter verissimum est Augustini elogiũ: Aliud esse adiutorium sine quo aliquid non fit & aliud esse adiutorium, quo aliquid fit. Illa verò distinctio de sensu compositò atque diuisò non parum conducit ad rem de qua tractamus si recte expẽdatur, & adducatur in sensu sanę doctrinæ, & non in eo quem sinè causa nobis imponũt aduersarij nostri. Nos enim etiam in sensu compositò quando adest Dei gratia liberè agimus & operamur. Affirmamus enim sensum compositum non lædere libertatem, imò verò quando meritoriè operamur, & quando liberè conuertimur, & consentimus præsente Dei gratia agimus liberè, & non stat præsentem esse Dei gratiam efficacem adiuuantem quin etiam adsit cõcursus Dei, & nihilominus dum ita agimus liberè agimus, & liberè consentimus: quãuis non stent simul illa duo, nimirum Dei concursus cũ influxu efficacis gratiæ Dei, & quòd non adsit effectus cooperationis nostræ liberę. Aliàs stante concursu Dei & influxu gratiæ efficacis & vocationis efficacis staret simul non esse effectum & cooperationem, quod quidem non auditur in schola sancti Thomæ, neque in schola D. Augustini. Quo circa ipsa gratia efficax, quæ etiam quatenus actu influit cum libero arbitrio ad operationes eius, datur per modũ principij ad eas, non lædit neque aufert libertatem cooperationis quæ est effectus ipsius. Nã certè hæc gratia efficax sic considerata quod non separetur à suo effectu nõ prouenit ex eo quòd à nobis auferatur libertas non consentiendi, sed prouenit ex efficacia ipsius gratię tanquã ex ratione per se & ex præsentia sui effectus, qui est consensus noster liber, tanquam ex conditione sine qua non cogitaretur esse in actu secundo aut adiuuans & efficax. Quam rem nos fusius sumus prosecuti. 1. 2. quæst. 11. artic. 2. Et hæc sint satis de hac secunda assertione. Nã quod aliqui sine causa in omne latus se vertunt vt impugnent distinctionem de gratia actuali sufficiente, & de gratia efficaci Dei, nulla causa est cur id nos retardet aut detineat, quia de hac re per plures controuersias & lectiones egimus supra.

Tertia propositio.

Propos. 3. Ante absolutam præscientiã meritorum elegit Deus efficaci suo decreto prædestinatos ad gloriam.

Dico tertio: Deus efficaci decreto voluntatis suæ, ante absolutam præscientiã meritorũ, elegit adultos saluandos, aut prædestinatos ad gloriam. Itaque nõ elegit eos ad gloriam ex præuisis eorum meritis, antecedenter ad ipsius voluntatem, sed potius antecedenter ad connexionem cum bono vsu liberi arbitrij ipsorum, vt præuiso seu præcognito à Deo electi sunt ab ipso ad gloriam. Hanc assertionem expressè tenet D. August. ad Ephes. 1. qui locũ Pauli: *Elegit nos in ipso ante mundi cõstitutionem vt essemus sancti & immaculati.* explicat & intelligit de electione ad gloriam, & non de electione ad gratiam: Quem locum negarę non potuerunt auctores oppositæ sententiæ, & ob id fatentur locum hunc Augustini esse difficilem & contra

D. Augus. ex testimonijs sacræ Paginæ nostram cõfirmat Concl.

eos. Vnde cum Ioan. 15. dictum sit. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* in persona Apostolorũ: id omnibus dicitur electis in eorũ persona, iuxta Augustinum tractatu. 86. super Ioannem. Quod quidem verum sensum minime haberet & purum, si electio hæc ad gloriam facta fuisset ab eo ex præuisis meritis saluãdorum. Nam certè ex hoc loco contendit D. Augustinus probare electionem ad gloriam factam fuisse, & non ex præuisione boni vsus cooperationis nostrę: seu ex meritis præuisis. Libr. 6. Hypognost inquit Augustinus: *Diximus namque de damnabili humani generis massa, Deum præsciuisse misericordiam non meritis, quos electione gratiæ prædestinauit ad vitam.* & in Soliloquijs, cap. 28. ait. *Mundas de nobis filijs hominum, eos in quibus tibi complacuit habitare.* Et lib. de prædestinat. Sancto. cap. 17. 18. & 19. apertè probat Augustinus electionem hominum ad gloriam non fuisse factã ex præuisis meritis, quia aliàs non esset sincerè & purè verum illud Ioannis. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* neque illud Pauli superius citatum: *Elegit nos in ipso vt essemus Sancti & immaculati.* Imò verò in Enchirid. cap. 107. & epistola. 106. Et lib. 1. ad Simplicianũ. quæst. 2 impugnat eos, qui dicũt discretos fuisse quosdam homines, hoc est saluãdos à massa perditionis ex præuisis operibus. Nam profecto si ex præuisis meritis electi sunt saluandi iam habent quid dicant Paulo dicenti & interroganti: *Quis est qui te discernit?* Posset enim dicere homo, qui ad gloriam eligitur se discernere se ipsum præalio ex cooperatione sui liberi arbitrij, & ex suis meritis præuisis, quæ in alijs præuisa non fuerunt, quia illa non habuerunt: & hanc fuisse, vt minimum rationem quam Deus secutus est in electione saluandorum ad gloriam. Qua propter, Prosper, & Hilarius discipuli D. Augustini semper intellexerunt & prædicauerunt electionem saluandorum adultorum ad gloriã non fuisse factã à Deo ex præuisis operibus. Quod ita factum est à Prospero & Hilario tempore quo Cassianus versabatur in Gallia, qui impugnabat eos, eo quod hanc D. Augustini doctrinam prædicarent. Falsum igitur est id quod pauci & nouiores Theologi, hac nostra ætate dixerunt & scripserunt de D. Augustino, quod nunquam hanc nostram insinuauit sententiam. Nam certe Scholastici ferè omnes nostram amplectuntur & sententiam atque modum dicendi, quem, vt ipsi fatentur ex D. Augustino accepisse sic etiam illi attribuunt. Sane D. Thomæ auctoritas tanta est quæ pro nobis militat, vt in hac parte repelli non possit, ne quis ex aduersarijs nouioribus dicat S. Thom. vel non intellixisse Augustinum vel non legisse, attribuẽdo illi prædictam sententiam. Vnde falsò dicitur Augustinum fuisse alterius sententiæ à nostra. Omitto prẽter auctores ex familia D. Thomæ plures qui hanc nostram sententiam sequũtur, & putant esse D. Augustini, & adduco ex familia aliorum Cardinalem Bellarminium. Tomo. 3. libr. 2. de gratia & libero arbitrio cap. 15.

D. Prosper & D. Hilarius idem q D. Augus. prædicauerunt.

S. Thom. 1. p. q. 23. ar. 4.

Cardinal Bellarmi.

qui totis viribus conatur ostendere fuisse sententiam D. Augustini hanc nostram, & Franciscus Suarez lib. 3. de auxilijs diuinæ gratiæ per plura capita ostendit Deum efficaci decreto voluntatis suæ absque præuisis meritis elegisse adultos saluandos ad gloriam, & hanc fuisse D. Augustini sententiam, qui plerisque in locis liberali electioni diuinæ præuenienti omnia futura merita, & præscientiam eorum tribuit negotium salutis saluandorum. Sed quia dicitur Augustinum non loqui de electione ad gloriam, sed de electione ad gratiam, & præsertim de electione ad primam vocationem congruã: contra hoc est doctrina Augustini lib. de correctio. & grat. cap. 7. vbi apertè docet eandem etiam vocationem congruam, habere priorem radicem in gratuita electione. Nam cũ dixisset ex massa damnata primi parentis quosdam liberaliter seu gratuitò discretos fuisse: alios verò in sua damnatione dimissos, subiungit hæc verba. Quicunque ergo ab illa originali damnatione ista diuinæ gratiæ largitate discreti sunt, nõ est dubium quod & procuratur eis audiendum euãgelium (nimirum congrua auditione) & cum audiunt, credunt & in fide quæ per dilectionem operatur vsque in finem perseuerant: & si quando exorbitant correcti emendantur.

P. Suarez.

Repellitur id quod asserunt quidã scilicet D. Augustinũ loqui de electione ad gratiam.

Illvd magna cura perpendendum est nos deceptos non esse in progressu, & sensu atque intelligentia huius assertionis: Quia non confundimus hanc electionem absolutam adultorũ saluandorum ad gloriam cum prędestinatione: Nam electio hæc absoluta & efficax ad gloriã est voluntas & intentio conferendi gloriam alicui. Prędestinatio verò est præparatio beneficiorum Dei, æternaq; dispositio donorum gratię, seu præparatio: quibus certissimè liberantur quicunque liberantur vt dicit Augustinus. Et quamuis verè intellectus separet hanc volũtatem efficacem glorię, & distinguat eam per modum intentionis & executionis, eamque iterum distinguat à formali ratione prędestinationis, quatenus est æterna donorum gratiæ prępa ratio, & beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur, vt Augustinus dixit, tamen negari non potest à mediocri vllo Theologo, quin hæc prædestinatio includat ordinem intrinsecum & necessarium, veluti in finem propriũ ad gloriã, & ad voluntatẽ conferendi illam. Nã ob id dixit Augustinus hãc prædestinationẽ esse præparationẽ beneficiorum Dei, quibus certissimè liberãtur quicunq; liberãtur: quod dixit quia hæc liberatio est qua filij saluãdi, cũ essent in massa perditionis efficaciter Deus & absolutè habuit voluntatẽ liberalẽ dandi eis gloriam, & id intendisse non ex debito gratitudinis præuiso, neque ex præuiso cooperatione, sed ex pura liberalitate antecedẽter ad præuisionem meritorum; postea vero ex electione gratiæ, & istorum donorum per media quæ mente sua executiua disposuit, eandem gloriam consequi ab eis decreuit. Sed obserua in illa prima intentione liberali quã voluit dare

Electio ad gloriam est volũtas & intentio cõferendi illã alicui.

Prædestinatio est præparatio beneficiorum Dei quibus certissimè liberãtur qui cunque liberantur.

glo-

In prima electione ad gloriam nõ repulit Deꝰ merita, sed nõ respexit ad illa.

gloriam adultis saluandis per modum intentionis, non habuisse Deum voluntatem repellẽdi merita quibus eam consequi possent in tempore: sed solum non respexisse ad merita, neque in illo signo intentionis voluisse ex præuisis meritis, & ex præuisa cooperatione nostra habere talem volũtatem dandi gloriam. Adde etiã certissimum esse, ex D. Augustino de prædestinat. Sanctorum. cap. 10. quod prædestinatio nõ tantum includit finem, sed etiam media: & è cõuerso non solum includit media, sed finem: & ob id dixit Augustinus, quòd prædestinatio est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur, &c. & ita nos non decipimur in re hac intelligẽda, vt male de nobis aduersarij dicunt.

PARI etiam ratione sentio decretum illud seu voluntatem dandi gloriam adultis saluandis per modum intentionis, antequam, modo nostro intelligendi, eorum merita absolutè à Deo præuiderentur futura, nõ potuisse ortum habere ex meritis sub conditione præuisis. Itaq; neque ex meritis futuris præuisis, neque etiam ex meritis sub conditione præuisis electi sunt per modum intentionis efficacis ad gloriam: quòd etiam, quantum ad hanc secundam partem, auctores oppositæ sententiæ fatentur. Affirmant enim illud decretum efficax beandi homines adultos saluandos antequam eorum merita prę uiderentur, absolutè futura à Deo nostro modo intelligendi, nullo modo potuisse originẽ aut ortum habere ex meritis sub conditione præuisis. Quia licèt concederetur fuisse merita prę uisa sub conditione, tamen non potuit intuitu illorum Deus ex gratitudine decernere aut statuere beare homines. Quoniam gratitudo non potest versari tanquam circa materiam, circa merita futura sub conditione: hoc enim alienũ est à recta ratione. Nam quis statuere potest pro illis meritis, quæ sub conditione essent, retribuere aliquid, cum tamen non sint futura absolutè? aut quis decernet retribuere pro meritis cõditionalibꝰ, nisi videat ipsa esse futura absolutè. Pro his enim meritis cõditionalibus quę futura non sunt, nihil ex gratitudine confertur, ac proinde neque merita præuisa sub conditione talia sunt, vt illorum intuitu Deus ex gratitudine statuat dare gloriam, & beare homines. Ac proinde sequitur voluntatem illam dandi gloriam adultis, seu intentionem efficacem beandi illos, fuisse omnino liberalitatis & misericordiæ, & non ex præuisis meritis. Ex quibus omnibus constabit inferius, Scripturæ testimonia, quibus nostra persuadetur sententia, verè esse inteligenda de electione gratuita & liberali ad gloriam, & non solum de electione ad gratiam, quæ secundùm fidem non datur ex præuisis meritis. Existimo enim quod non solum gratia non datur nobis ex operibus arbitrij, de qua re non licet dubitare, sed neque gloria, quæ per modum intentionis volita est à Deo quibusdam adultis non datur ex præuisis meritis. Nam licèt re vera gloria, quæ datur

Gratitudo versari non potest tanquam circa materiã circa merita futura sub cõditione.

prædestinatis adultis non detur gratis sine vllis operibus, quia nemini conceditur gloria nisi per Dei gratiam legitimè certauerit, tamen in prima illa intentione & voluntate absoluta dandi gloriam aliquibus adultis per modum intentionis affirmamus Deum non habuisse hanc voluntatem ex præuisis meritis.

HVIC instituto optimè accõmodari potest: Deum simul vnico & simplicissimo actu suo, secundùm rem & de facto intendere finem, nimirum per talia media. Nam cùm Deus intendens finem, & eligens media non egeat aliquo discursu vel inquisitione mediorum, sed simul hæc omnia eodem actu velit: sequitur, quòd simul & simplicissimo actu secundùm rem voluit gloriam adultis saluandis: Et rursus eodem actu voluit eam ipsis per media, quæ essent merita eiusdem gloriæ conferendę. Et ex hoc nihil potest colligi aduersus nos, neque concluditur Deum habuisse illam intentionem & voluntatem efficacem dandi gloriam ex meritis præuisis, sed potius concluditur vt verum: Deum ante præscientiam absolutam futurorum meritorũ velle prædestinato adulto totum hoc, nimirum gloriam & merita, & gloriam per merita, & merita propter gloriam, & per eandem voluntatem tam prædefiniisse finem, quàm media. Vnde quamuis in effectu, & executione pendeat finis à medio, & non sit aliter volitus in consecutione sui, quia illa conditio est absolute volita per eundem actum, & etiam totum illud obiectum & quidquid in ipso est: veluti qui habet voluntatem ædificandi integram domum, vult quidem tectum dependenter à fundamento, & vult absolute totum illud obiectũ efficaciter: tamen cum nos distinguamus simplicissimam illam Dei voluntatem in intentionem & electionem, vt terminatur ad gloriam, & vt terminatur in merita: ad illam, vt ad finẽ, & ad merita vt ad media: verè intelligimus illam voluntatem terminatam ad finem efficaciter, & absolute, vt sic præcisè conceptam, esse priorem, & concipi vt priorem. Et cum actus ille voluntatis diuinæ, absolutè & efficaciter terminetur ad totum obiectum volitum, sic fit vt illa prior voluntas, vt sic, etiam concipiatur vt efficax & absoluta per modum intentionis, quia talis est vt ex vi illius oporteat Deum dare vocationem congruam omnino, & efficacem: & reliqua omnia fidem, merita & perseuerantiam: & idem est de voluntate dandi gloriam, si præscindatur à voluntate dandi merita, quia saltem virtute includit illam. Veluti qui habet voluntatem ædificandi domum, vult quidem tectum dependenter à fundamento: & quoniam vnico actu diuino fuit absolutè & efficaciter volitum totum obiectum, sequitur quod etiam illa prior voluntas dandi gloriam per modum intentionis est efficax & absoluta, etiam vt terminata ad partem illius obiecti.

ATQVE ex his quæ diximus & multo magis ex dicendis infrà constare poterit sen-

Neque gratia, neque gloria datur nobis ex operibus arbitrij.

Ante præscientiã meritorum & gloriam per merita, & merita propter gloriã voluit Deꝰ donare præ destinato adulto.

tiam

tiam prædictam contra aduersarios esse Diui Augustini. Nam quamuis ex parte hominis, electio illa non esset simpliciter necessaria, vt saluari posit, neque etiam fuerit necessarius de potentia absoluta Dei talis modus electionis, vt aliqui ex hominibus adultis saluarentur: tamen suppositio modo prouidentiæ supernaturalis, quem Deum habere & habuisse credimus de facto cum electis, ex illo colligimus ante præuisionem meritorum suorum, sua liberali & gratuita voluntate elegisse eos: & non tantum ad vnum vel aliud beneficium gratiæ aut vocationis efficacis, sed ad totam seriem mediorum, quibus infallibiliter perducuntur ad beatitudinem, & consequenter etiam eos ad ipsum finem siue ad gloriam præelegisse.

Quòd sit sententia D. Augustini, Prosperi, Hilarij & Fulgentij, & Scholasticorum ostenditur: præter illa quæ supra ex eodem Augustino deprompsimus.

Quòd sit sententia D. Augustini contra aduersarios defenditur.

PVTANT aduersarij nostri ex quibusdam argumentis superius deductis, potissimè ex quibusdam D. Augustini verbis, mentē illius fuisse, Deum ante præuisa merita nulli ex hominibus voluisse efficaciter dare gloriam, nisi ex præuisis meritis, seu ante præuisa & præcognita eorum merita à Deo, sed tantum voluntate antecedente voluisse saluandis hominibus dare regnum cœlorum, & nunquam habuisse efficacem voluntatem dandi gloriam etiam per modum intentionis, ipsis prædestinatis seu saluandis, nisi ex præuisis meritis eorum. Ego tamen etiam ex sententia Diui Augustini iudico, re vera & de facto, Deum primò habuisse voluntatem, respectu saluandorum, absolutam quidem dandi eis gloriam, ante præuisionem meritorum, seu non ex præuisis meritis. Nam certè D. Augustinus plerisque in locis suæ doctrinæ tribuit negotium prædestinationis saluandorum: in quo etiam includitur ipsa electio & voluntas dandi eis gloriam, liberali prorsus & gratuitæ electioni diuinæ, præuenienti omnia futura merita, & præscientiam eorum. Veruntamen auctores oppositæ sententiæ dicere solent testimonia Scripturæ Sacræ, si quæ videntur esse contra eos, ea omnia esse intelligenda de electione gratiæ, & non de electione ad gloriam, & ita hoc intellexisse Diuū Augustinū, eumque sensisse Deum elegisse homines saluandos ad gloriam, sed ex præuisis meritis, cum verò dicitur elegisse aliquos ad salutem, & vitam æternam: id intelligendum esse ad gratiam, quæ est beatitudo inchoata, & gloria in semine & radice: Quod quam alienum sit à sententia Diui Augustini diximus, & dicemus etiam nunc, & inferius.

D. Thomas secutus D.

PRIMÒ statuere opportet fuisse apertam D. Thomæ sententiam, quòd prædestinatio præsupponit electionem, secundùm nostrum modum intelligendi, seu secundùm rationem, & quod electio supponit dilectionem. Huius rei fundamentum assignat Sanctissimus Præceptor discipulus Diui Augustini tam in doctrina quàm in affectu: quia prædestinatio est pars prouidentiæ: prouidentia verò sicut & prudentia est ratio existens in mente & intellectu præceptiua ordinationis aliquorū in finem: nihil autem præcipitur ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis. Hinc fit, quòd prædestinatio aliquorum in æternam salutem, necessariò supponit secundùm rationem, quòd Deus illorum velit salutem, ad quam voluntatem æternæ salutis pertinent electio & dilectio. Dilectio sanè quatenus vult eis hoc bonum æternæ salutis, quia diligere proculdubio est velle alicui bonum: electio autem dicitur quatenus hoc bonum æternæ salutis aliquibus præ alijs vult: cum Deus reprobet quosdam. Solerter etiam aduertere oportet ex eodem Sancto Thoma electionem & dilectionem aliter ordinari in nobis & aliter in Deo, in nobis enim voluntas diligendo non causat bonum, sed potius ex bono præexistente mouemur, & incitamur ad diligendum: & idcirco eligimus aliquem quem diligamus, & ob id electio in nobis præcedit dilectionem. At verò in Deo è conuerso euenit: quia voluntas eius, qua vult alicui bonum ipsum diligendo, est causa quod illud bonum ab eo præ alijs habeatur. Ex quo egregiè patet dilectionem præsupponi electioni secundùm rationem, & electionem præsupponi prædestinationi, nimirum quatenus prædestinatio est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur, vt dixit Augustinus. En quo pacto S. Tho. 1. part. quæst. 23. artic. 4. senserit de hac controuersia, & qualiter dixerit electionem esse priorem ipsa prædestinatione, Deumq; voluisse efficaci voluntate sua quibusdam dare gloriā, efficaciter ipsos ad id eligendo: subsequi autem prædestinationem, quę est præparatio mediorum & meritorum atque ipsius gratię, &c. Hanc sententiam fusè nos sumus prosequuti, eaumque aperuimus in commentarijs ad. 1. pa. quæst. 23. art. 4. Hanc eandem sententiam de efficaci voluntate electionis ad gloriam & non ex præuisis meritis adultorum prædestinatorum, tanquam propriam D. Thomæ docuerunt ex familia eius illustres viri & doctissimi, inter quos fuit acutissimus Cardinalis Caietanus, & Sotus super epistolam ad Rom. cap. 9. in digressione de prædestinatione. Idem sensit acutissimus & resolutus Durandus in 1. distinct. 41. quæst. 1. Idem etiam sensit AEgidius Romanus discipulus D. Thomæ, vt ipse fatetur, eadem distinctione quæst. 1. artic. 2. Scotus in 1. distinct. 41. quæst. 1. Et ex eadem familia Scoti Antonius Cordubensis, lib. 1. quæst. 56. opin. 5. Idem omnino sensit Ioannes Maior in 1. distinctio. 40. quæstio. 2. Notuissi-

Augus. hāc tenet sentē tiam.

Nihil præcipitur ordinandum in finem nisi præexistente voluntate finis.

Quòd electio & dilectio aliter in Deo, quam in nobis ordinetur.

Cardinalis Caietanus. M. Sotus. Durandus. Ægidius Romanus. Scotus. Antonius Corduben. Ioā. Maior.

uiſsimè verò hanc electionem adultorum ſaluandorum non fuiſſe factam à Deo ex præuiſis meritis docent tanquam veram Diui Auguſtini ſententiam Cardinalis Bellarminus, libro.2.de gratia & libero arbitrio, capit. 15. & Franciſcus Suarez vir doctus lib.3. de auxilijs capit.16.17.18.& 19. quibus in locis reſpondet ad obiectiones & difficultates aduerſariorum, & affirmat hanc fuiſſe apertam diui Auguſtini ſententiam palàm & ſine tergiuerſatione vlla. Nam certè negari non poteſt antiquos & modernos Theologos Scholaſticos ex ſentẽtia diui Auguſtini & antiquorum Patrum Latinorum Deum gratis omnino elegiſſe adultos ſaluandos aut prędeſtinatos ad gloriam, & non ex meritis præuiſis. Aduertunt tamen prædicti Theologi Deum ſola voluntate ſua liberali habuiſſe talem affectum abſolutum & efficacẽ dandi gloriam talibus hominibus adultis, & non ex præuiſis meritis eorum, ſed potius ſua voluntate abſque vllo hominis merito: non tamen volunt per illud abſolutum decretum Deum voluiſſe, vt tales homines gratis,& ſine vllo labore ſuo conſequerentur gloriam in re. Et idcireo non ſequitur, quòd quamuis elegerit Deus prædeſtinatos ad gloriam, & non ex meritis præuiſis, quòd in tempore illam recipiant abſque meritis, de qua conſequentia inferius dicemus. Vnde Driedo lib.de concordia liberi arbitrij & prædeſtinationis,1.par. cap.2.& 4.ad 1.argumentum, Ruardus Tapper articul. 7. pagin. 245. & Sixtus Senenſis lib.6.Bibliot.ſanctæ, annotatione 251.& 252. apertè fatentur fuiſſe ſententiam diui Auguſtini contra Gallos & Maſsilienſes: contra Græcos etiam,& contra Fauſtum docuiſſe electionem & voluntatem dandi gloriam fuiſſe ante præuiſa merita. Illos verò ſenſiſſe contra Auguſtinum, docuiſſeque electionem & voluntatem dandi gloriam non fuiſſe ante merita præuiſa: quod dixerunt putantes lædi libertatem per hanc electionem. E contra verò diuum Auguſtinum, vt gratiam defenderet contra Pelagium tenuiſſe electionem gloriæ fuiſſe ante vlla merita,& non ex illis præcognitis & præuiſis à Deo.

Cardinalis Bellarm. Franciſcus Suarez.

Driedo. Ruardus Tapper. Sixtus Senenſis.

Ex quibus omnibus apertè colligitur hanc fuiſſe mentem diui Auguſtini, & Deum habuiſſe de facto hunc modum prouidentiæ. Et ne quis dicat in locis ſupra adductis loqui Auguſtinum non de electione ad gloriam, ſed ad gratiam, & ad congruam vocationem ſeu efficacem, perpendendus eſt diuus Auguſtinus libr. de correptione & gratia, capit. 7. vbi palam affirmat ipſammet vocationem efficacem aut congruam habere priorem radicẽ in electione liberali & gratuita Dei. Nam cum dixiſſet ex maſſa humani generis damnata in proroparente Adamo, quoſdam liberaliter & gratuito eſſe diſcretos, alios verò in ſua damnatione relictos, ſubiungit hęc verba. *Quicunque ergo ab illa originali damnatione, iſta diuinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium, quòd & procuratur eis audiendum euangelium: & cum audiunt credunt, & in fide quæ per dilectionem operatur vſque in finem perſeuerant: & ſi quando exorbitant correcti emendantur.* ergo de mente Auguſtini diſcretio aliqua facta eſt ex qua procedit ipſa vocatio, & per illam reliqui effectus vſque ad finalem perſeuerantiam: hæc autem diſcretio non poteſt conſiſtere niſi in prædelectione. Quo circa ſubiungit Auguſtinus: *Hæc omnia operatur in eis, qui vaſa miſericordiæ operatus eſt eos, qui & elegit eos in filios ſuos ante conſtitutionem mundi per electionem gratiæ*: hoc eſt per liberalem & gratuitam electionem ſine meritis,vt paulò inferius exponit dicens: *Profecto electi ſunt per electionem, vt dictum eſt, gratiæ non præcedentium meritorum ſuorum.* Ad quid autem fuerint electi ſtatim dicit Auguſtinus. *Electi autem ſunt ad regnandum cum Chriſto.* Et iterum. *Illos elegit ad obtinendum regnum ſuum*: ergo res eſt aperta Diuum Auguſtinum loqui de electione ad gloriam: & iuxta hunc ſenſum interpretatur plura Scripturæ teſtimonia, quæ non poſſunt de alia electione intelligi. Quale eſt illud Pauli ad Rom. 8. *Quis accuſabit aduerſus electos Dei.* & Mathæi 20. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Quid clariùs dici poteſt? Confirmari etiam hoc poteſt, quia ex eiſdem Auguſtini locis conſtat Auguſtinum docere expreſſè ex vi huius diſcretionis & efficacis voluntatis dandi gloriam, conferri electis perſeuerantiæ donum infallibiliter. Ad quod probandum ſubiungit Auguſtinus. *Nam horum ſi quiſquam perit, fallitur Deus, ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus: horum ſi quiſquam perit, vitio humano vincitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* Interrogare igitur poſſumus, quæ ſit illa diuina voluntas ratione cuius detur electis donum perſeuerantiæ: quia non eſt ſola voluntas dandi aliquam primam vocationem congruam, quia nulla eſt ex qua neceſſariò vel infallibiliter ſequatur donum perſeuerantiæ, vt conſtat: neque eſt ſola voluntas dandi ipſummet donum perſeuerantiæ, aut omnia prævenientia & concomitantia auxilia, in quibus conſiſtit donum perſeuerantiæ: nam hoc nihil aliud eſſet, quàm dicere ex voluntate abſoluta, qua Deus voluit,vt iſti perſeuerent,ſequitur donum perſeuerantiæ: hoc autem & ſupponit priorem dilectionem, & ſupponit diſcretionem,vt D. Auguſtinus ſignificat,& eandem habet rationem. Nam ipſum perſeuerare aliquid eſt diſtinctum ab omnibus illis auxilijs, eſtque effectus eorum per voluntatem liberam exequendus: hunc igitur prædefinit Deus, & ratione illius dat illa auxilia, tanquam media propter finem intentum efficaciter. Idem ergo eſt dicendum de electione ad gloriam: quoniam Deus nemini vult perſeuerantiam, niſi propter gloriam: ergo ſi voluntas illa dandi per-

Verba D. Auguſtini

Ad Rom.8 Matth.20.

ſeue-

seuerantię donum antecedit omnia merita prę-uisa, multo magis voluntas efficax dandi gloriam antecedit etiam: hæc autem est electio de qua nunc disputamus: ergò.

Voluntas efficax finis virtute includit media omnia congrua & efficacia, vt ipsa finis comparetur.

VNDE Diuus Augustinus vbi supra capite 14. cùm quādam vocationem dicit esse secundum propositum, tunc sane propositum illud significat aliquam efficacem Dei voluntatem, ex qua infallibiliter sequitur iustificatio & glorificatio eius circa illum erga quem Deus habuit tale propositum: Sed hæc voluntas non potest esse alia, nisi voluntas efficax ipsius finis, quæ est voluntas dandi gloriam, quia hæc sola voluntas virtute includit media omnia ita congrua aut efficacia, vt per illa finis infallibiliter comparetur. Hoc confirmant Augustini verba libro de correptione & gratia capite 14. *Volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium*: ergò huiusmodi voluntas est huiusmodi propositum liberale & gratuitum, seu gratiæ à quo proposito omnis vocatio cōgrua & efficax gratia emanat: illa autem voluntas Dei efficax est, quia voluntati inefficaci humanum resistit arbitrium. Tandem volūtas illa saluādi hominem à massa perditionis, absque dubio est voluntas dandi regnum cælorū, vbi salus est perfecta, secura, & æterna. Vnde Diuus Augustinus locum illum Pauli. *Deus vult omnes homines saluos fieri*: inter aliàs interpretationes, illum exponit de solis prædestinatis, & de voluntate efficaci erga eos, inter quos sunt omnia genera hominum ex omni statu & natione: circa quam interpretationem nunc immorari non opportet, sed solùm perpendere ex mente Augustini efficacem voluntatem saluandi prædestinatum, & esse efficacem electionem ad gloriam, & esse radicem omnium bonorum & omnis gratiæ efficacis, quæ sic tribuūtur electo, quia illis volita est gloria efficaciter. Hanc igitur voluntatem Dei nos vocamus electionem gratuitam & liberalem. Et de hac potest intelligi Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio capite 18. cum ait. *Eligentium hominum meritum nullum esset nisi eos eligentis gratia Dei præueniret: quia electi sunt elegerunt, non quia elegerunt electi sunt.* Et de prædestinatione Sanctorum cap. 17. *Intelligamus vocationem qua fiunt electi, nō qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur vt credant.* Et de hac electione ad fidem fieri possunt eadem argumenta: quoniam credere est actus liber. Tandem Diuus Augustinus in toto illo capite ita repellit merita præuisa ad electionem sicut ad prædestinationem: Dicit enim nō præsciuisse Deum qui futuri essent sancti, & idcircò eos elegisse: Quoniam Paulus non ait. Elegit nos quia futuri eramus sancti ex præuisa sanctitate, sed vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate: quæ proculdubio est electio ad gloriam, vel saltem includit eam & supponit ordine intentionis. Legendus est D. Augustinus contra Iulianum libro 5. cap. 3. & lib. 3. & 6. Hipognost. & libr. de prædestinatione & gratia cap. 7. & 9. & de bono perseuerantiæ cap. 8. & in multis alijs, pœnèq; infinitis locis. D. Prosper & D. Hilarius apertè tenent nostram sententiam in duabus epistolis ad Augustinū quæ habentur apud Augustinum libros de prædestinatione Sanctorū & de bono perseuerantiæ: eosdem sequutus est Diuus Fulgentius locis citatis supra. Præcipuè cum hi omnes præceptorem habuerint D. Augustinū, sed perpendenda est Epistola Prosperi.

D. Augus.

Legendus D. Prosper & D. Hil.

Quod Scripturæ testimonijs, & illationibus ab ea deductis nostra sententia confirmetur.

QVAMVIS quæ superius dicta sunt ex D. Augustino & ex sacris Literis egregiè satis ostendant tertiam propositionem superius allatam, sunt nihilominus multa quæ ab Aurelio Augustino recitantur, in quibus sacræ Literæ ita de electis loquuntur, vt in eis significetur plures adultos singulari Dei liberalitate & beneplacito fuisse dilectos à Deo, & præelectos ad gloriam non ex meritis eorum præuisis, sed magis ab illa Dei dilectione profluxisse omnia beneficia gratiæ, quibus eis datum est vt gloriam meruerint. Sane efficacia sunt verba, quæ habentur apud Matthæum capite 24. vbi sic habetur: *Propter electos breuiabuntur dies illi*: Et statim. *Ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Et D. Marcus Euangelista auget rem hanc reduplicatione quadam emphasim habente. *Sed propter electos quos elegit: Nisi breuiasset Dominus dies non fuisset salua omnis caro, sed propter electos quos elegit breuiauit illos.* In quibus verbis specialem Dei prouidentiam indicat. Facit etiam ad propositum illud ad Romanos 8. *Quis accusabit aduersus electos Dei?* Sane in his locis & alijs similibus verissimum est electos simpliciter & absolutè vocari, eos qui ad gloriam & beatitudinem electi sunt, idque constare poterit ex illo Pauli secunda ad Timotheum secundo. *Omnia substineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo IESV cum gloria cælesti.* Et idcircò in locis citatis de Christo veniente ad iudicium dicitur: *Congregabit electos suos.* Ergò simpliciter dicuntur electi ex electione ad gloriam: quæ sane rectè intelligitur ex verbis Christi Lucæ 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Igitur in his locis tribuitur huic diuinæ electioni, quod ratione eius Deus habeat peculiarem prouidentiam circa sic electos, vt eos custodiat & perseuerare faciat: Igitur hæc electio non est ex præscientia perseuerantiæ, sed magis est ratio & causa eius. Diuus Augustinus rem hanc accuratè intellexit, præsertim circa illud Ioan. 13. Nam cū multa antea dixerat Christus Ioan. 10. de ouibus suis, quas nemo rapiet de manu sua, dixit infra Ioannis 13. *Non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim.* Legendus est August.

Matt. 24.

D. Marc.

ad Rom. 8.

2. ad Timotheum 2.

Lucæ 12.

Ioannis 13

Actorũ 13. tract. 59. Extat etiam illud Actorum 13. *Crediderunt quotquot præordinati erant in vitam æternam.* Rursus ex verbis illis Christi: *Sicut dilexit me Pater & ego dilexi vos.* conficio argumentum. Nam certè hæc sententia Christi potest accõmodari præsenti instituto: loquitur namque Christus Dominus de se ipso vt homine: Christus verò quatenus homo, est inditum & illustrissimum exemplar prædestinationis nostræ: ergò sicut ipse vt homo, gratis est dilectus & electus vt esset filius Dei naturalis: ita etiam nos sumus gratis dilecti & electi ab ipso: ergò electio saluandorum non fuit facta ex præuisis meritis. Quocirca Diuus Chrysostomus super Ioannem homilia 71. circa verba Ioannis: *Sicut ego dilexi vos,* dicit: *Non enim vestris præcedentibus meritis debitum persolui, sed ego incepi.* Prius igitur intelligimus Deum dilexisse & elegisse nos ad gloriam, ac proinde non ex præuisis meritis dilexit nos, aut elegit nos ad gloriam, sed liberaliter antecedenter ad merita & cooperationem nostram.

D. Chryso.

Moveor præterea ad prædictam assertionem, quia in sacris Literis varijs & diuersis modis significatur primam illam electionem & dilectionem hominum ad gloriam, præsertim quæ cogitatur à nobis facta à Deo per modum intentionis, non habuisse connexionem cum vsu liberi arbitrij ipsorum adultorum, ita vt ex præuisis meritis sit facta: Sed intelligenda est proculdubio scriptura de hac electione absoluta & efficaci præsertim per modum intentionis, & electionis: ergò dicendum est electionem adultorum ad gloriam fuisse absolutam & efficacem per modum intentionis & electionis sine connexione cum vsu liberi arbitrij, aut cum meritis præuisis adultorum. Patet consequentia: quoniam si in testimonijs sacrarum Literarum, in quibus id significatur non fit sermo de omnibus electis absolutè, nulla est ratio vt dicamus esse intelligenda tantùm de electis qui non erant peruenturi ad vsum rationis & futuri adulti. Antecedens autem, quoad secundam partem, videlicet Scripturam ibi esse intelligendam de electione absoluta & efficaci ad gloriam per modum intentionis & electionis, etiam patet: quia est intelligenda de electione, cum illis proprietatibus quas ei tribuit Scriptura: quarum vna est certitudo quoad effectum, ita vt non possint hæc duo simul consistere: videlicet aliquem esse electum ad gloriam & re vera non peruenire ad ipsam. Iuxta illud Ioannis 10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Et iterum. *Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater vnum sumus.* & secunda ad Thimotheum secundo. *Fundamentum firmum Dei stat, habens signaculum hoc, Cognouit Dominus qui sunt eius &c.* Et tamen electio ipsa si non est absoluta & efficax per modum intentionis & electionis non potest habere huiusmodi certitudinem: Quia respectu rerum ad quarum executionem ordinantur media non sufficit intentio quantumcunq; sit absoluta & efficax per modum intentionis, nisi etiã accedat electio: quod suppono ex illis quæ dicuntur à Philosophis moralibus de intentione & electione, præsertim apud 1. 2. D. Thomæ.

Ioann. 10.

2. ad Timtheum 2.

Quoad primam partem probari solet idem antecedens plerisque testimonijs Scripturæ Sacræ. Ex quibus vnum est Pauli ad Romanos nono, vbi sic ait: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori.* Et paulò inferius: *Quid ergò dicemus, nunquid iniquitas apud Deum? Absit: Moysi enim dicit, miserebor cuius miserebor, & misericordiam præstabo cui miserebor.* Et paulò inferius. *Quid adhuc quæritur? Voluntati enim eius quis restitit? O homo tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit? quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ex quibus verbis potest sumi argumentum pro nostra sententia: Paulus enim sub personis duorum filiorum Esau, & Iacob, & sub prælatione minoris ad maiorem in bonis temporalibus describit adoptionem filiorum Dei, & singulorum hominum electionem, ex quocunque Populo sint, secundùm carnem, siue Israelitico, siue Gentilico, ad huiusmodi adoptionem, & ad bona cælestia. Quod sanè potest ostendi ex eadem sententia Pauli in eo capite. Quæ proculdubio est sedare contentionem Iudęorum: qui quoniam erant filij Abrahæ, cui factæ fuerant promissiones: & exercitati in lege Dei, contendebant esse præferendos Gentilibus in Euangelio, & in bonis quæ per ipsum adducuntur: Nam vt hoc efficiat dicit, Deum in promissione hæreditatis & Regni non habuisse rationem voluntatis, aut operationis humanæ: sed propositi suæ voluntatis, & misericordiæ. Et non loquitur de hæreditate terrena, sed potius de cælesti, quia de illa erat contentio Iudęorum: & de bonis cælestibus, quæ in Euangelio promittuntur. Et vt hoc confirmet Paulus inter alia vtitur exemplo illorum duorum fratrum: quare proculdubio sub eorum personis, & sub modo quo vnus eorum fuit assumptus ad hæreditatem, & alter ab ea repulsus, intelligit electos ad cælestem hæreditatem, & modum, quem Deus in eorum electione seruauit.

Adducitur testimonium Pauli ad Roman. 9. & eo nostra fulcitur sẽtentia.

Addvcor ad hoc ipsum vlterius ex toto Pauli processu & discursu, in quo multa dicit quæ indicant ipsum loqui de partiali hominum electione. Huiusmodi est induratio Pha-

Ex discursu quo procedit Diuus Paulus

rao-

in testimonio citato conficitur argument.

raonis, qui particularis homo erat adultus, & exemplum figuli quod non potest intelligi de populis Iudaico, & Gentilico, sed de particularibus eorum hominibus, cum ex neutro determinatè omnes homines sint vas in honorem aut in contumeliam, sed in vtroque indifferenter multi pertinent ad vtrumque statum. Et tandem illa verba: *Quos & vocarunt, non ex Iudæis sed etiam ex Gentilibus, &c.* Quæ proculdubio pertinent ad particulares homines vtriusque status id est Populi. Vnde de sensu, & discursu Pauli colligo pro nostra sententia ex illis verbis: *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni vel mali egissent, &c.* optimam illationem: nam ibi Paulus docet responsum fuisse Rebeccæ maiorem fratrem seruiturum minori, atque adeò Deum ita id decreuisse, antequam nati essent, aut quidquam boni aut mali egissent: hoc est nullo habito respectu ad opera in quibus minor frater maiorem excederet, sed suo solùm beneplacito. Quod sanè clarius multò explicat Diuus Paulus illa contrapositione. *Non ex operibus, sed ex vocante*: Quia per eam denotatur huius inæqualitatis non posse assignari rationem aliquam ex eorum operibus, sed solùm ex voluntate Dei vocantis, & assumentis minorem fratrem ad illam prælationem & adhuc apertius illis verbis. *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret.* Nam eorum sensus est fuisse prædictum, ita esse futurum, quia propositum diuinæ electionis mansurum erat, id est futurum firmum & mandandum executioni. Secundò colligo illationem alteram ex illis eiusdem Pauli verbis. *Nunquid iniquitas apud eum?* In quibus Paulus hanc proponit difficultatem: Nunquid ex hoc modo electionis, in quo non habetur ratio operum sequetur esse in Deo iniustitia? Et respondet Paulus, liberum esse Deum ab huiusmodi nota: Quoniam Deus in distributione suorum bonorum non est astrictus alicui hominum conditioni aut merito, sed pro sua misericordia confert illa cui vult. At verò si Deus in hac electione habuisset respectum ad opera hominum posset ex discrimine inter ipsa opera reddi sufficiens ratio ad defendendum Deum à nota iniustitiæ, & non esset necessarium confugere ad eius misericordiam aut liberalitatem. Fauet etiam locus Pauli ad Ephesios primo dicentis. *In quo etiam nos sorte vocati sumus, prædestinati secundùm propositum eius qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Vbi perpende verbum sorte, & verbum qui operatur omnia secundùm voluntatem suam: ergò non ex preuisis meritis eliguntur adulti siue ad gratiam, siue ad gloriam in illa prima absoluta electione qua his adultis vult dare gloriam, pro qua voluntate exequenda subsequitur cogitatio de medijs nostro modo intelligendi. Isichius Hierosolymitanus, Discipulus Diui Gregorij Nazianzeni ait, quòd sors in diuinis Literis dicitur, quando est tanta æqualitas, vt non maneat notitia ad discernendum, ergò illa electio non supponit præuisionem meritorum.

Ad Ephes. 1.

Ex alijs verbis eiusdem testimonij eadem veritas stabilitur.

Tertio etiam desumitur efficax illatio pro nobis ex verbis illis eiusdem Pauli. *Quid adhuc quæritur, voluntati eius quis resistit?* Vbi Paulus proponit alteram difficultatem circa hunc modum electionis: ea verò est aut reddendam esse rationem aliquam eius ex parte vtriusque Populi, & sic Iudaicum Populum esse præferendum: quoniam erat filius Abrahæ, exercitatus in lege Dei, & consequenter dari rationem aliquam ex parte hominum, propter quam Deus hunc in particulari elegerit potius, quàm illum. Aut si nulla est ratio præter voluntatem Dei, qui cuius vult miseretur, & quem vult indurat: nihil Deus habuit causæ, cur irascatur Deus aut Iudaico Populo, quòd non receperit Euangelium, aut alijs hominibus in particulari, qui non sunt electi, quòd non consequantur cælestem hæreditatem. Neque poterit eis iustè imputari, cum totum reducatur in diuinam voluntatem, tanquam in causam, cui nemo resistere potest. Et respondet Paulus huic difficultati obiurgando hanc hominum in Deo expostulationem, vt superbiæ & temeritatis plenam, his verbis. *O homo tu quis es qui respondeas Deo?* Quasi diceret nullum esse homini ius vt eius voluntatis & misericordiæ, qua Deus sua bona distribuit, exposcat rationem. Vbi Paulus cum soluat hanc difficultatem solùm arguendo temeritatis & audaciæ scrutatores diuinæ voluntatis, & non dicendo esse falsum id, quod in ea dicitur, videlicet totam rationem electionis hominum ad gloriam esse reducendã in diuinam voluntatem: videtur supponere vt certùm, non fuisse habitum respectum aliquem ad humanum consensum in hac electione: quia aliàs multo facilius posset respondere cum dicitur neminem posse resistere diuinæ voluntati, intelligi de voluntate absoluta & efficaci: & Deum non habuisse voluntatem absolutam & efficacem dandi gloriam hominibus sine respectu ad consensum & opera. Et ideò nullus poterit conqueri de Deo eo quod non habuerit hanc voluntatem erga ipsum, non solùm quia Deus in voluntate sua liber est: sed quia id prouenit ex defectu sui consensus, quem si præstitisset etiam Deus habuisset voluntatem absolutam dandi ipsi gloriam. Et statim hoc magis explicat exemplo figuli cõficientis ex eodem luto vas ad diuersos vsus, scilicet vnum in honorem & alterum in contumeliam; & tamen nullum vas potest interrogare aut arguere figulum, cur ipsum in viliorem potius quam in nobiliorem vsum efformauerit. Et huius ratio est, figulum pro sua libertate & peritia, sine vllo respectu ad inæqualitatem aliquam inter partes luti, quæ nulla est, decreuisse assumere vnam partem ad figuram vnius vasis, & aliam ad figuram alterius: At verò si in hominum electione fuisset habitus respectus ad cõ-

sensum, vel ad opera ipsorũ hominum, non esset hoc exemplum satis aptũ: quia est ratio discrimi nis in cõsensu, & in operibus, non esse in operibus eam æqualitatem, quæ est in partibus luti.

Obiectio cõtra dicta.

SED dices. Electio prærequirit disparitatem in illis, qui eligendi sunt: vnusquisq; enim qui in eligendo non errat id eligit quod melius est: ergò electio saluandorum non est facta, sine præuisione aliqua operum, aut dispositionis ex parte nostra. Patet consequentia ex D. Augustin. 1. ad Simplicianum. q. 2. dicente: *Nemo eligitur, nisi iam distãs ab illo qui reijcitur. Vnde quod dictum est: Quia elegit nos ante mundi constitutionem. non video quomodo sit dictum nisi præscientia.*

Non bene dissoluitur obiectio à quibusdã.

Hac obiectione pressi nonnulli distinguentes prædestinationem esse priorem electione, & prædestinatione præparari media ad salutem, electione vero posterius præparari gloriam: ac proinde prædestinationem esse liberalẽ, & gratuitam, electionem vero pendere ex præuisione operum, & hæc videtur fuisse aliquando ipsius Augustini loco citato.

VERVNTAMEN nulla ratione est ita loquendum, quoniam sacra Scriptura aperte facit electionem ad regnum mere liberalem, & gratuitam. Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Et lane verbum, *complacuit*, & verbũ, *Pater, & pusillus grex*, palam significant liberalitatem, & gratia huius electionis, & nõ quod fiat ex præuisis meritis. Falsum est etiam prædestinationẽ esse priorem electione, sed potius è conuerso. Vnde Paulus ad Rom. 11. dicit. *Reliquias secundũ electionem gratiæ salua̅s fieri.* Vbi omnia tribuit electioni gratuitæ, & diuino proposito. Illud vero Augustini testimonium, quod videtur contra nos esse, Cardinalis Bellarmin. lib. 2. de gratia, & libero arbitrio, cap. 15. dicit Augustinum postea retractasse illud, & hanc sententiã, seu modum dicendi; quia cũ scripsit ad Simplicianum iunenis erat, neq; multa inuenerat in hac difficillima quæstione, quæ postea maiori diligẽtia inuenit, vt constat ex libris de Prædestinatione Sanctorum, & de bono perseuerãtiæ, & ex lib. de corrept. & grat. & ex epistolis ad Sixtum, & Paulinum 105. & 106. in quibus locis contrariã docuit sententiã. Sed profecto res hæc non est tam aperta. Primò quia D. Aug. 1. de prædest. Sanct. c. 4. maximè commendat quæstionem illam ad Simplicianum, in qua dicit gratiam Dei vicisse, quamuis laboratum sit pro libero arbitrio. Et 2. retract. c. 1. nihil retractat ex quæstione ad Simpli. Prætereà secundo quia eundẽ modum dicendi, quem in quæstione illa seruat Augustinus videtur seruare in superioribus libris, etiam in illis in quibus ponit electionem ad gloriam ante merita, nã lib. de correptione, & gratia, cap. 7. ait: *Electi sunt, quia secundũ propositum vocati sunt: propositum quidem non suum, sed Dei.* Vnde propositum vocandi efficaciter dicit antecedere electionem. Et inferius de reprobis inquit. *Non sunt secundum propositum vocati, ac per hoc neque electi.* Sed profecto cum D. Augustinus aliquando versaretur circa illa verba ad Rom. 9. *Vt secundum electionem propositum Dei maneret*, & cogitare non posset, quo pacto Deus eligeret si nulla esset disparitas in eligendis: excogitauit mutãdam esse punctuationem, & Paulum non voluisse dicere: vt secundùm electionem propositum Dei maneret, ideò non ex operibus, sed ex vocante dictum esse, maior seruiet minori: sed voluisse dicere; Iacob, & Esau nihil boni, aut mali egisse, vt inde secũdùm electionem propositum Dei maneret. Ex qua quidem mutatione punctuationis infert, non propositum Dei secundùm electionem manere, sed è conuerso, electionem manere secundùm propositum Dei. Cæterũ D. Augustinus postea cognouit hanc expositionem violentam esse, & nõ fuisse necessarium in hanc pressuram incidere: cum posset ita dici, nimirum Deum diligendo vel eligendo facere hanc disparitatem: Qui modus dicendi habetur epistola 105. ad Sixtum. Vbi sic ait: *Cum illi nondum nati, nihil egissent boni, vel mali, vt secundùm electionem propositum eius maneret, electionem scilicet gratiæ, non debiti, electionem, qua eligendos facit ipse, non inuenit, non ex operibus, sed ex vocante dicit.* Et ad Paulinum epistola 106. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum esse intelligatur, vt secundùm electionem propositum Dei maneret, non meritum hominis anteiret:* non enim dicit electionem voluntatis humanæ, siue naturæ, cum par esset in vtroque mortis damnationisque conditio, sed electionem proculdubio gratiæ, quæ non inuenit eligendos, sed facit. Et de hac electione in epistolis sequentibus dicit: *Sic ergò & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt.* Vides quonam pacto Augustin. mutauit modum loquendi?

Verba D. Aug.

PRO qua re explicanda duplex electio ex eodem Augustin. cogitatur, tract. 68. super Ioannem. Vna quidem per modum intentionis: alia per modum executionis. Illa prior dicitur anteire merita: hæc vero posterior, subsequens, fieriq; ex meritis. Dici ergò potest Augustin. in quæstione illa ad Simplicianum loqui de electione executiua: de qua intelligitur illud Matthæi 13. *Eligerunt bonos in vasa sua: malos autem foras miserunt.* Cæterum in alijs locis loqui de electione per modum intentionis, seu de intentione electionis, seu prædestinationis. Quod si dicas electionem executiuam esse temporalem cum sit executio illius æternæ electionis Dei, & Augustinum in prædicta quæstione ad Simplicianum loqui de electione æterna cum ipse adducat testimonium Apostoli ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Respondere possumus in eadem electione Dei æterna distingui posse duas illas rationes. Nam electio æterna potest considerari duobus modis: vno modo, vt est intentio dandi gloriam: alio modo prout est dispositio ipsius executionis, & veluti executio quædam in diuina mente tractata. Et priori ratione antecedit electio, quia gloria in genere causæ finalis est prior, quàm bona

Duplex electio vna per modum intentionis, alia per modum executionis. Matth. 13.

ope-

opera. Posteriori autem modo subsequitur. Huic distinctioni applaudit Franc. Suar. lib. 3. de auxilijs diuinæ gratiæ, & eam amplectitur Robertus Bellarmin. lib. 2. de Gratia, & libero arbitrio, cap. 14. quam distinctionem adducit, vt interpretetur locum D. Ambrosij dicentis. *Quos præscivit sibi deuotos futuros, ipsos elegit ad æterna præmia.* Et de hac electione posteriori executiua potest interpretari Ambrosius, & fortè ex Græcis patribus multi. Cur igitur non pari modo potest interpretari Augustinus & conciliari sibi ipsi, præcipuè cum apud eundem Augustinum sint multa, quæ huic expositioni faueant? Nam Augustinus aliquando assumit hoc principium in quo videtur fundare doctrinam suam. *Nemo eligitur, nisi iam distans ab illo qui reijcitur.* Quod sanè de omni electione, etiam de illa quæ est per modum intentionis, neque est verum, neque ita potest intelligi. Alias etiam electio ad primam gratiam efficacem, vel vocationem congruam supponeret differentiam eius cui donatur, ab illo cui non tribuitur: quod est apertè falsum etiam in doctrina D. Augustini. Quoniam illa vocatio non supponit illam disparitatem, sed magis eam facit, alias daretur ex parte nostra causa prædestinationis, etiã quoad primũ effectum. Ergò necessariũ est intelligi de electione quoad ordinẽ, vel dispositionẽ executionis. Rursus in prædictis locis D. Aug. distinguit electionẽ à proposito, & loquitur de proposito quod est radix vocationis efficacis, vel cõgruæ: Quod quidẽ non potest aliud esse, nisi propositum tribuendi gloriam, vt constat ex electione eiusdem Augustini: ergò illud propositum nihil aliud est, quàm id quod nos vocamus electionem per modum intentionis: igitur altera electio quam Augustinus dicit subsequi ex hoc proposito, sine dubio est intellgenda per modum executionis. Et hoc pacto intelligẽda sunt verba Aug. dicẽtis de Iacob: *Nõ est electus, vt fieret bonus, sed bonus factus eligi potuit.* nam in his verbis videtur excludere non tantum electionem ad gloriam, sed etiam ad gratiam, vel ad finem: Sed constat Augustinũ nõ potuisse hoc dicere de electione per modum intentionis: ergo tantũ ibi declarat dispositionem executionis, & hæc responsio satisfacit huic testimonio.

Franciscus Suarez. Robert. Bellarm.

Quo hac posita distinctione possit D. Augu. interpretari, & sibi ipsi conciliari.

Aliud esse hominẽ eligi, aliud verò fieri electum.

VERVNTAMEN vt intelligamus plura sanctorum loca, & D. Augustinũ alijs in libris, obseruare oportet maximè: aliud esse hominem eligi: aliud verò fieri electum: sicut aliud est hominem esse dignũ electione, aliud verò esse electioni conformẽ (vt sic loquamur) quia esse dignum electione significat dignitatem illam antecedere ipsam electionẽ, & esse rationem, & causam eius: At vero esse electioni conformem, solum est talẽ fieri, vel esse qualis electus est, quod potest esse consequens ad electionem, & effectus illius. Sic ergo fieri electum non significat semper idem quod eligi, neque idem quod fieri dignum electione, sed significare etiam potest talem fieri qualis electus est, non quia talis futurus fuerit, sed vt talis sit. Et in hoc sensu intelligi potest plerisq; in locis D. August. præcipuè de prædestinatione Sanctorum, cap. 17. vbi ait: *Intelligamus vocationem qua fiunt electi, non qui eligũtur quia crediderunt, sed qui eligũntur vt credant.* Sanè per vocationẽ dicũtur fieri electi, nõ quoad ipsam denominationem electorũ, sed quoad eius terminum, seu quoad illam dignitatẽ ad quam electi sunt. Hæc interpretatio optima est, & habet optimum sensum, quem videtur esse secutus D. Prosp. lib. 2. de vocatione Gẽtium, cap. 10. & aliàs sæpè. Vbi ait. *Deus his, quos eligit sine meritis, dat vnde ornentur & meritis:* Et subiũgit inferius: *Frustra dicitur, quòd ratio operandi non sit in electis, cum ad hoc operentur, vt electi sint.* Quid igitur est operari, vt electi sint, nisi operari, vt ornentur meritis ad quod electi sunt. Sic intelligitur D. August. epist. 105. vbi interpretatur electionem gratiæ, ideſt non debiti, & electionem, quæ eligendos facit, ipse non inuenit. Idem sensit epist. 106. Quo in loco pari modo affirmat hanc electionẽ diuinam non supponere disparitatem in electis sed facere. Quod quidẽ esse de mente August. constat lib. de prædest. Sanctorum, cap. 17. Vbi explicat Paulũ ad Ephes. 1. dicentem. *Sicut elegit nos in ipso ante mũdi constitutionem.* Ait Augst. *Si propterà dictũ est, quia præscinit Deus credituros, nõ quia facturus fuerat ipse credentes: contra istam præscientiam filius dicit: Non vos me elegistis, sed ego vos elegi: cum hoc potius præscierit Deus, quod ipsi eum fuerant electuri, vt ab illo mererentur eligi. Electi sunt itaq; ante mundi constitutionẽ, ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscinit: electi autem sunt de mundo ea vocatione, qua Deus id quod prædestinauit implenit.* Ergò de mente August. hoc modo fiunt electi per vocationem, nimirum quantum ad terminum, & effectum electionis æternæ, non quoad rationem eius, prout in prima intentione Dei, & subiungit August. *Elegit Deus fideles, sed vt sint, non quia iam erant.* Recitat pro hac re illud Iacobi 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni?* & concludit sensum quem ipse tenet: *Eligendo ergo facit diuites in fide, sicut hæredes regni.* ergò antecedit electio ad fidem, & ad regnum: tandem subiungit hæc verba perpendenda: *Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod vt in eis faciat, eos eligit.* Et hac ratione dicitur ab aliquibus Deum elegisse merita in prædestinatis nõ quia eos elegerit propter merita, sed potius quia eos elegerit ad merita, quibus gloriam consequantur. Iuxta quem modum loquendi interpretari potest, quod D. August. ait quæst. ad Simplician. in fine, nimirũ: *Eligi à Deo voluntates, non quæ præcedant, sed quæ sequantur electionem.* Licèt in eo loco magis loquatur August. de electione quoad executionẽ, quàm quoad intentionem.

Ad Eph. 1.

Iacob. 2.

CVM ergò lib. de correptione & gratia, cap. 7. dicat Augst. *Electi sunt, quia secundùm propositum vocati sunt.* quamuis hoc posset exponi, vt intelligatur secũdùm causam illationis, non rei; Quia omnis qui vocatus est secundùm propo

situm, electus est, tamen non est vocatio ratio electionis, sed è cõuerso electio est ratio vocationis. Cæterum satis conueniẽs expositio est, vt esse electum non significet ibi idem, quòd eligi, sed esse talem, qualis per electionem destinatus est, vt sit. Ex dictis ergò egregiè exponuntur omnia dicta Augustin. quæ adduci possunt pro aduersarijs. Nam certè cum serm. 7. de verbis Domini, affirmat electionem esse, & secundùm gratiam, & secundùm iustitiam, sensus est, quo ad intentionem esse gratiæ, & solius voluntatis Dei: quia quos voluit hos elegit, quo ad executionem verò esse iustitiæ, & quo ad hoc inquit illos eligi, qui de se nõ præsumunt. Tandem est attentè aduertendum, quod quando D. Augustin. prædestinationi, aut electioni coniungit præscientiam meritorum: tunc D. Augustinus loquitur iuxta ea quæ diximus paulò antea, quia vel adiungit præscientiam, vt consequentem electionem, & non vt antecedentem, vt sæpè sæpius ipse affirmat; Nam Deus præscinit quod fuerat ipse facturus, præscientia videlicet absoluta. Vel cùm hanc præscientiam meritorum coniungit loquitur de executione.

DICENDVM igitur est, disparitatem eligendorum fieri ab ipsa Dei electione. Nam quos Deus voluit eligere ipsi eadem dilectione facti sunt dispares ab alijs. Nam eodem modo à Deo non amantur, nisi boni, tamen Deus amando facit bonos, sic ergo proportionabiliter dicere possumus in præsenti.

Rationibus Theologicis hæc eadem sententia ostenditur.

POST TOT sanctorum Patrum sententias, & testimonia, & post tot testimonia sacrarum Litterarum, quæ pro nobis militant, restat iam rationibus Theologicis fulcire, & munire hanc nostram sententiam. Nam certè quãuis talis modus electionis saluandorum ante præuisa merita fuerit à Deo factus, non tamen fuit ita necessarius Deo, vt aliqui homines saluarentur, vt ille vel non fuerit liberè assumptus à Deo, vel quod Deo defuerit alius modus saluandi homines, vt in exordio huius sectionis ostendebamus. Veruntamen suppositio modo prouidentiæ supernaturalis, quẽ Deum habuisse credimus cum electis, ex illo colligimus eos ante præuisa merita sua liberali, & gratuita libertate eos elegisse ad gloriam: & non tantum ad vnum beneficium gratiæ, seu vocationis efficacis, sed ad vniuersam seriem mediorum quibus infallibiliter perducuntur ad regnum, & consequenter illos etiam ad finem ipsum, seu ad gloriam prælegisse.

Prima ratio pro conclusione.

POTEST QVE confici ratio in proposito: Nam profecto si saluandi, aut prædestinati adulti eligũtur ad gloriam ex meritis præuisis, seu ob merita præuisa, vel hoc est propter vnum, vel alium actum meritorium per se, ac præcisè sumptum, vel propter perseuerantiam in bono merito, vel in fructu eius, vsque ad finem vitæ. Primum non potest dici: Quia aliàs omnes, qui habent actum aliquem meritorium statim essent, & fierent electi. Nulla enim maior ratio militat de vno, quam de altero. Neque etiam dici potest saluandos electos fuisse ad gloriam ex præuisione meritorum propter perseuerantiam in bono merito, vsque ad finem vitæ. Quoniam aliàs homo mereretur perseuerantiam in bono, quia ante perseuerantiam meretur electionem ad gloriam, ex qua necessariò sequitur perseuerantia. Item etiam quoniam Tridentinum, sess. 6. docet iustos non quomodocunq; absolutè mereri ipsam consecutionem gloriæ, sed sub conditione, si in gratia decesserint: ergò neq; absolutè possunt mereri ipsam electionem, neque etiam rursus possunt mereri illam conditionem, nimirum quod in gratia decedant merito infallibili, & perfecto, quod in aliquo actu reperiatur, sed solùm possunt ad illam conditionem cooperari perseuerando, seu continuando bona opera cum diuina gratia, & non peccando, neq; culpis suis interrumpendo permanentiam in gratia. Neq; etiam dici potest secundũ, quoniam ad perseuerandum in gratia vsq; in finem, gratis datur perseuerantiæ donũ, quod ab ipsa electione trahit originem veluti à suo fonte, vt superius diximus. De qua re legendus est D. Prosp. lib. 1. de vocatione Gentium, cap. 7. & 8. & aliàs 22. & 23. Sanè ab Augustino plures rationes deduci possunt, præcipuè illæ, quæ ex sacris Litteris deducuntur ab eo, in quibus sacra Scriptura ita loquitur de electis, vt significet singulari Dei liberalitate, & beneplacito fuisse à Deo dilectos, & prælectos ad gloriã, nõ ex præuisis meritis, sed potius ab illa Dei dilectione manasse omnia beneficia gratiæ quibus datũ est, vt de facto in re ad extra gloriã merue rint. Vnde D. Chrys. hom. 71. super Ioann. circa illa verba, Ioan. 15. *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos*, inquit in hoc significasse Christũ liberalem, & gratuitã dilectionem, & subiungit hæc verba: *Non enim vestris præcedentibus meritis debitum persolui, sed ego incepi.* Vnde Act. 13. *Crediderunt quotquot præordinati erant in vitam æternam.* Et Ioann. 10. *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis, oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Ex quibus omnibus cõstat in locis citatis, tribui huic electioni quòd ratione eius Deus peculiarem prouidentiam habeat circa sic electos, vt eos custodiat, & perseuerare faciat: Ex quo infertur hãc electionem non esse ex præscientia perseuerantiæ, aut meritorũ, sed potius ipsam electionem eorum omnium. Quæ omnia insinuauit Paul. 2. ad Tim. 2. *Omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu cum gloria cælesti.*

Trid. sess. 6.

D. Prosp. D. Aug.

D. Chrys.

Act. 13.

Ioan. 10.

2 ad Tim. 2.

MOVEOR secundò, quia auctores oppositæ sententiæ putant se efficaciter argumentari

Secunda ratio.

contra

contra nos, quia si hæc electio saluandorum adultorum ad gloriam est efficax, & absoluta ante præuisa merita, tollitur liberum arbitrium, quia non esset tunc in potestate hominis electi efficaciter ad gloriam eam amittere; quia nullus potest resistere efficaci voluntati Dei, aut eam frustrare, & cassam reddere. Sed profectò hæc ratio nihil concludit, & est omnino inefficax: ergò ex isto capite nihil probatur contra nos, neque concluditur electionem ad gloriam fuisse ex præuisis meritis. Quod verò argumentum aduersariorum sit in efficax, & improbabile constat apertè, quia ex eo conantur ostendere impossibile fuisse Deo efficaciter eligere aliquem ad gloriam liberè consequendam: quod nemo concedit: quia nullus antiquorum Theologorum id dixit, etiam illi, qui putauerunt de facto non præcessisse talem electionem in omnibus saluandis ante præuisa merita. Imò verò ratio, seu argumentū aduersariorum eo tendit, vt probet non posse Deum absoluta voluntate prædefinire actum aliquem liberum, seu effectū interuētu causæ liberæ necessariò exequendū, ante præscientiā absolutam liberi vsus: quod auctores oppositæ sententiæ consequenter concedūt. Nā docent in speciali, seu in particulari Deū non elegisse efficaciter beatissimam Virginem, vt esset mater Dei, nisi propter merita eius iam absolutè præuisa. Quòd si obijcias contra eos, Deum idcircò dedisse matri suæ Sanctissimæ tantam gratiam, & tàm mirabiles & insignes actus, & ad illos efficax auxilium, vt per illos se se disponeret ad dignitatem matris Dei, quam illi ex electione dare volebat absq; præuisis meritis. Respondent: hoc tantum esse verum de quadam voluntate inefficaci, qua Deus desiderabat efficere hanc fœminam matrem Dei, si ipsa se disponeret. Sed certè nemo Sanctorum, aut Theologorum vnquam ita loquutus fuit, vt diceret Deum inefficaciter desiderauisse beatam Virginem efficere matrem Dei: priusquam efficaciter id voluerit: aut quomodo est credibile Deū tanta gratia præueniisse beatissimam Mariam, vt eam præseruaret ab originali peccato, si nondum eam in matrem suam efficaciter elegisset, sed tantùm ex quadam velleitate desiderauerit eam efficere matrem suam: vel quæ fuit necessitas illius imperfecti actus, & conditionati? cùm in potestate Dei situm esset efficaciter facere, vt conditio illa in re poneretur. Imò cùm hoc Deus facturus esset ex vi illius primæ intentionis electio illa fuit efficax, & non ex præuisis meritis. Sequeretur etiam quod pari ratione dicerent aduersarij auctores: Deum non potuisse velle, aut prædefinire redimere nos absolutè, & perfecta voluntate ante præuisa Christi merita, aut ante præuisionem passionis suæ. Quoniam ille effectus prædefiniendus talis erat, vt non nisi per media moralia, & libera efficiendus esset. Ex quo infero sententiam hanc mihi nunquam arrisisse, neque argumentum vim habet aliquam contra libertatem.

Obiectio quæ sit contra aduersarios dissoluitur ab eis, sed malè.

Vnde ad argumentum neganda est sequela: Non enim ex tali Dei decreto efficaci eligendi homines ad gloriam ante præuisa merita, sequitur læsio libertatis saluandorum, & prædestinatorum. Quocirca ad probationem eius, puto sensum compositum hac in parte egregiè conuenire, & optimè applicari: atque adeò necessitatem illam quæ ex illo decreto infertur esse consequentiæ tantum, non consequentis. Ac proinde negatur decretum illud esse suppositionem antecedentem necessitantem: tria namque illi deficiunt, vt talis suppositio sit necessitans: Primum est vt suppositio illa inferat cum determinatione ad vnum necessaria actum in particulari, & in individuo, circà quem talis suppositio determinatiua ad vnum, more naturæ, versetur. Per electionem autem efficacem ad gloriam, si nihil aliud addatur necessitans, non determinatur homo necessariò ad aliquem actum, sed ex tali suppositione infallibiliter infertur: quòd Deus ita vult huic dare gloriam, quòd eum elegit ad ipsam voluntate absoluta, & illi vult dare media, per quæ eam consequatur ex vi illius prioris voluntatis: per media inquam coaptata, & commensurata cum modo liberè agendi ipsius voluntatis. Imò verò audio aduersarios quosdam dixisse sic. Quòd si adhuc obijcias saltè hominem esse determinatum ad hoc, vt non possit non saluari. Respondent: hoc nullum esse inconueniens in prædicto sensu compositio, quia illa determinatio non est in homine, sed in Deo; in homine vero semper mandatur executioni sine præiudicio libertatis, sed cū coaptatione ad ipsam, sicut dictum est sectione 3. præcedente, & in discursu totius controuersiæ. Adhibent etiam hoc exemplum. Sicut si Deus statueret absolutè non dare homini in toto discursu vitæ auxilium aliquod speciale ad non peccandum: tunc infallibili, & necessaria consequentia infertur illum esse peccaturum, non tamen sequitur priuari vlla libertate. Secundò deficit illi suppositioni ad hoc, vt possit dici necessitans necessitate oppositā libertati, quod ita per se humanam libertatem determinet, vt omnino determinatione naturæ determinet sine vlla potestate ad oppositum, & sine vlla conferentia, & collatione liberi arbitrij, sed ex infixo iudicio, more pecudum, quod non habet, neque facit decretum illud diuinum quod per modum intentionis ponitur: vt supra interpretati sumus, Sect. 1. 2. & 3. huius disputationis.

Dissoluitur argum. quod sit cōtra nos in hac ratione

Tria deficiunt suppositioni de qua loquimur, vt sit necessitans absolutè. Primum.

Secundum quod deficit.

Hoc loco adducere solent aduersarij pro libito suo obiectiones quasdam, vt possint adaptare eas iuxta sensum, & opinionem suam, quæ nihil omnino cum suis responsionibus valent. Nam certè illa necessitas illationis, & consequentiæ verè fundatur in decreto infinito voluntatis, & intellectus Dei, qui non solum in rebus facit quod vult efficaciter, sed eo modo quo vult, vt Diuus Thomas sæpissimè docuit. Sanè nihil magis proprium est Dei om

nipotentis, & prudentis artificis infiniti, quàm si aliquid vult efficere per ministros sibi subordinatos, vt illi effectus fiant eo modo, quo ipse fieri decreuit, quia hoc postulat infinitas diuinæ sapientiæ, & omnipotentiæ Dei: aliàs non esset infinitè omnipotens, neq; infinitè sapiēs, vt intulit D. Augustin. in Enchirid. loco sæpè citato, vbi ita ait: *Quis enim tam impiè desipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, & quando voluerit, & vbi voluerit in bonum non posse conuertere? Non est vtiq; verum quod in Psal. dicitur: Quæcunq; voluit fecit, si aliqua voluit, & non fecit: & quod est indignius ideo non fecit: quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit.* Et loquitur D. August. de voluntate absoluta Dei respectu liberi arbitrij creati, & voluntatis humanæ. Sed huic argumento dicere solent aduersarij, quòd in sapientia, & potentia Dei infinita non reperitur, neq; inuenitur modus, quo Deus ipse possit efficaciter facere, vt consensus nostri fiant per gratiam efficacem quatenus ab ipso Deo procedit, nisi vel admittendo scientiam conditionatam, quam nouè excogitarunt, & sine causa, vel auferendo infallibilitatem efficacitatis diuinæ gratiæ actualis Dei efficientis, ne lædatur libertas, quod qua ratione dicatur Magister fidei summus Pontifex Ecclesiæ definiat. Nam certè si in potentia, & sapientia infinita sua Deus non potest habere modum, quo per gratiam suam hominum voluntates moueat ad consensum non quidem efficacitate, quæ solum dicitur talis ex parte effectus, sed ex parte suæ diuinæ gratiæ tunc non esset verum quod August. intulit, aut diuina sapientia & omnipotentia non haberent infinitatem omnimodam, quod dici non potest. Tertio etiā deficit illi suppositioni diuini decreti, quòd illa quæ tollit libertatem non includit vllam habitudinem ad modum libere agendi; sicut includit decretum de gratia efficaci Dei, quod ita decernit consensus nostros, à nobis fieri, vt cum modo libero eorum decernat eos, & cū coaptatione efficacis gratiæ suæ efficientis hoc suauiter & fortiter; cùm sapientia diuina clamet Deum attingere à fine, vsque ad finem fortiter, & disponere omnia suauiter.

Possem ego obiectionem seu argumentum aduersariorum retorquere contra eos. Nam prædicti auctores ponunt absolutam voluntatem Dei dandi vocationem efficacem saluandis: quæ suppositio est antecedens præscientiam absolutam actus liberi: ex quo potest formari ratio, & argumentum contra eos: Quia posita illa voluntate absoluta, & efficaci non potest simul cum illa componi, quòd voluntas humana non operetur quia non potest frustrari, aut de facto impediri illa Dei voluntas, vt D. August. dixit & ipsi aduersarij fatentur: ergò in illo sensu composito voluntas non poterit non operari: ergò aufertur libertas, quia illa suppositio etiam est antecedens. Sed huic argumento, quod ex eorum concessione retorquetur contra eos, respondent: quòd si voluntas illa Dei absoluta, per se sola cōsideretur, ea quidem non obstante, poterit voluntas humana non operari, quia illud decretum Dei non habet pro obiecto ipsummet actum, sicut habet voluntas prædefiniens ipsum actum. Sed contra hoc est, quòd Deus non tantum vult dare hanc vocationem efficacem seu congruam, sed etiam vult dare illam vt efficax & congrua est: ergò cum illa non potest componi, quod voluntas humana ei resistat de facto: ergò saltem hoc modo non possunt negare illud Augustini elogium de correp. & grat. c. 14. *Volenti saluum facere nullum humanum resistit arbitrium.* ergò idem nodus soluēdus est ab ipsis eademque difficultas repellenda, quam ipsi nobis obijciunt. Vnde solutio & responsio alia non est, nisi ea quæ à nobis tradita fuit. Quocirca etiam sunt Theologi, qui confitentur hanc Dei voluntatem absolutam esse saltem virtualem prædefinitionem actus: voluntas autem humana ita non potest, neque valet frustrare Dei voluntatem efficacem virtualem, sicut neque resistere illi efficacitati voluntatis Dei, sicut neq; formali voluntatis prædefinienti, ita sanè vt componantur illa duo de facto inter se. Vnde Theologi dicunt Deum in illa volūtate sua absoluta, & efficaci satis sufficienter, & egregiè præscire Deum talem actum esse futurum, seu effectum voluntatis suæ: ergò videtur implicare stante voluntate illa Dei non sequi effectum, & humanam voluntatem non cooperari.

Addvcor tertiò ex ratione generali, & communi, quam Theologi dicunt esse efficacem, circa ostensionem veritatis nostræ sententiæ: Quoniam ille qui efficaciter, & absolutè intendit finem aliquem, is ipse eligit & determinat media, per quæ vult, & statuit finem illum cōparare: ac proinde prædefinit illa media præcipuè si illa talia sint quæ in voluntatem eius cadere possint, & etiam ex ipsius cura & prouidentia speciali sint efficienda. Hoc argumentum aliter formari solet, & redit in idem, vt si ita constituas eum. Voluntas finis prior est voluntate mediorum ordine causalitatis, & rationis: Sed voluntas eligendi homines ad gloriam est voluntas finis, quoniam gloria est finis meritorum, & voluntas dandi merita est voluntas mediorum: ergò prior est voluntas dandi gloriam, quam dandi merita: ergò non elegit homines saluandos adultos ex præuisione meritorū: igitur Deus antequam videat futura merita quæ ipse daturus est, decernit dare vitam æternam tanquam finem. Rursus non sufficit voluntas illa communis, qua vult omnibus dare vitam æternam, quia illa est voluntas antecedens, & simplex. Nam certè voluntas dandi media gratiæ saluandis & prædestinatis vt mereantur est efficax volūtas: imò verò est volūtas dandi media efficacia: ergò hæc debuit procedere ex efficaci voluntate, qua Deus elegit quosdam ad gloriam, seu ex voluntate efficaci dandi gloriam. Possumus item in fauorem nostræ sententiæ confirmare quod diximus: Quoniam nisi prædestinati distinguantur à reprobis voluntate

D. Aug.

D. Augus. ait esse maximè proprium Dei: Facere volentes ex nolentibus.

Tertiūquod deficit.

Argumentum aduersariorū contra eos retorquetur.

Solutio.

Replica.

Tertia ratio.

Voluntas finis prior est voluntate mediorū ordine causalitatis & rationis.

Cōfirmatur

illa

illa circa finem, non poterunt distingui diuina prouidentia circa media gratiæ præueniētis, donec videatur illorum consensus. Ergò iam prædestinatio, quæ est peculiaris prouidentia circa eos, qui saluantur, nō incipiet nisi à consensu, & cū nos simus illius causa, sequitur iā quòd primi effectus prædestinationis, quo incipiūt prædestinati à reprobis distingui, ipsi erunt causa eius. Igitur vt prædestinati à reprobis distinguātur, necesse est vocationem prædestinatorū esse ex efficaci volūtate finis. Sed aduerte, quòd Theologi qui asserunt Deum gratis, & liberalissima voluntate elegisse saluandos adultos, seu prædestinatos ad gloriam obtinendam, tantùm affirmant Deum sola sua voluntate, absque vllo hominis merito, seu non ex præuisis meritis habuisse talem affectum absolutum, & efficacem ad tales homines, non tamen affirmant per illud decretum voluisse Deum tales homines consequi de facto vitam æternam sine labore, aut repulsis meritis gloriæ.

Solutio aduersariorū quam huic 3. argumēto adhibēt.

HVIC argumento quatenus affirmat, quòd voluntas finis prior est voluntate mediorum ordine causalitatis, & rationis: conantur respondere auctores oppositæ sententiæ ex doctrina Okami. Negant enim maiorem argumenti: ac proinde dicunt voluntatem efficacem finis non semper esse priorem voluntate efficaci applicandi media ad illum finem: quia bifariam potest considerari finis. Vel enim refertur ad voluntatem eius, qui eum consequi debet, & ad hoc apponit media: vel refertur ad voluntatem illius, qui non sibi, sed alteri illum proponit, & libertati eius consequendum relinquit. Primo modo nullus potest moueri ad applicandum media, vt consequatur finem, nisi ex voluntate efficaci ipsius finis: ac proinde talis volitio finis est prior omni voluntate mediorum; & hoc modo qui ex voluntate consequendi gloriam vult iustificari & merita habere, prius vult gloriam: & ex desiderio efficaci eius quærit media: nimirum iustificationem, & merita. Secundò autem modo non est prior voluntas efficax finis, quàm voluntas dandi media. Veluti cùm pater desiderat filium suum doctum euadere in Theologia, vel esse studiosum: & ex hac voluntate tribuit illi omnia media necessaria: tunc habet pater voluntatem efficacem mediorum, siquidem tribuit illa media, & applicat: at non habet voluntatem efficacem finis, sed tantùm simplex desiderium, eo quod talis finis non subest eius potestati. Et idipsum accidere potest etiam si finis sit in potestate proponentis, si tamen decernat illum, labori & industriæ alterius relinquere; & tunc præcipuè quando illum non alio titulo decernit dare, quàm in præmium meritorum. Ratio differentiæ seu discriminis est: quoniam finis, qui proponitur consequendus alteri, non tàm est ipsius proponentis, quàm eius cui proponitur: ille namque qui proponit, non consequitur finem sibi, sed relinquit illum alteri, vt vel consequatur ipsum, vel promereatur: ac proinde satis est si ipse, qui proponit simplici affectu desiderans alteri finem, velit ei tribuere media efficaci voluntate. Finis namq; quem quis sibi cō sequendum apprehendit ad ipsum pertinet: & idcircò ipse prius debet velle efficaciter consequi illum, quàm applicare media, quia tàm ipse finis quàm media, suæ subsunt potestati, & voluntati, & sibi exequēda committuntur. Et hoc modo philosophātur auctores huius solutionis, dicentes: quòd eodem pacto non est mirabile, si Deus proponēdo alijs vitam æternā antequam præmium, non decernat efficaciter dare, sed affectu simplici desiderans eā hominibus, efficaci voluntate velit dare media gratiæ, vt illam promereātur & cōsequantur. Sicut inter homines etiā euenit, si quis proponat præmiū militi legitimè certāti in agone, & ex multis, qui ad certamē cō ueniunt, cuidā. v. g. Petro tribuat meliora arma, & quæ nouit efficaciora esse futura, alteri verò nō ita bona, quantūuis illi cui meliora dedit, palmā magis desideret, nunquam tamē efficaci voluntate decernit ei præmium dare, nisi præuisa victoria: igitur ex simplici affectu circa finē potest procedere efficax voluntas dandi media: nō tantum, sed efficacia sufficiētia etiā. Solet rursus aliud exēplum adduci pro hac difficultate de eo qui proponit ire Romam non vtcunq;, sed per tale mediū, nimirū æquitādo, & non velle aliter ire quam per illud mediū: sic etiam philosophantur conformiter ad doctrinam traditam ab eis.

Duplex finis consideratio.

HAEC tamen doctrina non mihi probatur, in multis, sed videtur deficere cum suo auctore, & simul cum patrono eius Okamo. Et primò argumentor contra illam. Nam illa volitio, qua Deus voluit quibusdam efficaciter dare gloriam per modū intentionis, est imperatiua electionis mediorū: ergo cū Deus voluerit quibusdā dare gloriā per modū intētionis efficaciter: sequitur, quòd ex volitione illa, & intentione suppositā excogitauit, & imperauit quæ media essent sumēda, hæc, vel illa: ergò electio mediorū, & meritorū fuit posterior illa priori volitione efficaci: ergò non fuit ex præuisis meritis. Nā prior est intētio finis electione mediorum inordinatè volētibus. Atq; ita volūtas Dei ordine intentionis in ęternitate fuit absoluta à meritis, hoc est, quod nō fuit ordine intētionis ex præuisis meritis, aut ratione meritorū: sed ordine executionis mādandā esse per merita, ita vt executio beatitudinis tribuenda per merita exequi deberet. Nā profectò apud nos ita euenit, quòd ordine intētionis prius decernimus, finem quem intendimus, deinceps verò cōsultamus de medijs. Executio autem fit per media: ipsa vero maximè ad consecutionem finis conducunt: ergò quamuis Deus prius intētione decreuerit dare Petro gloriam, & postea dare merita, vt eā cōsequatur, poterunt tamen ipsa merita in executione esse volita à Deo ad consequendam eandem beatitudinem, vt titulo præmij eam consequatur: & non prius ex præuisis meritis.

Quod doctrina addu-cta in argumento non placeat, & arguitur cō tra eam.

RVRSVS secundò falsum est exemplum,

Secundo arguitur contra eandem doctrinam.

quod ab eis adducitur in eo sensu, quem ipsi prætendunt. Nam par ratio est de eo, qui vult finem alicui quantum est ex se, & de eo qui intendit sibi consequi finē: Imò vero ille, qui vult finem alteri, etiam habet pro fine quantū est ex se satis efficaciter vt ille alter cōsequatur finem illum: hoc est quātum est ex intentione sua, & ob id apponit media ex seipso satis efficacia si ille alter exerceat illa. Quapropter cum pater desiderat filium suum studiosum euadere, vel doctū in Theologia: si ex hoc desiderio tribuat illi media omnia necessaria, sanè habet intentionem efficacem finis quantum ex se est, & ita etiam voluntatem efficacem mediorum, siquidem illa tribuit. Itaq; pater quantum est ex se habet voluntatem efficacem finis respectu filij, & ideò apponit media efficacia, & necessaria: Et nego, quòd illud sit desiderium simplex, cum ex tali voluntate patris fuerint imperata media ex se efficacia, si filius ea amplecteretur. Præterea ille finis, quem pater intendit consequendum debere esse à filio, quia proponitur consequendus alteri, magis est ipsius proponentis & prius quàm eius cui proponitur, & magis est ipsius patris, quàm filij: quòd verò non consequatur illum ex defectu voluntatis filij, non arguit inefficacitatem intentionis in patre, qui quantum ex se est habuit intentionem efficacem illius finis, & ob id apposuit media satis efficacia ad bonam educationem filij, & ad consecutionem studij Theologici. Vnde pater sibi proponit vt finem proprium quod filius studiosus euadat, & hunc finem sibi consequendum iudicat, apponendo quantum ex se est media requisita. Quòd vero filius forte nolit vti medijs rectè appositis, non arguit patrem quantum est ex se caruisse intentione efficaci finis illius. Siquidem ex tali intentione efficaci imperauit media. Tandem inter homines euenit, vt ille qui proponit dare aliquid alicui, etiam si in executione illud velit dare per merita: prius vult & intendit tribuere illud, quàm dare merita, quibus id consequatur. Quapropter ille qui vult alteri finem efficaciter quantum est ex se, & propter illum vult tribuere media, vult finem efficaciter, siquidem ex tali intētione vult efficaciter donare media. Vnde finis ille intentus pro filio, si ipse doctus euadat vel studiosus etiam est finis, quem pater ipse sibi præfixit, & intendit, ipsumq; cōsequitur si filius talis euadat, quare non satis est si pater solum velit intensius huiusmodi finem, quàm media, sed vlterius requiritur sicut de facto ita est, quòd pater quantum est ex se velit finem illum ex qua volitione efficaciter imperantur media oportuna.

Quod sit obiectum huius electionis saluandorum.

VNDE vt res hæc melius à nobis explicetur oportet aperire quod fuerit obiectum illius electionis, seu amoris gratuiti saluandorum, seu adultorum prædestinatorum. Et in hac re supponimus obiectum illud esse gloriam ipsorum, sed nos inuestigamus quomodo se habuerit illa cōditio gratis, & mere liberaliter, vel non gratis aut ex meritis obtinendi gloriam in obiecto illius electionis. Nam dici non potest Deum in prima illa electione hominum ad gloriam voluisse dare beatitudinē repulsis meritis in ipsa consecutione, nam hoc dici posset de infantibus, sed non de adultis saluandis, quia infantes non obtinent beatitudinem, vt coronam iustitiæ, sed solum vt hæreditatem. Adulti vero vtroq; modo eam de facto consequuntur. Rursus circa modum explicandi nodum huius difficultatis à Catholicis Theologis non paucis, dici solet, quòd Deus in primo signo præcisè voluit dare quibusdam hominibus gloriam, nihil prorsus statuendo, vtrùm gratis esset illis donanda, vel non gratis, ita vt obiectum illius voluntatis, neque fuerit liberalis donatio gloriæ, neque iusta retributio, & corona iustitiæ: sed præcisè collatio illius boni: postea vero per electionem Deum decreuisse, vt voluntas illa danda gloriam electis executioni mandaretur per merita, & non aliter, & idcircò tandem voluisse Deum in ordine executionis solum, electorum glorificationem, tanquam præmium, & tanquam retributionem. Hic tamen dicendi modus qui probabilis est, plerisq; Auctoribus non placet: Et quòd probabilis sit, constare potest quia licèt repugnet prædestinatos eligi ad gloriam sine meritis, & quod in tempore non eam recipiant absque meritis: ex eo quòd Deus non aliter dat gloriam in tempore, quā ab æterno decreuit dare: aliàs vel mutaret, vel non impleret decretum: Tamen quamuis donatio in re exercita nunquam possit esse, nisi in aliqua specie nimirum, vel liberalis donationis, vel solutionis iustæ: nihilominus in voluntate, & intentione potest secūdùm rationem generalem ita obijci. Si Petrus. v.g. videat Paulum creditorem suum in aliqua ingenti necessitate pressum, & constitutū, potest volūtate absoluta secū decernere, & statuere subuenire illi: postea autem deliberare de modo quo id fieri debeat; vtrum donando, vel mutuando, vel soluendo illi debitum. Ex quo infertur vlterius, vt quamuis postea statuat illi subuenire soluendo debitum, vel mutuando, non obid dicatur mutare priorem intentionem, sed potius eligere medium, quo talis illa intentio vere impletur, & quasi determinatur, & applicatur ad opus, quoniam de se illa intentio habebat quandam indifferentiam respectu mediorum, neque poterat in illa vniuersalitate, aut generalitate impleri: sic ergò in proposito, quamuis Deus post illam electionem efficacem voluerit eam implere per merita, non ob id mutaret Deus, vel in re minima, prius illud decretum, quidquid aliqui dicant: variantes ab electione gratis concepta, ad gratiam, seu liberalitatem in obiecto positam. Quia licèt Deus ex vi illius decreti non respexerit merita, non tamen illa repulit, & idcircò quamuis ad-

Quorundā modus dicendi.

Qua ratione reddatur probabilis.

iun-

iungatur voluntas meritorum, non est mutatio aliqua.

Quid tandē sit dicendū iuxta hunc modum.

Ex hac igitur explicatione auctores, qui eam sequuntur dicunt Deum ab æterno præparasse iustis gloriam ex meritis re vera obtinendam, non sane quòd præparatio ipsa sit ex meritis facta, sed quòd obiectum illius præparationis fuerit gloria; ita tamen vt præparatio illa non cogitetur facta per nudam intentionem gloriæ præcisam, sed adiuncta etiam mediorum electione. Necessarium igitur est iuxta huiusmodi explicationem dicere: quòd stante præciso illo decreto dandi gloriam electis adultis illi sint habituri gloriam, ita vt si per impossibile non haberent merita, illam essent consecuturi: Cæterum conditionalis hæc est ex hypothesi impossibili, supposito alio decreto voluntatis meritorum, & mediorum, ratione cuius est verum neminem consecuturum esse gloriam sine meritis: Quòd si quis dicat non fuisse impossibile Deum non habere hoc posterius decretum circa merita, supposito priori decreto circa gloriam: & idcirco absque hypothesi impossibili simpliciter esse verum dicere, quòd quamuis isti homines de quibus facta est electio ad gloriam non haberent vlla merita nihilominus consequerentur gloriam. Ad hoc Theologi huius ætatis dicunt id posse concedi, absq; inconuenienti vllo: quia tunc fuisset alia æterna dispositio diuinæ voluntatis: si non in intentione, saltem in electione mediorum. Nam quando nunc dicitur fieri non posse ex vi præsentis decreti æterni diuinæ voluntatis, vt electi consequantur gloriam sine meritis, satis est quod id verificetur respectu decreti adæquati, vt comprehendit finem, & media: quamuis non verificetur respectu intentionis finis, vt à nobis præcisè conceptæ, & cogitatæ.

Quibusdā non placet hæc explicatio, & abeis impugnatur.

Sed quamuis hic modus dicendi probabilis sit, & sustineri possit, nihilominus tamen sunt noui Theologi, quibus ille non probatur: quia dicūt quòd sine causa ponit illā intentionem cōmunem quasi abstractam, & confusam in Deo, quæ de se, aut est imperfecta, vel minus perfecta quàm debuisset. Quoniam in exemplo adducto quando homo deliberat de aliqua actione sua circa finem, & postea consultat de specie, idcircò est, quia nō statim in ictu oculi cognoscit, aut percipit, quid magis expediat. Nam si totum statim comprehenderet, perfectum decretum illico faceret, & hoc modo se habet Deus, quia non decernit, vt homo in illo primo signo rationis.

Impugnatio non est efficax.

Sed profecto hæc obiectio seu impugnatio aduersariorum non est efficax, quia actus ille diuinæ voluntatis, quo omnia voluit, vnicus est & simplicissimus actus, & eo Deus simul voluit & intendit finem per talia media, ac proinde Deus verè ante absolutam præscientiam meritorum, voluit adultis saluandis totum hoc obiectum; nimirum gloriam & merita, & gloriam per merita, & merita propter gloriam: Voluit etiam illis fidem & vocationem congruam seu efficacem, & illam per hanc, & hanc propter illam: ergo sicut per eam voluntatem eligit Deus hominem ad vocationem efficacē & congruam, vel ad merita, sic etiam ad fidē & ad gloriā, & per illā voluntatem tàm prædefinit finē, quàm mediū. Vnde licèt mens nostra & cogitatio distinguat simpliciſsimam illam Dei voluntatē: quatenus terminatur ad totum illud obiectum, nimirum ad gloriam, ad merita, ad vocationem, & fidem; & ad illam, hoc est ad gloriam, vt ad fidem, ad merita, vt ad media: Nihilominus prior illa volitio gloriæ, vt sic, etiam intelligitur, & cogitatur à nobis, vt absoluta & efficax, quia talis est, vt ex vi eius oporteat Deum dare vocationem congruam, & auxilia, & merita. Itaque verissimum est Deum habuisse actum illum efficacem dandi gloriam quibusdam adultis quos ipse saluare voluit: & voluntatē hanc intelligimus, vt priorem: quamuis actus ille diuinæ volūtatis vnicus, & simplicissimus sit, qui terminatur ad totum obiectum illud integrum: & ad singula obiecta partialia, quæ in eo continentur. Et pariter intelligimus hanc eandem voluntatem ita cōceptam, & vt terminatam ad gloriam esse absolutam, & efficacem: & esse priorem quia talis est re vera & de facto, vt ex vi eius necesse sit Deum dare reliqua omnia media, quia voluit gloriam, & merita, & fidem: & gloriam per merita, & merita propter gloriam. Vnde ex his constare poterit modum explicandi supra positum circa difficultatē huius controuersiæ esse valde probabilem, & voluntatem illam Dei, neque esse confusam, aut imperfectam, cùm vnico actu suo feratur in omnia illa obiecta etiam partialia, quia Deus intendit gloriam per merita, & merita propter gloriam.

Cōcluditur modum dicendi supra positum esse satis probabilem.

Alius modus dicendi circa rē de qua agitur: qui est etiā valde probabilis.

Quo circa huius ætatis Theologi considerant obiectū illius electionis in Deo fuisse beatitudinem vt coronam iustitiæ, & vt obtinendam secundùm leges iustitiæ. Nam hac ratione perfectiori modo intelligitur haberi & obtineri; quia ex parte obiecti requirit affectū & amorē iustitiæ: & ex parte actus gratuiti & liberalis habet rationem misericordiæ. Quæ duo non sibi contradicunt, quia velle tantum bonum alicui vt perficiatur etiam per viam iustitiæ, hic est maximè gratuitus & liberalis amor, & est magna misericordia erga illum & ingens gratia. Vnde quamuis per illum amorem, non detur alteri gratis bonum quod illi amatur, in re ipsa: cæterum amor ipse gratis & liberaliter donatur, & vlterius ratione ipsius tanquam ex radice alia multa bona gratis donantur, per quæ fiet, vt tandem gloria ex iustitia detur in re ipsa. Atq; adeò hac ratione aperiri potest & explicari difficultas de qua agitur, & hæc intentio efficax gloriæ, quæ perfectissima est, & optimè percipitur ab intellectu: per quam ruunt obiectiones omnes, & argumenta. Quia neque sequitur aut gloriam esse dandam ex vi illius, aut ex præuisis meritis antecedenter: neque mutari decretum, si iustitia exigatur, neque dan-

dam esse gloriam de facto ex vi illius decreti, si non adsint merita, quia in eo casu non posset esse corona iustitiæ. Tandem egregiè satis cognoscimus quo nam pacto etiam ex vi illius præcisæ intentionis præparata sit gloria saluandis adultis, seu prædestinatis, vt præmiũ & corona. Veluti voluntate antecedenti dicunt non pauci ex Theologis Deum præparasse regnum cælorum reprobis; quia propter illud obtinendum creauit illos: non tamen eis illud præparauit absolutè, aut quomodocũque, sed vt coronam iustitiæ, quia hoc affectu, & non alio illud eis optat. Et ex hac intelligentia non colligitur decretum illud supponere præscientiam meritorum: sed sequitur in virtute includere implicitè voluntatem tribuendi merita ei, cui sic amatur beatitudo: & ob id hæc intentio de qua loquimur est satis accommodata electioni mediorum, quæ statim secundùm rationem ex vi illius subsequitur, per quã vult Deus dare homini omnem gratiam necessariam, & accommodatam cum aptitudine quadam, vt infallibiliter obtineat coronam illam. Atque ita vult primam vocationem secundùm propositum cõgruam, seu efficacem gratis omnino dare offeredo simul influxum gratiæ suæ mouentis nos, & adiuuantis eidem vocationi efficaci proportionatam, vt homo se disponat, & liberè consentiat, vt ex iustitia obtineat coronam, ad quam electus fuit gratis. Hæc igitur electio, neq; lædit libertatẽ, neq; merita repellit, neq; rursus minuit gratiã, sed potius exaggerat amorem Dei circa prædestinatos, & tandem consonat Scripturis. Et ex hoc constare potest, quod etiam sit probabilis explicatio ea quæ dicta est modo, maximèq; conformis speciali modo prouidentiæ diuinæ.

Rationes & fundamenta quibus viri docti nostram sententiam defendunt cum Caietano.

Duplex modus quo defenditur sententia asserens electionem adultorum ad gloriam fuisse efficacẽ antecedẽter ad bonũ vsum liberi arbitrij.

SENTENTIA, quæ asserit electionem adultorum ad gloriam fuisse efficacem, & absolutam antecedenter ad connexionem cum bono vsu liberi arbitrij, duobus modis explicatur hodie. Primò quidem fuisse efficacem, & absolutam per modum intentionis, & electionis simul; quod est dicere, Deum habuisse intentionem dandi gloriã, & præterea electionem dandi media, & vtramq; voluntatem efficacem, & absolutam esse antecedenter ad cooperationem liberi arbitrij, seu sine vlla connexione cum bono vsu liberi arbitrij, vt à se præuiso, & præcognito, nimirum à Deo. Secundò explicatur illam Dei electionem absolutam, & efficacem fuisse per modum intentionis tantùm, hoc est Deum habuisse vtrumq; actum circa gloriam adultorum, qui saluandi sunt, sed non eodem modo: sed priorẽ, hoc est intentionem, sine connexione cum vsu liberi arbitrij ipsorum: posteriorem verò videlicet electionem mediorum cum hac connexione. Primum modum dicendi, & explicãdi sententiam, quam secundo loco superius in exordio huius sectionis proposuimus, approbant multi ex familia D. Thomæ, quamuis aliqui eorum non distinguant in hac electione ad gloriam duos illos actus intentionis, & electionis, sed loquantur de prædestinatione: atq; adeò de completa electione, quæ includit actum voluntatis circa finem, & media.

Caiet. tenet primũ modum.

CAIETANVS doctissimus tenet hunc primum modum dicendi, prima parte, quæstione 23. articulo 5. §. Ad hæc quoniam manifestè. Quo in loco contra Henricum ostendit prædestinationem completam, prout includit etiã completam electionem, præsupponi ad bonum vsum liberi arbitrij. Et super Paulum ad Roman. 9. dicit electionem certam, & absolutam, non tantùm quoad gloriam, sed etiam quoad media, præsupponi nostræ libertati, & idcircò fatetur se nescire componere illa duo inter se. Loquitur autem Caietanus de præsuppositione non in tempore, quia de hac nulla poterat esse dubitatio, cũ electio sit ab æterno, exercitium vero nostræ libertatis incipiat esse in tempore: sed in diuina præuisione quæ etiam est ab æterno. Quem etiam modum dicendi sequitur Driedo, vbi supra, & Soto, ad Romanos 9.

Bellar. secundùm.

SECVNDVM modum dicendi, & explicandi sequutus fuit Bellarminus, libro 2. de gratia, & libero arbitrio, capite 9. 10. & 11. vbi probat electionem ad gloriam non habuisse connexionem vllam cum consensu, & cooperatione liberi arbitrij creati, & difficultates quæ circa hoc versari possunt propter libertatem, quæ debet in electis manere dissoluit, cap. 15. eiusdem libri citati.

RATIONES quibus vtraque sententia præsertim priori modo explicata confirmari solet hoc loco à nobis sunt proponendæ. Et in primis argumenta, quæ ex sacris Litteris adduci possunt, fuerunt à nobis proposita superius, vbi plerisq; testimonijs apertissimis sacra Scriptura vtitur, vt significet electionem hominum ad gloriam quæ facta est pro adultis saluandis non habuisse connexionem cum vsu liberi arbitrij eorum, & eandem Scripturam diuinam intelligendã esse de hac electione efficaci, & absoluta, non solùm per modum intentionis, sed etiam per modum electionis: ac proinde talem electionem non esse cum connexione liberi arbitrij ipsorum. Quæ testimonia tàm ex Paulo, quàm apud Auctores alios diuinos, & Euangelistas nos retulimus cum illationibus, & consequentijs inde deductis, supra §. Quamuis quæ superius dicta sunt. Circa tertiã propositionem seu conclusionem in cuius discursum nunc versamur, & idcircò iterum non sunt repetẽda, sed in eum locũ remitto lectorẽ benevolum. Nunc vero alias adducam rationes contra eam sententiam, quæ dicit factam fuisse electionem saluandorum, ex præuisione meri-

torum: ac proinde cum connexione liberi arbitrij prævogniti à Deo.

Prima ratio ab incõuenienti, quia sequeretur dari causã respectu electionis ad gloriam.

PRIMA ergò ratio est, quia si electio ad gloriam facta est præuisis meritis, seu ex connexione cum bono vsu liberi arbitrij: sequitur, dari ex parte nostra aliquo modo causam, seu rationem, vel per modum meriti vel congruitatis, seu per modum conditionis requisitæ sine qua non, respectu electionis hominum ad gloriam: pro vt habet rationem completè electionis aut prædestinationis. Hoc autem consequens videtur esse contra communem sensum Theologorum & Sanctorum Patrum & præcipuè contra testimonium Pauli, quod nos supra explicuimus loco citato, & contra illud ad Ephesios primo. *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum secundùm propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ suæ, in quo nos sorte vocati sumus prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Quo in loco Paulus totam prædestinationem refert in propositum diuinæ voluntatis. Sed vt nos ostendamus sequelam huius rationis, supponendum est: eo modo quo iuxta oppositam sententiam requiritur consensus noster, vt voluntas dandi gloriam tam quoad intentionem finis, quàm quoad electionem mediorum sit absoluta, & efficax: requiri etiam vt sit prædestinatio: Quia voluntas dandi gloriam & media necessaria ad consequendum eam, si non sit absoluta & efficax, non est prædestinatio, sed solùm est generalis quædam prouidentia circa finem supernaturalem communis tam prædestinatis, quàm reprobis.

Ad Ephes. 1.

Conficitur argum. ad probandam sequelam.

QVO supposito conficio rationem seu argumentum. Hæc voluntas non est ex parte sui obiecti efficax & absoluta, sine respectu ad nostrum consensum: ergò vt præsupponitur consensui nostro in præuisione diuina, est exponenda ad modum electionis conditionalis, hoc pacto: Volo dare huic homini gloriam, & talia media & auxilia quibus eam consequatur, sub hac tamen conditione, quòd ipse benè vtatur gratia mea, & consentiat atque cooperetur meis auxilijs. Ergò vt voluntas sit absoluta & efficax postulat adimpletionem, & conditionem ex parte sui obiecti: nimirum positionem huius conditionis, quæ est libera cooperatio nostra: ergò si eam postulat, apertè sequitur, quòd postulat illam vel tanquam medium, vel tanquam rationem congruentiæ, vel tanquam dispositionem, aut conditionem sine qua non erit absoluta & efficax ex parte sui obiecti. Antecedens supponitur vt certum ex opposita sententia, quia in ea absolutè dicitur & defenditur, illam volitionem non esse efficacem & absolutam sine respectu ad nostrum consensum. Quod intelligi debet non ex parte volitionis ipsius, siue secundùm suam substantiam, siue secundùm aliquem modum pertinentem intrinsecè ad ipsam, quia secũdum vtranq; rationem præsupponitur ad nostrũ consensum sicut causa ad effectum: sed ex parte sui obiecti aut effectus. Et prima consequentia probatur: Nam quòd volitio dandi vel faciendi aliquid non sit efficax & absoluta sine respectu ad aliquid aliud faciendum: non potest intelligi aut cogitari quid aliud sit quàm esse cõditionalem ex parte obiecti: ita quidem vt per eam non sit volitum fieri aut dare tale obiectum, nisi sub aliqua conditione: vt constare poterit in promissionibus & contractibus conditionalibus. Ex his etiam patet secunda consequentia. Nam volitio conditionalis ex parte obiecti non redditur absoluta & efficax, ita vt ex vi sua solùm inducat effectum post quam adimpleta est conditio, vt patet in eodem exemplo. Tertia etiam consequentia probatur quoniã volitio quæ est conditionalis ex parte sui obiecti, vel postulat conditionem tanquam motiuum ad volendum obiectum, siue per modum meriti, siue per modum congruentiæ, vel saltẽ conditionis requisitæ ex libertate volentis ad volendum tale obiectum, ita vt non sit volitum, nisi sub ea conditione tantùm.

Reijcitur solutio, quæ potest adhiberi.

FORTE respondebit aliquis sensum eorum qui dicunt illam diuinam volitionem de qua agimus non esse absolutam & efficacem sine respectu ad nostrum consensum: non esse quod sit conditionalis, sed quod respiciat nostrum consensum tanquam effectũ suum: sed hoc qualiter sit accipiendum argumentis subsequentibus declarabitur. Et præterea licèt dici possit de volitione aliqua, quæ respiciat aliquẽ actum nostrũ in particulari: tamen dici non potest de volitione, quæ vel sit intentio dandi gloriã aut electio dãdi media, per quę homo ordinetur ad gloriam, quia nullus ex his actibus respicit in particulari aliquẽ consensum nostrũ tanquam effectum suum: ergò semper stat nostra sententia.

Secunda ratio.

SECVNDA ratio eorundem auctorum est. Quoniam volitio, qua Deus voluit dare adultis saluandis aliqua media necessaria ad consequendam gloriam, illa quidem fuit absoluta & efficax sine respectu ad cooperationem ipsorum in particulari, etiam vt præuisam à Deo: ergo volitio dandi gloriam quantum ad electionem mediorum fuit absoluta, & efficax sine illo respectu ad eorum vsum, seu cooperationem, seu ad ipsum consensum arbitrij creati: ergò pari modo quantum ad intentionem finis, hoc est, quãtum ad volitionem dandi ipsam gloriam fuit eodem modo absoluta, & efficax. Patet consequentia: Nam vt dicamus non dari ex parte nostra causam prædestinationis quoad eandem electionem, satis est non dari causam quoad aliquos effectus eius, licèt detur quoad alios: nam hoc est satis vt non detur eius causa quoad omnes effectus: ergò pari modo vt dicamus electionem illam fuisse absolutam, & efficacem sine respectu ad cooperationẽ nostram: satis erit quod sine hoc respectu fuerit talis quoad aliquos effectus: Quoniã hoc est satis vt non importauerit hunc respectum

quoad

quoad omnes effectus. Et ex hoc patet secunda consequentia; quia electio mediorum præsupponit intentionem finis, etiam in Deo, saltem ordine rationis.

Antecedēs huius rationis probatur 1. de perseuerantia. Tridentin. Sessio. 6.

ANTECEDENS propositum in discursu huius rationis potest ostendi. Primò ex dono perseuerantiæ, de quo suppono necessarium esse ad gloriæ cōsecutionē in re, ita sane vt nullus sine eo saluetur, vt colligitur ex Tridentino Sessione sexta, in Decreto de iustificatione, quo in loco de huiusmodi dono explicantur verba Matthęi 10. *Qui perseuerauerit vsque in finem saluus erit*: Atque adeò apertè satis dicitur sensum illorum verborum esse, quòd sicut necessarium est ad salutem perseuerare vsque in finem: ita vt nullus eam consequatur nisi perseuerando, sic etiam necessarium est habere donū perseuerantiæ, vt egregiè ostendit sanctus Thomas Prima Secundæ quæstione 109. articu. 10. Vnde Tridentinum Concilium Sessione sexta, canone 22. & in Decreto capite 13. de perseuerantiæ munere decernit, etiam hominem iam iustificatum sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare non posse, & cum eo posse: in quo sane auxilio perseuerantiæ firmissimam spem collocare & reponere omnes debent. Quo suppositio sic argumentor: hoc donum perseuerantiæ gratis & liberaliter nobis datur à Deo sine connexione præuisionis cooperationis nostræ: ergò pari modo illa volitio dandi ipsum fuit absoluta & efficax sine eadem connexione cooperationis vt præuisæ. Probatur consequentia: quoniam eo modo, quo Deus dat sua dona in tempore, decreuit & voluit ab æterno ea dare: quare quod in tempore dat sine respectu ad nostram cooperationem, etiam ab æterno voluit dare sine eodem respectu. Et probatur antecedens: quia donum perseuerantiæ, & illa gratia actualis, quæ dicitur speciale donum in quo firmissimam spem habere debemus, vt dicit Concilium, non habet connexionem cum cooperatione nostra tanquam cum dispositione, neque tanquam cū merito, siue de congruo, siue de condigno, vt nunc suppono ex materia de gratia. Imò verò huiusmodi donum, est etiam actualis præseruatio à lapsu in peccatum mortale vsque in finem vitæ: & continet etiam huiusmodi perseuerantiæ donum multa alia quæ concurrunt ex parte Dei, quæ non habent hanc connexionem, cuiusmodi sunt remotiones occasionum, externæ admonitiones, illuminationes & inspirationes præuenientes vsum liberi arbitrij, custodia Angelorum, specialis protectio Dei, & interdum finis vitæ corporalis iuxta illud Sapiētiæ quarto. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, &c.* Ergò intentum.

Secundo probatur antecedēs ex parte auxilij efficacis.

SECVNDÒ potest ostendi idem antecedēs ex parte auxilij efficacis, vt distinguitur à solo sufficiente, sumpto Theologicè, nō Grāmaticè aut verbaliter, vt diximus supra, disputantes de distinctione, & acceptione horum auxiliorum. De quo auxilio efficaci suppono esse necessarium ad consequendum gloriam. Quoniam ad hoc non satis est posse operari, sed requiritur operari: & quamuis auxilium sufficiens det posse, dat illud inadæquatè in suo ordine: quia non dat operari actu, sed ad hoc requiritur auxilium efficax: Aliàs sequeretur, quòd omnes qui habent auxilium sufficiens, quo possint conuerti in Deum, conuertuntur de facto: quod tamen ex plerisque testimonijs Scripturę sacrę & Sanctorum quæ adduci solent in materia de gratia, cum agitur de distinctione horum auxiliorum, constat esse falsum. Quo suppositio conficio rationem, seu argumētum isto modo: Hoc auxilium efficax non habet connexionem cum nostra libera cooperatione, vt præuisa prius: ergò neque illa prima volitio dandi ipsum. Consequentia patet ex dictis in præcedente argumento: Antecedens autem probatur, quia vel cooperatio, cum qua hoc auxilium habet connexionem, est ipse consensus, ad cuius productionem actualem hoc auxilium datur, vel est alius actus ab eo distinctus: Si dicas primum, sequitur, quòd auxilium non habeat connexionem cum nostra cooperatione, nisi cum effectu inferendo ex ipso quamuis simul duratione: & ex hoc sequitur vlterius, quòd volitio dandi hoc auxilium fuerit absoluta & efficax sine illo respectu iam dicto. Prima sequela patet quia consensus comparatur ad auxilium præcisè vt effectus eius in genere causæ efficientis: & ex consequenti non comparatur vt meritum siue de congruo, siue de condigno, neque vt dispositio propriè sumpta, neque vt conditio necessariò requisita ex parte auxilij, vel vt operatur, vel vt recipiatur in subiecto. Secunda autem consequentia seu sequela probatur: Quoniam causa efficiens, quæ solùm habet connexionem cum suo effectu tanquam cum effectu, inferendo propriam causalitatem non habet connexionem cum eo tanquam ad suum esse ad productionem, sed solùm quantum ad causalitatem, qua ab ea procedit talis effectus: ergò volitio quæ habet pro termino huiusmodi causam quantum ad suū esse, & non quantum ad causalitatem, quæ consequitur ad eam est absoluta & efficax absque illa connexione cum effectu seu antecedenter ad talem connexionem. Si dicas secundùm: contra hoc est, quia vel ille actus est supernaturalis, & sic sequitur quod ad eum requiratur alterum auxilium efficax, & ex consequenti alius actus cum quo huiusmodi auxilium habeat connexionem, & sic dabitur processus in infinitum, aut talis actus est naturalis, & sic cùm auxilium non possit habere connexionem cum hoc actu, nisi vt cum merito, aut dispositione, vel conditione concomitante, sequitur, quòd per vires naturæ possimus habere actum qui aliquo ex his modis concurrat ad auxilium efficax, quod communiter reputatur Pelagianum. Et præterea ex multis conuersionibus peccatorum constat sæpe datum fuisse eis hoc auxilium efficax quo conuer-

terentur, quando nullum habebant bonum motum erga Deum, sed potius in peccatis versabantur.

Aduersariorum solutio.

SED dices in hoc auxilio distingui substantiam ab efficacia, quoniam substantia consistit in entitate physica ipsius auxilij; efficacia verò non est aliud quam habere effectum. Et secundum priorem rationem non distingui ab auxilio sufficiente, neque habere connexionem cum nostra libera cooperatione, tamen secundùm posteriorem distingui, & habere cõnexionem cum nostra cooperatione, quæ non est aliud quàm consensus, qui simul est auxilij sumpti secundùm priorem rationem & arbitrij nostri cooperantis ipsi: & vt est à nostro arbitrio ita cooperante, appellatur cooperatio nostra. Distingui vero auxilium hoc secundùm hanc rationem à sufficiente, patet, quia sufficiens solùm importat virtutem agendi, & non actualem operationem. Et deinde habere connexionem cum nostra cooperatione etiam: quia nisi nostrum arbitrium cooperetur huic auxilio sumpto priori modo, nunquam ipsum auxilium sortietur effectum.

Impugnatur.

HAEC tamen responsio seu solutio, quæ frequens est in hac materia impugnatur à Theologis, & nos eam impugnauimus supra in discursu huius libri, ostendentes, quòd per auxilium efficax non significatur nudè hoc quod est habere effectum, vt aduersarij dicunt. Et argumentor contra eam. Quia vel per habere re ipsa effectum, significatur habere talem virtutem effectiuam, vt venit à Deo, vt ratione huius sequatur ipse effectus infallibiliter: vel tantùm significatur nudè habere effectum. Si dicatur primum, sequitur, quòd auxilium hoc non solùm quoad suam substantiam, sed etiam quoad efficaciam non habeat connexionem illam, de qua est sermo, cum nostra cooperatione: quia illa virtus, in qua hæc efficacia constituitur, est intrinseca substantiæ huius auxilij, imò est ipsa substantia auxilij, atque adeò censendum est de ipsa quantum ad hoc, quòd est habere hanc connexionem sicuti de substantia auxilij. Si verò dicatur secundum, sequuntur multa inconuenientia: nam primo sequitur, quòd homo qui conuertitur discernit se ipsum ab eo, qui non conuertitur, & ex consequenti potest contra ipsum gloriari. Hoc autem est contra Paulum prima Corinthiorum quarto. *Quis enim te discernit? Quid habes quod non accepisti? Quid gloriaris quasi non acceperis.* Vnde Diuus Cyprianus citatus à Diuo Augustino libro primo de prædestinatione Sanctorum in ore verlabat plerumque, *In nullo gloriandum quando nostrum nihil est.* Et sequela probatur, quoniam vt auxilium in homine aliquo habeat effectum conuersionis, & in altero non, vt aduersarij & auctores oppositæ sententiæ contendunt, non est necesse esse inæqualitatem aliquam in auxilio secundùm substantiam suam, sed solùm in operatione arbitrij ipsorum: quia videlicet vnus eorum cooperatur auxilio & alter non: ergò quantum ad hoc discrimen, quod est auxilium habere, & non habere effectum conuersionis, poterit dici, quod is qui cooperatur potest discernere se ab eo qui non operatur, & dicere, quòd sua cooperatione discernitur, & de hoc gloriari aduersus eum, vt dictum est. Secundò sequitur aliud inconueniens, nimirum, quòd electio & prædestinatio secundùm se non habeat certitudinem, & infallibilitatem, sed solùmmodo ratione præscientiæ huius cooperationis, quod videtur contra Paulum ad Romanos nono. *Vt secundum electionem propositum Dei maneret:* vbi permanentia, siue certitudo diuini propositi, aut decreti refertur in diuinam electionem: Et probatur sequela, quia ex vi auxiliorum gratiæ à Deo venientium, & ex decreto ipsius iuxta auctores oppositæ sententiæ, non est certum quod sequitur effectus nisi media præscientia huius cooperationis. Tertio etiam sequitur vnum intollerabile & minimè ferendum, nimirum, quod hoc quod est esse auxilium efficax pendeat ex nostro arbitrio tanquam ex causa illius efficaciæ: ex quo videtur sequi non esse propriè discrimen inter auxilium sufficiens & efficax, quia nostrum liberum arbitrium non potest esse causa per se huius distinctionis, sed Deus qui est causa ipsorum auxiliorum: esset autem liberum arbitrium causa, si quòd auxilium sit efficax pendet ex ipso tanquam ex causa. Et probatur sequela, quia iuxta hanc sententiam esse auxilium efficax, non est aliud apud eos, quàm habere effectum, & hic effectus liberi est arbitrij creati, qui est actus eius.

Roman. 9.

Tertio idē ostenditur antecedens.

TANDEM ostenditur idem antecedens: Quia nemo eligit circunstantias suæ natiuitatis & educationis, aut quòd in tali tempore nascatur à talibus parentibus & in tali regione, aut sub talibus circunstantijs & in tali statu, de quibus suppono esse effectum prædestinationis, atque adeò medium per ipsam ordinatum ad consecutionem gloriæ, vt de morte præmatura superius ostendebatur ex illo Sapientiæ quarto: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius*: & de reliquis probari solet, in materia de prædestinatione. Et hoc suppositio simile fit argumentum cum præcedentibus, quia hæc non habent connexionem cum cooperatione nostra vt dicebamus: Nam nemo eligit circunstantias suæ natiuitatis, aut mortis, & educationis: ergò neque volitio dandi ipsa. Et consequentia patet ex alijs argumentis superius paulò antea deductis.

Tertia præcipua ratio

TERTIA ratio, quæ etiam militat pro hac sententia talis est. Ad consensum liberi arbitrij creati præsupponitur in Deo volitio absoluta & efficax, qua Deus vult ipsum arbitrium habere talem consensum tanquam medium necessarium ad consequendum gloriam: & consequenti volitio dandi gloriam etiam præsupponitur vt absoluta & effi-

1. Corinth. 4.

cax

ficax ad talem consensum : ergò electio hominum ad gloriam tam quoad intentionem finis, quàm quoad electionem mediorum præsupponitur vt absoluta & efficax ad ipsorum consensum. Patet consequētia: quia intentio hæc cōsistit in priori volitione explicata in antecedenti, & electio in posteriori. Et ex hoc patet antecedens quo ad secundam partem : quia si posterior volitio comparatur nostro modo intelligendi ad priorem sicut electio ad intentionem, necesse est quòd nostro modo intelligendi procedat ab ea, & ex consequenti præsupponat eam. *Probatur antecedens quoad 1. partem.* Et quoad primam partem probatur ratione cōmuni ad omnem concursum voluntatis diuinæ cum voluntate creata ad eius actus. Primò quidem quoniam voluntas diuina præbet suum concursum voluntati creatæ ad illum consensum, & non à casu, quia hoc repugnat perfectioni diuinæ prouidentiæ respectu cuius nihil est à casu : neque præbet concursum vt determinata ab intrinseco & ex natura sua sicut concurrunt agentia naturalia ad suos effectus : quia est causa libera: ergò vt determinata nostro modo intelligendi per iudicium quod est conclusio syllogismi practici seu deliberatiui, & includit electionem illius concursus & executionis : nam vt causa aliqua non dicatur agere à casu, neque ex determinatione naturæ, necesse est quòd determinetur ex vi huius iudicij & electionis : Et vlterius cum huiusmodi iudicium non possit poni in alio agente superiori, sicut ponitur in artifice superiori iudicium per quod mouentur artifices inferiores ad agendum : quia respectu Dei nullum est agens superius, neque in arbitrio creato, quia operatur vt subordinatum diuino: sequitur quòd sit ponendum in Deo: & ex hoc sequitur apertè intentum : videlicet quòd ad consensum arbitrij creati præsupponatur in Deo volitio absoluta & efficax, qua Deus vult ipsum arbitrium habere talem consensum, quia electio siue volitio concurrendi quæ includitur in hoc iudicio est absoluta & efficax, sicut in nobis nulla volitio est magis absoluta quàm quæ includitur in simili iudicio, & hæc electio sicut præsupponitur in Deo ad concursum siue influxū actualem, ita etiam præsupponitur ad consensum qui est eius effectus. Et hæc ratio solet proponi sub alia forma hoc pacto: Volūtas diuina præbet suum concursum ad consensum arbitrij creati, non vt agens naturale, neque vt agens à casu: ergo vt agens ex intentione determinatū ad alterā partem qua determinatè vult arbitrium creatum elicere suum consensum: & ex consequenti hæc volitio determinata & absoluta præsupponitur ad consensum arbitrij creati. *Secunda probatio 1. antecedentis.* Secundò probatur sumpto argumento ex parte voluntatis creatæ, quod ita procedit. Voluntas creata antecedenter ad suum consensum est indeterminata in actu secundo, & ita habet indifferentiam ad eliciendum vel nō eliciēdum huiusmodi consensum: ergo vt actum eliciat necesse est quod præcedat aliqua determinatio ad eliciendum: sed hæc determinatio non potest præcedere in ipsa voluntate, quia alias antecedenter ad suum actum esset determinata intrinsecè ad alteram partem, atque adeò non ageret liberè: ergò præcedit in Deo cui voluntas creata subordinatur in agendo, & cum hæc determinatio in Deo non possit esse aliud quā volitio absoluta qua Deus velit voluntatem creatam elicere suum consensum, sequitur quòd in Deo sit huiusmodi volitio absoluta antecedenter ad consensum voluntatis creatæ. Prima consequentia in qua tota vis huius sita est probatur, quia ex causa indifferenti & indeterminata ad vtramque partem respectu exercitij nulla est ratio cur potius sequatur quam non sequatur exercitium: ergò vt sequatur necesse est vt præcedat aliqua determinatio eius : aliàs aut nullo modo sequeretur, aut sequeretur omninò à casu. Et non videtur sufficiens solutio illa quæ dicit voluntatem creatam quæ est libera in agendo non agere determinatione aliqua antecedente suum actum, sed ipsam se determinare efficienter per vim quam habet actiuam, & formaliter per suum actum. Nam contra hoc est quod superius dicitur requiri determinationem aliquam ipsius voluntatis quatenus est principium sui actus : ne aut nullo modo sequatur actus, aut sequatur à casu.

Solutio. Dices sufficere determinationem iudicij practici vt sequatur actus, & vt non sequatur à casu. *Replica.* Sed contra hoc est quia idem argumentum fieri potest de hoc iudicio, nam vel est determinatum vt sequatur actus voluntatis, & sic sequitur voluntatem nō liberè sed cū determinatione ad vnum elicere talem actum. Vel est indeterminatum & indifferens vt sequatur & non sequatur: & sic potest obijci quod vel non sequetur vel sequetur à casu. Rursus potest proponi difficultas de causa à qua intellectus determinetur ad habendum tale iudicium potius quam oppositum, in casu in quo tam ex parte specierum quàm ex parte phantasmatum esset æquè indifferens ad vtrumque. Et si dicatur determinari in tali casu à Deo, potest obijci quòd ex hoc sequatur apertè intentum : videlicet Deum antecedenter ad consensum arbitrij creati habere volitionem absolutam qua vult intellectum creatum habere tale iudicium & consequenter habere voluntatem & consensum ei conformem.

Et quoniam multa hic implicantur de iudicio intellectus practici, & quatenus est conclusio syllogismi deliberatiui, aduerte quòd species quæ vicem habent obiecti in intellectu, & phātasmata etiam præcedentia species ipsas nullam de se habent indeterminationem ad repręsentationem obiecti, sed illud determinatè repręsentant, & ad illud mouent: iudicium autem quod concluditur in syllogismo deliberatiuo determinatum est in se ipso, respectu rei de qua iudicat, quia fieri non potest vt sit iudicium alicuius & non sit determinatum respectu eius de quo iudicat : cæterùm est iudicium liberum,

quia

quia eius determinatio talis est, vt nō necessitet,neq; determinet determinatione necessaria ad vnū,sicut fit per iudiciū à natura infixū, & idcircò in se tale est vt solū determinatione libera moueat, & inclinet voluntatē: & pari modo intellectus manet indifferens ad hoc,vt volūtas possit applicare ipsum ad oppositum, & ita repellere iudiciū illud. Vnde actus volūtatis qui sequitur hāc determinationē iudicij practici nū quā sequetur à casu,sequetur tamē semper liberè, & nihilominus ex iudicio determinato, sed non infixo vt dictum est. Sed de hac re aliàs.

RVRSVS etiā ostenditur idē antecedens tertię rationis,desumpto argumēto ex parte ipsius cōsensus aut cuiuscunq; alterius actus volūtatis creatæ. Et cōficio hunc discursum:Cōsensus siuè actus volūtatis non tantū habet determinationē quoad exercitiū in quantū est exercitiū operātis,& nō cessantis ab opere, & quoad specificationē in quantum est huius speciei potius quā alterius,vt.v.g.amoris potius quā odij: sed etiā quoad indiuiduationē in quantū ex plurib⁹ actibus numero distinctis, qui possunt reperiri intra latitudinē illius speciei.v.g. amoris est talis actus in indiuiduo potius quā alius: ergò habet causam per se harū determinationū: sed volūtas creata nō est causa saltē determinans quoad indiuiduationē:ergò volūtas diuina dicitur esse eius causa absq;illo respectu de quo fit sermo: ergò quoad hunc cōsensum præsupponitur in Deo volitio absoluta & efficax,qua vult volūtatē creatam elicere talem actū in indiuiduo potius,quā aliud singulare. Quæ omnia facile ostendi possunt. Et pro explicatione antecedētis & terminorū ei⁹ aduertere oportet,quòd determinatio in aliquo actu opponitur indeterminationi,&indifferentiæ iuxta genus & modū determinationis,& excludit eā formaliter.Et ideò tot modos determinationis dicimus esse in actu quot dicūtur esse modi indeterminationis & indifferētiæ qui præcesserint ipsum actū. Præsupponitur autem antecedenter ad actū voluntatis triplex indeterminatio, & indifferentia respectu ipsius:Prima ad exercitiū in communi:quia volūtas est indifferens ad operandū, & non operandū. Secunda ad specificationē actus,quia supposito quòd voluntas velit elicere & eligat operari,est indifferens ad exercitiū actus diuersarū specierū.v.g.amoris & odij. Tertia ad indiuiduationē actus:quia supposito, quòd volūtas velit elicere actū amoris est indifferens ad eliciendos plures actus numero distinctos, qui possunt ab ipsa procedere intra speciē amoris.Et ita sequitur actū cum producitur habere tres modos determinationis,quibus tres istæ indeterminationes excludātur formaliter,videlicèt quoad exercitiū,& quoad specificationem, & quoad indiuiduationē,& hoc est q̄ in illo antecedēte significatur. Prima cōsequētia, quæ deducitur ex illo antecedēte,probatur,quia sicut datur causa efficax illarū triū determinationū,itadebet dari causa per se:nō enim datur aliquis effect⁹ causę efficientis,qui nō habeat in hoc genere causæ aliquā causam per se aut proximā,aut superiorē. Deinde illa minor propositio, quæ subsequitur post hāc cōsequentiā probatur,quia volūtas neq; ratione sui,neq;ratione iudicij intellectus cui subordinatur habet aliquid ratione cui⁹ determinetur ad hūc actū amoris in indiuiduo, potius quā ad aliud numero distinctū,quē sub eadem specie producere posset:ergò volūtas hęc creatanō est per se causa determinationis quoad indiuiduationē,quā habet actus eius. Antecedens huius probationis patet,quoniā voluntas ipsa secundū se, & secundū suam virtutem actiuā æqualiter respicit omnia indiuidua,quæ possunt reperiri sub specie actus amoris:& in iudicio intellectus nihil dictatur, aut proponitur de indiuiduatione actus,quia neq; cognoscitur aliquo modo aliqua determinata indiuiduatio. Et cōsequentia probatur: quoniā causa per se alicuius effectus appellatur,quæ ratione propriæ actiuitatis postulat produci ipsum effectū: & voluntas non potest postulare ita produci prædictā indiuiduationē,nisi secundum propriā virtutem cui subordinatur in agendo. Potestq; hoc cōfirmari: quoniā in agentibus liberis cuiusmodi est voluntas respectu huius consensus,de quo est sermo noster, non reperitur causalitas per se,nisi operētur ex cognitione. Et ex hoc patet secūda cōsequentia,quæ deducitur ex illa minori, quia si hęc determinatio quoad indiuiduationē habet aliquā causam efficientē per se: & talis natura nō est volūtas creata,bene sequitur quòd sit volūtas diuina. Quod vero volūtas diuina sit causa antecedēter ad respectū volumatis creatę ostendi potest: quia nihil est aut in volūtate creata,aut in iudicio intellectus quoad eius causalitatē,nec præsupponitur,quod postulet Deū cōcurrere ad hunc actū numero potius quam ad alū.Et ex hoc patet vltima cōsequentia,quę ex altera præcedente deducitur: quia volūtas diuina non potest esse causa huius determinationis actus creati,nisi volendo quòd voluntas creata eliciat talē actū in indiuiduo. Et ad probandum quod hæc prædefinitio volūtatis diumę sit causa per se huius determinationis in actibus volūtis creatæ,possunt adduci argumēta quibus nos vsi sumus in disputatione de libero arbitrio. Et nihilominus ibi diximus,quòd voluntas cōstituta in actu primo hic & nūc est indiuiduū quoddam liberū intrinsecè indiuiduatum per talem formam, quam in se recepit, quæ est illi ratio agendi subordinata Deo, & sub his circunstantijs,ac proinde non esse improbabile, quòd voluntas creata sit causa per se secunda quoad indiuiduationem huius actus singularis quem ex sua determinatione elicit hic, & nunc. Et hæc dicta sint de hac tertia ratione,in qua multa difficilia continentur, quæ examinatione indigebant, sed modo nō vacat locus ad ea discutiēda.

QVARTA ratio est:q̄ Cælestinus Papa cū ad ipsum delata esset querimonia à D. Prospero, & D.Hilario,q̄ in Gallia quidam presbyteri doctrinā Augustini reprehenderent dicentis, Dei decretum & constitutionem, humanas anteire,

Notādum pro explicatione terminorum.

Ad actū voluntatis triplex indifferentia præsupponitur

Causa per se alicuius effectus appellatur quæ ratione propriæ actiuitatis postulat produci talem effectum.

Quarta ratio pro eadē parte adducitur ex Cælestino.

prævenire voluntates, scripsit epistolã ad Episcopos Galliæ approbando doctrinam, & libros Augustini de prædestinatione. Quod verò D. August. senserit Deum ante omnem præscientiam liberi arbitrij creati, & nulla habita ratione talis vsus, habuisse actum absolutum, & efficacem, quo voluit dare certis hominibus gloriã, & media atq; dona, quibus efficaciter, & infallibiliter eã consequantur, in quo actu continetur tã intẽtio finis quã electio mediorũ, probatur: quoniã Augustinus docet duas esse vocationes: vnam ex qua semper, & infallibiliter sequitur effectus; & alteram ex qua non sequitur infallibiliter. Et priorem dicit esse vocationem secundum propositum, altam, & secretam, sine pœnitentia: & hanc dicit esse propriam electorum. Posteriorem verò appellat tantùm vocationem, & dicit esse communem etiam reprobis. Hanc distinctionem vocationis tradit D. August. lib. 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 8. & cap. 16. vsque ad 19. & lib. 2. de dono perseuerantiæ cap. 9. & 13. & lib. 1. retract. cap. 23, & epistola. 107. & libr. cuius titulus est Expositio quarundam propositionum ex Epistola ad Rom. propositione. 55. tom. 4.

Cõficitur ratio ex præsuppositis.

QVIBVS ita constitutis formo rationẽ pro sententia proposita. Vocatio illa secũdùm propositum, quæ est sine pœnitentia talis est iuxta sententiã D. August. vt ex ea semper & infallibiliter sequatur effectus: vocatio autem posterior talis non est: ergo vocatio prior secundùm propositum quæ efficax est, & sine pœnitẽtia, antecedenter ad cooperationem arbitrij creati, habet virtutem ad inducendum infallibiliter effectũ, & vocatio posterior nõ habet hanc virtutem: ergò etiam electio ex qua procedit prior vocatio est absoluta, & efficax antecedenter ad cooperationis præscientiam arbitrij creati. Prima consequentia patet, quia aliàs nulla esset differentia inter vtranq; vocationem. Ex hoc etiã constat secunda consequentia; quia eundem ordinem quem habet vocatio Dei cũ nostra cooperatione vt est à parte rei, habet etiã volitio quæ est causa ipsius vocationis cũ eadem cooperatione vt est prẽsens in præscientia Dei. Rursus sæpe sæpius August. docet Deum nos elegisse, non quia præuiderit aut præscierit futuros esse sanctos, sed quia facturus nos erat Sanctos. Ita docet D. August. de prædest. Sanctorũ cap. 17. 18. & 19. & cap. 14. vbi dicit pertinere ad errorem Pelagianorum affirmare Deum elegisse, & prædestinasse eos quos futuros esse Sanctos sua præscientia cognouit. Ex quo plane sequitur iuxta D. Augustinũ Deũ in omnium electione nõhabuisse rationẽ cooperationis ipsorũ vt præcognitæ per suam præscientiam, sed antecedenter ad eã elegisse aliquos futuros Sanctos. Tandẽ D: Augu. sæpissimè interrogat. Vnde proueniat, quòd aliqui ita vocẽtur vt sequãtur Deũ vocantem, & quod post quã fuerunt vocati non recedant ab ipso, sed permaneant in gratia vsq; ad finẽ vitæ: alij verò vel non ita vocentur, vel si vocati conuertuntur in Deum, nõ perseuerent in gratia vsq; ad finẽ vitæ? & semper respondet Augustinus recurrendũ esse ad occulta Dei iudicia, & ad electionẽ Dei, ex quibus prouenit, vt ex hominibus damnatione dignis saltẽ propter originale, vocaret ex sua misericordia quosdã vocatione alta, & secreta, aut secundũ propositũ: &c. ita vt alij iusto Dei iudicio relinquantur sine his beneficijs. Et hoc modo respõdet D. Augu. lib. de dono perseuerantiæ per multa capita. Vnde cũ D. Augu. proposuisset quæstionẽ similem huic, videlicet, Cur Christus post tã longa tẽpora venerit? in solutione illius posuit hæc verba: *Quòd his tẽporibus & his locis, in quibus euangeliũ Dei non est prædicatũ, tales homines in eius prædicatione futuros esse præsciebat, quales non quidẽ omnes, sed tamẽ multi in eius corporali præsentia fuerũt, qui in eũ nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerũt.* Et paulò inferius. *Quid ergo mirũ si tã infidelibus plenum orbẽ terrarũ Christus prioribus seculis nouerat: vt eis apparere vel prædicare merito nollet, quas nec verbis nec miraculis suis creditouros esse præsciebat.* Et cũ Augustinus hæc dixisset, statim atq; proposuit hęc verba: rationẽ hanc docet insufficiẽtẽ esse: quia non potest reddi æqualis in omnibus similibus quæstionibus. Imò verò dicit August. respõsionem illã dedisse tẽpori, non rei; quia pro tunc, sine præiudicio latentis cõsilij Dei id sufficere videbatur cõuincẽdę Paganorũ infidelitati, Vt si quis interroget, Cur in Tyro, & Sidone nõ fuerint factæ virtutes, quæ factę sunt in Corozain & Bethsaida? nõ potest responderi rationẽ esse quod Deus præsciuerit Tyros, & Sidones, etiã factis apud eos illis virtutibus non esse credituros: cũ Christus dixerit facturos esse pœnitentiã in cinere & cilicio. Vnde cõcludit recurrendũ esse in his quæstionibus ad iudicia diuina, & ad mysteriũ prædestinationis: & debere in omnibus responderi sicut supra ex ipso retulimus. Lege Augustinũ li. de bono perseuerantię c. 9. & deinceps, & de prędestinat. Sanct. ca. etiã. 9.

D. Augus.

Dedit D. August. responsionem hãc tẽpori.

EX qua solutione, & doctrina apertè colligitur Augustinũ sensisse Deũ antecedẽter ad præscientiã vsus arbitrij creati decreuisse dare quibusdã hominibus illam vocationẽ altam, & secretam secundũ propositũ, & reliqua media. & alios sine eis relinquere. Quoniã alias ex discrimine in vsu proprij arbitrij posset reddi ratio ad dissoluendas quæstiones illas, cum tamen D. Augustinus recurrat ad Dei voluntatem & electionem, &c.

Antecedenter ad præscientiã vsus arbitrij creati decreuit Deus dare quibusdã vocationẽ secundũ propositum.

HOC potest vlterius cõfirmari ex D. Thoma, qui fuit maximus discipulus & sectator D. Austini. Et ipse sequitur hanc sententiã & dicit eã esse Augustini. Nã certè Sanctissimus Præceptor. 1. p. q. 23. a. 4. in corpor. docet in Deo ad prędestinationẽ sumptã pro actu, qui habet rationem præcepti ordinatiui aliquorum in finem, præsupponi electionem, & ad hanc præsupponi dilectionem, quæ est actus, quo Deus eis vult bonũ salutis æternę. Ex quo etiã apertè sequitur iuxta sententiam D. Thomæ ad præscientiam vsus liberi arbitrij, quæ est posterior

D. Thom. maximꝰ D Aug. discipulus.

secun-

secundùm rationem quàm illud præceptum, præsupponi intentionem & electionem hominum saluandorum. Et ar. 5. sequenti ad tertium dicit Deum vt manifestaret bonitatem suã per modum misericordiæ voluisse prædestinare aliquos homines, & vt eandem bonitatem manifestaret per modum iustitiæ voluisse alios reprobare: Sed volitio qua Deus voluit manifestare suas perfectiones in hoc vniuerso, & in partibus eius vt in hominibus, præsupponitur secundũ nostrum modum intelligendi ad præscientiam vsus liberi arbitrij ipsorum hominum: ergò etiam prædestinatio, & reprobatio. Rursus colligitur apertius D. Thomam fuisse in hac sententia ex duobus exemplis quibus ad hoc explicandum vtitur: quorum primum sumiter ex artifice qui ex eadem massa, & materia confi cit quædam vasa in honorem, & alia in contumeliam. Alterum exemplum sumitur ex Deo, qui in prima rerum constitutione ex eadem materia vnam partem posuit sub nobiliori forma, & aliam sub ignobiliori: quoniam in vtroque casu quantum ad discrimen illud non est habita ratio alicuius conditionis tenentis se ex parte materiæ, sed simpliciter, & omninò est factum pro voluntate agentis: ergò similiter Deus non habita ratione consensus, aut boni vsus arbitrij creati ex parte ipsius arbitrij, quosdam homines elegit ad gloriam, & alios non elegit. Et eodem loco docet D. Thom. Augustinum fuisse in eadem sententia super Ioannẽ dicens, *Quere hunc trahat, & illum non trahat noli iudicare.*

Quinta principalis ratio.

QVINTA ratio procedit, suppositò quòd in electione hominum ad gloriã distinguatur secundũ rationem nostram intentio dandi gloriã & electio mediorum per quæ gloria est obtinẽda. Nam hoc modo necesse est dicere intentionẽ fuisse absolutam, & efficacem antecedenter ad cõsensum liberi arbitrij creati, etiã vt præuisum à Deo: ergò etiã necesse est dicere electionem mediorũ fuisse absolutam & efficacẽ antecedenter ad eundẽ consensum, & vlterius: ergò electio ad gloriã fuit absoluta, & efficax tã per modum intẽtionis, quàm per modũ electionis sine respectu ad prædictum consensum. Probatur antecedens: quia gloria, & bonꝰ vsus liberi arbitrij creati seu consensus, cõparantur inter se sicut mediũ, & finis: Cum in adultis merita quæ includunt intrinsecè secundũ suam substantiam hunc cõsensum sint media necessaria ad consequendũ gloriam: ergò volitio dandi gloriã, quæ habet rationẽ intentionis fuit absoluta, & efficax antecedẽter secundũ nostrum modũ intelligendi in Deo ad voluntatẽ huius consensus, quę habet rationẽ electionis, quia eo modo quo distinguuntur intentio, & electio habent ordinẽ inter se, cum intentio sit ratio electionis, & volitio finis sit ratio volendi media. Ex quo etiã sequitur, quòd fuerit illa volitio gloriæ absoluta, & efficax antecedenter nostro modo intelligendi ad ipsum cõsensum vt præuisum à Deo: Quia consensus etiã in diuina præuisione præsupponit suas causas, inter quas vna, & prima est volitio Dei. Et prima consequentia probatur: quia intentio cõtinet virtualiter, & radicaliter electionẽ videlicèt tanquã causa vt in creaturis, vel tanquam ratio à priori secundũ nostrũ modum intelligendi vt in Deo: ergo eo modo quo intentio fuerit absoluta, & efficax, erit etiam electio absoluta, & efficax. Quare si intentio est absoluta antecedenter ad cõnexionem cum vsu liberi arbitrij creati, pari modo etiam electio erit absoluta antecedenter ad hanc connexionẽ. Vnde patet ex his secunda consequẽtia: quia si electio hominum ad gloriam fuit absoluta vtroq; modo & efficax antecedenter ad eorum cõsensum, bene sequitur quòd fuerit eisdem modis absoluta antecedenter ad eundem cõsensum, & sine respectu ad ipsum, seu ad connexionem cum ipso.

Intentio dã di gloriam, & electio mediorũ distinguũtur secundũ rationem.

Intentio cõtinet virtualiter electionem.

POSTREMA ratio est quã adducit, & aprobat Bellarminus lib. 2. de gratia, & libero arbi. cap. 15. tom. 3. vbi dicit oppositam sententiam repugnare rationi: Nã media vt media sunt non possunt appeti nisi propter finẽ: ergò non potuit Deus velle dare certis hominibus media infallibilia ad gloriam, & salutem, nisi prius dare vellet ijsdem hominibus ipsam salutem. Plura etiam alia fundamẽta & argumenta adduci poterant pro hac re, ea tamen nos adducemus non omnia, sed fortiora conclusione sequenti occasione oblata huius electionis efficacis factæ à Deo in quem locum remitto lectorem.

Vltima ratio quã adducit Bellarminus.

Quarta propositio.

Propositio. 4. Electio ante præuisa merita non repugnat libertati.

DICO quarto. Electio saluandorũ facta à Deo ante præuisa merita non repugnat libertati, neq; lædit eam. Hæc assertio supponit prædefinitionẽ, & decretum diuinum non repugnare libertati, de qua controuersia nos egimus supra Sectione tertia præcedente: vbi diximus Deũ posse actus liberos prædefinire, & quòd perfecta prouidentia Dei postulat eosdem actus bonos, præsertim supernaturales decernere & prędefinire. Nam sine dubio qui efficaciter intẽdit finem, eligit & determinat media per quę vult & statuit illum finẽ comparare: & ita prædefinit illa: maximè si talia sint, quæ & in eius voluntatem cadere possint, & ex ipsius speciali cura & prouidẽtia sint efficiẽda: & id inuenitur in prędestinatis, quos Deus elegit ad gloriã, & etiã vt diuitias misericordiæ suę manifestaret in eis.

PRO huius assertionis exacta cognitione semper suppono valde rationabile esse Deũ prædefiniuisse omnes actus supernaturales etiã liberos, quorũ quidã præordinati sunt à Deo ad cõmune bonũ ecclesiæ, tanquã media ad humani generis remedium: talis fuit cõsensus B. Mariæ Virginis ad cõceptionẽ Filij Dei. Et in hoc eodẽ ordine possumus cõstituere omnes actus liberos, & meritorios Christi, & actũ obedientię, quem habuit respectu præcepti, quod habuit à Patre: Alij verò sunt actus liberi qui ordinantur ad speciale præmium prędestinati, & hi actus sunt media per quę ad finem prædestinationis

dirigitur ille qui saluatur. Alij tandē sunt actus ordinati ad iustitiam vel bonum alicuius priuatæ personæ, quales reperiuntur communiter inter particulares homines etiam præscitos.

Si fiat sermo de actibus meritorijs Christi, & de consensu Virginis sanctissimæ, & de alijs actibus ordinatis ad humani generis remedium, & ad bonum Ecclesię, sanè isti actus sunt à Deo prædefiniti non in confuso, sed in particulari, & cum omnibus circunstantijs. Est enim incredibile de actibus voluntatis Christi Domini, quibus nostram salutē voluit peragere, & quibus pro nobis mortem acceptauit ex præcepto Patris, quòd Deus non decreuerit, & prædefinierit hæc omnia: non enim alio modo, aut alio tēpore id voluit Christus, quā sicut Patrē dispositisse, & voluisse intellexit: id enim ipse affirmat Ioa. 5. dicens. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Et ad Hebræos. 10. *Ecce venio, vt faciam, Deus, voluntatem tuam.* Idem argumentum fieri potest de consensu B. Virginis, & de tempore incarnationis Filij Dei, iuxta illud Pauli ad Galatas. 4. *Postquam venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum.* Simile argumentum fieri potest de prędicatione Pauli, & Apostolorum, quæ mandata fuit executioni per actus liberos, & supernaturales: De qua dubitari non potest, quin singulari Dei decreto facta fuerit certis tēporibus & locis. Dicere verò Deum hæc omnia dispositisse in cōfuso tantùm, & in vniuersali, particulares autem circunstantias minimè præordinauisse voluntate sua, sed solum præuidisse eas per voluntates hominum determinandas, id mihi non probatur, quia est valdè alienum, non solùm à perfectione diuinæ prouidentiæ, sed etiam à modo loquēdi Scripturæ, inquo loquitur de huiusmodi consilijs diuinis. Vnde Leo PP. sermone. 7. de Passione Domini inquit. *Neque vlla poterat ratione turbari, quod ante æterna secula, & misericorditer erat dispositū, & incōmutabiliter præfinitū* Ecce quo pacto actus isti liberi sunt prædefiniti sine libertatis læsione. Cur ergò electio ante præuisa merita repugnat libertati?

Ioann. 5. Ad Hebræ. 10. Ad Galatas. 4. Leo. PP.

Rvrsvs si fiat sermo de actib⁹ bonis supernaturalibus, quibus saluandi seu prædestinati liberè suam salutē consequuntur, similiter sentiēdum est Deū prędefiniuisse hos actus liberos in indiuiduo, & in particulari, & cū omnibus circūstantijs, non obstante libertate eorum: quod Paulus ad Ephe. 2. apertè dicit illis verbis. *Creati in operibus bonis; quæ præparauit Deus, vt in eis ambulemus.* Quocirca si Deus homini prędestinato præparauit auxilium efficax seu cōgruū vt credat, & conuertatur aut perseueret, id circò est quoniā efficaciter decreuit illi dare fidē, pœnitentiam, & perseuerantiā, nam applicatio medij accommodata debet esse intentioni finis: & è conuerso, ex modo applicandi media apertè colligimus qualis fuerit intētio finis. Hoc apertè docuit D. Augustinus lib. de prædestinatione Sanct. cap. 17. dicens. *Intelligamus ergo vocationem qua fiunt electi, non qui eliguntur quia credi derunt, sed qui eliguntur vt credant.* Igitur non tātum eliguntur ad altam, & reconditā vocationem secundū propositum; sed ad ipsam fidem, & alia media: Electio vero prædefinitionē dicit & ob id Augustinus dicit esse quādam vocationem qua fiunt electi. Ex his igitur plane deducitur Deū prædefiniuisse opera omnia supernaturalia etiā libera, quæ sunt media vt electi consequantur gloriam ad quam sunt electi: non solū quia nō est maior ratio de vno opere, quàm de alio, sed etiam quia ad omnia, & singula illa opera dantur de facto à Deo auxilia efficacia seu cō grua, vt per ea prædestinatus ipse operetur. Sane huiusmodi media, & opera cum sint obiecta bona, & eligibilia, quia sunt bona honesta, & supernaturalia, ex hac parte nihil repugnat, quòd Deus illa absolutè velit, eligat, & amet, tanquā media consentanea ad finē supernaturalem hominis, ac proinde non simplici affectu sed absoluto, & efficaci Deus decreuit hæc bona prædestinatis, & saluandis: de quo D. Aug. dixit. *Volēti Deo saluū facere nullū hominū resistit arbitrium.*

Dicendum est etiā act⁹ supernaturales bonos à Deo prædefinitos esse.

D. Augustinus

Itaqve in huiusmodi decreto diuino, seu consilio & præordinatione Dei nō debemus cū aduersarijs excogitare confusam aliquā præordinationē mediorum seu meritorū prædestinati in communi, vel abstrahendo à speciebus vel ab indiuiduis actibus, vel à circunstantijs actionū. Nam hæc vt diximus aliena sunt à perfectione prouidentiæ diuinæ, præsertim ab illa, quā cum prædestinatis obseruat, quos sicut singulariter elegit, & dilexit ita non in cōfuso, sed in particulari, & specialissima cura illis prouidet: quod perpendit egregiè D. Augustinus illis duobus libris de prædestinatione Sanctorū, & de dono perseuerantiæ, & vbicunq; loquitur de hac re. Et nō ob id dicit lædi libertatem saluandorum, & prędestinatorum: Sed semper illam confitetur, licèt rei difficultatem agnoscat.

Non est cō stituēda in diuino decreto confusa præordinatio mediorum.

Rvrsvs etiam si homo liber sit; quis dicet Deū hoc vel illo modo vocare hominē, vt eum ad se trahat, & nescire an per talē vocationē sit cōsensurus nec ne? Et idcircò Deū incedere quasi tentando, vt si nunc nō consenserit homo, iterū vocet illum, vel alio modo, quod multi ex aduersarijs videntur dicere, vt liberū seruetur arbitriū. Cum tamē non expediat ita loqui, & affirmare: nā hic modus prouidēdi, & agendi est imperfectus valdè, imò si quis rectè perpendat est insufficiens ad efficaciā & infallibilitatem, quā diuina prouidentia postulat in medijs quorum ordinatio prouenit ex absoluta & efficaci intētione finis: Quoniā hęc intentio tā est infallibilis, vt ea posita repugnet nōperuenire ad finis cō secutionem. Illa vero cōfusa prouidentia si nō aliunde haberet certitudinē, quā ex multitudine, & vicissitudine aliquorū auxiliorū, seu multorū, potius haberet magnā contingentiā, & non tantam infallibilitatem, neque implicaret aut repugnaret illa omnia auxilia cassa reddi, ex sola voluntatis libertate, Ergo suppositā prædicta intentione dandi gloriam, & coronam prædestinato, necesse est dicere Deum præ-

ordi-

ordinauisse, non in confuso, sed in particulari creata aliqua media, quibus infallibiliter prorsus illa Dei intentio, & electio posit ad exitum perduci. Talis fuit illa vocatio Pauli vt Chrysostomus dixit, & Augustinus etiã, locis citatis; qui tamen non ob id suspicati sunt aut tolli aut lædi libertatem ex tali decreto, & prædestinatione Dei: ergó neq; electio ante præuisa merita repugnat libertati.

Nostrã sententiam omninò impossibilem putant aduersarij.

AVCTORES oppositæ sententiæ, qui putant electionẽ saluandorũ, & prædestinatorum factã esse ex præuisis meritis, ne lædatur libertas arbitrij nostri, ita adhærent suæ sentẽtiæ, vt dicant alium modũ electionis impossibilẽ Deo fuisse, & repugnare libertati: quæ quidẽ sententia mihi nõ probatur, quia sentio huiusmodi electionẽ ante præuisa merita neq; esse impossibilem Deo, neq; lędere vllo pacto libertatẽ arbitrij creati. Nã certè in hac electione ad gloriam multo minor est difficultas, quã in prædefinitione actus liberi in particulari, quoniã gloria in se nõ est actus liber: & quãuis per actus liberos sit assequẽda, nihilominus prędefinitio eius ratione distinguitur à prædefinitione mediorũ seu actuũ in particulari, per quos est cõparanda. Vnde nõ defuerunt qui dicerent vnã prędefinitionẽ esse sine alia. Rursus etiã nõ est credibile, imò verò non est cõforme Sacris Literis: Deum nunquã prædefiniuisse absoluta voluntate effectũ exequẽdum per actus liberos: quod aperte deducitur ex sentẽtia aduersariorũ. Quia si Deus non potuit eligere ad gloriã prædestinatos, nisi prius ex præuisis meritis, quia per liberas actiones sunt illã consecuturi: ergò pari ratione nõ potuit efficaci voluntate præordinare effectũ vllum executioni tradendũ per liberã actionem: ergò nõ potuit efficaciter eligere Beatũ Ioseph, vt esset Sponsus suæ Sacratissimæ Matris, cũ consensus vtriusq; fuerit liber in desponsatione: & pari modo sequitur, quòd nõ potuit Deus efficaciter eligere Beatissimã Mariã vt esset Mater Dei, ante præscientiã absolutam liberi cõsensus eius futuri, quia nõ nisi per illum cõsensum debebat obtinere dignitatẽ Matris. Hoc autẽ contra rationem est, & cõtra modũ loquendi Sanctorũ, & Ecclesiæ: quia ad consensum illum præstandũ præuenta fuit Sanctissima Maria excellentissima & efficacissima gratia, & vocatione: quę idcircò data est illi, quia in Matrẽ Dei erat electa: igitur hæc electio antecessit præscientiã illius consensus liberi, & fuit origo & radix gratiæ à qua ille cõsensus natus est. Eadẽ ratio formari potest de electione Apostolorũ ad apostolatũ; quia etiã illi in executione, medio cõsensu libero consecuti sunt illam dignitatẽ. De quibus nihilominus Christus dixit, *Nõ vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Ioan. 15. Nam certè quãuis re vera ipsi elegerint sequi Christũ, cæterum quia electio Dei antecessit, & fuit origo vocationis, & gratiæ, per quã ipsi elegerunt Christũ, idcircò iure Christus sibi attribuit electionẽ illam, vt Augustinus egregiè animaduertit de gratia, & libero arbitrio capit. 17. Sane negari nõ potest in his exẽplis & similibus quin illa gratia, & vocatio specialis, quæ datur ad talẽ liberũ consensum, procedat ex absoluta volũtate Dei intẽdentis talẽ finẽ, verbi gratia, B. Virginẽ habere cõsensum incarnationis Filij Dei, vel cõsensum desponsationis suæ cum Ioseph. Vnde Isaię c. 14. legimus: *Iurauit Dominus exercituũ dicens: Si non putaui ita erit, & quomodo mẽte tractaui ita eueniet.* Et statim: *Dominus enim exercituum decreuit, & quis poterit infirmare.* Huiusmodi autẽ decretũ vt de se cõstat antecedit præscięntiã effectus sic decreti. Et hoc maximè videtur pertinere ad omnipotẽtiã Dei, & ad sapientiã, & prouidentiã eius infinitã, vt posit perfectè, & sicut ipse voluerit disponere, & ordinare effectus futuros per actiones liberas.

Isaiæ. 14.

HOC apertissimè affirmauit, & sensit D. Augustinus in Enchir. cap. 95. dicens. *Quis tã impie desipiat, vt malas hominum volũtates neget Deũ posse conuertere, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit?* Quo in loco Augustinus euidẽtissimè loquitur de volũtate efficaci, & absoluta quæ habet infallibiliter effectũ; quæ non potest esse cõsequens ad præscientiã absolutã futuri euentus & effectus: cũ de mente Augustini ipsa Dei efficax & absoluta volũtas, sit prima radix, & causa futuritionis eius. Itẽ etiam extat apertissimũ testimoniũ Augustini pro re de qua agimus, de correptione, & grat. cap. 14. vbi Augustinus sic ait. *Deo volenti saluũ facere nullum hominũ resistit arbitriũ, sic enim velle vel nolle in volẽtis est potestate, vt diuinã voluntatem nõ impediat, nec superet potestatẽ.* Et statim. *De ipsis enim hominũ voluntatibus facit quod vult & quando vult, habens humanorum cordiũ quo voluerit inclinandorũ omnipotentissimam potestatẽ.* En quo pacto exaggerat Augustinus potestatẽ Dei circa liberũ arbitrium creatũ, libertate eius manente. Nam si repelleretur libertas volũtatis creatæ, nõ esset adeò mirabile quod Augustinus exaggerat. Huic rei fauẽt verba D. Ambrosij superius citata. *Deus quẽ vult religiosum facit.*

D. Augustinus.

DICES volũtatem illam, qua quoadã elegit Deus ad gloriã, aliquomodo antecedere prędęscięntiã absolutam meritorũ: cæterũ illam non esse voluntatem prædefinitiuã gloriæ, aut salutis in se seu formaliter: sed tantũ in alio, hoc est virtualiter, nimirũ in vocatione efficaci seu congrua. Itaq; quia Deus vult hominẽ dare vocationem illam ad fidẽ, virtualiter vult dare fidem, & idẽ est proportionabiliter de Charitate, Gratia, & Gloria, sed profectò hoc nõ est satis conforme rationi, aut D. Augustino. Nam Augustinus expressè ponit electionẽ ad regnũ cælorum esse volũtatem efficacem saluandi, & electionem vt credant. Et ex his conficio rationem: Nam certè volũtas finis, præsertim in eo qui operatur perfectè, nõ est virtualis, sed expressa, & formalis; ergò glorificatio, quæ est finis vocationis secundũ propositũ, & efficacis gratiæ, nõ est virtualis tantũ, sed expressa, & formalis, & prior secũdũ rationẽ: ergò multo magis antecedit prędęscięntiã meritorũ, quã illa voluntas dãdi congruã, & aptam vocationẽ. Ex his ergo constat nõ repugnare

Solutio quæ ad propositum adduci potest.

Impugnatur vt parũ cõsentanea D. Augustino.

Ioannis. 15

nare libertati electionem ante præuisa merita.

Nota de prædefinitione esse quoddãæternum decretum Dei.

SED vt res hęc intelligatur obseruare oportet, quòd prædefinitio Dei est quoddã æternũ decretum diuinæ voluntatis quo absolutè statuit vt aliquid fiat in tempore, verbi gratia, vt voluntas Petri tali tempore, & loco actum contritionis eliciat: quod sanè decretum potest cogitari à nobis, vel vt subsequens scientiam visionis, qua Deus præsciuit Petrum habiturum illum cõsensum, seu actum cõuersionis. Et hoc decretum sub hac cogitatione, & consideratione non appellatur prædefinitio, vt nunc loquimur de illa: quia licèt cogitando antecessionem æternitatis ad tempus ita vocari posset, tamen considerando, & cogitando rationem prouidentiæ, & causæ, actus ille non est causa effectus, quem pręuisum iam supponit vt futurum, quia necesse est similiter vt etiam supponat omnes eius causas. Vnde fit vt neq; ad rationẽ prouidentiæ propriè pertineat: quoniam prouidentia includit aliquo modo rationem causæ, quia ordinat media, & consequenter disponit causas ad effectus: illa autem voluntas non est ordinatiua mediorum vel causarum, sed appellatur voluntas complacentiæ, seu approbationis in effectu prævisso. Sed nihilominus adhuc poterit illa volũtas pertinere ad prouidentiã: quatenus ex illa sequitur, vt talis effectus ad aliquid aliud ordinetur, vt ad pręmiũ, vel ad aliquid huiusmodi.

Prouidẽtia includit aliquo modo rationẽ causæ.

PRAEDEFINITIO igitur de qua loquimur propriè dicit decretum antecedens præscientiã futuri actus, quo Deus antequam videret, & cerneret Paulum habiturum actum conuersionis, aut contritionis, decreuit absolutè, vt haberet illum, & idcircò ordinauit media per quæ fieret, & in hoc sensu nunc vtimur illa voce, ni mirũ quatenus dicit antecessionem ad præscientiam visionis. Et hoc modo pertinet ad rationẽ prouidẽtiæ. Accepta igitur prædefinitione hoc modo, sunt qui dicant consequenter non posse fieri, vt Deus hoc modo aliquem actum liberũ prædefiniat, quia eo ipso tolleret libertatem eius: quoniam prædefinitio illa est causa efficax, & est suppositio antecedens, qua posita, nõ potest non poni effectus: quia huiusmodi prædefinitio necessariò infert effectum. Et ex hoc colligunt huiusmodi prælectionem ante præuisa merita fuisse impossibilem Deo salua libertate arbitrij creati.

Prouer. 21.

SED profectò cum non sit recurrendum ad scientiam mediam, ad expeditionẽ diuinæ prædefinitionis: semper sentiendum est, Deum posse prædestinare actum liberum humanæ voluntatis absolutè faciendum. Nã hoc est valdè consentaneum, vt diximus, modo loquendi Scripturæ, in qua hæc efficacitas voluntati Dei tribuitur, vt possit mouere vel inclinare voluntatem quò voluerit, iuxta illud Prouerbiorũ. 21. *Cor Regis in manu Dei est quocunq; voluerit vertet illud*, seu inclinabit illud. Hoc dicit D. Augustin. in Enchiridio cap. 94. & 95. & lib. 1. ad Simplicia. q. 2. vbi docet: Non defuisse Omnipotenti modũ mutandi voluntatem Pharaonis, si vellet, id est si efficaciter, & prædefinitiuè vellet. Et hoc idem repetit sępissime in libris de prædestinatione Sanctorũ, & de dono perseuerantiæ, & de gratia, & libero arbitrio. Et profectò impersuasibile est, atq; indignum de Deo dicere, quòd non possit absoluto decreto suæ voluntatis aliquid decernere faciendũ si per voluntatem creatam liberam fit adimplendum & faciendum, ni si prius videat tales effectus absolutè esse futuros: aliàs Dei potestas non videretur esse infinita, sed nimis limitata circa actus volũtatis creatæ: imò verò sequeretur, quòd omnes effectus liberi quãuis non essent præter scientiã Dei, tamen necessariò essent præter voluntatem efficacem & intentionẽ eius, aut fine illa intentione Dei, quod aduersatur rationi, quia vt diximus, neq; est consonũ perfectioni infinitę Dei, neq; modo loquendi Scripturæ, quæ loquitur de plerisq; effectibus diuinæ prouidentiæ, qui fiunt per liberas causas, vt in exemplis adductis superius ostendimus.

Sit ergo nobis certissimum modũ prouidentiæ, quẽ dicimus esse possibilem, & electionem ante pręuisa merita, quã affirmamus, non repugnare libertati, falsumq; esse non fuisse Deo possibile ante absolutam pręscientiã futurorum actuũ humanorum efficaciter velle & præordinare, vt multi eorũ fiant, & vt liberè fiant. Quã rem vt intelligas obserua: quod sicut nostro modo intelligendi aliud est in Deo prouidentia, & aliud gubernatio: quia prouidẽtia dicit ipsam rationẽ rerum agendarũ prout est in mente Dei: gubernatio verò dicit illã rationem quatenus in actiones seu effectus externos se prodit, q̃ affirmat S. Tho. 1. p. in q. de gubernatione. Gubernatio enim est ipsa prouidẽtia exercita. Vnde fit, vt prouidentia sit æterna, gubernatio autẽ sit temporalis. Sic ergo in hac diuina prædefinitione, seu prędeterminatione efficiẽter acepta possumus distinguere prædefinitionẽ internã in sua voluntate statuẽte, & decernente, quę antequã se prodat ad extra nõ immutat causam secundã, ita vt illã determinet extrahendo ipsam à suo proprio & cõnaturali agẽdi modo: sed solũmodo vt in sese definitã, & absolutã intentionẽ habeat alicuius finis, & ex vi eius applicet media apta, & cõsentanea vt eo modo quo prædefinitus est à Deo infallibiliter fiat, & eueniat. Possumus etiã cogitare aliã prædefinitionẽ volũtatis diuinæ, quæ tã fortiter & suauiter ad extra se prodat, vt volũtatẽ humanã moueat ad suũ actũ fortiter etiã & suauiter: quia Sapiẽtia diuina attingit à fine vsq; ad finẽ fortiter, & disponit omnia suauiter. Prima prædefinitio dicitur immanens: posterior vero dicitur trãsiens secundũ effectũ, ita vt prior prædefinitio dicatur esse per modũ intentionis, posterior verò per modũ executionis, quia est cũ pręmotione volũtatis humanę, vt eum actum efficiat quem facere decreuit.

Aliud est in Deo prouidentia, & aliud gubernatio.

Duplex in Deo prædefinitio distingui potest.

DIVINA ergo voluntas, eius intentio, electio, prædefinitio, & decretum, non solum efficacissima sunt ad agendum, & operandũ quod

Dei voluntas vult, sed etiam quomodo vult, & per media, quę eligit aut vult, quod per se notũ debet esse: idq; nonnulli ex Doctoribus oppositæ sententiæ coacti sunt nobis concedere. Quãuis ergo Deus absoluto, & efficaci proposito aliquid fieri velit, non idcircò cogitur quodcunque mediũ, aut quancumq; vim, etiam necessitãtem, ad effectum illum applicare: sed potest illum effectum velle efficaciter, & suauiter per tale medium, quod ad infallibilem consecutionem illius effectus intenti perducat. Hoc autẽ fit per Dei gratiã actualem, mouentem voluntatem, iuxta modũ, quem ipsa postulat fortiter & suauiter, & non per infixum iudicium antecedens ex parte cognitionis, sed cũ collatione, & conferentia, & diuina illustratione, & cum quadã coaptatione gratiæ erga voluntatẽ creatam efficienter propriè influentem: secundùm quã D. Paulus loquens de operibus bonis, præcipuè supernaturalibus, ad Heb. 13. dicit. *Aptet vos Deus in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat corã se per Iesum Christum.* Vbi expressè satis significatur efficacitas gratiæ, per aptationẽ efficienter sumptam ad opera libera voluntatis: nam ob id dicit, aptet vos Deus in omni bono, vt faciatis eius voluntatẽ: loquitur de operibus liberis: de quibus iterum subiungit: faciens in vobis quod placeat corã se, per Iesum Christũ. Et non intelligebat Paulus per hoc lędi liberum arbitriũ, aut modũ agendi illi propriũ ab eo repelli. Quocirca. S. Thom. non solũ vult secundas causas etiã voluntatem seu liberũ arbitrium subijci Deo secũdùm substantiã, & causalitatem, sed etiam secundùm modũ agendi, & causandi, in quo quidẽ resplendit infinitas diuinæ sapientiæ, & omnipotentiæ simul, vt ex sententia D. Augu. superius deduximus, & de mente D. Tho. tàm. 1. p. quã 1. 2. Cũ ergo diuina volũtas operatur ad extra, operatur quidem per diuinã omnipotẽtiam suã, ac proinde efficienter præmouet secundas causas, & eas ad agendũ applicat, & pariter arbitriũ creatũ in actibus liberis, in eũ influens proportionatũ influxum. Vnde voluntatẽ se determinare nihil aliud videtur esse nisi efficere in se determinationẽ ad vnam partem quã ad aliam: ac proinde voluntas eligendo se determinat, & se determinando eligit; & idcircò determinatio voluntatis est ab ipsa moraliter, & physice: mouet enim se voluntas quoad exercitium sub motione, & determinatione Dei; Deus namq; determinat voluntatẽ non sine illa, sed cũ illa: quoniã quidquid agit causa secunda, agit prima: nã actio causæ secundæ magis est à prima causa, quã à secũda: sed voluntas determinat se, ergò Deus determinat ipsam. Rursus Deus efficit determinationẽ voluntatis: nã illa determinatio aliquid est, quod nõ potest sine Deo fieri: sed determinare volũtatem nõ est aliud, quàm efficere determinationẽ eius: ergo. Imò verò Deus conuertit voluntatẽ peccatoris vt Scriptura dicit: ergo Deus determinat illã influendo in ipsam suã gratiam. Quo argumento eiam vsi sunt Auctores oppositæ sententiæ, nõ ergo repugnat libertati electio ante præuisa merita. Vnde determinatio volũtatis apud eosdem auctores est omninò idẽ cũ electione, nã eligendo volũtas se determinat, & se determinãdo eligit.

Ad Heb. 13

Voluntatẽ se determinare est efficere in se determinationem ad vnã partem.

ADDVCOR etiã ad nostram sententiã declarandã. Nam quãuis actus voluntatis diuinæ sit vnicus, & simplicissimus, tamẽ habet perfectionẽ eminentialẽ respectu omniũ: quia in eo est vnita omnis perfectio, quæ in varijs actibus humanæ voluntatis reperitur partita: & in eo est absq; vlla imperfectione: Ac proinde in illo actu diuinæ voluntatis quatenus ad extrinseca obiecta liberè terminatur, reperitur propria ratio intentionis, electionis, & vsus: Quoniam hę rationes, vt tales sunt, perfectionẽ dicũt, & possunt sine vlla imperfectione vniri in vno aliquo. Quo fit vt Deus ita prædefinire possit actũ liberum per modũ intentionis cuiusdam proximi finis, vt per illam intentionẽ internam præcisè sumptã nihil efficiatur ad extra, cũ intentio secundũ se purè, & merè sit actus internus, qui per se ipsum præcisè non operatur nisi media electione, & vsu. Cũ ergo prędefinit Deus, nisi imperet, aut vtatur illa intẽtione media electione, & applicatione omni potentiæ suę ad actionẽ nihil fit: ergo si quando volũtas se determinat aliquid agit, & operatur electione sua, sequitur Deum eã applicare, determinare, & mouere etiã efficienter, sine libertatis lęsione, aliàs semper quòd operaretur volũtas lęderetur vsus libertatis eius: quoniã Deus operatur iuxta modũ quem superius explicuimus. Vnde q̃ Deus ob suã comprehensionẽ eminentialem, & infinitã perfectionem suæ volũtatis non intendat finẽ seorsum à medijs, sed simul cũ illis, ni mirũ simul intendendo hũc finẽ per hæc media, & volendo hoc mediũ propter hunc finẽ: hoc inquã nõ obstat nobis, sed potius cõfirmat nostrã sententiã: quia Deus intendens absoluta & prædefinitiua volũtate actũ liberũ hominis, simul prędefinit illũ per tale mediũ quod voluntatẽ suaui, & efficaci modo moueat fortiter pro se, & suauiter pro nobis, quẽ prędidit in eadẽ prædefinitione, qua decreuit mouere voluntatẽ ad cõsentiendũ. Atq; ita voluntas diuina prędeterminat actũ futurũ cum habitudine ad modũ operandi secũdæ causæ, & ita in obiecto suo includit actũ vt faciendũ ex determinatione liberi arbitrij creati facta sub determinatione Dei, cũ influxu, cõcursu, & auxilio apto, & accõmodato, iuxta Dei sapientiã, & excellentissimã Dei gubernationẽ. Vnde ex vi huius prædefinitionis diuinę nõ variatur nec aufertur modus agendi volũtatis, quo Deus concurrit cũ ea, sed solũ ita dirigitur & gubernatur volũtas, vt infallibiliter ipsa vtatur sua libertate, & vt accipiat accõmodatum adiutorium ad suam operationem.

Actus voluntatis & si vnicus sit & simplicissimus habet tamẽ perfectionẽ eminentialẽ omnium.

QVIBVS ita positis à Deo voluntas vtitur sua libertate, & illa suppositio decreti diuini includit in obiecto suo actũ faciẽdũ ex determinatione etiã eiusdem volũtatis cũ cõferẽtia gratię actualis influentis fortiter, & suauiter, & accõ-

Obiectio. modatè iuxta Dei sapientissimam gubernationem. In quo casu locum habet distinctio de sensu compositio, & diuiso. Quod si dicas: Posita illa prædefinitione, voluntas non potest non facere actum prædefinitum, & talis prædefinitio est antecedens ante præscientiàm futuri euentus, ergo tollit libertatem.

Solutio. Respondetur negando consequentiam. Nam certè iuxta ea quæ diximus, simpliciter non est verum dicere posita illa prædefinitione non posse humanam voluntatem non facere actum prędefinitum: quia simpliciter potest, ex eo quod illa prædefinitio nō repellit, neque immutat modū agendi, & operandi liberi arbitrij creati. Neq; rursus per ipsam prædefinitionem decernitur, aut definitur, vt voluntas non possit, sed solum, vt hoc faciat quod factura esse præscitur in eodem obiecto, per hanc aut illam gratiam, quam Deus tribuere vult. Et idcircò hæc potestas non est ad frustrandam voluntatem Dei, neq; vt actu resistatur illi voluntati efficaci absolutę. Tum quia illa Dei voluntas, ita abstracta non mouet immediatè volūtatem creatam, sed media dispositione suæ gubernationis: & idcirco ex hac parte necesse non est illi resistere: Tū etiam quia non disponit Deus, vt actus fiat sine potestate libera seu potentia ad oppositum, & ob id ętiam ex hac parte illa Dei potentia non est ad frustrandam diuinam voluntatem, licèt in se sit potentia ad impediendum effectum liberum, aliàs prędefinitum: quia Deus simul prædefiniuit vt liberè, & contingenter fiat, & quasi impedibiliter, & tamen infallibiliter hæc enim duo nō repugnant, vt optime docuit Franciscus Ferrariēsis lib. 1. contra Gentes cap. 85. ex Sanctissimo Præceptore suo D. Thoma. de veritate q. 23. arti. 5. ad 3. Tantum igitur fieri non potest vt simul ponantur vel componantur hæc duo, videlicèt aliquid esse prædefinitum, & in re atq; in effectu re ipsa non fieri: hæc namq; compositio inuoluit repugnantiam, ad quam nulla potest esse potentia. Quod qualiter fiat diximus supra tā in hac Sectione, quàm in præcedēti explicantes ea quæ olim nos diximus. 1.2.q.111.

Ferrara.

Dixi negandam esse sequelam, & consequētiam, & sensum compositum optimè adaptari huic instituto, & necessitatem illam quæ ex illo decreto infertur verè posse dici esse consequentiæ tantùm, non consequentis. Sed de hac re latiùs dicemus in solutione argumentorum vbi iterum redibit sermo de hac re.

Obiectiones quorūdam dissoluuntur, & nouæ aliæ rationes pro nostra sententia explicantur.

Difficilis obiectio cōtra nostram sententiam.

Sed contra ea quæ in discursu harum assertionum scripsimus sese offert difficilis obiectio quorundā. Nam certum est Deū voluisse dare hominib⁹ adultis gloriā, nisi ipsi suis peccatis se redderent indignos illa. Rursus etiā est certū Deum voluisse dare ea auxilia, quæ re vera, & non solū nomine essent sufficientia ad consequendū gloriam: Sed hoc non potest stare si actus diuinæ voluntatis, qui est electio efficax, & absoluta ad gloriā per modum intētionis, & electionis, ponatur ante præuisam cooperationē liberi arbitrij, aut si ponatur sine vllo respectu ad præuisa merita, seu ad electorū liberam cooperationem. Nam certè difficile potest defendi maior propositio cum huiusmodi actu voluntatis diuinæ, quæ est electio absoluta ad gloriā antecedenter ad cooperationem liberā, aut sine respectu ad ipsam: ergó falsum est affirmare Deū ante præuisam cooperationem liberi arbitrij, aut ante præuisa merita elegisse quosdā ex adultis efficaci voluntate ad gloriam.

Quid respōdendum sit ex dictis cō stat.

Hæc difficultas magna est, & quæ torsit plures ex nouioribus Theologis, sed profectò si attendamus ad ea quæ dicta sunt constabit quid sit dicendum ad eam. Nā vt supponimus ex sententia D. Augustī. Deus ex summa eius liberalitate, & gratuita donatione, voluit ex dānata perditionis massa, quosdā ex adultis liberare, & in gloriā suam perducere, extrahendo eos à damnatione illa perditionis. In qua quidē volūtate efficaci, includitur alia, quę est veluti obiectum prioris consequens ad priorē: nimirum dandi omnia illa media, quæ sunt necessaria ad actualē consecutionem illius gloriæ; ad quam liberaliter illos perducere voluit. Quę sane voluntas efficax est finis & mediorū: sed ordine quodā prius ipsius finis, & deinde mediorū per modū intentionis, & electionis. In qua etiā includitur volitio dispositionis eorū omniū, quæ requiruntur vsq; ad consecutio nēfinis efficaciter intenti: Huiusmodi autē volitio efficax, & intentio Dei qua efficaciter quosdam voluit ad gloriā eligere extrahendo eos à damnata perditionis massa prædestinatio est saluandorū, quæ inuoluit & includit præparationem beneficiorū Dei, quibus certissime liberantur quicunq; liberantur, vt Augustī. docet. Et hæc volitio absoluta per modū intentionis & electionis antecedenter ad præuisionem meritorū, & cooperationēvsus liberi arbitrij, nō est cōtraria illi volūtati, qua Deus voluit dare quibusdā hominibus ex adultis gloriā, nisi ipsi suis peccatis se redderent indignos. Quoniā decreuit Deus hoc de facto ita euenturū esse, vt electi resipiscerent, & cōuerterentur à peccatis suis ad Deū, ea detestādo, & ex speciali Dei auxilio, & donoperseuerādo vsq; in finē. Quare conditionalis illa, quæ dicit: Deū voluisse dare hominibus adultis gloriā, si ipsi suis peccatis non se redderent indignos illa, nō video cur habeat repugnantiā cum illa propositione, quæ dicit: Deū habuisse electionē efficacem quorundam adultorū ad gloriam, & nō ex præuisis meritis, seu antecedenter ad cooperationē liberi arbitrij: quia hoc nō est dicere Deū repulisse cooperationē, & vsum voluntatis creatæ adultorū: sed solùm est dixisse Deū in illa prima intētione efficaci electionis ad gloriā non fuisse operatum ex præuisis meritis, aut ex præuisa cooperatione liberi arbitrij creati: sed voluisse adultis hominibus sal-

uan-

uandis gloriã, ad quã eos elegit, ita vt in primo illo signo antecedenter se gesserit, & ad præuisa merita, vel ad cooperationẽ nostrã. Quod verò dicitur. Nisi ipsi suis peccatis se redderẽt indignos verisimũ est, quia Deus vult omnes homines saluos fieri: & prędestinatos vult salutẽ de facto consequi, ab eisque repellere peccata & indignitatem culparum, vt ad regnum cælorum introducãtur, quia nihil indignum aut coinquinatum potest in ipsum intrare. Quo autem pacto componatur vsus libertatis arbitrij creati, cum illa volitione efficaci Dei & cum efficaci gratia, ab ea, tanquam à sua causa & propria origine procedente, & proueniente, id sanè plerũque diximus in his quatuor Sectionibus huius disputationis, & alibi non semel.

ADDE etiam quòd in illo speciali ordine prouidentiæ supernaturalis, quem Deus habuit cũ aliquibus hominibus in particulari: hoc est cũ saluandis & prædestinatis, quibus ita voluit dare gloriam, & media ad eius consecutionem, vt non tantum eam possent consequi, sed etiam de facto & infallibiliter eam consequerentur, includitur voluntas repellendi peccata & offendicula, & indignitatem, ne cum Deus dare voluisset hominibus adultis gloriã, ipsi suis peccatis se redderent indignos, in quo includitur voluntas dandi perseuerantiam in bonum vsque in finem. Hoc tamen minimè contradicit electioni efficaci Dei ad gloriam ante præuisa merita: seu non ex præuisis meritis, quoniam iuxta nostrum modum intelligendi Deus in primo signo voluit dare quibusdam hominibus adultis gloriam, nihil statuendo in eo signo de eius cõditione, vtrum gratis esset danda nec ne, ita vt obiectum illius voluntatis neque fuerit donatio liberalis gloriæ, neque iusta retributio: sed præcisè tantum collatio illius boni: postea verò per electionem decreuerit Deus vt voluntas illa prior executioni mãdaretur per merita & non aliter: & ob id tandem in ordine executionis voluerit glorificationem electorum tanquam retributionem. Et iuxta hũc modum nulla reperitur repugnantia cum illa voluntate Dei de qua fit mentio in argumento. Quare quamuis Deus post illam electionẽ efficacem, velit in secundo signo implendam esse per merita & per repulsam peccatorum & indignitatem, non ob id Deus mutat vel in re minima primum decretũ primi signi, quo electio facta est quorũdam, ante præuisa merita. Quia licèt Deus ex vi illius decreti non respexerit merita, & habuerit illud sine connexione ad ipsa, aut ad cooperationem arbitrij creati, non tamen excluſit hanc, neque merita, & ita nõ fuit mutata illa voluntas prior. Vnde cõstat ex hoc non repugnare volitiones quæ in argumento referuntur. De hac re & de solutione huius argumẽti legenda sunt quæ diximus supra in discursu tertiæ conclusionis. §. Quod sit obiectum huius electionis saluandorum.

Volũtas dãdi perseuerantiam in finem vitæ includitur in ordine speciali supernaturalis prouidentiæ.

Obiectio secunda.

SECVNDA obiectio, quæ communiter concitatur hoc loco est. Quia si Deus voluit efficaciter quibusdam adultis dare gloriam: sequitur, quòd ex vi huius donãda est gratia efficax, quę ex vi sua præmoueat voluntatem, & eam efficaciter trahat ad consensum & conuersionem. Et cum hæc gratia sit necessaria, sine qua conuersio, & cooperatio voluntatis non erit si non est in potestate hominis, apertè sequitur, quod homo neque liberè agit, neq; in manu eius aut libertate positum est quod saluetur: ergo electio non est facta ante connexionem cum cooperatione arbitrij creati præuisam.

Solutio ad obiectionẽ.

RESPONDETVR obiectionem hanc esse communem in hac materia, & nos soluisse eam pluries in superioribus. Quare concedendum est, quòd ex vi illius voluntatis efficacis donatur adultis efficax gratia qua trahantur illi qui iustificantur ad Deum: id namque dixit Christus Ioann. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum.* Quòd autem hęc gratia sit necessaria, sine qua in re & de facto nemo conuertitur etiam est certissimum: Dicitur autem hæc gratia, quòd est in manu hominis, non quia sit in viribus eius, sed quia homo liberè consentit illi gratiæ, & nisi præstet liberè & voluntariè impedimentum peccati, Deus qui vult hominibus dare salutem nisi ipsi suis peccatis se reddãt indignos, illam etiam gratiam præstat & tribuit ex liberali miseratione. Et non ob id quòd talis gratia veniens à Deo sit necessaria ad salutem, sequitur, quòd homo non liberè conuertatur aut cooperetur: Sicut non sequitur de prædestinatione saluandorum, quæ cum sit necessaria ad gloriæ, & salutis consecutionem, & sit efficax & à solo Deo, non tollit neque lædit libertatem: sic etiam de illa gratia efficaci necessaria: Nam prædestinatio etiam non ex præuisis meritis & cooperatione volũtatis creatę est facta. Quia in simili possumus hunc discursum confícere interrogando: Vtrùm omnibus hominibus sit salus possibilis, quantum est ex parte Dei, nisi per ipsos stet quo minus illam consequantur, vel non sit? Si est possibilis salus omnibus hominibus: ergo cum prædestinatio sit necessaria ad salutem & gloriam oporteret omnes esse prædestinatos, vt ita omnes quantum est ex parte Dei possent consequi salutem, siquidem prædestinatio pendet ex solo Deo sine respectu ad cooperationem hominum. Si verò non est omnibus salus possibilis quantum ex parte Dei est, ergo Christus non pro omnium salute mortuus est: quandoquidem non meruit vt omnibus esset salus possibilis quantum est ex parte Dei, vel si hoc omnibus meruit & ita pro omnibus mortuus est, vt fides docet: non satis illius merita remunerantur, quandoquidẽ nõ omnibus re ipsa beneficium prædestinationis in solo Dei arbitrio situm impenditur, vt ita quantum est ex parte Dei omnes possint consequi salutem. Igitur cum quòd aliquis prędestinetur, vel sit prædestinatus, non sit in arbitrio hominis positum, & prędestinatio sit necessaria ad consecutionem gloriæ in re, & ad liberationem omnium culparum per benefi-

Quæ incommoda & inconuenientia sequantur ex modo arguendi istorum.

gratiæ Dei, quibus certiſsimè liberãtur quicunque liberantur: ſequeretur ſi argumentum aduerſariorum aliquid valeret quod prædeſtinati non liberè ſaluantur, cùm quòd ſint prædeſtinati non ſit poſitum in libertate eorum, & ſit neceſſaria: quod tamen non eſt dicendum neque ferendum. Sed & hoc multò minus eſt dicendũ de gratia efficaci, quæ quamuis à Deo veniat, & ab eo ſuam habeat efficaciam, tamẽ proportionatur cum modo agendi libero voluntatis, & adaptatur libertati, mouetque nos motione libera, & illuſtrat liberum arbitrium fortiter & ſuauiter vt conſentiat, quem conſenſum cooperando præſtat. Et ex his conſtat quanta incomoda ſequuntur ex modo argumentãdi iſtorũ.

Probatur adhuc factã eſſe electionem prædeſtinatorum ante præuiſa merita.

VNDE adhuc ſunt rationes, & argumenta, quibus oſtendetur quòd ante præuiſa merita: & ante bonum vſum cooperationis arbitrij creati præuiſi facta eſt electio efficax ſaluandorũ: & hoc etiam ſine læſione libertatis: Quarum vna ſit: Duo illi populi, Corozain & Bethſaida non ſunt conuerſi ad Dominum, cum tot præſidijs, ſignis & miraculis fuerint affecti à Chriſto, neque crediderunt in illum: at populi Sidoniorum, & Tyriorum, ſi in eis factæ fuiſſent virtutes & ſigna, quæ in Corozain & Bethſaida conuerterentur & credidiſſent, vt Chriſtus affirmat: ergo ſi Deus in hominum electione ad gloriam habet reſpectum ad cooperationem, & bonum vſum liberi arbitrij præuiſi: ſequitur, quòd cum ciues Tyri & Sidonis excelluerint alios in cooperatione liberi arbitrij præuiſa, & benè vſi eſſent libero arbitrio, illis ſigna, virtutes, & miracula tribuenda potius eſſent & non denegata, quàm ciuibus Corozain, & Bethſaidę. Et tamen hæc ſigna, & præſidia, virtutes, & miracula fuerunt illis denegata: alijs verò conceſſa, quos Deus præuidit illis male vſuros. Reddant igitur huius rei cauſam auctores oppoſitæ ſententiæ qui ad opera præuiſa, & ad cooperationem & bonum vſum liberi arbitrij creati confugiunt, vel recedant à ſua ſententia de hac præuiſione operum, & toto affectu dicant illud Pauli: *Deus cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.*

Cauſa cur Deus aliquos eligit eſt vt diuitias gloriæ ſuæ oſtendat.

ADDE etiam, quòd cauſa cur Deus aliquos eligit non eſt meritum eorum, ſed vt diuitias gloriæ ſuę, ſuamque bonitatem, miſericordiam, & liberalitatẽ oſtendat, vt Paulus docet Rom. 9. Sed Dei miſericordia magis relucet in hac electione ſaluandorum, aut prædeſtinatorum ad gloriam, ſi ex mera ſua liberalitate & voluntate fiat, quàm ſi ex præuiſis operibus aut ex bono vſu cooperationis liberi arbitrij creati: ergo neceſſariò oportet dicere hanc electionem adultorum ad gloriam nõ eſſe factam ex operibus, aut meritis præuiſis, aliàs in huiuſmodi electione gratuita & liberali multò magis reluceret ratio, & obligatio gratitudinis & iuſtitiæ, aut prę mij, quàm miſericordiæ, & gratiæ. Vnde Paulus ad Rom. 11. dicit. *Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ Dei ſaluæ factæ ſunt. Si autem gratia, non ex operibus.* Ex quo etiam ſequitur, quòd ſi ex præuiſis meritis facta eſt hæc electio adultorum ad gloriam, quòd tunc magis manifeſtaretur in electis iuſtitia, quàm gratia, liberalitas, & miſericordia. Et confirmari hoc poteſt: quia ſi illa electio ſaluandorum non eſt facta ante pręuiſa merita, & ante præuiſam bonam cooperationem liberi arbitrij creati, ſequeretur, quòd homo poſſet ſibi aliquo modo attribuere beatitudinem, & prædeſtinationem, & in hoc gloriari. Siquidem illa electio ſui ad gloriam facta eſt à Deo poſt merita præuiſa, non antea, & poſt cooperationẽ boni vſus liberi arbitrij creati non antea.

Ad Ro. 11.

Scotus.

SCOTVS in 1. ſenten. diſt. 41. quæſt. 1. hũc conficit diſcurſum. Omne agens quod ordinatè agit prius vult finem, quàm media ad finem cõſequẽdum ordinata, cum ſemper finis ſit in intentione prior: Sed gloria quæ danda eſt adultis ſaluandis, ſeu beatitudo eſt vltimus finis hominis: Merita verò, & bonus vſus liberi arbitrij creati, ſunt media ad conſequendam beatitudinem: ergo Deus prius vult alicui dare beatitudinem, quàm aliquod medium ad illam conſequendam: & conſequenter prius illi vult quodcunque medium, quàm præuideat illũ aliquod illorum habiturum. Vnde medicus prius vult ſanitatem vel ſalutem infirmi, quàm velit medicinam applicare: ergo pari modo oportet dicere in præſenti.

Alia ratio.

ADDVCOR vlterius, quoniam multi ſunt qui toto fere vitæ ſuæ tempore in nefandis criminibus & peccatis verſantur, nihil cogitantes de Deo, aut de propria ſalute, eis tamen conceditur in mortis articulo cum ab hac vita migrãt vt in Deum conuertantur, & ita conuerſi recedant ab hac luce, & à Creatore ſuo recipiantur: Alij verò ſunt è conuerſo, qui benè vſi ſunt libero arbitrio à iuuentute ſua, & in mortis articulo tentatione vincuntur, & Deum offendunt, quo peccato commiſſo recedunt ab hac vita: Huius rei nulla alia ratio aſsignari poteſt niſi quod Deus illos mera ſua liberalitate & gratia elegit ad vitam ante præuiſa opera, & ob id eis gratiã finalem largitus eſt, qua pœnitentiam agerent, & tentationes vincerent, & conuerterentur ad Deum: ergo illa electio ſaluandorum facta eſt ante præuiſa opera. Et cõfirmatur, nam ſi Deus elegit prædeſtinatos ad gloriam voluntate illa efficaci prima ex pręuiſis operibus, hoc fieri debuit à Deo, ne eſſet perſonarum acceptor, vt dicunt auctores oppoſitæ ſentẽtiæ. Quòd ſi hoc eſt verum, rogo cur non elegit illos omnes ad gloriam qui toto ſuę vitę tẽpore in bonis operibus ſunt detenti, & in bono vſu cooperationis liberi arbitrij ſe exercuerunt. Aut cur aliquos elegit qui totam vitam ſuam peccatis dicarunt, & non niſi extremam vitæ horam Deo dederũt. Illos verò minimẽ elegit, qui ſolo momento fere temporis ab eo receſſerunt.

Confirmatur.

Chriſtus in quantũ homo prædeſtinatus eſt Filius Dei.

MOVEOR etiam: Quoniam Chriſtus eſt pręclariſsimum lumen prędeſtinationis noſtrę: ſed Chriſtus etiam in quantum homo prædeſtinatus eſt filius Dei, & non meruit ſuam in-

car-

carnationē: non enim ex præuisis meritis Christi factum est vt hic homo sit filius Dei naturalis: ergo proportione quadā oportet dicere prę destinatos nō fuisse electos electione illa efficaci per modum intentionis ad gloriam ex præuisis meritis, aut operibus.

Ex differentia inter amorem nostrum & diuinum confirmatur.

Hoc confirmat celebris illa differentia, quā Theologi constituunt inter electionem, amoremque nostrum & diuinum: quod nos amamus, & eligimus aliquem, propter bonum in eo inuentū, quod nobis est vel cōforme, vel placet: sed Deus neminem amat nisi conferendo bonū, aut propter bonum repertum in eo, & ab ipso factum, quod alteri deficit quia non supponit bonum vt ipsum eligat, & amet, quoniam diligendo aliquem illum bonum facit: ergò qui sentiunt Deum elegisse homines ad gloriam ex meritis eorum præuisis, & ex cooperatione boni vsus liberi arbitrij creati, necessariò tenentur dicere, & affirmare Deum eligere, amare, seu diligere eodē prorsus modo quo homines eligunt, & diligunt: quod est contra expressam sententiam communem Theologorum.

Alia confirmatio ab inconuenienti.

TANDEM hoc potest confirmari: quia qui tenent ex pręuisis meritis factam fuisse electionem ad gloriam incidunt in eam sententiam vt dicant, Paulum fuisse prædestinatum, quia ipse voluit applicare voluntatem suam sufficienti gratię sibi oblatæ à Deo: quod præuidēs Deus, Paulum prędestinauit, Iudā verò repulit. Tum postea, si quis interroget cur Paulus aut Petrus gratiam sibi oblatā acceptauit, respondent, quia voluit, cum habeat liberum arbitrium, ratione cuius potest acceptare gratiam aut illam à se repellere: & in hoc consistit difficultas. Nam si ex vi liberi arbitrij sola Paulus & Petrus potuerūt acceptare gratiam & bene vti illa, tunc sequitur, ob illam causam Paulum fuisse prædestinatum: Quod si ex vi liberi arbitrij non habuerunt id quo possent acceptare gratiā, sed hoc tam Paulo quàm Petro donatum est illis à Deo. Vltetius interrogare oportet, cur Deus concesserit tam Paulo quàm Petro vt gratiam acceptarēt, & non Iudæ? Cui sanè interrogationi nō potest satisfieri, nisi dicendo: quia sic ipse voluit, & sic illi placuit. Nam certè velle acceptare gratiam oblatam à Deo, etiam est donū Dei, & est à Deo ipso: ergo manifestum est electionem illam efficacem ad gloriam non fuisse à Deo factam ex præuisis meritis. Fatemur quidem quod ipsum velle acceptare gratiam simul est à libero arbitrio, & à gratia in eodem instanti, quia vnum non fit sine altero: tamen quamuis simul sint in eodem puncto & instanti in quo, cæterum prioritate à quo seu signo à quo, vnum prius est altero. Possumus nanque in vno & eodem instanti licet sit indiuisibile rationem, & ordinem eorum quæ in illo instanti fiunt cogitare, præsertim ex prioritate causalitatis aut naturę: & in illo vno instanti temporis seu durationis cogitare vnum vt prius & alterū vt posterius. Sic enim cōsentire gratiæ Dei, seu velle acceptare illam: simul est à gratia & à libero arbitrio quamuis vnū sine altero reperiri non possit ordine tamen causalitatis aut naturę vnū est prius altero, & illius causæ: & hoc apud aliquos Theologos significatur per esse prius natura aut ordine naturæ: seu per esse prius instanti à quo & simul instanti in quo, sed non prius in instanti in quo. Vnde gratia Dei habet prioritatem causalitatis, & ordinis naturæ ad consensum quo voluntas determinatur, & se determinat. Sed de hac re aliàs.

In vno indiuisibili instanti possumus rationem & ordinem eorum, quæ in ipso instāti fiūt cogitare.

Ad argumenta initio huius sectionis facta.

RESTAT iam dissoluere argumenta in exordio Sectionis huius facta, quæ sanè nobis obijciunt aduersarij nostri tanquam efficacia, cum tamen fortia non sint, neque adeò valida vt ipsi putant. Quod si expendantur ea quæ in discursu huius disputationis diximus, non erit operosum illis respondere, & satisfacere. Supponamus ergo sine vlla tergiuersatione, esse sententiam D. Augustini adultos saluādos seu prædestinatos fuisse electos efficaciter ad gloriam antecedenter ad operā præuisa, & non ex præuisis meritis. Rursus etiā suppono D. Prosperum, & D. Hilarium discipulos fuisse doctrinæ D. Augustini eiusque mentem, dum viueret, egregiè cognouisse: qui in duabus epistolis suis, quæ habentur ante libros de prędestinatione Sanctorum & de dono perseuerantię: cū prædicassent doctrinam D. Augustini de diuinis decretis, & de diuina prædefinitione ante opera præuisa: contradictorem habuerunt Cassianum, & plures alios assecłas, qui nondum repulerant reliquias Pelagij, vt constat ex Epistola eiusdem Prosperi, & ex libris contra Collatorem videlicet eundem Cassianum.

D. Prosper, & D. Hilarius discipuli D. Augustini.

DIVVS igitur Prosper in epist. ad August. non longè à principio illius, affirmat Dei constitutionem, decretum, seu electionem, ac definitionem prævenire voluntates hominum, antecedereque merita, & opera, & minime Deum agere ex præuisis illis meritis, & operibus. Qui cum retulisset dogmata nōnulla Pelagij dicit. *Vnde, quia in istis Pelagianæ prauitatis reliquijs, non mediocris virulētiæ fibra nutritur, si principium salutis male in homine collocatur: si diuinæ voluntati impiè volūtas humana præfertur: vt ideo quis adiuuetur quia voluit, non ideo quia adiuuatur velit.* Et paulò antea fere in medio epistolæ, etiam relatis quibusdam sententijs Pelagianorum inquit: *Iam hic proferunt testimonia, quibus diuinarum Scripturarum cohortatio ad obediendum incitat hominum voluntates, qui ex libero arbitrio aut faciant quæ iuuentur, aut negligant: Et consequens putant, vt quia præuaricator ideo dicitur non obedisse quia noluit: fidelis quoque non dubitetur: ob hoc deuotus fuisse, quia voluit: & quantum quisque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum.* Vnde D Ambrosius de vocat. Gentium, qui liber censetur esse Prosperi: dicit difficultates has de diuina electione & prædestinatione, & de di-

Verba D. Prosperi.

uina gratia, & conuerſione atque pœnitentia non eſſe determinandas per velle aut nolle noſtrum: quod qualiter debeat intelligi diximus in diſcurſu huius materię. Dixerat ergo D. Proſper, conſtitutionem ſeu decretum Dei anteire voluntatis merita, & cooperationem: & propoſitum ſeu electionem efficacem vocationis eligendorum fieri ſecundùm quod placuit creatori: & his factam fuiſſe diſcretionem eligendorũ à reijciendis. Et hoc fuiſſe placitum liberale creatoris, quo alij ſunt facti vaſa honoris, alij verò contumeliæ. Hocque non eſſe expediendum ſicut cõtradictores putabant, vt electio qua Deus quoſdam elegit ad Regnum ſuum ex præuiſis operibus fieret, ſed ante illa præuiſa: aut quod per velle noſtrum omnia determinentur. Qua ratione ſcripſit D. Proſper ad D. Auguſtinum & petit ab eo: Quod quia pleriq; nõ putãt Chriſtianam fidem hac diſſenſione violari, quod idcirco quantum periculi ſit in eorum perſuaſione patefaciat. Quia putant prædefinitiones, & conſtitutionem Dei, inducere fatalem neceſsitatem: lædereque liberũ arbitrium, niſi ex præuiſis operibus Deus eas habeat.

D. Auguſt. ita ſcribit.

Qvibvs interrogationibus Proſperi & Hilarij reſpõdet D. Auguſtinus per duos integros libros de prædeſtinatione Sanctorum & de dono perſeuerantiæ, vbi in exordio libri dicit. Eadem ſe ſcripturum, quæ antea docuerat, & hoc illis tutum eſſe. Vnde cap. 2. de prædeſtinatione Sanctorum citat Auguſt. D. Paulum qui ex liberali Dei gratia electus eſt, factuſque fidelis: Et ſubiungit hęc verba. *Auerſus quippe à fide quã vaſtabat, eique vehementer aduerſus, repente eſt ad illam gratia potentiore conuerſus: conuertente illo, cui hoc ipſum facturo per Prophetam dictum eſt: Tu conuertens viuificabis nos: vt non ſolum ex nolente fieret volens credere, verum etiam ex perſecutore perſecutionem in eius fidei quam perſequebatur defenſione pateretur. Donatum quippe illi erat à Chriſto: non ſolum vt crederet in eum, verum etiam vt pateretur pro eo.* Et idcirco commendat iſtam gratiã: quæ non datur ſecundùm aliqua merita, ſed efficit omnia bona merita. Et inferius in eodem capite inquit Auguſtinus: *Cauendum eſt fratres dilecti à Deo: ne homo ſe extollat aduerſus Deum, cum ſe dicit facere quod promiſit Deus. Nonne fides Gentium promiſſa eſt Abrahæ: & ille dans gloriam Deo pleniſsimè credidit? Quoniam quæ promiſit potens eſt & facere. Ipſe ergo fidem Gentium facit qui potens eſt facere quod promiſit. Porro ſi operetur Deus fidem noſtram miro modo agens in cordibus noſtris vt credamus, nunquid metuendum eſt, ne totum facere non poſsit?* Hæc D. Auguſtinus. Vnde ſtatim cap. 3. ſequenti eiuſdem libri citat Beatum Ciprianum qui dixit: *In nullo gloriandum quando noſtrum nihil eſt.* Quod vt oſtenderet adhibuit Apoſtolum teſtem dicentem: *Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis.* Et Paulo inferius. *Non ergo elegit Deus opera cuiuſquam in præſcientia, quæ ipſe daturus eſt.* Et quoniam D. Auguſtinus dixerat aliquando: quod quem ſibi creditурum eſſe preſciuit, ipſum elegit cui Spiritum ſanctũ daret: vt bona operando etiam æternam vitam conſequeretur. Subdit Auguſtinus repellendo hanc doctrinam, verba quæ ſequuntur. *Nondum diligentius quæſieram, nec adhuc inueneram, qualis ſit electio gratiæ, de qua dicit Apoſtolus Paulus: Reliquiæ per electionẽ gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Quæ vtique non eſt gratia ſi ea vlla merita præcedant.* Quo circa concludit Auguſtinus noſtrum eſſe credere & velle, quia non fit niſi volentibus nobis: & vtrunque eſt ipſius Dei, qui voluntatem præparat, & per Spiritum ſanctum facultatem & vim tribuit: Quia neque velle poſſumus niſi vocemur, & cum poſt vocationem voluerimus, non ſufficit voluntas noſtra, & curſus noſter, niſi Deus vires currentibus præbeat, & perducat quo vocat. Vnde manifeſtum eſt quod non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei quod benè operamur. Hæc dicit Auguſtinus veriſsima eſſe, & per hæc reſpondet Proſpero & Hilario: & per negationẽ præuiſionis meritorum reſpectu electionis ſaluãdorum ad Regnũ. vt conſtat ex toto diſcurſu libri de prædeſtinatione Sanctorum & ex toto de bono perſeuerantiæ. Iam his ſuppoſitis, ad argumenta oportet in ſpeciali reſpondere.

Solutio. Ad primũ argumentum in exordio huius ſectionis poſitum.

Ad primum igitur argumentum à ratione petitum & nõ longè ab exordio huius Sectionis factum reſpondetur: falſum eſſe quòd moderni Theologi nunc affirmant: nullum ſiue ex hominibus ſiue ex Angelis fuiſſe ante omnia merita electum electione illa efficaci de qua eſt hæc controuerſia: & multo magis falſum eſſe dicere non potuiſſe Deum aliter eligere homines ad gloriam: ſi verè in tempore merita digna præcedant, & gloria ex meritis in ipſa executione conferatur. Putant enim huius ætetis noui Theologi poſsibile Deo non eſſe aliquem ante præuiſionem meritorum ad gloriam eligere, niſi etiam in tempore & executione gloriam ipſam gratis & ſine meritis tribuat. Quod præcipuè verum eſſe putãt, quia ſequeretur, quòd electio illa in eximiè prædeſtinatis derogaret virtuti meritorum, neque vlla ratione dicerentur gloriam adipiſci ex meritis in tempore, imò verò, quòd ſequeretur in eiſdem prædeſtinatis talem imponi neceſsitatem perſeuerandi in gratia & meritis, vt ab eis liberè non poſſent excidere. Sed profectõ valde decipiuntur cũ dicunt, quòd ſi electi in tempore recipiunt gloriam ex meritis, non potuerunt eligi in æternitate abſq; illis, ſeu vt dicũt ex præuiſis meritis. Nam nos qui aſſeueramus Deum gratis eligere ſaluandos adultos ſeu prædeſtinatos ad obtinendam gloriam, ſolum dicimus Deum ſola ſua voluntate antecedenter ad omne meritum, ſeu abſque hominis vllo merito, habuiſſe talem affectum abſolutum & efficacem ad tales homines ſaluandos: non tamen dicimus per illud decretum voluiſſe Deum, vt tales homines adulti, gratis & ſine vllo labore ſuo gloriam conſequerentur: Vnde in argumento facto male hoc nobis imponitur. Imò verò ex eo quod nos affirma-

mus prædestinatos eligi ad gloriam & non ex meritis præuisis, id non sequitur quod nobis imponitur: quia hæc duo sunt valde distincta & separabilia sine dubio. Et non potest dici illa duo distingui posse in actu simplici & non in amore efficaci, quia nulla ratio differētiæ reddi potest.

Aliud est gratis eligere aliquem ad gloriam, aliud verò eligere aliquē ad gloriam gratis conferendā.

VERVM vt solutio argumenti facile percipiatur obseruare oportet cum sana doctrina Theologorum: aliud esse gratis diligere, seu eligere aliquem ad gloriam: aliud verò eligere aliquem ad gloriam gratis illi conferendam: Nam in priori locutione gratia seu liberalitas coniungitur cum actu diligendi ipsique attribuitur: cæterùm in posteriori locutione cōnectitur cum ipso obiecto electionis liberalitas seu gratia, & executioni eius attribuitur. Quocirca potest esse multiplex locutio, & æquiuoca in argumēto circa hæc duo, nimirum: Velle ex meritis præuisis dare gloriam: aut velle dare gloriam propter merita. Quia in prima propositione significatur merita esse rationem decreti liberi prout ad gloriam terminatur: in secunda verò significatur tantùm, merita esse rationem ipsius gloriæ, & collationis eius. Hæc autem diuersa sunt & valdè distincta. Quod sane hoc exemplo manifestari potest: Deus enim voluntate simplicis affectus seu antecedente, vult omnes homines consequi gloriam, quem affectum Deus gratis habet: quia non præcedunt merita præuisa eorundem hominum in quibus fundetur talis affectus: & nihilominus per affectum illum Deus neque desiderat neque vllo modo vult, vt homines gratis sine meritis consequantur gloriam: Aliàs haberet voluntatem antecedētem repugnantem cum absoluto decreto, & repugnantem legi suæ, quæ in nullo ex hominibus impleretur. Quo fit, quod ille affectus Dei quamuis ex parte actus habeatur, tamē ex parte obiecti minimè terminatur ad gratis accipere seu dare. Et idcirco duo illa sunt valde distincta & satis separabilia, cum Deus absque meritis hominum habeat affectum illum, licèt per illum neque velit neque apetat, vt homines obtineant gloriam sine meritis vllis. Rursus ad hanc eandem doctrinam confirmandam solet adduci aliud exemplum de Rege, qui proponit diuersa præmia legitimè certantibus, in quo casu offerendo præmia liberalitate vtitur, cum id non faciat propter meritum alicuius, atque ita id gratis vult, vt videlicet præmium strenuè certantibus donetur: non tamen vult, vt illis tribuatur gratis, sed ex distributione iusta. Atque idipsum videtur contingere in contractibus humanæ vitæ seu in contractibus commutatiuæ iustitiæ: nā certè quòd quis velit rem suam alienare & vendere, vel hūc mercenarium potius quàm illum conducere, id quidem ex mera voluntate est, & idcirco potest aliquis dici gratis id velle, etiam si rem ipsam gratis donare non velit. Huius rei ratio est aperta. Nam cum actus & obiectum sint distincta, fieri potest, vt aliqua conditio cōueniat actui, quæ sanè in obiecto nō apponatur: ac proinde ipse actus amoris, qui est alicui velle bonum potest liberaliter & gratis haberi licet per illum non velimus, vt alius in re illud bonum consequatur mere gratis: quia sine dubio est magnus amor alterius velle, quòd aliquis consequatur aliquod bonum etiam suo opere & industria. Imò verò eo talis amor maior erit, quo efficacior fuerit: & potissimè si ex illo procedat aut oriatur efficax voluntas adiuuandi hominem illum, vt cōsequatur bonum, quòd illi vult. Quo fit quòd si illa duo distinguuntur & separari possunt in simplici affectu similiter etiam possunt distingui & separari in amore efficaci, quia nulla ratio differentiæ reddi potest vt ostensum est. Et ratio seu responsio adhibita de diuersitate actus & obiecti æqualiter procedit in amore efficaci.

Magnus amor est alicuius velle quòd aliquis consequatur aliquod bonū etiam sua industria.

VERVM vt responsio argumēti clarior appareat dico: Deum non ita se habuisse, vt per electionem illam voluerit gratis de facto donare beatitudinem hominibus adultis saluādis, & hoc ostendit & conuincit argumentum factum, & nihil amplius, sed censeo alio modo processisse & explicandam esse electionem illam adultorum ad gloriam ante præuisa merita: nimirum quòd obiectum illius electionis fuit beatitudo & gloria, vt corona iustitiæ, obtinenda quidem in re secundùm leges iustitiæ: Nam hac ratione multo perfectiori modo haberi intelligitur ex eo quod ex parte obiecti requirit affectum iustitiæ, & ex parte actus gratuiti & liberalis habet rationem misericordiæ. Quæ duo non repugnant inter se. Quoniam velle quod aliquis perficiatur aut diues fiat, per viam iustitiæ amor gratuitus & liberalis est & ingens quædam misericordia erga illum cum esset miser antea. Et licèt per illum amorem non detur illi in re gratis bonum, quod illi amatur: tamen ipse amor gratis donatur: & ratione illius tanquam ex fonte & origine alia multa bona gratis illi tribuenda erunt, per quæ quidem fiet, vt gloria tribuatur ex iustitia.

Electio ad gloriā qualiter à nobis ponitur ex parte obiecti requirit affectum iustitiæ & ex parte actus gratuiti habet rationē misericordiæ.

EX qua doctrina nō improbabiliter dissolui potest argumentum negando antecedens. Nā iuxta explicationem datam, illa intentio Dei perfectissima est, & neque sequitur aut gloriam gratis esse dandam in re ex vi illius, aut mutari decretum Dei, neque gloriam esse tribuendam ex vi illius decreti, si nō habeantur merita, quia iam tunc non posset esse corona iustitiæ. Tandem ex dictis optimè cognoscitur, quo pacto etiam ex vi illius intentionis sit præparata gloria adultis prædestinatis vt præmium, sicuti voluntate antecedente. Dici etiam potest, quòd Deus præparauit regnum cælorum etiam reprobis: quia propter illud illos creauit: non tamen illud præparauisse illis absolute, aut qualitercunque, sed vt præmium & coronam iustitiæ: quia hoc affectu & non alio illud eis voluit & optat.

Ad formā argumenti proceditur.

DICES ex prædicta responsione & solutione sequi decretum illud Dei supponere præscientiam meritorum. Respondetur minimè id sequi, sed tantum colligi quod decretum illud

Obiectio. Dissoluitur.

implicite & in virtute includit voluntatem tribuendi merita illi cui sic amatur beatitudo: & hac ratione hæc intentio est valde proportionata electioni mediorum, quæ ex vi illius statim subsequitur: per quam vult Deus tribuere homini omnem gratiam necessariam cõgruam & accommodatam, vt re vera infallibiliter obtineat coronam illam: atque ita vult vocationem illam secundùm propositum omnino gratis dare, vt homo liberè consentiat, vt tandem ex iustitia obtineat coronam illam ad quam liberaliter & gratis fuit electus. Et hac ratione constare potest doctrinam hanc minimè repugnare communi doctrinę. Vnde solutio data probabilis valde censeri potest.

SED nihilominus censeo probabiliorem esse alium respondendi modum, iuxta ea quæ superius diximus: videlicet quòd Deus voluerit dare hominibus adultis gloriam in primo illo signo, seu in illo priori, nihil decernendo de modo, quo eam consequerẽtur, scilicet, vtrùm gratis omnino esset consequenda, vel vtrùm maiori gratia & liberalitate cõcessa: nimirum dando merita & principia meritorum ad actualẽ eius consecutionem, ita sanè vt obiectum illius voluntatis fuerit præcisè collatio illius boni supernaturalis Regni cælestis: deinceps verò decreuisse Deum per electionem mandare executioni voluntatem illam priorem per merita, & non alio modo, ac proinde ordine executionis Deum voluisse glorificationem electorum esse consequendam per modum coronæ & retributionis, quam rem superius explicuimus fusè satis, explicantes obiectum illius amoris gratuiti saluandorum & electorum.

ITAQVE stante præciso illo decreto tribuẽdi gloriam electis adultis illi quidem gloriam habituri sunt, cæterum supposito illo alio decreto voluntatis diuinæ de modo consecutionis eius, & de conditione dicendum est neminẽ ex adultis consecuturum fuisse gloriam sine meritis. Quod si obijciat aliquis non fuisse impossibile Deo non habere hoc posterius decretum de modo consequendi illam gloriam seu de conditione adquirendi ipsam per merita. Fatemur potuisse Deum non habere hoc secundum decretum, sed tunc non fuisset eadem dispositio voluntatis diuinæ, sed alia diuersa in mediorũ electione: quamuis in intentione non fuerit facta vlla mutatio. Quo circa si consideretur totũ decretum adæquatum, vt comprehendit finẽ & media, intentionem, & electionem simul, sic fieri non potest, vt electi consequantur gloriã sine meritis. At verò intentio illa prior absoluta & efficax liberaliter terminata ad gloriam pro adultis, antecedenter ad modum, & conditionem tribuendi ipsam non intelligitur facta ex præuisis meritis.

Alia obiectio.

Eius solutio.

Solutio ad confirmationem.

AD confirmationẽ respondetur per ea quæ diximus: & fatemur quod velle aliquid omnino liberaliter dare sine labore, & postea non dare nisi ex oneroso titulo inter se pugnant. Cæterum in præsenti prima illa volitio, & intentio non fuit talis vt haberet voluntatem repellendi merita: sic enim esset quasi virtute multiplex decretum: vnum intentionis, quo voluit dare gloriam quibusdam adultis: alterum verò, quo eandem gloriam voluit ita dare vt repellerentur merita ad eius consecutionem, & hoc modo non processit decretum diuinum in illo priori. Nam certe aliud est gratis eligere vel diligere aliquem ad gloriam: aliud verò aliquem eligere ad gloriam omnino gratis in re conferẽdam sine labore. Nam in prima propositione liberalitas cõnectitur & copulatur cum ipso actu amandi, & diligendi, illique attribuitur, quòd gratis omnino sit. In secunda verò propositione copulatur & coniungitur cum obiecto electionis, & executioni eius attribuitur. Atq; eodẽ modo hæc duo distincta sunt, videlicet velle dare gloriam ex meritis præuisis & velle dare gloriam propter merita. Quia in priori propositione significatur merita esse rationem decreti liberi, prout determinatur ad gloriam. In secunda verò propositione tantum insinuatur merita esse rationem actualis collationis gloriæ. Quod verò hęc duo distincta sint ostendimus supra. Nam certè hoc potest manifestari in affectu simplici voluntatis: Deus enim saltem voluntate antecedente per simplicem affectum vult omnes homines gloriam consequi, & hunc affectum Deus habet gratis erga homines, quia non præcedunt merita præuisa ipsorum hominum, in quibus fundetur. Veruntamen per affectum illum præcisè non vult, vt homines gratis consequantur gloriam ipsam: aliàs haberet voluntatem antecedentem omnino contrariam absoluto decreto suo, seu legi suæ, quæ in nullo hominũ impleretur. Vnde licèt affectus ille ex parte actus habeatur gratis, tamen ex parte obiecti in re non terminatur ad gratis accipere: ac proinde duo illa sunt valde distincta, quia Deus sine meritis hominum habet illum amorem & affectum, tamen per illum non appetit aut vult quod homines obtineant, & consequantur gloriam sine meritis. Huius rei proposuimus suprà exemplũ de Rege qui mere liberaliter vult pro bono reipublicæ & ciuium proponere preciosa pręmia hominibus hoc vel illud agentibus, vel strenuè certantibus: tunc enim Rex offerendo illa preciosa pręmia liberalitate vtitur: atque ita gratis vult pręmia pare, non tamen vult vt eis in re gratis dentur, sed ex iustitia. Et idem omnino euenit in contractibus iustitiæ commutatiuę. Nam certe velle aliquem vendere rem suam, id gratis & ex mera voluntate procedit: & ideirco potest aliquis id velle, quia neque ad id tenebatur, & ob id dici potest aliquis id velle gratis, quamuis rẽ ipsam minimè velit donare gratis.

Adducitur exemplum Regis liberaliter proponẽtis præmia vincenti ad explicandam doctrinam de electione.

VNDE in confirmatione, locus ille Iacob. 2. non rectè adducitur, quia nõ est sensus, quod Deus elegerit in pauperibus diuitias fidei quas præcognouit: quia has etiam diligit & amat in diuitibus, si illas habeant, sed sensus est, quòd Deus elegerit pauperes vt eos diuites faceret in

Explicatur testimoniũ Iacobi. 2.

fide

fides: sicut elegit, verbi gratia, Paulum vt eum faceret vas electionis, & sicut etiam elegit alios Apostolos vt eos diuites faceret in fide & prædicatione Euangelij, vt egregie docet D. Augustinus lib. 1. de prædestinat. Sanctorum, cap. 17. Reliqua verò testimonia Matth. & Pauli sufficienter exponuntur iuxta ea, quæ diximus explicantes priorem intentionem, quam Deus habuit, & posterius decretum quod circa executionem cogitauit.

Solutio secundi argumenti principalis.

AD secundum argumentum negatur sequela: Deus enim sicut habuit illam intentionem dandi gloriam saluandis adultis, & non ex præuisis meritis nihil statuendo de modo conferendi illis gloriam, ita in secundo signo statuit & decreuit collationem, & consecutionem non aliter executioni esse mandandam, quàm per merita, ita vt beatitudo obtinenda, secundum modũ quem Deus præscripsit, habeat rationem coronæ. Rursus negandum est, quòd si illa prima intentio fuit efficax & absoluta in illo priori: quod postea tribuatur gloria in tempore sine meritis, quia illa intentio præcisa non fuit decretum adæquatum, vt superius in solutione precedentis argumenti explicatum est. Vnde ordine intentionis in Deo illa voluntas diuina dandi gloriam non est ex præuisis meritis, sed gratis ex amore erga quosdã ex hominibus à Deo habita. Cæterum ordine executionis circa modum consequendi eam, fuit eidem executioni mandata per merita. Et sanè idipsum euenit & contingit quotidie apud nos: nam ordine intentionis prius decernimus cõsequi finem, & post illam intentionem deinceps cõsultamus de medijs: Executio autem fit per media, quæ quidẽ de facto conducunt ad finis consecutionem. Qua propter licèt Deus prius intentione decreuerit Paulo dare gloriam, & postea decreuerit modum consequendi gloriam optimum esse per merita, sine dubio merita ipsa in executione circa beatitudinem obtinendam verè conducunt & illis obtinetur. Itaque ex sua liberali voluntate sola habuit Deus amorem & affectum absolutum dandi gloriam quibusdã adultis: modum autem cõsequendi eam voluit esse per merita, quæ duo minimè pugnant inter se vt explicuimus in præcedente argumento. Vnde Caietanus. 3. part. quæst. 1. art. 3. insinuat Deum in illo primo signo rationis, quo decreuit dare gloriam adultis saluandis, quos eligebat, id quidem decreuisse non ex præscientia eorundem meritorum: sed non sine illis, seu illis repulsis & reiectis. Nam rogo, nunquid non posset Deus pro libertate sua dicere, volo illis adultis gloriã, & benè illis facere absolutè, quod ex affectu amoris volo esse: sed ita vt hoc fiat de facto cũ quadam celsitudine, quod in consecutione mereantur eandem gloriam in ratione premij & non aliter. Impugnationes verò quæ a recentioribus huius ætatis fiunt contra hoc friuolę sunt & nihil omnino concludunt, ac proinde negatur ex hoc sequi recipiendam esse sententiam Fausti, imò omnino repellendam.

Prius quis intendit cõsequi finem deinde consultat de medijs.

AD tertium argumentum: Respondetur negando sequelam. Nam re vera in electis & prædestinatis manet libertas consequendi gloriam: aliàs non mererentur illam per opera ab eis gesta. Vnde argumentum hoc tertium inefficax est, fuitque commune semper retroactis temporibus, nunquam tamen Sancti Patres dixerunt aliquid ostendere, aut probare, imò verò apud me improbabile est: & improbabilissimum quidem, quatenus probare contendit, impossibile fuisse Deo aliquem efficaciter eligere ad gloriã, liberè consequendam: quod sanè nemo ex antiquis Theologis dixit: etiam ex illis scriptoribus qui senserunt de facto talem absolutam electionem in omnibus saluandis adultis non præcessisse. Vnde repellendum est argumentum hoc: præcipuè quia auctores oppositæ sententiæ, cõtendunt illo probare Deum non potuisse absoluta voluntate prædefinire aliquem actum liberum, vel effectum, interuentu causæ liberæ infallibiliter omnino exequendum: aut indeclinabiliter: ante absolutam præsciẽtiam liberi vsus, quod quidem aduersarij facile concedunt. Quo circa magis in particulari volunt præfati auctores Deum non elegisse Virginem Sanctissimã efficaciter vt esset Mater Dei, sed tantum ex præuisis meritis eius absolutè, seu propter merita ipsius absolutè iam prævisa. Quòd si obijciamus illis, Deum dedisse Mariæ Sanctissimæ tantam gratiam & efficacia auxilia, atque adeo tam insignes actus, vt illis omnibus ad dignitatem Matris Dei, quam ipsi conferre & donare volebat, se se disponeret: Respondent, sed male: hoc tantum posse esse verum de quadam voluntate inefficaci, qua Deus desiderabat efficere hanc fœminam & Virginem Matrem Dei, si tamen ipsa sese disponeret. Sed mirabile est hoc profecto & inauditum: Quis nanque ex Sanctis Patribus aut ex Theologis vnquam audiuit, aut sic loquutus fuit: vt affirmaret Deũ inefficaciter voluisse B. Virginem, Dei Matrem efficere, priusquam efficaciter id voluerit. Sanè Deus excellentissima gratia præuenit Beatissimam Mariam, vt præseruaret eam ab originali peccato: Quis ergo credet Deum hoc ita fecisse, & quod eam nondum elegerit efficaciter in Matrem suam, sed tantum ex velleitate quadã? Quod si læditur libertas nisi Deus id decernat ex præuisis operibus vt ipsi dicũt: pari ratione huiusmodi auctores defenderent, Deum non potuisse prædefinire aut velle nos redimere absoluta & cõsummata volũtate, ante præuisa merita Christi: quoniam ille effectus redemptionis prædefiniendus, talis quidem erat, vt non esset adimplendus, nisi per media libera moralia.

Solutio tertij principalis argumẽti.

Quòd male respondeant aduersarij argumento contra eos facto.

QVAPROPTER repellẽdus est Gregorius de Valentia qui 1. par. quæst. 23. disput. 1. punct. 4. §. 2. dicit, quòd prædestinati qui excellenti ratione prædestinati sunt vt fuerunt Apostoli, & Beatissima Virgo, Paulus, Hieremias, D. Ioannes Baptista, qui ita confirmati sunt vt peccare non possent mortaliter: quod eatenus non liberè, sed necessariò saluantur, cum in ea gratia,

Reijcitur modus dicẽdi ex Gregorio de Valentia.

in quaſunt confirmati neceſſariò perſeuerent. Et quod ob id de huiuſmodi prædeſtinatis non opus eſt quęrere, vtrum propter aliquod ipſorum meritum liberum prædeſtinẽtur. Nam (vt ille dicit) cum non oporteat defendere ab eiuſmodi prædeſtinatis obtineri ſalutem liberè, nemo magnopere repugnabit, quo minus dicatur, eos diuina prædeſtinatione ſic à Deo præueniri vt ſine vllo ipſorum merito prædeſtinentur. Ex quibus conſtat hunc auctorem velle prædeſtinatos ſupra commemoratos, non liberè ſaluari: quod quantum ſit incommodum iudicet Magiſter fidei Summus Pontifex. Verum eſt hũc auctorem in editione tertia facta Lugduni anno. 1603. correxiſſe, & emendaſſe ſententiam hanc magna ex parte, de nouo addens prædeſtinatos illos ſupra relatos non liberè libertate cõtrarietatis, ſed neceſſariò ſaluari. Cæterum adiecit, quòd non opus eſt quęrere, vtrùm propter aliquem meritum ipſorum liberum prædeſtinẽtur, & hoc poſtremum eſt falſiſsimum, ſed procedit ex priori illo aſſumpto, quod dixerat in priori editione, nimirum quod non liberè ſaluãtur huiuſmodi prædeſtinati, & quod ob eã cauſam non oportebat quęrere meritum aliquod in illis. Igitur plus quam falſum eſt dicere, quòd nõ liberè ſaluantur etiam ſi in gratia ſint confirmati. Confirmatio namque nõ minuit libertatem: Chriſtus enim liberè operabatur noſtram ſalutem, qui peccare minimè poterat. Sed de hac re aliàs diximus multa. Hæc autẽ nos attulimus, quia aduerſarij ex illo ſuo dogmate, quòd effectus liberi adimplendi per cauſas liberas, non poſſunt eſſe tales, neque à Deo prædefiniri, niſi ex præuiſis meritis aut operibus liberis: quia aliàs læditur libertas.

Prædeſtinatus etiã poſito decreto liberè ſaluatur, & non ſolum ſponte.

IAM ergo dicimus, hominem prædeſtinatũ poſito decreto illo verè liberè ſaluari, & non intelligimus per libere ſaluari ſponte tantum ſaluari, vt male Coſmus Phyliarcus in quæſtione de prædeſtinatione dixit. Stat enim aliquid ſpõte fieri, ſed neceſſariò neceſsitate oppoſita libertati. Nos tamen prædeſtinatos viatores adultos etiam ſuppoſita illa electione efficaci ad gloriã affirmamus liberè ſaluari, ſine neceſsitate vlla, quæ excludat libertatem. Illa enim ſuppoſitio decreti diuini, quæ efficaciſsima eſt, ſuauem & fortem atque proportionatum, & aptum inducit influxum diuinæ gratiæ actualis circa voluntatem creatam. Quapropter negatur ſequela argumenti. Et ad probationem, reſpondetur ſenſum compoſitum hoc loco egregiè conuenire, & applicari, & neceſsitatem illam, quæ ex decreto illo emanat, non eſſe conſequentis, ſed conſequentiæ tantum, quia voluntas cum mouetur à Deo ſub decreto illo, ita mouetur, vt etiam ipſa ſe determinet & moueat ſub determinatione Dei. Attingit enim decretũ Dei, quod à diuina etiam ſapientia deriuatur, conſenſum noſtrum liberum, cùm voluntatem moueat motione libera: & pariter eam determinet determinatione libera. Vnde quando D. Auguſtinus dixit celebrem illam ſententiam. *Volenti ſaluum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium.* Non dixit Auguſtinus nullum manet arbitrium liberum: & idcirco negandum eſt decretum illud diuinum eſſe ſuppoſitionem neceſsitatem illam videlicet de qua loquitur Anſelmus ab aduerſarijs citatus, ſed potius eſſe ſuppoſitionem, quæ quamuis inducat infallibiliter operationem & conſenſum voluntatis, tamen id vult & inducit per illa media, & per illam gratiam, quæ quamuis fortiſsima ſit ſuauis eſt, & mouet voluntatem cum conferentia & collatione ex parte rationis, ſub illuſtratione Dei, non extrahendo voluntatem à propria eius conditione, neque rapiendo voluntatem raptu neceſsitate: & neceſſario compellẽte eam, vt auctores oppoſitæ ſententiæ nobis imponunt. Vnde cum adhuc poſito illo decreto voluntas poſsit non agere: ſequitur quòd liberè agit: & ex conſequenti illationes aliæ, quæ contra nos fiunt, ſatis apertè diſoluuntur, non ſolum per doctrinam traditã, ſed etiam per diſtinctionem illam de ſenſu compoſito, quæ optimè huic inſtituto applicari poteſt. Non enim ſtare poſſunt hæc duo ſimul inter ſe, quòd Deus decreuerit efficaciter aliquid liberè euenturum aut liberè agendum per volũtatis arbitrium: & quòd non fiat: quamuis in ſenſu diuiſo poſsit non fieri.

D. Auguſ.

AD quartum argumentum patet ſolutio ex his quæ diximus in reſpõſione ad primum. Nã certè electio illa Dei abſoluta per modum intẽtionis in illo priori facta à Deo, vt talis eſt præciſè, non includit connexionem cum operibus præuiſis & præcognitis niſi conſideretur per modum executionis: ſed hoc non ſupponit præuiſionem ex meritis, ſed magis facit merita & inducit plures effectus. Nam cum ſecundo loco Deus decernit de modo conſecutionis huius gloriæ: tunc etiam inducit effectus illos gratiæ, qui in argumento recenſentur. Quòd verò auxilia, quæ Deus dat ad operandum & ad conuerſionem hominum: & iuſtis ad perſeuerandũ hæc habeant connexionem cum libera cooperatione ipſorum tanquam cum effectu ſuo, id quidem ita ſentiendum eſt. Sed ex hoc non ſequitur ex reſpectu ad cooperationem tãquam ex merito præuiſo, aut tanquam ex cooperatione prægnita fieri electionem illã de qua eſt controuerſia. Et per hoc reſpondetur ad confirmationem. Et quando in ea dicitur, quòd gloria datur adultis vt præmium & merces ſuorum meritorum, ac proinde quòd ſicut merita habent connexionem cum noſtra libera cooperatione, ita etiam conſecutio gloriæ. Reſpõdetur, Deũ voluiſſe quibuſdam adultis electis libertate libera eos extrahere à maſſa perditionis, illiſque dare gloriam, nihil ſtatuendo in hac priori volitione de conditione aut modo dãdi illam, deinceps verò voluiſſe obiectum huius electionis eſſe eandem beatitudinem vt coronam iuſtitiæ, quia ſic perfectiori modo haberent illam. Itaq; gratis Deus dilexit illos ad gloriam in illa prima electione, & ille amor & affectus erga eos gratis factus eſt, ex quo tanquam ex radice & origine

Solutio ad quartũ principale argumentum.

Reſpondetur ad confirmationẽ.

gine multa bona data sunt eisdem adultis, per quæ factum est, vt gloria detur ex iustitia, seu tanquam corona iustitiæ per merita. Nam aliud est electionem saluandorum factam esse ex meritis præuisis: aliud verò velle dare gloriam propter merita: quoniam Deus sine vllo hominis merito præcedente aut præcognito, talem habuit affectum in illo priori: vt absolute, & efficaciter voluerit quosdam in particulari ad gloriam eligere: non tamen per illud decretum voluit, vt tales homines sine vllo labore suo gloriâ consequerenter. Et hoc probant rationes, & testimonia quæ in confirmatione adducuntur, & nihil amplius.

Solutio ad quintũ principale.

Ad quintum argumentum; respondetur Deum habuisse quidem illam voluntatem antecedentem respectu omnium hominum: & ex vi illius disposuisse, & voluisse illa generalia media, quæ omnibus communia sunt quoad sufficientiam. Postea vero nostro modo cognoscendi elegisse, efficaci voluntate, quos in particulari voluit, quod cogitamus Deum fecisse alia speciali voluntate, & ex vi eius disposuisse specialia media, & efficacia auxilia quæ eisdem conferret electis. Sed perpendendum est Catholicos Theologos, qui priorem voluntatem antecedentem constituunt, minimè repellere hanc secundam seu posteriorem, sed potius eam admittere: præcipuè cum non sint repugnantes inter sese voluntates illæ, neque etiam sint superfluæ, quia habent distinctos effectus, & diuersa obiecta, vt ostensum fuit supra.

Quorundam modus dicẽdi.

Aliqvi Theologi distinguunt electionem gloriæ, & dicunt gloriam dupliciter cogitari posse à nobis. Primò quatenus est quoddam summum bonum, & vltimus finis hominem beatificans: Secundò quatenus est præmium. Et primo modo affirmant fuisse à Deo definitam hominibus ante præscientiam meritorum; at verò posteriori modo, quatenus, est præmium, fuisse definitam ex meritis præuisis. Quæ doctrina non est paucarum Theologorum, neque infimæ notæ. Vnde obiectiones quæ contra hoc fiunt a quibusdam friuolæ, sunt.

Obiectio.

Quòd si dicas præmium vt præmium, supet bonum ipsum quod in præmium dicitur definiri; non addit nisi tantùm respectum rationis: ille autem respectus non est qui prædefinitur, sed ipsa res, & bonum prædefinitur: ergò cum dicatur, quòd Deus prædefiniuit gloriam ex præscientia meritorum non possumus non intelligere summum bonum beatitudinis. Sed quidquid sit de obiectione hac: sine dubio negari non potest quin beatitudo possit accipi, & quatenus est quoddam bonũ, & etiam quatenus potest donari intuitu meritorum. Cum verò summum illud bonum donatur secundùm leges iustitiæ per merita, id quod donatur vt verum præmium, est res ipsa: respectus autem, seu relatio illa non est id quod meremur, quamuis in ipso merito, & præmio inuoluatur respectus seu relatio. Præmium namque illud quod per merita datur est vera res realis ad quam terminantur merita. Vnde corruit obiectio istorum. Et fatemur id quod prædefinitur non esse relationem, sed esse rem ipsam: cæterum esse rem per leges iustitiæ obtinendam, & hoc est aliquid verum, & reale, quia tunc donatur summum bonum beatitudinis per realia merita.

Repellitur.

Svnt qui dicant, & rationabiliter quidem, non esse de ratione voluntatis antecedentis vt sit efficax, sed posse esse simplicem affectum; atque ita Deum voluisse omnes homines saluos facere voluntate antecedente. Vnde quamuis Deus voluerit affectu simplici amoris omnium salutem voluntate antecedente: tamen salutem quorundam in speciali efficaci voluntate voluit; vt constat in electione adultorum. Et Theologi non aliud dicunt, neque contrarium affirmant.

Solutio sexti argumenti principalis.

Ad sextum argumentum: communis solutio est, in aliquo esse similitudinem inter hominem, & Deum: qualis est illa, quæ in argumento adducitur: & in aliquo esse dissimilitudinem, & disparitatem, quæ valdè est perpendenda. Nam in eo deficit analogia, & similitudo: nimirum in hoc quòd voluntas vnius hominis non est ita posita in voluntate, & potestate alterius, vt efficaciter vel infallibiliter possit ab eo moueri pro arbitrio suo, quoniam nec per potentiam, nec per præscientiam habet hanc efficacitatem, vel physicam, vel moralem: At verò voluntas hominis, & cor eius in manu Dei est; & quocunque voluerit trahit illum: & vertit illum infallibiliter: Quod expressè D. Augustinus plerisque in locis docuit, præsertim in Enchiridio. cap. 95: dicens. *Quis tam impie desipiat vt malas hominũ volũtates neget Deũ posse conuertere, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit.* Quo in loco apertè Augustinus loquitur de voluntate absoluta, & efficaci, quæ infallibiliter habet effectum: quæ etiam non potest esse consequens ad præscientiam absolutam futuri effectus, cum de mente Augustini sit prima origo, & causa futuritionis eius. Apertius etiam rem hanc docuit idem Augustinus de correptione. & gratia capite 14. vbi sic ait. *Deo volenti saluum facere nullam hominum resistit arbitrium: sic enim velle vel nolle in volentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Et statim. *Deipsis hominũ voluntatibus facit quod vult & quando vult, habens humanorum cordium, quo voluerit inclinandorum, omnipotentissimam potestatem.*

Qualis similitudo sit inter hominẽ & Deum quantum ad id quod petit argum.

D. Augus.

Igitvr propter hanc disparitatem, & dissimilitudinem posset ad argumentum negari hęc analogia simpliciter. Vnde ad exemplu, quod adducitur in argumento non dubium est, quin Rex ille posset, quantum in se est velle, vt familiaris aliquis suus in quo nullum adhuc cognoscit meritum, vel opus, consequatur præmiũ illud, non tamen ita vt permanens sine merito illud obtineat: sed ita vt vellit illum consequẽ

Ad exemplum quod adducitur in argum.

ter habere merita illi præmio proportionata, eaque illi procurare quantum ex ipso est. Quoniam hoc modo voluntates illæ non sunt contrariæ aut repugnantes: quia per vnam sancitur, & statuitur lex de modo atque via consequendi præmium illud, per aliam verò intenditur idem præmium alicui, vt obtinendum per eadem media: non sane quia in illa persona præsupponantur, sed quoniam illi donabuntur, & præordinabūtur ex vi illius intentionis supradictæ. Nā hoc modo potest ipsemet homo antequam habeat merita illa, intendere efficaciter consequi finem illum, non quidem sine meritis, sed procurando illa ex vi illius intentionis: ergò idem poterit Princeps aut Rex, quia nulla est ratio sufficiens differentiæ, quidquid dicant Auctores oppositæ sententiæ. Hoc potest facile ostendi exemplo adducto in alia tertia persona. Nam potest aliquis alius à Principe, seu Rege quantum in se est efficaciter intendere, vt aliquis alius consequatur præmium illud, quāuis in eo meritum nondum viderit: non tamen intendendo aut volendo, vt illud consequatur absque vllo merito, sed potius consequenter volendo omnem suam industriam, & diligentiam adhibere vt ille habeat merita præmio proportionata. Et hoc totum est liberale, & gratuitum in eo, qui hoc vult circa aliam personam: licèt consecutio præmij, postea in re sit futura ex iustitiæ debito. Et hoc est certissimū & frequenter cōtingens in conuictu vitæ humanæ. Nā pater, quod in se est, efficaciter intendit filiū eius benè, & honestè consequi hunc statū honoris, seu hāc dignitatē, aut illam, quamuis in eo non præuiderit merita aut rectam aliquā dispositionē, quoniā in hac intentione virtualiter vult eā ei procurare: & idcircò eligit statim media: nimirum vt honestè, & bono cū exēplo viuat, dando operam litteris aut alicui virtuti eximiæ. Quo fit vt hoc ipsum in Rege, & Principe intelligi etiam debeat, quod in tertia persona euenire posse diximus: si tamen perpendamus Regem duplicem posse personam repræsentare: videlicèt legislatoris, & iudicis, qui daturus est præmium pro ratione meritorum, & personam amici, qui ex beneuolentia, & amore alicuius potest velle ipsi illud præmium, & consequenter velle merita, quæ necessaria sunt ad præmium illud. Et ad hūc modum philosophari potest, aut loqui de Deo. Et quod talis est illa voluntas dandi gloriam ante præscientiam meritorum, vt superius deduximus satis apertè præcipuè in solutione ad primum argumentū.

Ad septimum argumentum solutio.

Ad septimum argumentum responsio eius satis apertè constare potest, tam ex his quæ diximus solutione ad primum, quàm etiam ex his quæ adnotauimus superius in discursu tertiæ propositionis principalis. §. Quod sit obiectum huius electionis saluandorum. ex quibus locis constare potest ordo obiectorum volitorum à Deo: & quod sit prius volitum aut posterius. In his enim, quæ ad extra fiunt, & liberè à Deo sunt volita & amata Deus potest pro libertate sua velle vnum prius, & aliud posterius, & vnum ad aliud ordinare, nisi sit aliquid indecens, aut indignum Deo, vel repugnans diuinæ prouidentiæ, & sapientiæ, & hoc non reperitur in præsenti. Quocirca non est irrationabile, neque pro libito solum, aut sine ratione factum, quòd Deus pro summa sua liberalitate voluerit ex tanta multitudine hominum pereuntium quosdam ex adultis non solùm simplici affectu diligere, sed etiam re vera, & de facto efficaci voluntate eligere, vt eis bonum beatitudinis communicaret. Deinceps verò iuxta nostrum modum intelligendi decernere de modo consequendi hanc beatitudinem: quia illa prima dilectio, & volitio precisè terminata est ad collationem illius boni: nihil decernendo de modo, & conditione obtinendi eam, volens per electionem eandem, vt voluntas illa prior non aliter haberet effectum neque executioni mandaretur, quàm per merita. Rursus etiam cum Deus efficaci sua electione voluerit quosdam ex adultis in particulari ita liberare, vt eis bene vellet eligendo ipsos ad gloriam, voluit vt excellentissimo modo hanc gloriam consequerentur. Nam voluit obiectum illius electionis esse beatitudinē vt coronam iustitiæ obtinendam secundùm leges iustitiæ: vt sic perfectiori modo haberetur. Duæ autem istæ volitiones, quæ in vna, & eadem copulantur ex diuino beneplacito sapientiæ suæ non repugnant neque sibi contradicunt. Nam gratuitus ille amor liberalis erga hominem miserum ingens misericordia est erga illum. Et rursus hic amor gratis, & liberaliter versatur erga hominem illum, & donatur ei. Et ratione illius tanquā ex fonte, & origine multa alia bona gratis donanda erunt, vt sunt auxilia gratiæ actualis, & alia bona supernaturalia per quæ fiet vt homo habeat bona opera meritoria vt gloria detur ex iustitia. Dicant ergo modo aduersarij qualis sit repugnantia inter hæc obiecta. Nā hęc intentio, declarata his modis, à nobis relatis hic, & superius solutione ad primum, perfectissima est, in qua neque gloria sequitur danda sine meritis in re ipsa ad extra, neque etiam ex vi illius mutatur decretum si iustitia exigatur.

Nō est irrationabile, q Deus pro sua liberalitate voluerit quosdam voluntate efficaci eligere alijs relictis

Ratione illius primæ electionis multa bona tanquā ex fonte prædestinato deriuantur.

Et cum dicitur, quòd Deus non ordinat vnum ad aliud pro sola voluntate sua. Respondetur: quod in his quæ pendent ex libera Dei voluntate, & quæ fiunt ad extra, fieri potest Deum sicut sibi placuerit, duo connectere obiecta, & copulare, nisi in hoc includatur aliquid indignum Deo, aut repugnans ipsi. Quāuis illa obiecta non habeat ordinem inter se aut ex natura rei, aut ex mutuo, & necessario aliquo naturæ vinculo, & ordine. Dicere autem quòd in rebus liberis Deo, Deus necessitetur ad connexionem certam, & non aliter, est inconueniens. Per hoc autem non negamus, vt prius sit volitus finis, quàm media ordinata ad ipsum: aut quòd non sit alius ordo intentionis, & alius executionis,

aut

aut quòd sanitas in ægroto non sit prius intenta, quam medicina ad sanitatem. Neque dicimus, quòd in executione non fiat inuersus ordo. Ex quibus constat negandam esse consequentiam. Similiter etiam negatur, quòd Deus non prius habuerit intentionem dandi amorem suum cum voluntate extrahendi quosdam homines à miseria, vt potirentur gloria, quàm vel præuideat ipsorum merita, vel aliquid quod se teneat ex parte ipsorum: deinceps verò velle obiectum huius electionis non quocunque modo esse obtinendum, sed vt coronam iustitiæ, & hoc fuisse Deo liberum, & voluntarium, ita vt quamuis in tempore prius sint merita, quàm detur illa corona iustitiæ, tamen Deus voluntaria illa, & affectuosa intentione, quam habuit erga aliquos, prius voluit bene illis facere, volendo eis gloriam, quàm decerneret, & statueret de modo seu conditione conferendi illis eam.

Maior explicatio difficultatum præcedentium, vbi hinc inde argumenta proponuntur, & eorum vis atque efficacia examinatur, ad acuenda ingenia.

DENIQVE vt difficultas huius quæstionis postremo hoc loco aperiatur propter rationes tactas in superioribus, aliqua sunt à nobis hoc loco discutienda, & hinc inde ventilanda antequam respondeamus ad illationes ex Sacris Literis, & ex Diui Augustini doctrina deductas, in quibus auctores oppositæ sententiæ aliquid in fauorem suum putant contineri.

DICO igitur perpendendum esse valde: quòd per media ordinata ad consequendum gloriam, circa quæ versatur actus diuinus, ille videlicèt qui nostro modo cogitandi habet rationem electionis: duo possunt intelligi, & primum comprehendit illa media, quæ sunt effectus liberi arbitrij creati: huiusmodi autem sunt actus necessarij ad præceptorum impletionem, victoria tentationum, vitatio peccati mortalis, & tandem omne id quod fit ab electis, si sit medium ad consequendam beatitudinem. Secundum comprehendit illa omnia auxilia, quæ Deus tribuit electis, vt faciant hæc omnia, quæ diximus esse effectus liberi arbitrij. Et licèt possent esse controuersiæ de vtrisque, præcipuè tamen difficultas est de ipsis effectibus, qui sunt actus liberi arbitrij: Quia admittimus potuisse prædefiniri à Deo omnes hos effectus, & actus liberi arbitrij creati, manente salua intrinseca libertate ipsius arbitrij, cum determinatione voluntatis diuinæ, qua Deus vult dare electis auxilia talis conditionis, vt inducant cooperationem liberi arbitrij: considerando media, & auxilia per modum principij: imò verò admittimus arbitrium ita eleuatum per actualem Dei motionem, præsupponi suis actibus per modũ principij quod. Auxilia vero efficacia gratiæ actualis Dei diximus ex vi efficacitatis suæ cum libero arbitrio, infallibiliter, inferre productionem istorum actuum & effectuum eiusdem arbitrij humani, aut Angelici, sed cum libertate.

QVAE autem difficultas sese offerat circa hoc, placet eam adducere. Igitur accipiamus in particulari auxilium gratiæ Dei, quod ex illa electione diuina datur, verbi gratia, Petro, ad eliciendum actum conuersionis seu pœnitentiæ. Et interrogo, vtrùm hoc auxilium respectu huius actus sit intrinsecè secundùm suam entitatẽ determinatum ad alteram partem: videlicèt ad hoc, vt talis actus conuersionis producatur: vel potius sit indifferens intrinsecè ad vtranq; partem, nimirum ad hoc, vt producatur, & nõ producatur talis actus. Hoc secundum dici non potest, quia cum auxilium illud sit aliquid positiuũ, & principium operandi, non videtur quomodo sit ex sua conditione indifferens ad nihil agendum. Rursus etiam dici non potest hoc secundùm, quia repugnat propositæ sententiæ in superioribus: videlicèt quia repugnantiam inuoluit, virtutem actiuam seu principium agendi secundùm suam entitatem intrinsecam esse indifferentem ad agendum, & non agendum, seu ad vtranque partem respectu actus producendi, & quod simul sit talis conditionis vt ex vi indita illi, inferat infallibiliter effectionem, & productionem talis actus. Cuius rei ratio aperta est. Nam virtus actiua quæ de se, & de entitate sua est indifferens ad vtranque partem non magis postulat secundùm suam entitatem vnam partem quam alteram, & in hoc consistit huiusmodi indifferentia: ergò non infert ex propria ratione, aut vi, neque etiam vt venit à Deo infallibiliter & determinatè vnam earum.

HVIC difficultati se se offert primò dicendum, quod non potest facilè intelligi quo pacto auxilium gratiæ Dei positiuum quod in se habet veram realitatem physicam: qua constituitur in actu primo potentia cui infunditur à Deo per modum principij ad agendum, dicatur in se ipso esse principium intrinsecum ad non agendum seu intrinsecè indifferens in negatione agendi: quia cum sit positiua entitas & de se constituens potentiam in actu primo positiuè respectu actionis, non facile cogitatur quo pacto ipsa virtus actus primi æqualiter sit indifferens ad non agendum sicut ad agendum. Quoniam ad non agendum non requiritur illud principium positiuum agendi, & operandi. Quocirca solùm dicendum videtur entitatem illam gratiæ actualis Dei ita mouere voluntatem, & inclinare illam positiuè ad actionem suam, vt non moueat eam necessariò necessitate oppositæ libertati, quia potest resistere. Sic enim voluntas mouetur à Deo ex auxilio sibi infuso ab ipso, vt etiam ipsa se moueat: ac proinde quòd cum mouetur à Deo motione libera mouetur, cum etiam ipsa se moueat habeatque auxilium gratiæ commensuratum libertati cum efficacia

Media ordinata ad consequendam gloriam in duplici sunt differentia.

Quæ difficultas se offerat in præsenti circa auxiliũ efficax.

Solutio ad propositam difficultatẽ

Ad non agẽdum non requiritur principium positiuum.

agendi respectu operis. Id enim Deo subditur, qui non solum facit ea quæ vult, sed etiã eo modo quo vult, cui subduntur res, & etiam modi agendi tanquam infinito artifici infinitè sapienti, & infinitè potenti, qui nouit modum, & adaptationem gratiæ suæ ad infallibiliter inferendum effectum contingentem & liberum.

Et si determinetur voluntas per auxiliũ ad actum pœnitentiæ. v. g. non ideò aufertur ipsius libertas Obiectio.

Quocirca auxilium gratiæ Dei quatenus est forma quædam supernaturalis infusa voluntati, & eam constituens positiuè in actu primo, dicitur efficere vnum principium simul cum libero arbitrio ad agendum, & cum actuet voluntatem suum habet effectum formalem determinatum, & ita formaliter determinatur voluntas quatenus per modum principij præsupponitur actui pœnitentiæ in eadem voluntate. Ex hoc tamen non sequitur quòd non relinquatur in voluntate quatenus est principium effectiuum huius actus libertas, aut potentia in ipsa voluntate ad resistendum vel non agendum: quia forma illa gratiæ contemperatur voluntati in ratione libertatis, ita vt eam moueat, & afficiat per ordinem ad Deum vt subijciatur illi quantum ad actionem efficiendam, & quantum ad modum agendi libertatis liberum. Dices esse repugnantiam eandem potentiam quatenus per modũ principij præsupponitur alicui actui, simul esse intrinsecè indifferentẽ ad vtrãque partem, & determinatam ad alteram partem respectu eiusdem actus. *Solutio.* Respondetur, quòd illa determinatio, qua per modum principij voluntas verè constituitur in actu primo, & præsupponitur suæ operationi, dicitur determinatio libera: quia ita positiue voluntatem constituit in actu primo agendi, vt nihilominus voluntas pro conditione suæ libertatis possit resistere, & non agere. Quod potissime ex effectu, quem efficit liberum arbitrium, quatenus per modum principij præsupponitur illi actui & effectui, explicari potest: quia effectus inde sequutus qui liberè sequitur, determinat voluntatem in actu secundo, ita vt quando actu operatur etiam prout exercet actum illum dicatur voluntas determinata ad vnam partem actualiter, & formaliter, & nihilominus quando tunc operatur actu, liberè etiam tunc operatur, alioqui nunquam liberè, aut cum indifferentia libertatis operaretur. Rursus etiam non est inconueniens voluntatem secundum hanc rationem vere esse indifferentem, & nihilominus quatenus actu afficitur per formam positiuam gratiæ, quæ est principium agendi, & vt actu exercet operationem, determinatam esse ad illam partem formaliter. Nã eo modo quo aliquid, vt forma, est ratio agendi, constituit suum subiectum in actu primo ad agendum: quod efficit gratia actualis Dei seu auxilium eius, quod est tanquam forma, & ratio agendi respectu operationum supernaturalium, ad quas inclinat & determinatè mouet motione illa libera Deo subiecta quã tum ad actionem, & modum agendi actiones.

Fortitudo, & suauitas Dei in suis operationibus in quo sita sit.

Hæc igitur est fortitudo, & suauitas Dei circa nostrum liberum arbitrium, vt ipse aptet gratiam suam cum proportione quadam ad voluntatis libertatem, ita vt etiam sit verum, vt omne quod recipitur ad modum recipientis recipiatur: ac proinde sicut voluntas libera est, ita quidem auxilium quod in ea recipitur libertatem ipsius non lædat, sed ita eam suauiter determinet ad id ad quod positiuè inclinat auxilium, vt id efficiat determinatione libera, quippe forma illa gratiæ recipitur in ipsa, secundùm suam naturam, & per adaptationem factam à Deo. Atque adeò sicut voluntas etiam quando actu exercet operationem suam habet determinationem ad illam partem, quæ non tollit libertatem exercitam in ipso actu: pari modo neque actus primus qui præsupponitur lædit libertatem.

Hoc solet à quibusdam confirmari etiam de auxilio excitante, & sufficienti solùm. Nam huiusmodi auxilium vel constituit voluntatem determinatè in actu primo ad operandum, vel ad non operandum, & nihil agendum. Sed non constituit eam ad nihil agendum, & ad nõ operandum: ergò ad operandum. Vnde ex Theologorum sententia recepta, forma quæ est operatiua habet duos effectus, vt superius nos retulimus. Vnum quidem in genere causæ formalis, qui est subiectum esse potens proximè, aut constitutum in actu primo ad operandum. Nam auxilium gratiæ actuat liberum arbitrium illi inhærendo, & constituit vnum principium supernaturale cum eo ad agendum. Alterum effectum habet in genere causæ efficientis, qui est operatio ipsa: & id circo forma, quæ quantum ad priorem effectũ est determinata ad vnum, potest esse indifferens, & indeterminata quantum ad posteriorem effectum: quia quantum ad hunc effectum potest modificari à Deo iuxta conditionem, & naturam subiecti in quo recipitur. Et rursus quia non repugnat esse eandem formam determinatam per modum actus primi, & indeterminatã quoad actum secũdum, quia huiusmodi determinatio, & indeterminatio respiciunt diuersa: sicut habitus quicunq; virtutis aut vitij, quãtum ad priorem effectum, qui est constituere suũ subiectum in actu primo, est determinatio ad alteram partem. Nam cum huiusmodi effectus non sit aliquid distinctum ab ipsa forma, vt vnita subiecto, quantum ad eam partem nullã habent indifferentiam: At vero quantum ad posteriorem, qui est actu agere & actu operari, habet indifferentiam libertati voluntatis aptam ad vtramque partem iuxta naturam sui subiecti, quod est volũtas. Et pariter volũtas ipsa est determinata per modũ actus primi, quia est actus primus appetitiuus: est tamẽ indeterminata quo ad actũ secundũ: Et eodem modo dicitur ab huiusmodi Theologis de auxilio de quo loquimur esse determinatum ad vnam partem quoad priorem effectum: quia ita constituit subiectũ

Forma operatiua duos habet effectus, vnum ingenerecausæ formalis, in genere causæ efficientis aliũ.

Eadem forma potest esse determinata & indeterminata respectu diuersorũ.

in

in actu primo in ordine ad actum secundum pœnitentiæ, vt non constituat in actu primo ad alium actum: tamen quoad posteriorem effectum dicitur esse indifferens quoad vtramque partem: quia voluntas quatenus est eius subiectum est eodem modo indifferens quia libera.

CONTRA hoc tamen nonnulli insurgunt, & faciles obiectiones conficiunt, quæ quia possent tantisper detinere lectorem, obseruare oportet, quod determinatio ad vnum necessaria seu necessitans, quæ in aliqua potentia operatiua opponitur libertati siue indifferentiæ: & indeterminatio in qua hæc libertas, seu indifferentia consistit, non conueniunt tali potentiæ per respectum ad effectum quem dat suo subiecto in genere causæ formalis, sed per respectum ad effectum cuius est causa simul cum subiecto in genere causæ efficientis: Quia aliàs sequeretur omnes formas, & potentias actiuas esse determinatas ad vnam partem determinatione quæ opponitur libertati, quod est absurdum: & patet sequela, quia omnis huiusmodi forma est determinata ad vnum respectu sui effectus formalis, non solum quoad specificationem in quantum est determinata ad dandum effectum vnius speciei, ita vt non sit indifferens ad dandum effectus formales distinctarum specierum: sed etiam quoad exercitium, quia est determinata ad dandum in exercitio huiusmodi effectum, ita vt si vniatur subiecto non possit non dare eum.

Indeterminatio, in qua consistit libertas voluntatis, conuenit ipsi per respectum ad effectum quem causat in genere causæ efficientis.

EX hoc tamen colligunt aliqui Theologi superiorem doctrinam posse impugnari, & vinci: Primò, quia licet operatio sit effectus formæ actiuæ in genere causæ efficientis: tamen subiectum esse potens, & constitutum in actu primo in ordine ad eandem operationem, est eius effectus in genere causæ formalis. Deinde licèt determinatio formæ actiuæ ad dandum suum effectum formalem, & indeterminatio eiusdem formæ ad productionem operationis, ad quam ordinatur respiciat diuersa, & ex consequenti possint simul conuenire eidem formæ, tamen determinatio & indeterminatio formæ actiuæ, & sui effectus formales in ordine ad operationem non respiciunt diuersa, sed eandem operationem, & idcircò non possunt conuenire simul eidem formæ vt sic, aut effectui formali. Sed profecto hæc sunt difficilia propter exempla adducta de habitu virtutum, & vitiorum. Nam difficile est explicare quo pacto habitus secundum se, & immediatè habeat intrinsecam indifferentiam, & indeterminationem in ordine ad operationem, cùm secundum se, & immediatè importet libertatem, neque præsupponat indeterminationem iudicij, quæ radix est, & fundamentum huiusmodi indeterminationis in principio operatiuo. Et idcirco exemplum propositum de habitibus habet rationabilem vim ad explicandum qua ratione forma determinata ad vnam partem respectu alicuius operationis, relinquat subiectum suum liberum seu indeterminatum respectu eiusdem operationis.

Quod exemplum de habitibus aliquantumcò ducat ad explicandam præsentem difficultatem.

VERVMTAMEN hoc volunt aliqui non sufficere: quia potest explicari qua ratione habitus secundùm se habeat indeterminationem, quamuis secundùm se, & immediate neque importet libertatem, neque præsupponat cognitionem: Quia nimirum habitus non est principium principale operationis etiam in ordine primorum principiorum; sed solùm est principium vt complementum potentiæ: & idcircò ad eius indeterminationem non est necessarium quod secundùm se, & immediatè importet libertatem, aut præsupponat indifferentiam iudicij: quia satis est quod vtrumque ei conueniat media potentia quam complet. Vnde etiam prouenit, quod indifferentia, & indeterminatio tantùm conueniunt ei vt complemento potentiæ liberæ, & indifferenti ad vtranque partem: atque adeò quod consistat in hoc quod non determinet ad vnam partem potentiam quam complet, sed potius quod ab ipsa determinetur & quasi subijciatur eius libertati quoad vsum. Nam habitibus vtimur cum volumus. Posset ergo quidquid sit de eo in quo consistit indeterminatio habitus in ordine ad operationem aliquis interrogare: Vtrùm sicut habitus subordinatur libertati voluntatis quoad vsum, ita etiam hoc auxilium de quo loquimur subordinetur eidem voluntati, vel potius subordinet, & subdat voluntatem, determinando eam ad operandum. Si dicatur hoc secundum, id sane videtur difficile, quia sic videtur non stare voluntatis libertatem cum determinatione huius auxilij. Si autem dicatur primum, sequitur, quòd sicut quia habitus subditur libertati voluntatis quoad vsum, non est infallibile posito habitu voluntatem operari, ita etiam propter eandem rationem: videlicèt quia etiam hoc auxilium subditur eodem modo libertati voluntatis non sit infallibile posito hoc auxilio voluntatem consentire aut exercere eundem actum ad quem datur ipsi prædictum auxilium.

Quantũ sit discriminis inter habitum & auxilium.

SED profectò adhuc non est simile, quoniã habitus non est datus neque adquisitus per modum formæ actualiter operantis, neque tanquam complementum actualiter agens, sed præcisè per modum formæ habitualis quæ potest agere, vel saltem influere quoties potentia se applicuerit cum eo ad agendum: at vero auxilium de quo loquimur est gratia actualis, quæ non solùm vnita subiecto tribuit illi suum esse formale, sed vlterius habet, vt venit à Deo quod actualiter applicet voluntatem simul actu operando, quia habet talis actualis Dei gratia firmam connexionem cum suo effectu, seu cum actu & contritione aut conuersione voluntatis.

SOLET etiam responsio alia & solutio assignari difficultatibus propositis: qua explicatur

quonam pacto, supposito quod hoc auxilium secundùm se sit determinatum, in ordine ad actum, & non habeat neque illum modum indifferentiæ quem diximus conuenire habitibus virtutum, & vitiorum, maneat in voluntate libertas seu indifferentia intrinseca ad vtramque partem respectu operationis, ad quam hoc auxilium datur illi. Ea vero responsio, & solutio esse solet: ex vi determinationis huius auxilij solùm sequi voluntatem esse determinatam ad vnam partem ex suppositione, quòd auxilium hoc actuale in ea ponatur, quod non tollit à voluntate libertatem simpliciter, tum quia necessitas ex suppositione stat cum libertate simpliciter: nam agens liberum, quandiu agit, liberè agit, & non necessitatur, sed tunc potius quando agit liberè operatur, & cum indifferentia, aliàs nunquam agens liberum operaretur liberè, si quando actu agit, non liberè agit de præsenti. Et forte hæc dicitur suppositio de qua dicitur, Aristotelem dixisse: Omne quod est quando est, necesse est esse. quam quidem propositionem omnes interpretantur de necessitate ex suppositione, quæ neque tollit contingentiam, neque lædit libertatem simpliciter: Tum etiam quia talis suppositio non tollit collationem, & conferentiam rationis, neque indifferentiam iudicij, quæ radix est libertatis in voluntate, neque inducit iudicium infixum, quale est in brutis: quia non obstante determinatione voluntatis proueniente ab hoc auxilio proponitur per intellectum actus ad quem datur hoc auxilium, cum eadem indifferentia, tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem, atque si non esset positum auxilium illud in voluntate, & quod hæc fut ficiant, vt maneat libertas simpliciter in voluntate, non obstante illa auxilij determinatione: hoc potest explicari, quia talis determinatio proueniens ab auxilio actualis gratiæ dicitur determinatio libera, quia non repellit libertatem aut indifferentiam ab ipsa potentia libera. Imò verò cum natura libertatis fundetur tanquam in verò principio, & radice in illa indifferentia iudicij, & rationis dicendum est ipsam manere in voluntate simpliciter loquendo. Nam cum radix eius sit hæc indifferentia rationis, & iudicij fatendum est ipsam manere simpliciter in voluntate. Hoc dixit Ruardus Tapper Decanus Louanienſis, qui etiam voluit quod repulso iudicio à natura infixo, & manente indifferentia rationis, & iudicij maneat etiam libertas. Nam certè cum voluntas creata se determinat ad operandum, siuè id fiat formaliter per actualem operationem, siuè per aliquid aliud ei præsuppositum, operatur certò, & ex suppositione huius determinationis infallibiliter, sed nihilominus cum libertate simpliciter. Primò quia operatur cum conferentia, & collatione ex eo quod operatur præsupposita illa indifferentia rationis, & iudicij: & similiter voluntas, quę iuxta conditionem suam tunc mouetur à Deo, potest resistere, quia liberè agit, & se mouet: quia ita mouetur à Deo vt se moueat etiam. Vnde voluntas diuina est libera in his omnibus quæ ad extra vult, & quotidie facit, licèt ab æterno fuerit determinata ad alteram partem, respectu cuiuscunque creaturæ aut effectus: & nihilominus habet libertatem simpliciter circa quascunque creaturas, quatenus nulla creatura proponitur per intellectum diuinum vt necessariò volenda: Quia neque proponitur, vt bonum Dei, quod est ipse Deus, neque proponitur vt habens necessariam connexionem cum eo: ac proinde licèt voluntas eius ab æterno fuerit determinata ad alteram partem circa futura: nihilominus habet libertatem. Et ex hoc exemplo possumus habere lucem ad explicandam rem de qua agimus, & libertatem nostram.

Alia via respondendi ad propositas difficultates.

Quòd stante determinatione voluntatis proueniente ex auxilio maneat in ipsa libertas.

Ruardus Tapper.

Cvm hæc ita sint nihilominus adhuc sese offerunt difficultates circa hoc, & prima illarum est: determinationem voluntatis proueuientem ab hoc auxilio gratiæ actualis Dei non lædere aut tollere libertatem hanc. Et vt res hæc apertè declaretur constituo hanc rationem: Quia vel hæc determinatio conuenit tantùm voluntati quatenus actu operatur, vel quatenus per modum principij præsupponitur saltem ordine naturæ ad suam operationem. Primum dici non potest, quia est contra id quod supponitur, vt certum, in ea sententia ad cuius defensionem assignatur hæc responsio, videlicèt hoc auxilium gratiæ actualis determinatum dari voluntati quatenus per modum principij præsupponitur operationi: Si dicatur secundum, sequitur voluntatem per modum principij præsuppositi ad suam operationem non habere intrinsecam indifferentiam ad vtramque partem respectu eiusdem operationis. Ex quo vlterius sequitur non habere libertatem simpliciter. Prima sequela probatur: quia videtur inuoluere repugnantiam quod idem principium, quatenus præsupponitur suæ operationi, sit intrinsecè indifferens ad vtramque partem, & intrinsecè determinatum ad vnam, respectu eiusdem operationis. Secunda autem sequela probatur, quia nos sumimus libertatem simpliciter, vt dicit illam indifferentiam ortam à radice, & vt fertur vel ferri potest ad vtranque partem quæ conuenit principio operatiuo libero, quatenus præsupponitur suæ operationi. Vnde iuxta communem sententiam principium liberum operatiuum est, quod positis omnibus requisitis ad agendum habet tale dominium in suam actionem, & talem potestatem, vt possit agere, & non agere. Hæc est summa difficultas huius materiæ, & in qua nodus concordiæ liberi arbitrij cum diuina gratia præmouente, & cum diuina prædestinatione consistit, & in qua dilucidanda, & explicanda insudarunt Sancti Patres, & antiqui Theologi,

Noua, & maxima in surgit hoc loco difficultas.

quamuis

quamuis nouioribus, & modernis huius ætatis res hæc facile videatur posse componi: nimirum ex præuisis operibus, aut ex præuisis meritis, seu præcognita cooperatione liberi arbitrij simul cum sua scientia media, quam nouè excogitarunt.

Vis difficultatis augetur.

AVGERI potest difficultas proposita: primò quidem, quia quando ex suppositione sequitur necessariò operatio alicuius principij operatiui, si non est in potestate ipsius principij, vt ea suppositio ponatur, vel non ponatur, necessariò & non liberè operatur tale principium: sed iuxta responsionem superius datam, ex suppositione, quòd voluntati detur hoc auxilium, necessariò sequitur voluntatis operatio, & non est in potestate ipsius voluntatis poni vel non poni hanc suppositionem, videlicèt, quod detur sibi hoc auxilium: ergò voluntas in hoc casu necessariò simpliciter, & non liberè operatur. Quod ab Auctoribus oppositæ sententiæ confirmatur: quia suppositio determinans principium operatiuum ad vnam partem reddit simpliciter impossibilem alteram partem respectu eiusdem principij, atque adeo tollit à tali principio potentiam simpliciter ad vtramque partem, sed hoc auxilium determinat voluntatem, quatenus est principium operatiuum ad vnam partem, vel ad exercendum operationem: ergò reddit simpliciter impossibilem voluntati alteram partem scilicèt, non exercere operationem, & consequenter tollit à voluntate potentiam simpliciter ad vtramque partem.

Confirmat.

RVRSVS difficile est intelligere, quòd voluntas determinetur à Deo per auxilium gratiæ suæ ad vnam partem, & quod non determinetur iudicium intellectus ad eandem partem: Nam voluntas ex conditione naturæ suæ apta est moueri, & determinari media, motione & determinatione intellectus: ergo cum Deus de facto mouet, & determinat eam, id sane facit media hac motione, & determinatione intellectus: ac proinde non determinat voluntatem, relinquendo in intellectu indifferentiam rationi quoad iudicium.

Eadem vltimò magis aperitur ex parte iudicij.

PRAETEREA videtur satis difficile, quòd sufficiat indifferentia rationis, aut iudicij, vt voluntas habeat libertatem, & indifferentiam ad vtranque partem. Vnde formo, & confirmo hunc discursum: Quia vel per indifferentiam iudicij intelligitur modus rei cognitæ, & propositus voluntati per huiusmodi iudicium: videlicèt esse bonum deficiens à ratione summi boni à qua solum necessitatur voluntas, aut modus ipsius iudicij: & circa vtrumque inquiritur vlterius: Vtrùm propter illam indifferentiam iudicij maneat voluntas in esse, & secùndùm se indifferens, & indeterminata circa rem, quæ est obiectum ipsius iudicij, vel potius ea non obstante sit intrinsecè determinata ad vnam partem circa talem rem. Si dicatur primum, sequitur voluntatem non esse determinatam per auxilium, quia vt dictum est inuoluit repugnantiam simul esse intrinsecè determinatam, & indifferentem. Si dicatur secundùm, sequitur voluntatem secundùm se, & intrinsecè non esse liberam simpliciter. Probatur sequela, quia libertas de qua loquimur consistit in indifferentia ad vtranque partem: ergò eo modo conuenit voluntati libertas, quo conuenit indifferentia: & ex consequenti si indifferentia solùm conuenit in hoc casu voluntati extrinsecè nimirum in iudicio, quod ei præsupponitur, & non intrinsecè, & secundum se: similiter dicendum erit libertatem non conuenire ei secundùm se, & intrinsecè, sed solum extrinsecè, scilicèt in eodem iudicio, seu ratione. Nam certè libertas sumitur duobus modis, primò formaliter, & sic consistit in pleno dominio, & potestate proxima ad operandum, & non operandum: & ab omnibus constituitur in indifferentia intrinseca voluntatis, quatenus per modum principij præsupponitur suis operationibus. Secundò sumitur radicaliter, & sic consistit in eo quod sit raddix huius potestatis, & pleni Dominij: ergo si in nostro casu solùm ponitur indifferentia in ratione, & iudicio, & non ponitur indifferentia intrinseca in voluntate, sequitur solum saluari libertatem radicalem, & non formalem. Patet sequela: Nam quamuis indifferentia iudicij requiratur ad libertatem simpliciter, ita vt nihil sit capax libertatis nisi sit capax huius indifferentiæ in iudicando: neque actu operetur liberè, nisi præsuppositа hac indifferentia iudicij, non tamen sufficit, sed vlterius requiritur plenum Dominium actionum, & indeterminatio potentiæ appetitiuæ ad agendum, & non agendum: ergo &c.

FATEOR ego has omnes difficultates, & plures alias contineri in hac concordia liberi arbitrij cum gratia Dei actuali duce, ac præduce, sub qua determinatur à Deo voluntas. Quas sane omnes difficultates optimè senserunt Patres antiqui, & ob id difficillimam reputauerunt quo ad explicationem, hanc connexionem liberæ voluntatis cum diuina prædestinatione infallibili, & cum auxilijs Dei preuijs seu cum gratia actuali Dei efficaci, & cum diuina præscientia. At vero Sancti Patres, antiqui nihilominus decreuerunt Dei efficacem gratiam, & determinationem voluntatis prouenientem ab auxilio gratiæ Dei minimè tollere aut lædere libertatem eius. Quocirca voluntas cum se mouet, & determinat, mouetur quidem sub determinatione Dei, & non ob id minus liberè se determinat quam si Deus non influeret in eam nec determinaret, vt Ruardus Tapper dixit articulo illo. 7. contra Lutherum. *Attingit enim Sapientia diuina à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Sapientiæ. 8. ita vt liberè & cõtingenter quamuis indeclinabiliter & infallibiliter sequatur semper volũtas, vt

Quanta sit præsens difficultas, & quòd à sanctis Patribus fuerit satis cognita.

Sapient. 8.

idem Decanus Louanienſis loco citato docuit, quam doctrinam deſumpſit ex Diuo Auguſtino libro de correptione & gratia dicente. *Subuentum eſt infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur. Nam illi qui vocantur ſecundùm æternũ Dei propoſitum* (vt dicit D. Auguſtinus) *indeclinabiliter, & inſeparabiliter vocationem ſequuntur.* Dico igitur quod voluntas quando actu operatur veram habet determinationem, quia operatur ex eo quod operatione ſua ſe determinat: veruntamen per modũ principij præſupponitur gratia actualis diuini auxilij, quaſi per modum actus primi, ex qua ſequitur conſenſus, qui eſt operatio voluntatis, à qua actu ſe determinat voluntas. Vnde D. Ambroſius, & D. Proſper, in libris de vocatione Gentium, & D. Auguſtinus cenſent illam gratiam actualem à qua determinatur voluntas, & cui ſubordinatur potẽtia voluntatis nõ tantum eſſe comitem, ſed etiã ducem, ac præducem. Neque tamen ob id putarunt hi patres tolli libertatem aut lædi. Si dicas hoc auxilium gratiæ diuinæ determinatum ad vnum dari volũtati, quatenus per modũ principij præſupponitur operationi. Reſpondetur, auxilium illud eſſe determinatũ determinatione libera, quatenus non trahit voluntatem neceſsitando ipſam, ſed trahit illam fortiter ſuauiter, ita vt in ea maneat poteſtas ad reſiſtendum. Dicitur ergo illud gratiæ auxilium determinatum determinatione libera, ob id quod ita mouet voluntatem, vt principium ſimul cum ea ſui conſenſus & operationis relinquat in voluntate veram poteſtatem non agendi. Quo circa quamuis eſſe intrinſecè indifferens, & intrinſece determinatum pugnent inter ſe, id quidẽ debet eſſe reſpectu eiuſdem & ſub eadem ratione: nam intrinſecè indifferens, id eſt nõ neceſsitãs, dicitur auxilium illud cum quo non repugnat, quòd auxilium illud dicatur determinare volũtatem determinatione libera, & ſub hac ratione poteſt dici determinatum, vt venit à Deo ex eius decreto, & propoſito ad hoc vt peccator conuertatur: cui non repugnat indifferentia ex eo quod dicitur auxilium nõ neceſsitans & ſic eſt intrinſecè indifferens. Et cum augetur difficultas: reſpondetur, quòd ſequi neceſſariò ſtat dupliciter, nimirum neceſſariò id eſt infallibiliter: & ſecundò, id eſt ſine vlla libertate, & ex ſuppoſitione omnino neceſsitante ad modum naturæ. Rurſus etiam ſequi neceſſariò poteſt, intelligi de neceſsitate conſequentis, vel de neceſsitate conſequentiæ: Et quidẽ operatio ſeu conſenſus voluntatis ſequitur ex ſuppoſitione illa gratiæ actualis infallibiliter, ſed nõ quaſi ex ſuppoſitione neceſsitante ad modũ naturæ. Et ſequitur neceſſariò neceſsitate illationis & conſequentiæ, non conſequentis aut ſine vlla libertate hoc enim ſemper negandum eſt. Vnde negare etiam oportet, quòd voluntas tunc nõ operetur cum dominio ſuæ operationis, ac proinde, quòd non ſit in poteſtate ipſius contradicere, & reſiſtere, ea tamen ſuppoſitione facta, quia illa ſimul eſt connexa cum operatione eiuſdem gratiæ, non ſtant ſimul in ſenſu compoſito ſeu compoſitiue, quòd illa gratia actualis operatiua ſit in voluntate & quòd voluntas nihil agat, aut non operetur, quamuis abſolutè id poſsit, vt ſolerter perpendit Stapletonus explicans teſtimonium Concilij Tridentini locis ſuperius citatis. Et quando vlterius inſtatur, quia ſuppoſitio determinans principium operatiuum ad vnam partẽ reddit ſimpliciter impoſsibilem alteram partem reſpectu eiuſdem principij. Reſpondetur, quòd ſi ſuppoſitio determinat neceſſitando ad vnam partem determinatione neceſſaria ſeu neceſsitãte, vera eſt maior. Cæterum ſi ſuppoſitio non determinat determinatione neceſſariò neceſsitante ipſum principium operatiuum, non reddit ſimpliciter impoſsibilem alteram partem: Et talis eſt illa gratia, quæ ſupponitur in volũtate, quòd de facto determinat voluntatem ad operationem ita fortiter & ſuauiter, non quòd ſola ipſa producat aliquam actionem determinatiuam, ſed quòd ipſa, vt venit à Deo, ſimul cum voluntate, efficiunt conſenſum cum poteſtate non faciendi: verum ea gratia poſita in exercitio & in actuali influxu eius, ſicut ponitur ſtatim atque infunditur non ſtabit ſimul, quòd ipſa ponatur & non ſequatur operatio eiuſdem voluntatis. Nam quis dicet diuinam voluntatem non agere liberè circa productionem ad extra rerum omnium & operationum, & ad volendum vnam creaturam & vnam operationem potius quàm aliam: quoniam ab æterno fuit determinata ad alteram partem, reſpectu cuiuſcunque creaturæ: & nihilominus nunc habet libertatem ſimpliciter circa quaſcũque creaturas & circa quaſcunque operationes, quia nulla creatura proponitur per intellectum diuinum vt neceſſariò amanda. Sufficienter ergò diſſoluitur difficultas tacta.

QVANDO vrget poſtea argumentum, quòd difficile eſt intelligere quòd voluntas determinetur à Deo per auxilium efficax gratiæ ſuæ, & quòd non determinetur iudicium intellectus ad eandem partem. Roſpondetur: quod ſi voluntas determinaretur determinatione neceſsitante, tunc determinaret iudicium intellectus, ita vt eſſet infixum à natura ſicut in brutis. Cæterũ quia voluntas determinatur determinatione libera, pari modo determinatur iudiciũ intellectus à Deo, nimirum cũ conditione, & modo operãdi libero, hoc eſt mouendo ad collationẽ & conferentiã, & deinceps ad iudicium, oſtendendo bonitatem obiecti, non quidem omnino infinitam, ſed limitatam, & ita cum quadam indifferentia. Ex quibus conſtat negandam eſſe conſequentiam. Plura alia dicere poſſemus de hac re quæ tamen à nobis ſcripta ſunt & dicta in ſuperioribus in diſcurſu huius materiæ, & etiam in diſputatione de diuina prædeſtinatione. Nam certè argumentum illud tritum, & vulgare de ſuppoſitione diuina quatenus ſupponitur gratia efficax, determinans principium operatiuum, qua poſita neceſſa-

riò

D. Auguſ.

Soluitur propoſita difficultas.

Quomodo auxiliũ ſit intrinſecè indifferens & intrinſecè determinatum reſpectu diuerſorum.

Ad id quod difficultas augetur.

Quòd ſequi neceſſariò ſtat dupliciter.

Stapletonus

Ad confirmationem.

Ad id ex quo ſumit robur difficultas.

riò sequitur operatio eiusdem principij: non est nouum, sed antiquum vt nos diximus prima parte, & illud adduxit etiam mille in locis Sanctus Thomas, imò verò Scotus, & posterius Gregorius Ariminensis, qui omnes illud dissoluunt. Sed simile argumentum possent aduersarij facere si ita dicant. Prædestinatio necessaria est ad consecutionem gloriæ veram, sed non est in potestate cuiuslibet hominis, quòd sit prædestinatus: ergò non est in potestate hominis quod salutem, & gloriam consequatur nisi prædestinatio fiat à Deo ex præuisis operibus, & meritis. Rursus etiam quod aliqui ex hominibus sint electi, & non alij, ex solo Deo pendet, & non est in potestate hominis quod fuerit de facto electus à Deo & prædestinatus: ergò nulla cooperatio voluntatis est libera circa consecutionem suæ salutis, quia non est in potestate voluntatis tollere suppositionem prædestinationis aut electionem, quam Deus fecit de facto de Paulo aut Petro antecedenter ad cooperationem liberi arbitrij.

Quod simile argumentū de prædestinatione soluere teneātur aduersarij.

Ad vltimā rationē qua magis ostenditur difficultas.

TANDEM ad postremam difficultatem negari non potest quod indifferentia rationis aut iudicij intellectus sit origo, & fons libertatis formalis quæ est in voluntate, ita sane, vt si removeatur hæc indifferentia rationis, & iudicium intellectus non sit indifferens, sed infixum à natura; voluntas non liberè operaretur: quod egregiè docuit Sanctus Thomas, Prima parte quæstion. 83. articulo primo. Imó vero si omninò, & intrinsecè mens, & ratio non haberent indifferentiam in iudicio, sed iudicium esset à natura infixum ad vnum, tolleretur liberum arbitrium. Vnde ad obiectionem respondetur per indifferentiam iudicij nos debere intelligi modum cognoscendi ex parte intellectus iudicantis, qui est cum quadam indifferentia, vt opponitur iudicio infixo à natura, quale est illud, quod reperitur in brutis, quæ carent collatione, & conferentia circa obiectum: ac proinde carent etiam hac indifferentia iudicij intellectiui oppositа iudicio infixo: quod egregiè docuit Sanctus Thom. loco citato. Rursus etiam cum obiectum huius iudicij creatum sit bonum deficiens à ratione summi boni, & non necessitans voluntatem habet quendam ordinem ad mentem, & rationem minimè necessitātem: ac proinde mens, & ratio etiam habet indifferentiam in ordine ad illud obiectum. Quo fit vt nisi aliunde ab extrinseco moueatur voluntas motione necessitate rapiente eam semper liberè operabitur, quòd præcipuè fit per gratiam Dei actualem, quæ semper est proportionata libertati voluntatis, cum à Deo donatur viatori, vt conuertatur. Neque dici potest libertatem seu indifferentiam radicalem, quæ est in ratione esse extrinsecam voluntati: quia licèt origo, & radix illius indifferentiæ formalis, & libertatis, quæ est in voluntate: reperiatur in ipso intellectu tamen ordo libertatis formalis, & indifferentiæ formalis quæ est in voluntate, ad suam originem & radicem ita intrinsecus est eidem voluntati, vt neque separari possint, neque voluntas libera esse vllo pacto si deficiat origo, & radix libertatis formalis, quæ est in ipsa voluntate. Imò verò cum voluntas sit appetitus intellectiuus, ipsum intellectum intrinsecè respicit, & ob id etiam dicitur nihil esse volitum quin sit præcognitum, ac proinde nihil esse liberè volitum, quin præcedat cognitio, & iudicium cum collatione, & conferentia sub illa indifferentia rationis, & in ordine ad obiectum creatum quod est obiectum deficiens à ratione summi boni, non necessitans voluntatem: ergò si non præcedat illud iudicium infixum à natura sicut reperitur in brutis, voluntas operabitur cum quodam dominio: suppositа illa collatione, & conferentia, nisi rapiatur omninò impetu necessitāte & nō mouente suauiter efficaciter vt dictū est. Vnde in nostro casu, & in nostra sententia, non tantùm ponitur indifferentia rationis, & intellectus, qui operatur ex conferentia, & collatione, sed etiam ponitur intrinseca libertas formalis, & indifferentia in voluntate. Quæ tamen libertas est dependens à sua origine, & à suo principio seu radice: quę est in ratione, & intellectu vt dictum est. Et ex his dissoluuntur reliqua, quæ in obiectionibus continentur.

S. Thomas

Indifferentia radicalis quæ est in ratione non est omnino extrinseca voluntati.

Responsio ad argumenta petita ex Sacris Literis.

ARGVMENTA, quæ ex Sacris Literis ab aduersarijs defumuntur restat dissoluere. Et primò respondetur ad locum Pauli. 2. ad Timothe. 2. Potest namque aliquis dici vas in honorem: Primò quia est iustificatus, & habet gratiā Dei iustificantem, in hoc aut illo spatio tēporis in discursu viæ ita sane vt si in ea decederet saluaretur. Secūdò potest dici vas in honorē quia est vnus ex electis & prædestinatis à Deo, in quo Deus ostēdat diuitias gratię & glorię suę. Sed tamen plerunq; euenit, vt ille qui est vas in honorem secundū æternam Dei electionem, & prædestinationē sit vas in contumeliam ad tempus secundū præsentem iustitiam: & è conuerso, qui est vas in contumeliam ratione reprobationis potest secundū præsentem iustitiam esse vas honoris per gratiā iustificantem. Dicit ergo Paulus, quòd si ille qui est vas cōtumelię per peccata, ea repulerit, & per gratiā Dei se emundauerit ab eis, fiet vas in honorem secundū prę sentem iustitiam. Non igitur vult Paulus neq; intendit, quòd ille qui est vas in contumeliā, si est reprobus ratione reprobationis, possit fieri vas in honorē, ita vt transeat in statum prædestinatorum, & electorum & in numerum saluā dorum. Fieri enim non potest suppositа reprobatione, & illa stante, vt reprobus re ipsa saluetur videlicèt in sensu composito. Et per hoc dissoluitur difficultas tacta ex illatione testimonij Paulini.

Secā voluntati.

Ad primū testimoniū ex D. Paulo 2. ad Timoth. 2.

Quòd dupliciter possit aliquid dici vas in honorem.

S. Thom. SANCTVS Thomas super Pauli 2. ad Timoth. 2. lectione tertia dicit Paulum admonere Timotheum de modo generali quo hæreticis est resistendum, & infidelibus: imò verò quomodo resistendum illis in speciali. Vnde dicit: *Prophana autem, & vaniloquia, seu inaniloquia deuita*. quod dicit contra Hymenæum & Philetum infideles, qui prophana dicebant repugnantia Fidei, & Christo. Sed subiungit Paulus: *Firmum fundamentum Dei stat*: vbi ostendit, quomodo per hæreses fides non est totaliter subuertenda. Vnde ostendit, quòd per doctrinas varias non potest tota Ecclesiæ fides corrumpi. Et cum hæc dixerit ostendit cur Deus permittit aliquos errare, & hoc inuoluit cum adiecit exemplum dicens. *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, quædam quidem in honorem, alia in contumeliam*. Quo in loco inquit Diuus Thomas, Paulum assignare rationem, quare Deus permittat aliquos errare licèt omnes diligat. Vnde Deus fecit diuersas creaturas, vt perfectio diuinæ bonitatis, quæ non potest manifestari per vnam manifestetur per alteram, iuxta illud Ecclesiastic. 42. *Gloria Domini plenum est opus eius*. Ac proinde assignans prædictam rationem inquit: *In magna autem domo*, id est Ecclesia non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia. Ex quibus satis constat testimonium Pauli nihil probare pro aduersarijs. Non enim intendit Paulus quenquam transire posse de facto de statu reprobationis ad statum prædestinationis. *Si quis se emundauerit*, &c. ait Sanctus Thomas, lect. 4. *Supra ostendit quòd profana & hæretica sunt vitanda per rationem ex nocumento sumptam: hic ostendit idem per rationem sumptam ex fructu. Et primò proponit vitationem. Nam vitationem vocat emundationem. Si quis emundauerit se ab istis. Quia eorum consortio inquinant & ideò fugiendi sunt. 2. Corinth. 9. Exite de medio, & separamini*. Ecce quomodo ex Diui Thomæ interpretatione hoc non potest intelligi de præuisione emundationis ad electionem adultorum aut prædestinationem.

Ecclesi. 42.

Caietanus. CAIETANVS, secunda ad Timotheum. 2. circa illud. *In magna autem domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, &c.* hæc verba subiungit. *Dixerat quosdam à fide aberrasse, & quorundam fidem subuertisse: ne mireris cur Deus in domo suæ Ecclesiæ habet quosdam infirmos, & quosdam firmos; rationem affert ab exemplo magnæ domus, vt diuinæ prouidentiæ ratio ex ipsa similitudine ignotescat. Et accommodum attulit exemplum: Nam Ecclesia magna domus est: & firmi, sunt velut vasa aurea, & argentea: infirmi vero, velut vasa lignea, & testacea.*

Teophila. THEOPHILACTVS super eundem locũ Pauli ex Chrysostomo minimè putat per illa verba significari reprobos, & prædestinatos vt dicitur in argumento, vt constat ex contextu eorum, & commentarijs. Verumtamen Robertus Bellarminus libro secundo de gratia, & libero arbitrio explicans locum Pauli 2. Timoth. 2. *In magna domo sunt vasa aurea, & fictilia. Si quis emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus paratum*. cum adduxisset argumentum loco citato capit. 13. ait: *Videmus enim hoc loco vasa in contumeliam posse per liberum arbitrium & Dei gratiam mutari in vasa in honorem*. Nõ ergo per vasa in honorem, & in contumeliam intelliguntur prædestinati, & reprobi sola Dei voluntate: sed per opera præuisa mutari de vasis contumeliæ in vasa honoris: alioqui falli posset prædestinatio. Respondet Cardinalis Bellarminus, Diuum Paulum hoc loco ostendere solùm, quo signo possint cognosci vasa in honorem, & illa dicit habere duo signacula. Vnum internum, quod non videtur à nobis, & hoc est notitia approbationis diuinæ: alterum est externum, nimirum vitationem iniquitatum, & errorum. Cum enim Deus ita prædestinauerit homines, vt per bona opera eos peruenire velit ad gloriam, signum est prædestinationis, diligenter vitare peccata, & præcipuè hæreses. Itaque cum dixisset Paulus Hymenæum, & Philetum Hæreticos subuertisse quorundam fidem: addit, non esse periculum, ne omnium fidem subuertant, quoniam fundamentum Dei firmum consistit, in electis videlicèt, & addit signa electionis: *habens*, inquit, *signaculum hoc. Cognouit Dominus qui sunt eius. Et recedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini*. Vbi verbum illud. *recedat ab iniquitate*, non significat ex iniquo fiat iustus, sed caueat ab iniquitate patranda, conseruet iustitiam, quã semel accepit. Deinde addit non esse mirandum si aliqui recedunt à fide, & inter reprobos numerandi videantur: Quia in magna domo sunt vasa aurea, & argentea, lignea etiam, & fictilia, alia in honorem, alia in contumeliam. Voluit enim Deus ad ostendendas diuitias gratiæ vasa habere in honorem, & ad iram suam iustam in impios declarandam, tollerare etiam vasa in contumeliam: Denique repetit signum, quo possint vt cunque cognosci vasa in honorem, & ait. *Si quis ergo emundauerit se ab his*, id est, Si quis non adhæserit huiusmodi hæreticis, sed mundum se ab eorum sordibus, & polutione seruauerit, *erit vas in honorem*. Dices saltem homines ipsi se vasa in honorem efficiunt: ergò non prædedestinatione sunt vas in honorem, nisi prædestinatio pendeat ex præuisione operum. Ad hoc respondetur facile, Paulum non dicere si quis emundauerit se ab his fiet vas in honorem, sed erit vas in honorem, id est cognoscetur esse vas in honorem. Rursus non est absurdum homines & prædestinatione, & proprijs actionibus fieri vas in honorem, Deus enim prædestinauit quos voluit, vt essent vasa in honorem, sed efficit postea vt sint tales, & gratia sua, & opere ipsorum, & non ideò pendet electio aut prædestinatio ab operibus, sed opera ab electione, & prædestinatione: nam *Quos prædestinauit*

Cardinalis Bellarmin.

Obiectio.

Solutio.

Ad Rom. 8

hos vocauit, quos vocauit hos iustificauit, quos iustificauit, hos magnificauit, ad Roma. 8. Idem docuit Gloſſa ſuper Paulum, idem Liranus, & id ipſum dixit Hugo Cardinalis in commentarijs ad eundem locum.

AD illud verò teſtimonium quod ex Paulo ad Rom. 8. adducitur. Mirabile eſt quod ab aduerſarijs hic locus citetur pro ſua ſententia explicata ſuo modo, vt ſubuertant veritatem. Videtur enim hæc opinio ſignificare Deum prædeſtinaſſe illos quos præſciuit conformes futuros imagini filij ſui, ita vt præſcientia futuræ probitatis ſeu probitas futura præcognita fuerit ſaltem ſicut cauſa ſine qua non electionis, & prædeſtinationis, & vt id confirment aduertunt, quòd illa duo verba, præſciuit & prædeſtinauit, non accipit pro eodem Paulus. Sed profecto quidquid ſit de illis duobus verbis, an accipiantur pro eodem vel non: cenſeo hanc iſtorum auctorum explicationem non eſſe veram. Nam Paulus non dicit conformes futuros, ſed fieri conformes, non autem recte coniungitur fieri conformes cum verbo præſciuit, ſed cum verbo prædeſtinauit: non enim diceretur ſatis benè præſciuit fieri, ſicut rectè dicitur prędeſtinauit fieri. Deeſt namque in textu Greco verbum fieri, ſed ſequendus eſt vulgatæ editionis ſeu veteris interpretis Sacer Textus. Rurſus Caietanus ex diuina Theologia aduertit magnam eſſe differentiam inter ſcientiam Dei quatenus eſt rerum abſolutè, & quatenus eſt rerum euentuum ſeu futurarum. Nam licèt vtraque ſit æterna: Prima tamen non præſupponit Deũ velle creare res: Secunda autem præſupponit Deum velle creare res. Et hinc ſequitur quòd præſcientia horum euentuum ſcilicet conformitatis Sanctorum ſecundum imaginem Filij Dei, non precedit diuinam prędefinitionem eorundem euentuum, ſed ſequitur illam: Prius enim non tempore, ſed rationis ordine Deus volendo definit hos euentus, quam ſciat illos fore: Imò ratio quod ſciat illos fore, eſt quia volendo definit illos. Quòd nos ſupra ex D. Auguſtino perpendebamus: Et ſubiungit Caietanus hæc verba: *Non ſignificat itaque Paulus præſcientiam eſſe rationem electionis aut prædeſtinationis, ſed è conuerſo prædefinitionem eſſe rationem præſcientiæ.* Et ſtatim: *Et ne intelligeres præſcientiam eſſe rationem prædefinitionis, abſtinuit Paulus à pronomine. Nam ſi dixiſſet quos præſciuit hos & prædefiniuit, intellexiſſet ordinem inter præſcientiam & prædefinitionem, ſimilem ſubſequentibus: ſed abſtinendo à pronomine, iungendoque ſimul, inſinuauit myſterium alterius ordinis: & inſinuauit hæc eſſe ſimul æternitate, & alterum inter ſe ordinem habere quam ſubſequentia inter ſe ſignificantur habere. Eſt itaque ſenſus: Dixi ſecundum propoſitum: nam quos præſciuit conformes fieri: & prædefiniuit, hoc eſt etiam prius prædefiniuit, quam præſciret: vt præpoſitio poſita ante definiuit, referatur non ſolum ad definitos, ſed ad præſcientiam: diſpari tamen ordine: Nam ad illos ordine durationis, ad iſtam ordine quaſi cauſalitatis, probando ſiquidem quod ſecundum propoſitum dixit hæc, ad confutandum dogma eorum qui primum ſalutis noſtræ locum tribuunt diuinæ præſcientiæ futurorum, qui præſcientiam meritorum ponunt rationem definitionis diuinæ: ad confutandum inquam hæc: primum noſtræ ſalutis initium & locum tribuit diuino propoſito dicendo, his qui ſecundum propoſitum. Et probando hoc manifeſtat quòd diuina definitio conformium Filio Dei, prior eſt diuina præſcientia eorundem, dicens, Nam quos præſciuit & prædefiniuit, hoc eſt etiam prius quam præſciuit definiuit.* Hæc Caietanus. Addit tamen ille quod poteſt exponi præſcientia aliter, de præſcientia approbationis. Sed profecto prior ſenſus Caietani ſubtilior eſt & melior.

Caiet. ſuper Pauli. 2. ad Timoth. 2. cap. Magna intercedit differentia inter ſcientiã Dei quatenus eſt rerũ & quatenꝰ eſt rerum futurarum.

SED nihilominus Cardinalis Bellarminus putat omnia, quæ in prædicto teſtimonio Pauli Rom. 8. *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui*. dicuntur, recto ordine planiſsimeque interpretari poſſe. Itaque hunc dicit ſenſum eſſe verborum: Quos præſciuit Deus, ideſt quos pręſciuit ſcientia approbationis, quos dilexit, quos voluit, illos & prædeſtinauit conformes fieri, ideſt vt conformes fierent imagini Filij ſui. Nam ſcire & præſcire in Scriptura, non raro pro ſcientia approbationis accipitur, vt patet ex illo Pauli ad Rom. 11. *Non repulit Deus plebem ſuã quam præſciuit.* 2. ad Timoth. 2. *Cognouit Dominus qui ſunt eius.* Matth. 25. *Non noui vos.* Pſalm. 1. *Nouit Dominus viam iuſtorum.* Ioan. 10. *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas.*

Bellarmi.

Ad Rom. 11

2. Ad Tim. 2.

Matt. 25.

Ioan. 10.

CARDINALIS Toletus apertè noſtram tenuit ſententiam ad Rom. 8. annotatione 31. & 32. Dicit enim Deum ab æterno præuidiſſe hominem quem creare decreuerat, in peccatum ruiturum totamque poſteritatem in eo inficiendam, ſtatuiſſeque & propoſuiſſe apud ſe ipſum, multos horum efficaciter ſaluare & à peccato liberatos glorificari, ad hoc autem Filium ſuum carnem ſumere: ac proinde Deum elegiſſe, & ſaluare voluiſſe quos elegit, & eos quibus ſalutem dare decreuit in Chriſto, iuxta illud Pauli ad Epheſios. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati.* Et hæc voluntas, qua elegit quoſdam & ſaluare voluit dicitur beneplacitum Dei, quia hæc voluntas non fuit propter merita præuiſa: omnes enim in peccato præuidit ſine merito, & cum demerito, idque ſine obligatione vlla aut neceſsitate, ſed gratis ſponte ac liberè voluit ad Titum. 3. *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* Sed maximè eſt perpendendum illud Luc. 20. *Complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum.* Matth. 10. *Sic placitum eſt ante te.* Vnde hæc voluntas dicitur propoſitum, quia firma & ſtabilis cuius, executio impediri non poteſt. 2. ad Timoth. 1. *Qui nos liberauit & vocauit vocatione ſua ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm pro-*

Ad Ephe. 1

Ad Titũ. 3

Lucæ. 20.

Matth. 10.

2. Ad Timoth. 1.

poſitum ſuum. Dicuntur ergo, hi vocati ſecundum propoſitum, ſeu vocati ſancti, hoc eſt ad ſanctitatem ſecundùm propoſitum: quia à Deo ſunt electi ab æterno, vt accipiant efficaciter ſalutem, ſecundùm gratiam, non ex meritis aut ex debito aliquo. Multi vocantur ad ſanctitatem, non tamen vocati ſunt omnes ſecundùm propoſitum, ſed tantùm illi, qui in ea ſunt perſeueraturi; quos prædeſtinatos appellamus. Et ſic Auguſtinus lib. de correptio. & gratia, capit. 9. hunc locum exponit.

Repellenda quorundam Græcorum.

Ex his conſtat repellendam eſſe interpretationem Originis, & quorundam Græcorum, qui hunc locum interpretantur non de propoſito Dei, ſed de propoſito hominum vocandorum, vt illi dicantur ſecundùm propoſitum vocati, qui ea de cauſa vocati ſunt, quia Deus eorum propoſitum præuidit, nimirum quia conſenſuri erant ſibi vocanti. Quod autem hæc expoſitio ſuſtineri non poſsit patet, quia propoſitum hoc non eſt hominum, ſed ipſius Dei, Deuſque ſecundum propoſitum ſuũ, non ſecundùm propoſitum hominum vocare dicitur. Hoc Paulus egregiè affirmat, cap. 9. ad Rom. *Vt ſecundum* (inquit) *electionem propoſitum Dei maneret.* Et 2. ad Timoth. 1. *Qui nos liberauit vocatione ſua ſancta, ſecundum propoſitum ſuum.* Ecce ſecundùm Dei propoſitum vocatio fit. Et ad Epheſ. 1. *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.* Et D. Auguſt. lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum tacito nomine Græcorum, capit. 9. refutat & impugnat, propoſitum hoc eſſe hominis, probatque id eſſe Dei propoſitum. Vnde Cardinalis Toletus in paraphraſi textus, cum dicit deueniendum eſſe ad ſingula verba, hæc ſubiungit. *Quos inquit præſciuit: hoc relatiuum (quos) refertur ad præcedens, nempe ad eos, de quibus dictum eſt vocatos eſſe ſecundum propoſitum, hos enim Deus ab æterno præſciuit, videlicet vocatos iam, vt eſſent conformes imagini Filij ſui. Et eadem doctrina & interpretatione conſtat violentam eſſe Anſelmi ordinationem & connexionem verborum, Sic enim ordinat verba illa: Quos præſciuit conformes futuros imagini Filij, prædeſtinauit tales fore. Quæ ſane cõnexio verborum violenta eſt. Nam certe ſi referamus illud relatiuum, quos, vti diximus, ad antecedentia, ceſſat omnis difficultas: Quos autem prædeſtinauit hos & vocauit, &c. Hoc in loco proſequitur Paulus, Et complet ſuperiorem ſententiam: Omnia autem hæc ad executionem pertinent: Quod enim ab æterno diſpoſuit, medijs poſtea in tempore complenit. Prædeſtinauit ergo ab æterno illos de quibus dixerat vocatos eſſe ſecundum propoſitum & omnia cooperari in bonum.*

2. *Ad Tim.* 1. *Ad Eph.* 1.

M. Sotus.

Sotvs ad Rom. 8. cap. dicit: *Deum neminẽ prædeſtinaſſe, neque de rebus quidquam diſpoſuiſſe niſi præuio iudicio: puta quod bonum ſit id fieri, non quod diſcurſu opus ſit Deo: ſed quod nihil de rebus ſtatuat, niſi conſultò id bonum eſſe cenſeat: Quis enim hanc præclariſsimam inter homines prudentiæ partem à Deo repellat, qui eſt fons totius ſapientiæ: quique in numero pondere & menſura omnia condidit? Quapropter non ſolum ſimplici intelligentia præſcit quos prædeſtinat, ſed bonum prius natura iudicat eos prædeſtinare.* Hactenus Soto loco citato. Sed ſtatim ſubiungit, *ſic igitur hunc locum ſubaudiamus: quos præſciuit, hoc eſt quos bonum iuxta ſuam regulam iudicauit beare, hos prædeſtinauit conformes fieri imagini Filij eius.* Sed incidenter perpende prioritatem naturæ non eſſe in actibus ipſius Dei.

Quomodo in diuerſis generibus cauſarum vnũ ſit cauſa alterius & è contra ex M. Soto.

Si qvis dicat quòd bonum eſſe hos beare, præſupponit voluntatem Dei, per quam eſt quidquid eſt bonum: ergo prius natura eſt, hos prædeſtinare ad beatitudinem quàm bonũ ſit in mente diuina eos beare. Reſpondet præfatus auctor huic obiectioni, ſolutionem facilem eſſe illis, qui cogitant quomodo vnum ſit cauſa alterius & è conuerſo in diuerſis generibus cauſarum. Nam in genere cauſæ efficientis cogitatur prius natura prædeſtinatio, quam verum ſit hos fore beandos. Sed tamen in genere obiecti & quaſi cauſæ finalis prius natura bonum iudicatur à Deo hos beare, quam eoſdem ad beatitudinem deſtinet. En quo pacto vtrunque dici poteſt, & quod de præſcientia tantum prædeſtinatorum habeatur hic ſermo, & tamen non concedamus præuiſa opera in cauſa fuiſse prædeſtinationis aut electionis ad gloriam. Si quæ autem verba apud Patres inueniuntur, quibus videantur inſinuare prædeſtinationem fieri ex præuiſis operibus tanquam ex cauſa vt ex Origine colligi poteſt, & ex illo Ambroſij: *Quos præſciuit ſibi deuotos, ipſos elegit ad promiſſa præmia capeſcenda.* Hæc igitur & ſimilia verba ſunt intelligenda quantum ad effectum ſupremum & finem prædeſtinationis: quia his quibus merita voluit: ſimiliter etiam voluit ſupremum finem prædeſtinationis puta gloriam: cuius in adultis merita præcedunt, quæ ſunt cauſa, non prædeſtinationis, ſed effectus eius: nimirum gloriam. Tandem Sotus concludit duplicem eſſe efficacem vocationem. Vnam in diem ſeu iuxta præſentem iuſtitiam qua multi vocantur ad tempus efficaciter, etiam ſi aliàs ſint reprobi: Eſt tamen altera vocatio efficax, quæ etiam includit donum perſeuerantiæ ſecundum æternam prædeſtinationem Dei. Vnde quod hic Paulus dicit: Quos prędeſtinauit hos & vocauit: definitio eſt, & explanatio illius quod dixerat ſecundùm propoſitum vocati, hæc ſiquidem vocatio certiſsima eſt, veluti ipſa ſempiterna prædeſtinatio: iuxta illud Iſaiæ. 14. *Iurauit Dominus exercituum dicens, ſi non vt putaui ita erit: & quomodo mente tractaui ſic eueniet.* Vocatio autem Dei motionem ſignificat trahentis hominem ad deteſtationem peccatorum, ad conſenſum & iuſtificationem, & hæc ſunt effectus vocationis efficacis.

Duplex vocationis genus.

Iſaiæ. 14.

Ioannes Gagnæius Regius Eccleſiaſtes ſuper hunc locum Pauli, quem hactenus adduximus explicans eum ſcholijs ſuis ad Rom. 8

Ioannes Gagnæius.

num.

numero . 12 . sic ait . *Nam quos præsciuit, & , id est etiam, prædestinauit conformes fieri.*

Ex his ergo constare poterit qualiter Auctores oppositæ sententiæ decipiantur non solùm in sua sententia , sed etiam in explicatione Pauli . Quod etiam clarius demonstrabitur in sequentibus . Vnde ad argumentum, negatur illum esse sensum , quem ipsi imaginantur , nimirum quòd ex præuisis operibus aut cooperatione quorundam saluandorum fuerint electi , & prædestinati ad gloriam . Nam certè Deus eos dicitur præsciuisse , quos prius voluit facere vt bene vterentur gratia . Et similiter eos præscire, quos prius voluit vocatione secundùm propositum ad se trahere. Hęc videtur esse mens expressa Diui Augustini primo de prædestinatione Sanctorum capitulo . 18 . Vbi inquit Augustinus . *Præsciebat ergo, ait Pelagius, qui futuri essent sancti , & immaculati per liberæ volũtatis arbitrium, & ideo eos ante Mundi constitutionem in ipsa sua præscientia , qua tales futuros esse præsciuit : Elegit ergo inquit antequam essent , prædestinans filios , quos futuros sanctos immaculatosque præsciuit .* Et paulò inferius citat Diuum Paulum , & dicit. *Certum , & manifestum est quod ideò tales eramus futuri , quia elegit ipse prædestinans , vt tales per gratiam eius essemus .* Et statim adiungit ex Paulo . *Deum fecisse omnia bona , quæ electis eueniunt secundùm placitum voluntatis suæ , ne in tanto beneficio gratiæ, de placito gloriaremur voluntatis nostræ . Omnia igitur ,* inquit Augustin. *quæ electis Deus donauit, fecit vt ostenderet nobis mysterium voluntatis suæ secundùm bonam voluntatem suam, vt nemo de sua , sed de illius voluntate erga se glorietur .* Atteudat ergo optimus lector quam longè sit Diuus Augustinus à sententia aduersariorum . Quapropter si plures adulti sunt electi ex præuisa cooperatione credulitatis Fidei erga Christum antecedenter ad electionem efficacem eorum, sequitur, quòd ipsi adulti prius elegerant Christum credendo in eum quam illi eligerentur : quod si hoc esset verum non apparet quo pacto dicat Christus . *Non vos me elegistis , sed ego elegi vos.* Ioann. 15. Quo argumento vsus est Diuus Augustinus libro primo de prædestinat. Sanctorum cap. 17.

D. Augus.

Ioann. 15.

Elegit ergo eos de Mundo (ait Augustinus) *cum hic ageret in carne : sed iam electos in se ipso ante Mundi constitutionem , ob id ergo verissimum est, vtrisque modis , illud Christi: Non vos me elegistis , sed ego vos elegi. Quod sane non ob aliud dicit , nisi quia non elegerunt eum vt eligeret eos: sed vt eligerent eum elegit eos : quia misericordia eius præuenit eos secundùm gratiam , non secundùm debitum .* Et statim . *Hæc est immobilis veritas prædestinationis & gratiæ . Nam quid est quod ait Apostolus , sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ? Quod profectò si propterea dictum est , quia præsciuit Deus credituros : non quia facturus fuerat ipse credentes. Contra istam præscientiam loquitur Filius dicens : Non vos me elegistis , sed ego vos elegi .* Et capite, 19 . sequenti ait idem Augustinus . *Cum ergo Deus nos prædestinauit , opus suum præsciuit : qui nos sanctos, & immaculatos facit . Vnde rectè hoc testimonio Pelagianus error arguitur .* En quomodo præscientia supponit opus Dei ab ipso prædefinitum , & decretum.

Et libro de dono perseuerantiæ capite 14. idipsum plerisque sententijs , & magno quodam pondere magestatis verborum confirmat concludens hæc verba. *In nullo enim gloriandum quando nostrum nihil est .* Semper ergo cum de diuina præscientia loquitur Augustinus sentit præscientiam Dei supponere voluntatem, qua Deus voluit bene facere saluandis. Vnde capite 18. sequenti Diuus Augustinus ait. *Nullus igitur qui hæc intelligit negare vel dubitare permittitur , vbi ait Apostolus : non repulit Deus plebem suam , quam præsciuit prædestinationem significare voluisse, Præsciuit enim reliquias quas secundùm electionem gratiæ fuerat ipse facturus.*

Igitvr sensus illorum verborum non est Quos præsciuit , & prædestinauit , &c. id est. Quos Deus præsciuit cooperaturos esse suæ gratiæ vsque in finem eos prædestinauit , seu quos præsciuit permansuros in obedientia sua & in fide eos prædestinauit . Hic enim sensus non est Pauli . Non enim ex præuisis meritis aut ex præuisa obedientia credulitatis Fidei eos prædestinauit , sed potius inuersus ordo est factus, vt prius elegerit eos , vt essent obedientes & vt fide crederent , quam intelligatur & cogitetur præscire eos credere, & cooperari: Nam quos præsciuit secundùm propositum suũ quod habuit , & secundùm quod prædefiniuit, hos & prædestinauit : Itaque quos secundùm propositum suum præsciuit , & quos secundum propositum suum prædefiniuit , hos & vocauit . Quoniam quos præsciuit conformes fieri : & prædefiniuit , hoc est etiam prius prædefiniuit , quam præsciret : vt præpositio posita ante definiuit , vel ante prædestinauit referatur non solùm ad definitos, & destinatos, sed ad præscientiam, eo modo , quo diximus supra ex Caietani sententia , quod manifestat Paulus : quia diuina definitio conformiũ Filio Dei , prior est diuina præscientia eorundem : Nam quos præsciuit , & prædestinauit hoc est antea , & prius destinauit , quam præsciuit , quia prius quam præsciuit , definiuit hos , & vocauit . Optima huius rei ratio est quod cum dicit Paulus : *Nam quos præsciuit & prædestinauit .* Hoc relatiuum , quos , refertur ad præcedentia, nimirum ad illos , de quibus dictum fuerat vocatos esse secundùm propositum : hos enim Deus ita vocatos secundùm propositum ab æterno præsciuit , & eosdem antea destinatos vocauit . Nam hoc in loco prosequitur Paulus , & complet superiorem sententiam . Vide & perpende eas interpretationes , quas supra retulimus , & videbis, quàm aliena est istorum expositio , à certa doctrina , & expositione grauissimorum viro-

Nõ esse sensum testimonij D. Pauli quę prætendũt aduersarij.

rum

rum. Adde etiam quod Diuus Auguſtinus de bono perſeuerantiæ, capit. 18. dixit, quòd per illa verba quæ Paulus dicit: *Non repulit Deus plebem ſuam quam præſciuit.* Prædeſtinationem ſignificare voluit: *Quia præſciuit reliquias, quas ſecundum electionem gratiæ fuerat ipſe facturus.* Et inferius. *Sed prædeſtinaſſe, eſt hoc præſciuiſſe, quod fuerat ipſe facturus.* Hoc eſt quod decreuerat ſecundùm propoſitum ſuũ facere. Adde vlterius, quòd per notitiam per præſcientiam, & ſcientiam in ſacris Literis non raro ſcientia approbationis intelligitur iuxta illud: *Nouit Dominus viam iuſtorum*, & Matth. 25. *Non noui vos*, & 2. ad Timoth. 2. *Cognouit Dominus qui ſunt eius.* Ioann. 10. *Ego ſum paſtor bonus & cognoſco oues meas*, ad Rom. 11. *Non repulit Deus plebem ſuam quam præſciuit.* ideſt quam ſecundùm propoſitum ſuum amauit, elegit & approbauit. Reliqua autem quæ in argumento continentur non ſunt difficilia, & multa ſunt intelligenda de cognitione approbatiua quæ ſupponit propoſitum Dei, vt dictum eſt.

Quòd per notitiam & præſcientiam in ſacra Scriptura ſcientia approbationis ſæpe intelligitur.

Ad teſtimonium Iſai.

Ad illud vero quod ex Paulo adducitur citato teſtimonio Iſaiæ: *Oculus non vidit, neque auris audiuit quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum.* In his enim verbis mirabile eſt cur reperiant aliquid cõtra nos auctores oppoſitæ ſententiæ. Nam certum eſt, vt fide conſtat, gloriam, & bona illa ſupercæleſtia eſſe coronam iuſtitiæ & præparaſſe illam Deum legitimè certantibus, atque adeò non pręparaſſe illam dandam adultis ſine meritis. Aliud eſt enim gratis diligere, vel eligere aliquem ad gloriam: aliud verò eligere aliquem ad gloriam gratis, hoc eſt ſine meritis ei conferendam; nam in priori locutione liberalitas coniungitur cum actu diligendi: in poſteriori verò coniungitur cum obiecto electionis, & executioni eius attribuitur. Vnde merita præuiſa non ſunt ratio decreti liberi, ſeu electionis terminatæ ad bona ſupercæleſtia: ſunt tamen ratio collationis ipſius gloriæ ſi conſideretur obiectum illius electionis, nimirum beatitudo, vt corona iuſtitiæ obtinenda ſecundùm iuſtitiæ leges. Denique nihil omnino in prędicto teſtimonio habetur, quod ſit contra nos. Neque etiam in alijs, quia optime exponuntur loca Matthæi & Pauli iuxta ſuperius dicta, neque locus Iacobi quidquam contra nos habet: non enim eſt ſenſus, Deum elegiſſe in pauperibus diuitias fidei, quas præcognouit, has enim ſimiliter amat in diuitibus, ſi illas habeant: ſed ſenſus eſt elegiſſe pauperes, vt eos faceret diuites in fide, ſicut, verbi gratia, elegit Apoſtolos: vt egregiè declarauit Diuus Auguſtinus 1. de prædeſtinatione Sanctorum, capit. 17. Vnde illud Mathæ. 25. nihil habet contra nos: loquitur enim ibi Dominus de pręmio bonorum operum, & de pœna malorum, non tamen ob id ſequitur bona vel mala opera præuiſa fuiſſe ante electionem adultorum, aut potuiſſe eſſe neceſſariam talem prę-

Aliud eſt gratis eligere aliquem ad gloriam & aliud eligere aliquẽ ad gloriam, gratis.

uiſionem, antecedenter ad prædeſtinationem, aut electionem ſaluandorum.

Ad poſtremum teſtimonium Diui Petri cuius verba ſunt: *Quapropter, Fratres, magis ſatagite, vt per opera veſtra bona certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* ſanè cum ſecundùm ordinem executionis collatio glorię volitæ à Deo adultis ſaluandis, ſit illis conferenda, vt corona iuſtitiæ ſecundùm leges optimè certandi, idcirco egregiè Diuus Petrus exhortat vt in executione certam efficiant ipſi adulti electionem, & vocationem: cum non ſit obtinenda gloria ab illis niſi per merita eorum. Et in hac re conſidera Diuum Petrum quamuis cognouerit Dei propoſitum & electionem habere firmitatem infallibilitatis, nihilominus exhortare & monere fratres ſatagere bona opera ad conſecutionem obiecti electi, in quo inſinuauit, electionem illam antecedentem, non lædere libertatem bonorum operum à fratribus faciendam: Sic ergo conſtant omnia quæ dicuntur in argumento, neque Tridentinum Concilium dixiſſe quidquã quod non ſit conforme noſtræ ſententiæ. Fatemur enim Tridentinum referre hoc teſtimonium, vt nemo ſit ſecurus de conſecutione vitæ æternæ, & neceſſarium eſſe exercere opera virtutum cum quadam permanentia in eis: ſed hoc non eſt contra nos, vt conſtat ex diſcurſu controuerſię, imò verò potius militat pro nobis. Dices, contra hoc eſſe illud Apocalipſis. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Nam certè ſi corona poteſt amitti per mala opera, neminem Deus prædeſtinauit ad coronam, niſi pręuiſis operibus & meritis eius: niſi mutabilis & fallax poſsit eſſe prædeſtinatio. Huic teſtimonio reſpondet S. Thom. 1. part. quæſt. 23. artic. 6. ad 1. Vbi ait, quòd corona gloriæ dicitur eſſe alicuius dupliciter: Vno modo ex prædeſtinatione diuina, & ordinatione prædefinitiua Dei, & ſic nullus coronam ſuam amittit. Alio modo ex merito gratiæ. Quod enim meremur quoddammodo noſtrum eſt: & ſic ſuam coronam aliquis amittere poteſt per peccatum mortale ſequens. Itaque licet gloria priori titulo prædeſtinationis data, non poſsit amitti ſimpliciter: tamen quatenus poſterioti titulo meritorum & operum datur, aut debetur ea ratione poſsit amitti. D. Auguſtinus libr. de correptione & gratia, cap. 13. egregiè admonet coronam gloriæ præparatam electis ante mundi conſtitutionem amitti non poſſe: tamen vt non amittatur Deum id efficere varijs modis, & etiam incutiendo timorem & errorem, quibus ſolicitudo & vigilantia excitatur apud homines. Dicitur etiam. Ne alius accipiat coronam tuam, quia re vera ſi non perſeueraret tenendo de facto iuſtitiam ſuam amitteret coronam, cæterum hac admonitione & comminatione percuſſus is, qui non habet certitudinem prædeſtinationis ſuę, ſemper erit ſolicitus, ne cadat, & vt fortiſsi-

Ad vltimũ teſtimoniũ ex D. Petro.

Concil. Tri.

Obijcitur ex Apoc. 3.

Reſpõdetur ex S. Tho.

Corona gloriæ duplici titulo noſtra.

mè

mè teneat ne male operetur, vt peruenire possit ad coronam quam non habet. Illud verò quod alius coronam amissam accipiet interpretatur Sanctus Thomas loco citato, qui eo loco videndus est. Alius nanque dicitur coronam amissam accipere solum quia eius loco subrogatur, non enim permittit Deus aliquem cadere, quin alios erigat: iuxta illud Iob. 34. *Conteret multos, & stare faciet alios pro eis.* & hoc modo Gentiles dicuntur substituti in locum Iudęorum. Substitutus autem in statum gratiæ, dicitur aliquo modo coronam alterius accipere, quia vnius bona alteri prosunt propter connexionem charitatis, quæ facit omnia bona membrorum Ecclesiæ communia esse. Vnde Regius Vates: *Particeps ego sum omnium timentium te Domine.* Et rursus quia Deus non permittit excellentissima opera charitatis perire. Quod si mortificentur per peccatum mortale, & ille nunquam conuertitur inferuntur thesauro Ecclesiæ & prosunt alijs. Vnde Sanctus Thomas inquit quod in locum Angelorum cadentium substituti sunt homines, & in locum Iudæorum Gentiles. Et rursus substitutus in statum gratiæ. dicitur, quantum ad hoc, coronam cadentis accipere, vt ait Sanctus Thomas, quòd de bonis, quæ alius fecit in æterna vita gaudebit. Potest tandem retorqueri hoc testimonium contra auctores oppositæ sententiæ: Quia si prædestinatio aut electio illa efficax ad gloriam non est ex mera liberalitate, & ex sola gratia eligente, sed ex præuisis operibus & meritis: sequitur, quòd Deus non præscripsit aliquem certum prædestinatorum numerum: sed quod Deus tot prædestinauit ex adultis quot præsciuit cooperaturos esse, aut bonum vsum habituros: sic enim explicant illud Pauli. *Non repulit plebem quam præsciuit.* aduersarij nostri. Sanctus Thomas Apocalip. 3. explicans hunc locum: *Tene quod habes ne alius accipiat coronam tuam.* explicat, id est quantum meruisti. Quidam autem sunt qui censeant, quòd hæc locutio fit per quandam exhortationem, sicut solent matres dicere filijs cum eos ad sugendum vocant: tene vbera ne dem alijs. Alij verò dicunt quod hoc testimonium intelligitur de corona gratiæ, non gloriæ: quia electio de gloria danda, seu prædestinatio, cassari non potest. Legendus est Haimo in commentarijs super hunc locum, qui paucis verbis approbat expositiones & interpretationes datas. Potest etiam interpretari: *Tene quod habes.* id est fortiter serua apprehensum, & conserua fortitudinem fidei, & patientiam tuam, perge vt cœpisti, & nullis cede terroribus persecutionum, ne si illis cesseris, & succubueris, alius pro te substituatur, qui mercedem & coronam vitæ æternæ referat, quam tibi paraueram: Non certè Paulus nos admonet dicens: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Hoc enim dicit, ne desides reddamur, sed semper vigilemus. Igitur promiserat cuidam Episcopo & Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ: *Ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum tentare habitantes in terra. Ecce venio scito*: & statim ait, *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Hic est mos & ordo diuinæ prouidentiæ, vt cum aliquis cadit alius pro eo erigatur: vt Iob capit. 34. affirmat dicens: *Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.* vt superius adnotabamus, quòd in locum Angelorum, qui ceciderunt substituti sunt homines: & in locum Iudęorum Gentiles: modo verò in locum Hęreticorum nostri temporis; nationes apud Indos nunc in nouo orbe veniunt ad Ecclesiam. Et ijs qui eriguntur Deus donat ea quæ donare solebat illis qui ceciderunt. Legendus est eleganter Diuus Gregorius. 25. Moralium cap. 9. & 10. & Rupertus Abbas in commentarijs super hunc locum. Fatemur tamen fieri non posse, vt quisquam electorũ perdat coronam suam ad quam prædestinauit & elegit eum: veruntamen fieri potest, vt aliquis dicatur coronam perdere quem Deus vocauit ad coronam vocatione visibili: Iudam enim dominus vocauit ad coronam Apostolicam, quem tamen ad coronam non prædestinauit. Vnde & coronam eius, nimirum Apostolatus honorem, alius accepit, sicut Psalmo. 108. dictum est: *Fiant dies eius pauci & Episcopatum eius accipiat alter.*

Ex his constat locum illum 2. Petri. 1. *Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* nihil habere, quod nobis contradicat, quidquid aduersarij dicant. Et quamuis Græca, quæ nunc extant, non habeant per opera bona: sed solum magis satagite, id est potius satagite, vt firmam faciatis electionem vestram: Cæterum noster interpres, vulgataque editio legunt per bona opera, idest bonorum operum exhibitione: quia vt inquit Beda: *Qui fidei sacramentis, quæ perceperunt, bona quoque opera perseueranter adiungunt, isti suam vocationem & electionem certam intuentibus facient.* S. Thomas super hunc locum inquit: *Vt per bona opera, videlicet exteriora, faciatis, idest, ostendatis vestram vocationem, ad fidem ex tempore, & electionem, per prædestinationem ab æterno, non quod homo habeat certitudinem scientiæ electionis suæ, sed tantum habeat quandam coniecturæ cognitionem, non rei sed spei.* Hæc Sanctus Thomas. Quæ sanè electio modo est occulta, in die autem iudicij manifestabitur, quando Dominus ventilabit & purgabit aream suam, tunc apparebit, qui electi sunt, & qui non.

Mirabile est quanta seueritate auctores oppositæ sententiæ velint carpere nos, nostramque sententiam, & Augustini. Nam certe D. Augustini expresse sensit oppositum illorum, vt ex testimonijs eius supra citatis euidentissimè ostendimus. Vnde Sanctus Thomas, qui veluti memoriter tenebat Augustini libros, plerunque eos perpendens & le-

Iob. 34.

Argumentum desumptũ ex hoc testimonio potest retorqueri cõtra aduersarios

Apocal. 3.

D. Gregor. Rupertus Abbas.

Psal. 108.

Beda.

S. Thom.

gens

gens, cuius auctoritas ingens est in hac parte, expressè tenuit electionem prædestinatorum, & saluandorum adultorum non fuisse factam ex præuisis meritis, aut ex præuisione meritorum: Neque vllo pacto est rationabile aut credibile D. Thomam recessisse ab Augustino præceptore suo. Cum ergo senserit electionem efficacem adultorum prædestinatorum ad gloriam, non fuisse ex præuisis meritis factam, idipsum sensit Augustinum tenuisse. Rursus Scholastici omnes, paucis exceptis, eãdem sententiam cum D. Thoma hauserunt ex eodem Augustino, quam illi attribuunt. Falsum igitur est dicere Diuum Augustinum neq; leuiter insinuasse nostram sententiam.

AT verò Theologi, cum dicunt Deum gratis eligere prædestinatos ad gloriam obtinendam, solùm dicunt, & intelligunt Deum sola voluntate sua liberali absque vllo merito hominis habuisse efficacem & absolutum affectum amoris & dilectionis ad quosdam ex adultis: non tamen sentiunt, per decretum illud voluisse Deum, vt tales homines electi gratis omnino & sine vllo labore suo gloriam consequerentur: quod tamen male nobis imponitur dũ argumentantur aduersarij contra nos. Nam certè illa duo sunt valde distincta & separata inter se, videlicet Deum voluisse habere affectum dilectionis & amoris erga aliquos adultos, & non erga omnes eos eligendo in particulari ad gloriam affectu, & dilectione efficaci. Et Deum voluisse illo suo decreto, vt tales homines sine vllo labore & sine meritis consequerentur gloriam. Neque potest dici, duo illa posse distingui & separari in affectu simplici, & non in amore efficaci vt superius dicebamus: Quoniam nulla ratio differentię reddi potest. Quod etiam hac ratione manifestari potest: Aliud namque est gratis amare, diligere vel eligere aliquem ad gloriam: aliud verò aliquem adultum eligere ad gloriam ei conferendam sine meritis. Quia vt dictum est in primo dicendi modo, gratia & liberalitas coniungitur cum affectu amoris, & dilectionis. In secundo verò coniungitur cum obiecto electionis, & eius executioni attribuitur. Quocirca aliud est velle dare gloriam ex meritis præuisis, & aliud velle dare illam per merita & propter merita, vt de se patet.

Patres Græci quid senserint in hac re.

ET vt interim dicamus de Patribus Græcis, & de alijs ante Augustinum: aliqui censent eos fuisse in ea sententia, non distinguẽtes duas has vôlitiones quas supra nos distinguimus: Quia nondum exorta fuerat Pelagiana Hæresis: ac proinde ea non orta, non ita adamusim & exacte distinguebantur multa circa prædestinationis negotium sicut D. Augustinus distinguit & cogitat. Qua propter sicut verum est Græcos Patres & quosdam alios antiquiores non declarasse in particulari quæstionẽ hanc de qua nũc agimus, neque distinxisse illam à merito prædestinationis, separantes affectum amoris & electionis ad gloriam antecedenter ad merita præuisa: ita etiam est verum eos minimè negasse eligisse Deum adultos prædestinatos ex præuisis eorum meritis antecedenter ad prædestinationem ipsam. Neque Græcos Patres aliquid docuisse contrarium sententiæ & doctrinæ D. Augustini, quod expressè illum carpere possit: Et idcirco D. Augustinus sæpe sæpius eos in suã sententiam adducere conatur, & aperire, atq; interpretari contendit lib. de prædestinatione Sanctorum, capit. 14. & lib. de dono perseuerantiæ, cap. 19. Quibus in locis citat D. Cyprianum, Gregorium Nazian. Ambrosium etiã, cuius verba sunt illa Lucæ. 1. *Quem Deus miseretur & vocat.* & illa Lucæ. 9. *Deus quos dignatur vocat, & quem vult, religiosum facit.* In quibus locis egregiè Ambrosius apertè insinuat Dei electionem gratuitam, seu voluntatem dãdi Fidem, Pœnitentiam aut Gloriam, esse radicem totius boni supernaturalis, quod Deus in ipso homine agit, & operatur. Vnde cùm Græci Patres vel quidam alij antiquiores Augustino significant Deum neminem saluare voluisse nisi ex meritorum præscientia: loquuntur quidem, vel de electione quæ est per modum executionis dispositæ in mente Dei quam postea implet in tempore, vel solum volunt, & insinuant Deũ neminem elegisse saluandum in re, nisi per meritã, non tamen quod merita præuisa sint causa illius dilectionis & electionis Dei, sed quòd ipsa merita cadant sub eandem electionem: Nam certè quem Deus elegit gratis ad gloriam, gratis etiam elegit ad merita, quæ quidem per consecutionem gloriæ coronantur: Itaque non cognoscuntur merita, vt causa vel ratiò electionis, cùm nondum præsciantur vt futura, sed proponuntur vt beneficia quæ Deus potest conferre cui voluerit tanquam media ad obtinendam gloriam. De hac re lege Augustinum lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum, capit. 11. & de natura & gratia, cap. 61. & in libris de prædestinatione Sanctorum.

Citat. D. August. in suam sentẽtiam plures ex Græcis Patribus.

AD illud quod ex D. Augustino adducitur, lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. non longe à medio dici potest D. Augustinum semper tenuisse eandem sententiam, aliquando tamen variasse vocabula & loquendi modum: Nam certè ex Augustino tractatu. 68. super Ioan. duplex illa electio distingui potest: Vna per modum intentionis: alia verò per modum executionis. Illa igitur prior electio per modum intentionis antecedit merita: Hæc verò posterior per modũ executionis fit ex meritis. Loquitur ergo Augustinus loco illo citato ad Simplicianum de electione executiua. Dices electio executiua est temporalis, cùm sit executio electionis ęternę, sed quæst. 2. ad Simplician. planè loquitur Augustinus de electione ęterna cùm dicat & citet illud Pauli: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* & addat secundùm præscientiam esse intelligendum prędictum testimonium. Respondeti tamen potest in ipsa electione ęterna Dei posse duas illas rationes intentionis & executionis distingui. Nam æterna Dei electio po-

Obiectio.

Dissoluitur

test

Æterna Dei electio duobus modis cogitari potest.

test duobus modis cogitari. Primò quidem vt est intentio dandi gloriam : Secundò vt est dispositio executionis, & quasi executio in mente diuina concepta. Et pari modo antecedit electio, quia gloria est prior in genere causæ finalis, quam bona opera. At verò secundo modo subsequitur, & sub hac posteriori ratione loquendo de electione possunt interpretari verba Græcorum, & Ambrosij, & conciliari cum Augustino : ita voluit Bellarminus

Bellarmi.

Cardinalis libro secundo de gratia, & libero arbitrio capite 14. declarando locum Ambrosij : *Quos præsciuit sibi deuotos futuros ipsos elegit ad æterna præmia*. Quem sane locum exponit de electione temporali : deinde etiam addit posse interpretari de æterna electione duobus illis modis cognita, & considerata à nobis : quam interpretationem, & modum dicendi egregiè approbat Franciscus Suarez

Suarez.

libro. 3. de auxilijs cap. 18.

Potest in confirmationem huius adduci, quòd Diuus Augustinus tanquam veram doctrinam affirmat elogium illud : *Nemo eligitur nisi iam distans ab illo qui reijcitur*. Hoc autem verum esse non potest si intelligatur de omni electione, etiam de illa quæ est per modum intentionis : Quia aliàs sequeretur etiam electionem ad primam gratiam efficacem vel vocationem congruam supponere discrimen & differentiam eius cui donatur, ab illo cui nō donatur, quod est aperte falsum in Schola Augustini. Nam illa vocatio non supponit discrimen, aut distantiam ab altero, sed potius facit eam : Alioqui daretur causa totius prædestinationis ex parte nostra, etiam quantum ad primum effectum eius : ergò necesse est intelligi de electione quo ad ordinem seu dispositionem executionis. Quo circa Diuus Augustinus distinguit electionem à proposito, vt constat libro de correptione, & gratia, capit. 7. vbi ait : *Electi sunt, quia secundùm propositum vocati sunt : propositum autem non suum, sed Dei*. Et statim inferius : *Illi ergo electi, vt sæpe dictum est, qui secundùm propositum vocati, qui etiam prædestinati, atque præsciti*. Et loquitur Augustinus de proposito quod est radix vocationis efficacis aut congruæ : Quod quidem aliud esse minimè potest, nisi propositum illud gratuitum ex affectu dandi gloriam : ergò propositum illud nihil aliud est, quàm id quod nos vocamus, & nominamus electionem per modum intentionis : igitur illa altera electio, quam Augustinus dicit subsequi ex hoc proposito, necessariò debet intelligi per modum executionis.

Electio ad primā gratiam efficacem non supponit discrimen in eo qui eligitur sed potius facit.

Qualiter sit interpretandus D. August.

Ex quibus omnibus constat qualiter sunt interpretanda testimonia Diui Augustini. Nam certè sermone. 7. de verbis Domini, cum dicat electionem esse & secundùm gratiam & secundùm iustitiam, sensus illius est quoad intentionem esse gratiæ, & solius voluntatis Dei: Nam quos voluit hos elegit : Quo ad executionem vero esse iustitiæ. Vnde quotiescunque Diuus Augustinus coniungit, & vnit præscientiam meritorum prædestinationi, seu electioni, tunc loquitur Augustinus vel de executione, vel saltem adiungit præscientiam, vt consequentem electionem, non vt antecedentem : Quoniam vt plerunque repetit Augustinus lib. 1. & 2. de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseuerantiæ : *Præsciuit Deus quod fuerat ipse facturus*.

Ergo Diuus Augustinus in locis omnibus superius citatis optimè intendit specialem illam prouidentiam, quam habet Deus cum prædestinatis, ortam esse ex speciali affectu amoris, seu ex peculiari quadam dilectione efficaci, & absoluta, qua illos prosecutus est, non sanè ex ipsorum meritis præuisis, sed ex sua voluntate gratuita : & loquitur Augustinus indifferenter, affirmans dilectionem hanc, seu electionem fuisse ad gloriam & ad gratiam: vel vt vtar proprijs terminis eius : vt sint sancti, & regnent cum Christo : & vt saluentur seu vitam æternam consequantur. Nam certè isti modi dicendi & loquendi sunt familiares apud Diuum Augustinum : Et idcirco ex ipsa gratuita atque singulari prouidentia, quam gerit Deus circa prædestinatos : & ex modo loquendi sacrarum Literarum satis apertè colligit Augustinus in ipso discursu dicēdi hoc genus dilectionis Dei erga prædestinatos. Quòd quidem vt melius percipiatur perpendendum est Augustinum non tantum velle dari prædestinato primum auxilium gratiæ seu primam vocationem sine meritis ipsius, sed etiam velle præter hoc illud primum auxilium, quatenus in prædestinato efficax est, in ordine ad finalem & perseuerantem salutē: quæ per ipsum inchoatur aliquo modo, esse ex speciali & quasi formali intentione Dei. Nam hoc significant etiam testimonia sacrarum Literarum citata, quæ ita intelliguntur ab Augustino, vt constat ex dictis. Veruntamen huiusmodi voluntas Dei seu modus dandi tale auxilium efficax, euidenter includit absolutam & efficacem voluntatem dandi effectum eius, non tantum proximum, sed etiam vltimum, propter quem obtinendum donatur. Quod sanè de virtuali saltem voluntate conuersionis, aut iustificationis, etiam aduersarij non audent negare aut repellere : quamuis re vera non sit maior difficultas in formali, quàm in virtuali intentione, vt supra diximus. Neque est deneganda Deo formalis voluntas & intentio finis, accommodata modo eligendi media : quia hic est modus proprius & perfectus agentis & operantis per intellectum, quòd potissimè est verum cum hoc non ponat in Deo imperfectionem imò supponat perfectionem.

Rursus certum & constans fundamētum est apud Diuum Augustinum, imò verò apud Theologos in hac materia : Deum non tantum gratuito velle prædestinato primum auxilium, quod est efficax, sed vlterius etiam velle illud quatenus efficax est, vel vt illi efficax

Deus non tantum gratuito vult prædestinato auxiliū

efficax, ſed etiam vult illud quatenus eſt efficax.

ficax ſit. Hæc namque duo ſunt valdè diſtincta, & in hoc conſiſtit dilectio ſpecialis prædeſtinatorum, quatenus confert vocationem efficacem, quæ includit, vel ſecundùm rationem ſupponit efficacem voluntatem dandi effectum propter quem præcipuè datur auxilium efficax. Vnde in illa voluntate dandi gratiam efficacem, quatenus talis eſt, virtute includitur efficax intentio finis: & ideirco ex virtuali rectè infertur formalis intentio: quia Deus non indiget virtualibus intentionibus. Et Diuus Auguſtinus ſemper loquitur de hac voluntate talis effectus vt de efficaci voluntate. Et ſic etiam loquitur Auguſtinus in illis verbis: *Volenti ſaluum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium*. Quod verum eſt de ſola voluntate efficaci: nam ineffaci ſæpe reſiſtit arbitrium humanum. Et hoc eſt etiam propoſitum illud Dei ſaluandi ſuos electos, ex quo proficiſcitur omnis ſpecialis gratia prædeſtinatorum. Aliàs quantum pertinet ad voluntatem & dilectionem Dei nulla fere eſſet differentia inter prædeſtinatum & reprobum quantum ad beneficium vocationis, ſed tota diſparitas proueniret ex cooperatione liberi arbitrij, quod eſt ſatis alienum à doctrina Diui Auguſtini, & minimè conſonum ſacris Literis. Nam ſi Deus non ex ſpeciali intentione in vno operatur magis quam in alio quantum attinet ad gratiam vocationis, quatenus à Deo eſt, æquales ſunt.

SANE ego non inuenio rationem firmam, cur admodum diſpliceat auctoribus oppoſitæ ſententiæ quod Diuus Auguſtinus loquatur in pleriſque locis non de ordine intentionis, ſed de ordine executionis, quem Deus in mente ſua ſeruat: nam in præſcientia Dei duplex ordo cogitari poteſt; vnus intētionis, & alter executionis præconceptæ & diſpoſitæ à Deo: ſicut in quolibet artifice, cum conſultat de aliquo opere, etiam mente cogitat & diſponit ordinem executionis: ſic ergo Deus primum ex affectu amoris decreuit quibuſdam adultis dare gloriam efficaci voluntate nondum meritis præuiſis, deinceps verò dare media, aut merita ad hanc beatitudinem conſequendam in re, in quo fuit completus ordo intentionis. Qui modus dicendi non habet obſcurum aut toruum aliquid. Nam etiam à Philoſophis traditur, vt veriſsimus duplex ille ordo: alter intentionis, & alter executionis, & vterque etiam conceptus ab artifice, & mente cogitatus. Vnde falſum eſt dicere ideirco voluiſſe talem aliquem finem, quia præuidit prius media, ſed ſemper è conuerſo: ideirco poſterius elegiſſe talia media, quia prius voluit finem. Sic ergo conſtat Deum prius habuiſſe intentionem beandi aliquos in particulari, deinceps verò elegiſſe media, eaque mente ſua diſpoſuiſſe vt eſſent merita, quibus conſequerentur adulti electi beatitudinem, quam illis Deus ex affectu amoris efficaciter voluit. Et ex his omnibus facilè conſtare poteſt ſolutio ad omnia teſtimonia, quæ adduci poſſunt ex verbis Auguſtini pro aduerſarijs. Imò verò ex doctrina tradita & ex prædictis diſtinctionibus tam hic quàm in diſcurſu tertiæ concluſionis principalis ſatis conſtare poteſt quid ſit dicendum ad nonnulla aliqua teſtimonia quorundam Patrum.

(?)

FINIS.

Errata sic corrigito.

PAg.5.col.2.lin.8.beatos.leg.beatis.pag.12.col.1.li.1.posse.leg.posset.pag.15.col.2.li.1.in animæ.le. inanime. pag.23.col.2.li.55.obiecto.leg.obiectio.pag.29.col.2.lin.40.suum.leg.suam.pag.31.col.2.lin.13.alię.leg.altę. pag.63 col.2.li.40.excusari.leg.accusari.pag.67.col.2.li.51.viritus.leg.viribus.pag.103.col.2.li.12.auditorio. leg. adiutorio.pag.140.col.1.li.17.meus.leg.meos.pag.141.col.2.lin.39.cum.leg. eum.pag.148.col.1.li.35.verbi.leg. verbis.pag.152.col.2.li.5.attinuit.leg.attingit.pag.154.col.2.lin.9.meo.leg.mea.pag.165.col.1.lin.34.est.leg.es. pag.174.col.2.lin.fin.voluntates.leg.voluntatis.pag.203.col.1.lin.13.diuini leg.diuinæ.pag.238.col.1.lin .6. ab hoc.leg.ad hoc.pag.237.col.1.lin.25.ad te.leg.ad se.pag.279.col.2.lin.33.potest.leg.post.pag.288.col.2.lin.15.vi bus . leg.viribus.pag.296.col.2.lin.59.vitio.leg.vitio.pag.304.col.1.lin.7.dispositionum.leg.dispositionē.pag. 401.col.1.lin.3.consensum.leg.concessum.pag.431.col.2.lin.47.eaumque.leg eamque.

Con estas erratas está impresso conforme à su original este libro (Disputationes Variæ,&c.) *En fè de lo qual lo firmè, En Salamanca oy 9.de Agosto 1607. Años.*

El Corrector, &c.

Manuel Correa de Montenegro.

TABVLA PRIMA DISPVTATIONVM, SECTIONVM, ET QVARVNDAM DVBITATIONVM,

QVÆ IN HOC TOMO VARIARVM DISPVTATIONVM TAM AD PRIMAM PARTEM, QVAM AD PRIMAM SECVNDÆ S. THOMÆ CONTINENTVR.

A, Primam, B. Secundam Columnam designat.

Disputatio prima.

VTRVM illud auxilium gratiæ actualis, quo Deus nos excitat, aut quo nos mouet interius ad supernaturales actus sit aliquid creatum in nobis, & quid sit pag. 1.

Disputatio secunda.

Vtrùm actualis gratia auxilij diuini rectè diuidatur à Theologis in operantem & cooperantem, in præuenientem & adiuuantem & in alia mẽbra pag. 20. A

Dubium primum annexum de gratia cooperante: Vtrùm addat nouã rationẽ gratiæ supra operantem: & quid illud sit. pag. 33. A.

Dubium secundum annexum circa diuisionem gratiæ in subsequentem & præuenientem pag. 45. B.

Disputatio III. de gratia operante & cooperante

Vtrùm sint causa totalis supernaturalium actionum, ita vt voluntas creata seu liberum arbitrium hominis, nullatenus sit causa, neque totalis neque partialis illorum actuum secundùm propriam, & naturalem virtutem, seu ex innatis viribus. pag. 47. A.

Disputatio IIII.

De auxilio efficaci & sufficiente, & quid sint. pag. 60. A.

Sectio prima. De diuisione gratiæ actualis Dei in sufficientem & efficacem: An sint istæ duæ gratiæ. pag. 63. A.

Sectio secunda. Quid sit auxilium sufficiens gratię Dei, & quid sit efficax auxilium, & in quo sita sit efficacia eius. pag. 71. B.

Sectio III. Vtrùm efficacia gratiæ sumenda sit ex humana voluntate creata, vel solùm ex diuina, & vt à Deo procedit. pag. 69. B.

Disputatio V. De modo, quo Deus moueat voluntatem ad consensum, ad conuersionem, & pœnitentiam.

Sectio I. Vtrùm auxilium gratiæ efficacis præmoueat, & determinet liberum arbitrium creatum ad consentiendum sibi secundùm solam prioritatem naturæ, vel rationis. pag. 118. A.

Argumenta contra sententiam D. Thom. pag. 122. B.

Argumenta nouorum Theologorum. pag. 125. B.

Quinta sentẽtia aduertenda. pag. 129. B

Quod sit sentiendum iuxta antiquam doctrinam, & S. Thomæ Scholam. pag. 131. A.

Testimonium Scripturæ pro nostra sententia pag. 137.

Testimonia D. Augustini & S. Patrum, quibus offenditur veritas nostræ sententiæ de efficacia gratiæ, vt venit à Deo: in quorum discursu aperitur à nobis campus disputationis, & quod voluntas non dicatur instrumentum suarum actionum. pag. 141. B.

Quòd voluntas affecta gratia non sit tantùm instrumentum obiter tangitur cõtra aduersarios. pag. 145. A.

Testimonia & discursus plurium Sanctorum D. Athanasij, D. Prosperi, Hilarij, Anselmi, Fulgentij, Chrysostomi, Hieronymi & aliorum pro nostra sententia. pag. 147. B.

Quod plures sunt alij Patres, & auctores graues, etiã scholastici, qui nostram sententiam affirment, & defendant. pagin. 151.B.
Scholastici idem sentiunt de efficaci gratia Dei præuia. p. 152.B.
Adducuntur pro nobis sententiæ aliorũ Patrum, & scholasticorum, & aperiuntur iudicia aduersariorum. p. 156.A.
Ex alijs scholasticis veritas nostræ sententiæ confirmatur contra aduersarios. pa. 159.A.
Quod Dominicus, B. Medina, Caietanus, Petrus à Soto, Iansenius, Sixtus Senensis, Aluarus Pelagius, Franciscus à Christo, & plures alij nostram tueantur sententiam. pag. 164.A.
Tertia conclusio iterum proponitur, explicatur, probatur, & aperitur, etiam ex Cõcilijs. p. 172.A.
Alijs argumentis & scholasticis fundamẽtis, & rationibus stabilitur nostra sentẽtia, præter ea quæ diximus. p. 180.B.
Alia argumenta scholastica etiam ex sanctis Patribus deprompta pro nobis. pa. 189.B.
Quòd etiam sit sententia S. Thomæ ostenditur ex alijs locis, præter eos quos superius recensuimus, & respondetur quibusdam obiectionibus aduersariorum & aperitur nostra sententia. p. 194.A.
Quod etiam non possit constare aduersariorum sententia ostenditur ex diuinis decretis, & ex diuina prædestinatione, & Apostolorum electione. p. 209.B.
Difficultates contra scientiam mediam, & de efficacia gratiæ aliqua. p. 218.A.
Appendix controuersiæ. In gratiam scientiæ mediæ seu neutræ obijciunt auctores oppositæ sententiæ difficultates cõtra nos, & soluuntur & explicantur variæ opiniones multorum: & de futuris conditionatis aliqua. p. 223.B.
Dubitatio perpendenda. p. 228.B.
Quid tandem oporteat supponere pro nostra sententia defendenda & explicanda. p. 230.B.
Dubium annexum ex præcedentibus pendens. p. 232.A.
Argumenta aliqua aduersariorum contra punctum principale totius controuersię repelluntur, quæ videntur militare cõtra infallibilẽ connexionẽ inter consensum nostrũ & auxiliũ Dei efficax, & cãpus libertatis nostræ aperitur. p. 233.B.
Dubitatio de qua superius multa dicta sunt. p. 238.B.
Quem modum dicendi excogitarint nõnulli circa efficaciam gratiæ. p. 239.B.
Propositiones quæ negari non possunt ab aduersarijs, & quæ nobis plurimum fauent pro nostra sententia. p. 242.A.
Ad argumenta & fundamenta aduersariorum solutiones. p. 246.A.
Ad argumenta seu rationes quæ fiunt cõtra sententiam S. Thomæ pro opinione aduersariorum. p. 247.B.
Ad alia quinque posteriora argumenta aduersariorum solutio. p. 251.A.
Ad secundum & tertium argumentum aduersariorum. p. 256.A.
Ad quartum & quintum solutio. p. 259.B.
Sectio II. Vtrùm Deus expectet voluntates nostras, vt ipse influat, & concurrat ne lædatur libertas. p. 266.A.
Supponuntur aliqua breuiter. p. 271.A.
Rationibus agitur contra aduersarios & patrum sententijs, & probatur assertio. pag. 279.B.
Ad argumenta aduersariorum solutiones. pag. 298.A.
Sectio III. Vtrùm pendeat collatio gratiæ ex viribus naturalibus, & innatis liberi arbitrij ex lege aliqua ad id facta à Deo, seu pacto, facienti quod in se est & conanti præcisè ex eisdem naturæ viribus. p. 302.
Declaratur magis tertia assertio. p. 314.A.
Altera pars assertionis explicatur, & ambę rationibus Theologicis ostenduntur. pag. 315.A.
Difficultates ortæ ex opinione aduersariorum in secunda parte assertionis tertiæ propulsantur. p. 319.A.
Ad argumenta in exordio facta. pagina. 325.B.
Sectio IIII. An possit prædefiniri à Deo actus liber sine læsione libertatis. pagi. 329.A.
Quorundam huius ætatis opinio & sentẽtia. p. 335.A.
Quorundã sententia, quod nõ requiritur fortis aliquis concursus & influxus Dei efficax vt prædefiniatur à Deo actus bonus liber etiã supernaturalis. p. 337.A.
Quod non possit prædefiniri actus liber in determinato instanti eliciendus, & euenturus, cum tanta intensione & cum omnibus circunstantijs, quorundam recentiorum sententia refertur. pag. 338.

Huius controuersiæ decisio & explicatio. pag.341.A.
Testimonijs sacræ Scripturæ,& etiam rationibus Theologicis,& aliorum Sanctorum dictis probatur conclusio,tam hæc tertia,quàm præcedens.pag.351.A.
Quid respondeant auctores oppositæ sententiæ,& quo pacto impugnentur.pag.360.B.
Quòd vera sit sentẽtia D.Thomę,&quòd non læditur libertas ex diuina prædefinitione.pag.362.A.
Digressio pro libertate operum,ad maiorem explicationem eorum quæ scripta sunt.pag.370.A.
Dubium occurrens annexum quo explicãtur omnia Et quo explicatur etiam quo modo cohęreat libertas in Christo,current præcepto de impletione alicuius actus.pag.372.B.
Alia responsio & explicatio quorundam. pag.379.B.
Argumentum aduersariorum & eius solutio.pag.388.A.
Responsio ad argumẽtum pro aduersarijs factum.pag.390.A.
Ad argumenta, quæ in singulis opinionibus & modis dicendi continentur solutio ex dictis constare potest.pa.392.A.
Ad illam opinionem positam post initium huius Sectionis cuius titulus est: Quorundam huius ætatis opinio, &c.pagin.394.B.
Ad argumẽta illius opinionis in §. Quorũdam sententia:quòd non requiritur fortis concursus.pag.398.B.
Ad rationes postremæ sentẽtię in §.Quid non possit prędefiniri actus liber in determinato instanti, quatenus aliqua dicunt contra nos,respõdetur.p.401.A.
Sectio V. Vtrùm Deus voluntate efficaci ante præuisionem meritorum, elegerit ad gloriam adultos prædestinatos? Et an hoc fieri possit salua libertate eorum qui ita eliguntur. p.403.B.
Testimonia scripturæ de electione ad gloriam ex pręuisis meritis,& pręcognitis, quæ pro aduersarijs militant.p.407.B.
Quod auctores huius sententiæ putent apud D.Augustinum,& alios Patres defendi.pag.409.B.
De quo sit controuersia.p.415.B.
Explicatio controuersiæ.p.418.B.
Assertiones pro decisione difficultatis.p.422.B.
Quòd sit sententia Diui Augustini, Prosperi, Hilarij & Fulgentij & Scholasticorum ostenditur: præter illa quæ supra ex eodẽ Augustino deprompsimus. pag.431.A.
Quòd scripturæ testimonijs, & illationibus ab ea deductis,nostra sententia confirmetur.pag.433.B.
Rationibus Theologicis hęc eadem sentẽtia ostenditur.p.438.A.
Quod sit obiectum huius electionis saluãdorum.pag.442.A.
Rationes & fundamenta quibus viri docti nostram sentẽtiam defendunt cum Caietano.pag.444.A.
Obiectiones quorundam dissoluuntur,& nouæ aliæ rationes pro nostra sententia explicantur.p.456.A.
Ad argumenta initio huius sectionis facta. pag.459.B.
Maior explicatio difficultatum præcedẽtium, vbi hincinde argumenta proponuntur, & eorum vis atque efficacia examinatur, ad acuenda ingenia. pagi. 467.A.
Responsio ad argumenta petita ex sacris literis.pag.473.B.

TABVLA RERVM MEMORABILIVM, QVAE IN HOC TOMO VARIARVM DISPVTATIONVM, TAM AD PRIMAM PARTEM QVAM AD PRIMAM SECVNDAE S. THOMAE, CONTINENTVR.

A. primam, B. ſecundam Columnam deſignat.

A

Actus, ſeu actio.

ACTVS ſupernaturales conſtituendi in intellectu & voluntate. p. 1. A.

Actus ſupernaturales, qui ſunt vocationes illuſtrationes, &c. ſunt effectiuè à Deo, & libero arbitrio, nõ tamẽ liberè ſe mouent. p. 2. A.

Non procedunt iſti actus à libero arbitrio inſtrumentaliter præciſè, ſed vt à cauſis inſtrumentalibus. ibidem. B.

Actus noſtri ſupernaturales etiam ſine noſtro conſenſu à Deo immiſsi requirunt vt eliciãtur diuinum auxilium. p. 3. A.

Actus ſupernaturales alij deliberati, alij indeliberati. p. 8. A.

Actus ſupernaturales, qui antecedunt habitus & dicuntur diſpoſitiones ad infuſionem gratiæ fieri nõ poſſunt ſine ſpeciali gratia actuali adiuuante. p. 24. A.

Actus, ad quos Dei gratia eſt ſimpliciter neceſſaria ſupernaturales ſunt quoad ſubſtantiam. pag. 32. A.

Actus gratiæ excitantis à nobis effectiuè procedunt. p. 32. B.

Eadem actio libera conuerſionis eſt determinatiua & determinans eandem voluntatem. pag. 114. B. & 400. A.

Sententia aſſerentium actus noſtros liberos nõ prædeterminari efficaciter & in particulari à Deo proponitur. p. 118. A. & B.

Deus multis modis dicitur & eſt cauſa actionis cauſæ ſecundæ creatæ. p. 133. A.

Dupliciter intelligi poteſt actum noſtrum ſupernaturalem prædeterminari à Deo, ſcilicet ordine intentionis & executionis. p. 135. B.

Repugnat ratio inſtrumenti reſpectu actus liberi. pag. 145. B.

Omnes actus ſupernaturales ſiue liberi, ſiue neceſſarij non ſolùm in communi, ſed etiam in particulari à Deo ſunt prædefiniti. pagina. 174. A.

Actio cauſę ſecũdę magis à cauſa prima à quàm ſecunda. p. 184. A.

Maxima quæ verſatur differentia inter actus naturales & ſupernaturales. p. 196. A.

Differentia inter actum diuinę volũtatis & noſtræ. p. 228. A.

Actus ſupernaturalis effectus eſt, & ſupponit auxilium. p. 269. B.

Actus diuinę voluntatis vnus cum ſit, eſt tamen virtute multiplex. p. 345. B.

Actio voluntatis eſt libera, quamuis non poſsit nõ eſſe ex ſuppoſitione quod vuluntas ſe determinauerit ad illam. p. 365. B.

Duplex conſideratio actus qui præcipitur. pa. 374. B.

Actus diuinæ voluntatis, quamuis ſit in re & formaliter vnicus, virtute tamen eſt multiplex. p. 385. B.

Actus noſter nõ reſultat quomodocunq; ex diuino decreto efficaci, ſed cum quadam dependentia à determinatione libera voluntatis. p. 369. B.

Compoſsibilia ſunt actus infallibilis amoris. v. g. & poteſtas phyſica non amandi. pagina. 400. B.

Ad non agendum non requiritur principiũ poſitum. p. 467. B.

Angelus.

ANGELI omnes etiam illi qui defecerunt oportunitatem loci & temporis habuerunt. p. 208. B.

Angeli quo prẽſtantiorem naturam habuerũt, eo perfectiori & ampliori gratia ſunt exornati. p. 209. A.

Non poteſt Angelus, quamuis comprehendat naturam voluntatis cognoſcere actus liberos eius. p. 225. B.

Non poteſt Angelus reducere voluntatem de actu primo in ſecundum, ſed hoc fit ſolum à Deo. p. 243. A.

Auxilium.

AVXILIVM ſupernaturale non eſt idem cum operationibus ſupernaturalibus, ſed aliquid ab ipſis diſtinctum. p. 3. B.

Auxilium ſpeciale in quo à generali concurſu diſtinguatur.ibidem.
Auxiliũ gratię Dei multiplex & varium.p.7.B.
Auxilium gratiæ in lata ſignificatione dicitur omne illud quod aliquo modo conducit ad vitam æternam. p.8.A.
Auxilium gratiæ Dei non eſt ipſe Deus intimè aſsiſtẽs noſtris potentijs.ibidem. & pag. 9.& 10.
Omnia auxilia, quæ vnus homo poteſt alteri præſtare, ſupponit in eo qui auxiliatur naturalem potentiam, auxilium verò gratiæ non ſupponit eam.p.13.A.
Auxilia non dicuntur fluentia,quia ſunt ſucceſſiua,ſed quia non habent eſſe permanens.ibidem.B.
In ordine auxiliorum ſupernaturalium deueniẽdum eſt ad aliquod,quod nullo modo procedat effectiuè ab anima,ſit tamen paſsiuè in ea receptum.p.14.A.
Auxilium gratię,quod antecedit omnem actionem ſupernaturalem, eſt actio Dei mouentis recepta in anima, tanquam motus quidam ipſius Dei.p.15.A.
Plerumque contingit vt vnus actus ſupernaturalis nobis interius diuinitùs inſpiratus dicatur eſſe auxilium gratiæ actualis reſpectu aliorum actuum ſupernaturalium. pagina. 16.A.
Non ſolùm eſt de fide hominem indigere ad opera ſupernaturalia auxilio, ſed etiam gratuito.ibidem.B.
Auxilia ad actus ſupernaturales liberos non ſolùm ſunt moralia, ſed etiam phyſica. pagina. 28.A.
Auxilium actuale efficax diuinæ gratiæ, non tantum dicitur efficax, quia facit, ſed etiam quia vires præbet efficaciſsimas voluntati.p. 36.B.
Auxilium Dei aliud neceſſarium per modum concurſus,aliud per modum principij.pagin. 41.A.
Auxilia gratiæ quamuis non ſint formaliter quid viuens, & liberum, virtualiter tamen habent quendam modum libertatis & vitæ. pag.54.B.
Auxilium Dei reddi efficax per cooperationẽ noſtram ſentiunt quidam, quorum ſententia latè refertur.p.60.& 61.
Diuiſionẽ auxilij in ſufficiens&efficax reijciũt Hæretici.p.62.B.
Pluribus datur auxilium ſufficiens,quibus non datur efficax.p.63.B.
Conſtituendum eſſe efficax auxilium ſit ex ſacra pagina manifeſtum.p.65.A &B.&rationibus.p.66.A.& B.
In quibus dicatur eſſe auxilium inefficax. pag. 70.A.
Auxilium ſufficiens non tribuit vltimam omninò actualitatem potentiæ,vt operetur.ibidem.B.
Efficaciam auxilij non eſſe, niſi prout ſubeſt ſcientiæ mediæ tenent quidam, quorum ſententia latè proponitur.p.71.A.& 72.A.&B.
Quòd efficacia auxilij non ſit in congruitate probatur. pagina. 74. A. & B. & 75.A.
Auxilium gratię Dei,quod appellatur ſufficiẽs, non ita dicitur,quaſi ipſum ſolùm ſit ſatis, ad actu habendam illam operationem, ad quam vltimo ordinatur.p.77.A.
Falſum eſt,nullum eſſe auxiliũ ſufficiens, quod non ſit etiam efficax.p.eadem.
Auxilium ſufficiens in ſuo genere conſtituit potentiam in actu primo ſupernaturali reſpectu finis, ad quem ordinatur, ſed non in vltima actualitate.p.78.B.
Auxilium efficax eſt illud quod peculiarẽ vim & efficaciam habet adæquatè ad inducendam humanam voluntatem, vt conſentiat actu,& reipſa.p.79.A.
Auxilium efficax conſiſtit in dono gratiæ actualis, quo homo liberè conuertitur, ita vt defectus hominis ſit carere eo. pagina. 80.A.
Auxilium efficax habet rationem principij reſpectu actualis conuerſionis. pagina. 81.A.
Habere auxilium efficax in poteſtate eſt hominis habentis auxilium ſufficiens.pag.82.B.& 100.
Quomodo intelligendum ſit quod Deus ſe ſolo efficit in nobis auxilium efficax. pagina. 83.A.
Auxilium efficax ſolùm prioritate cauſalitatis dicitur antecedere pium vſum voluntatis,ſcilicet actualem conuerſionem.p.86.B.
Poſito auxilio ſufficienti nunquam homo conuertitur, donec adſit efficax auxilium.pagin. 87.B.
Non eſt culpa non habere efficax auxilium,ſed non operari iuxta conceſſam gratiam,qua paratur via ad conuerſionem.p.91.B.
Auxilium quodlibet,vt eſt à Deo,verè ſortitur effectum, reſpectu eius ad quod abſoluta voluntate donatur.ibidem.
Nec donantur ſemper eodem modo auxilia gratiæ,nec ſunt indifferentia.p.92.A.
Vſus ſufficientis auxilij non eſt conuerſio ipſa, ſed non repugnantia, qua homo non repugnat vocationi, neque ipſi apponit impedimẽtum.ibidem.
Bonus vſus priorum auxiliorum non debet tẽpore antecedere conuerſionem, ſufficit quod antecedit per prioritatem in qua. ibidem. B.
Auxilium efficax non in ſola morali præmotione, ſed etiam in determinatione propriè efficiente conſiſtit.p.93.& 94.& 95.
Habet adultus in actu primo auxilia neceſſaria gratiæ Dei,quod ſi non reſiſtat obtinebit efficacia.p.107.A.
Auxilium actuale & efficax præmouens volũtatem non pendere ab actu negatiuo voluntatis probatur,contrariaque ſententia impugnatur.p.111.
Auxilium ſufficiens duplex. pagina.112.B.

Ad hoc quod aliquod auxilium dicatur sufficiès satis est quod constituat potentiam potentē operari, quamuis deficiat aliquid, quo operetur infallibiliter. p. 117. B.
Auxilium efficax non est tale ex sola voluntate & libertate nostra, sed potius vt venit à Deo p. eadem.
Auxilia gratiæ actualis Dei, quæ per modum principij concurrunt, non solùm sunt causæ morales supernaturalium actionum, sed etiā habent rationem causæ physicæ. pagina. 134. A.
Falsum est quòd ipsamet actualis operatio habeat rationem auxilij respectu sui ipsius. pa. 273. B.
Omne auxilium qualecunque illud sit omnem efficacitatem quam habet trahit à Deo. pag. 180. B.
Educitur auxilium de potentia obedientiali voluntatis. p. 181.
Auxilium morale etiam habet fundamentum entitatis physicæ. p. 199. A. & 252. A.
Vt procedit ab intentione Dei & eius proposito, auxilium habet, quòd efficiat conuersionem, & bonam operationem. pagina. 202. A.
Auxilium sufficiens dat posse operari; efficax verò actualiter operari ex D. Augustino. p. 202. B.
Cum libero nostræ voluntatis consensu stat infallibilis auxilij efficacis connexio. p. 203. A. & 300. A.
Omne auxilium efficax est sufficiens, non è cō tra. p. eadem.
Auxilium sufficiens non Grammaticaliter, sed Theologicè sumi debet. p. 203. B.
Tam auxilium sufficiens, quam efficax est homini quid intrinsecum. p. 204. A.
Diuisiō auxilij in sufficiens & efficax datur de auxilio per modum principij. p. 204. B.
Necessitas auxilij efficacis non est consequens. p. 212. A.
Quamuis tota vis auxilij à Deo proueniat effectus tamen ipse non solùm Deo, sed libero arbitrio vt causæ subordinatæ tribuitur. pag. 241. B.
Quamuis sine efficaci auxilio non habeat voluntas potentiam proximam ad opus, est tamen in ipsius potestate habere eam. pagin. 248. A.
Inter auxilium sufficiens & actum secundum mediat efficacia gratiæ. ibidem. B.
Sola prioritas causalitatis, qua antecedit efficax auxilium non tollit liberum consensum. pa. 246. A.
Prioritas auxilij efficacis non est prioritas durationis, sed prioritas naturæ. pagina. 251. B.
Auxilium gratiæ efficacis non dicitur esse in potestate arbitrij tanquam in causa efficiente, sed tanquam in consentiente. pagina. 264. B.
Etsi in omni auxilio reperiatur gratia Dei, potissimū in primo, quod est iustificationis exordium. p. 286. A.
Etsi determinetur voluntas per auxilium, ad actum pœnitentiæ. v. g. non ideo aufertur ipsius libertas. p. 468. & 470. A.
Quantum sit discriminis inter habitum & auxilium. p. 469. B.
Quomodo auxilium sit intrinsicè indifferens & intrinsecè determinatum respectu diuersorū. p. 472. A.
Deus non tantùm vult prædestinato auxilium efficax, sed etiam vult illud quatenus est efficax. p. 482. A.
Vide titulum Gratia.

B

Beatus & Beatitudo.

NON est necessarium vt semper beatus actu velit honorem & extrinsecam gloriam Dei. p. 373. B.
Non est necesse quod beatus amet Deum necessariò quoad exercitium quoad omne obiectū possibile. p. 375. B.
Sine volitione beatitudinis seu boni in communi nō potest voluntas aliquod bonum in particulari velle. p. 401. B.

C

Causa.

DVOBVS modis potest dici aliqua causa totalis, totalitate scilicet causæ, & totalitate effectus. p. 50. A.
Ad eundem effectum possunt concurrere plures causæ totales ad inuicem subordinatæ. p. 52. B.
De ratione causarum partialium est quòd vna non sit alteri subordinata in vi agendi. pagin. 56. B.
Causæ secundæ impropriè dicuntur instrumenta. p. 56. B.
Omnis causa per participationem eo ipso quod talis est pēdet ab ente & causa per essentiam. p. 131. A. & B.
Omnis causa creata aliquam applicationem præuiam requirit ad actionem suam. pagina. 132. B.
Effectus physicus & realis postulat causam per se efficientem, & habentem vim ad talem effectum. p. 134. A.
Mouet Deus causas secundas ad operandū quando actu causant. p. 256. B.
Causæ secundæ, etsi ad producendos effectus in specie determinatæ sint, non tamen ad hoc in diuiduum potius quam ad illud. ibidem.
Ad suauem Dei prouidentiam maximè pertinet dare secundis causis virtutes intrinsecas, per quas operantur. p. 269. A.
Dependentia, qua secundæ causę dependēt à primis est intrinseca ipsis causis secundis.

Causa prima, quæ est Deus, non solùm est primum deliberans, sed etiã prius natura influit in genere causæ efficientis. p. 284. A.
Causa per se alicuius effectus appellatur, quæ ratione propriæ actiuitatis postulat produci talem effectum. p. 449. B.
Eadem causa formalis potest esse determinata & indeterminata respectu diuersorum. pag. 468. B.
Quomodo in diuersis generibus causarum vnũ sit causa alterius & è contra. p. 476. B.

Concursus.

CONCVRSVS diuinus quatenus in re datur à Deo ad actus supernaturales est quid supernaturale & gratuitum. pagina. 43. B.
Inter non cursum naturalem & supernaturalem explicatur discrimen. p. 44. A.
Concursus generalis solet aliquando nomine auxilij significari. p. 77. B. & 134. B.
A concursu generali asserunt quidam posse determinari voluntatem. p. 173. B.
Duplex modus, quo concursus causæ primæ conferri potest cum cõcursu causæ secundæ. p. 258. B.
Quamuis in genere causæ efficientis concursus causæ primæ determinet secundam, tamen in genere causæ materialis non ita. pag. 256. A.

Christus Dominus.

HVMANITAS Christi Domini vt instrumentum Verbo coniũctum potuit efficere instrumentaliter miracula p. 12. A.
Quo tempore Christus à quibusdam iudicabatur peccator recognoscitur à latrone & efficaciter conuertitur. p. 182. B.
Christus meruit omnibus omnia auxilia gratię, & omnes dispositiones ad gratiam, & etiam gratiam ipsam. p. 313. B.
Non est lex lata à Christo Domino & eius æterno Patre de conferenda gratia facienti quod in se est ex solis naturæ viribus. ibid. & probatur vsque ad 318.
Christi Domini voluntas in actibus suis fuit perfectè ac propriè libera, non tantùm à coactione, sed etiam à necessitate. pagina. 370. B.
Christus Dominus habuit physicam potestatẽ aliquo modo non faciendi quod faciebat, & tamen peccare non potuit. p. 371. B.
Qua ratione fuerit possibilis Christo Domino actus aut carentia eius, & qua etiam non. ibidem.
Non habuit Christus Dominus præceptum de omnibus suis actibus. p. 372. A.
Etsi omnes actus voluntatis Christi prædefinierit Deus, non ideo de eis imposuit præceptum. p. 372. A.
Quamuis impositio præcepto voluntati humanæ Christi Domini infallibile fuerit efficere, id quod præceptum fuerat Christo, tamen ex huiusmodi suppositione non sequitur voluntatem Christi necessariò efficere actum illum hoc solo quòd impeccabilis est. p. 376. B. & 378. A.
In Christo Domino non fuit physica potestas peccandi. p. 377. A. & 378. B.
Voluntas creata Christi, vt creata, capax erat peccati, non tamen vt erat voluntas Christi. ibidem. B.
Christus in quantum homo prędestinatus est Filius Dei. p. 458. B.

Conuersio.

QVA ratione verum sit in manu hominis esse se conuertere. p. 170. B.
Quamuis cuilibet homini possibile sit se conuertere, homo tamen potens non est secluſa gratia. p. 109. B.
In potestate voluntatis nostræ est velle conuerti ad Deum, non tanquam in potestate prima & suprema, sed tanquam in potestate subordinata diuinæ potestati in genere causę efficientis. p. 110. A,
Actualis conuersio non est prius à Deo producta quàm à libero arbitrio. p. 115. B.
Impossibile est aliquem conuerti per actum dilectionis vel fidei nihil efficiendo, sed passiuè se habendo. p. 137.
Non stat conuersio actualis efficacis gratiæ & quòd voluntas non operetur, quamuis possit operari & non operari. p. 187. A.
Vide titulum Actus & Actio, & titulum Operatio.

D

Decretum Dei.

REPVGNARE decretum Dei conditionatum autumant quidam. p. 226. A.
Non repugnare tale Dei decretum probatur. ibidem. B.
Quamuis Deus non cognoscat peccata futura sub conditione ex conditionato suo decreto, reliqua tamen omnia sic futura poterit ex vitalis decreti cognoscere. p. 227. A.
Decretum Dei existens non est aliud quàm ipsa Dei essentia. p. 228. B.
Qua ratione & vnde sit cognoscibile Dei decretum sub conditione futurum. ibidem.
Requiritur decretum Dei propter ipsius scientiam, quatenus terminatur ad res, & vt earum est causa, p. 360. A.
Requiritur etiam hoc decretum ad exactã executionem potentiæ. ibidem.
Tam in ordine ad ea, quæ Deus per se ipsum operatur, quàm quæ vult operari per causam secundam requiritur decretum Dei liberum. ibidem. B.
Non resultant actus liberi ex decreto Dei sicut illuminatio ex sole. p. 398. B.

Nihil est in actu bono supernaturali, de quo nõ sit Dei decretum.p.403.A.
Non est constituenda in diuino decreto cõfusa præordinatio mediorum.p.451.B.
Vide sequentem Titulum.

Determinatio.

DETERMINATIO debet esse in re ipsa quę determinatur.p.184.B.
Determinatio voluntatis est vera entitas realis. p.eadem.& 272.A.
Determinatio & applicatio voluntatis ad operandum Deo conuenire debet. p.185.B.
Determinatur voluntas motione Dei & determinatione libera non necessaria. p. 186.
Determinatio est in virtute duplex.p. 187.A.
Idem est declinare ac determinare voluntatem. pag.191.A.
Per formalem & actualem determinationem nõ repellitur à voluntate potestas ad oppositũ. pag.198.B.
Determinatio exercita ad vnam partem in causa,quæ ex se est indifferens non repellit neq; lædit libertatem.p.265.A.
Licèt in genere causæ efficientis prior sit determinatio Dei,in genere tamen causæ materialis non ita.ibidem.B.
Determin atio voluntatis non fit per aliquem actum realiter distinctum ab illo quo voluntas prosequitur obiectum,sed per eundem se cũdum rem,licèt ratione distinctũ.p.272.A.
Qualiter determinatio voluntatis creatæ sit sub determinatione voluntatis diuinæ. pagina. 286.B.

Deus.

DEVS non concurrit per modum causæ partialis ad supernaturales actus, sed vt vera causa totalis in suo genere.p.52.A.
Deus determinans efficienter propriè nostram voluntatem non debet concipi à nobis tanquam aliquid omninò extrinsecum , sed tanquam aliquid intimum voluntati ipsi creatæ. pag.110.B.
Mouet Deus humanam voluntatem, non potẽter rapiendo,sed suauiter & efficaciter efficiẽdo.p.130.B.
Non est verum Deum operari & prædefinire opera nostra ex præuisione determinationis voluntatis nostræ.p.175.A.
Non solùm Deus est prima omnium causa , sed primum omnium deliberans. p.181.
Deus est supremus Dominus liberi arbitrij. pa. 185.A.
Deus non expectat influxum aut determinationem voluntatis creatæ ad operandum,sed potius ipse prius natura inchoat operationem. p.195.B.& 274.B.
Moralis certitudo de opere conuersionis nõ est satis vt Deus infallibiliter iudicet effectũ esse futurum.p.203.A.
Deus per suam gratiam aptat nos vt ipsius faciamus voluntatem.p.207.B.
Cognoscit Deus quid sit ipse liberè voliturus ratione luminis infiniti sui intellectus, ex parte verò obiecti, quia est verum. pagina. 230.A.
Deus est omnis entitatis realis bonę vera& propria causa.p.242.A.
Quidquid Deus operatur ad extra siue se solo,siue cum causa secunda liberè operatur.pagina 271.B.
Deus determinat voluntatem nostram ad agendum,sed non determinat ipsam sine ipsa.pag. 272.B.
Intelligibile non est,quod Deus obsequatur placito voluntatis nostræ.p.275.A.
Deus omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ.ibidem.B.
Deus quantum in se est , est paratus ad dandum omnibus gratiam suam,& ad vocandum omnes adultos.p,292.A.
Quod Deus hominem reliquerit in manu consilij sui non excludit ipsum à perfecta sua prouidentia.p.299.A.
Non expectat Deus voluntates nostras.p.301. & probatur vsque ad 318.
Quare Deus non sit acceptor personarum.pag. 322.B.
Deus nihil agit nisi per intellectum & voluntatem.p.380.B.
Omnia quæ fiunt à Deo subijciuntur non solũ suæ præscientiæ , sed etiam præordinationi eius.p.387.B.
Omnibus adultis voluit Deus dare gloriam nisi ipsi se ea indignos redderent.p.422.A.
Vide titulos Auxilium,Gratia,&c.

E

Electio.

VOLITIO eligendi homines ad supernaturalem beatitudinem dupliciter potest intelligi,quòd sit efficax p.403.B.
Duplex electio apud Diuum Augustinum.pag. 419.A.
Actus quo voluit Deus gloriam alicui,appellatur electio,& quomodo.p.420.B.
Duplex modus secundùm quem difficultas de electione ad gloriam tractari potest. pagina. 421.B.
Electio ad gloriam est voluntas &intentio cõferendi illam alicui.p.429.B.
In prima electione ad gloriã non repulit Deus merita,sed non respexit ad illa.p.430.A.
Duplex electio,vna per modum intentionis, alia per modum executionis.p.436.B.
Aliud esse hominem eligi , aliud veto fieri electum.p.437.A.
Quod sit obiectũ electionis saluandorũ.p.442. Vbi etiam ponitur primus dicendi modus probabilis.
Alius modus dicendi etiã probabilis circa obiectum huius electionis.p.442.B.
Duplex modus dicẽdi quo defenditur sentẽtia asserens electionẽ adultorũ ad gloriam fuisse

effi-

efficacem antecedenter ad bonum vsum liberi arbitrij. pag. 444. A.
Intentio dandi gloriam & electio mediorum distinguuntur secundùm rationē. p. 451. A.
Intentio continet virtualiter electionem. ibi.
Electio ante præuisa merita non lædit libertatem. ibidem.
Causa cur Deus aliquos elegit est vt diuitias gloriæ suæ ostendat. p. 458. A.
Aliud est gratis eligere aliquem ad gloriam, aliud verò eligere aliquem ad gloriam gratis conferendam. p. 461. A. & 478. A.
Electio ad gloriam qualiter à nobis ponitur ex parte obiecti requirit affectum iustitiæ, & ex parte actus gratuiti habet rationem misericordiæ. p. 461. B.
Non est irrationabile quod Deus pro sua liberalitate voluerit quosdam efficaciter eligere re alijs relictis. p. 466. B.
Ratione illius primæ electionis multa bona tanquam ex fonte prędestinato deriuantur. ibidem.
AEterna Dei electio duobus modis cogitari potest. p 481.
Electio ad primam gratiam efficacem non supponit discrimen in eo qui eligitur, sed potius facit. p. 481. A.

F

Finis.

NON intendit Deus finem seorsum à medijs cum intendit aliquid per modum intentionis. p. 346. A. & 389. A.
Nihil præcipitur ordinandū in finem nisi præ ex sistente voluntate finis. p. 431. B.
Voluntas efficax finis virtute includit media omnia congrua & efficacia vt ipse finis cōparetur. p. 433. A.
Voluntas finis prior est voluntate mediorum ordine causalitatis & rationis. p. 440. B.
Duplex finis consideratio. p. 441. A.

Futura contingentia.

FVTVRORVM contingentium duplex cōsideratio. p. 218. B.
Duplex modus, quo cognosci possunt. pag. 219. A.
Futura conditionata, quæ nunquam erunt non posse certò ab aliquo intellectu cognosci, ibidem. B.
Ista futura solùm habent rationem possibiliū. ibidem.
Non potest Deus cognoscere aliquem actum bonum verè futurum, qui Dei voluntatem præueniat. p. 222. A.
Futura conditionata determinatam veritatem non habent vt sic certò cognosci non possunt. p. 223. B.
Quòd non cognoscat Deus futura conditionata in libero arbitrio. p. 224. B.
Ex cognitione vocationis, si solùm habeat moralem efficacitatem non potest haberi infallibilis certitudo futuri actus. pagina eadem.
Difficile assignatur modus cognoscēdi ista futura conditionata. p. 225. B.
Ex cognitione sui decreti conditionati Deum cognoscere sua futura conditionata est quorundam opinio. p. 226. A.
Prius prioritate rationis cognoscit Deus futura contingentia vt conditionata, quam vt absoluta. p. 228. A.
Si cognoscuntur à Deo futura contingentia conditionata, quæ habent connexionem cū ipsa hypothesi, etiam illa quæ tali cōnexione carent. p. 229. B.
Futuritio futurorum possibilium, vel futurorū sub conditione antecedit voluntatem Dei. pag. 280. B.
Triplex futuritionis ratio, & quod nulla prosit ad conciliandam libertatem cum prædefinitionibus. p. 369. B.
Antecedenter ad omnem prœuisionem futurorum decreuit & disposuit Deus quid vnaquęque causa futura esset. p. 367. B.
Cooperatio liberi arbitrij duobus modis potest intelligi, quod à Deo prævideatur vt futura. p. 404. A.

G

Gratia.

QVOD prima gratia nō detur faciēti quòd in se est ex viribus naturæ. p. 18. & 19.
Diuisio gratiæ in operantem & cooperantem maximè recepta à Theologis. p. 20. B.
Gratia vocans & excitans dicuntur à Theologis inspirationes & motiones Dei, quibus Deus hominem ad se inuitat ad pias actiones. ibidem.
Diuersæ sententiæ circa rationem qua distinguuntur & constituuntur in suo esse gratia operans & cooperans p. 21.
Gratia operans & cooperans dicuntur in ordine ad nostras operationes supernaturales. p. 22. A.
Optima est diuisio gratiæ actualis in excitantem & adiuuantem, & in operantem & cooperantem. ibidem.
Duplex gratiæ excitantis cōsideratio. p. 23. A.
Gratia adiuuans si sumatur secūdum latā suam significationem dicitur quidquid potest intellectum & voluntatem iuuare ad supernaturales actiones. ibidem.
Gratia excitans & adiuuans quòd inter se distinguantur, & quomodo. pag. 24. B. & 428. A.
Gratia Dei ad duo maximè necessaria. ibidem.
Gratia operans & cooperans sub adiuuante cōtinentur. p. 25. A.
Gratia excitans habet locum non solùm ante, sed etiam post infusionem gratiæ & habituum supernaturalium. ibidem.
Non est vnica tantum gratia ea qua potentia iuuatur ad actus supernaturales, & qua ad eos excitatur. ibidem. B.

Gratia operans & cooperans neceſſaria eſt ad actus ſupernaturales nō minus quàm excitans & adiuuans.pa.26.B.
Non eſt impoſsibilis ſententia, quæ affirmat poſſe diſtingui gratiā per operantem & cooperantem in ordine ad operationes noſtras quatenus meritoriæ ſunt.p.28.A.
Magis rationabile eſt quod iſtæ gratiæ diſtinguētur per ordinem ad actus ſupernaturales abſtrahendo à meritorijs & non meritorijs. pag.29.A.
Gratia cooperans non ſolùm habet locum in electione mediorum, ſed etiam in intentione finis.p.30.B.
Eadem gratia non tantùm habet locum in ordine ad actus exteriores, ſed etiam in ordine ad interiores.p.31.A.
Gratia adiuuans neceſſaria eſt, non tantùm ad conuerſionem, ſed etiam ad perſeuerandum in accepta gratia iuſtificationis. ibidem.
Gratia excitans & vocans eo referuntur vt homo vocatus & excitatus ſeſe ad Deum conuertat.ibidem.
Gratia efficax vocationis ſecundum propoſitum tunc eſt totaliter & adæquatè efficax quando ſimul accedit ſpeciale auxilium ad vocationem.p.34.B.
Quo gratia & efficax vocatio eſt maior, eo cōuerſiō peccatoris etiam eſt maior. pa.35.B.
Gratia cooperans importat nouam rationem gratiæ ſupra operantem.ibidem,& p.36.
Gratia efficax non dicitur neque eſt talis ab euentu, quia videlicet ſortitur effectum.pa.40.A.
Gratia adiuuans neceſſaria ad conuerſionē peccatoris diſtincta ab excitante & vocante nō eſt ſolùm actualis Dei cōcurſus, ſed vlterius eſt quoddam donū Dei gratuitum quo mēs hominis roboratur ad conuerſionem elicendam.p.41 A.
Licèt per gratiam excitantem & vocantem homo iuuetur, ipſa tamen ſola gratia præueniens non complet adæquatè efficacem gratiam.pa.42.B.
Gratia adiuuans, quæ eſt ſola vocatio, excitatio &c. reſpui poteſt, minimè vera gratia adiuuans, quę eſt eadem cum cooperante efficaci & adęquata.pag.43.A.
Sententia de identitate gratiæ adiuuantis & excitantis reijcitur. p.44.A.& B.& 45.A.
Quòd diuiſio gratiæ in præuenientem & ſubſequentem cōmunis ſit SS.Patribus.pa.45.B.
Quid gratia præueniens & ſubſequens ſit. pa.46.A.
Loquendo comparatiuè, quælibet gratia poſt vocationem primam poteſt dici ſubſequens ibidem.
Diuiſio gratiæ in prēuenientem & ſubſequentem non concidit cum alia diuiſione eiuſdē gratiæ in operantem & cooperantem ibidem B.
Omnino certū eſt gratiam actualem diſtinguē dam eſſe in ſufficientē & efficacem.p.63.B.
Vt aliquis iudicetur habere gratiam ſufficientem ad actionem ſupernaturalem, requiritur eum habere ea auxilia, quæ ad eādem requiruntur tanquam ſupernaturales formæ, quibus homo vocatus poſsit vſu aliquo liberæ facultatis ſuæ Deo auxiliante adquirere reliqua omnia dona gratiæ.p.67.A.& 78.A.
Gratia vocationis non eſt ſita in noſtra poteſtate.p.69.B.& 306.A.
Male vtitur homo gratia vocationis & motionibus Dei, ſi ipſe vel contradicat, vel ponat obicem.p.86.A.
Alius eſt vſus actualis conuerſionis, alius gratię ſufficientis.pag. eadem B.
Non habens in actu ſecundo gratiam efficacē ſi tamen habeat ſufficientem dicitur habere id per quod præſto eſt habere auxilium efficax.pag.87.A.
Conuerſio ſupernaturalis ſupponit in homine peccatore ipſam efficacem vt principium eius effectiuum.pag.90.A.
Quod homo non reſiſtat gratiæ excitanti & vocanti donum eſt Dei.pag.91.B.
Sententia aſſerentium gratiam eſſe efficacem à conſenſu humanæ voluntatis latè proponitur & probatur.pag.98.B.99.& 100.
Illa opinio, quæ dicit efficacitatem diuinæ gratiæ ſumendam eſſe ex cooperatione noſtra vera non eſt, & probatur.pag.102.A.& B. 103.& 104.
Qui non conuertuntur eo quod de facto non habent efficacē Dei gratia, qua aliàs cōuerterētur nullam habent excuſationē quod non conuertātur, nec eſt ex parte Dei.p.106.A.
Licèt efficaciæ gratiæ à Deo ſit, ipſe tamē nos nō determinat aliqua pręuia actione, in qua ſolùm paſsiuè ſe habet volūtas.pag.112.B.
Actualis conſenſus non eſt efficacia gratiæ, ſed potius eſt effectus ipſius.pag.116.
Sententia aſſerentiū nullam omninò eſſe efficacem gratiam, quæ pręmoueat noſtras voluntates efficienter propriè, adducitur & latè exponitur.pag.119.& 120.
Alia ſententia proponitur circa efficacitatem gratiæ, pro qua & contra ſententiā D.Thomæ proponuntur valida argumenta. à pag.121.vſque ad 128.
Aptius dicitur voluntatem determinari per gratiam efficacem efficienter propriè, quā phyſicè.pag.130.B.
Gratia moralis repellitur à Diuo Auguſtino, eo quod ipſa non ſit ſatis.pag.43.A.
Actualem gratiam Dei in congruitate temporis & loci non conſiſtere patet ex S. Patribus.pag.142.143.& 144.
Triplex acceptio efficacis gratiæ.pag.172.A.
Efficax gratia ſic dicitur, quia prout à Deo venit ſingularē vim habet ad agēdū ibidem.B.
Gratia & liberum arbitriū non duo principia, ſed vnum tantùm reſpectu ſupernaturalis operationis.pag.173.A.
Gratię adiuuātis duplex cōſideratio.p.179.A.
Gratia Dei adiuuās per modū principij influit

phy-

physicè in actum & in volũtatem.p.196.B.
Multiplex gratia Dei multis etiam nominibus appellari solet.pag.197.A.
Gratia sumitur & pro habituali dono, & pro diuino auxilio, quo nos ad operandum mouet. ibidem B.
Causalitas & efficacia gratiæ Dei eo modo explicata, quo ab auctoribus oppositæ sentẽtiæ traditur neq; est vera, neq; cõformis D. Augus.p.200.B.& probatur vsq; ad 205.A.
Non potest cõstare efficacia gratię Dei & eius infallibilitas si ponatur solum in congruitate loci & temporis.pag.205.A.
Gratia Dei semper est cõgrua naturæ. p.206.
Difficultates omnes, quæ nobis ab aduersarijs obijciuntur contra nostram sententiã de efficacia gratiæ militant etiam contra eos & suam sententiam.pag.211.A.
Etiã si efficacitas gratiæ consisteret in illa cõgruitate ad complexionem &c. verum esset talem efficaciam non esse in hominis potestate & libertate.p.212.B.
Gratia Dei adaptat sibi liberũ arbitriũ tã suauiter & fortiter, vt ipse bonus vsus nõ attribuatur innatis viribus, sed potius libero arbitrio eleuato.pag.231.A.
Ex opposita sentẽtia de efficacitate gratię exaltatur natura & deprimitur gratia: ex nostra verò hæc eleuatur, humiliatur illa.pag.232.A.
Quod in nostra sẽtẽtia optime saluetur infallibilitas futuri euẽtus cum efficaci gratia aperte cognoscunt aduersarij.p.234.A.
Vltima dispositio ad gratiã non est ab habitu, sed à voluntate & auxilio speciali gratiæ procedit.pag.245.A.
Per gratiam adiuuantem efficaciter non solùm potest liberum arbitrium elicere actum, sed de facto eliciet illum.ibidem.B.
Secluſa gratia efficaci voluntas non habet integram & proximam potentiam ad opus supernaturale.p.355.B.
Nunquam adeò desipuit Pelagius vt assereret posse nos facere Deum debitorem simpliciter primæ gratiæ.pag.287.A.
Si peccator non adhibeat noua impedimẽta, tunc quidẽ recipiet auxiliũ gratiæ nõ ex debito, sed ex liberali Dei largitione.p.293.A.
Vt homo recipiat primam gratiam excitantẽ & præuenientem, & prima auxilia, quæ necessaria sunt ad salutem, nulla dispositio est simpliciter necessaria ex parte ipsius hominis.ibidem.
Peccator viribus naturæ non valet se disponere ad gratiam, & contrarium citra fidei periculum defendi non potest.p.293.B.
Respectu primæ gratię aliquã impetrationem ex nobis esse ponendam admittebant Massilienses.pag.302.A.
Ante primam gratiam præcedere bona opera moralia, quib⁹ Deus moueatur, vt auxilia gratiæ tribuat sentiunt recentiores quidã.ibi.B.
Qui explicãt illam maximam: *Facient quod est in se, &c.* de facienti ex viribus naturæ isti cum Massilienſibus conueniunt. pa.305.A.
Falsum est dicere, ꝙ aliqua occasio seu impetratio ex nobis est ponẽda, vt aliquo modo electio ad gratiã & donatio illius ex arbitrio nostro pẽderet.p.307.B.probatur vsq; ad 310.
Nomine cogitationis designatur à D. Paulo primum initium & inchoatio, quæ sit via ad gratiam.p.327.B.
Non se habet Deus in collatione gratię sicut se habet in generali cõcursu rebus naturalibus impenso.p.324.B.
Experientia constat homines acutissimi ingenij plerunque magis resistere gratiæ Dei, quam alij tardioris ingenij.p.325.B.
Gratiam adiuuantem dupliciter posse considerari.pag.427.B.
Antecedenter ad præscientiam vsus arbitrij creati decreuit Deus dare quibusdam gratiã vocationis.p.450.B.
Vide titulum auxilium.

Gratitudo.

GRATITVDO & misericordia differunt. quia illa supponit aliquid quasi acceptũ, hæc verò non.pag.315.A.
Gratitudo versari non potest tanquam circa materiam circa merita futura sub conditione.p.430.A.

H

Homo.

HOMO tunc propriè & moraliter dicitur agere quando modo humano & libero agit.pag.27.A.
Homo per liberũ arbitriũ eleuatũ auxilio gratiæ operantis & cooperantis verè efficit actus supernaturales per modum causæ secundæ particularis, proximæ & totalis. pag.50.B.
Homo per facultatem liberi arbitrij præcisè sumptam nullam habet efficientiam immediatam, siue totalem, siue partialẽ, respectu operationum supernaturalium.pag.52.B.& 51.& 54.
Homo non potest mouere aut inclinare voluntatem ex parte principij operatiui, sed tantum ex parte obiecti.p.136.B.
Hominis complexio non est ipsi liberè. pag. 209.A.
Vide titulos voluntas, liberum arbitrium &c.

I

Intellectus & intellectio.

INTELLECTVS elicit visionem iuxta vim & quantitatem luminis gloriæ.pa 56.B.
Intellectus vnicam habet rationem specificam potentiæ, quamuis eius obiectum sit vnum solum analogicè.pag.59.A.
Intellectio & productio verbi idem secundùm rem, ratione verò distinguuntur. pag. 272.B.

L

Lex.

LEx de conferenda gratia facienti quod in se est ex viribus naturæ, non est Ecclesię reuelata. p. 322. A.

Potuit Deus sancire huiusmodi legē, sed quod de facto sanciuerit non constat. pag. 324. A. & 325. A.

Non satis est voluntas superioris de aliquo faciendo, vt vim habeat legis, sed opus est vt decernat obligare subditum intimando ei suam voluntatem. p. 372. B.

Liberum arbitrium & libertas.

LIBERI arbitrij duplex consideratio. pag. 37. B.

Liberum arbitrium viribus naturę cum solo generali concursu ordinis naturæ & suppositā sola gratia excitante non valet se conuertere in Deum conuersione supernaturali. pag. 38. A.

Liberum arbitrium & supernaturalis forma per quam eleuatur ad actus supernaturales efficiunt vnam causam perfectam simplicissimam & indiuiduam. p. 51. A. & 54. B.

Liberum arbitrium concurrit ad actus supernaturales per modum causæ secundæ principalis. p. 55. A. & 58. A.

Liberum arbitrium non est potentia supernaturalis virtualiter, aut eminenter. p. 58. B.

Liberum arbitrium per auxilium gratiæ verè eleuatur vltra obiectum sibi connaturale. p. 59. A.

Ita liberum arbitrium mouetur à Deo in actuali conuersione, quod simul se moueat & agat liberè. p. 83. B.

Aliud est hominem habere libertatem vt se conuertere in Deum velit, & aliud habere vires, quibus conuertatur, libertas enim nostra est, vires autē à Deo veniunt. p. 108. A.

Etsi liberum arbitrium absolutè & in sensu diuiso possit dissentire si velit, non autem in sensu composito & pro vt subest ordinationi diuinæ prædefinitionis. p. 116. B.

Liberum arbitrium creatum pendet à Deo, nō solùm vt natura quædem est, sed vt liberum est. p. 131. A.

Deus cum sit Dominus liberi arbitrij creati facultatem habet vtendi eo quomodo & quādo voluerit suaui & contemperata motione sine læsione libertatis. p. 168. B.

Multiplicem vsum dominij quòd habeat Deus circa liberum arbitrium. p. 186. A.

Liberum arbitrium est indifferens & in potentia ad agendum & non agendum, vnde à Deo debet reduci tanquam à prima causa. 187. B.

Ea motione mouetur liberum arbitriū à Deo, qua se reducit de actu primo in secundum, & cum hæc non solùm sit moralis, sed physica, eodem modo & motio Dei est moralis & propriè efficiens. p. 188. A.

Libertas quæ in Deo cogitatur non participatur à rebus creatis, sed est perfectio conueniens ipsi ex se. p. 221. B.

Liberum arbitrium Dei determinaretur ab extrinseco, si vera esset oppositа sententia de efficacitate gratiæ. ibidem.

Libertas, qua possumus in oppositum est proprietas sequens naturam intellectiuam. pag. 238. B.

Sicut liberum arbitrium est ens per participationem, ita & agens. p. 245. A.

Quacūque suppositа præmotione in libero arbitrio manet semper potestas resistendi ipsi. p. 252. A.

Semper est verum esse in libera hominis potestate saluari, etsi non sit in eius viribus. pag. 264. A.

Sententia, quæ asserit quòd quotiescunque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, tam circa fidem, quàm circa dolorē de peccatis ad iustificationem à Deo ex infallibili lege conferri gratiam præuenientē, seu auxilia quibus id faciat vt oportet ad salutem, falsa est omninò. p. 286. A.

Quamuis liberum hominis arbitrium libere vtatur libertate sua in dispositione contritionis ad gratiam pendet tamen ab ipsa gratia Dei cui subordinatur & subijcitur. p. 306. A.

Plures sunt suppositiones, quę libertatem auferunt, quamuis aliquæ non ita. p. 365. B.

Quæ suppositio libertatem non lædat. p. 366. B. & 393. B.

Quæ physica determinatio libertati opponatur, quæ verò non. p. 396. B.

Physica determinatio, quæ excludit potestatem actus oppositi aufert libertatem. pag. 399. B.

Indeterminatio, in qua consistit libertas voluntatis conuenit ipsi, per respectum ad effectum, quem causat in genere causæ efficientis. p. 469. A.

Vide titulos Determinatio, Voluntas, &c.

N

Necessitas.

INFALLIBILITAS moralis est quædam necessitas & determinatio actus in sensu composito. p. 396.

Necesiras physica in quo à morali distinguatur. ibidem.

Vide titulos Determinatio, Libertas, &c.

O

Opus, vel operatio.

NON est ita in Dei operibus suauitas statuenda, vt ipsorum efficacia destruatur. pag. 74. A.

In omni opere bono nos non incipimus. pag. 243. A. & 312. B.

Omnis operatio, quæ parat viam ad gratiam, ad conuersionem & iustificationem, semper est ex auxilio supernaturali Dei. p. 288. B.
Rationes quare opera bona moralia hominis peccatoris non dicantur ad salutem prodesse. pag. 193. A.
Quodlibet opus bonum vnde iustificationis gratia incipit, est ex gratia Christi. p. 304. A.
Fortitudo & suauitas Dei in suis operationibus in quo sita sit. p. 468. B.
Vide titulos Actus, seu actio, Gratia, &c.

P

Peccatum.

DEVM permittere peccatum non est aliud quam subtrahere maiorem gratiam, quã si tribueret non fieret peccatum. p. 229. B.
Peccata non prædeterminantur, nec prædefiniũtur à Deo, & quę sint huius rationes. pagina. 250. B.
Homo in peccato manens non potest abstinere ab omni peccato. p. 296. A.
Non est possibile moraliter peccatorem esse in ea vigilia vt per rationem discutiat quid debeat velle aut agere. ibidem.
Quamuis homo, qui est in peccato vitare non possit omne peccatum, potest nunc hoc vel illud vitare. ibidem. B.
Ratio quare necessarium omninò sit esse in Vniuerso peccata. p. 297. A.
Peccare posse non tantũ dici physicam potentiam ad faciendum, vel omittendum actũ, sed præterea includit proximam potentiam deficiendi. p. 379. A.

Potentia.

NON esse vllam potentiam actiuam obediẽtialem. p. 10. A.
Potentias naturales habere virtutem naturalem ad actus supernaturales quibusdam argumentis suadetur. p. 49. A. & B.
Bene stat quòd aliquis possit piè viuere quantũ est ex parte potentiæ, & tamen quod ex sola ipsa potentia à gratia proueniente non possit in actualem vsum. p. 84. B.
Implicat quòd aliqua entitas educatur de potẽtia alicuius subiecti, & quòd Deus nõ influat in ipsum. p. 193. B.
Quamuis Deus ad extra agat per potentiam suam, tamen potentia ipsa determinatur à voluntate vt sic vel sic agat & operetur. pagina. 343. B.

Prædeterminatio & Præmotio.

MODVS loquendi de physica prędeterminatione nouè est inuentus ab auctoribus oppositæ sententiæ non vt probent, sed vt improbent. p. 79. B.
Prædeterminatio ordine executionis duplex, moralis scilicet & efficiens propriè. p. 136. A.
Hæc prædeterminatio physica tribus modis intelligi potest in ordine ad actum liberum. pa. eadem.
AEquiualentibus saltem verbis significatur in sacra Scriptura nostrorum operum prędeterminatio. p. 138. B. & 183. B.
Præmotionem efficacem rei veritate compulsus Dæmon ipse fatetur. p. 141. B.
Præmotio Dei eo magis insinuatur quo magis asseritur potentiam nostram esse solùm instrumentum. p. 145. A.
Vtraque præmotio, moralis scilicet, & propriè efficiens inseparabiliter coniunguntur in cõuersione peccatoris. p. 171. B.
Potestas ineffabilis, qua D. August. asserit Deũ operari in cordibus hominum maius est quã præmotio moralis per respectum ad humorem, tempus, locum, &c. p. 109. A.
Præmoueri voluntatem ab agente infinito infinito in potestate & in sapientia non arguit necessitatẽ cum læsione libertatis. p. 250. A.
Præmotio diuina non dicitur rapere voluntatẽ, sed potius firmare & sanare. p. 263. A.
Duplex præmotio & prædeterminatio, libera & necessaria. p. 278. A.
Vide titulum sequentem Prædefinitio.

Prædefinitio.

FALSVM omnino est Sanctos Patres sentire Deum non prædefinire actus liberos & supernaturales. p. 157. A. & B.
Hæc duo repugnant, quòd scilicet aliquid sit prædefinitum, & quod de facto non eueniat. pag. 258. A.
Prædefinitio actus in specie ab omnibus fere admittitur. p. 329. A.
Solùm esse constituendã prædefinitionem moralem asserũt quidam. ibidem. Quorum sententia late adducitur. p. sequenti, & plures alij dicendi modi vsque ad 340.
Prædefinitio actus est diuinæ volũtatis. pagina 341. A.
Deus potest prædefinire actum humanum bonum liberum, & liberè à voluntate eliciendũ. ibidem B. & probatur vsque ad p. 348.
Explicatur modus, quo fieri potest, vt prædefiniatur actus ante absolutam ipsius præscientiam: & tamen quod sit liber. p. 343. A.
Prædefinitio Dei habet se veluti actus primus, quæ tamen respicit ex diuina ordinatione effectionem mediorum suo tempore exercendam iuxta præscriptum diuinæ voluntatis. p. 344. A.
Differentia inter prædefinitionem internam & externam seu executiuam. p. eadem B.
Prædefinitio Dei æterna non est suppositio necessitans voluntatem in actibus suis. pagina. 345. B.
Diuina prædefinitio est suppositio ante cedens vsum nostræ libertatis. p. 346. B.
Prædefinitio, quæ assignatur in modo dicendi aduersariorum non est prædefinitio, sed quędã complacentiæ volitio. p. 347. A.
Prædefinit Deus actiones liberas in particulari

cum omnibus circunſtantijs, quibus ſunt euē turæ.p.348.A.& probatur latè vſq; ad.357.
Græci Patres nunquam negant Dei prædefinitionem abſolutè, ſed eam quæ infert vim libertati.p.350.A.
Quod nulla ex parte pugnet actus ſupernaturales à Deo prædefiniri.p.354.B.
De omnibus actibus bonis ſtatuitur Deum eos prædefinire.p.355.A.
Actus ſupernaturales omnes,præcipuè illi, qui præordinātur à Deo ad finem bonum & cōmunem Eccleſiæ,ſunt à Deo prædefiniti in indiuiduo,& cum omnibus circunſtantijs. p. 357.B.
Prædicatio Apoſtolorum & Prophetarum fuit à Deo prædefinita.p.359.B. & probatur vſque ad 369.
Deum præparare nobis bona opera per æternā prædeſtinationem idem eſt quod prædefinire.p.360.A.
Quidam eodem modo conciliant libertatem noſtram cum prædefinitionibus, quo cum ſcientia viſionis.p.368.B.
Quòd prædefinitio non repugnet libertati, & quòd non concilientur per ſcientiam mediā clare proponitur.p.369.B.& 392.B.
Antecedenter ad actualem Dei prædefinitionē non ſupponitur niſi ſcientia ſimplicis intelligentiæ.ibidem.
Longè diuerſa ſunt prædefinire actum meę voluntatis,& obligare me ad illum exercendū. pag.375.A.
Prædefinitio dicit anteceſsionem rationis ad præſcientiam effectus prædefiniti vt futuri. pag.380.B.
Exemplo artificis præſcribētis artificioſos effectus aliqualiter explicatur prædefinitio actuum liberorum. p. 383.A.
Omnes actiones liberæ bonæ,& permiſsio malorum operum fuerūt à Deo prædefinita,ſuppoſita libera mundi creatione.p.385. B.
Si actus aliquis non prædefinitur nō ordinatur in aliquem finem.p.387.A.
Plures actiones prædefiniri à Deo ſine læſione libertatis ſentiunt auctores oppoſitæ ſententiæ.p.391.
Actum prædefinitum neceſſarium eſſe in ſenſu compoſito & quomodo.p.393.B.
Omiſsio actus prædefiniti à Deo non ſolùm moraliter,ſed neque phyſicè eſt compoſsibilis cum decreto Dei.p.394.A.
Dei prædefinitio fruſtrari nulla ratione poteſt. ibidem.
Potentia phyſica omittendi actum prædefinitū non eſt potentia phyſica fruſtrandi prædefinitionem.p.395.B.
Prædefinitio Dei non infert actum,niſi ſimul inferat determinationem voluntatis cum conformitate ad libertatem.p.400.A.
Optimè poteſt prædefiniri actio libera ante præuiſionem ipſius.p.402. B.
Vide titulos immediatè antecedentem & conſequentem.

Prædeſtinatio.

QVATVOR diuinæ prędeſtinationis effectus.p.405.B.
Sententia aſſerens Deum non habuiſſe efficacē volitionem dandi prædeſtinatis adultis gloriam niſi ex meritis præuiſis proponitur. p. 403.& latè probatur vſque ad. 412.
Gloria, quæ datur adultis prædeſtinatis datur ex meritis tanquam præmium & corona iuſtitiæ.p.413.A.
Nulla ratio aut cauſa datur prædeſtinationis ſecundùm totam latitudinem.ibidem. B.
Prædeſtinatio non eſt tantùm propoſitum conferendi gloriam,ſed etiam eſt diſpoſitio & ordinatio mediorum,quibus in gloriam petueniendum eſt.p.415.
Voluntas dandi gloriam prædeſtinatis duplex. pag.418.B.
Ante abſolutam præſcientiam meritorum elēgit Deus efficaci ſuo decreto prædeſtinatos ad gloriam.pag.428.B. & probatur latè vſq; ad 442.
Prædeſtinatio eſt præparatio beneficiorū Dei quibus certiſsimè liberantur quicunque liberantur. pag.429.B.
Ante præſcientiam meritorum, & gloriam per merita,& merita propter gloriā voluit Deus dare prædeſtinato adulto.p.430. B.
Prædeſtinatus etiam poſito decreto liberè ſaluatur,& non ſolùm ſponte.p.464. A.

Prouidentia.

VT perfectè prouideat Deus de ijs, quæ ſub eius actionem cadūt exigitur ne ceſſariò prædefinitio.p.247.A.
Ad perfectam Dei prouidentiam pertinet prædefinire actus bonos maximè ſupernaturales. p.380.A.
Dogma Fidei eſt diuinam prouidentiam verſari circa res in communi & in particulari. pag. 380.B.
Exellentiori modo habet Deus prouidentiam iuſtorum quā impiorum.p.391.A.& 424.A.
Quod ex prouidentia, quam aduerſarij ponunt non habeatur certitudo futuræ actionis. pag. 402.A.
Prouidentia includit aliquo modo rationem cauſæ.p.454.A.
Aliud eſt in Deo prouidentia, & aliud gubernatio.ibidem.
Voluntas dandi perſeuerantiam in finem vitæ includitur in ordine ſpeciali ſupernaturalis prouidentiæ.p.457.A.

S

Scientia.

ANTE ſcientam mediam prædefiniuit Deus effectus futuros.p.209.B.
Ante abſolutam liberi conſenſus præſcientiam B.Virgo efficaciter eſt electa vt eſſet mater Dei.ibidem.

Neſſarium non eſt conſtituere ſcientiam mediam,& ea poſita non ſaluatur efficacia gratiæ neque infallibilitas futuri euentus. pagin. 219.B.

Si ex præuiſione operum Deus ageret per ſciẽtiam hanc, tunc non ex propoſito & conſilio voluntatis ſuæ,ſed noſtræ eligeret nos. p. 217.B.

Scientiam infallibilem de obiecto fallibili abſque ratione conſtituunt aduerſarij. pagina. 218.A.

Si conſtitueretur hæc ſcientia media iudicium Dei eſſet imperfectum.p.222. B.

Sufficientiſsima diuiſio eſt illa ſcientiæ Dei in naturalem & liberam.p.224.A.

Si admittatur ſcientia media, omnia euenire ex fatali quadam neceſsitate non ineptè deduci tur.a.241.A.& 281.B.

Magna intercedit differentia inter ſcientiã Dei, quatenus eſt rerum,& quatenus eſt rerum futurarum.p.465 A.

Per notitiam, præſcientiam & ſcientiam in ſacra Scriptura ſcientia approbationis ſæpe intelligitur.p.478.A.

Scriptura Sacra.

SACRA Scriptura,cum fœcundiſsima ſit ſub vna litera plures etiam literales ſenſus veriſsimos admittit.p.141.B.

Non eſt conueniens ſenſum ſacræ Scripturæ & Spiritus ſancti limitare abſque fundamento, vbi talis limitatio non eſt ab Spiritu Sancto intenta.p.176.A.

Species intentionalis.

ALIQVANDO de nouo immittit Deus ſpecies,vt moueat ad diuinam gratiam obiectiuè,tam intellectum,quàm voluntatem, ali quando verò iam præexiſtentes ordinat, & componit,vt magis ad viuum,& maiori cum efficacia repræſentent.p.7.B.

Aër per intentionales ſpecies receptas ab obiecto viſibili immutat viſum.p.15.B.

Spiritualia.

QVAE ſint rationes propter quas ſenſibilia magis moueant,quam ſpiritualia. pagin. 329.A.

Quomodo à Deo fieri poſsit vt è contra ſpiritualia vehementius nos moueant. p. 330. A.

V

Voluntas, & volitio.

NON duplici actione determinatur voluntas,ſed vna tantùm.p.96.& 130.B.

Volũtas ſe determinat ſub determinatione Dei, qui eſt primus & ſupremus mouẽs.p.112.A.

Non ſolum volũtas noſtra præmouetur & præ determinatur à Deo moraliter, ſed etiam efficienter propriè.pa.135.A.& probatur latè per plures paginas conſequentes.

Voluntas in actibus ſupernaturalibus nec eſt inſtrumentum nec partialiter concurrit.pagin. 146.B.

Aliud eſt dicere voluntatem in actibus ſuperna turalibus aſsimilari inſtrumento: aliud quod verè & tantùm eſt inſtrumentum. pagina. 147.A.

Si voluntas eſſet inſtrumentum non ageret ex conferentia & collatione rationis.pagina eadem.

Motus voluntarius à Deo eſt & à voluntate.p. 153.A.

Non determinat Deus humanam voluntatem more pecudum determinatione neceſſaria ad vnum.p.167.A.

Non poteſt volũtas reduci de potentia ad actũ, niſi à Deo, loquendo de reductione, quæ fit ab extrinſeco agente.p.168.A.

Si expectaret Deus noſtras voluntates non dicerentur ſancti cum proprietate creati in operibus bonis.p.177.A.

Eadem actione determinatur voluntas à ſe & à Deo.p. 181.A.

Non eſſet res eximia & ſingulares quòd homines fierent à Deo volentes ex nolentibus moraliter ſolùm, quia id etiam fit ab vno homine reſpectu alterius.p.182.B.

Quantuncunque volũtas creata perficiatur per formam & principium motus & actionis,ad huc non poteſt producere actum ſuum niſi à Deo moueatur.p.198.A.

Voluntas per ſolum Dei auxilium ſine habitu Charitatis poteſt elicere actus dilectionis Dei ſuper omnia. ibidem.

Cum voluntas ſe determinet moraliter & efficienter propriè,ita etiam determinari debet à Deo.p.203.B.

Voluntas Dei prima cauſa & radix futuritionis. p.210.B.

Stare non poteſt efficax volitio de re aliqua,& quod non includat ordinem ad effectum executionis. ibidem.

Negandum eſt Deum ea intentione & tempore quædam conferre auxilia, quo voluntas repugnatura videbatur.p.213.B.

Diuina voluntas ſe ipſa ſuaque libertate ſe determinat.p.215.

Prius natura influit Deus in operationes voluntatis,quàm ipſamet voluntas.p.216.A.

Voluntas noſtra ita ſe mouet in actu conuerſionis,& conſenſus quod ad id etiam mouetur à Deo efficienter,verè & propriè.p.232.B.

Voluntas eſt indifferens reſpectu vſus ipſius libertatis, non autem reſpectu ſupernaturalis formæ,niſi indifferentia paſsiua.p.236.B.

A quo naſcatur indifferentia quam habet volũtas.p.237.A.

Voluntas non ſe habet paſsiuè ad volitionem vltimi finis. ibidem.B.

Duobus modis mouetur voluntas à Deo. pag. 242.B.

Voluntas noſtra verè & realiter mouetur à Deo per ſuam gratiam.p.245.B.

Non ita mouetur voluntas à Deo, vt totaliter ab extrinseco determinetur, sed ita vt se moueat & determinet. p. 246. B.

Nulla est implicatio quod voluntas creata prædeterminetur à Deo sua gratia, & quod maneat indifferens, & cum potestate ad oppositum. p. 249. A.

Tam in sensu diuiso, quàm in composito voluntas est libera libertate opposita necessitati. p. 252. B.

Non solum volũtas potest resistere gratiæ excitanti, sed de facto sæpe resistit. pagina. eadem.

Voluntas affecta auxilio sufficienti non solum est constituta intra ordinem agentis supernaturalis, sed etiam habet vires. p. 255. B.

Voluntas potẽs est se determinare tanquam secunda causa, scilicet sub determinatione Dei. pag. 257.

Si ita moueretur voluntas ab alio, quod ex se non moueretur, quæ ab ea fierent non imputarentur ad meritum vel demeritum. ibidem.

Non est voluntas nostra causa efficiens productiua auxilij efficacis, bene tamen consensus. pag. 259. B. & 261. B.

Statim atq; voluntas resistit, seu reluctatur gratiæ neque potest esse, neque intelligi quod sit determinata ad operandum ex illa. pagin. 262. B.

Infallibile est voluntatem posita efficaci gratia operaturam, & hoc ex Dei prædefinitione & ipsa efficacitate gratiæ. p. 263. B.

Dupliciter intelligi potest Deum velle determinare voluntatem humanam. p. 277. B.

Falsum est non dari in homine principium effectiuum siue inhærens ad actus supernaturales præter ipsam voluntatem. p. 301. A.

Diuina voluntas non est suppositio necessitans ad opera. p. 366. A.

Voluntatem Dei frustrari non posse verisimum esse contra quosdam defenditur. pagin. 368. A.

Si diuina voluntas frustrari posset, scientia Dei posset decipi. p. 368. A.

Etsi nulla creatura dicatur resistere voluntati Dei, voluntas tamen libera vt sic dicitur habere physicam potentiam, vt omittat actum. p. 367. A.

Potest Deus optimè suo influxu nostram necessitare voluntatem ad aliquem actum. pag. 400. B.

Mouere voluntatem obiectiuè communicatur alijs à Deo, mouere autem ad intus nulli communicari potest. p. 401. B.

Ad actum voluntatis triplex indifferentia præsupponitur. p. 449. A.

Voluntatem se determinare est efficere in se determinationem ad vnam partem. pagina. 455. A.

Actus voluntatis diuinæ etsi vnicus sit, habet tamen perfectionem eminentialem omnium. ibidem.

Indifferentia radicalis, quæ est in ratione, non est omninò extrinseca voluntati. pagina. 473. A.

Vires naturales.

INITIVM salutis spiritualis nullo modo ab innatis viribus. p, 286. B.

Plures bona opera naturalia fecerunt ex viribus naturalibus, qui tamen permissi sunt permanere in peccato in quo erant. p. 288. A.

Testimonium Ioannis capite primo, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, non potest vlla ratione intelligi de potestate ex naturæ viribus. pag. 290. A. & probatur pagina. 291. & 292.

Etsi homo ex naturæ viribus nihil possit efficere vt diuinum auxilium obtineat, potest tamẽ quantum in se est impedire ne illud recipiat. pag. 292. B.

Illa celebris maxima Theologorum. *Facienti quod in se est, &c.* nulla ratione explicari potest de facienti quod in se est ex viribus innatis. p. 294. B.



INDEX LOCORVM
SACRAE SCRIPTVRAE.

A. Columnam primam, B. verò secundam designat.

Ex veteri Testamento.

Ex Genesi.

Capit. 17. *PATREM multarum gentiũ posui te. pag. 144. B.*

Capit. 45. *Pro salute vestra misit me Dominus in Ægyptũ. & inferius: Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis. pa. 352. B.*

Ex Leuitico.

Capit. 5. *QVI orabit pro eo, qui nesciens fecit, & dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Dominũ. pag. 226. A.*

Ex libris Regum.

1. Capi. 8. *INCLINET cor nostrum ad se Dominus. p. 261. A.*

Ex Esther.

Capit. 13. *NON est qui possit tuæ resistere voluntati. pag. 116. B. & 121. B.*

Ex Iob.

Capite. 1. *CIRCVIVI terram & perambulaui eam,* vsq; ad: *operibus que manuum eius benedixisti. pag. 142. A.*

Capit. 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me. pag. 131. A.*

Capit. 12. *Qui mutat cor Principum. pag. 140. A.*

Capit. 21. *Recede à nobis, & scientiam viarum nolumus. pag. 81. B.*

Capit. 24. *Ipsi fuerunt rebelles lumini. pag. 81. B. & 112. A.*

Ex Psalmis.

Psalm. 1. *NOVIT Dominus viam iustorum. pa. 465. B.*

Psal. 32. *Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit, &c. pa. 10. A.*

Psal. 34. *Audiam quid loquatur in me Dominus. pag. 1. B.*

Psal. 39. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam.*

Psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum in noua in visceribus meis pag. 137. B.*

Psal. 58. *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus est: Deus meus, misericordia eius præueniet me. pag. 155. B.*

Psal. 76. *Dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi. pag. 293. A. & 313. B.*

Psal. 78. *Cito anticipent nos misericordiæ tuæ. pa. 45. B.*

Psal. 93. *Beatus homo quem tu erudieris Domine. pag. 40. B.*

Fiant dies eius pauci & Episcopatum eius accipiat alter. pag. 479. B. Psal. 108.

Inclina cor meum in testimonia tua. pag. 261. A. Psal. 119.

Statuit ea in æternum & in seculum seculi, præceptũ posuit & non præteribit. pag. 10. A. Psal. 148.

Ex Prouerbijs.

SAPIENTIA foris prædicat, in plateis dat vocem suam: in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua, dicens, &c. Conuertimini ad correptionem meam, en proferam vobis spiritum meum. pag. 107. B. Capite. 1.

Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit vertet illud. pag. 8. A. 94. A. & 132. B. Capit. 21.

Ex Canticis Canticorum.

TRAHE me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorũ. pag. 139. B. & 167. A. Capite. 1.

Ex Sapientia.

SPIRITVS intelligentiæ multiplex, &c. omnibus enim mobilib⁹ mobilior est sapiẽtia. p. 7. B. Capite. 7.

Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. pag. 210. A. & 355. B. Capite. 8.

Et vt sciui quoniam aliter non possem esse continẽs nisi Deus det. pag. 307. B. Capite. 8.

Ex Ecclesiastico.

DEVS ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. pag. 167. A. & 267. B. Capit. 15.

Gloria Domini plenum est opus eius. pag. 474. A Capit. 42.

Ex Isaia.

QVID amplius debui facere vineæ meæ, & nõ feci? pag. 63. B. & 113. A. Capite. 5.

Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aux exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? pag. 155. B. Capit. 10.

Iurauit Dominus exercituum dicens: si non vt putaui, ita erit: & quomodo mente tractaui, sic eueniet: & statim Dominus enim exercituum decreuit, & quis poterit infirmare. pag. 210. A. & 354. A. & 479. B. Capit. 14.

Omnia opera nostra operatus est in nobis Dominus. pag. 102. B. 131. B. & 242. B. Capit. 26.

Ego suscitaui eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam. pag. 22. B. Capit. 45.

Conuertimini ad me, & salui eritis. pag. 406. A. Capit. 45.

Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. pag. 116. B. & 121. B. Capit. 46.

Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico. pag. 1. B. 65. B. & 92. A. Capit. 50.

Solue

Capit.52. *Solue vincula colli tui, captiua filia Siõ. p. 406. A.*
Capit.53. *Oblatus est quia ipse voluit. pag. 370. B.*
Capit.54. *Erunt omnes docibiles Dei. pag. 40. B.*

Ex Ieremia Propheta.

Capite. 3. *REVERTERE auersatrix Israel dicit Dominus, & non auferam faciem meam à vobis. pag. 406. A.*
Capit. 10. *Non est hominis via eius, neque viri vt ambulet & dirigat gressus eius. pag. 163. B.*
Capit. 31. *Conuerte me & conuertar, & postquam conuertisti me egi pœnitentiam. pag. 138. A.*

Ex Threnis Ieremiæ.

Capite. 5. *CONVERTE nos Domine ad te & conuertemur. pag. 22. A.*

Ex Ezechiel.

Capite. 3. *NON propter eos faciam, sed propter nomen meum. pag. 293. A.*
Capit. 18. *Cum euerterit se impius ab impietate sua, & fecerit iudicium & iustitiam, &c. pag. 29. B.*
Capit. 33. *Nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua & viuat. pag. 297. B.*
Capit. 36. *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneũ, &c. p. 36. A. 94. A. & 102.*

Ex Zacharia.

Capite. 1. *CONVERTIMINI ad me, & ego conuertar ad vos. pag. 82. B. & 88. B.*
Capite. 4. *Suscitauit me quasi virum, qui suscitatur à somno suo. pag. 22. B.*

Ex nouo Testamento.

Ex D. Matthæo.

Capite. 7. *DEVS dat spiritum bonum petentibus se. 318. B.*
Capit. 10. *Nonne duo passeres asse væneunt? & vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro. pag. 163. B.*
Capit. 11. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiã egissent. pag. 65. B. & 113. A.*
Capit. 11. *Sic fuit placitum ante te. pag. 465. A.*
Capit. 18. *Necesse est vt veniant scandala. pag. 266. B.*
Capit. 20. *Multi sunt vocati, pauci verò electi. pag. 432. B.*
Capit. 23. *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat filios suos sub alas, & noluisti. pag. 64. A. 67. A. & 113. A.*
Capit. 24. *Propter electos breuiabuntur dies illi: & statim: ita vt in errorem inducantur, si fieri potest etiã electi. pag. 433. B.*

Ex D. Marco.

Capit. 13. *ET nisi breuiasset Dominus dies, non fuisset salua omnis caro: sed propter electos, quos elegit, breuiauit dies. pag. 433. B.*

Ex D. Luca.

Capite. 9. *QVI vult venire post me abneget se metipsum & sequatur me. pag. 275. B.*
Capit. 10. *Confiteor tibi Pater cæli & terræ quòd abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea parvulis. pag. 415. B.*
Capit. 12. *Noli timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. pag. 433. B.*
Capit. 14. *Exi in vias & sepes & compelle eos intrare, vt impleatur domus mea. pag. 353. A.*
Capit. 20. *Complacuit Patri vestro, dare vobis regnum. pag. 465. B.*
Capit. 22. *Et quidem Filius hominis, secundum quod definitũ est vadit. pag. 358. A.*
Capit. 22. *Simon, ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua. pag. 352. B.*

Ex D. Ioanne.

Capite. 1. *OMNIA per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. pag. 242. B.*
Capite. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. pag. 297. B.*
Capite. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius. 13. A.*
Capite. 3. *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat. pag. 15. A.*
Capite. 4. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. pa. 413. B.*
Capite. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. pag. 131. A.*
Capite. 5. *Non quæro voluntatem meam. sed voluntatem eius qui misit me. pag. 358. A. 452. A.*
Capite. 6. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. pag. 300. A.*
Capite. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. pag. 22. A. & 42. B. 84. A. & 138. B.*
Capite. 6. *Omnis qui audiuit à Patre & didicit venit ad me. p. 40. B. 66. B. & 73. A.*
Capite. 8. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. pa. 116. B.*
Capit. 10. *Cognosco oues meas, & cognoscũt me meæ. p. 465. B.*
Capit. 10. *Alias oues habeo, quæ nõ sunt ex hoc ouili. p. 171. B.*
Capit. 10. *Hoc mandatum accepi à Patre. pag. 378. A.*
Capit. 10. *Non rapiet eas quisquam de manu mea. pa. 66. B. & 353. B.*
Capit. 11. *Vado, vt à somno excitem eum. pag. 22. B.*
Capit. 12. *Non poterant credere, quia excæcauit Dominus oculos eorum, & indurauit cor eorum. pag. 116. B.*
Capit. 13. *Non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim. pag. 433. B.*
Capit. 14. *Sicut mandatũ dedit mihi Pater sic facio. p. 378. A,*
Capit. 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum, &c. pa. 14. B. & 54. A.*
Capit. 15. *Patris mei præcepta seruani. pag. 378. A.*
Capit. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. pag. 249. B.*
Capit. 15. *Si nõ veniss̃em, & locutus fuissem, vsque ad: quia odio habuerunt me gratis. 113. A.*
Capit. 17. *Quod dedisti mihi ego custodiui, & nemo ex eis periit nisi filius perditionis, &c. pag. 156. B. & 353. B.*

Ex actibus Apostolorum.

Capite.5. *DISCEDITE ab hominibus istis: vsq; ad: ne forte & Deo repugnare inueniamini. pagina. 353. A.*

Capite.7. *Vos semper Spiritui sancto restitistis. pag. 64. A.*

Capite.9. *Domine quid me vis facere? pag. 1. B. & 69. B.*

Capit.12. *Surge velociter. pag. 22. B.*

Capit.13. *Crediderunt quotquot præordinati erant in vitam æternam. pag. 435.*

Capit.17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus. p. 131. A. 132. B. & 170. B.*

Ex epist. ad Romanos.

Capite.2. *AN diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis cõtemnis? ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autẽ, &c. pag. 46. A. 408. A. & 465. A.*

Capite.4. *Ei qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Nam si gratia, iam nõ ex operibus: alioqui gratia iam non est gratia. pag. 17. A.*

Capite.4. *Ideo ex fide, vt secundùm gratiam firma sit promissio omni semini. pag. 140. B.*

Capite.5. *Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiam iusti cõstituentur multi. pag. 378. A.*

Capite.8. *Omnia cooperantur in bonum ijs qui secundùm propositum vocati sunt sancti. p. 8. A. 20. B. & 73. A.*

Capite.8. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. pag. 21. A.*

Capite.8. *Quos præscinit & prædestinauit hos & vocauit, quos autem vocauit hos & iustificauit, quos autem iustificauit hos & glorificauit. pag. 46. A. & 408. A. & 465.*

Capite 8. *Qui spiritu Dei aguntur hi filij Dei sunt. pa. 139. B. & 202. B.*

Capite.8. *Si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur vt & conglorificemur. pag. 413. A.*

Capite.8. *Quis accusabit aduersus electos Dei. p. 432. B.*

Capite.9. *Vt secundum electionem propositum Dei maneret; non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. pag. 40. B. 75. A. & 105. A.*

Capite.9. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. p. 62. B. 65. B. & 349. B.*

Capite.9. *Miserebor cui miserebor. Et cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Potestati eius quis resistet? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: quid me fecisti sic? p. 144. A. & 163. B.*

Capite.9. *O homo tu quis es qui respondeas Deo? an non habet potestatem figulus ex eadem massa facere aliud vas in honorem. &c. p. 328. B.*

Capit.10. *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbũ Christi. p. 31. B.*

Capit.11. *Sic ergò & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. p. 319. B.*

Capit.11. *Quis prior dedit illi & retribuetur ei? p. 424. A.*

Ex epist. ad Corinthios.

1. Cori.1. *NOS prædicamus Iesum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: vocatis autem Iudæis atque Græcis Christũ Dei virtutem, & Dei sapientiam. p. 64. B.*

1. Capi.4. *Ne supra quam scriptum est vnus aduersus alterũ infletur pro alio. Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis? pa. 36. A. 41. A. 104. A. & 414. A.*

1. Cap.12. *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. p. 100. B.*

1. Ca. 12. *Operatur omnia in omnibus. p. 131. B.*

1. Ca. 13. *Si habuero fidem ita vt montes transferam, Charitatem autem non habuero nihil sum. p. 29. A.*

1. Cap.13. *Sed gratia Dei mecum. p. 2. A. & 45. B.*

2. Capi.2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum. pag. 409.*

2. Capi.3. *Non sumus sufficiẽtes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. pag. 15. A. & 295. A.*

2. Capi.5. *Pro omnibus mortuus est Christus. p. 425. B.*

Ex epist. ad Galatas.

Capite.4. *POSTQVAM venit plenitudo temporis misit Deus Filiũ suum, natum ex muliere, factũ sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret. p. 358. A. & 452. A.*

Ex epist. ad Ephesios.

Capite.1. *IN quo nos sorte vocati sumus. p. 453. A.*

Capite.1. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. p. 184. B. 341. B.*

Capite.1. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati. p. 217. B. 410. B. & 415. B.*

Capite.2. *Creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. p. 384. A. & 413. B.*

Capite.5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. p. 22. B.*

Ex epist. ad Philippenses.

Capite.1. *QVI cœpit in vobis opus bonum perficiet, &c. pag. 36. A. & 100. A.*

Capite.1. *Vobis est datum pro Christo non solùm vt in eum credatis, sed etiã vt pro illo patiamini. p. 177. B.*

Capite.2. *Deus operatur in nobis velle & perficere. pag. 20. B. 36. A. 102. B. & 138. B.*

Capite.2. *Cum metu & timore vestram salutem operamini. pag. 29. B.*

Capite.2. *Factus obediens vsque ad mortem, mortẽ autem crucis. pag. 378. A.*

Ex epist. ad Thessalonicenses.

2. Capi.3. *VT digni habeamini in regno Dei pro quo & patimini. p. 413. B.*

Ex epist. ad Timothcum.

1. Ca p.2. *QVI omnes homines vult saluos fieri & ad agnitionẽ veritatis venire. p. 81. B. & 422. B.*

1. Capi.2. *Qui dedit semetipsum redemptorem pro omnibus. p. 423.*

2. Capi.1. *Qui nos liberauit & vocauit vocatione sua sancta non secundùm opera nostra, &c. p. 32. B.*

2.Capi.2. *In magna autem domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & fictilia, quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergò emundauerit se ab istis erit vas in honorem sanctificatum, &c. pag. 408. A. & 475. B.*

2.Capi.2. *Cognouit Dominus qui sunt eius: & discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. p. 409. A.*

2.Capi.2. *Omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequãtur, quæ est in Christo Iesu cum gloria cælesti. p. 433. B. & 435. B.*

2.Capi.3. *Firmissimum fundamentum Dei stat, nouit Dominus qui sunt eius. p. 66. B. & 434. A.*

Ex epist. ad Titum.

Capite.3. *NON ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. p. 465. B.*

Ex epist. ad Hebræos.

Capite.4. *VIVVS est sermo Dei, & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti. p. 172. B.*

Capit.10. *Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: Holocaustomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi. Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. p. 358. A. & 452. A.*

Capit.13. *Deus autem pacis aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se per Iesum Christum. pag. 102. B. & 247. A.*

Ex epist. D. Petri

1.Capi.1. *PETRVS Apostolus Iesu Christi electis aduenis secundum præscientiam Dei Patris, &c. pag. 409. A.*

2.Capi.1. *Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. p. 409. A.*

2.Capi.3. *Patienter Deus agit, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. p. 297. B.*

Ex epist. D. Ioannis.

1.Capi.2. *EX nobis prodierunt, sed non erant ex nobis per æternam electionem, nam si fuissent ex nobis permansissent vtique nobiscum. p. 116. A.*

1.Capi.2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non solùm autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi. pag. 423. B.*

1.Capi.4. *In hoc est charitas Dei, non quasi nos prius dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. p. 415. B.*

Ex epist. D. Iacobi.

Capite.2. *NONNE Deus elegit pauperes in hoc mundo diuites in fide, & hæredes regni, quod promisit Deus diligentibus se. pag. 404. B. & 409. A.*

Ex Apocalypsi D. Ioannis.

Capite.3. *ECCE sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum. pag. 1. B. 22. B. & 112. A.*

Capite.3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. pag. 413. B.*

SALMANTICAE.

Excudebat Artus Taberniel Antuerpianus.

ANNO M. DC. VII.



TOMVS TERTIVS

VARIARVM DISPVTATIONVM AD PRIMAM PARTEM SANCTI THOMÆ.

AVCTORE F. FRANCISCO CVMEL,
Doctore Theologo, & Decano Academiæ Salmanticensis.

Vtrùm Deus habeat præscientiam futurorum contigentium.

Si res hæc fuisset à nobis disserta 1. p. q. 14. & plerisq; in locis alijs, integrũ postularet volumen, vt difficiles nodos huius cõtrouersiæ aperiremus. Adeo enim recondita & abstrusa est ciusmodi materia vt ingens ingenium postulet, & diuina præsidia, vt attingere possimus, id quod ad aperiendum præscientiæ diuinæ campum nos ducat, & dirigat.

Certum est qđ in Deo reperiturscientia futurorum contingentiũ.

Svpponamvs ergò fidem Christianam, & apud omnes Catholicos Theologos receptam, nimirum in Deo esse scientiam futurorum contingentium, quòd non solùm ratione naturali constat, sed etiam fide creditur. Dicente Propheta Psalm. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe, semitas meas, & funiculum meum inuestigasti, & omnes vias meas præuidisti. Tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua. Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.* Sapientiæ 8. *Scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum, signa & monstra scit antequam fiant, & euentus temporũ sæculorũ. Scit præterita & de futuris æstimat.* Ecclesiastici 23. *Domino Deo antequam crearentur omnia sunt agnita.* Loquitur autem in præcedentibus verbis de hominum actionibus. Dixerat enim: *Oculi Domini lucidiores sunt super solem circunspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuens in abscondita partes.* Et subiungit. *Domino enim Deo antequam crearentur omnia sunt agnita.* Rursus Ecclesiastici 39. *Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis eius, à sæculo vsq; in sæculum respicit, & non est mirabile in conspectu eius.* nimirũ, quia nihil euenire potest quod ipse non præsciuerit. Isaiæ 48. *Prædixi tibi ex tunc, antequam venirent indicaui tibi.* Et apertè Christus suam ostendens personam, & diuinitatem Ioannis 13. ait: *Et nunc dixi vobis priusquam fiant, vt cum factum fuerit credatis.* idipsum repetit, capit. 16. Cui consonat illud Ioannis 2. *Recordati sunt discipuli, quia hæc dicebat, & crediderunt.*

Sapient. 8. *Eccles. 23.* *Eccles. 39* *Isaiæ 48.* *Ioan. 13.* *Ioann. 16. & 2.*

Addvci possunt ad veritatem hanc comprobandam penè infinita testimonia sacrarum litterarũ: possunt etiam adduci Prophetiæ omnes Prophetarum, qui pronuntiauerunt futura contingentia, & libera. Quocirca Tertullianus lib. 2. contra Marcionem dixit. *Præscientia Dei tot habet testes quot fecit Prophetas. Rueretq; vniuersa fides si diceremus Prophetas non certa scientia & consilio, sed temerè prædixisse, & casu euenisse, quæ fuerant prænuntiata.* Nam profectò Christi Domini recondita mysteria, & arcana nullo iudicio, neque testimonio firmius probãtur, quam Prophetarum: Quod docet D. Petrus in 2. canonica cap. 1. vbi postquam retulit Christi Domini splendorem admirabilem, & vocem Patris ita loquentis. *Hic est filius meus dilectus*, subiũgit. *Habemus firmiorem Propheticum sermonem,*

Tertul. *D. Petrus.*

Oecumen. *cui bene facitis attendentes.* Quod explicat Oecumenius, ibi. *Iam ipsa experientia euidentius nobis constare certitudinem sermonis Prophetici, cum eum videamus completum.* Quare Christus Dominus contra Iudæos, & apud discipulos ante & post resurrectionem frequentissimè vsurpabat testimonia Prophetarum, quæ in eius vita, morte, & resurrectione implebantur, ea quæ tam in Euangelijs, quam in Epistolis Pauli diligentissimè ab Apostolis notantur, & præsignatur. Hac ergo ratione *D. Chrysostomus*, hom. 18. super Ioannem ait. *Tu es filius Ioannis, tu vocaberis Cephas.* Inquit enim *Futurarum rerum prædictione Christum Dominum suam diuinitatem confirmasse, firmius quam miraculis. Quoniam Prophetia maxime Dei opus est, quod neq; dæmones imitari possunt, quamuis maiorem in modum admirantur, in miraculis enim semper cum veritatis vmbra decipi possumus.*

D. Chrys.

Demonstratur ratione naturali.

RATIONIBVS naturalibus veritas hæc etiã constat: eisdem inquam, quibus demonstratur Deum cognoscere omnia, & singula entia in particulari. Etenim non minus militant in rebus contingentibus, & liberis quam in naturalibus. Cum res contingentes ignorare imperfectionis esset, atq; prouidentiæ ordinem inuerteret si quid euenisset in rebus, quod gubernator non præuidisset, & concursum vniuersalem Dei cum liberis actibus impediret, vt Theologi ostendunt 1. p. q. 14. artic. 5. Dices satis esse si Deus actus liberos, & reliqua contingentia, tunc primum sciat, quando fiunt in tempore. Sed profecto hoc ferendum non est. Quoniam Deum constituis mutabilem vicissitudine ignorantiæ & scientiæ ac proinde decreta voluntatis noua quotidie proferret Deus. Quia visis de nouo euentibus decerneret quid facto opus esset. Præterea cui deest rerum futurarũ notitia nihil mirum, si desit etiam decretum.

Notitia rerum contingentium est propriũ attributum Dei.

Isaiæ 41.

SECVNDÒ supponamus rerum contingentium futurarum notitiam, ita propriã esse Deo, eiusque attributum, vt nulli intellectui creato cõuenire possit talis cognitio, nisi ex reuelatione Dei. Hoc apertè clamat scriptura Isaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura sunt, & sciemus quia dij estis vos.* Et quidem non parua pars huius capitis versatur in reputanda diuinatione Idolorum, eo quod futura diuinare non potuerunt. Quod ita intelligunt Hieronymus, Cyrillus, & Origenes, & cap. 44. Isaiæ. *Absq; me non est Deus, quis similis mei. Vocet & denunciet, & ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum: ventura, & quæ futura sunt annuncient eis.* Danielis 2. *Mysterium quod Rex interrogat, sapientes, magi, arioli, & aruspices nequeunt indicare Regi. Sed est Deus in cælo reuelans mysteria, qui indicabit tibi, O Rex, quæ ventura sunt in nouissimis temporibus.* Imò verò non solum Daniel hoc docet, sed etiam sapiẽtes Chaldei ingenue fatentur solius Dei esse futura cognoscere. Ex quo patet Prophetas spiritu Dei locutos esse, qui futura cecinerunt. Hoc ita esse dicunt D. Chrysost. homil. 18. in Ioannem in verbis supra relatis D. Damascenus 2. de Fide Orthodoxa, cap. 4. & 29. Origines 4. Periarchon. cap. 2. D. Cyrillus lib. 4. in Isai. cap. 41. D. Hieronymus in idem cap. 41. & cap. 21. super illa verba. *Et tulit Ananias.* D. August. 9. de Ciuitate, cap. 22. & id supponit 5. de Ciuitate, cap. 9. & lib. de Diuinatione Dæmonum, cap. 4. vsque ad 8. & 4. de Trinitate. cap. 17. & fusè Theodoretus de Curãdis Græcorum affectionibus, lib. 10. de Oraculis, vbi ex contrario euentu multorum Oraculorum Porphyrij, Plutarchi, & aliorum ostendit Dæmones ignorare futura. Idem docet Iustinus Martyr. q. 146. ad Orthodoxos. Nã de Idolis loquens ait. *Vt procul absunt à vera Diuinatione, ita & à futurorum prænotione.* Idem insinuat Leo Papa sermone 7. de natiuitate. Idem Isidorus de summo bono cap. 10. Clemens Alexandrinus 1. Stromatum, Tertullianus in Apologetico, Eusebius 5. de præparatione Euangelica cap. 10. Legendus est Robertus Bellarminus Tomo 1. libro 4. de Notis Ecclesiæ, capite 15. Arboreus, libro 4. Theosophiæ, capite 27. nos quoque egimus fusè de hac re in materia de Angelis 1. parte quæstione 57. articulo 3.

D. Damasc. Origen. D. Cyril. D. Hieron. D. Aug. *Theodor.* *Iustinus Martyr. Leo Papa. D. Isidor. Clem. Alex. Tertul. Euseb. Bellarm. Arboreus.*

HVIVS assertionis verisimæ ratio à priori, esse potest. Quia si aliquis intellectus creatus posset certò præcognoscere futura contingentia, vel illa cognosceret in se ipsis, vel in causis eorum: sed futura contingentia in causis præcognosci non possunt certò, & infallibiliter, neque ab ipso intellectu, vt in quæstione 14. primæ partis nos latè ostendimus. Neque intellectus creatus potest cognoscere futura in se ipsis quia hoc est cognoscere futura, vt præsentia, quod est proprium æterni intellectus: igitur intellectus creatus nullo modo potest cognoscere futura contingentia. Huius rationis efficacia pendet ex omnibus dicendis in hac disputatione.

Triagenera futurorum contingentium.

VERVM vt res hæc melius constet, & à prima radice eruatur, aut quo gradu certitudinis, & quibus in rebus tenenda sit præcedens doctrina, distinguenda sunt tria genera futurorum contingentium. Primum genus est effectuum prouenientium à causis naturalibus qui possunt impediri à Deo, vel ab aliqua causa libera creata, verumtamen secundùm communem rerum ordinem non impediuntur, sicut sterilitas, vel tempestas, aut pluuia ex astrorũ cõcursu præueniens, & huiusmodi futura, & similia naturaliter ab Angelis certo cognoscũtur virtute naturalium causarum, cæterum sub tacita conditione, si non impediãtur à Deo, vel ab agente libero. Ita D. Augustinus libro de Diuinatione dæmonum, capite 4. vsque ad 8. & libro 4. de Trinitate, capite 17. D. Damascenus, libro 2. de Fide Orthodoxa, capite 4. Dicit enim dæmones quædam prædicere prospicientes à longè quæ futura sunt, alia verò conijcientes. Vnde & pleraq; mentientes. Nam in secũdo huius propositionis membro loquitur Damascenus de cõtingentibus, & in priori de naturalibus.

D. Aug. *D. Damas.*

ALII effectus sunt, ad quos non sunt determinatæ causæ naturales, quamuis suæ naturæ relinquantur, neque determinandæ sunt ab vlla voluntate creata, sed à Deo liberè, cuiusmodi sunt plerique effectus prædestinationis, non solùm ob bonum Ecclesiæ publicum, sed etiam ob priuatum bonum quorundam prædestinatorum ex Dei peculiari prouidentia, à qua proficiscũtur. Et maiori iure sunt eiusmodi, incarnatio, egressus populi ex AEgypto, & similes. De his apertissimè dicimus esse de fide, & naturali ratione euidentissimum non posse ab vllo intellectu creato præcognosci naturaliter. *Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* Isaiæ 40. & ad Ro. 11. *Et sicut quæ sunt hominis nemo nouit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, ita & quæ sunt Dei nemo nouit, nisi spiritus Dei.* 1. Corinthiorum 2. Quod si Idola prædixerunt aliqua futura ea colligebant ex sacris Scripturis, vt docet D. Antonius magnus apud Athanasium in eius vita. D. Augustinus locis citatis, & alibi sæpè, vel compellebantur aliquando dæmones vera prædicere: de qua re alibi dicemus.

Isaiæ 40. Ad Ro. 11.

D. Ant. D. Aug.

TERTIVM genus futurorum contingentiũ est eorum, quæ à causa libera omnino pendent, & proditura sunt: dico à causa libera creata manente in cõmuni regulari ordine prouidentiæ sine speciali aliquo impulsu Dei, vt, verbi gratia, Paulum donaturum esse hanc eleemosynam, vel ex aliqua causa, & occasione arrepturum esse occasionem aliquid agendi liberè, vel præstaturũ esse consensum alicui tentationi, vel arrepturum esse occasionem emendi hunc equum, aut faciendi aliud.

SOLET hæc distinctio futurorum contingentium ita partiri, quod alia sunt futura contingentia ab extrinseco per accidẽs, & secũdùm quid: alia verò ab intrinseco, & per se, & simpliciter. Contingentia ab extinseco reperitur in effectibus causarum naturalium, quando ex aliquo impedimento extrinseco, & non ex intrinseca virtute causæ impediuntur. Sed ita euenjunt interuentu alicuius causæ liberæ impediẽtis, sic enim inuenitur contingentia in effectibus causarum naturalium. Quia si consideretur virtus, & modus agendi causę naturalis proximæ non est vlla contingentia in illo effectu ob determinationem necessariã causæ agentis naturaliter: Cùm causa naturalis operetur ex determinatione ad vnum, & ex intrinsica necessitate: quia à Deo mouetur cum suo modo necessario, quem ipsa exposcit ex natura sua. Verum quia secunda causa imperfecta & finita est, potest impediri à sua actione ex concursu alterius causæ oppositæ impedientis, & hæc contingentia est præcisè secundùm quid, quia solùm est respectu causæ quatenus impediri potest ab extrinseco, & dicitur hæc contingentia per accidens, & extrinseca, quia non est per se exintrinseca virtute causæ agentis, sed ab extrinseco impediente, vt diximus: Quia si suæ naturæ relinqueretur non esset causa illa talis, quæ positis requisitis ad agẽdũ posset agere, & nõ agere. Sed potius seclusis impedimentis necessariò ageret, & operaretur. Altera verò cõtingẽtia quæ est per se, & intrinseca est quæ prouenit ex libertate causæ liberè agẽtis, quæ operatur cũ quadã indifferẽtia, qua potest suspendere suum concursum, & hæc appellatur contingentia simpliciter, & est quæ repellit determinationem ab intrinseco proueniẽtem in ipsa causa.

A

B

C

D

SVPPONO tertiò in hac materia me non loqui de cognitione dubia per coniecturas, hanc enim homines, & Angeli aliquando habere possunt de futuris actibus liberis, & Angeli minus dubiam, quo perspicatiores sunt in capiendis coniecturis, vt benè D. Damasc. & D. Aug. adnotarunt. Neque etiam est sermo noster de cõtingentia extrinseca, quia de scientia talium futurorum nulla est difficultas. Quia licèt causa naturalis ex se sit determinata ad faciendum effectum, tamen quia impediri potest, idcircò hæc cognitio, vt certa sit apud cognoscentem indiget comprehensione totius ordinis naturalium causarum, quæ concurrere possunt ad promouendum, vel impediendum effectum. Nam respectu totius ordinis, & collectionis causarum naturalium concurrentium, effectus est necessarius, & non contingens. Quia omnes illæ causæ quæ concurrunt operantur necessariò, siue impediendo, siue iuuando, siue quouis alio modo, & supponimus hoc ita fieri sine interuentu causæ liberæ aliquid agentis. Sic enim cognitis omnibus illis causis naturalibus collectiuè euidẽtissime cognoscitur, vtrùm futurus sit ille effectus. Hæc omnia egregiè docuit S. Thom. lib. 1. contra Gentes, cap. 67. Hinc colligitur Angelum posse cognoscere hæc futura contingentia naturalia non libera, quatenus habet vim cõprehendendi totum ordinem causarum naturalium. Nam si hanc vim comprehensiuam huius ordinis non haberet, minimè etiam posset cognoscere effectum hunc contingentem. Et quamuis Angelus possit cognoscere huiusmodi effectus ex causis naturalibus prouenientibus iuxta modum quem diximus, tamen quia Angelus nõ semper attendit, neq; semper omnia considerat actu, sicut ipse Deus, ob id facile euenire potest, vt aliquid actu nõ perpẽdat, ex quo ille effectus incertus reddatur. Quoniã etsi talis effectus ex suppositione quod nõ futurũ sit aliquod impedimentum, aut ex suppositione quod causa libera non interueniat sit infallibiliter futurus, tamẽ neque hoc potest esse certum Angelo, nisi solum ex vi illarum causarum naturaliter concurrentium: præcipuè quia Angelus nõ cognoscit, vtrùm Deus sit mutaturus ordinem illum causarũ. De effectibus verò naturalium, & superiorum causarum, qui per nullam voluntatem hominum aut Angelorum impediri possunt, aut per voluntatem creatam ordo causarum immutari: de illis inquam habent Angeli naturalem certitudinem subordinatam tamen diuinæ potentiæ, & voluntati.

Tertiò suppono:

D. Damas. D. Aug.

D. Tho.

De modo quo Deus cognoscat futura libera, & contingentia.

Prima sententia duo dicit.

HIs ita constitutis est quorundam recentiorum nouissima sententia, quæ primo affirmat scientiam diuinam, tàm per se, quàm ex vi causalitatis suæ non posse esse sufficientem rationem, ad iudicandum hoc esse futurum potius quàm illud. Addit secundò hæc sententia ex decreto æterno voluntatis diuinæ non posse sumi sufficientem rationem huius scientiæ, atq; adeo scientiam Dei efficacem, vt efficax est, nõ esse sufficientem rationem cognoscendi futura. Hanc probat auctor eius: Quia scientia visionis, vt sic, non est causa futurorum contingẽtium, quæ per illam fiunt. Secundò probat ex

Orig. illo Origenis, lib. 7. super epist. ad Romanos iuxta illa verba *Quos vocauit, hos & iustificauit*, dicentis. *Non ideo aliquid erit, quia Deus scit: sed quia futurum est scitur à Deo antequam fiat.* Quod te-

S. Thom. stimonium interpretatur S. Tho. 1. p. q. 23. art. 8. ad 1, dicens intelligendum esse secundum vim illationis, seu conditionalis propositionis, nimirum: quia si futurum est scitur à Deo, non verò in ratione causalitatis. Quem modum interpretandi habet etiam Albertus ille Magnus Magister D. Thomæ in 1. distin. 38. art. 3.

Albertus Magnus.

Contra S. Tho. & Albertũ Magnum arguit quidam modernus.

SED contra S. Thomam, & Albertum Magnum insurgit modernus Theologus ex recentioribus, diceus huiusmodi interpretationem minimè conuenire posse. Primò: quia vis illa verborũ repugnat cum nota causalitatis, quæ plus indicat, & insinuat, quam illationem. Secundò: quia illa contrapositio seu comparatio quæ fit inter has duas propositiones. Quia Deus scit futurũ idcirco futurũ est: vel è contra; Quia futurum est ideo scitur à Deo: maximè obstat præfatę interpretationi: igitur illa particula, quia, in eadem significatione sumitur vtrobiq;. Tertio:

D. Aug. D. Augustinus expresè negat hanc causalem: Quia Deus scit Petrum peccaturum ille peccabit, lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 10. & id videtur

D. Cyril. affirmare D. Cyrillus libro 9. in Ioannem capite 10.

Primũ argumentũ.

QVOD verò ex decreto æterno diuinę voluntatis non sumatur ratio sufficiens ad iudicandum potius hoc esse futurũ quam illud, & consequenter quod non sumatur sufficiens ratio huius scientiæ id volunt ostendere supponendo Deũ habuisse duplicem voluntatem in decreto diuinæ voluntatis suæ. Alteram quidem per modum intentionis, & alteram per modum executionis. Quo posito dicunt decretum hoc æternum diuinæ volũtatis si solum sit per modum interni propositi, & absolutæ intentionis voluntatis diuinæ non repugnare cum libertate actionum nostrarum, & idcirco esse in Deo circa actus bonos supernaturales, non circa prauos propter eorum malitiam. Si verò tale decretum seu prædefinitio voluntatis diuinæ sumatur secundùm quamdam prædeterminationem ad extra voluntatis creatæ, quasi per modum executionis efficaciter ad opus, sic dicit hæc sententia repugnare libertati. Hac ergo ratione inquit auctor huius sententiæ huiusmodi prædefinitionem seu decretum non posse esse primam rationem cognoscendi futura libera, sed necessario supponere aliam prædefinitionem seu includere aliud decretum. Et probat. Quoniam hoc decretum quatenus terminatur ad actum liberum creaturæ necessario supponit in ipso Deo non solùm facultatem efficaciter faciendi vt actus ille infallibiliter fiat, sed etiam scientiã qua nouit quid necesse sit ipsum Deũ facere circa voluntatem creatã, vt illa infallibiliter faciat talem actum: sed in hoc sensu tale decretum diuinum seu prædefinitio eius supponit in Deo scientiam conditionatam, videlicet, Si ego hoc vel illud facio circa hunc hominem, hoc volet: vel è conuerso, Si hic homo in tali occasione, & opportunitate rerum excitetur, vel moueatur hoc operabitur. Vnde si nos constituamus in Deo iuxtam sententiam D. Tho. hoc decretum, seu hanc prædefinitionem, tenemur concedere scientiam conditionatam, quam ex aduersariorum calculo multi ponunt: alàs si simpliciter negemus illam scientiam non consequenter loquimur.

Secundum argum.

SECVNDÒ argumentantur auctores huius sententiæ. Nam huiusmodi præscientia duobus modis intelligi potest. Primo vt effectus aliquis cognoscatur futurus posita illa conditione seu motione Dei ex vi eiusdem, vel aliunde, ex alia præscientia reali, vel obiectiua. Si hoc posterius dicatur, iam ille modus supponit cognitionem effectus liberi, alia via & ratione, quam per decretum Dei, aut per diuinam prædefinitionem: Atque ita Dei prædefinitio, seu decretum non poterit esse prima ratio, seu causa cognoscendi effectum liberum. Rursus prior modus postulat, & requirit non solum decretum per modum intentionis, sed etiam per modum efficacis determinationis voluntatis, quod repugnat libertati: ergò nulla via fieri potest, vt diuinum decretum solùm possit esse prima ratio huius cognitionis. Discursus iste videtur efficax. Nam Deus cum ante suam prædefinitionem cognoscat voluntatem creatam si istæ vel illæ conditiones illi adiungantur hoc operaturam esse, non potest Deus id cognoscere id esse facturam, nisi vno ex duobus modis, nimirum, vel quia voluntas ipsa se determinabit cum proportionato auxilio Dei & concursu: vel quia determinabitur à solo Deo. Nam agere non potest sine determinatione, neque alio modo determinari potest, nisi vno ex prædictis. Si priori modo est determinanda, apertè sequitur eam determinationem in illa conditionali non cognosci in alia prædefinitione: quia ante præscientiam illam nulla alia est; & si talis fingatur, de illa redibit idem argumentum. Igitur talis præscientia supponit alium modum cognoscendi effectus liberos futuros, ac proinde sequitur prædefinitionem, seu decretum Dei non posse esse primam radicem cognoscendi futura contin-

gentia, & futura libera, nisi illa etiam efficienter propriè determinet voluntatem ad actum quem Deus ipse decreuit, & prædefiniuit.

Si dicas decretum illud non esse prædefinitiuum, sed esse concomitans, & secum adducere præscientiam, & ob id non repugnare libertati, quia licèt sit prius causalitate, non tamen subsistendi consequentia, veluti causa in actu dicitur prior natura effectu, sed non est prior subsistendi consequentia.

Sed contra obijciunt auctores oppositæ sententiæ dicentes, id non rectè dici. Quia tota ratio repugnantiæ inter decretum determinans voluntatem propriè efficienter, & libertatem voluntatis, posita est in causalitate, & non in subsistendi consequentia. B Quia etiam causa necessitans, posita actu, non est prior suo effectu in subsistendi consequentia, & tamen propter prioritatem naturæ in causando, repugnat vsui libero causæ inferioris. Ergò illud decretum si est prius causalitate, & non supponit præscientiam, necesse est, vt ex se sit efficax ad prædeterminandam potentiam, nullam relinquendo libertatem actualem in causa inferiori: quòd tamen aliter euenit quando tale decretum supponit aliunde scientiam mediam, seu scientiam conditionalem.

Tertio arguitur. Quòd verò æternum Dei decretum, quo Deus sanciuit concurrere in tempore ad aliquem actum non sit sufficiens principium, vel ratio cognoscendi futurum esse de facto C actum illum, nisi aliunde ex alia scientia, vel præscientia iuuetur, ostenditur & declaratur. Quia vel illud decretum est efficax, & absoluta volitio talis actionis, vel solùm est voluntas dandi concursum, qui requiritur ex parte Dei. Primum dici non potest, vt constat ex dictis, & constabit magis ex dicendis, secundùm verò per se non est sufficiens ratio cognoscendi futura: ergò, &c. Minor probatur quoad primam partem. Tum quia voluntas illa non est decretum de quo agimus, loquimur namque de voluntate Dei, necessaria ad dandum concursum suum creaturæ: illa verò voluntas, nimirum efficax, & absoluta non requiritur necessariò ad dandum concursum, quia aliàs nemo haberet paratum D Dei concursum ad ea opera quæ non facit: quoniam de illis non est tale Dei decretum. Tum etiam quia in malis actibus non habet Deus tale decretum. Tum denique quia talis voluntas esset simpliciter prædefinitio illius actus. Quoniam ante præscientiam actus absolutè, & efficaciter per talem voluntatem præordinatur, vt fiat.

Dices voluntatem illam Dei esse quidem absolutè prædefinitionem illius actus, secundū ordinem antecessionis æternitatis ad tempus, non tamen esse prædefinitionē secundū ordinē rationis ad nostram voluntatem: Quia volūtas est concomitans omninò comparatione illius.

A Sed contra hoc est. Nam quando voluntas Dei dicitur concomitans alicuius actus, aut effectus, tunc comparatur ad id respectu cuius dicitur talis: Vel ergò comparatur ad effectum, vt est ponendum in re, vel ad præscientiam talis effectus, vel ad causalitatem secundæ causæ, cum qua Deus concurrit ad talem effectum. Sed primo modo Dei voluntas non potest dici concomitans: quia reali & vera duratione æterna antecedit effectum, & etiam ordine causalitatis: quia est causa eius. Neque etiam potest dici secundo modo concomitans. Quoniam voluntas hæc diuina talis esse dicitur, vt in ea Deus ipse cognoscat futurum: ergò non est concomitans, sed antecedens scientiam, quia est ratio eius. Neque rursus potest voluntas dici concomitans, etiam si fiat comparatio ad id respectu cuius dicitur concomitans: nam constat non posse fieri in ordine ad durationem realem: quia Dei voluntas per æternitatem antecedit effectionem causæ secundæ. Quia licèt actio ad extra, etiam quatenus à Deo fit, fiat in tempore, nunc tamen non comparamus actionem ipsam ad extra secundùm diuersos respectus eius, sed solùm comparamus voluntatem Dei æternam, cùm temporali concursu creaturæ: igitur secundùm durationem non possunt dici concomitanter se habere, sed necessariò antecedit Dei voluntas: ergò solùm debent dici concomitanter se habere secundùm causalitatem. Sed neque hoc etiam modo potest esse concomitans Dei voluntas, & ratio est: Quoniam voluntas diuina qua simpliciter vult Deus effectum in se, ita debet esse efficax, & infallibilis, vt in sensu composito sit impossibile illam esse positam, & effectum non poni: ergò debet habere certam, & infallibilem connexionem cum influxu causæ secundæ necessariò requisito ad illum effectū: ergò huiusmodi infallibilis connexio debet fundari, vel in causalitate qua Deus per illam voluntatem facit vt causa secunda influat, vel in præscientia qua iam Deus præuidit causam secundam hoc esse facturam, & sua voluntate approbat, & vult illud fieri. Et si fiat primo modo est voluntas prædeterminans, seu prædefiniens, si verò fiat posteriori modo est subsequens: quia supponit effectum in æternitate, & præscientiam eius: ergò nullo modo potest esse concomitans. Nam certè præter duos illos modos nullus alius excogitari potest.

Lege D. Tho. 1. 2. q. 10. ar. 4.

Hoc idem confirmari potest. Quoniam ad hoc vt actus voluntatis humanæ de facto eueniat requiritur vt tam diuina voluntas, quàm humana circa efficientiam illius actus, volendo conueniant: ergò tunc etiam requiritur, vt vel vna ordine naturæ & causalitatis alteram antecedat, vel quòd vna ex præscientia alterius illi coniungatur: quia aliàs omninò à casu & fortuitò coniungentur in

volitione illius effectus. Vt si, verbi gratia, duæ voluntates humanæ debent coniungi simul in volitione alicuius operis, necessario requiritur, vt vel vna moueat alteram, vel quod adiungatur illi ex præscientia illius, aliter enim casu & fortuito coniungerentur. Sed diuina voluntas & humana non conueniunt casu & fortuito in volitione talis affectus: ergò si voluntas Dei, ab æterno vult actum illum, vt illi per se & infallibiliter coniungatur voluntas humana, necessariò requiritur vt id fiat, vel ex vi alicuius causalitatis diuinæ voluntatis, in humanam, vel ratione præscientiæ, quia talis determinatio voluntatis humanæ supponitur futura: igitur hìc non habet locum voluntas purè concomitans.

A

Dices illam voluntatem Dei esse concomitantem cum concursu voluntatis humanæ ad eundem actum, ratione causalitatis, quia omninò simul influunt in eundem actum: vt autem Deus possit habere talem voluntatem satis esse scientiam conditionatam, qua Deus prænouit voluntatem creatam in tali vel tali occasione fore determinandam ad hoc vel illud si ipse Deus concursum ei præbeat. Sed profectò hæc responsio admittit & supponit id quod nos de scientia media non admittemus vt infra dicemus. Rursus etiam supponit hæc sententia Deum alia omninò via cognoscere futuram determinationem liberã voluntatis nostræ, sine qua cognosci non potest effectus futurus, & ex consequenti decretum & prædefinitionem Dei non satis esse ad hoc.

B

C

Rvrsvs contra responsionem prædictam interrogo. Vtrùm posita præscientia illa conditionata, Deus absolutè velit talem actum. Quod si absolutè vult illum, necesse est sic, vt velit etiam efficaciter quidquid est necessarium ad talem actum, & consequenter vt velit influxum nostri liberi arbitrij in talem actum, quia sine illo esse non potest. Imò verò talis actio libera includit essentialiter & intrinsecè respectum ad liberum arbitrium, quod est proxima causa illius: igitur si Deus efficaciter & absolutè vult actum illum liberum similiter vult efficaciter quòd voluntas humana concurrat ad illum: ergò tale decretum Dei est antecedens nostrum liberum arbitrium, & prædefiniens vel prædeterminans illud, quod repugnat libertati, vt dictum est. Si autem non sic vult Deus actum illum, sed tantùm volendo suum concursum ad illum, sic iam affirmatur & conceditur aliud membrum propositum, de quo dicemus.

Dices, decretum illud verè quidẽ esse efficax & absolutũ, hoc tamẽ non obstare libertati, neque eam lędere, neque rursus esse simpliciter antecedẽs ex eo solũ quòd supponit dictam præscientiam cõditionatam futuri euentus, & consensus liberi ipsius voluntatis.

Sed contra hoc arguitur quarto. Nam primo fieri non potest vt Deus velit illo modo præbere & tribuere cõcursum ex illa præscientia conditionata, nisi tale decretum includatur in obiecto illius præscientiæ sub eadem conditione: Quoniam necesse est vt in obiecto illius præscientiæ includatur diuinus concursus sub eadem conditione. Quia sine concursu illo diuino nihil potest velle voluntas creata: ergò non potest de illo præsciri quod in hac opportunitate hoc vellet, nisi includendo in illo antecedente hanc conditionem, nimirum si in illa opportunitate haberet concursum Dei proportionatum: ergò nihil facit, neque refert præscientia illa ad saluandam libertatem, si datur concursus ille determinatè, seu definitè ad solùm hunc actum per absolutum decretum. Ostendo consequentiam: & sumo ipsam præscientiam conditionatam, & tunc interrogo. Vtrùm ille concursus, qui in eius obiecto sub conditione includitur dandus esse intelligatur per hanc absolutam & determinatam voluntatem Dei, vel per aliam. Si dicatur primum redit idem argumentum. Quia iam tunc non potest cognosci actus, nisi vt necessariò futurus ex illa suppositione: Nam posito Dei absoluto decreto non potest non sequi effectus, atque ita tunc dici non potest decretum illud esse ex alia præscientia conditionata, vel ex alia suppositione. Quia nulla fingi aut excogitari potest: ergò talis præscientia nihil confert ad libertatem, cum in ea supponatur conditio auferens libertatem, & lędens indifferentiam ad operandum. Si autem dicas, in illa conditionali non intelligi concursum vt dandum per hoc decretum, sed per aliam voluntatem: ergò nunc etiam in re ipsa non datur per tale decretum, quia in illa præscientia includitur sub conditione necessarius concursus, & nunc in re non datur alius, nisi qui necessarius est.

Quartũ argumentum

In obiecto præscientiæ cõcluditur ipse concursus Dei.

D

Er confirmari hoc potèst. Nam rogo: cùm Deus præscit voluntatem humanam, si habeat concursum paratum in hac occasione volituram esse hoc, vtrùm præcognoscat eandem voluntatem non volituram aliud etiã si habeat paratum concursum ad aliud volendum nec ne? Quia si hoc Deus non præscit, sed solùm præscit voluntatem creatam nihil aliud esse volituram in ea occasione, quia non est habitura concursum ad aliud volendum: tunc talis omissio seu carentia actus non præscitur vt libera, sed vt necessaria: quoniam impossibile est voluntatem habere actum, ad quẽ non habet paratum concursum.

Dices, voluntatem illam non esse habituram concursum in tali opportunitate & occasione, quia non esset in ea volitura ex libertate sua, atque hoc ipsum præscire Deum: At hoc est impossibile, loquendo vt loquimur de concursu in actu primo, seu prout oblato ex parte voluntatis Dei: quia vt voluntas liberè

omit-

omittat actum necesse est supponere quod habeat cõcursum in potestate sua, seu oblatũ quãtum est ex parte Dei: ergò non potest per scientiam conditionalẽ præcognosci & præsciri voluntatẽ creatã in tali ordine & occasione cõstitutam liberè omissurã esse talẽ actum, nisi sub eadẽ conditione præsupponatur cõcursus Dei sufficienter illi oblatus, ita vt conditio sit hæc: etsi volũtas Pauli habeat in tali occasione cõcursum Dei paratũ ad volendum resistere tẽtationi, non volet. Igitur ex hoc apertè cõcluditur & conuincitur Dei concursum nõ dari per voluntatẽ absolutã ipsius actus. Nam hæc cõditionalis implicat cõtradictionem, vt si dicas. Etiam si Deus velit absolutè aliquẽ actum esse, ille non erit ex libertate humanæ voluntatis, quoniã Deo volenti absolutè nõ potest humanum resistere arbitriũ: ergò si Deus præscit cõditionalẽ illã propositionẽ, quamuis Deus offerat voluntati concursum in tali occasione & ordine circunstantiarum ad aliquid volẽdum ipsa non volet necesse est vt concursus sufficienter offeratur per aliquam Dei voluntatẽ, quæ nõ sit absoluta omninò, cui possit resistere arbitrium creatum, seu voluntas creata hominis.

Quintum argument.

QVINTÒ arguitur circa aliud mẽbrũ & probatur quod nõ sit sufficiẽs ratio huius præsciẽtiæ illa alia voluntas concurrendi, primo. Quia voluntas illa non est omninò absoluta, sed cõditionalem aliquam virtualiter includẽs, nimirũ, si voluntas creata id voluerit. Sed in voluntate cõditionata per se sumpta nõ cognoscitur sufficienter futurus effectus, nisi aliàs cognoscatur conditio impleta, vel implenda. Quoniã conditio suspendit efficaciã voluntatis vel potius volũtas ipsa suã efficaciam sustinet donec impleatur conditio ipsa: ergò, &c. Rursus secũdo effectus talis volũtatis Dei non est futurus à sola illa voluntate, sed requiritur quod voluntas humana etiam simul se determinet ad talẽ effectũ: Nam Deus per illam voluntatem non vult se solo efficere illũ effectum seu actionem, sed simul cum cooperatione liberæ voluntatis creatę & idcirco actio ad extra quæ ab illa voluntate procedit essẽtialiter & intrinsecè dependet ab vtraq; volũtate: ergò nõ potest cognosci actio illa vt futura nisi præcognita vtriusq; volũtatis determinatione futura. Ergò in solo illo decreto volũtatis diuinæ nõ potest cognosci sufficienter. Ostendo consequentiã hanc, quoniã effectus nõ potest præcognosci in causa nisi ipsa sit sufficiens & efficax: illud autẽ decretum per se præcisè sumptum non est sufficiẽs causa simpliciter loquendo illius effectus, sed solũ in vno genere, nimirum causæ primæ.

DICES, quod quãdo Deus decernit dare cõcursum humanæ voluntati ad talem actũ, simul in ipso decreto æterno, aut in ipsa æternitate scire ipsam humanam volũtatem esse determinadam ad eundem actũ, & idcirco statim præscire talem effectum esse futurum.

SED contrà hoc argumentantur aduersarij, dicunt enim in primis hoc fortasse nõ ita esse.

A Quia cum voluntas humana sit proximè libera, non solùm quoad exercitiũ actus, sed quoad specificationem etiam, non tantùm habet concursum oblatum ex parte Dei ad vnum actũ, quem factura est, sed etiam ad plures quos hic & nũc circa tale obiectum facere posset: Deus autem non offert concursum nisi per voluntatem cõcurrendi ad talem vel talem actũ prout liberè voluntas humana cooperata fuerit: hæc enim est conditio implicite inclusa in illa volũtate, & ob id neque hoc est contra efficaciam diuinæ voluntatis. Quia ipsamet nõ vult maiorem adhibere concursum, neque magis absolutè velle talem effectum. Neq; etiam est frustra quia talis causa secunda ita potens & indifferẽs talem similiter applicationem cõcursus postulat ex natura sua. Vt aduersarij in materia de auxilijs dicunt. Et confirmatur etiam quod isti intendunt. Quoniam voluntas concurrẽdi vt sic quantum est ex se, potest non habere effectũ: ergò non est sufficiens ratio vt in ea cognoscatur effectum esse futurum. Imò verò vlterius etiam respectu illius actus, qui faciendus est à tali voluntate (inquiũt) nõ esse illam sufficientem rationem cognoscendi futuritionem illius actus contingentis & liberi. Nam cum dicitur Deus cognoscere posito tali decreto, ad quem actum voluntas humana sit cooperatura: interrogo, vtrùm cognoscat Deus esse cooperaturã ex vi & efficacia illius diuinæ voluntatis seu decreti de præstando concursu, & hoc nõ: aliàs illa Dei voluntas non tantùm esset voluntas B concurrendi, sed etiam determinãdi humanam voluntatem. Vel an solùm cognoscat Deus voluntatem creatam suo arbitrio, atque influxu determinandam esse ipso Deo concurrente. Quòd si hoc dicatur inde sequitur apertè determinationem illam futuram voluntatis creatæ non posse cognosci à Deo in decreto suo, siue in illa volũtate cõcurrendi, sed aliunde cognosci, quia voluntas illa Dei cõcurrendi non se habet causaliter ad determinationẽ volũtatis creatæ, quatenus ab ipsa emanatura est, sed concomitanter solũ: ergò non potest in illa vt in causa cognosci, siquidẽ non est ratio cognoscendi cooperationẽ alterius causæ, sine cuius cognitione nõ potest cognosci effectũ esse futurũ.

C HVIC argumẽto nonnulli respõdent, quod prius ratione quàm Deus habeat hoc decretũ concurrendi supponitur in ipso hæc scientia conditionata, nimirum: Si talis voluntas creata in tali occasione & ordine rerum ad volendum expedita habuerit cõcursum primę causę, operabitur hoc & non aliud: & ob id voluntas cõcurrendi erit sufficiens ratio cognoscendi futuritionem talis effectus. Quia quamuis includat cõditionẽ vel postulet & requirat concausam, iam supponit eam fore implendam siue determinandam.

D HVIC argumento à prædictis auctoribus occurritur non ab omnibus, sed à paucis. Primo sanè negando simpliciter antecedẽs. Quia Deus non solùm offert quantum est ex parte

sua concursum ad actū, quē sub cōditione præscīuit futurum, sed etiam ad actum, quem præscit non esse futurum, vt libertas maneat integra quoad specificationem. Secūdò respondent negando consequentiam, etiam respectu illius actus, quo Deus præscīuit futurum esse sub dicta conditione: quia quamuis tunc posita volūtate concurrendi Deus præcognoscat actum absolutè esse futurum, cæterùm non ex vi solius voluntatis concurrendi, sed simul coniunctę cum illa præscientia humanæ determinationis, qua cognoscit effectum futurū. Et ratio est, quia virtualiter intercedit ibi ex parte subiecti iste syllogismus. Si volūtas creata habeat concursum diuinum hoc faciet: sed habebit illum ex vi diuini decreti & statuti: ergo, &c. De omni autē syllogismo verisimum est vnam præmissarum per se sumptam non esse sufficientem causam veritatis consequentis. Vnde adhuc supereſt explicare quod intenditur, nimirum qua ratione cognoscat Deus voluntatem creatam esse determinandam siue nunc in absoluta scientia, siue in ea conditionata si ad eam recurratur. Non enim dici potest per scientiam illam conditionatam hoc cognosci aut sciri ex decreto cōditionato in ea incluso & imbibito, quia illud tantūmodo est decretum concurrendi vt supponimus, quod non causaliter sed concomitanter solum comparatur ad voluntatem creatam respectu determinationis eius: ergò necessariò inuestiganda est alia ratio cognoscendi futura contingentia libera.

Secundo respondet.

Secūda sententia.

SECVNDA opinio & sententia sentit hisce diebus Deum scire futura libera contingentia in suis causis proximis, & in comprehensione perfecta & exacta volūtatis creatæ nostri liberi arbitrij, & in cōprehēsione etiā eorū omniū quæ possūt determinare liberū arbitriū aut ipsum impedire. Quia licèt liberū arbitriū per se sumptum sit indifferens & ob id in eo vt sic nō possit effectus determinatus cognosci, tamen adiunctis omnibus circunstātijs, occasionibus causis, & cogitationibus, quæ hic & nūc occurrūt, & illud circūstāt, infallibiliter in ipsius cōprehensione cognoscitur ad quid sit determinādū, & quid eliget aut operabitur. Dicūt enim constituendā esse mediā quandā scientiā secundum quam ex altissima & inscrutabili cōprehēsione liberi arbitrij cuiuscunq; in sua essētia intuetur quid actūrū sit liberum arbitriū pro sua innata libertate, si in hoc vel illo rerum ordine reponatur aut collocetur, cum tamen posset si vellet facere re ipsa oppositum.

Molina in cōcordia q. 14. art. 13. disput. 47.

QVOCIRCA Ludouicus Molina in cōcordia q. 14. ar. 13. disp. 47. tenet Deum cognoscere futura cōtingētia & libera ex altitudine suę sciētię prius nostro modo intelligēdi cū fundamēto in re quam quidquā statueret, & decreuerit, cōprehendendo videlicet in se ipso quæ cōtingēter aut mere liberè per causas creatas ex sua omnipotētia possibiles, essēt futura: ex hypothesi q̄ hos vel illos rerū ordines, cum his vel illis circunstantijs vellet statuere. Addit etiam Deum per scientiā naturalem ita se ipsum comprehēdere, vt in se ipso non solū comprehēdat omnia quæ in eo sunt eminēter: sed etiā liberū arbitriū creatū ciuslibet creaturę nō solū creatæ iam & productæ, sed etiā creabilis, atq; ita ante vllam liberam determinationem suæ voluntatis ex altitudine suæ scientiæ naturalis & infinitę, qua superat infinite singula, quæ in se ipso eminenter continet, penetrat quid liberum arbitrium cuiusque creaturæ pro sua innata libertate sit facturū, suppositō quod velit illud creare in hoc vel illo rerum ordini, cum his vel illis circunstantijs aut auxilijs. Et ratio huius est. Quia indignum esset altitudine & perfectione diuinæ scientiæ & minimè cohęrens cum cōprehensione liberi arbitrij & singularum creaturarum dicere Deum ignorare quid, v. g. Paulus vel Ioannes essent facturi pro libertate suæ voluntatis si eos constituisset in alio rerum ordine, vel si in hoc, in quo eos constituit decreuisset tribuere eis hæc vel alia maiora auxilia vel minora. Hanc eandem sententiam repetit ille iterum in concordia disp. 48. pag. 311.

TERTIA sententia est, Deum cognoscere futura contingentia libera, per simplicē solùm intuitum veritatis, vel rei quæ futura est in sua temporis differentia, & prout in illa futura est, & secundum omnes conditiones existentiæ, quas in illa est habitura. Qui autē hunc dicendi modum sustinent censent nō posse à nobis declarari quo pacto fiat hæc intuitio. Sed nihilominus dicunt nullo pacto posse Deum habere scientiā horum futurorū, quæ reuocetur in determinationem diuinæ voluntatis. Tum quia scientia Dei antecedit secundùm rationē omnem liberā determinationem diuinæ voluntatis. Tum etiam quia aliàs intelligi non posset quo pacto Deus non esset auctor omnis malæ voluntatis, & læderet libertatē voluntatis creatæ. Quapropter prædicti auctores cēsent per simplicem intuitum futura cōtingentia Deum cernere & videre: quia obiectiuè illi semper re præsentātur. Nā ad hāc cognitionē per simplicem obiecti repræsentationem tātū requiritur vt id quod cognoscitur, fit cognoscibile, seu scibile quod habet futurū contingēs, nō quia iam in re actu existat in se ipso, neq; quia existat in aliqua imagine repręsentatū tāquā in obiecto in quo cognoscatur, quia talis imago obiectiua non satis percipi potest nisi habeat in se formaliter formā eiusdē rationis cū re repræsentata neq; per illā repręsentari possit rem esse futuram, licèt simplex obiectū repręsentari possit abstrahēdo ab omni actuali existentia præsenti vel futura, sicut videmus imaginem repręsentare suum exemplar. Cuius ratio esse videtur: quia rē esse futurā nihil reale ponit in re possibili q̄ sit repręsentabile per huiusmodi imaginē. Rursus etiā si talis imago danda esset in scientia quam Deus habet de futuris contingētibus, non esset aliud quam ipsamet essentia Dei, sed

Tertia sententia.

in diuina essentia non potest esse talis repręsentatio. Quia oporteret esse aliquid in ipsa essentia, quod necessariò ac naturaliter deberet illi conuenire. At diuina essentia non repræsentat naturaliter aliquid esse futurũ, vt de se constat, quia quod aliquid sit futurum pendet ex volũtate ipsius Dei. Naturalis autem repræsentatio diuinitatis non pendet ex voluntate eius. Solùm ergò requiritur ex parte obiecti quod res ipsa vere futura sit. Nam hoc ipso quod res sit futura sequitur necessariò esse quandam veritatem de futuritione rei, omnis autem veritas de se est cognoscibilis ab eo qui habet vim sufficientem cognoscendi, præcipuè infinitam, qualis est vis cognoscitiua Dei, & lumen ipsius infinitum. Ad cognoscendum enim eiusmodi futura duo intelligimus requiri in Deo. Primum est ex parte cognoscẽtis, nimirum quod habeat sufficiens lumen ad perfectè comprehendendum rem, & omnes eius causas, & quidquid potest illas vel impedire, vel impellere ad agendum, atque adeò vt penetrare valeat & possit, non solùm quid talis causa possit agere, sed quid actura & operatura sit, cum quo lumine etiam est necessaria eminens repræsentatio diuinæ essentiæ, quæ ratione perfectionis infinitæ suæ potest habere vim speciei intelligibilis, seu supplere vicem eius ad repræsentãdum id quod futurum est, prout in se futurum est. Secundum quod requiritur ad hanc cognitionem est ex parte obiecti, nimirum quod illud sit cognoscibile seu scibile, & hoc habet futurum cõtingẽs, non quia iam existat actu in re, sed quia si futurum contingens est verè futurum iam datur quædam veritas enuntiabilis, omnis autem veritas de se est cognoscibilis à Deo. Qua propter id quod tenet se ex parte obiecti cognoscibilis & ex parte huius veritatis scientiæ diuinæ obijcitur, quæ in Deo supponit lumen sufficiens infinitum ad comprehendendum rem omnem, omnesque eius causas & quidquid potest impedire illam, aut ad operandum & agendum impellere & mouere in quocunque euentu. Hoc autem conuenire Deo per modum cuiusdam simplicis intuitionis veritatis, apertè constat.

QVAMVIS hic modus dicendi & cognoscendi futura libera contingentia difficilis sit, tamen probari potest: quia nulla potest ostendi repugnantia quam inuoluat. Secundò, quoniam res non solùm præsens sed etiam præterita potest in se ipsa directè cognosci & videri, quia sicut res præsens est determinata ad vnum, ita etiam res quæ semel fuit: ergò veritas, quæ de illa enunciatur iam est determinata, & necessaria, & ob id censetur in se & per se cognoscibilis simplici intuitu: ergò pari ratione idem erit de veritate futura. Quia futurum contingens quantumlibet contingens si futurum est, suam habet veritatem cognoscibilem, aut si non futurum est, negatio ipsius futuritionis similiter est cognoscibilis. Rursus probari potest. Quia vnum quodque eo modo A quo est, dicitur esse cognoscibile, & est de se cognoscibile: ergò si ex parte cognoscentis non est defectus virtutis cognoscitiuæ sequitur posibilem eius esse cognitionem per simplicem intuitum obiecti. Nam sicut res posibilis præsens & præterita intelligitur habere suam propriam habitudinem ad esse, secundum quam est cognoscibilis, ita etiam & res futura, ratione cuius veritas de futuro semper determinata est: igitur totum hoc quantum est ex parte obiecti est aliquid cognoscibile. Sed in Deo non potest deficere virtus cognoscendi: ergò ex hoc ipso sufficienter intelligitur hunc modum cognoscendi per simplicem intuitum veritatis rei, quæ futura est, non esse repugnantem aut inuoluere contradictionem vllam.

B

Quæ debeant supponi ad interpretationem huius controuersiæ.

HAEC controuersia difficilis valde est, tum propter varietatem opinionum & sententiarum, tum etiam quia modus explicandi quo pacto Deus cognoscat futura contingentia ex parte obiecti res est valde abstrusa & obscura, & neruus difficultatis situs esse videtur, ne lædatur liberum arbitrium, in interpretando quo pacto Deus præsciat futura contingentia infallibiliter, an in suo decreto absoluto, aut conditionali; & quonam medio ex parte obiecti quasi vtatur Deus ad hæc futura libera cognoscenda. Quoniam ex parte principij cognoscentis nulla est difficultas, cum Deus habeat infinitum intellectum, & infinitum lumen, quibus cognoscit quidquid est cognoscibile & intelligibile. Rursus etiam rem hanc obscurissimam facit, quod futura contingentia libera neque sunt per se nota ex terminis, neque sunt fundamenta alicuius veritatis necessariæ quantum ad futuritionis existentiam, ac proinde non sunt veritatis necessariæ. Neque etiam termini propositionum eorundem futurorum contingentium & liberorum seu termini earundem propositionum contingentium, habent se ipsis immediatam & intrinsecam connexionem. Et tandem non apparet vllum medium, quo cognoscantur. Nam profectò vel hoc medium esset extrinsecum, quale est testimonium & auctoritas dicentis, & hoc non habet locum in diuina cognitione. Tum quia hoc pertinet ad cognitionẽ fidei, & dicit obscuram & imperfectam cognitionem. Tum etiam quia Deus neque habet superiorem, à quo discat neq, cui adhibeat fidẽ. Vel tale medium esset effectus aliquis, & hoc inuoluit etiam & tribuit cognitionẽ imperfectam, & ideircò non habet locũ in hac controuersia. Nam res futura antequã sit nõ habet effectũ nisi forte futurũ ab ipsa ac proinde magis occultũ, quã ipsa res futura contingẽs ad vtrũ libet. Vel tandẽ mediũ est aliqua causa, & sane nulla causa intelligi aut excogitari posse videtur ex qua cognoscantur hæc futura libera

C

D

& contingentia infallibiliter. Quia nulla causa est cum qua necessariam connexionem habeant, aut infallibilem.

Cognitioni Dei non potest subesse falsum.

PRIMÒ suppono nos debere loqui in tota hac concertatione de cognitione infallibili Dei, cui non potest subesse falsum. Nam aliàs non esset tribuenda Deo siquidem neque Deus decipi potest, cum ipsius cognitio sit euidētissima & infallibilis omninò: cuius etiam intelligere est ipsa Dei substantia. Inquit enim Diuus Augustinus 7. de Trinitate c. 7. quod Deo hoc est esse, quod sapientem esse. Hoc autem est sapientem esse quod intelligere, ac proinde diuinę intellectioni ac præscientiæ non potest subesse falsum, præcipuè cum Deus ipse se ipsum cōprehendendo omnia cognoscat, & creaturas omnes etiam possibiles & futuras & cōtingentes in se ipso tanquā in vera causa. Neq; rursus Deo cōuenire potest cōiecturalis cognitio, quæ repugnat diuinæ perfectioni & infallibilitati suæ cognitionis, & infinitati diuinæ naturæ, quæ ei cōuenit in essēdo & cognoscēdo.

D. Augus.

S. Thomas.

SECVNDÒ suppono ex sententia S. Tho. 1. p. q. 14. art. 13. quod cum Deus, euidētissimè cognoscat non solùm illa, quæ actu sunt, sed etiam illa quæ sunt in potentia sua, vel in potētia creaturæ, inter quæ sunt contingentia & libera nobis futura, apertè sequitur Deum futura contingentia cognoscere. Quod nos de fide esse diximus & plerisq; testimonijs sanctarū literarū ostendimus, & id probat sanctissimus præceptor ex illo Prophetæ Psal. 32. Præcipuè de cogitationibus hominū liberis. Qui finxit sigillatim corda eorū, qui intelligit omnia opera eorum, nimirū, eorūdē hominum, opera verò hominum sunt etiam illa quæ libero arbitrio subiecta sunt, etiā ea quæ sunt opera cordis, quæ omnia Deus infallibiliter cognoscit sine vlla falsitatis suspicione. Perpende tamen quod in genere futura, quædam dicuntur esse necessaria omninò, quę nō tantùm proueniunt à causa naturali determinata ad vnum, sed neq; impediri possūt ab aliqua causa naturali creata, hæc sunt ortus solis, & eclipsis eius & lunę, & alia id genus, quæ quidem futura non tantùm à Deo, sed etiam ab Angelis & hominibus cognoscuntur, de quibus controuersia nostra esse non potest. Quia disputatio pręsens vt diximus non est de quibuscunq; futuris, sed de cōtingentibus. Adde etiam quod hæc futura contingentia possūt prouenire à causa naturali, non quod ab illa cōtingentiā habeant, sed quod impediri possunt ab alia causa libera vel naturali. Cæterum quia hoc est illi per accidens euētus qui sequitur ex illa ob id potest cōtingens dici, quia ita euenit, vt tamen possit non euenire, sicut pluuia quæ impediri potest ab alia causa ne futura sit, & plures impressiones, ex quibus causari possunt morbi & ægritudines impediri possūt ex alia causa. Quæ sane futura quamuis non ita certò cognoscātur ab hominibus vt decipi nō possint, tamē ab Angelis certò & euidēter cognoscuntur, quoties in his euentibus intercedit tantùm cōcursus & occursus naturaliū causarum, & nulla causa libera omninò. Nā profectò si intercedat in his euētibus causa aliqua libera vel aplicās, vel impediēs par ratio erit de illis atq; de effectibus qui ab ipso libero arbitrio proueniūt, vtriq; nāq; euētus in eo casu certò & infallibiliter cognosci nō possunt ab Angelo. De his tamen si considerentur vt solùm pendent à naturalibus causis, & nullo modo à libera, non est accipienda neque intelligenda proposita controuersia. Vnde vltimo loco tertium genus effectuum futurorū est eorū, qui habent contingentiam dependentē à libero arbitrio, vel proximè & immediatè vel mediatè, & de his contingentibus liberis vel à libertate pendentibus disputamus modo. Hæc tamen scientia futurorum nullam habet difficultatē ex libertate effectus vel actionis in ordine ad voluntatem diuinam, & ratio huius est. Quia effectus aliquis duobus modis potest procedere à Deo, vel ab ipso solo tantùm, vel ab ipso vt concurrente cū causa secunda. Et sanè in priori modo pendet effectus ex libero modo operandi solius voluntatis diuinæ, cum ad nullam aliam causam dicat respectum, atque ita determinatio ipsa voluntatis diuinæ ipsimet Deo notissima & euidētissima est, nimirum in ęterno illo & efficaci decreto suæ propriæ voluntatis, & vt Deus in tēpore faciat talem effectum necesse est vt ab æterno habuerit tale efficax decretum. Quia nō potest in tēpore incipere illud habere, imò verò neq; sine illo potest operari adextra cū liberè & voluntarie operaturus sit adextra effectū illū & sine concursu alterius causæ secundæ. Vnde infertur, quod posito illo decreto non potest Deus ignorare illum effectū futurum cum intime sit in ipso præfatū decretū, loquimur enim nunc de illis effectibus, quæ Deus solus per se ipsum facit in quibus ipse sicut habet volūtatē efficacem, ita etiā similiter est immutabilis & omni potēs. In posterioti autē modo, quo procedit effectus nō à solo Deo, sed à Deo vt concurrente cum causa secunda, & quo effectus nō tantū pendet à Deo, sed etiā à secūda causa cui Deus ipse tribuit, præbet, aut offert suū cōcursum: vt effect⁹ cognoscatur futurus necesse est cognoscere non solū Dei cōcursum seu volūtatem concurrendi quantū in ipso est, sed etiā influxū seu determinationē futurā secūdæ causæ. Deus autē media voluntate sua tribuit eiusmodi concursum, ac proinde si in tēpore Deus debet concurrere sine dubio habuit propositū concurrendi ab æterno. Hoc autē propositum apertissimū est & valde notū ipsi Deo, vt antea dicebamus, quo fit vt ex vi illius Deus præsciuerit concursum suū paratū esse vt talis euentus contingens fiat & sequatur. Tota igitur disputatio nostra erit circa effectus contingentes liberos quatenus ab influxu liberi arbitrij & à libera determinatione voluntatis creatæ humanæ vel angelicæ dependent.

Ex quibus causis proueniunt futura contingentia.

De quibus futuris cōtingētibus sit difficultas.

SVPPONO tertiò, nullam rem esse futuram quatenus futuritio dicit ordinē ad existētiam

rei,

Nullũ est futurum sine aliquâ voluntate & prædefinitione Dei circa illam.

rei, quæ suo tempore erit, sine peculiari aliqua voluntate & prædefinitione Dei circa illam. Quæ suppositio adeò certa est, vt negari non possit vllo pacto, eamque constituo. Quoniam recentes aliqui Theologi non valentes conciliare Dei voluntatem cum libertate nostra sentiunt Deũ non definiuisse omnia opera nostra bona, etiam illa, quæ pertinent ad ordinem supernaturalem gratiæ, sed generali solùm quadam ratione statuisse apud se cum omni causa & libero arbitrio etiam præuento vocatione sufficienti si ipsum voluerit, concurrere & ad hoc esse paratum. Qui modus dicendi neq; est certus, neque ferendus, neque ex tali decreto confuso & in genere posset colligi certitudo diuinæ præscientiæ. Nam in eo casu vel Dei volũtas distinctè circa opera singula præcipuè supernaturalia versatur, vel solùm voluntatis diuinæ decretum versatur circa futura in vniuersum & confusè, ac si intra se solùm nihil attendens ad singula decerneret generaliter adiuuare causas omnes, quæ suo indigerent præsidio & auxilio. Quod si Deus tantum hoc posteriori modo opera nostra libera, etiam supernaturalia decreuit, sequitur Deum ipsum indistinctè & confusè voluisse ab æterno facere illa quæ in tempore erat facturus. Quod si hoc verũ esset, similiter etiam esset verũ vt quando in tempore Deus concurrit, non velit tunc Deus determinare aut sigillatim ad opus illud cõcurrere, sed, solùm confusa & vniuersali illa voluntate operari. Quo etiam fieret contra hos dici posse, quod Hieronymus dixit dialogo 1. contra Pelagianos ijs, qui crediderũt nõ esse necessarium aliud gratiæ Dei auxilium ad singula opera, præter gratiam creationis, & liberi arbitrij cum illo concursu confuso & indistincto quibus dixit. Dormitat ergò Deus in operibus nostris semel data arbitrij libertate. Vnde hic modus horum recentiorum plurimum lędit diuinam prouidentiam quatenus fide docente & scriptura clamante nouimus Sapientiæ 8. quod *Attingit à fine vsque in finem fortiter* (& distinctè) *& disponit omnia suauiter.* Rursus incidunt hi auctores in eam sententiã, quam Arist. insinuat libro de cælo ad Alexandrum, qui sensit Deum non rebus omnibus proximè distinctè & sigillatim prouidere, sed tantùm per vniuersales causas omnia gubernare. Quod si cum concurrit ad extra Deus cum hac secunda causa non minus distinctè & determinatè vult cum ea concurrere quàm si cum illa solùm esset operaturus, vt de se patet, sequitur Deum ab æterno habuisse distinctè hãc etiam voluntatem sigillatim circa hanc operationem, & circa singulas alias.

D. Hiero.

Sapientiæ. 8.

Aristoteles

Ex quibus omnibus colligo Deum habuisse decretum & definitionem voluntatis suæ distinctè & quasi sigillatim circa singula quæ in tẽpore operaturus fuerat vel solus ipse, vel ipse cũ secunda causa concurrens. Siue distinguamus illud Dei decretum secundùm nostrum modum intelligendi quasi in plura, siue di-

A camus esse vnicum tantùm: certùm debet esse apud omnes Deum omnia & singula voluisse vnico actu simplicissimo volũtatis suę.

Prius est diuinum decretum quã quod res sit futura.

Secundò colligo, decretum hoc firmamque Dei voluntatem ordine quodam causæ esse prius quam res sit futura, imò verò ex eo aliquid futurum esse quia Deus voluit. Quoniam res futura non potest intelligi adhuc futura nisi ex causis suis: sed inter causas vna est decretum Dei, nihil enim sine Dei voluntate fit volente, aut permittente, neque fieri potest vt sit futura: ergò antequam res futura sit & euentura ordine quodam causæ, Deus futuram esse voluit: ergò decretum Dei præcedit rem futuram prout futura est, siue dicamus etiam præcedere concursum & determinationem

B secundæ causæ liberę, siue eã tantũ concomitari.

Quarto suppono, in hac materia nos cõtentos esse debere supposita fide liberi arbitrij creati, diuinaque prouidentia ipsius etiam præsidio & auxilio, si probabiliter & rationabiliter dicamus quo nam pacto Deus præscientiã infallibilem habeat futurorum contingentium & liberorũ. Quomodo autem stet liberum arbitrium cum Dei præscientia, voluntate & decreto, crede: quia neque capis quomodo Deus sit trinus & vnus, & tamen credis. Acutè enim Augustinus dixit. Benedictus Deus qui dixit, qui crediderit saluus erit, & non dixit qui intelligeret, aut intellexerit, de fide namque est esse liberum arbitrium, & quod liberi sumus ad salutem nostrã, & quod culpa nostra damnabimur,

C & non ex culpa Dei, aut ex defectu illius. Quo fit vt in hac concordia non debeamus postulare aut exigere apertam euidentiam, qualẽ nunc multi prætendunt, alioqui dicunt, & sentiunt lędi libertatem arbitrij. Attendere enim oportet quod loquimur in re graui, & ideircò non licentiosè loquendum est, aut valde liberè vt in dialectica, neq; oportet plus sapere quã oportet, sed reuocare oportet in memoriã illud Spiritus sancti elogium. Non plus mellis ingeras, aut comedas quam oporteat, ne forte satiatus euomas illud. Liberis verbis vtãtur grãmatici, aut interdum Dialectici & Philosophi, non autem nos, sed oportet credere sapientibus præcipuè antiquioribꝰ, & catholicis, & credere quod rectè respondent ad argumenta.

Futurũ cõtingens liberũ in duplici statu potest considerari.

D Quinto suppono & considero ex Diuo Thoma sanctissimo præceptore Theologiæ q; Scholasticæ principe sapiẽtissimo, quòd futurum contingens ad vtrumlibet, quale est futurum liberum, in duplici statu potest à nobis considerari, vno modo in se ipso, quatenus iam est in actu, & hac ratione non consideratur vt futurum, sed vt præsens, neque consideratur vt contingens ad vtrumlibet, sed vt determinatum ad vnum: & hac ratione futurum cõtingens, quod non consideratur vt futurũ, sed vt præsens, & vt iã in actu, subijci potest infallibiliter certæ cognitioni, imò verò intuitiuè, sicut cum video Socratem sedere. Secundo potest considerari futurum contingens in

alio ſtatu, nimirum vt eſt in ſua cauſa libera & contingente, antequam egrediatur ab ea, aut egredi incipiat: & hoc modo conſideratur vt futurum, & vt contingens nondum determinatum ad vnum, cum cauſa contingens ſit illa quæ ſe habet ad oppoſita, & hac ratione contingens non ſubijcitur alicui cognitioni certæ & infallibili. Quo fit, vt quiſquis cognoſcit effectum contingentem in ſua cauſa contingenti & libera tantùm, non habeat de ipſo cognitionem certam, ſed ſolùm coniectu ralem aut probabilem cum formidine. Deus autem cognoſcit omnia contingentia, non ſolùm prout ſunt in ſuis cauſis, ſed etiam pro vt vnumquodque eorum eſt actu in ſe ipſo, quod eſt dicere Deum cognoſcere omnia contingen tia non tantùm prout ſunt in ſuis cauſis, id eſt prout ſunt futura contingentia, ſic enim pro vt in ſuis cauſis contingentibus & liberis ſunt contingentia & futura, ſed etiam quatenus vnumquodque illorum iam eſt actu in ſe ipſo, & ſic non conſideratur vt futurum contingẽs formaliter, ſed vt præſens, & vt determinatum ad vnum, & non vt ad vtrũlibet. Quo fit quod ſicut ęternitas ſimul exiſtens ambit totum tẽpus in vnico nunc, ita Deus omnia quæ in tẽpore ſunt quatenus illi in illo nunc æternitatis præſentia ſunt ab ęterno, ea cognoſcat & intuea tur. Quocirca Deus cognoſcit eiuſmodi futura contingentia non ſolùm ea ratione qua habet rationes rerum apud ſe præſentes, ſed quia eius intuitus fertur ab æterno ſupra omnia prout ſunt in ſua præſentialitate: ac proinde apertè ſequitur quòd contingentia etiam infallibiliter à Deo cognoſcuntur, quatenus ſubijciuntur conſpectui diuino ſecundùm ſuam præſentialitatem, & tamen ſunt futura contingentia ſuis cauſis cõparata. In quibus verbis ſanctus Thomas duplicem modũ cognoſcendi tribuit Deo. Primus eſt, quatenus cognoſcit omnia quæ in tempore ſunt, ſecundùm quandam præſentialitatem, ea ratione qua habet rationes rerum apud ſe præſentes. Secundus eſt, quatenus intuitus Dei ab ęterno fertur ſupra omnia, quatenus iam ſunt actu in ſe ipſis extra ſuas cauſas in præſentialitate mẽſuræ ęternitatis, quę ambit & continet totam temporis menſuram & durationem intra quam iuxta tempus in quo ſunt continentur res ipſæ, & habẽt præſentialitatem proprię exiſtentiæ extra ſuas cauſas. Hoc vnum candidus lector aduertat hoc loco obiter, quia de hac re fuſius agem⁹ infra: quòd ſanctus Thomas optimè nouit quòd ille ſecundus modus cognoſcendi, quem tribuit Deo futurorum contingentium, quando iam non ſunt in cauſis, ſed actu in ſe ipſis extra cauſas, non eſt proprius modus futurorum cõtingentium formaliter loquendo, ſed potius eſt modus rei præſentis extra ſuas cauſas. Quia quando res iam actu eſt in ſe ipſa, tunc iam eſt obiectum præſens, & vt tale cognoſcibile, & nõ eſt obiectum futurum contingens. Vnde colligit Diuus Thomas, quòd quamuis futura contingentia ratione ęternitatis comprehendentis illa, & menſurantis diuinam cognitionem dicantur illi præſentia, quatenus intuitus diuinus fertur in res pro tempore in quo continentur & mer ſurantur, tamen hæc eadem tantùm eſſe futura contingentia, quatenus comparantur ſuis cauſis particularibus, in quibus cõtinentur contingenter, & cum quadam indeterminatione & in differentia ad vtrumlibet.

A B C D

S. Thomas

Hinc colligitur ex ſententia D. Thomæ noſtro modo intelligendi duplicem modum ſciendi futura iſta, de quibus loquimur, poſſe conſiderari in Deo. Primus eſt futurorum formaliter vt eſt futurorum: ſecundus eſt, vt eſt præſentium etiam actu exiſtentium in ſe. Nam certè eadem res à Deo cognoſcitur, primò quatenus eſt ſolùm poſsibilis, ſecundò quatenus eſt futura, tertiò quatenus eſt præſens & actu in ſe ipſa.

Prima Concluſio.

His ſuppoſitionibus prælibatis, pro explicatione huius obſcuriſsimæ difficultatis dico primò. Certitudo diuinæ præſcientiæ inter plures rationes ſuæ infallibilitatis vna deſumitur à priori ex decreto ipſius qua futura omnia in tempore ventura, & producenda, definiuit. Itaque actus liberi & contingentes prædefiniti à Deo, certò cognoſcuntur in prædefinitione ipſa Dei, & ex vi illius prædefinitionis diuinæ. An verò huiuſmodi prædefinitio ſeu decretum ſit prima ratio & adæqua ta ſciendi & cognoſcendi illa futura contingen tia, quæ à Deo prædefiniuntur id quidem dicemus infra: Deus tamen non prædefinit peccatum, ſed prædefinit bona omnia opera. Hæc aſſertio mihi eſt certiſsima, & ſuppono eã eſſe D. Thomæ & ſuorum diſcipulorum, quam D. Hilarius lib. 9. de Trinitate apertè inſinuauit dicens. Quæ Deus facere decreuit in ſua voluntate cognouit. Hãc etiam ſententiam poſſumus deducere ex doctrina Diui Auguſtini libr. 6. de Trinitate cap. 10. & libro 15. capite 12. & lib. 5. de ciuitate capite 9. Quoniam diuina ſcientia dicitur eſſe cauſa rerum, ſecundùm quòd habet voluntatem coniunctam. Eſt enim ſcientia Dei ita ſe habens ad res omnes, ſicut ſcientia artificis ſe habet ad artificiata, qui dicitur eſſe cauſa artificiatorum ex eo quòd operatur per ſuum intellectum, in quo eſt ſcientia practica & artificioſa, & adiuncta voluntate prodit ex tali ſcientia artificioſus effectus ad extra. Et idcirco dixit Auguſtinus res futuras eſſe, quia Deus ſcit illas & non è contrario: ergò ſi ſcientia Dei eſt cauſa rerum ſecundùm quòd habet voluntatem coniunctam & determinantem, vt ſanctus Thomas optimè deduxit 1. parte q. 14. art. 8. ſequitur Deum etiam ex ſententia Diui Auguſtini, imò verò & D. Thomæ, ſufficiẽtem habere rationẽ præſcientiæ futurorum contingentium ex decreto diuinæ voluntatis, & ex diuina prædefini-

Conclus. 1.

D. Thomas

D. Hilar.

D. Auguſ.

D. Auguſ.

D. Thomas

tione

tione. Hunc etiam modum dicendi secutus esse videtur D. Gregorius, libro 20. Moralium, cap. 24. quo loco dixit etiam res futuras esse, quia Deus scit illas, & non è conuerso. Idem sensit Albertus Magister D. Thomæ in 1. dist. 38. art. 3. & sanctissimus Præceptor D. Tho. loco citato. 1. par. q. 14. art. 8. in corpore, & art. etiam 13.

D. Greg.

Albertus Magnus. S. Thom.

Scotus.

Alexand. Alens.

Ricardus. Durãdus.

HVNC modum dicendi secutus est Scotus in 1. dist. 39. quæst. vnica. §. viso de contingentia, & quodlib. 14. & non solùm ipse, verum etiam ante illum Alexander Alensis. 1. par. quæst. 24. memb. 7. vbi expresse affirmat præscientiam Dei dicere ordinem ad præordinationem. Et in hanc sententiam propendent Ricardus in 1. dist. 38. artic. 1. quæst. 5. & Durandus ibidem. Sed aduerte Ricardum dixisse Deum cognoscere hæc futura in sua voluntate, tanquam in causa infallibili simplicissimo quodammodo, cui consonat hoc principium, quod posito decreto diuinæ voluntatis æterno statim incipit esse determinate vera propositio quæ dicit. Hoc erit: Et idcirco Deus cognoscit veritatẽ rei futuræ, non tantùm in voluntate sua, sed etiam intuendo in se ipso veritatem illam: de quo modo dicendi fusius dicemus infra. Caietanus quamuis non ita expresse, tamen hoc videtur etiam attigisse in Commentarijs, prima parte, quæstione 14. artic. 13.

FVNDAMENTVM huius sententiæ esse potest primum, quod decretum hoc voluntatis Dei ordine quodam causæ est prius, quam futura sit res. Quoniam vt superius diximus suppositione 3. in fine, & in appendice etiam; dicere oportet ex eo aliquid esse futurum quia Deus id ita decreuit, & voluit. Quoniam res futura nunquam potest intelligi adhuc esse futura, nisi ex suis causis: At inter causas est decretum Dei: ergo cum nihil fiat sine voluntate Dei, sequitur quod nostro modo intelligendi antequam res sit futura ordine quodam causæ Deus decreuit esse futuram. Nam profectò antecedenter ad omnem voluntatem Dei, res dicuntur esse possibiles, & possibiliter futuræ, possibilitate fundata in omnipotentia Dei, & futuritione fundata in voluntate eius, non tamen dicuntur futuræ simpliciter, neque non futuræ priuatiuè, per carentiam veram futuritionis in re, id est, quod non erunt, sed non futuræ negatiuè, quia nihil est decretum de illarum futuritione, aut non futuritione. Ob id ergo dicitur præcedere decretum Dei rem futuram prout futura est, siue illud dicatur præcedere determinationem secundæ causæ liberæ, eiusque influxum, siue solùm comitanti illam, de qua re dicemus in disputatione de auxilijs. Dicimus itaque quamcunque rem decreto Dei futuram esse, & ob id prius quam res cognoscatur à Deo esse futura de facto, ab ipso prædefiniri, esseque volitam, & definitam. Ex hoc autẽ optimè potest cognosci quod sit futura, ac proinde diuinum decretum iure assignari potest, vt causa sufficiens cognoscendi futuritionem rerum, etiam contingentium. Nam quamuis futura contingentia sint ex se indifferentia, tamen potest optimè circa illa versari infallibilitas, & certitudo diuinæ scientiæ, de qua nunc loquimur. Quia si decretum diuinum irritari non potest, sequitur scientiam eius adeò certissimam esse, vt falli non possit. Ex quo fit, vt scientia Dei illius decreto assimiletur, & consequenter ex decreto diuino non solum assignatur causa sufficiens cognoscendi futura, sed etiam redditur ratio sufficiens certitudinis diuinæ scientiæ. Profectò cum huiusmodi decretum in Deo sit, illud est principium sufficiens ad cognoscenda huiusmodi futura. Nam vt dicit D. Paulus ad Ephesios 1. Deus operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ. Vnde etiam idem Paulus affirmat nos creatos esse in operibus bonis, quæ ipse præparauit: ergò cum ipse Deus sit causa rerum omnium, & futuritionis earum per scientiam practicam adiuncta voluntate, & operetur omnia, vel se solo per voluntatem suam, vel cum secundis causis dirigendo omnia in fines à se prædefinitos, & intentos, quod pertinet ad prouidentiam Dei exactam, & perfectam, & operetur omnia per absolutam, & efficacem voluntatem, qua vult res fore antequam sint futuræ, quia omnia quæcunq; voluit fecit in cælo, & in terra: sequitur, quod cũ hæc voluntas æterna Dei antecedat futuritionẽ omnium, non solùm antecessione durationis, & æternitatis, sed antecessionis futuritionis ad præscientiam eiusdem futuritionis secundùm nostrum modum concipiendi, quod verè in ipso Dei decreto, quod accedit ad scientiam Dei practicam, sufficienter, & verè datur ratio talis scientiæ diuinæ, suæque infallibilitatis, & certitudinis. Ego quidem suppono omnem Dei prædefinitionem, eiusque decretum de actu libero à Deo simpliciter intento supponere in ipso Deo scientiam illam practicam, modumque rerum faciendarum, vel cum modo liberò, vel cum modo necessario earum: Quia supponit in Deo scientiam, & modum faciendi omnia quæ voluerit, potentiam etiam, & facultatem id faciendi cum suauitate pro modo infinito quem Deus ipse nouit. Omittamus modo scientiam visionis rerum ad extra, seu creaturarum, quæ cum omnino sit libera, sequitur post prædefinitionem, & decretum Dei.

Ex causis contingentibus ad vtrumlibet non potest intelligi futuritio ipsius contingentis.

ITAQVE Deus dicitur videre futura illa contingentia in decreto illo, etiam vt distinguitur ratione ab essentia: Hoc potest ostẽdi quoniam potentia producendi creaturas in Deo, est aliquid reale ratione distinctum ab essentia: ergò sub ista ratione, & consideratione cognoscitur, & videtur à Deo, tanquam principium productiuum creaturarum: tunc vltra, diuina voluntas determinans hanc potentiam Dei, ad has, vel illas creaturas producendas ad extra, est aliquid reale, & ratione distinctum ab essentia: ergò diuina potẽtia manet realiter determinata ex vi

voluntatis ad producenda futura quæ decreuit, ac proinde in huiusmodi decreto voluntatis, tan quam in principio reali cognoscit Deus infallibiliter futura illa. Explicatur hoc amplius. Nam cum Deus creaturas produxit, antecedenter ad productionem in tempore mansit determinata eius potentia ad producendum has creaturas, & non illas, vera determinatione reali ab æterno, & non per solum respectum rationis præcisè: igitur in huiusmodi determinatione Deus cognoscit res ipsas antequam in tempore fiant. Ostendo antecedēs: Quia creaturarū productio postulat potentiam infinitam in Deo, quando fiunt per creationem: sed implicat quod potentia sit realiter indifferens: igitur debet esse realiter determinata: Quod autem non possit esse realiter indifferēs post decretum determinationis ad producendum has creaturas, & non illas; probatur: quia ad productionem cuiuscunque effectus exigitur potentia determinata realiter: si enim maneret indifferens implicaret quod ex ipsa ita indifferenti procederet vllus effectus: ergò ad producendum ad extra aliquid per creationem, necessariò requiritur quod potentia ad creandum non maneat realiter indifferens: ac proinde Deus infallibiliter cognoscit futura in potentia sua diuina realiter determinata ex vi diuinæ voluntatis: verum aduertè, quod Deus se ipso determinat se, & ex se ipso ad has creaturas producendas, & non illas, & hoc quidem liberè, atque adeò sicut habere libertatem ad illas producendas est aliquid reale in Deo, ita determinare se Deum ad producendū illas est aliquid reale in ipso, illi conueniens antecedenter ad mutationem creaturarum: verum tamen est, quod sicut cognoscere, aut intelligere creaturas si cogitetur à nobis quatenus formaliter inspicit obiectum cognitum extra Deum, nimirum creaturas ipsas est aliquid rationis: ita decretum creādi res ad extra prout formaliter respicit aliquid extra Deum, est denominatio rationis: At vero radicaliter secundùm perfectionem illam, quæ necessariò in Deo præsupponitur ad hoc, vt creaturæ possint ab eo procedere, seu ad hoc vt ab ipso Deo, vt à suo principio procedāt est aliquid reale.

Iam ergò colligimus determinationem ad producendas creaturas, non tantū dicere respectum rationis consurgentem ex creaturis ipsis: Quod patet: quia aliàs sequeretur, quod Deus ex se ipso non se determinaret ad productionē illam, ac proinde quod ex parte Dei antequam creaturæ intelligerentur esse extra Deum, non daretur ratio productionis earum: quod est apertè falsum. Quia si in quacunque causa indifferente omnino, oportet assignare rationem specialē ad hoc, quòd determinatè producat vnū, & non alterum antequam talis effectus sit extra causam, id quidem multò magis in causa prima, & vniuersali, & primo determinātē alias causas debet reperiri ratio specialis determinationis ad vnum, antequam illud cognoscatur esse extra eandem causam: ex quo apertè colligitur implicare, quod ex sola relatione rationis quæ ex ipso effectu producto consurgit prout extra Deū est, Deus dicatur esse determinatus ad hanc creaturæ huius productionem, &c.

Hanc assertionem cum sequentibus, præcipuè cum secunda & tertia tradidi, contra quosdam non maximæ notæ Auctores, nimirū contra Ocham, & Gabrielem, imò verò contra Gregorium Ariminensem, qui in 1. dist. 38. quæst. 1. & quæst. 2. artic. 2. non longè à fine sentiunt, in hac vita non posse vllo pacto assignari rationem certam, & propriam de certitudine diuinæ præscientiæ, sed dicunt ad perfectionem, & infinitatem scientiæ Dei pertinere, vt futura etiam contingentia, & libera non minùs certo, & determinatè cognoscat quàm ea, quæ naturaliter eueniunt necessitate naturali. Rursus constituo eandem assertionem contra Originem, qui libro 7. super epistolam ad Romanos, circa illa verba Pauli: *Quos vocauit, hos & iustificauit.* inquit: *Non ideò aliquid erit, quia Deus scit, sed quia futurum est scitur à Deo antequam fiat.* Imò verò apud nonnullos ex Græcis qui volunt repellere diuinam prædefinitionem, interdum dicitur, ideircò rem certo à Deo cognosci, quia futura est, & nō è conuerso, quod est expressè contra D. Augustinum locis superius à me citatis, quidquid dicant aduersarij, & non valent euasiones, quæ ab eis adducuntur, vt nos etiam suo loco dicemus.

Probatur conclusio.

Probatur etiam. Quoniam Dei voluntas, vel versatur distinctè circa singula opera nostra non minùs, quàm versatur ipsa scientia Dei, vel solùm decretum diuinæ voluntatis versatur circa futura generaliter, & confusè, non aliter atque si aliquis non perpendens ad singula in particulari, neque illa volens distinctè, & sigillatim generaliter solùm decerneret suum impendere auxilium, & præsidium omnibus causis quæ illo indigerent. Quod si hoc vltimo modo Deus statuit, & decreuit generaliter solùm, & quasi in communi, & confuso opera nostra; sequitur Deum quasi indistinctè, & confuse voluisse ab æterno illa efficere, quæ in tempore facturus erat: quod si verum est, similiter etiam fit, vt quando in tempore concurrit, non velit tunc Deus determinatè, & quasi sigillatim ad opus illud influere, & concurrere, sed solùm confusa quadam, & generali illa, & quasi vniuersali voluntate operari, & agere, quod nulla ratione dici potest, vt suppositione tertia ostendimus. Et præterea. 1. par. quæst. 22. de diuina prouidentia, artic. 2. & 4. Si vero dicas decretum, & definitionem diuinæ voluntatis fuisse circa singula distinctè, & sigillatim ab æterno quatenus ea in tempore operaturus fuerat, siue ipse solus, siue cum secunda causa, tunc certum est Deum omnipotentem, & infinitum, & purissimum omnia, & singula vnico simplicissimo actu, & purissimo voluntatis suæ voluisse. Nam tàm voluntas ipsius Dei, quā volitio, & operatio sunt idē in eo quod sua essentia. Cùm igitur Dei voluntas feratur in singula distinctè,

habeat-

habeatque decretum quo sanciuit ab æterno, & voluit singula distinctè, cum omnibusque causis, etiã liberis distinctè concurrere, & sigillatim in eas influere, & non confusim sub sola quadam generalitate, sequitur ex hac suppositione facile perpẽdi quo nam pacto cum indifferentia, & libertate causarum circa futura posse esse summam certitudinem, & infallibilitatem diuinæ scientiæ.

D. Paulus. QVAPROPTER egregiè Paulus ad Hebr. 4. dixit: *Omnia sunt nuda, & aperta in oculis eius.* & alibi inquit, *Deum vocare ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Nam profecto si Deus euidentissimè certò, & infallibiliter non cognosceret hæc futura contingentia, & libera, tunc non solum posset cassari eius decretum, sed etiam posset falli Deus, quod est contra eius essentiam, & scientiam, & contra eius omnipotentiam: ergò dicendum est ex Dei decreto res futuras esse, & ex illo determinari cum modo libero earum ad vnum aliquod, atque ita priusquam res futura esse cognoscatur ab ipso, dicatur esse definita, & volita, ac proinde ex hoc quod sit futura ex illo diuino decreto optimè posse cognosci, vt dictum est: ergò rationabile est decretum Dei esse sufficientem rationem certitudinis diuinæ præscientiæ. Nam licèt futura contingentia ex se sint indifferẽtia, tamẽ potest esse circa ipsa huiusmodi certitudo & infallibilitas scientiæ Dei, quia nõ debet esse minor certitudo sciẽtiæ, quã efficacia diuinæ voluntatis sit. Si igitur antequã Deus sciat futura re vera futura, & de facto, nimirũ cũ ordine ad existentiã in re futurã, prius ordine quodã Deus dicitur ea velle, & definiri, & Deus nõ est mutabilis, neq; decretũ eius potest cassari, & irritari, sequitur scientiã eius esse certissimam, & cui falsum subesse nõ potest, vt hac ratione Dei scientia in omnibus assimiletur decreto eius, sicut superius diximus.

Argumenta aduersariorum.

Prima obiectio aduersariorum. SED cõtra hoc argumentantur auctores oppositæ sententiæ, qui putant ex decreto voluntatis Dei nullo pacto colligi posse certitudinẽ scientiæ ipsius. Quia ex eo quod Deus cernat decretum suum, non cognoscit futura tanquam ex causa: ergò non potest ex eo colligi certitudo scientiæ ipsius. Probatur antecedens. Nã quamuis Dei essentia à nobis intelligatur per modum decreti, & voluntatis tanquam causa futurorum, tamen liberum decretum voluntatis Dei nihil addit super nudam essentiam, nisi respectũ rationis ad res futuras: ergò ex eo quod dicatur Deus aliquid decreuisse ab æterno nihil est in eo, nisi respectus rationis, qui aliàs in Deo non fuisset. Et similiter æternum decretũ diuinæ voluntatis tantùm addit respectum rationis ipsi diuinæ voluntati, qui respectu rationis intelligitur resultare in Deo, eo quòd res sit futura sicut resultat relatio ex positione termini: ergò non potest in decreto ipso cognosci, quod res sit futura, sed potius cognoscẽdo rẽ esse futurã, & cognoscẽdo voluntatẽ Dei cognoscetur in ea esse tale decretum, sicut cognito fundamẽto, & termino cognoscitur relatio: ergò respectus iste rationis ad res futuras ex illis tanquam ex fundamento deriuatur extrinsecè: ergò ex eo quod videatur huiusmodi decretum non potest colligi infallibilitas scientiæ futurorum contingentium.

Obiectio secunda. RVRSVS secundò Deus non potest intueri in se, aut videre respectum illum rationis. Quia talis respectus solùm est obiectiuè in intellectu creaturæ, quia solus intellectus creatus illum cõfingit, &c. Neque apparet quo pacto etiam si Deus videat seipsum sub illo respectu posit illi talis respectus esse ratio, & veluti medium videndi futura. Quia illud à quo prouenit respectus rationis tanquam à fundamento extrinseco prius debet cognosci, quã respectus ipse, vel vt minimum non potest esse ratio cognoscendi huiusmodi fundamentum: ergò ex suo decreto non potest sciri certò huiusmodi futura. Quod si contra huiusmodi argumentatores dicas, & obijcias ex prædicta eorum doctrina sequi prius rem esse futuram, quam sit decretum in Deo, siquidem ab illa deriuatur respectus rationis, quo decretum voluntatis Dei dicitur cõstitui. Respondent & planè confitentur sine dubio in hac re non posse euitari circulũ, quia res est difficillima.

SED profecto huiusmodi obiectiones non sunt efficaces, neque quidquam concludunt contra nostram assertionem. Nam certè rationes prædictæ supponunt abstrusam illam difficultatem, quid videlicet sit completè, aut quid addat hoc decretum in Deo. Secundò in præsenti circa ea de quibus agimus, hoc nullam nouam difficultatem ingerit, neque eam rationes istæ dicunt. Præcipuè quia vna ex his obiectionibus, vel ostendit Deum non cognoscere decretum suum liberum in seipso, & prout est in se: quod quidem sine errore dici nõ potest: vel omnino nihil ostendit. Probatur quoniam si ille respectus rationis, ita dicitur addi per hoc decretum, vt sit de intrinseca ratione eius, vt sine illo cognosci non possit, & aliàs negatur Deum cernere, & videre respectum illum, vel habere illum obiectiue in suo intellectu, & solùm esse obiectiue in intellectu creaturæ, apertè colligitur Deum non cognoscere, neque cernere decretum suum, quia non cognoscit respectum qui est de ratione eius. Si vero respectus ille verè non est de intrinseca ratione talis decreti, vt re vera non est, & idcircò potest cognosci decretũ illud prout est in se, sine fictione, aut formatione illius respectus, vt re vera potest: & Deus ipse illud cognoscit, & forte etiam ipsi beati, apertè sequitur quod ad cognoscendum decretum formaliter loquendo, non est necessarium cognoscere terminum illius respectus, vt sic, & consequenter prius ratione posset decretum illud cognosci, & in ipso, vt in causa posse etiam cognosci rem esse futuram. Et ex hoc facile dissoluitur secunda obiectio.

Respõsio primæ obiectionis. AD primam obiectionem qua volunt nonnulli impugnare nostram sententiam, ex his, quæ diximus respondere possumus. Nam certè

si aliquam vim haberet similiter probaret non esse rem futuram ex decreto Dei, sed potius è conuerso ex eo quod res futura est in Deo, esse decretum: quod quidem apertè est falsum. Et probatur sequela. Quoniam ex eo quod res est futura dicitur in Deo resultare respectus, per quē formaliter & completiue decretū constituitur: igitur falsum est id quod supponitur tanquā fundamentū obiectionis, seu argumēti. Nam certè cum decretum diuinum verè, & intrinsecè sit in ipso Deo, non potest respectus ille qui re vera non est in Deo, sed ab intellectu fingitur, & est accidentarium, & extrinsecum, constituere verè, & intrinsecè decretum ipsum diuinum. Et idcircò quamuis ad fingendum respectum illum sit necessarium præcognoscere terminum, non vero ad cognoscendum ipsum decretum. Quocirca quando dicitur decretum liberum Dei & æternum, solùm addere ipsi diuinæ voluntati respectum rationis, seu non addere Deo, nisi respectum rationis, non ob id dicitur, vt affirmetur talis respectus esse de intrinseca ratione decreti, sed solùm vt negetur decretum huiusmodi addere ipsi Deo rem, vel modum realem, qua Deus carere potuisset. Ideoque si quid à nobis concipitur tanquam additū illi decreto diuinæ voluntatis solum esse respectum rationis. Igitur nihil obstat ratio, seu argumentum aduersariorum quo minus actus à Deo prædefinitus, & statutus cognoscatur esse futurus in illo decreto, quo prædefinitur, tanquam in causa qua existente infallibile est sequi talem effectum à Deo statutum, & prædefinitum. Et ex his, pariterque ex immediatè præcedentibus constat solutio ad secundam conditionem, vt antea dicebam.

Obiectio. ADHVC tamen contra prædictam assertionem obijciunt recentes Theologi, quod ex illo decreto diuinæ voluntatis lęditur libertas volūtatis nostræ, cùm ei non possimus resistere, & præterea quia si decretū illud necessariū est circa singula opera nostra libera distinctè, sequitur quod non sunt omnibus hominibus prouisa à Deo remedia simpliciter necessaria. Quoniam huiusmodi decretum cōcurrendi cum omnibus necessarium est, & tamen non reperitur in Deo respectu omnium, quia cū illis cum quibus non est cooperaturus in tempore nunquam ab æterno decreuit concurrere. Respondetur negando quod ex illo decreto lædatur vllo modo libertas. Quia decretum illud diuinæ voluntatis, & prouidentiæ tantæ virtutis, & efficacitatis est, vt quamuis à libertate creaturæ non reddatur casum, ita vt frustretur, tamē vniuersas causas quibus cooperatur suauiter; & efficaciter mouet, iuxta cuiusque naturam, mouendo nimirum voluntatem creatam cum suo modo libero. Quia non solū operatur Deus quod vult, sed modum etiam quem vult in cooperando tenet, quæ videtur esse expressè D. Augustini sententia dicentis. *Volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium.* Ita tenet, & respondet difficultati propositæ. S. Thom. 1. p. q. 19. art. 8. & q. 22. de diuina prouidentia, art. 4. Driedo opusculo de concordia liberi arbitrij & prædestinationis in 1. par. cap. 3. ad 1. Durād. in 1. dist. 46. q. 1. nu. 7. Ferrar. lib. 1. cont. Gent. cap. 85. Capreol. in 1. dist. 45. q. 1. concl. 5, Secundò respondetur ad prædictam obiectionem quod licet daremus ex illo decreto (si omnino antecederet nostram liberam determinationē) lædi aliquo modo libertatem voluntatis creatæ, quod non est verum, quia non læditur vllo pacto ex diuino decreto, vt dicemus in disputatione de auxilijs, & de diuina prædestinatione ex D. Augustini sententia: tamen si decretum illud dicatur esse concomitans voluntatem creatam hominis, & cooperationem nostram, nihil prorsus adimitur de libertate, an vero huiusmodi decretum dicatur esse antecedens, vel præcisè concomittans, & quid sit magis cōforme diuinæ prouidentiæ, & infallibilitati suæ præscientiæ dicemus inferius in disputatione de auxilijs. Cæterum siue decretum diuinæ prouidentiæ, & voluntatis efficacis sit antecedens, siue concomitans, nihilominus egregiū sumitur argumentum nunc ex diuino decreto ad ostendendam, & probandam infallibilitatem certitudinis diuinæ prouidentiæ. Nā posito illo diuinæ volūtatis decreto sequuntur futura quæ eo ipso cognosci possunt; Certitudinem autem scientiæ ex efficacitate voluntatis, quæ nunquā impeditur, aut impediri valet colligimus: Quoniā cū indifferētia futurorū nō minus nequit carere effectu volūtas, quā decipi sciētia Dei: ergò si Dei volūtas, & efficax decretum, nihilominus cū arbitrij nostri libertate nequit cassari, nullū reddi, neq; potest impediri; voluntati enim diuinæ firmæ & stabili nemo resistit. Omnia enim quæcumq; Deus voluit fecit in cælo, & in terra, sequitur pari modo, quod sciētia hæc diuina certissima & infallibilis erit. Vnde D. Augustinus in Enchir. cap. 68. ait. *Quis tam impiè desipiat vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, & quando voluerit, & vbi voluerit in bonum non posse conuertere?* Ex quo idem Aug. dum explicaret locum Pauli. *Qui vult omnes homines saluos fieri*, inquit Magister sententiarum in 1. dist. 46. §. Nunc videre restat, quòd occasione horum verborum (vt dicit Augustinus) multi à veritate deuiauerunt dicentes, Deum multa velle fieri quæ non fiunt. Contra quos subiungit Augustinus loco citato. *Sed non est intelligendum ea ratione illud esse dictum, quasi Deus velit aliquos saluari, & non saluentur,* & subdit verba superius relata. *Quis enim tam impiè desipiat, &c.* & statim Augustinus infert, quod si secus contingeret quam Deus voluit, non esset verum illud Psalmi. Omnia quæcumq; voluit fecit, si aliqua voluit & non fecit, & quod est indignius ideo non fecit quoniam ne fieret quod volebat omnipotens voluntas hominis impediuit. En qualiter decretum diuinæ voluntatis certissimum, & infallibile est, quod cassari non potest, ac proinde, neque scientia illi respondens.

S. Thom. Driedo. Durand. Respōdetur secundò.

Respondetur primo ex antiquorum Scholasticorum doctrina.

D. Aug.

D. Aug li. de corrept. & gratia, cap. 14.

Obiectio aduersariorũ.

OCCVRRIT tamen obiectio quorundam. Nam suppositio decreto etiam diuino adhuc voluntas creata manet libera ad vtramque partem: si ergò manet cùm indifferentia, & libertate ad hanc vel illam partem quomodo scientia Dei potest esse determinata? Sed profectò

Solutio.

obiectio hæc nihil magis probat contra scientiam Dei quam contra decretum diuinæ volũtatis. Sicut enim decretum Dei non potest cassari aut irritari etiam si voluntas nostra sit libera, quid mirum si scientia Dei nihilominus infallibilis permaneat quantumuis nostra voluntas libera sit? Quo fit vt id quod de decreto Dei dicitur, de scientia etiam diuina dici possit, & vtriusque rationem infra aperiemus suis locis.

Aduersarij conãtur arguere.

OFFERT tamen se difficultas. Quia ex hoc decreto Dei solum potest Deus cognoscere bona, quæ ipse decreuit in tempore facturus, non tamen peccata, quia hæc nunquam facere decreuit, neq; prædefiniuit, sicut neq; facit peccata in tempore: ergò ratio illa, ex qua desumitur certitudo diuinæ scientiæ, nõ est vniuersalis, neq; ádæquatà omnibus. Reſpondetur primo, Deum ex diuina sua prouidentia velle permittere peccata eis, qui liberè agunt, & operantur, quia vsq; adeò est omnipotens, & sapiens vt etiam ex malo eliciat bonum: voluntas autem permittendi peccata duo in se inuoluit.

Reſpondetur. 1.

Vnum est propositum non impediendi peccatum. Alterum est propositum non dandi auxilium efficax neq; determinationem ad oppositum actum, seu ad vitandum peccatum. Adde etiam Deum habere decretum concurrendi ad actum realẽ positiuum voluntatis, qui etiam est actus liber elicitus à voluntate. Supponamus nunc peccatum nõ fieri sine actu positiuo quãuis sit peccatum omissionis, saltem moraliter loquendo. Nam in peccato omissionis positiuum quod reperitur est veluti causa peccati, vt iter facere vel ludere est causa non audiendi missam tempore debito: in peccato autem cõmissionis positiuum est actus, in quo veluti in proprio subiecto est malitia, & formale peccati, & ipse actus dicitur materiale eius. Supposita ergo voluntate Dei concurrendi ad omnem actum realem positiuum, qui secundum entitatem realem, & veram pendet infieri intrinsecè à Deo, & supposita pari ratione reali permissione in his aut illis occasionibus, & circunstantijs his omnibus cognitis optime cognoscitur, futurum esse peccatum illud, quia Deus in tẽpore causa est entitatis positiuæ ipsius actus, qui est materiale subiectum ipsius peccati, & consequenter ab æterno voluit hoc, quo cognito non potest nõ cognosci malitia, quæ ipsum necessariò consequitur, etiam si Deus eam non velit, neq; decreuerit vllo modo, imò odio habuerit. Deus enim, neq; incitat, neq; præmouet, neq; suadet ad malũ, neq; ad materiale peccati, quia intentator malorũ est: permittit tamen peccatũ, & habet propositum non impediendi, neq; dandi efficax auxiliũ ad vitandum peccatũ, cũ proposito, & voluntate concurrendi ad positiuũ actus, in quo subiectatur formale ipsius peccati. Rursus ab æterno videt Deus determinate, quod ipsemet debet concurrere, seu cõcurret ad hunc, & illũ actum realem, & positiuũ, etiam ad illũ, qui est materiale in peccato, & ex cõsequenti cernit certò futuritionẽ peccati; Quia cernit quod ipsemet debet concurrere ad hanc actionẽ materialem Petri, vel Francisci, hic & nunc, quæ est occisio huius hominis, & ita est infallibilis cognitio peccati futuri.

Reſpondetur. 2.

SECVNDÒ respondetur, quod cũ Deus sit summa, & infinita bonitas, & prima bonitas à qua omnia bona pendent, & non possunt non pendêre, vt à causa, & à primo fonte bonitatis: peccatũ vero sit malũ, & opponatur diuinę bonitati, & ipsi Deo, nihil mirũ, si ex parte diuini decreti, alia sit ratio cognoscendi certò bona opera, quæ Deus decernit, cõsulit, & proponit & alia sit ratio seu alius modus; secundũ nostrũ modũ intelligendi, certitudinis sumendę circa cognitionem infallibilem futuri peccati. Quod esse verũ maximè constabit si animaduertimus Deũ esse primam causam bonorum omniũ, voluntatem autẽ creatam deficientẽ hominis, aut Angeli, esse primã causam peccati, & mali moralis, non Deũ, ac proinde creaturã esse primũ auctorem peccati. Ex quo liquet Deũ habuisse, & potuisse habere, decretũ de quolibet bono opere futuro, nõ tamen de malo opere seu peccato, ac proinde ex parte diuini decreti, aliter nos ratiocinari debere ad inuestigandã certitudinem diuinæ præscientiæ de futuritione bonorũ operũ: aut de futuritione peccatorum: cũ non sit par ratio statuendi aut decernendi apud Deũ malorũ & bonorum operum vt ex dictis constat. Cum igitur voluntas concurrendi ad actũ bonum & ad substantiã actionis realẽ, & entitatiuã in vniuersum necessaria sit ad omnẽ actum, quatenus actus est, quia nullus esse potest sine concursu Dei, & Deus nõ tribuat concursum suum, nisi volendo neq; incipiat hoc velle, sed ex æternitate: necesse est vt prius ratione hoc velit, quam præsciat absolute effectũ esse futurum, cùm non possit esse futurus nisi ex concursu eius, ac proinde necesse est vt velit in particulari concurrere adhunc vel illum actũ hîc, & nunc, & non tantum confuse ad actus voluntatis, quoniam alias Deus nõ haberet distinctam prouidentiam singulorum effectuum, quod est erroneũ. Ex quo quidem nimirum ex hac voluntate concurrendi distincta, & particulari sufficiens ratio habetur cognoscendi effectum futurum.

OB id ergo in prima responsione illam dedimus solutionem, & alij Scholastici aliam assignant, nimirum ex præsentialitate rerum omnium, à mensura æternitatis Dei comprehensam, intra quam, æternitatis mensuram, quæ est vnicum nunc permanens, & æternum sunt Deo præsentia futura omnia contingentia bona, & mala in se ipsis. Vnde etiam isto

modo est verũ dicere ꝙ dicit Scriptura: omnia esse nuda, & aperta oculis eius, atq; hac ratione etiã colligitur à nobis, in Deo esse certitudinẽ cognitionis horum futurorum, sed de hoc modo cognoscendi hæc contingentia fusè loquemur infra.

Tertia solutio.

TERTIA solutio, seu responsio difficultatis esse potest, illa de contradictorijs propositionibus, quarum vna est vera, & altera falsa, & ambę non sunt veræ, neq; ambæ falsæ, & cum Deus cernat totam durationem: & cernat futuritionem, & esse obiectiuum earum: cognoscit etiam quæ illarum sit, & quæ illarum sit falsa, quia Deus cognoscit omnem veritatem per simplicem intuitum.

Vltima solutio.

QVARTA solutio est quæ traditur ab auctoribus oppositæ sententiæ quatenus affirmant, scientiam mediam, qua præsupposita, & adiuncta voluntate permittendi peccatum, dicunt euidenter inferri, & cognosci peccatum esse futurum. Quoniam supposita scientia conditionali, infertur ex propositione conditionata, quę vera esse supponitur, cũ veritate cõditionis seu antecedentis. Quæ sane cognitio nõ est in sola volũtate permittẽdi, sed supponit aliam rationẽ cognoscendi liberam determinationẽ voluntatis creatæ, sicut ijdẽ auctores explicãt.

POSTREMA solutio est Deum cognoscere omnia etiam futura contingentia libera, per simplicem intuitum, quia obiectiuè illi semper repręsentantur. Quoniam ad hanc cognitionem per simplicem obiecti repręsentationẽ, solũ requiritur, vt id quod cognoscitur, sit cognoscibile seu scibile: & hoc habet futurum cõtingens. Non quia iam in re actu existat in se ipso, neq; quia existat in aliqua imagine repręsentatũ, tanquã in obiecto, inquo cognoscatur, sed quia res ipsa ex parte obiecti verè futura est. Nam hoc ipso quòd res est futura, sequitur necessariò esse quandam veritatem de futuritione rei, omnis autem veritas de se est cognoscibilis ab eo qui habet vim sufficientẽ cognoscendi, præcipuè infinitam, qualis est vis cognoscitiua Dei, & lumen ipsius infinitũ. Et hæc ratio, & solutiò nõ est particularis solum de operibus malis, & peccatis futuris contingenter, sed etiam potest accommodari bonis operibus contingẽter, & liberè futuris, de qua sane re plura dicemus infra.

TANDEM si Deus neq; in suo decreto aut in sua prædefinitione neq; in efficaci scientia sua directa, & determinata voluntate Dei, neq; ex præsentia rei in se ipsa aut in cognitione, quæ est per simplicẽ intuitum veritatis Deus nõ cognosceret futura libera, non videtur quo modo cognoscat illa. Et sane scientia practica determinata à Dei volũtate est vera causa operum bonorum futurorũ contingentium, & liberorũ. Nam certè multo minus bene, respondetur circa hoc per illã scientiã mediã, & cõditionatã, quã aduersarij fingunt. Quòd si in illa Deus cognoscit futura cõtingentia, cur non in scientia absoluta efficaci, & practica determinata à voluntate Dei, quæ non lædit libertatem nostram?

Secunda Conclusio.

Secunda cõclusio.

DICO secundo. Futura contingentia libera non sciuntur à Deo in suis causis proximis contingentibus, seu in cõprehensione nostri liberi arbitrij, aut in comprehensione præcisa motiuorum moraliũ, à quibus non efficaciter determinatur, neq; efficienter propriè volũtas. Et est sermo de cognitione, & scientia infallibili cui nõ potest subesse falsum, & non de sciẽtia moraliter certa tantũ, aut de cognitione cõiecturali, quæ imperfecta est, & Deo cõuenire non potest. Hanc ego assertionem constituo contra nouos Theologos, & est sine dubio D. Tho. 1. p. q. 14. ar. 13. & q. 57. ar. 3. & q. 86. ar. 4, & 1. cõtra Gent. cap. 66. & 67. & 2. 2. q. 171. ar. 6. ad 2. Capre. in 1. dist. 38. q. 1. Scotus consentit etiã, Caietanus Cardinalis, & Ferrara, super D. Thomã locis citatis idem omninò sentiunt, & hæc est sententia antiquorum Scholasticorum. Et probatur. Quia euidens est, quod effectus non potest in causa cognosci nisi secũdum illud esse quod habet in ea: sed effectus cõtingens ad vtrumlibet quatenus est in sua causa proxima etiam proximè disposita ad operãdum adhuc est indifferens, & potest non operari. Neq; rursus ex motiuis moralibus determinatur, itainfallibiliter, vt in illis fundetur cognitio cui non potest subesse falsum, neq; phỳsicè neq; moraliter, quod requiritur ad certitudinẽ diuinæ scientiæ: ergò nõ potest talis effectus cõtingens ad vtrũlibet in tali causa liberà cognosci infallibiliter, ea inquã cognitione, cui falsum subesse nõ potest. Consequentia est nota cũ maiori. Minor autem cõstat ex conditione causæ liberæ, vt libera est ad vtrũlibet. Nã certè voluntas antecedenter ad suam actionẽ debet esse omninò libera, & ipsa præcisè sumpta, nõ potest fundare omnimodã infallibilitatẽ, cui falsum subesse nõ possit. Rursus motiua moralia nõ sunt infallibilia: ergo in cõprehensione liberi arbitrij creati, nunquã cognoscitur infallibiliter per propriã, & veram scientiã qualẽ diximus futurũ contingens liberũ. Quod si dicas voluntatẽ creatã potfiam sub circunstantijs, & occasionibus, quæ ipsã mouere possunt in illis cõditionibus includere aliquẽ liberũ influxũ eiusdẽ volũtatis, ac proinde in cõprehensione ipsiusmet volũtatis cognosci futurũ cõtingens. Sane respõsiõ hęc ignorat difficultatẽ, de qua est sermo. Et ratio est. Quia influxꝰ quãcũq; liber ipsius volũtatis, non est nisi in aliquẽ actũ secundũ elicitũ ab eadẽ voluntate, & eo mediãte in aliquẽ aliũ effectũ, atq; ita talis influxus liber nõ est vnũ ex antecedẽtibus in causa libera, ad actum liberũ efficiendum, sed est ipsa effectio actus liberi, & ex consequenti cognoscere actum liberũ futurum in tali effectione, non est cognoscere in causa, sed in se. Quod si vlteriùs dicas Deum posse cognoscere actum liberum. v. g. contritionis in de-

S. Thomas Capreolus. Scotus. Caietanus. Ferrarienſis & communis antiquorũ Scholaſticorũ ſententiã.

Confirmat.

Solutio aliquorum.

terminatione voluntatis, & in gratia efficaci. Respondetur quod in gratia cooperante optimè cognoscitur, quia tunc pariter operatur, & cooperatur liberum arbitrium, & sua actione actuali se ipsum liberè determinat: nos autem loquimur de libero arbitrio antecedenter ad omnem suam actionem, & determinationem. Dico secundò, quòd liberum arbitrium cum se determinat ad agendum liberè, per propriam actionem se agit, & determinat, & exit in actum, & tunc est verum dicere quod reducitur de potētia ad actum, & de actu primo ad secundum: & hac ratione qui ita cōprehendit liberum arbitrium in puncto quo ipsum actu se determinat, & reducit, & à Deo etiam reducitur, verè cognoscit actum liberum, & contingentem: imo verò cum gratia quę est in libero arbitrio qua adiutum, volūtas est prius in actu primo quā operetur, verè in eo puncto Deus cognoscit voluntatem determinari per modū actus primi, & hoc totum infallibiliter cognoscitur à Deo, & pari modo cognoscit quod si liberum arbitrium operetur ex vi illius gratiæ, quæ data est ad contritionē, pariter sequetur actus liber cōformis illi gratię. Cęterùm antequam cooperetur illi in puncto antecedēte ad cooperationem liberam voluntatis, non cernitur ex natura, & comprehensione liberi arbitrij quo pacto fundetur infallibilitas certitudinis scientiæ, quia adhuc voluntas potest non cooperari, quia in eo puncto, & instanti natura est libera ad vtrumlibet, vt in exercitio & actu secundo operetur, vel suspendet actionem nihil agendo, & sic non operetur. Requiritur ergo non tantum illa gratia per modum actus primi, sed etiam per modum actus secundi, & per modum determinationis actualis, quę simul est coniuncta, & concomitans cum cooperatione libera eiusdem voluntatis, & in eo casu, libero arbitrio comprehenso à Deo simul comprehenditur actio illa libera, sed hoc non est tantum cōprehendere potentiam liberam, aut causam secundam indifferentem, sed etiam simul est comprehendere actum primum, & secundum eiusdem voluntatis, quæ determinatur per actum primum, & secundum, & se etiā determinat liberè sua cooperatione, & influxu adiuta actualiter à gratia Dei, neq; hoc lædit vllo pacto libertatem, aut infringit certitudinem diuinæ scientiæ: de qua re fusius alibi & erit sermo: nam hæc in præsenti sufficiant vsque ad disputationem de auxilijs gratiæ Dei.

Probatur cōclusio.

RVRSVS etiam probatur posita assertio: quia si in cōprehensione causæ liberæ, vt causa libera est, precisè certò cognoscerentur certitudini infallibili cui nō potest subesse falsum omninò sine vlla distinctione, contingentia libera futura, pari etiam ratione in eadem causa libera, & contingente atque omninò indifferente possent cognosci futura libera conditionata, quod etiam negant aduersarij nostri: ergo si futura conditionata libera non possunt cognosci in comprehensione causæ liberæ, vt sic, seu in comprehensione liberi arbitrij, &c. Sequitur quod neque futura libera sine conditione non possunt cognosci in comprehensione causæ indifferentis, & liberæ.

SED volo conclusionem hanc secundam amplius aperire, & difficultatem eius euoluere. Nam cum effectus contingens contingenter emanet à sua causa, veritates futurorum cō tingentium, neq; sunt per se notæ, neq; necessariæ simpliciter, & ob id difficiliter potest intelligi, quo medio cognoscantur, eo præsertim quod effectus liberi, & contingentes si comparentur ad suā causam, neq; ab ea emanant necessariò neq; rursus causa ipsa cōtingens, & libera de se ipsa est determinata ad talē effectum contingentē, propter quam causam explicandū est a nobis quid sit effectū aliquem contingentē cognosci in causa. Et suppono quod veritas aliqua potest intelligi vel in alio vel in se ipsa intuitiuè. In alio quidem potest intelligi veritas aliqua, nimirū in testificante, quæ cognitio futurorū tribuitur Prophetis, & hæc cognitio nō potest tribui Deo, quia est imperfecta, & quia caret Deus testificante à quo possit illā cognoscere, seu à quo discat eam. Potest rursus veritas aliqua cognosci in alio, vt in effectu, & hic modus cognitionis propter imperfectionem suam, & quoniam per se specialiter repugnat futuris contingentibus, similiter non potest tribui Deo. Dixi quod per se repugnat iste modus cognoscendi in alio vt in effectu: quia futura contingentia antequam sint non possunt habere effectum per quem cognoscātur. Restat igitur modum cognoscendi imperfectum repellendum esse omninò, ac proinde quod res aliqua potest in alio cognosci, sine imperfectione, quando cognoscitur in sua causa efficiente, vel proxima & immediata, vel mediata, & remota: actus autem liberi, & contingentes ad vtrumlibet, qui pendent à voluntate creata hominis, vel Angeli non habent aliam causam nisi proximam, quæ est voluntas ipsa creata cum omnibus suis conditionibus, vel primam simpliciter quæ est Deus. Et quidem in causis cælestibus vel in alijs eiusmodi non possunt futura hæc contingentia præcognosci, aliàs ab Angelis, & à Dęmonib⁹ possent sciri, & tales causæ possent omninò determinare voluntatem nostrā: quod dici non potest.

Quid sit effectū contingentem cognosci in sua causa.

SVPPONO, & considero secundò cōtra eos, qui dicunt effectus contingentes cognosci in causa, non quidem in virtute causæ, sed in ipsa actuali determinatione causæ. Quod hæc determinatio potest intelligi, vno modo quod fiat liberè, & actiuè ab ipsa facultate libera liberè se determinante, & liberè eliciente actum liberum, & contingentem. Secundò potest intelligi hæc determinatio quòd fiat passiuè, & sine vsu libertatis, & consequenter ab aliquo inhærente, aut intrinseco alio principio necessitāte, & cū modo necessario, quidquid illud sit, in quocunq; genere causæ. Et qui

dem primam illa determinatio in aliquo actu secundo consistit. Et ratio est. Quia cum talis determinatio dicatur liberè & actiuè esse vt à principio proximo ab ipsa voluntate, nihil potest imaginari esse nisi actus ipse secundus. Quoniam in voluntate nihil aliud reperitur nisi actus aut habitus vel actus primus in ordine ad actum secundum seu aliquid per modū actus primi: Perpende tamen hanc determinationem voluntatis quæ ab ea actiuè, & liberè fit, tanquam à proxima causa non esse actum primum aut habitum. Quia actus primus nō proximè elicitur ab ipsa voluntate, sed ad summū fit per actum, & idcircò effectio illius solū potest esse libera, quatenus actus ex quo resultat liber est. Rursus habitus quamuis maximè inclinent & reddant formaliter habituatam potentiā in ordine ad obiectum eiusdem habitus, tamen non determinant quoad exercitium ad vnum. Quia habitibus vtimur cum volumus, esto verum sit quod ad exercitium operationis concurrant, & iuuent potentiam: igitur illa volūtatis determinatio quæ liberè, & actiuè est ab ipsa propriſsimè dicitur esse actus secundus liberè elicitus à voluntate.

Determinatio volūtatis quæ ab ea actiuè & liberè fit tanquam à causa proxima non est actus primus aut habitus

Colligo primo.

Ex dictis colligo primò, quòd si effectus contingens qui cognoscitur est ille actus quo voluntas liberè se determinat quod cognoscere talem effectum in ipsius causæ determinatione non est propriè, & in rigore cognoscere illum in causa, sed potius in se ipso. Quia ipsemet effectus cōtingens est formalis, & actualis determinatio causæ exercitę. Si vero effectus contingens sit aliquis alius procedens, & emanans ab huiusmodi determinatione libera, & actiua, siuè emanet tanquam actus imperatus, vt motio linguæ in locutione mea procedit, & emanat ab efficaci volūtate re, repulso impedimento, siuè emanet tanquam actus imperatus, & simul elicitus à voluntate, sicut dolor de peccatis ex efficaci voluntate pœnitendi, siuè etiam emanet tanquam actus elicitus resultans ex alio, à quo imperatur solum virtualiter, siuè emanet tanquam electio medij necessarij ex intentione efficacis finis: in his inquam omnibus modis certum est effectum cōtingentem posse cognosci in ipsa determinatione causæ iam posita, & minimè ablata neque impedita. Et sane in eo casu effectus ille contingens non cognoscitur vt formaliter cōtingens, sed potius vt habens certā connexionē necessariā cū tali determinatione voluntatis.

Aliquando effectus quāuis sit contingens nō cognoscitur vt formaliter contingens.

Secūdo colligo.

Secvndò colligo ex dictis quod in hoc modo cognoscendi futurū contingens, non dicitur propriè cognosci in causa contingenti & libera, vt sic, sed potius in se ipso seu in actuali determinatione eiusdē voluntatis. Quo autem pacto illa prima determinatio libera, in qua fita est tota hæc cōtingentia, cognoscatur, id quidē est quod in hac controuersia explicare contendimus. Hoc tamē certum esse debet quod in latitudine processionis effectuum contingētium inter se habentium concatenationem, & A processionē seu originem vnius ab alio, ita vt primus contingens sit, eo autē posito alij deriuentur ex illo necessariò, tunc namq; solum oportet quærere medium, seu modū quo cognoscatur primus ille effectus contingens: nam eo cognito in eo reliqui cognoscuntur ob id quoniā nō cognoscuntur iam vt cōtingentes, sed potius tanquā necessarij ex suppositione.

Secvndvs modus determinationis voluntatis qui dicitur passiuus, & absq; vsu libertatis, si vt passiuus est precisè, & absq; vllo vsu libertatis sumatur, tunc sine dubio nō potest in actu elicito voluntatis consistere, atq; ita cognoscere talē determinationē, non esset cognoscere effectum contingentem, sed potius necessarium: Sed quoniā in eodem momento, volūtas determinari potest prius per modū actus, primi, quā per modum actus secundi, & gratia quæ in voluntate recipitur per modum actus primi, & per modū auxilij supernaturalis, quāuis in recipiendo ipsam passiuè se habeat volū tas, in ordine ad Deū infundentē, tamen non se habet merè passiuè in cōsentiendo, sed actiuè se habet, cōsentiendo simul cum ipso auxilio, ob idq; non merè passiuè tantū, sed actiuè etiā se determinat: hoc est quod egregiè aduertunt Ruard. Tap. art. 7. contra Lutherū de libero arbitrio, & prius ipso Driedo Magister eius, q voluntas se determinat tūc, sub determinatione Dei. Quoniā hoc quod est voluntatē moueri à Deo, & determinari per gratiā suam, nō repellit ab ea quod se moueat, vt eleganter perpendit, & aduertit S. Tho. 1. p. q. 83. ar. 1. ad 3. & alibi non semel. Verū tamen est, quod si hęc passiua determinatio merè passiua esset sine actu consensus libero, & sine vsu etiā libero, q in eo casu volūtas ita esset determinata in actu primo, vt nō determinaretur cū suo modo libero ad actū quem effectura esset, tali autē modo cognoscere effectū in causa sine modo libero, & potius cū modo necessario, id quidē apertè esset in causa necessitata cognoscere effectū, sed nō contingentē: At cognoscere effectū in voluntate liberè cōsentiente cū recipit gratiā, quę est actus primus, nō est cognoscere effectū necessariū, sed liberū, exsuppositione tamē inducre infallibilitatis certitudinē, sed non modū naturalis necessitatis. Quocirca quando ab antiquis Theologis adducitur distinctio illa de sensu cōpositō, & diuiso non abs re, sed magis, apte, & prudēter adducitur in hac disputatione & materia de qua nunc agimus, qua in præsenti instituto vsus est Magister sententiarū in. 1. dist. 38. vbi etiā disputat de scientia Dei. Adde etiā aduersarios sæpe sępius vti hac distinctione quando nostris argumentis permuntur, & eos etiā dicere, quod cum Deus sit liberrimus, & non habens à quo necessitetur, quamuis ei repugnet necessitas simpliciter, & necessitas absoluta, nō tamen repugnare Deo necessitatem ex suppositione, vt. v. g. ex suppositione promissionis eiusdem Dei: nam hac ratione dicunt neq; etiam repugnare Deo debitū ex

Ruardus Tapper. Driedo.

S. Thomas

Magister sententiarum.

suppo-

suppositione. Quoniam sicut necessitas ex suppositione non tollit libertatem, neque minuit illam simpliciter loquendo, ita nec debitum ex suppositione promissionis Dei, à qua deficere non potest vllo pacto, non tollit neq; minuit perfectum dominium Dei. Sed de hoc aliàs; ne hac in re detineamur.

His igitur ita stabilitis, assertio hæc secunda constat ex fundamento superius posito, & ex ratione D. Thomæ. 1. p. quæstion. 14. arti. 13. quod effectus cognosci non potest in causa nisi secundùm esse quod habet in illa, sed effectus contingens in causa sua proxima, etiã proximè dispolita ad operandum cum omnibus prærequisitis non habet esse determinatum, sed magis indifferens. Quia virtus causæ neque ex se est ad illum determinata, neque ex omnibus prærequisitis determinatur sufficienter: ergò non potest talis effectus in tali causa cum certitudine cognosci. Est enim de ratione causæ liberę quod maneat indifferens ad agendum, vel non agendum.

Obiectio. Obiicier aliquis argumentum hoc, seu fundamentum esse contra nos, qui putamus voluntatem recipientem supernaturalem formam gratiæ Dei, cui liberè consentit voluntas, esse actu rationem, simul cum consensu, quibus determinatur, & vt inde cognoscantur infallibiliter, & certò sequantur actus contingentes. *Solutio.* Respondetur, tunc respectu gratiæ in ratione actus primi receptæ à Deo, gratiæ inquam efficacis, seu auxilij prout à Deo est, cui ex eodem efficaci gratiæ auxilio, voluntas liberè consentit, quia ita determinatur iam tũc effectus illos habere connexionem cum tali determinatione, nõ cùm modo necessario, neque cum necessaria determinatione, sed magis cum libera, vt patet ex ipso consensu libero, iam præsenti, ac proinde solùm respectu effectuum sequentium põsse interrogari an cognoscantur in causa libera, sed hoc supponit prius cognitionem determinationis voluntatis quasi in actuali esse, & ita non cognoscitur effectus sub ratione incertitudinis, sed infallibilitatis exercitæ in ipso actu. *Solutio secunda.* Vnde secundò respondetur hoc non esse cognoscere effectum in causa, sed in causa iã determinata: quod potius est cognoscere actualem determinationem eius iam existentem. Si vero voluntas solùm reciperet gratiam sufficientem aut præuenientem precisè, tunc non posset cognosci effectus in ipsa volũtate, quia nondum intelligitur actu determinari, seu determinatio, cũ qua habeat connexionem actus ipse liber voluntatis, tanquam cum principio efficaci eius vt est à Deo. Imò verò in gratia præueniente qua homo inspiratur, & mouetur à Deo, quamuis homo non liberè recipiat eam, tamen cum hæc non habeat connexionem necessariam cum futuro libero contingente, seu cum actione libera contingente voluntatis, quamuis primum euidenter Deus cognoscat, secundùm tamen minimè cognoscitur in eadem voluntate libera: quia auxilia hæc præcisè præuenientia, & quæ dicuntur sufficientia, non habent infallibilem connexionem cũ actu libero determinati suo actus, & formaliter, seu determinante formaliter actualiter.

Replica. Sed dices in voluntate precisè sumptã certissimum est, non posse cognosci futurum contingens: ergò saltem si sumamus omnia quæ sunt in voluntate, & quæ illam circumstant, eique adiuncta sunt, ita dicentur eam determinare, vt certò in ipsa possit cognosci effectus, contingens. *Solutio.* Respondetur, quòd si illa quę sunt in voluntate, aut quæ illi adiunguntur, non ei copulantur, aut inhærent cum modo necessario constituendo eam in statu causæ necessario agentis, nũquam in ea cognoscetur aliquid futurum; si verò necessitetur ad suã operationem, tunc in ea cognoscetur operatio eius futura, sed non erit contingens, quia in eo casu non procederet à causa contingente, sed à necessaria. Si verò sumantur omnia quæ dicuntur determinare voluntatem in actu primo, ita tamen vt libertate sua possit opera illa contingentia efficere, tunc sine dubio antecedenter ad effectionem actus, quantum est ex parte ipsius voluntatis & libertatis eius non poterit cognosci futuritio ipsius actus.

Sed dices: si voluntas determinatur à Dei gratia, sumendo omnia quæ illi adiunguntur, & determinant in actu primo, ita vt iam certò possit in ea cognosci effectus, tunc sequitur, quod non operatur vt causa libera, sed necessaria, quia tam concursus Dei, quã concursiis omnium eorum quæ eam determinãt, eam advnũ impellunt. Respondetur negando consequentiã: quia voluntas ita applicata ad opus suũ mouetur à Deo cũ modo suo libero, sed ita suauiter vt quãuis Deus eam applicet ad opus, nihilominus ipsa se moueat, & applicet sub applicatione, & determinatione Dei, & depẽdenter ab illis, hoc est à Deo, & ab applicatione seu determinatione ipsius, vt S. Thomas dixit. 1. p. q. 83. ar. 1. *S. Thomas* Hac autem applicatione seu determinatione per modũ actus primi posita infallibiliter, sequitur opus, quãuis liberè, etiam si omnes circunstantiæ quę adiunguntur voluntati dicantur esse prius; ita vt eis positis nõ stet simul, quod volũtatis libera determinatio non sit. Quia hæc solũ est necessitas quædã quæ vocatur ex suppositione & non simpliciter. Affirmamus enim voluntatẽ etiam cũ omnibus adiunctis antecedenter ad suã operationẽ simpliciter esse liberã, quia potest non præstare consensum, vel male agere pro sua libidine, & tũc repellet illa quæ eã reddebant potentẽ ad bene liberè operandũ. Negamus tamen in sensu cõposito stare illa, & quod nõ operetur infallibiliter volũtas etsi liberè. Nã hæc non est simpliciter, & absolutè necessitas, sed solùm ex suppositione: necessitas autem suppositionis non tollit libertatem. Sicut etiam in opinione recentium Theologorum, gratia cooperans, cui subijcitur, & subordinatur voluntas nostra

Sicut gratia cooperans non lædit nostram libertatẽ ita neq; gratia efficax non lædit.

noſtra, quamuis ſit principium noſtræ operationis, & cooperationis ſupernaturalis, minimè tollit cooperationem noſtram liberam, etſi infallibilem omninò: quia in ſenſu compoſito non ſtat talem gratiam eſſe in voluntate, & quod voluntas non operetur, & quidem talis gratia ſibi ſubijcit voluntatem, & prius eam perficit, facitq; vnum principium cum ea quàm quod actu cooperetur. Imò verò mihi videtur, quòd qui dicunt libertatem noſtram lædi per gratiam ſuam efficacem, pari etiam ratione latenter concedunt libertatem noſtrã lædi per gratiam cooperantem: atque adeò ſicut illi loquentes de gratia cooperante vtuntur diſtinctione illa de ſenſu compoſito, & diuiſo, pari etiam iure nos loquentes de gratia efficaci Dei, quæ fortiter, & ſuauiter attingit nos. Nam etiam gratia cooperans facit vnum principium ſimul cum voluntate ad actũ cooperandi, & ſubijcit ſibi voluntatem, imò verò Deus per eam determinat voluntatem, & non ſtat ſimul in ſenſu cõpoſito quod ſtet illa gratia actualis in voluntate, quin infallibiliter operetur voluntas ex tali applicatione, quæ ab eadem gratia cooperante fit. Vnde friuolum eſt, & ſine cauſa quod ab auctoribus oppoſitæ ſententiæ interdum dicitur, quando nos reſpondemus iuxta occaſionem materiæ per antiquam diſtinctionem Theologorum Scholaſticorum de ſenſu compoſito ſeu coniuncto & diuiſo, ſicut in ſimili vſus fuit Magiſter in 1. diſtinction. 38. Imò verò Theologi etiam huius temporis, cùm dicant quòd non minus repugnat Deo debitum aliquid faciendi, quam neceſsitas aliquid operandi, & faciendi: & quod quamuis repugnet Deo neceſsitas ſimpliciter, & abſoluta, non tamen repugnat ei neceſsitas ex ſuppoſitione alterius voluntatis, aut promiſsionis eiuſdem Dei, & conſequenter pari modo non repugnat Deo debitum ex ſuppoſitione: quia ſicut neceſsitas ex ſuppoſitione non tollit libertatem, nec minuit ſimpliciter loquendo, ita neque debitum ex ſuppoſitione promiſsionis liberæ ipſius Dei tollit aut minuit perfectum dominium, quod potiſsimè conſiſtit in libertate coniuncta omnipotentiæ Dei. Si dicas non eſſe ſimile. Quia ſuppoſitio illa fuit libera in ſuo principio, at vero illud auxilium gratiæ actualis Dei dicitur fieri à ſolo Deo, & conſequenter nunquam fuit immediatè in poteſtate libera hominis, quia in recipiendo non eſt homo immediatè liber. Reſpondetur: quod homo recipiens gratiam illam recipit eam conſentiendo illi, atque ita ſi dictio illa, à ſolo Deo, excludat conſenſum ſimultaneum noſtri liberi arbitrij, falſum eſt. Nam liberum arbitrium conſenſit Deo mouenti per auxilium ſuæ gratiæ actualis: quare hoc auxilium gratiæ Dei, quod eſt ſupernaturale dicitur fieri à ſolo Deo efficienter productiuè, non tamen excludendo conſenſum ſimultaneum voluntatis. Imò verò hæc gratia diuini auxilij vt à Deo procedit ſecum adducit perficere arbitrium noſtrum, & efficere fortiter & ſuauiter vt arbitrium noſtrum conſentiat in eodem inſtanti dum ipſum recipit. Et ita in Concilio Tridentin. expreſſè dicitur Seſsion. 6. cap. 6, quod homines excitati ac moti diuina gratia liberè mouentur in Deum. Si autem intelligatur antecedens: quod illa gratia auxilij Dei dicatur fieri, & produci à ſolo Deo efficiẽter omni alio repulſo, & excluſo conſenſu ſimultaneo liberi arbitrij, ſic verum eſſet quod nõ eſſet auxilium illud immediatè in poteſtate libera hominis: quia non eſt in poteſtate eius tanquã in cauſa efficiente productiua eius gratiæ, vt dictum eſt. Quocirca etiam quando ſupponitur illa gratia Dei, ſimul in eodem inſtanti ponitur ſimultaneus conſenſus liber. Quapropter non eſt prorſus diſsimile id quod adducitur de ſuppoſitione libera, quãuis non debeat eſſe æquale exemplum in omnibus. Imò vero quamuis liberè Deus promiſerit aliquid & fuerit in voluntate, & poteſtate eius nõ promittere, tamen facta iam ſuppoſitione promiſſionis, neceſsitas quæ ſequitur talis eſt, vt non adimpletio repugnet Deo, & ſuæ rectitudini non facere, quæ neceſsitas non tollit libertatem, neq; minuit dominium ipſius. Nam certè poſt quam Deus aliquid decreuit facere ad extra, & mutari non poſsit, ſed in ea voluntate perſeueret immutabilis, & iam non poſsit tollere ſuppoſitionem ſeu decretum illud quod ab æterno edidit, nihilominus cum operatur ad extra liberè operatur, quamuis non poſſet tollere ſuppoſitionẽ decreti, quia alias mutaretur. Hæc omnia ſi rectè perpendantur ſatis diſſoluunt obiectiones ſæpius repetitas à recentioribus Theologis, præcipuè ſi addas quæ ſuperius in diſcurſu huius aſſertionis diximus. Alia multa quæ hoc loco ſe offerebant potius pertinent ad materiam de auxilio ſufficiente, & efficaci, & de illis agemus ſuo loco.

Magiſter ſententiarum.

Concilium Triden.

Secũda pars concluſion primæ.

Qvod vero in ſecunda parte concluſionis dicitur, nimirum futura contingentia libera non poſſe infallibiliter cognoſci in cauſis proximis contingentibus, & nullo modo determinatis ex cognitione præciſa motiuorum moralium, id quidem manifeſtum eſſe conſtat: quoniam illa omnia motiua moralia non præſtant fundamentum infallibilitatis, cui non poſsit ſubeſſe falſum, neque habent infallibilem cognitionem cum maiori certitudine quam ea quæ moralis eſt. Si enim moralia motiua ſunt rationes, perſuaſiones, locus, tempus, ingenium, conditio, & complexio, & occaſio agentis, hæc omnia quamuis inducant moralem certitudinem, non tamen phyſicam, ſeu infallibilem cui falſum ſubeſſe non poteſt. Deus tamen non tantum debet cognoſcere quod illa moralia motiua fundant certitudinem moralem, quia hoc eſt certiſsimum, ſed quod talia ſunt vt eis poſitis non poſsit ſubeſſe falſum ſcientiæ diuinæ, quantum ad euentum rei futuræ contin-

gentis. Sed adhuc illis positis cum voluntas nõ sit actu determinata, sed potius indifferens etiam physicè, & moralia motiua sint occasio, tempus, persuasiones ex parte obiecti, & alia quæ retulimus; & hæc sint determinatiua solũ moraliter, sequitur quod infallibilitas, & physica certitudo scientiæ diuinæ, cui non potest subesse falsum, etiam physicè, non potest desumi ex præcisa comprehensione motiuorum moralium. Hoc præcipuè est verum, quia non repugnat voluntatem creatam nihil agere, aut velle contrarium actum, illis etiam motiuis stantibus, & tamen repugnat scientiæ Dei fallibilitas: ergo ex comprehensione præcisa motiuorum moralium vt sic, & non ex alio capite, sed ex illo tantum non possunt præsciri certò, & infallibiliter futura cõtingẽtia libera.

Tertia Conclusio.

Conclu. 3. Dico tertiò. Deus cognoscit futura contingentia libera per simplicem intuitum veritatis eorum. Hæc non est improbabilis, & fauet quibusdam iunioribus, verius puto quod postea dicemus: sed potest ostendi: Nam cum veritas quæ enunciatur vel enunciari potest de futuro contingenti ab æterno fuerit, & nũquam habuerit initium suæ veritatis, neque inceperit esse vera, & omnis veritas sit à Deo cognoscibilis, sequitur quod veritas quæ de re contingenti enunciatur, cum nunquam habuerit initium suæ veritatis ex parte durationis; quod per se est cognoscibilis simplici intuitu.

Probatur Conclusio. Profecto in hac re nulla videtur esse implicatio. Quia veritas cuiuscunque futuri est cognoscibilis: ergo ex veritate futurorum, & ex infinitate diuini intellectus, & sui luminis, satis apertè colligitur certitudo scientiæ ipsius de futuris contingentibus. Nam diuinus intellectus est virtutis infinitæ, & intelligentiæ infinitæ, ac proinde quidquid est intelligibile necessariò debet intelligere, & non potest subterfugere illius intelligentiã aut scientiam. Si enim aliquid ab infinito intellectu Dei intelligi nõ posset, à quo inquiro posset intelligi? Sed futura contingentia etiam libera verè sunt intelligibilia: ergò non possunt non habere veritatem suarum enunciationum. Nam verum, & intelligibile conuertuntur: ergò ab intellectu diuino intelligi possunt certò, tali intellectione cui nõ possit subesse falsum. Nam cũ futura contingentia non possint intelligi nisi eo modo quo futura sunt, vel nõ futura optimè sequitur scientiam eorum in Deo certissimã esse: nõ enim decipi potest Deus. Nam si posset decipi idcirco esset, quia cognosceret futurum aliquod non futurũ, sed hac ratione iam subterfugeret aliquod intelligibile verum diuinũ intellectum: quod sane, & dici non potest, & est impossibile. Hoc argumentum seu fundamentũ à nobis propositum ad stabiliendam veritatẽ assertionis duo supponit tanquã certissima. Primũ est in quo omnes conueniunt, nimirũ intellectũ Dei tantæ virtutis, & perspicacitatis esse, vt licèt Deus non esset causa futurorũ, tamen si esset huius infinitæ virtutis & perspicacitatis ad intelligendum vt nunc est de facto sine dubio cognosceret infallibiliter futura omnia cõtingentia. Et ratio huius est. Quia in propositionibus de futuro reperitur veritas, ac proinde si ex alia parte datur infinitas intelligendi, & perspicacitas infinitæ virtutis ad intelligendum, & cognoscendum in ipsõ Deo, sequitur necessariò eodem pacto certo sciri à Deo futura sicut nunc etiam cognoscuntur à Deo. Vnde ratio infallibilitatis diuinæ scientiæ non est sola veritas ipsarũ enunciationum, quæ formantur de futuris contingentibus, sed etiã est infinitas diuini intellectus, qui ex eo q̃ infinit⁹ est nõ potest nõ cognoscere omne verũ.

Sed dices, sicut diuina potentia non potest facere id quod implicat contradictionem, quiã non est factibile, ita neq; diuina scientia potest scire id quod ex se non est cognoscibile, neque scibile, quia non potest habere certũ iudicium de illo quod neq; est certum, neq; scibile, cum in se omnino incertũ sit. Nõ enim scientia potest tedere extra obiectũ suũ. Vnde S. Thom. 1. p. q. 14. art. 14. in corpore dixit quod futura contingentia cognoscũtur in seipsis quatenus præsentia sunt in æternitate, at vero si considerentur quatenus futura sunt, sic enim considerantur, vt sunt in sua causa, & vt sunt contingẽtia, sic non subijciuntur alicui cognitioni, per certitudinem, ex eo quod causa contingens se habet ad opposita. Et hæc etiã causa fuit cur S. Thomas aliàs plerunq; dixerit, scientiam non posse vllo pacto necessariam esse, nisi obiectũ sub ratione qua attingitur ab ipsa scientia necessitatem habeat: ergò cũ veritas futurorum contingentium, & liberorũ nullam possit induere necessitatem, sequitur nunquam posse certò sciri à Deo.

S. Thomas

Respondetvr, & est secundũ fundamẽtum propositę assertionis, quòd propositiones singulares de futuro contingenti, seu de futuro libero, etsi precisè relatæ, ad indifferentiã causæ quæ est ad vtrũlibet, omninò nõ sint determinatæ verę aut determinatæ falsæ, absolutè tamen, & simpliciter propositiones singulares de futuro cõtingenti secundũ alteram partem contradictionis necesse est vnã earum determinatè veram esse, alterã vero determinatè falsam: de qua re fusius agemus infra. Quia retro actis tẽporibus res hæc controuersa fuit ab antiquis Theologis Scholasticis, vt refert Ambros⁹ Cather. in tractatu de veritate enũciationũ, & Greg. Ariminensis cũ alijs & antiquis, & iunioribus: & Scot⁹ rem hanc tetigit in 1. d. 39. & noster Hieronymus Perez.

Ambros⁹ Chaterin⁹. Gregorius Ariminensis. Scotus. & Noster Mãgist. Hieronymus Perez in academia oscensi Primarius

Qvo constituto. Respondetur ita esse q̃ sicut diuina potẽtia nõ potest facere id q̃ implicat cõtradictionẽ, ita pari ratione scientia Dei scire nõ potest neq; cognoscere q̃ nõ est cognoscibile, negatur tamẽ futura cõtingentia nõ esse cognoscibilia ab infinito intellectu Dei: Nam cum quodlibet futurum, siue sit contingens, si

Sacræ Theologiæ profeſſor ſuper primum ſententiarũ. q. 19. art. 8.

uè non, nõ poſsit eſſe futurum, & non futurum ſimul, ſequitur quod ex propoſitionibus contradictorijs vna illarum eſt vera, & altera falſa, & cum propoſitio vera de futuro contingenti nunquam inceperit eſſe vera, ſed ab æterno fuerit vera, ſatis apertè colligitur quod eo ipſo quod omnis veritas determinata eſt, talis propoſitio ſuam habet determinatam veritatem aut falſitatem, ac proinde infertur, quod cum omnis veritas à Deo ſit cognoſcibilis, Deus re vera cognoſcit hæc futura contingentia per intuitum ſimplicem veritatis ipſius, etiam ſecundùm omnes conditiones quas habitura eſt res ipſa contingens.

A

Maior explicatio Concluſionis.

B

Ex parte Dei principia huius cognitionis futurorum contingentium eſt ſua diuinitas ſeu eſſentia.

SED reſtat maior difficultas circa hæc quæ diximus quonã pacto poſsit à nobis intelligi iſte modus intuitionis diuinæ vt poſsibilis Deo, & quo pacto poſsint aſsignari ſufficientia principia huius cognitionis futurorum contingentium ſeu liberorum. Et ſane principia huius cognitionis certæ, & infallibilis, primo ſumuntur ex parte ſcientis, ſeu cognoſcentis, & ita ex parte Dei, in quo ſola eius diuinitas ſeu eſſentia, eſt ratio valdè ſufficiens, cuiuslibet cognitionis quæ haberi poteſt. Dico eſſe ſufficientẽ diuinitatem ipſam, tam per modum potentiæ, vel actus, quàm per modum ſpeciei: ſi tamen ex parte obiecti concurrant neceſſaria; cùm hæc principia quæ ſumuntur ex parte cognoſcentis, ſint infinita omninò in virtute, perſpicacitate, & efficacitate cognoſcendi, & intelligendi. Vnde ex hac parte, ideſt ex eiuſmodi principijs, optime ſtat certitudo, & infallibitas in illa ſcientia: quia cum ipſa per ſe ſit infinita, per ſe etiã fertur in verum, neque ab illo deficere poteſt vllo modo. Secũdò ſumuntur principia huius cognitionis ex parte obiecti: Nam vnum caput huius cognitionis eſt obiectum ipſum, in cuius explicatione eſt fere tota difficultas: quia cum nulla res ſit antequã exiſtat, non ſatis bene percipi poteſt quonam pacto poſsit in ſe, & ex ſe viſibilis eſſe antequam ſit: aut quomodo ratione obiecti ab æterno, ſit vera propoſitio de futuro contingenti libero, aut quæ veritas ſit hæc, cũ non ſit aliquid reale. Omnia hæc premere ſolent bona quorundam Theologorum ingenia: Nam ob id dicunt in hac cognitione, de qua loquimur, non eſſe petendam comenſurationem aut proportionẽ inter ſcientiam, & obiectum, quia huiuſmodi cognitio ſeu ſcientia non dicitur eſſe certa ex certitudine obiecti, ſed tantum ex infinitate perfectionis, eminentiæ, & perſpicacitatis ipſius intellectus diuini, qui adeò infinitus, & potens eſt, vt certius poſsit cognoſcere huiuſmodi obiecta contingentia, & futura, quam ipſi de ſe ſint cognoſcibilia: Nam illa ſicut non ſunt ab æterno, ita ex ſe ſunt incerta, vt ex parte eorum nulla ratio talis ſcientiæ aſsignari poſsit. Et nihilominus Deus ex vi infinitæ cognitionis ſuæ, videtur quaſi vincere illam difficultatem quæ eſt in obiecto. Dicendum igitur eſt quod in obiecto quod habet habitudinẽ principij reſpectu cognitionis, & ſcientiæ, eſt inueſtiganda aliqua entitas, & realitas per quam eſſe poſsit principium illius ſcientiæ, & quoniam ſcientia diuina non ſumitur ab obiecto tanquam ab eo quod habet rationem principij reſpectu eius: quia ſcientia ipſius Dei non ſumitur ab hoc obiecto creato, præcipuè cum hoc obiectum ſit remotum, & ſecundarium reſpectũ diuinæ ſcientiæ ſecundùm ſe: ſequitur talia principia ſcientiæ non eſſe Deo aplicanda. Futura igitur contingentia poſſunt habere rationem termini reſpectu diuinę cognitionis, etiam ſi ab æterno non habeant exiſtentiam realem, neque coëxiſtentiam æternam ad Deũ ſed ſolum pro ſuis temporibus: quia vere futura contingentia terminare poſſunt ſciẽtiam diuinam. Hoc autem quod eſt terminare ſciẽtiam, & cognitionem Dei non eſt aliquid reale intrinſecum in ipſo obiecto terminante ſciẽtiam Dei, ſed eſt denominatio proueniens extrinſecè ab ipſa ſcientia, & cõſequenter eſt denominatio extrinſeca. Quo fit quod ſi ſcientia habet vim ſufficientem ex ſe attingendi tale obiectum infallibiliter, vere poteſt ad illud terminari, quamuis nulla ſit in eo exiſtentia vel entitas actualis per quam talem actum terminet: quod ſane poteſt aliqualiter explicari in ſcientia rerum, quæ non ſunt & iam tranſierunt: quia ea quæ tranſierunt & iam nõ ſunt quatenus tranſierunt & præterita ſunt, nullam entitatem actualem habent, neque exiſtentiã reſpectu totius temporis in quo iam dicuntur præterita & tranſierunt, & non ſunt: & ſimiliter poteſt eſſe exemplum de re poſsibili, quæ quamuis nullã habeat propriam entitatẽ, aut actualẽ in ſe realitatẽ, nihilominus terminat, & terminare poteſt ſcientiam, & cognitionem.

C

D

Colligo. 1. Futurũ vt futurũ eſt ſecundũ noſtrum modum cognoſcendi, noſtrum vere ſupponit decretũ Dei tanquam cauſam.

Ex dictis colligo, quod futurũ vt futurum eſt, ita verè eſt obiectum ſcientiæ Dei infallibilis, eo ipſo quod de facto eſt futurum, vt ſecundùm modum cognoſcendi noſtrum verè ſupponat decretum Dei tanquã cauſam ante quod decretũ nihil omnino poteſt intelligi futurũ eſſe: Quia licèt futurum quodcunq; ab æterno ſit futurum, cæterum ordine rationis prius ratione eſt poſsibilis res futura quam futura, & idcircò conſiderare poſſumus quaſi duo inſtãtia rationis noſtro intelligendi more, in quorũ primo conſiderentur res quatenus poſsibiles ſunt ex ſe non habentes repugnantiam vllam, vt ſint. In ſecundo inſtanti rationis, in quo res ipſæ iam intelligãtur eſſe futuræ, ſed nulla res ex ſe futura eſt, niſi ex voluntate, & omnipotentia Dei, & idcircò antequam intelligatur eſſe futura ſupponitur voluntas Dei, vt cauſa eius, non quidem ordine durationis ſed ordine rationis. Itaque in illo puncto priori quo res concipitur tantum vt poſsibilis nondum futura eſſe intelligitur, quia prius eſt poſsibile quam futurum, ſicut animal prius eſt homine. Dices in illo puncto priori à nobis

Obiectio.

cog-

Solutio.

cognito in quo res dicitur vel perpenditur vt posſibilis, poteſt etiam dici futura proſequẽti pũcto, ſeu inſtanti rationis. Reſpõdetur, quòd neque dicitur futura reſpectu prioris in eo ordine rationis, quem conſideramus, ſed in ordine durationis in tempore. Quapropter id quod futurum eſt in tempore & ab æterno dicitur futurũ in tempore, non dicitur eſſe futurum in eo inſtanti rationis quo tantum eſt poſſibile: quoniam prius res eſt poſsibilis, quàm ſit futura, quod ſi prius eſt poſsibilis nondum eſt futura, ſeu nondum intelligitur futura.

Colligo ſecundo. Ex decreto diuino tanquã ex cauſa res futuræ.

Ex quibus etiam colligo, quòd ſicut creatura nondum eſt poſsibilis donec Deus intelligatur eſſe, cum ipſe ſit omnium rerum primum ens, & primum principium, ita ſimiliter nondum intelligitur creatura eſſe futura donec decretum diuinæ voluntatis intelligatur eſſe, ex quo tanquam ex cauſa res eſt futura. Nam certè ſi in illo puncto aut in illo inſtanti rationis concedenda eſſet aliqua futuritio, illa tamen non poſſet eſſe rerum, quia res prius ſunt poſſibiles & prius poſſunt eſſe quàm ſint futuræ, ſed potius poni potuiſſet futuritio futuritionis. Nam cum poſsibile eſt rem aliquam fore ſimul eſt fore futuri, vel ſimul eſt futura futuritio: ſed non recte aſsignatur fore ipſius futuri: igitur in illo priori inſtanti, quo res vt poſſibilis conſideratur minimè percipitur vt futura, neque conſideratur tanquam futura. Et hinc colligitur quòd quando à quibuſdam in illo priori puncto ſeu inſtanti rationis dicitur quod verum eſt dicere pro eodem priori inſtanti rationis res illas futuras eſſe pro inſtanti ſequenti, idem eſt atque dicere tunc eſſe futurum futurum: quæ quidem reflexio quamuis poſsit à nobis aliquo modo conſiderari vel concipi, eam tamen Deo attribuere non eſt rationabile: quia malè dicitur poſſe dari futurum alicuius futuri. An verò nullo intellecto decreto diuinæ voluntatis, poſsint futura eſſe determinatæ veritatis, ita vt in eſſentia Dei id repreſententur, id quidem diximus ſupra, & rationabiliter à pleriſque negatur. Cuius rei ratio efficax eſt: quia ſi nullo præintellecto decreto voluntatis Dei futura contingẽtia ſunt determinatæ veritatis, & hoc in eſſentia Dei repræſentatur: ſequitur quod non fuit in poteſtate Dei nõ repreſentari futura in ſua eſſentia, ſi nimirum abſque decreto & libertate ipſius Dei verè futura eſſe intelliguntur, & in eſſentia diuina repreſentantur: quod dici nõ poteſt, cum Deus ſi voluiſſet nihil producere, & tunc nihil futurum eſſet. Et profectò ſi res non eſſent futuræ à Deo, & à ſuo decreto, tunc à caſu, vel aliunde dicerentur futuræ, & poſſent in eſſentia Dei ante decretum illius repreſentari, & conſequenter ſi poſſent extra diuinum decretum repræſentari in eſſentia Dei, certò poſſent cognoſci in ſapientia diuina: & quamuis hoc ita eſſet, nihilominus prius res intelligeretur vt poſsibiles quam futuræ, & in illo priori inſtanti rationis quo intelligeren

A

tur vt poſsibiles nondum eſſent futuræ: Nunc verò ſicut res intelligimus abſque conditione aut poſitione caſuum, intelliguntur futuræ, ſuppoſito decreto diuino, & non aliter. Vnde ſi futura contingentia verè intelligerentur eſſe futura abſque decreto Dei, & voluntate ipſius, verè tunc in eſſentia diuina repreſentarentur, & non poſsit non repræſentari, ac proinde ſequeretur non fuiſſe in poteſtate Dei aut non eſſe futura, aut non repræſentari in ſua eſſentia, quod Patet ſi non ex decreto aut libertate ipſius Dei dicerentur eſſe futura.

Quo modo Deus cognoſcat futura contingentia libera.

B

RESTAT explicare quo pacto Deus attingat ſua cognitione futura libera contingentia, cùm ipſa neque ſint in ſe, neque in ſua cauſa. Nam ex hoc videtur quòd non poſsint attingi ab aliqua cognitione. Neque ſatisfacit dicere quod futura contingentia quamuis nihil ſint preſens aut præteritum, ſunt tamen aliquid futurum: & quod cum intellectus ita ſe extendat ad futurum ſicut ad præteritum & poſsibile, quod eſt minoris entitatis, ita etiam ſatis percipitur quo nam pacto Deus poſsit attingere ſua cognitione futura contingentia obiectiuè: Quoniam ens ſecundum totam ſuam latitudinem & amplitudinem vniuerſalitatis quam habet eſt obiectũ intellectus, ſiue ſit præſens, ſiue futurum, præteritum aut poſsibile. Non in quam hoc ſatisfacit, quia non explicatur ſatis quid ſit futura contingentia obiectiuè eſſe preſentia à Deo. Nam ſi futura contingentia non habent eſſe obiectiuum reſpectu cognitionis diuinæ, quod poſsit attingi à Deo, non videtur quo pacto ſint cognoſcibilia ſecundùm veritatem aut falſitatem determinatè, neque ſatis recte intelligitur qualiter par ratio ſit de præſentibus & preteritis reſpectu cognitionis diuinę atque de futuris. Quia præſentia habent verũ eſſe reale, & præterita habuerunt ſuum eſſe, quo potuerunt terminare cognitionem & ſciẽtiam Dei: Futura autem contingentia nullam habent realitatem neque in ſe, neque in cauſis: ergo.

Ratio dubitandi eſt.

C

D

DICENDVM igitur eſt quod quamuis res non dicerentur eſſe præſentes Deo ab æterno ſecundùm realem exiſtentiam & coëxiſtentiã: quia de hac re an hoc ſit verum dicemus infra, vbi ſententia ſanctiſsimi Præceptoris aperienda erit à nobis & examinanda, nihil enim intereſt modò explicare hoc: Nihilominus non poteſt negari, quin res in ordine ad ſcientiam Dei, quatenus ipſa & ipſius Dei intuitus eternus cadunt ſuper ipſas, imò ſuper omnia tempora ac ſi iam illa eſſent, quod ipſe ſint obiectiuè coram Deo in ordine ad æternam eius ſcientiam. Non quidem præſentes ſecundùm realem coexiſtentiam, ſed præciſè obiectiuè in ordine ad Dei ſcientiam, quæ ab eis terminatur. Hoc videtur dixiſſe D. Paulus cum ait: *Vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* Et D.

Licet res nõ dicerentur eſſe præſentes Deo ſecundùm realem exiſtentiã vel coexiſtentiam; tamen negari nõ poteſt ꝙ res ipſæ ſint obiectiuæ coram Deo.

Ad Rom. 4

D. Augu. Augustinus lib. 10. de ciuitate, capit. 12. & lib. 11. cap. 21. & lib. 4. de Trinitate, cap. 13. & lib. 11. cap. 7. &. 11. Cõfessionum à cap. 18. & lib. 2. ad Simplicianum. quæst. 2. id ipsum affirmat. Nam in his omnibus locis D. Augustinus videtur statuere quòd non aliter intueretur Deus futura cum in suo tempore sunt quàm antequã sint. Inquit enim: *non aliter nouit Deus futura quam facta, quia in eius dispositione iam tempora facta sunt.* Et D. Gregorius lib. 2. moraliũm, cap. 20. & lib. 4. cap. 32. & 38. & lib. 9. cap. 25. & lib. 20. cap. 24. dicit: *Deo futurum nihil est, antecuius conspectum non transeunt futura, neque veniunt.* & idem dicit Anselmus lib. de concordia prædestinationis & liberi arbitrij, cap. 1. & 2. & lib. 1. Cur Deus homo, cap. 18. & lib. de casu diaboli, cap. vltimo.

D. Gregor.

D. Anscl.

Quid sit res esse præsentes obiectiuè tantũ in ordine ad scientiam Dei æternam.

Quo supposito explicandum est quid sit res esse tantum obiectiuè præsentes in ordine ad scientiam Dei æternam, & quid sit ista præsentia obiectiua. In qua re breuiter sentio futura contingentia dici præsentia obiectiuè respectu cognitionis diuinæ. Quia actu cognoscuntur à Deo, & actu terminant diuinam cognitionem: nam cum contineant aliquam veritatem, illa eorum veritas est cognoscibilis à Deo. Vnde dicũtur talia futura obiectiuè Deo præsentia, quatenus esse veritatis earũ est sufficiens fundamentum ad rationem obiecti terminatiui, & ad hoc vt ex parte obiecti dicãtur res præsentes huic scientiæ Dei. Nam aptitudo cognoscibilitatis rei cognoscendæ est quasi quædam præsentia obiectiua respectu illius cognitionis, ac proinde illud esse quod effectus contingens habiturus est cum fuerit suo tempore quamuis ab æterno re vera non sit, possit esse fundamentum sufficiens ex parte obiecti, vt per scientiam infinitam videri possit perfectè ab æterno, quia illud esse satis est vt actus intuitionis & cognitionis possit ad illud terminari, cum aliàs ex parte Dei cognoscentis sit virtus infinita sufficiens ad id cognoscendum. Adde etiam veritates enunciationum de futuro cõtingenti determinatè esse tales. Quia veritas futuri contingentis, etiam quando res non sunt, propriè est in intellectu diuino. Quę sanè veritas ex parte obiectorũ nihil est aliud quam intelligibilitas eorundem contingentiũ, quæ est non repugnantia, ad hoc vt intellectus habens virtutem sufficientem intelligendi possit de tali obiecto verè enunciare. Hæc autem non repugnantia seu aptitudo non est aliud ab illo esse quod res habitura est suo tempore, ratione cuius potest comparari ad antecedẽtem durationem, & hac ratione dicitur futurum, & idcirco hæc veritas ex parte obiecti ab aliquibus dicitur fundamentalis, quia nõ semper exposcit realem existentiam in actu. Hunc modum dicendi videntur insinuare Sancti Patres citati, & ipsum tetigit Aristot. lib. 5. Metaph. tex. 14. & lib. 6. Metaph. prope finem: *Vbi dicit esse duplex genus entis, vnum quod vere est: aliud autem quod quamuis non sit, sufficit tamen ad veritatem propositionis.* Pari ergo modo possumus philosophari de his futuris contingentibus, quod quamuis non fuerint ab æterno, tamen quia futura sunt habere quemdam modũ entis, tale quantum sufficere potest ad fundandam veritatem cognitionis & iudicij Dei æterni, & ad fundandam veritatem enuntiationis, ac proinde talia futura habere quemdam modum entis sufficientem ad terminandam scientiam Dei, & diuini intellectus, qui etiam ex vi sua infinita potest terminari ad quodlibet, quod sub quacunque ratione habeat modum, seu participationem, qua induat rationem entis, siue possibilis, siue præteriti, siue præsentis aut futuri: præcipuè cum maior sit ratio futuri quam possibilis. Vnde scientia diuina eo ipso quòd est æterna, necesse est, vt possit ab æterno attingere quidquid futurum est in tẽpore, quia de ratione æterni est, vt simul habeat totam perfectionem suam: Ad perfectionem autem scientiæ Dei pertinet attingere omne obiectũ scibile, eo ipso quod est scibile, ac proinde scientia Dei ex vi immutabilitatis, & æternitatis suę simul habet attingere quidquid præsens & futurum est. Nam futura aliquando coëxistent Deo, & ad terminãdam sciẽtiam Dei, æternam satis est quod futura sint, & quod aliquando habitura sint esse. Ad hanc igitur cognitionem de qua locuti sumus, respectu futurorum contingentium, præintelligitur cognitio decreti diuinæ volũtatis à quo habet quidquid futurum est quod futurum sit, & non potest intelligi emanatio effectus à sua causa, nisi intelligamus futuritionem.

Aristoteles

A

B

C

D

Tandem, futura contingentia dicũntur de terminatæ veritatis. Quia ita re ipsa aliquando sunt futura aut non futura determinatè, ita vt semper de altera parte contradictionis possit esse verum iudicium: & vera enunciatio, & de alia parte si feratur iudicium, vel proferatur enunciatio, etiam sit falsitas in tali iudicio aut enuntiatione. Nam hoc satis est vt in ipsis sit veritas fundamentaliter, quia sufficit quod res sint futuræ, aut quod possint esse, aut quod sint ntelligibiles, vt sint obiectum veri iudicij.

Ex dictis colligo propositionem affirmatiuam de futuro contingenti nunquam potuisse incipere esse veram ex parte durationis, sed ab æterno fuisse veram, ac proinde esse intelligibilem & cognitam à Deo, qui non potest non cognoscere omne intelligibile, & cognoscibile, posse tamen propositionem affirmatiuam de futuro cõtingenti incipere esse falsam, quia potest desinere esse veram, & sicut non potest incipere esse vera, ita si semel est falsa non potest desinere esse falsa. Quod verò propositio affirmatiua de futuro contingenti non potuerit habere initium suæ veritatis ex parte durationis, quamuis eam habere possit ex parte diuini decreti. Probatur. Quia propositio de futuro quæ modo est vera, idcirco habet veritatem, quia eius significatum est futurum respectu huius instantis in quo profertur, sed quòd

respe-

respectu nostri est futurum respectu totius durationis aut temporis transacti, futurum est: ergo ab æterno futurum erat: ergo eadem ratione ab æterno est vera propositio de futuro, atque adeò non potuit incipere esse vera. Quod autē potuit desinere esse vera, cōstat ex eadē ratione: quia si actus qui erat futurus ponatur in esse, hoc iā fit præsens: ergo propositio, quæ præsens significaret esse futurū, esset falsa, quare desineret esse vera, & inciperet esse falsa: ꝙ si semel est falsa, quia significatū eius non est futurū in æternū erit falsa, & ob id nunquā desinet esse falsa. Et contrario modo oportet loqui in propositionibus negatiuis de futuro cōtingenti. Nam propositio negatiua de futuro contingenti nequit incipere esse falsa, neque desinere esse vera. Quæ omnia obiter dico nō solum propter propositiones contradictorias de futuris contingentibus verè futuri, sed etiā propter propositiones contradictorias de futuris conditionatis, ad quas iam incipimus parare viam.

Quarta Conclusio.

Conclu. 4. Deus in mē sura æterni tatis verè cognoscit res omnes.

DICO quartò. Deus in mensura æternitatis vbi omnia illi præsentia sunt extra suascausas secundùm veram & realem existentiam rerum, verè cognoscit, certò & infallibiliter res omnes. Quod si res omnes etiam contingentes & liberæ sunt Deo præsentes in æternitate secundùm realem existentiam, in eo inquā nunc æternitatis, quo diuina cognitio & essentia mensurātur (quod est æternum nunc, carēs omni successione, principio etiam & fine) optimè sequitur: Deum cernere hæc futura contingentia ab eodem nunc contenta, quòd negari non potest vllo pacto ab vllo ex Catholicis Theologis. Nam suppositā conditionali, si futura omnia contingentia sunt Deo præsentia extra suas causas in illa mensura æternitatis, & in illo nunc ambiente omne tempus, apertè sequitur, in bona, & necessaria cōsequentia Deū intueri illa, & certò atque infallibiliter cognoscere. Itaque de bonitate huius cōsequentiæ & de necessitate illationis non potest ab aliquo dubitari. Quia si conditionalis est vera (de cuius veritate infra fusè agemus) consequens est necessarium, nimirum quòd Deus intuitiuè illa cognoscit, & oppositum dicere esset contra veritatem fidei, constituentis in Deo esse infinitam perspicacitatem & vim cognoscendi & intelligendi omnia etiam contingentia & libera, & constituentis in Deo infinitum lumen ad illa scienda. Vnde si Deus in eo casu in quo essent præsentia æternitati, Deus illa non cognosceret, defectus proueniret ex parte diuini luminis & diuini intellectus, non potentis penetrare futura illi præsentia in sua æternitate, ac proinde sine præiudicio fidei nō potest hæc illatio & consecutio negari. Et ex hoc colligo hanc propositionem vniuersalem esse veram, quod vndecunque, & quomodocunque res omnes & futura contingentia sint Deo præsentiā in sua æternitate, certò & infallibiliter sciuntur & cognoscuntur à Deo. An verò res omnes sint præsentes Deo secundùm suas existentias, quas habituræ sunt in proprijs durationibus pro nunc æternitatis ambiente omne tempus simul, quod est mensura diuinæ cognitionis, id quidem cōtrouertunt Theologi, præsertim recentes contra illustres Theologos antiquos, & cōtra interpretes D. Thomæ, in quare aliqua dicemus.

Suppono. 1.

SVPPONO tamen quòd quamuis hic modus cognoscendi futura contingentia in mensura æternitatis secundùm suas existentias, nō sit vnicus & solus, ita vt ex solo ipso tribuatur Deo certa cognitio futurorum contingentiū. Quoniam ex tribus assertionibus superiùs positis, præcipuè ex tertia præcedente aperte cōstat non ex solo isto capite, quod res existant extra suas causas in æternitate futura contingentia cognosci à Deo: quia sunt plures aliæ rationes cur dicamus Deum certò & infallibiliter cognoscere futura libera & contingentia, tamen abstrahendo à pluribus rationibus cognoscendi in quibus obiectiuè & terminatiuè cognoscuntur futura, vt ex his quæ diximus superius constare potest, tamen si res omnes futuræ existerent iam in actu extra suas causas in æternitate, sine dubio de illis Deus haberet certam & infallibilem cognitionem: sed infallibilitas certitudinis huius sumpta ex præsentialitate æternitatis est infallibilitas sumpta à posteriori, non à priori: quæ enim est à priori sumitur ex decreto diuinę voluntatis, &c. Licèt verum sit Deum non ex eo capite tantum aut ex ea ratione solum, quod res existāt in æternitate extra suas causas certò & infallibiliter cognoscere futura contingentia de quibus loquimur. Imò verò, si vera est sententia D. Thom. quòd futura contingentia sunt præsentia Deo secundùm existentias suas ab æterno in mensura æternitatis, sufficiens & adęquata ratio assignatur cur cognoscat etiam peccata omnia vniuersorum hominum & Angelorum, quæ vere futura sunt in toto temporis, & durationis decursu, & facilius dissoluuntur argumenta omnia præcipuè illa quæ de peccatis fiunt. Cerno enim hodierna die quosdam qui constituant decretum & prædefinitionem peccati ad infallibilem eius cognitionem: quòd decretum per modū prædefinitionis datum malorum operum nulla ratione Deo conuenire posse nullus ex Theologis Catholicis affirmare debet, etiam si dicant Deum prædefinire materiale & non formale peccati. Imò verò ex auctoribus huius ætatis reperio quēdam, qui quamuis in plerisq; rebus dissentiat à Gymnasio, & Schola D. Thomæ, tamen nescio qua ratione concedit quòd ipse actus liber quo peccatum fit & sine quo non fieret, & pro vt hic & nunc est, à quo non est separabilis malitia, quod ille est ab aliquo decreto Dei in suo genere. Concedit enim præter decretum permis-

Aduerte ꝙ dicathic auctor & pro vt hic & nunc est in quo male loquitur.

sionis peccati decretum, & prædefinitionem ipsius materialis peccati, & non tantum voluntatem concurrendi ad substantiam actus, quia hæc æqua & generalis est, & communis omnibus rebus.

Suppono 2. SVPPONO secundo: quòd in hac cõclusione nulla ratione à nobis fit sermo de futuris cõditionatis; quia nullam habent neque habitura sunt existẽtiam, de quibus quo pacto à Deo cognoscantur, & an detur quædam scientia media dicemus infra: sed tãtum in præsenti loquimur de futuris contingentibus etiam liberis verè futuris, quæ verè erunt & veram habent futuritionem existentiæ in aliqua tẽporis duratione, de quibus quarta hæc assertio proposita fuit.

Tertullianus. Ecclesiastic. 23. Psal. 138. QVÒD igitur Deus cognoscat futura contingentia etiam libera de fide est. Deus enim habet præscientiam rerum omnium, & vt Tertullianus dicit lib. 2. cõtra Marcionem, cap. 5. *Deus quot fecit Prophetas, tot voluit habere testes scientiæ suæ.* & vt Scriptura diuina Eccles. 23. affirmat: *Domino Deo antequam creentur, omnia sunt, cognita,* & Psal. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe.* In quib⁹ locis specialiter Scriptura loquitur de actibus humanis. Hoc clamant Sancti Patres, & D. Augustinus, & Concilia esse certissimum & verissimũ, & per hoc non tolli, neque lædi libertatem, quod nunc supponimus esse de fide, vt in principio huius sectionis fusius diximus.

D. Augus. & cõcilia.

Quid senserit D. Thomas circa futura contingentia.

Sẽtẽtia D. Thom. explicatur. SENTENTIA igitur D. Thomę quæ habetur 1. part. quæst. 14. art. 13. ea videtur esse, nimirum futura contingentia cognosci posse à Deo quatenus sunt præsentia æternitati, eo quod æternitas est infinita duratio, & tota simul & vnicum nunc omnia comprehendens. Et profecto hunc eundem modum dicendi videtur tenuisse primo contra Gent. cap. 66. & 67. vbi dicit æternitatem assimilari pũcto centri in quo lineæ simul copulantur, quamuis in circunferentia distent inter se: & 1. par. quæst. 57. art. 3. quo in loco negat angelos posse hæc futura contingẽtia cognoscere, ob id quod eorum cognitio non mensuratur æternitate. Hęc sententia D. Thomæ videtur esse Sanctorum Patrum, & Scripturæ diuinæ, & D. Augustini, & illustrium Theologorum. Nam primo D. Augustinus lib. 2. ad Simplicianum apertè dicit hæc verba: *Quid enim est præscientia nisi scientia futurorũ? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? si enim in scientia res ipsas habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes: ac per hoc non iam præscientia, sed tantum scientia dici potest.* Quæ sanè Augustini verba expressè loqui videntur de vera præsentia reali futurorum in æternitate. Nam propterea dicit quod Deus omnia supergreditur tempora, & quod res ipsæ sunt sibi præsentes: & non perpenderet D. Augustinus quod Deus comprehendit & supergreditur omnia tempora sua cognitione, nisi vt diceret res esse præsentes Deo secundũ suas realitates, & veras existentias quas in tempore sunt habituræ. D. Gregor. li. 20. Moraliũ ca. 23. & 24. palam prefatam sententiam videtur confirmare: inquit enim: *Quomodo præscius est Deus, dum nulla nisi quæ futura sunt præscientur, & scimus quod Deo futurum nihil est, ante cuius oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt, quippe qui omne quod nobis fuit, & erit in eius prospectu præsto est, & omne quod præsens est scire potest potius quàm præscire.* & paulò inferius subdit *Et quia ea quæ nobis futura sunt videt, quæ tamen ipsi præsto sunt, præscius dicitur, quamuis nequaquam futurum videat quod præsens videt.* & lib. 9. moralium, cap. 26. vel aliàs 25. idem sanctissimus & doctissimus Gregorius ait: *Ei quæ nec transacta prætereunt, nec adhuc ventura, quasi quæ non appareant, desunt: Quia is qui semper esse habet, cuncta sibi præsentia conspicit.* Cumque aspiciendo post & ante non tenditur, nulla intuitus mutatione variatur. Hoc ipsum expressè docuit Boëtius li. 5. de consolatione, prosa vltima, omnesq; Sancti Patres qui docent Deo nihil esse futurum expressè affirmant omnia esse præsentia Deo, & expressius D. Anselmus in opusculo illo de Concordia liberi arbitrij & prædestinationis, cap. 1. vbi loquens de æternitate Dei ait: *Quẽadmodum præsens tempus continet omnem locum, & quæ in quolibet loco sunt: ita æterno præsenti simul clauditur omne tempus, & quæ sunt in quolibet tempore.* Idem sensit Hugo de Sancto Victore in Summa sententiarum, tractatu 1. cap. 12. in hac re secutus D. Augustinum: & Beda in lib. quæstionum. quęst. 13. to. 8. Vtitur prę terea D. Augustinus hoc discursu vt probet in Deo non esse propriè præscientiam. Quia si apud Deum futura nondum sunt, sicut etiam in ipso rerum ordine accidit, sed Deus scientia sua præuenit futura: ergo bis Deus ea sentit (ait Augustinus) vno quidem modo secundùm futurorum præscientiam, altero verò secundũ præsentium scientiam. Quibus verbis planè videmus Augustinum inferre illud inconueniẽs, nimirum, eadem bis à Deo cognosci, si futura, ei non sunt præsentia. Quoniam primò sequeretur Deum scire rem, & quando est res ipsa verè futura, & vlterius quando iam realiter est præsens: ergo ex discursu & sententia D. Augustini palam sequitur eum existimasse Deum cognoscere res sibi præsentes secundùm earũ esse, ac proinde colligimus nos hanc eandem fuisse sententiam D. Thomæ, nimirum: quod Deus in sua æternitate cognoscit res vt sibi præsentes secundùm earum existentiam.

D. Grego. *Boetius.* *S. Ansel.* *Hugo de S. Vict.* *Beda.*

Fundamentũ sẽtẽtiæ D. Thom. FVNDAMENTVM huius sententiæ est, quod duratio Dei est perpetua infinita permanens & æterna sine vlla successione, quę nihil aliud est quam vnicum nunc æternitatis, semper permanens & stans, nunquam transiens, omnia comprehendens tempora sua duratio-

ne, quod vocatur æternitas. Cum igitur illud nunc æternitatis sua duratione infinitũ sit, fieri non potest vt non amplectatur tempus omne, omniumque rerum durationes, præsentes, præteritas, atque futuras: Est autẽ duratio huius æternitatis tota simul: igitur pari ratione omnia continet & comprehendit in se simul sine successione. Et hæc sine dubio est doctrina D. Thomæ, & Theologorum omnium explicantium naturam æternitatis. Assignatur etiã tanquam ratio & fundamentum huius assertionis quod si dicamus res futuras esse præsentes Deo secundùm suas existentias in illo nunc æternitatis, verè assignatur sufficiens ratio cur Deus cognoscat futura contingentia libera nõ solum bona, sed etiam mala in genere moris, absque vlla difficultate argumentorum.

Explicatio D. Tho. secundùm aliquos modernos Theologos.

Sed iuuenes huius ætatis Scholastici cõtẽdunt aliter explicare D. Thomam. Nam illi qui in pleriſque eum reijciunt, dicunt præsentiam illam realem futurorum contingentium in æternitate, solum esse præsentiam obiectiuam, seu præsentiam rerum in ipso Deo, non realem extra Deum in propria existentia creaturarum, cum nihil extra Deum ei coëxistat ab æterno, ac proinde in hac sententia res ab æterno dicuntur Deo præsentes si fiat sermo de existentia obiectiua. Et hanc esse sententiã

S. Thom.

D. Thomæ constat: Quia Deus secundùm fidem scit omnia futura certò & infallibiliter, & hoc probat sanctissimus Præceptor. 1. par. q. 14. ar. 13. Nõ quidem ex eo quod futura contingentia sunt præsentia, & coëxistentia Deo secundùm suas reales existentias, quas sunt habitura pro diuersitate temporum succedentiũ, sed ex eo quòd Deus ipse comprehendit omnia quæ sunt in sua omnipotentia, & in potentia creaturæ, & cõsequenter quod cum omnia futura contingentia sint in sua & creaturę potentia omnia necessario cognoscit. Addit vlterius S. Thomas futura omnia cognosci à Deo in se ipsis, & non in causis contingentibus. Et probat quod non in causis. Quia cum causæ sint ex se indifferentes ad vtramque partem, sicut sunt voluntates omnium viatorum in ipsis indeterminatis & indifferentibus, nihil esse potest vnde certò & infallibiliter cognoscantur futura contingentia, & ex consequenti cùm sit de fide Deum cognoscere futura contingentia libera, sequitur Deum certò ea cognoscere, nõ quidem in causis indeterminatis & indifferentibus, sed in se ipsis. Tandem D. Thomas affirmat Deum intueri omnia hæc futura sine vlla successione & ab æterno. Quia æternitas est tota simul perfecta possessio, ac proinde cognitio ipsius Dei, qui est sua æternitas, & cuius duratio similiter est ipsamet æternitas, erit talis naturæ cognitio vt sit tota simul & sine successione vlla: ergo pari ratione intellectus diuinus fertur in res omnes futuras ac si essent præsentes, ne sit successio aliqua in scientia Dei: ergo optimè colligitur ex hoc omnia quæ futura sunt in duratione temporis Deo esse præsentia non solum in rationibus æternis vt aliqui dicunt, hoc est in sua essentia vt habet rationẽ speciei intelligibilis, sed quoniã intuitus eius, & actualis cognitio ipsius fertur in res omnes futuras.

Ægidius. Alexander Alensis. M. Hieronymus Perez in 1. sent. dist. 38 q. 3.

Quamvis ego verisimum esse existimẽ Deum cognoscere futura contingentia quatenus sunt præsentia Deo, loquẽdo etiam de præsentia hac obiectiua, sicut aliqui Theologi explicant, præcipuè AEgidius vbi supra: Noster Hieronymus Perez in dist. 38. q. 3. & Alexander Alensis 1. part. q. 23. membro. 4. art. 4. tamen cum ratio diui Thomæ in cognoscendis futuris contingentibus procedat ex ratione æternitatis ambientis omnia tempora, in quibus res ipsæ non tantum dicuntur præsentes Deo, sed præsentes in se ipsis, & in sua existẽtia reali extra causas, necessaria ratione videtur colligi S. Thomã non solum voluisse Deũ cognoscere futura cõtingentia quatenus sunt illi præsentia sub præsentia obiectiua, ita vt sit sermo de existentia obiectiua rerum, & presentia earum in ipso Deo, & non extra, sed vlterius etiam voluisse Deum cognoscere futura contingentia in se ipsis, & in proprijs existentijs secundùm quod iam in actu sunt. Quam considerationem dicit S. Thomas non esse futurorum, sed potius esse præsentium, & quòd ob id subdi possunt infallibili cognitioni Dei. Cum igitur Dei cognitio æternitate mensuretur, comprehendente omnia tempora, apertè sequitur Deum cognoscere omnia futura contingentia, non solùm vt presentia sunt obiectiuè, sed etiam quatenus iam in actu sunt secundùm suas existentias, quas in tempore sunt habituræ in actu. Quia diuinus intuitus fertur in hæc futura non successiuè, sed simul cum mensuretur æternitate. Nam idcirco S. Thomas in discursu articuli concludit quòd cum cognitio diuina mensuretur æternitate, & æternitas sit tota simul ambiens omne tempus in quo res ipse continentur, sequitur omnia quæ sunt in tempore esse præsentia Deo ab æterno, non solum ea ratione qua Deus habet rationes rerum apud se presentes, vt quidã dicunt, sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia pro vt sunt in sua præsentialitate, & hic est discursus diui Thomæ in articulo. Ex quo ille colligit manifestum esse quòd cõtingentia & cognoscuntur à Deo infallibiliter in quãtum subduntur diuino conspectui secundùm suam præsentialitatem, & quòd sunt futura contingentia suis causis comparata.

Sed obijciunt recentiores, quòd quando diuus Thomas affirmat res futuras esse Deo præsentes, quia intuitus eius fertur in illas, si de illa reali præsentia Caietani loqueretur S. Thomas dicere debuisset è conuerso, idcirco intuitum Dei ferri in res ipsas, quia sunt ei presentes. At his verbis non vult S. Thomas reddere rationem ob quam à Deo cognoscantur, sed solùm vult explicare modum, quo Deus omnia sibi præsentia simul habeat. Sed profe-

cto S. Thomas non tantùm vult tradere rationem & modum quo Deus omnia sibi præsentia simul habeat, sed etiam intendit reddere rationem ob quam à Deo cognoscantur, & idcirco dixit & posuit hoc fundamentum, nimirũ quod futurum contingens potest considerari vno modo in se ipso secundum quòd iam in actu est, & sic non consideratur vt futurũ, sed vt præsens, & vt iam determinatum ad vnum, alio modo pro vt est in sua causa, & sic consideratur vt futurum & vt contingens non determinatum, & de hoc contingenti in causa dicit non posse cognosci nisi cognitione coniecturali, quæ repellenda est à Deo. Et de contingẽte futuro quatenus iam est in actu in se ipso, & magis consideratur vt præsens, dicit D. Thomas quòd Deus cognoscit huiusmodi futurũ, & pari modo reliqua omnia futura contingentia prout vnumquodque ipsorum est actu in se ipso. Subiungit autem S. Thomas modum cognoscendi eorum, quem Deus habet, nimirum quòd licèt contingentia fiant in actu successiue (En quomodo loquitur S. Thomas de futuris contingentibus secundum quòd sunt in actu per suas existentias, quia sic solum dicuntur successiuè fieri) non tamen Deus successiue cognoscit illam prout sunt in suo esse (successiuo videlicet) sicut nos, sed simul: quia sua cognitio mensuratur æternitate, sicut etiã suum esse. Hactenus de expositione & interpretatione S. Thomæ.

A

Colligo igitur æternitatem seu coëxistentiam ad æternitatem ad hanc scientiam futurorum necessariam esse. Quoniam ex parte scientiæ diuinæ, hoc ipso quòd est æterna, necesse est vt ab æterno possit attingere quidquid est futurum in tempore: cùm de ratione æterni sit simul habere totã perfectionẽ suam, pertinet autẽ ad perfectionẽ scientię præcipuè diuinę attingere omne obiectũ scibile, & cognoscibile, eo ipso quòd cognoscibile & scibile est: igitur cũ diuina scientia nõ possit paulatim aut successiuè hanc perfectionem obtinere, sequitur quòd ex vi æternitatis suæ habet simul totam illam perfectionem cognoscendi, sicut etiam simul habet ex parte sua quidquid requiritur ad coexistendum realiter cuicumque rei si ipsa existat. Ex parte etiam rerum vt possint absolutè cognosci, & sciri ab æterno etiã requiritur vt aliquando coëxistant æternitati, quamuis coexistentia illa æterna non sit: nam ad hoc vt ex parte obiecti possit terminare æternam scientiam Dei, requiritur quòd res saltem aliquando sit. Ex dictis ergo satis intelligitur discursus D. Thomæ. Nam certè si scięntia Dei quatenus concipitur etiam cum omni respectu intuitus ad futura contingentia, mensuratur æternitate, ab æterno potest concipi sub illo respectu scientiæ seu intuitus ad vnãquamque rem pro vt suo tempore futuram, & hoc est etiam habere rem futuram præsentem in sua æternitate, seu cognoscere has veritates de futuro contingenti in se ipsis. Nam Deus

B

C

minimè eas cognoscit per modũ compositionis aut complexionis, sed intuendo actuales existentias rerum singularum quarumcumque pro suis temporibus. Vnde si scientia illa Dei, prout intelligitur subesse omni respectui, mẽsuratur æternitate, bene colligitur ab æterno habuisse illum respectum intuitus ad quamlibet rem futuram pro suo tempore vt dictum est. Hac igitur ratione etiam moderni interpretantur D. Thomam, & ratio est: quia huiusmodi interpretatio videtur esse à priori ex parte scientiæ diuinæ, nimirum, quia simul habet ac necessariò omnem perfectionem possibilem scientiæ, quæ semper supponit cognoscibilitatem ex parte obiecti, quam habet ex eo quòd futurum contingens in aliquo tempore habiturum est existentiam cum coexistentia quadam ad æternitatem.

Sed obseruare oportet quod quamuis verisimum sit futura contingentia libera non sufficienter cognosci in eadem causa contingẽte, & indifferente, nihilominus verisimum est non cognosci huiusmodi futura sine causa, hoc est sine influxu, & determinatione causę: quod est apertè sentire, effectum contingentem non cognosci in sola virtute causæ, & hoc appellamus non cognosci in causa, videndo effectum in sola virtute causæ, assueramus tamen cognosci ex causa cernendo emanationem eius à sua causa, quod requiritur in huiusmodi scientia Dei, quæ debet esse intuitiua & perfectissima. Vnde cum sit comprehẽsiua talis effectus, non cognoscit ipsum nisi intuendo eius emanationem à sua propria causa. Duplex autem intercedit causa per se respectu illius effectus, nimirum voluntas diuina & humana, ac proinde requiritur cognitio determinationis vtriusque causę, vt cognoscatur effectus contingenter futurus per huiusmodi scientiam. Veruntamen determinatio hæc in humana voluntate non aliter fit, neque est aliud quàm ipsamet actio voluntatis per quam elicit liberum cõsensum, & hoc est cognoscere determinationem causæ, scilicet ipsam emanationem à tali causa, ita vt inter illam actionem & potentiam sub qua comprehenditur omnis eius actus primus nihil mediet.

D

Quòd verò quarta conclusio à nobis posita non solum sit intelligenda de præsentia obiectiua futurorum, sed etiam de præsentia reali futurorum contingentium secundum suas existentias quibus iam sunt in actu, id quidem potest intelligi non solum ex dictis Sanctorum Patrum quos supra retulimus, quia de vtraque præsentialitate possunt interpretari: sed etiam ex testimonijs sacræ Scripturæ: inquit enim Paulus ad Romanos 4. *Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Et rursus: *Omnia sunt nuda & aperta oculis eius.* Et Ecclesiastici. 23. *Domino Deo antequam creentur omnia sunt cognita.* & Psalm. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe.* Sapien. 8. *Signa & monstra cognoscit antequã fiant, & euentus seculorum, & temporũ.* Prouer.

Ad Ro. 4.
Ad Heb. 4.
Eccles. 23.
Psal. 138.
Sapien. 8.

16. Omnes viæ hominū patent oculis eius. Ad Hebr. 4. dicitur quod Deus pertingit vsq; ad diuisionē spiritus & animæ, compagum quoq; & medullarū, & discretor cogitationū & intentionū cordis est, & nō est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, possunt igitur huiusmodi testimonia etiā intelligi secundū duplicē modum præsentialitatis respectu diuini intuitus. Atq; ita quod omnia sint Deo presentia loquēdo de præsentia reali in æternitate secūdùm q̄ res sunt in actu, & secundùm suas existentias terminat diuinum intuitū, quia oculis eius nuda sunt & aperta omnia illi præsentia tam presentialitate obiectiua, quā præsentialitate reali: & hæc videtur esse Cardinalis Caietani sententia 1. par. q. 14. art. 13. & Ferrarien. lib. contra gent.

Ludouicus Molina intendit explicare D. Thomam.

Ludouicus. Molina. Explicat D Thomā probat. 1. suam explicationem.

LVDOVICVS Molina. 1. p. q. 14. ar. 3. disp. 14. interrogat, vtrùm futura contingentia certo à Deo cognoscantur, quia ei sunt præsentia secundum suā existentiam, ita vt inde contingentia & libertas futurorū cum diuina præscientia concilietur. Quo in loco putat S. Thomā voluisse in Deo esse certam & infallibilem scientiam futurorum contingentium ex eo tā tum capite quod ipsa futura sunt Deo præsentia secundùm suā existentiā in æternitate. Idq; probat primo quia S. Thomas in art. citato distinguit duplicem statum futuri contingentis, alterum vt est iam in actu extra suas causas: alterū verò vt est adhuc in sua causa, & in priori modo dicit S. Tho. posse subdi certæ cognitioni: posteriori verò nō itē. Et de veritate. q. 2. in corpore ar. 12. & ad 6. videtur affirmare neq; cōparatione diuinæ cognitionis posse rem contingentem consideratam prout est præcise in causa indifferenti sub certam cadere cognitionē. Et idcirco. 1. p. q. 14. art. 13. addit quòd quicumque cognoscit effectum contingentem in sua tantum causa, non habet de illo certam, sed coniecturalem tantum cognitionē. Secundo probat S. Thomam voluisse ex eo tantum capite esse certum de cognitione futurorū contingentium, quia illi sunt præsentia secundum suam existentiam, & non etiā ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, seu ratione idearum. Nam nomine rationum rerum, quas Deus habet apud se præsentes videtur S. Thomas intelligere rerū ideas, vt doctissimus Cardinalis Caietanus hoc loco dicit. Quòd si S. Thomas crederet rationes idearum solas sufficere vt Deus futura certo cognosceret antequam vel in tēpore vel in æternitate essent extra suas causas, id amplius explicasset descendendo in speciali ad interpretandum modum quo rationibus idearū posset Deus certo cognoscere quæ sunt in facultate liberi arbitrij creati, explanasset que quo nam modo inde libertas arbitrij cum diuina præscientia conciliaretur, neque tantopere premeretur in expli-

Probat secundo.

A canda certitudine diuinæ præscientiæ, solum ex capite præsentiæ rerum secundùm esse existentiæ in æternitate. Tertiò argumentatur Ludouicus Molina. Quoniam si Sanctus Tho. voluisset Deum ex vtroque capite habere certam scientiam de futuris contingentibus dixisset quidem. Vnde omnia, quæ sunt in tempore sunt Deo ab æterno præsentia non solum ea ratione qua habet rationes rerum apud se præsentes, vt quidam dicunt, sed etiam quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia pro vt sunt in sua præsentialitate. Obijcit Molina quod verisimilius innueret S. Thomas vtramque rationem esse sufficientem ad cognitionē futurorum contingentium, sed cum rationes idearum ad cognoscenda certò futura contingentia non cohęreant cum doctrina, quam tradiderat S. Thomas in articulo dicens, quòd futurum contingens duobus modis potest considerari. Vno modo vt est in se ipso extra suas causas, quo pacto non consideratur, vt futurū, sed vt præsens & determinatum ad vnum. Alio modo vt est in sua causa præcise, & sic consideratur vt futurum contingens nō determinatum ad vnum cum causa contingens sit indifferens ad oppositа: & quidem in prima acceptione subdi potest certæ & infallibili cognitioni. Quia certo oculis conspicio Petrū sedere, cū iam ille actu sedet, at secundo modo nō subditur certę & infallibili cognitioni, & ob id quicumque cognoscit effectum contingentem in sua tantum causa, non habet de illo certam, sed coniecturalem tantum cognitionem. Sequitur quod cum S. Thomas non dixerit Deū cognoscere omnia, quæ sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, quia habet rationes rerum apud se præsentes, sed solum dixerit ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, quod nō senserit Deū vtroquis modo cognoscere futura contingentia, nimirū tam ratione præsentię realis secundū existentiam eorūdem futurorum, quam ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes. Nam profecto in eo modo dicendi, quē habet S. Thomas videtur insinuare, quòd ea sola ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, ea inquam non esset sufficiens ratio vt omnia etiam secundùm esse obiectiuum ita essent illi præsentia vt ea certo cognosceret, sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia, vt sunt in sua præsentialitate. Quasi dicat hæc est ratio vniuersalis, quare omnia illi ita sunt præsentia, vt omnia etiam cōtingentia futura certo ipse cognoscat. Ex quo colligitur S. Thomam noluisse hoc loco affirmare Deum ex capite rationū idearū futura contingentia certo cognoscere.

B

C

D

Probat tertio.

RVRSVS idem Molina vt repellat D. Thomam, postquam adduxit prædicta argumenta dicit, quod circa hanc disputationem vult dicere id quod sentit: quia percupit D. Thomam potius habere patronum quam aduersarium: cum tamen obiecerit argumenta

supra relata contra ipsum, & dicat quod si modo consuleretur de hac re S. Thom. contrariã sententiam affirmaret. Quia periculosum esset in fide affirmare Deum ex solo capite præsentiæ realis rerum secundùm suas existentias cognoscere futura contingentia, & non ex alia ratione, aut etiam ex capite rationum idealiũ. Subiungit tamen Molina hæc verba, vt temperet quod dixerat cõtra D. Thomam postquã probauit cõtra ipsum id quod ipse sibi persuasit. Persuadere aũtẽ mihi non possum D. Thomam id in animum suum induxisse, quod dignitati diuinæ scientiæ aliqua ex parte derogaret, fideique Catholicæ minus esset consentaneũ. En candide lector quo verborũ colore, & quo stylo dicendi, & qua arte & ingenio vult Molina Sãctissimum Præceptorem D. Thomam notare, postquam eundem S. Thomam dixerit esse in opposita sententia suisque argumentis id probauerit Molina.

A

B

Sed profecto argumenta Molinæ contra D. Thomam & ipsius mẽtem nihil ostendũt. Deus enim non ex eo solo capite quod res existant extra suas causas in æternitate certo & infallibiliter cognoscit futura cõtingentia, sed etiam ex decreto diuino futuritionis earum, & ex præsentia obiectiua, & rationibus rerũ, quas apud se habet, & ex altitudine suæ diuinę scientiæ, qua comprehendit in se ipso omnia, quæ contingenter aut liberè euentura sunt, quæ in quam libera sua volũtate statuit, & secundùm eum ordinem rerum & causarum, quem præfixit priusquam quidquam in tempore esset. Hoc nos fusius interpretati sumus supra iuxta sententiam veram, & S. Thomæ mentẽ. Quod verò non ex eo solo capite Deus cognoscat futura contingẽtia quod res existant extra suas causas in æternitate, constat. Quoniam Deus minimè accipit cognitionem à rebus, sed ex se ipso omnia cognoscit, & in se ipso: ergo Deus certò & infallibiliter cognoscit quidquid est cognoscibile, aut potest habere rationem veri antecedenter secundùm nostrum modum intelligendi ad illam rerum realem existentiam, siue in tempore, siue in ęternitate. Habet enim Deus in se ipso ante omnem realem existentiam obiectorum, vnde omnia plene ac perfecte cognoscat: ergo non ex eo solo capite de existentia rerum creatarum Deus habet scientiam infallibilem omnium futurorum. Vnde rerũ existentia nihil perfectionis tribuit cognitioni Dei. Nam notitia intuitiua, & notitia simplicis intelligentiæ nullo modo differunt, nisi solum ex conditione si existat vel non existat obiectum. Nam vna eademq; notitia sunt secundùm se ęque euidẽs & ęque perfecta quę dicitur intuitiua & simplicis intelligentiæ. In nobis autem non est par ratio vtriusque notitiæ vt alibi diximus. Secundò potest etiã probari. Quoniã ex sacris Litteris planè videmus Deum certã habere cognitionem non tantum eorum, quæ futura sunt re vera, sed etiam quorumdam futurorum contingentium, quæ pendent ex volũtate creata libera, quæ neque fuerunt, neque erunt re vera vnquam ad extra, ac proinde neque existunt in æternitate: ergo efficax ratio conuincens datur, quòd Deus non ex eo tantum quòd futura contingentia existant extra suas causas in æternitate Deus illa certo & infallibiliter cognoscat, sed etiam ex alijs rationibus, quas superius tetigimus. Patet consequentia. Quia si illa, quæ nunquam sunt futura neque habitura existentiam vllam, sed tantum dicuntur futura conditionata sub conditione inquam nunquam adimplenda, verè cognoscuntur à Deo & infallibiliter, & non extra suas causas aut secundùm existentiam earum in æternitate, aperte sequitur in Deo esse plures & sufficientes alias rationes cognoscendi futura contingentia. Antecedens probatur. Quia Deus optimè nouit apud Tyrum & Sidonem futurã esse pœnitẽtiam in cilicio & cinere suppositã conditione, quod apud Tyrum & Sidonem fierent virtutes & præsidia quæ facta sunt apud Corozayn & Bethsaydã. Pœnitentia verò illa cum hypothesi ex qua erat futura neque fuerit, neque futura fuerit, neque erit in rerum natura, & tamẽ erat ex hypothesi contingens futurum dependens ex libero arbitrio creato. Rursus Sapientiæ. 4. dicitur. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aũt ne fictio deciperet animam illius. Et statim: Placita erat Deo anima illius, propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum: Cùm ergo illa peccata essent præuisa, & de numero futurorum contingentium liberorum, quæ nunquam erant habitura existentiam in rerum natura, fit consequens quod non ex solo illo capite quòd res in æternitate iam sint, Deus illa futura infallibiliter cognoscat. Sed de his futuris contingentibus conditionatis, & de his testimonijs Sanctarum Litterarũ fusiorem habituri sumus sermonem deinceps, cum de eis, atque de scientia quadam quam nonnulli mediam esse dicunt, agemus.

C

Sapientiæ. cap. 4.

D

Notitia vt intuitiua & simplicis intelligẽtiæ solũ differunt ex conditione obiecti scilicet ex existentia.

Argvmenta Molinę, quibus contendit ostendere S. Thomam voluisse Deum cognoscere futura contingentia ex solo illo capite quod res ipsæ realiter existant extra suas causas in æternitate, non sunt adeo valida, vt ob id velimus S. Thomam aduersarium habere, aut nobis persuadere Sanctissimum Pręceptorem id in suum animum induxisse quod Molina putat, aut quod dignitati diuinę scientię derogat. Vnde dicendum est D. Thomam non solum voluisse Deum cognoscere futura contingentia ex reali præsentia eorum, sed etiam ex præsentia obiectiua, & etiam quatenus Deus habet rationes omnes rerum apud se prędentes. Inquit enim D. Thomas in prędicto articulo. 13. Omnia quę sunt in tempore sunt Deo ab æterno prędentia, non solum ea ratione qua habet rationes rerum apud se præsentes, vt quidam dicũt, sed quia eius intuitus fertur ab ęterno super omnia prout sunt in sua præsentialitate. Hæc S. Thomas. Esse autem in sua præ-

Quomodo intelligendus sit D. Thomas, circa futurorum contingentium cognitionẽ.

sen-

entialitate potest intelligi de præsentialitate obiectiua. Sic enim etiam res dicuntur præsentes antequam sint. Quia omnia sunt nuda, & aperta oculis eius, ad Hebræos. 4. & quod euentus temporum, & seculorum antequam fiant Deo patent. Sapientiæ. 8. Vnde vtramque præsentialitatem obiectiuam, & realem videtur intellexisse D. Thomas. Sed quoniam præsentia realis rerum quando iam sunt in actu extra causas videbatur ex D. Thomæ ingenioorta comparatione ad æternitatem comprehendentem omne tempus in quo res eueniunt, & sunt, idcirco rē hanc voluit luculenter explicare, & ob id proposuit fundamentum de rebus in se ipsis, secūdum quod sunt iā in actu: in quo casu dicuntur potius præsentes quam futuræ & secundum quod sunt in sua causa. Quod vero etiam S. Thomas intellexerit Deum cognoscere futura contingentia quatenus sunt illi præsentia præsentialitate obiectiua constat ex verbis D. Thomæ in versiculo, sed quia eius intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate. Et antea dixerat Deo esse omnia præsentia ex duplici capite. Vno quia habet rationes rerum apud se præsentes: Altero autem quia intuitus eius fertur ab æterno super omnia, &c. Vnde magnæ auctoritatis Theologi Scholastici, sentiunt D. Thomam esse intelligendum etiam de præsentia obiectiua. Imò verò potissime locutum esse de illa. Ita dixit Heruæus in 1. distinction. 38. quæstione. 1. Syluester in suo defensorio. AEgidius insignis Theologus locis superius citatis, & inter recentiores proximæ ætatis Hispalēsis in prima distinctio. 38. quæstion. 1. articul. 2. Eundem modum dicendi secutus est Sapientissimus Magister meus Frater Gaspar à Torres in hac vniuersitate Salmanticensi prius professor Episcopus Medaurensis, & tā dē electꝰ Canariēsis instituti nostri, à quo ego sicut alia tanquam à fonte hausi. Fecit etiam AEgidius opusculum quod Castigatorium dixit aduersus corruptores doctrinæ S. Thomę. Quo in loco ipse, & citati auctores docent Sanctissimum præceptorem semper loqui de præsentia obiectiua, & de præsentia rerum in ipso Deo. Vnde D. Thomas cum dicat Deum scire omnia futura, id quidem ostendit, quia omnia comprehendit, quæ sunt in sua, & creaturæ potentia. Rursus cum dicat Deum futura cognoscere in se ipsis, & non in causis id quidem ostendit. Quia cum causæ sint indifferentes ad vtrumlibet in ipsis nihil potest esse vnde cognoscantur certo, & infallibiliter, & ex hoc colligit, quod cum non cognoscat futura contingentia in causis ea scire debet in se ipsis, & intueri ab æterno sine successione vlla. Quod probat. Quia eius æternitas est tota simul, & pari ratione eius etiam cognitio, cuius duratio, est ipsa æternitas, ac proinde cognitio tota simul. Ex hoc autem colligit Sanctus Thomas diuinum intellectum ferri in res omnes futuras simul ab æterno, ac si præsentes essent ne aliqua successio dicatur esse in illius scientia. Hinc etiam infert omnia quæ futura sunt in tempore præsentia esse Deo, non tantum in rationibus æternis, seu in essentia sua, & vt quidam recentiores dicunt in essentia sua, vt habet rationem speciei intelligibilis, sed quoniam intuitus Dei fertur in res omnes futuras. Quo in loco plane locutus est Sanctus Thomas de præsentia obiectiua. Nam ob id dicuntur res Deo præsentes à Sanctissimo præceptore; quoniam intuitus eius fertur in illas. Imò verò qui putant Sanctum Thomam præcise locutum esse de hac præsentia obiectiua, & non de illa reali rerum in actu extra causas, dicunt quod si de illa reali præsentia loqueretur, debuisset è contrario dicere idcirco intuitum Dei ferri in res ipsas, quia sunt ei præsentes.

Ad Hebr. 4
Sapiētiæ. 8
Heruæus. Syluester. Ægidius. Hispalensis. M. Gaspar à Torres.

CARDINALIS Caietanus. 1. par. q. 14. articul. 13. in commentario aperte sentit Sanctum Thomam dixisse Deum habere cognitionem infallibilem rerum, non solum ex parte æternitatis, sed etiam ex parte rationum rerum, seu propter rationes rerum, quas Deus præsentes habet apud se. Itaque dicit Caietanus manifestum esse à Sancto Thoma duas causas assignari, nimirum æternitatem, ratione cuius intuitus Dei ab æterno fertur supra res ipsas, & rationes rerum, quas Deus habet præsentes apud semetipsum. Subiungit autē Caietanus, quod per rationes Deo sunt præsentia omnia in ratione cogniti, hoc est vt cognita cognoscenti. Per æternitatem vero vt coexistentia coexistenti, & cōcludit quod nō solum est defendenda principalis ratio de æternitate, sed etiam ratio inclusa de rationibus rerum. Vnde ex hoc constat quod Molina non voluit intelligere Sanctum Thomam, vt Auctores citati intelligunt, & alij suæ familiæ.

Quid Caietanus senserit de cognitione futurorum secūdum mentē diuini præceptoris.

DVBIVM I.

Annexum ad præcedentem assertionem.

DVBITAT pro quarta assertione explicare. Vtrùm res, quæ in tempore fiunt sint æternitati Dei præsentes, & an ab æterno fuerint præsentes, nō quidē pro tempore in quo non sunt sed pro tempore in quo erunt, aut sunt, sic enim debet intelligi titulus huius dubij. In qua re recentiores Thomistæ duo dicunt. Vnum est res futuras nō esse præsentes æternitati ab æterno præsentia actuali reali extra causas, sed solū in mente Dei præsentia obiectiua. Secundum est præsentiā realem non posse esse Deo rationem cognoscendi certo, & infallibiliter futura. Quia etiā si res essēt presentes presentia reali propter eternitatis eminentiam, nihilominus prius natura

quam essent presentes à Deo cognoscerentur. Hunc modum dicendi insinuat Durandus in 1. dist. 38. q. 3. & Gregorius Ariminensis. q. 2. artic. 2. Heruæus in 1. dist. 38. ar. 3. & Siluester in conflato. 1. p. AEgidius etiam supra citatus in opusculo illo contra corruptores doctrinę D. Tho. ar. 4. citantur etiam pro hac sententia Alensis. 1. p. q. 23. mẽbro 4. ar 3. & Bonauentura in 1. dist. 39. art. 2, q. 3. Sed plures istorum sine causa citantur. Scotus tamen in 1. dist. 39. q. 1. §. Aliter ponitur & §. Contra istud: expresse loquitur contra S. Thomã intellectum tamẽ iuxta mentem eiusdem Scoti.

Durandus. Gregorius de Arimi. Heruæus. AEgidius Alensis. D. Bonau. Scotus.

Primũ argumentum

ARGVMENTA Scoti, & aduersariorũ sunt quæ sequuntur. Primum est. Quoniã id quod non est seu quod nihil est, quia non habet esse, neq; propriã aliquam durationem, quæ à suo esse proprio nõ distinguitur, nulli potest coexistere: Sed futura cõtingentia quãdiu sunt futura ad vtrãq; partẽ indifferenter neq; sunt, neq; habẽt esse: ergo non coexistunt alicui durationi. Patet cõsequentia. Quia coexistere supponit existentiã tanquã fundamentũ ipsius coexistentiæ, sed futura ab æterno nõ fuerũt aliquid neq; habuerunt propriã durationẽ: ergo nõ potuerunt æternitati coexistere. Hoc argumentũ proponit Cardinalis Caietanus, de mente Scoti, & aduersarij dicunt esse argumentũ Durandi, & esse insolubile. Quia dicunt se non videre quid Caietanus aut Thomistę respõdeãt. Quia dicunt consequentiã argumenti esse euidentẽ. Et confirmãt argumentũ hoc discursu: Res inferiores nõ dicuntur, ita esse in æternitate vt æternitas sit intrinseca, & propria earũdẽ rerũ duratio, sicut enim nõ existunt existentia Dei, ita neq; ipso Dei esse dicũtur, neq; etiã durationẽ Dei durare realiter censentur. Quia vnaquæq; res sicut in se habet suũ esse intrinsecũ, ita etiã & suã propriã durationem qua vere & realiter dicitur durare: ergo creaturæ solum sunt in æternitatę quatenus dicũtur coexistere illi tanquã sub extrinseca duratione, cui dicũtur coexistere res quando sunt, & nõ antea: ergo nulla ratione dicuntur ab æterno res esse præsentes præsentia reali. Nã æternitatẽ esse supra omnẽ durationẽ hoc tantũ prẽstatvt res quocũq; tẽpore existant ęternitas cõplectatur & cõprehendat, ipsæq; omnes eo tẽpore coexistant. Efficere autẽ non potest æternitas neque præstare vt res ipsi coexistant, quãdiu nõ habent propriũ esse intrinsecum, aut quamdiu nõ existunt. Quia duratione aut existẽtia aliena potest quidquã existere aut durare: ergo cũ æternitas alijs rebus extrinsece adsit nõ faciet eas esse, neq; sibi coexistere. Nam hoc indenominatione extrinseca cõsistit, quæ supponit verũ esse ipsarũ rerũ quas denominat. Et cõfirmatur vlterius. Quia de ratione cognitionis vt cognitio est, solũ illi conuenit vt faciat ex vi sua res præsentes esse obiectiue cognoscẽti, & intelligenti. Quoniã illud esse præsentiæ obiectiuæ rerũ, quæ nondũ sunt, tantũ est repræsentari potest autẽ repræsentari id quod nondũ est, imõ verò id quod tantũ est possibile. At vero propriè coexistere, coexistentia propria & duratione nullo modo aliquid potest ex duratione extrinseca alteri⁹ rei: ergo &c. Sed profecto mihi videtur hoc argumentũ nõ esse contra D. Thomã. Quia vere probat q̃ S. Thomas non negat, neq; est cõtra illius sensum vt inferius ostendam.

Confirm. 2

Secundũ argument.

SECVNDO argumentatur Scotus. Quia si omnia coexistunt æternitati: ergo omnia sunt simpliciter in actu. Patet consequentia. Nam quod habet esse in actu in se ipso respectu causæ primæ est simpliciter in actu. Quia quod est tale respectu primæ causæ est tale simpliciter, ex quo sequitur quod vel res producerentur bis vel q̃ nõ possunt postmodũ poni in actu.

Tertium argument.

TERTIO arguitur, & est argumẽtũ à Caietano relatum. 1 p. q. 14. ar. 13. pro Scoto. Coexistentia fluentiũ circa instans exigit existentiam vtriusq; extremi pro eadem mensura durationis, seu est impossibile quod duo instãtia temporis simul existãt in eadem mensura durationis: ergo impossibile est quod coexistãt simul alteri extremo nimirum æternitati. Patet maior in cẽtro, & in circũferentia puncti, si fingamus puncta illa nõ stare seu fluere. Certũ est enim quod singula quãdo essent, coexisterent cẽtro, sed nunquã simul, nõ ex defectu centri, sed ipsorũ, quia nunquã sunt simul, sed labuntur vnũ potest aliud, & ita euenit de ęternitate & tempore, & rerum quæ in ipso sunt.

Quartũ argument.

QVARTO arguitur. Actio libera meæ volũtatis, siue sessio mea futura vt futura est vel cognoscũtur & sciuntur à Deo certò & infallibiliter aut nõ sciuntur, si cognoscuntur & sciũtur à Deo huiusmodi futura: ergo nõ requiritur quod dicamus ipsa actu existere in se ipsis ad hoc vt certo sciantur & cognoscãtur. Si vero dicas nõ certo cognosci à Deo: ergo aliter nouit Deus facta quã fienda, contra D. Augustinũ. 5. super Genesim ad litterã. Patet consequentia. Quia cũ elicita fuerit actio voluntatis meæ vel cũ facta fuerit prædicta sessio, tunc cognoscentur, & scientur à Deo,

Quintũ argument.

QVINTO proponit Caietanus alterum argumentum ad aperiendã, & inuestigandam rei veritatẽ. Nã scientia Dei non accipit certitudinẽ ab alio obiecto quam à propria essentia: ergo non est certa ex hoc quod sessio illa est in actu, sed aliunde. Patet antecedens. Quia alias diuinus intellectus esset imperfectus, & sumeret cognitionem à rebus.

Sextum argum.

SEXTO arguitur, Dei immensitas nõ est prę sens ab æterno omnibus locis in tẽpore futuris, vel è conuerso loca nõ replentur Dei immẽsitate ab æterno: ergo pari modo res futurę nõ continentur ab æterno ipla æternitate.

Vltimũ argument.

POSTREMO arguitur argumẽto Caietani Cardinalis loco citato. Quia sequeretur si futura contingentia coexistunt in æternitate, quod possent cognosci ab intellectu Angeli. Nam duratio substantiæ Angelicæ vere est æuum, & verè est tota simul: ergo æuũ quod

est

est duratio Angeli verè cõplectitur simul omnia quæ deinceps futura sunt: ergo respectu durationis æui Angelici omnia ipsi coexistunt simul: ergo pariratione sicut existẽtia in ęternitate ipsorum futurorum, est sufficiens causa vt cognoscãtur à Deo certo, & infallibiliter pari modo existentia futurorum in ipso æuo Angelorũ erit sufficiens ratio, cur futura cognoscãtur ab Angelo, quia simili modo omnia currũt.

Caietanus. Res præsentes dupliciter possunt esse præsentes æternitati.

CARDINALIS Caietanus 1.p.q,14.artic. 13.§. Ad has obiectiones in commentatio fatetur sensum D. Thom. difficilem esse, & obscurum, & per plures annos ab eo non fuisse intellectum, sed nihilominus aduertit quod res temporales, esse præsentes æternitati, potest dupliciter intelligi. Vno modo, quòd in quolibet nunc, tẽporis sint prẽsentes ęternitati; ita quod coexistentia cuiuslibet rei ad æternitatẽ mensuretur quolibet instanti tẽporis, & hic sensus est quem aduersarij prætendunt esse S. Thomæ. Sed errauerunt, inquit Caietanus, quia hoc non solũ habet implicationem, sed neque somniauit sanctissimus præceptor: Quia coexistentia rei ad æternitatẽ ęquatur in duratione mensuræ eiusdem existentiæ, cũ nõ coexistat nisi secundum suam actualẽ existentiam. Alio modo potest intelligi quod in quolibet nunc æternitatis res sint præsentes æternitati, ita vt coexistentia cuiuslibet rei ad æternitatẽ saluetur in quolibet nunc æternitatis, & hic sensus videtur esse intentus à S. Thoma, & videtur esse verus: Quia cũ ęternitas non habeat nisi vnum nunc, quod æquatur ipsi æternitati, & excedit omne tempus, necesse est ꝙ omne instans nostri temporis, & quidquid in illo est aut fit saluetur in nunc æternitatis, & comprehendatur ab eo, non vt à mensura adæquata, sed vt à mensura omnia ambiente, & excedente. Quocirca istæ propositiones. Omnia quæ sunt in tempore sunt præsentia æternitati, vel sunt præsentia à Deo ab æterno, debent sumi quatenus ly, sunt, consignificat nunc ęternitatis, & vnit pro æternitate, ita vt illud verbum, sunt, non vniat extrema pro instanti nostri temporis, seu pro tẽpore prẽsenti, sic enim illa propositio, Omnia sunt Deo præsentia, si verbum, sunt, vniat extrema pro instanti nostri temporis seu pro tẽpore præsenti est falsa. Similiter illa esset falsa. Omnia coexistunt Deo, quia in hac hora aut in hoc instanti præsenti futura contingentia non sunt in rerum natura, & ex consequenti non sunt præsentia æternitati. Et in hoc sensu impugnant aduersarij D. Thomam. Quod si hic esset sensus sanctissimi præceptoris certe argumenta aduersariorũ valida sunt. Verum tamen sanctissimus præceptor non intellexit rem hanc in hoc sensu, neq; has propositiones dixit esse veras in sensu, quẽ aduersarij prætendunt, & idcircò otiosè argumentantur. Vnde secundus sensus illarum propositionum verus est, si verbũ illud, sunt, vniat extrema pro instanti æternitatis, sic enim sensus illius est verus, & propositiones etiam veræ, quia futura omnia quæ venturo tempore erũt sunt prẽsentia Deo in isto nũc ęternitatis.

Quomodo intelligatur res temporales esse præsentes æternitati.

RVRSVS vt rem hanc aperiamus perpẽde quod quãdo dici solet apud discipulos D. Thomæ & apud Cardinalem Caietanũ virum doctissimum futura contingentia præsentia esse Deo in æternitate, quia omnia sunt nuda, & aperta oculis eius non est intelligendũ, quod futura contingentia sunt Deo præsentia pro quolibet tempore, sed solũ pro tẽpore in quo sunt præcise. Nã Antichristus dicitur præsens Deo secundum suum esse, & secundũ suam realitatẽ quam habebit, sed nõ est præsens illi pro hoc tempore, neq; fuit illi præsens pro tẽpore Noe aut pro tempore Adæ, aut pro quolibet alio tẽpore, in quo non est, neq, fuit, sed solum pro tempore in quo Antichristus erit tanquã immensura sibi adæquata. Quo fit vt futurũ contingens coexistens æternitati, non fundet relationem coexistentiæ pro quolibet tẽpore, sed tantũ pro eo, in quo erit determinate, quia tantum pro illo tempore coexistit æternitati. Itaq; futura contingentia neq; coexistunt Deo neque sunt præsentia Deo in se ipsis absolutè pro quolibet instanti nostri temporis, in quo nondũ sunt, dici tamẽ possunt coexistere Deo in illo instanti ęternitatis præcise pro illo temporis puncto, aut duratione, in quibus erũt aut sint.

Auctor explicat D. Thomam & Caietanũ circa cognitionem futurorum contingentium.

OBSERVA præterea quod licèt ęternitas sit tota simul, & ambiat omne tempus præteritum, præsens, aut futurum, nihilominus ex eo quod dicantur futura contingentia Deo præsentia, & ęternitati eius nullam volumus futura contingentia habere anticipatam existentiam, ita vt prius res sint in æternitate, quam in tempore fiant. Nam non sunt prius in æternitate, quam sint in se ipsis, sed non sunt in se ipsis prius, quam producantur, & manent à suis causis in tempore: ergo non sunt prius in æternitate quam sunt in tempore: ergo non sunt ab æterno in æternitate: ergo solum est verum quod ab æterno comprehenduntur in ipsa æternitate existentiæ rerum omnium, tanquam à mensura ambiente, imò superexcedente, & complectente omnia tempora, non quod cõprehendãtur in ęternitate futura cõtingentia pro tempore in quo nõ erunt, sed solum pro tempore in quo erũt: & pro eo instanti in quo erunt dicuntur esse prẽsentia Deo. Vnde valdè obserua quod aliud est coexistere alicui, & aliud est esse prẽsens. Nam coexistentia cum aliquo supponit existẽtiam amborum iam in actu, & in se ipsis, & nihil aliud est quam simultanea omnino existẽtia eorũ interse. Vnde quę non simul sunt in se ipsis iuxta proprias durationes non dicuntur verè coexistere inter se, prẽsentialitas vero secundum proprium conceptũ, quem dicit solũ referrur ad cognitionem. Nã duo lapides sunt coexistentes interse quando sunt in eodem tempore, sed non dicuntur esse sibi præsentes quia præsentialitas ex vi sua refertur ad

cognitionem, vt egregiè insinuauit S. Thom. 1. part. quæst. 8. arti. 3. Nam ob id dicit Deum esse in omnibus rebus per præsentiam in quã tum omnia nuda sunt, & aperta oculis eius, atque ita vbi non est cognitio alicuius quamuis ei coexistat secundum esse in eodem nunc, tamen non dicitur illi præsens nisi cognoscatur ab eo. Coexistentia vero refertur ad existẽtias simultaneas pro eodẽ puncto in quo sibi inuicem adsunt. Vnde Antichristus dicitur esse præsens æternitati, aut coexistens in se, non pro tempore in quo non est, sed solùm pro tempore, in quo est vel erit, & ob id in superioribus diximus non esse dicendum res, quæ in tempore fiunt prius existere in æternitate quam existant in tẽpore. Imò verò non prius esse præsentes Deo in æternitate secundũ suas existentias quã sint reuera præsentes & existẽtes in tẽpore. Quia particula illa, prius, denotat anteceſsionẽ ad esse rerum. Sed potest dici res pro tempore in quo est præsens Deo secũdum cognitionẽ, quia eius intuitus ab æterno fertur supra res omnes, & etiam supra futura omnia, non pro tempore in quo non sunt, aut prius quam producantur, & emanent à suis causis in tempore, sed solum præcisè pro eo tempore in quo erunt. Et hic videtur esse sensus D. Thomæ in prædicto articul. 13. in quo Sanctissimus præceptor Diuus Thomas dicit quod licèt contingentia fiant in actu successiue non tamen Deus successiue cognoscit contingentia prout sunt in suo esse sicut nos, sed simul quia sua cognitio mensuratur æternitate, sicut & suum esse, æternitas vero tota simul existens ambit totum tempus, vnde omnia quæ sunt in tempore sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia prout sunt in sua præsentialitate. Quod intellige prout sunt in sua præsentialitate, quatenus eius intuitus fertur ab æterno supra res ipsas, non pro tempore in quo non sunt, sed solum pro tempore in quo sunt, vel erunt. Nam certè intuitus Dei ab æterno fertur super Antichristum pro tẽpore vltimo in fine seculorũ.

Futura cõtingẽtia licet fiant successiue non tamen cognoscuntur à Deo successiue, sed simul.

His stabilitis optime colligitur qualis fuerit mens D. Thomæ, neque eam fuisse quam multi ex aduersarijs prætendunt. Non enim res creatæ tẽporales dicuntur coexistere Deo ab æterno etiam in æternitate, quia non comprehenduntur ab æternitate pro puncto, & tẽpore in quo non sunt, sed solum pro eo tẽpore & puncto determinato in quo sunt ante quod non erant. Quod si rectè perpendantur verba D. Thomę supra relata hęc est sine dubio eius mens. Quoniam res quæ in se actu non existit & quando in se non existit nõ potest dici existere in æternitate, aut illi coexistere. Quia coexistentia duorum in rebus creatis postulat & supponit prius existentiam, & productionem, atque emanationẽ à suis causis in tempore: Sed res creatæ non fuerunt ab æterno productæ, & emanatæ à suis causis, alias mundus diceretur esse res ab æterno, quod est contra fidem. Neque res creatæ extiterunt in se ipsis ab æterno in propria existentia aut duratione: ergo neque ab æterno extiterunt in æternitate: igitur neque coexistunt ab æterno, neque realiter coextiterunt æternitati. Quoniam vt dictum est existere in æternitate supponit existere in se, & existere in se supponit productionem & emanationem rerum à suis causis in tempore. Ex quibus aperte sequitur quod si res creatæ considerentur in propria duratione & mensura, in qua existunt, & emanauerunt à suis causis non coextitisse Deo ab æterno, & oppositum huius nunquam somniauit Diuus Thomas, imò verò neque Caietanus, neque alij illustres Theologi ex familia ipsius, neque Catherinus, neque Ferrara 1. contra Gentes cap. 66. & 67. neque Capreolus locis citatis aut Abulensis Iosue. 11. quæst. 68. &. 76. neque Ricardus in prima distinctione. 37. &. 38. arti. 1. q. 3. & distinct. 39. ar. 1. q. 1. qui omnes, & plures alij ex schola D. Thomæ, qui sequũtur suum præceptorem solum sentiunt res omnes, quæ in tẽpore successiue fiunt, & non simul semper fuisse à Deo cognitas, ac proinde præsentes suæ cognitioni, & æternitati, quatenus est mensura cognitionis diuinæ, non quidem quod dicantur præsentes Deo, vt elegan teraduertit Caietanus, pro tẽpore, in quo non sunt, sed pro tempore in quo sunt, quod ab æternitate comprehenditur, à qua, & in qua Deus cognoscit omnia futura, cuius intuitus ab æterno ferebatur supra illa. Vnde Caietanus inquit, quod res secundum nunc æternitatis comprehendens omne tempus sunt præsentes æternitati, hoc est, illi visioni, quæ æternitate mensuratur. Quia quemadmodum ad hoc quod aliquid sit præsens visioni nostrę corporali, nihil aliud requiritur, nisi quod illud visibile adsit pro mensura durationis, qua mensuratur visio eius, ita ad hoc vt aliquis sit præsens secundum se diuino conspectui exigitur quod sit, & adsit secundum illam mensuram durationis, qua visio diuina mensuratur, & hæc est æternitas. Vnde res omnes dicuntur esse præsentes diuino conspectui. Et vt aduertebam superius, aliud est res esse coexistentes, & aliud præsentes. Nam præsentia rei sumitur in ordine ad cognitionem, ad quam sufficit quod intuitus eiꝰ terminetur ad esse rei, & hoc habuit intuitus diuinus, qui fertur & cadit supra omnia ab æterno, non pro eo tempore in quo non fuerunt, sed pro tempore in quo fuerunt & sunt, vel erunt, quatenus illud omne cõprehenditur ab æternitate tanquam à mensura diuinæ cognitionis, pro qua sufficit & requiritur existentia rei non ab æterno, sed pro eo tẽpore in quo res est, quod fuit ab æternitate cõprehensum. Hunc sensum habuit D. Thomas, & non alium, & hunc insinuat Caietanus, si perpendatur in discursu quem facit prima p. q. 14. artic. 13. in commentario, & eundem habet

Caietanus. Ferrara. Capreolus. Ambrosius Catherinus Abulensis. Ruardus. Tapper.

Ambrosius Catherinus Ferrara. Marsilius.

Catherinus in opusculo de veritate enũciationum,& in opusculo de præscientia, & prouidentia :& Ferrara locis citatis , & Marsilius in 1.q.40.ar.2.neq; vlla est ratio cur tot illustres Theologi cum S.Tho.damnentur,cũ neq; ipse D. Thomas dixerit quod ipsi volunt. Nam in prædicto ar.13.quem recentes Theologi aduersarij male interpretantur, Sanctissimus præceptor inquit,quod quãuis contingentia fiant in actu successiue non tamen Deus successiuè illa cognoscit prout sunt in suo esse, sicut nos, sed simul quia sua cognitio mensuratur æternitate sicut & suũ esse,æternitas vero tota simul existens ambit totum tempus . Vnde omnia quæ sunt in tempore sunt Deo ab æterno præsentia non solum ea ratione , qua habet rationes rerum apud se præsentes, sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia ,prout sunt in sua præsentialitate.Quæ verba sanctissimi præceptoris sunt perpendenda propter illam causalem,in qua ait . Quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate , quod est dicere quatenus eius intuitus fertur ab æterno supra res ipsas non quidem pro tempore,in quo non sunt in se ipsis,sed solum pro tempore,in quo sunt,vel erunt,quod negari nulla ratione potest.Vnde nunquam S. Tho. neq; Schola eius intellexit res futuras coextitisse æternitati antequam fiant,quamuis in æternitate nulla sit successio, seu quãuis æternitas comprehendat omnia tẽpora.Quia non coexistunt adæquate æternitati,neq;pro quolibet temporis instanti,sed precise pro eo tempore, in quo sunt, & emanant à suis causis.

S. Thomas male interpretatur à modernis.

A

B

C

Qvare discipuli S. Thomæ semper censent res omnes creatas consideratas in propria temporali existentia earum, & in propria mẽsura,& duratione non coextitisse Deo ab æterno neq;potest hoc tribui ingenio D. Thomæ, neq; Scholæ eius.Quoniã neq; tempus neq;duratio aliqua intrinseca rei creatæ extitit ab æterno aut existit:ergo in ordine ad talẽ durationẽ propriam rei creatæ nulla omnino res potest Deo coexistere. Et ratio huius est.Quoniã coexistentia dicit omnino simultatẽ vtriusque extremi secundũ existentiam simultaneã: ergo si alterum extremum non habuit ab æterno existentiam vt fides docet, sequitur neque habuisse coexistentiam. Quod etiam constat. Quia coexistentia duorum dicit ordinem ad durationem simul coexistentem in vtrisque: ergo cum res creatæ non habeant simultatem durationis priusquam sint in se ipsis, quia tunc incipit duratio earum, sequitur eas non coextitisse Deo ab æterno . Optime tamen res dicuntur coexistere æternitati , & toti æternitati Dei indiuisibili quamuis non totaliter, neque adæquate quando res vere existunt in propria sua duratione , & mensura . Et ratio est. Quia cum res aliæ à Deo incipit esse , tunc etiam incipit duratio alia rei de nouo, & cum æternitas Dei semper permaneat simul , & non desinat,sequitur quod tunc coexistant simulque perseuerent, & consequenter hęc coexistentia nihil addit Deo neq; æternitati eius, sed solum extrinsecam denominationem ex ipsa mutatione rerum , quæ denouo incipiunt esse,& temporaliter durare propria duratione quam antea non habebant . Nã profectò æternitas necessario coexistit omnibus temporibus præteritis,præsentibus,& futuris, ipsa vero tempora interse non coexistunt , neque etiam creaturæ quæ in illis sunt, quia successiuè emanant à suis causis , ac proinde fit quod æternitas , & duratio creata seu temporis non possunt interse esse adæquate in coexistentia. Qua propter rectè colligitur id quod est æternum coexistere cuicumque rei temporali pro tempore in quo ipsa est, & coexistere omnibus temporibus,& vniuersis suis partibus, nõ tamen sequitur è conuerso, vt id quod est creatum , & habet durationẽ temporalẽ,per quam quando est, æternitati coexistit , coexistere etiã omnibus alijs rebus aut temporibus,& ex hoc aperte constat nullam durationem creaturæ posse coexistere adæquate ipsi æternitati.Quia res quæ in se non existit,& quando in se non existit non potest dici existere in æternitate : ergo necesse est dicere , quod cum res creatæ ab æterno non extiterint in se ipsis , neque in propria duratione , & existentia vt Sanctus Thomas fatetur , quod neque etiam extiterunt ab æterno in æternitate , ac proinde, neque coextiterunt realiter ipsi æternitati . Rursus rem in æternitate existere vel intelligitur tanquam in mensura suæ durationis ,& hoc non,quia creaturę non mensurantur æternitate , vel intelligitur in æternitate comprehendi , & amplecti tempus suę existentiæ , & durationis pro illa duratione in qua est , & hoc est verum . Quia æternitas non comprehendit Antichristum , pro tempore in quo non est , sed pro tempore in quo est , cum ipse non sit in toto tempore, sed solum in illo vltimo ,quod erit suę durationis mensura.

D

Denique hæc præsentia futurorũ contingentium non est secundum coexistentiam realem ratione existentiæ creaturæ pro toto tẽpore coexistente Deo,& æternitati Dei,sed tantũ pro eo tempore precise, quo res iam est in actu egressa à suis causis,hanc autem præsentiam pro eo tẽpore determinate in quo res est ab æterno vidit Deus , quatenus intuitus eius in æternitate ferebatur supra rem,cadens supra illam pro eo tempore,in quo determinate extitit:itaq;res habent non solum præsentiam obiectiuam,sed etiã eam quam res pro tẽpore in quo sunt habere possunt, quam intuitus ille diuinus ab æterno cernebat , iuxta modũ quem explicuimus.

Sed obijcies contra ea , quæ diximus. Hæc consequentia est necessaria . Res existit in æternitate : ergo existit. Quia valet argumentum ab inferiori ad superius affir-

Obiectio.

matiua. Vnde illatio illa seu consequentia non est à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Nam existere in æternitate non est conditio diminuens. Nam esse in æternitate supponit existentiam, imò verò supponit esse rei creatæ in propria mensura contenta ab alia superiori: ergo. *Respondet.* Respondetur quod valet argumentum: Existit in æternitate: ergò existit. Cæterum res creatæ ante quam in tempore sint sicut non dicuntur coexistere æternitati, ita non dicuntur proprie esse in æternitate, sed dicuntur comprehendi ab æternitate, quæ sua duratione infinita, & inuariabili comprehendit omnem aliam durationem propriam cuiusque rei, ex eo quod duratio æternitatis est permanens tota simul, & sine vlla successione continens omnem aliam durationem cuius libet creaturæ. *Secũdo respondetur.* Secundo respondetur quod in æternis valet argumentum. Existit in æternitate: ergo existit, & coexistit illi. Cæterum in creaturis, quæ æternæ non sunt, sed in tempore factæ, non valet argumentum. Existit res in æternitate, id est continetur duratio sui esse in æternitate, quæ est mensura inadæquata amplectens durationem rei creatæ: ergo existit, sed tantum valet: ergo vel existit, vel habebit suam existentiam in aliqua parte temporis, quæ continebitur ab æternitate, & tunc coexistet illi pro eo tempore, & non antea.

Sed obijcies Respondetur. Sed dices contra. Quando res dicitur esse seu existere in æternitate duo dicuntur de re ipsa. Primum est quod existit. Secundum est quod existit in æternitate: ergò. Respondetur, quod quando Sanctus Thomas aut forte aliqui ex Schola ipsius dicunt res existere in æternitate non intelligunt, neque vnquam intellexerunt res esse in æternitate per intrinsecam denominationem, quia sic essent æternæ ob id quod intrinseca denominatio est à propria forma. Vnde si res ab intrinseca denominatione dicerentur esse in æternitate haberent similiter intrinsecam æternitatis durationem, quod tamen est aperte falsum, imò verò contra fidem. Et ex hoc constare potest, quod cum res dicuntur in æternitate esse, idcircò dicuntur esse ibi: quia existentia ipsarum pro tempore in quo est, comprehenditur ab æternitate ambiente omnia tempora, atque ita dicuntur esse in æternitate denominatione extrinseca, quæ sufficit ad hoc vt possit concedi in sensu intento, quod sunt in æternitate, id est quod sunt præsentes diuino conspectui in æternitate, à qua earum existentia in tempore, pro quo res sunt comprehenditur Deus enim in æternitate eas videt, & sunt præsentes conspectui eius æternitate mensuratę.

Ad argumenta contra Diuũ Thomam.

Ad primũ AD argumenta quæ contra Diui Thomæ sententiam proposita sunt ex his, quæ diximus, non est difficile respondere: quia non militant contra sensum Diui Thomæ. Vnde ad primum, respondetur concessa maiori, & minori, quod quamdiu futura contingentia sunt futura cum non habeant esse, neque aliquam durationem non dicuntur coexistere æternitati. Vnde solum dicentur coexistere pro eo instanti aut pro ea duratione in qua habitura sunt existentiam, & non antea. Argumentum vero solum ostendit quod futura contingentia pro eo instanti aut pro ea duratione, in qua non habent esse non dicuntur coexistere quod plane fatendum est. Et ad primam confirmationem concesso antecedente & prima consequentia negatur vltima. Nam res quæ in tempore fiunt sunt præsentes diuino, & æterno conspectui, nõ pro tempore, in quo non sunt, sed pro tempore in quo sunt, quod intuetur Deus ab æterno sua cognitione æterna æternitate mensurata sine successione vlla aut mutabilitate. Vnde concedimus creaturas non coexistere æternitati ab æterno, sed solum pro eo tempore, in quo sunt, fatemur tamen Deum eas ab æterno intueri, non pro qualibet mensura, in qua nõ sunt, sed pro ea in qua sunt, vel erũt, quatenus ęternus intuitus Dei clare, & aperte ab æterno, & in sua æternitate eas omnes cernebat. *Ad primã cõfirmationem.* Ad secundam confirmationem respondetur concedendo antecedens, id enim etiam concedit Sanctus Thomas. Quapropter ex vi præcisa diuini intuitus non dicuntur fieri res præsentes in se ipsis. Cæterum si intuitus diuinus est infinitus non potest non cadere supra omnia illa, quæ aliquando coexistunt suæ cognitioni, & æternitati, qua mensuratur, & quoniam futura contingentia pro eo tempore in quo emanant à suis causis, & iam sunt in actu coexistunt diuinæ cognitioni æternæ, & infinitæ, idcircò pro sua duratione coexistunt cognitioni diuini intuitus & æterni. *Ad secundam confirmationem.*

AD secundum respondetur negando consequentiam. Nam non affirmamus omnia coexistere æternitati absolute, & simpliciter, sed coexistere pro eo tempore in quo sunt. Quia coexistentia vt vidimus supponit existentiam rei coexistentis, sed existentia non est nisi in aliquo tempore determinato: ergo neq; coexistentia nisi solum pro eo tẽpore, in quo res iam est. Et quando infertur: ergo omnia sunt simpliciter in actu, negatur consequentia. Nõ enim futura contingentia sunt simpliciter in actu nisi pro tempore in quo sunt. Et ad probationẽ dico, quod futurum contingens non est simpliciter in actu respectu primæ causæ secundũ propriũ esse reale, & propriam existentiam, nisi quando emanat à causa, & est actu ad extra. Hoc autem fit in tempore aliquo determinato & pro illo tantum dicitur esse in actu respectu causæ primæ. Sed quoniam hoc esse fuit comprehensum ab æternitate dicitur esse præsens illi, quatenus est mensura diuinæ cognitionis intuẽtisipsum nõ pro quolibet puncto, sedpro

eo tempore aut instanti, in quo est tantum. Vnde negandum est quod vel res bis producãtur, vel quod non possint poni in actu in tempore. Quia ob id dicuntur præsentes æternitati, non quia in æternitate producantur semel, & iterum in tempore. Nam cum dicuntur esse præsentes æternitati aspicimus ad existentiam quam habent ex emanatione suarum causarũ, & quoniam hanc intuitus est Deus in sua æternitate pro tempore in quo est, vel erit, idcirco dicitur coexistere pro sua duratione tantum, ipsi æternitati. Itaque existentia futuri contingentis quando ponitur in actu ad extra, tũc incipit coexistere æternitati, & hoc fuit visum à Deo ab æterno sine vlla successione, aut mutatione.

Ad tertiũ. Ad tertium respondetur quod coexistentia fluentium circa instans non exigit existentiam vtriusque fluentis, ex eo quod est fluens, neque etiam exigit existentiam pro eadem mensura durationis si fluentia inter se comparentur. Vnde quando fluunt coexistentia non dicuntur coexistere inter se, sed solum coexistunt respectu instantis, circa quod stant, & ad huc non simpliciter illi coexistunt, sed præcise solum, in quo est verum dicere quod sunt, Et quoniam impossibile est duo instantia temporis simul in eadem mensura durationis instãtaneæ existere ob id non dicuntur coexistere inter se, coexistunt tamen illi tertio, non absolute vt diximus, sed præcise pro suis mensuris in quibus sunt. Quo circa in circulo non fluente cernimus lineas, & puncta circumferentiæ coexistere centro, quia simultaneam habent, & permanentem existentiam tantæ, & tam propriæ durationis, sicut est illa, quæ est in cẽtro, quia omnia sunt eiusdem ordinis, & homogenea quantum ad hoc, quod non euenit in casu huius disputationis, de qua agitur. Quia mẽsura æternitatis est tota simul sine successione vlla, & non habet nisi vnicum nunc ambiens omnem durationem, & omnem cognitionem diuini intellectus. Cæterum res sunt in alia dissimili duratione, & ob id vt coexistant æternitati, satis est quod coexistant pro mensura durationis in qua sunt. Cum hæc coexistentia comprehendatur ab æternitate pro eo tempore, in quo res existit, & non pro tempore in quo non existit.

Ad 4. argumentum. Ad quartum argumentum respondetur, sessionem meam pro tempore in quo, est certò, & infallibiliter cognoscibilem à Deo, non quod cognitio sumatur ab ipsa sessione, quia Deus omnia in se ipso cognoscit, & per suam essentiam, sed quod diuina cognitio etiam terminatur ad sessionem actu existentẽ, & pari ratione quando actio libera voluntatis actu est, tunc dicitur terminare diuinam cognitionẽ, non quod cognitio diuina ipsius tunc esse incipiat, sed quia hæc ab æterno ferebatur suo intuitu in eandẽ actionem liberam pro eo tempore in quo existit, quia talis eius duratio in tẽpore quo existit, ab æterno fuit cõprehensa à Deo per mensuram æternitatis. Caietanus in commentario articuli dicit quod scientia Dei non capit certitudinẽ ex sessione Socratis, sed nihilominus sessionem Socratis esse terminũ notitiæ Dei, quatenus iam est in actu, & certe in se. Vnde dicit, concedendum esse argumentum hoc, quia non militat contra nostram sententiam. Semper tamen, inquit Caietanus, debere negari q̃ ex coexistentia, & præsentia contingentium ad æternitatem ambientem mensuram temporalem contingentium capiat certitudinẽ, aut cognitionem ab alio obiecto, quam à substantia sua. Vnde semper negatur consequentia.

Ad 5. argumentum. Ad quintum iam diximus Deum habere scientiam futurorum contingentium, quę erũt & certò, & infallibiliter eã ipsum habere non solum ex decreto eius, sed etiam ex præsentia obiectiua, & ex veritate futurorũ, & infinitate diuini intellectus, & diuini luminis, & ex perspicacitate cognoscitiua infinita ipsius Dei. Vnde negatur cõsequẽtia. Quoniã, vt diximus Deus nõ cognoscit per obiectũ extra se, neq; sumit certitudinẽ ab extrinseco obiecto, sed nihilominus ipse infallibiliter scit obiectum extrinsecũ, quia illud intuetur, & dũ ipsum cernit res ipsa est termin⁹ mediat⁹ diuinę cognitionis.

Ad sextum respondetur probabilem esse sententiam quod non solum Deus est per immensitatem suam in locis veris, sed etiam in imaginarijs & in infinito spacio imaginabili extra cælum empyrium propter immensitatem infinitatis suæ replentis non tantum vera loca sed imaginaria. Et quamuis loca omnia in tempore facta repleantur sua præsentia ab immensitate Dei, quando in tempore facta sunt id nõ est per mutationem ex parte Dei, sed per immutationem rerum, quę tunc esse incipiunt, nihilominus Dei immensitas ad omnia se extendit, ita vt non solũ sit in veris locis, vt diximus, sed in imaginarijs. Rursus negatur cõsequentia & paritas rationis si interpretemur D. Thomã eo modo quo diximus. Nã cõtinentia ęternitatis, quatenus est mensura diuini intuitus, & diuinæ cognitionis, & vt continens omnia tẽpora, & omnẽ aliam durationem creatam, non dicitur cõtinere res futuras ab ęterno pro ęternitate rerum, quia non fuerunt in æternitate pro qualibet duratione creata imaginabili, sed solũ pro illa, in qua adæquate fuerunt aut sunt, quæ fuit cõprehẽsa ab æternitate infinita Dei, tanquam à mensura superexcedente.

Ad septimum Caietanus concedit æuũ esse mensuram substantiæ Angelicæ non tamen concedit esse mensurã cognitionis Angelicæ. Ad septimum, & vltimum argumentum variæ assignantur solutiones. Caietanus respondet, quod æuum est totum simul, & quod ob id cum sit mensura creata metitur Angeli substantiam, non tamen dicitur esse mensura cognitionis Angelicæ. Quoniã cognitio Angeli mensuratur tempore discreto, ex quo fit quod futura contingentia non sunt præsentia cognitioni Angelicæ, neque cognoscuntur ab eo. Vnde omnino est disparratio. Quoniã futura sunt præsentia pro tempore quo sunt in actu seu pro quo emanãt à suis causis, ipsi ęternitati

quæ ex natura sua est mensura cognitionis diuinæ, & comprehendit omnia tempora, & inde fit quod futura etiam sint præsentia diuinæ scientiæ, idque minimè conuenire potest scientiæ Angelicæ, cui futura non sunt præsentia. Quia vt dictum est, scientia Angeli non mensuratur æuo, sed tempore discreto. Et subiungit Caietanus, quod quamuis futura contingentia non sint præsentia intellectui, & cognitioni Angelicæ, nihilominus quia substantia Angeli mensuratur æuo, metitur ipsum æuum permanenter, & simultanee, idcircò ait non esse inconueniens dicere aut concedere quod futura sint realiter præsentia substantiæ Angelicæ. Quia non ob id ab Angelo cognoscuntur, cum non sint præsentia ipsi cognitioni Angelicæ, quæ æuo non mensuratur, sed tempore discreto. Hæc responsio Caietani difficilis mihi visa est semper. Nam responsio hæc loquitur de præsentia reali, qua alicui mensuræ permanenti, & durationi intelligentis dicitur esse præsens, sed ex hac præsentia reali prouenit, vt etiam res sint ei obiectiuè præsentes, hoc est, vt ab eo possint cognosci: ergò sicut sufficit futura contingentia esse præsentia æternitati ipsius Dei suæque substantiæ infinitæ: aut sicut etiam sufficit esse præsentia æternitati cognitionis Dei, (quæ idem est cũ substantia Dei) per realem præsentiam, vt inde deducamus etiam præsentiam obiectiuam, ita similiter sufficiet futura esse realiter præsentia æuo, substantiæ Angelorum, vt etiam sint præsentia obiectiuè cognitioni eorum, quia ex præsentia reali infertur præsentia obiectiua, quæ nihil aliud est quam habere esse obiectiuum, & cognoscibile, hoc enim omnes fatentur, nimirum quod esse obiectiuè præsens est idem quod cognosci, seu actu habere esse cognoscibile. Et confirmatur. Quia si futura coëxistunt æuo secundum esse existentiæ, quando illud habent extra suas causas, vt etiã coëxistunt æternitati, similiter Angelus poterit deprehendere sua cognitione ea, quæ iam posita sunt in æuo extra suas causas, atque adeò certò intuebitur illa, esto eam non cognoscat per cognitionem, cuius duratio sit æuum, sed solum nunc temporis discreti.

Impugnat. Solutio Caietani.

Confirmat.

Dices futura non solum debere coëxistere cognitioni, & intellectioni Angeli, secundum esse per realem præsentiam, sed etiam per præsentiam obiectiuam, vt ab Angelo possint certò cognosci: Futura verò non possunt repræsentari Angelo obiectiuè quousque sint actu præsentia in propria duratione eorum. Sane huiusmodi responsio inutilis videtur. Quoniam si ex præsentia reali in duratione æternitatis non colligeretur præsentia obiectiua, vt res quæ sunt Deo realiter præsentes ab eo cognoscerentur, sed ex præsentia obiectiua id esset probandum, frustra laborarent discipuli Diui Thomæ in discursu huius disputationis in probatione realis præsentiæ ad æternitatem. Quia potiùs discipuli D. Thomæ debuissent intendere ad probandum res futuras obiectiuè præsentes esse Deo, & obiectiuè repræsentari Deo & ob id cognosci ab ipso. Nam certè si vt futurum aliquod repræsentatur parum aut nihil refert, quod res sit præsens præsentia reali, frustra conatus noster totus poneretur in constitutione permanentiæ æternitatis, quæ durationem sua comprehendit successiua omnia, frustraque adduceretur à nobis permanentia æternitatis, complectens duratione sua, omnia successiua, vt probaremus Deo omnia futura esse præsentia: vel si ex reali præsentia probatur obiectiua in Deo pari modo in Angelo colligitur etiam euidenter.

Solutio aliorum.

Qvo circa aliter dissolui potest argumenti difficultas secundum recentiores Theologos, nimirum, æuum ex se non habere latitudinem duratiuam, sed tantum ex eo quod Angelus conseruetur à Deo maiori vel minori tẽpore, ac proinde, Angelum coëxistere futuro tempori, dependere ex eo, quod Deus confert Angelo esse, ipsumque conseruat in tempore futuro, & non solum ex futura existentia temporis: æternitas vero ex se, est infinita duratio quæ æuo conuenire non potest. Et hinc colligunt recentes Theologi quod non est vtrobique par ratio, quoad hoc quod futura quæ adhuc in tempore futura sunt, non coëxistant in hoc temporis momento cum æuo, vt coexistunt cum æternitate. Hęc tamen respõsio fundatur in quadam doctrina falsa, quæ putat quũ ex se non habere latitudinem durationis, neq; esse constituendum pro mensura Angeli. Nã putat Angelum non aliam habere durationem intrinsecam, & distinctam, neq; mensuram propriam, sed solum durare, sicut etiam res omnes tẽporales, & corruptibiles per hoc, quod eius esse mensuratur à Deo maiori, vel minori tempore: ex quo secundum hanc opinionem sequitur Angelum non esse ab intrinseco incorruptibilem, sed solum ex manutenentia, & conseruatione, qua conseruatur eius esse in maiori, vel minori tempore, sicut etiam posset Deus conseruare quamcumque rem corruptibilem in maiori, vel minori tempore manutenendo ipsam. Vnde neque hæc solutio dissoluit argumentum.

Qvod si dicas, si vnum instans Angelicæ cognitionis duraret per integrum annum tunc sequitur, quod futura contingentia, quæ intra annum illum emanarent à suis causis coëxisterent cognitioni Angelicæ. Quia coexistunt in illo eodem instanti, in quo est Angelica cognitio, & ex præsentia reali, & coëxistentia ad instans cognitionis Angelicæ sequitur præsentia obiectiua in esse cognoscibili respectu Angelicæ cognitionis mensuratę illo eodem instanti. Certe hoc argumentum militat similiter contra Caietanum. Sed respondetur in primis nulla ratione concedendum esse futura contingentia cognosci ab Angelo, sunt enim qui referant quoidam Theologos dixisse, sed male, futura cognosci ab Angelo, nõ

vt ipsi futura, sed vt præsentia iam in suo æuo, quod nulla ratione est ferendum, neque dici potest. Nam ex hoc sequeretur quod ea quæ nobis reuera sunt futura, certò ab Angelis cognoscerentur: quia eis sunt præsentia, & pari ratione diem iudicij determinate scirent contra illud Matthæi. 24. & Marci. 13. De die illa nemo scit, neque Angelus Dei. Patet sequela. Quia non alio modo in Schola D. Thomæ tribuitur Deo scientia futurorum contingentium, quam quia sunt præsentia eius æternitati. Vnde iam Angelis concederetur id quod Deo tribuitur. Ego tamen sicut sentio Angelũ non cognoscere futura hæc contingentia, ita sentio non esse præsentia respectu cognitionis Angelicæ. Quod si non sunt præsentia illis præsentia reali, respectu suæ cognitionis, pari modo est dicendum, non cognosci ab eis.

Matth. ca. 24. Marc. cap. 13.

Qvapropter alij censent coexistere hæc futura æuo, sed non in ratione cognoscibilis, nisi tantum pro ea mensura, in qua erunt, neq; hoc sufficere respectu futurorum liberorum, & cogitationum cordis, quia hæc sunt alterius ordinis, nimirum liberi, ad quæ cognoscenda requiritur lumen ex parte intellectus quod in creaturis non est sufficiens. Solus enim Deus certo cognoscit cogitationes cordiũ, cuius lumen & intelligendi perspicacitas sunt infinita. Nam certè cogitationes liberæ, quæ dicuntur futura contingentia libera, quamuis non dicantur occulta Angelo, neque subducantur à naturali cognitione eius propter rationem excellẽtiæ entitatis suæ, tamen vel propter modum liberum alterius ordinis, & quasi præternaturalem, quem habent quàntum ad sui productionem, cum cogitatio cordis libera sit, ac proinde occulta Angelo propter modum illum liberum quem habet, ex eo quod libera cogitatio tantum pertinet ad cogitantis liberam voluntatem subducuntur à cognitione Angeli. Nam cogitatio cordis libera sine dependentia à causa aliqua naturali creata deducitur, & voluntas sine dependentia à naturali causa: *Determinat productionem illius cogitationis*: quod expresse dixit Sanctissimus Præceptor. 1. part. quæst. 57. art. 4. & Ferrara. 3. contra gent. capit. 154. accurate satis explicat cur futura contingentia cordis etiam quãdo actu posita sunt in se ipsis non cognoscantur ab alio Angelo, sed à solo Deo. Quo in loco inquit hoc ex sola voluntate libera pendêre. Vnde communiter Theologi in materia de Angelis dicunt Angelum non esse sufficienter constitutum in actu primo ad intuitiue cognoscendum actus liberos alterius Angeli. Imò verò intellectum Angelicum nõ habere sufficiens lumen ad manifestandum cogitationes cordis antequam manifestentur ab ipso cogitante. Vnde non sufficit existentia rerum aut coexistentia cum æuo, vt intellectus Angeli cognoscat futura libera quando iã sunt emanata à voluntate libera Angeli. Omittamus modo esse sententiam multorum quod actus liberi non possunt cognosci ab alio Angelo, non solum quia cognitio eius non mensuratur æuo, sed quia Angelus non habet species quibus repræsententur futura illa contingentia ad vtrumlibet seu libera, & consequenter tales actus liberi qui sunt superioris ordinis, & rationis non habent necessariam connexionẽ cum speciebus naturalibus Angelo cõgenitis. Nam si Angelus esset constitutus in actu primo ad intuendum vel cognoscendum hæc futura contingentia, & haberet etiam species, quibus ea cognosceret, & suæ cognitioni coexisterent vt præsentes, Angelo habente sufficiens lumen, solum à Deo occultari possent, si tamen repræsentari posset Angelo sufficiẽs modus libertatis, qui in modo emanationis eiusdem habitus liberi cõtinetur. Cum igitur hæc omnia deficiant in Angelo nulla ratio est, cur etiam si hæc futura coexistant alicui æuo, imò verò alicui durationi Angelicæ cognitionis alterius Angeli cognoscantur ab eo. Et idcirco in hac parte repellendi sunt Gabriel in 2. dist. 9. q. 2. & super canon. lect. 31. & Ioãnes Maior in eodem. 2. dist. 9. quæst. 3. cum Ochamo & alijs, imò verò cum Scoto in 2. dist. 9. quæst. 1. & 2. & in 4. dist. 10. q. 8. Sed de hac re sufficiãt pauca hæc quæ diximus. Nam alia pertinent ad 1. part. D. Thom. q. 56. art. 4. Addere tamen oportet ad superiora æuum non esse mensurã per essentiam continentem mensuras inferiores aut durationes rerum, quę sunt in tempore; æternitatem vero esse mensuram per essentiã, continereque & amplecti mensuras & durationes aliorum inferiorum, ac proinde argumentum septimum nullas habere vires contra sententiam D. Thomæ.

Gabriel. Ioannes Maior. Ocham. Scotus.

Ex dictis colligitur Deum ex multis capitibus secundum nostrum modum intelligendi posse habere & de facto habere certam cognitionem & infallibilem futurorum contingentium, neque ipsa posse subterfugere vllo pacto cognitionem illius. Nam non solum ex decreto suo, sed etiam ex præsentia obiectiua, seu ex veritate futurorum, & infinitate intellectus Dei, & etiam ex præsentia reali, quam ab æterno Deus intuetur pro tempore quo res præsentes sunt in se, vt S. Thomas optimè deduxit in articulo, ea certo & infallibiliter cognoscit, vt omnibus modis quibus res cognosci potest de facto cognoscatur à Deo. Neque enim fieri potest vlla ratione quod omnibus illis modis & rationibus non cognoscantur quæ futura sunt, si Deus ea decreuit. Liberum ergo fuit Deo decernere quæ futura sunt in aliqua duratione reali, cæterum eo posito decreto imperfectioni tribueretur si Deus non cognosceret hæc futura contingentia omnibus modis quibus sunt cognoscibilia ab infinitate intellectus diuini & ab infinita perspicacitate eius, quæ ad omnes modos cognoscendi & certitudines vnitæ se habent.

Ex quibus capitibus sumatur cognitio futurorum cõtingentium in Deo.

S. Thomas. Ferrara.

Angelus nõ est in actu primo ad intuitiuè cognoscendum actus liberos alterius Angeli.

(i)

DVBIVM II.

Annexum an hæc futura contingentia præcognoscãtur certo in diuinis Ideis.

DE HAC difficultate S. Thomas 1.part.quæst.14.artic.13.dicit Deum intueri ab æterno futura contingentia ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, quod refert ex antiquioribus se, nõ tamen repellit hunc modũ dicendi, sed potius tacet, & silendo infert ex superioribus, quod omnia quæ sunt in tempore sunt Deo ab æterno præsentia non solum ea ratione, qua habet rationes rerũ apud se præsentes, sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia prout sunt in sua præsentialitate. Et ex hoc colligit dicens. Vnde manifestum est quod contingentia infallibiliter à Deo cognoscuntur, in quantum subduntur diuino conspectui secundum suam præsentialitatem. In qua re aduertendum est quòd in hac appendice vltima S. Thomas non tantum ex præsentialitate existentiæ, sed ex præsentialitate rationum earumdem rerũ apud Deum intulit infallibilem cognitionem futurorum, quatenus ea subduntur diuino conspectui.

Caietanus. CAIETANVS 1.par.quæst.14.art.13. aperte tenet quod quamuis idea & ratio se habeant sicut superius & inferius, nihilominus rationes rerum dicuntur esse ideæ, & consequenter per rationes rerum apud D. Thomam intelligendas esse ideas. Et Alexander Alensis. 1.part.q. 23.memb.3.art.4.& memb.4.art.3.& D. Bonauentura in 1.dist.39.art. 2. q. 3. aperte sentiunt Deum cognoscere omnia futura contingentia in suis Ideis tanquam in proximo obiecto determinante scientiam Dei ad iudiciũ de huiusmodi futuris. Cæterum non explicant Alexander & Bonauentura quo pacto ideæ cõcurrant ad huiusmodi iudicium & cognitionẽ, vtrum concurrant per modum obiecti vel quo pacto. Et sanè Caietanus in commentario articuli citati palam sensit ideas esse immediatum obiectum, in quo Deus intuetur hæc futura. Hancque putat esse sententiã Sanctissimi Præceptoris, & ita cũ interpretatur quando in articulo ait Deum non solum cognoscere futura in rationibus rerum, quas in se habet, (vt quidã dicunt) sed etiam quia eius intuitus æternus fertur ad res ipsas. Hæc Caietani sententia potest ostendi. Quoniam Deus cognoscit res omnes alias creatas in suis ideis tanquam in proximo obiecto; ergo pari ratione cognoscit hæc futura, quia omniũ eadem ratio militat. Præterea idea adæquatur diuinæ essentiæ prout est obiectum, tanquam rationi intelligendi. Sed diuina essentia est ratio cognoscendi hęc futura per modum principij: ergo idea est ratio cognoscendi eadem futura per modum proximi obiecti. Rursus tertio. Quoniã quidquid aliud à se ipso, cognoscit immediate à se ipso cognoscit tanquam in proximo obiecto: ergo etiam intelligit hæc futura. At Deus non est proximum obiectum talis cognitionis, nisi ratione idearum: ergo.

Scotus primo probat. SCOTVS negat per huiusmodi ideas rerum posse cognosci futura cõtingentia. Primo quia ideæ diuinæ merè naturaliter repręsentant ante omnem determinationem diuinę voluntatis, quando adhuc contingentiæ determinatè non sunt, sed ex hoc sequitur ante diuinum decretum, & antecedenter ad omnem determinationem diuinæ voluntatis futura contingentia verè esse futura: ergo rationes cognoscendi futura libera non sunt sufficienter assignatę: vel saltem sequitur hæc futura non liberè, sed necessario futura esse & fore. Secũdo. Quia eodem modo seu ex eodem principio aut radice *2. Probat.* sequitur dari ideas futurorum contingentium de facto, & non futurorum, sed simpliciter possibilium. Tandem tertio. Quia diuinæ ideæ nõ magis repræsentant hoc futurum fore isto tẽpore quam alio ex eo, quod habeat rationem ideæ aut exemplaris: ergo Deus non cognoscit huiusmodi futura in huiusmodi ideis. Et cõ firmatur hoc. Quoniam idea diuina non repræsentat coniunctionem prædicati cum subiecto complexionis contingentis, quæ eo ipso quod contingens est habeat indifferentiam, & est indifferens, vt sit aut non sit: ergo huiusmodi ideæ solum repræsentant extrema talis complexionis, sed ex notitia quantumcumque perfecta extremorum complexionis contingentis futuræ non potest certo cognosci vtra contradictionis pars sit futura vera, ob id quod neutrum extremorum debeatur alteri, vel repugnet alteri, vt aperte cerni potest in eorum naturis, num prædicatum conueniat subiecto necessario aut contingenter omnino: ergo solæ diuinæ ideæ non possunt esse Deo ratio sufficiens cognoscendi futura contingentia certo & infallibiliter. Hunc dicendi modum & hæc argumenta habet Scotus in 1.distin. 39. art. 1. quæ communiter recensentur in scholis. *3. Probat. cõfirmatur.*

S. Thom. D. Bonauentura. Caietanus. Alexãder Alensis. Henricus. QVAMVIS D. Bonauentura S. Thomas, & Caietanus Cardinalis & illustres alij Theologi, vt Alexander Alensis Henricus, & huius ętatis Theologi Scholastici concordes sint, in eo quod Deus cognoscat futura contingentia per ideas, imò verò sint concordes in eo, quod essentia diuina est idea creaturarum, tamen nõ conueniunt in explicatione rationis idealis, nimirum cur, vel qua ratione essentia Dei sit idea creaturarũ, aut cur per eam vel quomodo cognosci possint futura libera & contingentia ad vtrumlibet omnino indifferentia.

DIFFICILE ergo erit explicare an ideæ eodem modo repræsentent futura contingentia, quæ in aliqua temporis differentia erunt, & futura contingentia possibilia, quæ re vera nunquam erunt. Nam quod quędam futura cõtingentia sint, & non alia, id quidem non pro-

cedit

cedit, aut prouenit ex diuinis ideis, sed ex libera voluntate Dei, quæ vt dicit D. Thomas rebus futuris contingenter & liberis, præparauit causas, quibus contingenter producerentur: alijs autem quæ poterant esse & non erunt nõ præparauit causas suæ futuritionis. Ex quo palam constare potest ingens difficultas rei, de qua agimus, & quo pacto sit difficile quod diuinę ideæ possint esse ratio sufficiens quod futura contingentia certo cognoscantur à Deo. Imò verò ex prędictis aperitur illa maior difficultas quod ex ideis non potest constare de futuris contingentibus, quod sint magis futura vno tempore quam alio. Hoc enim aperte constare potest solum ex volũtate libera Dei quę decreuit producere res ad extra potius hoc tẽpore quam alio, & quæ statuit hoc modo magis quam alio ordinare: ergo non potest intelligi quo pacto ex diuinis ideis cognoscantur hæc futura contingentia.

SCOTVS ergo censet ideas seu essentiam diuinam cognitam vt obiectum primarium esse Deo rationem sufficientem cognoscendi per scientiam naturalem omnia simplicia, quæ ex omnipotentia Dei esse possunt. Et rursus complexiones omnes non tãtum necessarias, verũ etiam contingentes, non sanè quod sint futuræ, sed quod esse possint, ita vt per naturalem hanc scientiam cognoscat rem quãlibet indifferentem vt sit, aut non sit; & consequenter posse esse, & posse nõ esse. Nam ex natura cuiuslibet extremorum planè percipi potest, vnum posse alteri conuenire, non tamen an de facto conueniat, vel non conueniat. Sed obserua quod licet cõplexio sit contingens, & hoc cognoscatur à Deo, & consequenter posse esse, & posse non esse, id tamen est necessarium nimirum hanc vel illam complexionem esse contingentem, & hanc posse esse, & posse non esse, & Deus omnia hæc necesario cognoscit per scientiam naturalem.

QVAMVIS ergo in his omnibus nõ dissentiat Scotus à sententia S. Thomæ, tamen pressus difficultatibus supra tactis sensit Deum in sola determinatione voluntatis suæ cognoscere quænam pars ex contingẽtibus euenire debeat; & idcirco in determinatione libera volũtatis suæ voluit Deum tantum cognoscere certo, & infallibiliter futura contingentia libera. Id autẽ fecit Scotus, quia dum ideas rerum animo contemplabatur in Deo, hunc fecit discursum, quem supra insinuabamus, qui talis est. Ideæ sunt & repræsentant Deo res ante omnẽ actum liberũ voluntatis suę: ergo quidquid repræsentant, mere naturaliter repræsentant: sed cõplexiones contingentes nõ naturaliter, sed liberè à Deo cognoscuntur. Nam si nihil Deus statuisset creare libera sua voluntate nullam earum complexionum contingentium, quæ futuræ sunt & euenient cognosceret esse futura: ergo solæ ideæ diuinæ non possunt esse ratio certo cognoscendi futura contingentia.

RECENTIORES Theologi dicunt quod si inter futura cõtingentia solum essẽt ea, quæ fiunt immediate à Deo, qualia sunt omnia illa, quæ in prima mundi constitutione à solo Deo sunt producta, & illa etiam quæ fiunt à secundis causis necesitate naturæ operantibus nulla omnino esset difficultas in hac sententia Scoti. Cæterum quia intẽr futura contingentia similiter cõtinentur illa futura libera, quæ à libero arbitrio hominũ & Angelorum emanãt, idcirco si Scotus tantum voluisset omnia eiusmodi futura contingentia eatenus pendêre à determinatione libera voluntatis Dei, quatenus nihil esset futurum contingens positiuè nisi Deus ipse liberè decreuisset hunc creare mũdum, cum eo ordine rerum cum quo conditus est, atq; ea de causa vellet, vt vnumquodq; eorum à Deo cognosceretur futurũ, simpliciter nęcesariũ esse eum pręcognoscere determinationẽ illam liberam suæ volũtatis, in qua nimirum tanquã in parte rationis id cognoscendi, illud cognosceret, nihil etiam esset quod in Scoti sentẽtia esset repellendũ. Sed quoniã (dicũt iuniores) in sententia Scoti dicitur, quod etiam posita constitutione huius vniuersi, & posito etiã ordine rerum & causarũ, quæ nũc sunt in hoc mundo, ex determinatione & statuto libero diuinæ voluntatis proueniunt liberæ determinationes arbitrij creati Angelici & humani ad hanc vel illam partem cõtradictionis determinatæ hic & nunc, qua Deus ab æterno statuit tanquam prima causa hoc vel illo modo influere seu concurrere, siue generali siue speciali concursu cum libero arbitrio creato, illudq; sic vel aliter incitare aut præmouere, quasi à sola libera determinatione Dei, & à modo influẽdi cum secundis causis pendeat, quod liberũ arbitrium, aut quæcunq; alia secunda causa hoc vel illud operetur vel non operetur. Idcirco Scoti sententia est difficilis. Quia radicem totam contingentiæ in sola voluntate libera Dei collocauit, vt rationem, atq; radicem integram vnde Deus cognosceret certo, ea quæ absolutè essent contingenter futura ostenderet.

QVOD si Scotus sentiat, ex sola libera determinatione Dei pendêre, quod liberũ arbitrium hoc vel illud operetur, vel nõ operetur, ita vt voluntas seu liberum arbitrium creatum non se determinet sub determinatione diuina, & operatio libera arbitrij creati præcisè a sola libera determinatione Dei pendeat, & non etiam a libero arbitrio creato se se determinãte sub libera Dei determinatione, & sub modo influendi libero, quem Deus habet mirabilem & multiplicem cum eodem libero arbitrio, quod mouet iuxta conditionẽ suã, sine dubio male loqueretur Scotus, & videretur lędere libertatem, & arbitrium creatum. Sed quoniam hoc illi imponunt moderni auctores, & recentes Scholastici, & Scotus nihil tale dixit aut suspicatus est, idcirco male dãnatur ab eis. Nõ enim sensit Scotus ex sola determinatione Dei pendêre quod hoc aut illud operetur causa secunda, vel nõ operetur. Quia voluit, nimirum

Scotus totã radicem cõtingẽtiæ in sola voluntate libera Dei collocauit.

Liberatur Scotus à calumnia aliquorũ Theologorum.

rum in causis liberis operationem liberam pro
dire nõ tantum à determinatione Dei, sed etiã
à determinatione ipsius causæ liberæ, Deo ita
disponẽte vt secunda causa libera iuxta condi-
tionẽ suam, ita se se determinet vt hoc fiat sub
determinatione Dei cui subijcitur. Quia nega-
ri nõ potest vllo pacto sine lęsione diuinæ Sa-
pientiæ: aut sine lęsione in modo causandi, fini
nitis modis perfecto, quẽ habet Deꝰ etiã vt est
prima causa, aut sine læsione veritatis primæ
causæ, quin determinatio voluntatis creatæ,
quã ipsa efficit se se agendo, & mouendo, fiat
sub determinatione primi deliberantis, cui de-
terminatio volũtatis præcipuè supernaturalis
in operibus gratiæ subijci debet in causando &
operãdo, & in modo etiam causandi & operan
di, vt dicunt S. Thomas & illustres Theologi
huius scholæ, & plures alij, qui non bene citan
tur ab auctoribus oppositæ sententiæ. Nã cer-
te Deus mouet secũdas causas & influit in eas
cũ modo earum, ita vt influẽdo potius eas per
ficiat quã destruat, quod constat sensisse Scotũ
locis citatis, si recte & beneuole legãtur. Hunc
que eumdem sensum habuisse plures ex Ca-
tholicis Theologis.

Vltima sen tentia.

POSTREMA sententia est quã modernus
scriptor hisce diebus in mediũ protulit, affir-
mans dicendũ esse per diuinas ideas, essentiam
ve diuinam cognitã, vt obiectũ primariũ certò
repræsentari Deo, quitum suam essentiam,
tũ etiam singula, quæ in ipsa continentur per-
fectius quam in se ipsis altissimo & eminentis
simo modo cõprehendit: repræsentari nimirũ
naturaliter & nõ liberè ante omnem actũ & an
te omnẽ liberam determinationẽ diuinæ volũ
tatis cõplexiones omnes contingentes non so
lũ secundum esse possibile, sed etiã secundùm
esse futurum, non absolute, sed sub cõditione,
seu ex hypothesi quod Deus decernat, & sta-
tuat hunc vel illũ ordinem creare rerũ, & cau-
sarũ cum his vel illis circunstantijs: accedente
vero determinatione libera voluntatis, nõ qua
Deus determinet voluntatẽ creatam ad hanc
partẽ vel ad illam, sed qua relinquendo volun-
tatẽ liberã & omnino indifferentẽ vt ad quod
velit extẽdat manum suam, statuat creare hũc
vel illum ordinẽ rerum, & causarum, ac circun-
stantiarum, in quo sint hæ vel illæ causæ libe-
ræ, certo cognoscit cõplexiones omnes cõtin
gentes secundũ esse futurũ absolute & simpli-
citer, ac sine vlla iam hypothesi & conditione.
Itaq; dicit hæc sententia rationẽ, propter quã
Deus certo cognoscit futura contingentia, seu
cõplexiones contingentes, quæ à libero arbi-
trio creato pendent, & futura sunt non esse di-
uinæ voluntatis determinationem, qua volun-
tatem creatam determinet aut moueat ad vnã
vel alteram partem, sed tantum esse determina
tionem, qua Deus statuit creare liberũ arbitriũ
in hoc vel illo ordine rerum & circunstãtiarũ.

SED quoniam in hoc modo dicendi nõ sal-
uatur certitudo infallibilis diuinæ cognitionis,
cui nec physicè nec moraliter debet subesse
falsum, idcirco hæc sentẽtia multo difficilior
est. Quoniam si voluntas ita relinquitur in il-
lis circunstantijs, & in illo ordine rerum cum
istis vel illis motiuis sub conditione & hypo-
thesi superius dicta absq; eo quod Deus aliquid
aliud faciat, nõ apparet quo pacto Deus sit pri
mũ deliberãs simpliciter & absolutè respectu
operationis quã Deus statuit, & decreuit fien-
dam hic & nunc à libero arbitrio creato. Nam
non apparet quo pacto conuersio libera latro-
nis, qui pependit in cruce verè futura esset ibi
suppositis omnibus circunstãtijs si relinquere-
tur voluntas illa in opere illo supernaturalis
cõuersionis absq; Dei sapientissimi & infiniti
prædeliberatione & influxu in cor ipsius latro
nis præmouente eum præmotione vera & ef-
ficaci cui non posset subesse falsum, vt certo
& infallibiliter esset, & cognosceretur futura
eius conuersio. Similiter etiã non apparet quo
pacto conuersio Pauli Apostoli infallibiliter
futura erat, eo tẽpore quo facta fuit, nimirũ cũ
ipse persequebatur Christi Ecclesiam, & quan
do principes synagogæ Christo insultabant, si
ita Paulus relinqueretur quod nõ haberet Deũ
prædefinientẽ prædeliberantẽ & præmouentẽ
vt infallibiliter sequeretur ipsius conuersio, nõ
solum infallibilitate morali, sed etiam infallibi
litate absoluta, cui nõ posset subesse falsum re
spectu diuinæ cognitionis, aut diuini decreti
statuentis & decernentis cõuersionẽ Pauli hic
& nunc in individuo, sicut de facto fuit. Nam
rogo de motiuis moralibus an sint talia quod
determinẽt infallibiliter voluntatẽ cum circũ-
stantijs moraliter occurrentibus in tali vel tali
ordine rerũ, infallibilitate nimirũ, cui nullomo
do possit subesse falsum respectu Dei, vel solũ
infallibilitate cui possit subesse falsũ absolutè
respectu Dei. Hoc secundũ dici nõ potest. Nã
vt Deus certo & infallibiliter cognoscat con-
uersionem latronis, aut conuersionẽ Pauli futu
ram esse in hoc determinato tẽpore & non in
alio hic & nunc sub tali ordine rerũ & sub tali-
bus circunstantijs aperte requiritur id esse tã
certum vt nulla ratione possit subesse falsum
Deo cognoscenti: ergo si motiua, persuasiones
& circunstantiæ occurrentes solũ dabant mo-
ralem certitudinẽ, & non infallibilitatẽ etiam
physicã respectu cognitionis Dei, aperte se-
quitur Deum non posse certo & infallibiliter
cognoscere hæc futura ex hypothesi quod vo
luntas creetur in tali, vel in tali rerum ordine.
Quia moralia motiua sunt vel persuasiones,
vel occasiones occurrentes, vel affectus operã
tis, & alia id geneus, sed cernimus quotidie ho
minem in puncto tẽporis ad oppositа & cõtra
ria moueri, quam circunstantiæ occurrentes
postulabant, quod dele vnusquisq; experitur
in se ipso quotidie. Imò verò persuasiones,
motiua, & circunstatiæ occurrentes in hoc vel
illo ordine de se non promittunt aliud, quã ve
hementem cognitionem rei futuræ, vt ex-
perientia constat, sed non infallibilem cui non
posset subesse falsum: ergo non sufficit talis

certi-

certitudo ad hoc vt Deus certo & infallibiliter cognoscat futura contingentia, cum infallibilitas diuinæ cognitionis maiormulto debeat esse.

DICES persuasiones, motiua & circunstãtias occurrentes in hoc aut illo rerũ ordine, in quo voluntas statuitur, & creatur a Deo: quod quãuis de se nõ inducãt infallibilẽ cognitionẽ omnino, tamen quatenus subsunt Deo & subordinantur Deo desumere infallibilitatẽ cui nõ possit subesse falsum. Sed profecto hoc est difficilius, & nihil valet. Quia persuasiones & motiua cũ talibus occasionibus & circunstãtijs, ex hoc quod subordinãtur Deo, vel sumunt aliquid à diuina volũtate vel à diuina scientia vt efficiãt certitudinẽ infallibilitatis respectu euentus futuri, vel nihil desumunt ex tali subordinatione ad causandã infallibilitatẽ hanc respectu euentus futuri, si nihil omnino desumunt, sequitur quod eodẽ modo permanent & nõ inducũt maiorẽ certitudinem & infallibilitatẽ, si verò aliquid desumunt à Deo de nouo quod antea nõ habebant, sequitur quod assumũtur à Deo subordinante ea sibi ad influendũ efficienter propriè in corda hominũ, & in voluntatẽ creatã. Quia si nihil in eis Deus poneret ad extra, nõ intelligitur quo pacto illa sint efficacia modo. Quia aliàs tantũ permanerent intra modũ causandi moraliter: igitur quãuis verũ sit Deũ prę mouere moraliter persuasionibus & motiuis, & circunstantijs occurrẽtibus, tamen sub huiusmodi persuasionibus, motiuis, & occasionibus, seu circũstantijs, & depẽdenter ab eis mouet efficiẽter propriè voluntatẽ ad opus liberũ & contingens vt certo & infallibiliter sequatur quod Deus sua prouidẽtia & decreto statuit fore. Aliàs non posset haberi sciẽtia infallibilis à Deo, cui nõ posset subesse falsum de euẽtu rei.

RVRSVS secundo sic obijcio. Quia cũ positis motiuis, occasionibus, & circunstantijs in tali vel in tali ordine rerũ, & sub talibus moralibus causis Deus cernit operationẽ voluntatis creatæ vel cernit eam iam emanantẽ à sua causa libera, vel tantũ cernit eam antecedenter ad hoc, in ipsa causa contingente. Si dicas primũ. Tunc infallibilitas seu certitudo sequitur ex ipso euentu rei in se, quando iã cernitur vt prę sens & extra causas, quod est argumentum D. Thomæ. Si verò dicas secundũ. Tunc cũ motiua illa tantũ habeant cũ occasionibus occurrẽtibus præcisam moralitatem, vt explicuimus, non constat infallibilitas illa certitudinis diuinæ cognitionis, cui falsum non possit subesse. Quia occasiones & motiua cũ teneant se per modũ actus primi respectu voluntatis creatæ determinandæ, & non habeant maiorem vim, quã præcise moralem, neq; etiã poterunt maiorem inducere certitudinem quã moralem & non infallibilem de qua loquimur.

SED dices, vt Molina vult pressus difficultate rei, quam videbat. 1. p. q. 14. art. 13. disp. 15. hanc solam determinationẽ voluntatis ex hypothesi quod cõderetur cũ his vel illis circunstantijs, in hoc vel illo ordine rerum non esse

A

sufficientẽ rationẽ, vt certò cognoscatur à Deo quæ pars contradictionis cuiusq; harum cõplexionum contingentiũ sit futura, sed hanc esse sufficientem simul cum cõprehensione in sua essentia cuiuscumq; liberi arbitrij creati per scientiã naturalem, qua comprehensione ante illam determinationem voluntatis certo scit quid tale liberum arbitriũ sit futurum pro sua libertate ex hypothesi & conditione quod illud creet & constituat in eo ordine rerum: cũ tamẽ possit si velit facere oppositum, & si esset facturum vt potest Deus id illa eadem sciẽtia & cõprehensione liberi arbitrij in sua essentia sciuisset, & non id quod re ipsa scit à libero arbitrio esse agendũ. Fateturque Molina certã cognitionem infallibilem futurorum cõtingentiũ sitam esse in eo quod Deus creet liberum arbitrium in tali ordine rerũ & circunstantiarũ. Sed quoniam arbitrium creatum eo pacto manet adhuc indifferens vt se in vnam aut alteram partem inflectat, seu determinet, profecto nisi Deus ex altitudine suæ scientiæ naturalis seu non liberæ, qua omnia eminentissimo modo cõprehendit in sua essentia, ita illud penetraret, vt in eodem libero arbitrio inspiceret in quam partem pro sua innata libertate se esset inflexurum, cum si vellet posset se inflecti in oppositum, nesciret Deus determinate, quæ pars contradictionis eiusmodi cõplexionum cõtingentium esset futura. Ex quo infert Molina quod vt id Deus certo cognoscat vtrumque est necessarium, nimirum & illa determinatio, qua creatur liberum arbitrium in hoc vel illo ordine rerũ, sub his aut illis circunstantijs, de qua determinatione iam Molina fatetur talem inquam determinationem nõ esse rationem sufficientẽ ad hoc vt certo cognoscat Deus futurum cõtingens, seu quæ pars contradictionis cuiuscumq; complexionis cõtingentis sit futura, sed vlterius requiri comprehensionem liberi arbitrij creati, & quod Deus liberum arbitrium creatum penetret, vt vel sic in quam partem pro sua innata libertate se sit inflexurũ certo deprehẽdat & intueatur.

B

C

D

ET in hoc sensu ita explicato putat hic auctor ideas esse ratam ac certam rationem cognoscendi futura contingentia, & nomine idearum intelligit essentiam diuinam cognitam vt obiectum primarium Deo, qui & se ipsum & quæ eminenter continet altissimo modo comprehendit.

Ludouicus Molina putat, ideas esse certã rationẽ cognoscendi futura cõtingentia. Impugnatur Molina.

QVIS non videat in hoc modo dicendi, quem Molina vult, multo difficilius explicari difficultatem de qua agimus, nisi cæcus sit. Nam primo iam habemus ex confessione eiusdem auctoris voluntatem determinari ex eo quod sit, vel statuatur sub tali vel tali ordine rerum, & sub his vel illis circunstantijs, cum his aut illis auxilijs, &c. Et hanc determinationem non esse sufficientem rationem, vt certo Deus cognoscat, quæ pars contradictionis cõplexionis liberæ sit futura, ita enim ipse fatetur. 1. part. quæst. 14. art. 13. dispu. 15. colum.

596. in impressione Conchensi. Et idcirco recurrit ad comprehẽsionem liberi arbitrij creati, in quo dicit Deum inspicere in quam partẽ pro sua innata libertate sit se se inflexurum, cũ tamen ita sit indifferens, vt possit se inflectere in oppositam partem. Quæ quidem responsio non solum non satisfacit, verum maiorem caliginem obijcit & obscuriorem reddit rem hanc quam tractamus. Quoniam comprehensio liberi arbitrij creati non potest esse alia, quam omnimoda cognitio omnium quæ sunt in libero arbitrio creato, & omnium quæ habet ex eo quod constituitur in tali statu, ordine circũstantijs & occasionibus rerum cum concomitantibus. Sed ex determinatione, ratione status in quo est, & ratione circunstantiarum occasionum & auxiliorum, non potest certo sciri ad quam partem voluntas creata se se inflectet aut certo determinabit, per scientiam infallibilem cui non possit subesse falsum: ergo neque ex comprehẽsione istorum, quia si hęc omnia ex se non inducunt infallibilem determinationem, sequiturque penetratio & comprehensio eorum non eam inducet. Quia ista comprehensio nihil aliud est quam cognitio ipsius voluntatis cum suis circunstantijs quantũ ipsa est cognoscibilis ex vi illius status: hoc est ex vi illarũ circunstantiarũ & in tali ordine rerum non potest sumi ratio certa & sufficiẽs, certę & infallibilis cognitionis istorum futurorum, in quam partem se inflectat voluntas: vt etiam ille fatetur: ergo neque etiam ex comprehensione eorum, vel comprehensio cognitionis tribuit, & influit aliquid in ipsas occasiones & circunstantias & in ipsum arbitrium & ordinem rerum, ratione cuius sumatur, ratio sufficiens certę & infallibilis cognitionis: & tunc talis certitudo & infallibilitas non ratione comprehensiuę cognitionis, sed ratione illius noui influxus venit desumenda: Quia cõprehensio rei, quæ fit per intellectum nõ mutat naturam rei quæ secundum se non est certa & infallibilis.

Item etiam quia omnia quæ sunt in libero arbitrio antecedenter ad suam operationem & actualem determinationem, & omnia, quæ ipsum circunstant in illo statu & ordine rerũ, pertinent ad actum primum, sed adhuc illis positis & consideratis nulla ponitur ratio infallibilis quia adhuc ex vi eorum voluntas manet vere contingens & indifferens: ergo quantum cumque illa comprehendantur, non dabitur ratio sufficiens certę & infallibilis cognitionis.

Et confirmatur. Nam ista comprehẽsio liberi arbitrij creati, in quo prędictus auctor dicit Deum in spicere futurum contingens, seu eam partem in quam liberum arbitrium ex sua libertate innata se inflexurum est, vel est comprehensio ipsius potentiæ liberi arbitrij aut suæ inclinationis, sed in comprehensione potentiæ liberæ vt sic, & suæ inclinationis solum comprehenditur essentia potentiæ & libertas eius, & quod ex se non est determinata, sed indifferens & vt plurimũ cognosci potest in ea potentia inclinatio eius, quæ non necessitat ipsam, neque determinat eam infallibiliter: ergo, &c. Vel dices Deum cognoscere potentiam liberam in eo ordine rerum in quo eã voluit creare cum omnibus circunstantijs, medijs & occasionibus quæ eam determinare possunt: sed illis voluntas tantum constituitur in actu primo. Et hoc modo nõ potest cognosci per actum primum ipsius ad quam partem voluntas infallibiliter se determinet, sed tantum cognoscet voluntatem posse si velit hoc vel oppositum, ergo obscurius redditur id quod in hac parte intẽdimus de certa & infallibili cognitione futuræ determinationis ipsius voluntatis.

Molina in. 1. part. quæst. 14. ar. 13. disp. 15. reprehendit Theologos, & dicit quod præter D. Thomam in prædicto articulo, & D. Bonamuẽturam, & alios in vniuersum quotquot eam loquendi formam vsurparunt, nimirum ideas diuinas esse rationem cognoscendi futura contingentia, seu essentiam diuinam cognitam vt obiectum primarium Deo, qui & se ipsum & quæ eminenter continet altissimo modo comprehendit, esse ratam, ac certam rationem cognoscendi futura contingentia, in sua fuisse sententia: tametsi quantum erat satis non explicauerint rem hanc. Sed profecto ego non video quo pacto explicet ille difficultatem hanc, si ea quæ hactenus dixit non satisfaciunt ingenio illustrium Theologorum & maiorem obijciunt obscuritatem & difficultatem. Vnde ipse colligit loco citato pag. 598. postquam retulerat sententiam Durãdi, quod in causis & ex causis nimirum contingentibus, ita cognitis, hoc est in libero arbitrio creato & in voluntatibus liberis hominum & Angelorum ita cognitis, tam certo cognoscuntur futura contingentia quam certo ex causis necessarijs effectus necessarij. Quo fit inquit vt Deus tanquam in obiecto primario certo cognoscat in se ipso futura omnia contingentia, & tanquam in obiecto secundario cognoscat etiam ea certo in proprijs suis causis secundis. Certè Molina decipitur valde in eo, quod affirmat contra Sanctum Thomam & alios Deũ in causis & ex causis cognitis in illo vel in alio ordine rerũ, &cętera. futura cõtingentia tam certo sicut in causis & ex causis necessarijs cognoscuntur effectus necessarij. Quis non videat hunc auctorem velle persuadere rem impossibilem, præsertim contra antiquos Scholasticos, & cõtra Sanctũ Thomam. Nam quo pacto ex causis cõtingentibus ad vtrumlibet & in illis tam certo cognoscuntur futura contingentia, sicut certo cognoscuntur effectus necessarij ex causis necessarijs. Quia effectus necessarij continentur determinate in causa necessaria cum modo necessario causæ naturali, & necessariæ debito, & cum necessaria determinatione ad vnum, at vero effectus liberi & contingentes neque continen-

Effectus necessarij continentur necessario in causa necessaria deter-

tur

minata ad vnũ at vero effectus liberi, & contingẽtes neque continentur in causa necessario determinata ad vnũ neque in causa operante cum modo necessario.

tur in causa necessario determinata ad vnum, neque in causa operante cum modo necessario, sicut conuenit causis naturalibus & necessarijs. Quoniam effectus contingentes & liberi pro vt sunt in sua causa indifferente & libera, quæ potest se flectere ad vnum & ad oppositum, non continentur in ea cum necessaria determinatione ad vnum, aut cum modo necessario agendi, sed potius cum modo libero tanquam in causa indeterminata & indifferente, seu tanquam in causa non determinata determinatione necessaria, sicut in causis necessarijs & naturalibus cernitur: ergo dicere quod cognoscuntur futura contingentia in causis contingentibus ita cognitis, & tam certo & infallibiliter sicut cognoscuntur effectus necessarij in causis necessarijs, & ad vnum omnino determinatis cum modo necessario sibi debito est omnino impossibile, & nulla subest ratio cur hic auctor velit nobis persuadere impossibilia. Præcipuè cum Sanctus Thomas dicat, quod in causa omnino contingente non potest haberi cognitio certa & infallibilis. Rursus quod dicit Molina Deum in se ipso tanquam in obiecto primario certo cognoscere futura omnia etiã contingentia, verissimum est, sed non explicat quo modo. Quod verò statim subiungit, quod etiam cognoscit certo futura contingentia, nimirum libera. (Quia de eis est difficultas huius concertationis) in ipsis causis contingentibus, & in ipso libero arbitrio indifferente tanquam in secundario obiecto, id quidem eamdem difficultatem habet cum præcedentibus, si sermo sit de causis omnino contingentibus ad vtrumlibet antecedenter ad actualem emanationem actuum liberorum ab ipso libero arbitrio, seu à causa contingente vt sic.

In solutionibus autem argumentorum dicit Molina quod ideæ diuinæ naturaliter repræsentant Deo, ante omnem determinationem liberam suæ voluntatis, omnem complexionem contingentem futuram de facto sub illa hypothesi & conditione, idque propter excellentiam diuini intellectus, & diuinæ scientiæ, atque essentiæ, quæ est obiectum primarium supra obiecta omnia secundaria, quæ in eo eminenter continentur. Et quoniam hoc videbatur illi obscurum & difficilioris explicationis quantum ad illam partem quæ dicit quod ante omnem determinationem liberam voluntatis Dei cognoscuntur futura libera & contingentia hic & nunc subiungit solutione ad secundum complexiones contingentes in esse futuro simpliciter & absque vlla conditione & hypothesi non naturaliter, sed liberè cognosci à Deo: quod tamen sint futuræ ex hypothesi quod hunc vel illum ordinem rerum & causarum velit creare non liberè cognoscit, sed per scientiam quæ antecedit omnem actum diuinæ voluntatis. Attendant Theologi omnes ad ea, quæ A iterum inuoluit obscuriora & difficiliora. Quia non solum in his verbis non explicat exacte rem, de qua agimus, sed putat ex sua hypothesi per quamdam scientiam mediam, quam alibi docet Deum cognoscere non liberè futura contingentia, sed per talem scientiam, quæ antecedat omnem actum liberum diuinæ voluntatis, de qua re suo loco dicemus.

Tandem in solutione ad tertiũ loco citato inquit ideas solas diuinas non posse esse rationem sufficientem, quod futura contingentia à Deo cognoscantur certo secundum esse futurum simpliciter. Quia ad id requiritur etiam simul præcognitio diuina liberæ voluntatis, qua hunc vel illum ordinem rerum Deus statuat creare, & melius dixisset B cum Caietano quod requiritur decretum liberum de existentia rei futuræ. Certè hoc similiter est difficile sicut præcedentia. Nam si ex ordine rerum, & ex circunstantijs nulla potest oriri certitudo infallibilitatis, facta hypothesi quod in illa classe creetur voluntas, nulla apparet etiam neque cernitur ratio, cur si hæc adiungantur diuinis ideis, cum illa liberæ voluntatis præcognitione reddant infallibilem & certam cognitionem futurorum contingentium. Nam quòd hæc cum non sint infallibilia, addantur diuinis ideis, non faciunt certitudinem infallibilitatis, si aliàs eam certitudinem non tribuerent ideæ diuinæ. Vnde hoc indiget magno examine à nobis inferius tractando, nihil enim modo amplius definire volo.

Neque sufficit dicere, quod expectat Deus voluntatem nostram quid factura sit si creetur sub tali ordine rerum, & Deum non velle absolute quod aliquod futurum contingens seu liberum fiat à voluntate creata, velle tamen illud quasi sub conditione, vt hic actus cõtingens fiat à voluntate creata, si ipsa se se ad illum eliciendum determinauerit, & sub eadem conditione velle influere & concurrere in eumdem actum expectando tamen influxum creatæ voluntatis, quod dicunt requiri vt ita fiat ne lædatur libertas voluntatis circa futura libera & contingentia. Quia quamuis posset Deus ipse aliter illum actum efficere, tamen vult sese ita nostræ voluntati ac cõmodare. Ex vi autem huius voluntatis diuinæ (vt dicunt) ita manet applicata omnipotentia Dei in actum voluntatis humanę, vt hac influente absque noua Dei voluntate, aut applicatione suæ potentię Deus etiam influat quasi necessitate quadam ortra ex eius voluntate, quæ ad id quod vult, & quomodo vult, efficax est, & immobilis. Hac ergo ratione censent auctores isti Deum infallibiliter cognoscere futura libera, & contingentia, nimirum quia vult sub conditione quod actus aliquis fiat à volũtate creata expectando influxum eiusdem voluntatis, & sub hac conditione volendo influere, & concurrere in

eundem actum, si voluntas posita sub tali ordine rerum & circunstantiarum operari voluerit.

SED profecto hic modus dicendi præter quam quod inuoluit multa, quæ caute legenda sunt, non explicat qua ratione sumatur certitudo & infallibilitas cognitionis diuinæ circa futura contingentia, quamuis adiungatur diuinis ideis. Quia iste concursus Dei ponitur ab istis sub quadam conditione: & secundo ponitur expectando influxum creatæ voluntatis vt Deus velit influere & concurrere in actum liberum & contingentem ad quem Deus, vt efficiatur, expectat influxum voluntatis creatæ. Quod si Deus dicitur expectare influxum voluntatis nostræ, non video quomodo si hoc adiungatur diuinis ideis, ex hoc vna cum ideis sumatur certitudo & infallibilitas cognitionis diuinæ de futuris contingentibus. Quia si ex huiusmodi expectatione voluntatis nostræ non habetur certitudo, quia voluntas non cernitur determinata aliquo modo, neque cernitur eius influxus & operatio, sed potius expectatur, nõ apparet vllo pacto quomodo ex hoc accrescat ratio certitudinis, & infallibilitatis, ad hoc, vt ex diuinis ideis sumatur certitudo infallibilis circa cognitionem futurorum contingentium, si ipsa non haberent ex se ipsis vnde desumi posset talis certitudo futurorum contingentium. Item secundo supponamus futurum contingens, seu liberum esse actum liberum conuersionis & pœnitentiæ Petri peccatoris, sed prædestinati: tunc in hoc casu affirmat iste modus dicendi Deum non absolute aut simpliciter velle vt actus conuersionis & pœnitentiæ fiat à voluntate Petri in vltimo instanti vitæ, etiam si prædestinatus sit nisi sub conditione expectando influxum voluntatis creatæ, ita vt Deus sub conditione velit influere & concurrere ad illum actum conuersionis, si voluntas se se determinauerit ad illum, expectando tamen ipsam & influxum eius, ne si aliter fiat lædatur libertas eius. Profecto res hæc indiget magna inquisitione. Nam præter quam quod hæc sententia affirmit Deum velle quasi sub conditione illum effectum prædestinationis in prædestinato, quem suppono esse in vltimo instanti vitæ, & non velle illum simpliciter, sed sub conditione expectando influxum voluntatis nostræ non bene dicitur, quòd ratio infallibilis cognitionis futurorum contingentium desumitur ex eo quod voluntas creetur in tali ordine rerum & veluti sub conditione volendo quod actus fiat, quasi expectando influxũ voluntatis nostrę vt ipse Deus influat. Quia ex his non apparet vnde nascatur certitudo infallibilis: cum voluntas illa sit sub conditione, & expectet influxum nostræ voluntatis fallibilem: imò verò si voluntas Dei expectat voluntatem nostram, & influxum voluntatis nostrę valde incertum, dicetur prius expectare, quia si influxus Dei sub conditione expectat nostrum, videtur prius esse influxus noster quam influxus Dei. Neque etiam bene dicitur quod Deus expectat voluntatem nostram, vt ipse influat in eo temporis momento. Et in hac re iudices appello Theologos Scholasticos, & Catholicos, qui secũquuntur doctrinam Diui Thomæ, & Diui Augustini, & Diui Prosperi, imò verò qui sequuntur doctrinam Concilij Arausicani sedi capit. 4. dicentis. Si quis vt à peccato purgentur voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus per Sancti Spiritus infusionem, & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino. Et Apostolo salubriter prædicanti: Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Imò verò Isaiæ 65. legimus. Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant. Quæ sane verba & sententiæ non rectè cohærent cum eo quod dicitur à recentioribus quibusdam, nimirum Deum expectare influxum voluntatis creatæ, & sub hac conditione Deum velle vt aliquis actus etiam diuinus & supernaturalis pœnitentię aut conuersionis fiat à voluntate creata, si ipsa velit expectando eius volitionem, seu influxum. Omnes ergo Theologos voco, vt sincere & candide rem hanc perpendant. Vnde præter ea, quæ adduximus ex Arausicano Concilio, extat etiam illud quod habetur ibidem, capit. 23. de voluntate Dei & hominis, quod ita legimus. Suam voluntatem homines faciunt, non Dei quando id agunt quod Deo displicet. Quando autem ita faciunt, quod volunt vt diuinæ seruiant voluntati, quamuis volentes agant, quod agunt, illorum tamen voluntas est à quo præparatur, & obitur quod volunt. Id est peragitur. Dicat ergo nunc aliquis ex familia Diui Thomæ, Augustini, Prosperi, aut aliorum ante hæc secula quomodo stare possit quod hic dicitur, cum eo quod aiunt recentiores isti, quod vt Deus concurrat ad actum pœnitentiæ & purgationis à peccato expectat voluntatem nostram, & quod sub conditione vult influere, si tamen voluntas velit, nimirum expectando eam: aut quomodo. Respondent ad testimonia illa scripturæ sincere intellecta, & sine verborum fuco. Absolute enim dicitur à Concilio quod vt peccato purgemur Deus voluntatem nostram non expectat. Et Isaiæ. 65. Inuentus sum à non quærentibus me. Sienim Deus expectat voluntatem nostram, quo pacto dicitur quod inuenitur à non quærentibus eum, nam potius è conuerso dixisset, inuentus sum à quærentibus me, & hac etiam de causa Tridentinum Concilium attulit illud. Conuerte nos Domine ad te,

D. Augu. D. Prosper Concilium Arausicanum. Isai. 65.

&

& conuertemur, vt insinuaret vocem esse clamantium ad dominum, quod non expectat voluntates hominum, sed potius vt eas ad se conuertat, postulent. Nam dicit Concilium Sessione 6. capite 5. Neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit. Vnde in sacris Litteris cum dicitur, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*: libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur* Dei nos gratia præueniri confitemur. Hæc obiter & incidenter dixi occasione sententiæ recentiorum quorundam, de qua præter quam quod illa non satisfacit difficultati, de cognitione infallibili futurorum cõtingentium, habet etiam multa, quæ caute sunt perpendenda, de quibus nos fusiorem habebimus disputationem deinceps.

Explicatur quid sit idea.

PRO explicatione huius grauissimæ difficultatis in qua tot, & tam variæ sententiæ relatæ sunt, cum hoc loco disputatio sit de cognitione infallibili futurorum contingentium ex diuinis ideis, explicare primo debemus quid sit idea. Nam etiam de hac re contradictores habet S. Thomas etiam quosdam ex recentibus Theologis.

D. Augus.

DIVVS Augustinus 11. de ciuitate Dei ca. 29. dicit in Verbo Dei esse causas rationesque rerum, secundùm quas factæ sunt, incommutabiliter permanentes. Quæ quidem sententia traditur à D. Augustino propter ideas increatas. Vnde exponens illud Ioannis 1. *Quod factũ est in ipso vita erat*, inquit. *Quia quod factum est in Deo habet rationẽ, quæ vita est.* Quod adducto exemplo artificis interpretatur, qui in arte sua habet arcã. Quæ in arte (ait August.) vita est, quia viuit anima artificis. Et vitã in artifice vocat, quia est opus vitæ: in Deo verò quia est ipse cõceptus Dei, qui est vita per essentiã. Et 12. de ciuitate Dei c. 25. & 26. & li. 83. q. q. 4. 46. affirmat ideas esse principales formas, vel rationes rerũ stabiles atq; incommutabiles, quæ ipsę formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo sese habentes, quę in diuina intelligentia continentur. Et paulò inferius subiungit. Eas verè esse, earumque participatione fieri vt sit, quidquid est. Constat ergò ex mente Augustini ideas esse rationes rerum increatas in ipsa mente Dei, verè & realiter existentes. Et libr. 7. de ciuitate Dei cap. 28. iterum repetit eandem sententiam, quo in loco ab interpretibus perpenditur quòd idea dicitur ab spectando. Quoniam qui aliquid facturus est, solet ideam exemplarvé inspicere, quod sibi imitandum proponit. Et Diuus Augusti. iterum q. illa 46. inquit. Quod cũ idea sit nomen Græcũ latine dicitur forma, & species.

D. Diony.

DIVVS Dionysius cap. 5 de diuinis nominibus ostendit rationes rerum omnium, vnitè & eminenter esse in Deo, & ex hoc colligit concedendum esse in eo prius constitisse omnium rerum exemplaria, tanquam in prima rerum omnium causa. Subiungit statim quid sint huiusmodi exemplaria dicens. Exemplaria autem dicimus esse rationes effectrices rerũ, quæ in Deo coniunctæ ante fuerunt. Has dicunt alii qui quod sunt essentiæ rerum effectrices rationes. Et idem Dionysius de mystica Theologia non solùm ideas constituit, sed etiam eas docet esse exẽplaria & rationes substantificas rerũ.

D. Ambr.

DIVVS Ambrosius lib. 1. Hexameron cap. 1. & 2. impugnat sententiam eorum, qui dicebant exemplaria esse distincta à Deo, ad quæ Deus respiciens creauit res, in qua re repellit Platonem & sensit Ambrosius creaturas quatenus sunt aliquid distinctum à Deo non posse esse exemplaria, quibus Deus operetur. Quo fit vt creatura siue accipiatur secundum quod actu existit siue secundum quod potentia potest existere, siue accipiatur secundum esse essentiæ quod habet non potest habere rationẽ exemplaris respectu Dei: quia vtroque modo creatura est aliquid extra Deum.

D. Gregor. Nazianzen. Iustinus Martyr. Eusebius Cæsariẽsis.

DIVVS Gregorius Nazianzenus orat. 33. quæ est prima de diuina Theologia & Iustinus Martyr collatione parenet. ad Gent. Eusebius Cæsarienſis lib. 11. de præparatione euangelica capite 11. affirmãt nulla ratione fieri posse Deum condidisse res omnes intuendo ad exẽplaria extrase. Et ex hoc damnantur etiam illi qui sentiunt ipsas creaturas vt obiectas diuino intellectui esse ideas eius, & hac eadem ratione repellitur Plato. Nam exemplar est vera causa effectionis rei, sed creatura vt obiecta menti Dei, seu creatura possibilis non est vera causa sui ipsius, vt factæ & productæ: ergò &c.

Idea est quædã forma exemplaris quã artifex aspiciẽs instar illius aliquid operatur & agit.

DICO igitur sentiendum esse ideam esse formam illam exemplarem, quam artifex aspiciẽs instar illius aliquid aliud operatur & agit. In qua re aduerte, quod cùm dicitur aliquid aliud operatur aperte insinuatur quod res ipsa quæ producitur debet distingui ab illa forma exemplari. Et ratio est: quia idem omninò nõ potest esse sui ipsius idea, neque principiũ: nõ enim aliquid dicitur fieri instar sui, vel ad similitudinem sui, sed instar alterius & ad similitudinem alterius. Quocirca exploratum est ideã primo dictam fuisse rem aliquam ob oculos propositam exterius, quam artifex opere suo imitaretur. Vnde nisi artifex exterius vel in mente conciperet rem aliam distinctam, similẽ tamen operi quod esset facturus non diceretur habere exemplar seu ideam.

In Deo idea est ipsa diuina essentia.

IDEA igitur in Deo est ipsa diuina essentia: hæc enim est omniũ creaturarum idea & exẽplar. Vnde D. August. li. 1. retractationũ c. 3. ait. Mundũ intelligibilẽ, quẽ posuit, plato esse rationem sempiternam, atque inconmutabilem, qua fecit Deus sensibilem mundum. Quã (ait August.) qui esse negat sequitur vt dicat Deum irrationabiliter fecisse, quæ fecit. Ergò D. Augustinus adeò certũ esse credit esse ideas quæ sunt idem quòd rationes intelligibiles rerum faciendarũ, quam certum esse credit Deũ non sine scientia & ratione mundum creasse. Et ob id Boetius li. 3. de consolatione metro 9.

D. Augus.

Boetius.

ait. Tu cuncta superno ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse mundum mente gerens. Vnde artifices mente formam concipiunt rei peragendæ per artem, & hæc exemplar appellatur. Est igitur Diui Thomæ sententia diuinam essentiam esse omnium creaturarum ideam, quam illustres Theologi sequuntur prima parte quæstione 15. de ideis articulo 1. ita sentiunt Alexander prima parte quæstione 23. membr. 4. articulo 1. D. Bonauentura in prima distinctione 35. articulo primo quæstione 1. Albertus Magnus ibidem articulo 9. Henricus Quodlibeto 9. q. 2. AEgidius Romanus Cardinalis in prima distinctione 36. articulo 2. quæstione 2. Idem sentiunt Caietanus super D. Thomam, & Ferrara 1. contra Gentes cap. 54. Durandus, & Capreolus in 1. distinctione 36. q. 1. articulo primo conclusione 1. Thomas etiam Argenti. Ricardus eadem distinctione articulo 3. q. 2. Et certè in hoc conueniunt Theologi omnes Catholici, cum Sanctissimo Præceptore, nimirum diuinam essentiam esse ipsam ideam creaturarum, quamuis in modo explicandi rem hanc nõ omnes conueniant. Et D. Augustinus cum dicit creaturas viuere in Deo incorruptibiles esse & multo meliori modo quam in se ipsis existere. iuxta illud Ioannis primo. *Quod factum est in ipso vita erat.* Proculdubio Augustinus ipsam essentiam Dei intelligit, quatenus ipsas repręsentatione dicitur continere, de qua re legendus est Augustinus libr. 85. quæstionũ q. 26. & tractatu primo super Ioannem. Nam certè cum creatura etiam obiectiue præsens intellectui diuino non possit esse idea sequitur esse ipsam met essentiam diuinam: nihil enim aliud in Deo idea esse potest.

Ioan. ca. 1. D. Augus.

Conclus. 1. Diuina essentia non est idea prout est species intelligibilis neq; pro vt est scientia solũ neq; pro vt est ars.

Vt ergò explicemus quo pacto essentia diuina sit idea rerum omnium, dico primò, Diuina essentia non est idea prout est species intelligibilis, neque prout est scientia solùm neque prout est ars, sed prout est forma obiecta diuino intellectui cognoscenti & ab ipso cognita vt imitabilis à creaturis. Seu quatenus est cognitio, quę cõtinet rationes omnium rerum seu scientię actu easdem rationes exprimentis: vt fusius dicemus conclusione tertia & secunda. Hanc assertionem tradidimus nos prima parte quæst. 15. articulo 1. disp. 2. & probatur ex definitione ideæ. Nam idea est forma obiecta intellectui intra ipsum existens ad quam artifex aspiciens operatur. Vnde Diuus Augustinus locis superius citatis dixit quod idea propriè idem est quod forma vel species. Dicitur etiam idea ab spectando. Quoniam qui aliquid est acturus ideam speciem, seu exemplar inspicere solet, quod sibi imitandum proponit. Nam exemplar quod pictor depingendo imitatur, dicitur idea pictoris. Vnde verbum Græcum eideo, à quo deducitur idea significat idem quod inspicio, & ideæ spectra vocantur. Bene igitur definitur idea definitione quid rei, quod est forma obiecta intellectui intra ipsum existens, ad quam artifex aspiciens operatur. Vbi forma in communi tenet vicem generis, & ob id Augustinus dixit ideam esse formam, seu speciem. Auctores huius ætatis censent ideam nihil aliud esse, quam ipsum actum sciendi, vt repræsentat rem existentem. Nam dicunt quod actus sciendi non habet repræsentationem formalem obiectiuam, habet tamen repræsentationem intentionalem, quæ fit per ipsummet actum intelligendi, seu per iudicium intellectus, de quo dicunt, per se euidens esse, iudicium de complexione aliquorum futurorum, aliquid magis intellectualiter repræsentare, quam solùm simplex iudicium, seu apprehensio extremorum simplicium repræsentat, nimirum vnionem eorum inter se vel simpliciter, vel in ordine ad actualem existentiam eorundem futurorum. Et quidem licèt Deus non cognoscat complexe, cæterùm iudicat perfectissime, sibique repræsentat, quæ nos complexe significamus & intelligimus. Nolo nunc examinare quo pacto ipse actus sciendi vt repræsentat rem existẽtem dici posset idea, aut quo pacto idea denotet propriè habitudinem causæ, & an sub hac consideratione futura vt futura cognoscantur per ideas, vt ideæ sunt.

Conclus. 2. Essentia diuina secundum quod repræsentat creaturas omnes est earũdem rerum idea.

Vt rem hanc vlterius magis explicemus dico secundò essentiam diuinam secundum quod repræsentat creaturas omnes quatenus est cognitio illarum, esse earundem rerum ideã. Nam hac ratione creaturæ imitantur ipsam essentiam diuinam, & possunt fieri instar illius. Quo fit, vt illa similitudo, quæ requiritur inter ideam, & rem, quæ imitatur ideam, non sit similitudo secundum vnitatem eiusdem omninò formæ, qualis est similitudo inter duo corpora candida, sed secundum repræsentationem, sicut species alicuius rei dicitur illius similitudo, cum tamen sint diuersæ naturæ interse, diuersęque etiam qualitatis & conditionis. Hæc videtur esse sententia Sancti Thomę prima parte quęstione 19. articulo quarto: quo loco dicit res esse in Deo veluti in causa secundum modum causæ, & quoniam Deus est causa per intellectum suum, idcirco colligit esse in Deo sicut in cognoscente. Vnde in sententia Diui Thomæ si diuina essentia dicitur idea creaturarum, quatenus eas habet eminenter in se, vt causa, & earum est causa vt est cognoscens, palã sequitur ipsarum esse ideam ac rationem, & hoc voluit intelligere Sanctus Thomas prima parte quæstione 15. in corpore primi articuli, vbi ait essentiam diuinam esse ideam creaturarũ prout participabilis est secundum aliquem modum similitudinis, id est repræsentationis. Nam Deus est causa rerum, in quantum vult eas, & intelligit, est enim vt constat apertè Deus causa rerum per intellectum & voluntatem, & in quantum vult & intelligit, ex quo sequitur esse dicendum diuinam essentiam esse ideam creaturarum, & rerum quatenus est eorũ cognitio, & hac ratione

S. Thom.

esse

Explicatur D. Thomas

esse imitabilem perfectissimè. Hoc etiam modo debet intelligi sanctus Thomas loco citato articul. 2. ad 1. quando dicit essentiam diuinam esse ideam creaturarum, quatenus est similitudo vel ratio huius vel illius rei. Additq; D. Bonauentura in 1. distin. 35. ar. 1. q. 1. Quod inter aliqua duo potest considerari triplex similitudo. Vna participationis secūdum vniuocam rationem quam vtraque res habet formaliter & participat formaliter, hæc nō est inter Deū & creaturā vt de se constat. Altera imitationis & hanc dicit Bonauentura esse inter Deum & creaturas, sed esse modicam, & imperfectam. Nam intelligit esse secūdum rationem seu perfectionem aliquam analogicam. Nam certè tā in Deo quam in creatura reperiuntur volūtas, sapientia, intellectus, ratio, substantiæ, & ratio entis, sed solùm analogica ratione. Ob quā causam dixit Durandus Dei essentiam posse esse ideam creaturarum, secūdum aliquas perfectiones solùm non secundum omnes, neque posse perfectè imitari à creaturis. Tertia similitudo est secundum quandam expressionem & quasi repræsentationem, qualis est inter speciē intelligibilem, seu sensibilem, & rem ipsam, aut obiectum, cuius est species. Nam cū hæc sint diuersæ rationis omninò secundū esse, assimilantur tamen expressione quadam, & similitūdine. Quod quidē genus similitudinis eo est perfectius, quo ipsa species seu intellectio rei expressior est, & magis perfecta. Vnde si fuerit quidditatiua intellectio & cognitio rei sicuti est, illa quidē erit numeris omnibus absoluta, & perfectissima similitudo in suo genere. Quo fit ꝙ cū diuina essētia res ipsas intelligat perfectissimè, & quidditatiuo conceptu; ex hoc apertè sequatur vt essētia eius, quia est ipsi Deo cognitio & species exprimēs creaturas eas repręsentet perfectissimo modo, & cōsequēter quod sub eadē ratione similitudinis sit imitabilis ab ipsis. Nā sic re ipsa producuntur, sicut diuina essentia repræsentat eas. Quare nomen idea non solùm significat essentiam Dei, sed etiā significat respectum ad creaturas.

Triplex genus similitudinis ex D. Bonau.

Conclus. 3. Deus per ideas verè cognoscit futura contingentia.

Dico tertiò, Deus per rationes rerum quas habet, seu per ideas suas verè cognoscit futura contingentia. Hæc assertio communis est apud Theologos Scholasticos, dicunt enim per diuinas ideas, hoc est per essentiam diuinā cognitam vt primariū obiectū, certò repræsentari Deo res omnes. Illud enim obiectū omninò infinitum quod Deus habet, quod non solū repræsentat ipsam suam essentiam, sed etiam singula, quæ in ea infinite perfectè continentur, sufficiens est simul cum ipso intellectu Dei perfectissimè & eminētissimè cognoscente & cōprehendente, ad cognoscēdū omnia quæ ibidē repræsentantur, aut quæ possūt habere aliquā rationē similitudinis cum essentia, & cū eminentissima cognitione eius. Fūdamentū huius assertionis esse potest, quod Deus iuxta principia fidei nostræ cognoscit futura libera & futura cōtingentia per scientiā quam in se habet, in qua quidē scientia diuina cognoscente res, continentur rationes rerum, & ideæ rerum omniū & ipsa scientia simul cum suo actu sciendi inuoluūt ordinem ad obiectum suū, quod est diuina essentia, & hæc forte fuit ratio & causa cur recentiores dixerint ideā nihil aliud esse quā ipsum actum sciendi, vt repræsentans rem existētem. Itaq; futura contingentia sciri possūt per ideas, quatenus actꝰ sciēdi, & sciētia Dei, in qua sunt exēplaria rerū, quas Deus producit, inquibus repræsentantur eędem res secundū se, & vt posibiles, eadem inquam cognitio & scientia repręsentat illas etiam vt futuras, statim ac futurę sunt, sine vlla reali additione, quę illi sciētiæ fiat. In quibus omnibus sermo noster est de his rebus, quæ propriè habent ideam in Deo imitabilē: peccata verò non habent idcā imitabilē in Deo. Quia Deus non est autor peccati, aut causa, ac proinde non potest habere ideam peccatorum quantum ad habitudinē causæ. Vt autē hæc exactè cognoscas aduerte, quod quoniam in Deo non reperitur obiectū cognitum ratione distinctū à cognitione, ni si vel primarium, quod est diuina essentia, vel secundarium quod creaturæ ipsæ sunt de hoc obiecto quod sunt creaturæ, certū est quod non habet rationem ideæ, vt 1. p. q. 15. de ideis luculenter diximus, at verò de obiecto primario, quod est diuina essētia, cum ipsa vt condistincta à cognitione omninò non dicatur tanquā in causa exēplari continere creaturas, sed solùm dicatur vt cōdistincta à cognitione cōtinere eas vt in causa efficiente, quæ eminenti virtute sua creaturas continet & non formaliter, sequitur ob eādem rationem repulsa cognitione huius obiecti essentiā sub hac ratione non habere rationē exēplaris. Quia de ratione exēplaris est, vt sit quædam forma quæ contineat rem exemplatā, vel per conuenientiā alicuius similitudinis, vel repræsentationis intellectualis seu intentionalis. Nam certè si diuina essentia cōsideretur prius ratione, quā sit cognoscens vel cognita à se nō potest intelligi vt exemplar creaturarū secūdū proprias earum rationes. Nam quāuis essentia diuina eas contineat eminēti virtute, tamē nullo modo eas continet formaliter aut refert. In qua re assignari solet exēplū de luce solis & de sole ipso, qui quamuis eminenter contineat calorem nō potest dici idea caloris. Quoniā nec formaliter secundum se, neque repræsentatiue exprimit calorem ipsum. Adde etiā quod essētia diuina quatenus denominatur cognita seu vt cognita pręcise non habet rationē exemplaris. Quia esse cognitū vt sic non cōstituit exēplar in esse exēplaris, sed vel supponit illud, vel forte est cōditio necessaria vt causet. Vnde si diuina essentia cōsideretur præcisè & secūdū se cognita vt sic nō est exēplar, quia vt sic est dissimilis creaturis. Si autē consideretur essētia diuina vt cognoscēs & cognita & quatenus in illa cognoscūtur tanquā in causa creaturæ, & rationes rerū, sic rationē habet exēplaris vt dictū est supra. Vnde exēplar vt sic formaliter debet ines-

Aduerte.

se intellectui tanquã eius formalis conceptus. Dico formaliter inesse, siue per vnionem cum intellectu, siue per identitatem & simplicitatẽ omnimodã, sicut est in intellectu Dei, siue per inhærentiam vt est increaturis. Quare Sancti Patres dicunt mentem esse sedem idearum, & diuinas ideas esse rationes rerum incommutabiles & æternas, ex quo patet ideas esse res intrinsecè in Deo existentes, & in eo formaliter esse quatenus intelligens est.

Diuina essentia quomodo sit imitabilis à creaturis

QVO fit, vt diuina essẽtia vt forma obiecta diuino intellectui cognoscẽti eam, quatenus in ea cognitione cõtinentur rationes rerũ omniũ quæ exprimuntur ab ea sit imitabilis à creaturis & habeat rationem ideæ. Nam etiam hac ratione intellectualiter repræsentat omnia, quod sane illi conuenit ratione sui conceptus, seu actus intelligendi. Est igitur secundum D. Tho. 1.p.q.15. de ideis, & de veritate q.3. fere per totam exemplar ipsum forma quædam actuans & informans ipsum agens intellectuale, non enim est aut videtur alia forma eius, nisi conceptio ipsius in qua etiã includitur obiectũ eiusdem conceptionis. Vnde pertinet ad rationem exẽplaris esse directiuũ actionis agentis intellectualis, vt rendat in certum terminũ vt nõ casu, neque sine ratione fiat, & hæc est causa cur

D. Thomas

D. Augus.

D. Augustinus dixerit 1. retractationum ca. 3. & lib. 83. quæstion. q.46. 12. de ciuitate cap. 9. & alibi non semel locis superius à me citatis tam certum esse Deũ habere exemplaria, quã est certum operari ex ratione. Hæc tamen directio non fit nisi per actualem mentis repræsentationem & cognitionem, quæ est veluti lumen quoddã antecedens & ostendens viam, & modum atque terminum operationis, quod totum fit formaliter per ipsum conceptũ seu actum intelligendi formalem mentis. Ex quo sequitur quod res ipsa creata quantumuis directè concepta non sit exemplar propriè, quia si res illa est ipsa quæ facienda est, non est illa, quæ dirigit, sed ad quam actio ipsa dirigitur medio exemplari: imo verò illa non est quæ propriè proponitur vt imitanda, sed vt facienda. Secundò sequitur quod cum exemplar sit in intellectu, & non obiectiuè tantùm: quod in eo formaliter existit, & cum non sit ipse intellectus quatenus est nuda potentia, quia vt sic non est forma repræsentans, quod est de ratione exemplaris, neque sit habitus, neque species intelligibilis. Quia iuxta rationabilem sententiam, species tantùm est semen obiecti efficiẽter cooperans, & non formaliter repræsentãs, sed cooperans ad repræsentationem formalem, quæ fit per verbum, vel per conceptum & actum intelligendi, neque etiam propriè, species sit directiua operationis, quod exemplari conuenire debet. Super est tandem vt dici possit propriè exemplar ipsa res seu forma imitabilis, quatenus inuoluit conceptum formalem practicũ rei efficiendæ. Hac enim ratione attribuitur ipsi exemplari quod sit regula proprietatis rei fiendæ, & mensura eius seu regula, & in hoc

A

B

C

D

sensu verissime locutus est S. Tho. locis citatis dicens. Veritatem creaturarum, seu entiũ, quæ creantur à Deo, desumi ex conformitate ad exemplaria, quæ sunt in intellectu diuino tanquam ad mensuram & regulam earum, sicut veritas rerum artificialium desumitur ex conformitate ad humanum intellectum ex eo quod exemplar artificis dicitur esse regula & mensura artificiati.

Ideæ sunt ipsa essentia diuina quatenus idẽtificatur cum cognitione eius continente rationes rerum omniũ

DICO quartò. Ideæ sunt ipsa essentia diuina Dei quatenus ipsa identificatur cum cognitione eius continente rationes rerum omnium. Hanc ego credo esse sententiam D. Thomæ prima parte q.14. articulo 13. Eandem tenet Caietanus ibidem, vel saltem non plurimũ abhorret ab ea. Hęc assertio debet esse certa in omni opinione, & mirabile est fuisse aliquos qui dixerint & male ideas diuinas non esse idẽ cum substantia Dei. Nam ex hoc quod sint distinctę facile sequeretur ideas nõ posse se extẽdere ad repræsentandas veritates cõtingentes. Cum enim diuina essentia non solùm sit ratio intelligendi omnia, sed etiam sit idem cum cognitione eius, in qua cõtinentur rationes omniũ rerum, sitque talis cognitio quasi forma & species sufficiẽsq; repræsentatiuum omnium etiã veritatum contingentium, necessariò oportet dicere ideas idẽtificari cum ipsa essentia diuina, imò verò addit Caietanus quod si ideæ nõ idẽtificarentur cum ipsa essentia diuina, tunc ipsa non adęquaret se ipsam, vel in quantum continet rationes omnium rerum secundum cognitionem sui ipsius, neque se extenderet ad veritates contingentes. Habet ergo Deus rationes rerum omnium præsentes quoad se quatenus cognoscit infinitam eius essentiam in ipso conceptu & cognitione eiusdem essentiæ. Et hunc existimo habuisse sensum D. Thomam locis citatis.

NON dico de ratione exemplaris vt exemplar est, esse quod sit actu directè cognitum tanquam obiectum quod, quamuis necessario sit requisitum ipsum exẽplar cognosci vt causet, quia cognitio est conditio necessaria ad causandum, & quo exemplar fuerit perfectius cognitum, eo causabit perfectius. Suppono enim exemplar causare respectu exemplari. Sicut enim esse ipsius finis est id per quod causat finis, esse autem cognitum est necessaria conditio ad causandum, ita pari modo in exemplari sunt distinguenda hæc duo, cum esse cognitum sit sola denominatio extrinseca, & ob id non possit esse ratio constituens ipsum exemplar, neque possit esse in illo esse cognito formale principium causandi. Nam certè exemplar non dirigit ad efficiendum in effectum ipsum esse cognitum, quoad illam denominationem, neque ad tale esse quale est esse in cognitione, ac proinde exemplar vt sic non constituitur per esse cognitum vt sic. Quo fit, vt etiã in exemplari exteriori, ad cuius imitationem aliqua res fit, quamuis oporteat exemplar illud esse cognitum vt causet, non tamen constitui

tur

tur in illo modo exemplaris per esse cognitum, aut visum, quia hæc est solùm conditio necessaria. Quod verò tale exemplar tali modo sit figuratum & artificioſe constitutum illud dicitur proprium esse talis exemplaris.

Deꝰ cognoscit in sua essẽtia quid quid creatũ est & quidquid creabitur.

Dico quinto. Deus cognoscendo in sua essentia quidquid creatum est, & creabitur, seu vniuersas creaturas, quas eminenter continet, exprimit rationes seu conceptus earum secundũ nostrum modum intelligendi, & alij dicunt quod format rationes seu conceptus earũ si loquamur more nostro imperfecto per quos directè cognoscit creaturas tanquam secundaria obiecta scientiæ suæ. Nam primario scientia eius terminatur ad infinitum obiectum diuinæ essentiæ. Cæterum quia diuina essentia perfectissima est, cognoscendo & formando exemplaria creaturarum cognoscit in se ipso illum conceptum, qui creaturas intellectualiter repræsentat, quod est cognoscere in se exemplaria creaturarum. Et prius nos percipimus esse ipsa formalia exemplaria, & deinde percipimus cognosci. Quod sane licèt videatur importare reflexionem quandam, cæterum in Deo propter summam sui actus infinitatem, puritatem & simplicitatem eodem actu simplicissimo vtrumque cognosci dicimus. Sic ergo idea habet illud totum quod ex parte intellectus requiritur, vt causet in suo genere. Quoniam non solùm est forma existens in mente artificis, verũ etiam ita est applicata & proposita, vt possit respiciens ad illam, rem repræsentatam per eam, efficere ad imitationem illius. Itaque ipsa cognitio ideæ intelligitur esse quasi applicatio perfecta eius & coniunctio ad ipsum artificem, vt ad imitationem illius producat effectum quem vult. Et hæc omnia dixi vt exacte explicarem non tantum hanc assertionem, sed etiam præcedentes, cum doctrina superius tradita.

Dico sexto

Dico sexto. Idea diuina quatenus importat, conceptum cognitionem & actum sciendi, in quo sunt rerum rationes, seu exemplaria quæ ibi repræsentantur secundùm se & vt possibiles, etiam repræsentat easdem res vt futuras, statim ac futuræ sunt sine vlla reali additione, quæ illi scientiæ accrescat. Hãc assertionem insinuaui supra conclusione tertia, & eam constituo contra aliquos ex iunioribus huius ætatis, & hæc insinuatur à D. Bonauentura in prima distinct. 35. & distinct. 39. artic. 2. quæstione 3. & Alexander Alensis prima parte q. 23. membr. 3. articulo 4. & est D. Thomæ, Caietani & Ferrarienſis locis citatis. Nam Sanctus Thomas prima parte quæstione 14. articulo 13. aperte dicit Deum non solùm cognoscere futura in rationibus rerũ quas in se habet, sed etiam quia eius intuitus æternus fertur ad res ipsas. Vnde Caietanus dicit D. Thomam vtramque rationem assignare vt sufficientem ad hoc vt certo & infallibiliter cognoscantur futura contingentia.

D. Bonau. Alenſis.

D. Thomas Caietanus. Ferrariẽſis.

A

FVNDAMENTVM huius assertionis esse potest, quod ideæ diuinæ prout in Deo sunt concurrunt ad cognitionem creaturarum per modum actus intellectualis, quo vt dicunt Scholastici recentiores, intẽtionaliter repræsentãtur ipsæ creaturæ. Repræsentationẽ intentionalẽ Theologi appellant in præsenti materia, eam quæ fit per ipsummet actum & iudicium intellectus. Hoc autem iudiciũ debet esse præcipuè respectu futurorũ cõtingentiũ de cõplexione eorũ, quod aliquid amplius intellectualiter repræsentat, quod solũ iudicium vel apprehẽsio extremorũ simpliciũ, repræsentat nimirũ vel eorũ vnionẽ inter se, aut simpliciter aut in ordine ad actualẽ existẽtiã. Aliqui dicũt quod ideæ

B

quatenus in Deo sunt nõ concurrunt ad cognitionem creaturarũ per modũ obiecti proximi, ac proinde quod idea nõ est ratio obiectiua determinans diuinam scientiã ad cognoscendũ futurum contingens, seu determinãs illã ad certũ iudicium ferendum de illo futuro contingẽti. Quod videtur insinuare S. Tho. 1. p. q. 14. art. 13. quo in loco affirmat Deum cognoscere futura contingentia non solũ quia in se habet rationes rerum, sed etiam propter præsentiam æternitatis. In quo videtur significare ex solis ideis non posse reddi rationem, neque sumi huius determinationis scientiæ ad cognoscendũ futurũ contingens, cum idea non sit ratio obiectiua proxima concurrens ad cognitionẽ creaturarũ nisi per modũ actus intellectualis, & nõ per modũ obiecti proximi vt dictum est. Sed

C

nunc nõ vacat locus examinandi & perlustrandi omnia. Quoniam S. Thomas sine dubio in prædicto art. 3. citato, non solum dixit Deum cognoscere res omnes futuras vt præsentes ipsi, sed etiam dixit modum cognoscendi earum, nimirum esse eas cognoscere, qua ratione habet rationes rerum apud se præsentes, & præter ea quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia quatenus subduntur diuino conspectui secũdum suam præsentialitatem, de qua re satis diximus 1. p. q. 15. Sed quidquid sit de hoc nõ dubium est quin præsentia obiectiua, seu terminatiua futurorũ respectu Dei cum rationibus rerum suo modo & ordine concurrentiũ sit ratio

D

sufficiens cognoscendi futura cõtingentia. Nã illa præsentia & terminatio futurorũ requiritur quasi ex parte obiecti, vt more nostro loquamur, at vero ex parte scientis exigitur actus, in quo sit vel formalis repræsentatio, vel intentionalis talis obiecti: & tunc ille actus vt sic repræsentans, dicitur ratio obiecti. Quo fit vt cũ S. Tho. dixerit per rationes rerũ cognosci futura à Deo ipsum voluisse eas requiri ex parte cognoscentis, ita tamen vt cognitio repræsentet illas, etiam vt futuras, statim ac futuræ sunt sine vlla reali additione quæ illi scientiæ fiat.

S. Thomas. Idea nõ est ratio obiectiua proxima cõcurrẽs ad agnitionem creaturarum, nisi per modum actꝰ intellectualis, non vero per modũ obiecti.

VBI aduertendum esse iudico, aliud esse ideam esse exemplar ad cuius similitudinem res fiat, ita vt exemplar habeat rationem causæ, & imitabilitatis à creaturis: aliud verò

esse, habere rationem cognitionis respectu futurorum contingentium. Nam potest habere rationem cognoscendi futura quatenus importat actum intelligendi, in quo continentur rationes rerum omnium per intentionalem repræsentationem, quæ fit per ipsummet actum, & iudicium intellectus. Vnde aliud est etiam formare ideam, & aliud ideam intelligere. Nam artifex si cum intelligit formam & rationem domus vt à se consideratam, intelligit ideam, pari modo dum ipsam rationem & formam domus speculatur format ideam: at verò vt per eam operetur & ad imitationem eius domum efficiat, reflectitur supra rationem domus vt à se speculatam & ita cognoscit ideam, & per eandem cognitionem quasi applicat exemplar, vt per illud causet. Et hac ratione constare potest quo nam pacto cognitio ideæ deseruiat ad causalitatem. De qua re legendus est Sanctus Thomas prima parte quæstione 15. articulo 2. vbi ait quod artifex dum intelligit formam domus in materia dicitur intelligere domum, dum autem intelligit formam domus vt à se speculatam ex eo quod intelligit se intelligere eam, intelligit ideam, vel rationem domus. *S. Thomas.* Ecce Sanctus Thomas distinguit aliud esse ideam formare, aliud vero ideam intelligere. Hoc igitur modo idea est in Deo quod Deus cognoscendo in sua essentia creaturas format nostro modo intelligendi rationes seu conceptus earum, per quos cognoscit illas directe, quamuis vt secundaria obiecta suæ cognitionis & scientiæ. Quoniam vero cognitio & scientia Dei perfectissima est, cognoscendo & formando exemplaria creaturarum cognoscit in se ipso illum conceptum qui repræsentat intellectualiter creaturas & res ipsas. Quod sane est cognoscere in se ipsarum creaturarum exemplaria. Quod si distinguamus ratione illa duo, prius intelligimus esse ipsa exemplaria formalia, & deinde cognosci, vt superius diximus. Atque ita hoc modo idea est in ipso Deo non tantum formata, sed etiam cognita, & vt sic continet totum illud quod est necessarium ex parte intellectus, vt causet in suo genere, quoniam & est forma existens in mente artificis, & præterea ita est applicata & proposita vt possit ad illam respiciens, rem repræsentatã per eam efficere, ad imitationem illius.

Caietanus. Caietanvs 1. p. q. 14. arti. 13. §. His præ libatis, affirmat quod cum ipsa diuina essentia talis sit, quod ideæ sunt in ipsa quatenus est ratio obiectiua rerum optime dicitur quod quia rationes rerũ, seu ideas præsentes apud se Deus habet, idcirco nouit omnia futura contingẽtia certo. Et sane Caietanus non intelligit quod ideæ rerum sint ipsa essentia Dei præcise vt est obiectiua ratio rerum, sed vna cum cognitione, & actu intelligendi eandem essentiam. Sic enim idea & includit obiectum quod est essentia, & actum intelligendi ipsam, ac proinde includit repræsentationem illam, quæ potest cõuenire ei omnino, vt perfecte repræsenter etiã complexiones futurorum contingentium. Sic enim perfectè repræsentantur ab ideis secundum omne suum esse, quod habet futurum cõtingens in tali vel tali coniunctione contingẽti. Vnde Caietanus quamuis concedat diuinas ideas repræsentare naturaliter futura contingẽtia quantum ad omnem modum suæ intrinsecę entitatis, quod est dicere quantũ ad essentiã entitatiuam, tamen nunquam concedit ideas mere naturaliter repræsentare quidquid repræsentant omnino. Nã aliquid repræsentant mere naturaliter, nimirum rerum quidditates, & aliquid non pure & mere naturaliter, sed naturaliter ex suppositione libera, videlicet existẽtias rerum & coniunctiones contingentes. Et ratio est. Quia quidditates rerum repræsentãt antecedenter ad omnem actũ diuinæ voluntatis, complexiones autem & coniunctiones cõtingentes repræsentant suppositã libera determinatione voluntatis diuinæ ad alteram partẽ contradictionis.

Non desunt qui Caietani sententiam ita repellant, vt dicant eam & fundamentum eius esse falsam, cum tamen possent ipsum interpretari, ob id quod ipsius dicendi modus optimam recipit explicationem, vt diximus. Nam quamuis valde probabile & rationabile sit, ideas quatenus in Deo sunt non concurrere ad cognitionem creaturarum per modum obiecti proximi, sed per modum actus intellectualis, quo intentionaliter repræsentantur creaturæ ipsæ, quatenus repræsentatio intentionalis fit per ipsummet actum, & iudicium intellectus, tamen simul etiam est verum actum illum intelligendi, & iudicium intellectus non solum includere repræsentationem intentionalem, sed etiam includere obiectum & terminum, ac proinde Caietanum vere intellexisse ideas esse in ipsa essentia Dei, quatenus identificatur cum actu intelligendi, & cum conceptu eius includente obiectiuam rerum rationem, seu rationes rerum. Neque hoc est contrarium illi doctrinæ, quæ affirmat quod ideæ ex se & sua natura, hoc est quatenus habent necessariam repræsentationem non repræsentant futura contingentia, quod rectè animaduertit & perpendit ipse Caietanus. Quia aliàs sequeretur cũ Scoto, quod illa futura essent simpliciter necessaria, quoniam haberent cõnexionem cum aliquo quod ex necessitate simpliciter conuenit Deo, nimirum cum ideis. Quapropter Caietanus benè & rectè sensit, quod si ideę referantur ad coniunctiones contingentes, non necessariò, sed libere determinãtur ad repræsentanda hæc futura, vel potius naturaliter ex suppositione libera, quod est dicere ideas non mere naturaliter & necessario antecedẽter ad omnem suppositionem liberam, & actum diuinæ voluntatis, sed naturaliter ex suppositione libera determinare ad repræsentanda hęc futura.

Obiectio. Quod si obijcias. Ideæ non necessario, sed libere determinantur ad repræsentanda

hæc

hæc futura: ergò ratio huius determinationis non potest ex ipsis ideis sumi, quia in eis vt sic non est libertas. Respondetur futura, vt futura sunt in aliqua duratione, antecedenter ad futuritionem non posse repræsentari vt futura: at verò semel concepta futuritione, non posse non repræsentari, sine vlla reali additione facta conceptui & cognitioni identificatæ cum obiecto diuino & infinito. Nam pari etiam ratione scientia simplicis intelligentiæ seu conceptus simplicis intelligentiæ necessariam habet repræsentationem quatenus est cognitio comprehensiua infinita obiecti, cæterum non repræsentat res futuras vt futuræ sunt, antecedenter ad veram causam futuritionis earum. At verò posita vera ratione & causa futuritionis rerum in aliqua duratione, & non tantùm possibilitate futuritionis, ex suppositione liberi decreti Dei sine reali additione vlla, quæ illi scientiæ fiat, cognoscit Deus futura illa vere esse futura, & tunc talis cognitio dicitur scientia visionis, & intuitiua solo addito respectu rationis, & hoc naturaliter conuenire scientiæ Dei, & etiam naturaliter diuinis ideis, facta nimirum illa suppositione libera. Neque obstat quod in ipsa scientia comprehensiua, aut in ipsis ideis non sit libertas. Quia quamuis idea non sit libera, tamen supponit libertatem ad complexionem contingentem repræsentandam, non quæ sit in idea, sed quæ requiritur ad futuritionem rei, vt repræsentetur per ideam. Neque rursus militat contra nos, quod tunc ratio huius determinationis non posset sumi ex ipsis ideis. Quia idea eo ipso quod includit rationes rerum, & cognitionem, seu conceptum includentē infinitum obiectum, & cum eo infinitas rationes rerum repræsentabilium habet quidquid requiritur ad repræsentanda futura contingentia, si tamen illa futura sunt. Nam quod non est futurū, non repræsentatur, neque potest repræsentari, vt tale est, sed solum vt possibiliter futurum, si tamen futurum est, vndecumque illud habeat, idea est ipsius repræsentatiua, & repræsentans, cum id habeat ex eo quod est conceptus, & actus intelligendi obiectum illud infinitum omnimodo, cum quo identificatur talis actus intelligendi. Quia vero implicat rem aliquam esse positiue futuram in aliqua duratione vera & reali, nisi ex libera Dei voluntate, vt fides docet, idcirco necesse est dicere non obstare id adhoc vt dicamus ideam repræsentare res futuras. Quia licèt conditio futuritionis fundetur in diuino decreto proxime, in ideis vero ex ipsis, & in ipsis mediate, ex suppositione, non quidem libertatis intrinsecè ipsarum idearum, quia in ipsis nulla est, sed ex suppositione futuritionis, quæ intelligitur vt præuia, & melius vt concomitans ad repræsentationem idearum eis debitam quatenus ab eis debet repræsentari, quidquid potest habere rationem ideæ in Deo, & hanc habent futura contingentia eo ipso quod futura sunt: vnde non est cur auctores oppositæ sententiæ ita argumententur.

A

B

C

D

Replica. Dices, si oportet recurrere ad determinationem diuinæ voluntatis: ergò non requiritur aliud medium obiectiuum. Quia determinatio voluntatis diuinæ non cognoscitur in ideis, sed in se ipsa, & consequenter cognita ipsa determinatur scientia Dei ad cognoscenda futura & pari modo determinabuntur ideæ. Respondetur quod per ea, quæ diximus non recurritur ad determinationem diuinæ voluntatis, vt illa habeat rationem repræsentandi, sed vt res habeat rationem futuritionis de facto. Quia implicat aliquid repræsentari vt futurum est, siue per modum actus intelligēdi, siue per modum iudicij, si non est futurum in aliqua duratione. Quoniam futuritio dicit ordinē ad aliquam durationem & mensuram cum complexione existentiæ reuera euentura, & non tantùm possibiliter futura. Neque est valde obscurum vt moderni putant, quod si conciperetur idea per modum repræsentationis obiectiuæ, quatenus est cognitio seu conceptus in quo continentur rerum rationes, vt superius dictum est, si suponatur vera futuritio existentiæ ipsius contingentis quod illa posita ex decreto & volitione Dei idea ex respectu solo accedente ad rem vē turam, quæ imitatura est similitudinem ideæ propriæ, quod ipsa potius habeat repræsentare hoc futurum quam oppositum. Vnde negandū est hanc sententiam non declarare aliud mediū diuinæ cognitionis præter diuinam voluntatē vt satis aperte constat ex his, quæ superius dicebamus, non solùm ex sententia S. Tho. sed etiam ex sententia aliorum & etiam Caietani, & Ferrariensis 1. contra Gentes cap. 66. & 67. Capreoli in 1. dist. 37. quæst. 1. art. 2. & dist. 38. quæstione 1. articulo. 3. ad 5. contra secundam conclusionem.

Solutio. Argvmenta Caietani, quæ in principio dubij adducta sunt simul cū eius opinione iam interpretata sunt, quia diximus qualiter sit Caietanus intelligendus, & quid probent ipsius rationes & argumenta, non enim cognoscit Deus futura contingentia quomodocunque in diuinis ideis tanquam in proximo obiecto, nisi ea ratione, qua idea diuina censetur esse conceptus diuinus, & actus intelligendi identificatus cum ipsa essentia ad eum modum quem diximus. Ideæ autem diuinæ quatenus rationes rerum in eis sunt, necessario repræsentant rerum entitates & quidditates absque aliqua suppositione. Cæterum complexiones & coniunctiones contingentes quod futuræ sint in aliqua duratione extra Deum, id quidem dependet ex libera suppositione Dei, seu ex libera suppositione determinationis diuinæ ad alteram partem contradictionis: non quod repræsentatio & ratio similitudinis proueniat ex libera illa determinatione Dei, quia ex ea tantùm supponitur vera existentia futuritionis, similitudo verò rationum & rerum

tei imitabilis ad rem, quæ imitatur, aut quæ imitatura est, in ipsa idea reperitur, & ex decreto diuinæ volũtatis solùm accrescit illi respectus rationis, qui dictus est, sicut in scientia visionis intuitiua Dei, quæ dicitur esse scientia libera. Adde etiam quod actus intelligendi & conceptus diuinus habet intentionalem quandam repræsentationem, quæ fit per ipsummet conceptum & actum intelligendi, & per iudicium intellectus, in quo aperte constat iudiciũ & conceptum de complexione futuri contingẽtis aliquid amplius repræsentare intellectualiter, quam solùm iudicium, vel apprehẽsio simplicium extremorum repræsentat, nimirum vnionem eorum inter se, vel absolutè, vel in ordine ad existentiam actualem. Quod sane neq; negauit Caietanus vnquam, neque negare potuit stando in sententia D. Thomæ.

A D reliquas obiectiones seu difficultates, quas in recitãdis opinionibus insinuauimus, arbitror me satis dixisse & respondisse, si ea quę diximus perpendãtur. Vnde cum diximus exẽplar esse illud, ad cuius similitudinẽ fit effectus, quod artifex ipse imitatur, cum operatur, hoc verificari posse de conceptu formali, & locutionem illam non esse intelligendam de similitudine formali, quę naturalis est. Sed potius de similitudine secundum repręsentationem intellectualem, quam habet ipse formalis cõceptus erga rem quam exprimit, quam quidem similitudinem seu imitationem aut conformitatẽ ad exemplar artifex ipse sua operatione intendit. Itaque ratio exemplaris vere & sufficiẽter explicatur, si dicamus exemplar esse illud, quo artifex sibi repræsentat rem, quam ipse effecturus est, vt imitetur ipsum, vel vt expleat & cõpleat repræsentationem illius. Et tandem quãuis rationes rerum contineãtur in diuinis ideis, & in conceptu Dei, seu in actu intelligendi, aut conceptu identificato cum diuina essentia, nihilominus futura contingentia libera non dicuntur repræsentari actu à diuinis ideis antecedenter ad causam vere determinatiuã futuritionis eorum ad vnam partem, quod qualiter sit intelligendum satis superque explicuimus consentientibus inter se Scoto & Caietano.

DVBIVM III.

Annexum, vtrùm propositiones de futuro contingenti sint determinatè veræ, aut determinatè falsæ.

QODIE inter Theologos Scholasticos ad exactam intelligentiam de cognitione futurorum contingentium disputatur, vtrũ in propositionibus de futuro cõtingenti reperiatur sufficiens veritas determinata secundum quam possint à Deo certò & infallibiliter cognosci. Et in hac cõcertatione, sicut in reliquis omnibus semper supponimus veritatem fidei, quæ affirmat Deũ certò & infallibiliter præscire & prœcognoscere futura contingentia, quod nos supra nõ solũ testimonijs scripturę Sacrę, sed etiã rationibus & concilijs ostendimus. Inuestigamus autem in præsenti, vtrũ futura contingentia, quæ per propositiones de futuro significantur à nobis, habuerint ab æterno determinatam veritatẽ.

IN qua re Arist. aperte sensit distinguendum esse inter propositionem veram, & determinatè verã, & ait propositiones de futuro cõtingenti esse veras, sed non determinatè veras, & similiter esse falsas, sed non determinatè falsas. Hanc sententiam apertè recipit Ambrosius Catherinus Episcopus in tractatu de veritate enunciationum in principio §. ego vero circa primam. Eandem sententiam tenet sapientissimus Magister frater Dominicus del Pie del Puerto, li. de veritate propositionis c. 6. Hic vir fuit nostri instituti in hac Vniuersitate Salmãticensi, publicus atque proprius professor, & quod magis est, quod de illo inuenio in annalibus Salmanticẽsibus, quod Anno Domini milesimo quingẽtesimo septimo, Vniuersitas Salmanticensis, omnium calculo, misit Doctorem Horcala, vt ex Vniuersitate Parisiensium, sub certo stipendio & præmio duceret prędictũ Magistrũ F. Dominicũ del Pie del Puerto, vbi tũc erat publicus & primarius professor vt hic publice Cathedram gubernaret, ex cuius ore omnes pendebãt de quo in annalibus Salmanticensibus, & vt probet suam sententiam adducit illa verba Arist. lib. 1. Perihermenias, vbi in hæc verba concludit. Quare manifestum est quod non est necesse omnis affirmationis, & negationis oppositarũ hanc quidè verã, illam vero falsam esse. Neque enim quemadmodum in his quę sunt, sic se habẽt in his, quæ nõ sunt, possibilia tamen sunt esse & non esse, sed quẽadmodum dictũ. Et sane nihil clarius dici poterat, vt explicaret mentem suam Arist. Vnde interpretes eius tam Græci, quam Latini, vt S. Tho. Boecius, Amonius, Simplicius & Philoponus eundem sensum interpretati sunt quorum plures refert Catherinus loco citato. Et inter Scholasticos Theologos Capreolus putat nõ dixisse Philosophũ simpliciter de futuris contingentibus neutrã contradictionis partem esse verã, sed hoc tantũ quod in eiusmodi ratione futuritionis non determinatur vlla pars plus ad veritatẽ quã ad falsitatẽ. Sed profecto dicere, nõ determinari vllam partẽ plus ad veritatẽ quam ad falsitatem ratione futuritionis non videtur aliud esse quam dicere neutram determinatè esse veram, neque esse falsam, si consideretur vt futura, sic enim consideratur à Philosopho. Quoniam illam oportet esse veram, quæ determinatur ad veritatem, & illam falsam, quę determinatur ad falsitatem.

QVOD verò de propositionibus singularibus de futuro contingenti non sit altera vera, altera autem falsa, sed quamlibet esse veram vel falsam id Aristoteles loco citato sequentibus

Catherinus

Dominicus del Pie del Puerto.

S. Thomas. Boecius. Amonius Simplicius. Capreolus.

verbis affirmat. Omne namque necesse est esse, aut non esse: & item fore, aut non fore: non tamen distincte alterum dicere necesse est. Veluti necesse est quidem pugnam nauale cras fore, aut non fore, non tamen fieri pugnam nauale cras est necesse, neque rursus non fieri. Quam sententiam plerumque repetit in citato capite octauo. Et quidem de qualibet illarum propositionum verissimum & infallibile est dicere, quod nauale bellum erit, aut non erit. Quoniam principium illud. Quodlibet est, vel non est, sicut est verum, ita est infallibile. Et pari ratione de qualibet parte contradictionis in qua firmatur esse vel non esse, similiter affirmabitur quod est vel non est, & in futuris quod erit vel non erit. Quia in his omnibus imbibitur principiū illud primum. Quodlibet est vel non est. Vtra autē pars sit vera determinatè, vel nulla sit determinatè vera, id quidē disceptatur in præsēti.

Capreolus. *Ambrosius Catherinus* *Caietanus. Ferrariēsis Palacios.*

Ostendi autem potest propositionem de futuro contingenti non esse determinatè veram aut falsam. Quoniam illustres Theologi id affirmant, & in primis fere interpretes Aristotelis super librum de interpretatione. Capreolus etiam in prima distinctione 38. q. 1. articulo 3. & Aureolus, quem ipse citat. Catherinus in opusculo de veritate enunciationum, & in alio opusculo de præscientia & prouidētia, & id sentiunt discipuli D. Thomæ Caietanus & Ferrara & inter modernos Palatios in 1. distinctione 38. disputatio 2. Fundamentum quo probari potest hic modus dicendi est, quia aliàs si propositiones istæ essent determinatè veræ aut falsæ, tolleretur rerum contingentia, & omnia necessariò euenirent, non libere. Et ratio est. Quia si propositio de omni futuro est determinatè vera: ergò non est indifferens: quia indifferēs & determinatum ad vnum pugnant inter se: ergò. Item si eadem propositio est determinatè vera, ergò necessariò vera, igitur quod per eam significatur aut futurum dicitur necessariò est futurum. Patet consequentia. Quoniam si propositio de futuro semel est vera ab æterno fuit vera, & nunquam habuit initium suæ veritatis ex parte durationis. Rursus, etiam si propositio de futuro est vera semel, fieri non potest quin verificetur in aliqua duratione & in aliquo tempore. Quia si nunquam esset verificanda, semper fuisset falsa, & non esset habitura finem suæ falsitatis. Hoc confirmari potest. Quoniam si talis propositio de futuro contingenti est determinatè vera: ergò debet dici vera secundum illud esse quod habet antequam fiat. Quia ab eo quod res est vel non est, propositio dicitur vera vel falsa, quoniam veritas in esse fundatur, sed tunc non habet esse nisi in causis suis: ergò in eis potius habet determinationem ad esse quam ad non esse, aliàs quomodo esset determinatè vera: ergò talis propositio non habet indifferentiam ac proinde neque contingentiam, sed determinationem & necessitatem, ob id quod necessarium illud dicitur esse quod est determinatum ad vnum.

Primum argumentum *Secundum* *Tertium.* *Confirmat.*

Nonnulli Theologi varios & diuersos modos excogitarunt vt interpretarentur sensum Aristotelis. Nam quidam senserunt esse quidem alteram partem contradictionis veram simpliciter, sed quoniam ignoratur à nobis, quæ illarum sit, neque potest hoc certò determinari, idcirco de illa dici posse, quod est vera sed non determinatè vera. Hoc tamē sine ratione cogitatur, & non est de mente Arist. nō enim quia ignoratur veritas propositionis idcirco talis veritas dici debet indeterminata, sed quod nescitur à nobis determinatio veritatis, hoc tamen est contra mentem Arist. qui reuera contendit constituere differētiam inter propositiones contradicentes seu enunciationes quæ sunt de præterito, & illas quæ sunt de futuro, quod illæ quidem habent determinatè vnam partem veram, istæ vero neutram determinatè, cuius rei ratio est aperta. Quia veritas enunciationis iuxta considerationem logicam, non à cuiuscunque notitia determinatur, sed à natura rei, si sese habeat vt enunciatum est, etiā si nullus sciat.

Catherinus in impressione Romæ facta Anno. 1550.

Catherinus in libello illo citato de veritate enunciationum pagina 27. inquit. Non ideo quod nesciatur à nobis dicitur quidquam minus verum, aut minus determinatè verum, modo sic in rerum natura inueniatur, vt de illo enunciatum est. Qua de re Boetius longum habuit sermonem. Et subiungit Catherinus. Concludo igitur nunquam venisse in mentem Philosophi, enūciationem de futuro contingenti esse veram: quia subest diuinæ cognitioni tāquam præsens, cum hæc consideratio potius Theologica sit: ipse autem Philosophus à rerū naturavenaretur veritatē, & falsitatem, vt in eo loco patet. Existentia igitur rei futuræ si nobis ab ipsis causis inuestiganda est (vt certè est) nō deprehendetur in contingentibus donec fiant, nec si primam, nec si secundas causas inspexerit. Prima enim causa est, quæ maxime facit contingentiam, quia sic voluit: & cum sic voluerit sic etiam aptauit causas, vnde venirent contingentia, vel æquiualentes ducere ad vtrūlibet, vel ad alterā potius partem inclinantes, nō ita tamē vt nequeat contingere altera.

Gregorius de Arimin.

Gregorius Ariminensis dicit Aristo. errasse & logice, & physicè, & Theologicè, credens nullam propositionem singularem de futuro contingenti esse determinatè secundū se sumptam veram, vel falsam, quem ingeniosè carpit Noster Magister Oña Episcopus Gaetensis p. 2. de enunciatione c. 5. Vnde ille hāc statuit conclusionē contra Philosophū. Omnis propositio singularis de futuro est vera vel falsa, ita quod cuiuslibet contradictionis contingit vere dici, hæc pars contradictionis est vera, & illa est falsa: quanquam nos quæ sit determinatè vera, nesciamus. Hæc ille. Et probat hanc conclusionem hoc discursu.

Sumo (inquit Gregorius) mihi gratia exempli, hanc, Antichristus erit, & rogo de illa vtrum sit vera, si conceditur, habeo quod volo, si negatur sequitur: ergò si non est vera hæc Antichristus est, vera est hæc Antichristus non erit. Quod si vera est hæc Antichristus non erit, ergo oppositafalsa Antichristus erit, per legem contradictoriarum. Hic est primus processus Gregorij, de quo Catherinus inquit, quod in eo manifeste petit principium. Ipse enim ex hoc quod dicimus non esse hanc veram, Antichristus erit, infert: ergo hęc est vera Antichristus non erit. Sed vnde id quæso probat? Cum iam nos oppositum posuerimus dicentes quod nulla oppositarum determinate est vera, neq; est quod prohibeat inter verum & falsum cõcedi medium, hoc est nec verum, nec falsum, cũ verum & falsum sint opposita contrarie & nõ contradictorie.

PROBAT autem Catherinus, manifeste petere principium Gregorium. Quoniam Gregorius probat intentum suum ex eo quod ex opposito consequentis, sequitur oppositum antecedentis. Videamus igitur quo pacto & inueniamus consequens, & antecedens & eorum opposita. Consequens igitur illius est, verum esse Antichristum non fore. Ex hoc ergo consequenti sequi debet oppositum antecedentis. Antecedens erat: Non verum esse Antichristum fore. Ex argumento igitur Gregorij sequitur quod ex hoc. Non verum est Antichristum non fore, infertur esse verum Antichristum fore, & non considerauit iuxta veram logicam ex negatiua nihil sequi formaliter, & se adhuc petere principiũ. Quoniam ad non veritatem vnius non sequitur veritas alterius, etiam oppositę in omni materia, nimirum in hac futurorum contingentium. Quia nullius oppositionis pars determinate habet veritatem, sed bene ad falsitatem vnius sequitur veritas eius oppositę. Dicimus ergo (inquit Catherinus) non valere consequentiam Gregorij. Quia oppositum suæ consequentiæ, quod est. Non verum est Antichristum non fore, stat cum nostro antecedenti quod est. Non verum est Antichristum fore. Hoc enim est positum nostrum contra quod ipse argumẽtatur. Sed quid sit sentiendum de sensu Gregorij & aliorum inferius dicemus.

Maior explicatio circa sensum Aristotelis, & multorum Theologorum, in propositionibus de futuro contingenti.

ARISTOTELES ergo capite illo octauo de futuris contingentibus libri primi de interpretatione, cum vellet explicare quo pacto in propositionibus contradicentibus de futuro contingenti sit verum, id quod antea docuerat in contradictorie oppositis, nimirum alteram partem esse verã, & alteram falsam in enunciationibus contradicentibus de præsenti & præterito, de quibus dixit necesse esse vnam esse veram, & alteram falsam. Subiungit de cõtradicentibus de futuro contingenti in singularibus, atque futuris, non similiter res se habet. Ex quibus verbis colligitur Aristotelem sensisse in his propositionibus non esse necesse alteram esse veram, & alteram falsam, neque posse obid dici neutram partem esse veram. Quod constare potest lectori si verba Aristotelis legat attente. Et tandem postquam hoc Aristoteles probauit, explicat propriam sententiam in eodem capite tradens hanc regulam, qua ipse respondet difficultati propositæ de contradictionibus, quæ reperiuntur in enunciationibus de futuro contingenti, quæ talis est. In propositionibus contradicentibus de futuro contingenti, neutra pars determinate est vera, aut determinate falsa, ita vt hæc determinate sit vera, & illa determinate sit falsa. Sed hæc vel illa determinate est vera, & hæc vel illa determinate est falsa.

HOC autem ita esse verum omnes ostendunt hac ratione seu fundamento. Quoniam orationes sunt veræ vel falsæ ex eo quod res significatæ ita se habeant aut non habeant, sicut per eas significantur, sed in rebus significatis per propositiones de futuro contingenti altera pars oppositionis determinate est futura, & altera determinate non est futura, non quidem hæc neque illa in particulari, sed hæc vel illa: ergo idem dicendum est de veritate & falsitate propositionum. Et hoc explicant omnes exempo Aristotelis. Quoniam in hac propositione. Bellum nauale erit cras. Bellum nauale non erit cras. Neutra pars in particulari est determinate vera vel falsa, sed altera earum sub disiunctione, scilicet hæc vel illa est determinate vera, & altera eodem modo sumpta hæc vel illa est determinate falsa. Tandem omnes conueniunt hanc regulam explicari terminis Dialecticorum, si dicamus reperiri necessitatem quando sit vna Categorica de extremo disiuncto, non tamen quãdo sunt duæ Categoricæ in vna propositione disiunctiua, quod alij dicunt in sensu disiuncto & non in sensu disiunctiuo, seu disiunctim & non disiunctiue, vt cum dicitur alterum oculum esse necessarium ad videndum, si sumatur priori modo est verum, quia hic vel ille est necessarius, si vero accipiatur posteriori modo est falsum. Quia neque hic est necessarius, neq; ille est necessarius.

VERVMTAMEN quamuis omnes conueniant in his, quæ diximus, adhuc tamen in sensu huius regulæ est diuersitas opinionum. Quoniam illa particula, determinatè, potest sumi dupliciter, vel vt modificans propositionem, de qua est sermo, vel vt modificans veritatem aut falsitatem, quæ ei attribuitur. Cum autem sumitur priori modo sensus

regu-

regulæ est, neutram determinatè id est, sumptam per se & in particulari esse veram, aut falsam, sed alteram earum sub disiunctione esse veram, aut falsam. Cum verò sumitur posteriori modo sensus est, neutram earum per se sumptam esse determinate, id est immutabiliter & necessario veram, aut falsam, sed alteram earum sub disiunctione. Inter quos duos sensus est tantùm discrimen vt iuxta priorem, negetur vnicuique harùm propositionum per se sumptæ veritas aut falsitas, & iuxta posteriorem solum negetur eis determinata, hoc est immutabilis, aut necessaria veritas, vel falsitas. Et quidem iuxta has duas acceptiones illius particulæ auctores inter se diuisi sunt. Nam Gregorius in prima distinctione 38. quæstione 1. & Aureolus ibidem articulo 3. §. Restat ergo. Et Catherinus locis citatis cum alijs recentioribus censent particulam, illam determinate, sumendam esse in priori acceptione, & consequenter sensum huius regulæ esse. Nulli propositioni de futuro contingenti sumptæ distincte aut in particulari, siue diuisiue, conuenire veritatem, neque falsitatem, sed toti complexo sub disiunctione. Alij vero vt Diuus Thomas Amonius Magentinus, & Ricardus in prima distinctione 38. articulo primo quæstione quinta ad primum, & Maior eadem distinctione quæstione prima, & plures alij dicunt particulam illam sumi posteriori modo, & sensum regulæ esse, neutram ex illis propositionibus sumptam in particulari, aut diuisiue esse determinatè, hoc est immutabiliter, aut necessario veram, aut falsam, hoc est ita veram, vt non possit esse falsa, neque ita falsam, vt non possit esse vera. Sed alteram earum disiunctim, siue vtramque sub disiunctione esse hoc modo veram, aut falsam.

D. Thomas Amonius. Magentius Ricardus. Ioann. Maior.

Et sane postremus hic modus explicandi placet nonnullis Theologis recentioribus etiam ex familia Diui Thomæ. Quia hæc posterior explicatio & sententia est magis consentanea contextui. Quod in primis ostenditur. Nam rationes quibus Aristoteles probat neutram harum propositionum determinatè esse veram aut falsam, ducunt asserentem oppositum ad hoc inconueniens vt concedat, nimirum omnia necessariò, & incuitabiliter esse futura, aut non futura, quod tamen non sequitur si dicamus quamlibet harum propositionum per se sumptam esse veram, aut falsam, non immutabiliter, sed contingenter, & ita vt facta mutatione in re significata, sicut fieri potest propter eius contingentiam mutetur etiam ipsa à veritate in falsitatem, & è conuerso. Deinde hoc videntur significare verba illa Aristotelis in textu illius capitis, in quibus ita habetur scilicet. Magis quidem alteram veram, non tamen iam veram vel falsam. Quod quidem optime ponderauit Amonius, & id ipsum Diuus Thomas. Nam sensus eorum est. Quamuis neutra pars harum contradicentium sit determinatè vera aut falsa, tamen aliquando vnam magis quam alteram inclinare ad veritatem scilicet determinatã, & immutabilem, & ad hoc denotandum subditur. Non tamen iam veram aut falsam, quasi diceretur. Quãuis vna magis inclinet ad veritatem aut falsitatem quam altera, non idcirco sequitur eam quæ ita inclinat esse necessario veram aut falsam.

Postremo colligitur hoc apertè ex postremis verbis, quibus Philosophus concludit totam hanc disputationem, quæ sunt huiusmodi. Quare manifestum est, quoniam non est necesse omnis affirmationis, & negationis oppositarum, hanc quidem veram, illam verò falsam esse. Quia sensus est constare ex dictis non omnium contradicentium alteram partem esse necessario veram, & alteram necessario falsam, quia licèt id ita sit in enunciationibus de præsenti & de præterito, saltem loquendo de necessitate ex suppositione, tamen in propositionibus de futuro contingenti, non ita se res habet. Vnde Argyropilus illustris interpres Aristotelis ita vertit. Quare patet non omnium affirmationum & negationum oppositarum alteram necessario veram esse & alteram falsam: verum perpendere oportet quantum attinet ad textum Aristotelis, non esse faciendam vim in illa particula determinatè, quamuis habeatur in textu, cum semel tantùm habeatur iuxta versionem, quam Argyropilus habet, & pro ea particula in translatione antiqua ponatur diuidentem, hoc est eum, qui diuidit aut sumit per se, & in particulari, alteram harum propositionum, sed quia aut ponitur expresse vox necessario aut subintelligitur ex antecedentibus, aut ex ipsa consequentia.

Sed contra hoc posset quis ita obijcere cõtendens expositionem prædictam esse falsam. Quia si Aristoteles non negaret his propositionibus de futuro contingenti sumptis diuisiue veritatem aut falsitatem absolutè, sed solum veritatem aut falsitatem immutabilem, & necessariam, idem posset dicere de aliquibus propositionibus de præsenti & de præterito nimirum de illis, quæ sunt in materia contingenti vt Petrus disputauit, aut disputat, quia etiam in his est veritas aut falsitas mutabilis & contingens, & necessaria, sicut & materia quæ per eas significatur est contingens. Dices ad hoc duplicem esse necessitatem veritatis, vnam simpliciter, & alteram ex suppositione, & in his propositionibus de præsenti & de præterito reperiri primã sine secunda, quia etiã earum significatum quãuis sit simpliciter contingens est necessarium ex suppositione. Quia omne quod est suppositio q̃ est necessario est, & omne quod fuit suppositio quod fuit, necessario fuit. At vero in propositionib⁹ de futuro cõtin-

gen-

genti neutram necessitatem reperiri, & ideo de eis peculiariter dixisse Aristotelem non habere veritatem, aut falsitatem necessariam. Sed hæc responsio etiam potest impugnari. Quia sicut propositio de præsenti & de præterito est vera aut falsa necessario ex suppositione: quia eius significatum est necessarium ex suppositione, ita etiam propositio de futuro contingenti erit vera aut falsa necessario ex suppositione. Quia etiam eius significatum est necessariũ ex suppositione. Quod potest probari, quia sicut præsens dicitur necessarium ex suppositione, quoniam quod est quando est, supposito quod est, necessariò est, ita etiam futurum supposito quod sit futurum necessariò est futurum. Ad hoc inter alios Augustinus Niphus in expositione eorum verborum Aristotelis videtur approbare hãc solutionẽ. Quia dicit necessitatẽ ex suppositione cõuenire categorice de extremo disiuncto, qualis est hęc. Hoc bellũ nauale erit vel non erit cras, & non alteri harum contradicentium sumptæ per se, aut disiunctiue, qualis est. Hoc bellum nauale erit cras, & hoc bellum nauale non erit cras, & videtur rationabile admittendam esse solutionem illam. Quoniam Aristoteles in fine illius capitis expresse id affirmat. Cæterum oportet assignare rationem huius secundi, quod Niphus affirmat vt dissoluatur obiectio proposita contra illam solutionem. Et sane vt id efficiamus obseruandum est dupliciter explicari posse hanc illationem effectus futuri ex suppositione. Primò sic. Quod futurum est supposito quod sit futurum necessariò erit. Secundò sic, quod futurum est supposito quod futurum sit necessario est futurum. Sed est discrimen inter hos duos modos explicandi illationem effectus ex suppositione. Quia in priori per illa verba necessariò erit, significatur id quod dicitur esse futurum, supposito quod sit futurum, esse determinatè & necessariò habiturum suum esse præsens in tempore pro quo dicitur esse futurum, in posteriori verò significatur id quod dicit esse futurum supposito quod sit futurum habere necessario modum essendi futuri prout distinguitur à modo essendi possibilis & præsentis & præteriti. Et cum dicimus in propositionibus de futuro contingenti non reperiri necessitatem ex suppositione non loquimur de eis quando illatio effectus ex suppositione explicatur posteriori modo. Quia tunc effectus non est aliquid futurum pro tempore futuro, sed aliquid præsens scilicet modus essendi presens ratione cuius aliquid dicitur futurum, qui vt diximus, consistit in quadam determinatione, & inclinatione impedibili causarum ad eius productionem. Sed quando illatio explicatur priori modo, ratio vero propter quam tunc ex suppositione non inferatur necessario effectus, sicut infertur in præsentibus & præteritis est manifesta. Quia suppositio futuritionis non est quid determinatum immutabiliter in ordine ad hoc vt futurũ habeat esse præsens in tempore pro quo dicitur futurum, sed est quædam determinatio & inclinatio causarum indifferens ad vtramque partem, at vero suppositio præsentialitatis & præteritionis est quid determinatum omninò ad hoc vt res habeat in tempore præsenti, vel habuerit in præterito suum esse præsens.

Ricardus.

Ricardus in prima distinctione 38. articulo primo quæstione quinta ad primũ explicat Aristotelem loco citato, vt dicat alteram partem non esse determinate veram, hoc est ita veram, vt non possit esse falsa, neque alteram partem determinate falsam, hoc est ita falsam, vt non possit esse vera. Et moderni dicunt Ricardum particulam determinatè, sumere pro necessario, cum tamen sensus Ricardi planus sit. Quod vero particula determinate non sumatur pro necessario constat ex his quæ diximus paulo ante, & certè si Aristo. solum contenderet in propositionibus de futuro contingenti non esse necessariam veritatẽ probaret futura non euenire ex necessitate, sed liberè. Hoc autem in eo capite nõ probat, imò verò tanquam notum supponit. Et asserentes propositionem aliquam esse veram distincte ad hoc deducit absurdum, vt inde concedant nihil euenire à casu, & ad vtrũlibet. Ex hoc vero quod dicant vnam esse veram distincte, alteram falsam, infert veram esse necessariò veram, & falsam necessario falsam. Qua propter auctores, qui explicant particulam illam determinate pro necessario male loquuntur, ea enim semel vsus est Aristoteles in illo capite 8. & idem prorsus significat apud ipsum quod distincte, qua particula sępius vtitur. Cum vero Aristo. contendit nullam partem esse verã distincte idem significat quod sigillatim, & non confuse, eo quod ipse cõcedat aperte quamlibet esse veram, vel falsam cõiunctim, sed nõ distincte veram aut distincte falsam. Rursus si ly determinate significaret idem quod necessario, & Aristoteles vellet probare solùm, in contingentibus enunciationibus de futuro, non esse necessariam veritatem, idem debuisset dicere de quibusdam alijs propositionibus de præsenti. Quia pari modo aliquæ positiones de præsenti non sunt necessariæ, quia sunt etiã aliqua præsentia non necessaria, vt Paulus loquitur: igitur cum solum dicat in propositionibus de futuro non esse alteram falsam, alteram veram, contendit non tantum non esse alteram necessario veram, aut necessario falsam, sed neque veram distincte, aut distincte falsam.

Manifesta igitur sententia Aristotelis est, in enunciationibus contradicentibus de futuro non esse vnam partem distincte veram, aut alteram distincte falsam, sed quamlibet earum esse veram aut falsam etiam per se sumptam disiunctim. Nam hæc est vera vel falsa. Nauale bellum erit cras, & similiter illa. Nauale bellum non erit cras, est vera vel falsa

& hanc fuisse mentem Aristotelis affirmant Cregorius, Catherinus, Aureolus, & plures alij. Imò vero Caietanus hoc ipsum insinuat prima parte quæstione 14. articulo 13. Sed vt transeunter dicam quod sentio, certè quidquid sit de Aristotelis sensu & interpretatione negari non potest de qualibet enũciatione contradicente de futuro, nisi quod quæuis illarum est vera, vel falsa. Quia sicut quodlibet est, vel non est, ita de qualibet enunciatione futurorum est verum dicere esse veram, aut falsam. An verò quælibet sit distincte & determinatè vera, hoc est quod controuertitur in explicatione Philosophi.

Gregorius. In qua re Gregorius quem sæpe retulimus in prima distinctione 38. quæstione 2. articulo primo postquam sensum Aristotelis in hoc capite deprehendit, eum impugnat & repellit. Catherinus verò ipsum amplectitur & defendit pro virili. Statuit enim Gregorius contra Aristotelem omnem propositionem singularem de futuro esse veram vel falsam, ita vt cuiuslibet contradictionis, distincte & verè dicatur, hæc pars contradictionis est vera, & illa est falsa, licet nos nesciamus quæ sit determinatè vera. Oppositum dicit Catherinus de mente Aristotelis, Idque probat ex fundamento Aristotelis in quo tota huius quæstionis doctrina consistit. Quod est huiusmodi. Sicut res se habent ad esse vel non esse, sic orationes se habẽt ad veritatem & falsitatem. Cum igitur res in huiusmodi contingentibus non sint determinatè ad fore vel non fore: ergò non potest de eis determinatè dici erunt, nec determinatè dici, non erunt.

Fundamentum Arist.

Hvic fundamento contendit satisfacere Gregorius per hęc verba, quæ sequuntur, ipse enim in hunc modum respondet. Dico quod sunt determinata ad futurum esse vel non esse, hoc est, determinatè erunt, vel determinatè non erunt, quamuis contingenter & non necessario, & ideò simpliciter orationes tales de futuro sunt determinatè ad veritatem, & falsitatem, quamuis contingenter: vnde talis determinatio de inesse tantum, non tollit contingentiam futuri, quæ consistit in determinatione de possibili, quia scilicet potest fore, & potest nõ fore: & non in determinatione de inesse, qua scilicet dicitur, quod neque erit, neq; nõ erit, quia hoc est impossibile, & oportet alterũ tantum determinatè fore, contingenter tamẽ, quamuis vtrumque eorum sit nobis ignotũ, & ideo patet, quod ista ratio est potius ad propositũ. Hæc Gregorius. Asserit igitur quod tales orationes solutę, nimirum. Erit hoc vel nõ erit hoc determinatè sunt ad veritatem, vel ad falsitatem, ita quod qualibet earum demonstrata potest dici de illa determinatè, quod est vera vel falsa, quia quantum attinet ad inesse, est determinatio, salua tamen natura contingentis, quantum verò attinet ad possibile non est determinatio.

A

B

C

D

Sed Catherinus insurgit contra Gregorium & dicit hæc nimis absurda & apertè prępostera esse (verba sunt illius) Primò. Quia si determinatio fiat vnius ad esse: manifestè tollitur possibilitas ad non esse, vt ipse Philosophus dicit, & qui negaret hoc proteruus esset. Secundò verò. Quia nihil est magis prępostertũ quã adm ittere q̃ huiusmodi enunciationes non sint determinatę depossibili, & quod sint determinatę de inesse. Quia ex hoc dicto sequitur manifestè quod de neutra dici potest determinate possibili, si secundum hunc respectum sunt indeterminatæ, cuius tamẽ oppositum est euidentissimum, & ipsemet Gregorius passim confitetur, quod qui negaret nõ esset audiẽdus vt Catherinus affirmat. Rursus q̃ Gregorius dicit nimirum quod cõstituere indeterminationẽ de inesse est idem quod dicere. Neq; erit, neq; nõ erit, apertè est falsum, quanquã posito hoc vero ab eo primũ ipsemet Gregorius ingulatur: eo quod similiter posita indeterminatione sua de possibili, similiter cõstitueretur verũ de eodẽ neque possibile fore neq; possibile nõ fore. At reuera qui dicit, de erit, non esse determinate verũ, neq; determinate falsum: & similiter de non erit, seorsum, minime dicit copulatiue, neque erit, neque non erit, vt Gregorius tam Philosopho, quam egregijs alij auctoribus falso imponit: cum ipsi manifestè illam copulatiuam, Neque erit, neque non erit impossibilem statuant, & dicant. Neque rursus sequitur ex eorum dictis, vt ipse putat, sed potius opposita enunciatio erit, vel non erit, vt infra ostendetur, non igitur simpliciter inquit Catherinus asseritur fore per hoc quod dicitur non esse determinatum ad fore. Nam datur & cõceditur illud possibile, & similiter non fore: igitur calumnio se arguitur contra Philosophum & eius interpretes.

Exemplum Ambrosij Catherini.

Pvlchra similitudine Ambrosius Catherinus contendit, & probare suam opinionem, & simul reijcere Gregorium, & respondere difficultatibus eius, quam varietatis gratia eam ego recensere volo, ne molestè iter harum enunciationum peragatur. Fingamus, inquit Catherinus, pro huius rei intelligentia casum, & litigatores, actorem, & reum coram iudice. Volo autem actorem venire instructum à Gregorio, reum verò ab Aristotele. Denique Iurisconsultum concludere & pronunciare veram sententiam, vt pulchra hac similitudine veritas rei, de qua agimus aperiatur. Sempronius igitur testator instituit hæredem Titium, & legauit Stichum, aut Pamphilum Mæuio. Haud dubium, mortuo testatore, natã esse obligationem & actionem ad hoc legatum ipsi Mæuio. Ille igitur optabat dari sibi Stichum. Instructus igitur à Gregorio Ariminensi, vocat Titiũ in ius, & petit sibi dari Stichum determinate. Recusat Titius & instructus ab Aristotele ait. Male petis, non enim debeo ego tibi Stichũ determinate, sed Stichum aut Pamphilum: forte eligam

dare

dare tibi Pamphilum. Sic ſtante caſu, exibilatus eſt Mæuius quod male petiiſſet. Iterum, ergo conſuluit Gregorium, qui dixit illis. Eſto bono animo, vade & pete Pamphilum, vnus enim horum oportet quod tibi debeatur determinatè, & ſoluatur, ne legatum fiat inane. Iterum ergò inſtruxit litem Mæuius cõtra Titium, Pamphilum petens. Titius autem ſimiliter ab Ariſtotele inſtructus excipiebat dicens, Ego, ò Mæui, non tibi debeo determinatè Pamphilum, non teneor ad illum, male petis. Non enim teſtator dixit lego Mæuio Pamphilum, nec dixit lego Mæuio Stichum, ſed lego Męuio Strichum aut Pamphilum. Inſtabat autem his Męuius ex argumento Gregorij tãquam euidentiſsimo dicens, Horum duorũ vnũ mihi debes: ſi non illũ determinatè: ergò hunc. Subriſit Iudex tanquam inepte dictum audiẽs. Ille ſubito dictum mutat, & ait: Si non hunc: ergò determinatè iſtum alterum mihi debes. Nam vnum horum duorum mihi debes: ergò determinatè hunc vel hunc. Hic iudex ſe continere non potuit. Soluit enim ſe totũ inriſum, tam perplexe loquentẽ audiens. Dicere enim: ergò determinatè hunc vel hunc, idem eſt ac ſi diceret. Ergò determinatè & indeterminate. Qui enim dicit, Hoc vel illud, neque hoc neq; illud determinatè dicit. Abit ergò Męuius à cauillis Gregorij deceptus. Iudicatum eſt enim quod male petiſſet. Quare tandem miſsis Philoſophis, adit aduocatum Iuriſconſultum rogans, quo pacto petere deberet. Reſpondit Iuriſconſultus. Pete non Stichum determinatè, quia tibi Stichus determinatè non debetur: & ſimiliter non Pamphilum determinatè, quia nec ille tibi determinatè debetur, ſed pete Stichum aut Pamphilum: ad vnum enim horum tenetur Titius. Non enim ſequitur, vt videtur Gregorio, quod ſi ad nullum horum definite tenetur: idcirco ad nullum horum ſimpliciter tenetur: non valet inquam. Verum eſt enim quod ad vnum horum tenetur, licèt non determinatè ad vllum. Hic Męuius ait. Vereor ne & ſic eludar, quia ipſe Titius excipiens dicet. Ego non teneor tibi ad Stichum determinatè, neque ad Pamphilum determinatè: nullum igitur horum tibi dabo. Ne quaquam ait Iuriſconſultus. Non enim poteſt excludi voluntas teſtatoris, quæ eſt vt alter tibi ſoluatur: & ideo ipſe hęres tenetur determinare vnum quem elegerit, & illum tibi ſoluere. Hæc Iuriſconſultus, cui Męuius paruit, & inſtituit iterum cauſam, & obtinuit in iudicio. Ita eſt præciſe de huiuſmodi enunciationibus. Nam hæc, determinatè Paulus erit, nõ eſt vera & ſimiliter illi oppoſita, Paulus non erit, nõ eſt vera determinatè. Sed harũ vna eſt vera, nõ tamen determinatè vlla. Quia enim in rerũ natura comparatũ eſt vt altera illarũ determinetur & fiat, ſicut ex voluntate teſtatoris erat, vt alter ſeruorũ determinaretur in ſolutione: idcirco vera eſt hæc, Aliqua iſtarũ eſt vera, ſicut & illud verum eſt. Titium debere Męuio Stichũ, aut Pamphilum, vnum illorum. Et rurſus quia in rerum natura donec altera illarum eueniat, aut fiat, non eſt comparatum vt illa fiat determinate potius quã altera, idcirco de neutra determinatè poteſt dici quod eſt vera, ſed indeterminatè, vtra illarum cõtingat, illa vera. Quare non licèt ſoluere interim ac determinatè hanc vel hanc, ſicut in ſimili volebat Męuius, & non obtinuit, & condemnatus eſt in expenſis, oleum enim ſimul & operam perdidit. Hactenus Catherinus.

Movetvr etiam. Quia ſi altera de futuro contingenti eſt determinatè vera neceſſariò erit vera, & tolletur caſus & contingentia ad vtrumlibet. Sed reſpondet Gregorius negãdo conſequentiam. Probat autem eam Philoſophus hoc pacto. Veritatem enunciationis cõſequitur ipſa rei exiſtẽtia, quem admodum eſt enunciata: & è conuerſo ipſam rei exiſtẽtiam conſequitur veritas enunciationis, tam in his quæ de futuro, quam in his quæ de præſenti, & de præterito ſunt. Verbi gratia. Si hæc eſt vera, Socrates diſputat neceſſe eſt Socratem diſputare: & ſi Socrates diſputat, neceſſe eſt hanc eſſe veram, Socrates diſputat, & pari ratione ſi hæc eſt vera, Socrates non diſputat, neceſſe eſt Socratem non diſputare, & Socrate nõ diſputante neceſſe eſt hanc eſſe veram, Socrates nõ diſputat. Pari modo de futuris ſi hæc eſt vera, Socrates diſputabit cras, neceſſariò cõſtituitur Socratem diſputaturum cras, & eius oppoſitã, Socrates non diſputabit cras, impoſsibilẽ. Quod ſi ita eſt: ergo nihil erit à caſu, aut ad vtrũlibet. Huic obiectioni, quæ eſt argumentum Ariſtotelis & Catherini reſpondet Gregorius, quod eſt duplex neceſsitas, conſequentiæ, & conſequentis, & idcirco nihil abſurdi eſt poſita illa vera, Socrates diſputabit cras, & ex conſequenti dato quod neceſſarium ſit Socratem diſputaturum cras, nihilominus fieri poſſe, quod Socrates non diſputabit cras, quia illa neceſsitas erat conſequentiæ, non conſequentis. Sed contra hoc eſt quod Gregorius non attendit, neque perpẽdit, quod poſita iam vna oppoſitarum vera determinatè, ſequitur neceſsitas conſequentis, & non tantũ conſequentiæ. Quia antecedens iam determinatũ, factum eſt neceſsarium, veluti poſito quod aliquid fuerit quamuis contingenter fieret, neceſſarium eſt fuiſse, & non poteſt fieri nõ fuiſse, quod fuit, & tamen non ob id negatur Dei omnipotentia: ergò par iudicium eſt in enunciatione de præſenti. Eſt enim neceſsarium rem eſse dum eſt: vnde ſi ſupponitur eſse iam abſolutè ſit neceſsaria hæc, Illam eſſe dum eſt, & dum eſt, pro illo inſtanti quando eſt, & dicitur eſse determinatè, verum eſt non poſse fieri quin ſit, & pariter de futuris. Quare ſi hęc eſt determinatè vera, Socrates diſputabit cras, abſolutè conſtituitur neceſsarium, illum diſputaturum cras, quod ſi hoc eſt neceſse non poteſt ſecus accidere, & propterea auſertur vtrumlibet. Neque dici poteſt quod hoc ſtãte

Solutio Gregorij. Duplex neceſsitas & conſequentiæ & conſequentis.

Replica cõtra Gregor.

deter-

determinatè quod cras Socrates sit disputaturus, posse fieri nihilominus Socratem non disputaturum cras. Quia si Socratem non disputaturum potest esse cum illa veritate determinata, qua dicitur Socratem cras esse disputaturum. Ponatur igitur quod fieri posse dicitur, nimirum quod Socrates non disputet cras, tunc cum possibile hoc sit per veram potentiã sequitur euenire & contingere simul Socratem disputaturum, & non disputaturum cras, & quod erit contradictio in his, quæ sunt ad vtrumlibet, cum altera pars demonstrata determinatè erit vera, & altera item determinatè demonstrata falsa: ergò non erunt contingentia ad vtrumlibet. Rursus quia illud dicitur ad vtrumlibet respectu futurorum quia non magis erit, quam non erit, vel quia non magis potest esse quam non esse, quod si hoc ita est, nimirum quod non magis potest esse quam non esse: ergò nõ magis habet in sui natura determinatum vt sit futurum quàm vt non sit futurum, ac proinde idem est dicere, nõ magis erit quam non erit, atq; dicere, Non magis potest esse quam non esse.

ET confirmari hoc potest. Quia si nunc non magis potest esse quam non esse: ergò non determinatur esse ante ipsius rei naturam: ergò male nũc dicitur determinatè fore. Nam profectò si hæc est determinatè vera, Socrates disputabit cras: ergò illa opposita est falsa determinatè Socrates non disputabit cras: igitur si vna est determinatè vera, & altera determinate falsa, sequitur quod non habent æqualem possibilitatem ad vtrumlibet, seu ad veritatem & falsitatem simul, vt quæ sit iam vera, non habeat minorem possibilitatẽ ad falsitatem, quam ad veritatem. Et similiter quæ sit falsa non minorem habeat possibilitatem ad veritatem, quam ad falsitatem, ambæ enim possũt æque esse veræ, & falsæ, & nihilominus vnam determinate veram alteram determinate falsam concedit Gregorius saluo ipso esse ad vtrumlibet.

Quid sentiant, qui sequũtur Aristotelẽ.

Ex sententia D. Tho. futurũ contingens vt futurũ contingens est non habet determinatam veritatem.

SANE ex doctrina Sanctissimi Præceptoris, Capreoli, Catherini, Caietani, futurum contingens, si vt futurum contingens est consideretur, non habet determinatam veritatem. Omittamus modo sermonem de futuro contingenti vt subest diuino decreto & statuto, & diuinæ cognitioni, & pariter omittamus præsentialitatem ipsius futuri pro eo tempore quo erit, ac propterea vt futurum pro anteriori tempore, tunc sane aliter spectatur veritas à Physico & logico, aliter à Theologo in futuris contingentibus, & in ordine ad superiores causas, & idcirco fit eos omninò non dissidere inter se Physicus enim quia rerum causas spectat physicas & inferiores, non potest verè dicere de vlla parte cõtradictionis, quod erit aut quod non erit determinate. Quia in causis non est determinatio neque ad hoc præcise neque ad illud. Theologus verò potest: quia vel loquitur ex diuina reuelatione, vel ex diuino decreto, vel ex præsentialitate rerum ad Deum, vel ex cõsideratione intuitus simplicis Dei, & infiniti ad res omnes, quas cõprehendit, sic enim determinatę veritatis sunt. Vnde multa prænũciantur euentura, quæ non prænunciantur nisi secundum causas inferiores; quæ impediri possunt. V. g. dixit Isaias Ezechiæ, Dispone domui tuæ, quia cras morieris, & non viues, & tamen non est mortuus Ezechias, sed additi sunt illi quindecim anni. Nunquid non erat determinatè verum, quod prænunciauit Isaias? Nunquid mendaciũ dixit Isaias? Aut dominus per Isaiam? Absit. Quoniam id quod dictum fuit morieris, vt potè collectum per causas, non significauit aliud, nisi causas pro tunc ita dispositas esse, vt omninò esset moriturus, quod erat verum, sed diuina prouidentia supra omnes causas est, & illis non alligatur necessariò. Tale sunt illud de Niniuitis. Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur, &c. Ea ergò quę sic Deus prænunciat secundũ præsentes causas, quas manifestare solet, possunt non contingere, & tamen salua manet veritas in dicto. Quia consideratis causis ita erat futurum. At hæc prænunciatio ex causis non potest fieri in contingentibus, &c. *Isai.*

ARGVMENTA, quæ pro hac parte militant & pro sententia Aristotelis hæc sunt, quæ sequuntur, præter alia quæ superius relata sunt. Primum est. Sicut res se habent ad esse vel non esse, sic enunciationes se habent ad veritatem vel falsitatem, sed res contingenter se habentes ad vtrumlibet non sunt determinatæ ad fore vel non fore: ergo non potest de eis determinatè enuntiari quod erunt, aut determinatè dici quod non erunt. Cui argumento conatur satisfacere Gregorius vt superius vidimus, adducentes eius solutionem, quã acriter impugnat Catherinus, sed quia superius fusè relata est, idcireo nunc supersedendum duxi ab ea, ne fastidio esset. *Argumẽta pro sententia Arist. primũ argumẽtum.*

SECVNDÒ in fauorem huius sententiæ tale colligo argumentum de futuro libero omninò indifferente & contingente. Nam futurum liberũ idcirco vocatur cõtingens, quoniã est indifferens omninò ad vtramq; partẽ: quia si de vna esset determinatũ, neq; esset liberũ neque cõtingens. Hæc enim est natura liberi & cõtingentis vt sit indifferẽs & æqualiter se habẽs ad esse, & ad non esse, ad fore & ad non fore. Quo argumento plerumque vtuntur recentes Theologi in alia materia cõtra scholã D. Tho. præcipuè in disputatione de auxilijs, & de gratia Dei actuali. Ergò si altera pars cõtradictionis vera est, sequitur iã rẽ esse determinatã ad eam partem: ergò non est indifferens, neque libera. Rursus si hæc pars contradictionis vera est, & illa falsa: ergò res necessario eueniet, & cõsequenter frustra erit consultatio de futuris. Tandem Aristot. loco citato ex determinata omninò veritate fusè probat & ostendit sequi *Secundum argument.*

necessitatem. Quoniam si ista pars, Paulus peccauit vera est: ergò eadem semper fuit vera & ab æterno. Nam nihil interest quod eam quis dicat, aut proferat ante mille annos, imò verò nihil interest quod aliquis eam protulerit vel non protulerit. Quoniam propositio, seu enunciatio non dicitur vera neque est vera ex eo quod ab aliquo proferatur, sed ex eo quod res est, vel non est iuxta eius significationē secundum temporis differentias: id autem quod semper est verum & fuit verum non potest non esse verum: ergò necessariò est verū, ac proinde repellitur consultatio, quod est absurdum & non ferendum: quia si ab æterno est verum illud determinatè fore, quid proderit consultatio, vt non sit?

Tertium argumentum

TANDEM iterum argumentantur ex schola D. Thomæ Catherinus & alij. Illa enunciatio Christi de Iuda. Ille me tradet, aut quæ de Antichristo ex scripturis deducitur. Antichristus erit, cum ambę determinatam habeant veritatem, certum est quod veritas earum non sumatur nisi ex Deo dicente & reuelante, aliter enim hoc repulso aut excluso nō inde, vt verę accipiuntur secundum physicam rationem, & idcirco varie veritas consideratur, aliter quidē secundum inspectionem logicam & physicam, aliter verò secundum acceptionem Theologicam, aut secundum moralem siue artis considerationem. Huius rei potest esse aliquale exemplum. Vt si ponamus Cæsarem esse Augustæ, & Paulum ita enunciare. Cæsar est Augustæ, putare tamen Cæsarem ipsum esse Coloniæ, non Augustæ. Si interrogetur vtrùm Paulus verum dixerit, respondetur iuxta logicam inspectionem verum dixisse, atverò iuxta moralem nequaquam. Quia tanquam reus mendacij redargui posset. Ecce igitur quonam modo de eodem dictum vnum verum simul, & mendacium esse censetur. A logico enim verum, à morali autem falsum. Cuius rei causa & differentia nulla alia esse potest, nisi quia aliter considerat veritatem logicus aliter moralis. Dici enim consueuit apud morales Philosophos veritatem actiuæ mentis esse consentaneum fieri appetitui recto. Rursus si peritus medicus de ęgroto dixerit. Morietur, fueritque ęgrotus secundum Canones Medicinæ omninò moribūdus, si Propheta Domini venerit, & dixerit. Non morietur, vterque sane eorum verum dixit. Medicus quidem secundum artem quę causas respicit inferiores, Propheta verò secundū reuelationem, & tamen vnus dixit morietur, alius non morietur: ergò pariter, aut non dissimiliter dici potest de Iuda, & Antichristo secundum logicam inspectionem, & aliter secundum Theologicam considerationem, quę in hoc casu quid Christus dixerit, considerat, quem nouit, neque posse mentiri, neq; ignorare posse rem, de qua loquebatur.

(.?.)

A

Resolutio huius dubij, & propositæ difficultatis.

VT nodum difficilem huius rei seu controuersiæ aperiamus, dico primò. Veritas istarum enunciationum de futuro contingenti determinatè præscitur & præcognoscitur à Deo. De hac assertione nulla potest esse dubitatio, cum expresse habeatur in sacris Litteris, vt plerisque testimonijs Sanctarum Litterarū supra deduximus. Vnde ad Hebræos 4. dicit Paulus. Quod *Deus pertingit vsque ad diuisionem spiritus & animæ, compagum quoque & medullarum & discretor cogitationum, & intentionum cordis, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius.* Et Psalmo 32. *Qui fingit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.* Nam alia futura quæ præcisè ex causis naturalibus pendent, etiam ab Angelo cognosci possunt. Tandem veritas hæc traditur à Diuo Augustino plerisque locis à nobis superius citatis, & etiam lib. 13. de Trinitate cap. 7. & sequentibus, & lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 15. & 18. Vnde Augustinus vt antea retulimus apertè dixit propriam ignorare vocem, qui & Deum esse admittit, & ipsum facit ignorantem futurorum. Tertulianus lib. 2. contra Marcionem cap. 5. dixit Deum quot fecit Prophetas, tot habere testes præscientiæ suæ. Legēdus est D. Anselmus lib. de præscientia & libero arbitrio cap. 1. & Fulgentius de fide ad Petrum cap. 31. & 33. & Plutarchus lib. de Theologia AEgyptiorū S. Thomas li. 1. contra Gēt. cap. 66. & 67.

Veritas propositionum de futuro contingenti determinate præcognoscitur à Deo.

D. Augus.

Tertulian.

D. Ansel. Fulgen. Plutarchus S. Thomas

B

C

D

FVNDAMENTVM huius sententiæ est infinita Dei perfectio, & cognitio & infinitum lumen diuini intellectus, cui omnia nuda & aperta sunt. Nā certè si hæc futura ignoraret aut determinatam veritatem non cognosceret eorum, non posset mundum gubernare gubernatione infallibili, neque prouidentiam conuenientem illius gerere. Nam certè vel Deus scit huiusmodi contingentia quando ponuntur in esse, vel non. Hoc posterius dici non potest. Quia Angelus etiam hæc cognoscit quando sunt præsentia: ergò multo magis Deus. Si verò tunc illa cognoscit: ergò & antea cognoscebat. Quoniam scientia Dei non recipit augmētum, tum propter immutabilitatem eius, tum etiam quia successiue & paulatim scire & discere est magna imperfectio. Quoniam si Deus in tempore inciperet velle de nouo aliquid id imperfectionem indicaret in eo: ergò multo magis si inciperet de nouo aliquid scire. A priori etiam hoc ostendi potest. Quoniam cum scientia Dei sit infinita ipsiusq; cognitio, nō potest nō repræsentare & cōtinere omne scibile: ergò non potest ignorare hæc futura: cum illa verè secundū vnam partē sint futura, & sint obiecta scibilia. Maximè cū pēdeāt ex aliquo Dei statuto decreto aut voluntate, & cum habeāt prę sentialitatem ad infinitum Dei intuitum.

Cognitio istorum futurorum desumitur ex infinita cognitione Dei.

DICO secundo, enunciationes de futuro cõtingenti antecedenter ad Dei voluntatem ęternam, ipsiusque decretum, aut cognitionem actualem, non habent determinatam veritatem quãuis ab ęterno ex parte durationis fuerint determinatè verę aut falsę. Hãc existimo debere esse certam, sicut eam existimat talem Sotus ad Romanos. 9. pagi. 180. Et ratio est. Quia si Deus nihil omnino decreuisset facere, sciret nõ esse futura, & nihil de futuritione vera cognosceret. Quia sicut quod non est non scitur, ita quod neq; est, neq; futurum est vnquã neq; scitur esse, neq; futurũ esse: ergo antecedenter ad diuinam voluntatem ipsiusq; decretũ non possunt habere huiusmodi enunciationes positiuæ determinatã veritatẽ. Loquor in præsenti de vere actu futuris, nõ de cõditionatis aut de possibiliter futuris, de quib⁹ dicemus suo loco. Vnde ego non futura esse existimo ea ratione qua moderni antecedenter ad omnem diuinam voluntatem, sed ex diuina voluntate, atque ea posita habere determinatam veritatem: & dixi sermonem esse de vere actu futuris quę non sunt existimãda esse talia antecedenter ad Dei voluntatem. Nam antecedenter ad voluntatem diuinam res non potest esse futura in aliqua duratione vera, & reali, alias Deus nõ operaretur libere ad extra: ergo. Neq; dici potest antecedenter ad diuinum decretum quod res non est futura positiue, sed solũ negatiue. Quoniam antecedenter ad diuinam voluntatem nõ decreuit Deus positiue quod non sit, sed solũ non decreuit quidquam negatiue: ergo non est vera determinate positiue. Sed solum vera aut falsa, seu vera, aut non vera.

Ioannes à Medina.

SED nihilominus sentio ea omnia futura quæ Deus cognouit esse vera, ab æterno fuisse vera. Ioannes à Medina quem citat Corduben sis lib. 1. q. 55. dub. 2. dicit propositionem determinate veram triplicem esse. Vnam quidem quoad se, quod est idẽ quod vera propositio, non quidẽ ex euidentia quam habet, sed in re, vera in se quo ad se, etiam si sit sermo de futuro cõtingenti, talis est hæc propositio, Socrates est. Socrates erit. Est enim hæc quoad se determinate vera vel falsa. Quoniã aliquid horũ certe est vel erit, & hũc sensum videtur secutus esse Gabriel supra citatus, & Aristotel. lib. 1. de

Aristote.

interpreta. c. 8. Quoniã quidquid verũ est de præsenti antea fuit verum de futuro, eo modo quo est verũ de præsenti, sed determinate nũc est verũ dicere de aliquo singulari quod est tale: ergo primo, id est, antequã illud fieret erat verũ determinate dicere, quoniã hoc erit, igitur cũ eadẽ ratio videatur esse in propinquo & remoto, sequitur ꝙ si ante vnũ diẽ verũ fuit dicere quod hoc erit, sequitur quod semper fuit verũ dicere de quolibet eorum quæ facta sunt quod erit. Et hunc discursum approbat S. Thomas super Aristotelẽ loco citato. Altera propositio secũdo modo dicitur determinate vera quoad Deũ, quę illi certitudinaliter est vera & hac ratione omnis propositio etiã de futuro cõtingẽti, de qua Deus iudicat esse verã, illa quidẽ est determinate vera. Tertio quoadnos potest dici propositio determinate vera, quæ vel de se est certa certitudine naturali, vel est certa certitudine diuina reuelationis. Hac enim ratione, & suppositа huiusmodi distinctione possũt plures difficultates explicari. Et sane propositio de futuro cõtingenti idcirco censetur à Richar. Cather. Capreo. & alijs non determinate vera, quia cũ non sit determinatũ fore in suis causis, neq; eius esse positũ in esse extra eas nõ est determinate vera, cũ possit impediri, & nõ fore. Si autẽ habet determinationẽ alicuius veritatis, id quidẽ debet esse in ordine ad Deũ, & tũc etiã in se habebit determinatã veritatem. Quocirca hæc propositio Antichristus erit secundũ fidem est determinatæ veritatis certitudinaliter licèt non euidenter, etsi sit de futuro cõtingenti. Vnde liquet quod propositio de futuro contingenti, ex quo est propositio, & nõ est neutra, quod est vera vel falsa. Vnde ex quo propositio, & enunciatio aliqua decernitur à Deo quoad suũ significatũ iam tunc est in sua causa, nimirum in voluntate diuina immutabili, & nõ impedibili, & ita erit determinatæ veritatis. Ex quibus etiã sequitur, quod si fiat sermo de vere actu futuris à Deo statutis, & decretis quod idcirco dicitur Deus præscire futura: quia ea decreuit, & voluit fore. Nã hæc est sententia D. Aug. vt superius vidimus. Imò verò decretũ diuinæ voluntatis ordine quodã causæ prius est quam res sit futura, & ex eo aliquid est futurũ, quia Deus voluit. Nã res futura non potest intelligi adhuc futura nisi ex suis causis, sed inter causas est decretum Dei, nihil enim fit sine voluntate Dei, aut positiue volente, aut permittente in particulari, & volente præstare concursum ad operationem, &c. ergo.

Propositiones quæ à nobis enũciãtur de futuro determinatã habẽt veritatẽ suæ futuritionis antequam in tẽpore fiant. D. Bonaue. Richardus. Capreolus. Scotus.

DICO tertiò. Futura contingentia de quibus nunc loquimur, illa nimirum quæ vere futura sunt, & quæ à nobis per propositiones de futuro enunciantur determinatam habent veritatem suę futuritionis antequam in tempore fiant, atq; adeo ab æterno eandem veritatem determinatam habuerunt. Quoniam propositio de futuro, neque incipit esse vera, neq; falsa, sed ab æterno fuit vera, vel falsa. Hanc assertionem existimo esse etiã de mente discipulorum D. Thomæ D. Bonauenturæ. in. 1. distinction. 38. art. 2. quæst. 1. & Richardi. ar. 1. quęs. 5. Capreoli. distinct. 39. quæst. 1. ar. 2. ad argumenta contra sextam conclusionem, & Scoti. q. 1. & quidem propositio de futuro cõtingenti determinate vera illa dicitur esse, cui conuenit realiter veritas, & non falsitas, siue veritas illa conueniat ei necessario, siue absolute, siue ex suppositione, siue vllo alio modo, siue talis veritas sit nota, siue non. Quia hæc omnia extrinseca sunt, vt supra, vidimus.

PROBATVR ergo assertio posita. Quia vt Philosophus ait loco citato, & nos ple-

rumq; retulimus. Si propositio aliqua de futuro est vera, qui illã protulit, aut qui eam enuntiaret ante annũ vel ante mille annos, vel quocumq; tempore antea verũ diceret: ergo è conuerso si aliquis proferens propositionem de futuro dicit vẽrũ necessario consequitur ipsam propositionẽ esse veram, & futurũ illud vere esse futurũ. Nam certè si ęqualiter esset indeterminatũ ad fore, & non fore, & enũciatio neque esset vera, neq; falsa determinate, & distincte, sed cõfuse vera vel falsa sequeretur eũ qui propositionẽ illam proferret, nec dicturũ esse verũ neq; falsum, sed verũ aut falsum, imò qui distincte affirmaret seu diceret vnam partem semper diceret falsum: sed propositiones de futuro cõtingenti vere à Prophetis sæpe sæpius prænunciantur, & à Deo, & talẽ prædictionem censemus distincte, & determinatè veram esse, ergo signum est nunciationẽ illam determinate, & distincte veram esse.

Secũdo probatur.

SECVNDO ostendi potest. Quoniã Deus cognoscit hęc futura contingentia vere esse futura, & interdũ ea reuelat, sicut reuelauit negationẽ Petri, & sicut reuelauit & dixit. Vnus vestrũ me traditurus est, quæ oracula proculdubio erãt de re futura, & cõtingẽti, & erãt determinate vera. Deus enim nõ cognoscit aut reuelat, neq; dicit nisi verũ. Hoc igitur simpliciter, & actualiter determinate erat verũ. Na certe si Propheta enũcians propositionẽ determinate dicit verũ, fieri non potest vt dictũ ipsum etiã secundũ se, & prius quã dicatur nõ sit determinate verũ. Quia enũcians, & enunciatũ sibi mutuo correspondent, suntq; relatiua interse. Et cõfirmari hoc potest. Quia in simili cõficitur idẽ argumẽtũ de scientia. Nã certe si scientia alicuius futurorũ vera est, sequitur futura ipsa quæ certò cognoscũtur, & sciũtur vere esse futura, atq; adeo propositionẽ seu enunciationem de illis futuris verã esse. Cũ igitur scientia Dei, & Christi, & scientia Prophetarũ, quã habent de futuris vera sit, sequitur futura ipsa vere esse futura, & enunciationẽ de illis veram esse distincte, & determinate.

Ad hæc argumenta intendit respondere Catherinus.

HIS argumentis contẽdit respõdere Catherinus lib. illo de veritate enunciationum futurorũ contingentiũ, qui non solũ non negat huiusmodi propositiones esse determinate veras sed etiã id affirmat, esseq; à Deo scitas & cognitas determinate, siue quia futuritio in bonis operibus, & contingentibus, quę eueniunt, aut euenire debẽt in futurũ primam originẽ, & causam habet in diuino decreto, & in cõprehensione omniũ veritatũ, quę infinitati diuini intellectus, & diuini luminis debetur, siue ex alia quacũq; ratione, aut ex ipsa præsentialitate rerum in æternitate, in quã diuinus intuitus fertur, dicit tamen huiusmodi propositiones esse determinate veras Theologicè ex diuino decreto, vel ex intuitu Dei infinito, quo fertur in eas ab æterno pro eo tẽpore in quo erunt. Neque hoc esse alienũ à vera causa distinctæ veritatis, quã in se habent futura cõtingentia, quando enunciãtur. Quod de futuris contingentibus, quæ in bonis operibus liberis sunt, cũ de illis enunciationes de futuro fiunt, non solum est certũ, sed neq; negatur, neq; negari potest à recentibus Theologis, qui paulo antea scripserunt. In futuris autẽ contingentibus, & in actibus liberis peccatorum, in his quidem decretũ permissionis supponitur in Deo, sub his, & illis circunstantijs, & in tali occasione, cũ subtractione efficacis gratiæ Dei, & cũ voluntate positiua concurrendi ad actum, & actionẽ. Quod etiam sufficit cũ prẽsentialitate, & veritate respectu diuini intuitus, vt etiã Theologicè sint determinate veræ. At vero dicit Catheri. quod si istæ propositiones præcisè conferantur quãtum ad ea quæ enunciãt cũ solis, & prẽcisis causis secundis contingentibus pure indifferentibus, & indeterminatis ad vtrũlibet, sic ex isto capite nõ habent vnde distincte & determinate sint veræ, sed aliunde debent id accipere, & postulare. Et idcirco claritatis gratia dixit huiusmodi propositiones posse considerari logicè, seu physice in ordine ad cõtingentes causas præcisè, moraliter etiã & Theologicè: Arist. vero nihil horũ suspicatũ fuisse, sed ignorauisse rẽ, quæ altiori egebat indagine, & solũ considerauisse dependentiã futurorũ contingentiũ vt sic, à suis causis proximis, pure cõtingentibus, indeterminatis, & indifferentibus.

SED contra hæc insurgunt recentes Theologi primo. Quia si eo ipso quod Deus scit verè vel prænũtiat, verè rem aliquã esse futuram sequitur eam esse præsentẽ in æternitate, & ob id certò, & determinate sciri à Deo, fit etiã consequens, vt ea res sit vere futura. Quia quo pacto potest determinate esse Deo præsens, siue præsentia reali, siue obiectiua vera, si res nõ vere futura est, seu determinate futura quod idẽ est. Et cõfirmãt hoc. Quia fieri nõ potest quin illud ꝙ Deus nouit futurũ in tẽpore non sit futurũ, siue illud fore proueniat à scientia Dei, siue à volũtate ipsius, siue à quacũq; causa: quia optime sequitur, aliquis intellectus certò, & verè nouit rẽ aliquã esse futurã: ergo res illa futura est: ergo vndecũq; illud sit futurũ propositio illud enũcians distincte & determinate erit vera. Et confirmant vlterius hoc ipsum. Nam cũ voces loco conceptuũ substituantur, sequitur quod si datur aliqua scientia futurorũ contingentiũ, quod pari ratione vera est propositio enuncians illa futura. Nã si Deus seu propheta qui futura nouit, ea vere scit, similiter verè etiã prænunciat ea, & illa potest affirmare. Vnde si Aristoteles mentem attolleret, & crederet esse scientiam aliquam veram de futuris siue ipsius Dei, siue ab ipso Prophetis reuelatã & infusam minime diceret, non esse veritatem determinatam, sed indeterminatam in enunciationibus de futuro contingenti.

QVIS non videat, obsecro cõtentiosum hoc prælium magis esse quam verum? Nã certe obiectiones propositę quas ex recẽtibus Theologis retulim⁹ nõ militãt cõtra gymnasiũ scholę

D. Thomæ, neq; contra eius discipulos, neq; quidquã probant contra Cathermum. Fatetur enim ipse quod Deus eo ipso, quod vere prænunciat vel scit rẽ aliquam futuram, aut eo ipso quod est præsens æternitati ea res, vere est futura, & quod illud fore vere, & determinate enunciatur in propositionibus, & enunciationibus de futuro contingenti. Neq; discrepant hæc argumenta quę à prædictis modernis obijciuntur à sensu, quẽ habet S. Thomas, & eius discipuli. Omnes enim cõueniunt, ꝙ si Deus aliquid decreuit, & voluit aut sciuit, non solũ id vere cognouit, & sciuit, & reuelat aut per Prophetas prænunciat: sed quod cũ veritate potest simpliciter id dicere, & affirmare. Quare in hac re neq; dissident discipuli D. Thomę aut interse, aut à Gregorio, aut ab his Theologis recentibus. Quare mirabile est quod id nõ perpendant. Neq; etiam possunt negare, aut aliqua ratione cõtradicere, id quod superius est dictũ. Nimirũ quod si prędicta contingentia libera, considerentur præcise, & pure ad suas causas omnino indeterminatas antequã actu sint, quod hac ratione non possunt habere determinatã, & distinctam veritatẽ. Quod si ea quæ ad extra (antecedenter ad decretũ Dei, & ad liberam eius determinationem) eueniunt, determinate futura sunt, quia enunciationes eorũ determinatę sunt: læditur & libertas nostra, & libertas Dei de rebus futuris. Nã certè ante Dei voluntatẽ, & antecedenter ad liberũ eius decretũ, illę enunciationes, & propositiones sunt de terminate verę, & determinate, & positiue enũciant rem euenturã, æquè ipsæ habẽt quod determinate verę sint sine vllo diuinæ voluntatis decreto, imò verò sequitur multa à casu, & fortuito respectu Dei euenire, quod non est ferendũ neq; dicendum. Ex quibus infertur quod cũ habeant prædictę propositiones determinatã veritatẽ antequam earũ significata fiant, ꝙ aliunde eam habeant, & non ex causis secũdis immediate indeterminatis, & omnino indifferentibus. Secundo infertur non rectè dixisse Aureolũ, Deũ non nosse Antichristũ fore, sed fore vel non fore, hoc enim aperte est contra fidem: & Deum facere ignorantem.

Tertio 1. conclusio.

TERTIO ostendi potest veritas assertionis tertiæ. Quoniã impossibile est enunciationes contradictorias simul esse veras, sed ex hac enunciatione, Paulus erit si non est vera neq; falsa, sequitur quod Paulus erit, & nõ erit, quæ sunt cõtradictoriæ. Probatur sequela. Quia si hæc nõ est vera, Paulus erit, non propter aliud non est vera, nisi quia enunciat fore quod non erit. Quod patet ex definitione veri: ergo ex ea data sequitur quod Paulus erit. Rursus si nõ est falsa non ob aliud nõ est falsa, nisi quia enũciat fore, quod erit, vt patet ex definitione falsi: ergo erit, & nõ erit Paulus, si illa Paulus erit neq; est vera, neq; falsa. Hoc argumentũ deducitur ex Gregorio Ariminensi loco citato. Dicuntq; auctores oppositæ sententiæ, Gregoriũ nõ vere reddidisse causam cur vera non sit illa enũciatio, Paulus erit. Quia non est ea causa quia videlicèt enunciat fore quod non erit, sed quia determinate enunciat fore, quod non est, determinatũ ad fore. Quia potest etiã non fore, & sic debet definiri veritas de futuris, nimirũ illam demum esse verã de futuro, si affirmatiua sit quæ habet causam certam, qua cõducatur ad esse, id quod est affirmatũ, alias si est de futuro, & affirmat, & potest opposita eius euenire, quo pacto habebit veritatẽ ipsa interim, quæ si detur, nõ euenire, nullã habebit vnquã rationẽ veritatis. Qui enim dicit. Erit, non dicit forte erit, sed determinat quod erit. Hoc autem si fatemur esse hodie verũ vt dicitur oportet determinatã habere causam veritatis, & immutabilẽ, ne quod semel est verũ dici de eo possit aliquando nunquã fuisse verũ. Quod enim ponitur hodie verũ, semper manere verũ oportet pro hodie. Quid autẽ prohibet dari nõ euenire ꝙ est possibile, vt nõ eueniat, & ęque possibile, sicut possibile, est vt eueniat. Rursus dicũt similiter. Nõ propterea nõ esse falsam illã, Paulus erit, quia enunciat fore ꝙ erit, sed quia determinate enunciat fore quod possibile est nõ fore. Nõ enim verificatur, erit, per id quod possibile sit nõ fore, sicut non verificatur esse per hoc quod sit possibile esse. Nec falsificatur esse per id quod sit possibile non esse.

SED contra hoc est. Quia si non esset hoc modo determinate verũ quod erit, nõ esset cognoscibile determinate potius hoc quã illud futurũ. Quia vnũ quodq; est cognoscibile sicut est, si vere debet cognosci: ergo si ipsũ in se, vt dicebat Ioannes à Medina, nõ est determinate verũ, sequitur quod neq; est determinate futurũ: igitur hoc modo nõ poterit cognosci etiã à Deo. Nã ꝙ in se nõ est cognoscibile aut verum implicat cognosci, sicut quod nõ est factibile in se nõ potest fieri etiã à Deo. Imò verò si hęc futura nõ habent determinatã veritatẽ, sequitur quod iudiciũ de illis vt determinate veris sit falsum, quia nõ habet cõformitatẽ cũ obiecto. Nam certè facta suppositione illa, quod nimirũ hęc propositio, Petrus cõuertetur, nõ est determinate vera iudicare de illa in actu signato, ꝙ sit vera determinate est falsum iudiciũ in actu exercito, vt absolute, & determinate verã; erit falsum iudiciũ: ergo nullũ tale determinatũ iudiciũ poterit Deus habere de huiusmodi futuris pure liberis, & contingentibus, vel è cõtrario, si habet illud, vt reuera habet tũc sicur iudiciũ ipsum est verum, ita & in obiecto eius determinata veritas.

Quarto probatur.

QVARTO probatur. Hæc propositio est impossibilis: Neq; erit Antichristus, neq; nõ erit sicut Philosophus ait, sed hæc impossibilis sequitur ex opposito nostræ assertionis, & ex his quę cõceduntur ab alijs, videlicèt quia dicũt hanc nõ esse verã. Paulus erit seu Antichristus erit, & idẽ dicunt pari modo de illa, Paulus non erit, Antichristus non erit: ergo si illa impossibilis sequitur ex illis concessis, sequitur similiter ea, quæ cõceduntur esse impossibilia.

Huic argumento contendunt satisfacere auctores cõtrarij. Dicunt enim quod ex illis duabus datis veris simul, nimirũ Antichristus erit, & Antichristus nõ erit, vere sequitur: ergo neque erit, neq; non erit. Cæterũ quia ipsi censent nullam earũ esse determinate verã, ita vt ex hac, Antichristus erit, posita nõ vera, non sequitur veritas oppositæ, Antichristus nõ erit, sicut neq; ex illa data nõ vera Antichristus nõ erit, sequitur eius opposita vera Antichristus erit, & ob eã causam minimè potest sequi illud totũ: ergo neq; erit, neq; non erit. Nã ex eo q̃ illa negatur vera, Antichristus erit, nõ potest inde colligi, neq; sequi quod nõ erit, & pari modo ex eo q̃ negatur vera, Antichristus nõ erit, non potest inde colligi neq; sequi quod erit. Et idcirco nõ sequitur illud totũ, neq; erit, neq; nõ erit. Sed nihilominus, quidquid sit de hoc modo respõsionis, ostendere volo fieri nõ posse, vt hæ propositiones absolute prolatę, neq; sint determinate veræ, neq; determinate falsæ. Quia hoc ipso quod negatur veras esse determinate sequitur necessario esse determinate falsas, si determinate affirmant fore vel non fore quod nondũ est determinate futurũ vel non futurũ. Quia si esset determinate futurũ, iã esset vera ipsa propositio. Impossibile autẽ est omnes has propositiones de futuro esse determinate falsas. Tũ quia alias Deꝰ illas vt falsas cognosceret quod non ita est. Tũ secundo. Quoniã Arist. ipse æqualiter negat has propositiones esse determinate falsas. Tũ tertio. Quia in illis propositionibus dantur enunciationes cõtradictorie oppositæ, quæ simul falsæ esse nõ possunt. Quocirca Aris. fatetur illud disiunctũ esse verum, & necessariũ, Petrus peccabit, vel non peccabit. Hoc cõfirmari potest. Quia modo est vera hæc propositio. Petrus peccabit vel non peccabit cras: ergo hæc propositio est vera hodie ratione vnius patris. Nam ad veritatem disiunctiuę requiritur quod vna pars sit vera: ergo altera illarũ partiũ nunc est determinate vera, quãuis id à nobis non cognoscatur.

Solutio. Dices illam propositionem esse verã in sensu confuso, & disiuncto, non tamen in sensu determinato aut disiunctiuo, & idcirco nõ esse necessariũ quod altera pars sit determinate vera, sed solum vt alterutra confuse futura sit vera, quod non est contingens, sed potius necessarium. Sed contra hoc est, quòd hæc confusio prouenit ex parte nostrę cognitionis. Quia determinate nescimus in quo mẽbro verificetur disiunctũ illud, cęterũ in re non potest nõ esse determinatũ, quod ex re ipsa declarari potest. Nã quando nunc euenit effectus contingens, videlicèt hoc contingens. Petrus nunc loquitur, vere manifestatur enunciationẽ antea prolatã de tali futuro fuisse vera: ergo etiã fuit antea determinate vera, & ab æterno fuit vera, quia par ratio militat de toto tempore antecedente. Patet consequentia. Quia vt diximus nihil aliud est esse determinate veram, quam esse in re verã, & actu verã. Antecedens autem cõstat primo. Quia illa enũciatio nõ incipit esse vera in eo instanti, in quo Petrus loquitur, imò verò tunc potius definit iã eius veritas de futuro, & incipit veritas de præsenti. Secundo: quoniam illa semper fuit conformis suo obiecto, quia reuera, ita fuit futurũ sicut per illã significabatur: igitur existentia talis rei nõ tribuit de nouo veritatẽ illi enunciationi, aut propositionis, sed potius ostendit nobis eam veritatẽ quę antea erat. Tertio patet antecedens ex ipso modo loquendi. Nã cũ dico, Petrus loquetur, aut Petrus peccabit, quid, rogo, asseritur in his propositionibus? Quoniam vel affirmo Petrũ esse indifferentẽ ad loquendũ, seu adpeccandũ: vel determinate esse loquuturũ, aut peccaturũ. Primum dici non potest, quia est aperte falsum, & cõtra vim illorum verborũ, Quia alias istæ non essent contradictoriæ. Petrus loquetur. Petrus non loquetur. Petrus peccabit. Petrus non peccabit, vt Arist. ipse videtur fateri, sed potius idẽ per vtrãq; significaretur, quod non est intelligibile. Si autem dicatur secundũ, tunc vel id quod profertur de præsenti est cõforme obiecto, vel non, & sic necessario debet esse determinate verũ, vel determinate falsum Quod si dicas nondũ esse cõforme, neq; disforme: quia nondũ est alterũ extremum. Cõtra hoc est. Quia si est præsens in ęternitate, id est satis. Vel si nunc non sit præsens secundũ realẽ existentiam, etiã si hoc esset verũ, nihilominꝰ satis esset quod vna pars determinata habeat postea illã realẽ prẽsentiã. Quoniã propositio nõ enũciat rẽ prẽsentẽ, sed futurã, & ob id cũ eavt sic habere debet cõformitatẽ. Nã certè si ex his duabus cõtradictorijs enũciationibus. Omnis homo saluabitur, aliquis nõ saluabitur, propositio vniuersalis est determinate falsa, & particularis determinate vera, ratione alicuiꝰ determinati singularis, qui damnandus est, vniuersalis propositio est falsa, & particularis vera, vt ex Dialectica constat, & ex natura propositionis distributiuæ, & particularis: igitur veritas determinata aut falsitas est in ipsis singularibus contingentibus, & inde deriuatur ad terminos, seu cõceptus cõmunes. Nam idcirco saluabitur homo, quia Petrus saluabitur, &c. Verũtamen cũ veritas non sit in enunciationibus, nisi solũ tanquã in signo, sit autẽ in rebus tanquã in vero fundamento adhuc est difficile, & indiget explicatione, quo pacto si fundamentũ futuritionis est indeterminatũ (loquor ante omnem determinationem eius) possit propositio esse determinate vera, in qua nõ est veritas nisi sicut in signo, nisi recurramus ad eas rationes & causas, quas supra retulimꝰ pro dissoluẽda huiusmodi difficultate, ad quã enodandam plerũq; etiam recurrunt moderni.

Replica. Quinto probatur, & ostendo vtramq; partem contradictionis falsam esse. Quia si enunciatio affirmatiua est falsa, quia determinate affirmat id quod alias est indeterminatum, & incertum, pari ratione enuntiatio negatiua erit falsa, quia negat id quod ad vtrum-

Solutio. Replica.

libet

libet est indifferens: Quoniam non assueuerat, non fore id quod non est futurũ, sed non fore quod futurũ vel non futurum est. Quocirca ipse Aristoteles etiã ex his quæ dicit potest conuinci, & redargui. Fauet etiã quod supra insinuauimus de contradicentibus enunciationibus de subiecto communi, quarũ vna est determinate, & distincte vera, altera vero falsa. Omnis homo pœnitentiam aget cras. Aliquis homo non aget pœnitentiam cras, sunt contradicentes, & ex sententia Philosophi vna earũ est determinate, & distincte falsa, altera autẽ verae & manifestum est vniuersalem illam propositionem affirmatiuam, Omnis homo pœnitentiã aget cras, esse falsam. Rursus si illa est manifeste falsa, particularis illi opposita debet esse vera. Nã si aliqua singularis est falsa, sequitur q̃ in contradictoria eius subiectũ debet suppone re determinate, ac proinde veritatem eius manifestandam esse de sensu disiunctiuo, nimirum ex eo quod aliqua singularis distincte sit vera. Quia si tantum esset confuse vera aut falsa, nulla singularis esset vera, & cõsequenter neq; illa particularis: ergo sub ista propositione, aliquis homo est, vera debet esse aliqua singularis quæ sit vera, vt Paulus conteretur cras, ac proinde in singularibus de futuro contingenti datur aliqua propositio distincte vera. Hoc argumẽtum adducitur communiter à quibusdam, velut fundamentum ostensiuum, quo redarguitur Aristoteles, & nostra sententia roboratur. Et certe quamuis propositiones illæ enunciantes sint contradicentes, vt bene in argumento dicitur, sed à propositione particulari designo indeterminato, & quasi confuso, non fit consequentia, aut illatio ad singularem de subiecto determinato, aut singulari illatione determinata, vt si dicas, aliquis homo conteretur cras, nõ bene infertur: ergo Petrus conteretur cras, sicut non valet. Aliquis homo cras peccabit moraliter: ergo Petrus peccabit, sed disiunctiuè aut disiunctim: ergo vel Petrus vel Paulus, vel Martinus peccabit, alias fieret argumentũ quasi a confuta ad determinatam.

Aristot el. Sed nihilominus Aristoteles lib. 4. Metap. tex. 27. docet quemcunque hominem affirmantem, & negantem dicere verum, vel mentiri, hoc est aut dicere falsum. Nam cum falsum sit id quod est dissonum rei, & verum sit id quod cõforme ipsi rei, nulla ratione fieri potest quin illud quod dicitur nõ sit vel conforme, vel dissonum determinate, & distincte rei quam enunciamus, igitur erit vel falsum vel verũ etiam determinate, & non tantum verũ aut falsum confuse: ergo in enunciationibus de futuro oportet vt altera sit vera, altera vero sit falsa. Neque apparet quonãmodo fieri posset vt inter contradictoria possit esse medium aliquod, ac proinde sequitur inter fore, & non fore non esse aliquod medium. Nam si vere esset medium aliquod sequitur quod dicenti rem aliquam fore, non bene contradiceretur dicendo non fore. Quia non negaretur totũ illud quod ipse affirmaret, si remaneret aliquod medium extra assertionem, & negationem eius, quod dicitur.

Postremo adducor. Quia si nihil esset determinate futurum, sed quælibet res esset indifferens, & anceps ad fore, & non fore, sequeretur eum, qui simpliciter & absolute, & sine disiunctione vlla dicit aliquid fore, dicere falsum determinate, & distincte, quoniã dicere & affirmare aliquid fore, q̃ re ipsa est indifferens vt sit vel nõ sit, quia non magis futurũ est quã nõ futurũ, falsum est. Ab eo enim quod res est vel non est enunciatio debet iudicari vera aut falsa. Nam quotiescumq; res aliter enunciatur fore quã futura sit falso enunciatur: igitur si determinate, & distincte enũciatur fore id quod non est determinate, & distincte futurum, sed confuse, & indeterminate futurũ aut non futurũ, sequitur esse falsum, ac proinde similiter sequitur omnẽ enunciationem enunciatiuam de futuro, quæ determinate distincte affirmat falsam esse: ergo in enunciationibus contradicẽtibus de futuro vna est falsa, & ex consequenti omnis enunciatio negatiua debet esse distincte & determinate vera. Hoc autẽ præter quam quod aperte est incõueniens, & non ferendũ etiã aduersatur Aristoteli, qui in his cõtradictionibus putat non alterã partẽ esse verã, & alteram falsam, sed vtrãq; veram, vel falsam. Potestq; argumentũ hoc retorqueri, & probari q̃ vtraq; pars cõtradictionis est falsa, quia si propositio affirmatiua est falsa, ex eo quod determinate affirmat, id quod ambiguũ est, pari ratione enunciatio negatiua erit falsa, quia similiter negat quod est indeterminatũ, & anceps ad vtrũq;. Quoniam non dicit non fore q̃ non futurũ est, sed potius determinate dicit nõ fore quod futurũ aut non futurũ est, ex quo cõstat Philosophum posse redargui ex eius doctrina, & ex eius principijs. Et cõfirmari potest exemplo. Nam si aliquis dicat, Paulus loquetur cras, secundum mentem Aristotelis non dicit verũ, neq; falsum determinate, & distincte, sed tantũ dicit verũ vel falsum, quia indifferens est res seu locutio vt sit vel non sit. Similiter si alius dicat, Paul⁹ cras nõ loquetur, aut nõ disputabit, non dicit verum, neque falsum, sed solum dicit verum vel falsum: igitur vnus non negat totũ quod alius affirmauit, sed enũciatio vtriusque manet quasi dubia, & suspensa. Nã quousque vnus eorũ dicat verũ, & alius dicat falsum, vnus alteri nõ cõtradicit, atq; adeo cũ enunciatio futuri semper sit indifferens, ad veram vel falsum, nunquam poterit esse contradictoria alterius: ergo sola contradictio in rebus futuris hoc modo esse potest. Erit aut nõ erit: Neque erit, neque non erit. Quarum prior vera est quia necessaria, posterior autem falsa, quia impossibilis, nimirũ illa neq; erit, neq; non erit.

Dico quarto, respectu futuritionis veræ alicuius rei omnes propositiones negatiuæ de futuro sunt determinate falsæ, sicut respectu rei nunquam futuræ omnes *Dico quarto.*

affirmatiuæ de futuro q̃ erit etiã sunt falsæ. At vero omnes propositiones negatiuę de futuro in his, in quibus Deus nihil omnino statuit ac decreuit, neq; facere neq; non facere, sunt veræ. Quoniam sufficit nihil omnino facere aut statuere ad hoc vt negatiua sit vera. Nam certè si Deus non decreuisset Paulum fore, Paulus non esset futurus: ergo sufficit nihil decreuisse ad hoc vt negatiua sit vera. Hæc assertio constare potest ex dictis in discursu huius dubij, quia plane sequitur ex illis, neq; indiget maiori explicatione. An vero propositiones de futuro cõditionato siue affirmatiuæ siue negatiuæ sint determinatè veræ, vel falsæ, & quę veræ, & quę falsæ: & vtrũ Deus infallibiliter cognoscat futura conditionata, quę necessariã connexionem habent cũ conditione posita, id quidẽ disputatione sequenti examinabitur. Quia in hac cõtrouersia sermo noster fuit de futuris contingentibus absolute, & de enunciationibus quibus enunciantur huiusmodi futura, ad vtrũlibet, quod erunt vel non erunt. Vnde solum restat dissoluere argumenta, quæ contra ea quæ diximus militant, & quæ superius in principio dubij posita fuere.

Determinatio veritatis enunciationũ de futuro contingenti nõ infert contingentiam rerum aut libertatem.

A D argumẽta in principio posita respondetur negando quod ex determinatione veritatis enunciationũ de futuro contingenti auferatur rerũ contingentia aut libertas. Et ad probationem rationis ibi factæ, respõdetur hanc determinationẽ veritatis cõtingentis in enunciationibus inuentam non esse cõtra indifferentiam quæ necessaria est vt futurus effectus contingens sit, qui non repellit, neq; excludit indifferentiã causæ, & virtutis eius, sed tantũ actionis: causa vero nõ dicitur contingenter agere aut operari, vel operaturã esse: quia nihil sit determinate operatura, sed quoniã ita est operatura vt possit non operari. Dices solutionem hanc non satisfacere, quia determinatio veritatis cõtingentis non est nisi propter veram determinationem rei, & causæ, & hæc repellit indifferentiam causæ, quia ponit, & enunciat determinationẽ, sicut & veritas enunciationis determinata est, quæ dicit respectũ ad enunciatum. Neque satisfacit dicere quod determinatio veritatis contingentis, solũ excludit indifferentiam actionis. Quia actio vel consideratur, vt est in causa antequã sit elicita, & ita habet indifferentiam in ipsa causa libera, & contingenti, vt sit vel nõ sit. Vel consideratur actio semel elicita à sua causa, & hac ratione nõ potest esse indifferens. Vnde sicut non est indifferens iã, ita nulla repellitur indifferentia ab ipsa prout iam est in se extra suas causas, quia iam est determinata ad hoc obiectum in specie: & ad hoc obiectũ in indiuiduo, & ipsa deniq; iam est actio in diuidua, & singularis, & determinata, hic & nunc egressa à causis suis.

Propter hanc obiectionẽ valdè se torquent moderni, & recentes Scholastici, quia vident hac sua responsione plurimum fauere scholæ discipulorũ D. Thomæ circa materiã de determinatione voluntatis in materia de auxilijs, propter quam causam alij aliter respõdent. Dicunt enim & bene necessariam quidẽ esse indifferẽtiam, vt res dicantur euenire libere seu cũ libertate, & indifferentiã pugnare cum determinatione, quę habet modũ necessariũ, quia non quælibet indifferentia necessaria est ad cõtingentiã ex eo similiter quod non quæcunq; indifferentia opponitur cuicunq; determinationi. Duplex igitur indifferentia est ad vtrãque partẽ contradictionis. Vna quidẽ quæ explicatur per duas propositiones de inesse, veluti in actu signato vt si hoc modo dicamus. Res est indifferens, & contingens & veluti suspensa ad fore & non fore, ita vt in re sic pendeat fore, sicut non fore, & hæc quidẽ pugnat cũ determinata veritate alterius partis: quia in re cũ hac indifferentia simpliciter nõ magis est fore, quã non fore: vt autẽ determinate, & distincte sit veritas altera pars determinate & distincte est futura. Et hæc indifferentia & suspensio nõ videtur necessaria ad libertatẽ voluntatis & arbitrij iuxta ea quæ in superioribus explicata fuerunt. Nã satis cõstat ex præscientia Dei, & ex prædictione ipsius, eiusq; statutis & decretis alteram partẽ futurã esse determinate, & distincte. Huiusmodi autẽ determinatio nõ lędit vllo modo libertatẽ voluntatis ac proinde non aduersatur illi indifferentiæ, quę necessaria est ad res ipsa futura, & determinate futura: ex nostra libertate futura sit, & inde habitura ortũ nullã sitatẽ vllam. Secunda indifferentia est quæ explicatur per vnã propositionẽ de in esse, & per alterã de possibili, isto modo: Voluntas peccabit, sed potest nõ peccare, aut poterit non peccare, & è conuerso. Et cũ hac indifferentia stara pars, quæ de facto futura est distincte. Quia nullũ est absurdũ quod aliquid re ipsa futurũ sit distincte, & quod illud possit nõ fore. Quã doctrinã nos plerumq; tradidimus. 1. 2. &. 1. p. respondẽtes ad argumenta aduersariorũ, vbi etiam distinximus duplicem determinationẽ, vnã liberam, & cũ modo libero, quæ secum adducit libertatẽ, alterã determinationem necessariã, & cum modo necessario, quæ repellit indifferentiam libertati necessariam, & propriã. Vnde constat ex dictis satis esse ea quæ explicata sunt ad firmandam voluntatis libertatem. Nam certè alio priori modo, qui ex Aristotele desumitur, vt indifferentia impossibilis est, ita etiam libertas: igitur nihil aufertur libertatis, ex eo quod dicantur, ipsa futura esse distincte ac determinate vera. Vnde habetur Deum futura libera volũtatis, & arbitrij nostri posse distinctè cognoscere, tam etsi volũtas sit libera, & indifferens ad vtrũlibet, & ad oppositũ. Cæterum in hac re id valde perpendere oportet, quando communiter dicitur, futura determinate, & distinctè esse futura, cum potestate ad oppositum: non solum hanc determinatio-

Duplex indifferentia est ad vtrãque partem cõtradictionis.

Quæ determinatio nõ lædat libertatem.

nem

nem esse in effectu, sed etiam dici respectu causæ: non sane quod in causis sit nunc aliquid necessario inclinans, & per modum naturæ ad illam determinatam partem, sed quod sit, vel futurũ sit aliquid in causa, cũ quo illa defacto ita sit operatura, vt possit nihilominus facere oppositum, & quoniam voluntas debet præueniri tali cogitatione ex hac vel illa causa, quapositа reuera consentiet, & si posset minime cõsentire, & cogitationi repugnare, & cõtradicere, in quo quidem libertas nostra saluatur vere, & propriè. Quam doctrinam duxi perpendendã & obseruandam esse, quia etiam conceditur, & traditur ab aduersarijs, vt prodesse possit nobis in disputationibus subsequentibus.

Ad secundum argumentum.

Ad secundũ argumentũ respondetur negando esse necessario veram, si ly, necessario cadat supra rem significatam, & enunciatã, ita vt res ipsa necessario fiat, aut sit. Vnde solùm sequitur, quod si huiusmodi enunciationes, & propositiones supponantur semel esse veræ, necessario aliquando esse futurũ id quod per eas significatur necessitate consequentiæ, & ex suppositione, non simpliciter: quia non fuit absolute necessariũ eas esse veras: tamen suppositо quod sint veræ, fieri nõ potest, quin eo tẽpore verificentur pro quo supponũtur esse veræ, de qua re fusius dicemus infra. Et hoc idem est quod alij respondent dicentes quod posita veritate de futuro seu scientia Dei de veritate futuritionis rei, quod est idẽ sequi necessitatẽ aliquam in operatione, sed consequentẽ, non antecedentem, quæ neq; lædit libertatem neque aufert vllo pacto.

Ad tertiũ argument.

Ad tertium patet solutio ex dictis. Et adcõ firmationem eius respondetur quod veritas istarum enunciationum, nõ est accipienda aut sumenda ex causis ipsis secundum se, sed ex determinatione earundem causarũ, quam habebunt in aliquo instanti. Et ratio est. Quia per has propositiones non significatur causas ipsas posse facere hoc, nã hoc non sufficit ad propositionẽ de futuro vero, sed tantũ ad propositionem de possibili, neque rursus significatur causas necessario esse operaturas, & effecturas hoc, quia id esset falsum & nimiũ: neq; præterea significatur causas ipsas nunc iã determinatas esse ad effectũ illũ, qui dicitur futurus, quia hoc non est necessarium ad veritatem illarum enunciationũ, quæ non copulant, neq; vniunt effectũ cum causa pro hoc præsenti tẽpore, sed solum pro futuro. Restat igitur quod in illis propositionibus tantum significatur, quod talis causa aliquando sit determinanda ad talẽ effectũ, etiam si in isto nunc in quo profertur illa causa sit indifferens, & indeterminata. Ad hoc tamen hoc suam habet difficultatem, quia cũ veritas istarum enũciationũ sit sumenda ex determinatione ipsarũ causarum contingentiũ & illa semper sit contingens, & consequenter indifferens antequã sit extra causas: quia determinatio vt sic dicit actũ secundũ, & est aliquid extra causas, vt hic loquimur, sequitur quod

A propositio enuncians de futuro nõ enunciat de determinationẽ causæ futurã vtcũq; in ordine ad talem effectũ nisi contingenter. Sed nobis sufficiant ea quæ diximus, & quæ etiã dicemus disputatione sequenti de futuris conditionatis, & hæc de hoc dubio tertio.

Solutio argumentorum quæ in principio huius cõtrouersiæ de modo, quo Deus cognoscat futura libera proposita fuerunt.

Ad primũ igitur negatur quod ex decreto volũtatis diuinæ nõ possit sumi sufficiens ratio ad iudicandũ potius hoc esse futurũ quã illud. Nã alias vel Deus nõ cognosceret liberũ suũ decretũ in se ipso, & prout in se est, quodsi ne errore dici nõ potest, vel decretũ illud Dei de futuritione rerũ esset fallibile. Et ad probationẽ respondetur negãdo decretũ diuinũ supponere in Deo scientiã mediã seu conditionatam, sed tantum supponere scientiã cõprehensiuã essentiæ Dei, & omniũ possibiliũ, & omniũ cõbinationũ rerũ. Itaq; non requiruntur tot decreta. Vnde etiã si scientia hæc media, & conditionata, quã ex calculo aduersariorũ aliqui ponunt, minime constituatur, nõ ob id ea quæ dicimus nõ consequenter dicuntur, vt fusè dicemus in disputatione de futuris conditionatis, & de scientia hac media. Quid autẽ addat respectus ille rationis, seu quid inuoluat decretũ Dei de rebus suo tempore futuris, ratione illius respectus solius rationis, id quidẽ varie explicãt auctores. Nã si respectus ille rationis additus in decreto Dei, ita dicitur addi per ipsũ decretũ, vt sit de intrinseca ratione eius, vt sine illo cognosci nõ possit, si negatur alioqui Deũ intueri respectũ illum, aut habere illum obiectiue in suo intellectu, plane colligitur Deũ nõ intueri, aut cognoscere decretũ suum, quia nõ cognoscit illũ respectũ, qui est de ratione eius. Si vero respectus ille vere nõ est de intrinseca ratione talis decreti, tũc cognosci potest decretũ illud provt in se est, nõ formando, neq; fingẽdo respectũ illũ, vt reuera potest, & Deus ipse illud cognoscit. Quare ad cognoscendũ decretũ illud diuinũ omittamus modo respectus rationis in ordine ad terminos, sufficit illa cognitio qua Deus penetrat statutũ volũtatis suę, in quo vt in causa certa, & immutabili cognosci potest rem esse futuram, & iudicare de illa.

Quid addat respectus rationis decreto Dei.

Et ex his constare potest rẽ esse futurã ex decreto Dei, neq; aliquid valere quandam obiectionem aduersariorum superius positam contra futuritionem earundẽ rerum, quæ si aliquid valeret etiam ostenderet, nõ esse rem futurã ex decreto, sed potius ex eo quod res ipsa futura est, esse decretum in Deo, quod aperte est falsum. Et probatur sequela. Nã ex eo q̃ res futura est dicitur resultare respectus, per quẽ cõplectiue intelligitur decretũ, falsum igitur est, id q̃ supponitur tanquã fundamentũ illius rationis. Quia cum respectus ille reuera nõ sit in Deo,

sed potius efformetur, aut fingatur ab intellectu, quod est accidentarium aut extrinsecum, decretum autem vere, & intrinsecè sit in Deo, non potest respectus ille intrinsece constituere decretū ipsum, & idcirco quāuis ad efformā dū, & fingendum talē respectum, sit necessariū præcognoscere terminū, tamen ad cognoscendum ipsum decretū quod vere, & intrinsece est in ipso Deo id nō est necessarium. Quapropter quando dicitur decretū liberū non addere Deo nisi respectū rationis solū, non ob id dicitur vt affirmetur talē respectū esse de intrinseca ratione ipsius decreti: sed tantū vt negetur decretū hoc addere ipsi Deo rē vel modum realē, quo Deus carere potuisset. Vnde fit vt si cōcipiatur à nobis aliquid tanquā additū id solum sit respectus quidārationis. Nihil igitur obstat ad uersariorū ratio & argumentū, quo minus actⁿ à Deo prædefinitus cognoscatur esse futurus n decreto, quo ipse prædefinitur tanquā in vera causa, qua existente infallibile est sequi talē effectū. Neq; ex hoc quod ponamus decretū hoc in Deo, sequitur ponendā esse scientiā illā mediam seu conditionalē, quam moderni nouissime prætendūt, vt inferius dicemus in disputatione speciali de hac re. Neq; etiā ex hoc ꝙ cōstituitur huiusmodi decretū, negatur omnis modⁿ, quo nos pro exiguitate ingenij nostri intelligimus, & cognoscimus futura cōtingentia esse cognoscibilia à Deo. Nam sine dubio ipsa omnibus modis sunt cognoscibilia, quibus possunt cognosci, tā ex diuino decreto, quā ex præsentialitate ipsorum, siue reali in æternitate, siue obiectiua, sicut in assertionibⁿ explicatūfuit

Ad secundum argu. Ad secundū argumentum respondetur effectū futurū cognosci sicut diximus, vel per simplicem intuitū veritatis ipsius, cū ea quæ sunt futura nunquā habuerint initium suę veritatis, ex parte durationis, sed solū ex parte decreti, vel ex præsentialitate iam dicta. Rursus etiam cognosci possunt, quia cum Deus decreuerit mouere nos, & excitare, & gubernationem rerum explere, iuxta ea, quæ disposuit, etiam ex hoc capite præscire potest huiusmodi futura, quod si iste modus supponit cognitionem effectus liberi, id quidem non est nisi quatenus supponit decretum Dei in quo includitur voluntas, & intentio Dei, suo tempore exercenda, & exequenda. Secundo dicimus negandum esse lædi vllo pacto libertatem per huiusmodi decretum Dei, aut per motionem, quam habet circa nos, vt rectè viuamus, & operemur. Quoniā mirifica gratia Dei actualis, quæ est virtute multiplex & efficax, ita tangit, & mouet voluntatem, vt cum suo modo libero moueat, & dependenter à conferentia, & collatione, imò sub determinatione suauissima Dei. Adde etiam quod quamuis voluntas moueatur à Deo, & sub eius determinatione, tamen ipsa etiam se mouet, & determinat sua actione, cum proportionato auxilio, & concursu Dei, non enim mouetur tantum voluntas à Deo, sed se mouet simul, & se determinat non tantum quia efficienter agit, & operatur suam actionem, sed quia eam agit cum modo suo libero, & cum ea conferentia, & collatione, sub qua agit voluntas, & sub qua se mouet vt Sanctus Thomas affirmat, atque adeo sicut nullum est absurdum quod aliquid re ipsa sit determinate futurum, & quod illud possit non fore, ita etiam nullum est inconueniens quod posito diuino decreto, & prædefinitione cognoscatur voluntas infallibiliter, & determinate operatura, & nihilominus quod illud possit non fore, quia illa determinatio nō fit, ita à solo Deo, vt non fiat à voluntate, & à motione, qua se ipsam mouet. Denique dissoluenda est difficultas huius argumenti, iuxta ea quæ communiter nos dicimus de Concordia liberi arbitrij cum diuina causalitate, & motione, & iuxta ea quæ superius explicabamus conclusione secunda, & tertia. Rursus etiā diuina prædefinitio seu diuinum decretū necessario supponit in Deo, & facultatem efficaciter faciendi, vt ille actus fiat infallibiliter, & scientiam, qua Deus nouit quid necesse sit ipsum Deum facere circa voluntatem creatam vt illa infallibiliter faciat talem actum, ex hoc tamen tale decretum non postulat in Deo sciētiam mediam. Nam decretum de re aliqua facienda supponit quidem in Deo vti dicebam scientiam, & modum faciendi omnia quæ voluerit, & potentiam cum infinito, & suauissimo modo agendi ipsi Deo noto, qui attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Vnde impossibile est agens infinitū, & omnipotens quod per intellectum, & volūtatem operatur, intendere prudenter, & efficaciter finem, quin præcognoscat media, quibus finem quem intendit consequi possit: ergo si intentio voluntatis diuinæ efficiendorū futurorum non quomodocunq; debet esse efficax, sed ita vt illa posita, impossibile sit in sensu composito frustrari intentionem, & effectum intentum non sequi necesse est, vt qui habet eam intentionem cognoscat, & præcognoscat modum & viam infallibiliter exequendi effectum intentum, vt ex vi talis intentionis sit infallibile applicare illa media, quibus effectus ille infallibiliter est futurus, huiusmodi autem est intentio efficax Dei, quod egregiè dixit D. Augustinus in Enchiridio cap. 68. & Psal. 123. dicit enim de hominibus qui liberè saluantur, quorum voluntates Deus ad se cōuertit. Quis tam impiè desipiat vt dicat Deū malas hominum voluntates quas voluerit, & quando voluerit, & vbi voluerit in bonū non posse conuertere? alias non esset verum quod in Psalmis dicitur. Quęcunq; voluit Dominus fecit, si aliqua voluit, & non fecit, & quod est indignius, Ideo nō fecit, quoniā ne fieret quod volebat omnipotens, volūtas hominis impediuit, nō enim est credendum Deum aliquid voluisse fieri, quod factū non sit, quę verba, & sententię adducuntur à Magistro sententiarū in 1. dist. 46. de voluntate Dei, & impletione eius

Voluntas non solū mouetur à Deo verum & ipsa se mouet & determinat, non solum quia efficienter agit & operatur suam actionē sed quiaeā agit cum suo modo libero.

D. Augus.

Magister sententiarū

infal-

infallibili. §. Nunc videre restat. Ergo talis Dei voluntas supponit & includit facultatē & sciē tiam operandi ex tali facultate, esset enim voluntas cæca, & temere volens si vellet aliquid vt infallibiliter efficiendum à se ignorādo modum, quo id facere posit, vt verè infallibiliter fiat, ad quod quidem nō requiritur scientia media eo modo, quo ponitur à modernis huius ætatis. Tandem decretum diuinum prædefinitiuum rerum agendarum sine dubio vel supponit præscientiam, vel vt minimum eam includit secumque adducit, vel vt alij dicunt simul concomitatur decretum, ac proinde nō repugnat libertati vllo pacto.

Ad tertiū argumentū

A D tertium argumentum negatur quod voluntas Dei, qua Deus voluit extra se aliquid fieri, iuxta modum quem præscripsit & voluit non sit sufficiens principium iudicandi de illo actu euenturo, vt in discursu controuersiæ diximus, & vt constat ex sententia Augustini paulò antea relata. Et solutiones & responsiones in eodem argumento datę sufficienter dissoluunt obiectiones eius.

Ad quartū argumentum.

A D quartum argumentum dico non militare contra nos cum procedat ex suppositione scientiæ conditionatæ & medię, nos verò sicut ponimus decretum & intentionem efficacem Dei, faciendi omnia quæcumque voluit, & sapienter disposuit, suauiter & efficaciter, ita nō redigimur in has angustias, & negamus libertatem arbitrij lædi.

Ad quintū argumentum.

A D quintum respondetur quod voluntas illa Dei si sit cum intentione efficaci implendi quod intendit est sufficiens ad hoc vt Deus habeat iudicium & cognitionem infallibilem de futuritione rei: vnde negandum est Deum ita procedere vt aduersarij putant, nimirum quod diuina voluntas dicitur conditionalis respectu futurorum liberorum, verbi gratia respectu cō tritionis, aut volitionis patiendi pro Christo, aut pœnitētiæ agendæ, ita quod dicatur Deus expectare voluntatem nostram. Quo fit quod si tale esset decretum diuinæ volitionis conditionaliter acceptum in solo illo, & omni alio repulso non posset infallibiliter cognosci futurum contingens liberum: sed quoniam Deus iuxta suam infinitam sapientiam omnia disposuit euentura & voluit, & non dicitur expectare voluntates nostras, præcipuè cum vult saluare homines; quia vt Augustinus ait, volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitriū cum sit quædam gratia de mēte eius, quæ à nullo duro corde respuitur, idcirco Deus certam sui iudicij cognitionem habere potest, præcipuè cum Deus habeat certitudinem voluntatis suæ, qua vult actu concurrere ad actum futurum & euenturum in tempore.

SI verò huiusmodi voluntas & intētio Dei non sit efficax, quia expectat prius voluntatē nostram, & est conditionalis, non videtur quo pacto sumi posset certitudo cognitionis, cum ex eo quod voluntas creetur in tali ordine rerum, & sub talibus circunstantijs sumi non possit obiectum certitudinis infallibilis, aut terminus cognitionis diuinæ, cui non possit subesse falsum. Nā ex sola illa moralitate rerū occurrentium circunstantiarum præcise non appareret quonam modo determinatio voluntatis sit taliter certa & infallibilis in ordine ad actum diuinæ cognitionis, vt ei non possit subesse falsum, non solum moraliter, sed neque physicè neque apparet quo pacto sola moralitate illa præcisa sequatur infallibilitas futurorum, & infallibilitas determinationis voluntatis, cui plerumque ipsa non deficiat, atque adeo certitudo cognitionis non erit infallibilis ex ipsa, neque ex principijs suis. Et quando obijcitur in argumento quod effectus volūtatis Dei nō est futurus à sola illa voluntate, sed requiritur, quod voluntas humana etiam simul se determinet ad talē effectum: quia Deus per illam voluntatem suam non vult se solo efficere illum effectum seu actionem, sed simul cum cooperatione libera voluntatis creatæ: nam ob id ipsa actio ad extra, quæ ab illa voluntate procedit pendet ab vtraque voluntate, Respondetur quod determinatio voluntatis humanę pendet à diuina, & à diuino decreto, auxilio, & concursu. Cum enim homo vult mortem oppetere pro Christo, oblatis circunstantijs cōmuniter occurrentibus, in quibus homo Christianus astante tyranno, & minis eum remouēte à suo proposito, & incitante ad oppositum, astantibusque multis oppositis persuasionibus, & discursibus eum mouentibus, dubium esse nō potest, quin determinatio voluntatis huius hominis pendeat à diuina voluntate, & à diuino eius decreto & auxilio, & quod non dicatur Deus prius expectare voluntatem nostram. Vnde Deus non vult se solo efficere actionem illam & determinationem martyrij, sed simul cum cooperatione libera voluntatis creatæ, & idcirco talis actio ab vtraque voluntate pendet, ac proinde præcognita vtriusque voluntatis determinatione cognoscitur. Sed quoniam determinatio voluntatis humanæ à diuina depēdet, & in diuina determinatione & decreto etiam vt in obiecto præscientiæ suæ includitur ipse Dei concursus, & subordinatio voluntatis humanæ ad Dei determinationem, idcirco optimè constat quo pacto in his Deus cognoscat certo actum illum voluntatis humanæ. Vnde aduertendum esse censeo determinationem voluntatis humanæ verè & propriè dependere à Deo, & à diuina suæ voluntatis determinatione, ipsiusque decreto, præcipuè in casu posito, non tamen è conuerso bene dici quod determinatio voluntatis diuinæ pendeat à voluntate creata, seu quod expectet volūtatem creatam. Aliud est enim quod Deus in actibus futuris liberis voluntatis creatæ non operetur nisi cum cooperatione voluntatis nostræ, quia hoc nō est Deū dependere à nobis, sed potius est cooperationem nostram depēdēre à Deo, & aliud est Deum dependere à cooperatione nostra, Nam dependentia alicuius ab alio importat &

dicit imperfectionem ratione dependentiæ, & quasi inferioritatem. Quod verò in actibus nostris liberis necesse sit voluntatem nostrã cooperari, & vere agere, id non prouenit ex depẽdentia Dei à nobis, sed ex eo quod implicat ipsum actum vitalem liberum nostræ voluntatis fieri, & quod non fiat voluntate ipsa cooperante, itaque non ex dependentia Dei à nobis, sed ex repugnantia rei, quia non potest aliter fieri, nimirum quod Deus operetur cooperante nostra voluntate sua actione libera, & quod ipsa non efficienter agat & operetur. Verumtamen quia hæc indigentia est ex parte nostra, & subordinatio inferioritatis procedit ex necessitate voluntatis creatæ ad Deum, idcirco non est cur dicatur Deus dependêre, sed è conuerso voluntatem nostram dependere à Deo. Ex quibus constare potest quo pacto possit præcognosci effectus in decreto voluntatis diuinæ subordinantis sibi humanam, quæ se determinat sub diuina determinatione includente veluti in obiecto præscientiæ ipsum Dei concursum, & alia, quæ diximus. Tandem colligitur diuinam illam voluntatem includentem decretum, & subordinantem sibi creatam voluntatem nostram ad cooperandum, esse sufficientẽ & efficacem, non solum vt positis his, quæ in decreto Dei, & in subordinatione voluntatis creatæ ad ipsum requiruntur, ponatur ea posita quidquid sufficienter cum effectu requiritur, vt re vera & defacto voluntas creata moueatur motione & cooperatione libera, quia tunc mouebitur à Deo suauiter & fortiter, sed etiam vt ponatur certitudo cooperationis futuræ voluntatis nostræ vt certo cognoscatur tale futurum infallibiliter. Reliqua verò quæ in argumento continentur non militant contra nos, & postulant disputationem de futuris conditionatis, de qua dicemus inferius, nunc verò satis sit hæc dixisse de hac dubitatione.

A

B

C

D

DVBIVM IIII.

Annexum, vtrùm præscientia Dei ipsiusque causalitas lædant libertatem voluntatis creatæ.

DE hac re disputatio est cum hæreticis, qui contendunt voluntatem creatam necessitari, non solum ex præscientia infallibili Dei, sed etiam ex voluntate Dei. In qua re primo supponenda est fides quę dicit voluntatem creatam, seu liberum hominis arbitrium in suis actionibus deliberatis liberè se agere, & ita in vnam partem moueri vt in contrariam possit, quæ libertas formaliter voluntati conuenit, & innata est ei, quam latissimè ostendimus in libello de libero arbitrio, tam ex sacris Scripturis, quam etiam ex Conciliis & ex Sanctis Patribus. Vnde extat definitio Concilij Tridentini Sessione. 6. can. 4. 5. & 6. vbi post peccatum declaratur mansisse in nobis liberum arbitrium, & idcirco hominem ad iustificationem, ita cooperari, vt possit dissentire si velit, & in sua ipsius potestate situm esse vias suas malas facere, & idem habetur in eodem Tridentino Session. 6. capite. 5.

Primũ argumentũ.

QVO cõstituto, primum argumentũ quod pro ratione dubitandi sese offert desumitur ex sanctissimo præceptore prima parte quæst. 14. ar. 13. & potest hoc modo formari. Ex causa necessaria necessario sequitur effectus, sed scientia Dei est causa necessaria omnium effectuum futurorũ: ergo posita scientia Dei ex illa deriuatur necessitas in ipsos effectus futuros, ac proinde repellitur contingentia ab eis. Maior est nota, minor autem probatur. Quoniam scientia Dei est causa rerum, & Deus operatur omnia per intellectum suũ. Et rursus scientia Dei est causa rerum necessaria, & practica, & intra Deum nihil potest esse contingens. Hoc argumento vsi sunt in hac materia non solum omnes antiqui Theologi cum Sancto Thoma loco citato, verum etiam moderni Scholastici, qui illud cõmemorant & recensent ur statim in exordio huius concertationis.

Confirmatur.

Et confirmari potest idem argumentum. Quoniam Dei præscientia certissima est, & falli non potest vllo modo: ergo obiectum illius non potest aliter euenire quam ipse Deus præscit. Quoniam si aliter eueniret falleretur eius præscientia, sed Deus præscit Paulum acturum esse pœnitentiam à peccato suo, vel facturum esse pœnitentiam Petrum, aut negaturum esse Deum: ergo Paulus non poterit non conuerti, aut Petrus, non peccare. Hæc enim consequentia seu illatio necessaria est. Deus sciuit aliquid esse futurum: ergo illud erit. Antecedens est necessarium: ergo & consequens: ergo posita scientia Dei, ponitur necessitas in effectu à Deo præscito & præcognito. Quod si Deus sciuit effectum aliquem esse venturum, illud vere futurum sit, patet euidenter ex infallibilitate diuinæ scientiæ, quam posuimus. Quod vero ex positione scientiæ diuinæ sequatur necessario futuritio effectus probari potest. Quia ex antecedente necessario in bona consequentia sequitur necessarium consequens, aliàs posset dari antecedens verum, & consequens falsum. Quod autẽ tollatur cõtingẽtia posita sciẽtia infallibili Dei probatur. Quoniam necessitas vndecumque proueniat etiam à causa extrinseca tollit contingentiam, præsertim quia vt minimum effectus tunc non esset contingens respectu omnium causarum concurrentium ad illũ, neq; esset tota series causarum ipsius libera aut contingens.

VT difficultatem hanc effugiant nonnulli Theologi excogitarunt, quod si Paulus, quẽ Deus præsciuit habiturum esse pœnitentiam in aliquo instanti futuri temporis non pœniteret, aut si Petrus qui peccaturus erat in aliquo

die, non peccaret in eo, Deum pro sua libertate posse facere se nunquam sciuisse Petrum peccaturum, quin potius semper sciuisse ab æterno Petrum non peccaturum, aut Paulum non acturũ esse pœnitentiã. Quia cum Deus sciat vnamquamque rem esse euenturam eo modo quo futura est, idcirco ea quæ necessario ventura sunt ex suis causis, Deus sciet scientia necessaria. Illa verò, quæ vẽtura sunt contingenter scientia libera aut cõtingẽti, & cũ in euentibus futuris, & cõtingẽtibus, qui pendent à libertate volũtatis creatæ, ꝙ vna pars potius quã alia sit futura nõ pendeat à scientia diuina, quasi ex eo dicatur res ventura esse, quia Deus præsciuit illam euenturam, sed hoc pendeat à libertate voluntatis & arbitrij creati, qua se in vnam vel alteram partem inflectet, & determinabit vt sibi placuerit. Idcirco quanta est contingentia in euentu futuro toto tempore quo est in causa contingente tanta est in scientia diuina, vt sit scientia vnius partis contradictionis potius quam alterius. Vnde licet sit necessarium præsciri à Deo quidquid euenturũ est, & quidquid præscit futurum Deus id ita euenire, & ob id esse necessarium, quod omne præscitum à Deo eueniat in sensu composito, nihilominus sicut non est necesarium, sed potius contingens Petrum in futurum peccare, aut acturum esse pœnitentiam Paulum, quia re ipsa potest Petrus non peccare aut Paulus non pœnitere, ita neque ad hanc vsque horam est necessarium vllo modo quod Deus præsciat illum euentum futurum, sed esse omnino liberum & contingens, ita vt sicut Petrus potest re ipsa non peccare, & Paulus non pœnitere, sic Deus potest modo efficere vt ipse nunquam præsciuerit Petrum peccaturum. Fundamentum huius responsionis esse potest, quod actus diuini intellectus, & diuinæ voluntatis circa futura contingentia nunquam transit in præteritum, sed semper est in egredi de præsenti in ipso nũc æternitatis indiuisibili, quod nunquã transit in præteritum, neque habet futuritionem, quia totum est præsens semper secundum se correspondens omni tempori præsenti, præterito, & futuro: & ꝙ ob id cũ scientia Dei sit quasi in egredi idcirco Dei præscientia nõ potest lędere libertatem euentus futuri. Quoniã quidquid euenerit aut factum fuerit à voluntate, id solum scit Deus de præsenti, & nihil aliud sciuit. Quem modum dicendi tenuerunt Altisiodorensis, & eum insinuat Gregorius in 1. dist. 42. quæst. 1. art. 2. D. Bonauentura in 1. dist in. 40. in secunda parte art. 1. quæst. 1. Scotus ibidem. quæst. vnica. Gregorius quæst. 2. concl. 4. Siluester in conflato. quæst. 2. art. 5. quẽ nos citauimus in prima parte. Richardus in 1. dist. 38. quæst. 6.

Altisiodorensis. Gregorius. D. Bonauẽtura. Scotus. Gregorius. Siluester. Richardus.

Probatur 1.

HAEC sententia potest probari. Quoniam homo in quo pũcto aliquid libere vult potest illud non velle: ergo pari ratione Deus cum libere velit ea quæ ad extra fiunt, sequitur quod in illo indiuisibili nunc æternitatis, quod est semper præsens sibi, potest non velle, quod vult, & non scire quod re ipsa libere scit. Secũdo potest ostendi relata sententia ex eo quod futura contingentia ad vtrum libet re ipsa possunt non esse, aliàs non essent re vera futura contingentia: ergo pari modo re ipsa possunt non esse cognita à Deo vt ventura, quia implicat ita à Deo cognosci, & quod re ipsa aliter eueniant, quia sic Deus falleretur. Si igitur homo sicut potest efficeret oppositũ eius, quod re ipsa facturus erat, tunc Deus nõ sciret illud quod modo scit hominem esse facturum, sed potius oppositum. Hoc autem non esset ex mutatione vel variatione aliqua facta in scientia diuina: quia in Deo nulla potest esse mutatio: igitur Petro aut Paulo faciente vt potest oppositum eius quod est facturus Deus efficeret vt ex æternitate nõ id quod modo scit, sed oppositum sciuerit, & cognouerit. Quod videtur confirmari ex proloquio D. Augustini. Si non es prædestinatus, fac vt prædestineris, & ex illo Hieremiæ. 18. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitẽtiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei: si fecerit malum in oculis meis vt non audiat vocem meam, pœnitẽtiam agam super bono quod locutus sum vt facerem ei. Quæ testimonia non possunt intelligi, nisi iuxta opinionem præcedentem quæ affirmat scientiam Dei, & voluntatem eius semper esse quasi suspensam, & in quodam egredi indiuisibili æternitatis, ita vt propter præsentiam eius nunquam censeatur determinata. Tertio argumentantur. Quia si concedatur opposita sententia, sequitur Deum non libere creauisse mundum, cum eum creauit, quod est cõtra fidem. Sequela patet. Quia posita volitione Dei qua voluit creare mundũ suo tempore, eoque adueniente necesario ex illa voluntate ita iam determinata, & perseuerante secutus est mundus: ergo cum Deus ab æterno voluerit mundum condere in eo momento temporis quo ipsum creauit fit, vt si adueniente illo temporis pũcto & momẽto non potuerit iam efficere vt ex æternitate non voluerit in eo creare mundum, quod tunc necessario iam eum creauerit & condiderit & non liberè.

Hiere. 18.

Tertio probatur.

HIS argumentis putat Syluester & auctores etiam superius citati liberum arbitriũ optimè conciliari cum diuina præscientia, & præcipuè Syluester in eodem conflato. quæst. 14. art. 19. vbi sensit Dei voluntatem in eis rebus, quas in tempore facturus est non fuisse ab æterno determinatam ad vnam partem, & ob id Dei voluntatem fuisse liberam ad vtramque contradictionis partem, quandiu res pendẽt in futurum, ita vt possit Deus producere rem vel non producere, non tantum in sensu diuiso, verum etiam in sensu composito. Cuius rei fundamentum esse dicit, quod Deus nunquam habet voluntatem determinatam producendi rem aliquam nisi in instanti, in quo res ipsa producitur: quod ait non esse propter im-

perfe-

perfectionem voluntatis diuinæ, sed propter perfectionem eius, quia semper æqualiter potest in vtrumque oppositorum nisi vnum eorũ ponatur esse in tempore.

ALIA argumẽta alij obijciunt. Primo enim ita argumentantur. Nihil futurum præcognitum à Deo potest non euenire: ergo nihil præcognitum à Deo est futurum contingens. Consequentia est notà. Quia futurum contingens nihil aliud est quam id quod euenire & nõ euenire potest indifferenter. Antecedens autẽ probatur. Quia si non eueniret id quod à Deo præscitur & præcognoscitur euenturum, re vera Deus deciperetur: ergo si stante scientia Dei posset ipsum futurum nõ euenire Deus re ipsa posset decipi & falli, quod tamen dici nõ potest, neque esse, vllo modo. Et confirmari potest: quia omne id, quod à Deo scitur, & cognoscitur, necesse est esse: quia pari modo, omne id quod scitur ab hominibus necessario est: sed sciẽtia Dei certior est quã scientia humana: ergo cũ nullũ futurũ cõtingẽs necessario sit futurum aliàs nõ esset cõtingens, sequitur quod nullum futurum contingens potest à Deo sciri certo, aut cognosci. Secundo obijciunt. Si aliqua propositio conditionalis est vera, & eius antecedens est absolute necessarium; consequens etiam est absolute necessarium, aliàs daretur antecedens verum & consequens falsum in bona consequentia. Sed ista conditionalis est vera: Si Deus scinit Petrum acturum esse pœnitentiam, & hoc verè esse futurum, id ita eueniet, aliàs scientia Dei falsa & nulla esset. Et antecedens est necessarium absolute. Primo quia æternum. Secundo quia præteritum, & ad præteritum non est potentia: ergo pari ratione consequens erit absolute necessarium, ac proinde nullum futurum à Deo præscitum erit contingens, sed necessarium. Tertiò obijciunt: Præscientia futurorum tollit libertatẽ arbitrij: ergo nulla potest esse concordia inter præscientiam Dei, & libertatem operum. Consequentia est aperta, antecedens autem probatur. Quoniam data præsciẽtia futurorum hæc est bona consequentia & necessaria. Deus ab æterno præscinit Petrum peccaturũ esse cras: ergo cras peccabit, fulcitur enim consequentia hæc in diuinæ scientiæ certitudine, cui non potest subesse falsum, & consequenter quam certum est Deum falli non posse in sua cognitione atque scientia tã certum & necessarium etiam est consequentiam illam esse necessariã & infallibilem: ergò in cuius potestate non est tollere antecedens consequentiæ necessariæ, similiter neque in eius potestate est tollere cõsequens, aliàs posset quis in bona consequentia efficere vt antecedens esset verum, & consequens falsum, quod manifestam habet implicationem cum natura bonæ consequentiæ: igitur cum in potestate Petri non sit efficere vt Deus non præsciuerit peccatum eius ab æterno crastina die esse futurum, neque id sit in potestate Dei, quia ad præteritum non est potentia, sequitur quod neque in potestate Petri sit non peccare cras, & consequenter sequitur quod stante præscientia, quam Deus habet de re ipsa nulla relinquatur in Petro libertas respectu illius futuri.

QVAMVIS dubium hoc posset ex duplici capite tractari, nimirum ex parte præscientiæ Dei, & etiam ex parte voluntatis, & diuini decreti, imo verò etiam ex parte diuinæ causalitatis & diuinę prędestinationis, quo pacto cohęreãt cum libertate voluntatis creatæ & cum contingentia futurorum, tamen quia hactenus solum egimus de diuina præscientia, idcirco solum à nobis explicanda est difficultas circa diuinam præscientiam, præcipuè cum res hæc fuerit à nobis fusè & luculenter disserta. 1. p. q. 14. art. 13. vsque ad 15.

Conclu. 1. Falsa est sententia quæ asserit ad conciliãdam libertatem cum diuina præscientia necessariam esse suspensionem voluntatis diuinæ ab æterno.

PRO explicatione huius difficultatis dico primo. Repellenda est sententia illa quæ putat ad conciliandam libertatem cum diuina præscientia necessariam esse suspensionem voluntatis diuinæ ab æterno, quamdiu res pendet in futurum, atque adeo quod Deus non habet voluntatem determinatam producendi rem, nisi in eo instanti, & momento, in quo res ipsa producitur. Putat enim hæc sentẽtia, quod si Deus ab æterno præsciuit aliquid fore continuo tollitur libertas futurorum contingentium, & pari modo existimat quod si Deus decreuit aliquid futurũ continuo sequitur illud nõ fore liberum & contingens. Hæc assertio est contra auctores supernus citatos & præcipuè contra Syluestrum. Errant enim hi auctores non solum contra veritatem, & concordiam liberi arbitrij, sed etiam errant in fundamento, præsertim quia nonnulli eorum sentiunt in Deo esse potentiam ad præteritum comparatione effectuum contingentium, quos præsciuit Deus imò vero eorum qui iam in tempore sunt. Cõcedunt enim ad præteritum potentiam in actu Dei æterno, nimirum in scientia & volitione diuina, non sanè quatenus scientia & volitio diuina sunt absolutę, aut cõparatione effectuum qui iam in tempore sunt egressi à suis causis, sed præcise ex ea parte qua futura contingentia respiciunt, tanquam obiecta cognita, & volita aut permissa. Et ob hanc causam quidam eorum dixerunt voluntatem Dei esse suspensam ab æterno, & non habuisse determinationem producendi rem, neque sciuisse illam, nisi in instanti, & momento, quo res ipsa producitur. Quod quidem intolerabilem continet errorem. Nam præter quam quod facit Deum ignorantem ab æterno, aperte est contra sacrã Scripturam, & contra D. Paul. ad Ephesios. 1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionẽ, quam electionem & voluntatem Paulus dicit habuisse Deum, non pro illo instanti temporis pro quo electi salui facti sunt, sed ante omnia tempora & secula. Misere ergo lapsus est Syluester, & alij quibus placuit ipsius sententia. Præterea vaticinia Prophetarum, seu prædictiones & prophetiæ infallibilem continebant

bant veritatem,& reuelationem,aliàs Deus verax non esset in ore Prophetarum. Sed vera non essent nisi ea quæ prædicebantur certò essent euentura, & non certò euenissent nisi à Deo non foret statutum vt euenirent:ergo antequam ad extra fierent à Deo sunt definita: ergo neque ad saluandam immutabilitatem diuinæ scientiæ,neque ad saluandam concordiã liberi arbitrij,non est necesse confugere ad indeterminationem diuinæ præscientiæ, aut diuinæ prædefinitionis,& volũtatis. Rursus Hieremiæ.31.legimus. In charitate perpetua dilexite,ideo attraxite miserans. Ecce tractio facta fuit in tempore,sed voluntas trahendi nõ fuit noua in Deo,nimirum pro illo instanti,in quo trahitur quis, sed fuit æterna vt testatur ipse Deus. Moueor etiam. Quia si Deus modo voluisset quod antea nõ voluit, vel modo in hoc momento sciuisset quod ab æterno nõ nouit, mutaretur. At Deus nunquã fuit sciens in potentia essentiali aut accidentali,sed semper fuit actu sciens:ergo semper fuit actu volens, falsum ergo & intolerabile est suspensam habuisse Deum scientiam suam, aut voluntatem ab æterno.

Hier.31.

Probatur amplius cõclusio.

Moveor rursus,quia si actus liber diuinę voluntatis in æternitate, quatenus correspondet cuicumque momento temporis,ita esset in illo libero egressu,vt possit modo Deus efficere se nihil sciuisse aut voluisse ab æterno eorũ quæ liberè voluit & sciuit,sequeretur dari potentiam ad præteritum etiam cõparatione effectuum, qui in tempore sunt iam extra suas causas. Consequens autem adeo absurdum est vt non possit aliud maius concedi quam hoc sit,aut illud quod antea intulimus, nimirũ hos auctores sua sententia Deum facere ignorantẽ & mutabilem. Consequentia autem probatur. Quia dato illo antecedẽte,volitio illa qua Deꝰ ex æternitate voluit creare mundum in illo tẽporis momẽto,quo ipsum creauit, hodie esset ita in libero egressu vt posset eam Deus determinare in partem contrariam & oppositam,efficereque hodie,vt ab ęterno voluerit nunquã creare mundum:quo concesso aperte sequitur non solum dari potentiam ad præteritum, sed etiam ad præteritum in effectibus qui iã sunt in tempore extra suas causas. Dices diuinã voluntatem æternam quatenus respondet cuicũque temporis momento esse quidem liberam ad determinandum actum suum in oppositam partem,dummodo ab ea non fuerit effectus ipse iam egressus in tempore. Sed profecto hoc nõ satisfacit. Tum quia prius non pendet à posteriori,quare si ipsa secundum se facta hypothesi quod effectus non esset iam egressus ab ea,libera maneret secundum se ad determinandum actum suum in partem oppositam,efficiẽdumq; vt etiam ex eadem æternitate nunquã Deus fuisset determinatus ad creandum mundum,idem quoque posset efficere etiam si effectus iam esset egressus à sua causa, atque adeo posset nunc efficere,vt mundus nũquam fuisset. Tum etiam quia vel post egressum effectũ à Deo & à causa secunda diuina volũtas in isto nunc æternitatis est magis determinata in se ipsa ad volendum creare mundum in eo puncto temporis,in quo creauit:vel non? Si dicas hoc secundum sequitur,quod sicut ante egressum poterat liberè determinare actum suum, vt esset volitio non creandi mundum,ita potest post egressum. Si autem dicas primum: ergo per emanationem effectus variatur in se ipsa,suscipitque vicissitudinis mutationẽ, quod ferendum non est,& præterea iam nõ erit semper in libero egressu in vtramque partem in ipsa æternitate quatenus respondet cuicumq; puncto,& parti temporis vt dicebant citati auctores.

Præterea moueor argumento desumpto ex nostra voluntate, & ex modo agendi eius,quod licet in eodem pũcto temporis voluntas nostra prius natura sit libera, & indifferens vt se in alterutram partem determinet, nihilominus in ipso eodem temporis puncto est posterius natura determinata liberè in alterã partem: postquam autem ita est posterius natura determinata non potest non solum in tẽpore sequenti,sed neque in eo ipso puncto tẽporis efficere:vt se in alteram partem determinauerit & inflexerit. Et ratio est. Quia postquam determinata est in vnam partem non potest non esse determinata. Ita ergo propertio nabiliter dicendum videtur de voluntate diuina in illo nunc æternitatis,quod licèt prius nostro modo intelligendi cum fundamento in re in illo nunc æternitatis amplectentetotum tẽpus sit indifferens, vt in vtramque partem determinet actum suum circa res, quas libere statuit, eaq; ratione actus ille liber egrediatur in æternitate, nihilominus in ea ipsa æternitate posterius nostro modo intelligendi cum fundamento in re, est egressus determinatus in vnam partem contradictionis iuxta diuinum arbitrium: postquam autem nostro modo intelligendi ita posterius ac simul in ipsa duratione indiuisibili æternitatis est egressus determinatus non potest non esse ita egressus. Nam aliàs concederetur potentia vt res iam vno modo effecta,non eo modo esset effecta postquam iam semel ita effecta esset quod plane implicat contradictionem. Et confirmari hoc potest. Quia cum mundus iam sit egressus à voluntate Dei tanquam à propria sua causa, & non potuerit ab ea egredi nisi iam determinata ad productionem mundi, sequitur manifestè vt saltem in eo temporis puncto fuerit determinata,in quo mundus conditus est:ergo cum non fuerit tunc primo determinata, eo quod Deus non potuerit aliquid incipere velle in tempore,sequitur vt ex æternitate,seu ab æterno fuerit eo pacto determinata. Sed Deus postquam semel liberè determinauit suam voluntatem in vnam partem contradictionis non potest iam efficere vt eam non ita determinauerit,aliàs posset facere vt postquam res

aliqua semel esset effecta, non esset effecta: ergo Deus in nullo tẽporis puncto ante mundi creationẽ potuit efficere, vt ex æternitate seu ab æterno non statuerit in eo temporis puncto mundum creare, in quo illum creauit, & pari ratione non potuit efficere, vt non sciuerit mundum in eodem temporis puncto esse futurum. Cum igitur par videatur esse ratio de quolibet alio futuro contingente sit, vt Deus in nullo tẽporis puncto efficere possit se ex æternitate contrarium sciuisse, quam re ipsa modo scit de quolibet futuro contingente.

Sententia D. Thom.

Est igitur sententia D. Thomæ. 1. part. q. 14. art. 13. ad. 1. tam necessarium iam nunc esse Deum ab æterno sciuisse quodcumque futurũ cõtingens, quod sciuit futurum, vt iam nunc nulla ratione valeat efficere se illud nõ sciuisse, cum Deus mutari non possit, neque sit potentia ad præteritum, seu ad non sciẽdum quod sciuit. Neque sanctissimus Præceptor de veritate. quæst. 6. art. 3. ad vltimum docuit oppositum. Conficit enim contra certitudinem diuinæ prædestinationis hoc argumentum. Quod potest esse non habet aliquam certitudinem, sed prædestinatio Dei de salute alicuius potest esse & non esse, quia sicut ab æterno potuit prædestinare & non prædestinare, ita & nunc potest prædestinare & non prædestinare cum in æternitate non differant præsens, præteritum & futurum: ergo prędestinatio non habet certitudinem. Sequitur responsio D. Thomæ, dicendum inquit, quod absolute loquendo potest Deus vnumquemque prædestinare, & nõ prædestinare, aut prædestinasse, vel non prædestinasse. Quia actus prædestinationis cum æternitate mensuretur, nunquam cedit in præteritum, sicut nũquam est futurum. Vnde semper consideratur vt egrediens à voluntate per modum libertatis, tamen ex suppositione hoc efficitur impossibile. Non enim potest nõ prędestinare supposito quod prædestinauerit, vel è conuerso quia mutabilis esse non potest, & ita non sequitur quod prædestinatio non possit variari. Hæc S. Thomas. Ex quibus aperte patet solum docere si Deus cõsideretur in nũc æternitatis prius quam nostro modo intelligẽdi, quam suam voluntatem ad alteram partem contradictionis determinet posse prædestinare & non prædestinare Paulum, vel Franciscũ eaque ratione absolute loquendo verum esse dicere posse prædestinare, & non prædestinare, aut prædestinasse, aut nõ prædestinasse Paulum, &c. Quia actus prædestinationis in æternitate non transit in præteritum. At ex suppositione nõ quidem ficta, sed quæ verè sit in eodem nunc æternitatis, nimirum quod posterius nostro modo intelligendi determinet voluntatem ad prædestinandum, vt iam in æternitate quatenus correspondet toti tẽpori præteriro eam determinauit, fieri non posse quin prædestinauerit, eo quod in Deo non possit cadere vlla mutatio: & hæc videtur interpretatio conformis responsioni Diui Thomæ & verbis in illo articulo contentis.

Quomodo prædestinatio sit certa quãuis quis possit, vel non possit prædestinari à Deo.

Explicant etiam alij Theologi locum D. Thomæ hoc modo, quod quamuis diuina voluntas in illo nunc æternitatis prius more intelligendi nostro cum fundamento in re sit indifferens vt in vtramuis partem determinet suum actum circa res, quas liberè statuit, eaque ratione actus ille liber egrediatur in æternitate nihilominus in ea ipsa æternitate, posterius nostro intelligendi more cum fundamento in re, est egressus determinatus in alteram contradictionis partem iuxta diuinum arbitrium, Postquam autem ita posterius nostro intelligendi more, simul tamen in ipsa indiuisibili duratione æternitatis est egressus determinatus, non potest non esse ita egressus, quia aliàs concederetur potentia vt res iam vno modo effecta non eodem modo effecta esset, postquam semel esset ita facta, quod aperte implicat contradictionem. Hac igitur ratione explicant D. Thomam loco citato de veritate. quæst. 6. ad vltimum, hancque volunt esse mentẽ D. Thomæ, cum dixit ex suppositione, nõ quidẽ quę fingatur, sed quod Deus in nunc æternitatis re ipsa determinauerit actum suum liberum vt esset prædestinatio Petri, vt eum re ipsa determinauit, non posse illum non prædestinasse, quia implicat contradictionẽ, nec iam esse posset sine mutatione Dei.

Ludovicus Molina. 1. part. quæst. 14. art. 13. disp. 17. postquam retulit aliorum sentẽtiam, quam ipse refert col. 620. in impressione Conchensi, fere in fine, hæc verba profert. Quidam contendentes in futuris contingentibus semper alteram partem antequam eueniat esse ex æternitate veram determinate, & alteram determinate falsam, eaque ratione ex natura rei vnam esse cognoscibilem futuram determinate, & alteram non futuram determinate ex eo capite quod quidquid ex natura rei est cognoscibile Deus ante omnem actum suæ voluntatis naturaliter cognoscat, arbitrãtur Deũ ante omnem actum liberum suæ voluntatis scire non solum quid per arbitrium creatum sit ex quacumq; hypothesi futurũ, sed etiã quid ipsemet Deus posterius natura, seu nostro intelligendi more cum fundamento in re sit libere voliturus, eo quod id similiter antequam à Deo statuatur sit determinate verum, hactenus Molina referens hanc opinionem.

Subiungit statim hanc non posse esse veram. Quia futura contingentia determinate esse vera ex natura rei pugnat & cum doctrina Aristotelis & cum communi Doctorũ sententia, & etiam cum ipsa natura contingentiũ; quę eo ipso indifferentia sunt ex ipsamet natura eorum vt eorum vnumquodque sit aut non sit, & ob id ait quod corruit fundamentum citatæ opinionis, quia est contra naturam futurorum contingentium, quæ ab arbitrio creato pẽdent, & quod ob id non datur sufficiens ratio, cur Deus ea cognoscat, sed dicendum esse existimat, non posse Deum ante determinationẽ

liberam suæ voluntatis cognoscere in quã partem se sit determinatura, sed diuinum intellectum in eo priori solum illi ostendere cætera omnia etiam quæ per quodcumque creabile arbitrium sunt ex quacumque hypothesi rerũ que ordine futura, vt ea plenissima deliberatione existente ex parte intellectus volũtas pro suo placito & arbitratu omnia statuat ac disponat, seruataque arbitrij creati libertate omnia prouideat, & quos voluerit prædestinet. Hocque totum dicit Deum cognoscere, idque prouenire ex infinita & illimitata Dei perfectione, qua altissimo & eminentissimo modo Deus comprehendit vnumquodque arbitrium creatum.

Duplicem scientiã posuit Molina

VNDE colligit Molina ad conciliandam arbitrij libertatem cum diuina præscientia constituendam esse triplicem scientiam nisi hallucinati velimus. Vnam mere naturalem quæ proinde nulla ratione potuit esse aliter in Deo per quã omnia ea cognouit ad quæ diuina potentia siue immediate siue interuentu causarũ secundarum se se extendit, tam quo ad naturas singulorum, & necessarias eorum complexiones, quam etiam quo ad contingentes, non quidem quod futuræ essent vel non essent determinate, sed quod indifferenter esse & non esse possent, quod eis necessario competit, atque adeo sub scientia Dei naturali cadit. Alteram scientiam è conuerso mere liberam qua Deus post liberum actum voluntatis suæ absque hypothesi & cõditione aliqua cognouit absolute & determinate ex complexionibus contingẽtibus quæ nam ipsarum re ipsa essent futuræ, quæ non item. Tertiam scientiam vult ipse mediam constituere qua ex altissima & eminentissima comprehensione cuiusque liberi arbitrij in sua essentia intuitus est quid pro sua innata libertate voluntas creata factura sit, si in hoc vel illo ordine rerum collocetur, cum tamen posset si vellet facere re ipsa oppositum.

HAC autem ratione inquit Molina optimè concordari libertatem arbitrij nostri in operibus liberis cum hac scientia media, qua certo cognoscuntur & infallibiliter sine læsione libertatis eorũ. Nam censet quod per hanc scientiam mediam ob eius illimitatam omnibus modis perfectionem, certo penetrat Deus in ipso arbitrio creato quod in se omnino ambiguum ac incertum est sub conditione quod creetur arbitrium in hoc vel illo rerum ordine sub hac aut illa concurrentia circunstantiarum, & causarum.

Multa incõuenientia quæ sequũtur ex opinione Molinæ.

HIC tamen modus dicendi hodie excitauit plures tragœdias, & contentiones. Primo quidem. Quia dicit Deum in ipso arbitrio creato penetrare id quod in se omnino ambiguum ac incertum est, quod non est intelligibile. Nam in ipso arbitrio creato futurum contingens & liberum vel cognoscitur vt iam elicitur actu à voluntate creata & libera, & tunc iam esset extra causam in se ipso & ita cognosceretur scientia visionis à Deo, vel futurum liberum & cõtingens consideratur vt est in ipso arbitrio libero vt in causa antecedenter ad eius productionem, qua ratione omnino ambiguum est & incertum, vt Molina fatetur, & hac ratione non est cognoscibile: ergo in ipso arbitrio creato omnino indifferente quantumuis penetretur non potest in eo cognosci certo & infallibiliter quod in se omnino ambiguum ac incertum est. Nam in hac penetratione arbitrij creati, vel penetratur potẽtia ipsa arbitrij, & quod potest facere hoc vel illud, vel penetratur id ad quod de facto voluntas se determinabit, sed penetratio potentiæ cum hac indifferẽtia & ambiguitate non sufficit ad certitudinem & infallibilitatem præscientiæ, quia talis penetratio potentiæ actu indifferentis, & indeterminatę, non habet infallibilitatem connexionis cum altero ex membris oppositis quo ad sui futurationem & existentiam: ergo in eo non potest infallibiliter & certo cognosci futurum liberũ contingens. Si verò dicas Deũ penetrare quid liberum arbitrium creatum facturum sit, aut quid erit illud ad quod se determinabit sub cõditione & hypothesi quod in hoc vel illo rerum ordine creetur, hoc etiam non satisfacit. Quia vel ille ordo, in quo creatur liberum arbitrium est ordo, causarum, rerum, & circunstantiarum à quibus certo & infallibiliter determinatur, vel est ordo causarum & circunstantiarum à quibus non habet quod infallibiliter determinetur, ea inquam certitudine, cui respectu Dei non possit subesse falsum, & hac ratione non potest sumi certitudo infallibilis de alio futuro libero. Quia omnes illæ causæ & circunstantiæ præcise mouent moraliter, & non determinant efficienter propriè: vt ille dicit cum suis: ergo etiam si in illo ordine rerum creetur liberum arbitrium non poterit ex hoc sumi scientia infallibilis Deique præscientia, cui non possit subesse falsum. Si autem dicas quod ille ordo causarum & circunstantiarum in quo creatur arbitrium est ordo talis in quo Deus determinat efficienter propriè arbitriũ ipsum vel per gratiam suam actualem simul etiam cum moralibus motiuis, sic hoc etiã nos affirmamus, sed ad hoc non requiritur hæc scientia media, neque per eam saluatur concordia cum libertate arbitrij creati. Quia si solum est scientia media qua præsciuntur futura antecedenter ad actualem determinationem voluntatis ex hypothesi quod creetur in ordine rerũ & motiuorum moralium, & causarum præcise moraliter mouentium & non efficienter propriè, talis scientia erit solum coniecturalis & non infallibilis. Ac proinde qui scientiã hãc mediam constituunt cum Molina per quam in arbitrio creato ex hypothesi quod creetur in tali ordine rerum moraliter mouentium præcise: penetretur quid facturum sit liberum arbitrium, re vera non constituunt certam & infallibilem cognitionem, sed solum coniecturalem aut moralem, vt optime D. Thomas expẽdit. 1. part. quæst. 14. art. 13. Quoniam ex illo

ordi-

ordine rerum, in quo ex hypothesi creatur voluntas libera non potest desumi certitudo infallibilitatis, cui non possit subesse falsum: cū omnes illę causę sint morales & non omnino infallibiles ad determinandum.

Imò verò hæc sententia latenter facit Deū ignorantem, vel solum illi concedit scientiam coniecturalem, quorum vtrumque pugnat cū fide, & cum naturali ratione. Et patet sequela. Quia hæc scientia dicit Deum cognoscere in ipso arbitrio creato quid acturū sit, sed ex hoc & ex causis & motiuis moralibus non potest desumi infallibilitas cognitionis, cui falsum subesse non possit, nisi recurratur ad nostram sententiam: ergo iste modus scientiæ mediæ non potest defendi. Secūdo, quia ex illis causis moralibus solum desumitur certitudo moralis, nō tamen certitudo physica, cui nō potest subesse falsum: ergo, &c. Si ergo ex hoc modo scientiæ medię ad conciliandam libertatem arbitrij creati, sequitur latenter aut Deum solum habere scientiam coniecturalem futurorum cōtingentium: aut Deum ignorare illa: planè infertur male Molinam assignauisse huiusmodi cōcordiam. Nam concordia futurorum liberorū debet fieri, cum scientia & præscientia infallibili Dei, cui non possit subesse falsum, neque moraliter neque physicè: quia talis debet esse præscientia Dei, non tantum moraliter certa, sed etiam physicè, cui non possit subesse falsu momnibus modis.

Concl. 2. Scientia media repellenda est.

Dico secundo: Repellenda est hæc scientia media eo modo, quo fingitur à Molina & à suis, ac proinde non est necessaria ad concilian dam libertatem arbitrij cum præscientia infallibili Dei. Quia certe talis scientia media vt ab eis constituitur ex penetratione arbitrij creati, & ex motiuis moralibus, & circunstantijs non est, neque esse potest, præscientia infallibilis, de qua est sermo, quia vt ipsi aduersarij cē sent & fatentur, per hanc scientiā Deus in ipso arbitrio creato penetrat: quod in se omnino ambiguum & incertum est. Et sanè non est intelligibile quomodo penetretur vt certum, & determinatum, & vt determinate futurum, id quod in ipso arbitrio incertum & ambiguum est, vt volunt Molina inconcordia quæst. 23. art. 4. & 5. de diuina prędestinatione, pag. 506. prope finem. Neque rursus potest intelligi, quo pacto ex creatione voluntatis in tali rerū ordine, ex hypothesi quod ineo creetur, sub his aut illis motiuis, circunstantijs & causis mere tantum moralibus, desumatur omnimoda certitudo infallibilis, cui falsum subesse non possit, quæ simul sit physica certitudo, & moralis: & non tantum coniecturalis & moralis præcise. Quoniam causæ præcise morales non habent infallibilē certitudinem qualem, descripsimus esse in Deo.

Doctrina hæc de scientia media non est modo fusè & ad vnguem examinanda quia inferius de hac re agendum est, sed paucis hic cō tenti erimus. Nam certè hic modus concordię per hanc scientiam mediam non placet Diuo Augustino lib. 1. de prædestinatione Sanctorū cap. 17. & est locus mirabilis. Nam explicans Augustinus illud Ioannis. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ait Augustinus. Elegit eos ergo de mundo cum hic ageret carnē: sed iam electos in se ipso ante mundi constitutionem. Hæc est immobilis veritas prędestinationis & gratiæ. Nam quid est, quod ait Apostolus: Sicut elegit vos in ipso ante mundi constitutionem? Quod profecto si propterea dictum est: quia præsciuit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes: cōtra istam præscientiam loquitur filius dicens: Non vos me elegistis, sed ego vos elegi, cū hoc potius præscierit Deus, quod ipsi eum fuerant electuri: quo nihil magis ad propositum dici potuit cōtra eos, qui censent ex præuisione operum factam fuisse electionem adultorum. Et paulo inferius. Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præsciuit. Electi sunt autem de mūdo ea vocatione qua Deus id quod prædestinauit impleunt. Et idem docet D. Augustinus cap. 18. sequente. Quia vt expresse video apud ipsum contendit Augustinus destruere illud fundamētum quod sibi assumebat Pelagius de diuina præscientia operum contingentium, ni mirum euertere, quod Deus operetur aut statuerit aliquid ex præuisione operum futurorū: itaque negat ex præuisione operum futurorū seu ex hac scientia media antecedenter ad suum velle, seu ad decretum, & statutum suum Deum velle aut agere aliquid, sed solum supponi præuisionem operum possibiliter futurorū ex infinitis combinationibus possibiliter futuris præuisis à Deo, non tamen ex præscientia futurorum operum in tempore ex hypothesi quod voluntas hominum creetur in hoc vel illo ordine rerum. Contendit igitur D. Augustinus non solum repellere merita præuisa antecedenter ad suam voluntatem, sed etiam contendit euertere fundamentum huius, videlicet præuisionem, & præscientiam operum liberorum antecedenter ad decretum diuinæ voluntatis, & ob id D. Augustinus inquit. Si propterea dictum est, quia præsciuit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes: cōtra istam præscientiam loquitur filius dicens: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, cum hoc potius præscierit Deus quod ipsi eum fuerant electuri, si crearentur, & reponerentur in tali vel in tali ordine rerum. En quo pacto repellit Augustinus hanc præsciētiam mediam, non quidem sub hac serie verborum scientiæ mediæ, sed sub alijs terminis: atq; verbis. Quo circa nos in nostra sententia habemus sacrum, & tutum sacellum infinitatem ineffabilem diuinæ Sapientiæ, & infinitatem diuinæ prouidentiæ, & omnipotentiæ suauissimāque dispositionem Dei, ad quæ omnia tuto confugere possumus. Habet enim Deus illimitatum modum essendi in se, & in sua sapientia, vt habet

D. Aug.

Ad Ephe. 1

bet etiam in sua omnipotentia, attingendo a fine vsq; ad finem fortiter, & disponendo omnia suauiter, neque comprehenditur finitis regulis aliarum causarum, atque ita habet euentuum & seculorum certam cognitionem iuxta ea, quæ diximus dubio 1.2.&.3. huius controuersiæ.

Adhuc impugnatur scientia media.

MOVEOR etiam. Quia ex modo ponendi hanc scientiam mediam reuocatur tota efficacia gratiæ non in diuinum beneplacitum, aut in diuinam sortem, sed in præuisionem boni vsus liberi arbitrij. Rursus etiam secundo moueor. Quia ex positione huius scientiæ mediæ destruitur infallibilitas ordinis diuinæ prædestinationis, nam hic ordo vt constat ex doctrina Pauli firmissime constituitur, & fundatur in electione & proposito seu decreto efficaci diuinæ voluntatis, quo ante omnem præscientiam nostrorum operum futurorum destinauit Deus vnumquemq; illorum qui saluandi sunt ad certum, & determinatum gradū gloriæ per certa, & determinata media. At Molina, & sui cōstituunt fundamentū prædestinationis, imò verò prædestinationem ipsam in illa præscientia seu scientia media, dicuntq; rationem prædestinationis, totamq; illius certitudinem ex tota illa scientia prouenire. Ecce quam infirmum fundamentum constituunt diuinæ prædestinationis, nimirum hanc mediam scientiam, quæ ab antiquis Theologis non recipitur, neq; à S. Thoma, neq; à D. Augustino vt fusius suo loco dicemus.

Conclusi. 3. Certū est secundū fidē diuinā præscientiā non repugnare cū contingētia futurorum neq; illa immutare.

DICO tertio. Diuina præscientia non repugnat cum contingentia futurorum, neque illam immutat aut repellit. Hoc est de fide certum vt ex Sacris litteris aperte constare ostendimus. Quoniam de fide est Deum scire hæc futura libera, & contingentia, & non obstante hac diuina præscientia manere in nobis libertatem arbitrij, & vsum eius, in quo horum futurorum contingentia posita est: igitur pari ratione ex eadem fide oportet dicere non repugnare inter se illa duo, videlicet Dei præscientiam, & contingentiam futurorum. Hoc confirmat diuus Augustinus penè infinitis in locis, & libro. 3. de libero arbitrio capite. 4. & .5. & libro. 5. de ciuitate Dei capite. 4. & 10. Quoniam præscientia Dei, neque potest se ipsam destruere, neque falsam reddere. Quia ipsa scientia Dei non tantum scit hæc esse futura, sed etiam scit libere, & contingenter esse futura. Nam certè quod aliquid sit futurum contingens aut futurum liberum non solum non repugnat, verum etiam vnusquisque experitur in se ipso libertatem suorum operum: ergo similiter non repugnat quod sciatur illud futurum contingens à Deo. Quoniam omne, quod verum est scibile est: ergo si aliquid est contingenter futurum, vere est futurum: ergo illa talis veritas est scibilis: ergo non repugnat sciri ab aliquo, ac proinde maximè non repugnabit sciri ab ipso Deo. Et confirmari potest hoc. Quia esse contingenter futurum duo dicit tantum, nimirum esse futurum, & præterea posse non esse, sed hæc duo non habent interse repugnantiam. Quia multa possunt esse, quæ nunquam fiant: ergo pari modo multa etiam fiunt, quæ possent non fieri: igitur esse futurum, & posse non esse non inuoluunt repugnantiam, quia possunt reduci in concordiam: ergo similiter scientia futurorum cum eorum contingentia potest stare.

Magistrū fratrē Gaspar à Torres quem antea citaui.

SOLENT scholastici huius ætatis ex suppositione quadā explicare hoc. Audiui enim præceptorem meum ita loquentem de hac re. Consideremus, & supponamus ad rem hanc aperiendam nullam esse præscientiam de rebus futuris, nihilominus facta hac hypothesi, si cætera omnia eodem modo se haberent, res vere essent futuræ, contingentes. Nam eas vere futuras fuisse ostenderet postea ipse rerum euentus. Nam cum in tempore fiant, argumentum est certissimum semper fuisse futuras, contingentes autem similiter essent, quia vt supponimus causæ de se sunt liberæ, & facta hypothesi illa, nulla præscientia esset, quæ contingentiam tolleret: ergo quod nunc addatur præscientia, nihil facit ad auferendam contingentiam. Nam ipsa præscientia quasi omnino extrinsece se habet ad res futuras, & non immutat causas earum, nec modum causandi, sed solum scit, & intuetur: ergo similiter addita præscientia non tollitur contingentia. Hanc rationem insinuat Augustinus libro tertio, de libero arbitrio capite quarto, & 5. & plerisque alijs, vbi libertatem arbitrij affirmans, supponit hanc præscientiam extrinsecus se habere, neque immutare illam. Et idcirco aliquo modo comparat Augustinus hanc Dei præscientiam cum cognitione rei in nobis, quæ nihil addit, aut tollit à rebus cognitis.

Augusti.

D. Augustin. lib. 3. de libero arbitrio cap. 4.

DICO quarto, Optimus modus conciliandi, & saluandi contingentiam futurorum simul cum infallibilitate diuinæ præscientiæ, & prouidentiæ etiam, est quod non solum subiacent diuinæ præscientiæ & prouidentiæ res omnes & causæ omnes, sed etiam modi essendi, & modi causandi, & idcirco Deus non solum prouidit aliqua esse futura, sed etiam voluit & prouidit & præsciuit aliqua esse futura necessario aliqua liberè aliqua contingenter. Vnde S. Tho. 1.p.q.19.ar.8. docet non solum efficaciam voluntatis diuinæ simul esse posse cum contingentia, & libertate euentus, verum etiā ex ipsa efficacia diuinæ volūtatis emanare & procedere, vt quidam effectus contingenter eueniant. Nā cum diuina voluntas sit maxime efficax ex ea efficacia habet, vt cuncta eueniant eo modo, & ratione quibus Deus vult illa euenire. Cū igitur Deus velit quædam necessario euenire, & quædam libere, & contingenter, sequitur efficaciā diuinæ volūtatis non solū nō tollere libertatē, sed potiꝰ illā cōstituere atq; confirmare.

Conclusi. 4. Qualis sit optimus modus conciliādi contingētiā futurorū simul cū infallibilitate diuinæ prouidētiæ.

SANCTISSIMVS ergo præceptor D. Thomas quidquid aduersarij reclament, cum nullã rerum veram futuritionem agnoscat in rebus, nisi ex diuino decreto volente, & statuente, & disponente secundum modũ scientiæ suæ, quę adiuncta voluntate est causa rerum positiua omnium bonorum, permissiua autem malorũ moralium, & positiua etiam omnium actionũ & operationum ex concursu diuinæ voluntatis, & causalitatis cum rebus, egregie intulit cõ cordiam diuinæ præscientiæ cũ contingentia, & libertate futurorum operum. Hoc aperte constat ex ijs, quæ dixit ipse 1. p. q. 14. arti. 13. vbi interrogans vtrum scientia Dei sit futurorum contingentium argumentatur quod non, hac ratiocinatione. A causa necessaria procedit effectus necessarius: sed scientia Dei est causa scitorum: ergo cum scientia Dei sit necessaria sequitur quod scita ab eo sunt necessaria: ergo scientia Dei non est contingentium. Huic obiectioni, respondet S. Thomas in eodem articulo, quod quamuis causa suprema, quæ est Deus sit necessaria, effectus tamen potest esse contingens propter causam proximam contingentem, veluti germinatio plantæ est contingens & impedibilis propter causam proximã contingentem, quãuis motus Solis qui est prima causa sit necessarius, & pari modo (dicit D. Tho.) scita à Deo sunt contingentia propter proximas causas, quamuis scientia Dei quę est causa prima sit necessaria.

HAEC tamen solutio explicatur melius ab eodem S. Thoma in eadem quæstio. 14. ar. 8. ad 2. & in corpore, vbi dicit quod scientia Dei est causa rerum, sicut scientia artificis respectu artificiati. Dicitur autem scientia artificis causa artificiatorum, eo quod artifex operatur per suum intellectum, & per dispositionem eius, ac proinde forma intellectus est principium operationis, non secundum quod est tantum in intelligente, sed quatenus adiungitur ei inclinatio ad effectum, quæ est per voluntatem. Nam cum forma intelligibilis ad oppositа se habet, quia eadem est scientia oppositorum, non produceret determinatum effectum, nisi determinaretur ad vnum per appetitũ, vt Aristoteles constanter dicit lib. 9. Metap. tex. 10. Ex quo S. Thomas colligit Deum causare quidem res per intellectum, ac proinde necessarium esse quod scientia eius sit causa rerum secundum quod habet voluntatem coniunctam. Sic intelligi debet quod habetur ad. 2. vbi ait quod scientia Dei est causa rerum secundum quod res sunt in scientia ipsius Dei, quod est dicere quod taliter euenient sicut in sciẽtia sua practica disposuit euenire adiuncta voluntate eius. Et ex hoc colligit S. Thomas falsum esse dicere, non propterea aliquid esse futurum quia id scit Deus futurum esse, & repellit sententiam Origenis dicentis quoó quia futurum est aliquid idcirco scitur à Deo antequam fiat: quæ propositio dicta fuit ab Origene vt Sanctus Tho. refert in primo argumento, super-

Quomodo intelligatur quod dicitur quod Deus est causa rerum.

Epistolam ad Romanos, & ipse Sanctissimus præceptor explicat Origenem dicens, quod Origenes locutus est attendens rationẽ scientiæ, cui non competit ratio causalitatis, nisi adiuncta voluntate vt dictum est. Sed quod Origenes dicit ideo præscire Deũ aliqua, quia sunt futura, intelligendum est secundum causam consequentię, non secundũ causam essendi: sequitur enim bene si aliqua sunt futura ꝙ Deus ea præscierit: non tamẽ res futuræ sunt causa quod Deus sciat.

HAEC igitur propositio vera est, Res idcirco futuræ sunt quia sciuntur à Deo, non é conuerso: Quia res vere futuræ sunt, cognoscuntur à Deo. Hoc diuus Augustinus, aperte docet libro. 15. de Trinitate, & in libro de libero arbitrio, vbi ait. Vniuersas creaturas Spirituales, & corporales, non quia sunt ideo nouit, sed ideo sunt quia nouit. Sciẽtia enim seu præscientia Dei potest considerari dupliciter. Primo secundum propriam rationem, & sic cum præscientia nihil aliud dicat nisi præcognitionem, non importat aliquam causalitatem, alias omnis scientia vel præscientia causa esset rerum præscitarum, quod falsum est. Et idcirco præscientia Dei sic accepta pro simplici notitia futurorum nõ est causa rerum præscitarum, & ob id quamuis præsciat res futuras, non tamen eis necessitatem imponit. Quare Augustinus, super Ioannem, ait Deus futurorum prascius per Prophetam prædixit infidelitatem Iudæorum, sed non fecit, non enim quemquam necessitat ad peccandum, quia futura hominum peccata prænouit. Altero modo potest considerari præscientia, seu scientia in quantum est scientia artificis operantis res præscitas, & sic habet rationem causæ respectu rei operatæ per artem. Vnde secundum modum quo scientia artificis operantis per artem est causa artificiati, considerанda est causalitas diuinæ scientiæ, & hac etiam ratione scientia Dei etiam si sumatur pro notitia beneplaciti nullam necessitatem rebus contingentibus imponit. Omnia enim Deus sic cognoscit esse futura, sicut ventura sunt, & cuncta quæ contingenter eueniunt, vt illa, quæ sunt à libero arbitrio, & à casu, & à fortuna, sic præscit esse futura contingenter, sicut etiam præscit modum contingentiæ, secundum quem sunt. Quare sicut erroneum est affirmare actus humanos, & euentus rerum non subesse diuinæ præscientiæ, & ordinationi, ita etiam erroneum est asseuerare quod ex præscientia vel ordinatione diuina inferatur necessitas actibus humanis, tolleretur enim tunc libertas arbitrij, legum vtilitas, consiliandi opportunitas, solicitudo bene viuendi, & pœnarum, præmiorumque iustitia. Vnde diuus Augustinus in libris de libero arbitrio, ait loquens cum Deo. Sicut tu memoria tua non cogis esse facta quę præterierunt, sic prę scietia nõ cogis fieri quæ futura sunt. Cui rei maxime

D. Angu. libr. 15. de Trini tate.

Scietia Dei nullo modo ponit rebus necessitatẽ

D. Augu.

fauet

fauet sententia D. Augu. dicentis quod Deus neminẽ saluat aut iustificat expręuisione operum futurorum.

SED quoniam aduersarij censent hæc futura non idcirco esse futura quia sciuntur à Deo, sed potius è conuerso, quia futura sunt sciri à Deo, id oportet examinare. Nam certè si scientia Dei posterior esset futuritione rerum, quia ex eo quod res ipsæ vere futuræ sunt, sciuntur à Deo, aperte colligitur si hoc esset verum à casu omnia euenire, & non ex diuina prouidentia, & fortuito euenire res contingentes respectu scientiæ diuinæ, quod patet ex prædicta sententia, quæ absolute affirmat, & dicit res id circo sciri à Deo, quia ipsæ futuræ sunt. Et patet sequela. Quia si pręintelligitur futuritio rerum, & antecedenter ad voluntatem Dei sequitur absq; diuina dispositione, & ordinatione, modo nostro intelligendi illa futura esse. Quod si Deus præscirit omnia, quæ euentura erant, quia illa omnia erant futura, & quasi obiectiue cognoscibilia, sequitur præscientiam, & quasi intuitum earum esse quid posterius futuritione ipsarum, ac proinde respectu pręsciẽtiæ à casu euenire, & fortuito res contingẽtes.

D. Augu. Diuus Augustinus aperte fuit in hac sententia, vt diceret futura omnia, quæ, vere futura sunt idcirco esse futura, quia hæc sciuntur à Deo. Quam sententiam tenuit lib. 15. de Trinitate cap. 13. Quoniam præscientia Dei videtur esse causa eorum, quæ futura sunt. Quod palam dicit Magister in 1. distinct. 38. & 39. Verba Augustini hæc sunt. Non ista ex aliquo tempore cognouit Deus, sed futura omnia temporalia: atque in eis etiam quid, & quãdo ab illo petituri fueramus, & quos, & de quibus rebus vel exauditurus, vel non exauditurus esset sine initio ante præsciuit. Vniuersas autem creaturas, & spirituales, & corporales, non quia sunt ideo nouit, sed ideo sunt quia nouit, non enim nescisuit quæ fuerat creaturus: quia ergo sciuit creauit, non quia creauit sciuit, nec aliter sciuit creata quam creanda, nõ enim ei? sapientię aliquid accesit ex eis. Vnde Ecclesiastici. 23. *Ante quam crearentur omnia nota sunt illi.* *Eccle. 23.* Ecce his verbis Augustinus insinuat scientiam vel præscientiam Dei causam esse eorum quæ fiunt, cum dicat, idcirco ea esse quia Deus nouit. Lege eundem Augustinum libro 15. de Trinitate per plura alia capita, & libro. 6. de Trinitate capit. 10. vbi inquit. Decedant, & succedant tempora, non decedit ali quidvel succedit scientiæ Dei, in qua nouitomnia quæ fecit per ipsam, non enim hæc quę creata sunt ideo sciuntur à Deo quia facta sunt sed potius ideo facta sunt, quia immutabiliter ab eo sciuntur. Et hic etiam significare videtur Augustinus Dei scientiam causam eorum esse, quæ fiunt, dicens: *Non ideo Deum ea nouisse quia facta sunt, sed ideo facta*, quia nouit ea Deus, ideoque videtur Dei scientia vel præscientia causa esse eorum, quæ nouit, non malorum, sed bonorum. Quia scientia adiuncta voluntate agit, & est causa.

Aug. libr. 15. de Trinitate cap. 13. & lib. 6. capi. 10. & vltimo

QVOCIRCA Magister pro comperto habet, res futuras non esse causam præscientiæ Dei, quia licet non essent futuræ, nisi præscirentur à Deo, non tamen idcirco præsciuntur, quia sunt futuræ, quia alias eius quod est ęternum aliquid existeret veluti causa, quod est à Deo alienũ. Imò verò ex creaturis futuris dependeret scientia Creatoris. Neque obstat quod Origenes dixit super Paulum ad Romanos. 8. quod non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum, sed quia futurum est ideo sciri à Deo, primo, quia hoc est contra sententiam Augustini. Secundo quia Gelasius Papa cum septuaginta Episcopis vt habetur in suis decretis tomo. 2. conciliorum, Origenem repellit præter opuscula quæ Hieronymus nõ repudiat, reliqua omnia cum auctore suo, dicit Gelasius esse renuẽda. Tertio. Quia Origenes potest interpretari primo cũ S. Thoma quod locutus sit attendens rationem scientiæ, cui nõ competit ratio causalitatis nisi adiuncta voluntate, & quando dicit Origenes Deum præscire aliqua quia sunt futura, intelligendum est secũdum causam consequentiæ, non secundum causam essendi, sequitur enim bene si aliqua sunt futura quod Deus ea pręscierit, non tamen res futuræ sunt causa quod Deus sciat. Secundo potest interpretari cum Magistro sententiarum, qui hanc repugnantiam Origenis cũ D. Aug. de medio tollere volens dicit res futuras nullatenus causame esse præscientiæ, vel sciẽtiæ Dei, neq; ideò præsciri vel sciri à Deo, quia sunt futuræ, & exponens quod ait Origenes. Quia futurum est ideò scitur à Deo, interpretatur sic, id est, ꝙ futurũ est scitur à Deo antequã fiat, neq; sciretur nisi futurũ esset, vt non notetur ibi causa sine qua non fieret. Et subiungit Magister. Ita etiã dicimus scientiam vel præscientiã Dei non esse causam eorũ quæ fiunt, si tamen scientiã ad notitiam tantum referamus, si vero nomine scientiæ includitur dispositio, & beneplacitum tũc rectè dicitur causa eorũ quę Deus facit, & hoc modo potuit ətiã accipere hoc Augustin?. Ideo sunt quia nouit, hoc est quia sciens disposuit. Quare idem Magister sententiarũ in eodem. 1. dist. 35. §. Hic considerare oportet, dicit potuisse Deũ nulla præscire futura, quia potuit non creare aliquid Et §. Ad hoc. dicit potuisse non esse præscientiam Dei, vel potuisse Deum non præscire aliqua, quia potuit esse ꝙ nulla futura subiecta essent eius scientiæ, nimirũ si nollet aliqua esse futura. Vnde Augustinus de rebus ipsis dicit ꝙ antequam fierent, erant in Dei scientia, non erant in sui natura, & subiungit. Ipsi autem Deo non audeo dicere alio modo innotuisse, cũ ea fecisset, quam illo quo ea nouerat vt faceret. Ex quo constat quod prius fuerunt res in scientia Dei, quam intelligerentur esse futuræ. Nã ob id omnia dũicitur esse in Deo hoc est in scientia Dei, & omne quod factum est dicitur vita esse in ipso, quia in eius sciẽtia semper

Origenes.

Gelasius. Explicatur Origenes.

M. sententiarum.

Psalm. 49 Augustinus

sunt,& hac etiam ratione potest intelligi illud Psalm.49.*Pulchritudo agri mecum est*,vt explicat Augu.super psal.49.qui legendus est Tom. 3.lib.5.de Genesi ad litteram cap. 18. Tertio potest interpretari Origenes de possibili futuritione,non de vera futuritione rerũ,sed hoc non est contra nos.

Explicatio eorum quæ dicta sunt.

RATIO eorum omnium quæ diximus esse potest. Quia futuritio alicuius respicit aliquã durationem,in qua erit (si est vera futuritio)atque adeo respicit existentiam rei futuræ , sed futuritio,& existentia in aliqua futura & vera duratione non potest intelligi antecedenter ad scientiam Dei : ergo non idcirco Deus sciuit quia res erat futura. Probatur minor. Quia futuritio ,& existentia.v.g. meæ conuersionis pendet à scientia practica Dei, & à voluntate ipsius,cui non alio modo innotuerunt ea,quæ futura sunt , vt dicit Augustinus locis citatis, quam illo quo ea nouerat vt faceret.

Explicatio cuiusdãmodi.

QVIDAM ex modernis Theologis vt fugeret hanc difficultatem dixit futura non ideo esse futura quia sciuntur à Deo,sed è conuerso quia sunt futura,& fuerunt futura sciri à Deo: subiungit tamen statim limitationem dicens. Vel vt purius loquamur,suppositio quod futura sint cognosci à Deo . Quod sane diuersum est ab eo quod antea dixerat .Nam facta hypothesi, & suppositione quod aliqua futura sint cognoscuntur sine dubio à Deo, habet enim Deus infinitã perspicacitatem , & infinitũ lumen ad cognoscendum, sed hoc non est dicere neq; loqui ad mentem disputationis. Quia hic agitur nõ de bonitate consequentiæ, sed de veritate consequentis, an videlicet idcirco Deus sciuerit futura , quia præintelliguntur futura. Quare limitatio illa non est ad propositum cũ ipse antea dixerit, quia res sunt futuræ idcirco sciuntur à Deo. Nam certè quamuis omnia in vnico instanti æternitatis fuerint cognita , & scita , & præuisa vt futura, tamẽ nostro modo intelligendi,vnum consideratur vt antecedens aliud,& nõ potest intelligi futuritio meæ conuersionis antecedenter ad scientiã Dei , aut ad decretum dispositionis eius.

Obijciunt aduersarij.

SED obijciunt aduersarij:veritates enunciationum de futuro in se ipsis tales esse: ac proinde quasi antecedere scientiam Dei , quia veritas non aliunde supponitur ,quam ex libero vsu futuro ipsius causæ , qui non supponitur futurus ob aliquam causam extrinsecam determinantem, sed ex intrinseca potestate causæ proximæ cum adiutorio seu concursu proportionato causæ superioris. Respondetur veritates enunciationũ de futuro contingenti,& libero,inquibus veritas tantum est vt in signo non esse veras in se ipsis vtcũque , sed ex ipsis futuris cõtingentibus quæ ab eis enunciantur, quæ cũ pendeant à scientia practica Dei, seu a scientia Dei adiuncta voluntate non sic habẽt in se ipsis veritatem enunciationes illæ, vt repulso ab illis ordine signi ad significatũ dicãtur vere, quia ab eo quod res est,aut erit, & ab eo quod res non est,vel non erit propositio cẽsetur vera vel falsa. Et quando dicitur quod supposita determinatione futura talũ causarũ,iam est veritas in tali obiecto, quam Deus ex infinita perspicacitate sui intellectus statim intuetur,&c. Respondetur q̃ supposita hac determinatione futura est verũ,cæterum hæc determinatio futura esse non potest in operibus liberis bonis,maximè supernaturalibus, nisi ex diuina dispositione,scientia,ordinatione eius, & prouidentia: ergo non quia futura sunt sciũtur sed quia sciuntur,& disponuntur qualiter fiãt, idcirco futura sunt:est enim Deus primus artifex bonorũ omniũ operum futurorũ, sicut dæmon,& homo sunt etiã primæ causæ malorũ omniũ operũ,& primi artifices malitiæ, & ob id omnia quæ habent rationẽ bonitatis referũtur in Deũ,sicut in primã bonitatem,& in primum artificem bonitatis ad extra,cuius causali tatem nulla entitas positiua bona potest subterfugere. Et omnia,quæ habent rationem malorum operum seu peccatorum referuntur in creaturam rationalem deficientem . Et quando obijcitur quodveritas illarum enunciationũ non aliunde supponitur quam ex libero vsu futuro ipsius causæ,qui non supponitur futurus ob aliquam causam extrinsecam determinantem,sed extrinseca potestate causæ proximæ cum adiutorio , seu concursu proportionato causæ superioris. Quis non videat hanc obiectionem non militare contra nos? Nam si hęc suppositio intendit excludere Deum,falsum dicit. Primo. Quia determinatio voluntatis creatæ respectu bonorum contingentium , & futurorum prius pendet à Deo , & à causalitate eius. Nam determinatio libera,quæ à voluntate fit dum ipsa , verbi gratia, se determinat, aut explicat in actum cõuersionis exeundo de potentia ad actum , seque reducendo quasi de actu primo ad secundum,id quidem nõ fit primo,nisi à Deo dependenter,vt à primo fonte principio, & causa illius determinationis,& reductionis quasi de potẽtia ad actũ:& ita suppositio illa quæ ad veritatẽ illarũ enunciationum requiritur,non tantũ sumitur ex libero vsu futuro ipsius causæ creatę. Quia iste vsus seu determinatio, nimirũ ad conuersionem futuram peccatoris necessario inuolut,& supponit Dei influxũ & dependentiã ab eo,imò verò scientiã disponentẽ,& ordinantem . Falsum igitur est q̃ liber ille vsus futurus non supponatur futurus ob causam quæ est Deus sub cuius determinatione omnia fiũt. Secundo quia futuritio rei cõtingentis,& rei creatę,& eius esse actu in rerũ natura,dicunt ordinẽ intrinsecũ adcausam efficientem sui, hæc autem non solũ est potestas voluntatis,sed etiam est actio primæ causæ determinantis,siue moralitertantũ vt aduersarij vt minimum volunt: siue efficienter, & moraliter simul vt nos dicimus . Nam licet causæ materiales ad constitutionem , & compositionem rei , nimirum forma , & materia intrinsecæ sint , tamen causa efficiens quæ

extrin-

extrinseca est respectu compositionis, ita necessario requiritur in suo ordine ad futuritionem rei per efficientem productionem, vt effectus ipse, & futuricio eius intrinsece respiciat causam suæ productionis, & futuritionis. Vnde etiã quãdo à potestate intrinseca causæ proximæ, & à futuro vsu libero ipsius causæ pendet actio contingens, & libera, etiã supponitur necessario causa superior, & influxus eius cum adiutorio, & cõcursu proportionato ipsius primæ causæ quæ est Deus, cui essentialiter subordinatur causalitas secundæ causæ operantis, & sub cuius determinatione secunda causa operatur, & habet actualem vsum.

Dico. 5. Dico quinto. Quando communiter apud Theologos dicitur, supposito quod Deus novit rem aliquam, esse futuram, in sensu compositionis, idcirco id verum esse dicunt & sine vlla lęsione libertatis, & contingentiæ. Quoniã in illa suppositione scientiæ diuinæ includitur veritas rei futuræ. Vnde talis suppositio non solũ dependet à virtute scientiæ diuinæ, sed etiã dependet à libera potestate causæ proximæ. Quod si futura non esset determinatio voluntatis, a Deo scita non fuisset: sed quoniã é conuerso ex scientia sua Deus, & ex dispositione diuinæ sapientiæ futuritio rerum, est quæ pendet à scientia practica Dei, & à voluntate ipsi⁹ positiua, aut permissiua cum voluntate influẽdi in actionem, & in effectum cui non alio modo innotuerunt ea quæ futura sunt, vt dicit Augustinus locis citatis, quam illo quo ea nouerat vt faceret, idcirco dicitur quod illa necessitas, quæ includitur in illo modo argumentandi, Deus sciuit Petrum esse conuertendum: ergo Petrus conuertetur, Deus sciuit Petrum peccaturum: ergo Petrus peccabit, hæc inquam necessitas tantum est consequentiæ, & non consequentis. Et ratio huius est. Quia futuritio rerum, & contingentia omnium futurorum bonorum ex ipsa efficacia diuinæ sapientiæ, & voluntatis procedit, & dependet quia non solum subiacent diuinæ præscientiæ, & sapientiæ, diuinæque prouidentiæ omnes causæ, sed etiam omnes modi causandi, & agendi. Vnde præsciuit, & artificiosa sua scientia, & sapientia disposuit accedente diuina ordinatione, & voluntate non solum aliqua esse futura, sed etiam esse liberè, & contingenter futura. Quia diuina voluntas, & diuina sapientia habent efficaciam, vt cuncta eueniant eo modo, atque ratione qua Deus voluit, & præsciuit ea euenire iuxta illa, quæ diximus ex sententia Diui Augustini asseuerantis futuritionem, & existentiam, verbi gratia, meæ conuersionis, non solum pendere à voluntate artificiosa Dei, sed etiam à scientia practica eius, cui non alio modo innotuerunt ea quæ futura sunt, quam illo quo ea nouerat vt faceret. Ex quo quidem sequitur quod quidquid est à Deo præscitum, & prouisu eueniet infallibiliter, quod non est intelligendum qualicumque ratione, sed quod infallibiliter eueniet, eo modo, & conditione sicut præscitum, & præuisum est à Deo. Vnde Paulus primo Corinthiorum. 9. Cum prædestinatus esset de se ipso dicit. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Igitur & si diuina præscientia certissima sit, & infallibilis, sicut & diuina prædestinatio, quæ includit voluntatem efficacem Dei, tamen opera ad quæquisque prædestinatus est, contingenter, & liberefiunt ab ipsa hominis creata volũtate.

Itaqve non prius supponitur futuritio quam Deus illam sciuerit. Quia scientia de qua agimus non est scientia media, eo modo dicta quo ab aduersarijs traditur. Illud ergo consequens, Deus sciuit Petrum conuersurum ergo Petrus conuertetur, solum dicitur esse necessarium, vt subest antecedenti, vt Sanctus Thomas voluit prima parte quæstion. 14. articul. 13. & id etiam dixit in primo sententiarum distinct. 38. quæstion vnica articulo. 5. ad 4. Vnde Diuus Bonauentura eadem dist. 38. quæst. vltima. Alexander Alensis. 1. p. q. 24. membro 4. Gregorius Ariminensis in 1. distinct. 38. quæst. 2. articul. 3. Scotus ibidem in responsione ad 5. quæstionem, & Gabriel, quæstion, vnica. Omnes hi auctores Theologi dixerunt hanc propositionẽ, Deus sciuit Petrum peccaturum non esse absolute necessariam in toto rigore. Et idcirco S. Thomas ait, illud consequens, Antichristus erit, secutum, & illatum ex illo antecedenti, Deus sciuit Antichristum fore, non esse simpliciter & absolute necessarium, sed vt subest antecedenti, quod non potest interpretari iuxta sensum modernorum, quod quoniam supponitur veritas futuritionis rei antecedenter ad diuinam præscientiam, sapientiam & voluntatẽ, idcirco dicitur necessarium vt subest antecedenti. Quia vt ostensum est, nihil est futurum antecedenter ad Dei decretum, & præscientiam Dei, aut antecedenter ad voluntatem permissiuam cum volitione concurrendi, & influendi: id enim quod supponitur habere veritatem, per quam potest obijci scientiæ Dei, quasi antecedenter ad ipsam solum est esse possibile rerum cum possibilitate futuritionis. Vnde verbum illud, vt subest antecedenti esse necessarium, intelligendum est prout in sua scientia continetur, & in sua sapientia disponitur. Quia non alio modo innotescunt ea quæ futura sunt, quam illo quo nouit vt faceret, & hac ratione sic necessarium est consequens illud, sicut & antecedens. Quia omne quod est quandiu est, necesse est esse. Vnde constat quod illud consequens Antichristus erit, illatum ex illo antecedenti De⁹ sciuit Antichristum fore, neque est simpliciter necessarium, neque absolute omnino, imó verò est contingens; alias non essent futura contingentia, & libera in rebus, quia omnia futura contingentia habent idem antecedens

S. Thomas D. Bonau. Alexand. Alensis. Gregorius Ariminen. Scotus. Gabriel.

nempe Deus sciuit: ergo illud etiã antecedens Deus sciuit Petrum peccaturum, non potest dici simpliciter necessarium. Quare secundum Catholicam doctrinam, & Theologos scholasticos illud consequens, Petrus peccabit, non potest dici simpliciter, & in rigore necessariũ, alias omnia de necessitate euenirent. Ex quo liquet quod quando S. Thomas dixit, quod illud consequens vt subest antecedenti est necessarium, sicut antecedens, quod intellexit illud antecedens, Deus sciuit Petrum peccaturũ non esse absolute & in rigore necessarium. De hac re legenda sunt quæ nos olim diximus. 1. p. q. 14. ar. 13. disp. 5. & q. 23. ar. 6. disp. 1. Sed dicemus multa inferius in solutionibus argumentorum.

Conclusi. 6 Dico sexto. Non obstante prædicta necessitate secundum quid illius cõsequentis, Petrus conuertetur, Petrus peccabit, absolute sentiendum est Petrum habere potestatem ad non cõuertendum, & ad non peccandum, quoniam illa necessitas secundum quid non repellit hãc potestatem in voluntate Petri ad non peccandum, vel ad non conuertendum, imò verò illam supponit, quia supponit, non quidem determinationem futuram Petri antecedenter ad Deum scientem seu ad eius scientiam, & ordinationem suæ voluntatis, sed supponit suauem modum, quem Deus præstat, & vult præstare in operibus secundarum causarum iuxta modum quem ipsæ postulant, quod prouenit ex efficacia diuinæ sapientiæ, & diuinæ voluntatis. Hoc sane verissimum est sic adeo vt scientia, & sapientia Dei nihil auferat libertatis à voluntate creata. Quia attingit à fine vsq; ad finẽ fortiter & disponit omnia suauiter, vt habetur Sapien. 8. Imò verò quãuis fieret illa suppositio liberæ futuritionis ipsius determinationis Petri, nõ ob id læderetur libertas, quia in tali enũciatione de futuro reperiatur veritas determinate: quia libera illa determinatio supponit potestatẽ non peccandi, & potestatẽ non se cõuertendi, & consequenter etiã facta illa suppositione in tali enunciatione de futuro, quod vera sit, nihilominus simul esse verum esse in Petro potestatem ad non se conuertendum, vel ad non peccandum, non sane quod in eo sit potestas ad componendum oppositum actum non peccandi cum illa suppositione quod peccabit, quia in hoc sensu affirmamus nõ posse, in sensu cõposito, ex eo q̃ non potest facere simul duo cõtradictoria. Itaq; suppositio illa nõ excludit potestatẽ simpliciter ad se conuertendum vel non conuertendũ, ad peccandum vel non peccandũ, siue talis suppositio sumatur ex parte illius propositionis, Deus sciuit, siue ex parte illius suppositionis quã aduersarij ponũt de libera futuritione determinationis Petri antecedenter ad Dei scientiã, vel decretũ, quia vtraq; suppositio non constituit potestatẽ Petri prout in se est extra terminos suæ potẽtialitatis donec re ipsa peccet, vel se conuertat. Perpendenda rursus est differentia inter rem contingenter futuram aut iam præsentem vel præteritam. Quia respectu præteriti aut præsentis iam potentia est, & fuit omnino reducta ad actum, ita vt actus ille iam non pendeat ab illa potentia, quantum adhoc quod est actum illũ aliquando fuisse, & consequenter in tali causa respectu præteriti nõ manet vera potestas aut libertas, vt efficiat actum, & effectum illũ non fuisse. Et similiter respectu actus, & effectus præsentis potentia ipsius causæ iam est in actũ reducta, & actus ille seu effectus quatenus iam est actu extra causam non est amplius in eius potestate vt pro illo instanti non fit: quamuis prius natura quam potentia prodierit in actũ, haberet in potestate sua efficere vel non efficere illum actum, & pro eodem instãti habeat potestatem vt in tempore futuro non illum cõseruet. Cæterum respectu effectus futuri siue sit futurus posterius tempore siue posterius natura, causa absolute, & simpliciter est in potentia, effectus vero re ipsa nondum est extra virtutem eiusdẽ causæ, & idcirco talis causa habet simpliciter & absolute potestatem ad nõfaciendum illũ effectum pro quolibet futuro tẽpore aut pro quolibet instanti eius, vt dictum est.

Ad argumenta quę in principio huius quarti dubij proposita fuere, ad primum quod est D. Thomæ prima parte quæst. 14. ar. 13. Respondetur adeo efficax vitium esse hęreticis vt propter illud negarent contingentiam operũ. Sed cum fides Catholica doceat libertatẽ nostrorum operum, quam nos in nobis ipsis experimur non est cur censeatur efficax esse cõtra nos, negamus ergo scientiam Dei esse causam necessitãtem nos. Nam quamuis diuina scientia & sapientia omnium sit artifex, tamen non necessitat, quia ita adiuncta voluntate operatur, quod potius posita hac diuina scientia, & vo ũtate Dei ex summa eius efficacia prodeant effectus liberi, & contingentes ad eum modũ, quẽ supra explicuimus: quia subiacent Deo, eius sapientiæ, & voluntati non solum omnes res, & causæ, & omnes effectus, sed etiam omnes modi agendi. Et causandi, & quamuis necesse sit in Deo esse scientiam hanc, tamen non est necesse cum operatur adiuncta voluntate quod operetur influendo modum necessarium, & non liberum secundis causis agentibus. Imò verò vt sæpius dictum est, diuina scientia, & sapientia quamuis attingat à fine vsque ad finem fortiter, semper tamen disponit omnia suauiter.

Itaqve quamuis scientia Dei quatenus sua est, ex intrinseca ratione talis sit, & ob id necessaria, quia scientia Dei talis est, vt non possit Deus esse sine illa, & ob id dicatur simpliciter esse necessaria, tamen si consideretur scientia illa quatenus est scientia visionis, talis aut talis effectus futuri, sic non est simpliciter & absolute necessaria. Nam poterat talis scientia non habere respectum talem ad tale obiectum. Quia poterat obiectum

illud

Sapient. 8.

Sensus cõpositus non tollit potestatẽ simpliciter ad se cõuertẽdũ vel non cõuertendum.

Quamuis sciẽtia Dei respectu ipsius sit necessaria, tamen quatenus est scientia visionis talis aut talis effectus futuri sic nõ est absolute & simpliciter necessaria.

illud non esse futurum, & tunc Deus non præ sciret illud esse futurum. Potest esse exemplū *in* voluntate diuina. Nam velle diuinum secūdum se absolute est necessarium, quia est ipse Deus, cæterum ipsum velle Dei, vt est decretum, & voluntas creandi mundum de facto, non conuenit necessario ipsi Deo. Verumtamen ex suppositione scientia illa dicitur necessaria in ratione scientiæ multis modis. Primo quidem, quia supposito quod res est futura, Deus non potest non habere præscientiam eius ab æterno. Quoniam hoc pertinet ad perfectionem eius. Nam supposito tali obiecto futuro Deus non potest non habere actu hanc scientiam veluti exercitam. Secundo. Quia posita huiusmodi scientia, illa quidem est in Deo immutabiliter etiam si res varientur. Quoniā Deus semper scit esse vniuscuiusq; pro suo tēpore, & respectum futuri, quem habet ad omne tempus, qua ratione potest dici hæc scientia necessaria necessitate immutabilitatis. Postremo: quia si talis scientia est consequenter oportet vt necessario sit vera. Nam hac ratione consueuimus cognitionem aliquam necessariam vocare, quæ omnino est vera, certa, immutabilis, & infallibilis, & hæc potest dici necessaria scientia necessitate specificationis. Ex quibus colligo in argumento non fieri sermonem de necessitate scientiæ in ratione scientię. Vnde scientia potest dici necessaria, vel in ratione scientiæ vt dictum est, vel in ratione causæ, & in ratione causæ scientia dici potest necessaria multipliciter. Primo quia talis scientia est necessaria ad causalitatem ipsius causæ, & etiam ad productionem effectuum, & hoc modo scientia Dei dici potest necessaria causa. Quia Deus sine illa, neque efficeret rem, neque res ipsa effici posset, ex eo quod Deus intrinsece, & essentialiter habet quod sit causa intellectualis, & libera, sine cuius influxu res ipsæ minime possunt fieri. Quæ necessitas dicitur à mordernis necessitas specificationis ex eo, quod si fiunt res non possunt non prodire à scientia Dei. Vnde si de hac necessitate specificationis tantum fieret sermo in argumento facile dissolueretur.

Quo modo scientia sit necessaria.

Aliquādo licet causa sit necessaria effectus potest esse contingens.

Sanctus Thomas loco citato adhibet hanc solutionem sub hæc verba. Ad primum, inquit, dicendum, quod licet causa suprema sit necessaria, tamen effectus potest esse contingens propter causam proximam contingentem, sicut germinatio plantæ est contingens propter causam proximam contingentem, licet, motus solis, qui est causa prima sit necessarius. Et similiter scita à Deo sunt contingentia propter causas proximas, licet scientia Dei, quæ est causa prima sit necessaria. In qua solutione seruare oportet quod si quis diceret scientiam ita omnino extrinsece se habere, vt ipsa non esset causa illorum futurorum, quorum est scientia, nulla difficultas esset in dissoluendo argumento D. Thomæ. Si enim scientia futurorum contingentium considere-

A

B

C

D

tur vt est pura intuitio speculatiua, quæ vt sic nō est causa suiproprij obiecti, sic nō potest imponere ei necessitatem vllam, quod tanc cōuenit formaliter, & præcise loquendo scientiæ visionis vt sic. Nam eadem scientia secundum rem, aliàs dicitur, & est causa futurorum. Verumtamen S. Thomas non hoc modo respondet, sed potius dicit negandum esse absolute aliquam scientiam Dei inferre necessitatem his effectibus, concedit tamen scientiam Dei esse causam necessariam iuxta sensum quem paulo antea explicuimus, in eo enim sensu admittit causam suprema esse necessariam, negat tamen ex hoc sequi necessitatem in effectu: quia non ab illa sola, sed ab illa cum causa secunda fit, à qua effectus potest esse contingens, quamuis ipsa prima causa sit necessaria.

VT melius hoc intelligatur distinximus supra scientiam Dei dicentes posse dici necessariam, vel in ratione scientiæ, vel in ratione causæ, & vtroque modo posse dici necessariā vel ex suppositione, vel ex necessitate simpliciter. Quo autem pacto scientia in ratione scientiæ simpliciter possit necessaria dici nimirum ex intrinseca ratione sua, à qua habet quod sit in rerum natura explicatum est in exordio solutionis huius argumenti parum post principium: in ratione autem causæ dici potest sciētia necessaria necessitate specificationis, quia ipsa est necessaria ad productionem effectuum quia sine illa nec res effici posset, nec Deus eā efficeret: est enim Deus essentialiter causa intellectualis, & libera, & hac ratione responsio D. Thomæ optime congruit argumento eius primo. Quia & si Deus vel scientia eius prædicto modo necessaria sit, nimirum quia sine illa Deus nec rem efficere, nec res effici posset, quia Deus essentialiter causa est intellectualis, & libera, tamen quando operatur cum secūdis causis sese illis accōmodat, & idcirco cū causis liberis ita agit, vt eas contingenter agere sinat, & cum liberis ita agit, vt non eas moueat cum modo necessario, sed potius eis tribuat modum agendi libere, aliàs non diceretur eas suauiter mouere. Durandus in 1. distin. 38. quæstion. 1.

RVRSVS scientia in ratione causæ non tātum dici potest necessaria, quia necessaria est Deo agenti intellectuali ad causalitatem, & productionem effectuū, quia sine illa Deus neque efficit res, neq; ipsę effici possent. Sed etiā potest dici scientia Dei necessario necessitate immutabilitatis, & ex eo quod illis, quæ Deus semel facere decreuit, & statuit per scientiam suam ineffabilem, & immutabili decreto facit, & ideo scientia sub hac consideratione potest dici causa necessaria, & de huiusmodi necessitate immutabilitatis potest etiam intelligi sanctissimus præceptor in prædicta solutione ad primum. Nā quamuis Deus immutabiliter operetur, tamen non ob id maiorem necessitatem infert aut tribuit.

Arguitur cõtra solutionem D. Thom.

TANDEM tertio potest dici scientia Dei necessaria per intrinsecam determinationem ad vnum in hoc sensu, quod scientia Dei habeat modum causalitatis necessariæ per modum necessarium, & per intrinsecam ad vnum determinationem, & in hoc sensu aperte est falsum quod scientia Dei sit causa necessaria. Quod etiam vere intellexit Diuus Thomas. Si autem obijcias contra hoc D. Thomam attulisse in prædicta solutione exemplum de Sole influente vt plantæ germinent. Respondetur S. Thomam attulisse exemplum illud vt fortius argumentum suæ sententiæ colligeret, hoc pacto. Quia si causa vniuersalis quæ operatur ex necessitate naturę potest producere, & producit effectũ contingentem propter modum agendi causæ secundæ proximæ, multo magis id effici poterit si in effectione & causalitate, vniuersalis causę solũ reperiatur necessitas infallibilitatis. Potestq; hoc apertius declarari. Quia Dei scientia non agit ex necessitate naturæ cũ ipsa sit scientia practica, & artificiosa, quæ vt agit ad extra non operatur secũdũ exercitiũ, nisi adiuncta volũtate Dei, à qua determinatur, ac proinde coniuncta secũda causa libera cum modo libero quẽ Deus illi præfixit ex scientia, & voluntate sua libera operatur, & contingenter. Vnde nulla ratione dici debet scientiam aut potentiam Dei ita nos potenter rapere aut ita influere Deum sua scientia & potestate vt influat modum necessarium necessitatem imprimentem, & necessario determinantem nos, sed potius determinantem cũ modo libero præcõcepto ab ipso. Sic ergo responsio D. Thomæ etia constare potest. Quia diuina scientia artificiosa adiuncta voluntate Dei, & ex efficacia, & vi eius, ita sese accõmodat modo agendi causæ proximæ vt non impediat illam quo minus contingenter operetur, sicq; effectus eius contingenter aut libere procedat. Alias huius argumenti tradidimus etiam interpretationes, & solutiones. 1. p. locis superius citatis, & ibidem. q. 14. art. 13. disput. 6. & 2. quæst. 19. art. 8. & quæst. 23. articul. 6. Omnia tamen quæ ibi diximus fore coincidunt in hanc eandem doctrinam, & solutionem.

AD confirmationem respondetur certissimam esse Dei præscientiam cui nec physicè, nec moraliter falsum subesse potest, ac proinde quidquid cognoscitur à Deo prout subest eius cognitioni nõ potest aliter se habere respectu illius. Quia alias si eueniret aliter fallere tur præscientia eius. Vnde neganda est argumẽti cõsequentia, tota enim difficultas argumẽti, cõsistit in eo, ꝙhęc cõsequentia est necessaria Si Deus sciuit aliquid esse futurum illud erit, sed antecedens est necessarium: ergo & consequens: ergo posita scientia Dei ponitur necessitas in effectu. Plures Theologi scholastici censent, & sentiũt illam consequentiam non esse bonam. Deus sciuit Petrum esse conuersurũ: ergo Petrus conuertetur, & eadem ratio est de illa. Deus sciuit vel prædixit Petrum peccaturũ: ergo Petrus peccabit, rationem assignãt, quoniam antecedens semper est verũ, consequens vero potest esse falsum, si secundũ se cõsideretur, & consequenter isti negant pari modo illam conditionalem, si Deus sciuit Petrum peccaturum, Petrus peccauit. Quia vt dicunt non est consecutio necessaria. Quia hodie antecedens est verum, & cõsequens falsum, post quam Petrus iam peccauit. Sed profecto hæc responsio nihil valet quia neq; est ad propositum, neq; tangit punctum difficultatis, de qua est controuersia præsens. Difficultas enim est si Deus sciuit me peccaturum aut conuersurũ pro hoc aut illo tempore determinato, an ita futurum sit in re pro eadem duratione, & an ex eo quod Deus illud sciuit inferatur aliqua necessitas.

VNDE alia solutio esse solet, futura omnia quæ Deus præsciuit relata ad Dei præscientiã posse dici necessaria non quidem in re, sed vt sciuntur à Deo, ex suis tamen causis considerata aliqua quidem esse libera, & cõtingentia. Hanc vero propositionem: Præscitum à Deo est necessarium, posse accipi vel de re, vel de dicto, & quidam de re est falsa, de dicto autẽ seu in sensu composito est vera. Quæ doctrina videtur esse Boetij 5. de consolatione prosa. 6. vbi ait. Futurum cum ad diuinam notionem refertur necessariũ est, cũ vero in sua natura perpenditur liberũ prorsus, atq; absolutũ videtur. Itaq; præscitũ à Deo non dicitur esse necessariũ in re, sed quod præscientia Dei de ipso falli non potest. Eandem responsionẽ videtur mihi tenuisse idem Boetius lib. 5. de consolatione prosa. 4. nimirum, quod licet præscientia non sit causa necessitans ad futuritionem rei cõtingentis, & liberæ, est tamẽ certa illius notio & infallibilis cognitio, quæ deceptionem nullo modo admittit, vt res aliter euenire possit quam scitur, & ex scientia diuina qua res futura scitur, signatur ipsum scitum infallibiliter euenturũ fore. Neq; supponit Boëtius euentus contingentes quantum ad sui futuritionẽ, & existentiam ex se esse priores præscientia Dei vt aliqui volunt illi impingere. Nõ enim fuit ignarus Boetius vt existimaret antecedenter ad omnem voluntatem, & decretũ Dei res futuritionem habere vllam in duratione aliqua temporis maiorem, quam sit futuritio possibilis rerum omnium, quæ non est aliud, quam possibilitas earum, quæ eo ipso quæ est possibilitas rerum includit, & inuoluit possibilitatem futuritionis, quia omne possibile est possibiliter futurum, alias non esset possibile. Sed dicet aliquis, si res futura omnino manet libera, & in potestate operantis vt possit non esse futura iam ipsa manet incerta, & fallibilis: ergo nulla ratione scientia Dei poterit circa rẽ illam esse certa, & infallibilis. Respondetur ex Capreolo in. 1. distinct. 40. quæstion. 1. artic. 3. ad 1. contra secundam conclusionem, quod scientia potest dici fallibilis aut infallibilis, cer

Boetius.

Capreolus. Vnde scientia dicatur

ta

certa, infallibilis vel incerta & fallibilis.

ta aut incerta hac ratione. Nam dicitur scientia infallibilis, quia illi non potest subesse falsum vllo modo, quia non potest decipi, neque aliud intelligere, quam est, vt si intelligit rem fore infallibiliter intelligit fore, & non potest simul nõ fore, & pari ratione certa dicitur sciẽtia, quia semper & certo veritatem ipsam attingit, è conuerso verò scientia dicitur incerta & fallibilis, quia potest aliquando falsum pro vero accipere, aut intelligere, & ita decipi. Res autem ipsæ aut euentus rerum non dicuntur propriè fallibiles aut infallibiles, quia res ipsa deceptionis capax nõ est, dicuntur autem euẽtus rerum necessarij aut liberi & contingẽtes, euitabiles & ineuitabiles, quia ita indifferenter eueniunt, vt non euenire possint. Vnde simul stare potest esse præscientiam Dei certam & infallibilem alicuius rei contingentis futuræ, liberè tamen & euitabiliter rem illam futurã esse. Nam certe vt scientia Dei certa sit, sufficit quod ipsa scientia semper ad id quod verè futurum est referatur, etiam si illud libere futurum sit. Non quod Deus expectet rem ipsam prius, vtrum sit futura vel nõ: quia ordine quodam scientia Dei adiuncta voluntate prior est re ipsa futura (non enim est hic sermo de scientia visionis intuitiua) sed de scientia quæ antecedit vt causa futuritionem rei tanquam principium eius, quod conuenit intellectui & sapientiæ Dei, quæ tantæ virtutis est vt non solum nihil verum possit latêre diuinam Sapientiam, aut diuinum intellectum, sed neque quid quam habere possit futuritionem verã, & quasi actualem, & exercitam cum respectu ad existentiam alicuius determinatæ durationis sine voluntate & decreto Dei determinante scientiam Dei artificiosam ad illud esse cũ vera futuritione eius. Quod elegãter dixerat D. Augustinus locis superius citatis, vbi dixit futuritionem & existentiam rei, vt verbi gratia meæ conuersionis non solum pendêre à voluntate artificiosa Dei virtute multiplici, sed etiam à scientia practica eius, cui non alio modo innotuerunt ea, quæ futura sunt quam illo, quo ea nouerat vt faceret.

Res ipsæ aut euẽtus rerum non dicũtur proprie fallibiles vel infallibiles.

D. Bonauentura.

ALIA solet assignari solutio ad prædictam confirmationem, qua negatur esse necessariam propositionem illam, Deus sciuit Petrum conuersurum, aut illam Deus sciuit Petrum peccaturum. Dicunt enim nonnulli ex Theologis propositiones illas esse contingentes nullamque habere necessitatem, neque simpliciter neque ex suppositione, neque in sensu diuiso, neque in composito, & ratio huius assignatur ab eis. Quia licet Deus præsciuerit Petrum peccaturum simpliciter potest non scisse. Quia potest Deus facere vt neque iam sit, neque vnquã in eo fuerit huiusmodi sciẽtia. Nam potest Petrus hoc ipsum facere, quia potest non peccare, quod si non peccet, efficiet vt nunquam fuerit in Deo talis scientia. Hic modus dicendi insinuatur à D. Bonauentura in 1. distinct. 38. ar. 2. quæst. 2. & distinct. 40. art. 1. quæst. 1. & à

A Richardo. quæst. 6. imò verò ab Scoto in eodẽ 1. distinct. 39. quæst. vnica, & à Cordubensi loco superius citato.

Richard. Scotus. Cordubẽsis.

GREGORIVS Ariminensis in 1. distinct. 38. quæst. 2. sentit quod homo potest impedire veritatem illius antecedentis. Deus præsciuit Petrum saluandum, quia in potestate hominis est facere (vt ille putat) quod illud antecedens neque sit verum, neque fuerit vnquã verum, quia Petrus verbi gratia, potuit non peccare, quod si non peccat Deus non præsciuit Petrum peccaturum. Sed profecto neque Gregorius neque prædicti auctores citati loquuntur vt debuissent, neque eorum sententia sustineri potest. Primo, quia si semel Deus sciuit B Petrum peccaturum vel conuersurum, scientia Dei de medio tolli non potest. Quoniam ad præteritum non est potentia: ergo propositio illa de præterito, Deus sciuit, aliquãdo est necessaria: ergo. Quod potissimè est verum cõtra Gregorium qui male sensit dari potentiam ad præteritum. Et non obstat quod dixit Ferrariensis. 1. lib. contra Gentes, cap. 67. propositionem illam non esse propriè de præterito, quia scientia Dei semper est. Quoniam scientia Dei quamuis non sit præterita in hoc sensu quod iam non sit, tamen quo ad solam affirmationem vere dicitur coexistisse tempori præterito, & hoc satis est ad hoc vt talis propositio dicatur habere necessitatem propositionis de præterito, vt Caietanus notat. 1. par. quæst. C 14. art. 13. Secundo etiam sustineri non potest. Quia quamuis scientia Dei non dicatur esse præterita, quasi iam non sit, tamen scientia Dei semper est immutabilis, ac proinde negari nõ potest necessitas immutabilitatis. Suppositis enim veritate illius propositionis de præsenti, Deus scit Petrum acturum esse pœnitentiam, seu Deus scit Petrum peccaturum, talis scientia sine mutatione vlla dicitur conuenire Deo, quæ quidem necessitas immutabilitatis æqualis est. & eamdem infert difficultatem. Quoniã si scientia diuina fuit ab æterno determinata ad iudicium de futuritione vel non futuritione rei sequitur quod Deus in eo quod semel iudicauit in æternum stabilis omnino perseuerat. Hoc docuit diuinus Paulus dicens. Firmũ fundamentum Dei stat, nouit Dominus qui sunt eius. Secunda ad Timoth. 2. Male igitur Gregorius & qui eum sequuntur locuti sunt dicentes posse hominem facere, quod illud antecedens, Deus sciuit Petrum acturum esse pœnitẽtiam sen peccaturum, post quam Deus habuit iudicium illud de futuritione eorum neque sit verum, neque fuerit vnquam verum, sic enim poset dari potentia, quæ auferret à Deo scientiam, vel iudicium quod semel habuit de rebus: igitur veritas illius antecedentis habet necessitatem ex suppositione prædicta. Adde etiam in prædicta suppositione contineri necessitatem compositionis, iuxta quam Aristotel. dixit, Res quando est necessario est. Quocirca etiam in creaturis propositio de præsenti sup-

Sciẽtia Dei de medio tolli nõ potest.

Ferrara.

Caietanus.

2. Thim. 2.

posito quod sit vera pro aliquo instanti & momento præsenti non potest vllo pacto pro illo eodem momẽto esse falsa. Quia hæc est manifesta implicatio: igitur si Deus in æternitate sua aliquid scit non potest efficere vt pro eodem instanti æternitatis illud nõ sciuerit. Quia instans illud æternitatis est indiuisibile nunc propter immutabilitatem intrinsecam, quam habet & simultaneam. Profecto si quod Deus semel sciuit & iudicauit posset non sciuisse nihil esset fixum & certum in ipsa scientia Dei. Quia incertum esset, vtrum ipse facturus esset quod non sciuerit quod antea sciebat. Par ratio videtur esse de hac propositione, Christus dixit Petro, ter me negabis. Nam si propter contingentiam rei scitæ à Deo potest facere Deus vt nõ sciuerit quod sciuit, sequitur quod propter contingentiam rei reuelatæ posset facere Deus, vt non dixerit quod dixit: ergo ex vi diuinæ illius reuelationis non maneret certum fore id quod dixit, quia fortasse efficiet vt non dixerit vnquam. Stat ergo firma sententia quod hæc necessitas immutabilitatis negari non potest, neque illa compositionis, quæ sufficit ad vim argumenti propositi. Nam si Deus non potest mutare hoc iudicium, aut hanc scientiam, sequitur quod neq; homo potest aliquid facere, quo hoc mutetur, ex quo videtur sequi quod homo non maneat liber ad oppositũ eius quod Deus sciuit. Hæc igitur est argumenti difficultas, cuius solutionẽ inquirimus, de qua nos tam multa diximus. 1. part. plerisque in locis, & specialiter contra Gregorium. 1. part. q. 14. art. 13. disput. 6. solutione ad 2. 3. & 4. argumentum, ex quo loco plures Theologi transcripserunt multa.

A

B

C

Magister Mantius, quem honoris causa nomino vir acuti ingenij, & in schola Diui Thomæ primariæ Cathedræ Theologiæ præfectus in Salmanticensi Academia aiebat, repellendum esse Gregorium Ariminensem, concedendum tamen esse quod potest homo facere aliquid, ad quod si ponatur inesse, sequitur quod Deus non præsciuit aut non voluit illud fore. Nam si Petrus nõ conuerteretur sicut potest non conuerti ex hoc sequitur Deum non præsciuisse illum conuertendum. In qua re aduerte eum non sensisse quod postquam Deus semel aliquid sciuit aut iudicauit potest nõ sciuisse aut non iudicauisse, sed tãtum dixit quod posita illa conditionali, quod Petrus de facto non peccaret, quod potest facere quia potest non peccare, quod si hoc nimirum ponatur in esse sequitur Deum non præsciuisse, neque habuisse iudicium illud, & solum voluit indicare bonitatem illationis & consequentiæ, non tamen voluit quod postquam Deus semel scinit Petrum peccaturum ponatur in esse quod Petrus nõ peccauerit, ac proinde quod ipse Deus non sciuerit quod sciebat, aliàs non recte loqueretur. Legenda etiam sunt quæ diximus de hac re. 1. part. quæst. 14. artic. 13. disput. 5. & disp. 6. ad. 4.

D

Inter Theologos Scholasticos aliter responderi solet ad prædictam confirmationem. Dicunt enim antecedens illius consequentiæ, Deus sciuit Petrum peccaturum seu acturum pœnitentiam esse quidem necessarium. Consequens vero solum dici necessarium necessitate consequentiæ & illationis, non consequentis, quia ex terminis non est necessarium. Quæ solutio non est contemnenda, nõ solum quia habet illustres Theologos defensores, qui eam tenent Scotus in. 1. distinct. 38. quæst. 1. §. Ad primum pro tertia opinione. D. Bonauen. art. 2. quæst. 1. Albertus Magnus in 1. distinct. 38. artic. 4. ad. 1. Richardus. quæst. vltima ad. 2. AEgidius eadem distin. quæst. vltima ad 2. Sed etiam quia in scholis est plurimũ vsitata. Hoc eodem modo respondendi vsi sunt Magister Sententiarum, & alij antiquiores ipso vt ipse affirmat loco superius citato. Scio tamen modernos eam velle impugnare, sed nõ bene. Nã S. Thom. 1. par. q. 14. ar. 13. ad. 3. dicit illud consequẽs esse necessarium ex suppositione quod Deus sciuerit, seu in sensu composito, quod idem est, non tamen absolute & extra nõ suppositã scientiã Dei, quod dicitur insensu diuiso.

Scotus.
Bonauentura.
Albertus Magnus.
Richard.
Ægidius.
D. Thom.

Sed obijciunt Moderni contra S. Thomã & contra illustres Theologos citatos, hanc doctrinam & solutionem sibi nõ placere nisi magis explicetur. Quia libertas arbitrij non solũ est concedenda & tribuenda voluntati intrinsece tanquam potentiæ liberę, sed etiam vsus ipse libertatis, etiam posito quocunque extrinseco, ita vt libertas non lædatur. Quoniam hęretici contendunt ex præscientia & voluntate Dei libertatẽ de medio tollere, quia hæc saluari non potest cum præscientia Dei, seu cum voluntate eius, in sensu composito. Itaque volunt isti argumentum propositum esse adeo efficax, & solutionem traditam à Catholicis Theologis adeo difficilem, vt ex præscientia Dei insensu composito lædatur libertas consequentis, quia cum ea insensu composito saluari nequit.

Sed profecto mirabile est, quam facile moderni adhęreant argumentis aliorum, & quam facile repellant illustrium Theologorum, & antiquorũ solutiones: & ꝙ malè hoc loco procedant ostendo primò. Quia in omni sentẽtia & iuxta fidem, etiam suppositã diuina præsciẽtia operum futurorũ, cui falsum sub esse nõ potest vllo pacto, libertas arbitrij nostri constituitur, neque ab eadem præscientia Dei infallibili læditur vllo modo. Quod vero antecedẽs illud, Deus sciuit fore, sit necessarium, vel necessitate immutabilitatis, vel quia non potest Deo non conuenire scientia futurorũ, vt de fide certum esse diximus: vel quia habet Deus iudicium de futuritione omnium ex suo decreto, id quidem cum conueniat Deo, infert necessitate consequentiæ & illationis, veritatem futuritionis rerum, vt sæpius superius diximus: ergo impugnatio & obiectio posita nihil valet, Neque enim dicimus quod ab extrinseco læditur

ditur libertas operum nostrorum ex præscientia illa diuina, vt hæretici putauerũt, nos enim non tantum constituimus libertatem potentiæ, sed etiam vsum illius, qui ab illo antecedẽte, Deus sciuit minimè læditur, vt superius satis deduximus, & interpretati sumus. Secundo quod obijciunt aduersarij, hæreticos suis argumentis contendere libertatem, quam voluntas habet ex se, de medio tolli ex diuina præscientia & voluntate, quod cum illis recte in sensu composito saluari nequeat, hoc multo peius est, primo quia concluduntur isti auctores argumentis quibus hæretici vsi sunt contra fidẽ nostram. Secundo quia quis non videat medio criter Theologus, quod si ex diuina præscientia ac voluntate, de medio tollitur libertas voluntatis creatę, ita vt in sensu composito saluari nequeat cum huiusmodi præscientia Dei, quis inquam non videat huiusmodi hæreticos si aliquid probaret eorum argumentum, non solum tollere vsum libertatis, sed etiam libertatem potentiæ, & voluisse eodem suo argumento probare voluntatem creatam hominum nullam libertatem potentiæ habere, atq; adeo ipsam non esse potentiam liberam? Quoniam Deus non potest cum sit infinite sapiens & intelligens, non scire omnia cognoscibilia, & futura siue libera, siue necessaria, quæ toto tempore infinito decursu verè futura sunt in infinitum: ergo si cum hac diuina præscientia, & illa stante repugnaret libertas aut læderetur tunc non esset vlla ratio, cur Deus fecisset hominem liberum, imò verò frustra esset hominis libertas: quia diuina præscientia semper stat, neque Deus potest esse ignorans eorum, quæ euentura sunt. Vnde Deum esse præsciũ futurorum, non esset Deum prę scire futura cõtingentia, sed futura necessaria, quia si in sensu composito tolleretur libertas, & Deus in omni sensu semper est præscius futurorum: ergo voluntas semper manet absque libertate tam sui vsus, quam in se ipsa: quia si nunquam est operatura nisi Deo præsciente sicut re vera est, & fides docet: sequitur quod neque in ratione potentię maneret libera. Nam quorsum maneret libera in ratione potentiæ si nunquã posset operari libere stante in sensu composito præscientia Dei? Tandem si argumentum hæreticorum aliquid valeret, ipso amplius vellent ostendere, vt ex eodem argumento colligitur: nimirum voluntatem non esse de se liberam: quia si tollitur ex præscientia vsus liber semper, frustra voluntas esset potentia libera quæ nullum potest habere vsum liberum.

ERGO fatendum est, sicut & nos semper confitemur, & dicimus voluntatem nostram etiam facta compositione cum diuina præscientia libere velle & operari, & etiam facta compositione cum diuina voluntate mouente nos per suam gratiam, à qua liberiores efficimur ex sententia D. Augustini epist. 89. ad Hilarium, vbi ait loquens de libero arbitrio & gratia Dei contra hæreticos: *Desinant ergo sic in-*

A *sanire, & ad hoc se intelligant habere quantum possunt liberum arbitrium, non vt superba voluntate respuant adiutorium, sed vt pia voluntate innocent dominum. Hæc enim voluntas liberata tanto erit liberior, quanto sanior: quanto autem sanior: quanto diuinæ misericordiæ gratiæque subiectior.* Et epist. 107. ad Vitalem Carthaginensem inquit. *Si vere volumus defendere liberum arbitriũ, non oppugnemus vnde fit liberum. Nam qui oppugnant gratiam, qua nostrum ad declinandum à malo, & faciendum bonum liberatur arbitrium: ipse arbitrium suum adhuc vult esse captiuum.* Hæc Augustinus & alia multa dicit, in quibus ostendit ex diuina voluntate & gratia eius liberiorem fieri volũtatem. Ex quibus omnibus aperte constat quod cum necessitate illa suppositionis scientiæ Dei, & cum necessitate immutabilitatis suæ cognitionis stat consequens liberum, nimirum in potestate libera voluntatis esse sine vlla lęsione eius agere, & liberè velle, quamuis necessitate illationis & consequentiæ non stent simul in sensu composito, quod Deus præsciuerit Paulum acturum esse pœnitentiam aut peccaturum, & quod id non sequatur de facto, aliàs falleretur Deus, & deciperetur in cognitione istorum futurorum. Nam istę duę propositiones inter se non sunt compossibiles. Deus scit seu sciuit Petrum peccaturum, & Petrus non peccat, nimirum pro tempore quo sciuit peccaturum & similiter, in similibus propositionibus de inesse.

B

C SED obijciet aliquis. Hæc propositio, Deus sciuit Petrum peccaturum, sufficit ad inferendam tantam necessitatem in consequenti quę repugnet contingentiæ, quia infert necessitatem in re futura respectu illius temporis, pro quo dicitur esse futura: illud autem deberet esse tempus contingentiæ eius. Quoniam tempus quod deinceps sequitur post impletam veritatem futuram impertinens est, vt de se manifeste constat. Sed profecto hæc non est necessitas quæ libertatem auferat, aut contingentiã tollat, appellatur enim hæc necessitas nõ rei, sed compositionis quæ non repugnat effectui libero & contingenti. Repugnat enim cohęrentia illa, nimirum quod Deus sciuerit rem esse futuram, & quod illa non eueniat de facto pro eo tempore quo erat euentura. Cæterum hæc futuritio non sequitur necessario & ab intrinseco ex conditione causæ, à qua emanat vel emanatura est, quia hæc habet indifferentiam ad vtrumlibet. Neque rursus scientia diuina si consideretur, vt terminatur eius intuitus ad veritatem futuritionis dicitur necessitare causam secundam. Quod si dicas illa propositio, Petrus cõuertetur composita cum illa altera, Deus præsciuit Petrum conuersurum, & acturum pœnitentiam est necessaria, quia cõponitur cum re extrinseca, quæ non est in potestate operantis, qualis est scientia Dei, atque ita talis compositio videtur tollere contingentiam, quia tollit potestatem ad vtrumlibet, & indifferentiam inferioris causæ, non ex libero

D. Aug.

vsu potestatis eius, sed aliunde ab extrinseco. Sed hoc nihil valet. Primò, quia si nõ tollit potestatem ad vtrumlibet, aut indifferentiam inferioris causæ ex libero vsu potestatis eius, vt aduersarij etiam fatentur, quid interest dicere quod ab extrinseco id fiet? Nam ab extrinseco solum consideratur præscientia Dei secundum quam diuinus intuitus, diuinaque cognitio fertur in veritates omnium rerum cognoscibiles, quod non inducit necessitatem, imò verò scientia Dei quæ artificiosa est, & sapiẽtia infinita, respectu rerum omnium in se habet, & concipit modum contingentiæ quem & scit, & tribuit rei futuræ & causis operantibus. Nam voluntas eius vult & operatur iuxta præscriptũ, & conceptionem intellectus, cum Deus sit agens intellectiuum. Secundò. Quia licet scientia Dei non sit in potestate operantis, quia Deus antecedenter ad omnem operationem, & exercitium causæ creatæ præsciuit omnia quæ voluit fore, vel quæ permisit eadem voluntate positiua, qua non solum permissionẽ peccatorum voluit, sed etiam voluntatem influendi in actiones, & operationes, tamen neque scientia Dei, neque voluntas illius, aut volendo, aut permittendo imponunt necessitatẽ vllam, aut tollunt contingentiam, vt superius explicuimus. Nam si res extrinseca, quæ est scientia Dei, quamuis non sit in potestate operantis, in se talis est, vt habeat conformitatem, & quasi consonantiam & coaptationem cum libertate secundæ causæ, ex eo quod ipsa scientia etiam præscribit modum liberè agendi, quẽ voluntate accedente approbat, non video cur quamuis scientia Dei non sit in potestate operantis, ipsa necessitet secundam causam: quin potius iubet, vt quidquid operetur liberè agat. Et quamuis scientia Dei de futuritione rerum intrinsece sit immutabilis post illud decretum & iudicium quod Deus habuit: cæterum cum ipsa scientia sit maximè consentanea & quasi se coaptans contingentiæ ipsius causæ secundæ, nulla potest sub esse ratio, cur etiam si supponatur in Deo, auferatur contingentia causæ secundæ, quamuis componatur cũ ea. Tertiò. Quia quando Scholastici dicunt necessitatem rei futuræ solum esse necessitatem consequentiæ, & illationis, ex illo antecedente Deus sciuit, quæ non repugnat contingentiæ, non dicunt esse necessitatem vllam rei, ac proinde obiectio de illo antecedente extrinseco nihil concludit contra contingentiam secundæ causæ. Neque eorum argumentum est adeo difficile vt propter ipsum auctores moderni deseruerint antiquam doctrinã, & S. Thomam repulerint in hac parte dicentes argumentum suum concludere, & doctrinam D. Thomæ obscuriorem & difficiliorem esse, præcipuè cũ dicit quod ex illo antecedenti, Deus sciuit Petrum acturum esse pœnitentiam, illud consequens, Petrus pœnitebit, seu aget pœnitentiã posse dici, vt subest antecedenti necessarium, non quidem simpliciter, aut absolute, sed ex suppositione tantum. Hoc enim solum est indicare illationem certam ex illo antecedẽte. Itaque necessitas est remouenda ab illo consequẽti, non enim ex illo antecedente Deus sciuit, sequitur in consequenti necessitas simpliciter aut absoluta, sed solum secundum quid & illationis, quæ non repugnat cõtingentiæ, & quæ egregie dicitur esse necessitas illius cõpositionis, quæ neq; repugnat libertati actus seu effectus, neq; cõtingentiæ, quia talis cõpositionis necessitas inuoluit in ipsa sciẽtia diuina modũ liberè & contingenter agendi, quem voluntas Dei decreuit ad rei futuritionem & euentũ per causam secundam, Quare illa suppositio scientiæ diuinæ præconcipit contingentiã causę, & consequenter non repellit, sed simul illã dicit, & propter eandem rationem optimè hæc necessitas dicitur tantũ consequentiæ, & non cõsequentis, atq; adeo sequitur optimam esse D. Thomæ doctrinam propter rationes & fundamẽta quæ adduximus, & optimã esse D. Thomæ responsionem dicentis illud consequens dici posse necessariũ vt subest antecedenti quod supponitur habere veritatem per quam possit obijci sciẽtiæ diuinæ. Hoc enim ipsum est sub esse illi antecedẽti, Deus sciuit. Nam sic S. Thomas voluit consequens illud intelligendũ esse pro vt subest scientię Dei, seu pro vt est in sua præsentialitate, hoc est in sua præsentia, eo modo quo locutus est. 1. p. q. 14 art. 13. Imò verò eadem ratione S. Thom. dicit illud consequẽs dici necessarium, non absolute & simpliciter, sed vt subest antecedenti. Quia sicut est verũ, omne quod est dum est, necesse est esse, ita illud consequens, Petrus pœnitebit, vel tribuet eleemosynã est necessariò verum dum subest illi antecedenti, Deus sciuit, vel præsciuit. *S. Thomas.*

S. Thomas. 1. p. q. 14. ar. 13. solut. ad 2. concesso antecedente, negat consequentiã huius confirmationis, dicitque propositionem illam, Deus sciuit Petrum peccaturum posse dici necessariam absolute, illã verò, Ergo Petrus peccabit non esse absolute necessariam. In qua re obseruare oportet vt solutio S. Thomæ expli cetur, quod propositio illa, Deus sciuit, potest vocari & dici absolute necessaria, sicut D. Thomas eam appellat, non quidem simpliciter, id est natura sua necessariam, hoc est ab intrinseco ex connexione extremorum, vt si quis dicat, Deus sciuit Petrum peccaturum, aut acturum pœnitentiam, ista propositio est absolute necessaria, sed nõ ab intrinseco quod est simpli citer ex intrinseca connexione terminorum. Nã in hoc sensu non est necessariũ, quod Deus sciuerit Petrũ peccaturum, ita vt propositio hæc ab intrinseco, seu ex intrinseca connexione terminorũ necessario veritatẽ habeat. Est tamen necessarium absolute Deum scire Petrum peccaturum si ille peccaturus est quia necessarium est Deum cognoscere & scire Petrũ peccaturum vel non peccaturum esse, & vtrumilorum absolute & determinate scit Deus.

Obiectio.

SED contra prædictum modum respondẽ

di obijciũt nõnulli quod propoſitio illa, Deus ſciuit Petrum peccaturum nõ poſsit dici neceſſaria, primo, quia Deus abſolute loquẽdo potuit ab æterno non habere ſcientiã illius futuri: ergo propoſitio illa, in qua prædicatur talis ſcientia de Deo nõ eſt abſolute aut ſimpliciter neceſſaria. Probatur antecedens. Quoniã ſimpliciter potuit illud futurum nõ eſſe futurum. Si autẽ non fuiſſet futurum, non fuiſſet ſcitum à Deo: ergo ſimpliciter Deus potuit non ſcire eſſe futurum. Prior cõſequentia eſt per ſe nota. Quia propoſitio illa minimè affirmat aliquid quod neceſſario conueniat ſubiecto, ac proinde nõ habet veritatem ſimpliciter neceſſariam. Et poteſt hoc confirmari ex paulo antedictis. Quia illa ſola propoſitio eſt ſimpliciter neceſſaria, quæ ex connexione terminorum habet intrinſecam neceſsitatem quam nõ habet prædicta propoſitio. Rurſus eadem obiectio confirmatur. Quoniam veritas illius propoſitionis. Deus ſciuit Petrũ peccaturum, pẽdet ex connexione, quam habet cum veritate illius: Petrus peccaturus eſt. Quia cõnexa eſt cum veritate futuritionis illius propoſitionis de futuro. Petrus peccabit, quæ includitur in ea. Nam vt ex dictis conſtat in eadem ſcientia Dei ſimul includitur illa de futuro contingenti, Petrus peccabit: ergo vel illa, Deus ſciuit nõ poteſt eſſe ſimpliciter neceſſaria: vel ſi eſt inde colligitur quod etiã illa altera eſt ſimpliciter neceſſaria. Obijciunt ſecundo. Quia ſi illa propoſitio Deus ſciuit Petrum peccaturum fuiſſet neceſſaria ſimpliciter, id eſſet quia eſt vera & de præterito, ſed hoc non ſufficit. Quoniã hæc propoſitio, Deus voluit creare mundum eſt de præterito, & non eſt ſimpliciter neceſſaria, cum Deus libere id voluerit, quod maximè verum eſt. Quoniam propoſitio de præterito nõ habet veritatem neceſſariam niſi ſuppoſitione facta. Nam v. g. hæc propoſitio, Adam fuit, nõ eſt vera ſimpliciter, niſi quia ſupponit vnam de ineſſe, quam habuit in aliquo tempore, nimirum illã, Adam eſt, quæ ſuppoſitio non fuit neceſſaria: ergo.

Confir. 1.

Confir. 2.

Obiectio. 2.

A

B

C

D

Sed profecto obiectiones iſtæ tantũ abeſt quod noſtram ſententiã impugnent, aut euertant, quod potius illam confirmant. Dictũ eſt enim à nobis propoſitionem illam nõ eſſe ſimpliciter neceſsariam, id eſt ab intrinſeco. Quoniã propoſitio neceſsaria ab intrinſeco illa dicitur quæ habet veritatem ex intrinſeca connexione extremorũ, & hoc oſtendunt argumẽta facta, & nihil amplius. Solet etiam propoſitio aliqua dici neceſſaria ſimpliciter illa, quæ nullã ſuppoſitionem aut hypotheſim poſtulat, ac requirit, vt veritatẽ habeat inſeparabilẽ: quod ſanè nunquã euenit, niſi quando inter extrema propoſitionis eſt intrinſeca connexio ſaltẽ mediata, quia ſi per illam non habent, neceſſe eſt aliunde ſupponere vt eã habeant, & ex conſequenti vt aliunde ſupponatur, vt propoſitio poſsit eſse vel vera, vel neceſsaria: Quare neq; hoc modo dicta propoſitio dicitur neceſsaria ſimpliciter. Quod ſanè de omni propoſitione de præterito, in qua extrema nõ habent cõnexionẽ intrinſecam eſt verũ. Vnde hæc propoſitio, Adam fuit, non eſt ſimpliciter neceſsaria, quia ſi nulla daretur ſuppoſitio poſset eſse falſa, tamen quia ſupponitur illa de ineſse, Adam eſt, quæ fuit vera in aliqua tẽporis differentia, idcirco ex tali ſuppoſitione dicitur neceſsaria. Tandẽ propoſitio de præterito poteſt dici neceſsaria abſolute, quia poſtquã vera ſemel eſt, deinceps falſa non poteſt eſse, & in hoc differt à propoſitione de præſenti & de futuro, etiam in eadem materia, & cum eadẽ connexione extremorum cæteris paribus. Nam quãuis propoſitio de præſenti, quæ conſtat ex terminis cõtingentibus ſupponatur eſse vera, tamen poteſt eſse falſa poſtea, quia res illa poteſt deſinere eſse, & pari modo propoſitio vera de futuro contingẽti poſtquã fuit exercita in re iam deſinit eſse vera, ſi proferatur ſub eadẽ futuritione. Quo fit vt huiuſmodi propoſitiones nõ ſint neceſsarię abſolute etiam ſi ſupponãtur ſemel verę: propoſitio vero de pręterito quã ſemel retinet veritatẽ, inſeparabiliter retinet, & idcirco iure optimo abſolutè dici poteſt neceſsaria ea neceſsitate, qua dicitur quod ad prętęritum nõ eſt potentia. Quia poſtquã res ſemel fuit iam manſit determinata omnino ad vnum, & quantum ad hoc quod eſt aliquando fuiſse, eſt prorſus & omnino extra virtutem ſuę cauſę, & ob id non manſit virtus in cauſa, vt efficiat illam non fuiſse.

Quomodo diſtinguetur propoſitio de præterito à propoſitione de futuro & præſenti.

De hac igitur neceſsitate non intrinſeca ex cõnexione extremorũ, ſed de neceſsitate quaſi præteritionis loquutus eſt S. Thomas quando dixit hãc propoſitionẽ Deus ſciuit Petrũ peccaturũ poſse dici abſolute neceſsariã. Nã Caieta. & Ferr. id ita intelligunt cũ alijs diſcipulis D. Thomę, idq; colligunt ex S. Tho. 1. cõtra Gentes cap. 67. & de veritate. q. 2. art. 2. ad 4. & 7. & q. 6. art. 3. ad vltimũ, quibus in locis S. Thomas nullam differentiam facit quãtum attinet ad rẽ, de qua agitur, ſiue dicatur de præterito, Deus ſciuit, ſiue de præſenti Deus ſcit. Quia licet differentia poſita in his propoſitionibus de præterito, & de præſenti, & de futuro, vera ſit, in his quæ menſurantur tempore tamen in diuina ſcientia, quæ æternitate menſuratur, & tantum admittit, & recipit denominationem præteriti per coexiſtẽtiam ad tempus noſtrũ non variat modum neceſsitatis ille modus ſignificandi: igitur propoſitio illa, Deus ſcit Petrum peccaturum, tam neceſsaria eſt in ſe, ſicut illa, Deus ſciuit, & eamdem habet difficultatẽ, ſicut alia de præterito, quamuis neceſsitas in propoſitione de præterito apertius oſtendatur quo ad nos, quam in illa de præſenti.

Quomodo intelligendus ſit D. Tho.

Ex ſuperius dictis colligere poſsumus quo modo loquendum ſit in hac materia, ſolent enim plures ita loqui. Homo poteſt non peccare licet Deus ſciat ipſum peccaturum. Et rurſus à quibuſdã dicitur. Homo poteſt facere vt Deus ſciat ipſum non peccaturum, quos loquẽ

Quomodo intelligatur, homo poteſt non peccare licet ſciat Deus ipſum peccaturum.

di modos adducunt Gregorius, & Marsilius, quæ sanè propositiones cum suo modo loquè di in sensu diuiso veræ sunt, falsæ tamen si includant compositionem; quod est dicere, absolute & simpliciter & in re ipsa hominem habere potestatem ad non peccandum, & non reduci ad actum peccati donec homo ipse actu peccet, per eam tamen fieri non posse, vt hæc duo simul componantur & copulentur, nimirū quod homo ipse in re, & de facto non peccet, & quod Deus præscierit ipsum peccaturum. Quare plerumq; sensus hic est cōpositus quando verbum, potest, ponitur de præsenti, & in ordine ad præteritum, vt quando dicitur Deum posse nescire quod sciuit, vel posse non euenire, neq; subsequi quod semel est scitum. At vero cum propositiones sunt de præteritoverbū, potuit, reddit facilē sensum diuisum, vt si diceremus Deus potuit nescire quod sciuit. Potuit enim Deus non scire Petrum peccaturum si statuisset Petrum ita iuuare & præuenire vt nō peccaret, quod sanè optimè facere potuit. Legendus est de hac re D. Augustinus locis superius citatis, & lib. de correptione & gratia, cap. 7. & Boetius lib. 5. de consolatione prosa. 6. vbi ait. Idem futurum cum ad diuinam notionem refertur necessarium, cum vero in sua natura perpenditur liberum prorsus, atque absolutum videtur. In quo testimonio fundari videtur responsio illa D. Thomæ quando dicit, cō sequens illius antecedentis, Deus sciuit posse dici necessarium vt subest antecedēti, nō enim somniauit hoc D. Thomas vt putant moderni, qui eum impugnant cum patrono suo Gregorio Ariminensi. Optimus igitur est modus ille loquendi D. Augustini cum dicit posse hominem non peccare, etiam si Deus præscierit illum peccaturum, non tamen id facturum esse. Nam si id esset facturus Deus illud præsciuisset, & non aliud.

D. Augus. Boetius.

A D argumenta quæ pro prima opinione militabant, quibus ostendebatur Dei scientiam non esse determinatam, sed potius suspensam vsque ad eam horam, in qua euenit futurum cō tingens in tempore, quod excogitarunt nonnulli, vt conciliarent libertatem hominis cum scientia Dei. Ad primum respondetur, concedendo antecedens, & pari ratione, concedenda est consequentia de illo indiuisibili nunc æternitatis, sumpto absolute, secus vero si sermo fiat de eodem nunc æternitatis quatenus respondet cuicunque puncto temporis determinato, ante quod semper præcesserit infinita duratione, & infinito tempore determinatio voluntatis diuinæ, & scientiæ suæ ad vnam partē contradictionis. Nam semel facta determinatione voluntatis ac scientiæ diuinæ implicat Deum facere, vt ex æternitate aliud sciuerit aut voluerit. Et ex his dissoluitur primum argumentum.

Ad primū respōdetur.

A D secundum respondetur. Cōcedendo futura contingentia re ipsa posse non esse, sed negatur consequentia, qua infertur re ipsa posse non esse scita à Deo, solum nāque sequitur potuisse non esse scita, & non fuisse scienda, sicut possunt nō fuisse futura, quia Deus id ex æternitate cognosceret certò & infallibiliter, atque in euentu ex æternitate id de tali contingente nouisset, & sciuisset, non vero id quod modo scit. Negatur ergo consequentia, & ad probationem respondetur minimè implicare contradictionem, quod Deus cognoscat futura contingentia, cōtingenter debere euenire, & quod homo possit oppositum facere eius quod euenire debet. Imo verò hoc est maximè consentaneum cum cognitione, quam Deus habet de futuritione illius contingentis de quo cognoscit Deus quod certo eueniet, sed cum potestate ad oppositum. Esset tamen repugnantia & implicatio in propositionibus de inesse, quod Deus sciat aliquid sic euenturum & quod re ipsa aliter eueniat, quia sic falleretur Deus. Quare neque in sensu composito quod Deus certo præsciuit potest aliter euenire, quamuis in sensu diuiso habita consideratione ad potestatem operantis posset homo facere oppositum eius quod re ipsa facturus est. Vnde difficultas non est vlla in hac doctrina, neque admittenda est propositio de in esse de facto, nimirum quod Deo sciente aliquid de facto non fiat, quamuis possit non fieri.

Ad secundum.

A D illud vero, quod in confirmatione adducitur ex D. Augustino. Si non es prædestinatus fac vt prædestineris, Dico primo huiusmodi verba non reperiri apud diuum Augustinū, sunt tamen qui colligant sensum huius sententiæ, ex eodem diuo August. li. 6. Hypognost. prope finem. Quo in loco Augustinus insinuat hominem posse suis orationibus obtinere gratiam suæ prædestinationis, sed illud non potest intelligi absolute nisi tantum de gratia quo ad executionem, hoc est de gratia quam Deus per prædestinationem illis dare decreuit in discursu vitæ. Hoc enim modo intelligitur illud 2. Petri cap. 1. *Satagite vt per bona opera certam vestram electionem faciatis*. Non enim vult Augustinus nos orationibus nostris posse modo obtinere, vt si non fuimus prædestinati ab æterno Deus efficiat vt ab æterno fuerimus prædestinati, quod auctores illius sententiæ videntur prætendere. Saue diuus Augustinus loco citato postquam multa dixit de diuina prædestinatione, id solum inquit. Quod vniuersi homines quantum fieri potest exhortari debent ad bonum, & quod nulli desperandum est, ac proinde oportere inuicem orare in conspectu Dei, & cum humilitate dicere, fiat volūtas tua. Et subiungit Augustinus. Ipsius erit potestatis iudicium in nobis debitum mutare dānationis, gratiam prædestinationis indebitam prorogare. Sed profecto male ex his verbis id colligitur quod in argumēto habetur, cum oppositum D. Augustinus dixerit in eodem libro, & alibi nō semel. Solū igitur voluit: Quod ipsius erit prædestinationis gratiā, id est, quæ effectus est prædestinationis, qua nos ex æter-

nita-

nitate prædestinauerit indebitam prorogare, hoc est dare vel iuxta verbi vim, cū incremento meritorū videlicet prestare. Alij aliter interpretātur dicētes quod si semel ponatur, & fiat suppositio quod homo ab æterno nō fuit prędestinatus nō potest nunc in tēpore facere vt ab æterno fuerit prædestinatus, tamē simpliciter potest aliquid facere, quod si faciat ponendūerit consequēter illū fuisse prędestinatū, sic interpretatur locus ille Hiere. 18. Si egerit gēs illa pœnitentiā, agam & ego. Metaphorica nā que est locutio. Nā si semel supponatur Deum absoluto decreto statuisse punire aliquē, mutari nō potest, est tamē in potestate hominis aliquid facere, quod si faciat, consequēter ponendū erit Deū non habuisse ab æterno illud decretū, & hoc est quod olim nos insinuauimus. 1. p. q. 14. art. 13. disp. 6. vbi ex recepta quorundā sentētia diximus posse cōcedi quod homo potest aliquid facere, ad quod si ponatur in esse sequitur Deū non præsciuisse oppositū, neq; voluisse. Nā Petrus potest damnari & si hoc ponatur in esse, Deus nunquā præsciuit, neq; voluit illū saluum fieri, & pari modo si ponatur in esse, quod Petrus nō peccet, sequitur quod Deus nunquā sciuit Petrū peccaturū, & pari modo Petrus mori potest in peccato impœnitentiæ, quod si in eo moriatur, tunc faceret aliquid, ex quo sequitur quod Deus nunquā præsciuerit Petrū esse saluandū. Non tamē potest facere Petrus, quod id quod ab æterno sciuit nunquam sciuerit.

Ad tertiū. A D tertium respondetur negando sequelā. Nam vt creatio & quicūq; effectus Dei ad extra libere dicatur à Deo fieri quando in tēpore fit, sufficit quod fiat à voluntate libere in æternitate, & ex æternitate, volūtate ipsa libere se determinante ad producendū talem effectū in tali aut tali tempore, quamuis iam facto decreto ex immutabilitate Dei, cui repugnat mutabilitas nō possit aliter de facto euenire id quod re ipsa in mente diuina firmo decreto statutū est, & hoc est quod sanctissimus Præceptor dixit de veritate. q. 6. art. 3. ad vltimū. Neque aliud cōuincit probatio adducta in eodē argumento. Quocirca aduenīente tempore quo Deꝰ statuit creare mundū liberè dicitur creare quatenus æterna volūtate sua libera eū creat, sed nihilominus propter immutabilitatē, quā in se habet Deus, liberæ suæ volūtatis ex æternitate determinatæ, eū dicatur creare, quia vt diximus Deus mutari nō potest, neq; deficere.

A D alia argumēta, quæ postremo loco adducūtur ad impugnandā contingentiā, & concordiam libertatis arbitrij cū præsciētia diuina restat respondere. Ad primū respondetur, quod si illud antecedens. Nihil futurū prācognitū à Deo potest nō euenire, accipiatur in sensu cōposito negari debet consequentia, cōcesso antecedēte. Et ad probationē dico quod vt aliquid simpliciter sit futurū contingens sufficit quod in sensu diuiso possit esse & nō esse. Quia si non esset futurū vt nihil impediente diuina

A præscientia re ipsa potest, nō præcessisset illa diuina præscientia, cū qua non stat non euenire. Si autē illud antecedens intelligatur & accipiatur in sensu diuiso, negandum est. Vnde ad probationē: si non eueniret quod à Deo prācognitū est euenturū, Deus re ipsa falleretur: ergo si stante scientia posset non euenire Deus posset falli & decipi re ipsa. Respōdetur quod si tam antecedens quā consequens accipiantur in sensu cōposito, concedenda esset probatio. Quia tā antecedens quā cōsequens nō possunt deseruire ad probandū illud aliud antecedens in sensu diuiso, neq; nos affirmamus stāte scientia posse in sensu cōposito nō euenire. Quoniā vero sentimus præscientiā, quæ actu existit nihil omnino impedire, quin possit aliter euenire, atq; ita nihil impediente scientia posse in sensu diuiso nō euenire. Quia si nō esset euenturū vt re ipsa potest nunquā talis sciētia præextitisset. Quare dato antecedēte illius probationis, negatur cōsequentia. Quia cū hoc quod est actu posse non euenire, stat absq; vlla fallacia euenturū esse vt est prācognitū. Quoniā si non ita esset euenturū vt re ipsa potest nunquam Deus prācognouisset illud euenturū & futurū: igitur cū illa præscientia diuina pugnat quidem esse aliter euenturū, sed stat optimè posse simpliciter aliter euenire. Cæterū si aliter esset euenturū non fuisset illa præscientia, quæ nullam necessitatem aut certitudinem cō sequentis ponit rebus futuris, sed tam incertas & indifferentes illas relinquit, secundū se, & cō paratione suarū causarum, acsi nulla esset talis præsciētia. Et hæc dicta sint de hoc argumēto.

A D confirmationē respondetur, quod si in maiori propositione fiat sermo de necessitate consequentiæ, nimirum quod hæc cōsequentia sit necessaria, Deus scit hoc vel illud futurū esse: ergo euenit: ergo futurum est tūc cōcedenda est, si verò in maiori sit sermo de necessitate cōsequentis hoc est quod necesse sit rem à Deo scitā futurā, secundū se ipsam necessariā esse, aut secundū se ipsam infallibilem & certā neganda est. Quare ad probationem si ea intelligatur de necessitate cōsequentis, quasi sit sensus, Omne, q̄ scitur ab hominibus, est necessarium necessitate cōsequentis vel saltem certū secundum se (latius sumpto verbo scientiæ, vt comprehēdit etiā certam cognitionē de cō plexionibus cōtingentibus, sensuū experimento cōprobatam) ergo omne illud quod à Deo scitur futurū erit etiā necessariū necessitate cō sequentis, vel saltē secundū se certum cum sciētia Dei sit multo certior quā nostra, negāda est consequentia. Et ratio est. Quia scientia nostra nullā habet certitudinem ex perspicacitate & altitudine cognoscēdi supra res cognitas, sicut scientia diuina quæ & habet infinitum lumen, & infinitam perspicacitatem ac proinde non est par ratio de scientia Dei & nostra, præter quam quod sciētia Dei artificiosa est, nostra vero non ita, sed ab ipsis rebus desumitur.

A D secundam obiectionem suppono quod

pro-

propositio quæ aliàs ex connexione extremorũ non est necessaria, sed merè contingens aliquando fit absolutè necessaria ex aliqua cõditione & hypothesi, nõ quidẽ quæ fingatur in esse, neque cum in esse, & non in esse ponitur: ponatur tamen de facto in esse. Sed quæ ita insit iam re vera, vt implicet contradictionẽ tolli. Nam quãuis duo priora genera conditionũ efficiant solũ necessitatẽ secundũ quid, atq; ex hypothesi, quo modo necessariũ est hominẽ habere alas, si volat, & omne quod est, supposito quod sit necessariũ est esse. Cæterũ tertium genus cõditionis efficit absolutã necessitatẽ distinctã à necessitate secundũ quid, seu à necessitate ex suppositione & hypothesi. In quo sensu quãuis Abraham fuisse, fuerit contingens absolute, eo quod liberè fuit à Deo productus, eo tamẽ ipso quod fuit in rerũ natura productus iã nunc hodie ita necessariũ est fuisse, vt implicatio sit nõ fuisse, cũ iam nulla ratione tolli possit aut impediri, quin fuerit. Eodẽ igitur modo quãuis fuerit contingens, Deum præscire Antichristum tali puncto temporis peccaturum, quia si vt poterit, non esset peccaturus id Deus non præsciuisset, cæterũ eo ipso quod Deus ex æternitate voluit liberè permittere peccatum eius præuidit futurum, & cõtradictionem implicat modo id non præsciuisse: tum quia ad præteritum non est potentia tum etiam quia in Deum non potest cadere vlla mutatio. De hoc genere absolutę necessitatis intelligendus est S. Thomas. 1. p. q. 14. art. 13. ad 2. cum dicit hanc & similes propositiones de præterito veras absolutè necessarias esse, vt superius fusius interpretati sumus. *S. Thom.*

Quo supposito ad obiectionem respondetur negandam esse maiorẽ, quando antecedens solum est necessariũ absolute necessitate proximè explicata. Ista autem propositio conditionalis si Deus sciuit Petrum acturũ esse pœnitentiam, id ita eueniet, est quidem vera & necessaria necessitate illationis, & præterea est vera ex hypothesi quod illud vere sit futurum, quod non est necessarium. Nam esto conditionalis sit necessaria, quia in sensu composito cohærere non possunt ista duo, nimirum quod Deus aliquid præsciuerit futurum, & quod illud non eodem modo eueniat, & quamuis antecedens illo modo sit necessarium quia in Deum nulla potest cadere mutatio, & quia præteritum, nihilominus consequens potest esse mere contingens. Vnde ad illam probationem maioris quando infertur quod aliàs in bona consequentia poterit antecedens esse verũ & consequens falsum, negatur hoc sequi. Etenim si vt potest, futurum esset oppositum consequentis, nunquam præcessisset illud antecedens, quod Deus cognouit, quare nunquam daretur antecedens verum & consequens falsum, & inde fit vt illud consequens posito illo antecedẽte solũ sit necessariũ necessitate cõsequentiæ, qua optimè ex illo infertur, nõ vero necessitate cõsequentis, vt satis dictum est supra.

A

Ad tertiam obiectionem respondetur negando antecedens, & ad probationem concedo illam esse optimam consequentiam, Deus ab æterno præsciuit Petrum peccaturum cras: ergo Petrus cras peccabit. Et ad minorem, si sensus eius sit in cuius potestate non est tollere antecedens bonæ consequentiæ, non est tollere, hoc est non ponere consequens, quod ex tali antecedente sequitur ponendũ esse, quia in hoc tantum sensu minor deseruit argumento, eò quod Petrum nõ peccare cras, vt est à Deo præcognitum, non sit, Pettrum tollere aliquid, sed solum non ponere peccatum, quod ex illo antecedente necessario sequitur ponendum, neganda est. Quãdo si non esset futura positio consequentis vt re vera potest non fore, nunquã Deus præsciuisset Petrũ peccaturum, atq; adeo nõ fuisset antecedens. Quocirca quãuis neq; in potestate Petri, neq; ipsius Dei sit iam nunc efficere, vt in Deo nõ fuerit talis præscientia, est tamẽ in potestate Petri etiam nũc id efficere, hoc est non peccare, quod si vt potest faceret, aut facturus esset, non fuisset vnquam illud antecedens. Quo fit vt ex potentia quam Petrus habet ad non peccãdum non sequatur posse dari in bona consequentia antecedens verum & consequens falsum. Quia vt dictum est, si Petrus peccaturus esset, vt potest, antecedens illud nunquam omnino fuisset. Et hæc modo sufficiant de hac re, dicemus enim inferius multo maiora ad explicandam concordiam libertatis nostræ cũ diuina gratia, & prædestinatione.

B

C

D

DVBIVM. V

Annexũ. Qua scientia Deus cognoscat futura conditionata, prius ratione quã de cõditione ipsa aliquid absolute decernat, & an ea cognoscat certo.



AEc controuersia magna, & ingens est hisce nostris diebus, quam recentiores adeo obscure, & perplexe tractant, vt vix resolutio vlla eorum satisfaciat intellectui: nos vero eam plerisq; in locis fuse ante viginti & plures annos, & ante recentes huius ætatis Scholasticos insinuauimus & tractauimus, vt constat ex nostris scriptis, ex quibus in scholis nonnulli occasionem sumpsere disputãdi de hac re. Erit igitur disputatio hæc, An Deus certo & infallibiliter cognoscat futura cõditionata, non solum illa quæ necessariam habẽt connexionẽ cũ conditione posita, sed etiã, vtrum cognoscat Deus omnia futura conditionata libera cũ omnibus suis circunstantijs in particulari, & an ad cognoscenda huiusmodi futura fit nunc nouè constituenda quædam scientia media, seu neutra, quæ neque sit solum simplicis intelligentiæ, aut visionis, sed media inter vtramq; scientiam Dei. In qua re implorandum est nobis diuinum

auxi-

auxilium, quia colluctatio hæc versabitur inter viros acuti ingenij, qui cõstanter introducere conantur scientiam hanc mediam.

Duobus modis aliquis effectus dicitur esse futurus.

PRINCIPIO circa titulum quæstionis observa, quod duobus modis aliquis effectus dicitur esse futurus. Vel absolutè futurus, nimirũ cũ vere & re ipsa futurus est, siue adhoc requiratur aliqua suppositio, quæ etiam vere sit futura, siue non requiratur suppositio aliqua. Altero modo potest dici effectus futurus non absolutè, quia reuera futurus sit, sed solùm futurus conditionaliter, videlicet quando re ipsa & defacto non est futurus, si tamen poneretur aliqua conditio aut circunstantia (quę quidem re ipsa ponenda non est) esset futurus, & in hac secũda acceptione intelligitur titulus quæstionis, cum in eo fit sermo de futuris conditionatis, & solet interrogari, Vtrùm Deus certò & infallibiliter cognoscat futura, quæ sub conditione, si adimpleretur vere forent, ea tamen non adimpleta, quia reuera nunquam est adimplenda: an Deus illa cognoscat certo & infallibiliter, & qua scientia illa cognoscat. Itaq; dubitatio non est de his effectibus, quatenus sunt possibiles, aut contingenter possibiles, sed quatenus habent futuritionem conditionatam, hoc est secundum rationem, qua essent futuri, si poneretur talis conditio. Rursus cũ controuertitur, vtrùm Deus cognoscat futura hæc conditionata, sermo est de cognitione certa & infallibili, cui omninò repugnet falsitas quantũ ad eorum futuritionem sumptam positiue pro affirmatione, si poneretur conditio, aut suppositio, quæ ad futuritionem eius prę supponitur. De qua re in sacris litteris multa continentur exempla, & est insigne vnum Matthæi 11. de Corozayn, & Bethsaida quando Christus dixit. Væ tibi Corozayn, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. In quo testimonio Christus prædicit hoc futurum, nimirum Tyrios, & Sidonios facturos esse pœnitentiam sub illa conditione si apud eos fierent eædem virtutes, & eadem miracula, quæ in Corozayn & Bethsaida facta fuerunt, & tamen illud futurum vere fuit de numero illorum conditionalium, de quibus loquimur in præsenti controuersia. Quia neque ipsum reuera est subsequutum, cum neque Tyrij, neque Sidones egerint pœnitentiam, neque fuit posita illa conditio apud eos. Simile exemplum esse potest de operibus liberi arbitrij sub conditione, vt si quis diceret: Si liberum arbitrium Pauli, aut Francisci poneretur sub tali ordine rerum, & sub tali vocatione, sub quibus de facto non est reponendum, conuerteretur, quæritur, An Deus habeat certam & infallibilem conditionem illius futuritionis conditionatæ, quæ futura esset si liberum arbitrium Pauli reponeretur sub tali ordine rerum, & sub tali vocatione, sub qua re ipsa non est ponendum, & est sermo de cognitione certa & infallibili, cui nõ potest subesse falsum. An Deus habeat cognitionem alterius partis, scilicet eius quæ futura esset, & tam certa vt omninò repugnet illi falsitas, vt dictum est.

Primus modus dicendi

RECENTIORES nonnulli videntes esse omninò impossibile quod in causis vel ex causis impedibilibus, & indeterminatis cognoscatur determinatè effectus futurus scientia certa & infallibili, dicunt Deum certò & infallibiliter præscire omnes actus futuros contingentes & liberos, siue absolutos siue conditionatos, ex eo præcisè quod futuri sunt, siue absolutè siue posita conditione præscindendo ab ipsorum præsentialitate & coexistentia æternitatis, & à determinatione absoluta diuinæ voluntatis. Existimant enim isti ante omnem actum liberum voluntatis diuinæ scire Deum certo, & infallibiliter non solùm ex hypothesi, aut sub conditione, sed etiam absolutè, & simpliciter quidquid volitura est de facto vnaquæque voluntas tam diuina quam humana. Et similiter existimant scire Deum certo & infallibiliter quid volitura esset determinatè voluntas creata si sub hac vel illa conditione, aut serie rerum poneretur.

FVNDAMENTVM huius sentẽtiæ nouum est. Aiunt enim auctores huius sentẽtiæ Deum posse cognoscere hæc futura libera siue conditionata, siue absoluta per scientiam quandam neutram, neque naturalem simpliciter, neque liberam omnino, sed mediam inter vtramque, seu neutram, per quam affirmant, quod Deus ex altissima & inscrutabili comprehensione liberi arbitrij creati intuetur quid pro sua innata libertate liberum arbitrium sit facturum, si in hoc vel illo ordine rerum collocetur, cum tamen indifferens sit & indeterminatum, possetque si vellet facere re ipsa oppositum. Itaque docet hęc sententia, Deum cognouisse antecedenter ad omnem determinationem Dei quid acturum esset liberum arbitrium Tyriorum & Sidoniorum si virtutes, quæ apud Corozayn & Bethsaidam factæ sunt, fierent in Tyro & Sidone, quamuis virtutes illæ aut miracula nunquam futuræ essent, sed solùm ex hypothesi quod fierent. Quia vt dicũt hi auctores Deus penetrat liberum arbitrium & voluntatem creatam, & ita cognoscit ex cõprehensione ipsius liberi arbitrij quid acturum esset posita illa conditione.

Secundum modernos triplex scięntia in Deo est ponenda

DISTINGVIT ergo sententia horũ modernorũ triplicem scientiam in Deo, & quod mirabilius est ait, constituendam esse noue hãc scientiam mediam & neutram, nisi periculose hallucinari velimus in concilianda libertate arbitrij nostri, & contingentia rerum cum diuina præscientia, & vlterius addunt cum diuina prædestinatione. Vnam ergo vere distinguunt scientiam à reliquis, quæ in Deo est mere naturalis, quæ proinde nulla ratione potuit esse aliter in Deo per quam Deus ea omnia cognouit ad quæ diuina potentia siue immediatè per se, siue interuentu secundarum causarum

seſe extendit aut extendere poteſt, tam quoad naturas & entitates ſingulorum, & complexiones eorum neceſſarias, quam etiam quoad contingentes, & quæ aliter & aliter ſe habere poſſunt ad vtrumlibet, non ſane quod futuræ eſſent vel non eſſent determinatè, ſed quod indifferenter & cõtingenter eſſe & non eſſe poſſent, quod eis neceſſariò competit, atque adeò ſub ſcientia Dei naturali id cadit. Alia autem conſtituitur in Deo ſcientia pure libera, & mere libera, qua Deus poſt liberum actum ſuæ voluntatis abſque hypotheſi, & cõditione aliqua abſolutè & determinate cognouit ex omnibus complexionibus cõtingentibus, quænam re ipſa eſſent futuræ, & quę non eſſent futurę, de quibus duabus ſciẽtijs naturali, & libera egit Sanctiſsimus Præceptor elegãter valde 1.p.q. 14. per plures articulos, vbi etiã diſtinguit ſciẽtiam Dei in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & in ſcientiam viſionis, & in idem redit, ſolum enim voluit Sanctiſsimus Præceptor duplicem ſcientiam in Deo conſtituere, & in eadem 1.p.q.14.art.8. affirmans ex ſententia D. Auguſt. 15. de Trinitate cap. 13. ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum, inquit quod ſcientia Dei ſecundum quod eſt cauſa rerum conſueuit nominari ſcientia approbationis. Nam cum ſcientia Dei abſolutè ſit artificioſa, eſt cauſa rerum ſecũdum quod habet voluntatem coniunctam. Prę ter has duas ſcientias tertiam aliam, ſeu neutrã, aut mediam inter vtramque dicunt moderni conſtituendam & addendam eſſe, qua ex comprehenſione altiſsima voluntatis creatæ liberæ intuetur Deus quid liberum arbitrium creatũ indifferens & indeterminatum pro ſua innata libertate eſſet facturum, ſi in hoc vel illo rerũ ordine collocetur, cum tamen poſſet ſi vellet facere re ipſa oppoſitum.

Quaſi Deus per ſcientiã naturalẽ infinitam nõ penetret aut comprehendat omne liberum arbitrium creatum & creabile.

Hanc ſcientiam mediam ſeu neutram dicũt auctores eius neque eſſe naturalem, neque liberam. Non inquam liberam, quoniam antecedit omnem actum liberum diuinæ volũtatis & ſecundo quoniam non fuit in poteſtate Dei, ſcire per eam ſciẽtiam, aliud quam re ipſa ſciuerit. Rurſus dicunt talem ſcientiam mediam ſeu neutram non eſſe naturalem Deo, quaſi ita innata ſit Deo, vt non potuerit ſcire oppoſitum eius quod per eam cognoſcit. Dicunt tamen præfati auctores hanc ſcientiam poſſe dici naturalem vt diſtinguitur contra mere liberam, non quidem in eo ſenſu quod innata ſit Deo, ita vt Deus non potuerit ſcire oppoſitum eius quod per eam cognoſcit. Si enim liberum arbitrium creatum acturum eſſet oppoſitum, vt reuera poteſt, id ipſum ſciuiſſet Deus per eãdem ſcientiam, & non id quod re ipſa ſcit. Quocirca non eſt magis innatum Deo ſcire per eam ſcientiam mediam hanc partem contradictionis pendentem à libero arbitrio creato, quam oppoſitam. Ex quo colligunt moderni hanc ſcientiam partim habere conditionem ſcientiæ naturalis, quatenus præuenit & antecedit actum liberum diuinæ voluntatis, & quatenus non fuit in poteſtate Dei aliud ſcire, partim verò habere conditionem ſcientiæ liberæ, quatenus quod ſit potius vnius partis quam alterius, habet ex eo, quod liberum arbitrium ex hypotheſi quod à Deo libere reponeretur, aut crearetur in hoc vel illo ordine rerum eſset potius facturum hoc quam aliud, cum poſset facere indifferenter vtrumuis. Quod ſane videtur poſtulare libertas arbitrij creati, quę quidẽ etiam poſita præſcientia diuina non minus eſt de fide, quam eadem præſcientia, & prædeſtinatio.

Verum enim vero hi auctores valde timuerunt introducere mediam hanc ſeu neutram ſcientiam, quæ neque eſt mere naturalis, neque mere libera, & idcirco dicunt, & aduertunt quod ne præfata doctrina primo ſuo aſpectu nos conturbet oportet aduertere optime inter ſe cohęrere hæc quę ſequuntur. Primum eſt nihil eſse in poteſtate creaturæ, quod etiam non ſit in poteſtate Dei. Secundum Deum ſua omnipotẽtia poſſe inflectere noſtrũ liberum arbitrium quocunque ipſe voluerit, præter quam in peccatum, quia hoc habet manifeſtam implicationem. Tertium, Deum quidquid facit cum cauſa ſecunda poſſe ſe ſolo efficere, niſi in effectu inuoluatur quod ſit à cauſa ſecunda. Quartum, Deum permittere poſſe peccata, non tamen præcipere, vel ad ea incitare aut inclinare. Quintum. Quod res libero arbitrio prædita ſi in certo rerum ordine: & circunſtantiarum reponatur aut collocetur in vnam aut alteram partem ſe flectat non prouenire ex præſcientia Dei, quin potius ideo Deum id præſcire, quia ipſa res libero arbitrio prædita libere id ipſum agere debet, neque prouenire ex eo quod Deus velit id ab ea fieri, ſed ex eo quod ipſa libere id velit facere. Sextum. Ex his apertiſsime ſequi eam ſcientiam, qua Deus ante quam ſtatuat creaturam liberam producere præuidet quid ſit factura ex hypotheſi quod in eo rerum ordine collocetur, pendere ex eo quod ipſa pro ſua libertate hoc vel illud ſit factura, & non è conuerſo. Scientia autem qua Deus abſque hypotheſi vlla ſcit abſolutè quid per liberum arbitrium creatum ſit re ipſa futurum ſemper in Deo eſt libera, pendetque à determinatione libera ſuæ voluntatis, qua tale liberum arbitrium in tali vel tali ordine rerum creare decreuit, & voluit. Hactenus loquuntur moderni, de quibus aliqua dicemus in diſcurſu huius controuerſię quæ indigent explicatione & animaduerſione.

Secundus modus dicẽdi.

Alii Theologi putauerunt Deum non cognoſcere futura conditionata. Quia cum talis futuritio non ſit vera, neque reponenda conditio vllo tempore, otioſa eſſet, & impertinens cognitio talium futurorum. Nam quod non eſt, neque erit, non ſcitur. Fundamentum huius ſententiæ eſse poteſt. Quia illæ enunciationes ſunt propoſitiones conditionales, quę enuntiant de re dubia & indifferente etiam poſita conditione, quanto magis ſi

non

non reponatur, sed vt conditionales non possunt esse verę: ergò nullo modo. Minor probatur. Quia in conditionali propositione nihil omnino affirmatur, nisi vnum ex alio sequi: ergo si non verè sequitur, conditionalis est falsa. Nam certum proloquium est in Dialectica, veritatem conditionalis positam esse in bonitate consequentiæ, seu illationis. Et quoniam consequentia quæ semel bona est, semper est bona, idcirco conditionalis vera est necessaria. At illatio & consecutio, quæ fit in his conditionatis locutionibus non est bona: ergo neque ipsæ locutiones, aut enunciationes sunt necessariæ, vt de se notum est, igitur neque possunt esse veræ. Vnde nonnulli Theologi hac difficultate pressi dixerūt scientiam, quam scriptura insinuat Deum habere de his futuris, solùm esse coniecturalem quandam cognitionem. In qua sententia veniunt enumerandi omnes illi qui censent in Deo vnicam præcise esse rationem cognoscendi certò futura cōtingentia, nimirum realem præsentiam eorum in mensura æternitatis. Quia cum huiusmodi futura non sint re vera aliquo tempore futura, etiam si alioqui sub conditione essent futura, non possunt vllo modo esse realiter præsentia æternitati. Quo fit, vt illi qui tantum hunc modum cognoscendi Deo attribuunt, consequenter negent futura hæc conditionata posse à Deo cognosci certò & infallibiliter, cum non sint habitura vnquam realem præsentiam, sed solùm coniecturaliter cognosci.

Argumenta pro secũdo modo dicendi.

ARGVMENTA huius sententiæ esse possunt. Quia sunt plura testimonia sacrarum litterarum in quibus Deus enunciat hæc futura conditionata, & in quibus Deus loquitur tanquam de re dubia, & ancipiti. Idque *Genesis. 3.* Genesis 3. insinuatur. Cū enim peccauissent Adā & vxor eius Eua, ejecti sunt de paradiso voluptatis, & ait Scriptura: *Nunc ergò ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.* In quibus verbis non significatur absolutè futurum illud conditionatum, videlicet Adam sumpturum esse fructum illius arboris, si in paradiso maneret, sed sub dubio loquitur propter occasionē, & facilitatem sumendi eum, quę loci opportunitas, & appetitus propriæ cōseruationis illi præbuissent, & cum hoc dubio exprimitur hæc eadem sententia apud Septuaginta interpretes, vbi sic habetur. *Et nunc ne quando extendat manum suā, & sumat de ligno vitæ, &c.* Et in Paraphrasi Chaldaica habetur. *Et nunc fortè extendet manum suā, & sumet de arbore vitæ.* Vnde ad explicandum hoc dubium Vatablus addit quædam verba dicens. *Et nunc periculum est ne fortè mittat manum suam, &c.* Sunt igitur plura exempla in sacro eloquio, in quibus fit sermo de his futuris conditionatis apposita particula fortè, quæ denotat denotationem aliquam, & non certitudinem. Hoc etiam constat ex illo Deuteronomij quarto, quo in loco Moyses, nomine Dei, *Deuteron.*

A sic populum alloquitur. *Custodite igitur sollicitè animas vestras, ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel fœminæ, &c.* Vbi prænunciatur tanquā res dubia hoc futurum conditionale, scilicet futurū esse, vt Hebræi conficerent sibi idola, si non vterentur sollicita custodia animarū suarum. Et Isaię 45. Deus ipse ait. *Prædixi tibi ex tunc, antequam veniret (scilicet mala captiuitatis) indicaui tibi, ne fortè diceres, idola mea fuerunt hæc & sculptilia mea, &c.* Quo in loco Deus prædicit tanquam rem dubiam hoc futurum conditionatum, nimirùm Iudæos dicituros esse mala ipsis immissa ab idolis suis, tanquam à veris Deis, si tanto tēpore ante non fuissent à Deo prædicta: & colligitur prædici hoc modo. Quia caulam propB pter quā id posset iudicari de Iudæis, ait Deus, fuisse inflexibilitatem, & impudentiam eorū, & idcirco præmiserat hæc verba. *Sciui enim quia durus es tu, & nervus ferreus cervix tua, &c.* Quæ causa nō erat sufficiens vt absolutè, & tā quam omninò certum iudicaret Iudæos id esse dicturos, sed solùm vt tanquam dubium & maximè probabile pronunciaretur. Et nō satisfacit dicere ad hæc testimonia illā particulā, fortè, in scriptura, cū attribuitur Deo, non importare dubitationē: quia neque Sancti qui hoc testimonio vtuntur hoc docēt, neq; de hoc loco, aut de vllo alio sacræ Scripturæ, neq; est vlla C ratio qua conuincatur, ita esse dicendum.

Isai 45.

AVGETVR difficultas hæc. Quoniā particula, fortè, in huiusmodi testimonijs sacrę Scripturæ potest sumi propriè, ita vt importet dubitationem aliquā absque vllo absurdo, vel cōtra fidem, vel contra rationē: igitur ita debet sumi. Consequentia probatur ex regula illa D. Aug. li. 3. de doctrina Christiana c. 10. videlicet quod voces in Scriptura sumi debent in significato proprio, quando ex eo nō sequitur aliquid dissonū fidei, aut rationi. Quæ regula recepta est ab omnibus Theologis, quia aliàs nihil posset certò colligi ex Scriptura: cum esset facile detorquere voces ad improprias significationes. Et antecedens probatur: Quoniam duobus modis potest dici quod particula, fortè, importet D dubitationem, nimirū vel ex parte Dei, & suæ cognitionis, & prædictionis, vel ex parte obiecti materialis. Primum repugnat certitudini diuinæ cognitionis, & prædictionis, non verò secundum. Quoniam non repugnat Deum certò omninò, & sine vlla dubitatione iudicare, & prædicere aliquod obiectum secundùm se esse rem dubiam, & magis inclinari, aut determinari ad vnam partem quam ad aliam, & satis est prædici hos effectus in his testimonijs cum hac dubitatione vt prædicentur tanquam res dubiæ. Hoc confirmari potest ex illo Exodi quarto cap. vbi Moyses audiuit à Domino signa quibus inducere posset AEgyptios, vt crederent ipsi, sic enim ait Dominus ad Moysem. *Si non crediderint tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis, quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audie-*

D. Augus.

Exodi 4.

rint vocem tuã, fume aquam fluminis, & diffunde eam super aridam, & quidquid hauseris de flumine vertetur in sanguinem. Vbi apertè prædicitur vt incertus & dubius secundùm se ille effectus futurus, nimirũ AEgyptios credituros esse Moysi sub hac conditione, si fuerint priora signa: & est apertum indicium huius dubitationis prouidisse Deum posteriora signa in casu, quo priora non haberent effectum.

Tertius modus.

TERTIVS modus dicendi est: huiusmodi propositiones de futuro conditionato neque esse veras, neque falsas determinatè, quatenus in eo statu conditionato sunt, posse tamen reduci ad aliquam veritatem si fiant quasi modales propositiones, vt si ita dicatur. Si hoc sit, illud vt in plurimum eueniet, vel probabiliter, vel frequenter, vel raro eueniet. Ratio huius est. Quoniam effectus, qui enunciantur de causa libera per tales locutiones, non habent vllam determinationem: ergò pari modo non possunt habere veritatem. Patet consequentia. Quoniam veritas locutionis pendet ex determinatione obiecti cum sumatur ex conformitate ad illud. Antecedens verò probatur. Quoniam hic effectus non est determinatus in causa cum ipsa sit indifferens, neq; ex ipso effectu: quia nullum habet esse, neque in tempore neque in æternitate in quo fundari potest determinatio futuritionis, & in hoc est magna differentia inter hæc futura conditionata, & inter absoluta. Quare in his videtur maximè habere locum quod Philosophus dixit primo de interpretatione capite octauo, Aristoteles & eius interpretes Toledo, & noster frater Arcisus Gregorius publicus professor Salmanticensis, & noster frater Ioannes del Pie del Puerto, lib. de interpretatione, futura contingentia non habere determinatam veritatem. Altera autem pars huius sententię per se est manifesta. Quoniam hæc futura possunt habere causas magis vel minus propensas & inclinatas ad effectum iuxta conditiones occurrentes vel circunstantias: igitur ex illis potest desumi aliqua determinatio, non simpliciter, sed modalis tantùm & secundùm quid.

Arcisus Gregorius.

Quartus modus.

QVARTA sententia est quæ dicit quod non colligitur ex testimonijs sanctarum Litterarum efficaciter Deum cognoscere certò & infallibiliter omnes hos effectus conditionatos futuros, de quibus est sermo nunc, secundùm eam rationem, qua sunt futuri. Quam sententiam non aliter probant quàm respondendo ad ipsa testimonia Scripturæ in particulari. Quæ testimonia adducenda sunt à nobis inferius pro nostra sententia, vbi impugnabuntur ea quæ dicunt auctores huius opinionis.

Quod Deus non cognoscat hæc futura conditionata quæ

QVOD autem Deus non cognoscat futura hæc conditionata, quæ nunquam erunt, seu melius quòd ipsa non sint cognoscibilia potest his rationibus suaderi. Prima est. Quia futura contingentia conditionata non sunt scibilia, neque cognoscibilia cum non habeant, neque habitura sint obiectum determinatum: ergò non possunt cognosci. Patet consequentia. Quia huiusmodi futura conditionata, quæ nunquam erunt, non habent rationem entis: ergò non sunt scibilia ab vllo intellectu. Secundò principaliter obijcio. Nã si Deus habet cognitionem certam de futuris cõditionatis, sequitur quòd Deus habet de aliquibus effectibus creatis scientiam independentem à voluntate diuina, & quòd habet scientiam de tututa duratione & existentia aliquarum rerum independenter etiam à diuina voluntate: quod videtur valde absurdum esse. Probatur sequela. Primò quia si Deus scit Petrum in tali occasione collocatum peccaturum esse, quamuis possit Deus velle, aut nolle permittere Petrum cõstitui in tali occasione, tamen quòd in tali occasione positus non peccet non potest Deus ipse impedire. Quia supponitur præsciuisse ita fore futurum, qua suppositione facta non potest repugnari illi. Secundò. Si Deus scit, & sciuit Petrum in tali occasione positum acturum esse pœnitentiam positis his & illis occasionibus, & circunstantis antecedenter ad omne decretum suum, licèt Deus possit velle aut nolle permittere Petrum constitui in tali occasione, tamen quòd positus in illo ordine rerum, & sub talibus circumstantijs non bene operetur si Deus intendat illi dare auxilium suum, id impedire non potest, quia id supponitur præsciuisse Deum ita euenturum fore, & hac suppositione facta independenter à diuina voluntate non potest repugnari illi: ergò, &c. Tertia ratione sic obijcio. Nam nulla ratio est cur potius Deus cognoscat, verbi gratia, Petrum in tali occasione positum, hoc facturum esse quã oppositum, aut cur creata voluntas libera in tali occasione factura sit hoc magis quam oppositum, quia non est maior ratio huius, quàm illius: ergo neutrum eorum cognosci potest. Cùm certum sit vtrumque cognosci non posse futurum esse.

nunquam erunt probatur.

Secũdo probatur.

Tertiò probatur.

RVRSVS quartò obijcitur ratio communis. Quia si Deus cognosceret huiusmodi propositiones conditionatas, pari modo cognosceret omnes alias, quæ ab intellectu nostro fingi & excogitari possũt: igitur etiam cognosceret omninò disparatas, in quibus nulla datur cõnexio, neq; causalitas inter extrema, vt si Paulus disputaret, æquus curreret. Præterea cognosceret huiusmodi conditionales, etiam si in communi proferantur, abstrahendo à singularibus personis, vel circumstãtijs, vt si leo creatur, erit niger, & aliæ similes, consequens falsum est: ergò. Sequela probatur: quoniã ad omnes has propositiones possunt applicari rationes factæ. Quoniam in eis possunt formari cõtradictoriæ: ergò tunc altera erit vera determinatè: ergò cognoscibilis: ergò cognita à Deo. Cõsequẽs autẽ videtur manifestè falsum. Quia in propositionibus omninò disparatis nõ appareret, quo pacto possit cognosci veritas earum.

Quartò probatur.

Quintò probatur.

QVINTÒ: si Deus cognoscit hæc futura conditionata antecedenter ad omne decretum suum, & cognoscit determinatè veritates eorum, sequitur Deum non potuisse liberè, & efficaciter, vel saluare, vel conuertere aliquem peccatorem toto tempore vitę suæ. Quoniam fortasse non prævidit illum bene vsurũ aliquo præueniente auxilio. Hoc namq; est quid cõtingens, cùm omninò simpliciter ex libertate arbitrij pendeat: ergò non repugnat ita fuisse euenturum in actu: igitur si id fingamus, & cõstituamus fuisse, iam non poterit Deus illũ vel eligere, vel efficaciter vocare. Imò verò hoc argumentum militat contra eos, qui ponunt scientiam mediam antecedenter ad diuinam voluntatem ad cognoscendũ futura contingentia absoluta ex penetratione volũtatis creatæ seu liberi arbitrij in se. A

ET confirmari potest præfatum argumentum. Quoniam si futura conditionata cognoscuntur à Deo certò & infallibiliter ex positione huius scientiæ mediæ, seu neutræ ne lędatur liberum arbitrium, sequitur idem dicendum esse de scientia absoluta futurorum contingentium. Quia vix habet maiorem difficultatem quàm sit in scientia absoluta, & in veritate determinata verorum futurorũ contingentium. Nam certè ex illo modo cognoscẽdi futurorum absolutorum, quem auctores prætati sequũtur, difficilicervalde explicatur negotium gratiæ efficacis, & negotium prædestinationis & reprobationis diuinæ. Quia ex illo modo cognoscendi prædestinationem, & gratiam Dei efficacem & bonum vsum liberum eius videtur sequi aliquam præscientiam meritorum fuisse rationem prædestinationis saltem vt conditionem sine qua non fieret. Rursus ex tali modo dicendi sequitur sine causa, & aliquo modo contra pietatem, & misericordiam suam Deum creasse aliquos, quos præuidebat nunquam bene vsuros gratiæ, atque ita limitasse auxilia sua prout vidit futura fuisse occasionem damnationis eorum. Nam sic videtur ex intentione creasse illos ad pœnam, & mortem æternam postquam præuidebat illos nunquam bene operaturos. B C

Sextò arguitur.

SEXTÒ: si iste modus cognoscendi Deo tribuitur, sequitur Deum præscire de sua voluntate quid volitura sit prius ratione, quàm intelligatur voluntas ipsa iam determinata ad volendum de præsenti: quod habet multa inconuenientia, & ingentem difficultatem, & præcipuè videtur hoc repugnare libertati Dei. Quia si præuisum fuit à Deo certò, & infallibiliter aliquid futurum, antecedenter ad suum decretum, non poterit Deus resistere suæ scientiæ infallibili voluntate sua, & alioqui scientia illa est dispositio intrinseca ipsius volentis, & idcircò determinans voluntatem eius. Quare etiã sequitur omnia futura prius esse determinata in scientia Dei, quàm in ipsius voluntate, ac proinde sequitur etiam in eodem etiam signo, non tantùm futura conditionata, sed etiam absoluta contingentia certò sciri & infallibiliter. D

Septimò arguitur.

SEPTIMÒ: alia via non minor difficultas occurrit circa hunc modum cognoscendi futura libera, siue absoluta, siue conditionata. Quia hic modus cognoscendi, qui Deo tribuitur à modernis, non potest deseruire ad explicandam rationem libertatis creatæ, aut operum liberorum, neque potest deseruire ad explicandam rationem diuinæ prouidentiæ etiam in operibus gratiæ liberis. Nam ad hoc explicandum requiritur quod ponatur hæc scientia prius secundùm rationem, quàm sit libera determinatio voluntatis diuinæ circa res ad extra agendas. Consequens autem non est verum. Tum quia si iste modus sciendi, seu hæc scientia est in Deo, illa non est merè necessaria, sed potius est contingens seu libera: ergò supponit ex parte obiecti liberam determinationem, saltem vt futuram aliquo modo: ergo multo magis supponit in ipsamet voluntate Dei liberam determinationem, non solùm vt futuram, sed etiam vt præsentem, & æternam. Probatur hæc consequentia: quia tam necessaria est voluntas diuina actu existens sub omni conditione suæ actualis existentiæ, sicut est voluntas creata in esse possibili, seu sub quacumque conditione vel occasione possibili. Vnde in quocunque signo rationis intelligitur cognita à Deo voluntas creata, vt possibilis in hac vel illa occasione: intelligitur voluntas increata vt existens ita dispositа ad volendum: ergo sicut ante illam scientiam voluntatis creatę supponitur vt futurum quid faceret illa voluntas in tali occasione, ita & in voluntate increata supponitur quid facit, & quid vult, quoniam iam tota illa causa non ponitur sub conditione, sed vt existens: ergò intentum.

Octauò arguitur.

OCTAVÒ. Nullum est in Deo decretum circa huiusmodi futura sub conditione: imò verò neque datur decretum permissionis in Deo circa illa, sed absque decreto Dei nullum futurum potest cognosci: ergò neque ista futura conditionata possunt cognosci. Quòd verò Deus circa hæc futura conditionata nullum habuerit decretum ostendi potest. Quia esset superfluum. Nam superfluum est ponere in Deo aliud consilium, vel aliam definitionem faciendi aliquid, quod nunquam euenturum est: consilium enim & definitio debent esse circa illa quæ re vera facturus est Deus. Nam si homines ipsi non solùm apud se ipsos statuũt, id quod re vera facturi sunt, sed etiam habent consilium & determinationem circa id quod sub conditione, si talis aut talis occasio se obtulerit, facere deberent, vel facturi essent: hoc ad humanam pertinet prouidentiam ex eo quod dubia & incerta est. Prouidentia autem Dei certissima & efficacissima est, quæ nec decipitur, neque impeditur: ergò frustra Deo tribuerentur huiusmodi decre-

ta sub conditione, quæ pro varijs occasionibus statuisset, & decreuisset apud se exequi opere ipso.

Non ex argumentatur.

Non ò argumentari possumus. Quia si aliqua ratione futura conditionata cognoscuntur, maximè propter veritatem quę in illis propositionibus reperitur, sicut de absolutè futuris dictum est: Sed futura sub conditione non sunt vera distinctè, & determinatè: ergò non possunt certò & infallibiliter cognosci à Deo. Nam profectò si vera esset propositio conditionalis, pari etiam ratione esset bona consequentia. Quoniam veritas illarum propositionum idem est quod bonitas consequentiæ: sed si esset bona consequentia similiter esset etiam necessaria. At necessaria esse non potest, quia tolleretur libertas: ergò nec potest esse vera propositio conditionata.

Tria præcipuè tractãda.

Difficilis valde & abstrusa satis videtur esse huiusmodi cõtrouersia, quę hoc seculo nata est, & à nobis tacta ante viginti annos, prima parte, quæstione 14. articulo 13. disputat. 7. & 8. in vltima nostri operis recognitione, & in ea inter plures & obscuras difficultates, de quibus dicemus occasione oblata, tres præcipuè difficultates occurrunt explicandæ. Prima est circa quæstionem: Vtrùm Deus cognoscat hæc futura conditionata, de quibus mota est controuersia præsens, & qualia sint hæc futura. Secunda est, an sit constituenda scientia media, quam moderni nouè constituunt ad cognoscenda non tantùm hæc futura conditionata, sed etiam futura libera contingentia absoluta, quæ verè futura sunt. Nam sentiunt sine hac scientia media eo modo posita, quo ab eis intelligitur, non posse conciliari libertatem voluntatis cum diuina præscientia. Tertia est de modo cognoscendi hæc futura conditionata, quæ in sacris etiam Literis cõtinentur.

Suppono 1.

Vt res hæc à nobis explicetur suppono cum discipulis D. Thomæ enunciationes illas de futuro conditionato, quæ non habent connexionem necessariam, sed solutam tantùm, non posse affirmari vllo pacto ex vi illationis, seu ex virtute antecedentis necessariò inferentis consequens, sed per modum cuiusdam simplicis affirmationis vnius de alio sub tali vel tali cõditione apprehenso, nisi quãdo suppositio & cõditio respectu consequẽtis habet intrinsecã cõnexionẽ, vt si Petrus currat tali die Petrus mouebitur. Si Petrus egerit tali die pœnitentiam, eo die habebit actum displicentiæ de peccatis. Qua propter si quis ita proferret, si Paulus hodie repertus esset hoc loco his circunstantijs positis, & hac occasione oblata occideret Ioannem, non asseueramus occisionem illam necessariò volituram esse à Paulo aut hoc necessariò esse facturum ex vi illius antecedentis, aut suæ conditionis, si ipse præsens adesset, ita vt talis effectus necessaria illatione inferatur ex præsentia, aut existentia eius, sed tantùm affirmamus talem effectum

A

re vera de facto fuisse vel fore copulandum, cum illa causa, si extitisset. Hoc satis plane constare potest ex communi sensu, & intentione omnium, qui ita loquuntur. Non enim volunt aut intendunt dicere aliquid per se falsum, sed potius aliquid quod est verisimile aut probabile, quia est valde conforme spectata conditione Pauli, & qualitatibus, atque conditionibus in eo occurrentibus, & hoc esse verisimile est certum, quod non esset nisi in eo sensu proferretur. Quare etiam sapientes non repellunt, aut reijciunt locutiones has & modum dicendi, neque ab illis dissentiunt vt à falsis enunciationibus, sed vel iudicant id quod dicitur valde conforme esse conditioni personæ, & occasionibus oblatis, vel suspendunt iudicium, & quamuis videant rem non esse infallibiliter certam, tamen illi parti assentiuntur tanquam maximè verisimili ex pluribus coniecturis, aut probabilibus rationibus, quibus innititur iudicium illud: ergò signum est in prædictis locutionibus non affirmari illationem ex vi antecedentis solùm,

B

sed tantùm affirmari coniunctionem vnius cum alio in tali euentu. Declaratur etiam ex re ipsa. Quoniam iste sensus affirmandi vnum de alio ex hypothesi non solùm non repugnat rebus significatis, verum etiam est consentaneus maximè rebus ipsis. Potestque id quod diximus manifestare, quoniam quidquid mẽte concipitur potest enũtiari ab aliquo, sed totum hoc mente concipitur: posito Paulo in tali occasione, & statu, non peccabit necessariò, poterit tamen peccare, & perpensis circunstantijs, & coniecturis omnibus rationabilius, seu verisimilius est Paulum peccaturum esse, igitur potest enuntiari de Paulo sub conditione talis occasionis, & status, simpliciter illum esse peccaturum. Dixi simpliciter, id est, potest enuntiari de illo quod sit peccaturus per propositionem de in esse, quia non est necessarium talem enuntiationem esse modalem, v.g. probabile esse vel contingens esse vt in plurimum illum esse peccaturum, sed simpliciter posse dici hoc per propositionem de in esse, vt dictum est.

C

Suppono secundo futura conditionata nõ sũt verè futura sed ex hypothesi.

Svppono secundò. Hęc futura conditionata de quibus est disputatio hæc, verè non esse futura, neque fuisse futura, neque habuisse initiũ veræ futuritionis, sed tantũ potuerunt esse futura ex hypothesi: quæ suppositio verissima est: quia absolutè loquendo illud verè dicitur esse futurum quod licèt non sit, tamen habitudinẽ est esse in aliqua tẽporis duratione, sed illa futura conditionata nunquã sunt habitura esse secundũ se in aliqua duratione tẽporis futuri, aut in aliqua mẽsura durationis, ergò non sunt verè futura, maximè cum esse futurũ sit differẽtia durationis in ordine ad illa quæ habitura sunt existentiam in illa mẽsura durationis, aut temporis: sed futura conditionata nunquã sunt habitura existentiam vt supponimus: ergò verè non habent futuritionem.

D

Tertio sup-pono.

SVPPONO tertiò. Hæc futura conditionata non posse certò & infallibiliter sciri in ipsa causa libera, seu in libero arbitrio creato antequam se determinet, quoniam causa libera vt sic est indifferens & indeterminata, & antequam se determinet effectus ipse liber non magis habet esse quam non esse in ipsa. Quæ doctrina communis est omnibus futuris liberis, siue absolutè futuris, siue conditionatis. Nam certè durum est & inintelligibile quod in ipsa indifferentia, & indeterminatione causæ ad esse, & non esse actus liberi, possit cognosci determinatio ipsius esse. Cùm igitur in ipso libero arbitrio creato quantumcumque comprehendatur sit indifferentia, quæ ad libertatem requiritur, & indeterminatio ad esse & non esse actus liberi, sequitur quod ille non potest certò & infallibiliter cognosci in natura & ingenio ipsius liberi arbitrij creati. Quam suppositionem constituo propter nouos aliquos Theologos, qui oppositũ dixerunt.

Prima Conclusio.

Conclus. 1. Deus cognoscit futura conditionata certè & infallibili cognitione cui non potest subesse falsum.

HIS ita prælibatis: dico primò. Deus cognoscit futura conditionata, certa & infallibili cognitione, cui non potest subesse falsum. Hæc assertio intelligitur non solùm de futuris conditionatis, quæ in sacris Literis continentur, sed etiam de futuris conditionatis quibuscumque alijs non repugnantibus. Et quidẽ de futuris conditionatis quæ in sacris Literis continentur non solùm non est tutum id negare, sed neque vllo pacto ferendum. Vnde Deus certa & infallibili cognitione comprehẽdit de vniuersis causis liberis, non solùm quid facere possunt, sed etiam quid facturę essent, si ex hypothesi in tali occasione & statu collocarẽtur. Ex sacris Literis apertè cõstat veritas assertionis propositæ: nam 1. Regum cap. 23. vbi Regius Propheta Dauid Deum consuluit vtrùm Saul descensurus esset in Ceillam, si ipse maneret ibi. Cui responsum est à Domino. *Descendet Saul.* Et rursus rogãte Dauid, an si ipse maneret & Saul veniret, seu descenderet, ciues Ceillę traditurі essent ipsum Sauli. Respondit Dominus ad vtrumque. *Et Saul veniet, & hi tradent te.* Quo audito aufugit Dauid, & neq; Saul venit, neque ciues Ceillæ tradiderunt ipsum. Ex his constat Deum prædixisse duos effectus liberi arbitrij, qui non erant absolutè futuri, sed sub conditione, nimirum aduentũ Saulis in Ceillam si Dauid in ea maneret, & traditionem Dauidis faciendam à Ceillitis si Saul veniret ad eos, & ita neutrum effectum fuisse re ipsa subsecutum, sicut neque conditio fuit posita. Vnde tota veritas illius reuelationis posita est in illis conditionalibus: si expectaueris, veniet Saul. si Saul venerit, tradent te, quæ sunt liberę & contingentes. Simile testimonium videtur esse illud quod legimus 4. Regum 13. vbi Eliseus dixit ad Ioas Regem Israel. *Si percussisses quinquies, aut sexies, siue septies, percussisses Syriam vsque ad consummationem.* Quo in loco Eliseus prædixit Regi hoc futurum conditionale, scilicet fore ab eo deuastandam Syriam, si designatis vicibus percussisset terram iactibus sagittarum, & sicut conditio non est posita, ita neque effectus est subsecutus. Et non multum recedit ab vtroque testimonio Scripturæ id quod Hieremiæ 38. Sedechiæ roganti quid esset facturus in eo periculo in quo ipse cum ciuitate erat constitutus: Respondit Hieremias nomine Dei his verbis. *Si profectus exieris ad Principes Regis Babylonis viuet anima tua, & ciuitas hæc non succendetur igne, & saluus eris tu, & domus tua, si autem non exieris ad Principes Regis Babylonis tradetur ciuitas hæc in manus Chaldeorum, & succendent eam igne, & tu non effugies de manu eorum.* Vbi Hieremias prædicit vtrumque extremum contradictionis, vt futurum sub conditione, & ex eis primum fuit è numero eorum futurorum conditionatorum de quibus nunc est sermo, quia neque conditio est adimpleta ex parte Sedechiæ, neque ipsum est subsecutum vt constat ex his quæ eodem capitulo sequuntur, & in principio capitis 39.

Hieré. 38.

Intendunt aduersarij soluere hoc argumentũ ex sacra scriptura.

HVIC argumento firmo & efficaci & ex diuina Scriptura desumpto nonnulli ex iunioribus respondere conantur ex doctrina D. Thomæ prima parte quæstione 19. articulo 7. ad 2. vbi affirmat Deum velle vt multa sint futura secundùm ordinem, & dispositionem secundarum causarum, quę tamen secundũ dispositionem voluntatis inæ non sunt futura, & è conuerso. Et ideo Deum aliquando prænuntiare aliquid vt futurum secundùm quod continetur in ordine causarum inferiorum, vt putà secundùm exigentiam naturæ vel meritorum, vel occasionum & circunstantiarum: quod tamen re ipsa non fit. Quia aliter est dispositum in superiori causa diuina, & adducit exemplum illud Isaiæ 38. de Rege Ezechia cui prædixit Dominus. *Morieris tu, & non vines.* Quod etiam est conditionaliter futurum, scilicet si non egeris pœnitentiam, vt patet ex sequentibus: & tamen hoc prædictum fuit secundùm exigentiam causarum secũdárum, hoc est habitudinis & dispositionis corporis & meritorum, & non secundùm dispositionem diuini consilij, & idcirco re ipsa non fuit factum, & ita saluatur infallibilis veritas illius vaticinij cum incertitudine effectus prædicti. Quia per illud vaticinium non fuit prædictus huiusmodi effectus vt absolutè futurus, sed secundùm exigentiam causarum secundarum. Hoc suppositò respondent duo illa verba contenta in testimonio citato, nimirum: Descendet Saul, & tradent te. quibus Deus respondit ad interrogationem Dauidis, quamuis videantur significare futuros esse certos omnino infallibiliter duos illos effectus, tamen accipi posse ita vt significent eos vt futuros

Isai 38.

certò moraliter tantùm, id est quantum erat ex parte propensionis causarum, & omnium circunstantiarum, & remotionis impedimentorum, tam ex parte rei, quàm ex parte omnium occasionum, sicut in exemplo adducto Isaię dicebamus ex mente Diui Thomę, vbi illud verbum, morieris, & non viues, quamuis fuerit absolutè prolatum debuit intelligi de certitudine mortis secundùm ordinem secundarum causarum, & in nostro casu videtur esse maior ratio, vt dicatur hoc propter maiorem incertitudinem, quam habent duo illi effectus ex natura sua.

Secũdo respondent.

SECVNDÒ respondent alij volentes eneruare prædictum testimonium, ne sit efficax ad probationem nostræ sententiæ, & ferè redit in idem. Quod in prædicto testimonio reuelatur quidem futurum contingens, sed in causa ex qua necessariò sequeretur si conditio esset posita, quod esse potest sine repugnantia. Nam quamuis causa sit libera, tamen posito actu aliquo libero potest alius necessariò sequi ex ipso, aut ex permanentia eius, sic ergò dicunt habuisse Saulem talem dispositionem liberam voluntatis suæ contra Dauid, vt visa & cognita dispositione illa non tanquam conditionaliter futura, sed tanquam præsente, in ea Deus cognouerit quod si Dauid non ausugeret infallibiliter Saul ex vi talis affectus iret ad comprehendendum, & capiendum ipsum, & pari modo dicendum est proportionabiliter de ciuibus Ceilę, ita nimirum affectos fuisse, & perterritos timore Saul, vel amore ciuitatis suæ, ne vastaretur à Saule, vt occasione illa oblata ex illo affectu infallibiliter oriretur talis effectus.

Impugnantur solutiones.

SED profectò mihi videtur testimonium illud efficax esse ad probandum Deum habere certam & infallibilem cognitionem horum futurorum conditionatorum. Primò, quia Deus absolutè respondet, descendet, & tradent te. Secundò, quia non est ferendum veritatem diuini oraculi restringere & coarctare, aut aliò diuertere quã ad intentionem Dauidis petentis certam responsionem suæ interrogationis, & ad has angustias eam reducere. Tertiò, quoniam Dauid qui ita consulebat Dominum, certò supponebat, firmiterque credebat non posse latere Deum vllo pacto, neque in hoc, neque in alio quouis euentu quid in eo negotio facturus esset Saul, si ipse expectaret apud Ceilam, & ob id absolutè & simpliciter interrogauit, & consuluit Dominum: ergò fatendum est prædictum testimonium probare quod intendimus. Quartò, quia si responsio data Dauid esset conformis interrogationi, tunc Dauid non interrogasset simpliciter prout verba sonant, sed quid Saul facturus esset secundùm præsentem affectum, quem tunc habebat. Quintò, quia hoc quod ab aduersarijs respondetur non erat ignotum, aut incognitum ipsi Dauid, nimirum quid actu-

A

rus esset Saul secundùm affectum quem habebat, sed quid re vera euenturum erat in fato esse, & re ipsa quod Dauid non certò sciebat, & scire cupiebat. Sextò, contra secundam responsionem quæ non firma neque certa est arguitur. Quia ad cognoscendum infallibiliter vnum effectum liberum in præuio aliquo affectu non sufficit intueri talem affectum in voluntate pro aliquo tempore, sed necesse est videre affectum illum durare in tali voluntate vsque ad id tempus pro quo videtur aut prædicitur futurus esse talis effectus, verbi gratia, siquis nunc hora tertia sit in actuali odio Pauli cum efficaci proposito occidendi illum, aut vindicandi se de eo, non poterit in tali affectu cognosci quod si hora sexta occurrat illi Paulus cum occasione sumendi vindictam de illo, sumet illam de fa-

B

cto, quia potest mutari, aut impediri tunc, ex motiuis quæ occurrere possunt, nisi simul videatur affectus ille vt præsens & durans vsque ad illam horam aut punctum, imò verò vsque ad actualem voluntatis determinationem, quia potest facile mutari voluntas illius, vt dictum est, neque effectus hic sequitur infallibiliter ex illo affectu, vt præcesit, sed vt simul est in eodem pũcto cum ipso effectu. Cæterùm in casu nostri argumenti, & reuelatione facta Dauid, non est certum, aut Saul, aut ciues Ceilæ perdurasse semper in actuali illo odio, vel alio simili affectu pro omni illo tempore, potisimè pro illo, quo futurus esset effectus ille si Dauid permaneret apud Ceilitas. Imò verò rationabilius est

C

postquam ausugit Dauid Saul, & cæteros diuertisse mentem, & ad res diuersas attendisse. Quare secunda solutio inualida est omninò.

SOLENT alij melius respondere, nimirum responsum Dei ad Dauid debere intelligi, fuisse datum ad id de quo Dauid ipsum petebat, & idcircò sicut Dauid non interrogauit Deum vtrùm Saul esset descensurus, & vtrùm Ceilitæ essent ipsum trahituri: sed an Saul pararet expeditionem animo veniendi in Ceilam, vt eum cum suis perderet, &

D

an Ceilitæ haberent firmum propositum tradendi ipsum Sauli, ita etiam Deum non respondisse de eo quod Saul, & ciues Ceilæ essent facturi, sed de eo de quo ipsi tunc agebant, scilicet Saulem parare descensum suum in Ceilam cum exercitu, vt Dauidem & suos perderet, & Ceilitas audita fama aduentus Saulis decreuisse tradere ipsum Dauidem Sauli, in quo responso nihil futurum prædicitur Dauidi, sed tantùm id quod erat præsens, & ipsi occultum, & incertum manifestatur vt omninò certùm. Hæc interpretatio habetur in glossa ex auctore primæ additionis ad Lyranum in eo loco, & potest hoc colligi & fundari primo ex ipso contextu. Nam paulò superius sic habetur. *Quod cum Dauid resciisset, quia*

præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar Sacerdotem: Applica Ephod. Et ait Dauid: Domine Deus Israel audiuit famam seruus tuus quod disponat Saul venire in Ceilam vt euertat vrbem propter me. Vbi significatur quod occasio cur Dauid motus fuerat ad consulendum Deum fuit, quoniam audiuerat Saulem machinari aduersus eum malum clam, secretò, & quasi ex insidijs, & simul timuerat, ne ciues Ceilæ tradere eum vellent Sauli. Et ex hoc factum est vt Dauid de his duobus rogaret Dominum: scilicet: An Saul id moliretur, & an Ceilitæ in tale consilium incidissent. Quod tamen ex paraphrasi Chaldaica colligi potest hoc, in qua apertè exprimitur iste sensus, quia in ea sic habetur. *Nunc cogitantes tradere me habitatores Ceilæ in manu illius. Num cogitat descendere, iuxta id quod audiuit seruus tuus Domine Deus Israel? indica nunc seruo tuo.* & dixit Dominus: *Cogitat descendere.* & dixit Dauid. *Num cogitant tradere habitatores Ceilæ me, & viros meos in manum Saulis?* Et dixit Dominus. *Cogitant tradere.* Sed de hoc modo fugiendi efficacem veritatem argumenti dicemus infra: quidquid sit de interpretatione predicta, quam non negamus posse adaptari, ipsi Scripture sacræ.

RELIQVA duo testimonia quæ à nobis adducta sunt in argumento pro nostra sententia conantur etiam dissoluere illi auctores qui tenent quartam sententiam, nimirum duo illa testimonia posse intelligi de certitudine morali futuritionis vtriusque effectus, scilicet quia si Rex Ioas multoties iaculare sagittas in terram, Deus ita præparasset omnia necessaria, vt si ipse exiret ad bellum posset facile deuastare vniuersam Syriam, & similiter si Rex Sedechias se offerret Chaldeis flecteret ipsos ad clementiam, ita vt posset ab eis certò moraliter sperare sibi & ciuitati salutem, quod Deus potuit infallibili scientia cognoscere esse hoc gradu certum, quia non solum sciebat esse cõmunem omnibus hominibus propensionem quandam naturalem ad condolendum de his, qui eorum potestati se subijciunt, sed etiã perfectissimè comprehendebat actualẽ dispositionẽ cordis Chaldeorũ ac intimas cogitationes eorum, & secretissima cõsilia. Rursus auctores eiusdem sententiæ aliam etiam interpretationẽ adducũt ad præfata testimonia, affirmantes in illis duabus testimonijs prędici à Deo duos illos effectus, scilicet deuastationem Syriæ faciẽdam à Rege Ioas, & salutem concedendam Sedechię à Chaldeis, vt futuros omninò certò, & infallibiliter, & non tantùm moraliter ex vi suæ ptædefinitionis, & volitionis absolutè scilicet, quia absolutè definierat, & statuerat apud se futuros esse duos illos effectus si apponerentur cõditiones ibidem expressę, & ex vi huius determinationis disponeret media ex quibus infallibiliter proueniret executio ipsorũ, quod Deus in his casibus præstare posset multis modis, (omittamus modo determinationẽ arbitrij creati) vel addendo vires vni parti, siue ratione alicuius Angeli in eius auxilium missi, siue specialiter confortãdo eius facultatem naturalem ad pugnandum, vel imminuendo eas alteri, parti, siue infirmitatibus, siue immisso terrore respectu inimicorum, aut alijs rationibus Deo notis & possibilibus, quãuis nobis ignotę sint, sicut in plerisque locis dici solet Scripturæ; in quibus Deus promittit alicui se traditurum in manus eius inimicos suos, vel daturum ipsi victoriam de illis. Verum in hac re dicemus de his testimonijs, & præcipuè de prima & secunda solutione inferius. Nunc vlterius progrediar ad probandam nostram assertionem: nam interpretatio hæc vltima potius fauet nostræ sententiæ.

SECVNDÒ vtor illustri testimonio Matt. 11. ad impugnandam quartam sententiam, & ostendendam futuritionem futurorum conditionatorum certò, & infallibiliter à Deo cognosci, maximè eorum, quæ in sacro eloquio cõtinentur. Nam Christus exprobrans Corozain & Bethsaidę Matthæi 11. inquit. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Quę verba etiam habentur Lucæ 10. capite In quibus Christus prædicit hoc futurum scilicet Tyros, & Sidonios facturos esse pœnitentiam sub hac conditione, si apud eos fierent eadem miracula, & eædem virtutes quæ in illis duabus ciuitatibus factæ fuerunt, & tamen illud futurum verè fuit de numero eorum conditionalium, de quibus in hac quæstione loquimur. Quia neq; ipsum est re vera subsecutum, cùm Tyrij, & Sidones non egerint pœnitentiam, neque conditio fuerit posita, cùm illæ virtutes illaque miracula non fuerint apud eos facta. Et ad hoc testimonium potest reduci illud Ezechielis 3. *Non enim ad populos profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris ad domum Israel, neque ad populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones, & si ad illos mitteris ipsi audirent te.* Quia etiam ibi prædicitur hoc futurum conditionatorum, nimirũ Prophetam etiam si mitteretur ad vnum populum, vel ad multos ignotos sibi, ignotæ etiã atque difficilis linguæ fore ab eis audiendũ. Huic autem testimonio Matthæi non possunt adaptari præcedentes expositiones. Nam vel ex hoc testimonio colligitur Deũ cognoscere futura conditionata, tantùm secundùm rationem possibilis aut etiã secundùm rationẽ futurorũ. Nã supponimus apertè colligi cognoscere ea, atq; adeò si cognoscuntur, secundũ alteram harum rationũ debent cognosci. Primum dici nõ potest, quia in illis testimonijs prædicuntur à Deo hæc futura nõ solùm vt possibilia, sed etiam vt futura. Tum quia prędicantur à Deo vt futura, & non vt solùm possibilia. Tum etiam quia aliàs etiã homo prudẽs aut Angelus posset secundùm communem modum loquẽdi, & sentiẽdi hominũ, quid simile dicere. Imò verò

Matth. 11.

Ezechiæ. 3

cum futura aliqua interrogantur à Deo, vt A
constat ex primo argumento, non rogantur vt posſibilia ſed vt futura, quia aliàs homo prudens aut Angelus poſſet optimè reſpondere conſultationibus factis de huiuſmodi futuris, quoniam poſſunt perfectè cognoſci vt poſsibilia tantùm: ergò in omnibus citatis teſtimonijs ſupponitur Deum cognoſcere futura, vt futura ſunt. Quoniam ſine hac cognitione Deus ea non prædiceret vt futura, cum prædictio præcedat, & non poſsit vltra eam extendi. Si autem dicatur ſecundum, ſequitur colligi efficaciter ex illis teſtimonijs Deum cognoſcere omninò certùm & infallibiliter huiuſmodi futura, vt futura ſunt. Quoniam omnis cognitio quæ Deo conuenit debet eſſe certa, & infallibilis. Deo enim non poteſt conuenire incerta & fallibilis cognitio. Nam Deo quantum eſt ex natura ſua repugnat B
falſitas & deceptio: igitur ſi ex prædictis teſtimonijs apertè colligitur Deum cognoſcere hæc futura, vt futura ſunt, etiam colligitur efficaciter ſaltem medio hoc diſcurſu cognoſcere ea omninò certò & infallibiliter.

TESTIMONIO Matthæi 11. & Lucæ 10. Nonnulli ex iunioribus reſpondent, nimirum illi qui ſequuntur quartam ſententiam, quod cum dicitur minimè ex ſcriptura colligi efficaciter Deum cognoſcere hæc futura conditionata, id debere intelligi de ipſis futuris conſideratis abſolutè vt coniunguntur conditioni ſub qua dicuntur futura, non tamè vt ſub ordinantur determinationi Dei, qua Deus decreuit, ſi poneretur talis cõditio facere aliquid, C
ex quo infallibiliter proueniret tale futurum, & ita admittunt multi prædici à Chriſto eo loco conuerſionem Tyriorum & Sidoniorũ ſub hac cognitione. Sed quidquid ſit de hac reſponſione, de ea dicturi ſumus ſuo loco, & examinabimus eam. Alij Scholaſtici Theologi alias aſsignant ſolutiones. Prima eſt, quæ dicit Chriſtum his verbis non prædixiſſe quid eſſet futurum omninò certò & infallibiliter, ſed quid eſſet futurum certò moraliter, & cum maxima probabilitate quantum erat ex parte diſpoſitionis illorum hominum ſi apud eos factæ fuiſſent virtutes, quæ in illis duabus ciuitatibus factæ fuerant. Quæ expoſitio D
D. Hilar. inſinuatur à Diuo Hilario Canone 11. ſuper Matthæum, vbi interpretans verba Matthæi ſic ait. *Non ſolùm Tyrij & Sidonei ſed ipſa etiam Sodomorum, & Gomorrorum facient leuia peccata: quia fortè illis credendi fuiſſet effectus, ſi talium virtutum contemplatio contigiſſet.* Quo in loco Diuus Hilarius non dicit aſſertiuè eos fuiſſe credituros, ſed ſub dubio, quod explicuit appoſitione particulæ, fortè. Et deinde videtur hoc colligi ex ipſo cõtextu. Nam cum Chriſtus vellet his verbis exprobrare illis duabus ciuitatibus duritiem, optimè intelligitur qua ratione id fuerit ab ipſo præſtitũ. Fecit enim Chriſtus hanc argumentationẽ. Si hæc ſigna fierent apud Tyros, & Sidonios præuentos ſufficienti auxilio, & miraculis, poſſet iudicari eſſe maximè probabile habita ratione ſuæ difficultatis, ſuæq; diſpoſitionis ad reſiſtendum, tanquam moraliter certũ & probabiliſsimum eos eſſe credituros, id tamen de vobis iudicari non poteſt, cum omnibus notũ ſit ex veſtris operibus, & vobis ex interno effectu valde eſſe alienos ad credendũ, quare maior eſt duricies, & pertinacia veſtra quam illorũ. Et præterea, quoniam paulò inferius ſic habetur. *Et tu Capharnaum nunquid vſque in cælum exaltaberis? vſque in infernum deſcendes, quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in te fortè manſiſſent vſque in hũc diem.* Vbi particula fortè eã vim habet vt denotet incertitudinẽ aliquam & dubitationẽ ex parte effectus, ſcilicet pœnitentiç, qua poſita manſiſſent ciuitates illæ, hoc eſt non fuiſſent euerſæ. Et videtur neceſſariò concedendum hanc particulam eſſe ſubintelligendam in verbis de quibus agimus, non ſolũ quia idem fit argumentum contra homines illarum duarum ciuitatum deſumptum ex pœnitentia Tyriorum, & Sidoniorum, quæ eodem modo pronunciatur futura, ſi apud eos miracula facta fuiſsẽt, ſed etiam quia in Græco poſt vocẽ olim habetur particula an, pro qua noſter interpres ſecundo loco vertit fortè, & videtur eã in priori ſuppreſsiſſe, quia exiſtimauit ſatis eſſe apponere eam in fine totius ſententiæ.

HOC impugnari ſolet & poteſt. Quoniam particula fortè, & aliæ ſimiles, quæ vim habẽt dubitandi in loquente cum tribuuntur Deo in ſacris Literis, vel alicui perſonç, cui ratione materiæ de qua loquitur repugnet dubitatio, non important dubitationem, ſed apponuntur propter alias cauſas, inter quas vna eſt ad oſtẽdẽdũ homines habere libertatẽ arbitrij, & eã non ædi propter præſcientiam Dei. Secunda cauſa eſt ad denotandũ rei difficultatem, & paucitatẽ eorum, qui facturi ſunt id quod dicitur. Hoc docẽt D. Gregorius homi. 9. in Ezechielem D. *S. Gregori.* Hieronymus in illud Hieremiæ 26. Noli ſub *D. Hieron.* trahere verbum ſi forte audiant, & in illud Ezechielis. Et dices an Deo, &c. Theodoretus *Theodoret.* vtrobique. D. Auguſtinus pſalm. 2. in illud. Ne *D. Auguſ.* quando iraſcatur Dominus & pereatis, &c. Et tractatu 37. in Ioannem in illud. Neque me ſcitis. Chryſoſtomus homilia 78. in Matthæũ *Chryſoſto.* in illud. Fidelis ſeruus & prudens. & Diuus Ambroſius libro ſecundo de pœnitentia capite *Ambroſius* 5. multa dicit ad oſtendendum particulam hãc neque in ſcriptura, neque apud prophanos auctores importaſſe ſemper dubitationem: quod optimè aduertit Caietanus ſuper Matthæum *Caietanus.* capite 11. vbi particulam fortè pro vtique interpretatur ſine dubitatione vlla, idque latè aduertit Ribera Ioelis ſecũdo numero 22. & 23. Euſebius libro ſexto de præparatione Euange- *Euſebius.* lica capite nono, & Ianſenius, Titelmanus, *Ianſenius.* & alij Matthæi 11. vbi noſter interpres *Titelman.* vertit forte, dicunt haberi in Græco particulam. xu. quę idem valet quod Latine

vtique

vtique vt Caietanus ante illos aduertit, atque adeò non est dubitantis, sed affirmantis sine dubitatione vlla. Ex quo constat testimonium adductum efficax esse ad ostendendam assertionem nostram.

QVOD verò dicit Iansenius in Concordia cap. 47. Christum non dixisse illa verba: Olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent, ex præscientia quam haberet eius quod ibi homines essent facturi si apud eos factæ fuissent virtutes, quæ in illis duabus ciuitatibus factæ fuerant, sed ex quadam accomodatione ad vulgarem, & consuetum modum loquendo, quo homines vtuntur cum vel ad exprobrandam, vel ad commendandam rem aliquam vtuntur argumẽto à comparatis cum quadam exaggeratione, quod euenit cum homines ad significandum magnitudinem ingratitudinis, & infidelitatis alicuius dicere solent: Si tot beneficia in inimicũ contulissem, maiorem in eo gratitudinem essem expertus, aut si ita me gessissem cum fera aliqua eam ad mansuetudinem reduxissem: sic ait Iansenius Christum accommodasse sermonẽ suum huic nostro modo loquendi, vt significaret obstinationem maximam illarum ciuitatum quæ sua prædicatione nõ fuerant emolitę ad pœnitentiam, & vt vitium hoc ipsis exprobraret dixit: *Quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent.* Hoc inquam quod Iansenius ait, quamuis quoad interpretationem loci illius, quatenus dicit Christum vsum fuisse communi, & cõsueto modo loquendi hominum prudentum ad exprobrandum ciuitatibus illis verum sit, tamẽ quod Iansenius ait Christum non dixisse illa verba: olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent, ex præscientia, id quidem sustineri nõ potest. Nam cum absolutè Christus id dicat & nullum sit inconueniens ex præscientia Christum id dixisse, nulla potest subesse ratio & causa, cur id non ita esse intelligamus, quod ex præscientia dixerit. Quòd verò hæc verba Christus in modum cuiusdam exprobrationis dixerit propter illarum ciuitatum duritiem, similiter non potest esse dubium, vt constat ex verbis in contextu positis, quæ ita habent. *Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus illis, quod non egissent pœnitentiam.* Induratur enim peccator culpa sua, cum prœuentus multis auxilijs, & diuinis inspirationibus alijsque motiuis non vult conuerti, iuxta illud Pauli ad Romanos secundo. *Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, tu autem secundùm duritiem tuam, & impœnitẽs cor thesaurizas tibi iram.* Tandem hãc exprobrationẽ explicari posse secũdum communem modum loquendi hominum patet. Primò: quia hoc non repugnat præscięntiæ Christi. Secundò quia in hoc nulla est contrarietas neque inconueniens, cùm sit regula ab omnibus recepta Scripturam multa dicere hoc modo. Nimirum iuxta consuetum & cõmunem modum loquendi hominum: & aliquã do iuxta opinionem vulgi illius temporis quo gesta referuntur: quod adnotauit optime Martinus Cãtapetrensis libro nono hipotyposeõ, regula secunda, & plerisque exemplis scripturæ confirmat, & Ribera Amos secundo numero decimo nono, & noster Magister frater Petrus à Salazar, in hac vniuersitate Salmanticensi primus linguæ Hebrææ publicus professor in codicibus, in Amos. Et non est contra hoc id quod supra retulimus ex Diuo Augustino, scilicet voces in sacra Scriptura accipiendas esse propriè, nisi ex eis sequatur aliquid contra rationem, vel aliquod absurdum, seu inconueniens contra fidem. Nam hoc intelligitur de acceptione vocum in significatione propria, vt opponitur contra metaphoricam, at verò cum dicimus scripturam loqui iuxta communem modum loquendi hominum, non dicimus sumi voces metaphoricè, sed propriè, quamuis modus loquendi pertineat ad phrases. Nec hoc derogat certitudini diuinarum reuelationum, quia non est eadem ratio explicandi verba in quibus continentur, neque ex difficultate, aut impossibilitate rei quæ videtur significari, nec ex modo loquendi.

Magister Petrus à Salazar.

EX quibus omnibus apertè constat præfatum testimonium Matthęi 11. efficax esse ad ostendendum Deum certò, & infallibiliter cognoscere hæc futura conditionata. Quod si iterum obijcias Christum Dominum non dixisse illud, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent, quoniam re vera id ita euenturum esset, posita conditione illa ex eius præscientia, sed solùm ex phrasi quadam, & vsitato loquendi modo, veluti per exaggerationem quandam ad significandum quanta obligatione tenerentur Iudæi ad credendum ipsi Christo, sicuti amicus quando amicum rogat vt aliquid faciat, si nihilominus id neget & renuat, dicere solet quis: Sane si hoc petijssem ab inimico, id mihi condonaret. Sed profectò huic interpretationi obstat regula generalis interpretandi Scripturam, quæ semper quoties cõmodè fieri potest semper cum proprietate interpretanda est. Obstat etiam Secundò, quia hoc modo non parum derogatur veritati verborum Christi, & reuelationi Prophetiæ, atque certitudini. Quia si licet cuicunq; hoc modo interpretari scripturam pro arbitrio suo, fere nihil firmum haberemus in scriptura sacra. Tertiò obstat Diuus Augustinus libro secundo de bono perseuerantiæ capite nono. vbi inquit. *Numquid possumus dicere Tyrios, & Sidonios talibus apud se virtutibus factis, credere noluisse? Cum eis Dominus attestetur quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam.* Ergò ex sententia Augustini cognouit Deus futurum illud conditionatum. Quare capite decimo sequenti Augustinus duo colligit ex allegato testimonio, quorum primum est: Non iudicare homines ex ijs quæ acturi essent, si hoc vel illud eis accideret, licèt Deus hoc nouerit certò, sed ex his quæ faciunt. Secundũ

Roman. 2.

D. Augu.

est,

est, gratiam præuenientem interdum non dari illis quos Deus nouit benè vsuros fuisse illa: dari verò eis qui malè vsuri sunt, quod Augustinus affirmat esse vnum ex reconditis arcanis prædestinationis diuinæ. Legendus est in Enchiridio cap. 93. vbi pro nobis militat, & verba eius fauent nostræ assertioni. Diuus Prosper in respons. ad excerpta Genuens. respons. 8. interpretans locum Matthæi 11. & Augustinus lib. 2. de bono perseuerantiæ cap. 14. apertè dicit hæc verba. *Nos etiam si rationem facti, & profunditatem iudicij eius penetrare non possumus, manifestissimè tamen scimus, & verum esse quod dixit, scilicet Christus, & iustum esse quod fecit.* Hæc Prosper.

D. Prosper

A

Rvrsvs ex his quæ dicta sunt colligitur etiam apertè, non esse conformem satis testimonio Matthæi interpretationem illam, quæ affirmat in huiusmodi reuelationibus conditionalium futurorum, non prædici effectum infallibiliter futurum, etiam posita conditione, sed tantùm reuelari id ad quod magis propensæ sunt causæ, tanquam verisimilius futurum. Quia plerunque in huiusmodi reuelationibus ponitur illa particula fortè, & quoniam in reuelationibus, & Prophetijs commonitorijs, seu promissionis sæpissimè oportet vti hoc modo interpretandi, & subintelligere conditionem, scilicet si causæ non mutentur: ergo, id etiam fieri potest, vt videtur in præsenti.

B

Sed profectò hic modus dicendi quantum attinet ad præsens institutũ nulla ratione videtur esse admittendus. Quoniam vt Diuus Augustinus libro de vnitate Ecclesiæ cap. 9. adnotauit valdè derogat certitudini Prophetiæ, & veritati scripturæ Sacræ hæc libera licentia interpretandi scripturam, vel addendo aliquid illi, vel subtrahendo, aut pro arbitrio cuiusque subintelligendo. Quod præcipuè verisimum est. Quoniam Deus in prædictis locis non inquit verisimile esse aliquid esse futurum, aut verisimile esse hoc esse euenturum, sed absolutè, & simpliciter dicit hoc erit, vt constat ex responsione data Dauid 1. Regum 23. in qua Deus respondit Dauidi. *Et Saul veniet, & hi tradent te.* Et ex illo 3. Regum 11. *Certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos alienos.* Et Ioannis 6. capite dicitur de Christo. *Cum sciret quia venturi essent, vt facerent eum Regem.*

D. Augus.

1. Regu. 3.

3. Reg. 11.

Ioannis 6.

C

Qvòd si dicas plerisq; locis reponi in sacra Scriptura particulam fortè ad denotandam incertitudinem horum futurorum conditionatorum: de hac re supra attulimus responsionem ex Sanctis Patribus, & accedit etiam Diuus Gregorius homilia 9. in Ezechielem circa illa verba. *Si fortè vel ipsi audiant.* Vbi ait particulam fortè non significare dubitationem in Deo, sed paucitatem eorum qui responsuri erant. Et pari modo particula fortè Matthæi 11. indicauit arbitrij libertatem eorũ, qui acturi erant pœnitentiã non tamẽ incertitudinẽ scientiæ, aut dubitationẽ prædicationis Christi. Quia potius denegãda esset omninò scientia istorum futurorum cõditionatorum, quàm ei tribuere incertam & coniecturalem quandam cognitionem, quæ falsitati esset exposita.

D. Gregor.

D

Tertivm testimonium sacræ Scripturæ potest esse illud Geneseos 11. ad confirmationem nostræ assertionis, vbi legimus. *Ecce vnus est populus, & vnum labium omnibus: cæperunt que hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant.* Vbi Deus prædicit effectum, nimirum homines illos perducturos esse ad finem vsque opus inceptum, non tamẽ futurum absolutè, quia nullo tempore erat re ipsa futurus talis effectus, sed sub conditione, scilicet si conatus illorum hominum diuinitus non impedirentur, & idcircò Deus ad impediendum eos, prouidit remedium, dicens. *Venite igitur descendamus & confundamus ibi linguam eorum, &c.* Et statim significatur fuisse hoc remedio impeditos cum subditur, *Atque ita diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem.* Quod si dicas sensum horum verborum non esse eum quem diximus, scilicet illos homines perducturos esse vsque in finem opus inceptũ, nisi diuinitus impedirentur, sed sensum esse quod hæc futura significantur in hoc & alijs testimonijs tanquam futura certò moraliter, & quantum est ex parte pertinaciæ ipsorum hominum, quod non desistent huiusmodi homines ab opere incepto donec ipsũ perficiant. Hoc inquam non satisfacit, & eodem modo impugnatur, sicut præcedentes solutiones, quidquid dicant, & reclament nonnulli, adducentes translationem ex Hebræis, aut ex septuaginta interpretibus, & multo minus fauet ei Cirillus lib. 4. & in Genesim. Quia verba Cirylli non contradicunt præscientiæ quam Deus habuit de pertinacia cogitationum illorum hominum, nisi impedirentur à Deo.

Tertium testimonium Genes. 11.

Qvartvm testimonium est etiam illud. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut fictio deciperet animam illius.* Vbi significatur Deum præuidisse hoc futurum conditionale scilicet iustum peruertẽdum fore si in hac vita maneret, & ideo vt eum liberaret ab hoc malo prouidisse remedium educendi ipsum ab hac vita. Cui testimonio simile est illud aliud quod diximus 3. Regum. 11. *Rex Salomon adamauit mulieres alienigenas de Gentibus, super quibus dixit Dominus filijs Israel. Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras, certissimè enim auertẽt corda vestra, vt sequamini Deos earum.* Vbi prædicitur hoc futurum conditionale, scilicet futurum esse vt filij Israel committerent peccatum Idololatriæ si consortium haberent cum Gentibus, quæ Idola colebant. Et Rursus illud Isaiæ 1. *Nisi Dominus exercituũ reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus & quasi Gomorra similes essemus.* Quia etiam ibi, vt constat ex Paulo ad Romanos nono,

Quartũ testimonium Sapien. 4.

3. Reg. 11.

Isai 1.

signi-

significatur omnes fuisse perituros per infidelitatẽ, nisi Dominus paucos aliquos electos seruare voluisset. Et etiam illud Matthæi 24. *Matt. 24.* *Nisi breuiati fuissent dies illi non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Quia ibi significatur Deũ præsciuisse fuisse futurum, vt etiam electi superati tribulatione istius temporis deficerent à fide, si tribulatio ipsa esset longior, & ideo prouidisse vt breui tempore duraret.

Ostenditur cognitio futurorum contingentium conditionatorum quod certa sit apud Deum ex Sanctis Patribus.

D. Cyrillus DIVVS Ciryllus libro 3. contra Iulianum motus ex testimonio illo citato. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius. *Expresse dicit, quod Deus sciens futurum sæpe numero præuenit adolescentes de vita eos eripiens.* Quo in loco approbat sentẽtiam quorundam dicentiũ causam ob quam Deus quosdam amicos antequam in peccata incidant, eos immatura morte rapiat, esse, quia eos si diutius viuerent præuidebat lapsuros esse in multa crimina. Et Diuus *D. Augus.* Augustinus lib. de correptione & gratia capite octauo inquit. *De his disserimus qui perseuerantiam bonitatis non habent, sed ex bono in malũ deficiente bona voluntate moriuntur.* Respondeant cur illos Deus cum fideliter & pie viuerent, nõ tunc de vitæ huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum. Vtrùm hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? Nihil enim horum nisi insanissimè ac peruersissimè dicitur. Et lib. secũdo de bono perseuerantiæ capite nono ait. *Certè Deus poterat illos præsciens esse lapsuros auferre de vita.* Et lib. de gratia & libero arbitrio capite 23. & libro primo de peccatorum meritis capite 21. & 22. idem repetit Augustinus. Nam ex præscientia peccatorum sumit rationem Augustinus cur Deus quosdam tempore præmaturo rapit, priusquam peccata committant, quæ præsciuit Deus esse commissuros si viuerent. In qua re obseruare oportet plerumque Sanctos Patres in admirationem rapi, cur Deus cum cognoscat peccata futura hominum, non donet hoc gratiæ beneficium eis, de quibus habet prescientiam eandem ne in peccata illa incidant, eos rapiendo ad se, cum tamen posset multis alijs si voluisset hoc beneficium præstare, sicut re vera præstat multis: quod nõ potest non intelligi de hac præscientia conditionatorum, id quod Diuus Augustinus animaduertit loco citato de bono perseuerantiæ ca. 9. dicẽs. *Certè Deus poterat illos præsciens esse lapsuros auferre de vita.*

RVRSVS idem Augustinus epistola 105. postquam dixit hanc scientiam futurorum conditionatorum non propriè dici scientiam futurorum ait. *Nam quomodo futura erunt quæ nulla erunt?* Vocat deinceps futura illa conditionata, futura secundùm quid, & concedit eorum præscientiam, & negat posse esse causam damnationis in eis, qui ante peccatorum perpetrationem, quæ aliàs commissuri essent, rapiuntur, & secundùm hanc scientiam talium futurorum interpretatur illud Sapientiæ quarto. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius.*

DIVVS Augustinus lib. 2. de Prædestinatione Sanctorum, seu de bono perseuerantiæ capite 10. dicit, *Deum rectè nosse quod Tyrij actu- D. Augus.* *ri essent pœnitentiam, imò quod post factam debebãt in pessimam vitam reuerti.* Et hanc dicit fuisse causam propter quam virtutes & signa in illis oppidis facere noluit, & epistola 49. q. 2. dicit Christum non venisse alio loco aut tempore quia præuidebat tunc in se non credituros esse homines.

DIVVS Gregorius Nazianzenus orat. 42. *D. Gregor. Nazianz.* *Mandatum (ait) accepimus vt eo seruato gloriam assequeremur, non quòd Deus id quod futurum erat ignoraret, sed quod arbitrij libertatẽ lege sanciret.* Idem docet D. Gregorius Nissenus eius frater orat. magna Cath. cap. 7. *D. Gregor. Nissenus.*

DIVVS Hieronymus Dialogo 3. contra *D. Hieron.* Pelagianos, hoc argumẽtum refert: Vel præsciuit Deus hominem in paradiso positum mandatum trangressurũ, vel non præsciuit. Si præsciuit Deus, non peccauit homo: quia non potuit diuinæ scientiæ resistere. Si non præsciuit cum aufers præscientiam, aufer & diuinitatem: quod argumentum dicit esse Marcionis, & illud adducit vt dissoluat. Quocirca respondet Hieronymus, Deum & præsciuisse hominem positum in paradiso transgressurum esse Dei mandatum, & etiam hominem peccasse, quia ita Deus præsciuit vt eum in sua libertate reliquerit. Sed de hac sententia & responsione Hieronymi fusius redibit sermo inferius. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem capite 1. 2. & 3. vsque ad 7. fusè hoc argumentum tractat, & constat sermonem eius esse de scientia conditionata. *Tertullia.*

DIVVS Prosper seu aliàs Diuus Ambrosius libro secundo de vocatione Gentium capite quarto, & aliàs 13. diserens de peccato Caim, qui fratrem iustum Abel occidit, inquit. *Et vtique præsciebat Deus ad quem finem insanientis, esset progressura conceptio: neque ex eo quod falli scientia diuina non poterat, necessitate peccandi vrgebatur facinus voluntatis, à cuius vtique intentione, atque effectu potuit incolumitas Abel illæsa defendi, nisi placuisset Deo cum magna laude patientiæ suæ, vt temporalis furor impij fieret perpetuus honos iusti.* Ex quo testimonio in postremis verbis apertè videmus Prosperum locutum esse de hac præscientia conditionatorum. *D. Prosper*

DIVVS Augustinus lib. primo de Prædestinatione Sanctorum capite 12. & 13. & lib. primo ad Simplicianum q. 2. & epist. 105. & 106. & lib. primo de Genesi ad litteram cap. 6. *D. Augus.*

agens de prædestinatione & reprobatione, & de vocatione sufficiente, & efficaci secundum propositũ, vtitur hac præscientia horum futurorum. Legendus est lib. 2. de nuptijs & concupiscentijs cap. 16.

D. Ambr. Divvs Ambrosius lib. de paradiso capite 10. agens de peccato Euæ idem omninò dicit cum Diuo Augustino, & super illud Pauli ad *Roman. 8.* Romanos octauo. *Ijs qui secundum propositum vocati sunt sancti, &c.* inquit Deum secundum propositum vocare eos quos præsciuit sibi fore deuotos, & idoneos. Idem dicit Diuus Chrysostomus in homilia de Adam, & Eua, tomo 1. *D. Chryso.* & homilia 31. super Matthæum. Idem Irenæus lib. 5. cap. 28. & Gregorius Magnus lib. 6. Moralium cap. 12. circa illa verba, Qui comprehẽdit sapientes in astutia eorum. *D. Irinæus. Gregorius Magnus.*

Movebor etiam ad præfatam assertionẽ. Quoniam Sancti Patres vt respondeant huic quæstioni: Cur Deus licèt sciret primos homines & aliquos ex Angelis si crearentur esse peccaturos, creauerit eos? admittũt Deum cognouisse certò & infallibiliter tam primos homines quàm aliquos ex Angelis si crearentur esse lapsuros in peccatum, & deinde assignant rationes propter quas Deus id fecerit. Vbi Sancti loquuntur de scientia futurorum conditionatorum. Quod potest manifestari, tum ex cõditione expressè apposita propositioni, cum dicitur: si homines creentur hoc tẽpore & cũ talibus circunstantijs, peccabunt: tum etiã quia loquuntur de scientia Dei prout ordine rationis præsupponitur ad decretum diuinæ voluntatis circa creationem hominum & Angelorum. Quia aliàs faciliùs responderent Sancti huic quæstioni, negando Deum antequam voluerit creare hominem sciuisse eum peccaturum.

Favet etiam quod Sancti Patres dicunt cum explicant: cum Verbum diuinum per incarnationem venerit in mundum, cur potius illo tempore quam præcedente alio venerit? Et respondent rationem fuisse, quia tunc præsciuit Deus plures fuisse credituros in ipsum & antea paucos, aut ferè nullos: & hanc rationem diximus assignauisse Diuum Augustinum lib. de bono perseuerantiæ cap. 9. vbi hæc verba refert ex epistola 49. ad Deogratias presbyterum q. 2. vbi ait. *In huius quæstionis disputatione dicamus: tunc voluisse hominibus apparere Christũ, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse qui in eum fuerant credituri. His enim temporibus, & his locis, quibus Euangelium eius non est prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros esse præsciebat, quales non quidem omnes, sed tamen multi in eius corporali præsentia fuerunt, qui in eum, nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt, quales etiam nunc multos videmus, &c.* Et paulò inferius in eadem quæstione 2. epistolæ 49. & in eodem lib. de bono perseuerantiæ capite nono ait. *Quid ergò mirum si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus seculis nouerat: vt eis apparere, vel prædicari merito nollet, quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præsciebat?* Quæ sententia Diuus Augustinus apertissimè probat assertionẽ nostrã. Et sanctissimus Præceptor D. Thomas 3. p. q. 1. art. 5. ad 2. refert ex D. Augustino in citata epistola, quam refert sub nomine libri de sex quæstionibus Paganorum, hanc eandẽ doctrinam, nimirum tũc Christum voluisse hominibus apparere, quando & vbi sciebat esse qui in eum fuerant crediturí, & consequenter non antea, quia sciebat paucos, aut fere nullos fuisse in eum credituros. Et licèt S. Thom. cum eodem Augustino ex libro de bono perseuerantiæ reprobet hanc solutionem, & doctrinam quantũ ad rationem quæ in ea assignatur propter quã Christus illo tempore, & non antea venerit, scilicet quia sciebat tunc & non antea futuros esse homines qui in eum erant crediturí, tamẽ non reprobat eam quantũ ad id quod in ea supponitur de hac scientia Dei respectu futurorum conditionatorum. Imo potiùs in impugnatione qua vtitur videtur expressè id admittere. Quia vt impugnet rationem illam refert hæc verba Augustini eodem loco. Sed nunquid possumus dicere etiam Tyrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierẽt cum eis? ipse Dominus attestatur, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent diuinarum illa signa virtutum. Vbi Augustinus contra illam rationem probat discrimen quod quibusdam hominibus datur prædicatio Euangelij, & alijs non datur, non prouenire ex eo quod quidam sint crediturí, & alij non sint crediturí, sed ex æterna prædestinatione, qua Deus pro sua misericordia statuit his hominibus, & hoc tempore dari prædicationem, & alijs pro sua iustitia non dari. Quod confirmatur exemplo Tyriorum, & Sidoniorum, de quibus ait non posse negari fuisse credituros, si apud eos illa signa fierent, cum ipse Dominus prędixerit fuisse credituros, & acturos pœnitentiam, & tamen non est eis data prædicatio. Quare Sanctus Thomas continuò ex sua & Augustini sententia loco citato, tertia parte, quæstione 1. articulo 5. ad secundũ ait. Proinde vt ipse soluens subdit, sicut Apostolus ait. Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, qui his quos præuidit si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit subuenit, alijs autem non subuenit, de quibus in sua prædestinatione occultè quidem, sed aliud iustè iudicauit, ita misericordiam eius in his qui liberantur, & veritatem in his qui puniuntur sine dubitatione credamus. Quibus verbis Diuus Thomas plane admittit ex sua, & Augustini sententia Deum cognouisse, qui homines essent crediturí, positis his aut illis circunstantijs, quod est concedere cõuenire ipsi certam cognitionem futurorum conditionatorum. *S. Thomas.*

Movebor præterea. Quoniam Di-

tius

Vocatio ab Augst. variis nominibus appellatur.

uus Augustinus, vt superius insinuabam (æpenumero) docet dari quamdam vocationem, quam ipse varijs nominibus appellat, nimirum secretam, & altam, congruentem, & secundum propositum, qua posita non determinatur necessariò humana voluntas ad consentiendum, sed manet libera, & indifferens ad vtramque partem, & tamen est infallibile, ipsam esse consensuram, quæ omnia vix possunt inter se conciliari, nisi concedamus Deo conuenire certam cognitionem, & scientiam futurorum conditionatorum. Quod sic explico. Infallibilitas consensus aut prouenit ex vi principij proximi considerati secundùm se, & secundum suam perfectionem entitatiuam, hoc est ex vi voluntatis creatæ vt coniunctæ huic vocationi antecedenter ad actualem consensum, qui se habet, vt responsio ad eandem vocationem: aut ex vi eiusdem principij, vt subordinati directioni suæ scientiæ diuinæ. Primum videtur inuoluere manifestam repugnantiam. Quia illud integrum principium etiam ex suppositione suæ constitutionis, & in sensu composito est indifferens ad vtramque partem scilicet ad consensum, & dissensum, quamuis maiorem propensionem habeat ad alteram partem, & maiorem proportionem scilicet ad consensum, vt in ipsa sententia supponitur: ergò fieri potest vt tale principium maneat ita integre constitutum, & non habeat perfectum consensum, atque adeò repugnat esse simul ex vi eius præcisè sumpti secundùm suam perfectionem entitatiuam, infallibiliter futurum esse consensum. Prima consequentia patet. Nam quando causa est simpliciter indifferens ad vtramq; partem potest separari ab effectu suo, & ex hoc patet secunda consequentia. Quia repugnat causam quantum est ex vi sua posse separari ab effectu, & simul quantum est ex vi sua esse infallibile non esse separandam, quod tamen requiritur vt ex vi talis causæ inferatur infallibiliter effectus. Et secundū dici nō potest. Quoniam volitio diuina, cui in hoc casu subordinatur hoc principium scilicet voluntas creata vt coniuncta vocationi congruæ, & secundam propositum necessario debet habere pro obiecto hoc, quod est voluntatem creatam vt ita coniunctam vocationi exire in actum consensus. Et tunc potest inquiri vtrùm per hanc volitionem auferatur voluntati creatæ, vt coniunctæ vocationi secundum propositum, indifferentia, quam secundùm se habet ad vtramque partem circa consensum, sed esse determinatam ad eam partem, quam respicit volitio diuina quod est contra ipsam sententiam, aut non aufertur talis indifferentia voluntati creatæ, & sic non magis erit infallibile ex vi eius sumptæ præcisè secundum suam perfectionem entitatiuam sine tali subordinatione, quia vtroque modo retinet eamdem indifferentiam, etiam

B

C

D

ex suppositione, & in sensu composito. Quocirca sequitur dicendum esse tertium scilicet infallibilitatem consensus prouenire ex illo principio, vt subordinato directioni diuinæ scientiæ, & sapientiæ disponenti omnia, quia data est à Deo voluntati creatæ talis vocatio apta, & secundum propositum, sicut oportet vt vocantem non respuat. Nam est quędam gratia quæ à nullo duro corde respuitur vt ait Augustinus libro primo de prædestinatione Sanctorum c. 1. Vnde libr. de spiritu & littera capite 34. dixit Augustinus. *Iam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur & persuadeatur, illi autem non ita, duo solum occurrunt interim quæ respondere placeat. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! Et nunquid iniquitas apud Deum?* Et libr. de prędestinatione Sanctorum capite 16. distinguit duas vocationes; vnam qua dicit Augustinus fuisse vocatos eos, qui noluerunt venire ad nuptias, & alteram qua dicit vocari prędestinatos: & eos qui conuertuntur, & illos qui secundum propositum vocati sunt, de qua vocatione in fine eiusdem capitis loquitur Augustinus dicens, ad hanc vocationem pertinere omnes docibiles Dei; neque posse eorum quemquam dicere, credidi vt sic vocarer, prævenit enim eum misericordia Dei, quia sic vocatus est vt crederet. Denique sunt penè innumera testimonia Diui Augustini, & Sancti Thomę in quibus supponitur vt certum, Deum cognoscere futura hęc conditionata. Nam Diuus Augustinus agens contra Pelagianos, qui putabant fidem quam Deus ab ęterno cognouerat habituros esse aliquos, si in hac vita permanerent fuisse meritum prędestinationis ipsorum lib. primo de prędestinatione Sanctorum capite 17. non obijcit Deum ante decretum suę voluntatis dandi his omnibus vitam, & auxilia necessaria ad credendum, non cognouisse certo & infallibiliter qui essent credituri: sed hanc fidem electionis, atque adeò non esse causam meritoriā: cum tamen omnino euerteretur error ille negando Deum habere talem scientiam futurorū conditionatorum.

Duplex vocatio secundum Aug.

Extat etiam testimonium Diui Augustini de prędestinatione Sanctorum capite 12. Vbi referens sententiam illorum, qui dicunt inter paruulos qui moriuntur in infantia fieri discrimen electionis & reprobationis, salutis, vel condemnationis eorum per ordinem ad merita & demerita, quę Deus eos nouerat habituros esse, si diutius manerent in hac vita, non reprobat eam, quia Deus non cognoscat hæc futura cōditionata, nimirū opera bona vel mala, quę vnusquisque ex his paruulis facturus esset, si vita eius protraheretur, sed solū propter opera futura quę reuera non sunt futura, qualia sunt illa opera, quę vnusquisque ex his pueris faceret, suppositā conditione, si viueret: de his enim operibus inquit Augustinus neminem esse honorandum aut punien-

dum.

dum. Idem repetit cap. 13. sequenti, & cap. 14. contra eosdem Pelagianos, vbi sumit argumentum ex doctrina Cypriani lib. de immortalitate, & ex discursu argumenti constat Deum cognoscere hæc futura conditionata, & lib. 2. de bono perseuerantiæ capite 9. in eodem proposito ipse Augustinus inquit. Cur enim non dicatur & ipsum Euangelium cum tanto labore passionibusque Sanctorum frustra esse prædicatum, vel adhuc etiã prædicari, si iudicari poterant homines etiam non audito Euangelio secũdum contumaciam, vel obedientiam, quam præsciuit Deus eos habituros fuisse si audiuissent. Vbi non reprobat Augustinus præscientiam futurorum conditionatorum: imò verò eam supponit, sed solum reprobat de infantibus, qui pereunt sine baptismo, hoc in eis eo merito fieri. Quia præsciuit Deus eos si viuerent repugnaturos, & non credituros esse, qua si damnatio aut salus ex operibus conditionaliter futuris, quæ nunquam futura sunt pendêre & iudicari debeant.

S. Thomas. Sanctvs Thomas 3. parte quæst. 1. art. 3. docet Verbum diuinum non fuisse assumpturum naturam humanam, si homo non peccaret, vbi supponit vt certam præscientiam peccati apud Deum, & vt priorem ordine rationis quam decretũ de incarnatione futura. Nam aliàs non posset per decretum voluntatis diuinæ ordinari incarnatio in remedium illius peccati, & tamen illa præscientia non potuit esse scientia visionis peccati Adæ in particulari, seu in indiuiduo. Quoniam hæc scientia præsupponit in Deo ordine rationis voluntatem permittendi idem peccatum in particulari, & hæc voluntas præsupponit voluntatem incarnationis, non solum quia permissio peccati ordinatur in incarnationem, veluti medium in finem, sed etiam quia voluntas permittẽdi illud peccatum in particulari fuit posterior secundum rationem, quam voluntas dandi Adæ gratiam & fidem: & hæc fuit posterior quam voluntas incarnationis, quia saltem fides Adæ etiam ante peccatum habuit pro obiecto Christum vt consummatorem per gloriã, licet non vt redemptorem, vt D. Tho. docet 2. 2. q. 2. ar. 7. Neq; etiam illa præscientia fuit cognitio illius peccati in communi vt futuri certo ex cõditione, & proprietate naturæ, vt cum ex eo quod multi homines mittãtur in regionem aliquam remotam, præsertim si sit parum salubris cognoscitur in communi futuros esse morbos in illis hominibus: quia de homine condito in statu innocentiæ, & non in puris naturalibus, non poterat esse certum lapsurum esse in aliquod peccatum, cum posset vitare omnia peccata non solùm diuisiue, sed etiam collectiue. Quare sequitur præscientiam illam fuisse hanc scientiam futurorum cõditionalium, de qua loquimur, qua Deus antecedenter ad omnem determinationem liberam suæ voluntatis cognouit quid homo facturus esset, si crearetur cum talibus circunstantijs, & hoc præcepto, & his auxilijs, atque hac permissione, & his occasionibus violandi præceptum, atque adeò cognouit ipsum esse peccaturum, quoniam cum hæc scientia præcesserit in Deo omnem determinationem liberam veram de rebus faciendis, consequenter etiam præcessit volitionem liberam, qua Deus voluit incarnationem fieri. An verò Deus scientia simplicis intelligentiæ, qua per simplicem intuitum, & intelligentiam omnia cognoscibilia cognoscit, cognoscat futura hæc conditionata, ita vt ratione conditionis non posit non intelligi prædefinitio cõditionata; id quidem inferius explicabitur. Nam supposito quod Deus velit reponere aliquem in aliquo ordine rerum, seu in aliqua combinatione, cum talibus auxilijs, & circunstantijs, &c. vere intelligitur decretum diuinæ voluntatis, simul cum dispositione diuinæ sapientiæ. Ita pariter in conditionalibus si Deus vellet vt possibile est, rem aliquam, de qua nihil de facto decreuit in aliquo ordine rerum, & cum his aut illis circunstantijs, & occasionibus atque auxilijs, tunc quis dubitat, nisi quod in illa voluntate conditionali inuoluitur aliquis respectus ad Dei decretum? Vnde ex hoc quod præuidetur aliquis quod si crearetur in tali ordine rerũ ex possibilibus, tunc etiam sine dubio inuoluitur conditionaliter ordo ad decretum. Nam si conditio illa præintellecta non recedit, neque potest recedere à respectu quem inuoluit ad voluntatem, sequitur semper importare illum ordinem ad eam.

Colligi apertè ex doctrina Sanctorum hanc cognitionem futurorum conditionatorum, nos diximus ante viginti annos 1. parte quæstione 14. art. 13. disp. 7. & 8. Nam Sancti vt respondeant huic quæstioni, Cur Deus licèt sciret primos parentes & Angelos si crearentur esse peccaturos eos creauerit, admittũt, & sentiunt Deum cognouisse certò & infallibiliter tam primos homines, quam aliquos ex Angelis si crearentur esse lapsuros in peccatum: & deinde assignant rationes, propter quas Deus id fecerit. Quibus in locis Sãcti loquuntur de præscientia futurorum conditionatorum. Quod potest constare, & ostendi, tum ex conditione expresse apposita propositioni, cum dicitur si homines creentur, vel crearẽtur hoc tempore cum hac permissione, & cum his occasionibus & circunstantijs peccabunt, tum etiam quia loquuntur de scientia Dei, prout ordine rationis præsupponitur ad decretum diuinæ voluntatis circa creationem hominum, & Angelorum. Quoniam aliàs vt superius aduertebam, facilius responderent Sancti huic quæstioni negando Deum ante quam voluerit creare hominem sciuisse eum esse peccaturum. Quare Diuus Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos capite 2. ita proponit hanc quæstionẽ nomine Montani. *Aut sciuit Deus hominem in paradiso positum præuaricaturum esse mandatũ illius, aut nescisuit. Si sciuit, non est in culpa, quia præscientia eius cassari non potest, neque enim illis* *D. Hieron.*

præs-

præscientiam Dei vitare potuerunt : ergò ei tribuendum est hoc qui talem condidit vt Dei non posset scientiam deuitare : Si nescisti, cur præscientiam tollis, & aufers. Nam similiter tollis, & aufers diuinitatem. Denique huius generis plures sunt quæstiones in Scriptura, vt cur Deus elegerit Saulem in Regem, quem sciebat futurum esse impiissimum? Et cur Iudam elegerit Christus in Apostolum, quem sciebat futurum esse proditorem ipsius. Et postea ita respondit. Vis audire rationem, Deus præsentia iudicat non futura, nec condemnat ex præscientia quem nouerit talem fore qui sibi postea displiciat, sed tantæ bonitatis est, & ineffabilis clementiæ, vt eligat eum, quem interim bonum cernit, & scit malum futurum postea, dans ei potestatem conuersionis ad pœnitentiam. vbi Hieronymus apertè admittit conuenire Deo præscientiam horum futurorum conditionatorum, nimirum sub conditione, si isti homines creentur in tali, vel in tali ordine rerum, aut si hic homo vel ille assumatur ad tale vel tale munus, &c. Idem docuit Tertullianus libro secundo aduersus Marcionem capite quinto, sexto, & septimo, & Diuus Damascenus libro aduersus Manicheos prope medium. Theodoretus quæstione 37. in Genesim.

Tertullian. *Damas.* *Theodoret.*

SANE sancti Patres sæpe numero dicunt multos immatura morte extrahi ab hac vita vt liberentur ab his peccatis, quæ Deus sciebat eos esse commissuros si viuerent, iuxta illud, quod sæpè citauimus, Sapientiæ. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Nam Augustinus eodem libro de bono perseuerantiæ capite 9. inquit. *Certe poterat illos Deus præsciens esse lapsuros antequam id fieret, auferre de hac vita.* & libro primo de peccatorum meritis, & remissione capite 21. sic ait. *Ex ipsis deinde baptizatis paruulis dicatur mihi, cur alius rapitur ne malitia mutet intellectum eius, & alius viuit impius futurus?* & idem repetit libro de gratia, & libero arbitrio capite. 23. & libro de correptione, & gratia capite. 8. dicens. *Respondeant si possunt cur illos Deus cum fideliter, & piè viuerent, non tunc de vitæ huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum? Vtrùm hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura esse nescisti, nempè nihil horum, nisi peruersissime, atque insanissime dicũt.* Idem habetur apud Gregorium Nissenum libro de his qui præmaturè abripiuntur.

Sapient. 4. *Augustin.*

HAEC testimonia sanctorum Patrum tam aperta, & manifesta, ex quibus constat eosdem sanctos Patres sensisse, Deum certo, & infallibiliter cognoscere hæc futura conditionata, conantur nonnulli eludere, quia putant, neque nostram sententiam esse certam, neque oppositam. Vnde interdum dicunt Sanctos Patres loqui de coniecturali cognitione, interdum verò loqui de sola certitudine morali cognitionis: sed procul dubio nefas est hoc sentire de Deo aut tribuere illi. Quoniam Dei cognitio cuiuscumque rei sit, certa omninò, & aperta est. Quia vt dicit Paulus, omnia sunt nuda, & aperta oculis eius. Et præterea Sancti eadem claritate atque certitudine hanc scientiam, & cognitionem illi tribuunt atque scientiam, & cognitionem aliorum futurorum contingentium, & idcircò aliquando explicant partitulam illam forte, aut forsitan, non quod significet incertitudinem in diuina cognitione, sed quod reponatur interdum, ad insinuandam libertatem arbitrij, & interdum propter modum vsitatum loquendi, & tandem aliquando loco alicuius particulæ affirmatiuæ, sicut superius ostendimus ex Caietani mente, & ex Græcis interpretibus, quibus addere possumus Diuum Augustinum super Ioannem tractatu. 37. super illa verba. *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.* Ioannis. 8. inquit Augustinus. *Ille qui scit omnia cum dicit forsitan, non dubitat, sed increpat.* Dubitationis verbum est cum dicitur ab homine, ideò dubitante quia nescient. Quando verò dicitur à Deo, cum Deum nihil lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur diuinitas. Rursus etiam Sancti Patres talem iudicant esse hanc scientiam in Deo, quæ sufficiat ad efficaciam vocationum, & procedentem à decreto diuino absoluto quo vult hominem conuerti, & liberè conuerti, sed ad huiusmodi decretum Dei non sufficit coniecturalis cognitio, sed infallibilis, & omninò certa, quia posita tali voluntate omninò infallibile est sequi effectum. Quare medium seu auxilium, quo Deus vtitur vt impleatur talis voluntas etiam debet habere effectum omninò infallibiliter: ergo, & scientia talis effectus, si ponatur tale medium debet esse omninò infallibilis. Maior aperta est ex doctrina Diui Augustini, vt constat ex plerisque locis eius, & ex his quæ dicuntur in materia de auxilijs pro nostra sententia: ergò. Vnde si coniunctura aut morali cognitione agendum esset tunc considerata dispositione hominis in statu innocentiæ, nec probabiliter multum posset coniecturari fuisse consensurum peccatum. Quoniam causa non solùm erat indifferens, sed etiam magis propensa ad oppositum, cum primus homo in statu innocentiæ non solum haberet naturam integram, & sanam, verum etiam gratiam Dei actualem, & habitualem: igitur Deus id non præsciuit ex signis vel coniecturis, sed in ipsa obiecti veritate, ac proinde per certam cognitionem, & infallibilem.

Ioannis. 37 *Augustin.*

Aduersarij conãtur respondere ad testimonia sanctorum.

SED contra ea quæ ex Sanctis Patribus diximus argumentantur aduersarij

Argumentũ aduersarij.

Augustin. ex testimonio D. Augustin. libro. 1. de anima, & eius origine capite. 12. vbi reprehendens eos qui dicebant Deum deserere infantes aliquos, & pueros, vt in peccato originali moriantur. Quia præuidit futuros fuisse iniquos si viuerent, postquam eos iure reprehendit, inter alia quæ dicit argumenta subiungit: *Quid quod ipsa exinanitur omninò præscientia, si quod præscitur non erit? Quomodo enim dicitur præsciri futurorum quòd non est futurum?* Similem doctrinam significat Prosper in Epistola ad Augustinum ante librum de prædestinatione Sanctorum vbi eandem sententiam impugnans, inquit. *Nouo absurditatis genere, & non agenda præscita dicuntur, & præscita acta non esse.* Quocirca Diuus Damascenus, Dialogo contra Manicheos eandem versans sententiam ait. *Si Deus aliquem non condidisset, quia præscisset: peccaturum, non esset hæc præscientia, sed impostura. Nam sicut cognitio est earum rerum quæ sunt, ita prænotio est earum rerum, quæ futuræ sunt certò.* Et Diuus Augustinus libro de prædestinatione Sanctorum cap. 14. tractans illud Sapientiæ. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius*, ait: *Illud fuisse dictum secundùm pericula vitæ huius, non secundùm præscientiam.* Quia hoc (inquit Augustinus) præsciuit quod futurum erat, non quod futurum non erat.

Prosper. *Damascen.* *Augustin.*

Solutio ad auctoritates sanctorum.

SED respondetur huiusmodi Sanctos locis citatis in prædictis testimonijs agere contra errorem eorum qui dicebant Deum punire, vel gratiam conferre propter illa opera quæ homo facturus esset, si hoc vel illud eueniret aut supponeretur, etiam si nunquam de facto illa sit facturus. Vbi perpendendum est nunquam negare sanctos Patres in Deo esse huiusmodi scientiam, quod si sentirent oppositum id quidem dixissent quia nullo faciliori modo talis error repelleretur. Imò verò sancti Doctores, & Patres Ecclesiæ apertè sentiunt Deum habere huiusmodi certam cognitionem istorum futurorum conditionatorum, siuè talis scientia procedat ex simplici intuitu veritatis cuiuscumque siuè ex vi alicuius decreti conditionalis, siuè quouis alio modo, aut ratione permissionis, vel collocationis in aliqua serie rerum, aut cõbinatione, & complicatione occasionum, & causarum, solùm enim negant aliquando huiusmodi scientiam vocandam esse præscientiam, hoc sensu: quia præscientia videtur dicere, & habere quandam habitudinem ad id quod habiturum est esse aliquando: Illud verò quod per hanc scientiam cognoscitur non oportet quòd aliquando sit habiturum esse, & ob id quatenus per illam scitur, non dicitur ab his Sanctis præsciri, sed absolutè sciri, sicut res ipsæ possibiles, & ideò opus illud quod cognoscitur per hanc scientiam, vt sic, non potest esse vera ratio aut causa ex parte ipsius creaturæ, vt à Deo vel puniatur vel afficiatur præmio, hoc ita esse affirmat Diuus Augustinus lib. 1. de origine animæ capit. 12 dicens. *Quomodo ergò punirentur peccata quæ nulla sunt, hoc est quæ nec vita ista nondum inchoata, commissa sunt ante carnem, nec morte proueniente post carnem.* Idem etiam sensit Augustin. de prædestinatione Sanctorum libro. 1. capi. 12. 13. & 14. vbi colligit si homines punirentur propter peccata, quæ facturi essent, si viuerent, quamuis ea de facto non sint facturi, inde sequi nihil eis prodesse quod rapiantur, antequam mutetur intellectus eorum. Quoniã sufficit quod mutandi essent si viuerent. In hoc igitur sensu negatur huiusmodi esse futura simpliciter, & in eodem sensu negatur esse præscita, & pari modo in eodem negatur posse euenire, & accidere vt non fiat quod præscitur esse futurum, vel quod ita præscitur, vt sit ratio, & causa præmij, vel pœnæ. Lege Augustinum libro 10. de Genesi ad litteram capite, 16. contra Faustum Manicheum capite 4. & de bono perseuerantiæ cap. 9. Obserua tamen nõ negari quin Sancti Patres aliquando vocent hanc scientiam conditionatam, seu cognitionem conditionatorum præscientiam, quatenus particula, præ, dicit independentiam scientiæ ab existentia obiecti, & ex consequẽti antecessionem ad omnem existentiam rei, siuè de facto aliquando sit futura, siuè non sit futura.

Augustin.

TANDEM confirmantur hæc omnia quæ diximus. Quoniam Spiritus sanctus qui est auctor sacrorũ eloquiorum, qui inspirat Prophetis, & scriptoribus sacris, qui est assertor veritatis, qui neq; falli potest, neq; fallere nos, nẽ potest esse incertus de his rebus, de quibus consulitur ab hominibus, præcipuè cũ Deus nobis eũ rogantibus affirmatiue respondeat determinatè, aut negatiue, volens nos reddere certos, cũ eius responsum, aut consultationẽ expectamus: volensq; etiã omnem dubitationẽ repellere, reuelãdo, & prædicẽdo quid in tali vel tali casu eueniret, ex ore Prophetarũ, & fidelũ Ecclesiæ à principio vsq; in hodiernũ diem. Nã aliàs si Deus non cognosceret certò, & infallibiliter hæc futura conditionata sequi videtur quod potuisset Dauid, cùm consuluit Deum, & pariter etiam alij dubitare de veritate diuini responsi. Si enim Deus non cognoscit hæc futura contingentia certò, & infallibiliter, & responsum non erat omnino certum, & cõstans, verti poterat in dubium, quod nefas est aut dicere, aut cogitare: ergò constans, & certa debet esse nostra sententia.

Rationes quibus ostenditur Deum certò, & infallibiliter cognoscere futura conditionata.

Probatur rationibus Deũ cognoscere futura cõditionata

PRIMA ratio sit. Nam si hæc futura conditionata sunt cognoscibilia vt certò, & infallibiliter futura, dubitari non potest quin ad perfectionẽ diuini intellectus pertineat ea

cog-

cognoscere. Et vt res hęc aperiatur præmittẽdum est, quòd si futura hæc conditionata sunt ita cognoscibilia, & scibilia, pari ratione est possibilis scientia per quã sciantur & cognoscãtur, & cui nõ possit subesse falsum. Quæ sanè suppositio ostendi potest. Quoniam scibile, & scientia si rectè fiat comparatio, hoc est si scientia in actu cõparetur ad scitum in actu, & scientia in potentia ad scibile in potentia, habent se vt relatiua, quæ dicuntur ad conuertentiam. Quoniã ad scitum in actu dicitur aliqua scientia in actu, & scitũ in potẽtia dicitur scitũ aliqua scientia in potẽtia, veluti scibile in potẽtia aliqua scientia in potentia scibile: & è conuerso scientia in actu, aut in potẽtia, dicitur alicuius sciti in actu, aut scibilis in potentia. Hoc probari potest ratione desumpta ex natura relatiuorum, quatenus dicuntur ad conuertentiã, & ex testimonio Aristotelis in Prędicamentis capite de relatione, qui propter hanc rationẽ ait scibile non dici relatiuè ad scientiam in actu & consequenter, neq; ad conuertentiã respectu scientiæ in actu, sed solum respectu scientiæ in potentia. Quoniam multa sunt scibilia, quorum non est scientia in actu, sed tantùm in potentia, vt constat de quadratura circuli, quæ est scibilis, eius tamen scientia non est inuenta, neq; excogitata, sed potest inueniri, & excogitari: Ergò si hæc futura conditionata verè sunt scibilia, optimè sequitur possibilem esse scientiam per quam sciantur. Imò verò apertè sequitur Deum habere scientiam eorum cum ipse habeat infinitam scientiam intensiuè, & extensiuè omnium cognoscibilium, & scibiliũ. Sanè sicut se habet sensus ad sensibile, & potẽtia factiua ad factibile, ita se habet scientia ad scibile: ergò sicut propter hanc proprietatem relatiuorum, quæ est dici ad conuertentiam, si sensibile, & factibile est, possibile etiam est possibilis sensus, & potentia factiua, ita pari modo si scibile est possibile, possibilis etiam erit scientia per quam sciatur. Nam scibile in potentia illud dicitur quod sciri potest, & non per aliud genus cognitionis, quam per scientiam: ergo si semel est verum aliquid esse scibile in potentia, etiam erit possibilis scientia, per quam sciri possit. Quia sicut factibile dicitur quod fieri potest per potentiam factiuam, ita si aliquid est factibile in potentia, etiam est possibilis potentia factiua per quam fieri possit.

Scibile, & scientia dicuntur ad conuertentiam.

Ad perfectionem diuini intellectus pertinet cognoscere futura conditionata.

Ex hac suppositione sequitur apertè id ꝙ primo dicebam, nempè quod si hæc futura cõditionata sunt scibilia vt certò, & infallibiliter futura, ad perfectionem diuini intellectus pertinebit ea cognoscere. Quoniam scientia dicit perfectionem simpliciter, etiam in genere entis, ita vt neq; importet imperfectionem, neq; excludat à suo subiecto maiorem aliam perfectionem propter incompossibilitatẽ, quam habeat cum ea. Igitur si ex eo quod aliquid sit scibile colligitur esse possibilem scientiam per quam sciatur, maximè colligetur possibilem esse hanc scientiã in diuino intellectu, qui propter eius infinitatem in genere entis continet omnem perfectionem simpliciter, & propter infinitatem in ratione principij intellectiui cõtinet omnem virtutem intellectiuam, quæ nõ importat imperfectionem. Et rursus cum diuinus intellectus non sit mutabilis de potentia in actum, sed purus actus nihil omninò habens admixtũ potentialitatis, non tantùm colligitur posse reperiri hanc scientiam in diuino intellectu, sed etiam actu reperiri, imò & identificari cum ipso realiter & formaliter à parte rei.

Hac igitur facta suppositione solùm oportet ostendere hæc futura conditionata esse cognoscibilia, seu prædicto modo scibilia ad hoc vt efficaciter probata maneat sententia quæ dicit eorundem futurorum conditionatorum scientiã Deo conuenire, & vt hoc probemus conficio efficacem discursum sequentem.

Si quis enunciet de aliquo futuro conditionato duas propositiones cõtradictorię oppositas, vna quidem earum debet esse determinatè vera, altera determinatè falsa: ergò illa quæ fuerit determinatè vera erit certò, & infallibiliter scibilis, & cognoscibilis, & ex consequenti significatum suum, nimirum futurum conditionatum erit determinatè cognoscibile, fore, aut non fore. Prima pars consequentiæ patet. Quia omne verum est scibile, & intelligibile. Posterior autem pars constat apertè. Quoniam cum veritas propositionis consistat in conformitate suæ significationis cum re significata, non poterit sciri vt veritas propositionis, quin etiam sciatur eius significatum. Antecedens autem probatur primò. Quoniã hæc est lex propositionum contradicentium vt pugnent in veritate, & falsitate. Dices has propositiones verè quidem pugnare pœnes veritatem & falsitatem indeterminatã, quia neutra earũ in particulari, & per se sumpta habet veritatẽ aut falsitatem, sed quælibet habet veritatẽ aut falsitatem disiunctim pœnes quam opponuntur inter se. Sed hoc nihil valet, & impugnatur facile. Quia quælibet harum propositionum in particulari, & per se sumpta habet determinatè, & distinctè fundamentum veritatis, aut falsitatis, videlicèt significationem talem, quæ potest fundare determinatè veritatem tantũ aut falsitatem, & non disiunctim vtramq;. Item etiã impugnatur prædicta solutio. Quia ex ea sequitur non magis esse dicendum has propositiones pugnare inter se in veritate, & falsitate quam conuenire in quauis earum. Quia quælibet harum propositionum habet disiunctim veritatem aut falsitatẽ, imò sequitur neutram earum magis pugnare cum altera nisi his proprietatibus quàm secum.

Secundò probatur idem antecedens. Nam in propositionibus contradictorijs de futuro absoluto vna est determinatè vera, & altera falsa, vt fusè à nobis ostensum fuit supra in speciali disputatione de hac re: ergò etiam in

propositionibus cõtradictorijs de futuro conditionato debet altera esse determinatè vera, & altera determinatè falsa. Probatur antecedens. Quoniã altera illarũ propositionum determinatè, & per se sumpta reuelatur sæpe à Deo in sacris Litteris, & non nisi vt vera: ergò &c. Dices esse verã vt subest diuinę reuelationi, & vt est præsens in æternitate. Sed contra hoc est. Quia reuelatio nõ est causa suæ veritatis, neq; præsentia in æternitate est causa futuritionis in tẽpore, sed è conuerso, quoniã propositio est vera, idcircò reuelatio est vera, & quoniã res est futura in tẽpore, idcircò est prę sens in æternitate, dũmodo hæc causalis nõ importet causam, sed conditionẽ necessariò prę requisitam. Rursus etiam. Quoniam in propositionibus cõtradictorijs de futuro illa est vera, quę in tẽpore futuro pro quo enunciat aliquid esse futurum habebit suam de in esse veram, & illa est falsa, quæ in eodem tẽpore habebit suã de in esse falsam: sicut in propositionibus contradictorijs de præterito illa est vera cuius de in esse fuit vera in tẽpore præterito pro quo enunciat aliquid fuisse, & illa falsa cuius de in esse in eodẽ tempore fuit falsa: sed propositiones de in esse pœnes quas regulatur veritas harũ propositionum de futuro, ita se habent inter se vt vna earũ determinatè, & distinctè sit vera, & altera falsa: ergò idem est dicendum de propositionibus de futuro: Et probatur cõsequentia. Quoniam ratio qua probatũ & ostensum est antecedens de propositionibus de futuro absolutè, eandẽ habet vim de futuro cõditionato. Imò verò Theologi scholastici quãuis indidenter pro cõperto habuerunt Deũ hæc futura cõditionata certò, & infallibiliter cognoscere atq; scire: quoniam idẽ videntur sensisse de futuris conditionatis atq; de futuris absolutè: si enim diuerso modo opinarẽtur, aut diuerso modo sensissent id quidẽ aliquando insinuassent aut dixissent, quòd tamen non fecerunt. Rursus etiam probari potest antecedens illud primũ huius discursus, nimirum quod si enuncientur propositiones contradictorię oppositæ de futuro aliquo conditionato, altera earum debeat esse determinatè vera, & altera determinatè falsa. Nã certè quælibet istarũ propositionũ contradicentiũ, de futuro cõditionato, per se, & in particulari sumpta nõ est quasi suspẽsa, & indifferens ad veritatẽ, & falsitatẽ, itavt careat vtraq;, scilicèt veritate, & falsitate, & in potentia nõ magis respiciat aut recipiat vnam quã alterã, sed indifferenter vtrãq;: neq; habet veritatẽ & falsitatẽ: ergò determinatè habet tantũ alterã earũ, scilicèt aut veritatẽ, aut falsitatẽ. Cõsequentia euidens esse videtur; antecedens autẽ probatur. Quoniã quælibet istarũ propositionũ per se & in particulari sumpta nõ caret actu significatione vtriusq; partis cõtradictionis, neq; habet simul ambas significationes, sed alterã tantùm determinatè: Non enim dici potest illã propositionẽ nihil significare, neq; significare simul vtrãq; partẽ contradictionis, vt est per se notũ: ergo idẽ est dicendũ de veritate, & falsitate. Patet consequentia. Quoniã veritas, & falsitas consistunt in cõformitate, & difformitate significationis ad rem significatã. Neq; valet dicere significationẽ illius propositionis, neq; esse cõformẽ, neq; difformẽ rei significatæ, aut simul esse cõformem aut difformẽ, quia hoc habet manifestam implicationem: ergo dicendum est esse determinatè & tãtùm conformem, aut difformem rei significatæ, atque adeò esse eodem modo verã aut falsam: ergò &c.

A

Confirmari potest discursus istæ. Quoniam si fingeremus diuinum intellectũ interrogari, quę harum propositionum sit vera antecedenter ad omnem determinationẽ liberam voluntatis diuinæ, necessariò sentiendum est, potuisse intellectũ diuinum explicare quæ sit vera. Nãdato oppositio poneretur in Deo imperfectio aliqua vel ignorantiæ vel suspensionis: igitur de illa propositione conditionata in particulari dicendum est esse veram. Patet consequentia. Quia non idcircò esset vera quoniam Deus id iudicaret, sed potius è conuerso, idcircò Deus iudicaret esse veram, quoniam ipsa esset vera ex rationibus, & fundamentis vnde habet quod sit vera, siuè id ex decreto Dei conditionali sit, siuè ex permissione Dei cũ voluntate concurrendi, & influendi ad actionẽ ex ratione diuinæ prouidentiæ, quam Deus omnibus rebus impendit, quæ inuolueretur in illo ordine rerum suppositæ conditione, quæ conditio multa implicat conditionaliter.

B

Scio plures voluisse respondere ad eludendam vim huius discursus, & ad eneruandam efficaciam propositi argumenti. Sed profecto omnes aduersariorum conatus fragiles sunt, & dissoluuntur à nobis in disputatione illa quam fecimus suprà dubio tertio, seu tertia sectione in qua dissertum fuit, vtrùm propositiones de futuro contingenti sint determinatè veræ, aut determinatè falsæ.

C

Nvnc verò solùm restat explicare confirmationem propositam, & in primis, casus in ea propositus est omninò impossibilis. Quoniã diuinus intellectus à nullo alio posset de veritate illarum propositionum interrogari, præter quam à se ipso, & ipse cum euidenter cognosceret nihil habere rationẽ futuri, neq; non futuri contrariè, antecedenter ad determinationem diuinæ voluntatis, siuè absolutè, siuè conditionatè, aut virtualiter & implicitè inclusę, aut cũ aliquo respectu ad eam, non ferret iudicium aliquod circa veritatem, & falsitatem propositionũ; quibus enunciaretur aliquid esse futurũ, aut non esse futurum. Neque quamuis sibi esset possibile vti interrogatione apud se ipsum proponeret interrogationem de hac re, & deinde illo casu admisso impossibili, scilicèt interrogari diuinum intellectum quæ illarum propositionum esset vera, & quæ falsa dicendum est quod antecedenter ad omnem

D

nem determinationem diuinæ volũtatis, siuè absolutam, siuè conditionatam, siuè virtualem aut imaginabilem, (loquimur enim hic de veritate propositionum in ordine ad futuritionẽ & existentiam, quod pertinet ad quæstionem an est tantùm) dicendum est intellectum diuinum posse respondere quantum esset ex parte circunstantiarum, & propensionis causarũ proximarum pro tali occasione ad productionem effectus significati, quæ propositio esset magis propensa ad veritatem, & quæ magis propensa ad falsitatem, in quo nulla posset esse deceptio, non tamen quæ esset determinatè vera aut falsa antecedenter ad veram causam pertinentem ad quæstionem an est, & antecedenter ad omnem modum diuinæ voluntatis, ad quem habet rei futuritio ordinem, & diuinus intellectus, quantum est ex parte sua, & ex parte sui luminis, licèt esset, & sit infinitè intellectiuus, & penetratiuus omnium, tamen si implicatio esset ex parte obiecti non habentis futuritionem, aut modum eius antecedenter ad omnem prorsus diuinam voluntatem, tunc in tali casu non diceretur propriè diuinus intellectus suspensus, quia non responderet quæ illarum propositionum esset vera, aut falsa, sed pro illo priori non scitur, aut non sciretur antecedenter ad causam futuritionis siuè absolutè siuè conditionatè, quę esset vera aut falsa. Et in eo casu nullum istorum esset imperfectio in ipso Deo, quoniam non proueniret, vt dictũ est, ex defectu virtutis cognoscitiuæ, aut ex defectu luminis, & perspicacitatis diuini intellectus, sed causa proueniret ex eo, quoniam res non esset cognoscibilis sub ratione futuri aut non futuri contrariè, cum neque esse futurum, neque non esse futurum contrariè possit ei conuenire nisi suppositа determinatione diuinæ voluntatis ad alteram partem, sicut si intellectus diuinus interrogaretur, quæ harum propositionum contradicentium sit vera, & quæ falsa: Partes huius continui sunt pares: Partes huius continui non sunt pares: Nõ posset dici aut responderi aliquid, neque id esset imperfectio aliqua, quia nõ proueniret ex defectu virtutis cognoscitiuæ aut luminis, sed ex eo quod partes continui non habent rationem pariũ, vel non parium contrariè, siuè impariũ, & ex consequenti non possunt sub tali ratione cognosci, cũ nulli multitudini possit conuenire habere determinatè partes pares, aut impares, nisi ipsa sit certa, & determinata, q̃ non conuenit multitudini partium continui, quæ propterea dicitur infinita sincathegorematicè. Cũ verò dicitur suspensionẽ, aut nescientiã negatiuã importare imperfectionẽ, intelligitur quãdo prouenit ex defectu virtutis cognoscitiuæ circa res cognoscibiles ex sua natura. Hęc dixi ad explicanda confirmationẽ quã paulò antea fecimus circa discursum probationis, vt omnes sinus, & difficultates pro vtraque parte aperirentur.

A

B

C

D

Sed quia in explicatione data nonnulla inuoluuntur, quæ videntur aliquo modo militare contra aliqua ex dictis superius, possemus nos in confirmationem nostræ sententię hanc constituere rationem. Nam certè illæ duę propositiones sunt contradictorię: ergo altera earum habet determinatè veritatem, & altera falsitatem: ergò est cognoscibile, quæ earum sit vera, & quæ falsa, & ex consequenti si Deus id non cognoscit proueniret ex defectu virtutis cognoscitiuæ in ipso, quod est apertè falsum, & impium, atque adeò importat imperfectionem. Patet antecedens. Quoniam omnes leges requisitæ ad propositiones contradictorias reperiuntur in his. Et prima consequẽtia etiam patet. Quoniam propositiones, quæ verè opponuntur contradictorię debent pugnare in veritate, & falsitate, saltem ita vt vna sit determinatè, id est tantum vera, & altera falsa, quamuis neutra per se sumpta debeat esse determinatè, id est, immutabiliter, & necessario vera, nec falsa. Et secunda consequentia etiã patet. Quia eo modo quo aliquid est verũ est cognoscibile. Et ex his sequeretur apertè, quod si propositio est cognoscibilis, & Deus eã non cognosceret, quod tunc id proueniret ex defectu virtutis cognoscitiuæ: cum tã difficultas quã impossibilitas cognoscẽdi aliquid non possit prouenire, nisi vel ex defectu cognoscibilitatis in obiecto, vel ex defectu virtutis cognoscitiuæ in cognoscente. Ad hoc dicũt nonnulli posse aliquẽ respondere difficultatẽ & impossibilitatem cognoscendi obiectũ aliquod non prouenire tantũ ex defectu cognoscibilitatis in obiecto, aut virtutis cognoscitiuæ in cognoscente, sed etiã ex defectu modi, aut medij cognoscendi, quia difficile est aut impossibile dari modũ, quo cognoscatur obiectum q̃ de se non est cognoscibile, & ita in hoc casu nõ potest cognosci quæ harũ propositionum sit vera, & quæ falsa, non quia obiectum non sit cognoscibile, neque quia Deo deficiat virtus cognoscitiua aut lumen, sed quia nõ datur modus quo possit cognosci.

Sed cõtra, hoc nõ sufficienter dicitur. Quoniã si obiectũ est cognoscibile, similiter etiam erit cognoscibile specialialiquo modo, quia nullũ obiectũ particulare est cognoscibile, aut intelligibile in cõmuni abstrahendo ab omni modo cognoscibilitatis, scilicèt aut per mediũ, aut sine medio, & ita discurrẽdo per omnes modos particulares quibus aliquid cognosci potest: ergò si quoniã nõ datur modus cognoscẽdi obiectũ aliquod, nõ potest cognosci, necesse est vt hoc proueniat ex defectu virtutis cognoscitiuæ, scilicèt quia modus cognoscibilitatis, qui conuenit obiecto est improportionatus virtuti cognoscitiuæ, & superexcedens eam, sicut si id quod secundùm se est factibile, & speciali modo factibile non potest fieri ab aliqua virtute factiua, quia non datur modus quo fiat ab ipsa, necesse est prouenire ex defectu talis virtutis, quia modus quo illud est factibile, non est ipsi proportionatus. Et con-

firmatur hoc. Quia in hoc casu datur modus ex parte obiecti, quo cognoscatur, aut fiat: ergò dici non potest simul deesse modum, quo cognoscatur aut fiat à tali virtute nisi propter defectum ipsius virtutis.

2. *Probatur* SECVNDVS discursus seu secunda ratio qua ostenditur Deum certò, & infallibiliter cognoscere futura hæc conditionata ea sanè est, quoniam in futuro absoluto suum fore vel non fore est determinatum secundùm se à parte rei, atque adeò est scibile: igitur etiam in futuro conditionato suum fore vel non fore eam habet determinationem, quanta sufficiens est ad hoc vt sit scibile certò, & infallibiliter. Antecedens quoad secundam partem patet. Quia vnũquodq; in quantum est ens, aut modus entis est etiam intelligibile, & cognoscibile. Nã esse intelligibile, quod est esse verũ obiectiuè est passio entis, quare si fore, vel non fore, q̃ in re futura est quidam modus entis sicut in re præterita præterijsse, & in re præsenti præsentialitas est quid determinatũ secundũ se à parte rei: ergõ etiã erit determinatè intelligibile, & scibile. Sed vt ostendatur idẽ antecedens quoad primã partem, suppono quòd futuro absoluto conuenit fore aut non fore pro aliquo tẽpore futuro, in quo erit præsens suum esse aut non esse, vt. v. g. cõcio verbi diuini futura crastina die sequenti dicitur fore vel nõ fore pro hora diei sequentis in qua eius esse aut non esse erit præsens. Quo supposito argumẽtor pro prima parte antecedentis. Nam adueniente tẽpore illo diei sequentis, illud futurũ absolutũ non potest esse indeterminatum ad esse, & ad non esse, ita vt sit quasi suspensum inter vtrũque, neq; potest simul esse, & non esse, sed necessariò debet habere alterum eorum determinatè, videlicẽt aut esse aut non esse, vt in exẽplo proposito, cõcio illa verbi diuini hora diei sequentis adueniente non potest esse indeterminata ad esse, & ad nõ esse, ita vt careat vtroque, neq; potest habere vtrũq; simul, quia necessariò debet habere vnum eorum determinatè: ergo similiter in tempore antecedente in quo huic rei conueniebat futuritio, nimirum fore aut non fore pro illo tempore sequenti non potest talis res esse indeterminata ad fore, & ad non fore, ita vt careat vtroque: Neque potest habere vtrumque simul, sed necessariò debet habere vnum eorum determinatè, scilicèt illud cui respondebit præsentia quoad esse, vel quoad non esse, quoniam fore respicit adæquatè, & determinatè esse, sicut potentia determinata ad vnum aliquem actum respicit ipsum, & eodem modo non fore respicit non esse. Quocirca sicut est impossibile in hoc casu actum esse determinatum, & potentiã esse indeterminatam, ita etiam est impossibile determinatum esse, aut non esse actum, & non esse determinatum fore, aut non fore. Et ex his manet probata consequentia quantum ad vtramque partem consequentis, quoad posteriorem quidem, quia eo modo quo fore, aut

A non fore fuerit determinatum, erit etiam determinatè infallibile, & quoad priorem, quia ratio qua probauimus in absolutè futuro fore aut non fore esse determinatum secundùm se, & à parte rei, habet eodem modo vim respectu futuri conditionati. Quia etiam futuro cõditionato conuenit fore aut non fore pro aliquo tempore futuro, in quo erit præsens suum esse, & solùm est discrimen quantum ad hoc inter futurum absolutum, & conditionatum, quia futuro absoluto sicut conuenit absolutè, & sine conditione fore aut non fore, ita etiam conuenit ei absolutè habere præsens suum esse aut non esse in tempore pro quo dicitur fore, aut non fore. Ac verò futuro conditionato

B neutrum conuenit nisi sub conditione. Et cõfirmari potest. Quoniam in præsenti tẽpore quodlibet est vel nõ est determinatè, ita vt neque sit quasi suspẽsum, & indifferens inter vtrũque carens vtroq;, neq; simul habeat vtrũq; sed determinatè habeat alterum tantũ: ergo similiter in tempore præcedẽte, in quo aliquid dicitur futurum pro illo tempore in quo erit præsens, conuenit ei determinatè fore, aut non fore, ita vt neq; sit indifferens ad vtrumq; carens vtroq;, neq; simul habeat vtrumq;, sed determinatè habeat alterum tantum. Et idem argumentum fieri potest in futuro conditionato propter rationem assignatam.

C NONNVLLI ex modernis, præcipuè illi qui sentiunt nullam sententiam, neque hanc, neque oppositam colligi efficaciter ex rationibus propositis, cõtendunt rationem factam seu discursum non omninò concludere efficaciter, ac proinde dicunt, & respondent distinguendum esse antecedens quoad primam partem: scilicèt in futuro absoluto esse determinatum suum fore, vel non fore. Quia vel intelligitur de hoc futuro secundùm se, vt futurum

D est, & ita est falsum, quia futurum non habet esse futurum vt est in se ipso secundùm aliquem modum conditionalem, sed vt est in suis causis, nõ solùm valentibus producere ipsum, ex quo haberet esse futurum, & quia hæc determinatio causarum est impedibilis, saltem quantum ad causas proximas, vel propter earum libertatem, quæ ab intrinseco est mutabilis, vel propter inefficaciam, quæ in eis prouenit ex imbecillitate, & est subiecta multis defectibus, & impedimentis intrinsecis, quibus impediatur futuritio effectus, idcirco in futuro ita determinato non est determinatum fore, aut non fore, sed vtrumque est indeterminatum, & indifferens: aut intelligitur de eodem futuro, vel quatenus vt futurum subest determinationi diuinæ voluntatis, quæ neq; ab intrinseco est variabilis, neq; ab extrinseco impedibilis, vel quatenus est præsens Deo secundùm suam existentiam realem, aut quia realiter existit in æternitate, aut quia secundùm existentiam realem quam habiturum est in tempore, consideratam sub abstractione ab omni differentia temporis, obijcitur, & est

præsens obiectiuè diuinæ visionis, quę mensuratur æternitate: & ita est verum, quia id quod vt est in causis proximis indeterminatis, vel propter earum mutabilitatem, vel propter extrinseca impedimēta habet esse futurum indeterminatè, potest esse determinatè futurum vt subest determinationi diuinæ voluntatis, vel vt est illo modo præsens scientia Dei. Et ita explicat hoc Sanctus Thomas. 1. p. q. 14. arti. 13. ad 2. & 3. argumentum. Cæterum vt valeret consequentia qua infertur etiam in futuro conditionato esse determinatum suum fore, aut non fore, oportet antecedens esse verū in priori sensu, quia in posteriori est manifesta ratio discriminis inter antecedens & consequens: cū circa futurum conditionatum non præcesserit actualis determinatio voluntatis diuinæ de eius futuritione, neque ipsum sit habiturum aliquando existentiam realem, ratione cuius possit esse realiter præsens in æternitate, aut obijci scientiæ Dei in eadem æternitate. Vnde ad probationem antecedentis quatenus deseruire potest ad probandum ipsum in priori sensu. respondent auctores moderni falsum esse, quod in ea probatione supponitur, scilicèt futuro absoluto conuenire fore, aut non fore pro aliquo tēpore futuro, quatenus in eo tēpore habebit præsens suum esse aut non esse. Nā quamuis certum sit id quod in aliquo tempore præsenti habebit esse aut non esse, fuisse in tempore antecedenter futurum quoad esse vel non esse pro illo eodem tempore: tamen vt aliquid simpliciter, & absolutè dicatur futurum pro aliquo tempore, non est necesse ipsum adueniente illo tempore habere actu præsens suum esse, sed satis est in tempore, quo dicebatur futurum habuisse causas proximas determinatas aliquo modo ad eius futuritionem pro illo tempore, quamuis propter earum mutabilitatem intrinsecam, aut propter aliquod impedimentum extrinsecum non ita fiat.

Explicatur quid sit aliquid esse futurum.

VT res hæc intelligatur, & etiam vt ea quæ inferius dicenda sunt aperiantur, explicare oportet quid sit aliquid esse futurum loquendo de futuro quo ad esse, & non quo ad enunciationem, seu considerando futuritionem, vt est modus essendi, & non vt est modus enunciandi, seu significandi. Nam quidam dixerunt futurum esse quod in tempore futuro habebit aliquando vnam de in esse veram, sicut præteritum dicitur quod in tempore præterito habuit vnam de in esse veram, & præsens quod in tempore præsenti eam habet. Alij vero Theologi cēsent futurum esse id quod non habet esse in se ipso, sed solum in suis causis determinatis, aut inclinatis ad eius productionem, vbi per non habere esse in se ipso distinguitur futurum à præsenti, quod habet esse extra suas causas, & in se ipso, & per habere esse in suis causis distinguitur à præterito, quod non habet causas valentes producere ipsum, quamuis habuerit eas, & distinguitur ab impossibili, quia impossibile dicitur quod nullo modo potest habere huiusmodi causas. Et ideò neque vnquam habuit eas. Et per habere esse in causis determinatis, aut inclinatis ad eius productionē distinguitur à præcisè possibili, respectu cuius, quamuis causæ habeant facultatem, non sunt determinatę, neq; inclinatæ ad actualem productionem eius. Et quidem obiectio proposita contra probationem nostrę assertionis, seu solutio quam aliqui prætendunt contra discursus superius factos, supponit certam esse primam definitionem futuri, cum tamen plures habeat defectus. Nam primò in ea definitur idem per se ipsum, nimirum futurum per futurū, quasi ita diceretur: futurum est, quod est futurū pro aliquo tempore futuro, quoniam habiturum est in futuro tempore vnam de in esse veram, & hoc idem est quod esse futurum pro tempore futuro, in quo habebit suum esse præsens. Secūdò, quia iuxta illam definitionem, nihil verè esset futurum, quod pro aliquo tempore futuro non esset futurum præsens secundū suū esse, quoniam aliàs non posset habere vnā de in esse veram: & tamen hoc est in primis contra communem modum loquendi, quoniā de multis quæ nunquā erunt consueuimus dicere esse futura, vt concio verbi diuini crastina die à me peragenda, nunc dicitur futura, quia mea volūtas est ad eam determinata, vel ex aliquo pacto aut ratione, & consensu præstito ad ipsam, etiam si vel ex inopinato aliquo casu, aut impedimento, vel morte præuentus, fiat vt non sit prę̄sens crastina die. Et præterea est etiam contra rationem, quia sunt necessariò distinguenda hæc tria: possibile futurum, certū & determinatum, & futurum indeterminatū, & contingens, & multa quæ per potentiam Dei fieri possunt in tempore futuro, & non fient, dicuntur possibilia. Et ortus Solis die crastino dicitur futurū determinatū, & prælectio mea crastina die agenda, seu cōcio verbi diuini dicitur futurū contingens incertū, quamuis moraliter possit dici certū. Ratio autē propter quā tria hæc debēt distingui, videtur esse euidens, & aperta, quoniā importāt distinctos modos essendi. Alio namq; modo dicitur res aliqua habere esse in causa, quia habet facultatem sine vlla determinatione ad ei⁹ productionē; & alio in causa, quæ habet facultatē determinatā immutabiliter saltē secūdum cōmunē naturæ cursum; & alio, in causa quæ habet facultatē determinatā mutabiliter, vel propter intrinsecam libertatē, vel propter impedimentum extrinsecū, quod naturaliter potest euenire, & tamen iuxta illā definitionem hoc secundū genus futuri, nō distinguitur semper à possibili, sed tūc solū cum infallibiliter est aliquando habiturū esse in tēpore futuro, vndecumque proueniat esse hoc infallibile. Tertio est contra cōmunem modū loquendi Scripturę in qua semper prædicūtur, vt futuri aliqui, effectus qui nunquam erunt, atque adeò nō habebunt vnā de in esse veram

cuius nulla ratio potest assignari, nisi sufficere ad hoc vt aliquis effectus dicatur futurus, quod habeat causas aliquo modo determinatas, & inclinatas ad esse eius, ita vt dicatur futurus quã tũ est ex inclinatione, & determinatione ipsarum causarũ, vt cũ Isaias dixit Ezechiæ Regi. 38. cap. & 4. Regum. 20. *Dispone domui tuæ, quia morieris, & nõ viues.* vbi mors Ezechiæ nõ prædicitur vt possibilis ex illa infirmitate, neque de hoc consulebatur Deus, quia notũ erat esse possibilem, sed vt futura quantum erat ex parte morbi, seu ægritudinis, & iuxta eius exigentiam. Et Ionæ. 3. capit. dicitur. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur.* vbi non prædicitur subuersio Niniuitarum vt possibilis per illud tempus, sed vt futura, quantũ erat ex parte causarum, quas fortè Deus ad eam præparauerat, & iuxta exigentiam peccatorum illius populi. Ad quam rem explicandam est insignis doctrina, quam tradit D. Thomas prima parte, quæst. 19. ar. 7. ad 2. qui occasione horum testimoniorũ sacrarum Litterarum, & aliorum similium dicit Dei voluntatem ex eo quod est prima causa, & vniuersalis, non excludere inferiores causas, & medias in quarum virtute est vt aliqui effectus producantur: Sed quoniam omnes causæ mediæ non adæquant virtutem causæ primæ, multæ sunt in virtute, & scientia, & voluntate diuina, quæ non continentur sub ordine causarum inferiorum, sicut resuscitatio Lazari. Vnde aliquis respiciens ad inferiores causas dicere poterat: Lazarus non resurget: respiciens verò ad causam primam diuinam poterat dicere: Lazarus resurget: & vtrumque horum Deus vult, scilicèt q̃ aliquid quandoq; sit futurum secundũ causam inferiorem, quod tamen futurum non sit secundùm causam superiorem, vel è conuerso. Sic ergo ait Sanctus Thomas dicendum esse, quòd Deus aliquando pronuntiat aliquid futurũ secundùm quòd continetur in ordine causarum inferiorum, vtputà secundùm dispositionem naturæ vel meritorum, quod tamen non fit, quia aliter est in causa superiori diuina: sicut cum prædixit Ezechiæ: *Dispone Domui tuæ, quia morieris, & non vives.* neque tamen ita euenit, quia ab æterno aliter fuit in scientia, & voluntate diuina, quæ immutabilis est. Propter quod dicit Gregorius lib. 20. moralium capite 23. quod Deus immutat sententiam, non tamen mutat consilium, scilicèt voluntatis suæ. Quocirca mors Ezechiæ futura erat per respectus ad causas inferiores: sed per respectum ad diuinam voluntatem non erat futura. Et ex hoc inquit Sanctus Thomas prouenire vt aliquando in Scriptura prædicentur vt futura, ea quæ nunquam erunt, quia sunt futura secundùm dispositionem, & exigentiam causarum inferiorum, & meritorum, & non sunt futura secundùm determinationem diuinæ voluntatis, vt constat ex dictis. Et non fauet illi definitioni, id quod adducitur de præsenti, & præterito: quia cum præsens dicatur aliquid in quantum est extra suas causas, & præteritum in quantum fuit, necesse est ad vtrumque habere vnam de in esse verã. Quia verò non dicitur aliquid futurum in quantum habebit suũ esse extra causas in tempore futuro, vt constat ex dictis, sed in quantum habet causas inclinatas, & determinatas ad eius productionem, idcircò ad ipsum non requiritur habere necessariò in tempore futuro vnam de in esse veram.

Isai. 38. 4. *Reg.* 20.

Ionæ. 3.

D. Thomas

D. Gregor.

A

Secunda Conclusio.

B

Conclusi. 2.

Dico secundò. Deus non solùm cognoscit ea futura cõditionata quæ in Sacris Litteris continentur, de quibus oppositum dicere non est ferendum: verum etiam Deus certò cognoscit omnia futura conditionata alia quæcumque in Sacris Litteris nõ cõtinentur, quę vtiles habent cõbinationes, præcipuè illa futura conditionata quæ habent connexionem & illationem vnius ad alterum contingentem qualia sunt illa, de quibus præcipuè sermo noster est. Hæc assertio quoad omnes suas partes certissima, & verissima est. Et in primis, quòd primo loco in ea affirmatur Deum cognoscere certò futura illa conditionata, quæ in sacris Litteris sunt contenta, id satis vt credo

C

ostensum, & probatum est, tum ex testimonijs sanctarum Litterarum, & ex maiestate, & veritate, atque proprietate loquendi iuxta proprietatem dicendi sacrorum eloquiorum. Quod vero secunda pars vera sit, etiam constare potest ex testimonijs Sanctorum Patrum allatis pro prima assertione, seu conclusione. Nam in omnibus illis locis citatis, fatentur Deum cognoscere, nõ solùm absolutè futura, sed etiam illa quæ sub conditione forent, si ea adimpleretur. Tertia autem conclusionis pars, nimirum quod Deus cognoscit futura conditionata, quæ possunt habere connexionem vtilem cum conditione, aut illationem vnius ad alterum, id similiter adeò certum esse existimo vt sine nota nemo valeat eam negare, aut de ipsa dubitare. Hanc partem probant rationes, & discursus, quibus prima conclusio præcedens ostensa, & probata fuit à nobis. Nam profectò cum prima conclusio ostensa fuerit à nobis ex triplici capite, nimirũ ex sacris Litteris, ex sanctis Patribus, & ex rationibus efficacissimis, ex eisdem etiã argumentis potest omninò probari hæc pars. Si enim certũ est Deũ cognoscere, & cognouisse futura illa cõditionata, quę in sacra scriptura cõtinẽtur, neq; defuit Deo modus, quo illa certò cognoscere. Similiter nulla ratio assignari potest cur similia futura cõditionata, & eiusdem ordinis Deus nõ cognoscat certò, & infallibiliter, sicut illa priora. Et vt res hæc intelligatur, obseruare oportet: futura hęc cõditionata quædã esse, quę vel habẽt vtilẽ cõbinationẽ moralẽ, vel cõnexionẽ cũ conditione posita, vel illationẽ vnius ad al

D

terum.

terũ. Sunt enim multa alia, quę nõ habent vim cõnexionis, neq; moralem, neque cum cõditione ipsa, neque vim illationis & consequentiæ, sed solam simplicẽ nudæ veritatis enunciationem: vt si quis diceret. Si Adam plures, quam habuit filios aut filias, alios haberet, illi genuissent filios alios paret. Si ego nunc disputarem, Turca comederet. Si D. Ioannes Euangelista matrimonium contraheret, tales procreallet filios, nimirum impares. Similiter sunt aliæ inutiles, & superuacaneæ prorsus, absonæ & à ratione disparatæ, vt si quis dicat. Si ego modo baculum mouerem, luna illuminaret, vel Deus penes se decreuisset quid Papa tunc Romæ faceret, & quid somniarẽt omnes qui dormiunt. Si ego currerem Aristoteles philosopharetur. Si aqua est frigida, homo est asinus, &c. Et quidem de his omnibus licèt Deus certò, & infallibiliter cognoscat veritatem aut falsitatem, & impossibilitatem quam habẽt, quantum ad propositiones inclusas in eisdem cõditionalibus, & quod cum non sint bonę illationes, & cõsequentiæ sunt falsæ, quia veritas conditionalium consistit in bonitate consequentiæ: quia id est quod ipsæ affirmant vel negant, vt dicunt dialectici: tamen sermo à nobis susceptus solum est de conditionatis, de quibus diximus habere rationabilem cõbinationem, & cõnexionem cum cõditione inclusa in eis. Quoniam in his conditionalibus disparatis, aut impossibilibus, & chimęricis, quę nullum habent ordinem ad inuicem, vel solum habent fortuitam, & casualem coniunctionem, ratione cuius verè aut falsò enunciantur: vt si quis, verbi gratia, diceret. Si ego nunc ambularem, aut vigilarem, Rex dormiret, aut fricaret barbam: Si ego summo mane die Lunæ manducarẽ, statim Papa Romæ scriberet. Si Abel vixisset per trecẽtos annos, filij eius essent pares, & fusci coloris. De his inquam propositionibus, quæ non habent conditionem formalem, sed solum materialem in voce, non est æquum quòd in eis immoremur, aut cur detineamur in prædefinitione aut decreto earum apud Deum. Nam licèt eas omnes cõbinationes quantumuis stultas, & quæ à nobis enunciari & imaginari possunt Deus illas probè nouerit, & an sic vel aliter fortuitò sint euenturæ vel non rectè sciat Deus, at verò quod Deus prædeliberet, aut decernat de his ex coniunctione talium disparatorum, futuritionem scilicet ex conditione posita, id credi non potest. At verò de futuris cõditionatis quo ad illa conditionata, quæ vel habent connexionem, vel habere possunt cum conditione, aut illationem rationabilem vnius ad alterum si forent, de his quidem quod certò & infallibiliter à Deo cognoscantur dubium esse non potest, at verò vtrum Deus circa futura hæc conditionata rationabilia, & illatiua, & quasi moraliter occurrentia, cum quadam connexione causæ; an sicut illa dicũtur futura cõditionata ita quidẽ si poneretur cõditio Deus habuerit de quolibet ordine rerum, quid foret

A in illo tales, vel tales res collocarẽtur, & crearentur decretum conditionale, aut prædefinitionẽ vllam, id quidem explicaturi sumus inferius, quia de hac re magna est contentio hodierna die.

De futuris conditionatis quæ in sacris Literis non continẽtur probatur conclusio.

Hæc sita prælibatis, quod Deus cognoscat futura omnia conditionata, etiam illa quę in sacris Literis non continentur certò, & infallibiliter, præter discursus à nobis factos, quibus hoc ostenditur, & probatur, sunt etiam argumenta, quibus amplius res hæc manifestari potest. Quarum prima est, quę probat potius eligendam esse eam sententiam, quę Deo tribuit cognitionem horum futurorum sub ratione certo & infallibiliter futurorum, quam oppositam, quę negat Deo hanc cognitionem. Nam quędam sunt in materia de diuina prędestinatione, & de diuina prouidentia & gratia recepta magis apud Theologos, & Sapientes, quę facilius & suauius possunt conciliari cum alijs sententijs, & veritatibus, quę in eisdem materijs supponuntur certa secundum fidem, si admittatur hęc sententia de cognitione certa & infallibili futurorum cõditionatorum, quam si admittatur opposita: de quibus aliqua adducã, vt ostendatur quam rationabilis sit assertio nostra. Primũ est, dari electionem ad gloriã, quę sit absoluta, & efficax antecedenter ordine rationis ad omnem visionem seu pręuisionem nostri consensus: quod quamuis à quibusdam negetur, tamen ex communi consensu est magis receptum pręcipuè iuxta sententiam D. Augustini, & cum hoc est conciliandum id quod est certum secũdum fidem, nimirum in electis, & prędestinatis verè esse libertatem sumptam pro indifferentia ad vtramque partem, nõ tantum respectu mediorum, sed etiam respectu consecutionis glorię, & in non prędestinatis seu non electis esse facultatem simpliciter, nõ solum ad apponẽdum media necessaria ad gloriam, sed etiam ad consequendum ipsam gloriam: & tamen ad conciliandum hęc duo Theologi Scholastici maximè laborant, à quo labore facile liberantur, qui admittunt hanc cognitionem certam & infallibilem futurorum cõditionatorum.

Datur electio ad gloriam absoluta & efficax antecedenter ordine rationis ad omnem visionẽ seu prænisionẽ nostri concursus.

Secundò. Quoniam si sumatur voluntas creata quatenus saltem ordine naturę presupponitur ad actus liberos, vt verum principiũ, Deus potest prędefinire absolutè & efficaciter vt hic & nunc concurrat ad aliquem actum in particulari, & eliciat illum cum omnibus circũstatijs. Quod quamuis videatur negari ab aliquibus, tamen re ipsa non negatur, nisi contra quemdam modum prædefinitionis, qui ab aliquibus imaginatur. Vnde hoc communiter recipitur ab omnibus, & ab antiquioribus Theologis, præcipuè loquendo de actibus bonis, & respectu horum cõstituendo suauem Dei prouidentiam, & prædefinitionem in prædestinatis: præsertim circa donum perseuerantiæ in vltimo vitæ instanti in electis. Et cum hoc est conciliandum vnum aliud, quod est certum se-

Secũdò probatur.

cundùm fidem, scilicèt suppositâ hac prædefinitione Dei absoluta & efficaci, & ea stante, esse in voluntate creata pro vt ita præsupponitur tanquam principium sui actus, veram libertatem ad vtramque partem, esse autem valde difficile cõciliare hæc duo, si hæc cognitio certa & infallibilis futurorum conditionatorum non admittatur, & è conuerso illa admissa, si rectè intelligatur, facilius dissolui argumẽta opposita: ergo. Sed aduerte valde, negari nó posse prædefinitionem per modum intentionis Dei, siue in nostra sententia siue in oppositâ aduersariorum, ex quâ intentione seu prædefinitione per modum intentionis, sequitur infallibiliter executio effectus. Quoniã Deus ea suppositâ excitauit voluntatem creatam ad operandum & vocauit hominem ea vocatione, & excitatione, & gratia præueniente secundùm propositum, quibus scit Deus hominem ita vocatum consensurũ esse. Rursus aduerte secundò, quod cum Deus per efficacem gratiam suam, & per vocationem secundùm propositum vocat hominem ad conuersionem suam, tunc voluntas per modum actus primi actuatur à gratia illa Dei, & voluntas habet facultatem determinatam respectu illius formæ gratuitæ in ordine ad conuersionem, & consensum: sed cùm facultas voluntatis sit determinata, dicitur determinata determinatione libera, hoc est mutabiliter ad oppositum propter intrinsecam libertatem quam habet, quæ est ad vtrumlibet. Quæ omnia facilius explicantur posita huiusmodi scientia & conditione futurorum conditionatorum: ergo, &c.

Nota.

Obiectio.

SED dices, si ad defendendam hanc sententiã concedimus hunc actum de quo loquimur esse determinatum obiectiue ad hoc quod est esse futurum pro tali tempore, & voluntatem creatam non esse determinatam ad eam partẽ, sed indifferentem ad vtramque: ergo similiter qui negant hanc cognitionem certam, & infallibilem futurorum conditionatorum dicere poterunt eumdem actum esse determinatum ad esse futurum ex vi diuinæ prædefinitionis, quãuis voluntas creata non prædeterminetur immutabiliter respectu sui, propter intrinsecam libertatem: quia licèt voluntas sit determinata ad vnam partem, nõ tamen immutabiliter, aut determinatione necessaria, sed libera vt dictũ est: & ex cõsequenti simul cum prædefinitione alicuius actus boni in particulari, nimirum pœnitentiæ quoad omnes suas circunstantias saluari determinationem liberam cum potestate ad oppositum, & mutabilitate ad illud, & cum indifferentia respectu eius, apertè constat.

Solutio.

RESPONDETVR hoc argumento probari posse conciliari hæc duo, nimirum prædefinitionem actus pœnitentiæ, & libertatem voluntatis ad vtramque partem, quia licèt voluntas sit determinata ad illum actum per receptã formam, & motionem Dei, tamen propter intrinsecam libertatem ad oppositum, determinari mutabiliter respectu voluntatis quamuis non respectu Dei, vt egregiè explicat in alio casu S. Thomas. 1. par. q. 19. art. 7. ad 2. Vnde proposita obiectio non multum militat cõtra nos, quia ea non ostẽditur efficaciter nõ posse conciliari illa duo, scilicet prædefinitionẽ actus & libertatem voluntatis ad vtramque partem, ex hoc tamen non sequitur repellendam esse cognitionem certam & infallibilem futurorũ conditionatorum: vt fusius ostendetur infrà, & ex parte ostensum est suprà, dubio. 3. seu sectione. 3. Possumus etiam respondere negando cõsequentiam. Quoniam voluntas verè se determinat sub determinatione Dei ad eandem partẽ determinatione libera iam dicta. Nam quãuis tam in casu antecedentis, quàm in casu consequentis determinatio effectus postulat determinationem aliquam veram voluntatis creatæ, cuius concursus est prærequisitus ad ipsum, tamen in casu antecedentis determinatio obiectiua, quæ præsupponitur ad determinationẽ obiectiuam, quæ conuenit effectui, prouenit ex libertate intrinseca ipsius voluntatis, quia ipsa taliter determinatur quod se determinat, quæ idcirco dicitur etiam determinata obiectiuè, quia ipsa pro sua libertate se determinabit, vel determinatura est in exercitio ad talem partem: huiusmodi autem determinatio nõ tollit indifferentiam, & mutabilitatem, quæ conuenit voluntati, quatenus est principium actus propter intrinsecam libertatem, ratione cuius habet facultatẽ determinatam mutabiliter ad oppositum. Quoniam est determinatio ex suppositione, quæ etiam subditur libertati voluntatis. In casu autem cõsequentis quamuis prædefinitio Dei sit extrinseca voluntati creatæ, tamen quatenus effectus eius & executio, quæ ex ea sequitur, tribuitur voluntati secundùm suauem modum suæ conditionis, id quidem libertati eius contemperatur, & coaptatur, ac proinde non tollitur libertas & indifferentia. Sola enim determinatio omnino extrinseca, in qua voluntas se non agit, aut se non determinat determinatione morali, illa potest tollere indifferentiam voluntatis, quatenus illa præsupponitur ad actum tanquam principiũ eius, ita omnino extrinsecũ, quod nullo modo coaptetur libertati, aut quodammodo dicatur subdi illi. Sed de hac re fusiùs dicemus in disputatione de auxilio efficaci Dei.

S. Thom.

Tertio probatur.

TERTIÒ probatur. Quia si admittatur hæc vera cognitio certa & infallibilis futurorũ conditionatorum, vitantur multa inconuenientia in disputatione de diuina prædestinatione, & de gratia, & auxilijs gratiæ actualis, & in materia de diuina voluntate absoluta & efficaci, & satis fit apertius grauissimis difficultatibus de rebus ad fidem pertinentibus, & solum est vana difficultas circa modum quo hæc futura cognoscantur à Deo, non quod in eo ostendatur aliqua repugnantia, sed quoniam difficile est nobis intelligere modu ipsum: ergo rationabile valde est eam eligere sententiam, quæ

tri-

tribuit Deo cognitionem certam, & infallibilem horum futurorum siue absolutorum, siue conditionatorum, sub ratione certo & infallibiliter futurorum. Patet consequentia. Quoniam à simili quando dicitur posse aliquid fieri à Deo, quod est consentaneum veritatibus fidei, deseruit ad explicandum, & defendēdum, eas, & ostenditur quod in eo nulla sit repugnā tia, & solet admitti à Theologis, quamuis modus quo possit id fieri non satis percipiatur. Multi enim concedunt Deum posse cōstituere idem numero corpus in diuersis locis, quāuis non explicent modum, quia hoc deseruit ad defendendam veritatem fidei de existentia corporis Christi in diuersis hostijs, & in cælo, & alij alia admittunt, quæ esset longum enarrare.

A

Qvartò. Quia nunquam satis explicatur ab aduersarijs ratio cur hæc futura nō sint cognoscibilia, si repellatur hæc scientia neutra futurorum conditionatorum, neque explicatur ratio cur de propositionibus contradictorijs formatis de eisdem cōtingentibus conditionatis non sit cognoscibile, quæ sit vera, & quæ falsa per scientiam simplicis intelligentiæ. Si autem hæc omnia sunt cognoscibilia necessariò fatendum est à Deo cognosci, qui habet infinitam vim cognoscitiuam. An verò hoc sit cēsendum de futuris consideratis antecedēter ad determinationem diuinæ volūtatis, & ita obiectis intellectui diuino secundùm eamdem prioritatem, & an in hoc inuoluatur aliquis respectus ad decretum aliquod conditionale postea explicabimus, vt promisimus.

B

Qvintò, esse rationabile eligere hāc cognitionem certā, & infallibilem futurorum cō tingentium, absolutorum, & conditionatorū, cōstat. Quoniam ex diuina Theologia est certum dari eis qui operantur supernaturaliter, & pro vt oportet ad salutem in ordine ad finem supernaturalem, auxilium quoddam distinctū à sufficiente, q̄ est efficax vt à Deo procedit per modum principij, & antecedenter secundum quod nos concipimus ad omnem consensum liberum arbitrij creati, vt eo posito sit infallibile ipsum esse consensurum: & cum hoc est conciliandum illud alterum quod est certū secundùm fidem, nimirum, eum cui datur hoc auxilium, etiam in sensu composito, suppositō auxilio simpliciter retinere libertatem & posse oppositum, habereque indifferentiā ad vtrā que partem, etiam ad non consentiendum, & eos quibus non datur huiusmodi auxilium posse ipsum habere nisi per eos steterit simultatiā cum omni auxilio necessario ex parte principij, vt pro sua libertate possint homines consentire, & operari potentia reducibili ad actū. Quanta verò sit difficultas in cōciliatione istorum, nisi ponatur in Deo hæc cognitio certa, constat ex materijs de diuina prædestinatione, & de diuina gratia & voluntate Dei, atque prouidentia.

C

Sextò probatur: propositiones de futuro cōtingenti sunt scibiles: ergo cognitio est possibilis à Deo, aliàs intellectus diuinus nō esset infinitus in cognoscēdo. Dices omnem veritatem esse de se scibilem & cognoscibilem, sed tamen non omnem esse cognoscibilem ex parte modi, quia fieri potest quòd quamuis res sit scibilis, & cognoscibilis, tamen modus attingendi illam non sit possibilis. Sed profectò hoc inuoluit manifestam repugnātiam respectu Dei, & cognitionis suæ infinitæ, & necessario refunderetur hoc in imperfectionem cognitionis diuinæ. Est simile. Si quis diceret non esse repugnans quod aliquid de se sit ens, aut quod possit esse ens, non tamen esse possibilem aliquē modum productionis eius, & ob id possibile non esse tale ens. Si quis inquam ita affirmaret manifestam contradictionem diceret, & diuinam potentiam extenuaret, & diminueret quia in eo casu non posse producere illud tale ens, nō proueniret ex repugnantia obiecti, sed ex defectu potentiæ: ergo simili modo argumentari possumus in nostro casu. Quoniam si obiectū habet veritatem ex parte sua nulla potest esse repugnantia vt cognoscatur: igitur si omnino est latens veritas, id solum esse potest ex defectu virtutis cognoscentis. Et confirmari hoc potest, quoniam qui ita diceret de his futuris conditionatis, pari ratione idem posset affirmare de futuris contingentibus absolutis, quia etiam modus quo veritas eorum attingitur difficillimus est ad intelligendum nobis, cæterū eo ipso quod in eis est veritas certò cognoscimus, & scimus non posse subterfugere diuinā cognitionem, & scientiam.

D

Rvrsvs potest hoc ostendi, vel declarari. Quoniam iste modus enunciandi per propositiones de futuro conditionato, est modus significandi, & affirmandi vnum de alio ex hypothesi, sed talis modus significandi non repugnat rebus significatis, imò verò solet esse maximè consentaneus rebus ipsis: ergò est scibilis & cognoscibilis à Deo. Ostendo maiorē. Quoniam quidquid mente concipitur potest enunciari, sed hoc totum mente concipitur, posito Paulo in tali statu & occasione potuit peccare, & rationabilius est pensatis coniecturis omnibus illum peccaturum esse: igitur potest de Paulo sub conditione talis status, & occasionis simpliciter dici illum peccaturum. Et vt confirmationem hanc & ostensionē intelligas obserua propositiones illas conditionales de quibus est sermo posse affirmari, & debere affirmari non in vi illationis ex virtute antecedentis, sed per modū simplicis affirmationis vnius de alio sub tali conditione apprehenso. Vnde quando dicimus. Si hodie Paulus viueret in hac occasione, & in hoc statu, & oblatis his circunstantijs hoc faceret, ita irasceretur, vel pœniteret, &c. nō est sensus Paulum talis virtutis, seu conditionis esse, vt hoc necessariò esset facturus, vel vt ex eius existentia talis effectus sequeretur necessaria illatione, & consequentia, sed solùm volumus talem effectum de facto fo

re coniungendum, & copulandum cum causa illa si extitisset. Quod sanè ita esse constat ex communi sensu, & intentione omnium hominum sic loquentium. Quare sapientes Theologi non reijciunt has locutiones, neque ab illis dissentiũt vt falsis, sed vel sunt ambigui, vel suspendunt iudicium, vel assentiuntur illi parti quam plurimis coniecturis veriorem esse iudicant. Signum igitur est in huiusmodi locutionibus conditionatis non affirmari illationem ex vi antecedentis, sed tantùm coniunctionem vnius cum alio in tali euentu facta hypothesi.

Animadversio contra quorundam opinionem.

OBSERVA præterea propositiones illas de futuro conditionato, quæ ex hypothesi enunciantur, formaliter ex vi verborum posse dici hypotheticas. Quia solum affirmant ex hypothesi: & quia hypothesis illa nõ significatur vt ponenda in re, idcirco habent formam, & modum conditionalium propositionum, & ita loquimur nos de illis: non tamen propositiones istæ de futuro conditionato dicuntur esse ex illis conditionalibus, quæ formantur in formali illatione, seu quæ affirmant consecutionẽ necessariam vnius ab alio, sed ex illis quæ affirmant solum coniunctionem, seu quamdã emanationem vnius ab alio, nõ vt necessariam, sed vt futuram tantùm si ponatur conditio: & in hoc sensu huiusmodi propositiones participãt rationem conditionalium locutionum. Quoniam non significant absolutè aliquid fore, sed solum ex hypothesi, & postulant bonam illationem, & consecutionem, non formalem, aut necessariam, sed materialem. Dixi non formalem aut necessariam, nimirum ex vi talis causæ, sed tantum ita futuram esse ex determinatione eiusdem causæ. Verumtamen quo ad sensum, & in re huiusmodi propositiones æquiualent propositionibus cathegoricis in quibus simpliciter vnum de alio affirmatur. Quare solum differunt quod in his conditionatis prædicatum non dicitur absolutè de subiecto absolutè concepto, sed tantum posito, & constituto sub hac vel illa conditione, vt dictum est. Ex quo fundamento apertè colligitur has propositiones non esse intrinsecè falsas, aut impossibiles, vt nonnulli dixerunt vt negarent in Deo esse scientiam earum. Quoniã huiusmodi propositiones non significant necessariam connexionem, aut illationem, quia ex hac sola possent habere intrinsecam falsitatẽ. Vnde quod hac posita conditione sequatur aliquid, sicut non est necessarium, ita etiam non est impossibile, ac proinde propositio quæ affirmat data hypothesi, seu posita conditione illud esse futurum, cum nõ dicat esse necessariò futurum, sed solum futurum, non habet talis propositio vnde sit impossibilis. Quoniam sola illa propositio affirmatiua est impossibilis quæ aliquid impossibile affirmat. Quare cõmunis modus concipiẽdi omnium hominum auditis his propositionibus non apprehẽdunt illas vt falsas, aut impossibiles, sed vt ambiguas & incertas nobis, & ob id plures quæstiones de illis proponuntur, vt si Adam non peccaret an Verbũ diuinum assumeret carnem? & an si permanerent primi parentes in statu innocentiæ vtrum posteri eius peccarent? Deus etiam sæpè numero in sacris Literis hæc conditionata affirmat, & ea reuelat, vt superius probatum est.

Obiectio cõtra prædicta.

SED dices, propositiones istæ conditionales de quibus est sermo noster, ex modo, & vi significationis suæ sunt affirmatiuæ, & de subiecto non supponente, quod ex vi talis propositionis neq; est, neq; fuit neq; vnquã erit, sed propositio affirmatiua de subiecto non supponẽte est falsa: ergo. Respondetur q̃ in vnaquaque propositione, aut locutione vt illa sit vera subiectum debet supponere iuxta exigentiam copulæ. Nam ob id in propositionibus quæ absoluuntur à tempore à quo abstrahunt non requiritur quod subiectum supponat pro re quæ vel est, aut fuit, vel re vera erit, sed solum secũdùm esse essentiæ, seu possibile. Igitur pari modo in casu de quo agimus, quoniam huiusmodi propositiones de futuro cõditionato nõ significant aliquid verè & absolutè futurum, neque affirmant veram existentiam huius aut alterius extremi, sed præcisè solam coniunctionem vnius cum altero, si ex hypothesi illud alterum ponatur in esse: propter quam causam non postulant dictæ propositiones suppositionem absolutam pro re existente, aut aliquando re vera existente, sed solum requirũt conditionalem suppositionem, eo modo & ratione, quo significatur per copulam ex hypothesi. Secundò respondetur obiectionem non esse efficacem: Quia si sumãtur propositiones negatiuæ, seu de effectu negatiuo, vt si Paulus vocetur à Deo in tali statu & occasione, non conteretur re vera, in hac propositione nihil affirmatur, sed potius negatur aliquid de illo subiecto, ac proinde licèt demus esse de subiecto non supponente, poterit esse vera, aut saltem non falsa.

Tertia Conclusio.

Tertia Conclusio.

DICO tertiò, propositiones de futuro conditionato, de quibus est concertatio nostra, non sunt indeterminatæ, & quasi suspẽsæ quo ad veritatẽ vel falsitatem, sed determinatè habent in se vnum ex illis, nimirum veritatẽ vel falsitatem. Vnde aliquando sunt veræ, & aliquando sunt falsæ, secundùm conformitatem, vel difformitatem ad id quod significant. Hæc assertio necessariò sequitur, & infertur ex superioribus. Nam certè in hac assertione defendenda eadem sese offert difficultas, quæ sese obtulit in propositionibus de futuro omnino contingenti absolutè. Et sanè valde difficile est & obscurum explicare quo pacto habeant propositiones illæ veritatem determinatè aut falsitatem, & quo pacto hoc possit cognosci. Nam ex parte obiecti res abstrusa & abscondita est. Quoniam omne obiectum vel est per se notum ita vt per se ipsum & in se immediatè

cog-

cognoscatur, vel indiget aliquo medio, quo ipsius veritas cognoscatur: sed huiusmodi propositiones contingentes de futuro conditionato neque sunt per se notæ ex terminis, cùm non sint veritates necessariæ, neque habeant intrinsecam connexionem terminorum, & immediatam ex se ipsis, neq; datur vllum medium, quo cognoscantur certò. Nam vel hoc medium esset extrinsecum, videlicet auctoritas dicentis vel reuelantis, & hoc non habet locum in cognitione ipsius Dei, quia Deus non habet superiorem, à quo reuelationem accipiat, aut à quo discat, vel cui fidem adhibeat: hæc enim omnia præter quã quod Deo repugnant pertinent ad imperfectam cognitionem quæ Deo tribuenda non est. Vel rursus tale medium esset aliquis effectus: & hoc similiter inuoluit imperfectam cognitionem, & non habet locum in præsenti. Quoniam ipsa res futura non habet effectum antequam sit, nisi fortè futurum, ab ipsaque emanaturum, & consequenter magis occultus esset effectus ille, quam ipsa res futura, & causa eius. Vel tandem medium quo deberet cognosci obiectum illarũ propositionum est causa aliqua, & hæc nulla videtur posse fingi, aut excogitari ex qua certò, & infalliliter hæc futura conditionata cognoscantur. Quoniam nulla est causa cum qua habeant cõnexionem necessariam. Quæ omnia communia sunt tam futuris conditionatis, quam absolutis. Est tamen maior difficultas in futuris cõditionatis quam in absolutis. Quoniam futura contingentia absoluta quæ aliquando futura sunt, illa quidem habitura sunt verum esse reale pro aliqua temporis duratione seu differentia, ratione cuius possunt terminare intuitum diuinæ cognitionis ex æternitate, & ita illa à Deo sciuntur in se ipsis simplici intuitu, & nõ in aliquo medio; non sanè quia habeant connexionem necessariam, sed quoniam habent veram realem, & existentem connexionem, quæ cerni potest, & videri. At futura conditionata quæ nunquam erunt, sicut conditio nunquam est ponenda in re, ita similiter ipsa nunquam sunt habitura esse, & sic neque hoc modo possunt intueri in se ipsis, neque præterea verè habent in se connexionem, vel determinationem, quæ possit cerni in se. Quare nullũ mediũ videtur relinqui aut nullus modus quo possint cognosci. En igitur quam magna sit difficultas de modo cognoscendi certò & infallibiliter enunciationes de futuro conditionato, de qua re dicemus infra.

Probatur Conclu. Sed interim dum hæc tractantur, probatur assertio hæc tertia. Quoniam eodem pacto res aliqua se habet ad fore vel non fore sub cõditione, atque ad fore vel non fore absolutè: sed inter fore, & non fore absolutè non datur medium, quia vna pars est distinctè determinatè vera, altera verò distinctè falsa, & non tantum vera aut falsa vt diximus dubitatione illa 3. seu sect. 3. ergo pari ratione inter fore & nõ fore sub cõditione nullũ est medium, sed vnũ est determinatè verum, & alterum determinatè falsum: hac sola interueniente differentia, quod in propositionibus contradictorijs futurorum absolutorum effectus est sine conditione, & idcirco absolutè affirmatur futurus per vnam ex propositionibus contradicentibus, at verò in posteriori contradictione enunciationum ponitur conditio, & ita effectus est futurus cum conditione, in priori enim contradictione absolutorum ponitur absolutè causa, ex qua enunciatur effectus absolutè futurus, hac ratione: Paulus vocatur à me tali vocatione, nimirum secundùm propositum, vt Augustinus ait, cui Paulus respondebit, in posteriori verò contradictione futurorum conditionatorum sicut causa ponitur nõ quidem absolutè, sed sub conditione, sic etiam effectus sub eadem solum conditione asseritur, hoc pacto. Si Paulus vocetur in tali occasione, vocatione secundũ propositum, respondebit tanè, si verò vocetur tali vocatione aut non vocatione secundum propositum, non respondebit. Nam certè qualitas & conditio opposita causæ refunditur in effectum. In reliquis autem par & æqualis ratio videtur esse vtriusque contradictionis, nimirum absolutè & conditionatè: ergo cum in absolutè futuris vna pars sit determinatè & distinctè vera, altera determinatè, & distinctè falsa, pari ratione censendum erit in futuris sub cõditione. Quo circa omnes rationes quibus de absolutè futuris id ostẽdimus, id ipsum etiam ostendũt, & probant de futuris sub conditione, posita autem veritate distincte in vna parte contradictionis, & infinitate diuini intellectus, eodem pacto sequitur Deũ certò & infalliblliter cognoscere omnia, quæ sub conditione enunciantur.

Confir. 1. Et confirmari hoc potest. Quoniam omnis veritas priusquam vel in se, vel in determinatione Dei, vel in æternitate, vel in suis causis sit veritas certa & absoluta, fuit veritas conditionata de genere illarum, de quibus est sermo noster, verbi gratia, Deus voluit creare primũ parentem, cumque cum socia sibi vxore Eua in Paradiso esse, cum his & illis circunstantijs, volendo permittere eum peccare cum voluntate concurrendi ad actionem, & continuo vidit peccatum eius: igitur ante hæc omnia nostro more intelligendi fuit verum per enunciationem de futuro conditionato: Si Adam creetur in tali occasione, &c. ille peccaturus erit. Vnde cùm postea absolutè decretum est de conditione Adæ futura sub eisdem conditionibus, tunc veritas illius conditionalis, quæ erat sub conditione inclusa ostensa fuit per effectum subsecutum in propositione, & enunciatione absoluta: ergo Deus eamdem propositionem de futuro conditionato tanquam determinate veram cognouerat pro illo priori, atque adeo quamuis non crearetur, aut collocaretur Adã in illo ordine rerum, & sub illis circunstantijs, cognouisset eamdem propositionem, quia illa esset vera. Nam certè prius nõ pendet à posterio-

stetiori, & pari modò quælibet alia enunciatio de futuro conditionato quamuis res nunquā sit futura erit vera, vel falsa, & à Deo cognita certò iuxta exigentiam obiecti, tanquam vna ex duabus contradictorijs. Etenim si respectu illorum quæ aliquando futura sunt absolutè hoc rectè intelligitur, vt diximus dubitatione illa tertia sæpius citata, pari modo in his, quæ re vera non sunt futura possumus intelligere similem veritatem conditionatam. Quia quantum est in se eodem modo se habent pro illo priori signo rationis, in quo apprehenduntur, vt conditionatæ, vel ante diuinum decretum, vel ante coëxistentiam in æternitate, seu antequam fiant absolutè, seu antequam transeant in absolutas enunciationes de futuro contingenti absoluto.

Confirmatur. 2. Et confirmatur secundò. Nam postquam Deus voluit condere primum parentem & in tali ordine, atque oportunitate collocare, & permittere mala voluntatis suæ, vidit illum peccaturum: igitur iam propositio conditionalis de illo vera est, & idem est de qualibet alia eiusdem ordinis, & cōbinationis: igitur hæc erit vera: Si Paulus creatur in tali occasione peccabit, vel si Petrus creatur in tali occasione, & cū his circunstantijs, & gratiæ auxilijs non peccabit, sed potius conteretur de peccato suo: ergo quāuis intelligerentur illę propositiones proferri, & enunciari, prius ratione quā Deus vellet Paulum vel Petrū condere, etiam illæ propositiones de futuro conditionato essent determinatè veræ. Ostendo consequētiam. Quia iam habuissent ex tunc conformitatem cum re significata. Hanc enim non fecit, sed potius ostendit, & manifestauit effectus subsecutos, postquam Deus voluit Paulum, & Petrum cōdere, &c. Igitur eadem prorsus ratione omnis conditionalis similis intellecta vel cogitata in illo signo antequam Deus de facto aliquid decernat, aut velit de illo antecedente sub conditione sumpto est determinatè vera, aut falsa. Quoniam statim atque Deus vult ponere in esse antecedens illud, eo ipso determinatum est, quid ex illo subsequendum sit, vel non sit: ergo id ipsum antea sub conditione prolatum erat determinatè verum aut determinatè falsum, iuxta exigentiam obiecti.

Confirmatur. 3. Et confirmatur tertiò. Quoniā ita intelligimus se habere illam conditionalem de futuro conditionato secundùm illam anteceſsionē ad effectum aliàs postea absolutè futurum, sicut se habet ipsum futurum quatenus futurum est ad seipsum vt presens in suo tempore & in sua duratione: ergò sicut eo ipso quòd res aliqua habet esse in æternitate pro aliqua differētia & mensura temporis verè, & propriè est determinatè futura, & ab æterno fuit futura, sic etiam propositio conditionalis de tali re futura, si Deus velit ponere in re causam eius, est absolutè & determinatè vera, etiam si intelligatur prius ratione proferri vel concipi quā Deus aliquid eorum determinatè velit. Quia re vera ita futurum est sicut per illam significatur. Quòd si respectu absolutorum, quæ sunt aliquando futura, & habitura esse hoc bene intelligitur, pari modo etiam in his, quæ de facto futura non sunt intelligimus similem veritatē conditionatam in esse, etiam si ipsa conditio nunquam sit ponenda. Nam certè eadem est ratio omnium, & quantum est ex se eodem modo se habēt in illo signo rationis, in quo apprehenduntur ante determinationem voluntatis Dei veram ad efficiendum hoc vel illud.

Moveor similiter: quia quantum spectat ad modum significandi illarum enunciationū de futuro conditionato, ita enunciant vnum de altero, vt id sufficere possit ad significandū verum, vel falsum. Nam certe hæc affirmatio, vel negatio non solum per modum indicatiui fieri potest, sed etiam alijs modis, vt Aristotel. sensit lib. 1. Periermen. cap. 4. quod etiam liquet ex communi modo loquendi. Nam quando aliquis dicit: Si Petrus venisset, & accessisset ad Regem, Rex eum amplecteretur, sine dubio in hac enunciatione aliquid affirmatur, in quo potest esse verum aut falsum. Nam profecto illa enunciatio, seu oratio non relinquit animum suspensum, & ob id plerumque vel renuimus, vel admittimus id quod sic asseueratur aut dicitur. *Aristoteles.*

Ex quibus omnibus hunc colligo discursum, quod cum in his enunciationibus conditionalibus futurorum conditionatorum reperiatur, & sit sufficiens fundamentum, vt quantum in ipsis est cognosci possint, & sciri, si ex parte cognoscentis est sufficiens virtus & facultas, & perspicacitas cognoscendi, sequitur hæc obiecta esse scibilia, imo verò scita & cognita ab habente virtutem cognoscendi illa, cū omnis veritas ex se sit scibilis. Nam profectò cum in illo modo significandi futurorum conditionatorum possit esse aliqua contradictio, & in omni contradictione necesse sit vnā partem esse veram, & alteram falsam, sequitur quod quantum est ex modo significandi ibi sit sufficiens fundamentum ad veritatem determinatam, vel falsitatem. Quod autem ex parte rei significatæ non possit esse aliqua indeterminatio, vel suspensio, ostenditur ex omnibus fundamentis & rationibus, quibus id probatum & ostensum fuit de absolutè futuris: Quoniam fere est eadem ratio. Nam futura absoluta quandiu sunt futura nihil sunt, neque habent in suis causis determinationem. Imò verò conditionalis propositio de eadem re, quæ posterius ratione est absolutè futura, non differt ab absoluta, nisi in conditione, qua completa propositio redditur absoluta: igitur pari ratione & proportione si est veritas determinata in absolutis, etiam in conditionatis. Quia quantum attinet ad modum significandi earū, ita enunciant vnum de alio, vt id possit sufficere ad verum vel falsum significandum. Quia hæc affirmatio vel negatio fieri potest, vt supe rius diximus, per modum indicatiui, sed etiam

per

per alios modos, vt Arist. dicit. 1. de interpretatione cap. 4. & id etiam constat ex communi loquendi modo. Nam quando quis dicit. Si venisses tu hodie cum fratre meo perdito, ego hoc feciſſem: ſine dubio in hoc modo loquendi aliquid affirmatur, & aliquid affirmat prolator in quo dicere poteſt verũ aut falſum. Quia oratio & enunciatio illa non relinquit animũ ſuſpenſum: & euenit aliquando quod negamus vel admittimus, id quod ita aſſeritur & dicitur. Præterea ſi Paulus, verbi gratia, collocaretur tali ordine rerum ſub his circunſtantijs, in tali occaſione, & cum tali tentatione, ille quidem peccaturus erat, aut non peccaturus, & cũ hæc conditionalis ſit de diſiuncto extremo ſine vlla controuerſia eſt vera, quia eſt neceſſaria, ſed non poteſt Paulus vtrumque efficere ſimul: igitur in re vnum erat effecturus, quod in ſe determinatum eſſet, quamuis non lateat quid ſit illud: igitur ſi nũc per illam propoſitionem id affirmatur quod facturus erat, illa affirmatio nũc eſt vera, & cõtradictoria falſa, vel è cõuerſo, ſi id non erat facturus, affirmatio erat falſa, & negatio vera: igitur in re ſemper vna pars eſt determinata quamuis id nos minime cognoſcamus.

Obiectiones, & argumenta contra ea, quæ dicta ſunt in tribus aſſertionibus.

NONNVLLI negant conuenire Deo ſcientiam infallibilem futurorũ conditionatorum, idque probare conantur varijs rationibus ex quibus aliquæ ſupponunt oppoſitum fundamentum, nimirum hæc futura conditionata non habere ſufficientem determinationẽ quo ad ſuam futuritionem vt cognoſci poſsint vt futura omnino certò & infallibiliter. Prima obiectio ſeu ratio eorum eſt. Quoniam futurum cõditionatum, pro vt futurum, non eſt determinatum: ergo non eſt cognoſcibile, neque ab intellectu creato, neque ab increato & diuino vt futurum certò & infallibiliter. Patet conſequentia. Tum quia quod non eſt futurum, non poteſt à Deo cognoſci vt futurum: ergo pari modo, quod non eſt determinatè futurum non poteſt cognoſci vt certò futurum. Tum etiã, quia hoc non eſt contra infinitatem virtutis intelligendi, quæ conuenit intellectui Diuino, immo potius videtur repugnare illi cognoſcere hæc futura, vt certò & infallibiliter futura. Quia cognitio non eſſet conformis modo eſſendi, qui conuenit ipſis futuris. Hoc explicatur huiuſmodi exemplo. Nam omnipotentia Dei non poteſt id facere quod ſecũdum ſe nõ eſt poſsibile, neque hoc eſt contra eius infinitatem: ergo ſimiliter diuinus intellectus non valet intelligere tanquam certò & infallibiliter futurum, id quod ſecundùm ſe non eſt certo & determinatè futurum, neque hoc eſt contra eius infinitatẽ. Antecedẽs probatur. Quoniam ſi hoc futurum eſt determinatè futurum, vel determinatio futuritionis conuenit eis ſecundùm ſe, vel in ſuis cauſis. Primum dici non poteſt. Tum quia hoc futurum ſecundùm ſe nullum habet eſſe, neque in tempore, neque in æternitate in quo poſsit fundari hæc determinatio. Tum etiam quia repugnat idem ſecundùm ſe ſimul eſſe contingenter & determinatè futurum, cum contingentia importet indeterminationem, quæ repugnat determinationi; & ſanè quodcumque futurum contingens non ſolum conditionatum, ſed etiam abſolutũ ſi ſumatur ſecundùm ſe, ſemper eſt contingenter futurum, quia aliàs nõ poſſet dici futurum contingens, quia hoc eſt nomen quoddam cõpoſitum, & valet idem quod contingenter & indeterminatè futurum. Neque etiam poteſt dici ſecundum, quia cauſæ non ſunt determinatæ ad futuritionem huius effectus, quod de voluntate Dei videtur certum, quia vt dicemus voluntas diuina nihil determinauit de facto circa futuritionem horum futurorum conditionatorum, & de voluntate creata ſi ſit huiuſmodi futurum liberum eſt neceſſario concedendum, cum voluntas creata quatenus præſupponitur vt principium ſuorum actuum liberorũ, non ſit determinata ad alteram partẽ circa eos: ſed indifferens ad vtramq; & idem argumentũ fieri poteſt de quocunque alio futuro contingenti, quod non eſt liberum ſi comparetur ad proximam cauſam ſuam contingentem.

1. *Argum.*

DICES cauſam proximam, verbi gratia voluntatem, licèt ſecundùm ſe, & abſolutè nõ ſit determinata ad futuritionem huius effectus, ſed indifferens prout exigit eius libertas, tamen ex ſuppoſitione cõditionis, quæ præſupponitur ad futuritionem illius effectus eſſe determinatam. Sed contra hoc eſt. Quod illa cõditio non eſt determinata ad futuritionem effectus, neque habet determinatam connexionem cum ea, ſed indeterminatam, & indifferentem: igitur voluntas creata etiam facta ſuppoſitione huius conditionis manet indeterminata & indifferens ad futuritionem effectus.

2. *Argum.*

SECVNDA obiectio eſt, quod voluntas diuina nihil prædeterminauit circa futuritionem horum effectuum conditionatorum: igitur huiuſmodi futura conditionata non ſunt determinatè futura, atque adeò non poſſunt cognoſci à Deo tanquam certò futura, & infallibiliter futura, vt patere poteſt ex ijs quæ diximus paulo antea in prima obiectione. Conſequentia autem probatur. Quoniã ſicut nihil habet eſſe, aut modum eſſendi aliquem niſi dependẽter à voluntate diuina, ita nihil habet eſſe futurum niſi dependenter à volitione, qua Deus voluerit eſſe futurum, & ex conſequenti nihil habet eſſe determinatè futurum niſi dependenter à volitione, qua Deus voluerit ipſum eſſe determinatè futurum. Vnde ſi diuina voluntas nihil prædeterminauit, aut decreuit circa futuritionem horum conditionatorum optimè colligitur ipſa non eſſe determinatè futura: Antecedens autem probatur. Nam hæc futura con-

ditionata non sunt futura in tempore vt supponimus: ergo diuina voluntas frustra determinaret aliquid circa futuritionē eorum, atq; adeò cum voluntas Dei nihil faciat, aut velit frustra, sequitur ipsam de facto nihil decreuisse aut prædeterminasse circa futuritionem horum futurorum cōditionatorum: ergò implicat Deū certò & infallibiliter hæc futura conditionata cognoscere.

3. Argum. TERTIA obiectio est. Quia vel sciētia istorum futurorum conditionatorum præsupponitur in Deo ordine rationis ad liberam determinationem suæ voluntatis circa eorum futuritionem, aut subsequitur eam determinationem. Hoc secundum dici non potest. Quia rationes superius factæ ad probandum Deū cognoscere hæc futura conditionata si habent aliquam vim conuincunt id esse concedendum de Deo antecedenter ad liberam determinationē suæ voluntatis, & sine vllo respectu ad eam. Nam præciso omni respectu ad determinationem voluntatis diuinæ circa futuritionem horum effectuum, potest obijci conuenire eis determinatè fore, aut non fore, quia in tempore futuro pro quo dicunt futura conuenit eis determinatè esse, aut non esse ex propositionibus contradictorijs formatis de eorum futuritione, vnam esse determinatè veram, & alterā determinatè falsam. Si autem dicas primum sequuntur multa incommoda. Primum est volū tatem creatam esse determinatam ad futuritionem illius effectus, atque adeo non esse indifferentem, & liberam ad vtramque partem. Sequela probatur. Quoniam determinatio futuritionis huius effectus non fit ex vi huius diuinæ scientiæ quæ cum supponatur ad volitionem est pure speculatiua: ergo prouenit ex determinatione voluntatis creatæ à Deo, quia aliàs nullam habebit causam. Secundum incōmodum aut inconueniens est conuenire creaturis determinationem ad esse independentem à voluntate Dei, atque adeo à causalitate eius, quod est absurdum. Sequela probatur. Quoniam sicut scientia qua Deus cognoscit futurū esse hunc effectum, præsupponitur ad volitionem Dei circa eius futuritionem, ita etiam obiectum talis scientiæ, scilicet futurum esse ipsum effectum debet ad eandem volitionem præsupponi. Tertium inconueniens quod sequitur est futura absoluta cognosci vt determinatè futura antecedenter ad volitionem, qua Deus determinat vt sint futura: quod est magis absurdum. Quia sequeretur esse determinatum vt aliquid creatum habeat esse in tempore ex natura rei, & independenter à voluntate Dei. Sequela patet. Quoniam rationes quibus probatur Deum cognoscere futura sumuntur ex futuris absolutis vt superius diximus.

Confirmatio. SANE veritates istæ conditionales præsupponuntur non solum diuinæ scientiæ. Quia scibile supponitur scientiæ, sed etiam diuinæ voluntati, & determinationi, cum tales veritates non pendeant à decreto diuino, imò verò vt

A supponimus nihil Deus decreuit neque decernit de illis, & quamuis de illis decerneret adhuc ante talem determinationem, seu decretū Dei illa fututa conditionata suam haberent veritatem fixam & certam: ergo Deus non posset libere tales veritates impedire, aut inuertere. Imo verò Deus deberet eis necessariò accō modare suam scientiam, & suam voluntatem: ergò destruit hæc doctrina, & scientia futurorum conditionatorum, & liberorum diuinam libertatem. Explicatur hoc. Nam si priusquam Deus decerneret, aut vellet, verbi gratia, prædestinare Paulum, iam in aliquo priori rationis signo esset vera hæc propositio conditionata, si Paulus collocetur in tali ordine rerum prædestinabitur vel prædestinaretur à Deo: Si inquam hæc conditionalis antecedenter in priori rationis suam haberet fixam, & determinatam veritatem, non dependentem à voluntare diuina, sequitur non esse liberum Deo, sed necessarium omnino, quod si Paulus creatur, prę destinatur, & ex consequenti non est positum in libertate Dei, non prædestinare Petrum, si creat illum: igitur ne repellamus libertatem à Deo, vel dicendum est Deum non cognoscere futura hæc conditionata certo, & infallibiliter, vel saltem non posse illa scire absque aliquo decreto, vel respectu ad voluntatem Dei.

B

C

4. Argum. QVARTA obiectio est. Quoniam nullus potest assignari modus cognoscibilitatis ex parte obiecti, quo hæc futura cōditionata possint cognosci, siue ab intellectu creato, siue ab increato, vt futura certò & infallibiliter: ergò nulla ratione est dicēdum Deum ea certó cognoscere. Patet consequentia. Quoniam modus cognoscibilitatis ex parte obiecti habet se vt ratio formalis sub qua, respectu cognitionis, & idcirco sicut ablata ratione sub qua, non potest remanere cognitio, ita neque ablato modo cognoscibilitatis. Et probatur antecedens. Quoniam hęc futura vel sunt cognoscibilia per simplicem intuitum, & visionem, vel ex vi connexionis extremorum. Primum dici non potest. Nam hæc futura nunquam sunt habitura esse, neque in tempore, neque in æternitate: ergo secundum se non possunt terminare simplicem intuitum, aut visionem, & ex consequenti non sunt hoc modo cognoscibilia. Neque dici potest secundum. Quia connexio extremorum, & cōbinatio, seu complexio, vel est cognoscibilis ex terminis tanquam per se nota, & hoc non potest dici. Quia hæc connexio nō est sine medio aliquo inter extrema: vel est cognoscibilis per aliquod medium: & hoc impugnari potest optimè inductione facta per omnia media: quoniam vel tale medium esset extrinsecum, nimirum testimonium dicentis, aut reuelantis ipsa futura, & tunc de ipso dicēte posset tractari, & proponi eadem difficultas, videlicet quo pacto cognouisset futura illa contingentia, quæ reuelaret. Et rursus hic modus cognitionis per reuelationem, seu testimonium alterius, non habet locum in Deo, vt fusiùs tertia

D

conclusione deduximus ad aperiendam difficultatem eius, tum quia Deus non habet superiorem, qui ei manifestet, & reuelet ea, quę aliter essent ignota. Tum etiam quia talis modus cognitionis per testimonium dicentis ex se importat imperfectionem. Vel tale medium esset aliquis effectus, & hæc cognitio non potest Deo conuenire, quia est imperfecta: Et rursus futurum vt sic cum non habeat esse non potest habere aliquem effectum, nisi forte futurum, & de hoc similiter eadem difficultas esset scilicet quo pacto cognosceretur. Vel tandem tale medium esset causa aliqua, vel ratio à priori, & hæc causa est impossibilis quia cum sit omnino contingens futuritio talis effectus, seu fore eius, si poneretur talis conditio, non potest dari aliqua causa propria, & necessaria connexionis illorum extremorum.

Quintũ argumentum

QVINTA obiectio est. Quoniam non est maior ratio, cur posita illa conditione Deus magis cognoscat fore vnam partem quam alteram, neq; cur magis vna pars in re sit futura quam altera, nisi cognoscatur determinatio exercenda circa vnam partem: ergo. Et confirmari potest. Quoniam vel Deus cognoscit tantum futura conditionata, quæ cum conditione habent connexionem necessariam, & per se, aut causalitatis, aut alicuius coniũctionis ratione cuius necesse sit vno posito poni alterum, aut etiam ea, quæ cum conditione non habent connexionem per se, & necessariam, sed disparatam, & omnino accidentalem, vt si Paulus disputat, Ioannes manducat, vel contritur. Aut si Paulus dormit: Petrus agit iter. Primum non potest dici. Quia rationes factæ ad probandum Deum cognoscere hæc futura conditionata æque probant de primis, & de secundis. Nam etiam de secundis potest dici suum fore vel non fore esse determinatũ, quia suum esse aut non esse erit determinatum in tempore pro quo sunt futura, & propositiones contradictorias de eis formatas pugnare inter se in veritate, & falsitate, ita vt vna earum sit determinatè vera, & altera determinatè falsa. Neque etiam secundum dici potest. Quia illa futura nullam habent omnino connexionem cum conditionalibus, sed omnino disparate se habent ad eas, & ita suppositio harum conditionum nihil prorsus conducet aut faciet ad esse, neque cognitionem futuritionis istorum effectuum.

Confirmat.

Sextũ argumentum.

SEXTA obiectio est, Omnes propositiones quæ formantur de huiusmodi futuris conditionatis sunt falsæ: ergo pari modo ipsarum obiecta, videlicet futura conditionata carent veritate obiectiua, & ex consequenti non possunt sciri. Quia neque enunciationes sunt in se ipsis scibiles, nisi tanquã signa veritatis obiectiuę qua carent huiusmodi enũciationes. Probatur hæc consequentia. Quoniam id quod non est verum non potest sciri, quia quod non est, nõ scitur. Rursus confirmari hoc potest. Nam veritas propositionis mensuratur ex veritate obiectiua rei, quæ per ipsam significatur. Et cõfirmatur secundo. Quoniam quælibet istarum propositionum est conditionalis: omnis autem propositio conditionalis vera nihil aliud affirmat, nisi vnum sequi ex alio, vnde eius veritas non est aliud quam bonitas consequentiæ, qua vnum infertur ex altero. Cuius ratio est. Quia conditionalis propositio non significat aliquid esse aut non esse absolutè, sed solũ dicit quod vno sub conditione posito aliud sequitur: ex quo ortum habuit regula illa Dialecticorum affirmantium veritatem propositionis conditionalis consistere in bonitate cõsequentię: sed propositiones, & enunciationes, quæ de his futuris conditionatis formantur non habent rationem bonæ cõsequentiæ, quia consequentia quæ semel est bona, semper est bona, atq; adeo necessaria, & ob id Dialectici dicunt, quod conditionalis vera est necessaria, & tamen hæc propositio de futuro conditionato non semper est bona consequentia: ergo non est necessaria consequentia. Nam illatio futuritionis effectus sub conditione est contingens, & ita potest aliquando posita conditione quæ habet locum antecedentis non inferri futuritio, quæ habet locum cõsequentis, quod est dari antecedens verum, & consequens falsum. Hæc ratio habet fundamentum in S. Th. 1. p. q. 14. ar. 13. ad 2. Et confirmatur tertio cõsequenter ad prædicta. Quia omnis propositio conditionalis vera nihil aliud dicit aut affirmat, nisi vnum sequi ex alio, vt cum dico. Si Sol lucet, dies est. Si homo volat, habet alas. In quibus propositionibus solùm affirmo hoc sequi ex illo, & quoniam optime sequitur, idcircò dico verum, quod si non recte sequeretur falsum affirmarem. v. g. si dicerem. Si Petrus disputaret, Ioannes ambularet. Requiritur ergo vt dicam verum quod ex vi antecedẽtis sequatur consequens, alias falsum dicerem, & ad veritatem conditionalis nõ requiritur q ponatur in esse, quia conditionalis nihil ponit in esse. Cum igitur veritas conditionalis consistat in veritate consequentię, & consequentia, quæ semel bona est, semper est bona, quia necessario, sequitur quod si consequentia aut illatio, quæ in prædictis enunciationibus conditionalibus reperitur non est necessaria, vt constat in plerisque earum, sequitur quod neque sunt veræ, neque scibiles.

S. Thomas

Septima obiectio.

SEPTIMA obiectio. Huiusmodi propositiones sunt de subiecto nõ supponente, ergo sunt falsæ, ostẽdo consequentiam. Nam quod Dauid mansurus esset apud Ceilam non supponit quia neq; est futurum, neq; fuit futurum, & hoc ipsum est illius propositionis subiectum: ergo sunt enunciationes istæ conditionales de subiecto non supponente.

Octaua obiectio.

OCTAVA obiectio est. Quoniam hæc cognitio, aut scientia futurorum conditionatorum superflue ponitur in Deo, quia neq; requiritur ad libertatẽ Dei, neque ad liberam volũ-

tatem creationis rerum, aut gubernationis, & prouidentiæ, neque quidquam iuuat ad rationem prædestinationis, neque ad perfectissimam diuinæ scientiæ perfectionem. Quod manifeste constare potest. Quia quid refert, aut quid perfectionis est cognoscere infinitas complexiones disparatas, aut infinitas possibiles, & inutiles habitudines, seu impertinentes ab ordine rationis alienas, quę verbi gratia, coniungi possunt cum illa conditionali. Si Paulus loqueretur, si equus curreret, aut volaret, & cum similibus conditionalibus: possent enim cum illis conditionalibus portentosæ, & ridiculæ connexiones, & combinationes fieri. Vnde auctores huius sententiæ tenentur dicere, quod si equus curreret, Deus illo temporis articulo necessariò deberet scire Socratem tunc disputare, Regem dormire, aut Turcam dimicare, & si Abel superuixisset quot filios genuisset bonos, aut malos, magnos aut paruos, quot nepotes, quidque isti acturi essent si viuerent, quibus diebus aut horis dimicarent, aut loquerentur, quot somnia somniarent, & similes alias complexiones, aut combinationes possibilium rerum, & coordinationum, quæ tunc forent, nunquam tamen re vera futurarum, quod videtur otiose dici de Deo.

Nona obiectio.

NONA obiectio est. Nam si tribuenda est Deo hæc certa, & infallibilis cognitio futurorum conditionatorum, pari ratione eadem cognitio, & scientia, erit sufficiens ad cognoscendum futura absoluta antequam illa cognoscat per scientiam visionis post decretum suæ voluntatis: igitur si prius quam videat, aut prædefiniat, seu decernat opera bona saluandorum, & prædestinandorum ea cognoscit, & præscit, vt futura conditionata per illam præscientiam, quam antecedenter habet, sequitur posse dari causam diuinæ prædestinationis, vel saltem rationem quam Deus secutus sit in electione prædestinandorum, vt Henricus voluit. Imo verò posset dari causa, propter quam Deus hunc potius prædestinet quam illum, nimirum quia præscit, & præuidit per huiusmodi scientiam, aut per scientiam mediam, & neutram quid vnusquisque ex hominibus esset facturus si in tali loco aut tempore, aut sub talibus circunstantijs seu conditionibus collocaretur à Deo: sed hoc est contra sanam doctrinam, quæ affirmat bona opera in electis esse effectus diuini decreti prædestinantis, atque adeò cognosci non posse, nisi post decretum prædestinationis diuinæ.

DECIMA obiectio est. Quia sicut nihil derogat infinitæ potentiæ Dei, quod non possit facere id quod implicat contradictionem, quia est in se impossibile, ita non derogat infinitæ scientiæ eius, quod non sciat id, quod non est scibile in se, neque verum, quale est id quod per enunciationes de futuro conditionato re vera nunquam futuro significatur.

EN argumenta, quibus premitur controuersia hæc nimis quidem obstrusa, & difficilis, in qua duo præcipuè sunt explicanda. Primum est, quis modus sit cognoscendi hæc futura conditionata. Secundum vtrùm sit constituendum decretum conditionatum inquo cognoscantur, & vtrùm in ipsa conditione inuoluatur saltem respectus ad aliquam determinationem eiusdem diuinæ voluntatis.

Explicatio opinionum de modo, quo Deus iuxta eas cognoscat futura cõditionata, quæ nunquam erunt.

Primus modus Explicandi

VARIE sentiunt auctores huius ætatis in explicatione de modo cognoscendi futura cõditionata, quam rem nos ante ipsos tetigimus prima parte quæst. 14. arti. 13. dispu. 7. & 8. indigetque postquam recentes scholastici multa dixerunt, expeditione non parua, & principio, quia sermo est de scientia qua, certò, & infallibiliter cognoscuntur hæc futura conditionata repellenda est omnino sententia opposita, quæ Deo tribuit verisimilem, & coniecturalem quandam cognitionem horum futurorum conditionatorum. Hic enim modus dicendi præter quam quod iniuriam irrogat Deo, facit eum imperfectum in modo cognoscendi, & non superiorem ad hominis, & Angeli cognitionem, qui de plerisque conditionatis, coniecturis acutè valdè agere solent. Scientia enim Dei tantæ perfectionis debet esse vt illi nulla ratione possit subesse falsum, coniecturalis autem cognitio, & scientia talis est circa obiectum, vt certitudinem non habeat de obiecto. Prima igitur sententia est, quam sequitur inter iuniores quosdam Molina prima parte quæstion. 14. articulo 13. dispu. 14. 15. & 17. quo in loco dicit Deum per scientiam quandam mediam, quã dicit neque esse mere naturalem, neque pure liberam, (ac proinde veluti neutram, neque simplicis intelligentiæ omnino, neque visionis) Deum ex altissima, & inscrutabili comprehensione cuiusque liberi arbitrij in sua essentia intueri, quid liberum arbitrium pro sua innata libertate acturum sit, si in hoc vel illo rerum ordine collocetur, cum tamen posset re ipsa facere oppositum si vellet. De hac scientia media idem auctor dicit, eam nulla ratione esse absolutè vocandam liberam. Tum quia antecedit omnem liberum actum diuinæ voluntatis. Tum etiã quia in potestate Dei non fuit positum scire per eam scientiam aliud, quam re ipsa sciuit, ac proinde cum naturali scientia affirmat esse annumerandam, vt distinguitur contra liberam. Aduertit tamen eam scientiam non dici naturalem, quasi ita innata sit

Deo vt non potuerit scire oppositum eius quod per eam cognoscit. Quia si liberũ arbitrium creatum acturum esset oppositum, vt re vera potest, id ipsum sciuisset per eandem scientiam, & non id quod re ipsa scit. Et ex ijs colligit duo, quorum primum est non esse magis innatum Deo scire per eam scientiam hanc partem contradictionis, quam oppositam ab arbitrio creato pendentem. Secundo colligit hanc scientiam mediam seu neutram partim habere conditionem scientiæ naturalis, quatenus præuenit actum liberum voluntatis diuinæ, neque in potestate Dei fuit aliud scire, partim verò habere conditionem scientiæ liberæ, quatenus quod sit potius scientia vnius partis, seu vnius obiecti quam alterius, id quidem habet scientia ista ex eo quod liberum arbitrium ex hypothesi quod collocetur in hoc vel illo rerum ordine sit potius facturum hoc, quam illud. Vnde talis scientia dicitur pendere à libero arbitrio creato vt sit potius huius obiecti quam alterius. Nam nunquam erit scientia huius obiecti, nisi ex libera determinatione arbitrij creati ad ipsum, cum tamen posset facere oppositum & tunc sciret Deus oppositum obiectum, & nõ primum quod sciebat. Hæc dicit Molina, prima parte quæstion. 14. articulo 13. disputa. 17, column. 617. & 618. in impressione Conchensi facta anno. 1592. Et hac ratione vult ille Deum cognoscere certò, & infallibiliter non tantùm futura contingentia absoluta, sed etiam futura contingentia conditionata. Talem enim esse dicit vt per eam ex altissima, & inscrutabili comprehensione cuiuscumque liberi arbitrij Deus in sua essentia intuetur quid pro sua innata libertate liberum arbitrium acturum sit, si in hoc vel illo rerum ordine seu in hac vel illa cõbinatione collocetur. Cum tamen posset si vellet re ipsa facere oppositum. Et disputat. 14. præcedente dicit Deum per scientiam naturalem, se ipsum comprehendere, & in se ipso omnia quæ in ipso eminenter sunt, & ex consequenti liberum arbitriũ cuiuscumque creaturæ. Ex quo infert ante omnem liberam determinationem voluntatis suæ Deum ex altitudine scientiæ suæ naturalis, qua infinite superat singula, quæ in se ipso eminenter continet penetrat quid liberum arbitrium cuiusque creaturæ data hypothesi quod velit illud creare in hoc vel illo rerum ordine cum his vel illis circunstantijs, aut auxilijs pro sua innata libertate sit facturum cum tamen si vellet posset suspendere, & continere actum suum, vel facere oppositum, & si esset id facturum vt liberè potest Deus id ipsum prospiceret, non verò id quod re ipsa ab eo faciendum esse prospicit. Hæc ille loco citato.

Secundus modus explicandi.

Secunda opinio, seu modus dicendi est, qui dicit Deum scire hæc futura contingentia absoluta, & conditionata in suis causis proximis, & in comprehensione perfecta nostri liberi arbitrij, & eorum omnium, quæ possunt illud determinare, vel impedire. Quia etsi liberum arbitrium nude, & pure sumptum sit indifferens, & ob id in eo vt sic non possit effectus determinatus cognosci, tamen adiunctis omnibus circunstantijs, occasionibus, causis, & cogitationibus, quæ hic, & nunc illud circunstant infallibiliter in eius comprehensione cognoscitur ad quid seu ad quod obiectum determinaturum sit se ipsum. Quod si hoc est verum circa futura absoluta, similiter etiam erit verum circa futura conditionata, eadem est enim difficultas de futuris conditionatis, quæ est de futuris contingentibus absolutis. Nam si sentent ia hæc vera est de libero arbitrio actu existente, vel aliquando futuro, quod in comprehensione eius, & illorum omnium, quæ illud determinare possunt, cognoscitur certò quid acturum sit, idem proculdubio erit de eodem libero arbitrio apprehenso sub ea conditione, si in tali occasione, & circunstantijs constituatur. Hæc opinio, quæ ad saluandam cognitionem futurorum conditionatorum excogitata est, mihi videtur eadem omninò cum opinione Molinæ, neque ab ea discrepare, si absque contentione inspiciatur, tribuitur tamen à modernis auctoribus suæ familiæ Durando, in primo distinct. 38. quæstion 3. & verè Durandus eodem loco, numero 9. affirmat, quod sicut in causa necessaria præcognoscitur effectus necessarius certa cognitione, sic in causa contingente, cognitis omnibus, quæ eam determinare possunt, & quæ determinabunt, & cognitis omnibus, quæ impedient, vel non impedient eam, cognoscit certò effectum futurum contingentem. Et addit Durandus quod cum Deus non cognoscat alia à se, nisi per cognitionem suæ essentiæ, quod ipse cognoscit futura contingentia per notitiam suæ essentiæ, quatenus essentia sua est eorum causa. Quia cum cognoscat illa per notitiam suæ essentiæ, sequitur quod ea cognoscit, vel per hoc quod essentia Dei est eorum causa, aut per hoc quod est eorum exemplar, & cum non cognoscat illa per hoc, quod est eorum exemplar vt ipse Durandus ait, se ostendisse distinct. 33. sequitur Deum cognoscere hæc futura contingentia per hoc quod est eorum causa, ac proinde quod prima, & tota cognitio, quam Deus habet de futuris contingentibus est per eorum causam.

In qua re aduerte Durandum non sensisse quod in comprehensione nostri liberi arbitrij creati cognoscit Deus futura contingentia libera, sed solum in libero arbitrio creato cum illis omnibus, quæ ipsum determinare possunt, & de facto determinabunt, & cognitis etiam omnibus, quæ ipsum non impediant, huius autem

rei cognitionem tantum ponit de futuris contingentibus absolutis, quæ erunt, & nihil meminit de futuris conditionatis nunquã futuris re vera. Secundo dicit eam cognitionẽ habere Deum per notitiam suæ essentiæ per hoc quod essentia sua est eorum causa, in quo valdè discrepat à sententia relata: quia neque constituit scientiam mediam vt auctor Molina, & sui, neq; per aliam scientiam dicit Deum ea futura absoluta, & contingentia cognoscere, quam per noticiam suæ essentiæ diuinæ, & non in aliqua causa creata omninò, sed per hoc quod ipse est eorum causa, in quo vult per hoc ea cognoscere, quod ipse est etiã causa determinationis arbitrij creati, quæ omnia multum dissident à sententijs relatis, vt postea dicemus; præcipuè cum auctores citati negent dari gratiam quæ sit efficax vt venit à Deo ad determinationem liberam voluntatis creatę in actibus supernaturalibus conuersionis, & pœnitentiæ, &c.

3. *modus.* TERTIVS modus dicendi est Deum cognoscere futura hæc conditionata, virtute intelligendi sua infinita, penetrando immediatè veritatẽ, quæ in ipsis est, seu quæ concipi potest & non indigere vt ipsa cognoscat, aliquo alio medio. Qui sanè modus dicẽdi defenditur etiã ab illis auctoribus, qui sentiunt Deum cognoscere futura contingentia intuendo immediatè veritatẽ eorum. Et nota non esse maiorẽ difficultatem in hac cognitione, seu præscientia cõditionatorum, quam in cognitione absolutorũ contingentium. Nam in vtrisq; contingentibus cognoscitur veritas rei per immediatũ intuitum erga ipsam, licèt veritas eorum in causis suis videatur esse indeterminata, & à parte rei nondum existat. Hanc sententiam probãt auctores eius. Quoniã ex parte Dei, & ex parte principij cognoscendi nõ oportet quærere aliã rationẽ, vel alium modũ cognoscendi, quã ipsum infinitũ lumen Dei, & perfectionẽ infinitã scientiæ eius æternæ, ex cuius vi apprehenso quocumq; obiecto, & quacumq; complexione rerum à nobis enunciabili, ex efficacia sui luminis infiniti naturaliter iudicat, quid veritatis sit in vnoquoq; obiecto cognoscibili. In quo sensu videntur locuti illi auctores qui citantur à S. Thoma. 1. p. q. 14. ar. 13. in corpore, quando dicunt Deum cognoscere hæc omnia futura per rationes æternas eius, & ex vi earũ. Hic tamen modus dicendi est valdè difficilis: quia non videtur attingere punctum difficultatis. Quoniam difficultas præcipua nõ est ex parte principij cognoscentis: quia certum est Deum infinita sua virtute intelligendi ex parte principij cognoscendi habere ea omnia, quæ requiruntur ad penetrandam veritatem cuiuscunq; cognoscibilis, aut eam, quæ in ipsis futuris contingentibus esse potest, itaque difficultas non est ex parte principij cognoscentis, sed vel ex parte obiecti, vel ex parte modi, quonam pacto Deus penetret per simplicem intuitum immediatè veritatem,

A quæ in ipsis est. Nam præcipuè de futuris conditionatis, de quibus in opinione istorum Deus neque habuit decretum vllum, neque absolutum, neque conditionatum, sed neque incluſum, quasi habitualiter in ipsis futuris cõditionatis, & de quibus est certum nunquam fore in aliqua duratione, difficillimum est intelligere, quo pacto intelligatur veritas eorum. Nam in futuro absoluto suum fore, vel non fore est absolute determinatum, & consequenter est scibile, quod non euenit in futuro conditionato, ac proinde quamuis intellectus Dei sit infinitus, & infinite cognoscitiuus, de cuius sufficientia ex parte sui nulla

B poterat esse controuersia, tamen in modo quo possit attingi tale futurum, quod nullam omninò habet determinationem, neque in se neque in Deo, neque in secunda causa conditionata, respectu cuius potest considerari eius futuritio, quæ certò & infallibiliter debet cognosci, & attingi, id difficilius videtur. Nam quod non est determinatè futurum non appareret quanam ratione cognosci possit vt determinatè futurum, & certò futurum, ac proinde non apparet, quo modo penetretur veritas, quæ determinata debet esse, vt in illam intuitus Dei feratur, & cui falsum subesse non possit. Quod verò ista ratione non explicetur cognitio certa, & determinata futurorum

C conditionatorum constat apertè. Quia licèt iste modus dicendi, nihil dicat aut affirmet contra infinitatem virtutis intelligendi, quæ conuenit diuino intellectui, tamen iste modus cognoscendi hoc futurum, vt certò, & infallibiliter futurum, iuxta opinionem istorum non satisfacit, quia cognitio non esset tunc conformis modo essendi, qui conuenit ipsi futuro cõditionato, si aliter non procedat modus explicandi istorum ex parte diuinæ cognitionis. Nam quamuis Deus nihil cognoscat, nisi immediatè intuendo veritatem aut falsitatem rei: tamen quonam modo intueatur hanc veritatem circa futura conditionata, quæ neque secundùm se habent esse, neque in tempore, neque in æternitate neque illud habitura sunt,

D inquo determinata veritas fundari possit, id nõ explicatur ab huiusmodi auctoribus, maximè cum repugnet idem simul esse contingenter, & determinatè futurum, determinatè verum, & indeterminatè verum. Et præcipuè cum causæ non sint determinatę ad futuritionem huius obiecti, quod de voluntate Dei videtur certum, maximè in opinione eorum, & multo magis est certum de voluntate creata, si sit firmo de futuro conditionato libero, cum certa doctrina sit, quod voluntas creata quatenus præsupponitur vt principium suorũ actuum liberorum non est determinata ad alteram partem circa eos, sed indifferens ad vtramq;. Ex quo sequitur difficultatẽ controuersiæ non esse positam in eo, quod aliqui dicunt de iudicio Dei immutabili, vtrùm tale sit, vt non solùm attingat quidquid

futu-

futurum est in aliqua temporis differentia realiter futura, sed etiam quidquid esset futurum in quacumq; differentia temporis possibili, si Deus voluisset creare illud. Nam de hoc nulla est neq; vnquam potuit esse controuersia inter auctores Catholicos. Quia illud iudicium Dei cum sit infinitum, & immutabile, & Deus suo intellectu infinito cognoscat omnia futura cuiuscumq; ordinis vt superius stabilitum fuit, sequitur quod sine vlla vicissitudine mutationis, attingit quidquid futurum est in aliqua temporis differentia reali, vel quasi indifferentia temporis, veluti possibili. Vnde difficultas est de modo attingendi hoc obiectum, est enim vt auctores huius sententiæ dicunt res hæc obscurissima, neq; satis explicatur ab his quonam modo, aut medio nostro more intelligendi veluti vtatur Deus ex parte obiecti ad futura hæc certò, & infallibiliter cognoscenda. Nam quāuis veritas ipsa in se videatur à Deo, siue nullū habeat mediū, quia vnumquodque cognoscitur à Deo sicuti est, tamen non satisfit difficultatibus propositis.

SED ad hoc dicunt quod quia vnumquodque cognoscitur à Deo sicuti est, & non requirit entitatem aliquam realē præter eam, quam habet obiectiuè in diuino intellectu, ideircò si cut res non cōcurrit ad illam sui cognitionē veluti principium eius, sed merè terminando, ob id ad hoc non requiritur actualis existentia, si aliàs in cognoscēte sit sufficiens virtus & principium talis cognitionis. Hoc inquam non satis facit. Quia difficultas nō erat an requiratur actualis existentia tanquam quid necessariū ad certam, & infallibilem cognitionē futurorū cōditionatorū, quia hoc esset ridiculū, sed difficultas erat quo pacto possit obiectiuè cognosci talis veritas horū obiectorū, & repręsētari Deo, quorū neq; determinatio vlla ex parte Dei, neque ex parte causarū est, ad hoc vt obiectū dicatur esse prędens obiectiuè Deo. Aliqui dicūt quod quāuis veritas istorū conditionatorū in suis causis videatur esse indeterminata, & à parte rei nondū existat, tamen cognoscitur veritas eorū per conformitatē, & comparationē ad rem prout in tali tēpore, & modo existet sub cōditione. Sed certè quamuis sciētia Dei se extendat ex vi suæ infinitæ virtutis cognoscitiuę ad omnes veritates tam futurorum absolutorum, quam conditionatorum, tamen plurimum refert quod res absolutè futura habitura est aliquando suam existentiam, vel habet futuritionem ex sua causa ad id parata non tamen obiectum sub conditione tantum, quod tamen re vera non est futurum neque alias supponit in opinione istorum aliquem modum decreti, per quem possit iudicari veritas eius.

Gregorius Ariminen.

SIMILEM sententiam videtur habere Gregorius Ariminensis in 1. distin. 38. q. 2. §. Dico ergo. &c. ar. 2. prope finem articuli, vbi affirmat Dei sapientiam cuncta futura certo præcognoscere incomprehensibilem tamen, & inexplicabilem esse nobis, modum quo illa præcognoscat, nihilominus affirmat quod ex his quæ cernimus in nobis leuantes mentē nostrā ad ea quæ Dei sunt, ita philosophari possumus quod sicut ea quæ nostris oculis præsentia sunt, & illa intuitiuè cernimus per quā intuitionē certò iudicamus vbi, & qualiter hæ res visa existat, & veritates cōtingentes de præsenti, sic intuitus Dei, & intellectualis atq; æternus oculus eius habet rerū omniū intuitiuam visionē, imò verò ipse est quædam intuitio incō prehensibilis, qua fertur immediatè super quā libet rem actualiter vel possibiliter existentē. Et ideircò tā circa futura quā circa præsentia, & præterita omniū contingentiū veritatū certum, & distinctū ac veracissimū habet iudiciū, & infallibilē intuitionem. Hunc modū dicendi habet Gregorius, quē dicit esse conformē D. Augustino, & Damasceno, & Boëtio, & magnis inquit illic doctoribus modernis. Nullāq; adducit rationē Gregorius ad ostendendū hoc, sed solùm testimonia quædam Damasceni, Boëtij, & Diui Augustini. 15. de Trinitate, quorum verba potius fauent sententiæ D. Thomæ. prima parte quæstion. 14. articul. 13. vbi explicat modum cognoscendi futura contingentia, quem Deus habet. Verumtamen Gregorius nullam facit mentionē de futuris conditionatis in sua opinione, quod constat ex paulò antea relatis.

AEGIDIVS autem Romanus in opusculo quodam contra corruptorem doctrinæ Sancti Thomæ artic. 4. sentit Deum cognoscere hęc futura contingentia, siuè absoluta siuè conditionata per simplicem intuitum veritatis rei cum habeat lumen infinitum, & perfectionem omnimodā scientiæ eius, ex cuius vi, apprehēso quocumque obiecto, & cōplexione eius intuetur, & cognoscit Deus omnem veritatem contentam in illo & cū lumen, & scientia, aut intuitus Dei solum se teneant ex parte principij cognoscendi, & disputatio sit de obiecto, & termino cognoscendo, & non de principio cognoscente non satis explicatur difficultas rei. Dicunt tamen nonnulli Scholastici ex parte obiecti non requiri medium aliquod præter veritatem illius complexi conditionati, aut cōtingentis, quæ sese offert statim infinito lumini scientiæ diuinæ. Sed quo pacto hæc veritas sese offerat statim intellectui diuino, an in causa vel in ipso obiecto iam existente ad extra, vel ratione determinationis diuinæ voluntatis circa ipsum, vel ratione alicuius exemplaris, & ideæ, aut vllo alio modo, id non explicant auctores huius opinionis. Nam certè fatemur cum Sancto Thoma, & cum AEgidio Diuo Bonaventura, & cum Sanctis Patribus Deum præscire futura omnia, & habere infinitam, & claram notitiam rerum omnium, & veritatum, & comprehensiuam omnium possibiliū, & apertè, & nudè cognoscere quidquid de rebus enunciari potest, modum tamen quo hæc cognoscat, nō explicatur à Gre-

gorio, aut ab AEgidio. Et moderni interpretes huius cognitionis addunt Deum cognoscere futura cõtingentia per simplicem intuitum veritatis rei, non ex vi illationis, & bonitatis consequentiæ, non etiam ex vi connexionis vnius cum alio, nõ in causis, non in æternitate, non in determinatione voluntatis diuinæ, sed solùm quia re vera ita est sicut per conditionalem propositionẽ de futuro enunciatur, quòd si talis, aut talis poneretur conditio, talis sequeretur effectus. Vnde eo modo quo vnũquodque est in se, habet vt cognoscatur si ex parte cognoscentis datur virtus sufficiens. Qua propter moderni concludunt cũ Gregorio Arimi nensi, quòd sicut res præsens potest in seipsa directe videri, & cognosci, quia est iam ad vnũ determinata, similiter res præterita, res futura & posibilis, atq; conditionata potest cognosci, cum res istæ habeant in se suam determinatam veritatem. Sed profectò hic modus dicendi multa inuoluit quæ satis indicant vitium suum, præcipuè cum parem faciant intuitum obiectorum quæ iam sunt determinata, & præsentia Deo, & obiectum futurorum conditionatorum, quod neque est præsens Deo secundùm se, neque vnquam erit, & etiam cum parem faciant cognitionem obiecti iam præteriti cum obiecto futurorum conditionatorum, de quo diximus, neque futurum esse, neque vnquam habiturum esse aliquod præsens, aut præteritum. Cùm igitur futurum conditionatum careat omni determinatione, quæritur vbi sit determinata veritas huius futuri conditionati, quod sicut nusquam est, & nusquam erit, neque determinabitur, sequitur quod nusquam veritas eius poterit constare, si iste modus dicendi nihil amplius dicat quàm retulimus ad hoc vt præscientiã Dei terminare possit. Scio auctores huius ætatis dicere, quòd veritas omnium futurorum conditionatorum existit iuxta exigentiam significationis eorum, nimirum non absolutè, sed sub conditione: quod verum, dicitur verum obiectiuum, seu verum enunciabile, & significabile. Quod quidem verum quamuis in re non sit, actu est in potentia, non pura, sed reducenda vel reducibili in actum in tali occasione, & sub talibus occasionibus, & circunstantijs. Et hac ratione cẽsent hanc veritatem terminare scientiam Dei. Quoniam sic terminare non est aliquid intrinsecum reale in obiecto terminante, sed extrinsecum proueniens ab ipsa scientia, qua ratione actus intuitiuus ad illam terminari potest cum sit ex parte cognoscentis lumen infinitum, & virtus sufficiens. Verũtamẽ adhuc hæc omnia nõ satisfaciunt intellectui vt satis ex dictis cõstare potest, & ex argumentis supra factis.

4. modus dicendi.

QVARTVS modus dicendi est Deum cognoscere hęc omnia futura in rationibus ęternis ac idealibus, quæ nihil aliud sunt quam essentia ipsa diuina cum ordine ad creaturas, atque ita cognitio ista fit per hoc quod Deus cognoscit & comprehendit essentiam suam in qua omnis veritas representatur. Quia sicut in essentia Dei continentur veritates omnium rerum, ita etiam representantur omnes siuè sint absolutæ siuè conditionatæ. Nam certè quod Tyrij, & Sidones conuertendi essent ex prædicatione, & virtutibus Christi, si ibi fierent, id quidem veritas est vna, quæ asserta fuit à Christo prima veritate: igitur talis veritas vt representata in diuina essentia per ineffabilem, & incõprehensibiles rationes existentes in ipso Deo cognoscitur.

5. modus.

QVINTVS modus dicendi putat Deũ omnia, futura etiam conditionata cognoscere, quatenus diuinus intellectus, prout ordine quodã rationis antecedit decretum volũtatis, scit certò ad quos effectus ipsa voluntas diuina sese debeat determinare, aut non, & qui effectus essent quia sic determinaret voluntas Dei, & quæ media apponeret, seu quem ordinem aut modum vt sic effectus sequeretur infallibiliter. Quod sanè dicunt Deum cognoscere de voluntate sua prout comprehendit essentiam, & omne iudicium quod habet, & in rationibus æternis per quas cognoscit quid melius sit velle, & permittere in omni euentu, & occasione, ex quibus Deus scit voluntatem suam hoc, & illud esse volituram.

HIC modus dicendi etiam non satisfacit. Quia adhuc relinquitur difficultas de ipsamet voluntate diuina libera, quanam ratione, cùm ipsa libera sit, omnino possit cognosci, quid volitura esset in tali euentu, & in tali occasione, si Deus nullũ habet, neq; habuit decretum circa rẽ illam, quod maximè est verũ, si talis conditio vel occasio nullã habet connexionẽ, aut nullũ ordinem ad illã voluntatem. Dices volũtatẽ Dei non posse velle aut nolle aliquid nisi quatenus dirigitur, & dicitur à rationibus ęternis suæ sapiẽtiæ incõprehensibilis, in illis autẽ rationibus, & per eas etiã quatenus antecedũt actũ voluntatis Dei, posse Deũ scire quę determinaturus est per voluntatẽ suã vt sint vel nõ sint, vel vt essent, si apponerẽtur tales cõditiones. Sed profectò hęc respõsio nihil dicit quod satisfaciat intellectui. Nã quãuis Deus pro illo priori sciat in re ad quos effectus volũtas Dei se determinare debeat, tamẽ non ostendit quo pacto id fiat. Quia affirmare Dei voluntatẽ se determinare infallibiliter, & semper ad id q̃ est melius, hoc esset necesitare voluntatẽ Dei ad vnum, libertatemq; ipsius repellere, neq; etiã explicat hic modus dicendi quo pacto cognoscat Deus peccata conditionalia.

6. modus.

SEXTVS modus dicendi est, quem nõnulli ex modernis suscitarunt, nimirum Deum cognoscere futura contingentia absoluta, & conditionata certò, & infallibiliter in natura, & ingenio causarum liberarũ, seu in natura, & ingenio liberi arbitrij, & inclinatione voluntatis creatæ, & simul etiam in proportione, & efficacia ipsorum obiectorum circa causas liberas. Et alij dicunt hoc idem sub alijs verbis, nimirum Deum cognoscere futura omnia,

etiam conditionata in comprehensione perfecta voluntatis creatæ cum omnibus quæ illam ad volẽdum inducere, & determinare possent, & reuocare, ac repellere à consensu. Hunc modum dicendi sequuntur multi, præsertim illi qui censent Deum nullum actum liberum voluntatis creatæ cognoscere in prædefinitione suæ voluntatis. Quia, vt dicunt, Deus nullũ omninò actũ prædeterminat ac prædefinit in particulari quoad omnes eius circunstantias ante præuisionem concursus voluntatis creatæ se ipsam liberè applicantis, & determinantis ad eliciendum talem actum: & hinc colligũt Deũ in comprehensione voluntatis creatæ cognoscere futura illa conditionata. Hoc rursus videtur etiam affirmare plures moderni dicentes efficax auxilium Dei esse illud quod accommodatur complexioni cuiuscũq; hominis, expectando locum, & tempus, & accommodando illud iuxta affectionem, inclinationem, & ingenium, quæ vnusquisq; habet. Cum enim Deus optime cognoscat complexionem cuiuscumq;, ingenium, & propensionem, sicut cognoscebat apud Tyros, & Sidonios, sciens etiã quantam vim, & efficaciam haberent virtutes quæ ibi facturus erat, cognoscebat eorum conuersionem futuram. Nam pariter cognoscebat quantam vim habitura esset motio Dei ad effectum conuersionis, & qualis futura esset vis motionis illius, qua excitaturus erat Deus eosdem Tyrios, & Sidonios ad eandem pœnitentiam. Sciebat rursus Deus plures aliàs circunstãtias quæ occurrere debuissent tam loci, quam temporis, & ingenij illorum hominum, & ex consequenti cum homines semper operentur conformiter ad eas causas, & circunstantias, sequitur Deum illis positis præscire infallibiliter illorum conuersionem. Quod si dicas hãc cognitionem physicè, & ex natura sua non esse infallibilem, cui non possit subesse falsum, sed tantum esse moraliter certam, & valdè cõiecturalem. Respondent esse infallibilem, & certam: Quia concurrentibus omnibus illis occasionibus, & conditionibus supra dictis, nõ poterat stare quin effectus sequeretur, quamuis liberè, & sine vlla motione efficaciæ seu determinatione, nisi tantũ morali. Quæ sanè prædefinitio, & prædeterminatio moralis est veluti dispositio qua Deus ordinat, & disponit potentias simul, & obiecta, inclinando voluntatem suauiter, ipsique offerẽdo auxilia, & proponendo obiecta, & aptando circunstantias tali modo, & ratione vt non stet quin sequatur effectus, quem Deus intendit, licet Deus non præmoueat voluntatem hominis, verbi gratia ad cõuersionem, gratia eius efficaci vt ab ipso procedit, quod est præmouere efficiẽter propriè, & non præcisè moraliter. De hoc modo dicendi dicturi sumus in materia de auxilijs, vbi aperiemus mentem nostram, interim tamẽ illud est difficile quod dicit, nimirum quod in natura & ingenio voluntatis creatæ, & in cõprehensione eius simul cum cognitione com-

A

plexionis hominis, & circunstantiarum occurrenti infallibiliter cognoscitur, quid facturũ sit liberũ arbitriũ certò, & infallibiliter, cũ tamen humana volũtas talis sit q̃ positis omnib⁹ requisitis adagendũ potest adhuc agere, & non agere, habereque vsum liberũ ad vtramq; partẽ: igitur in tali causa libera etiã positis omnibus illis, quæ eã possent inducere ad actũ, non potest Deus certò, & infallibiliter cognoscere actũ: nõ sanè ex defectu intellectus diuini, aut luminis sui, sed propter defectũ cognoscibilitatis in causa illa omninò libera, quæ adhuc positis omnibus illis requisitis adhuc habet potẽtiã tã physicam quã moralẽ ad oppositũ cum quadã positiua indifferentia, quæ est intrinseca libertati ad liberum vsum exercendum.

B

Septimvs, & vltimus dicendi modus in hac parte est Deum cognoscere futura libera conditionata in aliquo decreto voluntatis suę, vel per ordinem, & habitudinem ad ipsum. Quod si quis dicat Deum de his futuris purè cõditionatis, nihil omnino sua volũtate decreuisse, quia illa neq; sunt futura neq; fuerunt futura. Respondent auctores huius sententiæ Deum non cognoscere hæc futura in decreto aliquo absoluto, quo Deus re vera voluerit illa fore, sed in decreto quodam conditionato includente in obiecto eandem conditionẽ. Quæ sententia sine dubio est Scoti in. 1. distin. 38. & 39. vt inferius dicemus. Nã Scotus sensit Deũ cognoscere futura cõtingentia absoluta in determinatione, & decreto libero suæ voluntatis, & omnes Theologi sentiunt eandem difficultatem cognoscendi quæ est in futuris conditionatis, esse etiam in futuris liberis ad vtrãq;. Quem modum dicendi explicuit Antonius, Cordubensis lib. 1. quæst. 55. dub. 8. opinione. 3, & ipsum moderni repellunt. Quia dicunt nihil conferre ad rerum gubernationem præcipuè in futuris conditionatis, neque ad prouidentiam, atque adeò esse frustra. Et eundem modum dicendi mihi tribuit Franciscus Suarez lib. 2. de scientia futurorum conditionatorum capit. 7. pagina. 360. quo in loco ipse dicit nos fingere multa, quæ neque fingimus, neque placet fingere. Hoc tamen vnum contra ipsum obijcio, quod ille negare non potest, nimirum Decreta libera Dei, siuè circa futura absoluta, siuè circa futura conditionata non esse impossibilia: potest enim Deus, & potuit hanc habere voluntatẽ, Si ego crearem alium hominem, aliumque mundum talium ordinum, & combinationum hæc, & illa facerem aut facturus essem: vel si crearem vnum alium Angelum cum tali gratia, & sapientia ipsum prædestinarem. Quia in hoc nulla est repugnãtia, neq; ex parte Dei, neq; ex parte obiecti. Sed de hac re dicemus nos cũ explicauerimus propriam sententiam. Hactenus dictum sit de vniuersis opinionibus quæ circumferuntur hodie in hac materia vt tanquam in latissimo campo hodierno die hominum otientur ingenia.

C

D

Vera sententia, & solutio difficultatum, & quid sentiendum sit de scientia media, & de futuris conditionatis: & eorum cognitione & modo.

Con. 1. diuisio scientiæ naturalem, & in scientiam liberã est sufficiens diuisio.

DE HAC igitur re dico primo. Diuisio illa & partitio scientiæ diuinæ in scientiam naturalem, & liberam, seu in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, est adæquata: Neque oportet aliud tertium medium distinctũ de nouo addere aut subdiuidere. Hęc assertio est contra recentes scholasticos huius ætatis, qui præter scientiam naturalem, & liberam conantur introducere tertiam aliam scientiam quam dicunt mediã, seu neutram distinctam à naturali, & libera, seu à scientia simplicis intelligentiæ, & visionis. Sed profecto neq; sancti Patres, neq; Theologi Scholastici antiqui constituerunt in Deo talem scientiam, neq; illa est necessaria. Quocirca quamuis scientia Dei pluribus nominibus possit appellari: nam aliquãdo dicitur scientia practica, & artificiosa, & aliquando scientia approbationis, quatenus accedente voluntate est causa rerum, & aliquando scientia naturalis, & libera, & interdum scientia simplicis intelligentiæ, & visionis, vt S. Thomas optimè explicuit prim. par. q. 14. tamen adæquatè omnis hæc varietas sub duplici mẽbro cingitur, & comprehẽditur, vt dictum est. Omnis enim scientia Dei vel est naturalis, vel libera, adæquatè enim hæc duo membra explicant scientiam Dei, & omnia quæ Deus cognoscit non solùm de se ipso, sed etiam de alijs à se, siuè cognoscat præsentia, siuè præterita, & futura, absolutè libera, aut conditionata, aut contingentia, & necessaria, ad horum omniũ cognitionem sufficit scientia illa infinita Dei, & infinitè comprehensiua naturalis aut libera, visionis, aut simplicis intelligentiæ, vt inferius fusè ostendemus.

HIS ergo iam prælibatis: sentio contra Molinam partitionem scientiæ diuinæ in naturalem, & liberã esse adæquatã, & perfectam, atq; adeò scientiã tertiã neutram seu mediam, quã ille introducere conatur sicut ipse eam constituit repellendam esse omninò, sicut verè eam repellit D. Augustinus, non quidem sub hac serie verborum scientiæ tertiæ, mediæ, aut neutræ, sed sub alijs terminis, atq; verbis. Quoniã Augustinus quamuis sentiat esse de fide Deũ habere præscientiam omnium futurorũ, tamẽ negat apertè aliquid factũ esse à Deo, aut ex præuisione operũ futurorum antecedenter ad propositũ volũtatis suæ: aut ex præuisione meritorum. Et D. Prosper in Epist. ad Augustinũ, si perpendatur, hanc eandem scientiam mediã seu neutram repellit, quæ videlicèt sit tertia scientia distincta à naturali, & libera. Quia execratur sententiam quæ dicit tolli virtutes, & industriam omnem si Dei constitutio aut prędefinitio humanas pręueniat volũtates. Nã putant Pelagiani præuisos esse à Domino credituros, & ex hac præuisione dispensasse omnia: quod sane aduersarij volunt per scientiam tertiam seu mediam conditionatam à Deo cognosci in eo sensu, quem ipsi explicant. Quocirca D. Prosper petit solutionẽ, & respõsionem à D. Augustino propter dissensiones ortas apud plures ex fidelibus de hac re. Quoniã pleriq; eorum, vt aduertit Prosper, non putabant Christianam fidem hac dissensione violari, & idcircò D. Prosper petit ab Augustino vt patefaciat quantum periculi sit in hac persuasione aduersariorum. Legẽda est pariter de hac re Epistola D. Hilarij ad Augustinum quę habetur etiam ante librum de prædestinatione Sanctorum.

VNDE egregiè D. Augustinus eodem primo libro de prædestinatione Sanctorum capite. 19. inquit. *Cum ergo nos Deus prædestinauit opus suum præsciuit, qui nos sanctos, & immaculatos facit.* non dicit Augustinus opus nostrum præsciuisse aut ex præuisione nostrorum operum futurorum Deum aliquid egisse aut nos prædestinasse. Ex quo quidem loco, & ex illo Pauli in quo Apostolus ad Ephesios. 1. dicit nos electos fuisse, & prædestinatos ab æterno, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius, concludit August. quod Pelagiani error arguitur, quod dicebatur ex præuisione futurorum electos fuisse. Et adducit Augustinus. *Nos sorte prædestinatos esse, & eam sortem consecutos esse electos secundùm propositum Dei, non quidem ex præuisione operum futurorum, sed ex vocante.* Nam vt ibi insinuat Augustinus si ex præuisione operum Deus operaretur per hãc scientiam mediam, quã aduersarij fingunt non ex sorte Dei, neq; ex proposito eius, sed ex consilio voluntatis nostræ præuisæ, & ex electione, & consensu voluntatis nostræ etiam præuisis ex hypothesi quod in tali rerum ordine collocetur, nos Deus eligeret, cum tamen Christus apertè, & absolutè clamet dicens. Nõ vos me elegistis, sed ego elegi vos, neq; quia credimus, sed vt credamus, vocamur. In quibus verbis si expendantur reijcitur ista præuisio scientiæ mediæ, seu neutræ, vt inferius etiam luculenter explicabitur. Legendus est D. Augustinus eodem lib. 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 16.

DIVVS Augustinus eodẽ lib. 1. de prædestinatione Sanctorũ cap. 18. explicans illud Pauli ad Epes. 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionẽ, vt essemus sancti & immaculati: secundùm placitũ voluntatis suæ,* D. Augustinus vt Pelagiũ omninò repellat inquit. *Præsciebat ergò ait Pelagianus, qui futuri essent sancti, & immaculati per liberũ voluntatis arbitriũ, & ideò eos ante mundi cõstitutionem in ipsa sua præscięntia qua tales futuros esse præsciuit. Elegit ergo inquit antequam essent, prædestinans filios quos futuros sanctos immaculatosq; præsciuit: vtiq; ipse nõ fecit, nec se facturũ, sed illos futuros esse præ*

D. Augus. *D. Augus.* *ad Ephes. 1* *Ephesi. 1.*

nidit. Intueamur ergo verba Apostoli, atque videamus vtrum propterea nos elegerit ante mundi constitutionem, quia Sancti, & immaculati futuri eramus, an vt essemus. Hactenus D. Augustinus referens & impugnãs Pelagiũ. Et paulò inferius idem Augustinus ex D. Pauli sententia non solum docet Deum elegisse nos, vt essemus sancti, & immaculati, sed etiam dicit quod creati sumus in operibus bonis: igitur sicut creatio nihil supponit, ita non supponit præuisionem operum vt Deus vel nos eligat, vel vt secundùm propositum volũtatis suæ, & sorte suæ gratiæ benedicat nos in omni benedictione spirituali in cælestibus. De qua re legẽdus est optimè Stapletonus lib. 4. de gratia & libero arbitrio, cap. 8. vbi explicans illud: *Inclina cor meum Deus in testimonia tua.* Psal. 119. & illud. 1. Regum. 8. *Inclinet cor nostrum ad se Dominus.* Inquit quod scriptura non dicit. Coge cor meum, aut cogat cor nostrũ ad se Dominus, sed inclina, & inclinet cor nostrum. Inclinatio enim conuersionem, & inflexionem significat, quam Deus in homine iuxta naturæ eius conditionem agit, & operatur, non autem coactionem. Et rursus explicãs illud: *Cor mundum crea in me Deus.* Et ad Galatas. 6. *Creati in eo in bonis operibus.* ad Ephesi. 2. id est ad bona opera facienda, vt exponit Augustinus de spiritu, & littera cap. 31. Quia totum principium huius creationis, seu conuersionis nouæ ad Deũ, à solo Deo est, & ab eius præueniente misericordia, atque multiplici gratia, non quia creatio illa præter hominis cõditionem propriam in homine fit: & propter hanc analogiam inter verã creationem & hanc mysticam, qua cor renouatum in noua quadam spirituali existentia constituitur, quasi ex nihilo, & sine vlla causa ex parte nostra dicitur cor mundum, & cor nouum creari. Quæ testimonia præsertim Augustini eo adducta sunt à nobis, vt explicemus Deum non agere ex præuisione operum antecedenter ad omnem suam voluntatem, & ad omne prorsus decretum voluntaris suæ, ac proinde non esse necessarium constituere tertiam scientiam neutram, qua ex præuisione operum dicatur scire futura cõtingentia aut absoluta & libera, aut conditionata. Quia licet verissimum sit Deũ omnia cognoscere & omnino cognoscere, tamen tertiã scientiam constituere ad hoc vt dicatur Deus agere quasi expectando voluntates nostras, nõ video qua ratione sit necessarium, imò verò video multa inconuenientia vt dicemus.

Psal. 119. 1. Reg. 8. Stapleton.

Psalm. 50. Galat. 6.

D. Augus.

RVRSVS D. Augustinus. 1. de prædestinatione Sanctorum, cap. 17. quod incipit. *Intelligamus ergo vocationem, qua fiunt electi, non qui eliguntur, quia crediderunt, sed qui eliguntur vt credant.* Apertè contra hanc scientiã tertiam, seu mediam cognoscendi futura libera ex præuisione operum futurorum antecedenter ad Dei voluntatem loquitur: præcipuè cũ in hac opinione aduersariorum Deus dicatur agere quasi expectando consensum voluntatis nostræ, vt illi placeat collocare voluntatem præuisam consentire, in tali vel tali ordine rerum, vbi ad hanc scientiam mediam præsupponuntur opera prius, vt futura, quam præuisa, siquidem expectatur consensus, & sic præuidetur per scientiam mediam. Contra quam agit D. Augustinus, cap. 17. citato, dicens, circa locum Ioannis 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. &c.* Nã si propterea electi erant, quoniam crediderãt, ipsi eum prius vtique elegerant credẽdo in eũ. Subiungit Augustinus statim: *Aufert autẽ hoc omnino qui dicit. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Et iterũ inferius. *Non ob aliud dicit, non vos me elegistis, sed ego vos elegi, nisi quia non elegerunt eum, vt eligeret eos: sed vt eligerent eum, elegit eos, quia misericordia eius præuenit eos secundũ gratiam, &c.* Ergo non præuisi sunt prius quàm Deus eos eligeret: ergò non sunt præsciti, & præuisi per quamdam expectationem voluntatis eorum, & consensus, antecedentem ad electionem, imò & ad ipsam cognitionem & sciẽtiam. Quo circa D. Augustinus hanc colligit sententiam, dicens: *Elegit ergo eos de mundo, cum hic ageret carnẽ, sed iam electos in seipsos ante mũdi constitutionem. Hæc est immobilis veritas prædestinationis, & gratiæ. Nam quid est quod ait Apostolus. Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem? Quod profectò si propterea dictum est quia præsciuit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes: contra istam præscientiam loquitur filius dicens. Non vos me elegistis, sed ego vos elegi: cum hoc potius præscierit Deus quod ipsi eum fuerant electuri, &c.* En quomodo repellit hũc modum præscientiæ tertiæ, qua ipsi præuisi fuerant consensuri prius antequam collocarentur, & crearentur à Deo ex suppositione in tali ordine rerum, sicut aduersarij volunt. Itaque hunc modum sciendi tertium non vult accipere D. Augustinus ne eo dato ab illis operibus futuris præuisis in tali ordine rerum sumeretur ratio eligendi, aut ratio collocandi hominẽ illum in tali ordine, quasi dictum, aut factũ hoc sit à Deo, quia præsciuit Deus crediturus, nõ quia facturus erat ipse credẽtes. Nam certè cõtra hunc modum dicendi, & contra istam præscientiam (inquit Augustinus) loquitur filius dicens. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: si potius hoc præsciuit Deus, quod erant consensuri, aut erant electuri eum in tali aut tali ordine rerum, vt sic posset vel dari ratio aliqua electionis eorum.

Ioan. 15.

PRAETEREA est insignis locus D. Augustini lib. 1. de prædestinatione Sanctorum, cap. 14. explicantis illud Sapientiæ. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectũ eius.* Inquit enim Augustinus: *Dictum est enim secundùm pericula vitæ huius, nõ secundum præscientiam Dei, qui hoc præsciuit quod futurum erat, non quod futurum nõ erat. Id est quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum subtraheretur incerto: Non quod peccaturus esset qui mansurus in tentatione non esset.* Quo in loco D. Augustinus expressè dicit Deum non præsciuisse

Augusti. Sapien. 4.

id quod futurum non erat, scilicet hunc hominem esse peccaturum, quia hoc re vera nō erat aliquando futurum, & ideo solum dicitur futurum sub conditione, scilicet si idem homo maneret in tentationibus huius vitæ. Et lib. 1. de anima, & eius origine, cap. 12. disputans quæstionem illam. An homines sint puniendi, propter peccata quæ Deus præsciuit eos esse commissuros si viuerent? apertè videtur negare Deū habere hanc tertiam scientiam mediam horum futurorum conditionatorum. Nam in fine illius capitis inquit: *Quid quod ipsa exinanitur omnino præscientia, si quod præscitur non erit quomodo non recte dicitur præsciri futurum quod non est futurum.* Cum igitur D. Augustinus non ignoret Deum certò præscire omnia futura quæcumque illa sint, sicut & nos fatemur Deum etiā illa omnia futura scire, & in his locis apertè negat istum modum sciendi antecedēter ad omnem Dei voluntatem ex præuisione operum futurorum, quasi expectata voluntate nostri consensus, & quasi expectata prius determinatione voluntatis creatæ, sequitur D. Augustinum id voluisse negare, scilicet istum modum dicendi de præscientia media, eo modo & ratione quibus explicatur à Molina, & suis.

D. Prosper D. Prosper in epistola ad Augustinum de reliquijs Pelagianorum, quæ habetur apud eundem Augustinum ante libros de prędestinatione Sanctorum, & de bono perseuerantiæ, vt confutet Massilienses qui dicebant paruulos mortuos ante vsus rationis saluari, aut damnari iuxta merita, aut demerita, quæ scientia diuina præuidit eos esse habituros, si ad adultā seruarentur ætatem, ita inquit: *Sed in tantum quibuscumque commentitijs meritis electionem Dei subijciunt, vt quia præterita quæ non extant, futura quæ non sint futura confingunt, nouoque apud illos absurditatis genere, & non agenda præscita sint, & præscita non acta sint.*

D. Damas. D. Damascenus lib. aduersus Manicheos prope finem distinguens prænotionem, agnitionem, cognitionem, decretū, & prædefinitionem, ait: *Prænotionem esse eorum quæ futura sunt antequam in ortu prodeant.* Vbi negat præsciētiam respectu eorum quæ nunquam sunt in ortum proditura, qualia sunt futura conditionata: & apertius statim idexplicat his verbis: *At quidem vis Dei præsciēs, à nobis causam haud quaquam habet, at vero vt ea quæ facturi sumus præsciat à nobis proficiscitur. Nam si facturi non essemus, neque ipse quidem quod futurum non esset prænosceret: Et quidem Dei præscientia vera, atque inuiolabilis est, verum ipsa haud quaquā causa est cur omnino fiat quod futurum est.*

Ego sanè lacte D. Augustini & doctrina S. Thomæ educatus, non aquiesco illi sciētiæ mediæ seu neutræ inter naturalem, & liberā, quæ neque est scientia simplicis intelligentiæ, neq; visionis: quæ ex præuisione operum antecedēter ad voluntatē Dei dicit Deū omnia prēordinauisse, & cognouisse. Et sanè Molina locis citatis. 1. p. & in cōcordia. q. 14. art. 13. dis. 50. A pag. 130. timuit introducere hanc tertiā scientiā mediā, aut neutram, neq; purè & merè naturalem, neque purè liberam, & idcirco dixit quod hæc doctrina de scientia media intellecta vt ipse docet primo suo aspectu perturbat: timuit igitur ille quod displiceret Theologis recte sentientibus. Primò propter ea, quæ diximus ex Scriptura, & ex Sanctis Patribus, atq; ex D. Augustino. Secundò quia ex modo ponendi hanc scientiam mediam reuocatur tota efficacia gratiæ, non in diuinum beneplacitum aut in diuinam sortem, sed in præuisionem boni consensus, & boni vsus liberi arbitrij. Tertio quia destruitur per hoc infallibilitas ordinis diuinę prædestinationis. Nam hic ordo ex doctrina Pauli firmissimè constituitur & fundatur in electione & proposito, seu decreto efficaci diuinæ voluntatis, quo ante omnē præscientiam nostrorum operum destinauit Deus vnumquemque illorum, qui saluandi sunt ad certum & determinatum gradum gloriæ per certa & determinata media. Quarto quia secundum prædictum modum dicendi sequitur non aliter præsciuisse, seu prædestinasse Deum bona hominum opera quam mala, ex cuius prę-
B scientię suppositione vtraq; destinauit, vel ad æternam damnationem, vel ad æternam gloriā, cum tamen Sancti Patres & Concilia dicāt bona prædestinari à Deo; mala autem solum prę-
C sciri, vt liquet ex D. Augustino, & ex Leone Papa nono, & ex Concilio Arausicano. Quintō, deficit Molina, & malè loquitur constituendo scientiam mediam futurorum contingentium ex prēuisione operum antecedenter ad voluntatem Dei, & decretum eius. Quia ponit Molina scientiam certam & infallibilē de obiecto, secundùm quod est incertum, & fallibile, & potens aliter se habere. Nam hoc est manifesta implicatio cōtra rationem veræ & perfectæ scientiæ, ad quam pertinet vt confirmetur totaliter suo obiecto tanquam propriæ regulę. Sextò. Quoniam futura contingētia quę pendent ex libero arbitrio quandiu non intelliguntur actualiter esse in se ipsis, neque in determinatione absoluta, & immutabili diuinæ voluntatis subiacent variationi, taliter quod
D non magis sunt futura ipsa quā opposita: possunt enim aliæ & alię rationes euenire ne illa sint futura, sed potius opposita, atque ita ex natura rei implicat quòd scientia totaliter certa & infallibilis determinetur ad illa, nisi vel secūdùm quòd prēsentialiter existunt in se ipsis vel in determinatione absoluta, & immutabili voluntatis diuinę: & hęc est sententia Sancti Thomę.

Inconuenię tia quæ sequuntur ex hac scientia media.

Quod sanè confirmari potest ex communi proloquio, quia sicut res se habent ad esse ita ad cognosci, ab eo enim quod res est vel nō est cognitio dicitur vera vel falsa, & regula totius veritatis est esse rei: ergo implicat dari scientiam determinatam omnino certam & infallibilem de eo quod neque in se, neque in suis causis habet esse determinatum, sed variabile,

& indifferens ad vtrumlibet: Vnde meritò D. *D. Augus.* Augustin. lib. 5. de ciuitate Dei cap. 8. & 9. docet ex omnium causarum serie, atque connexione cuncta certò & infallibiliter euenire, si ipse causarum ordo tribuatur Dei voluntati, cuius potestas inseparabiliter per omnia porrigitur, & inter alias causas, voluntates etiam creatæ cõnumerãtur. Si autem secludatur determinatio absoluta diuinæ voluntatis nullus aliarum causarum ordo, nullaue connexio sufficit ad inferendum certò & infallibiliter effectum, neque ad fundandam scientiam certam & infallibilẽ alicuius futuri contingentis. Quia quibuscumque causis, conditionibus, & circunstantijs particularibus positis, & quomodocumque ordinatis adhuc potest esse vel non esse futurum contingens si tale est, ac proinde nisi addatur actualis productio ipsius, vel determinatio absoluta & efficax diuinę voluntatis ad illud suo tempore producendum: nulla scientia potest certò & infallibiliter ad futura huiusmodi contingentia terminari, vt clarè habetur ex doctrina D. Thomæ multis in locis.

D. Thom. Septimo probatur ex D. Thoma. 1. part. quæst. 14. art. 13. vbi supponit futura contingẽtia posse considerari secundùm duos status, scilicet vt sunt in se ipsis, & vt habent esse in suis causis, sicut modò hæc mea scriptura hac hora est in se ipsa, & ante hanc horam solum habebat esse in sua causa, nimirum in determinatione libera meæ voluntatis ad ea. Rursus sanctissimus Præceptor D. Thomas duplex constituit discrimen inter hos duos status. Vnum quantum ad modum essendi ipsorum futurorum, & alterum quantum ad cognoscibilitatem, quæ fundatur in modo essendi. Primum discrimen est, futura secundùm priorem statũ non habere rationem futurorum contingentium ad vtrumlibet, sed præsentium, & determinatorum ad vnum; at verò secundùm posteriorem statum habere rationem futurorum & contingentium ad vtrumlibet, atque indeterminatorum, quia causæ in quibus habent esse sunt indeterminatæ, aut propter intrinsecã indifferentiam, & libertatem, aut quia multis modis possunt ab extrinseco impediri ne reducantur in actum circa tales effectus. Secundũ discrimen quod ex hoc sequitur est, futura secundùm priorem statum posse cognosci omnino certo, certitudine tenente se ex parte obiecti materialis, at verò secundùm posteriorem statum non posse cognosci omnino certò, sed solùm coniecturaliter, aut quantum natura rei patitur. Dixi autem hoc discrimẽ sequi ex primo, quia ex eo est sumenda eius ratio à priori, cũ hæc certitudo ex parte obiecti nõ sit aliud quam determinatio ipsius obiecti, ad illud esse, quod de eo cognoscitur, non poterit aliquid cognosci hoc genere certitudinis nisi pro vt fuerit secundùm se determinatum ad esse, & ita quia futura secundùm priorem statum habent aliquam determinationem ad esse, & non secundùm posteriorem, idcirco etiam secundũ priorem statum possunt cognosci certò loquẽdo de certitudine ex parte obiecti materialis, & non secundùm posteriorem: ergo cum futura conditionata nunquam sint habitura esse sequitur quod secundùm priorem statum nunquam possunt cognosci. Neq; etiam possunt cognosci in ipsa causa libera antecedenter ad determinationem suam, aut ad productionem effectus. Sequitur ergo quod cum hæc futura conditionata cognoscãtur à Deo sintque aperta oculis eius, quod cognoscuntur à Deo, vel secundùm aliquod decretum voluntatis includens cõditionem in obiecto, vel secundùm præsentialitatem quamdam obiectiuam propter contradictorias enunciationes à Deo cognitas, quarum veritas & falsitas determinatè à Deo cognoscitur, quæ contradicentes enuntiationes cum ambæ simul non possint esse verę, neque simul falsæ, vna earum determinatè vera est, à Deo cognita certò & infallibiliter. An verò fundamentum huius veritatis sit decretũ Dei absolutum circa futura absoluta, & quasi conditionatum circa futura conditionata, partim ex dictis & fusius ex dicendis aperitur. Quod videtur expressè dicere Diuus Augustinus lib. de prædestinatione Dei cap. 2. in quo agit de decreto, seu prædefinitione Dei. Nam id intelligit ibi nomine prędestinationis. Quia prædestinationem vocat prædeterminationẽ, seu prædefinitionem aut decretum Dei. Ita enim inquit Augustinus: Nefas est dicere Deũ aliquid nisi bonum prædestinare. Sed prædestinationum aliæ sunt alligationis, aliæ conditionis: istæ sunt iustitiæ: illæ potentiæ. Creauit Deus cælum & terram, Solem & Lunam, diem & noctem. Prædestinauit insuper vt cœlum volueretur, terra immobilis circumvoluẽti cælo loco cẽtri haberetur: Sol & Luna diei, noctique præessent, dies, & nox certis temporibus vicissim succederent. Hæ prædestinationes potẽtiæ sunt, & alligationis: Vnumquodque enim eorum quæ prædiximus sic alligatũ est suo operi per prædestinationem Dei, vt ab eo dimoueri non possit. Et statim subiungit exempla prędestinationis, seu prędefinitionis, conditionis, & iustitię, dicens. Creauit Deus hominem & prædestinauit (quasi dicat & decreuit, atque prędefiniuit) vt si obediens esset ac à gustu vetiti pomi se abstineret in vita permaneret: sin autem inobediens esset sententiam mortis subiret, Hęc prędestinatio conditionis est, & iustitię. En quomodo includitur in illa conditione, si obediens esset, decretum Dei, & prędefinitio, quod in vita permaneret, supposita conditione quod se abstineret. Neque quid dissimile est de quibusdam futuris cõditionatis, quòd si poneretur conditio fierent & sequerentur effectus ex diuina voluntate ordinante. Omnia enim quę futura sunt continẽtur in summa potestate diuinæ voluntatis, vt dicit D. Augustinus lib. 5. de ciuitate Dei cap. 9. *Quæ voluntas diuina creatorum spirituum voluntates bonas adiuuat, malas iudicat, omnes or-* *D. Augus.*

dinat

dinat & quibusdam tribuit potestatem, & quibusdam non tribuit: Hæc Augustinus.

QVOD autem ita sit procedendum in futuris conditionatis ostendi potest ex ratione opposita illi, qua S. Thomas loco citato probat futura absoluta, quæ aliquando erunt cognosci à Deo simul & ab æterno secundum illa tum, quo sunt in se ipsis. Quoniam ratio D. Thomæ est huiusmodi. Vnumquodque ex his futuris habebit aliquando in tempore statum priorem quo sit actu in se ipso, sed æternitas qua mensuratur diuina cognitio ambit simul & sine successione illum statum, quo sunt actu in se ipsis, atq; adeo cognoscuntur à Deo simul & ab æterno secundum illum statum. Ex quo nos possumus contrario modo argumentari hoc pacto. Nullum ex his futuris conditionatis habebit aliquando in tempore esse in se ipso, quia supponimus fieri sermonem de futuris, quæ nunquam erunt: ergo neque in æternitate, atque adeo certum est nullum posse cognosci certo secundum priorem statum quo actu sit in se ipso, neque in tempore, neque in æternitate, quod est huiusmodi futurum non posse simpliciter considerari secundum illum statum. Quia aut haberet eum in tempore aut in æternitate. Ex quo infertur huiusmodi futura conditionata quæ nunquam erunt, simpliciter tantum habere rationē possibiliter futurorum. Nam conditio nunquam adimplenda nunquam est futura, & ex consequenti solum est possibiliter futura, quod si rectè inspiciatur non excedit rationem possibilis. Omne enim ens possibile, est possibiliter futurum. Quia futuritio possibilis nihil addit ad verè possibile, neque est nouus modus entis. Vnde omne ens possibile quod nunquam erit in quocumque ordine rerum, & in quacūque cōbinatione est possibiliter futurum, & futurum sub conditione si Deus velit, vel si Deus voluerit conditionem poni in re. Et tandem D. Augustinus lib. de ciuitate Dei, cap. 9. vbi postquam contra Ciceronem egit qui negabat præscientiā sic dicens: *In eius voluntate summa potestas est, quæ creatorum spirituum voluntates bonas adiuuat, malas iudicat, omnes ordinat, & quibusdam tribuit potestatem, quibusdam non tribuit.* Et inferius: *Cui etiam voluntates omnes subijciuntur, quia non habent potestatem, nisi quam ille concedit. Causa itaque rerum quæ facit nec fit, Deus est. Aliæ verò causæ & faciunt & fiūt sicut sunt omnes creati spiritus, & maximè rationales. Quomodo igitur ordo causarum qui præscienti certus est Deo, id efficit vt nihil sit in nostra voluntate, cum in ipso causarum ordine magnum habeāt locum nostræ voluntates?* Quæ verba contra Ciceronem D. Augustinus protulit. Et tandem concludit. *Qui enim non est præscius omnium futurorum, non est vtique Deus. Qua propter & voluntates nostræ tantum valent quantum Deus eas valere voluit, atque præsciuit, & ideo quidquid valent certissimè valent, & quod facturæ sunt, ipsæ omnino facturæ sunt. Quia valituras atq; facturas ille præsciuit, cuius præscientia falli non potest.* In quibus omnibus locis D. Augustinus coniungit præscientiam futurorum, & contingentiū cum potestate diuinæ voluntatis, dicit enim voluntates nostras tātum valere quantū Deus eas valere voluit, atque præsciuit. Et idcirco quidquid valent certissimè valent. Ex quibus omnibus D. Augustinus semper videtur supponere fundamentum præscientiæ futurorum esse Dei voluntatem coniunctam cum potestate Dei, à quibus non repellitur libertas voluntatis, neque ordo causarum, in quo voluntates ipsæ continentur. Quod aduerto vt intelligamus necessarium non esse ad hoc vt Deus præscire dicatur futura voluntatis nostræ recurrere ad scientiam mediam, & neutram, & sufficientem esse partitionem illam scientiæ in naturalem, & liberam, præcipuè cum D. Augustinus dicat Dei scientiam esse artificem omnium effectuū & omnium causarum, quod non dicit propter scientiam illam mediam, aut neutram, quæ neque quidquam conducit neque saluat inconuenientia, quæ dicimus, & quæ dicemus.

DIVISIO igitur illa seu partitio scientiæ in naturalem & liberam, seu in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis adequata est, & non requiritur additio tertiæ scientiæ. Nam Dei scientia infinita, quæ comprehendit omnia intelligibilia potest considerari, primò, quatenus antecedit omnem prorsus liberam determinationem diuinæ voluntatis, & hac ratione dici potest scientia naturalis, aut simplicis intelligentiæ. Quia hæc ex vi solius intellectus, imò independenter à voluntate est in Deo. Secundò considerari potest, quatenus est ratione posterior, quasi subsequens determinationem liberam diuinæ voluntatis, seu subsequens respectum ad determinationem liberam, siue absolutam, siue cum ordine ad conditionem, & sic dicitur scientia libera, aut scientia visionis. Quoniam per modum quendam intuitionis terminatur ad res ipsas, quatenus pendent ex voluntate diuina quantum ad futuritionem aliquam, quæ de se respicit existentiam. Hac igitur ratione partitio scientiæ adequata est, neque admittit tertiam scientiam, aut tertium membrum.

Diuisio Dei scientiæ in scientiā simplicis intelligentiæ, & visionis.

SED obijciunt auctores oppositæ sententiæ quod cum determinatio diuinæ voluntatis prius ratione concipiatur vt futura, quam vt actu posita in te, idcirco scientia potest considerari, vt antecedens liberam voluntatem vtroque modo consideratam, & quod vt sic terminatur tantum ad obiecta omnino necessaria, qualia sunt Deus secundum existentiam actualem, & creaturæ præcisè vt possibiles, & hæc scientia dicitur simplicis intelligentiæ in omni rigore & proprietate, & consequenter omnis scientia quæ subsequitur determinationē liberam, vel respicit eam tanquam obiectum, potest dici scientia visionis. Sed in hac latitudine (dicunt aduersarij) potest subdistingui duplex modus, quia scientia Dei potest considerari, vt

Scientia visionis dupliciter sumitur à Theologis aduersarijs.

præ-

præcedens liberã determinationẽ vt in re positam, subsequens verò illam vt futurã, & vt sic non solũ ad necessaria terminatur, sed etiã ad libera, & futura cõtingentia, vel conditionata, vel pro vt futura ex vi talis voluntatis diuinæ & sub hac ratione talis scientia pertinet ad sciẽtiam visionis, quamuis vt præcedit liberam determinationem voluntatis diuinæ vt in re positam aliquid participet de simplici intelligentia. Altero autem modo Dei scientia considerari potest, quatenus posterior est ratione, libera determinatione voluntatis eius iam posita in re, & hæc est pura, & propria, atque rigorosa scientia visionis.

SED profecto quis non videat obiectionem hanc nullas vires habere contra cõclusionem, & sententiam nostram. Primo quidem, quia vt cumq; scientia aliqua dicatur intuitio rei in ordine ad existentiam, semper includitur in mẽbro scientiæ visionis. Imò verò si dicit ordinẽ aut respectũ respectu futuritionis, & non possibilitatis præcisẽ, semper potest reduci ad scientiam visionis, & intuitionis propter conceptũ quem concipit, non quidem tantum ad possibilitatem, sed ad futuritionem quocumq; modo considerată respectu existentię rei. Secũdo. Quoniã falsum est dicere determinationẽ diuinæ voluntatis cõsiderari vt futuram prius quam cõsideretur vt actu posita in re. Nam certè modus iste loquendi, neque est in re verus, neq; in modo enũciandi vlla ratione consonus Deo, non enim dicitur benè quod determinatio voluntatis diuinæ potest considerari vt futura prius quàm actu posita in re. Nam licet intellectus noster possit intelligere actus diuinos, intellectus, & voluntatis, cum ordine: tamen quod actus diuinæ voluntatis prius sint futuri, quam actu positi in re; & quod hoc vere consideretur, id quidem non conuenit Deo, futuritio enim derogat diuinæ infinitati & infinitæ æternitati Dei, & præterea ipsa obiectio si ponderetur, satis indicat distinctionẽ & partitionem scientiæ in naturalẽ & liberã, seu in sciẽtiam simplicis intelligentiæ & visionis esse adęquatam, quia re vera obiectio nõ aliud probat, neque aliam sufficientiam ostendit.

Aliæ tres rationes cõtra aduersarios.

RATIO ergo præter eas, quas supra adduximus, qua impugnatur modus ille dicendi de tertia scientia media distincta à naturali & libera, hæc est. Quoniã si daretur ista scientia neutra, seu media, qua Deus ante decretum suũ præuideret quid facturus esset homo in re in quocumque rerum ordine si in eo collocetur, sequitur aperte quod omnia euenirent necessario, & fatali quadam necessitate aut à casu respectu Dei. Nam ex præuisione futurorũ euenium, & prius est quod ipsa sint futura in re, & quod sint hæc aut illa in tali, aut tali ordine rerum, quam Deus illa præuiderit, quod putatur esse verum in opinione istorũ, aut quam Deus decernat de illis. Quia quidquid Deus faciat, decernat aut prouideat, hæc vel illa sunt futura determinatè antequam Deus de illis statuat ac decernat in opinione aduersariorum, imò verò antecedenter ad scientiam Dei. Quia vt aduersarij dicunt, ex eo Deus sciuit, & nouit rem aliquã esse futuram, quia ipsa futura erat: ergo, &c. Imò verò scientia ista media vt dixit Molina certa est, & infallibilis, ferturque in res futuras obiectiuè præsentes, & postea subsequitur complacentia quædam, seu voluntas complacentiæ in eis: ergo ante decretum, & voluntatem Dei ipsæ sunt determinatè futuræ & solum ponitur in Deo illa complacentia. Vel saltem res ipsæ quidquid Deus agat erunt, & consequenter necessario erũt, ex quo sequitur, quod ante voluntatem & decretum Dei habent re vera futuritionem essendi, & verè erunt, ex quo sequitur quod à casu erunt respectu Dei, imò & fatali quadam necessitate.

DICES Deum per hanc scientiam mediam præuidere seu præuidisse ad quam partem se voluntas Dei determinatura esset. Sed contra hunc modum respondendi arguitur. Quoniam voluntas Dei liberè statuit & liberè decernit & determinat, & non habet connexionem necessariam cum creaturis: ergo habet indifferentiam volendi, & statuendi hoc vel illud: ergo per talem scientiam mediam non potest infallibiliter scire illud. Rursus Deus apud aduersarios non potest scire ante decretum suum aliquid futurum liberè futurum, nisi sub conditione, sed Deus nihil decreuit de conditione, quæ non est à Deo determinata vt sit, vel vt ponatur in esse, sed est indifferens, & Deus non est determinatus ad statuendum de illa ante suum decretum: ergo nihil potest scire de vera existentia rei futuræ certò & infallibiliter antecedenter nostro more intelligendi ante determinationem voluntatis suæ, aliàs omnia sunt necessario futura quæcumq; futura sunt ante decretum Dei, & nunquam liberè futura. Quapropter præfata sententia sine dubio tollit contingentiam & libertatem, & latenter affirmat omnia euenire à casu respectu Dei, aut ex fatali quadam necessitate, quod nulla ratione est dicendum.

Solutio. Replica.

GREGORIVS Ariminen. in 1. dist. 38. q. 2. art. 2. in medio arguit nõ posse intelligi quo pacto possit haberi certa cognitio de futuris effectibus, qui dependent à contingenti libertate voluntatis creatæ. Quoniam vel determinationẽ diuinæ voluntatis circa futuram existentiam contingentis dependentis à libertate voluntatis creatæ necessario sequitur determinatio voluntatis creatæ circa idem, aut non. Si sic: ergo ita naturaliter agit voluntas creata sicut quæcumque causa naturalis, quia sicut voluntate diuina existente determinata ad vnum oppositorum, non est in potestate rei naturalis non coagere, & ipsa non determinata non coagit causa naturalis, ita voluntate diuina existente determinata respectu alicuius actus pro

Gregorius Areminen.

ducibilis à voluntate creata, voluntas non potest liberè non coagere, & hoc certè est falsum, quia tunc nullus eius actus esset sibi imputandus. Si verò determinationem diuinę voluntatis non necessario sequitur determinatio voluntatis creatæ tunc ad sciendum, vtrum effectus ponendus sit vel non, non sufficit nosse determinationem voluntatis diuinæ, sed oportet nosse simul cum hoc determinationem voluntatis creatæ, quę vt ipse putat, non cognoscitur per determinationem diuinæ voluntatis, & per consequens per talem determinationem non apparet quod Deus habeat certam notitiam omnium futurorum, ac proinde censet recurrendum esse ad solutionem eius, quam de ipsius mente supra retulimus post tertium modum dicendi in medio ante quàm recenseremus AEgidium Romanum, sed profecto sępe sæpius hic discursus Gregorij omnisque eius nodus solutus est, & dissoluetur multo melius infra.

Molina Deum de sua voluntate negat præscire quid volitura sit prius quam actu illud velit.

Molina in Concordia. quæst. 14. disput. 50. affirmat Deum de voluntate sua præscire non posse, quidnam sit volitura prius quam actu illud velit, de nostris autem voluntatibus ait posse scire Deum quid sint volturæ propter supercomprehensionem quamdam, qua Deus voluntates creatas non solum comprehendit, sed etiam supercomprehendit, & superexcedit. Nam licet propriam volũtatem comprehendat, non tamen excedendo eam, sed tantum adęquando, atque adeo dicit futura hæc conditionata prius quàm sint, non posse Deũ ex cõprehensione suæ volũtatis cognoscere.

Hic tamen modus dicendi quem Ludouicus Molina excogitauit, mihi non probatur, quia non est certus neq; satisfacit, vt designet apertum modum cognoscendi hęc futura conditionata per comprehensionem causarum. Nam certè Deus tam exactè & perfectè comprehendit voluntatem suam, sicut comprehendit voluntatem creatam. Quia quod nostram excedat impertinens est, post quam suam comprehendit. Et rursus. Quoniam pro illo priori est quædam propositio vera atque scibilis, & cognoscibilis ex se, nimirum quod voluntas diuina se debet determinare ad talem partem cõtradictionis, si talis vel talis conditio intercedat: ergo per diuinam cognitionem & lumen eius infinitum non stabit quin Deus id cognoscat. Itaque hic modus dicendi nobis non placet, videlicet quod in comprehensione causæ, quæ sit supercomprehensio, cognoscuntur futura conditionata, non tamen in comprehẽsione voluntatis diuinæ. Quia Deus comprehendit propriam suam voluntatem non excedendo eam, sed adęquando solum, sicut comprehẽdit voluntates creatas, & idcirco cum non supercomprehendat voluntatem suam, similiter non cognoscit Deus hæc futura conditionata de tali voluntate. Sanè quidquid sit de sententia, Molinæ, de qua iam diximus supra, fundamentum tamen adductum, seu ratio eius non mihi probantur. Primo. Quia supponit fundamentum apertè falsum, & contra S. Thomam, nimirum futura hæc cõditionata cognosci certò & infallibiliter in virtute & dispositione voluntatis per eius cõprehensionem. Secundò. Quia in voluntate libera creata sic dispositа, vel est cognoscibile quid sit actura & operatura, vel quid esset, si ita esset dispositа: vel non est hoc cognoscibile. Si dicas hoc secũdùm, sequitur quod quantumuis supercomprehendatur talis voluntas nunquam in illa id cognoscetur certò & infallibiliter. Si dicas primum, nimirum esse cognoscibile in ipsa voluntate libera creata, sequitur quantum est ex vi obiecti quod etiam in voluntate increata Dei, erit cognoscibile quam determinationem liberam sit habitura in hoc aut illo casu. Quoniam præcisè considerando obiectum non est maior ratio neq; connexio in vno quã in altero: igitur etiã ex parte virtutis cognoscitiuæ diuinæ tam cognosci poterit vnum, quam aliud, aliàs sequeretur quod aliquid ex se cognoscibile non caderet sub Dei cognitione ex defectu virtutis cognoscentis, quod dici non potest. Et declaratur hoc ex dictis superiùs. Nã quantum ad rationem cõprehensionis, quæ est rem cognoscere quantũ cognoscibilis est tam perfectè cognoscit Deus volũtatẽ suam propriam quã creatam. Si quis tamen excessus est in diuina scientia respectu voluntatis creatæ, ille per accidẽs est ad id de quo tractamus, vel solum est quasi materialis in genere entis. Vel quia scientia diuina plura posset comprehendere in illa volũtate, si plura in ea continerentur, sed hæc differentia vt diximus, solum est per accidens ad id de quo agimus, seu ad hoc vt in vna voluntate cognoscatur potius determinatio libera quam in altera: ergo, &c. Rursus modus iste dicendi quamuis haberet aliquam speciem probabilitatis, quam non habet, tamẽ non ostendit quomodo id sciat Deus, nimirum antequam velit, ad quos effectus se determinatura sit eius voluntas. Neque iuuat quidquam dicere, quod diuina voluntas semper determinat se ad id quod præstantius & melius est, quia hoc est apertè repellere libertatem à Deo, & ipsum necessitare ad eligendum semper quod præstantius, & melius est.

2. Ratio.

Secvnda ratio est. Quoniã si futura contingẽtia libera cognoscuntur à Deo antecedenter ad omne decretũ diuinę volũtatis, sequitur essentiã diuinam repræsentare res omnes etiã futuras liberas & cõtingentes, sed ex hoc sequitur vlterius quod eas repręsentet nõ liberè, sed necessario & naturaliter. Quod si hoc est verũ & concedatur sequitur primo, quod creaturæ nõ pendeãt ex libera electione volũtatis diuinæ. Secundò sequitur, quod si antecedenter ad omne decretũ Dei liberum repręsentantur necessario, & naturaliter in essentia Dei, quod nõ posset Deus alia facere quã facit. Quia antecedẽter ad electionẽ voluntatis Dei, quã creaturæ pręueniũt habẽt ordinẽ futuritionis, qui ve

rè,

rè, sed necessario repræsentatur ab essentia diuina iuxta aduersariorũ sententiã: ergo nõ posset Deus aliud facere, quã facit. Tertiò sequitur, quod tollitur omnis prouidẽtia & gubernatio libera circa creaturas, cum ipsæ creaturæ non liberè, sed necessario omnino repræsentẽtur ab essentia Dei, & repræsentẽtur vt futurę cũ omnibus modis suis, circũstantijs, accidentibus, & cõditionibus. Quartò infertur, quod quilibet beatus videbit in Deo omnia futura libera, & contingentia. Patet sequela. Quoniam beatus videt omnia quæ necessario & naturaliter repræsentantur in Deo, & præterea nihil horum fugit intellectum beati, si naturaliter & necessario repræsententur.

HVIC secũdæ rationi moderni putant satis esse respondere, quod quãuis à diuina voluntate sumatur diuersitas creaturarum, quia voluntas est ratio & causa cur quædã res erũt, & quę dã non erũt, & cur quædã essent si conditio aliqua adimpleretur, tamẽ cognitio totius huius diuersitatis creaturarum non desumitur à volũtate, sed ab eo, quod antecedenter ad voluntatẽ tota illa rerũ diuersitas repræsentatur in essentia diuina. Quare dicunt aliud esse repræsentare, & aliud esse, & quod creaturæ sint, habent à diuina voluntate, ac proindè liberè dicũtur habere esse. Quod verò repręsententur, id nõ habent à diuina voluntate, sed ab immensa & infinita diuinæ essentiæ capacitate, quæ prout præintelligitur volũtati præhabet in se illud totũ quod per vniuersam durationẽ ęternitatis habiturum est participium entis, & rationem entis.

Impugnatur solutio.

SED profecto hæc solutio nihil valet. Quia quamuis diuina essentia repræsentet antecedẽter ad decretũ Dei realem illã diuersitatẽ creaturarũ, & omnem modum entis cũ suis cõditionibus, & accidentibus, quod libenter fatemur, tamen hæc repræsentatio est earũdem creaturarũ, quatenus sunt possibiles, & possibiliter futuræ secundũ omnem illũ modũ, quem habent, & hoc habet essentia diuina antecedẽter ad libera decreta Dei. Verũ tamen quod non solũ sint possibiles creaturæ, aut possibiliter futurę, secundũ omnes illas cõditiones, sed quod etiã de facto sint euenturæ in re secundũ actualem existentiã, cum id pendeat ex voluntate Dei, & decreto eius libero in ipso, & ex ipso sumit Deus iudiciũ de actuali futuritione, & actuali existentia rerũ præsarũ prius secundum esse illud possibiliter futurũ, vt iam repręsentet illud nõ solum quatenus est possibile in ordine ad omnipotentiã Dei, sed etiã quatenus habebit esse de facto in tali tẽpore futuro, ratione liberi decreti æterni facti à Deo liberè. Vnde falsum est quod illa repræsentatio verę futuritionis actualis existentiæ euenturæ de facto, nõ pendeat ex libero decreto Dei. Nã certè si Deus decreuisset nunquã producere creaturas, in eo casu diuina essentia non repræsentaret creaturas, vt verè futuras de facto cũ ordine & habitudine ad realẽ existentiã earũ, sed tantũ repręsentaret eas, vt possibiles secundũ omnes illas conditiones quas habere possent, & Deus præsciret.

2. *Ratio ad rationem.*

SED quoniã ratio secũda, quæ pro nobis militat vehemẽter vrget aduersarios, nẽpe quod sequeretur ante diuinæ volũtatis decretũ esse aliqua quæ necessario in Deo repræsententur ex his quę liberè fũt futura, nõ in diuinis decretis, quia antecedẽter ad ipsa repręsentantur necessario, quod videtur valde incõueniens idcirco dicũt se excogitasse aliũ dicendi & respondendi modũ in hac parte, nimirũ hanc necessitatẽ repræsentãdi non esse absolutã, sed solum conditionatã, & ex suppositione determinationis futuræ causæ liberæ, quæ se liberè erat ad talẽ effectum determinatura. Sed certè in primis hæc solutio nihil cõtra nos, quod aliquid valeat dicit. Quoniã impugnata fuit superius paulo antea. Et præterea. Quia iam cõcedit repræsentationem illã non posse esse necessariã nisi suppositã prius determinatione causę liberæ, quæ liberè erat se determinatura ad effectum illum, in qua re semper desumitur repræsentatio dependenter à decreto libero diuinæ volũtatis, & censẽtur repræsentationẽ huiusmodi necessariam nõ esse omnino, ob id quod dependeat à voluntate diuina, ita sanè vt licèt diuina voluntas quodammodo in opinione ipsorum supponat in diuina essentia veritates illas contingentes iam præexistentes, & quasi relucentes in ea, tamen nõ necessario, & ita naturaliter relucentes, siquidẽ per habitudinẽ ad volũtatem diuinam, quæ earum rerum existentium debet decernere habet ipsa essentia diuina ipsas repræsentare. Nam profecto quamuis prædestinatio & prouidentia importent actum diuini intellectus, tamen quamuis sint formaliter actus eius nihilominus habẽt actum voluntatis & decretum voluntatis Dei coniunctum à quo cõplentur prædestinatio & prouidentia erga nos. Hanc solutionem esse certam, & ab ea concludi nonnulli ex auctoribus oppositæ sententiæ apertè colligunt. Quoniam ipsi censent diuinam ideã quæ pertinet ad intellectum non habere cõpletam rationem ideæ, nisi quatenus inuoluit, aut importat decretum voluntatis diuinæ, & idcirco censent probabiliter dici posse eatenus ideas diuinas repræsentare cõtingentia & creaturas omnes vt futuras & existentes, quatenus ideæ ipsæ nihil aliud sunt quam ipsa essentia diuina vt imitabilis à creaturis ex dispositione diuinę volũtatis, ac proinde quod nunquã repræsentatur futuritio seu existentia alicuius creaturæ in Deo sine ordine ad diuinam voluntatem. Vnde si fiat sermo absolute nullum futurum in aliqua duratione tẽporis relucet naturaliter, & necessario, sed tantũ liberè. Id tamen perpendere oportet quod diuina ipsa essẽtia tota & totaliter se manifestat vt cõprehendatur respectu intellectus diuini, qui infinitus est, & adęquatus illi, & ob id etiã quatenus antecedit ordine rationis actũ voluntatis Dei, videt ipse Deus creaturas futu-

2. *Solutio.*

ras, siue absolute futuras, siue cõditionatas, nõ tamẽ omnino independenter à voluntate, sed cũ quodã ordine ad illã. Et tandẽ aduertẽdum est cum S. Tho. 1. p. q. 15. art. 2. rerum posibiliũ nunquã futurarũ Deum non habere practicã ideam omnino cõpletam & exemplarẽ, sed tantum ideã speculatiuam, quę apud D. Bonauenturam est ratio ipsi Deo cognoscendi illa posibilia, seu posibiliter futura, aut conditionata futura, quæ nunquã sunt producẽda: Quia ob istam causam dicũtur esse ideæ speculatiuę. Dicit enim sanctissimus Præceptor quod idea secundum quod est exẽplar, habet se practice ad omnia quæ à Deo fiunt secundũ aliquod tẽpus. Cæterũ secundum quod est principiũ cognoscitiuũ se habet ad omnia, quę à Deo cognoscuntur etiã si in illo tẽpore fiant speculatiue, seu per modum speculationis, idq; affirmat in corpore, & ad 2, vbi inquit, quod eorũ quæ neque sunt, neq; erunt, neq; fuerunt, Deus nõ habet practicã cognitionem, nisi virtute tantũ, & ob id respectu eorũ nõ est in Deo idea secũdũ quod idea significat exẽplar, sed solũ quod significat rationem. Quare in eadẽ. 1. p. q. 15. art. 3. in solut. ad 4. quãuis fateatur genera, & species habere ideã in Deo, tamen affirmat genera nõ habere aliã ideam ab idea speciei secundũ quod idea significat exemplar, quia nunquam genus fit, nisi in aliqua specie.

3. *Ratio.*

TERTIA ratio desumi potest ex his, quæ nõnulli ex recentibus Theologis concedunt, in suo modo dicendi de cõcursu Dei ad actiones nostras liberas. Dicunt enim Deũ non absolute, sed quasi sub cõditione velle, quod v. g. hic actus vel ille liber fiat à volũtate creata, si ipsa se se ad illũ eliciendũ terminauerit, & sub eadẽ conditione velle influere, & cõcurrere in eũdem actum, expectando tamẽ influxũ creatæ voluntatis, ne eius lędatur libertas. Hac ergo ratione censent moderni Deũ certõ & infallibiliter cognoscere futura libera, & ad hoc necessariam esse tertiã illam scientiã mediam. Sed mirabile est quod ad hoc sit necesaria tertia scientia media. Quia si Deus expectaret priꝰ influxũ voluntatis creatæ iã Deus cerneret influxũ illum voluntatis nostræ, neq; opus esset tertia scientia media, sed sufficeret naturalis & libera. Quia si Deus expectaret influxum ipsum creatum arbitrij nostri, iã cerneretur in se in eodem signo. Rursus inauditũ est quod hæc sentẽtia supponit vt fundamentũ ad suã opinionem stabiliendã nimirũ Deum expectare influxũ voluntatis creatæ, cum v. g. Deus debet concurrere & influere in actum supernaturalẽ pœnitentiæ, quia in primis prius apud istos intelligitur influxus creatus volũtatis nostræ ad actum contritionis, vel conuersionis, quam intelligatur Dei concursus, siquidem sub hac conditione Deus vult influere & cõcurrere ad talem actum, vt prius influat creata voluntas, seu expectando influxum voluntatis creatæ, in quo primus auctor illius influxus voluntatis creatæ seu determinationis eius censetur esse ipsa voluntas, siquidem Deus nõ aliter vult influere, neque influit, aut concurrit nisi expectando influxum voluntatis creatæ, ne lædatur ipsius libertas, quod qua ratione dicatur iudicet fidei magister Summus Pontifex. Deinde etiam non video cur hoc non sit contra Cõcilium Arausicanum secundum, vbi palam definitur Deum non expectare volũtates nostras, vt purgari velimus. Et tamen respectu cuiuscũque actus auctores oppositæ sentẽtiæ censent Deum velle influere in actus voluntatis expectando influxum voluntatis creatæ, & sub hac conditione velle concurrere & influere. Influxus autem voluntatis creatæ vel est conuersio peccatoris, vel aliquis alius actus, qui quamuis non sit conuersio, est tamen actus bonus, aut supernaturalis, & vt minimum debet esse consensus voluntatis nostræ: & adhunc, quomodo dici potest, quod Deus expectat influxum voluntatis nostræ, seu cõsensum, vt ipse influat aut cõcurrat. Quia in hoc modo dicendi prius intelligitur præuideri à Deo influxus volũtatis, aut ipse consensus voluntatis, quam intelligatur influxus aut concursus Dei, ex eo quod Deus vt influat, aut cõcurrat, dicitur expectare consensum, seu influxum volũtatis nostrę, quod nec Sancti Patres, neq; D. Thom. dixerunt. Et tandem si Deus expectaret influxum & concursum voluntatis creatæ, voluntas esset præuia, & Deus pediseque, & veluti famulus, qui expectaret ipsam, sed de hac re aliàs plura dicemus.

Secunda Conclusio.

Esse in Deo decreta libera circa futura, cõstat de fide.

DIco secundo. Negari nõ potest vlla ratione quin in Deo fuerint multa decreta libera nõ solũ circa futura obsoluta, sed etiã circa futura cõditionata. Quod fuerint in Deo decreta libera circa futura de fide esse cõstat. Quoniã omnia, quę à Deo liberè processerũt liberè etiã decreta fuerũt ab ipsa æternitate. Rursus etiã quis dubitat, aut dubitare potest de cõuersione D. Pauli, Deũ eã decreuisse, & pari etiam ratione de cõuersione illa latronis in cruce pẽdentis, & multo magis id ipsum credendũ est de electione matris suæ sanctissimæ, cuius vitã Deus ipse disposuit & decreuit, ipsius sanctitatẽ, & mirificas operationes, cõsensusq; Apostolorũ, quos ipse elegit in suos. Neq; hoc solũ est verũ, sed etiã est certũ in diuina voluntate cõsiderari à Theologis quędã libera decreta respectu rerũ, eo quod ipsa volũtas Dei verè libera sit, quæ sanè decreta quatenus libera sunt, seu quatenus terminãtur liberè, ad talia obiecta potuerũt nõ esse in Deo ex æternitate, licet post quã semel fuerunt in Deo non possint mutari, & variari propter Dei immutabilitatem.

DECLARATIO hoc potest. Nã propositio in qua Deo attribuitur aliquod decretũ liberũ, vt velle creare mundũ, velle incarnationẽ Verbi, velle conuersionem Pauli & latronis, velle conuersionem gentium, & Apostolorum, non prius ratione habet determinatam veritatem

quam

quam Deus intelligatur actu habere in sua æternitate illud decretum, & idcircò tale decretum obijcitur scientiæ Dei vt præsens. Hoc autem ita certum esse iudico vt nullo pacto possit negari. Ex illo enim decreto Deus habet verum iudicium, & veram sententiam de re quam ipse facturus est in tempore, & de effectu libero, quem Deus præparauit & disposuit vt fieret à creaturis, ipsis sese determinantibus sub decreto illo diuino, & sub artificiosa eius, & ineffabili dispositione in ipsius decreto inclusa, & in artificiosa Dei scientia.

HANC omnem sententiam & doctrinam constituo contra eos, qui dixerunt non posse Deum scire huiusmodi decreta ad modum futurorum contingentium, vel absolutè, vel sub conditione, etiam si Deus actus liberos creaturarum ita cognoscat, cuius rei fundamentum esse volunt. Quia putant Deum scire futura libera in causis proximis, & in comprehensione perfecta voluntatis creatæ, & eorum quæ eam determinare possunt. Quia licèt liberum arbitrium nudè sumptum sit indifferendo, & ob id in eo vt sic non possit effectus determinatus cognosci tamen adiunctis omnibus occasionibus, circunstantijs, & causis, quæ hic & nunc illud circunstant, infallibiliter in comprehensione ipsius cognoscitur ad quid sit determinandum. Quo fundamento ipsorum ita posito sentiunt Deum non potuisse scire illa decreta ex ipsa diuina voluntate, posse autem scire decreta creata in ipso libero arbitrio creaturarum, & ita scire posse effectus creaturarum liberos, siue absolutè futuros, siue ex hypothesi: & rationem differentiæ assignant, quia cognitio causæ, quæ liberè operatura est, non solùm debet esse comprehensiua voluntatis, sed etiam debet esse supercomprehensiua. Deus autem quamuis voluntatem creatam comprehendat, & supercomprehendat, quia eam infinitè superat, & excedit, quod est volũtatem creatam supercomprehendere, tamen propriam suam voluntatem diuinam, licèt eam ipse Deus comprehendat, tamen non comprehendit ipsam excedendo, sed solùm adequando, & idcircò non dicitur supercomprehendere ipsam, & consequenter neque cognoscere hæc futura de tali voluntate, & decreto eius. Sed profecto iste modus eludendi veritatem, alienus est ab omni ratione: imò vero impertinens, & sine aliquo fundamento. Primò, quia dicere quòd in supercomprehensione volũtatis creatæ cognoscitur decretum eius, & quòd non cognoscitur in comprehensione adequata & infinita voluntatis diuinæ est voluntarium, & illud de supercomprehensione est ridiculum. Nam si comprehensio est infinita, & omninò adæquata, quidquid in ea continetur, cognoscitur sicut continetur. Si enim solùm in potentia eius est, cognoscitur vt existens in potentia illius, si vero actu continetur cognoscitur vt actu existens in ea, sicut cognoscuntur decreta libera in eo. Præterea quantum ad hanc rationem comprehensionis, quæ est rem cognoscere, quantum cognoscibilis est, tam perfectè Deus cognoscit suam voluntatem quàm creatam omnem, si quis verò excessus reperitur in scientia Dei respectu voluntatis creatæ habet se solùm materialiter, quatenus scientia diuina potest, & posset semper plura comprehendere in voluntate creata, si plura in ipsa cõtinerẽtur. Quare illa differentia quæ sumitur vt fundamentum quantum attinet ad probandum id quod intendit impertinens est, imo tale discrimen per accidens tantùm se habet ad hoc vt in vna voluntate potius cognoscatur libera determinatio quã in alia, ac proinde negari non potest cognitio horum decretorum liberorum in ipsa diuina voluntate.

VNDE decreta hæc libera voluntatis diuinæ dicunt respectum rationis ad obiecta liberé futura, & Deus neque re ipsa, nec secundùm rationem potest cernere hæc decreta libera priusquam ipse ea habeat, seu priusquam sint actu præsentia Deo in se ipsis. Et idcirco propositio in qua tribuitur Deo aliquod decretum liberum, qualia sunt illa quæ recensuimus suprà, talis propositio non prius habet determinatam veritatem, quam Deus intelligatur actu habere decretum illud ab æterno in æternitate sua.

In Deo nulla est futuritio in suis actibus ad intra.

VT ergò res hæc percipiatur, & minimè aliquis decipiatur aduertendum est falsum esse in ipso Deo esse futuritionem aliquam in suis actibus ad intra. Nam quamuis possit considerari ordo in actibus intellectus, & voluntatis diuinæ: quia cùm huiusmodi actus sint infinitæ perfectionis, & in vnico nunc æternitatis extiterint, simul nulla futuritio inter eos, neque ex parte intellectus, neque ex parte voluntatis debet à nobis excogitari, aut tribui Deo, vt sæpe sæpius: diximus: imò verò malè tribueretur Deo à nobis. Quia sicut futuritio importat imperfectionẽ contrariã æternitati, & oppositam illi, ita quod à nobis excogitetur futurio vt tribuenda actibus diuinis si inter se conferantur, esset derogare æternitati Dei, benè tamen possumus, quia more nostro intelligendi loquimur de Deo per conceptus inadæquatos, considerare actus diuini intellectus, & diuinæ voluntatis ordine quodam, ita vt consideretur vnus actus prius ratione quàm alter, sed non vt futurus. Ex quo apertè constare potest Deum secundùm se simul & in eodem instanti æternitatis, sine vlla antecessione imaginabili habere decretum liberum de vniuersis futuris cuiuscumque status, & simul habere scientiam eorum certam & infallibilem, atque adeò simul Deum suo intellectu scire, & sua voluntate velle hæc futura paritate omnimoda, ita tamen vt nos nostro modo intelligendi consideremus prius in Deo esse scientiã, non solum merè speculatiuam omnium possibilium, sed etiam artificiosam, secundùm quam

disponuntur & ordinantur diuersi & artificiosi modi rerum, & contingentium, quos sua dispositione & intelligentia præscribit, & sua voluntate simul determinat, tali inquam ordine & ratione, vt obiectum volitum pariter obijciatur scientiæ diuinæ, sicut ab ipsa volitum est.

Et hæc est causa, cur recentes Theologi pressi veritate ipsa, & efficacia rationum dixerint scientiam illam mediam, quam introducere conabantur, comprehendi sub scientia visionis. Quoniam est simpliciter libera ex parte obiecti, sicut & ipsa scientia visionis, & præterea. Quia pari modo concipitur in Deo per modum simplicis intuitionis veritatis contingentis, vt supra declarauimus. Quocirca Theologi Scholastici cum sentiant Deū cognoscere hæc futura libera siue absoluta, siue sub conditione, & non distinguant tertium membrum scientiæ mediæ in illa diuisione adequata, quam diximus, sequitur eos semper nostram sententiam tenuisse, & hunc modum dicendi esse secutos. Fauent nobis plurimum D. Bonauentura in prima distin. 40. articulo 2. quæst. 1. Vnde Alensis D. Bouauentura imò & D. Thomas prima parte quæst. 15. articulo 3. in corpore & ad 2. non recedunt plurimum à nobis. Nam cum nihil aliud requirant quam diuinas ideas ad cognitionem futurorum sentiunt ideas diuinas non solùm esse principia cognoscendi per modum speculationis, sed per modum practicum exemplarem cum respectu ad omnia, quæ fiunt secundùm aliquod tempus à Deo. Scotus etiam in 1. dist. 38. & 39. qui ponit decreta libera in Deo, ex quibus colligit Deum in illis decretis cognoscere, & habere certum iudiciū infallibile quorumcunque futurorum, & multo magis hoc sensit de futuris conditionatis quanto plus ista futura difficiliorē habent cognitionem. AEgidius etiā in 1. dist. 40. quæst. 2. ar. 2. & deinceps, & Driedo de Concordia liberi arbitrij & prædestinationis prima parte capite 4. ad 3. Hi enim cum loquantur de liberis Dei decretis non est cur non sentiant nobiscum. Quare nō bene ab aduersarijs citantur pro sua sententia Sanctus Thomas, Albertus Magnus, Driedo & Ruardus, & alij quos ipsi referunt. Vnde voluntas conditionalis, qualis est illa futurorum conditionatorum, præcipuè eorum, quæ in sacra Scriptura continentur, non est impossibilis Deo.

D. Bonau. *Alensis.* *D. Thomas* *Scotus.* *Ægidius.* *Driedo.*

Ob id igitur sentio dicendum esse Deum posse habere huiusmodi conditionata decreta libera. Nam hoc nullam habet repugnantiam, aut impossibilitatem in Deo circa ea, quæ ab ipso volenda sunt respectu obiecti creabilis, neque circa ea, quæ à creata voluntate, & à Deo volenda sunt. Sane nulla est repugnantia quod Deus habeat, & ab æterno habuerit hanc voluntatem, si crearem alium mundum, vel talem aut talem Angelum, decernerem prædestinare vel primum hominem illius aut primum Angelum, quem ego vellem, & prædestinarem. Sane hic nulla est repugnantia, aut ex parte Dei, aut ex parte obiecti. Nam vt intelligatur libera determinatio ad aliquod obiectū, non requiritur necessariò mutatio physica in illo obiecto. Nam voluntas, qua Deus vult obligare aliquem nullam mutationem ponit formaliter in illo, & ex vi sua. Præterea quidquid homo velle potest per sui mutationem si alium de non repugnet id ipsum potest velle Deus sine sui mutatione propter summam perfectionem voluntatis suæ.

Neque hoc est vllum inconueniens. Nā quamuis Deus absolutè velit inferre malum pœnæ alicui, nihilominus habet voluntatem & affectum simplicem dandi bonum oppositum illi malo, ita euenit in iusto iudice qui vult efficaciter punire hominem, cui quantum est in se vellet potius benefacere. Qui sane affectus simplex nullam imperfectionem includit. Imò verò in obiecto & ordine suo est perfectissimus. Quod autem affectus ille simplex efficax non sit, id quidem non est ex Dei impotentia, sed potius ex summa libertate, & ex summa sapientia ipsius.

Sed dices huiusmodi actum & decretum diuinæ voluntatis esse superfluum cum nullum sit habiturum effectum. Respondetur non esse superfluum, vt etiam fatentur auctores oppositæ sententiæ, qui sui immemores illud concesserunt alijs in locis, vbi sentiunt huiusmodi simplicem voluntatem, seu simplicem affectum, & decretum Dei non poni superfluè in Deo, quia in primis talis simplex affectus est per se bonus, & hoc satis est, vt non diceretur superfluus. Secundo, quoniam non videtur rationi dissonum, imò verò expediens, vt diuina voluntas, quæ ab æterno debet decernere quidquid habet aliquam rationem libertatis, id decernat, ne nunc in tempore de nouo incipiat velle quod ante nonvoluit, aut quod circa infinita obiecta bona & amabilia maneat quasi suspensa & imperfecta, & absque vllo omninò affectu. Quare vbi Deus non vult habere affectum, & voluntatem efficacem, vt minimum habet simplicem. Neque obstat dicere hanc esse quandam repugnantiam affectuum, quæ diuinæ perfectioni repugnat. Quia ista non est vera repugnantia. Quoniam quamuis circa eādem rem versentur, tamen sub diuersis rationibus. Præterea etiam quia vterque actus, nimirum ille efficax & iste simplex procedit ex consilio perfectissimo Dei, & ex plenaria voluntaris deliberatione. Quoniam vterque est infinitus in suo ordine, & neuter impedit alterum vllo pacto. Et hoc solent Theologi & Sancti Patres dicere in simili de volūtate Christi humana, in quo ratio efficaciter volebat sustinere mortē patienter pro salute generis humani, quam refugiebat aliàs vt natura voluntate illa, & affectu simplici conditionato absque vlla repugnantia propria actuum. Quia non nisi cum perfecto dominio & ordine vtrumque

Obiectio Solutio. Pro solutione huius argumenti legere oportet quæ diximus in solutione primæ obiectionis post sextam conclusionē in fine & prope finem.

exer-

exercebat, multo igitur magis id dicendum est de diuina voluntate. *Pater mi*, dicebat Christus, *si possibile est, transeat à me calix iste, sed si non potest, fiat voluntas tua*. En duo affectus erant in eo, sed vterque perfectissimus. Quid ergò mirum, si quadam proportione habita in simili reponantur in Deo huiusmodi decreta circa futura libera conditionata: inquibus non habet locum obiectio insinuata, sed solùm adducta est vt ostenderemus non esse neque in simili imperfectionem vllam in diuinis decretis conditionatis.

Obiectio. SED obijcies, in aliquo signo intelligimus Deum vt scientem & comprehendentem se ipsum, & nondum scientem determinationes suas liberas, etiam vt futuras vel absolutè, vel conditionaliter: ergò in illo signo non est determinata veritas in illo obiecto. Probatur antecedens. Nam in illo signo æternitatis, in quo intelligimus patrē generare filium ex comprehensione sui, & non ex aliqua scientia sui decreti liberi, quia hæc non est necessaria simpliciter, filius enim solùm per scientiam omninò necessariam producitur: ergò in illo signo non intelligimus in Deo sciētiam sui liberi decreti. Prima consequentia probatur. Quia in nullo signo obiectū est cognoscibile, in quo non cognoscatur à Deo: ergò si in illo signo nō cognoscitur, neque illud obiectum est scibile in eo: igitur non habet veritatem determinatam. At vero post illud signum intelligitur voluntas diuina actu iam decreuisse liberè: ergò nullum signum relinquitur, in quo possit cognosci vt futurum illud liberum decretum. Patet minor, quia huiusmodi decretum liberum Dei non requirit aliam scientiam præter illam necessariā: ergò statim post illam debet concipi vt actu præsens. Quia cum in æternitate omnia sint simul, hæc signa solùm debent distingui secundum præsuppositionem obiectorum, vel rationum formalium inter se, igitur secluſa hac præsuppositione nulla est ratio ordinis, nec fundamentum ad fingendum illa signa.

Cōfirmatur obiectio. ET confirmari solet obiectio proposita. Quia sicut hæc scientia non est necessaria simpliciter, pari etiam ratione neque ipsum decretum liberum: igitur ex hac parte non habent ordinem, & ex alia decretum voluntatis est liberum formaliter, & ab illo resultat denominatio libertatis in scientia: igitur ex hac parte in aliquo signo rationis prius debet intelligi actualis voluntas, quam scientia eiusdem voluntatis vt futuræ. Nam aliàs prius sciuisset & cognouisset Deus vt futura omnia libera decreta, quę nunc habet, quam viderit præsentia: ergò vidit illa non solùm vt cōditionatè futura, sed vt absolutè, quia solùm præsupponunt naturalem dispositionem scientiæ diuinæ voluntatis bonitatis, & potentiæ. Consequens autē videtur falsum omninò. Primò, quia rei ęternę videtur repugnare illa antecessio futuri. Secundò, quia aliàs in illo signo rationis ante actuale decretū suæ volūtatis haberet Deus sciētiam de effectibus futuris à voluntate creata hominum & Angelorum, non tantùm conditionatam, sed absolutam vel visionis.

A

SED profectò hoc argumentum non videtur esse posse contra nos. Nam nos hac nostra assertione solùm contendimus hæc decreta libera, quæ à Theologis considerantur prout libera sunt, & vt ad talia obiecta conditionata liberè terminantur posse esse in Deo, & in hac re nullam esse repugnantiam, & impossibilitatem, vt superius ostendebamus. Ex quibus decretis, quæ ad talia obiecta liberè terminantur, certum sumitur iudiciū, & sufficiens ratio cognoscendi futura conditionata. Et sanè hæc decreta cū libera sint potuerunt non esse in Deo ab æterno, ac proinde Deus tunc habuisset se etiam libere, non determinando illa, siquidem nihil de illis decreuisset. Quod verò dicitur

B

quod in aliquo signo æternitatis intelligimus Deum vt comprehendentem se ipsum, & nondum scientem determinationes suas liberas, Respondetur hoc non esse contra nos, vt diximus. Primò, quia in Deo omnia sunt simul, & ex parte Dei nulla est prioritas rei in ipso: nos verò qui cōcipimus Deum & ipsius attributa, & operationes, consideramus vnū vt prius alio, vel consideramus vnum vt rationem alterius. Secundò, quia intelligere per quod pater producit Verbum terminatur prius ad generationem Verbi, quam ad creaturas, quę intelliguntur per illud intelligere, sicut etiā in nobis euenit. Nam intelligere, quo lapidem cognoscimus, prius terminatur ad verbum, quam ad lapidem, quia nō terminatur ad lapidem, nisi mediante verbo,

C

itaque prius secundum nostrum modum intelligendi illud intelligere Patris, infinitum & comprehensiuum omnium intelligibilium terminatur ad Verbi generationem, quam ad creaturarum intellectionem, quod est de mente S. Thomæ in 1. dist. 7. quæst. 1. art. 3. ad 4. Ex hoc autem minimè infertur Deum non cognoscere determinationes suas liberas, vel absolutas, vel conditionales, sed solùm infertur quod secundum nostrum modum intelligendi nostri intellectus nos non concipimus tunc in illo priori à nobis conditionato cognitionem suorum decretorum liberorum, non ta-

D

men quod in illo eodem nunc æternitatis Deus in re nō habeat simul eadem decreta libera: sufficit enim quod cum illa decreta libera sint, & de obiectis liberis, quod concomitanter se habeant respectu volūtatis diuinæ, & intellectus diuini, quamuis, verbi gratia, diuina voluntas velit voluntate quadam necessaria generationem filij, & per complacentiam quandam necessariam, vt dicunt Theologi in materia de Trinitate, ad reliqua verò hoc est ad creaturas futuras liberè se habeat, & volendo, & determinando, supposita dispositione iudicij diuini infiniti. In qua re cum hoc decretum liberum Deo conuenit, & attribuitur non prius ratione dicitur habere determinatam veritatem, quam Deus in æternitate sua intelligatur actu habere

decretum illud, & idcirco obijcitur diuinæ scientiæ, non vt exhibendum, sed vt iam exhibitum.

Et quamuis concedamus nos intelligere prius Deum cognoscere voluntatem suam quatenus potest hoc vel illud liberè velle, quam vt actu volentem hoc vel illud, tamen non sequitur quod prius potest cognoscere voluntatem eamdem, vt volituram determinatè hoc, quam vt actu volentem, aut habentem decretum liberum circa rem aliquam, vel absolutè vel sub conditione. Quoniam nec re ipsa, neque secundum rationem potest Deus cernere hæc futura decreta libera priusquam sint præsentia actu in se ipsis. Vnde propositio in qua Deo attribuitur aliquod decretū liberum vt loquamur more intelligendi nostro, sicut velle quod aliquid eueniat, suppositā tali conditione, vel velle creare hominem, hoc decretum non prius ratione habet determinatam veritatem, quam Deus intelligatur actu habere in sua æternitate illud decretum, & idcirco non obijcitur scientiæ diuinæ, vt exhibēdum, sed vt iam exhibitum. Quod quidem non tantùm est verum de decretis liberis absolutis, sed multo magis de decretis conditionatis.

Concedimvs namque, vt in materia de Trinitate Theologi fatentur, nos intelligere prius Deum vt potentem generare, quam vt actu generantem, quia hoc est naturale nostro intellectui, & more intelligendi ipsius, qui instar aliarum rerum Deum percipit, seu cognoscit. Cæterum negamus, nos ita considerare Deum vt intelligat prius se ipsum prout potētem, quam vt actu generantem, vel quod prius intelligat aliquid in se futurum quam præsens. Hoc enim diuinæ intellectioni minimè conuenit. Quod si Deus verè intelligit se potentem, vt verè intelligit, potentiam tamen non intelligit, nisi vt coniunctam actui, & operantem, nō vt postea in futurum operaturam, seu potentem in posterum operari: ergò non ita cogitamus ipsum vt prius intelligat se ipsum tanquā potentem solùm, sed consideramus nos prius ipsum vt potentem quam vt actu generantem, quæ duo valde diuersa sunt, ac proinde nec re ipsa in nostro proposito, nec secundū rationē potest Deus prius videre hæc futura decreta libera priusquam sint præsentia in se ipsis. Et consequenter vt sæpius animaduersum est, propositio, in qua Deo attribuitur aliquod decretū liberum, vt velle creare mundum, non prius ratione habet in se determinatam veritatem, quam Deus intelligatur actu habere in sua æternitate illud decretum, & idcirco non obijcitur diuinæ scientiæ vt exhibendum, sed vt iam exhibitum, quod etiam aduersarij fatentur.

Tandem dico quod cum Pater dicitur generare filiū ex comprehensione sui, & omnium creaturarum, nō intelligitur ex comprehensione creaturarum secundum suam existentiam, aut quod procedat per scientiam visionis creaturarum, sed per simplicem intelligentiam earūdem. Quod est dicere Verbum procedere de cognitione Patris, in qua continentur vniuersæ creaturæ producibiles, nullo tamen modo procedere ab ipsis creaturis cognitis, vt 1. parte q. 34. ar. 3. fusius diximus disp. 1. Quo fit quod quamuis nostro intelligendi more Pater in diuinis producendo filium ex comprehēsione sui non dicatur eum producere ex scientia decreti liberi, quia hæc non est necessaria simpliciter, tamen hoc non obstat quominus dicamus Deum habere certam & infallibilē cognitionem in eadem æternitate, cum prospicit decreta sua libera. Imò verò quamuis potuerit ea decreta libera non habere quatenus terminantur ad futuritionem existentiæ rerum, tamen postquam Deus ex æternitate illa habuit & habet, nō potuit illa nō cognoscere, licèt antecedenter ad hoc fuerit in potestate eius non scire illa si non haberet. Quod autem in illo signo rationis, cum intelligimus Patrem generare filium ex comprehensione sui, non intelligamus tunc cognitionem sui decreti liberi, id non est quia tunc non habeat eam, sed quia pro illo signo nos non consideramus in Deo scientiam sui liberi decreti. Neque obstat quod in æternitate, & ab æterno simul habuerit illud decretum, quia concomitanter simul omnia sunt in Deo, quia hic non debemus considerare illa, inter quæ non est ordo, ad hoc vt dicamus vnum esse prius altero, solùm enim inter ea, inter quæ est ordo consideratur prioritas, seu prius & posterius, & ita Pater dicitur esse prior origine filio, cum sit verus ordo inter patrem & filium. Illa verò quæ non habent ordinem necessarium cum alio non dicuntur esse prius, neque posterius illo. Cum igitur decreta libera & conditionata non habeant ordinem cum signo æternitatis quatenus in eo intelligimus Patrem generare Filium, sequitur quod non debemus considerare prioritatem, aut posteriori tatem huius decreti liberi respectu illius signi, aut alterius similis: sed solùm respectu illius in quo voluntas ipsa decreuit liberè, quod decretum intelligitur Deus habere actu in sua æternitate, vt exhibitum, & vt fundans veritatem enunciationis, quę Deo attribuitur ratione decreti liberi, à quo habet enunciatio determinatè, quod sit signum veritatis rei. Plura alia continentur in argumento quæ potius militāt pro nobis, quam contra nostrum modum dicendi, & idcirco nunc sunt omittenda.

Neqve admittitur prius in intellectu diuino scientia non omninò necessaria, sed libera, quam sit in voluntate decretum liberum. Quia propositio determinatè vera de futuris conditionatis, maximè si conferatur cum sua contradictoria, non prius ratione habet determinatā veritatem, quam habeat fundamentum illius, seu quam Deus intelligatur habere aliquod decretum, vel antequam intelligamus & concipiamus ordinem ad voluntatem diuinam, sed antecedenter ad fundamentum, & ad decretum

diuinæ voluntatis de futuro libero absolutè, non intelligitur aliquid in quo propositio, & enunciatio fundetur proximè: igitur multo melius id oportet sentire de futuris cõditionatis. Quod sanè maximè confirmatur, quia vtraque futura sunt libera, & liberè dependentia à voluntate Dei, vt sint, vel non sint futura. Itaque quamuis Deus vnico suo instanti æternitatis omnia sciuerit, voluerit, intellexerit, & in eodem Pater genuerit Filium, & Pater sit prior origine Filio, & Pater & Filius spirauerint Spiritum Sanctum, sed nihilominus nos essentialia tanquam communia, & absoluta dicimus esse priora rationalibus, & notionalia priora liberis, & inter libera etiam reperitur ordo obiectorum & fundamentum, & nos more nostro intelligendi concipimus vnum prius ratione quam aliud. Quare circa futura libera quatenus libera sunt, siuè absolutè, siuè sub cõditione non potest negari, quin inuoluatur ordo ad aliquã libertatem Dei respectu eorũdẽ futurorũ, cũ minimè necessitetur Deus in ordine ad illa, neque habet connexionẽ necessariam cum eis, sed omninò liberam. Quare corruit fundamentum aduersariorum credentium Deum habere quandam scientiam tertiam certam de actibus futuris voluntatis creatæ secundùm aliquam temporis differentiam secũdùm omnem suam conditionem, & existentiam realiter & verè futuram hic & nunc, antequam omninò Deus quidquam velit liberè circa vllam creatarum voluntatum: hoc enim est intelligibile cum tota ratio futuritionis veræ & existentiæ in aliqua temporis differentia sit voluntas diuina. Neque hic est sermo de futuritione confusa, sicut neque de cognitione confusa Dei, quæ nulla in eo esse potest, neque est sermo de futuritione in primo gradu, quæ accipi solet pro propensione causarum secundùm quam inclinantur ad aliquos effectus, sed mutabiliter & variabiliter, quia ista cognitio non est certa & infallibilis respectu futurorum effectuum liberorum. Quia tantùm & præcisè dici potest cognitio inclinationis & propensionis causarum, & hæc pertineret ad cognitionem simplicis intelligentiæ. Quia tunc nihil aliud esset, quam cognitio huius, vel illius ordinis, & complexionis rerum cum his vel illis causis, quæ si talem habeant affectum & dispositionem, sunt valdè inclinatæ ad hos vel ad illos effectus contingentes seu liberos. Cæterùm ad hoc vt enunciationes de illis sint determinatè veræ, & circa determinata obiecta fundantia veritatem earum requiritur illud ex quo huiusmodi futura emanant, proximè ad actum in re ponendum ad extra, quod non est sine decretis liberis Dei.

QVARE in illo primo signo in quo Deus seipsum comprehendit, & in quo Pater generat Filium, nondum intelligitur habere scientiam horum futurorum conditionatorum, seu futurorum liberorum absolutorum. Cum huiusmodi scientia seu cognitio includat ordinẽ ad diuinum decretum & potuerit non esse in Deo, si Deus nihil decreuisset, aut non voluisset creare mundum, quem liberè & voluntariè produxit ad extra. Quare illa scientia non est ita simpliciter necessaria, sicut scientia simplicis intelligentiæ. Ex quo apertè constat Deum non habere prius more intelligendi nostro, prius inquam ratione, scientiam actualem liberam terminatam ad futura de quibus loquimur, quam ipse habeat decreta libera volũtatis suę. Negãdum igitur est, quòd prius ratione, quam intelligatur liberum decretum futurorum effectuũ, verè futurorum ad extra, vel cum ordine ad existentiam ad extra, cõsideretur scientia libera eorum certa & infallibilis, ita vt scientia sit prior ratione, quam fundamentum eius proximum, seu quod scientia aliquo modo libera habens pro obiecto ipsum decretum liberum voluntatis Dei, prius ratione sit & intelligatur, quàm decretum ex quo emanat talis certa & infallibilis cognitio futuritionis existentiæ, futurorum liberorum in re, siue ex conditione etiam.

Ex dictis colligitur cognitionem Dei extendi ad futura libera, siuè absoluta, siuè conditionata, quoniam ipsa se extendit ad libera Dei decreta propter perfectionem quam habet, illaque intuetur Deus non solùm ad modum rerum præsentium, sed etiam ad modum futurarum, eademque vi, atq; ratione qua Deus cognoscit & intuetur futura, quę verè erunt libera & cõtingentia, etiã cognoscere cętera alia futura, siuè absoluta, siuè sub cõditione. Quod etiã libenter fatentur auctores oppositæ sententię, & ob id sentiunt quod debet omninò esse idẽ fundamentum huius doctrinæ, quod est de reliquis actibus liberis, addendo tamen nullã posse reddi sufficientem rationem differentiæ inter voluntatem diuinam & creatã, quantum ad hoc quòd in vna earũ, & nõ in altera possint hęc futura contingentia cognosci. Nam certè in his liberis decretis, quæ de facto non sunt in voluntate diuina, potuerunt autẽ esse si alia non fuissent, vel sub conditione si hoc aut illud euenire, vt verbi causa, Deus nunc minimè reprobauit, aut prædestinauit eos homines qui ex Abele iusto non erant generãdi. Rursus si Deus ex æternitate decreuisset producere alium mundum & alios homines, tunc ex illis alios prædestinaret ac reprobaret, vel aliquem alium modum præscriberet de illis, & de eorum successibus de quibus nunc nihil decreuit: ergò de illis alterius mũdi hominibus, aut de alijs qui possent nasci ex Abele iusto si superesset in hac vita, & nõ occideretur à fratre suo, potest obijci diuino intellectui hoc enunciabile. Si ego crearem alium mundum, tunc hunc modũ præscriberem hominibus illius vniuersi, vel hos aut illos prædestinarẽ, has vel illas leges illis tribuerem, hos eligerem ad hunc finem, & illos ad illum, hos diligerem, illos verò peccare permitterem, &c. & pari modo considerare possumus & imaginari similes causas, pluraq; alia exempla

adducere,& cogitare, de qua re in sacris Litteris insinuationem habemus Matt. 26.vbi cum Iudas osculo tradidisset Iesum. *Tunc accesserunt*, milites, *& manus injicientes in Iesum, tenuerunt ipsum. Petrus verò eximit gladium, & amputauit auriculam serui Principis Iudæorũ*, cui Christus dixit. *Conuerte gladium tuum in locum suum.* Et statim. *An putas quia non possum rogare Patrem meum & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* Ecce in hac sententia conditionali Christi, satis apertè significatur quòd si esset expediens, & conueniens, & non euacuarentur Scripturæ, quia oportebat sic fieri vt factum est, sine dubio, si Christus rogaret Patrem, illi exhiberentur ex rogatu suo plus quam duodecim legiones Angelorum contra milites & seruos illos Principis Sacerdotum. In quo intelligitur sub conditione decretum conditionale, & in illis obiectis similiter conditionatis determinata aliqua veritas, quę proinde à Deo est cognoscibilis. Rursus potest esse exemplum ex Propheta Psalmo 80. *Si populus meus audisset me, Israel si in vijs meis ambulasset, pro nihilo forsan inimicos eorum humiliassem.* In quibus verbis obseruare quidem oportet duas illas conditionales, quas adducit Propheta nomine Dei. *Si populus meus audisset me, Israel si in vijs meis ambulasset.* Ex suppositione quarum conditionum subiungit Deus illam sententiã, *pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem.* Neque conturbet quenquam particula illa forsitan, quia non constituitur ibi ad minuendam certitudinem, iuxta regulam, & explicationem quã nos superius tradidimus: quod aduertunt D. Augustinus super eundem locum, & alij Patres ex Græcis cum D. Basilio, qui perpendunt hanc esse prædictionem absolutã omninò, & verbum illud forsitan non fuisse repositum ad inualidam certitudinem. Igitur diuinũ decretum quidquid addat, vel non addat habitudinis seu respectus rationis ad obiecta libera extrinseca, hoc certum esse debet quod ipsum decretum, siuè absolutum, siuè conditionale verè cognoscitur in eo qui decernit, sicut similiter liberum decretum quod Deus habuit, & habet ex æternitate, nihil addit reale ijs quæ necessariò in Deo sunt. ex hoc tamen nihil minuitur, quo minùs perfectissimè cernatur, & intueatur à Deo.

Matt. 26.

Psalm. 80.

D. Augus. Basilius.

Tertia Conclusio.

Conclus. 3. Futura contingentia cõditionata minime cognoscuntur in suis causis secundis

DIco tertiò. Futura conditionata minimè cognoscuntur certò & infallibiliter in suis causis secũdis seu in sua conditione sumpta ex parte rerũ; atque adeò sicut in futuris cõtingentibus absolutis nihil cognoscitur certò & infallibiliter de futuritione euentuũ in ipsa causa libera, ita similiter neque in cõditionalibus istis, militat enim vtrobique idem fundamentũ. Falsa igitur est illa sententia quæ putat Deum scire hæc futura in suis causis proximis, & conditionibus rerum, seu in cõprehensione perfecta liberi arbitrij, & eorum omnium, quæ eam circũstant, & nõ infallibiliter determinant. Quod si obijciat hæc sentẽtia quòd licèt liberũ arbitriũ nudè sumptũ sit indifferens, & ob id in eo vt sic nõ possit effectus determinatus cognosci, tamen adiunctis occasionibus, & circunstantijs omnibus, quæ hic & nunc illud circunstant infallibiliter cognosci in cõprehensione arbitrij, in quo cernitur ad quam partẽ sit determinandum. Quia (vt dicunt) si hoc est verum de libero arbitrio actu creato, & existente, vel absolutè futuro, idem videtur esse dicendũ de libero arbitrio concepto & apprehenso sub conditione, nimirũ si in tali occasione collocaretur, aut si sub talibus circunstantijs crearetur.

A

B

C

D

NON inquam satisfacit hæc dicere. Quoniã effectus in causa cognosci nõ potest, vt sæpius diximus, nisi secundum esse quod habet in illa, sed nullus effectus contingens liber habet esse certum & determinatũ in causa sua proxima, neque esse determinatum infallibiliter in ea, cùm omnibus prærequisitis, cum ipsa semper sit indifferens, possitque non agere, quia virtus causæ ex se non est ad illum determinata, neq; ex omnibus ita determinatur, quod non possit liberè in oppositum: ergò non potest talis effectus in tali causa omninò infallibiliter cũ certitudinẽ cognosci. Profectò maior est certa & per se nota: Consequentia verò bona, & manifesta. Minor autem propositio satis apertè cõstare potest ex ijs quæ lõgo sermone diximus in discursu huius libri de cõditione & natura liberi arbitrij, cui intrinsecũ est vt habeat vsum liberũ, ita vt positis omnibus requisitis ad agẽdum possit agere aut non agere, seu agere cum potestate ad oppositum. Causa verò proxima & propria horum cõtingentium effectuũ seu liberorum est causa libera, cùm hæc sit voluntas creata hominis, & in ea præcisè sumpta certùm est hoc non posse cognosci.

MOVEOR etiam ad hanc assertionem, quia eam expressè tenet Sanctissimus Præceptor 1. contra Gentes cap. 66. & 67. & Ferrara eodem loco. Rursus sanctus Thomas 1. p. q. 14. art. 13. idem affirmat, cum Caietano eius interprete, & in eadem 1. p. q. 57. art. 3. & q. 86. ar. 4. & in 2. 2. q. 171. art. 6. Capreolus etiam in 1. dist. 38. q. 1. Habemusque in hac parte Scotum idem sentientem locis superius citatis, & in 1. dist. 38. & 39. Nam certè concursus omnium conditionum quæ determinant libertatem voluntatis creatę, quomodocunque constituãtur, ita se debent habere vt voluntas non se habeat merè passiuè, quia hoc dici non potest, sed adhuc eis positis ipsa se debet determinare, libera determinatione & influxu libero ipsius voluntatis. Nam aliàs si solùm passiuè se haberet posita concurrentia & concursu illarum cõditionum, aut si solùm ab extrinseco determinaretur impediretur, & tolleretur vsus libertatis eius, cum iam esset determinata ad vnũ omninò priusquam ipsa vteretur sua libertate: Sed in hac indifferentia & libertate antecedenter ad actualem determinationẽ, siuè absolutam,

Ferrara. S. Thomas. Caietanus. Capreolus. Scotus.

siue

siuè sub conditione conceptum nihil certò & infallibiliter cognosci potest: ergò, &c.

SED dicunt aduersarij aliud esse ad cognoscendos hos actus liberos de causa sua, seu de voluntate in tali vel tali occasione, necessariam esse comprehensionem causę seu voluntatis, & ea quæ ipsam circunstant, aut absolutè, aut sub conditione, aliud verò esse ex vi cōprehensionis causæ liberè cognoscere talē effectū. Quia primum dicunt esse verum, & secundū falsum. Sed profectò sicut secundum est falsum, ita etiā & primum, sicut constat ex rationibus, & fundamentis adductis. Quia voluntas vtroque modo considerata adhuc manet indifferens, etiam positis illis occasionibus & circunstantijs, considerata antecedenter ad actualem determinationem, absolutam, siuè conceptam suppositā conditione: ergò neutro istorum modorum potest certò & infallibiliter cognosci effectus ille conditionatus, sed alius est excogitandus, & inquirendus.

DICES posse cognosci in determinatione voluntatis. Nam determinari potest voluntas ab illis occasionibus & circunstantijs, & hanc determinationem non impedire libertatem. Quia determinatio proueniēs à tali vel tali occasione, vel à talibus circunstantijs est determinatio moralis, & non est determinatio proueniens à causa efficiēter propriè agēte. Sed profectò neque hoc sufficit ad certam & infallibilem cognitionem. Quoniā ille modus determinandi moraliter qualis esse potest per se, & quātum est ex vi sua non habet omnimodā certitudinem aut infallibilitatē, neq; in effectibus absolutis, & multo minus in conditionatis, qui à voluntate proueniunt, vel prouenire possunt, cum ipsa sit indifferens ad hoc & ad oppositū. Et quāuis illa determinatio talis esse possit vt effectus, seu actus dici possit certus moraliter, tamē nō est tāta certitudine certus, vt omninò repugnet, & implicet cōtradictionē illi sub esse falsum, aut aliter venire, quod requiritur in veritate diuinæ scientiæ & cognitionis.

DICES in illis conditionibus futurorū cōditionatorum inuolui liberum quendam influxum voluntatis, in quo hæc futura conditionata cognosci possunt, sed profectò hoc est difficilius. Primò, quia hoc est incidere in illam opinionem, quæ malè putabat Deum ob id cognoscere futura cōtingētia absoluta, quia Deus non absolutè, sed sub conditione vult, quod actus aliquis fiat àvolūtate creata si ipsa sese determinauerit ad illum, quasi expectando influxum liberum voluntatis creatę: Nam vel in illis conditionibus includitur influxus liber ipsius voluntatis, quem Deus dicitur expectare, & sic inciditur in illam sententiam, vel includitur influxus possibilis, & ita non cognoscitur certò & infallibiliter, nisi sub ratione possibilis tantùm, influxus verò actualis in illis conditionibus non includitur, qui sit influxus voluntatis. Nam influxus liber voluntatis esse nō potest, nisi in aliquem actum secundum elicitū ab ipsa voluntate, & eo mediāte in aliquē effectū. Et hoc esset potius cognoscere effectum in se ipso: quia esset cognoscere effectionem ipsius actus, & ipsius effectus in se, quod non potest cōuenire causæ contingenti, & liberæ respectu futurorum conditionatorū. Secundò, quia cognoscere effectum, & actum liberum, seu influxū liberum voluntatis, non est cognoscere in illis conditionibus, sed est cognoscere actum liberū in se, & in effectione ipsa: ergò.

Quarta Conclusio.

Concluſ. 4. Deus non solùm cognoscit omnia possibilia in communi sed etiā in particulari.

DICO quartò. Deus non solùm cognoscit omnia possibilia in cōmuni, sed etiam cognoscit omnia possibilia in particulari. Cognoscitque omnes circunstantias possibiles earundem rerum possibilium, cum omnibus complexionibus, & cōiūctionibus, siuè proximis siuè remotis, quæ illis conuenire possunt, & eas omnes diuinus intellectus proponit suę voluntati, & ex consequenti Deus cognoscit adæquatè quidquid eius voluntas vellè potest circa hæc, vt sit absolutè, vel conditionatè. Quoniam euidenter cognoscit esse possibilem hanc suā volitionem, imò euidenter cognoscit quod si vult Petrum habere talem connexionem concomitantem, illa erit sub tali conditione quòd id velit, & hoc habet omne futurum conditionatū.

Rursus Deus sine dubio cognoscit infinitas hominū cognitiones, & Angelorū etiam possibiles quātumcūque liberas. Præterea cognoscit omnes cogitationes hominū quantūcunq; disparatas, seu complexiones, & extremorum concomitanter se habentium, & etiam disparatè se habētium, sicut cognoscit etiam infinitas cogitationes bonas, rectas, & prudentes quorumcunque etiam extremorum concomitāter se habentium. Sic igitur cognoscit etiā quaslibet disparatas conditiones, aut congruas, seu connexiones concomitantes quaslibet possibiles, aut sub conditione possibiles & futuras.

QVO fit vt conditio appositā in illis inuoluat ordinem seu habitudinem in appositā cōditione ad voluntatem, seu ad determinationem liberam conditionalem, & hoc potest dici importare habitudinem ad quoddā decretum Dei, quasi conditionale sub illis conditionibus: si Deus conuenientia esse voluerit, aut alia permiserit esse futura in re, sub conditionali decreto in bonis positiuè, in malis sub permissiuo, cum conditione præstandi concursum ad substantiā effectus si velit. Cùm enim neq; passer vnus cadat sine volūtate Patris, neq; folliū moueatur absq; diuino beneplacito, ita etiā non concipitur à nobis quidquā, vt euenturū simpliciter & absolutè aut sub conditione, seu suppositione aut hypothesi aliqua sine ordine ad Dei voluntatem, seu ad quandam dispositionem eius.

DICES quod licèt Dei voluntas optimè intelligatur respectu absolutè futurorū liberorum, non tamen respectu futurorum contingētium conditionatorum. Quia licèt volūtas hę

circa conditionata non sit Deo impossibilis, A cæterum cùm sit libera, & intelligatur, atque concipiatur vt libera, & non necessaria nullo fundamento innititur, neq; sufficienti ratione fulcitur, nimirum quod Deus intelligatur habere tale decretum liberum circa omnia conditionata obiecta. Vnde hic modus explicandi quo pacto possit Deus cognoscere futura ista conditionata per ordinem ad voluntatem liberam seu ad decretum quoddam liberum sub conditione, videtur esse aliquid incertum. Primò, quia huiusmodi actus conditionatus omninò nihil prodest, aut cõfert ad rerum gubernationem. Nec rursus per eum Deus disponit aliquid circa res à se gerendas, igitur talis actus confictus videtur esse, & sine ratione. Secundò, cùm talis actus voluntatis Dei, semper intelligatur esse cum libertate, atque adeò liber, sequitur quod potuit non esse in Deo: quo posito casu quod in Deo non fuisset, Deus non posset habere scientiam istorum conditionalium: quod est apertè falsum. Tertiò, quia prædictũ decretum conditionatorum tali modo confideratum circa libera illa contingentia conditionata, quæ de facto nunquam erunt, non pertinet ad perfectionem Dei intrinsecam, cùm potuerit non esse in Deo ex eo quod ponitur esse formaliter liberum. At cognitio istorum futurorum conditionatorum suppositа veritate obiectorum per se pertinet ad perfectionem cognitionis Dei, & vt minimum illam necessariò comitatur: ergò.

Vt difficultas huius argumenti dissoluatur, suppono voluntatem Dei circa futura conditionata non esse simpliciter impossibilem, aut repugnantem ipsi Deo: quod nos supra deduximus, & ostendimus: dubitari enim non potest quin Deus habere potuerit hanc volitionem: Si vellem creare alium mundum cum alijs creaturis rationalibus hos, & illos prædestinarem, alios verò relinquerem. Vel si Adam non peccauisset, non permitterem Cain ita deficere vt occideret fratrem iustum Abel. & similiter in plerisque alijs futuris conditionatis. Et ratio huius suppositionis est. Quia neque ex parte obiecti est vlla repugnantia, neque ex parte diuini actus. Quia vt intelligamus determinationem liberam circa aliquod obiectum non requiritur, vt diximus, mutatio physica & realis in tali obiecto. Nam etiam voluntas Dei, qua vult hominem obligare nullam mutationem ponit formaliter in ipso ex vi sua.

Qvo suppositо fundamento respondetur ad argumentum: Deum posse habere quasi simplicem affectum circa hæc futura conditionata, quæ sine dubio sese offerunt diuinæ cognitioni secundùm omnes conditiones, & combinationes, seu complexiones, vt conclusio ipsa supponit. Quare negamus simplicem affectum in Deo includere imperfectionem aliquam. Imò verò vt etiam aduersarij ipsi fatentur circa obiectum ordine suo est perfectissimus actus. Nam certè quamuis Deus absolutè velit malum pœnę inferri alicui, nihilominus simul habet affectum quendam simplicem circa bonum oppositum illi malo, sicut euenit de iudice recto & iusto qui vult iniquũ hominem punire, cui quantum in se est, vellet illum viuere & emendare.

Qvòd autem hic simplex voluntatis affectus, aut conditionatus actus non sit absolutus aut efficax ipsarum conditionum, id non est ex impotentia aliqua Dei, sed ex libertate omnimoda eius: & idcirco cum non sit illi debita vlla maior efficacitas, cum sit voluntas futurorum conditionatorum, quæ nunquam re vera sunt euentura, quamuis eam efficacitatem absolutam, quam posset habere, si Deus voluisset, non habeat, non obid est imperfectus: neque rursus actus ille voluntatis Dei est vllo pacto superfluus. B quia est per se bonus, & hoc sufficit vt superfluus non sit, quamuis ad exercitium gubernationis in re, & in exercitio nihil disponat: sed non omninò nihil, quia reuelationes futurorum conditionatorum, de quibus scriptura loquitur plurimum profuerunt, & prosunt, tum ad institutionem nostram, tum etiam ad opera prudentiæ: quod satis apertè cernimus in facto illo Dauidis, & in futuro illo conditionato de Ceilitarum traditione si ipse permaneret apud eos, cum tamen hoc futurum conditionatum sit, & plura alia exempla de hac re adducere possemus. Et quando obijcitur tale decretum conditionatorum non posse pertinere ad perfectiotionem Dei, cum potuerit non esse in Deo propter libertatem suam. Respondetur primò, quòd idem possent dicere aduersarij de simplici affectu Dei, quod non est verum. C Secundò, negari non potest, quin sit rationabile, aut expediens vt voluntas diuina circa nullum obiectum per se amabile sit quasi suspensa, & omninò absque vllo affectu. Et idcirco vbi non vult habere affectum absolutum, seu efficacem ad veram futuritionem in re euenturam, habet simplicem illum affectum, aut conditionatum saltem. Et quamuis huiusmodi conditionatus affectus sit liber, & potuerit non esse in Deo, non sequitur Deum carere scientia istorum conditionalium. D Quia si non apponeretur hic affectus, sine dubio talia futura conditionata, ea præcipuè quæ non habent complexionem necessariam, aut illationem congruam, non dicerentur verè futura, etiam in omni latitudine futurorum.

Pro qua re intelligenda aduerte quasdam esse conditionales enunciationes, seu quædam esse conditionata futura, quæ re vera cognoscuntur ex vi, & in vi illationis, quatenus cognoscuntur veluti consequens in antecedenti, ex cuius vi illatiua infallibiliter cognoscitur futurum illud. Alia verò esse futura conditionata, quæ nullam habent vim illationis: vt si quis ita dicat: Si Constantinus Imperator

Rem-

Rempublicam defendit, Petrus currit, & Paulus disputat. & hæc dicuntur esse impertinentia inter se. Imò verò possunt sciri propositiones contentæ in hac conditionali absque veritate conditionalis sub forma, & copula conditionali, & sic potest esse conditionalis falsa, & propositiones veræ. Quocirca in hac propositione conditionali: si Sol ex natura sua caret luce, aut si Sol non lucet dies non est. propositio quidem conditionalis vera est, propositiones verò in ea inclusæ falsæ sunt, nimirum Sol non lucet, dies non est, supposito quod medio die proferatur, & è conuerso hæc est falsa apertè. Si homo disputat, Paul⁹ est dives: & tamen propositiones sunt veræ. Vnde solum est attendendum ad copulam conditionalem, seu ad bonitatem illationis, seu ad id quod affirmatur illatiuè ad iudicandam veritatem conditionalis, & non ad id quod affirmatur, vel negatur in ipsis propositionibus inclusis, à conditionali seiunctis, & auulsis, seu à forma, & copula conditionali, & ob id hæc est falsa: Si homo est animal rationale, equus est hinnibilis. Quia licèt vtraque propositio inclusa sit necessaria, tamen copula conditionalis, neque est necessaria, neque affirmat aliquid verum. Idem etiam dici potest de alijs conditionatis, vel disparatis, & non cohærentibus, vel impossibilibus.

Ex quibus colligo, quod licèt in conditionatis possit esse connexio inter conditionem appositam, & effectum, tamen si non reperiatur habitudo certæ illationis non cognoscitur certò effectus illatus. Et idcirco vt id cognoscatur requiritur illud decretum de quo diximus non esse superfluum circa obiectum quod potest amari ab eo, ne ipsa voluntas Dei maneat veluti suspensa, & absque affectu vllo, cum intellectus diuinus repræsentet illi omnia quæ liberè potest velle, & proponat ea suæ voluntati, de quibus Deus intelligit omnem complexionem & combinationem, & concursum conditionum, & circunstantiarum vt dictum, & explicatum est.

Hoc tamen certissimum esse debet, quod circa futura contingentia libera de quibus Deus, vel decreuit non fore, vel non decreuit fore quod illa euidentissimè cognoscit, vel in positiuo decreto, quo voluit non fore, vel in negatiuo, quo non voluit aliquid decernere de futuritione, & euentu absoluto eorum ad extra.

Quinta Conclusio.

Conclus. 5. DIco quintò. Non est improbabilis sententia, sed valde rationabilis dicere Deū certò & infallibiliter cognoscere futura conditionata, non quidem in decreto aliquo absoluto futuritionis eorum cum ipsa futura non sint, sed in decreto includente conditionem in obiecto, & hoc nō est fingere huiusmodi decreta, sed probabiliter & rationabiliter veritatem affirmare, ad infallibilem certitudinē futurorum cōditionatorum, quæ à voluntate creata quacumque seu à possibili essent futura, si collocaretur sub hac vel illa conditione, aut si crearetur his aut illis occasionibus, & circūstantijs oblatis. Hęc assertio est contra eos qui prędefinitiones Dei, etiam circa actiones supernaturales & diuinas repellunt, & potest tribui omnibus illis qui sentiunt cum sana doctrina Deum prædestinauisse homines, & non ex præuisione operum: prædestinationem enim etiam vocant prædefinitionem, dicit enim prædestinatio antecessionem, & statum seu definitionē, quod est statutum antecedens. Quare D. Hieronymus ad Ephesios 1. prædestinare dicit esse prædefinire D. Augustt. lib. 6. Hypognost. Prędestinationē dicit esse præordinationē antecedētē. Neq; ex huiusmodi ratione prædefiniendi, & præordinandi, aut prædestinandi ante præuisionē operum dicunt repelli libertatem, aut lędi, sed magis esse concordem. *D. Hiero.* *D. Augus.*

HANC etiam sententiam inter Scholasticos antiquos sensit Scotus in prima distinctio. 39. §. Vlo de contingentia rerum quantum ad existētiam. Nam certè cùm ex aduersariorum calculo eadem difficultas sit de futuris conditionatis, atque de futuris absolutè, sequitur quod cum hæc cognoscantur in decretis liberis, nullam esse repugnantiam, cum vtrobiq; sit par & æqualis difficultas, vt auctores oppositæ sententiæ fatentur, quod etiam possunt cognosci hæc futura conditionata, non sanè in decreto absoluto, sed in decreto includente eādem cōditionem in obiecto. Dicit enim Scotus primò, stare certitudinem diuinę scientiæ cum diuina voluntate, imò vero cum libertate hominis. Dicit secundò, diuinum intellectum cernere & intueri determinationem suæ voluntatis, nimirum fore Paulum conuertendum pro tempore determinato. Quoniā voluntas illa diuina illud decreuit pro eo tēpore, & sic volūtatem suā esse immutabilem. Dicit tertiò, quod intellectus diuinus offert simplicia voluntati suæ, quorū vnio est contingens in re, aut si offert complexionem, offert eam, sicut neutram, & voluntas diuina eligit vnam partem videlicèt coniunctionem, seu complexionem istorū pro aliquo nunc in re, & ita efficit illud determinatè esse verū, ita vt verè dicatur. Hoc erit pro tēpore. A quo existētę determinatè verò, essentia est ratio intellectui diuino intelligēdi illud verum, quantum est ex parte essentiæ: nam sicut essentia diuina est ratio cognoscendi simplicia, ita & talia complexa cum tali cōiunctione. Non quidem antecedenter ad diuinam voluntatem, quia talia complexa, tunc nō habent veritatem determinatam, posita verò determinatione diuinæ voluntatis, iam illa dicuntur vera pro illo secūdo signo, in quo idem erit ratio intellectui diuino intelligēdi, hęc cōtingentia, quæ iam sunt vera pro eo signo & hoc idem erit ratio intellectui diuino intelli- *Scotus.*

gendi ista, quę sunt iam vera in secundo signo, & fuissent cognita in primo si fuissent in illo.

Scotus. Quartò & vltimò dicit Scot⁹ quod in huiusmodi cognitione est certitudo infallibilitatis, quia non potest voluntas determinare quidquam, quin intellectus determinatè apprehēdat illud quod voluntas determinat, & immutabiliter, ex quo infert, quod cum istis stat contingentia obiecti cogniti, quoniam voluntas hoc volens determinatè, vult hoc liberè euenire, & cōtingenter: ex quibus omnibus apertè constat certitudinem cognitionis potissimè prouenire ex hoc quod intellectus diuinus videt determinationem, seu decretum voluntatis diuinæ. Est igitur plurimum cōformis assertio posita Scoto, & doctrinæ eius, præcipuè cum aduersarij dicant eandem difficultatem esse in futuris cōditionatis, quæ est in futuris absolutis.

Alexander Alensis. RVRSVS hic modus dicendi est valde conformis Alexandro Alensi prima parte quæst. 24. membr. 7. vbi expressè affirmat præscientiam Dei dicere ordinem ad præordinationem: & in hanc sententiam valdè propenditur Richardus in 1. dist. 38. art. 1. quæst. 5. Vnde de hac re videnda sunt quæ superius diximus disp. 1. concluſ. 1. vbi diximus certitudinem diuinæ præscientiæ inter plures rationes suæ infallibilitatis, vnam desumi ex decreto ipsius Dei, quo omnia futura in tempore ventura, & producenda definiuit, de quibus in ipsa prædefinitione habuit cognitionem, & inter fundamenta, quæ ibi proposita sunt, vnum est, quòd decretum voluntatis Dei ordine quodam causæ est prius, quam futura sit res. Quia vt loco citato diximus suppositione 3. in fine, & in appendice oportet affirmare ex eo aliquid esse futurum, quia Deus id ita decreuit, & voluit, vel decreuit permittere volendo præstare cōcursum ad effectum vel actionem: ex causis enim liberis & contingentibus ad vtrumlibet præcisè non potest intelligi futuritio determinata ipsius contingentis. Nam antecedenter ad omnē voluntatem Dei res dicuntur esse posibiles, & posibiliter futuræ, non tamen dicuntur simpliciter futuræ, neque non futuræ priuatiuè, quia nullum decretum est circa futuritionem illam. Denique hæc assertio necessariò defenditur ab omnibus qui consequenter loquuntur ad decretum voluntatis circa futura libera & absoluta, quia eadem videtur esse ratio omnium, & idem fundamentum, & eadem difficultas, vt constat ex efficacissimis rationibus, quæ conclusione quarta præcedente adductæ sunt.

Richardus. MOVEOR etiam ad hanc assertionē quintam ex impugnatione aliarum opinionū. Quoniam in eis reperiuntur plura inconuenientia, & præcipuè in eis neque explicatur, neq; saluatur sufficienter modus quo Deus cognoscat certò & infallibiliter hæc futura conditionata. Et ex sufficientia impugnationis aliarum opinionum sequitur esse dicendum quod in his decretis includentibus eandem conditionem in obiecto cognoscuntur illa futura conditionata: quod constat esse valdè rationabile. Quoniam argumenta aduersariorum, quæ contra nos militant dissoluuntur facilè. Nam certè illa sententia, quę ex comprehensione voluntatis creatæ philosophatur, maiorem difficultatem, & incertitudinem cognitionis facit, quoniam comprehensio voluntatis creatæ antecedenter ad determinationem suam in quolibet puncto intelligitur sub quadam indifferētia ad oppositum, & vt plurimum solùm potest intelligi cum quadam propensione & inclinatione ad aliquod oppositorum, non quidem infalibili omninò, cui non possit subesse falsum: nam hoc requirebatur ad certitudinem diuinę cognitionis.

ITEM illa sententia de duabus contradictorijs simplici intuitu visis, præter quam quòd non satis ostendit, quomodo Deus sciat hoc euenire, quia dicit vnum impossibile, nimirum quòd quia res est euentura & futura, idcirco Deus scit esse futuram; oppositum enim est verum præcipuè ex sententia Diui Augustini, vt superius efficaciter ostendimus. Habet etiam aliud inconueniens, quia si ob id quod res est futura, idcirco Deus scit futuram esse, tollitur à Deo libertas circa futuritionem rerum, cùm ante voluntatem ipsius, & decretum præintelligatur infallibiliter futura res, imò verò talis modus dicendi ponit in Deo casum, & fortunā cùm antecedenter ad decretum & voluntatem Dei dicantur res futuræ, & euenturæ, & præintelligi vt obiecta verè futura.

ADDVCOR etiam. Quoniam huiusmodi voluntas includens conditionem in obiecto non est impossibilis in Deo, etiam si includat conditionem: potest enim Deus ex eorundem aduersariorum concessione habere hanc voluntatem: Si crearem talem Angelum prædestinarem illum, vel si producerem talem hominem, quamuis ille peccaret, ego cum conuerterem. Nam certè in futuris conditionatis, neque ex parte obiecti est repugnantia vlla, neque etiam ex parte actus diuini: ergò, &c.

ET præterea quod ille voluntatis affectus, seu actus voluntatis non sit absolutus, aut efficax ipsarum conditionum id non est ex aliqua impotentia Dei, sed ex libertate eius omnimoda, & idcirco non illi debetur maior efficacitas cum sit voluntas simplex futurorum conditionatorum, quæ nunquam re vera erunt. Neque rursus ille actus voluntatis Dei est vllo pacto superfluus vt diximus. Quia est per se bonus. Et præterea reuelatio istorum futurorum conditionatorum, de quibus scriptura loquitur plurimum profuerunt, & prosunt, tum ad instructionem nostram, tum etiam ad opera prudentiæ, quod satis apertè videmus in facto illo Dauidis, & in futuro illo conditionato de Ceilitarum traditione, si ipse apud eos permaneret, cum tamen hoc futurum sit cōditionatum. De hac re legenda sunt quæ diximus supra in discursu 4. conclusionis præcedentis.

MOVEOR præterea, quia scientia media quæ constituitur ab auctoribus oppositæ sententiæ, qualiter ab eis constituitur ad cognoscenda futura libera, & contingentia impedit vsum libertatis in voluntate diuina. Nam certè si Deus antecedenter ad omnem voluntatem liberam intuetur rei futuritionem, & euentum liberum, quia res ipsa ita euentura est, & non quia Deus vult, aut voluit, aut quia sua scientia sciuit, sed quod ideo sciuit quoniam euentura erat: sequitur quod Deus non potuerit sua voluntate resistere, & repugnare scientiæ diuinæ resistendo, præcipuè cum illa scientia sit intrinseca dispositio ipsius volentis, libertatem eius determinans, quod maximè habet efficaciam, quia si reponatur hæc scientia media sequitur omnia futura prius esse determinata ad esse & fore, & consequenter ita cognosci à Deo, similiter prius quàm in ipsius voluntate aliquid sit decretum de eorum futuritione libera.

PRAETEREA si consideremus præcisè obiectum liberum contingens ad vtrumlibet, per se sumptum, non est maior ratio, cur habeat connexionem certam cum vno extremo magis quàm cum altero: ergò ex parte cognoscitiuæ virtutis non poterit magis vnum quam aliud cognosci certò & infallibiliter, nisi ex alio capite sumatur ei⁹ cognitio. Quod si dicas connexionem cum vno ex se esse cognoscibilem, atque adeò ex virtute cognoscētis Dei verè cognosci. Respondetur fatendum esse cōnexionē cum vno esse cognoscibilē à Deo, quia si semel est cōnexio, & cōiunctio cùm vno, cum ipsa sit ex se cognoscibilis, non potest nō cadere sub cognitione Dei. Verūtamen talis connexio & coniunctio cum vno, cùm dicat determinationem cum vno extremo ex duobus oppositis ad quæ causa, vel conditio indifferentiā habebat, necessariò oportet constituere fundamētum aliquod ex quo sequatur vera ratio connexionis determinatè illius, & fundamentum iudicandi certò de tali complexione, & coniunctione libera. Nam antecedēter ad hoc fundamentum seu principium minimè percipitur quo nam pacto causa operetur & influat liberè determinatè ad determinatum effectum nisi Deo volente, & decernente agere & operari, aut permittente, & volente concurrere. Quare Deus nec re ipsa, nec secundùm rationem potest videre res liberas & futuras contingenter ad vtrumlibet, priusquam vel sint præsentes in se ipsis, vel priusquam Deus habeat decreta libera: quo fit vt propositio in qua Deo attribuitur decretum aliquod liberum, vt velle creare mundum, seu velle vt aliquid fiat, facta hypothesi, aut suppositā conditione non prius ratione habeat determinatam veritatem, quàm Deus intelligatur actu habere illud decretum, & idcircò non obijcitur diuinæ scientiæ, vt exhibendum, sed vt exhibitum ex æternitate.

FAVET etiam: quia auctores oppositæ sententiæ censent Deum cognoscere hæc futura conditionata immediatè penetrando sua virtute veritatem, quæ in ipsis est, & non indigere aliquo alio medio vt illa cognoscat. Nam certè quamuis ex parte Dei, & principij cognoscendi non oporteat quærere aliam rationem cognoscendi, seu alium modum, quam ipsum lumen infinitum Dei, & perfectionem scientiæ eius apprehensa complexione rerum verè enūciabili, tamen quod verè res illa, quæ contingē tiam habet ad vtrumlibet importet coniunctionem iam determinatam cum altero extremorum verè enunciabilem, cum determinatione veritatis ad vnum, antecedenter ad Dei voluntatem seu decretum aliquod, quod vel sit absolutum, vel includat conditionem in obiecto, id quidem non est intelligibile. Nam quid est dicere respectu futuritionis contingentis, tam futurorum conditionatorum, quàm aliorum Deum cognoscere futura illa conditionata, penetrādo veritatem quæ in ipsis est immediatè? Nam certè cum Deus intelligit omnem veritatem cuiuscunque enunciabilis, verè Deus in omni opinione dicitur penetrare veritatem illam immediatè, sicut etiam cum intelligit rem aliquā esse falsam, id etiam intelligit immediatè penetrando eius falsitatem, de quo non est controuersia neque varietas opinionum. Vnde id quod quæritur in præsenti est, cur sit veritas enunciabilis respectu existentiæ absolutæ vel conditionatæ in eis rebus enunciabilibus, nisi sit verum fundamentum cur res ipsa fundet veritatem ratione existentiæ futuræ, cùm ipsa ex se non habeat existentiam neque possit illam habere in re, & in actu, nisi in ordine ad decreta libera Dei, à quibus veluti à fonte & à principio efficiente tribuitur vnicuique existentia, quæ fundat veritatem existendi enunciabilem à propositionibus, quod non fit nisi Deo tribuatur liberum decretum, quod prius ratione intelligatur esse ex æternitate quàm determinata illa veritas existendi. Non enim in presenti est sermo de veritatibus enunciabilibus quoad essentiam, de quibus neque est cōtingentia, neque requiritur aliquod principiū liberum ad eorum extrema essentialia connexa & cōplexa, sed solùm est sermo de his, quæ à voluntate diuina pendent vt sint vel nō sint, cùm ipsa sint omninò contingentia & indifferentia ad vtrumlibet.

QVIDAM ex aduersarijs (non omnes) adeò recedunt à nostra sententia, vt impossibile esse iudicent Deum habere, aut posse habere huiusmodi decreta. Quia illa voluntas Dei non potest esse in Deo necessaria, neque quoad specificationem, cùm ex se non sit determinata ad volendum hoc potius quam illud circa creaturam liberam, quacunque posita conditione, & secluſa alia priori volūtate, vel permissione Dei. Neque rursus voluntas illa Dei potest esse necessaria quoad exercitium. Quoniā Deus circa creaturas nullam necessariam habet voluntatem. Præterea talis actus circa conditionata cōtingentia nō videtur quomodo possit esse liber. Quia in Deo non potest intelligi

actus liber nisi ex eo resultet pro aliquo tempore mutatio in creaturam, sed ex illa voluntate conditionata nulla resultat mutatio in creatura aliquo tempore futura Quoniam ex vi talis voluntatis creatura nunquam erit, & conditionalis nihil ponit in esse: ergò talis voluntas non est possibilis, neque tale decretum voluntatis etiam includens conditionem in obiecto eius. Probatur maior. Quoniam talis voluntas non potest esse in Deo permutationem Dei: ergò requiritur vt saltem sit cum mutatione creaturæ. Nam cùm constituto illo decreto voluntatis Dei circa creaturam, resultet quædam relatio ad crerturam, requiritur saltem quod talis relatio fundetur in mutatione alterius extremi, cum relatio illa non sit confi&ta sine aliquo fundamento in re.

SED profectò huiusmodi argumentum nihil probat contra nos, & in primis quantum ad id quod primò supponit de libertate, & determinatione voluntatis Dei quoad specificationem, & quoad exercitium: suppono pro nunc posse inueniri in diuina voluntate aliquam determinationem, quantum ad specificationem, tam circa obiecta aliqua communia, quàm etiã circa aliqua particularia, quatenus continentur sub illis communibus: & nihilominus stare voluntatem diuinam esse liberam non tantùm quoad exercitium, sed quoad specificationem etiam secundũ alias rationes seu species actuũ. Hoc quoad primam partem videtur esse ex sententia D. Thomæ 1. parte q. 21. art. 1. ad 2. Idque ostendi potest in communibus obiectis distinguendo in Deo duplicem actum, seu effectum voluntatis, nimirum complacentiæ simplicis, cui opponitur displicentia; & voluntatis efficacis, seu operatiuæ, cui opponitur nolitio. Et sanè circa bonum honestum in communi, siuè vt ab ipso Deo fieri potest, siuè vt ab Angelis, & à nobis, res est certa quòd si Deus habiturus est aliquem affectum simplicem, necesse est vt ille sit complacentiæ, & non displicẽtiæ. Quia diuinæ bonitati, & voluntati repugnat quod illi displiceat bonum honestum à quocunque id fiat. Et rursus tali bono & obiecto honesto repugnat affectus displicentiæ. Quia non potest displicere Deo bonũ quia bonũ est: in bono autè honesto nulla ratione reperiri valet ratio mali, maximè in ordine ad volũtatẽ diuinã, quæ moueri nõ potest ex apparẽte specie mali. Et pari ratione circa malum morale seu peccatum, si Deus est habiturus simplicem affectum, ille non potest esse complacentiæ, sed magis displicentiæ, quia dissonum est diuinæ bonitati, & voluntati complacere in malo morali, & in malo culpæ: quoniam tale obiectum malum secundùm veram & rectam rationem non est capax talis affectus. Quia: *Odio est Deo impius, & impietas eius.* Sapientiæ 14.

RVRSVS certissimum est in ordine ad efficacem voluntatem Dei, præcipuè respectu illorum operum, quæ ipse facturus est, cum omnia operetur secundùm rectam aliquam rationem honestam, nihil Deum posse velle, nisi secundùm aliquam rationem honesti. In quo sensu sacræ Litteræ prædicant omnes Dei vias rectas & iustas esse. Et idcirco sanctus Thomas prima parte quæstione 12. articulo 1. ad secundũ, dicit esse impossibile Deum aliquid velle, nisi id quod ratio suæ sapientiæ habet, quæ est veluti lex iustitiæ secundùm quã eius voluntas est recta. Quod egregiè dixit D. Anselmus in prosolegio cap. 10. Vnde ex illa generalitate obiecti descendendo ad particularia obiecta, quæ illud includunt sub eadem ratione, par seu eadem necessitas inuenitur in eis quoad specificationẽ. Vnde ex his apertè colligitur quod si Deus vult & decernit loqui cũ hominibus aut Angelis, necessariò velit dicere verum, neque posse mentiri, quoniam mendacium diuinæ veritati & volũtati cõparatũ non potest honestari. Quod apertè D. Augustinus explicuit libro de mendacio, & contra mendaciũ, & 15. de Trinitate ca. 15. & libro de fide & symbolo. Sed perpendere oportet quanta sit differentia inter voluntatem Dei, & voluntatem creaturæ, quod in voluntate increata Dei potest reperiri necessitas quoad specificationem respectu obiecti honesti, seu respectu honestatis alicuius actionis, ex qua quidẽ necessitate non oritur in voluntate Dei necessitas simpliciter operandi. Quia potest nõ vellehoc ad extra in exercitio operis, hoc est potest non velle vt hoc sit aut illud. Et inde est vt quamuis posset velle permittere peccata, & cõcurrere ad actionem, non tamen potest velle, quod homines peccent, aut quod exerceant opera peccatorum, quia hoc obiectum est turpè, & alienum ab omni sapientia, & ratione recta Dei, sicut confitetur Propheta Psalmo 5. *Quoniam Deus non volens iniquitatem tu es.* Voluntas autem creata potest quoad specificationem liberè se habere quoad bonum, & malum.

OPORTET tamen animum leuare, & alta mente prospicere, simul cum hoc stare, Deũ sæpius cum libertate, quoad specificationem, operari, idque pertinere ad perfectionem voluntatis diuinę. Nam certè sub illo obiecto secundario, & materiali volũtatis diuinæ possunt exerceri non solùm actus diuersarum rationum, sed etiam oppositi nostro concipiendi modo, salua semper ratione formali propria, & conueniẽte voluntati & sapientiæ diuinæ, vt, verbi causa, velle & nolle sunt actus oppositi, & idcirco inter eos exercetur, & constat libertas quoad specificationem respectu eiusdem obiecti, quos sanè actus voluntas Dei potuit habere circa creationem Angelorum, & etiam circa incarnationem Verbi diuini, & inter hos duos actus potius elegit Deus velle, quam nolle, & cum potuerit aliarum specierum Angelos creare, vel alium mundum ab hoc distinctum, elegit potius nolle alium mundum, quam velle illius, & elegit rursus velle hunc. Qua-

D. Thomas

Sapient. 4.

S. Thomas.

D. Anſel.

D. Auguſ.

In Deo non potest reperiri necessitas quo ad specificationem respectu obiecti honesti.

Psalmo. 5.

ratione voluntas diuina libera est in suis operibus, etiam quantum ad specificationem actus quotiescunque in vtraque specie actus seruatur, & reperitur ratio honesti, & nihil indecens in aliquo illorum extremorum reperitur.

Deus extra se operatur omnia habet q; sua decreta non solum voluntarie sed etiam libere.

Ex qua doctrina apertè colligitur Deum operari omnia extra se, & habere sua decreta non solùm voluntariè, sed etiam liberè, & non censeo voluntatem illam Dei de futuris conditionatis, aut decretum Dei, impossibilia esse Deo circa volenda ab ipso, & similiter circa volenda à voluntate creata. Quia vt sæpè retulimus supra, nulla ratio excogitari potest cur Deus non possit habere hanc voluntatem, si crearem alios Angelos in alio mundo non permitterem primum illorum labi in peccatum, neque etiam primum hominem. Et sanè in huiusmodi voluntatibus & decretis liberis Dei nulla est repugnantia ex parte obiecti, neque etiam ex parte actus diuini. Neque rursus propter huiusmodi decreta affirmamus Deum necessitari vel quantum ad exercitium, vel quantum ad specificationem cum Deus non necessariò exerceat actum voluntatis circa creaturas, vt sint, neque vt futuræ sint, neque circa fururitionem conditionatam rerum & effectuum, sed omne decretum quod respicit præcisè existentiam, aut complexionem & coniunctionem existentiæ vt sic liberum est, & nullam necessariam voluntatem habet Deus erga creaturas quoad exercitium, vt explicatum est supra, habet tamen simplicem complacentiam de illis vt possibiles sunt, quatenus hac ratione habent quamdam connexionem cum omnipotentia sua. Vnde sub quacumque alia ratione, sub qua non habent talem connexionem, aut cum omnipotentia, aut cum bonitate, seu beatitudine Dei, non est vlla ratio cur Deus exerceat necessariò aliquem actũ voluntatis circa talia obiecta.

Bene intelligitur determinatio voluntatis libera ad aliquod obiectum absq; mutatione physica in obiecto.

Ad illud verò, quod obijciebatur contra nos, nimirum quod non potest intelligi actus liber in Deo, nisi resultet ex eo pro aliquo tempore mutatio in creatura, Respondetur, quod vt intelligatur determinatio libera ad aliquod obiectum non necessariò requiritur semper mutatio realis physica in obiecto illo. Nam certè voluntas qua Deus decernit, & vult obligare aliquem nullam mutationem physicam ponit formaliter in illo, & ex vi sua. Rursus illa voluntas, qua Deus paratus est dare sufficientem concursum quantum est ex parte sua non ponit necessario realem mutationem in re. Nam quidquid homo potest velle per mutationem sui, si aliunde non repugnet, etiam Deus potest velle sine mutatione sui propter summam perfectionem & eminentiam actus suæ voluntatis. Quocirca respectus ille rationis non fundatur super in mutatione physica aliquando futura, sed sufficit nonnunquam moralis mutatio, quæ sumitur in ordine ad prudentem rerum estimationem. Et potest dici in præsenti illa talis mutatio conditionalis. Quia videlicet ex vi illius diuini decreti, ita iam compararetur effectus ad talem causam, quod illa posita, seu ex hypothesi illius omninò futurus esset effectus ex vi talis decreti, cum tamen alioquin de se non ita futurus esset, quod etiam nobiscum fatentur auctores oppositæ sententiæ.

Ex dictis colligere possumus, quod quamuis sit connexio inter conditionem oppositam, & effectum, si non est habitudo infallibilis, sed cum quadam contingentia & indifferentia non potest ex vi talis connexionis merè contingentis inter conditionem propositam, & effectum futurum cognosci infallibiliter talis effectus, vt constat in exemplo de ciuibus Tyri & Sidonis. Nam quamuis effectus ille pœnitendi in tali opportunitate esset accõmodatus voluntatibus eorum, tamen quod esset infallibiliter euenturus, non poterat constare, nisi vel ex diuina voluntate, & decreto, quo voluisset cum illis agere, & concurrere Deus, aut ex voluntate, qua effecturus esset, vt illi crederent, si vellet vt in re constitueretur talis conditio. Et hoc vnum potest esse argumentum contra aduersarios, quo ostenditur veritas nostræ assertionis. Hoc videtur esse, quantum iudico, expressa sententia Diui Augustini libro primo de Prædestinatione Sanctoram capite decimo vbi loquens de diuina prædestinatione, de qua dixit, quod est præparatio beneficiorum Dei, & quod prædestinati sumus non ex operibus, quia creati sumus in illis, vt in eis ambulemus, subiungit quod prædestinatione ea præsciuit Deus quæ fuerat ipse facturus. Vnde dixit Christus in prædicto exemplo, ciues Tyri & Sidonis, acturos esse pœnitentiam, quod ipse facturus erat apud eos, si conditio illa apponeretur. Cernebat enim ipse eos non tot peccata multiplicaturos esse, aut tantam repugnantiam habituros esse ad Christum, ad eiusque virtutes, signa, & miracula, &c. Et enunciauit quæ ipse eis non ita repugnantibus, & contradicentibus sicut ciues Corozaim & Bethsaidę, acturus esset apud illos, si conditio illa apponeretur apud eosdem ciues Tyri & Sidonis, qui non tot multiplicarent, aut addidissent peccata, quibus Christo repugnarent. In his igitur semper intelligimus Dei voluntatem, aut, decretum. Et repellendus est modus ille dicendi eorum, qui dixerunt quod circa obiecta conditionalia Deus antecedenter ad omnem suam determinationem, siue absolutam, siue ex hypothesi & conditione cognouit quid esset decretura ipsius voluntas circa voluntates creatas in omnibus illis occasionibus, & sub illis omnibus conditionibus, sub quibus apprehẽduntur à diuino intellectu, & proponuntur voluntati eius. Nam cer-

D. Augus.

tè secluso omninò decreto Dei, aut voluntate eius eamdem omninò inuoluit difficultatem iste modus dicendi, quam plures alij quonam pacto certò, & infallibiliter possit cognosci, quid diuina voluntas sit, aut esset volitura in tali occasione, si nihil omninò aut statuit, aut decreuit siue absolutè siue sub conditione, adhuc enim non datur ratio, in qua fundetur certitudo infallibilitatis futuri contingentis ad vtrumlibet.

RVRSVS ex dictis colligo propositiones de futuro contingenti conditionatò non posse vlla ratione dici falsas, aut impossibiles, & sciri non posse. Hoc dico contra eos, qui crediderunt has propositiones esse impossibiles & falsas, & ob id sciri non posse, quia quod non est, non scitur. Putant enim auctores huius sententiæ, quod cum illæ propositiones sint conditionales non possunt esse veræ, quia in conditionali propositione nihil affirmatur, nisi vnum ex alio sequi. Quare si non bene sequitur, conditionalis dicitur falsa, & ob id proloquium commune est quod veritas propositionis conditionalis consistit in bonitate illationis. Dico igitur has propositiones conditionales contingentes, de quibus nunc loquimur, neque esse impossibiles, neque intrinsecè falsas. Quoniam non dicunt disparatam connexionem extremorum, neque incompossibilem omninò, sed ex hac sola possent habere intrinsecam falsitatem: ergò. Rursus quod in futuris contingentibus facta hypothesi, aut hoc posito sequatur illud, sicut non est necessarium, ita neque est impossibile: ergò enunciatio quæ affirmat hac facta hypothesi, aut hoc posito illud esse futurum, cum non dicat aut affirmet necessariò esse futurum, sed solùm futurum esse, non habet vnde sit impossibilis. Quoniam propositio affirmatiua dicitur esse impossibilis solùm, quando aliquid affirmat impossibile. Hoc declaratur magis ex communi modo concipiendi sapientum, quia auditis illis propositionibus conditionalibus, non statim iudicant eas impossibiles esse aut falsas, sed solùm sibi incertas esse cognoscunt. Non enim statim atque in scriptura Sacra legimus huiusmodi futura conditionata, affirmamus illa esse, aut falsa aut impossibilia. Imò verò cum hæc conditionata reuelat Deus, intelligimus illa vera esse. Cum enim reuelat Deus traditionem Dauidis futuram esse, si permaneret apud Ceilitas, aut ciues Tyri & Sidonis acturos esse pœnitentiam, si Deus easdem virtutes apud eos feciſſet, quas apud Corozaim, & Bethsaidam fecerat, nemo ex Catholicis dicet propositiones illas conditionatas, aut impossibiles aut falsas esse, sed veras & certas. Vnde propositiones conditionales sicut istæ, verbi gratia, Si Petrus collocetur in tali occasione, aut in talibus circunstantijs, in quibus re vera de facto nunquam erit, Petrus peccabit, aut Petrus aget pœnitentiam: certum est huiusmodi propositionem conditionatam ex terminis intrinsecè non esse falsam, aut impossibilem. Quoniam quæ talis est ex terminis nunquam potest esse vera, sed illa propositio conditionalis, si Petrus collocetur tali die in tali occasione, Petrus peccabit, non est intrinsecè falsa propositio ex terminis: ergò.

QVAPROPTER si conditionalis est probabilis & congrua, aut si habet connexionem contingentem, & liberam, quamuis nunquam sit absolutè futura, nunquam dici potest aut falsa aut impossibilis vllo pacto. Sed vt certò & infallibiliter cognoscatur veritas aut falsitas eius, requiritur fundamentum aliquod respectu existentiæ, cum illatio, quæ in illa inuoluitur respectu existentiæ futuræ sit merè contingens, & ita requiritur aliquis actus voluntatis diuinæ, vel ordo ad eam. Nam hac ratione seu fundamento illo posito poterunt dici veræ per conformitatem ad id, quod significant.

QVANDO autem propositiones conditionales cognoscuntur in vi illationis; quoniam cognoscitur consequens in antecedente, ex eo, quod cognoscitur infallibiliter ex vi eius, tunc necessariò cognoscitur veritas illius conditionalis, vt si quis dicat. Si Petrus conteritur & pœnitet, bene operatur, & se disponit, tunc quidem talis conditionalis illatiua cognoscitur in vi illationis illius. Rursus sunt propositiones contingentes conditionales disparatæ, quæ non habent vllam illationem ex conditione apposita, & istę sine vllo etiam alio decreto cognoscuntur esse falsæ à Deo, vt si dicas. Si Rex loquitur, Ioannes conteritur. Si Episcopus orat, Petrus peccabit. Nam quamuis Rex loquatur, & Ioannes conteratur, tamen illa conditionalis, vt illatiua est. Si Rex loquitur, Ioannes conteritur, apertè est falsa. Vnde falsitas in his disparatis conditionatis semper reperitur, nos tamen in præsenti non loquimur de istis, sed de illis, quæ habent conditionem probabilem, & contingentem cum mutua consequentia rationali, sed contingenter euentura ex suppositione conditionis, vt constat ex omnibus exemplis à nobis positis superius. Neque est sermo noster de conditionalibus impossibilibus, & disparatis, quando in conditione apposita includitur impossibilitas. Cæterùm si ex conditione impossibili in bona consequentia, sequitur effectus consequens, quamuis conditio sit impossibilis, conditionalis dicitur esse vera, vt siquis dicat, si Angelus est animal, est sensitiuus, est enim hæc vera ex hypothesi conditionis. Imò verò si ita dicas. Si homo est equus, homo est hinnibilis est vera propositio. Quoniã in

his

his & similibus propositionibus copula conditionalis, quæ includit hypothesim est, penes quam bonitas illationis pensatur, & penes quam pensanda est veritas propositionis. Quia cum conditionalis nihil ponat in esse, nihil interest quod hypothesis includat aliquid, quod non est possibile, vt constat in exemplis adductis. Cumque Deus cognoscat hæc omnia, non est cur Deo non concedatur certa & infallibilis cognitio futurorum contingentium conditionatorum iuxta modos à nobis præscriptos, potissime quia in re difficili & dubia ex omni parte occurrunt multa difficilia, & satis est attigisse rationabiliter valde modum, quo Deus possit certò cognoscere huiusmodi futura, seruata libertate Dei, & repellendo casum, & fortunam ab eo, quæ non repellunt omninò auctores oppositæ sententiæ, neque illi omninò videntur cõcedere libertatem in suis decretis, si rectè perpendantur fundamenta suæ sententiæ.

Sexta Conclusio.

Concluſ. 6. DICO sextò. Quamuis hæc nostra sententia sit omnibus alijs rationabilior, magisq; fundata in doctrina D. Thomæ, & in doctrina Sanctorum Patrum; nihilominus sentio non esse improbabilem sententiam illam, quæ dicit in propositionibus contradictorijs de futuro contingenti esse sufficientem veritatem determinatam secundùm quam à Deo præsciri possunt: Deumque cognoscere hæc futura solùm per simplicem intuitum veritatis vel rei, quæ futura est in sua temporis differentia, & quatenus futura est in illa secundum omnes conditiones existentiæ, quas habitura est in illa. *Gabriel.* Quem modum dicendi secutus est Gabriel in primo dist. 38. quæstione 1. articulo 2. *Ockam.* cum suo Okam ibidem quæstione 1. & cum *Gregorius Ariminen.* Gregorio Ariminensi quæstione 2. articulo 2. *Cordubẽsis.* Quam sententiam insinuat Antonius Cordubensis in suo quæstion. quæstione 55. dubio 10. Dixerunt enim Nominales isti nos ex fide certos esse Deum cognoscere hæc futura: impossibile tamen esse intellectui humano declarare & aperire modum quo illa cognoscat. Insinuabant tamen præfatam sententiam, quam sexta hæc conclusio tradit. Nam quamuis dicant non posse à nobis declarari quo pacto fiat hæc intuitio futurorum contingentium, tamen non negant absolutè posse à nobis intelligi hunc modum intuitionis simplicis possibilem esse. Et quidem quamuis aduersarij à veritate conuicti censeant actus prædefinitos à Deo certò cognosci in prædefinitione sua, tamen vel interdum negant prædefinitionem Dei, vel interdum dicunt res obiectiuè solùm ab æternitate esse Deo præsentes, non quidem secundùm coexistentiam cum ipso, sed tantum obiectiuè in ordine ad æternam scientiam Dei quatenus intuitus eius æternus simul cadit in omnia tempora, ac si iam essent actu. Hoc videtur insinuare Diuus Augustinus in illis verbis superius, diu citatis, non aliter nouit futura, quam facta, quia in eius dispositione iam tempora facta sunt. *D. Augus.* Hoc etiam Boetius cum ait, talia apud se præsentia spectat, qualia in tempore futura proueniunt. *Boetius.* Et Diuus Gregorius Deo futurum nihil est, ante cuius conspectum non transeunt futura, neque veniunt. *D. Gregor.* Quod videtur insinuare Paulus cum dicit: vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Et volunt aduersarij hunc modum dicendi tribuere Sancto Thomæ prima parte quæstione 16. de veritate articulo secundo, vbi inquit. Vtrùm veritates creatæ sint æternæ, & respondet, esse æternas solùm prout sunt obiectiuè in intellectu diuino, & quæstione 14. de scientia Dei articulo 13. & eadem prima parte quæstione 87. articulo quarto, & quæstione 57. articulo 3. & in 1. dist. 38. quæst. vnica articulo 4. ad 2.

Quid sit præsentia obiectiua. QVID autem sit hæc præsentia obiectiua futurorum, explicant auctores huius opinionis per hoc quod res ipsę futuræ sunt secundaria obiecta diuinæ scientiæ secundùm se. Nam possunt tanquam secundaria obiecta terminare diuinam scientiam, quamuis ab æterno non habeant realem existentiam, neque coexistentiam æternam à Deo, sed solùm pro suis temporibus. Quoniam hoc terminare non est aliquid reale intrinsecum in obiecto determinante scientiam, sed est extrinseca denominatio proueniens ab ipsa scientia. Quocirca si scientia ipsa ex se habeat aliàs sufficientem vim ex se attingendi infallibiliter tale obiectum, potest terminari ad illud, etiam si in illo nulla sit actualis entitas, seu existentia, per quam terminet talem actum, quod aperte intelligitur in exemplo de scientia rerum præteritarum vt sic, & de scientia rerum possibilium. Nam præteritum vt sic, nullam habet entitatem, aut existentiam actu respectu eius temporis, pro quo est præteritum. Rursus etiam de re possibili censemus terminare cognitionem seu scientiam, cum tamen secundum eum statum non habeat in se entitatem propriam, aut actualem, sed in causa tantùm. Illud igitur esse quod effectus contingens habiturus est ex parte obiecti potest esse sufficiens fundamentum, vt per scientiam aliquam eminentissimam & infinitam possit cognosci. Quoniam illud esse obiectiuum est satis, vt actus intuitionis possit terminari ad illud, si ex parte cognoscentis est virtus sufficiens. Nam certè veritates enunciationum de futuro contingenti sunt in intellectu diuino, vt Diuus Thomas locis citatis dixit, præcipuè prima parte quæstione 16. articulo septimo, & Aristoteles sexto Metaphysicę prope finẽ. *D. Thomas Aristoteles* Quare veritas obiectiua, seu ex parte obiectorum cognoscibilium nihil aliud est, quam quædam apti-

tudo

tudo, seu non repugnantia, vt intellectus habens virtutem intelligendi sufficientem possit de tali obiecto verè enuntiare, seu iudicare. Quæ sanè non repugnantia seu aptitudo nihil aliud est realiter præter esse ipsum, quod res habitura est tempore suo, ratione cuius potest comparari ad prius tempus, & sic dicitur futurum, ad subsequens verò & sic potest appellari præteritum. Qua propter veritas hæc ex parte obiecti solet vocari fundamentalis, quæ non postulat semper realem existentiam in actu. Vnde Aristoteles distinguit duplex ens, vnum quod verè est, aliud autem quod quamuis non sit, sufficit tamen ad veritatem propositionis, vt 5. Metaph. text. 14. & lib. 6. in fine affirmat, sic ergò dici potest de his futuris, quòd quamuis hoc futurum ab æterno non sit habere tamen quendam modum entis ex eo quod sufficienter potest fundare veritatē enun B ciationis, & æterni iudicij, & terminare actum intelligendi, qui vi sua potest ad quodlibet terminari, quacunque ratione participet rationē entis, siue præsentis, siue futuri, siue præterit, aut possibilis. Et ex his colligi potest quid sit præsentia obiectiua de qua paulò antea dicebamus. Esse enim aliquid obiectiuè præsens in actu secundo, seu respectu actus secundi & vltimi, nihil aliud est quàm actu videri, & hac ratione loquendo de præsentia obiectiua, quatenus nihil aliud est quam actu videri, & intueri: secundùm hanc opinionem non antecedit hęc prędsentia ipsam scientiam, neque prioritate rationis, atque adeò dicunt ex tali præsentia non posse reddi rationem scientiæ cum per illam præsentiam fiat formaliter. Dicunt rursus præ C sentiam obiectiuam posse sumi, non quidem respectu actus secundi, sed aptitudine quadam, licèt actu non videatur esse præsens obiectiue vt in sensibilibus dicitur obiectum, licèt actu non videatur, obiectiuè præsens esse quando ita est propin quum illuminatum atque dispositum, vt videri, & cerni possit, quantum ex se est. Vnde si hoc modo explicetur præsentia obiectiua, nihil aliud est iuxta opinionem horum auctorum quam ipsum esse quod ipsa res suo tempore habitura est, quod dicitur præsens secundùm existentiam in ordine ad tempus in quo actu existit: dicitur tamen futurum D toto tempore superiori, vero aut imaginario, antequam fiat aut sit in tempore. Quo fit vt illud esse quod aliàs est futurum, quatenus est sufficiens fundamentum ex parte obiecti terminatiui, vt videri possit à Deo, est ratio sufficiens ex parte obiecti eiusdem, vt possit esse præsens actui scientiæ Dei intuētis, & cernentis ipsum. Vnde hæc aptitudo ex parte rei cognoscendæ potest dici ex parte eius præsentia obiectiua.

Ex quibus intelligi potest quod coëxistentia huius præsentiæ obiectiuæ secundo modo acceptæ postulat æternitatem. Nam ex parte diuinæ scientiæ eo ipso quod æterna est, necesse est vt ab æterno possit attingere quidquid A in tempore est futurum, quia de ratione æterni est vt omnem suam perfectionem habeat simul. Pertinet autem ad perfectionem scientiæ diuinæ attingere omne scibile obiectum eo ipso quod est scibile. Nam hanc perfectionem non potest scientia diuina paulatim adquirere, igitur ex vi suæ æternitatis totam illam perfectionem habet simul, veluti etiam ex parte sua habet simul quidquid est necessarium ad coëxistendum realiter cuilibet rei si ipsa existat. Tandem vt res ab æterno sciri possint à Deo, ex parte rerum requiritur vt aliquando coëxistant æternitati, quamuis illa coëxistentia æterna non sit, ex parte tamen obiecti requiritur vt possit terminare æternam scientiam Dei vt saltem obiectum sit aliquando, & hanc putant esse sententiam D. Thomæ, quando dicit scientiam diuinam suo intuitu æterno omnia complecti in quocunque tempore existētia, prout sunt in sua præsentialitate, hoc est quatenus vnaquæque in suo tempore habet realem præsentiam, quia illa est quæ obijcitur æterno cōspectui Dei. Nam certè si illa scientia mensuratur æternitate, ab æterno habet illum respectū scientiæ, & intuitus ad quamlibet rem suo tempore futuram quod est rem futuram præsentem esse in æternitate Dei, atque hac ratione Deus dicitur intueri singularum rerum existētias pro suis temporibus. Sic igitur vt diximus interpretantur D. Thomam interpretatione à priori ex parte diuinæ scientiæ, nimirum quia ipsa habet simul totam perfectionem scientiæ possibilem, quæ tamen semper supponit cognoscibilitatem ex parte obiecti, quam habet ob id quod in aliquo tempore est habiturum existentiam, & coextiturum æternitati Dei. Quem modum dicendi nos superius retulimus & difficultates eius retigimus, nunc verò quia hanc sententiam vt probabilem recensemus, nolumus ea quæ diximus iterum in arenam vocare.

Animaduersio pro nobis perpendenda.

SOLVM recensere volo, quòd inter auctores huius opinionis, aut inter aduersarios nostros, tantus ac tam varius est modus dicendi & explicandi eorum, vt nunquam in eodem fundamento permaneant. Nam quidem eorum censent decretum voluntaris diuinæ ordine quodam causæ prius esse quam res sit futura, imò verò ex eo aliquid esse futurum, quia Deus voluit, quia res futura non potest intelligi adhuc futura, nisi ex suis causis, & inter causas rerum futurarum enumerant decretum Dei, quia nihil sine voluntate Dei fit, ac proinde antequam res sit futura ordine quodam causæ Deus voluit futuram esse, & consequenter præcedit decretum Dei rem futuram quatenus futuram, siue tale decretum dicatur præcedere concursum, & determinationem causę secūdæ liberæ,

siuè eam tantum comitari, siuè dicatur esse quocumque alio modo, semper dicunt sentiendum esse quòd si cõpararetur cum arbitrio ipso semper debet considerari vt prius cum re ipsa futura, atque ex tali decreto esse satis efficacem collectionem qua infertur certitudo, & infallibilitas scientiæ Dei, cum Deus, neq; falli, neque decipi possit in illo, quidquid aduersarij dicant, quæ sunt vt nos superius deduximus potius pro nobis quam contra nostram sententiam.

ADDE etiam eosdem aduersarios fateri decretum diuinum esse sufficientissimam causam cognitionis futurorum contingentium, quia quælibet res futura ex Dei decreto, est futura, & determinata ad vnam partem, & cõsequenter quod prius quam res futura cognoscatur à Deo dicitur ab ipso definita, & volita, sed ex hoc dicunt aduersarij quod quamuis cognoscatur optimè futuritio ipsius rei, & sufficiens causa eiusdem futuritionis, cæterum tale decretum sentiunt remotam esse causam, quamuis sufficientem. Sed profectò quidquid sit de hoc modo loquendi, siuè de hac causa sufficienti, sed remota, ab his auctoribus non negatur prioritas huius decreti, & in eo etiam cognitio certa, & infallibilis futurorum. Nam licèt futura contingentia ex se sint indifferentia, tamen certitudo, & infallibilitas scientiæ Dei optimè potest versari circa ipsa, quia non debet esse maior certitudo scientiæ, quam efficacia voluntatis diuinæ, igitur si antequam Deus sciat futura, ordine quodam prius dicitur ea velle, & definire, & eius decretum frustrari non potest, sequitur illius scientiam esse certissimam, quæ falli non potest, & ita scientia Dei in omnibus assimilabitur illius decreto, ex quo assignatur in Deo sufficientissima causa cognoscendi futura, & similiter redditur ratio sufficiens certitudinis scientiæ diuinæ.

ALIQVI ex auctoribus oppositæ sententiæ nostræ consequenter loquentes dicunt quod quoniam diuinus intellectus est infinitæ virtutis necessariò debet intelligere quidquid est intelligibile, quia si aliquid non posset ab eo intelligi à nullo posset intelligi. Cum igitur futura quantumcunque libera, & contingentia sint intelligibilia, quia sunt determinatæ veritatis, sequitur quod ab intellectu diuino possunt intelligi, ac proinde cum non debeat intelligi nisi eo modo quo sunt futura, aut non futura, efficitur scientiam eorum certissimam esse in Deo, nimirum quia in propositionibus singularibus de futuro vna pars contradictionis determinatè est vera, & altera falsa. Non enim potest intelligi inter enunciationes contradictorias quod ambæ simul veræ sint, sed quòd vna earum est determinatè falsa, & altera determinatè vera, ac proinde per intrinsecum locum sequitur pari modo à Deo sciri futura. Quia infallibilitas scientiæ Dei non est sola veritas, sed infinitas diuini intellectus, qui eo ipso quod est infinitus nõ potest non ad id quod est verũ referri.

DIXIMVS etiam ex calculo eorundem aduersariorum: futurum ita esse obiectum scientiæ Dei infallibilis, eo ipso quòd re vera est futurum; vt tamen nostro intelligendi more, supponatur decretum Dei tanquam causa, ante quod decretum nihil intelligitur verè esse futurum: & nos quoq; nihil contra hoc asseueramus. Quia licèt omne futurum ab æterno futurum sit, tamen ordine rationis prius res est possibilis quam futura, & ita nostro intelligendi modo, quasi duo signa, seu instantia rationis distingui possunt: in quorum primò res tantum sunt possibiles, quia ex se neque habent repugnantiam, neque implicant contradictionem, & aliud rationis signum, seu instans in quo res intelliguntur futuræ. Cæterum quia futuritio importat ordinem ad existentiam, & non ad essentiam, quia nulla res ex se futura est, sed ex voluntate, & omnipotentia Dei, idcircò antequam intelligatur futura, supponitur voluntas Dei, vt causa illius, non sanè ordine durationis, sed rationis, ac proinde in illo priori quo res est possibilis nondum intelligitur futura: Quoniam prius est esse possibile quam esse futurum. Quare ex his meo iudicio magis firmatur sententia nostra, quæ præcedentibus assertionibus explicata fuit.

IMÒ verò ex his infertur falsam esse quorundam aduersariorum sententiam, qui putant nullo præintellecto decreto voluntatis Dei circa futuritionem veram eorundem contingentium veritatem determinatam ipsorum repræsentari in ipsa Dei essentia. Quoniã si hoc ita foret sequeretur apertè non fuisse positũ in potestate Dei quod futura non repręsentarentur in sua essentia: quod verum esse constat, si absque vllo Dei decreto, & libertate ipsius verè intelliguntur esse futura, & in diuina essentia repræsentari: quod sanè absurdum est, & nulla ratione ferendum. Nam Deus si voluisset potuit nihil omninò producere, & tunc nihil esset futurum. Quare si res non essent futuræ à Deo, sed aliunde, tunc possent ante Dei decretum in essentia sua repręsentari, ac proinde nullo existente decreto res à casu euenirent respectu Dei, & sine vlla eius libertate, aut voluntate: quod non est dicendum. Rursus essentia diuina antecedenter ad Dei volitionem, & decretum, & cognitionem est indifferens ad repręsentandum futuritionem, & existentias rerum vt futuras in re: ergò, &c. Aliàs nõ liberè euenirent: cũ tamen scientia diuina dicat indifferentiam ad esse vel non esse creaturarum.

VIDEAT ergò doctus lector quantũ hæc desideant à sententia eorundẽ aduersariorũ inter se, qui vt suas defendant opiniones varioſq; dicẽdi modos, nunc vnũ, deinde alterum, & diuersum sequuntur fundamentum: & obid nos hęc quę postremo loco diximus recensuimus, vt optimus lector iudicem se constituat, &

Futuritio dicit ordinẽ ad existentiã & nõ ad essentiam.

videat quantum disident hæc quæ postremo loco dicebamus à suis modis dicendi, in quibus vel inter se non constant omninò, vel si aliquā do constant in fundamentis valdè differunt: Nos autem eodem modo loquimur, & eadem fundamenta proponimus, vt ex longissimo discursu huius controuersiæ videre licet.

Appendix ad ea quæ nos diximus.

CERTVM est Deum futura illa cōtingentia conditionata cognoscere sub illa conditione in obiecto inclusa. Nā ex hypothesi quòd Deus decerneret hoc aut illud, & hoc modo aut illo auxiliari, ex hoc sine dubio Deus apertè cognosceret quid futurum esset. Si tamen hoc non voluit, neque statuit, neq; in decreto includente eandem conditionem, hoc non cōpellit, neque cogit scientiam aliam mediam cōstituere tertiam, neque naturalem Deo, neque liberam, seu distinctam ab his, aliàs id esset propriam vocem ignorare. Imo verò si Deus nunquam conderet mundum nihilominus cognosceret futura illa conditionata libera: cognosceretque quod si ipse vellet creare nos cum talibus conditionibus, & auxilijs, & cum talibus permissionibus, & cum tali dispositione operum, & prouidentia in tali vel in tali ordine rerum tali loco, & tempore hæc, & illa forent. Sed quis non videat in his includi voluntatē cum conditione in obiecto appositā. Et rursus quis non videat hæc futura conditionata, quæ nunquam sunt futura includere ordinem ad causam futuritionis conditionatæ, quæ nunquam erit, esse tamen ea conditionata possibiliter futura, & interdum multa eorum, ita se habere vt in eis seruetur consequentia vnius ad alterum. Quapropter inauditum est apud sanctum Thomam, vel apud D. Augustinum aut Sanctos Patres dicere esse in Deo constituendam tertiam scientiam mediam, & quasi neutram aliam in Deo præter naturalem, & liberam, aut quod apud sanctos Patres dicatur esse in Deo scientia quædam conditionata. De quo modo dicendi huius scientiæ mediæ, re vera, & in substantia valdè miratur D. Prosper, & alia atque alia argumenta hinc, & inde constituit propter nouitatem modi dicendi, de qua re voluit, timens ne quid mali accideret, propter hoc consulere D. Augustinū in Epistola illa, quam Prosper misit ad ipsum, quæ habetur ante librum de prædestinatione Sanctorum, quæ incipit: Domino beatissimo Papæ ineffabiliter mirabili, incomparabiliter honorando, præstantissimo patrono Augustino, &c.

ET cùm D. Augustinus scripsisset duos libros, in quibus respondet Prospero, & Hilario sanctissimis, qui propter nouitatem doctrinæ cernebant mirum in modum plurimos turbatos esse: & contra Pelagium dixisset multa, Prosper & Hilarius consolidati sunt in sua doctrina, quam multis diebus, & tenuerant, & populo tradiderant. Nunc verò hisce diebus Ludouicus Molina in sua Concordia quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro vltimo, pag. 349. dixit, postquam de diuina prædestinatione locutus est, & de scientia sua media, & postquam affirmauit prædestinationem adultorum fuisse secundū præscientiam boni vsus liberi arbitrij, cuius Deū dicit habuisse rationē in hominibus prædestinandis. Quia licèt non fuerit facta propter præscientiā qualitatis vsus præuisi, tamen ait fuisse factā non sine tali præscientia, quasi fuerit habita ratio qualitatis vsus arbitrij futuri, non quòd esset mensura donorum Dei, sed quòd facta fuerit prædestinatio habita ratione vsus arbitrij futuri, tanquā eius, vt à quo sicut in tempore pendebat quod adultus cum his vel illis auxilijs aut donis perueniret vel non perueniret in vitam æternam, ita etiam pendebat, vt voluntas illi opitulandi, ac prouidendi per hæc ipsa auxilia aut dona rationē haberet, vel prædestinationis, vel solius prouidentię ad beatitudinem. Et paulò postea dixit quod in hoc secundo sensu prædestinatio adultorum fuit secundùm præscientiam boni vsus liberi arbitrij eorum, & quod hoc modo Deus habuit rationē illius boni vsus in eis prædestinandis: quæ omnia dixit in eadem Cōcordia pag. 474. & 475. Neque silendum est quod dixerat ibidem, quod certitudo qua adultus prædestinatus in æternā vitam perueniet, sita est in illa scientia media quæ antecedit liberum actum voluntatis diuinæ, &c.

IGITVR tandem affirmat pag. 489. quòd si in conciliandā libertate arbitrij nostri cum diuina gratia, præscientia, & prædestinatione, quæ ex suis principijs, & fundamentis deducitur data, & explanata fuisset eius doctrina, fortè neq; Pelagiana hæresis fuisset exorta, neq; Lutherani tam impudenter arbitrij nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cū diuina gratia, præscientia, & prædestinatione cohærere non posse. Neque ex Augustini opinione concertationibusq; cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pelagionosq; defecissent, facileq; reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in Epistolis Prosperi, & Hilarij fit mentio fuissent extinctæ.

ECCE quam sinistrè loquatur de eruditione Augustini, & de sententia eius in contentione quā habuit contra Pelagianos, & qualiter vult sua fundamēta cū sua scientia tertia, neutra, seu media esse infallibilia: principiaverò, & fundamenta Augustini minimè, sed potius sententiam sanctissimi, & eruditissimi Patris Augustini turbasse fideles.

QVOD magis est, addidit in eadē Cōcordia q. 23. ar. 4. & 5. disp. 1. mēb. 6. pag. 431. postquā explicuerat sententiā D. Thomæ iuxta magis receptam Theologorū sententiam. Quod salua reuerentia quæ D. Thomæ debetur, nō est mirū si communior Scholasticorum sententia, præsertim eo modo intellecta, quo verba D. Thomæ, nimirum 1. p. q. 23. ar. 5. ad 3. sonare videntur à multis dura nimis, indignaq; diuina bonitate, & clementia iudicetur.

Quomodo ex tollat Molina suā opinionem.

D. Thomas

VIDEAT ergo optimus lector in quas deuenerunt turbationes, & modos dicendi illi qui senserunt cum Molina, & qui propria ipsius fundamenta cũ sua tertia scientia neutra seu media secuti sunt. Iudicet rẽ hanc Magister Fidei summus Ecclesiæ Pontifex Paulus diuina prouidentia. V. Nã profecto ad omnia quę isti dicunt, & ad omnia futura conditionata cognoscenda sufficiũt scientia naturalis, & libera. Nã certè si futura conditionata dicunt ordinem ad aliquã voluntatem Dei seu ad decretũ sub cõditione includens eandẽ conditionẽ in obiecto, seu ad prædefinitionẽ liberam condionatã, ad totum hoc sufficiunt scientia naturalis, & libera. Quia non prius Deus poterit hæc præscire si sub conditione libera continentur, quã intelligatur sub conditione voluntas eandem cõditionem in obiecto includens: nam ex his sequitur talis conditionatorũ præscientia. Et palàm hoc confirmari potest. Nam scientia hæc media talis constituitur ab aduersarijs, quod per ipsam cognoscitur quid acturum sit liberũ arbitrium determinatè, antequam Deus quid quã statuerit per decretũ eius liberũ, sed hoc non est cognoscibile de actibus liberis sub hac ratione. Nã antequã actus liber à volũtate eliciatur, & procedat, in ipsa continetur, sed quatenus in voluntate indifferente, seu in libero arbitrio continetur, nõ potest certò cognosci, quia vt sic continetur in quadam indifferentia & indeterminatione: ergò nõ potest cognosci vt sic per scientiã illã. Dices Deum cognoscere quid esset facturum liberũ arbitriũ sub conditione, seu ex hypothesi quod velit eũ creare in tali ordine rerũ, & cũ talibus auxilijs, & circunstantijs. Sed certè totũ hoc dicit ordinẽ ad conditionalẽ quandam voluntatem, & prædefinitionẽ sub conditione, & consequenter hoc totũ includit respectũ ad ordinem liberũ, ac proinde non erit necessaria alia scientia distincta à naturali, & libera Dei.

RVRSVS loquendo, hypothesis seu conditio illa ob quam mouentur isti ad constituendam scientiam mediam, non potest præstare aliquid maius quã in se & secundùm se habeat, at hypothesis, & conditio illa absque Dei decreto in re, & in voluntate eius solùm habet rationem possibilis: ergò id quod ex conditione colligitur, non habet aliquid maius, sed tantũ rationem possibilis, vel futuri possibilis, at totum hoc cognoscitur per scientiam naturalem Dei. Dices, quod in illa conditionali inclusa in scientia media includitur ordo ad operationẽ: & quid, si talis conditio poneretur, operatura esset nostra voluntas cum talibus auxilijs, vocationibus, & occasionibus? Respõdetur primò, quod ex hac hypothesi, aut ex hac conditionali, re vera nihil ponitur futurum absolutè quod egrediatur latitudinem possibilis futuritionis, imò verò censeo quod ex positione huius conditionalis, & in ea aut in sua hypothesi pariter includitur, & imbibitur conditionalis Dei præordinatio, & prædefinitio, aut prædeterminatio, & ita nunquam verè includitur futuritio. Vnde Alensis dicit quod præscientia dicit ordinem ad prædefinitionẽ. Secundo respondetur quod non intelligitur ordo ad opus futurũ absolutè, sed ad opus ex conditione possibili, vnde non habet maiorem futuritionem quam eius conditio. Rursus tertiò. Si Deus nõ decreuit auxiliari per efficacia auxilia gratiæ suæ ad opus aliàs futurum, quomodo potuit præuidere opus futurũ fidei, conuersionis, aut pœnitentiæ, obiectum enim huius scientię mediæ secundarium sunt illæ res, quæ per eã cognoscũtur, & inter eas actus liberè exercendi in re, sed omnes isti ante decretum Dei solùm habent rationẽ futuritionis possibilis de facto vt ostensum est: ergò si antecedenter ad decretũ deficit hoc obiectum, sequitur scientiam hanc mediam corruere.

PRAETEREA potest confirmari. Nam nostro modo intelligendi scientia Dei, vel consideratur respectu possibilium, vt possibilia sunt præcisè, quæ scientia determinari potest à voluntate Dei, & à suo libero decreto, vel absoluto, vel includente conditionem in obiecto. Vel consideratur, & distinguitur non tantum respectu possibilium vt sic, sed etiam respectu futurorum, quę in aliqua differẽtia durationis, post iam factam determinationẽ voluntatis, futura erãt. Si des primũ, constitues scientiam naturalem, quæ antecedit omnem actum liberũ voluntatis. Si autem des secundum, constituis scientiam liberam in Deo quocunq; modo eã appelles: ergò duplicem solum oportet distinguere scientiam in Deo, naturalem & liberam. Dices scientiam hanc mediam seu tertiam constituendam esse ad cognoscenda futura conditionata contingentia, quæ quamuis nunquam sint futura, tamen de illis fuit prædictum quod essent, si apponerentur tales conditiones, & circunstantiæ. Sed profecto hoc nihil valet. Quia aduersarij non tantùm volunt constituere scientiam mediam ad cognoscenda futura conditionata, sed etiam ad cognoscenda absolutè futura contingentia, sed neque ad hoc requiritur alia scientia præter naturalem, & liberam. Nam conditionata ista futura dicunt respectum, & ordinem more nostro intelligendi ad quandam conditionalem, & liberam Dei voluntatem, seu ad quoddam sub conditione decretum includens quod includit eandem conditionem in obiecto. Cum igitur totum hoc inuoluat habitudinem, & respectum ad liberum decretum, & ad liberam Dei voluntatem, sequitur non oportere distinguere scientiam tertiam neutram distinctam à naturali, & libera.

HAEC obiter retuli. Nam efficaciora, & maiora argumenta superius in proprijs locis adamussim tacta sunt, sed silere non possum duo. Primum est quod auctores huius scientiæ mediæ, seu ex hypothesi, qui eã introducere hisce diebus voluerunt, ob iddicunt præcipuè constitui debere, quia scientia

Alensis. 2. Solutio.

Obiectio.

Solutio.

media est fundamentum necessarium diuinæ prædestinationis, & fundamentum verum ad declarandam efficacem gratiam, & vocationē Dei, totumq; mysteriū diuinæ prædestinationis sanctorum, & prædefinitionis diuinæ. Mecum enim considero quòd si quis hodierno die poneret fundamentum fidei Christianæ, aut in sola opinione, aut in sententia aliqua paradoxa, vel in re, quæ vt plurimum solùm in opinione consisteret, non constitueret firmum, & validum fundamētum in mysterio Christianę religionis: sed qui hanc scientiā mediā dicunt esse fundamentum prædestinationis, & gratiæ efficacis, maximè loquuntur cum læsione præ destinationis diuinæ, & cum læsione vocationis efficacis gratiæ Dei: ergo. Nam certè cum scientia hęc media seu tertia distincta à naturali, & libera quam aduersarij introducere conantur sit nouè ab eis excogitata, nō videtur quo pacto sit fundamentum firmum ad declarandā efficacem Dei gratiam, & vocationem Dei, totumque diuinæ prædestinationis mysterium. Nouum enim, & inauditum assignant isti fundamētum rei maximè in fide Christiana, quod quamuis esset probabile nihil amplius haberet. Nam cùm Theologi antiqui non constituerint scientiam hanc mediam, seu neutram, sequitur neque Sanctum Thomam, neq; antiquos, & Catholicos alios scholasticos Theologos, & Doctores Ecclesiæ ante Molinam, & suos cognouisse verum & necessarium fundamentū prædestinationis diuinæ, aut efficacis vocationis gratiæ Dei, & sic defectam fuisse Ecclesiam & scholasticam Theologiam vsq; ad tempora Molinæ, & eorum qui hanc partem sequuntur: quod dici non potest.

SECVNDVM, quod silere non debeo, est. Quia si hæc scientia media constituitur, per quam cognoscitur quid liberum arbitrium sit operaturū ex hypothesi, quod in hoc vel illo rerum ordine sit, antequā Deus quidquā prædeliberet, vel præordinet, quòd tunc læditur Dei libertas. Imò verò sequitur Deum expectare concursum voluntatis creatæ ad hoc vt ipse cōcurrat, & in his operibus habere solùm quādam complacentiam: quod quidem non est habere perfectā prouidentiam, qualem Deus habuit, & habere potest. Quia hoc tantum esset acceptare prouidentiā, & ordinationem in ipsis rebus inuentam, & præuisam per hanc cōplacentiam, & non ipsum Deum prouidere, *D. Augus.* De qua re legendus est eleganter D. August. tractat. 68. super Ioannem. Ergo si duo passeres, qui asse veneunt, nullus cadit sine Dei voluntate, sequitur multo magis nullam actionē bonam liberè fieri, & euenire sine prædeliberatione, & prouidentia particulari ipsius Dei. Quare ob difficultatem concordiæ liberi arbitrij, & gratiæ efficacis Dei, suæq; prædestinationis diuinæ, & infallibilis non oportet confugere ad nouum dogma de scientia hac media, præcipuè cum modo quo eam constituunt, & interpretantur auctores oppositæ sententiæ.

A Si enim huiusmodi concordia tam facilis esset sicut aduersarij sentiunt, tam paruamque habet difficultatem iuxta suam opinionem, non esset cur D. Augustinus & sancti Patres, aut S. Thomas cum Catholicis Theologis tantopere insudassent in saluanda hac concordia, & nō dum eam inuenissent, sicut Molina, & qui eū sequuntur: quod ille videtur dixisse in sua concordia cùm gloriatur se inuenisse scientiā mediā, & rursus cùm dixit quòd si in concilianda libertate arbitrij cum diuina gratia præscientia, & prædestinatione sua fundamenta data, & explanata semper fuissent, forte neq; Pelagiana hæresis fuisset exorta, neq; Lutherani tam impudenter arbitrij nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cū diuina gratia, præscientia, & prædestinatione, cohærere nō posse, neq; ex Augustini opinione, cōcertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosq; defecissent. Quam sententiā protulit Molina in concordia, q. 23. ar. 4. & 5. disp. 1. memb. vltimo, pag. 489, prope finē. de qua, vt dixi, iudicet Summus Ecclesiæ pastor cui Christus dixit: *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.*

B

C

Soluuntur obiectiones eorum qui dixerunt Deo non conuenire scientiā infallibilem futurorū cōditionatorum.

D

RESTAT modo dissoluere obiectiones illas, quas superius recensuimus numero decē, quæ militabant contra ea quæ principio controuersiæ dicta fuerunt in tribus illis prioribus pronuntiatis seu assertionibus. Ad primam igitur obiectionē plures sunt modi respondendi, quibus soluitur difficultas argumēti. Prima igitur responsio est: Deū cognoscere hæc futura conditionata in propositionibus cōtradictorię oppositis. Nam cū in illis significetur vtraque pars, nimirū futurum esse, & non esse futurū talem effectū si talis conditio ponatur, & vna illarum propositionū sit vera, & altera falsa, Deus qui infinitam habet vim cognoscendi poterit cognoscere, quæ illarū sit vera. Quia quæcūque veritas est cognoscibilis, præcipuè ab infinita virtute, seu vi cognoscitiua, & consequenter poterit scire vtrum talis effectus esset vel nō esset futurus, si poneretur talis cōditio. Quoniam illa pars erit certa quæ per propositionē veram significatur. Hic modus respondē di placet multis, de quo diximus non esse improbabilē. Sed mihi videtur nō habere solidū omnino fundamentū, & impugnari posse, quia iuxta eū, non assignatur præcipua, & vltima radix vnde prouenīat, futura cōditionata, quantum est de se, posse cognosci vt certò futura, aut non futura sub conditione. Quod sic probo. Quoniam propositio aliqua dicitur vera in quantum est conformis rei significatæ per eam iuxta proloquium Philosophicum: Ab eo quod res est vel nō est, propositio dicitur vera

Ad Primā Obiectionē. Prima solutio.

vel falsa: ergò pari modo propositio dicitur determinatè vera, in quātū determinatio suæ significationis est conformis determinationi rei significatæ quo ad suum esse: ergò prius est rē esse determinatam quàm propositionem esse determinatè veram: Quia sicut esse rei est mensura veritatis propositionis, ita determinatio rei quoad suum esse, est mensura determinationis veritatis propositionis. Quare non satis est determinatio veritatis in propositione nisi in re ponatur determinatio quoad suum esse. Ex quo fit solutionem hanc non omninò satisfacere difficultatibus propositis, vt supra diximus.

2. Solutio. SECVNDA solutio esse solet quorundam qui supponunt duo requiri, & exigi ad cognitionem horum futurorum conditionatorum. Primum est ex parte cognoscentis, nimirum virtus sufficiens, & proportionata ad penetrandum rem quantum fuerit cognoscibilis: Alterum est ex parte ipsorum futurorum, scilicet determinatio in ratione ita futurorum sufficiens, vt quantum est ex parte sua, sint cognoscibilia vt certò futura. Quo constituto dicunt virtutem cognoscitiuam ad cognoscendum hæc futura conuenire Deo ratione infinitatis, suæ intellectualitatis. Quoniam intellectualitas infinita sufficiens est ad penetrandum omnem cognoscibilitatem obiectiuam. Rursus dicunt determinationem ad futuritionem conditionalem conuenire ipsis futuris sub conditione, non quidem vt sunt in suis causis, siuè conditionaliter, vt coniunguntur suppositioni cōditionis. Quoniam huiusmodi causæ sunt indeterminatæ, & indifferentes, non solùm secundùm se, sed etiam vt coniunguntur tali suppositioni. Nam etiam ipsa suppositio est indifferens ad vtramque partem, & non infert determinatè alteram earum circa huiusmodi futura, neque vt sunt in se ipsis secundùm actualem existentiam, aut in tempore aut in æternitate. Quia cum huiusmodi futura nunquam sint re ipsa habitura esse, non possunt habere actualem existentiam, neque in tempore, neque in alia mensura superiori, sed vt dicunt ordinem ad tempus futurum in quo sua existentia erit præsens determinatè. Quia in tēpore pro quo hi effectus conditionati dicuntur futuri non abstrahent ab existentia, & non existentia, neque habebunt vtramque simul, sed determinatè habebunt tantum alteram earum.

Obiectio. SED dices hic modus determinationis non est realis, sed fictus: ergo ratione illius futurum conditionatum non habet esse cognoscibile, vt certò, & realiter futurum: patet consequentia. Quia cognoscibilitas in quocūque obiecto proportionatur suo modo essendi: ergo quod nō est secūdùm rē determinatè futurum, sed solū secundùm fictionem intellectus, nō potest dici secundùm rē cognoscibile, vt certò futurum, sed solùm secundùm eandem fictionem. Et antecedens probatur. Quia determinatio comparatur ad esse, sicut modus eius, & idcirco quale fuerit esse, talis erit determinatio, & ex consequenti vt determinatio sit realis oportet vt etiam esse quod modificatur seu modificat sit reale, sed esse quod potest conuenire huic effectui, quatenus cōsideratur non vt est in se, neque vt est in suis causis, sed vt dicit ordinem ad futurum tempus in quo sua existentia erit præsens non est reale, sed fictū. Quia tā tùm dantur duo modi essendi reales, scilicet, aut actu secundùm propriā existentiam, aut potentia in virtute causarum, ergò etiam determinatio non est realis, sed ficta. *Arguitur.*

AD hoc responderi potest, negando antecedens, & ad probationem distinguendo minorem. Si enim sit eius sensus illud esse non esse reale in actu signato, & quasi per modum essentiæ aut obiectiuè, falsa est minor, quia verè dicit ordinem ad existentiam realem futurā præsentem, & hoc est satis vt prædicto modo dicatur reale. Si verò sensus sit non esse reale in exercitio, & per modum actus secundi, aut alicuius effectus vera est, & hoc conuincit eius probatio, & idcirco neganda est consequentia. Nam vt valeret oporteret minorem esse veram in priori sensu, Vnde hæc distinctio minoris potest explicari exemplo ex discrimine quod reperitur inter essentiam entis realis consideratam secundùm se, & prout neque est in causis, neque in se ipsa, & essentiam entis rationis: Nam essentia entis realis ita considerata dicitur realis, & non ficta, quia dicit ordinem ad existentiam realem, & essentia entis rationis non dicitur realis, sed ficta, quia nō dicit ordinem ad existentiam realem: eodem igitur modo futuritio effectus realis in quantum dicit ordinem ad realem præsentiam existentiæ dicitur realis, & non ficta, & in hoc distinguitur à futuritione chimeræ, quę dicitur ficta, quia importat ordinē ad præsentiā fictam.

Solutio. SI dicas vlterius quod licèt explicetur hoc modo, qua ratione illud esse quod tribuitur effectui futuro sit reale, tamen non explicatur qua ratione sit determinatum. Quia non explicatur quid habeat ex proprijs, aut ex aliqua suppositione ratione cuius sit magis determinatū ad vnam partem quam ad alteram, nimirum ad existentiam quam ad non existentiam vt in exemplo adducto essentia entis realis nō est magis determinata ad existendum in exercitio quam ad non existendum.

SED respondetur hoc explicari satis, quia dictum est effectum ex suppositione quod in tempore futuro, pro quo dicitur futurus, erit in executione præsens determinatè altera pars, scilicèt existentia aut non existentia, & tunc habere commensurationem ad hanc partem determinatè, & per hanc commensurationem ad partem, quæ sub conditione est futura præsens, esse determinatum ad eandem partem, ita vt sicut multi dicunt propositionem de futuro cōtingenti esse determinatè veram ex suppositione quod importat cōmensurationē ad propositionē de in esse, quæ in tēpore futuro ei respondebit determinatè, sic etiā

nos dicamus alteram partem in effectu futuro esse determinatam ex suppositione quod commensuratur præsentiæ, quæ ei respondebit determinatè in tempore, pro quo dicitur futurus.

3. *Solutio.* His duabus solutionibus multorum præmissis, quia moderni circa controuersiam hanc varia adducunt fundamenta, aliam etiam solutionem adducunt dicentes, Deum cognoscere hæc futura conditionata in suis causis proximis indeterminatis, & indifferentibus ad vtramque partem, ex eo videlicèt quod Deus ita eas causas, & earum vim penetrat, vt cognoscat certò, & infallibiliter in quam partem sit vnaquæque earum liberè aut contingenter determinanda, si producatur cum his aut illis circunstantijs, videlicèt cum his motiuis, & occasionibus inclinantibus ad alteram partem, & cum hac remotione impedimentorũ retrahentium ab eadẽ parte. Et quoniam ad quamcumque cognitionem requiritur præsentia obiecti secundum eam rationem, qua est obiectum, & vis proportionata ex parte principij cognoscitiui: vt explicent quonam pacto hæc duo concurrant ad hanc cognitionem, dicunt Deum habuisse præsentiam obiecti, non solum ab æterno, sed antecedenter secundum ordinem rationis ad omnem liberam determinationem suæ voluntatis circa futuritionem rerum, quæ in sua essentia ratione suæ naturæ, & infinitatis, atque adeo ante actus liberos voluntatis continebantur eminenter, vbi erant omnes causæ liberæ, contingentes, & omnes modi quibus possent determinari ad suas operationes cum omni diuersitate circunstantiarum, tam ex parte motiuorum, quam ex parte remotionis impedimentorum. Et præterea dicunt etiam habuisse vim proportionatam ex parte principij intellectiui, vt cognosceretur in quam partem esset vnaquæque causa determinanda, si in tali circunstantiarum, & occasionum ordine produceretur, quia propter eminentiam, & infinitatem suæ virtutis cognoscitiuæ adæquabat cognitione suam essentiam, & ex infinito excessu superabat omnia creabilia, & omnes ordines rerum, & circunstantiarum sub quibus possent creari. Ex quo prouenit vt ita penetraret vim causarum creabilium, siuè contingentium siuè liberarum vt cognosceret omnes effectus, qui ab eis possent prouenire, aut contingenter aut liberè non solum sub ratione possibilium, sed etiam sub ratione futurorum sub conditione, scilicèt si eædem causæ producerentur in tali, vel tali ordine rerum & sub his circunstantijs aut sub illis, quia hoc pertineret ad super excedentem illam comprehensionem, vt ex vi eius cognosceretur non solum quid vnaquæque causa posset facere, sed etiam quid esset factura pro diuersitate circunstantiarum, quibus esset adiuncta, Cuius ratio videtur esse; quia comprehensio adæquata extenderetur ad omne id quod causa posset facere: ergo comprehensio tam infinite super excedens extenderetur etiã ad id quod esset factura sub conditione explicata. Addit etiã hic modus dicendi requiri comprehensionem infinite superexcedentem, & non sufficere adæquatam, imò neque quamcunque maiorem comprehensionem quam sit res comprehensa, vt vitentur duo inconuenientia, quæ videntur apertè sequi, ex eo quod comprehensio causæ indifferentis dicatur sufficere ad cognoscendum quid ipsa causa esset factura.

Primum inconueniens est, intellectum diuinum quatenus ita præsupponebatur determinationibus liberis voluntatis circa res futuras potuisse cognoscere, imò de facto cognouisse in quam partem voluntas erat determinanda, quia intellectus comprehendebat sua cognitione, suam voluntatem, & videtur hoc esse inconueniens, quia cum non proueniret ex excessu intellectus supra voluntatem, deberet prouenire ex determinatione ipsius voluntatis ad alteram partem. Hoc potest confirmari: Quia licet in diuersis suppositis vnum ex comprehensione alterius cognosceret quid alterum sit electurum, non tollit alterius libertatem, tamen in eodem supposito, hæc scientia antecedens liberam determinationem voluntatis, maximè si sit scientia intellectus ex natura rei proportionati, & ordinati ad dirigendum immediatè voluntatem in suis electionibus videtur tollere omnem eius libertatem. Probatur. Quia hæc scientia cum antecederet electionem voluntatis non pendêret ab eis neq; quantum ad suam substantiam, neque quantum ad aliquam modificationem: ergò per intellectum habentem talem scientiã proponeretur voluntati determinatè, & sine indifferentia altera pars, nimirũ illa, in qua cognosceret ipsam voluntatem se esse determinaturã: ergò in tali casu non esset in voluntate indifferentia formalis ad eligendum ad vtramq; partem, sed determinatio ad alteram tantum, scilicèt ad eam, quæ proponeretur per intellectũ. Probatur hæc secunda consequentia. Quoniã si in potentia cognoscitiua, quæ dirigit operationem non sit indifferentia radicalis, scilicèt quantum ad iudicium directiuum, neque in ipsa appetitiua erit indifferentia formalis, quod nunc suppono, vt certum ex his quæ diximus in cõtrouersia de libero arbitrio, & ex his quę affirmantur in sana doctrina scholasticorum. Et primum probatur. Quoniam impossibile videtur quod in eodem intellectu cũ hac scientia de futura electione alterius partis simul sit aut esse possit iudicium mouens cum indifferentia ex parte sua ad eligendum vtramque, & hoc argumentum habet maiorem difficultatem in Deo, in quo propter suam immutabilitatem hæc scientia cum sit naturalis non potuit, aut non fuisse, aut non esse postquam semel fuit, & non est ad propositum instantia de Christo, qui per scientiã diuinam

vt

vt Deus comprehendebat infinitè suam voluntatem creatam, atq; adeò cognoscebat quid esset electura sine læsione suæ libertatis. Quia intellectus diuinus, & eius scientia non ordinabantur ex natura rei ad mouendum, & dirigendum immediatè voluntatem creatam, & ita sic se habebant quantum adhoc in Christo, acsi essent in alio suppositо. Potestq; explicari hoc exemplo ab oppositо, & cõtrario. Nam in homine indifferentia cognitionis intellectiuæ nõ sufficit, vt in appetitu sensitiuo secundum se sit indifferentia formalis, quia immediatum & proportionatum motiuum appetitus sensitiui non est cognitio intellectiua, sed sensitiua: ergo pari ratione determinatio huius scientiæ ei uinæ in Christo, quia non est proportionatum & immediatum motiuum voluntatis creatæ non sufficiet vt in ipsa voluntate creata non sit indifferentia formalis quoad suas electiones. Et multo minus est ad propositum alia instantia de anima Christi, quæ per scientiam beatam cognoscebat quid sua voluntas esset facturа. Cui similis est alia de illo qui per reuelationem cognoscit quid sit facturus, vt Petrus ex Christi reuelatione cognouit infallibiliter futurum esse suum peccatum negandi Christum. Nam contra vtramque instantiam obijci potest, neutram cognitionem esse necessariam simpliciter, sed solum ex suppositione subordinationis ad scientiam vel reuelationem Dei, & ideò sicut scientia aut reuelatio Dei non repellebat neque auferebat libertatem voluntatis creatæ, ita neque scientia, aut quæcumque alia cognitio, quæ solum habet infallibilitatem in quantum ei subordinatur. Vitatur autẽ hoc inconueniens. Quoniam intellectus diuinus, licèt comprehendat diuinam voluntatem, tamen non excedit eam infinitè, imò verò neque in vllo aliquo gradu.

Secundũ inconueniens

SECVNDVM inconueniens est posse per Dei potentiam communicari intellectui creato vim seu virtutem ad cognoscendum antecedenter ad omnem determinationem voluntatis in quã partem sit se ipsam determinaturã, siuè sit propria siuè aliena, imò & de facto hoc naturaliter conuenire intellectui cuiuscumque Angeli tam respectu propriæ voluntatis, quam respectu voluntatis humanæ, aut alterius Angeli inferioris, & hoc esse inconueniens quoad primum exemplum respectu propriæ voluntatis constat, & patet ex his quæ paulò antea dicebamus in declaratione primi inconuenientis. Et quantum ad secundum exemplum probatur. Quoniam proprium est Dei cognoscere per facultatem propriæ naturæ certo, & infallibiter futura libera, aut etiam contingentia, & sequi ex hac sententia probatur quoad primum exemplum. Quouiam non repugnat intellectum hominis vel Angeli eleuari ad hoc quod comprehendat voluntatem creatam, siuè propriam, siue alienam. Et quoad secundum. Quoniam

A naturale est cuicumque Angelo per intellectum suum comprehendere se ipsum, & quemcumque alium Angelum inferiorem, & hominem. Qua propter similiter erit ipsi naturale cõprehendere omniũ horũ voluntates. Vitari autem hoc inconueniens iuxta hunc modum dicendi patet. Quoniam comprehendere aliquam voluntatem, siuè propriam, siuè alienam excedendo ipsam infinitè, non potest communicari supernaturaliter alicui intellectui creato. Quia posita in eo quacumque eleuatione semper manet intra limites entis creati, atque adeo finite distans ab alijs creaturis, licèt pertineat ad altiorem ordinem, & multo minus potest alicui conuenire naturaliter secundum propriam facultatem.

B HVNC modum explicandi hanc sententiam, & respondendi ad obiectionem secutus est Ludouicus Molina, prima parte quæstion. 14. articulo. 13. disputa. 14. in explicatione, & probationibus primæ conclusionis, & etiam disputation. 17. §. Triplicem scientiam, & disputation. 18. primo membro. Sed profecto hic modus dicendi, & explicandi quonam pacto Deus cognoscat futura contingentia libera, siuè absoluta, siuè conditionata difficilis valdè est, & præterea non dissoluit argumenti nexum, aut obiectionis difficultatem. Quod sic ostendo. Nam ex vi, & meritis causæ indifferentis ad vtram que partem quatenus ita indifferens est non potest prouenire in re vna pars immutabiliter & infallibiliter, sed voluntas creata quatenus præsupponitur saltem ordine naturæ ad suum actum quantumcumque sit præuenta maximis motiuis inclinantibus ad alteram partem & habeat remota omnia impedimenta est causa actu indifferens, & libera ad vtramque partem, vt etiam fatetur ipse Molina, & vt omnes fateri debent: ergo ex vi, & meritis voluntatis liberæ ita consideratæ non potest prouenire re ipsa immutabiliter, & infallibiliter altera pars. Tum vltra: sed ex vi comprehensionis causæ non potest cognosci futuram esse infallibiliter alteram partem circa effectum, nisi quia ipsa pars in re est infallibiliter futura ex vi, & meritis ipsius causæ: ergo si ex vi, & meritis causæ non prouenit infallibiliter talis pars, non sufficiet comprehensio causæ, quantumcumque perfecta ad cognoscendum futuram esse infallibiliter talem partem. Probatur hæc vltima minor. Quoniam ex vi comprehensionis causæ solùm cognoscitur id quod continetur in virtute ipsius causæ, siuè tanquam effectus aliquis, siuè tanquã modus alicuius effectus, aut suæ productionis: ergo ex vi comprehensionis alicuius causæ liberæ non potest cognosci esse infallibiliter futuram alterã partem circa eius effectum, nisi quia ipsa pars, est infallibiliter futura ex vi, & meritis ipsius causæ. Antecedens huius probationis conf-

Molina.

tat apertè. Nam ex vi comprehensionis alicuius causæ, si consideretur formaliter quatenus est eius comprehensio, solùm potest cognosci id quod in ipsa causa continetur aliquo modo, scilicèt aut actu, aut virtute, & in potentia, vnde cum effectus aut modus effectus non contineatur actu in sua causa si non continetur virtute non poterit cognosci ex vi comprehensionis causæ. Et probatur consequentia. Quoniam nisi talis pars sit infallibiliter futura ex vi, & meritis causæ non cõtinebitur infallibilitas suæ futuritionis virtute in ipsa causa. Et confirmatur. Quoniam iuxta hunc modum dicendi non vitantur duo illa inconuenientia superius posita, quod sic ostendo. Quoniam vel excessus ille infinitus comprehensionis est necessarius ex parte rei cognitæ, vel solum ex parte cognoscentis. Primũ dici non potest. Quia aliàs sequeretur non dari comprehensionem sine illo infinito excessu. Quia non cognosceretur res quantum ipsa ex natura sua est cognoscibilis, quod tamen est cõtra id quod admittitur in ipso modo dicendi, scilicèt dari comprehensionem secundum adæquationẽ cognitionis ad cognoscibilitatem obiecti, & contra euidentem rationem qua probatur Angelum naturali facultate sui intellectus comprehendere naturas inferiores, præsertim eas, quæ sunt inferiores secundum gradum, quales sunt materiales. Si verò dicatur secundum, sequitur non esse necessarium illum excessum in cõprehensione ad cognoscendũ quidquid ex vi cognitionis causæ potest cognosci. Quia non est necessarius ad cognoscendam causam quantum cognoscibilis est, atque adeò neque ad cognoscendum omnia, quæ ex ipsa, & in ipsa cognita possunt cognosci.

Solutio. 3. TERTIA solutio, & responsio ad obiectionẽ illam primam ex decem, quæ contra nos militant, quã nonnulli huius ætatis moderni nolũt admittere, est illa, quæ docet Deum cognoscere hæc futura cõditionata in quodam decreto, seu in quadam veluti prædeterminatione suæ voluntatis, qua decreuit, & definiuit quid esset facturus non solũ absolutè, sed etiam sub conditione si hæc aut illa circũstantia poneretur, vt si volũtas hominis vel Angeli collocaretur in hoc, vel illo ordine rerũ, & sub his circunstantijs aut sub illis. Itaq; dicit hæc sententia Deũ sub conditione etiã apud se decreuisse hoc aut illud facere, si hæc, aut illa causa poneretur, imò verò ex hoc decreto certò à Deo cognosci futura omnia sub conditione secundùm infinitas causarum cõbinationes, iuxta quas omnia apud se statuit, quæ alias facturus esset. Quam ego sententiam ante duodecim annos insinuaueram, quamuis neminem legerim qui rem hanc prælo mandauerit, licet in certaminibus Theologicis id ego aliquando significauerim.

VERVM consequenter ad hanc responsionem nonnulli ex recentibus Theologis, & aduersarijs censent dici posse Deum, ita certò cognoscere futura sub conditione, vt etiam sub conditione subintelligatur Dei decretum de concurrendo cum arbitrio, hoc modo: Deus optime nouit; si Petro in hac occasione, aut illa darem hanc vel illam vocationem, & ego cum illa cooperarer secundum quod ipsa postularet, neq; miraculosè sub traherem conatũ sum meum, fieret tale opus, possem tamen sub trahere si mihi placeret. Ex quo optime intelligitur de Dei voluntate loqui eos, qui affirmãt quod si hoc aut illud Deus nõ voluisset nõ decreuisset illud aliud. Nã certèverè dicimus: Si Deus decreuisset Adamum perseuerare in statu innocentiæ non voluisset Verbum incarnari, supposita sententia D. Thomæ, quæ docet nõ aliade causa Christũ in carne venisse, quã propter redemptionem generis humani, sic enim cũ sit connexio inter obiecta, nimirum inter incarnationem, & remedium peccati, est etiam inter voluntates vt vna sublata, alia etiam de medio tollatur, contra verò vbi nulla est connexio, & coniunctio voluntatum, quia nulla etiã est obiectorum, conditionalis propositio neganda est. v.g. si Deus voluisset Caim non occidere fratrem, aut eũ in gratia permanere, voluisset etiam facere alium mundum, vel aliter disponere ipsum quem creauit, vel si decreuisset saluare Iudam traditorem, pariter etiam decreuisset saluare Holophernem, Profecto hæ propositiones negandæ sunt, quia omnino nulla est connexio antecedentis positi sub conditione, & consequentis. Vbi autem nulla est connexio, sicut non est bona consequentia, sic nec vera propositio. Et quamuis huiusmodi propositio sit falsa, non ob id sunt veræ istæ, quæ videntur ei contradictoriæ, & re vera non sunt, nimirum si Deus decreuisset non saluare Iudam, nihilominus saluaret Holophernem, sed omnes istæ sunt falsæ, sicut illa prior omninò affirmans, neque sunt illi contradictoriæ. Nam in conditionalibus contradictio debet assignari præponendo solùm negationem, non negando alteram partem illationis, sed vbicumque in conditionali antecedens nõ adhęret consequenti neganda est, & falsa propositio, siuè antecedens sit affirmatiuum, siuè negatiuum, siuè consequens sit huius, siuè alterius qualitatis.

Vbi est connexio obiectorum est cõnexio voluntatum.

VERVM qui hanc posteriorem partem dicendi sequũtur, quia putant esse veram, & ex ea dissolui obiectionem tactam adhuc volunt impugnare cognitionem certam futurorum conditionatorum in decreto includente eandem conditionem in obiecto, quia putant esse impossibile conuenire Deo hanc liberam prædefinitionem, seu decretum liberum circa futura conditionata, quæ nunquam erunt. Quod sic ostendunt. Nam certè hæc libera prædefinio, seu hoc decretum Dei includens eandem conditionem in obiecto solùm addit in Deo relationem rationis ad terminum vt futurum. Quoniam in hoc distinguitur hæc

prædefinitio à reliquis actibus liberis, qui etiã solum addunt in Deo speciales relationes rationis distinctas secundum exigentiam suorũ terminorum: ergo cum terminus huius prædefinitionis nimirum effectus, qui dicitur futurus sub conditione non sit re ipsa futurus, non potest esse in Deo relatio rationis ad talẽ terminum vt futurum, atque adeo neque prædefinitio, quæ solùm addit hanc relationem rationis. Patet vtraque consequentia. Quia deficiente aliquo termino relationis necesse est deficere relationem ipsam saltem pro vt ad eum terminatur, & ex consequenti etiam necesse est auferri actum, quatenus præcise importat relationem hanc.

Falsum est nullum effectum decreuisse Deum libere qui non sit re ipsa futurus in hoc vniuerso.

Sed profecto hæc impugnatio modo dicta cum suo modo dicendi mihi probari non potest. Nam sentio falsum esse absolute loquendo Deum nullum effectum decreuisse, aut præ determinasse liberè, saltem sub conditione qui non sit re ipsa futurus in hoc vniuerso, vt nos fuse diximus supra ex sacris Litteris, & ex sententia sanctorum Patrum in prima parte huius controuersiæ, conclusione prima, & secunda, vbi de futuris conditionatis, quæ in sacris Litteris continentur egimus, & de aliquibus effectibus liberis & contingentibus, quos necessarium erat certò esse futuros sub conditione ad veritatem aliquarum prædictionum & promissionum, quæ à Deo sunt factę sub conditione ex parte obiecti. Et quidem ratio pro opposita sententia facta non est efficax, quia potest ei responderi relationes rationis, quas habent huiusmodi prædefinitiones quæ sunt conditionatæ ex parte sui obiecti respicere terminum, aut futurum non absolutè, sed sub conditione. Quia sicut secundùm doctrinam Philosophi in Categoria relationis non omnibus relatiuis est assignandus terminus eodem modo, sed relatiuis potentialibus, terminus in potentia, vt calefactiuo calefactibile, & relatiuis actualibus terminus in actu, vt calefacienti calefactum, ita etiam non omnibus relationibus, quæ respiciunt terminum vt futurũ est assignandus terminus vt futurus eodem modo. Sed relationibus quæ respiciunt terminum vt futurum absolutè, & sine conditione assignari debet terminus, qui sit re ipsa futurus absolutè, & sine conditione, & relationibus, quæ respiciunt terminum vt futurum tantum sub conditione assignandus est terminus qui sit eodem modo futurus, scilicet, sub cõditione, & ad hoc vt aliquid dicatur futurum sub cõditione vt distinguitur à possibili, & à futuro absoluto non est necesse esse aliquando re ipsa futurum in hoc vniuerso.

Sed dicet aliquis, sequi ex hoc concedendam esse aliquam mutationem in Deo. Sequela probatur primo. Quia hæc relatio rationis vel est duratura in Deo in æternum, vel solum vsque ad tempus, in quo esset ponenda conditio. Primum dici non potest, quia ex eo sequeretur concedendum esse Deum in æternum prædefinire vt fiat talis effectus: Si verò dicatur secundùm sequitur intentum. Quia tũc de nouo desinet esse illa relatio inter Deum, & effectum: ergò desinet esse permutationem aliquam in altero extremorum. Nam cum hęc relatio non sit voluntariè conficta in Deo, sed habeat aliquod fundamentum: si extrema haberent sẽ eodem modo sicut antea, etiam relatio conueniret Deo eodẽ modo sicut antea. Quare cum hęc mutatio non fiat in creatura, scilicet in effectu, quia quod non habet esse reale, non est capax mutationis realis, fiet in Deo. Secundo patet eadem sequela, & consequentia. Quoniam hæc relatio non conuenit Deo necessario, sed liberè, atque adeò potuit non cõuenire ipsi, & cum non sit conficta ad placitum supponet fundamentum aliquod reale in altero extremorum, quod ita ei conueniat, vt potuerit nõ conuenire, atque adeò sit causa, vel ratio formalis alicuius mutationis, aut accidentalis in ipso, quamuis fuerit ei coęua, & cum hoc fundamentum non sit in effectu, quia nunquã est habiturus esse, erit in Deo, atque ita in ipso erit ratio mutationis, aut accidentalitatis, quod non est ferendum: ergo.

Hvic dubitationi, & pariter obiectioni, Respondetur negando illationem, & sequelã. Et vt respondeamus vtrique probationi perpendendum est valde obiectionem hanc continere difficultatem quamdam partim communẽ omnibus actibus liberis in Deo, & partim specialem, & peculiarem his decretis, & prædefinitionibus de effectibus cõditionatis. Nam de omnibus actibus liberis inquiri potest quod fundamentum liberum præsupponatur ad relationem rationis, quàm vnusquisque eorum specialiter addit, quod inquiritur in secũda probatione huius sequelæ: & peculiariter de his prædefinitionibus: circa effectus conditionatos potest inquiri, in quo extremo fiat mutatio, vt relationes rationis quas addunt, desinãt esse, quod inquiritur in prima probatione eiusdem sequelæ. Ad priorem difficultatem dicẽdum est fundamentum ex parte Dei esse eminentiam suæ voluntatis, quæ sinè alia mutatione potest liberè terminari ad omnes differentias obiectorum, in quas voluntas creata tendit media mutatione sui ipsius, per varios, & distinctos actus, & ex parte effectus ratio specialis secundùm quam terminat voluntatem Dei, quæ in hoc casu est ratio futuri, quam effectus participat ab æterno ab ipsa voluntate Dei, vel absolutè si sit absolutè prædefinitum ipsum esse futurum, vel sub conditione si sit prædefinitum sub conditione. Et quoniam effectus non participat ab æterno hanc rationem futuri secundùm aliquod sibi intrinsecum, sed solum secundum denominationem extrinsecam futuri, & hęc nunquam ponit aliquod esse reale in re denominata neque præsupponit, siuè antecedenter, siuè concomitanter, quia quod de eo quod non est, potest prędefiniri vt sit pro tempore futuro, ideo hoc fundamentum ex parte

effectus non postulat aliquod ens reale, sed potest conuenire non enti. Ex hoc ergo manet soluta secunda probatio, quæ quidem quãtum ad hoc non continet maiorem difficultatem respectu futuri conditionati, quam respectu absoluti, cum de vtroque sit explicandum quomodo habeat rationem termini diuinæ prædefinitionis ab æterno, & ex consequenti antequam sit. Vnde ad posteriorem difficultatem, Respondendum est totam mutationem quæ necessaria est, vt illæ relationes desinant esse fieri in eo quod se habet vt fundamentum ex parte termini, scilicet effectus conditionati, & consistere in hoc quod huiusmodi effectus ante aduentum temporis pro quo erat prædefinitum ipsum esse futurum sub conditione habebat rationem futuri conditionati, & tunc primo, nimirum posito tali tempore desinit habere eam, ita vt tunc primò sit verum dicere de hoc effectu nõ esse futurum, nec absolute, nec sub conditione aliqua. Et quoniam hoc genus mutationis non solum fit secundùm denominationem extrinsecam, sed etiam secundum denominationem, quæ ex propria ratione habet non postulare aliquod esse reale in re, cui attribuitur, idcirco fieri potest in re, quæ neque habeat, neque fit habitura aliquod esse reale.

ADDENDVM tamen est duas has conditiones in hoc genere mutationis, nimirum fieri secundùm denominationem extrinsecam, & secundùm denominationem, quę posset attribui non enti, ita esse explicandas. Nam duplices sunt denominationes extrinsecę quædam physicæ, & quædam morales. Physicæ dicũtur quę attribuuntur secundùm aliquod esse physicũ, & istæ postulant aliquod esse reale in re denominata, quia non ens non est capax denominationis secundùm esse physicum, & color non potest dici visus nisi actu existat, neque colũna denominatur realiter dextera, nisi actu sit ens reale. Morales vero denominationes dicũtur, quæ attribuuntur beneplacito voluntatis, & istæ non semper se habent eodẽ modo quãtum ad hoc: quia interdum postulant existentiam in re denominata, vt cum ex Regis beneplacito tribuitur argento denominatio pecuniæ, aut homini denominatio prætoris: & aliquando non postulant talem existentiam, vt cum ex beneplacito hominis promittitur aliquod opus futurum Deo, aut alteri homini sub conditione aliqua ponenda tempore aliquo certo & determinato, verbi gratia intra decem dies. Quoniam opus quod ita promittitur dicitur intra decem illos dies promissum, & futurum ex obligatione voti, & promissionis, & illis diebus elapsis dicitur non promissum & non futurum ex eadem obligatione, & tamen tale opus nunquam habuit actualẽ existẽtiam, & ad has posteriores denominationes pertinet illa, secundùm quam fit mutatio in effectu conditionato ad esse futuri sub conditione ad non esse futuri. Et ex hoc cõstat responsio, & solutio prioris probationis, & regulæ

Duplices sacræ Scripturæ denominationes extrinsecæ.

Quid sit mutatio physica & moralis.

propositæ in hac obiectione. Quia ad desitionem illius relationis sufficiet mutatio in effectu ab esse futuri ad non esse futuri, & huius mutationis poterit esse capax ipse effectus, qui neque habeat, neque sit habiturus actu aliquod esse reale. Franciscus Suarez lib. 2. de scientia conditionatorum, cap. 7. pag. 361. pressus à veritate nostræ sententiæ certè non multum ab ea recedit si rectè perpendatur, & cum attẽtione. Non enim reiecit omnino decreta, quæ includunt eamdem conditionem in obiecto circa hæc futura conditionata, & in proposito solutionis adductæ superius, dicit quod vt intelligatur determinatio libera ad aliquod obiectũ, non semper est necessaria realis mutatio physica in illo obiecto, quod ipse alibi dicit se ostẽdisse. Et nihilominus probat exemplis, quia voluntas, qua Deus vult aliquem obligare nullam ponit mutationem formaliter in illo, & ex vi sua, & rursus voluntas, qua vult tribuere sufficientem concursum quantũ est ex parte sua in nulla re ponit necessario mutationem realẽ. Quia quidquid homo potest velle per sui mutationem si aliunde non repugnet potest etiã Deus velle sine sui mutatione propter summã eminentiam actus suæ voluntatis, potest autẽ homo velle aliquid etiã si in illo absolutè nolit mutationem efficere. Cur igitur non poterit Deus idem facere, vnde respectus ille rationis non semper fundatur in physica mutatione aliquando futura, sed sufficit interdùm mutatio moralis, quæ sumitur in ordine ad prudẽtem rerum ęstimationem, & potest in præsenti vocari illa mutatio conditionalis, quia videlicet ex vi illius decreti ita iam cõpararetur effectus ad talem causam, vt illa posita omnino esset futurus ex vi illius decreti, cũ tamen aliàs de se non ita esset futurus.

P. Suarez.

HAEC etiam nobiscum Franciscus Suarez sensit, neque potuit ille negare possibilitatem istorum decretorum in Deo, & idcirco loco citato, postquam meam sententiam retulerat, dixit hæc, quæ sequuntur. Sed & ego nõ censeo huiusmodi voluntatem esse simpliciter impossibilem in Deo tam circa volenda ab ipso Deo, quam à voluntate creata. Cur enim non potest Deus habere voluntatem hanc, si crearem talem Angelum, prædestinarem illum: aut si Adam non peccasset, Spiritus sanctus fieret homo? Cum neque ex parte obiecti sit repugnantia neque etiam ex parte actus diuini, vt enim intelligatur determinatio libera ad aliquod obiectum, non semper necessaria est, realis mutatio physica in illo obiecto.

Tertiã solutionẽ approbat auctor.

HIS ita prælibatis, cum nos hanc tertiam sententiam & solutionem tanquam probabiliorem & certiorem secuti simus: Respondere possumus ad obiectionem: quod futurum conditionatum pro vt futurum est, sub apposita conditione, dicitur esse determinatum, non quidem absolute in decreto absoluto, sed in decreto conditionato includente eamdem conditionem in obiecto, supposita hypothesi & condi-

tione

tione, de qua est sermo, & iuxta hunc modum dicendi distinguendum est consequens & neganda consequentia. Et ad probationem, Respondetur esse futurum sub conditione, & pari modo dici determinatum in decreto illo conditionato de quo hactenus diximus. Quare sua determinatio, semper intelligitur sub conditione apposita, circa quã, ea data intelligitur esse decretum illud cõditionatum. Ad replicas quæ ibidem continentur, iam dedimus responsionẽ paulò superius in discursu huius tertiæ solutionis.

Ad 1. replicã argumẽti principalis.

ALII verò respondent, negandum esse antecedens, & ad probationem dicunt determinationem ad alteram partem conuenire huic futuro secundùm se, & non prout est in suis causis. Quia secundùm se importat commensurationem ad vnam partem tantum scilicet ad eã quæ erit præsens in tempore, pro quo ipsum dicitur futurum. Et ad primam replicam contra hoc factam, concedendum est hanc commẽ surationem siuè determinationem non fundari in actuali existentia quam hoc futurũ habeat, siuè in tempore, siuè in æternitate. Quia futurum conditionatum prout de eo loquimur in præsenti non est re ipsa habiturum existentiã in aliquo tempore, atque adeo neque potest eam habere in æternitate etiam iuxta sententiam illorum qui concedunt futura existere in æternitate. Quod si obijcias necessario assignãdum esse aliquid, in quo recipiatur vt in subiecto hæc commensuratio, & quoniam hoc non potest esse aliud, quam ipsum futurum, quod iuxta hanc solutionem est actu non ens & nihil, sequitur commensurationem ipsam nõ esse realem, quoniam non potest recipi in nihilo aliqua realis entitas, Respondetur huiusmodi commensurationem non comparari ad futurũ, neque ad aliquid aliud tanquam accidens ei superadditum, sed esse ipsam entitatem futuri, quæ consistit in hoc quod sit quædam consummatio ad actualitatem, quæ in tempore futuro erit præsens, sicut de multis relationibus transcendentalibus dici solet esse primas rerum entitates aut in subiecto. Quare falsum est quod in hac obiectione supponitur necessarium esse assignandum aliquid, in quo hæc commensuratio recipiatur vt in subiecto. Quod si obijcias vlterius, nõ vitari hoc modo incõuenies quod in hac replica, seu obiectione adducitur, scilicet commensurationem ipsam nõ esse aliquid reale, quia entitas futuri, in qua consistit nullibi existit, atque adeò certò est nõ ens & nihil, Respondetur commensurationem, & entitatẽ futuri non dici realem, vt ens reale distinguitur ab ente rationis siuè ficto, quod est esse ens reale per modum essentiæ aut obiectiuè respectu intellectus diuini. Cum verò dico esse ens reale obiectiuè non accipio vocem obiectiuè pro vt dicitur de obiecto, quod actu terminat cognitionem diuinam, sed pro vt dicitur de obiecto quod ordine rationis præsupponitur ad eam, sicut ens verum respectu entis creabilis nondum creati dicitur reale obiectiuè: & existentiæ creaturarum ante creationem dicuntur reales obiectiuè.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.

Solutio.

Ad secundam replicam.

SED dices ex hoc sequi esse propositionẽ perpetuæ veritatis, qua de aliquo futuro contingenti enunciatur esse futurum, quia commẽ suratio, in qua consistit esse futurum est ipsi intrinseca per omnimodam identitatem abstrahendo ab actuali existentia, atque adeo esse necessariam, & non contingentem, sicut propter hanc rationem propositiones, in quibus prædicata essentialia affirmantur de suis subiectis dicuntur necessariæ, & perpetuæ veritatis. Respondetur concedendo talem propositionem esse perpetuæ veritatis, & illam esse necessariã ex suppositione, & non simpliciter, cum quo stat esse contingentẽ simpliciter, & in hoc differt hæc propositio ab alijs, in quibus prædicata essentialia dicuntur de suis subiectis, quia illæ sunt veræ absque vlla suppositione, quod ita futurum sit in tempore, & abstrahendo ab omni differentia temporis, & ob id sunt simpliciter, & absolutè necessariæ: at verò hæc de qua nunc loquimur solum est vera ex suppositione, quod actualis coniunctio prædicati cum subiecto sit futura præsens in tẽpore, pro quo enunciatur futura in ordine ad talem differentiam temporis & ideò non est perpetuæ veritatis, nec simpliciter necessaria, sed tantũ ex suppositione contingenti.

VNDE ad secundam replicam eiusdem obiectionis primæ in eodem argumento factam, respondetur in primis eandem esse difficultatem circa futura absoluta, siuè dicamus ea cognosci per præsentiam secundum existentiam realem in æternitate, siuè per præsentiam obiectiuam, quia iuxta vtramque sententiam affirmandum est hæc futura vt sunt præsentia, siuè secundùm existentiam realem, siuè obiectiuè, esse determinatè futura etiam in tempore, & cum hoc videtur repugnantiam habere esse futura contingenter, & indeterminatè. Et sicut ad conciliandum infallibilitatem diuinæ cognitionis circa futura absoluta, vt sunt altero ex illis duobus modis præsentia, cum eorum indeterminatione, & indifferentia ad vtramq; partem solent communiter dici futura illa ratione præsentiæ solum habere esse ex suppositione determinatè futura, & cum hoc stare esse secundum se futura simpliciter indeterminatè, & cum indifferentia ad vtramque partem: ita nos dicimus de futuris conditionatis habere esse conditionaliter determinatè futura ex suppositione præsentiæ, quam in tempore est conditionaliter habitura ea pars, quam respiciunt & cum hoc stare ipsa esse futura simpliciter cum indeterminatione, & indifferentia simpliciter. Verumtamen est aduertendum indifferentiam siue cõtingentiam, aut libertatem simpliciter conuenire effectui in quãtum propria eius causa concurrit ad ipsum cum indifferentia & libertate ad vtramque partem, & idcirco quidquid nõ tollit à causa hunc modum operandi

randi, licèt importet aliquem modum determinationis non tollere ab effectu contingentiam & libertatem simpliciter, & quoniam determinatio quæ conuenit omnibus his futuris, siuè ratione præsentiæ in æternitate, siuè ratione præsentiæ obiectiuè, siuè ratione determinationis quàm conditionaliter est habitura altera pars in tempore præsenti, pro quo huiusmodi futurum dicitur futurum, non tollit modum proprium operandi causæ, qui est cum indifferentia & libertate, & ideò non obstante hac determinatione potest effectus dici simpliciter contingens aut liber.

De fide est in Deo esse libera decreta circa futura.

His ita stabilitis: quamuis prædicta sententia de liberis Dei decretis certissima sit, & maximè conformis Scripturæ, & modo loquendi eorum, qui dicunt Deum ex decreto libero prœordinasse omnia quæcunque Deus ipse ad extra fecit & produxit, & hoc decretum Dei minimè lęsisse libertatem, & contingentiã rerum ad extra, de fide enim esse constat quod fuerint in Deo libera decreta circa futura: quoniam omnia quę à Deo liberè processerunt, liberè etiam decreta fuerunt ab ipsa æternitate, vt nos supra latè deduximus in prima & secunda parte huius controuersiæ. Nihilominus aduersarij nostri, quos ego pressos esse video ex efficacia fundamentorum, & rationũ, quæ pro nostra sententia militant, imò verò quos cerno iam magna ex parte in nostram sententiam ijsse, vt ex eorum scriptis modo in lucem editis magna ex parte constare potest, argumentantur nouis alijs rationibus ab inconueniente sumptis, quibus si non euertere veritatem, saltẽ eam pungere conantur.

Argumen. aduersarij contra cognitionẽ certam futurorum cõtingentium de sumptã ex decreto.

Argvmentatvr igitur contra nos, nimirum contra cognitionem certam futurorũ conditionatorum desumptam ex decreto conditionato, seu includente eandem conditionẽ in obiecto, respectu futurorum, si sub hac, vel illa conditione collocarentur volũtates nostræ. Quoniam huiusmodi decretum seu prædefinitio, respectu omnium cõbinationum conditionalium ponitur sine fundamento, & superfluè & aliquo modo contra perfectionem prouidentiæ diuinæ: quod probare possumus discurrendo per singula. Nam in primis poni hãc prædefinitionem sine fundamento, patet: quia vel ille actus est necessarius in Deo vel liber. Primũ dici non potest: quia talis actus est prędefinitio de existentia creaturarum, saltim sub conditione, & Deus pro sua libertate potuit non habere actum quo vellet creaturas esse in se ipsis siuè absolutè, siuè sub conditione. Si verò dicatur secundum, sequitur asseri sine fundamento Deum habuisse huiusmodi actum, quia neque id colligitur ex reuelatione, neque ex ratione sufficienti, cum ad nihil ex his, quæ pertinent ad effectus re ipsa productos, aut producẽdos in hoc vniuerso fuerit necessarium Deũ habuisse talem actum, vt statim ostendetur in probatione secundi, quod est poni superfluè in Deo hanc prædefinitionem, & hoc probatur.

A Quia multę, imò & infinitę ex his cõbinationibus conditionatis nullam omnino habent cõnexionem cum effectibus, qui re ipsa sunt futuri in hoc vniuerso Quia non pertinent ad earũ productionem, neque ad gubernationem siuè prouidentiam: ergo frustra Deus prædefiniret quid futurum esset circa huiusmodi cõbinationes. Antecedens patet inductione facta in cõbinationibus, quæ ad libitum possunt à nobis excogitari sine vllo respectu ad ea quæ sunt in hoc vniuerso. Et consequentia probatur. Quia ad nullum finem executionis prouidentiæ Dei, neque manifestationis suorum attributorum esset necessarium prædefinire aliquid circa tales combinationes.

B Confirmari hoc potest. Quoniam si Deus non decreuisset condere hunc mundum, superfluè aliquid prædefiniret, aut decerneret circa has conditionales, scilicet quid esset facturus si daretur talis occasio, aut si poneretur talis conditio. Et tota ratio quare id esset superfluum est, quia non solum conditio non esset ponenda, & effectus non esset faciendus, sed etiam prędefinire alteram partem nõ esset necessarium ad perfectionem diuinæ prudentiæ, & prouidentiæ de prædefinitione circa cõbinationes, de quibus nũc loquimur. Patet consequentia. Quoniam illa ratio etiã habet in eis locum cum neque conditio esset ponenda, neque faciendus effectus, neque magis esset in eis necessarium aut conueniens ad perfectionem diuinæ prouidentię, aut ad aliquem alium finẽ prædefinire alteram partem. *Confirmat.*

C Tandem probatur vltimum, nimirum esse aliquo modo contra perfectionem diuinæ prouidentię prędefiniri alteram partem circa has cõbinationes, tum quia non est consentaneum prudentiæ disponere aliquid sine fine circa ea, quæ ex natura sua sunt ordinabilia in finem, huiusmodi sunt effectus conditionati. Tũ etiam quia cõbinationes conditionales possunt multiplicari in infinitum sine vllo termino, non solùm ex parte conditionum, quas humanus intellectus potest amplius, & amplius excogitare, sed etiam ex parte effectuũ, quos respectu cuiuscumque conditionis potest vnusquisque ad libitum multiplicare in infinitum, vt respectu huius conditionis: si super fluuium velim ambulare, aut digito tangere annulum: potest inquiri an Petrus sit locuturus, vel ambulaturus, aut pœnitentiam acturus, vel habiturus talem cogitationẽ aut consensum: ergò omnes cõbinationes possibiles non sunt quid certum & determinatum, sed quid incertum & potentiale: ergo non possunt secundùm prudẽtiam omnes subdi certę & determinatę prouidentię: Antecedens potest esse cuique notum propria experientia: Prima autem consequentia patet. Quoniam de quibuscumque rebus quę successiuè possunt multiplicari in infinitum debet concedi quid incertum esset & potentiale, vt de speciebus numerorum, & de partibus in quas diuiditur continuum. Et secunda

D

pro-

probatur, quia de infinita multitudine propter illam rationem, nimirum quia est quid incertum affirmat S. Thom. 1. part. quæst. 7. art. 4. non posse comprehendi sub certo intentione creantis, atque adeò neque subditur certæ prouidentiæ, qua vel ordinetur vt medium in aliquem finem, vel intendatur vt finis in quem alia media ordinentur.

Hoc argumento volunt aduersarij seu auctores oppositæ sententiæ probare oppositũ eius quod diximus, & putant cùm illud referũt aut obijciũt se aliquid dicere aut obijcere. Sed profecto hæc obiectio facilè dissolui potest ex his quæ nos diximus superius in secũda parte huius controuersiæ, conclusione secunda. §. Sed dices huiusmodi actũ, quo in loco eadem obiectio fuit proposita & in discursu eius soluta. Sed nihilominus ne aduersarij aliquid putent se dixisse contra nos, ad explicationẽ præfatæ obiectionis, suppono Deum infinitas rerum combinationes absolutas, & cõditionatas cognoscere cum infinitis rerum ordinibus possibilibus, & possibiliter futuris, cõbinationes etiam contingentes, & quæ possunt habere ordinem rationabilem, & contingenter futurum inter se: qualis fuit ille ordo contingens & rationabilis, qui esse potuit inter Dauid si permansisset apud Ceilitas, & non aufugeret, & traditionem ipsius, Sauli faciendam eo descendente: in quo genere propositionum conditionalium, etiam continentur multa concomitantia, & rursus coëxistentia aliquarum rerum in ordine ad aliquam durationem, vt cum dico, si ego luderem Rex equitaret. Si Deus aliũ mundum conderet, res taliter aut taliter se haberẽt, & sane quamuis hæc conditionata non videantur deseruire ad rerum gubernationẽ, aut prouidentiam, quod modo non disputo, neque definio, nihilominus hæc omnia habent in se veritatem enunciabilem, atque adeo scibilem.

A tiæ Dei, vt nihil lateat Deum eorum quæ sciri possunt, aut quæ scibilia sunt ab eo. Ex quo liquet Deũ cognoscere & scire omnia conditionata, quæ licet nihil deseruire videantur auctoribus oppositæ sententiæ, tamen ipsa cognosci possunt ab infinito intellectu Dei, quantũcumque connexiones illæ, & combinationes sint diuersarum rerũ, & chimæricæ. Nam certè cum huiusmodi cõbinationes conditionatè falsę, aut veræ sint, & audientibus sensum generent, non possunt suspensum relinquere intellectum diuinum.

Tertiò suppono, vt rem certam, quę negari non potest, intellectum Dei circa hæc omnia conditionata, & possibiliter etiam futura, B propositisse illa voluntati suę: vt sicut liberè se habet diuina voluntas circa res alias à se ipsa, ita etiam liberè decerneret circa illa omnia, quæ vellet aut non vellet, aut quæ sub conditione, & quę non. Imò verò cum Deus ex suâ ęternitate omnia conditionata cognouisset, vt possibiliter futura, & ea proposuisset suę volũtati intellectus eius; cur, si non potest modo Deus in tempore nouam habere voluntatem de nouo aduenientem & incipientem, circa res omnes, alias à se, quę ab eo habent dependentiam liberam, nõ habuit ex ęternitate volitionem circa omnia hęc libera, quę illi proposita fuerunt ab intellectu eius? Siquidè omnia possibiliter futura, quę illi proposita sunt, suęque voluntati, repręsentata fuerunt ei, vt dependentia à voluntate sua libera, vt essent, vel non essent, vt forent vel nõ forent hac vel illa ratione, vel absolutè, vel sub conditione. Vnde licèt Deus decreuisset absolutè, non condere mundum si non voluisset, in quo casu nihil decerneret, tunc iam habuisset decretum quoddam negatiuum, aut priuatiuum rerum: quod si Deus, vt dicitur in argumento non statuisset mundũ condere, nihilominus negandum non est quin intellectus diuinus proposuisset voluntati Dei in eodem punto ęternitatis omnes rerum combinationes, non solum rerum naturalium, & supernaturalium, sed etiam rerũ liberarũ aut cõtingentium, & omnia etiam mala quę permitti possunt, & omnia bona, iusta, & recta, quę amari possent à Deo, & diligi, & quę ipse velle posset vt essent actu futura, aut non esse futura liberè, siuè absolutè, siuè conditionatè, & in eo casu non iudicaremus esse impertinens aut superfluũ, vt sicut omnia intelligit, & omnia proponit voluntati suæ, ita eius æterna voluntas à pũcto æternitatis suæ omnem illam latitudinẽ amabilium sibi propositam percurreret liberè, circa vnumquodque: ne veluti suspensus Deus maneret, cum deinceps non posset aut mutari, aut de nouo incipere velle, aut aliud decernere. Nam si ab æterno non statuisset quidquam postea non posset aliud velle, aut statuere, aut mutare propositum. Rogarem etiam vlterius, quonam pacto Deus, facta ab intellectu ipsius ptopositione rerum omniũ: vellet veluti suspensus manere, tam ex parte in

Rvrsvs secundò suppono & probo, quòd cum intellectus diuinus sit infinitus & infinita sit eius scientia, perfectè cognoscit hæc omnia conditionata, quia aliàs imperfecta esset eius scientia, & imperfectus ipsius intellectus cum suo lumine. Nam certè ad perfectionem scientiæ diuinæ, & ad eminentiam, & maiestatem diuini intellectus pertinet cognoscere omnia cõditionata, & vniuersas veritates: & eadem difficultas est in illo modo, quo Deus cognoscit futura etiam contingentia absoluta: & ob id pari modo difficultas vtriusque absoluitur. Sicut ergo negari non potest Deum distinctè & in particulari cognoscere futura omnia contingẽtia, quæ per omnem æternitatem erunt, & infinitas cogitationes, & volitiones, & infinitas aquæ pluuias & maris arenas, imò verò omnia possibiliter futura, quantumcumq; videantur siuè consona, siuè aliàs disparata, & non cohęrentia, quæ licet ad finem gubernationis, & ad finem prouidentiæ nihil videantur conducere, tamen hæc spectant, & pertinent ad infinitam excellentiam, & eminentiam, seu maiestatẽ sciẽ C

D

telli-

tellectus quàm voluntatis? Vnde si vnum tantum Angelum Deus cõderet, ille cognosceret conditionatas plures combinationes suas quas fingere posset apud se: igitur cum Deus ita ab æterno se habuerit, vt infinita proponerentur suæ voluntati ab intellectu eius, vt amabilia, & volibilia, aut sic vel aliter amabilia, sequitur quod si nihil decreuit, vel absolutè, vel sub conditione quod iam in illo negatiuo decreto cognoscerentur nõ fore omnia de quibus nihil decreuit, neque sub conditione, neque absolutè.

A

Iam ergò facilè constare potest solutio ad propositam obiectionem aduersariorum: dicẽdum est enim primò, huiusmodi voluntates futurorum sub conditione non esse impossibiles Deo, tam circa volenda ab ipso, quam à voluntate creata, nimirum neque esse impossibiles ex parte obiecti, cum non sit aliqua repugnantia ex parte eius, neque ex parte actus diuini. Nam vt intelligatur determinatio libera, ad aliquod obiectum non est necessaria realis mutatio physica in illo obiecto. Rursus secundo, ille actus voluntatis diuinæ circa conditionata non est superfluus, primò, Quia est per se bonus, & hoc erat satis, secundò, quia expedit vt voluntas diuina circa nullum obiectum per se amabile propositum suæ voluntati ab æterno, sit quasi suspensa, & absque vllo affectu, vt latitudo eius libera in omnibus inueniatur, sicut intellectualitas, & idcirco vbi non vult habere absolutum, aut efficacem affectum, habet saltẽ simplicem, aut sub conditione. Neque hoc dicitur sine fundamento, vt constat ex dictis hic & alibi loco citato, præcipuè cum Theologi constituant in Deo simplicem affectum, quod nullam includit imperfectionem, in obiecto, & ordine suo est perfectissimus, & quod quamuis non sit efficax aut absolutus, id non est impotentia Dei, sed ex libertate, & summa sapientia, & idcirco cum illi obiecto cõditionato possibiliter futuro non sit debita efficacitas; quãuis illam non habeat, non propterea est imperfectus. Et per hoc patet ad confirmationem.

B

C

Sed adhuc non quiescit aduersariorum animus, & argumentantur contra nos, quod non cognoscantur in decreto libero volũtatis Dei futura hæc conditionata, contingentia, & libera. Quoniam in aliquo signo æternitatis intelligimus Deum vt scientem, & comprehendentem se ipsum, & nondum scientem suas determinationes liberas, etiam vt futuras vel absolutè, vel conditionaliter: ergo in illo signo nõ est determinata veritas in illo obiecto. Antecedẽs constat de illo signo æternitatis in quo intelligimus Patrẽ generare Filium: producit enim illum ex comprehensione sui, & nõ ex aliqua scientia sui decreti liberi, quia hæc non est simpliciter necessaria, Filius verò solum producitur per scientiam animo necessariam: ergò in illo signo non intelligimus in Deo scientiam sui liberi decreti, ac proinde neque re ipsa, nec secundùm rationem potest Deus videre hæc futura decreta libera priusquam sint præsentia actu in se ipsis. Prima consequentia probatur. Quoniam in nullo signo est obiectum cognoscibile in quo non cognoscatur à Deo: ergo si in illo signo non scitur, neque tale obiectũ est scibile: ergo non habet veritatem determinatam. Sed post illud signum intelligitur voluntas diuina actu iam libere decreuisse: ergo nullum signum relinquitur in quo possit illud liberum decretum vt futurum cognosci.

D

Respondetur hoc argumentum non esse contra nos, sed contra eos qui dicunt Deũ cognoscere futura hæc conditionata antecedẽter ad omne decretũ suum, quia sentiũt quod Deus in illo primo signo cognoscit quid sua volũtas decretatura esset circa creatas volũtates in omnibus illis occasionibus, quæ sub illis omnibus conditionibus apprehenduntur. Hac enim ratione philosophãtur, & dicunt hoc modo Deum semper scire de omnibus voluntatibus creatis quid essent volituræ. Sed profectò non est cur argumentũ nos moueat, cum hoc nos minimè sentiamus, nec responsionem hãc approbemus, quia hic modus dicendi de cognitione diuini decreti liberi in illo iudicio, & cõprehensione intellectus antecedẽter ad ipsum decretum, vt exhibitũ, repugnat libertati diuinæ, quoniam tale iudicium est merè naturale: ergo si ex vi illius voluntas est determinanda ad hoc potius quàm ad illud, non liberè, sed necessariò determinatur per influxum necessariũ à causa, vel conditione necessaria. Consequentia constat ex superius dictis. Quoniam auctores illius responsionis censent Deum in comprehensione suæ essentiæ, & omnium quæ in illa representantur, & potissime in suo iudicio per quod cognoscit quid sit melius facere, velle, aut permittere in omni occasione, scit consequenter voluntatẽ suã id fuisse volituram. Antecedens autem probatur. Quoniam in illa diuina comprehensio vt antecedit voluntatem Dei non est vnde habeat vllam indifferentiam, sed est omninò naturalis. Quare potius ex impossibilitate responsionis illorum, & ex impugnatione eius à nobis modo facta, sequitur quam rationabilis sit nostra sententia.

Vnde superius, tanquam rem certam, etiã ex calculo aduersariorũ, diximus in diuina voluntate ex eo quod verè libera sit considerari à nobis, & à Theologis omnibus quædam decreta libera, quæ pro vt libera sunt, hoc est quatenus liberè ad talia obiecta terminantur potuerunt non esse in Deo ex æternitate, licèt postquam semel fuere, in eo variari nõ possint propter immutabilitatem ipsius Dei. Adde etiam circa illa signa, ex quibus sumebant argumentum suum auctores oppositæ sententiæ quod illa signa rationis, quæ in æternitate distinguũtur à prædictis auctoribus non sunt considerandа, aut cogitanda tanquam quædam instantia, in quorum vno aliquid intelligatur esse quod non est in alio, sed potius esse explicanda, quasi per quandam abstractionem præcisiuam, vel per quãdam independentiam, seu præsup-

posi-

positionē secundùm rationem formalem præ A
cisam: in hoc igitur sensu verum est scientiam per quam verbum generatur ratione antecedere scientiam futurorū etiam conditionatam, & in illo signo non habere futura contingentia, tam absoluta quam conditionata determinatā veritatem, quamquam illud non tam sit signū in quo, quàm à quo, seu indepēdentiæ, & maioris necessitatis per quod nihil aliud significatur, quàm futura contingentia non habere necessitatem illam, quam habet scientia per quā verbum producitur. Cæterum in eodem sensu etiam est certum & verum considerari posse à nobis, & cogitari quod intercedat signum rationis in æternitate inter illud primum scientiæ necessariæ, & aliud in quo intuitivè cernitur decretum liberum, tanquam actu iam habitum, seu existens, & exhibitum, & quidē tale signum est illud in quo futura libera cognoscū tur etiam in voluntate ipsa Dei ex aliqua hypothesi, aut conditione, quæ si nunquam ponenda sit in re, & in esse, tunc scientia manet purè conditionata, si autem conditio ponatur, vel sit iam posita, sic scientia illa desinit esse cō ditionata, & transit in absolutam: hoc autē decretum Dei liberum, quod non addat voluntati Dei aliquid reale, sed solum respectum rationis: de quo superius diximus in quo aliqui volunt redarguere nos: nihil inter est modò tractare, præcipue quia Deus non cognoscit huiusmodi decreta fingendo respectus.

Ad secundam, tertiam, & quartam obiectionem solutio, & quod effectus determinatè futurus potest accipi vt obiectiuè futurus vel cum ordine ad executionem.

Ad secundā obiectionē.

AD secundam igitur obiectionem concesso antecedente si intelligarur vniuersaliter de omnibus his futuris conditionatis, neganda est vtraque consequētia, & quoniam probatio posterioris consistit omnino in priori, idcirco sufficiet responsio ad probationem prioris circa quam oportet supponere effectū aliquē duobus modis posse dici determinatè futurum, videlicèt aut cum ordine ad executionem re ipsa futuram, qui modus determinationis conuenit effectibus absolutè futuris, aut sine tali ordine, & solum obiectiuè in quantum si poneretur talis vel talis conditio esset futura præsens determinatè altera pars, in tempore pro quo effectus dicitur futurus, qui modus determinationis conuenit effectibus qui dicuntur futuri ex conditione nūquam ponenda, seu adimplēda. Quia huiusmodi effectus nunquam sunt re ipsa mādandi executioni, & eodem modo præsuppositio prædefinitionis diuinæ voluntatis circa futuritionem alicuius effectus debet distingui, quia huiusmodi prædefinitio potest præsupponi, aut in exercitio tanquam actus re ipsa existens in Deo, aut solum obiectiuè in quantum licèt talis actus non præcesserit re ipsa in Deo, tamen præcisè ex conditione si esset ponenda hypothesis, seu conditio qua posita dicimus futurum esse effectum.

QVO supposito ad priorem modum determinationis effectus in ratione futuri, respondetur: debere præsupponi in Deo prędefinitionem suæ voluntatis sumptam etiam priori modo: Quia sicut nihil potest re ipsa habere esse, nisi dependēter à causalitate, & determinatione diuinæ voluntatis, ita neque potest esse determinatè futurum cum ordine ad executionē re ipsa faciendam, nisi dependenter à prædefinitione eiusdem voluntatis, at verò ad posteriorem modum determinationis effectus satis esse præsupponi ex parte Dei prædefinitionē sumptam posteriori modo, quia sicut effectus non dicitur determinatè futurus, quia sit re ipsa mandandus executioni, sed quia mandaretur si poneretur talis aut talis conditio, ita etiam non est necesse præsupponi ea quæ requiruntur vt effectus sit hoc modo futurus, sed satis est fuisse prępsupponenda si effectus esset ita futurus. An verò Deus cognoscat præsupponendam fuisse in ipso hanc prædefinitionem si poneretur conditio sub qua effectus esset futurus & quomodo id cognoscat, diximus iam fusè satis explicantes propriam sententiam.

2. & melius respondetur vbi futura conditionata nunquā habuerunt decretū absolutū suæ futuritionis, sed sub conditione.

Secundò respondetur. Et melius diuinā voluntatem nihil prædeterminauisse circa futuritionem horum effectuum conditionatorum absolutè, vt re vera & absolutè forent, sed solum decreuisse sub conditione appositā decreto inquàm includente eandem conditionem in obiecto. Nam cum prædicta futura conditionata, futura non sint, nunquam habuerunt decretum absolutum suæ futuritionis, habuerunt tamen decretum sub conditione. Quomodo autem dicantur habere esse hæc conditionata sub conditione diximus in prima solutione immediatè præcedente, quare semper neganda est consequentia, qua infertur Deum non cognouisse certò & infallibiliter hæc futura conditionata.

Ad tertiam obiectionē.

AD tertiam obiectionem, primò respondere possumus iuxta eam sententiam quam diximus non esse improbabilem de modo cognoscendi hæc futura conditionata. Quia pro tempore quo dicuntur futura conuenit eis determinatè esse, aut non esse, ex propositionibus contradictorijs formatis de eorū futuritione. Vnde distinguendum est id quod quęritur in dilemate argumenti iuxta duos modos quibus in solutione præcedentis obiectionis, seu argumenti secundi diximus posse considerari decretum seu prædefinitionem diuinæ voluntatis, quantum ad eius præsuppositionem ad determinationem effectus in ratione futuri: si enim hæc prædefinitio libera diuinæ voluntatis consideretur vt præsens in Deo in exercitio tanquam actus secundus nostro modo intelligendi elicitus à voluntate dicendum est scientiam

futu-

futurorum conditionatorum præsupponi ad ipsam ordine rationis habente fundamentum in re. Quoniam hæc cognitio seu scientia taliũ futurorum nostro modo intelligendi cõsequitur ad scientiam, & cognitionem simplicis intelligentiæ immediatè, & quasi sine interuentu alicuius actus liberi voluntatis circa creaturas. Vnde sicut scientia simplicis intelligentiæ præsupponitur ad prædefinitionem in exercitio circa creaturas, ita etiã hæc scientia & cognitio debet præsupponi ad eas. At verò si eadẽ prædefinitio consideretur vt præsens in Deo obiectiuè dicendum est hanc scientiam futurorum conditionatorum non præsupponi ad ipsam, sed potius esse posteriorem ipsa ordine rationis habente fundamentum in re, aut saltem non esse sine ipsa, etiam secundùm ordinem rationis. Quia sicut hæc scientia aut præsupponit secundum ordinẽ rationis suum obiectũ quod est ipse effectus vt conditionaliter futurus, aut non est sine eo ita etiam debet præsupponere ea quæ requiruntur ad hoc obiectũ, & non potest esse sine eis: & sanè vnum ex his est præsentia obiectiua prædefinitionis circa futuritionem conditionalem effectus, vt in solutione præcedentis argumenti secundi explicatũ est. Et contra hanc solutionem nullam habẽt vim ea quæ in argumento obijciuntur contra vtrũque membrũ dilematis. Nam in primis ea quibus probatur hanc scientiam futurorum conditionatorum non subsequi ad prædefinitionem voluntatis, solùm conuincunt de prædefinitione accepta secundo modo, scilicẽt vt præsenti in Deo obiectiuè. Deinde verò tria illa inconuenientia quæ deducuntur ex eo quod dicatur præsupponi non habent difficultatem contra sensum in quo id supra concessum fuit. Nam certè ad primum inconueniens sequela est neganda, nisi consequens intelligatur de determinatione obiectiua voluntatis creatæ, quæ in vtroque modo dicendi ab omnibus cõceditur, sicut in voluntate diuina & in effectu: Et ad probationem in qua quęritur vnde proueniat determinatio obiectiua effectus, videtur esse dicẽdum prouenire ex determinatione obiectiua voluntatis creatæ, & hanc ex libertate eiusdem voluntatis. Quia futurum est vt voluntas creata pro sua libertate se determinet in tali tempore potius ad hanc partem quam ad oppositam. Similiter neganda est sequela ad secũdum inconueniens. Et ad probationem dicendum est, iuxta solutionem huius argumẽti, scientiam futurorum conditionatorum non omnino præsupponi ad prædefinitionẽ diuinæ voluntatis de futuritione eorundem futurorum, sed solum quatenus huiusmodi prędefinitio cõsideratur vt in exercitio per modum actus secundi. Si enim consideretur vt prędens obiectiue potius præsupponitur ad scientiam ordine rationis tanquam quid necessarium ad cõstitutionem sui obiecti.

Ex dictis patet similiter responsio ad tertiũ inconueniens: dicendum est enim quod si futura absoluta considerentur antecedenter ad volitionem in exercitio qua Deus determinat vt sint futura in tempore esse futura sub cõditione, nimirum si causæ secundæ producantur in tali, vel tali tempore, & Deo id volente sub his aut alijs circunstantijs, & solùm differre à futuris, quæ dicuntur purè conditionata, quia respectu ipsorum posita est re ipsa huiusmodi volitio per quam sunt facta futura absoluta, at verò respectu conditionatorum non est posita, & idcirco non sunt facta absoluta, sed manserunt intra limites conditionatorum: Quare eodem modo erit iudicandum de futuris absolutis, & de cõditionatis, quantum ad hoc quod est cognosci ante determinationem diuinæ voluntatis, scilicet cognosci ante eam, vt positam in exercitio, & non vt præsentem obiectiuè, & ita non sequitur id quod in hac obiectione videtur inconueniens, scilicet cognosci aliquid vt absolutè & determinatè futurum anteceden ter ad determinationem diuinæ voluntatis positam in exercitio.

Secvndò respondere possumus iuxta decreta sub conditione, & iuxta nostram sententiam, nimirum scientiam istorum futurorũ conditionatorum subsequi ad determinationẽ voluntatis Dei sub conditione, & non obstare argumenta quæ in exordio controuersiæ posita fuere. Nam præcisso omni respectu ad hoc decretum diuinæ voluntatis circa futuritionem existentiæ horum effectuum, nõ conuenit eis fore aut esse futurum, & propositiones cõtradictoriæ formatæ de eorum futuritione, quarũ vna debet esse determinatè vera, quia nõ habet initiũ suæ futuritionis secundũ durationẽ, quia ab æterno est vera & fuit vera quamuis habeat initium futuritionis & veritatis effectiuum, seu principium quod est ipsum Dei decretum, dicuntur veræ vel falsæ ex præsuppositione ad huiusmodi decretum includens cõditionem in obiecto, & sequendo nostram sententiam, & modum dicendi de huiusmodi decretis voluntatis suæ non absolutis, sed includentibus eãdem conditionem in obiecto: & sic cessant inconuenientia illa quæ commemorantur in obiectione.

Ad confirmationem quidam censent has veritates futurorum conditionatorum prius supponi in se ipsis diuinæ scientiæ, eamque antecedere omninò, & supponi etiam voluntati Dei. Quod si obijcias: Ergo Deus non potest eas veritates mutare, neque potest Deus habere scientiam liberam de illis, quia si illæ antecedunt diuinam scientiam, & diuinam voluntatẽ, iam neque erit liberum Deo aliter scire aut necessarium erit volũtatem diuinam in eas ferri. Respondent negandam esse sequelam, & consecutionem: Quia necessitas illarũ veritatũ nõ est absoluta, sed conditionalis, nimirũ ex hypothesi, & sub conditione, aut ex suppositione futuræ deliberationis causæ liberę. Nam (vt dicunt) eodem modo se habent futura contingẽtia absoluta, quia ex præuisione operum, &

ex

ex præuisione voluntatis creatæ, seu ex præuisione determinationis causæ liberæ, quasi expectata eius actione ante omnẽ Dei voluntatẽ, & prædefinitionem, dicũt cognosci futura cõtingentia tã conditionata quã absoluta: de qua re, & de hoc modo dicẽdi multa diximus in superioribus. Nam, vt affirmant, statim ac Deus voluit Adã creare antecedenter ad omnem suã diuinam voluntatem præuidit omnẽ determinationem suarũ actionum, & quoad hoc dicũt non habuisse scientiam Dei libertatem, sed necessariò secutã esse ex suppositione illa creationis Adæ, & antecedenter ad determinationẽ, & prædefinitionẽ Dei, quasi præuisa, & expectata determinatione creatæ voluntatis circa sua omnia opera libera, deinceps Deũ sciuisse quid acturũ sit liberũ arbitrium in quacumq; combinatione, & quod secundũ hunc modũ dicendi euenit in futuris contingentibus absolutis, q̃ secundũ prẽuisam futuritionem existentię veram eorum antecedenter ad omne decretũ, & voluntatem Dei de futuritione rerũ, & contingentium liberorũ Deus dicitur certò illa cognoscere, & id ipsum quod in futuris contingentibus absolutis contingit inueniri in futuris cõditionatis secundùm existentiã conceptam, & apprehẽsam, & sub tali conditione ponibilẽ in re. Quocirca dicunt in antecedente eorũ conditionatorum solũ debere includi voluntatem diuinam, si ipsa vellet talem effectum producere aut permittere, & ad illũ concurrere. Sed profecto hæc responsio non dissoluit argumenti difficultatẽ. Primo, quia futura omnia antecedenter ad Dei voluntatẽ, & decretum solũ sunt posibiliter futura, quòd verò hæc futuritio determinetur ab existentia vt re vera sit aliquo tẽpore id quidem dependet ex decreto, & voluntate Dei, qua decernit rẽ illam habituram esse re vera suam existentiã, & qua decernit rem producere, vel permittere, & ad illã concurrere. Secundo quia Deus in his quæ sunt futura extra se, & quæ Deus decernit collocare, aut creare in tali vel tali ordine rerum, sicut liberè operatur suo tẽpore quo res fiunt ab eo, ita liberè ante prẽuisionem operũ futurorũ, sed solũ post præuisionẽ posibiliter futurorũ decreuit de futuritione eorũ vel absoluta vel cõditionata, vt fusè satis à nobis ostensum est supra. Nã certè si Deus antecedẽter ad omne decretũ liberum eius præscit quid nostra volũtas re vera facturа est, aut quid sua etiã voluntas facturа sit, nimirũ antequam id liberè decernat, quomodo potest oppositũ facere eius quod antecedenter ad suam voluntatẽ præsciuit re vera facturũ? aut quomodo manet Deus liber in sua voluntate cum antecedenter ad eam certò sciat, & infallibiliter quid futurũ sit de quolibet homine?

QVAPROPTER ad confirmationẽ dicendũ est veritates has conditionales præsupponi scientiæ earum, quia scibile supponitur scientię, non tamen supponi ante decreta libera Dei, ac proinde futura contingentia non supponi diuinæ voluntati, & determinationi liberæ, cũ ipsæ pendeant à diuinis decretis: vnde neganda est consequentia, & affirmandum censemus positum fuisse in libertate Dei non prædestinare Petrum, ac proinde non scire eũ esse saluandũ, ac proinde illa quę pendent ex liberis decretis similiter pendere à scientia libera Dei.

AD quartã obiectionem respondetur negãdo antecedens, & ad probationẽ dico primo, q̃ licèt à nobis ignoretur qualis sit in particulari modus cognoscibilitatis, qui conuenit his futuris conditionatis ex parte obiecti, nõ sequitur nullũ esse, quia rationibus satis efficacibus ostẽsum est hæc futura esse cognoscibilia suppositis diuinis decretis, ratione quorũ iam egrediũtur à præcisa illa ratione posibilium tantum, aut posibiliter futurorũ, imò verò ostensum fuit supra huiusmodi futura esse secundũ se cognoscibilia aliquo modo, & cũ hoc stat ignorari à nobis quis, & qualis sit in particulari hic modus. Et ad inductionẽ quæ fit in hac probatione per diuersos modos cognoscibilitatis dico solũ conuincere modũ cognoscibilitatis, qui conuenit his futuris non esse de numero eorũ, qui sunt nobis noti, non tamen esse nullum, sicut etiã concedimus non implicare contradictionẽ fieri aliquem effectum à Deo, atq; adeò conuenire illi aliquem modũ factibilitatis respectu diuinæ potentiæ, quãuis nos ignoremus quis aut qualis sit hic modus. Dico secundò ad eandẽ probationẽ antecedentis hæc futura cõditionata esse cognoscibilia vt certò futura sub conditione, non quidẽ ex vi penetrationis cõnexionis, quã habeant cũ conditionibus supponendis, quia vt dicemus nõ est necessaria talis cõnexio, sed per libera illa decreta includentia conditionẽ in obiecto, vt sępius retulimus, aut iuxta alia sententiã per simplicẽ quendã intuitũ terminatũ ad eorũ veritatẽ obiectiuã, quæ, vt de mẽte huius opinionis habetur, cõsistit in determinatione obiectiua ipsorũ ad esse futura, sub cõditione: & ratio huius est. Quia omne verũ, eo modo quo est verũ, potest quantũ est de se terminare simplicẽ intuitũ respectu intellectus, qui ad id habet virtutẽ sufficientẽ, & proportionatã, qualis est intellectus diuinus propter suã infinitatẽ in ratione virtutis cognoscitiuæ. Quod si dicas hæc futura conditionata nũquã esse habitura existentiã, neq; in tẽpore, neque in æternitate, Respõdetur q̃ vt aliquid cognoscatur per simplicẽ intuitũ, aut visionẽ nõ est necessaria conditio, ipsum habere existentiã actu, quia licèt Deus decreuisset nõ condere hoc vniuersum posset ab ipso cognosci per intuitũ simplicẽ. Imò verò etiã intra scholã D. Thomæ graues auctores dicũt, quòd vt futura contingentia absoluta videantur à Deo, nõ est necessaria eorum præsentia secundùm realem existentiam, sed sufficere (dicunt) obiectiuã præsentiam: quam fere omnes fatentur sufficere etiam ad notitiam intuitiuam, quia dicunt intuitiuam notitiam, vt talis sit non postulare aliud, quàm terminari ad obiectum

Futura cõditionata sunt cognoscibilia, non quidem ex vi penetrationis connexionis cũ conditionibus supponendis.

Cognitio per simplicẽ intuitũ aut visionẽ nõ requirit existẽtiam rei in actu vt conditio.

in immè-

immediatè secundùm se, vt distinguitur ab alio, & vt ex alio tanquã ex causa vel effectu.

A Ita qvb negandum est non posse assignari modum cognoscibilitatis ex parte obiecti, quoniam ex suppositione diuini decreti, siuè absoluti, siuè conditionati includentis eandem conditionem in obiecto, verè habetur modus cognoscibilitatis, qui exigitur ad hæc futura cognoscenda, quia iam præsupponitur obiectũ quasi factum ratione decreti conditionati includentis conditionem illam in obiecto. Vnde ad probationẽ antecedẽtis, respondetur huiusmodi futura conditionata quatenus dependent ex liberis Dei decretis, non quidem præcisè vt possibiliter futura, sed vt futura sub conditione si illa adimpleretur cognosci à Deo per sciẽtiam illam liberam. Nam si non haberet voli-
B tionem de futuritione cõditionata affirmatiua ad fore, sed potius negatiua ad non fore, nõ cognoscerentur fore sub conditione, sed non fore iuxta decretum liberum quod habuit. An verò cũ cognoscit Deus hæc per scientiam liberam dicatur intueri illa obiecta ratione decreti, id quidem non est improbabile, cũ scientia intuitiua non consistat in indiuisibili, neq; obiecta quæ ad ipsam requiruntur postulent vno, & eodem modo semper præsentiã, aut modum existendi, quia sufficit ille qui potest conuenire huiusmodi obiectis ratione diuinorum decretorum. Quocirca concluditur quod suppositis decretis diuinis liberis ex ipsis Deus habet sufficiens medium, quo iudicet futura esse contingentia illa, quæ vel absolutè sunt decreta, vel ex hypothesi, & conditione si illa ponerẽtur, quibus suppositis illa repræsentantur, vt ex Scoto superius dictum est.

C

Ad quintam, sextam, & septimam obiectionẽ solutio: de modo conditionũ & connexione earum, & concomitantia conditionalium.

A D quintam obiectionem nonnulli dicunt ex Theologis huius ætatis, quod si in ea interrogetur: quæ sit ratio ex parte Dei cur ex duabus contradictorijs cognoscit respectu significati potius vnum esse futurum quam aliud? tunc sanè dicunt respondendũ esse id ea de causa cognoscere, quia re vera ipsum obiectum solùm debet ad vnã partem declinare certò, quia significata harum enunciationum contradicentium sunt obiectiuè præsentia Deo, & ob id veritas vnius dicitur esse in se ipsa determinata. Si autem roges: cur potius hoc obiectum potius quam illud erit futurum? dicunt rationem huius esse ipsam voluntatem hominis, qui liberè in vnam partem declinaret. Sed profectò solutio hæc nõ satisfacit, quia adhuc manet difficultas in vi sua, quia non explicatur quomodo certò, & infallibiliter cognoscatur voluntatem declinaturam esse ad vnam partem, cum hoc sit valdè contingens, & habeat indifferentiam in ipsa voluntate, nisi interueniat decretum Dei, & affectus suæ voluntatis.

D

A D confirmationẽ in qua magis explicatur hæc difficultas Gabriel Vazquez 1.p disp. 67. cap. 4. affirmat solũ cognosci à Deo illa futura contingentia, quæ cũ conditione habent talem connexionẽ, vt ex vi eius de facto, & re ipsa sit semper verũ futura esse, siuè hæc connexio proueniat ex causalitate aliqua conditionis circa effectũ, qui dicitur futurus, siuè ex subordinatione ad promissionem, & reuelationẽ Dei, qui reuelauit futurum esse aliquem effectũ si poneretur talis conditio, sicut cũ 4. Regũ. 13. reuelauit Eliseo Prophetæ Regẽ Ioas percussurum ad consummationẽ Syriæ si iaculo terram sexies, aut septies percussisset. *Vazquez.* *4. Regũ. 13*

Sed profectò auctor hic non satis consequenter loquitur ad principia suæ sententiæ, & ob id alijs Theologis scholasticis magis consequenter ad principia superius dicta videtur aliter esse sentiendum, & ob id dicunt cognosci à Deo omnes combinationes conditionales in quibus asseritur futurum esse aliquem effectum si poneretur certa aliqua conditio, quæ nunquam est ponenda, quamuis inter huiusmodi effectum, & conditionem nulla omninò sit connexio, neq; ratione causalitatis conditionis in effectum, neque ratione subordinationis ad promissionem, aut reuelationem diuinam. Et ratio quæ mouet ad hoc est illa, quæ in hac obiectione seu argumẽto quarto proponitur, videlicet omnia argumenta, quæ habent vim ad probãdum cognosci à Deo futura conditionata æqualiter conuincere de futuris, quæ nullam habent connexionem per se cũ conditionibus, & de his quæ habent talem connexionẽ. Et confirmatur. Quia quando cõnexio est ex causalitate conditionis in effectum, non potest ex vi talis connexionis cognosci futurum esse infallibiliter effectũ si poneretur conditio: ergò impertinens est in eo casu huiusmodi cõnexio ad id cognoscendũ, & ex consequenti etiã ea secluſa poterunt cognosci. Probatur antecedens. Quia connexio in hoc casu est omninò contingens, & indifferens ad vtrãq; partẽ: ergò ex vi eius non est certũ, & determinatũ futurũ esse effectũ, atq; adeò nõ potest ex vi eius cognosci esse certo futurum. Hoc etiam vltetius probare possumus. Nã quando connexio solùm est ex promissione, aut reuelatione Dei, vt in testimonio superius adducto, scientia qua Deus cognoscit futurũ esse talẽ effectũ, si poneretur talis cõditio præsupponitur ad reuelationẽ, & promissionẽ, & ad hæc omnia præsupponitur decretũ liberũ Dei: ergò respectu scientiæ Dei nulla est in hoc casu cõnexio inter effectũ, & conditionẽ. Patet antedens. Quia Deus nõ potest reuelare aliquid esse futurũ, nisi quia scit esse possibile, & quia habet affectũ aliquẽ circa futuritionẽ, vel permissionẽ eius. Et probatur cõsequẽtia. Quia in hoc casu effectus futurus nõ habet cõnexionẽ cũ cõditione ratione alicuius causalitatis, vt in antecedẽti supponitur & respectu scientiæ Dei non potest habere

connexionē ratione ſubordinationis ad reuelationem, aut promiſsionem. Quia ſicut ſcientia Dei præſupponitur ad reuelationem, ita etiam præſupponitur ad ſubordinationē ad eandem reuelationē: ergò in hoc caſu effectus qui dicitur futurus nullum modum connexionis poteſt habere cum conditione reſpectu ſcientiæ Dei. Et ad obiectionem quæ contra hanc partem fit in argumento reſpectu ad futura conditionata iuxta hanc ſententiam de præſentia obiectiua, reſpondent auctores eius non cognoſci ex vi, aut ex ſuppoſitione conditionis, quaſi ſuppoſitio conditionis habeat vim ad inferendum determinatè huiuſmodi futura, ſed quia ipſa futura ſecundùm ſe, & ſine dependentia à conditione ſunt determinata obiectiuè ad fore, licèt eorum determinatio, & executio futura habeat quandam concomitantiam, & coëxiſtentiam cum conditione reſpectu eiuſdem durationis, vt inferius explicabitur.

Omnia futura contingentia, ſiuè libera, ſiuè cõditionata habẽt determinationẽ ſuæ exiſtẽtiæ.

NOS volumus admonere lectorem vt intelligat quod quæcumq; futura, ſiuè abſoluta ſint, ſiuè conditionata, omnia illa habent determinationem ſuæ exiſtentiæ, ſeu futuritionis exiſtentiæ in diuinis decretis liberis, ſiuè abſolutè, ſiuè ſub conditione incluſa in obiecto, ſiuè in decretis liberis in quibus includitur voluntas poſitiua vel permiſsiua cum voluntate cõcurrendi ad realem effectum ſeu ad actionē. Et hinc quaſi ex efficiente cauſa cognoſcitur futuritio, quæ efficiens cauſa præintelligitur obiecto, obiectum autē ſecundùm exiſtentiam quam habiturum eſt præintelligitur ſcientiæ de futuritione eius reali vel concepta. In quibus omnibus præciſè conſideramus ordinem rationis iuxta noſtrum modum intelligendi.

ad 6. obiectionem.

AD ſextam obiectionem, reſpondetur negando antecedens, & ad probationem aliqui reſpondent ex recentioribus: cõcedendo propoſitiones illas eſſe conditionales, & veritatē earum conſiſtere in bonitate conſequentię, negant tamen non eſſe bonam conſequentiā eam quæ fit in huiuſmodi propoſitionibus: ita ſenſit Gabriel Vazquez nouiſsimè in. 1. p. diſpu. 67. cap. 4. ad 4. & ad probationem dicit, quod vt conſequentia aliqua ſit bona non requiritur quòd ſit neceſſaria, ſed tantùm quòd ſemper ſit bona, & ad hoc ait ſatis eſſe inferri re ipſa, & de facto hoc conſequens ſingulare ex hoc antecedente ſingulari, quamuis neq; repugnet ex natura rei non inferri, quia materia non eſt neceſſaria, ſed contingens, neq; forte inferatur de facto in ſimili forma aliquod aliud conſequens ſingulare ex eodem antecedente, ſiuè eiuſdem, ſiuè diuerſæ ſpeciei reſpectu huius quod infertur. Et ad obiectionem quæ contra hoc fit, ſcilicèt ſi conſequentia hæc non eſſet neceſſaria eſſe contingentem, atq; adeò poſſe fieri vt in ea conſequens non inferatur ex antecedenti, & vt detur antecedens verum, & conſequens falſum, quod ſatis eſt vt conſequentia non ſit bona. Reſpondet regulam illam qua aſſeritur non poſſe in bona conſequentia dari antecedens verum, & conſequens falſum debere intelligi quantum ad formam conſequentiæ, quæ conſiſtit in diſpoſitione terminorum conducente ad inferendum conſequens ex antecedenti, ita vt ſenſus eius ſit in bona forma argumentādi, ſiuè habili diſpoſitione terminorum, non poſſe dari antecedens verum, & conſequens falſum. At verò hanc conſequentiam de qua eſt ſermo non conſtare forma aliqua argumentandi, ſiuè diſpoſitione terminorum, quæ poſsit applicari diuerſis materijs, & ideò non habere bonitatem aliquam ex parte formæ, ſed ſolùm ex parte materiæ, in quantum ex antecedente ſingulari, tanquam ex cauſa, infertur re ipſa conſequens tanquam eius effectus.

Vazquez.

SED profectò hæc ſolutio non ſatisfacit: & vt oſtendatur hoc, ſuppono id quod dictū eſt ſuperius in ſolutione confirmationis quinti argumenti præcedentis contra eundem auctorē, nimirum non ſolum cognoſci à Deo futura conditionata, quæ habent connexionem aliquam cum conditione, ſed etiam illa quæ ſunt omninò diſparata reſpectu conditionis. Imò & quando cognoſcuntur futura quę habent cõnexionē nō eſſe valdè pertinentē ipſam cõnexionē ad cognitionē. Quocirca, hoc ſuppoſito, argumentor cõtra prędictā ſolutionem. Nā profecto hæc conſequentia de qua loquimur non eſt bona ex parte formæ, vt citatus auctor admittit, nec ex parte materiæ. Quia vel nulla eſt emanatio conſequentis ex antecedente, cū ſint inter ſe diſparata, vel ſaltem non eſt emanatio ſufficiens ad inferendū conſequens, quia emanatio eſt contingens, & conſequens infertur certò, & determinatè: ergò nullo modo eſt bona conſequentia, & ex conſequenti non eſt propoſitio conditionalis vera. Et confirmatur hoc. Quoniā contradictoria quæ formatur appoſita negatione in principio eſt bona contradictoria, & vera propoſitio, vt ſi in priori caſu dicas non ſi Petrus diſputat, Franciſcus cõtertur, vel aget pœnitentiā, & in poſteriori nō ſi Petrus excitetur à Deo tali occaſione conſentiret certò, & determinatè, quia in vtraq; propoſitione ſignificatur nō ſequi tale cõſequens ex tali antecedente, & hoc eſt certum.

QVAPROPTER aliter reſponderi poteſt has propoſitiones, & ſi habeant modum conditionalem non denotare illationem vnius futuri ex alio, ſcilicèt effectus ex conditione, ſed ſolùm concomitantiam, & coëxiſtentiā conditionalem ipſorum pro eadem duratione, quia particula conditionalis, ſi non ſumitur illatiuè, ita vt denotet ſequi vnum ex alio, ſed quaſi concomitanter, ita vt ſolùm denotet non eſſe ponendam conditionem, niſi de facto, & re ipſa ponatur effectus, neque è conuerſo eſſe ponendum effectum, niſi ſub hac lege vt ponatur conditio, quæ tamen re ipſa non eſt ponenda. Ex his ergò ſequitur oppoſitum illius in quo fundatur hæc obiectio, nimirum veritatem iſtarum

propositionum non consistere in bonitate cõsequentiæ, sed in conformitate ad rem significatam, & quoniam res significata est, si poneretur talis conditio pro aliquo certo tempore ponendum esse in eodem tempore talẽ effectum, non quidem quia id inferatur ex vi conditionis, sed quia ita futurum est sub tali conditione, ideò de veritate harum propositionũ iudicandum erit ad id quod adueniente tali tempore esset præsens de facto, si poneretur talis conditio, quod quidem est secundùm se determinatum obiectiuè: & quamuis nobis sit ignotum à Deo optimè cognoscitur, vt superius est explicatum. Et habere has propositiones hunc modum significãdi potest tripliciter explicari. Primo ex nostro modo concipiendi, quia nos possumus concipere aliquid vt futurum non absolutè, sed sub conditione si poneretur talis conditio, quæ nunquam est re ipsa ponenda, quamuis non inferatur esse futurum ex vi conditionis: ergò etiam possumus propositionibus idem significare vt ita futurum, & videtur non esse alias propositiones aptas ad id significandum præter illas de quibus loquimur. Secundò probatur exemplo propositionis in qua significatur aliquid esse futurum sub conditione ponenda de facto, cum qua tamen nullam habet connexionem, vt si Petrus crastino die peccauerit, Franciscus aget pœnitentiam: & videtur esse quantum ad hoc eadem ratio de propositionibus in quibus præsupponitur conditio quæ nunquam est re ipsa ponenda.

TERTIÒ potest explicari ex doctrina Dialecticorum, qui cum retulerunt species propositionum conditionalium dicunt esse quasdam promissiuas, vt si feceris hoc dabo tibi centum aureos, in quibus particula conditionalis non sumitur illatiuè, ita vt denotet faciendum esse per promittentẽ aliquid si per eum cui fit promissio ponatur certa aliqua conditio, & videtur esse idem iudicium quantum ad modum significandi, siuè conditio sit re ipsa ponenda, siuè non, imò etiam si sit impossibilis, & siuè id quod dicitur esse futurum præmittatur, siuè tantum simplici assecuratione affirmetur esse futurum, de quo videndus est Soto libro tertio Summularum capi. 8. lection. 3. vbi obiter placet aduertere ipsum esse apertè in hac sententia, quia inquit de propositionibus conditionalibus promissiuis quarum conditio aut non est posita, si sint de præterito, aut non est ponenda si sint de futuro Deum scire vtrùm sint verę, vel fallę, quamuis id sit nobis ignotũ, & apponit exemplum in his propositionibus: Dato te nunquam vicisse in disputationibus, si vicisses dedissem tibi librum: dato te non occurrisse mihi priorẽ, si occurrisses prior dedissem tibi librum: & idẽ dicit esse in multis propositionibus conditionalibus de præterito nõ promissiuis, vt si Petrus non sumpsisset potionem non fuisset mortuus.

SENTIENDVM igitur est propositiones quæ formantur de futuris conditionatis contingentibus non esse falsas, sed veras aut falsas. Non enim sunt intrinsecæ falsæ, seu impossibiles, quod supra ostendimus. Nam certè sicut quod hoc posito sequatur illud non est necessarium, ita neq; est impossibile neque falsum. Rursus quacumq; ratione certò constet. v.g. Paulum acturum esse pœnitentiam tali die, si quis ex hac cognitione vel reuelatione ita pronunciet, & dicat. Si Paulus viuit tali die, pœnitebit, non proferret falsum ex forma, & modo locutionis vt per se constat: ergò signum est locutionem illam non esse ex terminis intrinsecè falsam, aut impossibilem, quoniam ea quæ talis est nunqua potest esse vera. Et præterea hoc exemplum confirmat per illum modũ loquendi non significari necessariam illationem, imò verò in communi modo concipiendi sapientum, auditis his propositionibus non statim apprehendimus illas vt falsas aut impossibiles, sed vt nobis incertas aut ambiguas, & Deus sæpe sæpius in sacris Litteris proponit hæc futura contingentia conditionata, & ea reuelat, vt supra fusè ostendimus. Dices reuelari à Deo vt verisimiles ex appositione circunstantiarum, & dispositione secundarum causarum, velut dicunt alij, vt verisimiles ex cõiecturis. Respondetur vt superius iam diximus in interpretatione locorum Scripturæ, & in affirmatione nostræ sententiæ, & eo supposito quamuis daretur hoc quod obijcitur id sufficeret præsenti intentioni, quia saltem ad hoc necesse est vt non sint impossibiles, neque intrinsecè falsæ, vt verisimiles esse possint ex causis.

VNDE prædictæ propositiones conditionales solent affirmari, non semper ex vi illationis ex virtute antecedentis, sed per modũ enũciationis simplicis, & affirmationis vnius de alio sub tali conditione concepto. Nam quando dico, si Petrus hodie disputaret, curreret, nõ dico Petrum esse talis virtutis vt necessariò id esset facturus, sed tantũ affirmo cursum coniungendũ esse cum Petro si disputaret. Tandẽ aduerte in hac obiectione sexta quasdã esse conditionales propositiones illatiuas quales sunt illæ, si Petrus disputat, loquitur, si Petrus currit, mouetur: quas esse necessarias propter necessariã habitudinẽ antecedentis ad consequens omnes dicunt, quia in eis non potest dari antecedens quin ex vi illius sequatur consequens. Alias verò esse veras, sed contingentes, quales sunt promissiuę, vt si viceris dabo tibi aurũ &c. ad quas reducuntur plures aliæ, vt si essem in curia Regia obtinerẽ diuitias. Si Rex strenuè pugnaret, vinceret, Si Christus apud Tyrios, & Sidonios virtutes suas faceret ipsi conuerterentur. Si Dauid mansisset apud Ceilam tradidere tur Sauli. Istæ quidem non sunt necessariæ, quia ex vi conditionũ suarum, seu ex vi antecedentis non sequitur cõsequens necessariò. Sed nihilominus fieri potest vt de facto sint veræ propositiones istæ, si de facto ita debet esse vt

A B C D

Sotus.

Nota.

con-

conditione posita ponatur illud aliud. Et ex his patet solutio ad omnia quæ in obiectione sexta continentur.

Ad 7. obiectionem.

Ad septimam obiectionem, respondetur quod in vnaquaque locutione vt vera sit sufficit quod subiectum supponat iuxta exigentiã copulæ, & idcirco in propositionibus vbi verbum absoluitur à tempore nõ requiritur quod subiectum supponat pro re quę aliquando est, fuit, aut erit, sed tantũ secundũ esse essentię seu possibile, & pari modo in præsenti, quoniam huiusmodi propositiones non significant aliquid absolutè futurum, neque affirmant existentiam vnius, aut alterius extremi, sed tantùm coniunctionem vnius cum alio, si alterum ponatur in esse, idcirco in eis non requiritur absoluta suppositio pro re aliquando existente, sed solum conditionalis prout significatur per copulam: vnde nihil refert quòd subiectũ illarum conditionalium non supponat absolutè, quia supponit conditionaliter iuxta exigẽtiam copulæ, & prædicati, si tamen subiectum & prędicatum propriè in his hypothesibus admittatur. Vnde negatur antecedens. Alij respondent quod si sumantur propositiones negatiuè, seu de negatiuo effectu, vt si Paulus vocetur à Deo tali tempore, & occasione non conuertetur, quod tunc in hac propositione nihil affirmatur, sed potius negatur aliquid de tali subiecto, & quod ob eandem causam talis propositio quamuis daretur esse de subiecto non supponente poterit esse vera, aut non falsa. Sed profectò prior solutio melior est iuxta regulas Dialecticę, & quia prior solutio admittit suppositionem, & rursus quoniam cõmuniter dicitur quòd propositio affirmatiua de subiecto non supponente est falsa.

Ad octauam, nonam, & decimam obiectionem solutio.

Ad 8. obiectionem.

Ad octauam obiectionem, respondetur, negando quòd superfluè ponatur certa, & infallibis cognitio Dei circa futura cõditionata. Nã omne scibile, & cognoscibile cõprehenditur à Deo, & nihil potest subterfugere diuinũ intellectũ, huiusmodi enim cognitio futurorum conditionatorum, præcipuè eorum, quæ sacris Litteris continentur maximè iuuat, tum ad explicandam libertatem secũdarum causarum, tum etiam quia non solùm actus ille cognoscendi futura omnia conditionata est per se bonus in Deo, sed etiam, quia neque Deus quãtum ad intellectum, neq; quantum ad voluntatem, expedit vt maneat suspensus, ac proinde eũ futura omnia, siuè contingentia absoluta, siuè conditionata, siuè libera, siuè necessaria omnia sint cognoscibilia, & enunciabilia, ad perfectionẽ diuini intellectus pertinet ea scire, aliàs vt supra diximus, imperfectus esset intellectus Dei, & imperfecta eius scientia, & ipsius lumẽ. Decet ergo perfectionem, maiestatem, & eminentiam intellectus diuini has omnes veritates cognoscere, & propositiones conditionales etiam illas in quibus tantum significatur concomitantia, seu coëxistentia, vt si quis diceret: si Deus crearet alios Angelos taliter se haberet vt primum nõ permitteret peccare. Vel si dicas: si ego loquerer, Rex iter ageret. Cum igitur hæc conditionata contineant veritates enunciabiles, atq; adeò scibiles expedit vt intellectus Dei eas cognoscat: ergò sicut negari non potest Deum cognoscere distinctè, & in particulari futura omnia cõtingentia, quæ nimirũ erunt per totam æternitatem vniuersasque cognitiones hominum, & Angelorum, & alia quantumcunq; minutissima rerum, seu alia quæcunque quamuis non pertineant ad finem prouidentiæ, tamen cum pertineant ad excellentiam, eminentiã, & maiestatem diuinæ cognitionis, vt nihil eam lateat illarum quæ scibilia sunt, sic dicere oportet Deum scire, & cognoscere omnia illa conditionata, quæ in hoc argumento octauo, & in alijs insinuantur, & connexiones omnes, & cõditiones rerum etiã disparatarum, in quibus vel veritas vel fallitas reperiri potest, præcipuè cum enunciationes à quibus enunciantur, generent sensum in animo audientiũ, & cum non debeant relinquere suspensum intellectum, expedit Deum ea omnia cognoscere. Similiter etiam actum diuini intellectus circa hæc cõditionata catholici Theologi dicunt non esse superfluum: imò verò idẽ sentiunt de diuinis decretis, siuè absolutis, siuè conditionatis, & de actibus diuinæ voluntatis, qui liberè feruntur ad huiusmodi obiecta: idẽque sentiunt catholici Theologi de affectu simplici diuinæ voluntatis, quod nullam includit imperfectionem. Quoniam in obiecto, & ordine suo est actus perfectus. Quod verò simplex affectus aut conditionata voluntas non sit absoluta aut efficax futuritionis absolutæ, non est ex impotentia Dei, sed ex libertate, & summa sapientia, & idcirco cum huiusmodi actibus conditionatis, seu affectibus simplicibus non debeatur maior efficacitas, non habent imperfectionem, imò vero sunt actus per se boni, & aliunde expedit etiam vt voluntas diuina circa omne obiectum per se amabile non maneat quasi suspensa, & absque vllo affectu libero circa vnum vel aliud oppositum. Vnde vbi non vult habere affectum, & voluntatem efficacem habet saltem simplicem effectum. Et rursus non dicuntur superflui isti actus, quia omnes sunt ex deliberatione voluntatis, & ex perfectissimo consilio. Denique in gratiam huius obiectionis, octauæ, & in explicationem eius, & solutionem multa alia dicta sunt à nobis in superioribus, quæ iterum inuestigare, & legere oportet.

Ad nonã obiectionem.

Ad nonã obiectionem dico scientiã Dei nõ tantum se extendere ad futura absoluta, sed ad futura conditionata, verumtamen vtraque futura considerentur vt futura, vel absolutè vel suppositã cõditione, semper circa hanc futu-

rationem præintelliguntur decreta libera Dei, eo modo, quo sunt à nobis superius explicata. Si verò considerentur futura contingentia antecedenter ad Dei voluntatẽ, & ad omne prorsus decretũ, hoc est quatenus sunt solùm possibiliter futura, sic cognoscuntur per scientiam simplicis intelligentiæ, at verò primo modo cognoscuntur per scientiam liberam, quia primo modo includuntur in tali scientia libera decreta Dei. Et negatur sequela quod ex cognitione omnium futurorum contingentium sequatur posse dari causam diuinæ prædestinationis, aut posse dari causam, propter quam Deus hunc potius prædestinet, quam illum, quod præcipuè est verum, quia Deus neminem prædestinat, nisi ex diuino decreto, merita ergo in adultis sunt media necessaria ad executionem intentionis efficacis prædestinationis Sanctorum. Rursus quod Deus eligat hunc potius quam illum, id non prouenit ex præuisione operum, sed ex mera Dei liberalitate. Quare non mihi probatur illa sententia, quæ putat Deum elegisse, verbi gratia, Petrum aut Franciscum, quia prius præuidit illos cooperaturos gratiæ, & multo minus mihi probatur illa sententia, quæ dicit, quod nisi prius præuideret cooperaturos non posset eos eligere. Nam certè posset Deus quantum est de potentia sua iustificare quemcumque miris, & ineffabilibus modis, tribuereq; eis gloriam suã liberaliter si vellet, est enim res ampla potentia Dei absoluta.

A

B

C

Cvm igitur par ratio, & difficultas videatur esse de cognitione futurorum liberorum, & contingentium absolutè, & de futuris liberis conditionatis, sequitur quod eadem scientia, qua cognoscuntur futura libera absoluta, cognoscuntur futura libera conditionata, & hoc ipsum vnanimiter fatentur aduersarij nostri: ergò sicut futura absoluta cognoscuntur ex diuinis decretis absolutis, ita futura conditionata cognoscuntur ex decreto includente conditionem in obiecto. Quare malè in argumento concluditur contra nos, & ob id negatur secunda illa sequela, qua infertur posse dari causam, propter quam Deus potius hunc quam illum prædestinet, cum Paulus ad Romanos. 9. dixerit. *Non ex operibus sed ex vocante dictum est ei: Quia maior seruiet minori, vt secundùm electionem propositum Dei maneret.*

D

Ad Rom.

Tanden dico quod hoc argumentũ potius militat cõtra eos, qui censent constituendam esse scientiã mediã, qua dicitur cognoscere futura cõtingentia libera ex præuisione operũ antecedenter ad decretũ suum, & ad volũtatẽ eius, sic enim si hoc verum esset sequeretur posse assignari rationẽ, & causam prædestinationis diuinæ, & vt minimũ esset rationabilis sententia Henrici, quod non est dicendũ. Quare hæc obiectio nona potius militat contra aduersarios si rectè inspiciatur, & ex inconueniẽtibus allatis in ea sequitur euersio scientiæ mediæ, quod apertius, & fusius constare potest ex his quæ diximus in nostris assertionibus. Itaq; obiectio hęc nõ probat non esse constituendam cognitionem in Deo certam, & infallibilem futurorum contingentium conditionatorum, sed solùm videtur probare non esse constituendam scientiam mediam tertiam inter naturalem, & liberam, & hoc potius confirmat nostram sententiam.

Ad vltimam obiectionem respondetur, nõ esse parem rationem de intellectu, & voluntate atque potentia Dei, scit enim Deus, & cognoscit non solum vera, sed falsa, non solùm recta, & bona, sed etiam mala, & peccata, & tamen non potest facere peccatum, aut id quod non est rectum. Rursus cognoscit Deus omnia impossibilia, & omnia quæ implicant contradictionem, & rationem implicationis, & cõtradictionis. Quia quod cognoscantur implicare non habet repugnantiam, neque ex parte Dei, neq; ex parte obiecti, at verò quod fiant, habet implicationem ex parte obiecti, & ex parte facti, non tamen ex parte Dei. Dico secũdò, quod propositiones de futuro cõditionato sunt veræ aut falsæ, & vtrũq; est cognoscibile à Deo de eis. Vnde valdè imminueret maiestatem infinitam scientiæ Dei, ipsiusque intellectum, & lumen infinitum, si id quod est scibile suo perfectissimo intuitu non attingeret certo, & infallibiliter. Quo autẽ modo sciat Deus hæc futura iam diximus luculenter.

Ad vltimã obiectionẽ.

Ad argumenta, quæ in initio huius longissimæ quæstionis proposita sunt post quartam sententiam satisfit.

Ad primum argumentum, respondetur negando antecedens, quod non sint scibilia futura conditionata: diximus enim cognosci à Deo in decreto voluntatis suæ includente cõditionem in obiecto. Rursus etiam in solutionibus aliorum argumentorum diximus futura hæc conditionata in esse concepto includere quendam ordinem, & respectum ad futuritionem existendi sub conditione. De quare videnda sunt, quæ nos diximus in solutione præcedentium obiectionum, præsertim ad primã, secundam, & tertiam, vbi explicuimus quo pacto possit his futuris ratio entis conuenire.

Ad 1. argumentũ respondetur.

Ad secundum argumentum, seu obiectionẽ respondetur negando sequelam. Nam quãuis Deus certò, & infallibiliter cognoscat omnes cõplexiones possibiles, & possibiliter futuras rerũ omniũ, omnesq; rerũ quidditates, & modos earũ, quę habent possibilem futuritionem antecedenter ad voluntatẽ Dei, & independenter à decretis liberis, tamen certò, & infallibiliter cognoscere futuritionẽ existentiæ veræ, futurorũ cõtingentiũ, id quidẽ dependet à diuina voluntate, & decreto Dei decernente, aut volente permittere cũ cõcursu ad actionem. Vnde antecedenter ad determinationẽ diuinæ vo-

Ad 2. respondetur.

lun-

luntatis, vel absolutæ, vel includentis cõditionẽ in obiecto duæ illæ propositiones, seu enũciationes contradictoriæ, quas solent aduersarij adducere non sunt contradictoriè oppositæ imò verò neque sunt propositiones, nisi quasi materialiter. Quia antecedenter ad determinationem voluntatis diuinæ nihil significant formaliter, & quoniam hoc quod est nihil significare est radix antecedentium, cum voces quæ nihil significant non possint constituere propositionem, quæ est oratio significans verum vel falsum, & ex consequenti non possint constituere id, cui conueniat modus oppositionis, qui est proprius propositionum, ostendam illud vltimum, seu postremum esse verum. Pro qua re suppono doctrinam S. Thomæ. 1. part. quæst. 13. art. 1. desumptam ex Arist. lib. 1. de interpretatione, cap. 1. quod voces sunt eorũ quæ sunt in anima passionum siue conceptuũ notæ. Ex quo colligitur voces referri ad significandas res media conceptione intellectus, & idcirco secundùm id posse aliquid concipi à nobis intellectu nostro, & pari etiam modo posse à nobis vocibus significari. Nam optimè sequitur ex hac doctrina propositionẽ quæ non refertur medio conceptu mentis ad aliquid significandum, non significare formaliter aliquid, sed solum materialiter in quantum est res instituta ad significandũ, vt si proferatur à bruto aliquo aut à Psitaco non intendente significare aliquid per eam à se conceptum. Quo circa cum Deus in hoc casu, nimirum antecedenter ad determinationem suæ voluntatis nihil decernat, aut dicat, seu cõcipiat circa futuritionem, aut non futuritionem effectus & existentiæ eius, nihil propositio hæc significabit formaliter, nisi in decretis diuinis, vbi reperitur iudicium & cõceptus Dei. Quod si obijcias si ante determinationem diuinæ voluntatis nihil habet rationem futuri, sequitur in hoc casu Deum iudicaturum effectum, de quo loquimur non esse futurum, atque adeò propositionem negatiuam quæ id significat esse veram, & affirmatiuam esse falsam. Respondetur. Quod futurum potest sumi duobus modis, primò negatiuè pro eo quod non habet modum essendi futuri, quamuis possit eum habere, vt possibile, non habet omnia requisita, vt de facto sit futurum, & potest ea habere. Secundò potest accipi contrariè pro eo quod importat aliquid repugnans modo essendi futuri, vt id quod est possibile fieri, sed Deus decreuit non esse faciẽdum, hoc enim habet aliquid, ratione cuius ex suppositione repugnat ipsum esse futurum. Et quando dicitur de aliquo nõ esse futurum, quia consideratur antecedenter ad determinationẽ diuinæ voluntatis, de eius productione sumitur non futurum priori modo, quãdo verò in propositione negatiua oppositа affirmatiuè negatur esse futurum intelligitur posteriori modo. Et sicut non valet argumentum à negatiua alicuius requisiti vt aliquid sit futurum ad positionem alicuius repugnantis vt sit futurum, ita neque valebit argumentum, quo ex cognitione alicuius sub ratione non futuri priori modo colligitur posse de eo iudicari non esse futurum posteriori modo.

D. Thomas — *Obiectio.* — *Respondetur.*

AVCTORES oppositæ sententiæ solent cõcedere sequelam, quia illa est necessitas conditionata tantùm, & ex suppositione futuræ determinationis causæ liberæ, & nullo modo est necessitas absoluta, & hoc dicunt nullam esse imperfectionem, sed potius pertinere ad Dei perfectionem, nimirum cognoscere vnũquodque quale est. Idem argumentum dicunt posse fieri in futuris absolutè. Quia illico atq; Deus voluit creare primum hominem in tali rerum ordine, & cum tali dispositione relinquendo eum sibi ipsi, & suæ libertati, statim præuidit illum peccaturum esse: & quo ad hoc dicunt non habuisse illam scientiam aliam dependentiam à Dei voluntate, sed necessariò secutam esse suppositа priori voluntate, & futura determinatione voluntatis primi parentis. Vnde quod hic euenit, & contingit secundùm verã, & realem existentiam inuenitur in futuris cõditionatis secundùm existentiã apprehensam cognitam, & conceptam, & sub tali conditione positam. Sed profectò solutio hæc militat contra nostram sententiam. Nos enim semper diximus de facto & re vera nihil esse futurum antecedẽter ad voluntatẽ Dei, non enim Deus ex consilio voluntatis nostræ, & ex præuisione nostrorum operum futurorum antecedenter ad decretum, & voluntatem suam, quasi expectando voluntatem creatam, dicitur agere, & operari, sed ex consilio voluntatis suæ. Quare auctores oppositæ sententiæ, vt videantur temperare suam opinionem addere solent totũ effectum liberum, aut contingentem pendẽre à voluntate Dei, vt absolutè sit, vel non sit, & consequenter in illis futuris conditionatis simi liter includi debere in antecedente diuinam voluntatem, nimirum si ipsa velit talem effectũ vel saltem permittere velit ipsum, & concurre re ad eum, & hoc pacto volunt saluare scientiã illam tertiam, seu mediam, dicere & habere habitudinem ad diuinam voluntatem sub prædicta cõditione. Sed profecto semper stare oportet nostræ sententiæ & nihil habere realem futuritionem, nisi ex diuinis decretis liberis.

Ad 3. obiectionem.

AD tertiam obiectionem, quamuis ex superioribus videatur soluta. Nam certè ratio cur Petrus in tali occasione facturus est aliquid, esse potest quia Deus decreuit & voluit illud ita fore aut illud ita permittere. Nam si quæratur ex parte Dei hoc est ex parte sui luminis infiniti, aut virtutis suæ intellectiuæ, quæ de se est perfectissima & infinita ad iudicãdum quidquid in re futurum sit, siue hoc siue illud, nulla ratio est cur magis cognoscatur hoc quam illud: nisi vlterius sumatur ratio ex parte obiecti: nimirum quia in re hoc obiectum potius est futurum quam illud. Quod si interroges, cur hoc potius quam illud sit futurum; certè recurrere oportet ad Dei voluntatem

& decretum, nam sine Deo volente, aut permittente, seu decernente concurrere res nō est futura: aliàs sequeretur dari casum respectu Dei quia in re esset aliquid futurum ipso nihil volente, disponente aut permittente & prouidente. Vnde Deus in illo decreto, aut in illa voluntate tanquam in modo & medio illius rei futuritionem vel non futuritionem cognoscit. Et sanè omnes ferè istæ difficultates & obiectiones quæ fiunt de futuris cōditionatis similes possunt fieri de futuris contingentibus absolutis priusquā sint ad extra quia nulla maior difficultas est in illis quam in istis.

Ad 4. obiectionem.

Ad quartam obiectionem sunt nonnulli Theologi qui negent Deum cognoscere huiusmodi cōplexiones conditionatas, disimiles, disparatas, & in proportionatas, in quibus nihil omnino conducit antecedens ad esse, vel ad illationem consequentis, quia in eo casu esse vnius nihil refert ad esse alterius: neque ratione alicuius causalitatis aut cohærentiæ: quoniam cum aliquid dicitur cognosci sub conditione alterius, saltem debet habere talem connexionem & cohærentiam cum illa, vt ea posita ipsum ponatur: quæ sanè cohærentia & cōnexio esse nō potest aut minimè reperitur inter illa quæ prorsus sunt disparata. Et par ratio militat de conditionatis communibus sub terminis etiam communibus: quia causalitas nunquam est nisi in particulari & cum determinatis conditionibus. Sed mihi videtur dicendum conditionales disparatas cognosci vt falsas, vel vt verosimiles in rebus probabilibus, quia in necessario connexis non possunt non cognosci à Deo. Sentiendum igitur puto quod quacunque ratione concipiantur cōditionales propositiones non subterfugiunt scientiam Dei. Quod si in connexione rerum significatarum inter se importetur dimanatio vnius ab alio id ipsum cognoscitur: si verò sit connexio rerum disparatarum, & importetur dimanatio vnius ab alia, tunc conditionales sunt falsæ: & scientur vt falsæ. Si verò in prædictis propositionibus conditionatis importetur sola concomitātia aut coëxistentia duorum rerum in ordine ad eandem durationem, sic potest in eis esse veritas, sed non ex vi illationis, aut connexionis: nihilque hoc sensu est enuntiabile etiam conditionaliter de quo Deus non sciat vtrum verum sit vel falsum: veluti in futuris absolutis verum est dicere: Quando Petrus tali die peccauerit Paulus pœnitētiam aget, vel iter arripiet Hierosolymitanum: Nam in his solū significatur coëxistentia illorum duorum futurorum per concomitantiam ad illam durationem. Tādem quas intellectus creatus potest formare, & cogitare cōditionales etiam disparatas Deus potest similiter cognoscere & comprehendere lumine suo. Ex hoc autem non sequitur negandam esse scientiam futurorum conditionatorum, cùm pars affirmatiua sit maximè conformis sacris literis & modo loquendi Theologorum. Multa alia hoc loco dicere possemus quæ quoniam superius explicata sunt non debemus ea iterum repetere hic.

Ad 5. respō detur.

Ad quintum respondetur negando sequelā in quacūq; opinione: Primò quia potuit Deus velle hunc hominem conuertere efficaci suo auxilio, atq; adeò licèt non bene vteretur præueniente auxilio, potuit Deus efficacissima vocatione ipsum conuertere sicut fecit cum Paulo. Nam, vt inquit Augustinus, volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium. Secundò: quia data conditionalis, si Deus præuidisset hominem nunquam cooperaturum gratiæ eius, non posset eligere eum aut prædestinare actus eius, quæ conditionalis nihil ponit in esse & vt conditionalis censetur vera. Cæterum antecedens quantum ad omne tempus vitæ & quantum ad omnia auxilia gratiæ & omnes modos, quibus Deus potest ad se hominē trahere & vocare, est apertè falsum & impossibile. Plures enim modos efficaces nouit Deus permouendi & trahendi voluntatem hominis, vt cōsentiat, pœniteat, aut conuertatur, quàm sit tota fragilitas naturæ aut potentia Dæmonis & tentationum ad perdendum hominem ipsum. Tertiò, quia, vt dixi ibidem, hoc argumētum quintum militat contra aduersarios, qui ponunt scientiam mediam seu neutram antecedenter ad diuinam voluntatem ad cognoscendum futura contingentia absoluta ex penetratione voluntatis creatæ seu nostri liberi arbitrij in se: Nos tamen hanc scientiam mediam nolimus, sicut neque suos modos dicendi.

Ad confirmationem semper censeo scientiam absolutam futurorum contingentium supponere Dei voluntatem, quam non supponit scientia media istorum. Vnde non est neganda efficax gratia ex vi vocationis prout à Deo procedit. Ad illud verò quod de diuina prædestinatione obijcitur negamus sequi, præscientiam meritorum fuisse rationem aut causam sine qua non, seu conditionem prædestinationis aut electionis absolutæ ad gloriam quorundam adultorum. Diximus namque sectione de diuina prædestinatione & electione adultorum ad gloriam illam non fuisse factam ex meritis præuisis antecedenter per modum intentionis, licèt electio ad gloriam per modū executionis, & quatenus est ad gloriam vt ad coronam & præmium respectu adultorum volita fuerit per merita, vt ita collata esset adultis vt præmium. At verò absolutè electio ad gloriā per modum intentionis non supponit in Deo, scientiam seu præscientiam meritorum vt futurorum simpliciter & absolutè, sed vt possibilium ex gratia Dei. Ex quo non colligitur electionem fuisse ex meritis præuisis, aut propter merita præuisa, sicut particula propter dicat causam mouentem antecedenter ad electionem, sed tantùm sequitur merita esse media necessaria ad executionem illius intentionis qua Deus elegit quosdam vt ad coronam, & præmium. Similiter quum Deus vult aliquem efficaciter conuertere, & tali modo vo-

cat vt ille cooperetur, non tamen ex hoc sequitur, sic eum velle vocare quia prius antecedenter præuisus est cooperari: nam illa causalis significat rationem mouentem Deum: sed magis sequitur Deũ sic vocare ipsum vt cooperetur & conuertatur. Quod sanè egregiè D. Augustinus perpendit, ponderando verba Pauli dicentis. *Elegit nos in ipso vt essemus sancti, non quia futuri eramus*: Reliqua verò quæ in eadem confirmatione cõtinentur potius militant pro nobis: Nos enim negamus præuisionem hanc futurorum absolutorum ante Dei voluntatẽ aut decreta eius libera: Quare potius illa incommoda confirmationis militant contra aduersarios, & nos ea illis obijcimus ob id quod constituãt scientiam hanc mediam seu neutram.

Ad sextũ respõdetur.

A D sextum negatur à Doctoribus scientiæ mediæ sequela, sed suppositа eorum doctrina de scientia media antecedenter se habente non video quomodo subterfugiant sequelam argumenti, & propterea solent deuorare inconuenientia quæ inde sequuntur. Nos verò optimè negamus omnia illa inconuenientia, quia antecedenter ad diuina decreta libera futuritionis aut permissionis rerum non nouit futuritionẽ aliquam rerum, sed præcognouit res sub ratione possibilium, vel futuritionis possibilis. Itaque argumentum potius militat cõtra eos qui constituunt hanc scientiam mediam quia dicũt illam antecedere in Deo secundum rationem ad determinationem liberam diuinæ voluntatis vt actiuam positam in æternitate. Nos verò qui negamus hanc scientiã, semper dicimus omnem futuritionem veram & realem dependere à diuinis decretis. Vnde neganda nõ sunt libera Dei decreta in voluntate diuina: quæ Deus non videt priusquam sint præsentia actu in se ipsis. Vnde propositio iuxta nostrũ modum intelligendi in qua Deo attribuitur aliquod decretum liberum vt velle creare mundum, velle conuertere Paulum nõ prius ratione habet determinatam veritatem quàm Deus intelligatur actu habere in sua æternitate illud decretum. Cessant ergo ex nostra sententia & modo dicendi difficultates sexti argumenti. Quare minimè sequitur omnia futura prius esse determinata in scientia Dei, quo ad futuritionem existentiæ, quàm in ipsius voluntate: sed antecedenter ad huiusmodi voluntatem solum præcognoscitur possibilitas futuritionis & determinationis. Omnia enim possibilia sunt possibiliter futura, imò possibiliter determinabilia seu determinanda. Nunquam tamen intelliguntur prius determinata quam à voluntate, & à decretis eius actu determinentur.

Ad septimũ respõdetur.

A D septimum patet quid sit dicendum ex supradictis, præcipuè cùm non militet contra nos: sed potius contra eos auctores qui defendunt scientiam mediam & conditionatam, quã nos repellimus: vnde ab eis est soluẽdum: Quoniam huiusmodi scientia media, seu neutra est impossibilis, & non requiritur neque ad explicandam rationem libertatis, neque ad rationẽ

A

B

C

D

prouidentiæ: Imo verò illa posità maiora inconuenientia sequuntur, quam sint aliqua quæ aduersarij contendunt inferre contra nos. Facit etiam, quia hæc scientia media ponitur ab aduersarijs respectu futurorum cõditionatorum, & ponitur prius secundum rationem quam cogitetur vlla libera determinatio voluntatis. Quod non est verum. Nam certè per hoc admittitur ab aduersarijs in intellectu Dei quædam scientia non omninò necessaria, sed aliquo modo libera antecedẽter, & prius ratione, quã sit in voluntate decretum liberum respectu futurorum: quæ neque est scientia simplicis intelligentiæ antecedens omnem actum voluntatis liberum Dei, neq; est scientia visionis quæ post decreta Dei cogitatur à nobis: Imò verò diximus non esse improbabile Deum cognoscere futura conditionata, non quidem in absoluto decreto, quo voluerit illa fore aut esse: sed more nostro intelligendo, in decreto includente eandem conditionem in obiecto. Nam profecto talis voluntas non est simpliciter impossibilis in Deo: Deus enim potest habere hanc voluntatem: Si crearem talem Angelum prędestinarem illum: Si Adam non peccaret Filius non fieret homo. Nam neque ex parte obiecti est repugnantia, neque etiam ex parte actus diuini: quoniam vt intelligatur determinatio libera ad aliquod obiectum, non semper requiritur realis mutatio in illo obiecto: Nam voluntas qua Deus vult aliquem obligare nullã mutationem realem physicam ponit formaliter in illo ex vi sua. Quare ille respectus rationis non semper fundatur in mutatione physica aliquando futura. Sed de hac re multa diximus in superioribus quæ conducunt ad explicationẽ huius argumenti, & suis in locis videnda sunt supra.

Ad octauũ respõdetur.

A D octauum negari potest maior argumenti: Quoniam aliqui ex Theologis, imò ex aduersarijs censent dicendum esse ita Deum certò cognoscere futura sub conditione vt etiam sub conditione subintelligatur decretum Dei de cõcurrendo cum arbitrio: Hoc pacto. Deus enim optimè nouit, si Paulo hac occasione oblata aut illa, tribuerem hanc vocationem cõgruam seu efficacem, & ego cum illa cooperarer iuxta exigentiam & postulationem eius, & non subtraherem meum concursum fieret tale opus, & sequeretur talis operatio & talis euentus: possem tamẽ subtrahere illum si mihi placeret: Vtrùm autem Deus de facto esset negaturus concursum vel re vera concessurus in eo casu, nihil decreuit ipse. Et in gratia & explicatione huius rei, notant obseruandum esse quod illa vocatio quę appellatur congrua seu efficax ita contemperatur & congruit arbitrio creato vt ex se inclinet & moueat ipsum ad consentiendum, non quidem ita vt voluntas non possit resistere, sed ita vt liberè & de facto ab ipsa consensum obtineat cui si Deus non daret hãc gratiam, aut si negaret concursum suum à quo actu pendet omnis operatio nostra, non seque

retur in voluntate consensus: Imò verò si negaret hunc concursum fieret quasi quædam violentia illi vocationi: quia illi negaretur concursus quē exigebat efficacia inclinationis & impetus diuinæ gratiæ. Vnde cum dicitur iuxta hunc modum dicendi istorum Theologorū, quòd Deus optimè nouit posita tali vocatione arbitrium nostrum esse consensurum, & eā propositionem esse veram, id debere intelligi: Si Deus iuxta id quod vocatio illa postulat, cōcurrat cū ea & cooperationem suā non neget.

A

VERVMTAMEN plures alij Theologi sunt qui sentiant Deum sub conditione etiam habuisse liberum decretum & decreuisse hoc aut illud facere si hæc aut illa causa poneretur. Ex quo decreto fit, vt cognoscantur à Deo quæcunque futura sub conditione, etiam secundùm infinitas combinationes causarum: cùm ipse Deus etiam sit infinitus intellectu & cognitione. Quod si dicas Deum nihil de his futuris cōditionatis decreuisse, cùm simpliciter illa futura non sint. Respondetur iuxta prædictam sententiam Deum minimè cognoscere hæc in decreto absoluto quo voluerit illa fore aut esse, sed solùm in decreto includente eandem conditionem in obiecto.

B

EX quibus aduertere oportet iuxta sententiam & solutionem tactam, rationabiliter dici de voluntate Dei, quando dicitur si hoc aut illud Deus non voluisset, minimè decreuisset hoc aut illud. Nam certè verè dicimus si Deus decreuisset præseruare primum parentē à peccato in statu innocentiæ, pariter non voluisset Verbū diuinum assumere humanitatem, suppositā probabiliori sententia quæ docet Deū factum fuisse hominem vt genus humanum liberaret: Nam sic, cùm reperiatur connexio inter obiecta, nimirum inter incarnationem & remedium peccati: similiter etiam reperitur inter voluntates, ita vt vna sublata, altera etiam de medio tollatur. E conuerso autem vbi nulla est connexio voluntatum, quia etiam nulla est obiectorum, conditionalis propositio est negāda, verbi gratia. Si Deus voluisset saluare Antichristum decreuisset etiam saluare Iudam. Vel si Deus voluisset primum parentem in gratia & iustitia conseruare, voluisset etiam facere alium Mūdum. Sanè huiusmodi propositiones sunt negandæ quia nulla est cohærentia aut connexio antecedentis positi sub conditione & consequentis: & vbi nulla reperitur cohærētia & connexio, sicut non est bona consequentia, ita etiam neq; est vera propositio. Et licèt hæ propositiones sint falsæ non ob id sunt veræ illæ quæ videntur eis contradictoriæ, & re vera non sunt tales, videlicèt si Deus decreuisset saluare Iudā minimè saluaret Pilatū, aut bonū latronē: vel si Deus decreuisset saluare Antichristū, nō decreuisset saluare Iudā vel nō saluaret Iudā: Vel hęc, licet Christus nō saluaret Pilatū vel Antichristum nihilominus saluaret Iudā. Nā certè omnes istæ propositiones sunt falsæ sicut priores affirmatiuę, & non sunt illis cōtradictoriæ. Quo circa in conditionalibus cō tradictio assignari debet, solū præponendo negationem non negando alteram partem illationis. Ex quo sequitur quod quotiescunque in conditionali antecedens nō cōnectitur cum consequenti, neq; illi cohęret, negāda est propositio vt falsa, siuè antecedens sit affirmatiuū siuè negatiuum.

C

ALII dicunt prædictas propositiones conditionales, affirmare solere non quidem ex vi illationis ex antecedente: sed per modum cuiusdam simplicis enuntiationis, & affirmationis vnius de alio: concepto, & apprehenso sub tali cōditione, verbi gratia cùm dico, si Paulus hodie viueret, luderet, rideret; non dico Paulū talis esse voluntatis, & conditionis vt necessariò illa esset facturus, sed solùm affirmo quod talis ludus, aut risus esset coniungendus cū Paulo si viueret, & sanè non illico atque homines audiunt has locutiones statim eis assentiuntur, sed vel suspendunt assensum, vel iudicium, vel sunt dubij, & ita iudicant vel illas esse dispa ratas, vel illi parti adhærent cui plures suffragātur cōiecturæ. Vel potius dicunt eas esse falsas, aut veras, quamuis hoc lateat. Et consequēter cùm quidquid mente concipiatur possit enuntiari, videtur quod verum vel falsum proferant, & Deum hoc scire: si tamē propositiones illæ non sint suspensæ, & quasi indeterminatæ quo ad veritatem vel falsitatem: vt si quis diceret. Si Paulus viueret diutius plures haberet filios, aut plura dominia adquireret. Denique conditionales illatiuæ de se, vt si Petrus currit mouetur, si disputat loquitur, sunt veræ & necessariæ propter connexionem & habitudinem antecedentis ad consequens. Cæterùm sunt aliæ propositiones contingentes & veræ, quales sunt promissiuæ cōditionales, vt si vicero dabo tibi gemmā, & annulum, & alię similes, ad quas reduci possunt istæ: si essem apud Regem obtinerem officium reipublicæ: si Rex pugnaret vinceret hostes. Si Dauid mansisset apud Ceilam traderetur Sauli: Quæ sanè propositiones conditionales non sunt necessariæ, cùm ex vi illarum conditionum, seu illorum antecedentium conditionalium non habeat se qui consequens per cohærentiam & connexionem, vt dictum est: imò verò potest contingere, vt dato antecedente nō ponatur consequēs illud. Et nihilominus fieri posset vt propositiones istæ sint veræ aliquando, vt si de facto ita fiat, quod posita conditione: pariter ponatur illud aliud. Cæterum quia nos ignoramus an ita de facto sit futurum: pariter etiam ignoramus an sint veræ propositiones illæ: Deum autem quem nihil latere potest, nihil ignotū est, neque ignota potest esse veritas illarum prositionum. Quod sanè Sotus egregiè perpendit lib. 3. Summularum. cap. 8. lectione. 3. & solutione ad. 1.

D

Quod conditionales illæ affirmāt vel dicunt aliquid saltem per modum cuiusdam simplicis enuntiationis.

Sotus.

DENIQVE sicut Deus distinctè cognoscit & in speciali futura omnia contingentia quæ erunt in duratione æternitatis & similiter vni-

uer-

uersas cogitationes & infinitas volitiones qu vsque n æternum erũt, tam in hominibus quã in Angelis, tam in beatis quàm in dãnatis, quãtumuis futuræ sint, variæ, disparatæ, liberæ, & multiplices: & similiter vniuersas guttas pluuię & arenas maris, & puluerıs terræ, numerumq; seminis & frumẽtorum, plumas, & pilos auiũ & animalium, quæ etiam per æternitatis durationem habitura sunt esse. Sicut ergo hæc omnia in particulari & sigillatim cognoscit, iuxta numerum earum rerum, quoniam hoc pertinet ad excellentiam, ad Maiestatem, eminentiam & infinitatẽ scientiæ Dei, vt nihil lateat scientiam diuinam eorum quæ scibilia sunt. Sic sanè negandum non est Deum cognoscere & scire omnia illa futura conditionata de quibus loquimur. Neque verò debet aliquem commouere quod plures combinationes & connexiones sint ridiculæ, & rerum disparatarũ, ad hoc vt putet in his conditionatis chimęricis deficere intellectum diuinum: quia hoc non obstat quòd sint connexiones chimęricæ, & ridiculę cùm intellectus Dei non sit angustus, sed potius infinitus & cum infinito lumine. Quare postquam propositiones illæ possunt esse veræ, aut falsæ, maximè si generant integrum sensum auditoribus, sine dubio earum veritas aut falsitas à Deo cognoscitur.

QVOD verò dicitur in argumento: quod circa futura conditionata multa, Deus nullum habuerit decretum, etiam sub conditione, includẽte eandem conditionem in obiecto, quia esset superflum: Respondetur negandum hoc esse, iuxta ea quæ superius dicebamus de diuinis decretis, non quidem absolutis sed includentibus conditionem in obiecto. Nam quamuis decreta Dei libera sint circa creaturas, tamen huiusmodi voluntatem minimè censeo esse impossibilem in Deo, qua diceret, aut statueret: si crearem talem hominem eum efficerem multorũ Dominum, potentem & ducem aut prædestinatum: quia si rectè hoc perpendamus non repugnat Deo habere huiusmodi decretum conditionatum, neque ex parte obiecti, neque ex parte intellectus, neque ex parte actus diuini, quam rem nos superius satis apertè ostendebamus in discursu assertionum huius cõtrouersiæ. Imò verò huiusmodi volitiones, & decreta non sunt superflua quia sunt per se bona, & hoc est satis vt non dicantur superflua. Rursus etiam non est alienum oratione quod volũtas diuina circa nullum obiectum per se amabile, sit quasi suspensa, & absque vllo affectu: & idcirco quotiescunque non vult habere efficacẽ affectum, habet saltem simplicem: ergo pari ratione, & modo circa nullum obiectum cognoscibile intellectus eius potest manere suspensus in cognitione, & consequenter neque in his

A obiectis in quibus includitur ordo ad extra, & vel futuritionis conditionalis, potest manere suspensum iudicium diuinum, & decretum cõditionatum, seu includentem conditionem in obiecto. Et sanè vterque actus voluntatis, & intellectus procederet ex perfectissima deliberatione voluntatis, & ex perfecto consilio: maximè cum inter futura cõditionata multa sint & cogitentur à nobis, quæ si ponerentur ad extra includerent gubernationem, & postularet prouidentiam exercitam, & etiam rationem ordinandorum in finem per certa & conuenientia media: & hæc futura conditionalia possunt esse multa quæ in materia morali & ciuili possent eueniri & cõbinari: ac proinde in illis nõ
B esset superfluum liberum decretum includens eandem conditionem in obiecto. Nam dubiũ esse non potest quin Deus cognoscat quod si faceret aut crearet alium mundum cum alijs cõditionibus, alijsque creaturis rationalibus, cum alijs occasionibus & motiuis, & etiam cũ alijs combinationibus ciuilibus & moralibus, quòd non essent superflua decreta diuina includentia conditionem in obiecto: quia, vt dictum est, neque hoc repugnat Deo, neque videtur expediens quod diuina voluntas circa huiusmodi obiecta illi oblata maneret quasi suspensa & absque vllo affectu, saltem simplici, cùm talia obiecta per se sint amabilia, de qua re nos superius plura etiã diximus: nunc hæc sufficiãt.

C Ex his omnibus quæ dicta sunt circa discursum huius octaui argumenti constare potest eius solutio. Videat tamen lector vt consequẽter loquatur, quòd iuxta diuersitatem opinionum non confundat solutiones, sed quod dum vni adhæret eam prosequatur, altera relicta: Nam idcirco fusè aperuimus campum materiæ huius argumenti.

Ad nonum respõdetur.

AD nonum respondetur, quòd vt propositiones conditionales dicantur veræ & cõsequẽtia bona, non requiritur quod sint necessariè veritatis, sed tantum exigitur vt sint veræ, aut quod consequentia illa semper sit bona: quoniam illa quæ semel bona est semper est bona. Vnde sicut propositiones de futuro contingenti absoluto sunt ab æterno semper verę, ita etiã & conditionales: quia aliàs neque in Deo esset
D aliqua scientia earũ, cum hæc debeat esse æterna. Dicendum igitur est futura illa conditionata verè cognosci & habere suo modo veritatẽ aut falsitatem, qualiter autem cognoscantur iã dictum est supra in discursu huius controuersiæ, & in solutionibus ante dictis. Quibus in locis etiam ad cognitionem horum futurorum conditionatorum non admittimus neque volumus hanc scientiam mediam quam aduersarij constituunt.

FINIS.

ERRATA.

PAg.8.col.2.lin.13.ordini,leg.ordine.pag.20.col.1.lin.38.voluntatere.leg.volũtate.pag.25. col.1.lin.53.produceze,leg.produceret.lin.pen.intelligeretur, leg.intelligerentur. pag.34. col.2.lin.30.poteſt.leg.poſt.pag.44.col.2.lin.57.dele,leg.vel.pag.48.col.2.lin.7. ſecũquuntur,leg.ſequuntur.lin.10.ſedi.leg.ſecundi pag.77.col.1.lin.5.Deo non ſoret,leg. Deo foret. pag. 99.col.2.lin.13.dicituros,leg.dicturos. pag.105.col.2.lin.44.mitteris,leg. mittereris.pag.114. col.1.lin.10.futurorum,leg.futurum.pag.115.col.2.lin.57.miſi,leg.in.pag.121.col.1.lin.7.paret. leg.pares.pag.144.col.2.lin.30.pediſequę,leg.pediſequus.pag.163.col.1.lin.42.loquendo,leg. abſolutè loquendo.pag.197.col.1.lin.45.determinaturum,leg.determinatura.

Con eſtas erratas eſta impreſſo eſte libro,conforme a ſu original, y por verdad lo firme,en Salamanca oy 24.de Septiembre 1607.

El Corrector,&c.

Manuel Correa De Montenegro.

INDEX QVORVNDAM DVBIORVM QVAE IN HOC TERTIO TOMO DISPVTATIONVM AD PRIMAM PARTEM S. THOMAE CONTINENTVR.

Præcipua & capitalis disputatio.

MTRVM Deus habeat præsciẽtiam futurorũ contingentium. pag. 1. A.

De modo quo Deus cognoscat futura libera & contingentia. pag. 4. A.

Quæ debeant supponi ad interpretationẽ huius controuersiæ.

Quid sense rit D. Thomas circa futura cõtingentia. pa. 31. B.

Dubium primum, annexum ad præcedentem assertionem. pag. 33. D.

Ad argumenta contra D. Tho. fol. 38. D.

Dubium secundum annexum, An hæc futura contingẽtia præcognoscantur certò in diuinis Idæis. pag. 42. A.

Dubium tertium annexum, vtrùm propositiones de futuro contingenti sint determinatè veræ, aut determinatè falsæ. pa. 56. D.

Maior explicatio circa sensum Aristotelis, & multorum Theologorum in propositionibus de futuro contingenti. pag. 58. D.

Quid sentiant qui sequuntur Aristotelem. pag. 63. D.

Resolutio huius dubij & propositæ difficultatis. pag. 64. A.

Solutio argumentorum quæ in principio huius controuersiæ de modo quo Deus cognoscat futura libera proposita fuerunt. pag. 71. A.

Dubium quartum. Annexum vtrùm præscientia Dei, ipsiusque causalitas lædant libertatem voluntatis creatæ. pag. 74.

Dubium quintum, annexum. Qua scientia Deus cognoscat futura conditionata, prius ratione quam de conditione ipsa aliquid absolutè decernat, & an ea certa cognoscat. pag. 96.

Ostenditur cognitio futurorum contingẽtium conditionatorum quod certa sit apud Deũ ex sanctis Patribus. pag. 109.

Rationes quibus ostenditur Deum certo, & infallibiliter cognoscere futura conditionata. pag. 114.

Obiectiones & argumenta contra ea quæ in tribus assertionibus dicta sunt. pag. 129.

Explicatio opinionũ de modo, quo Deus iuxta eas cognoscat futura conditionata, quæ nunquam erunt. pag. 139.

Vera sententia & solutio difficultatum, & quid sentiendum sit de scientia media, & de futuris conditionatis: & eorum cognitione & modo. pa. 136. A.

Animaduersio pro sententia vera contra scientiam mediam. pa. 160. D.

Obiectiones eorum qui dixerunt Deo non conuenire scientiam infallibilem futurorum conditionatorum. pag. 164. A.



INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVAE IN HOC TERTIO TOMO VARIARVM DISPVTATIONVM AD PRIMAM PARTEM D. THOMAE CONTINENTVR.

A

ACTVS liber cognoscitur in determinatione diuinæ voluntatis, & in gratia cooperãte. pa. 19.co.1.litera.A.

Actio libera voluntatis quando actu est tunc dicitur determinare diuinã cognitionem.pag. 19.col.1.D.

Liberum arbitrium, cum se determinat ad agendum, per propiam actionem se determinat pa. 19.col. 1.A.

Angelus.

SECVNDVM Caietanum substantia Angeli mensuratur æuo, non tamen eius cognitio. pag.39.col.2.D.

Sicut substantia Angeli metitur æuo, ita cognitio Angeli. pag.40.col.1.B.

Angelum coexistere tempore futuro dependet ex eo quod Deus confert Angelo esse. pag. 40.col.2.B.

Angelus ab intrinseco est incorruptibilis.pag. 40.col.2. C.

Angelus nullo modo cognoscit futura contingentia.pag.40.col.2.C.

Futura non sunt præsentia Angelo in suo æuo. pag.41.col.1.B.

Cognitio cordis occulta est Angelo.pa.40.col. 1.lit.C.

Angelus non est in actu primo ad intuitiuè cognoscendum actus liberos alterius Angeli. pa. 41,col.1.lite.D.

Æuum

ÆVVM est mensura secundùm Caietanum substantię Angeli, non tamen est mensura cognitionis Angelicæ.

AEuum non est mensura per essentiam.pag.41. col.2.B.

C

Causæ.

IN causa omnino contingenti non potest haberi cognitio certa, & infallibilis.pag.47.col. 1.B.

Cognitio.

DEVS non cognoscit per medium extrinsecũ futura contingentia.pag.9.littera.D.

Cognitioni Dei non potest subesse falsum.pag. 10.litera.A.

Cognitio Dei æternitate mẽsuratur p.29.c.2.B

Deus cognoscit in sua essentia quidquid creatum est, & quidquid creabitur.pag.53.c.1.A.

Cognitio futurorum de sumitur ex infinita cognitione Dei.pag.64.c.2.litera. C.

Deus nõ solùm cognoscit omnia possibilia in comuni, sed etiam in particulari.pagin.151.col. 2.litera.B.

Coexistentia.

COEXISTENTIA fluentium circa instans non exigit existentiam vtriusque fluentis. pag.39.col.1.B.

Duo instantia licèt non coexistent inter se coexistunt tamen tertio.pag.39.col.1.B.

Coexistẽtia ad æternitatem in scientia futurorũ contingentium est necessaria.pa.30.co.1. C.

D

Deus.

CERTISSIMVM est secundùm fidem quod in Deo est scientia futurorum contingentium.pag.1.A.

Quod Deus cognoscit futura contingentia probatur ratione naturali. pag.2.B.

Deus dupliciter cognoscit futura contingentia libera.pag.12.col.1.B.

In Deo autem reperitur necessitas secundùm quid.pag.22.col.1.C.

Deus cognoscit futura cõtingentia libera per simplicem intuitũ veritatis eorũ.p.23.c.1.B.

Licèt Deus non esset futurorũ, tamen si esset infinitæ virtutis & perspicacitatis vt nũc est de facto, de dubio cognosceret infallibiliter futura contingentia.pag.23.col.2.A.

Licèt res non dicerentur esse præsentes Deo secundum realem existẽtiam vel coexistentiã, tamen negari nõ potest quod res ipsæ sint obiectinæ coram Deo.pag.425.col.2.D.

Deus in mensura æternitatis verè cognoscit omnes res à posteriori.pag.27.col.1. C.

Deus extra se operatur omnia & quæ sua decreta non solũ voluntariè, sed etiam liberè.pag. 157.col.1.A.

In Deo non reperitur necessitas, quoad specificationem respectu obiecti.pag. 156.c. 2. B.

Decretum.

PRIVS est decretum diuinum quam res sit futura.pag. 11.col.2.A.

Deus habet decretum voluntatis suæ distincte & quasi sigillatim circa singula quæ in tempore est operaturus.pag.11.col.1.D.
Decretum hoc Dei liberum,& æternum solùm addit voluntati diuinæ respectũ rationis. pa. 16.col.1.B.
Iste respectus non est de intrinseca ratione ipsius decreti.ibidem.
Quid sit illud quod addit ipse respectus decreto Dei.pag.71.col.2.C.
Decretum hoc non lædit libertatem.ibidem.
Decretum hoc quamuis sit antecedens vel concomitans ex eo sumitur egregium argumentum à priori,ad ostendendam infallibilitatem diuinæ prouidentiæ.pag.16.col.2.B.
Deus non habet decretum de peccato. pag. 17. col.2.C.
Futurum vt futurum est secũdùm nostrum modum cognoscendi verè supponit decretum tã quam causam.pag.24.col.2.D.
Ex diuino decreto tanquam ex causa res futura est.pag.25.col.1.B.
Diuinum decretum de futuris contingentibus non supponit scientiam mediã.pa.71.c.2.B.
De fide est quod in Deo sunt libera decreta circa futura.pag.172.col.1.B.

E

Electio.

DATVR electio ad gloriam absoluta & efficax antecedenter ordine rationis ad omnem visionem seu præuisionem nostri concursus.pag.121.col.2.C.

Æternitas.

ÆTERNITAS est tota simul,& ambit omne tempus.pa 35.col.2.B.
Quando res sunt in æternitate,& quando dicantur existere.pag.138.col.1.C.
Licèt æternitas sit tota simul,tamen futura contingentia nullam habent existentiam,ita vt prius in æternitate quàm in tempore fiant. pag.35.col.2.C.

Effectus.

EFFECTVS necessarij continentur in causa necessaria.pag.46.co.2.D.
Effectus liberi & contingentes,neque in sua causa necessariò determinata ad vnum,neque in causa operante cum modo necessario.ibidem.
Effectus duobus modis dicitur futurus.pag. 97. col.1.
Falsum est nullum effectum decreuisse Deum libere qui non sit re ipsa futurus in hoc vniuerso.pag.169.c.1.B.

Essentia.

DIVINA essentia considerata prius ratione quam scientia cognita vel cognoscens a se non potest intelligi vt exemplar creaturarum secundùm earum rationes.pagi. 51. colun 2.C.
Diuina essentia quomodo sit imitabilis creaturis,pag.52.col.1.A.

Exemplar.

EXEMPLAR est forma quædam actionis & informans ipsum agens intellectuale.pagin.25.col.1.B.
De ratione exemplaris est quod sit quędam forma quæ contineat rem exemplatam.pag.51. col.2.C.
Licèt exemplar non necessariò cognoscatur vt obiectum quod,tamẽ necessariò debet cognosci.pag.52.c.2.D.

F

Futurum.

EXPLICATVR quid sit aliquid esse futurum pag.119.c.1.D.
Futuritio dicit ordinem ad existentiam, & non ad essentiam,pag.120.c.2.B.

Futura contingentia.

TRIA sunt genera futurorum contingẽtium pag 2.D.
Futura contingentia alia sunt ab intrinseco,alia ab extrinseco.pag.3.col.1. C.
Ex quibus causis proueniant futura contingentia.pag.10.C.
Futura contingentia sunt illa quæ habent dependentiam contingentem à libero arbitrio vel immediatè,vel mediatè.pag.10. col.2 B.
Futurum contingens liberum in duplici statu potest considerari,pag.11.c.2.D.
Futura contingentia libera non sciuntur à Deo in suis causis proximis cõtingentibus, neque in comprehensione nostri liberi arbitrij,neq; in comprehensione præcissa motiuorum moralium.pa.18.c.2. A.
Quid sit effectũ contingentem cognosci in sua causa.pag.19.c.2.B.
Aliquando effectus quamuis sit contingens nõ cognoscitur vt formaliter contingens. pag. 20.c.1.D.
Ex parte Dei principia huius cognitionis futurorum contingentium est sua diuinitas,sua essentia.pag.24.c.1.D.
Certum est propositionem affirmatiuam de futuro cõtingenti nũquam potuisse esse veram ex parte durationis, sed ab æterno fuisse veram.pag.26.c.2.D.
Quid sentiat D. Thom. de cognitione futurorum:& explicatur.pag.28.c.1.C.
Effectus contingens non cognoscitur in sola virtute causæ.pag.30.c.2.B.
Quomodo Ludouicus à Molina explicet Diuũ Thom. circa cognitionem futurorum contingentium.pag.81.c.1.B.
Quæ præsentia requiratur secũdùm D. Thomã ad cognitionem futurorum contingentium. pag.32.c.2.D.&.pag.35.c.2.A.
Quid Caietanus senserit de cognitione futurorum secundùm beneplacitum sanctissimi præceptoris.pag.33.col.2.D.
Futura contingentia licèt successiuè,non tamẽ

cognoſcuntur niſi ſimul à Deo.pa.36.c.1.C.
Futura contingentia ſolùm dicuntur coexiſtere æternitati,niſi pro eo inſtanti aut duratione in qua habitura ſunt exiſtentiam, & non antea.pag.38.c.2.A.
Futurum contingens,vt contingens, non habet veritatem determinatam.p. 63.c.1.D.
In Deo nulla eſt futuritio in ſuis actibus ad intra. pag.145.c.2.C.
Quæ prædefinitio præſupponat ſcientiam futurorum contingentium.pag.176. A.
A nobis ignoratur qualis ſit modus cognoſcibilitatis futurorum contingentiũ.p. 177.c.2.A

Futura conditionata.

ALIQVI putauerunt Deum non cognoſcere futura conditionata.pag.98.co. 2.D.
Futura conditionata non ſunt verè futura, ſed ex hypotheſi.pag.102.c. D.
Deus cognoſcit futura conditionata certò,& infallibiliter. pag.103.
Hęc cognitio futurorum conditionatorũ probatur ex Sacra ſcriptura ibi, & ex Patribus. 109. c.2.D.
Probatur etiam rationibus.pag. 114.colu.2.D.
Ad perfectionẽ diuini intellectus pertinet cognoſcere futura conditionata.pag. 115.c.1.D.
Deus cognoſcit futura contingentia conditionata quæ habẽt connexionem & illationem vnius ad alterum contingentem. pag.120.
Propoſitiones de futuro conditionato non ſunt indeterminatæ & quaſi ſuſpenſæ,ſed determinatæ.pag.124.c.2.D.
Diuerſi modi explicandi quomodo Deus cognoſcat hęc futura conditionata quę non erũt. pag.130.c.2.B.
Reijcitur Molina in cognitione futurorum conditionatorum. pag.142.c.1.C.
Certum eſt in Deo eſſe multa decreta libera circa futura conditionata.pag.149.c.1.D.
Futura cõditionata nõ cognoſcũtur certò & infallibiliter in ſuis cauſis ſecũdis.p.150.c. 1.D.
Non eſt improbabile dicere Deum certò & infallibiliter cognoſcere futura conditionata,nõ quidem in decreto includente conditionem in obiecto aliquo abſoluto futuritionis, ſed etiam in decreto includente conditionem in obiecto.pag.153.col.1.D.
Futurum conditionatũ quomodo dicatur determinatum.pag.170. col. 2.D.
Quomodo de futuro cõditionato detur propoſitio ſempiternæ veritatis.pa.171.col.2.C.
Futura conditionata ſunt cognoſcibilia,nõ quidem ex vi penetrationis connexionis cum conditionibus ſupponendis.pa.177.co.2. C.
Omnia futura,ſiuè libera,ſiuè conditionata habent determinationẽ ſuæ exiſtentiæ. p. 177. col. 1.B.

G

Gratia.

SICVT gratia cooperans non lædit noſtram voluntatem,ita neque gratia efficax nõ lædit libertatem.pag.21.c.2.D.
Gratia cooperans ſimul cum voluntate facit vnum principium.pag.22.col.2.D.
Quomodo intelligatur quod gratia producatur & efficiatur à ſolo Deo.pag.22.col.2.A.

I.

Indifferentia.

INDIFFERENTIA eſt duplex.p.70.c.2.D.
Indifferentia ſiue contingentia conuenit effectu in quantum eius propria cauſa concurrit ad ipſum cum indifferentia ad vtramque partem.pag.171.c.2.D.

Idea.

IDEA (ſecundùm Caietanum) & ratio ſe habent ſicut ſuperius & inferius.pagin.42. col.1.C.
Quid ſentiat Scotus de cognitione futurorum per ideas .pag.42.c.2.A.
Molina putat Ideas eſſe certam rationem cognoſcendi futura cõtingentia, & impugnatur. pag.45.c.2.B.
Idea eſt quædam forma exemplaris quam artifex aſpiciens inſtans illius aliquid operatur & agit.pag.49.c.2.C.
In Deo idea eſt ipſa diuina eſſentia ibi.
Diuina eſſentia non eſt idea prout eſt ſpecies intelligibilis, neque prout eſt eſſentia ſolùm, neque prout eſt ars . pag.50.c.1. D.
Eſſentia diuina ſecundũ quod repræſentat creaturas omnes eſt earundem rerum idea.pagin. 50.c.2.C.
Deus per ideas verè cognoſcit futura contingẽ gentia.pag.51.c.1.D.
Ideę ſunt ipſa eſſentia diuina quatenus identificatur cum cognitione eius,continente rationes rerum omnium. pag.52.col.2.B.
Idea non eſt ratio obiectiua proxima concurrens ad cognitionẽ creaturarũ,niſi per modũ actus intellectualis,nõ verò per modum obiecti.pag.53.c.2.C.
Aliud eſt ideam eſſe exemplar ad cuius ſimilitudinem res fiunt, aliud verò eſt habere rationem cognitionis reſpectu futurorum.pagin. 54.c.1.A.
Idea quamuis non ſit libera,tamen ſupponit libertatem ad complexionem contingentem repræſentandam.pag.55.c.1.B.

L.

Libertas.

QVAE determinatio lædat libertatẽ, & quæ non.pag.70.c.2.C.

Locus.

PROBABILE eſt quod Deus non ſolum eſt in locis veris per ſuam immenſitatem,ſed etiam in imaginarijs.pag.39.c.2.B.

M.

Mutatio.

DVPLEX eſt mutatio.pag.170.c.1.D.
Quid ſit mutatio Phyſica. ibi.C.

N.

NOTITIA intuitiua & simplicis intelligentiæ, solùm distinguuntur ex conditione obiecti, scilicet ex existentia. p.32.c.1.D.

Peccata.

ALIA est ratio in Deo cognoscendi bona opera, & alia est ratio cognoscendi peccatum.pag.17.c.2.B.

Peccata non habent Ideam imitabilem in Deo. pag.51.c.1.B.

Præscientia.

IN obiecto præscientiæ clauditur ipse concursus. Dei.pag.6.A.

Cum quæritur vtrum Deus præsciat futura contingentia nulla difficultas est ex parte principij cognoscentis,cùm Deus habeat infinitũ intellectum, sed ex parte modi quo Deus vtatur.pag.9.C.

Nullum est futurum sine aliqua prædefinitione Dei circa illum.pag.11.c.1.A.

Certitudo præscientiæ inter plures rationes suę infallibilitatis vna desumitur a priori ex decreto ipsius.pag.12.c.2.B.

Propositiones de futuro.

VERITAS propositionum de futuro contingẽti determinatè præcognoscũtur a Deo. pag.64.col.2.A.

Propositiones de futuro contingenti antecedentes ad Dei voluntatem æternam ipsiusque decretũ aut cognitionem actualem,nõ habent determinatã veritatem, quamuis ab æterno ex parte durationis fuerint determinatè veræ aut falsæ.pag.65.col.1.A.

Propositio determinatè vera est triplex. pag. 65.col.1.C.

Propositiones quæ à nobis enunciãtur de futuro determinatã habent veritatẽ suæ futuritionis antequã in tempore fiant.pa.65.col.2.C.

Respectu futuritionis veræ alicuius rei omnes propositiones negatiuæ de futuro sunt determinatè falsæ, sicut respectu rei nunquam futuræ omnes affirmatiuę de futuro quod erit sunt falsæ.pag.69.col.2.D.

Determinatio propositionum de futuro cõtingenti non aufert contingentiam rerum aut libertatem.pag.70.col.1.C.

Prædefinitio per modum intentionis non potest negari.pag.122.col.1.A.

R.

RES præsentes dupliciter possunt esse præsentes æternitati.pag.35.col.1.A.

Quomodo intelligatur res temporales esse præsentes æternitati.pag.35.col.2.D.

Res creatæ consideratæ in propria mensura & duratione non coexistiterunt Deo ab æterno.pag.37.col.1.C.

Res his non producuntur ex eo quod actu pẽsãtur in tempore.pag.89.col.1.A.

Res est terminus mediatus cognitionis Dei.pa. 39.col.2.B.

S.

Scientia.

SCIENTIA futurorum reperitur in Deo secundum fidem.pag.1.A.

Scientia rerum cõtingentium ita est proprium attributum Dei vt nulli intellectui creato cõuenire possit.pag.2.D.

De modo quo Deus habeat scientiam circa futura contingentia ponuntur tres sententiæ. pag.4.col.1.A.

Scientia media.

DIVISIO scientiæ in naturalem, & liberam est sufficiens.pag.136.col.1.A.

Sufficientia diuisionis huius probatur ex sanctis Patribus,& ex rationibus. ibidem.

Inconuenientia quæ sequuntur ex scientia media.pag.138.col.2.B.

Impugnatur rationibus scientia media nouiter introducta.pag.141.col.2.D.

V.

Voluntas.

VOLVNTAS permittendi peccata duo includit.pag.17.col.2.C.

Voluntas concurrendi ad actionem realem bonam necessaria est ad omnem actum.pag.17. col.2.C.

Quicunque influxus voluntatis non est nisi in aliquem actum secundum elicitũ ab ipsa voluntate.pag.18.col.2.D.

Iste influxus voluntatis non est vnum ex antecedentibus in causa libera ad actum liberum efficiendum,sed est ipsa effectio actus liberi. ibidem.

Determinatio voluntatis quæ ab eo actiuè & liberè fit tanquam à causa proxima non est actus primus aut habitus.pag.20.col.1.A.

Quomodo voluntas se determinet.pa.2.c.2.B.

Si voluntas solùm reciperet gratiam sufficientem aut præuenientem præcise,tunc non posset cognosci effectus in ipsa voluntate. pag. 21.col.1.D.

Voluntas non solum mouetur à Deo,verum & ipsa se mouet & determinat,non solùm quia efficienter agit & operatur suam actionem, sed etiam quia iam agit suo modo libero.pag. 72.col.2.A.

Determinatio voluntatis humanæ dependet à diuina,non tamen è contra.pag.73.col.2.D.

Vbi est connexio obiectorum etiam est connexio voluntatum.pag.168.col.2.C.

INDEX LOCORVM
Sacræ Scripturæ.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Geneſi.

Capite. 3. NVNC ergò ne forte mittat manũ ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. 99. A.

Capit. 11. Ecce vnus eſt populus, & vnum labium omnibus, cœperunt́q; hoc facere, neq; deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant. 108. B.

Ex Exodo.

Capite. 4. SI non crediderint tibi, neque audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis, quod ſi nec duobus quidem his ſignis crediderint, neque audierint vocem tuam, ſume aquam fluminis, & diffunde eam ſuper aridã, & quidquid hauſeris de flumine vertetur in ſanguinem. 99. B.

Ex Deuteronomio.

Capite. 4. CVSTODITE igitur ſollicitè animas veſtras, ne fortè decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem maſculi vel feminæ. 99. B.

Ex libro primo Regum.

Capite. 8. INCLINET cor noſtrum ad ſe Dominus, 137. A.

Capit. 23. Deſcendet Saul in Ceilam, & hi tradent te. 103. A. & 108. A.

Ex tertio Regum.

Capit. 11. CERTISSIME enim auertent corda veſtra vt ſequamini Deos alienos. pagin. 108. A. & B.

Ex quarto Regum.

Capit. 13. SI percuſſiſſes quinquies aut ſexies ſiue ſepties, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſummationẽ. 103. A. & 178. B.

Capit. 20. Diſpone domui tuæ quia morieris, & non viues. 120. A.

Ex Pſalmis.

Pſalm. 5. QVONIAM non Deus volens iniquitatem tu es. 156. B

Pſalm. 32. Qui finxit ſigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. 10. A.

Pulchritudo agri mecum eſt. 84. A. Pſalm. 40.

Cor mundum crea in me Deus. 137. A. Pſalm. 50.

Si populus meus audiſſet me, Iſrael ſi in vijs meis ambulaſſet, pronihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem. 150. A. Pſalm. 80.

Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua. pagina 137. A. Pſal. 118.

Intellexiſti cogitationes meas de longe, ſemitam meã & funiculum meum inueſtigaſti, & omnes vias meas prænidiſti, quia non eſt ſermo in lingua mea, ecce Domine tu cognouiſti omnia nouiſsima, & antiqua, tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manũ tuam. 1. A. & 28. A. & 30. B. Pſal. 138.

Ex Prouerbijs.

OMNES viæ hominum patent oculis eius. 31. A. Capit. 16.

Ex Sapientia.

RAPTVS eſt ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. 30. B. 32. B. 108 B 113. A. & 137. B. Capite. 4.

Scit verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum, ſigna & monſtra ſcit antequam fiant, & euentus temporum & ſeculorum, ſcit præterita & de futuris æſtimat. pagin. 1. A. & 30. B. & 33. A. Capite. 8.

Odio eſt Deo impius, & impietas eius. 156. A. Capit. 14.

Ex Eccleſiaſtico.

DOMINO Deo antequam crearentur omnia ſunt agnita. pagin. 1. A. 28. A. 30. B. & 83. Capit. 32.

Oculi Domini luciores ſunt ſuper ſolem, circunſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſcõditas partes. pag. 1. A.

Opera omnis carnis coram illo, & non eſt quidquam abſconditum ab oculis eius: à ſeculo vſque in ſeculum reſpicit, & non eſt mirabile in conſpectu eius. 1. A. Capit. 39.

Ex Iſaia.

NISI Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorra ſimiles eſſemus. 108. B. Capit. 1.

Diſpone domui tuæ quia morieris, & non viues. 63. Capit. 38.

Quis enim cognouit ſenſum Domini aut quis conſiliarius eius fuit. 3. A. Capit. 41.

Annunciate quæ ventura ſunt & ſciemus quia Dei eſtis vos. 2. A.

Abſq; me nõ eſt Deus: quis ſimilis mei vocet & denun- Capit. 44.

nuntiet,& ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum : ventura, & quæ futura sunt anuntient eis. 2. A.

Capit.45. Prædixi tibi ex tunc antequam venirent indicaui tibi,ne forte diceres:idola mea hæc fecerunt & sculptilia mea.99.B.

Capit.48. Prædixi tibi ex tunc antequam venirent indicaui tibi.1.B.

Capit.65. Inuentus sum à non quærentibus me,palam apparui his qui me non interrogabant.48B.

Ex Hieremia.

Capit.18. SI pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei,si fecerit malum in oculis meis vt non audiat vocem meam , pœnitentiam agam super bono quod locutus sum vt facerem ei.75.B.

Capit.31. In charitate perpetua dilexi te,ideo attraxi te miserans.77. A.

Capit.38. Si profectus exieris ad principes Regis Babylonis viuet anima tua:& ciuitas hæc non succendetur igne,& saluus eris tu & domus tua:si autẽ nõ exieris ad principes Regis Babylonis tradetur ciuitas hæc in manus Chaldæorum,& succẽdent eamigne & tu non effugies de manu Chaldæorum.pagina, 103.B.

Ex Ezechiele.

Capite. 3. NON enim ad populum profundi sermonis , & ignotæ linguæ,tu mitteris ad domum Israel, neq; ad populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ quorum non possis audire sermones, & si ad illos mittereris ipsi audirent te.105.B.

Ex Daniele.

Capite. 2. MYSTERIVM quod Rex interrogat sapientes, magi,arioli , & auruspices nequeunt indicare Regi, sed est Deus in cœlo reuelans mysteria,qui indicabit tibi,o Rex,quæ ventura sunt in nouissimis temporibus.1.A.

Ex Iona.

Capite.3. ADHVC quadraginta dies& Niniue subuertetur.120. A.

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex D. Mattheo.

Capit.11. VÆ tibi Corozain,væ tibi Bethsaida , quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis,olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.105.B.

Capit.24. De die illa nemo scit,neq; Angelus Dei.41.A
Nisi breuiati fuissent dies illi non fieret salua omnis caro , sed propter electos breuiabuntur dies illi. 109. A.

Capit.26. Tunc accesserunt milites,& manus iniecerũt in Iesum,& tenuerunt ipsum.Petrus vero exemit gladium, & amputauit auriculam serui principis Iudæorum.150.A.
An putas quia non possum rogare Patrem meum,& exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?150.A.

Ex Marco.

DE die illa nemo scit.41.A. Capit.13.

Ex Ioanne.

QVOD factum est in ipso vita erat.50. A. Capite.1.
Recordati sunt discipuli quia hæc dicebat,& crediderunt.1.B. Capite.2.
Cum sciret quia venturi essent vt facerent eum Regem.108. A. Capite.6.
Si me sciretis , forsitan & Patrem meum sciretis. 113.B. Capite.8.
Et nunc dixi vobis prius quam fiat vt cum factum fuerit credatis.1.B. Capit.13. &.16.
Non vos me elegistis,sed ego elegi vos.137.B. Capit.15.

Ex Epistola ad Romanos.

AN ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, tu autem secundùm duritiem tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.107.A Capite.2.
Vocat ea quæ sunt tanquam ea quæ non sunt.15.A. & 25.B.&.30.B. Capite.4.
His qui secundùm propositum vocati sunt Sancti. 110.A. Capite.8.
Non ex operibus,sed ex vocante dictum est ei , quia maior seruiet minori , vt secundùm electionẽ propositum Dei maneret,pag.182.A. Capite.9.
Et sicut quæ sunt hominis nemo nouit nisi spiritus hominis qui in ipso est,ita quæ sunt Dei nemo nouit nisi spiritus Dei.3.A. Capit.11.

Ex Epistola ad Galatas.

CREATI in eo in bonis operibus,137.A. Capite.6.

Ex Epist. ad Ephesios.

ELEGIT nos in ipso ante mundi constitutionem.76.B.&.80.&.136.B. Capite.1.

Ex Epist.2.ad Timoth.

FIRMVM fundamentum Dei stat,nouit Dominus qui sunt eius.89.B. Capite.2.

Ex Epistola ad Hebræos.

OMNIA sunt nuda & aperta oculis eius,15. A.&.30.B.&.33.A. Capite.4.

Capit. 47.

Capit. 48.

Capit. 49.

Ex Hieremia.

Capit. 18.

Capit. 31.

Capit. 38.

Ex Ezechiele.

Capit. 3.

Ex Daniele.

Capit. 2.

Ex Ioan.

Capit. 3.

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex D. Matthæo.

Capit. 11.

Capit. 24.

Ex Ioan.

Capit. 6.

Ex Actis Apostolorum.

Capit. 1.

Capit. 2.

Capit. 6.

Capit. 8.

Capit. 13. & 16.

Capit. 17.

Ex Epistola ad Romanos.

Capit. 2.

Capit. 4.

Capit. 8.

Capit. 9.

Capit. 11.

Ex Epistola ad Galatas.

Capit. 6.

Ex Epist. ad Ephesios.

Capit. 1.

Ex Epist. 2. ad Timoth.

Capit. 2.

Ex Epistola ad Hebræos.

Capit. 4.

Capit. 13.

TOMVS TERTIVS VARIARVM DISPVTATIONVM AD PRIMAM SECVNDAE SANCTI THOMAE.

AVTHORE F. FRANCISCO Çumel Doctore Theologo, & Decano Academiæ Salmanticensis.

DISCVRSVS PRIMVS
Argumentorum & difficultatum.

DISPVTATVRVS de libero hominis arbitrio, & de concordia eius cū Dei gratia & prædestinatione, & de pleriſque alijs, quæ hoc ſæculo orta ſunt, ſentio me pleriſque etiā difficultatibus premi. Vnde D. Auguſtinus ſcribens ad Valentinum Epiſtola 40. & 47. affirmat controuerſiam de concordia gratiæ & liberi arbitrij obſcuriſsimam eſſe, & à paucis penetrari. Et lib. de gratia Chriſti, cap. 47. inquit adeò abſtruſam, & reconditam eſſe quęſtionem hanc, vt cum defenditur liberum arbitrium, negari videatur gratia, & è conuerſo cum gratia defenditur, liberum arbitrium negari iudicetur. In qua re Sanctiſsimus Auguſtinus, cōtra Iulianum Pelagianum lib. 4. cap. 8. vt vindicet ſe à calumnia Iuliani, qua carpitur, inquit ſe nunquam dixiſſe negandum eſſe liberum arbitriū, ſi gratia commendetur, aut negari gratiam ſi liberum arbitrium ſtatuatur: ſed ſolum dixiſſe quæſtionem hanc vbi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia diſputatur, ita eſſe ad diſcernendum difficilem, vt quando defenditur liberum arbitriū negari Dei gratia videatur: quando verò aſſeritur Dei gratia liberum arbitriū putetur auferri. *Ego enim* ait Auguſtinus, *dixi iſtam quæſtionem ad diſcernendum eſſe difficilem, non autem dixi, non poſſe diſcerni. Multominùs ergo dicerem quod me dixiſſe mentiris, negari liberum arbitrium ſi gratia commendetur, & negari gratiam, ſi liberum commendetur arbitrium. Redde verba mea, & euanaſcet calumnia tua*, ait Auguſtinus, *nam tu abſtuliſti verba quæ dixi, & dixiſti quod ipſe finxiſti.*

D. Auguſ.

Contra Iulianum Auguſtinus.

Vt hæc à nobis aperiatur difficultas: ſanè an ſit liberum arbitrium, & quid ſit explicare oportet. Et primò quantis difficultatibus res hæc pro concordia gratiæ, diuinæque prædeſtinationis, & prędiſſinitionis ante prę uiſionem, & poſt præuiſionē operum à Deo vrgeatur explicabimus, tam hic, quam in alio volumine.

Quod igitur difficile eſt in hac parte pro gratia contra liberum arbitrium, illud eſt, quod conuerti ad Deum credere, ſeu fidelem fieri non eſt in poteſtate humanæ voluntatis ex innatis viribus, aut libertate eius. Nemo enim poteſt credere niſi vocetur, & à Deo inſpiretur, & moueatur cor eius, ſed ne-

mo habet in potestate sua, vt vel vocetur, vel à Deo tangatur, aut inspiretur. Rursus quamuis quispiam forinsecus vocetur, vt Euangelium audiat, non potest Euangelio credere prædicato, aut conuerti & fidelis fieri, nisi Deus operetur credulitatis assensum, dicente Christo: *Hoc est opus Dei, vt credatis in ipsum.* Et Ioan. cap. 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Et iterum. *Nemo venit ad me nisi cui datum est à Patre meo.* Venire autem ad Christum, ait Augustinus, est credere in Christum. Non dixit qui voluerint venire veniant, sed hi veniunt, quibus datum est à Patre meo; & quidem omnis qui credere vult credit, & nemo credit nisi volens. Sed volens nemo efficitur nisi Deo donante, nec venit ad Christum, nisi trahatur, & vocetur à Patre. Quocirca perpendendum est, quod Augustinus dixit, circa illa verba Ioan. cap. 6. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum.* In Epist. contra Vitalem, & lib. primo, de Prædestinatione Sanctorum: non dixisse Christum, Hoc est opus vestrum vt credatis in eum, sed hoc est opus Dei, vt qui iam credit non in se ipso, sed in Domino glorietur. Nam Apostolus ait ad Ephesios cap. 2. *Gratia saluati estis per fidem, & hæc non ex vobis, sed Dei donum est, ne quis glorietur.* Quapropter sapientissimus Augustinus, in infinitis penè locis ait, vt credamus, vt velimus, sine nobis operatur Deus in nobis. Gratia ergo Dei, fidem operantis, & credulitatis assensum, non est referenda ad solam vocationem vel prædicationem Euangelij, ità vt vnus quisque prædicato sibi Euangelio dicatur habere, sibi in potestate credere, & non credere ex innatis viribus, aut ex innata libertate. Nam Diuus Augusti. & in libris Retractationum, & lib. primo, de Prædestinatione Sanctorum, corrigens semetipsum sæpius affirmat Deum ipsum credendi motum, aut assensum intus agere, & operari. Igitur quamuis quisquis vult credere is credat, non tamen inde sequitur credere esse ex libera tolius voluntatis potestate seu vi, quoniam voluntas illa, qua quispiam vult credere liberè, teste Augustino Dei donum est, & non inest voluntati à semetipsa, sed est à Domino præparata mota, & inclinata. Quare sicut Sapiens capit. 8. ait. *Nemo potest esse continens, nisi Deus dederit.* Sic nemo potest credere nisi Deus dederit, quoniam Matthæi cap. 13. & Ioan. cap. 6. *Nemo venit ad Christum, nisi cui datum est à Patre.*

Ioan. 6.

D. Augus.

Apostol. ad Eph. 2.

D. Aug. in lib. Retract. & lib. 1. de Prædestinat. Sancto.

Sapien. 8.

Matth. 13. Ioan. 6.

Sanè Diuus Augustinus colligit ex Sacris Scripturis Deum prædestinantem sua prouidentia præscire bona opera, non quæ homo faciet solis viribus innatis suæ voluntatis, sed quæ Deus facturus est in homine: ipse namque est qui primo incipit, & præeundo à principio vsque in finem, qui perficit, & qui operatur in nobis velle, & qui operatur in nobis bene operari. Cum igitur hæc videatur esse sententia Diui Augustini, sequitur per hanc prædestinationem, & gratiam auferri omnem liberi arbitrij potestatem. Nam quid poterit liberum arbitrium si omne opus bonum conuersionis est donum Dei? aut diuinæ prædestinationis gratuitus effectus, si hoc fiat voluntate Dei, sic abæterno facere proponentis, ante præuisionem nostrorum operum, & non fiat ex innata potestate hominis, sed voluntate ipsius Dei?

Secundo Argumentor, ex infallibilitate prouidentiæ Dei, & ex efficacia suæ voluntatis, cum quibus non videtur posse stare libertatem, imò verò liberum arbitrium creatum non potest agere, nisi moueatur à primo libero, & à prima causa, quæ est Deus: ergo si secunda causa non agit, nisi mota à prima sequitur, quod non agit liberè sed necessariò. Nã nullo modo stare potest motio actiua sine motione passiua, nec etiam motio actualis ad agendum, & operandum sine actuali operatione, quoniam nec motio potest esse sine suo termino, nec rursus potest frustrari motio Dei, quæ ab eius voluntate efficaci procedit.

2. Argum.

Et confirmari hoc potest primo, quoniam quicunque vtitur libero arbitrio, si rectè expendatur eius essentia, habet dominium suarum operationum. Nam certè actio humana hominis seu actio deliberata eius illa est, cuius homo habet dominium, & ob id quicumque est liberi arbitrij, dominus est suorum actuum, sed homo non est dominus suorum actuum, quoniam vt habetur Hierem. cap. 10. *Non est in homine via eius, nec viri est, vt dirigat gressus suos.* Et ad Romanos, cap. 7. *Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio*: ergo homo non habet vsum liberi arbitrij. Et confirmatur secundo: nam vt Arist. 1. Metaphysicæ cap. secundo, affirmat liberum dicitur, quod est causa sui: ergo si voluntas mouetur ab alio, apertè sequitur, quod non est libera: at Deus mouet voluntatem hominis, iuxta illud Prouerbio. 21. *Cor Regis in manu Dei est*: & quocunque voluerit vertet illud. Quod testimonium explicat Paulus ad Philippens. cap. 2. dicens: *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere.* Ergo voluntas hominis non est causa sui, ac proinde non est libera, quia liberum est, quod sui causa est. Et confirmatur tertiò, quoniam liberum arbitrium dicitur illud, cuius propriũ est velle, & non velle cum quadam indifferentia operandi, vel non operandi: sed Paul. ad Rom. cap. 9. affirmat. *Quod non est volentis, nec currentis*, scilicet velle, & currere: igitur homo ratione voluntatis suæ non habet libertatem vllam.

Hierem. 10

Ad Ro. 7.

Confirm. 2. Aristot. 1. Metaph.

Prouer. 21.

Ad Philip. 2.

Confirm. 3.

Ad Ro. 9.

Tertiò. Liberum arbitrium est, quod positis omnibus requisitis ad operandum habet

3. Argum.

facultã-

facultatē, & vim non agendi, neque operandi, sed continendi potius suam actionem, sed in voluntate hominis nulla est facultas continendi suam operationem positis omnibus requisitis ad operandum: ergo semper operatur necessariò sine libertate. Maior aperta est: & minor probatur. Nam certum est, quod intellectus cognita sufficienter veritate sibi ostensa, necessariò præbet assensum, vt experimur in nobis, & ex cōsequenti, intellectus positis omnibus requisitis ad assentiendum, & sufficienter positis, est potentia de se terminata ad vnum, & ad assentiendum. Nam si aliquando non satis determinatur, id quidem solum est, ex indebita & insufficienti applicatione obiecti, vel ex rationum inter se pugnantium varietate, quæ sibi adinuicem contrariantur, & resistunt. Igitur cum intellectus sit multò perfectior potentia, quam voluntas, sequitur quod si ipse habet modum operandi cum determinatione necessaria ad præbendum assensum positis omnibus requisitis, vt dictum est, & cognita sufficienter veritate, quod pari ratione voluntas operatur cum determinatione ad vnum, & sine vlla indifferentia. Præcipuè, quoniam voluntas non operatur, nisi mota, & determinata ab intellectu: nam hic est modus proprius agendi ipsius voluntatis, cum ipsa sit potentia cæca, quæ non potest exire in actum suum, nisi ducatur ab intellectu, & dirigatur ab eo in obiectum, quod vult. Nec potest ei resistere si intellectus efficaciter moueat imperando, & denuntiando; aliàs poterit dari defectus in voluntate, quamuis intellectus nullum omnino defectum patiatur in directione, & imperio, quod exercet circa voluntatem, quod est contra morale m Philosophiam.

4. *Argum.* Quarto arguitur. Nam voluntas hominis si libera est, vel habet libertatem ante quam operetur, vel in instanti, in quo operatur, vel postea quam operata est: sed non ante quam operetur, quia cum nihil tunc operetur sequitur, quod tunc non vtitur libertate vlla, quia si non agit, non agit libere. Nec rursus in eodem instanti, in quo operatur: quia tunc sicut res quando est, necesse, est esse, ità quando operatur necessariò operatur. Neque etiam est libera postquam operata est & voluit, quia tunc iam euanuit, & fugit eius operatio voluntaria.

5. *Argum.* Quinto argumentor argumento Sancti Thomæ Prima Secundæ, quæstio. decima, articulo quarto. Nam omne agens, cuius potentia est infinita, & cui resisti non potest ex necessitate mouet, si vult aliquid, absolute, & re vera fieri: sed Deo resisti non potest, iuxta illud Pauli, ad Romanos, cap. 9. *Voluntati eius quis resistit?* Ergo Deus. cum mouet voluntatem hominis ipsa necessariò mouetur, & non libere. Nam certè si ponatur, quod voluntas non velit hoc, ad quod Deus eam mouet, sequitur tunc, quod operatio Dei esset inefficax: ergo non est possibile voluntatem non velle hoc, ad quod Deus eam mouet in actu secundo: ergo tunc necessario vult illud, ad quod Deus eam mouet: ergo non libere operatur. Hoc argumentum proposuit Sanctus Thomas loco citato, pro parte negatiua ad impugnandam veritatem libertatis, & nos illud idem recensuimus, vt in hac parte notum sit omnibus Catholicis, quod eisdem argumentis aduersus nos concluduntur aduersarij, quibus vsi sunt inimici religionis, & quibus vtitur Diuus Thomas non vt illis concludatur, sed vt illis, etiam satisfaciat, & respondeat secundum antiquam doctrinam. *S. Thom.*

6. *Argum. Ad Ro. 11* Sexto argumentantur Hæretici ex testimonio Pauli ad Romanos. 11. *Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Et rursus: *Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Et ex illo *Deus operatur omnia in omnibus.* Præcipuè etiam obijciunt illud Hierem. cap. 16. *Scio Domine, quod non est hominis via eius, nec est viri dirigere greßus suos.* Ex quibus locis Philippus Melancth. Caluinus, Martinus Lutherus, & sui intulerunt Deum necesitare hominem in vniuersis suis actionibus, & non operari neque agere libere. Maximè cum Paulus. 1. Corinth. ca. 12. dicat, *Quod Deus agit omnia in omnibus.* Et 2. Corinth. cap. 2. *Non sumus sufficientes Cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et Ioann. cap. 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Alia etiam coaceruant testimonia male ab eis intellecta. ex quibus pessimè colligunt citati hæretici, quod si non est in homine via eius, aut si homo trahitur à Patre ad Christum, quod homo non est sui Dominus, ac proinde, quod non est liber. Nam ex Catholicis Scripturis, & Patrum sententijs volunt ineptas formare consequentias. Colligunt etiam hæretici ex Sanctorum Patrum dictis, & Catholicis testimonijs hæreticas similiter consequutiones, vt probent necesitari voluntatem hominis à Deo in actibus suis siue bonis, siue malis, de qua re legendus est inter Iuniores, Ruardus Tapper, artic. septimo, de Libero arbitrio, & Driedo, de Concordia liberi arbitrij. Et Robertus Bellarminus lib. tertio, de Gratia, & Libero arbitrio, præcipuè capitulo sexto, & alibi. Et Roffensis, artic. 36. contra Lutherum. *Hierem. 16* *Paul. 1. Corinth. 12 & 2. Corinth. 3. Ioan. 16.* *Ruard. Tapper. Driedo & Bellar.*

Deniq́ue hæretici obijciunt contra libertatem arbitrij nostri, & contra Catholicam doctrinam, omnia illa argumenta, in quibus à Sanctis Patribus, ità commendatur diuina gratia contra Pelagium, quod videtur lædi liberum arbitrium, vt perpendit Diuus Augustinus, libro primo, de Gratia Christi, capitulo quadragesimoseptimo. *D. August. li. 1. de Gratia Christi.*

Quod ſanè maximè confirmant, ex eo, quòd Deus prædiffiniuit omnia, ac proinde infallibiliter euenient, quia non eſt in poteſtate hominis reddere ineffícacem, aut caſſam, Dei voluntatem præſcientiam, & prædiffinitionem, nam quidquid homo faciat, ſemper eueniet, quod à Deo ſancitum, & ſtatutum eſt. Et hæc argumenta ſufficiant modo pro difficultatibus in hoc primo diſcurſu occurrentibus, vt deinceps gradum faciamus ad oſtendendam libertatem noſtram, rationem atque quidditatem eius.

DISCVRSVS II.

In hoc Diſcurſu agitur, Quid ſit liberum arbitrium, & quid cauſa neceſſariò agens, vt à libera diſtinguitur.

ANTIQVI Theologi, & Sancti Patres nihil magis exploratum habuerũt, quam in nobis eſſe liberum arbitrium idque experiebantur in ſeipſis, maxime cum ex diuina gratia mouebantur ad pia, & bona opera. Theophilus Alexandrinus, in lib. ſecundo Paſchali dixit: *Theophilus Alexand.* *Liberum arbitrium eſſe facultatem quandam operandi, & non operandi, quod bonum eſt*, quam diffinitionem vt veriſsimam receperunt poſteriores ipſo. Quocirca Magiſter Sententiarum lib. ſecundo, diſtinct. vigeſimaquarta, *Magiſt. Sẽten.* hanc conficit diffinitionem: *Liberum arbitrium, eſt facultas rationis, & voluntatis, qua bonum eligitur gratia aſsiſtente, vel malum eadem deſiſtẽte.* Quæ ſanè diffinitio colligitur ex D. Auguſtino in Enchirid. cap. 106. vbi affirmat liberum arbitrium per ſe poſſe malum eligere, bonum autem non poſſe niſi gratia adiuuante. In qua diffinitione obſeruare oportet, non eſſe de quidditate liberi arbitrij habere facultatem male agendi, aut poſſe flecti in bonum, & in malum; ſed ſolum eſſe de eſſentia eius, poſſe velle, & non velle; poſſe operari, vel non operari; quæ ſanè facultas dicta eſt à Theologis antiquis libertas cõtradictionis. Vnde poſſe velle malum magis eſt defectus liberi arbitrij, quam natura ipſius, & ob id poſſe flecti in bonum, & in malum pertinet ad facultatem contrarietatis, ſeu ad libertatem contrarietatis ex eo, quod liberum arbitrium creaturæ eſt defectibile.

Ruard. Tapper. arti. 7. contra Lutherum. Roffenſ. ar. 36.

Decanus Louanienſis, Ruardus Tapper, cui ſubſcribit Roffenſis, articulo ſeptimo, de libero arbitrio, volens explicare, quid ſit, inquit: *Liberum arbitrium eſt facultas, qua poſitis omnibus requiſitis ad eligendum, & agendum poſſumus non eligere, & non agere.* Et vt hanc Ruardus explicet diffinitionem dicit: Liberum arbitrium tale eſſe, quod omnibus ſimiliter ſe habentibus, quando eligimus poſſumus non eligere, & refutare: & quando non eligimus, poſſumus eligere, à qua quidem facultate cauſa aliqua dicitur libera, & agens liberum. Hoc poſſumus ampliùs aperire ex ratione cauſæ naturalis. Nam cauſa naturalis eſt, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum neceſſariò agit, & non poteſt non agere, cuius rei cauſa eſt, quod ipſa de ſe eſt neceſſariò determinata ad vnum, & non ſe determinat, neque ſe agit ſicut cauſa libera, quæ eſt voluntas. Robertus Bellarminus libro tertio, de Gratia, & Libero arbitrio, cap. tertio, tomo tertio, colligit diffinitionem liberi arbitrij ex doctrina Sancti Thomæ, hoc pacto: *Liberum arbitrium eſt libera poteſtas ex ijs, quæ ad finem aliquem conducunt, vnum, præ alio eligendi, aut vnum, & idem acceptandi, vel pro arbitrio reſpuendi, intelligenti naturæ ad magnam Dei gloriam attributa*, in qua ſanè diffinitione verba illa: *Libera poteſtas*, explicant formam, & rationem liberi arbitrij, nam liberum arbitrium non eſt actus ipſe liber, neque habitus, qui eſt principium actus; ſed potentia & facultas, & hoc eſt veluti genus liberi arbitrij. Vox autem illa *Libera* dicit differentiam: quoniam liberum arbitrium eſt potentia indeterminata, & quæ ſe determinat. *Robertus Bellarm.* *D. Thom.*

Hieronymus Hangeſtus in ſpeciali tractatu de libero arbitrio, & eius coefficientia cenſura prima contra Lutherum, tradens eſſentiam, & diffinitionem liberi arbitrij ſic ait. *Non eſt liberum hominis arbitrium figmentum in rebus, ſeu titulus ſine re; neque omnia de neceſsitate abſoluta eueniunt; quinimò eſt in homine vis quædam ad oppoſita liberè flexibilis, cuive ad contraria eſt libera facultas, qua duorum vnum, aut alterum, quod libuerit, eligat homo, quam voca quo nomine voles, de re ipſa diſſero, tritam non repudiaturus nomenclaturam.* Et paulò inferiùs, inquit: *Proferamus præterea in medium aliam huiuſce libertatis diffinitionem, & diffinitiuam explanationem locupletiſsimam Eccleſiaſt. capit. 15. Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui: adiecit mandata, & præcepta ſua; Si volueris mandata conſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam ſeruare. Appoſuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam: ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* Ecce quàm appoſitè, & venuſtè exprimitur à Salomone liberum arbitrium eiuſque natura, & libertas. Et idcircò recentes Theologi huius ætatis dicunt, liberũ arbitrium eſſe, quod poſitis *Hieronym. Hangeſtus.*

omni-

omnibus requisitis ad agendum, potest agere, & non agere.

Vt aperiamus ex prædictis diffinitionibus conditionem, & naturam libertatis, & liberi arbitrij explicare oportet, quid sit causa necessariò agens, vt inde colligamus è conuerso quid sit libertas, & in quo consistat & quid sit causa libera liberumque arbitrium. Causa igitur necessaria, & quæ necessariò operatur est illa, cuius principium intrinsecum ex sua natura habet modum necessariò agendi, ità vt positis requisitis ad agendum necessariò operetur, cum quadam determinatione necessaria: quod sanè prouenit ex intrinseca determinatione, & conditione naturæ, si semel adsint omnia necessaria ad agendum. Semper enim supponenda est causa proximè apta, & sufficiens cum omnibus conditionibus requisitis ad agendum. (Hoc enim est commune omnibus causis in vniuersum etiam liberis: quod vt agãt supponendæ sunt omnes conditiones requisitæ & necessariæ.) Nam certe si aliqua ex requisitis conditionibus deficiat, non sequetur actio, & hoc non ex indeterminatione, vel indifferentia causæ naturalis, sed ex defectu virtutis, aut subordinationis, aut alterius conditionis necessariæ ad operandum, & ob id supponi debent omnia, quæ sunt præuia ad actionem. Hinc constat, quod quoniam Deus disponit omnia suauiter, & causa necessaria cum suo modo necessariò agendi dependet à Deo, quod ipsa postulat Dei influxum & cõcursum, qui det ex se modũ necessariò agendi in actu primo, & secundo. Nam hunc talẽ postulat causa necessaria, sicut causa libera postulat alium concursum & influxum non necesitãtem seu alterius conditionis in modo agendi.

Obiectio. Sed dices, Brutum ex parte appetitus habet indifferentiam ad duo obiecta æque bona & amabilia, & ad neutrum eorum determinatè mouetur: ergo per hæc, quæ diximus non satis explicatur causa necessaria vt distinguitur à libera, eò præsertim, quod causa naturalis, quãuis secundum se sit determinata ad generationem formæ in sua specie, tamen est, indifferens ad diuersa, & varia indiuidua suæ speciei. *Solutio.* Respondetur tamen, brutum eiusque appetitum sensitiuum determinatum esse ad bonum sibi conueniens, & vlteriùs determinari ad hoc bonum, & ad hoc obiectum amabile ex iudicio infixo, & à natura indito, & determinato sine vlla conferentia & collatione, quapropter conditio indifferentiæ per se considerata, quæ conuenit agenti libero est repugnans cum propria determinatione agentium naturalium, & quæ necessariò agunt: quia his agentibus naturalibus proprium, & intraneum est esse ad vnum determinata, & ex consequenti non possunt habere indifferentiam per se & ex se. Vnde non satis est in causis necessariò, & per modum naturæ agentibus, quod secundum communem rationem sint determinatæ ad vnum. Nam hoc modo posset aliquis instãdo dicere, etiam agens liberum esse determinatum ad vnum in communi, hoc est ad bonum sub ratione boni, sicut naturale agens est determinatum ad vnum in specie, sed vlteriùs requiritur, quod quando operantur hîc & nunc & in indiuiduo operentur cum determinatione necessaria ad vnum suppositis conditionibus requisitis ad agendum: & ita euenit in brutis: vt quoniam in eis requiritur necessarium iudicium à natura infixum, sine collatione & conferentia, idcircò cum agunt hic & nunc in indiuiduo, tunc operantur ex tali iudicio determinato à natura infixo cum suo modo necessario, & ita non possunt non agere. Hinc colligitur, quod si illa obiecta simul æque obijciantur bruto & simul repræsententur æque bona, & amabilia, simul etiam amabuntur, sed nihilominùs in exercitio consequutionis prius ad vnum, quam ad alterum consequendum moueretur, non quidem ex se, sed ex aliqua conditione indiuiduali, & ex aliqua circunstantia impellente & instigante, vt moueatur versus illam partem. Tandem si semel concedimus æqualem apprehensionem, & æquales circunstantias in omnibus, & per omnia, non tantum respectu appetitionis, sed etiam respectu exequutionis, nunquam debemus affirmare in appetitu bruti esse facultatem se determinandi, aut se agendi, prouenientem ex iudicio collatiuo potiùs ad vnum, quam ad aliud, idque propter carentiam libertatis formalis, & radicalis. Ex quibus colligo indeterminationem illam bruti, ad illa duo obiecta non prouenire ex indifferentia propria, sed magis ex necessitate quadam naturali, & determinatione in modo operandi, & maximè ex defectu conditionis necessariæ adsic operandum & agendum: qui sanè defectus prouenit ex causis adinuicem æqualibus in suo genere, & sibi etiam inuicem resistentibus. Quoniam non potest appetitus sensitiuus agere seu operari, nisi facta sufficiente propositione, & motione obiecti; & quidem in casu argumenti deficit hæc motio, & propositio obiecti; ob id quòd nullum illorum obiectorum concipitur, & apprehenditur absolutè, vt amandum, & prosequendum vt oportet, & vt necessarium est, ad hoc vt sequatur effectus ipsius appetitus necessariò. Itaque ratio cur apprehensio seu iudicium illud necessarium in casu illo non habetur, est, quia vt dictum est obiecta illa se se mutuò impediunt, non ob aliud, nisi quia in suo modo causandi mouent æqualiter, & resistunt æqualiter, & ex consequenti non adsunt, neque concurrunt conditiones necessariæ ad agendum, quales requiruntur in his causis naturalibus.

Quocirca Aristoteles egregiè, in hoc dicit esse differentiã inter potẽtias naturales, & po- *Aristot.*

tentias liberas, quod potentiæ naturales non ſunt ad oppoſita, aut contraria, ſed ſolum ad vnum oppoſitorum præciſè, potentiæ autem liberæ ſunt ad oppoſita, & ad contraria, quod quidem intelligendum eſt abſolute, & per ſe loquendo, cæteriſque omnibus eodem modo ſe habentibus. Nam in cauſis naturalibus per accidēs cōtingit ex effectu eiuſdem agentis naturalis ſequi effectus valde diuerſos, imò verò & cōtrarios, vt in agente per antiperiſtaſim: & aliquando idem euenit ex diuerſitate, & varietate diſpoſitionis materię: Sol enim liquefacit cęram, lutum verò indurat. Prætereà etiam ex vario multarū cauſarum concurſu, euenit vt Sol etiam ad varios & repugnantes effectus concurrat, ità tamen quod ſemper agit cum naturali quadam neceſsitate ſeu determinatione neceſſaria; ſuppoſitis quidem omnibus cauſis ſimul concurrentibus. Imò verò ſol quantum ex ſe eſt ſemper inchoat eodem modo actionem, ſcilicet calefaciendo & illuminando, & deinceps iuxta paſsi diſpoſitionē, & iuxta concurſum aliarum cauſarum, eadem prorſus neceſsitate ſequitur proportionatus effectus. Vnde ortum habuit proloquium illud. *Idem ſecundum idem, ſeu eodem modo ſe habens, tàm in ſe, quàm reſpectu aliorum ſemper natum eſt facere idem.* Ex quo vlteriùs infertur, & ſequitur nullam in agentibus naturalibus eſſe indifferentiam, ad oppoſita, & contraria; ſicut habent agentia libera, nunquam enim agentia naturalia per ſe ſola præciſe poſſunt efficere contraria, ſed ſi faciunt, id quidem eſt propter alias varias, & diuerſas cauſas adiunctas & concurrentes, quibus poſitis neceſſariò agunt vnum, aut alterum effectum.

Obiectio. Dices adhuc non ſatis explicari à nobis ratione cauſę naturalis per ſe loquēdo, vt diſtinguitur à cauſa libera liberè agente. Nam cauſa naturalis quamuis determinata ſit ad vnum in ſpecie, ſicut voluntas eſt determinata ad bonum vt ſic, ſeu ad bonum in communi, tamen non eſt determinata cauſa naturalis ad vnum effectū in ſingulari, ſed potiùs eſt indifferens ad plures: & in generatione quam naturalia agentia prætendunt licet agens naturale ſit determinatum ad producēdam propriam formam, quia naturale eſt omnibus viuentibus generare ſibi ſimile ſecundum ſuam ſpeciem, tamen agens illud eſt indifferens ad illius ſpeciei varia & diuerſa indiuidua.

Hæc obiectio difficilis viſa eſt pleriſque in hac parte: & in ea etiam inuolutè petitur, vnde habeat cauſa ſecunda, quod determinetur ad hunc numero effectum hìc & nunc producendum magis quam ad alium. Nam certè illa eadem, quæ fuerit vera cauſa huius determinationis, pari etiam ratione erit cauſa propter quam quotieſcumque ſecunda cauſa agit de nouo, ad diſtinctum & nouum effectum indiuidualem diuerſum à præcedentibus determinatur: & ratio eſt quoniam ex ſola vi & virtute cauſæ efficientis, vel ex ſola capacitate ſubiecti non poteſt reddi huius rei exacta cauſa, & ratio, quia, tàm ipſa vis agentis quam ipſius ſubiecti capacitas ſemper eſt eadem, & de ſe ſemper eſt æque indifferens, ad agendum vel producendum quodlibet indiuiduum.

Huius difficultatis, non eſt vna ſententia inter authores. Nam nonnulli dicunt, totam rationem atque cauſam huius determinationis veramque radicem referendam eſſe in diuinam prædiffinitionem & voluntatem. Nam Deus author rerum omnium infinitus, intelligens hoc agens, hìc & nunc, diſpoſitum eſſe ad immutandum hoc ſubiectum ad talem formam in ſpecie, & de ſe indifferens ad hanc, vel illam formam in indiuiduo, & ex ſe non habere dominium neque poſſe eligere, neque determinare ſuam actionem potiùs ad hoc quam ad illud, ipſe ſua prouidentia, cuius intereſt omnia dirigere & gubernare, ſua voluntate ſtatuit, & voluit determinare donando influxum, & concurſum ad hoc ſingulare indiuiduum, & ad hunc determinatum effectum agendum hic & nunc, & non ad alium, determinando, inquam cauſam ipſam per influxum ſuum, & quaſi applicando & mouendo eam ad agendum hic & nunc, hoc indiuiduum, & non alterum. Qui ſanè modus dicendi eſt valde conformis ſententiæ Diui Thomæ 1. parte, quæſt. centeſima quinta, articulo 1. & Diſcipulis Diui Thomæ, & eum tenet Gregor. Arim. in 1. diſtinct. decimaſeptima, quæſtio. quarta, artic. ſecundo, & ſeptimo, & diſtinct. trigeſimaquinta, quęſtio. prima, artic. primo. Toletus etiam Cardinalis doctiſsimus ac Gymnaſij Salmanticenſis Cathedræ publicus moderator. 8. Phyſic. quæſtio. tertia, concluſione ſecunda, ratione tertia, hunc eundem modum dicendi videtur probare. Nam ex hoc colligit libertatem primæ cauſæ ad extra, quod pro ſola ſua voluntate determinat ſecundas cauſas ad effectus ſingulares & indiuiduos, in quo etiam cernitur eſſentialis ſubordinatio, & dependentia ſecundarum cauſarum à prima in ſuis actionibus, ſeu in agendo.

Modus dicendi quorumdam.

D. Thom.

Cardin. Tolet.

Neque hoc eſt voluntarium aut ſine rationabili diſcurſu ex eo, quod cauſa prima non ſolum iuuat ſecundas cauſas, ſed etiam influit in eas, ſuppletque earum defectus in his, in quibus ipſæ deficere videntur. Et quidem in caſu, de quo loquimur videtur in his cauſis deficere eis modus, quo poſsint determinari ad quoſdam ſingulares effectus magis, quam ad alios.

Huic modo dicendi ſuffragatur, quod agentia naturalia quamuis ex ſe habeant virtutem quaſi communem, & indifferentem ad diuerſa indiuidua eiuſdem ſpeciei, nihilominus ex ſe poſtulare videntur certum quendam modū, & ordinē in vſu & exercitio talis vir-

tutis, ita quidem, vt ex sua natura sit determinata ad agendum hîc & nunc, in tali subiecto, tale indiuiduum, & post hoc aliud, & post illud alterum. Cuius rei ratio assignari potest, quia ipsa natura huius agentis singularis videtur postulare hunc ordinem & hanc determinationem, ne in se inuoluat perplexitatem, & confusionem quandam. Quæ sanè responsio probabiliter dicta sit. Nam in re difficili satis est rem attigisse.

Sed profectò, vt explicemus qualiter conueniat indifferentia causæ liberæ, & qualiter etiam cum secunda causa naturalis sit determinata ad vnum in specie, indifferens vero ad vnum in indiuiduo, determinetur ad hunc singularem effectum, & non ad illum, sentiendum est, quod quamuis virtus causæ naturalis in se considerata non sit determinata magis ad hoc indiuiduum, quam ad illud, sed indifferens ad multa indiuidua per modum causæ superioris, & sufficientis ad illa omnia, tamen in particulari applicata cum his circunstantijs occurrentibus ad hoc passum in indiuiduo est quidem naturaliter determinata ad efficiendum talem formam in indiuiduo. Quo circa quando dicitur communiter, causam naturalem, vt distinguitur à libera necessariò agere positis omnibus requisitis, tunc sane est sermo de omnibus quæ ad agendum requiruntur in particulari hîc & nunc tat vero causa libera etiam cum se applicat ad eligendum aliquid, etiam positis omnibus requisitis ad hanc electionem adhuc est libere determinata, quamuis dependenter à Deo, & subdeterminatione Dei, libera autem determinatio vt distinguitur à necessaria, & quæ solum conuenit causæ liberæ habet principium, & radicem conuenientem homini libere agenti intra ipsum, de qua re inferiùs dicemus.

Quod si aliquis probabilius existimet determinationem causarum naturalium ad suos singulares effectus seu ad sua determinata indiuidua procedere ex influxu, & prædefinitione primæ causæ, sentiẽdum est hanc vnam esse conditionem agendi causarum naturalium contentam in prærequisitis ad agẽdum. Nam causa secunda indiget influxu, & motione, determinata ad indiuidualem effectum, quo influxu & concursu exhibito in actu primo cum alijs requisitis & adiunctis, talis causa determinatur necessariò ad talem effectum in particulari, quo fit vt posito determinato influxu, & determinata motione ad effectũ singularem, iuxta modum causæ naturalis talis causa necessariò determinetur ad hunc effectum, & ex consequenti hoc modo nulla intercedit hîc indifferentia quæ repugnet naturali necessitati agendi. Neque hæc indifferentia agentium, quam retulimus est contra debitam naturæ institutionem, quod naturalia agentia non valeant se se determinare ad effectus indiuiduos, nisi solum à prima causa à qua incipit & finitur. Quia hoc prouenit ex naturali imperfectione, & indigentia omnimoda talium agentium.

Sed profectò si agens naturale indiget determinatione causæ primæ mouentis, & sine ea agere non potest hîc, & nunc, multo magis causa libera, pendet enim à prima causa non tantum in esse & conseruari, sed etiam in causando & operando, & pendet etiam in sua determinatione libera & in sua electione, atque adeo in determinatione ad eligendum, & operandum hoc potiùs quam illud. Nam certe determinatio libera voluntatis, quæ in vsu libertatis suæ consistit, non solũ est subordinata Deo vt dirigenti, sed vt causanti, & vt primo libero per essentiam, à quo est & pendet nõ solum libertas, sed vsus etiã libertatis. Deus enim seruata cõditione cuiuscunque, & modo eius non minus est Dominus liberi arbitrij, quam rerum omnium, & non minus est Dominus potentiæ liberi arbitrij nostri, quam sui vsus, quoniam Deus, Dominus vniuersorum est, & omnibus modis egemus ipso in pijs operibus. Et quidem voluntas cum seipsam determinat in vsu suæ libertatis, hoc quidem facit sub determinatione Dei, atque adeò se agit, & est secunda causa suæ determinationis cum subiectione ad Deũ. Cæterùm agens naturale seu naturalis causa non se agit, sed agitur in sua determinatione, & in suo exitu de potentia ad actum. Vnde specialiter dicitur, quod opera naturæ sunt opera intelligentiæ non errantis, quia agentia naturalia potissime aguntur, & determinãtur, & nõ se determinãt, voluntas vero hominis se determinat cũ quadã essentiali depẽdẽtia à collatione & cõferentia intellectus, & indifferentia sui iudicij. In naturalibus autem causis, & agentibus nulla est propria indifferentia, quæ necessitati agendi earum repugnet, quia naturalis causa positis omnibus requisitis ad agendum & conditionibus ex necessitate operatur, & sine vlla indifferentia, quod sanè alienum est à voluntate nostra quę ita à Deo mouetur vt se moueat & agat, & se determinet ex propria radice contingente, quæ est in intellectu, & idcircò Sancti Patres dixerunt, liberum arbitrium esse facultatem voluntatis & rationis.

Ex dictis colligo non solum creaturas omnes subijci Deo, vt primæ causæ agẽti & operanti secundum generalem rationem, & communem: sed etiam secundum proprium modum cuiusq; & ex cõsequenti in qualibet creatura esse potentiam obedientialem in ordine ad Deum, ac proinde liberum arbitrium hominis & Angeli etiam vt liberum est, & vt liberè agens, habere potentiam obedientialem in ordine ad Deum, & hanc esse maxime consonam libertati voluntatis creatæ respectu Dei, quæ obedientia relata ad primum liberum, quod est Deus, talis est naturæ, vt Deus faciat in ea quæcumque vo-

luerit, quod potiùs perficit libertatem, & vſum eius, quàm deſtruat. Quod ſanè Caietanus ſatis inſinuat in commentarijs ſuper Eccle. cap. 21. Ruardus Tapper, art. 7. ex doctrina D. Thom. 1. 2. quæſt. 10. art. 4. & pene in infinitis alijs locis, vt explicet libertatem voluntatis noſtræ dicit, quòd Deus ex prouidẽtia, quã habet & exercet erga res omnes, mouet quidem omnia ſecũdum conditionem cuiuſque rei, cauſas naturales ità agendo, vt per diuinam motionem conſequantur effectus ex neceſsitate, liberas verò & ad vtrumque contingentes mouet, vt ex eis ſequantur effectus contingenter. Ex quo infertur, quòd Deus mouet voluntatem, & liberum arbitrium cum ſuo modo libero, ità vt, non ex neceſsitate moueatur, neque fiat motus eius neceſſarius, neque ad vnum determinet determinatione neceſſaria. Verum naturalis cauſa eſt, quæ neceſſariò agit poſitis omnibus requiſitis conditionibus; neque poteſt non agere, quia Deus eam mouet cum ſuo modo neceſſario ſuæ naturæ conformi.

Ruardus Tapper.

ASSERTIO PRIMO.

Dico. 1.

His ita prælibatis dico primo. De ratione potẽtiæ liberæ eſt, vt in poteſtate ſua libera habeat ſuũ actũ exercere vel nõ exercere, & ſuſpẽdere, non quidẽ ex defectu cõditionis requiſitę ad agendũ & operandũ, quia tũc talis poteſtas non diceretur verè libera poteſtas ad ſuſpendendum actum, ſed magis eſſet impotentia ad agendum deficiente tali conditione neceſſariò requiſita, ad operandum iuxta modum agendi ipſius potentiæ; ſed ex natiua proprietate, & conditione potentiæ liberę, vt ſic. Quocirca modus ceſſandi à propria operatione ex defectu conditionis requiſitæ communis eſt etiam agentibus naturalibus: & hoc etiam euenire poteſt ſecundum hanc conditionem. communem in voluntate ipſa, ſi ceſſet à volitione & electione ex defectu alicuius requiſiti, & neceſſariò requiſiti, vt ex defectu obiecti vel virium, tunc enim illa ſuſpenſio, vel carentia actus, non oriretur, neque erit ex poteſtate libera, ſed ex defectu naturali & communi alicuius conditionis requiſitæ. Igitur, de ratione facultatis liberæ eſt, vt ex vi ſibi intrinſeca & ex poteſtate, quam habet libertatis ſuæ poſsit actũ ſuum exercere, & non exercere & ſuſpendere. Nam certè vis intrinſeca & natiua cuiuſuis facultatis non ſe explicat in actum ſecundum ſuæ naturæ conformẽ, niſi poſitis omnibus requiſitis ad agendum. Ex quo patet quàm venuſtè explicatur vis facultatis liberæ & vſus illius, quando dicitur, potentiam liberam eſſe, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum poteſt operari, & non operari. Quod ſanè non ita eſt intelligẽdum quod in actu ſecundo poſitis omnibus requiſitis ad agendum operetur & non operetur, agat & non agat: ſed quòd illis poſitis conditionibus non neceſſario determinetur ad vnum neceſſitate oppoſita libertati, ſed quod poſsit agere, & non agere, ſeu quòd habeat tunc potentiam agendi, & ſimiliter non agendi pro ſua libertate in puncto, in quo incipit actio libera & vſus libertatis.

Hæc doctrina, per quam explicatur libertas & ratio eius expreſſe continetur in ſacris literis, Eccleſiaſtici. 15. *Deus ab initio cõſtituit hominem & reliquit eum in manu conſilij ſui, adiecit mandata & præcepta: ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te: appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porriges manum tuam.* In quibus verbis expreſsit Sapiens non tantum facultatem liberam, ſed etiam vſum liberum ſeu vſum libertatis cum vero dominio ad volendum vel nolendum: idque expenditur præcipue in illis verbis. *Ad quod volueris porrige manum.* Et prætereà Deuteronomij. 30. id ipſum aperte dicitur, quando ait. *Teſtes invoco cœlum & terram, quod propoſuerim vobis bonum & malum, elige ergo, &c.* Extat etiam Conciliũ Arauſicanum can. 25. vbi declaratur vſus liber, qui conuenit homini baptizato, ſi velit bene viuere, ſicut conſtat experientia poſſe eum ſi velit etiam non bene viuere. Et idcirco poteſt velle & non velle, bene viuere & male viuere. Hunc etiam vſum liberum definit Concil. Trident. ſeſsione 6. cap. 5. quo loco, affirmat hominem liberè conſentire diuinæ gratiæ, & diuinam inſpirationem abijcere poſſe, & quod admonemur libertatis huius cùm dicitur: Conuertimini ad me, quamuis ſine gratia Dei homo non poſsit libera ſua volũtate, ſe ad iuſtitiam coram Deo mouere; In qua re obiter aduerte, ex mente Concilij, aliud eſſe hominem habere libertatem requiſitam, & ſufficientem ad conuerſionem, ſeu ad hoc vt cõuertatur vel non conuertatur: aliud verò habere vires ad ſe conuertendum, quod inſinuauit Concil. loco citato. Nam poſtquã dixit hominem liberè aſſentiri gratiæ Dei, & liberum eſſe illi aſſentiri, ſubiungit inferiùs: *Neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſsit.* Et hoc etiam expreſsit Hieremias Propheta, dicens: *Conuerte nos Domine ad te & conuertemur.* In quo teſtimonio quamuis fateamur nos liberos eſſe, tamen affirmamus liberam noſtram voluntatem quantumuis ſit libera viribus carere, & indigere Deo conuertente nos, & ſine gratia Dei neminem poſſe ſe ad iuſtitiam mouere libera ſua volũtate. Adde etiam, quòd quando Concil. dicit, cap. 5. citato, & cano. 4. hominem vere agere aliquid cum inſpirationem recipit, non loquitur de ſola illius cogitationis aut inſpirationis ſanctæ receptione, qua homo vocatur, inſpiratur & illuminatur: quoniam huiuſmodi vocationem & inſpirationẽ homo in ſe ipſo ſentit ac recipit phyſicè ſine libertatis vſu, dum diuina gratia vocatur ac præuenitur; ac proinde non ſemper

Eccleſiaſt. 15.

Deute. 30.

Concil. Arauſ.

Concil. Trident.

Hierem. Proph.

poteſt

poteſt homo illam depellere Phyſicè, ita quidem vt eam non ſentiat: poteſt tamen ita illā ſentire, vt non conſentiat: & præſtare hunc conſenſum, & aſſentiri illi gratię, vocat Concil. recipere inſpirationem; præſtare enim cō ſenſum eſt agere. In hac igitur poteſtate recipiendi vel repellendi inſpirationem, & in vſu eius etiam ponitur libertas: & ſanè in hoc ſenſu docet vſum illum non impediri, ſed potiùs exerceri in operibus gratiæ. Et eodem ſenſu idem Concil. Trident. ſeſsio. 6. cano. 4. dixit: Etiam cooperari liberum arbitriū gratiæ cum poteſtate conſentiendi & diſſentiendi vocationi gratiæ.

Gregor. Niſſen. Gregorius Niſſenus lib. 7. Philoſophiæ, apertè probat, ob id hominem eſſe liberi arbitrij, quoniā actiones humanę eius, non fiunt neceſſariò, ſed poſſunt etiam non fieri. Et in cap. 2. aperit quid ſit in hominis libero arbitrio, & inquit, eſſe ire & non ire, dare & non dare, appetere & non appetere. Et tandē, cap. 3. ſequenti affirmat, omnem electiuam poteſtatem, qualis eſt liberi arbitrij, eſſe in oppoſita.

D. Hilar. Diuus Hilarius ſuper Pſalmum 2. ait. Vni cuiq́ue noſtrum libertatem vitæ ſenſuumq́; permiſit, non neceſsitatem in alterutrum affigens.

Grego. Nazian. Diuus Gregorius Nazianzenus in Apologetico, docet arbitrij libertatem parem in vtramque partem motum habere. Et Origenes lib. 3. de Principijs cap. 1. ait, liberum arbitrium eſſe facultatem diſcernendi bonum à malo, & eligendi quod probauerit. Et idem dixit Damaſcenus lib. 2. de fide, cap. 25. & 26. De hac re legendus eſt Roffenſis contra Lutherum artic. 26. & Ioannes Bononienſis in tractatu de libero arbitrio hominis, quo in loco præmittit diffinitionem liberi arbitrij, & ſui vſus dicens: *Liberum arbitrium eſt facultas, qua poſitis omnibus requiſitis ad eligendum & agendum poſſumus non eligere & nō agere, ita videlicet: quod omnibus ſimiliter ſe habentibus quando eligimus poſſumus non eligere.* Et paulò inferiùs: *Liberum igitur hominis arbitrium eſt facultas eligendi bonum aut malum, quāuis non ſub ratione mali, quod ei ſolum conuenit in quantum eſt in natura & ſtatu potenti deficere, quodque vnum velit, poſteà verò oppoſitum ei cōuenit in quantum eſt in natura mutabili. Bonum autem ſupernaturale hac certè libera facultate nemo mortalium prius eligere aut agere poteſt, quam diuina peculiari miſericordia præueniatur, quod ſua quiſque poſt lapſum concupiſcentia ad malum trahatur.*

Origenes. Damaſce. Roffenſis. Ioan. Bononien.

D. Baſil. Diuus Baſilius Homilia, Quod Deus non ſit author malorum ait, *Solutam ab omni neceſſitate & voluntariam, ac in ſua poteſtate ſitam vitam à conditione adepta anima, per hoc ad imaginem Dei creata eſt.*

D. Auguſ. Diuus Auguſtinus lib. 2. contra Fauſtum, cap. 5. ait. *Et nos ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene, vel male viuitur, propter iuſtū iudicium Dei ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus.* Et lib. 3. de libero arbitrio cap. 1. 2. & 3. ſemper Diuus Auguſtinus libertati neceſſitatem opponit. Vnde lib. de vera religione, cap. 14. *Si neceſſitate* (inquit) *id feciſſent nullo peccati vinculo tenerentur*, & lib. De ſpiritu & litera, cap. 31. inquit. *Cum non faciebat, quia nolebat erat vtique poteſtas, ſed voluntas deerat.* Ex quibus omnibus teſtimonijs manifeſtè cōſtat Sanctos Patres libertatem hominis & vſum illius per poteſtatem agendi, & non agendi definiuiſſe.

Ratione etiam conſtat, non ſolùm potentiam liberam conuenire homini, ſed etiam vſum libertatis. Quoniam homo vel eſt natura ſua capax liberi vſus, & habet facultatem liberam ad illum ſibi intimā & innatam. Vel non eſt capax vſus, ipſius libertatis, cum vera indifferentia excludente neceſsitatem, vt ſic. Si dicas hoc ſecundum, nempe hominem ex natura ſua eſſe incapacem libertatis cum iſta indifferentia excludēte neceſsitatem, ſequitur hominem non ſolùm carere vſu libero ſuarum actionum, ſed etiam carere facultate, & potentia, quæ natura ſua potens ſit agere libere cum prædicta indifferentia, & cum dominio ſuarum actionum: quod non eſt tutum neque ferendum cum ſit contra veram doctrinam de libertate arbitrij, & contra fidem: ergo neceſſariò dicendum eſt primum, nempe hominem eſſe natura ſua verè capacem huius liberi vſus, & habere veram facultatem ad illū: ergo pari modo in actuali exercitio actionum humanarum retinet hunc vſum. Aliàs homo ſemper ageret prætercōditionem ſuam & naturam, neque Deus prouideret illi modo conuenienti, & ſuæ naturæ accommodato & proportionato. Hoc eleganter expreſsit Diuus Auguſtinus Epiſt. 46. dicens: *Si non eſt Dei gratia, quomodo Deus ſaluat mundum? & ſi non eſt liberum arbitrium quomodo iudicat mundum?* Quod dicit nō propter potentiam ipſam eſſentialiter liberam, ſed propter vſum liberum, quia iudicium non fertur de potentia ipſa, ſed de libero vſu eius. Stat ergo firma ſententia, de ratione potentiæ liberæ eſſe habere in ſua libera poteſtate ſuum actū exercere, vel non exercere, darique in nobis talem libertatem cum vſu & indifferentia ad volendum, vel non volēdum, & dari in nobis talem libertatem, quæ in ipſo vſu humanarum operationum habeat indifferentiam ad eligendū vel non eligendum. Non quidem, quod poſt vſum ſtante actuali operatione, ſeu in ſenſu compoſito adhuc maneat indifferentia: quia poſtquam voluntas in ipſo vſu ſe determinat liberè, ſtante illa determinatione, & operatione ipſa actuali non manet indifferentia: quia voluntas reuera manet determinata, determinatione tamē libera; ſed quod ipſe vſus liber ſimul maneat cum vera indifferentia potentiæ, quā retinet in ipſo inſtanti, in quo li-

D. Auguſ.

berè operatur quatenus prior natura intelligitur, quam applicata ad operandum cũ omnibus requiſitis ad agendum.

Ex dictis colligitur nõ ſolum errauiſſe Caluinum, Lutherum, & reliquos hæreticos & eorum diſcipulos, ſed etiam errauiſſe Manichæum, & plures ex antiquis Philoſophis, qui crediderunt actiones etiam humanas ab hominum voluntate prodeuntes ex fato prouenire, & ex fatali neceſsitate orta ex omniũ cauſarum connexione & ſerie, & ex influxu cœlorum & ſtellarum, inter quos referuntur Democritus Heraclytus & alij, & tribuitur etiam Stoicis, ſed ſine cauſa. Diuus Auguſtinus lib. 4. confeſſionum, & lib. 5. de Ciuitate, cap. 1. affirmat hunc errorem ſequutos fuiſſe Priſcillianum, & Simonem Magum & alios, quos ibi recenſet, de qua re etiam legendus eſt idem Auguſtinus lib. de hæreſibus, cap. 35. 46. & 70. & Clemens lib. 3. recognitionum Roffenſis, art. 36. contra Lutherum. Cæterum ex prædictis Philoſophis plerique eorum obſcurè loquuti ſunt, & diminutè non explicantes, vtrùm neceſsitas, quam illi tribuunt humanis actionibus, & actibus voluntatis ortum habeat ex intrinſeca hominis natura, an verò ex actione alicuius cauſæ externæ, neceſsitantis voluntatem ſicut putant illi qui dicunt omnia agi fato, & regi fatali neceſsitate. Sed quidquid ſit de ſenſu iſtorũ, quia vterque eſt falſus & hæreticus ſentiendum eſt neceſsitatem hanc non poſſe fundari in intrinſeca hominis natura, vt ſtatim dicemus.

D. Auguſ.

Clemens. Roffenſis.

ASSERTIO SECVNDA.

DIco ſecundo. Lumine naturali per ſe cõſtat, ipſaque rerum experientia, in homine eſſe facultatem liberam cũ quadam indifferentia operandi & agendi, & eligendi, vel nõ eligendi & ex conſequenti hominem in actionibus humanis & moralibus non duci neceſſitate aut fato, ſed libertate voluntatis ſuæ. Hæc aſſertio conſtat ex priore & ex Philoſophorum multorum conſenſu, præſertim ex Platone in Gorgia, & ex libris de republica. Ex Ariſtotele etiam qui lib. 3. Ethicorum libertatem hominis cognouit, & eam veluti fundamẽtum doctrinæ moralis poſuit, & lib. 9. primæ Philoſophiæ, cap. 2. & deinceps vbi ſeparat potẽtias rationales ab irrationalibus: & rationalibus quidem tribuit vim intrinſecam per ſe agendi, & operandi oppoſita ſeu contraria, nempe ex libertate intrinſeca. Stoici etiam, vt refert Diuus Auguſtinus à fatali neceſsitate excipiebant volũtates humanas, legendus eſt Auguſtinus lib. 5. de Ciuit. Dei, cap. 10. Plutarchus etiam lib. 1. de placitis, refert Stoicos cum Platone ſenſiſſe, & liberos eſſe à nota quæ eis impingitur. Cicero, ſimiliter lib. de natura Deorum, & lib. de Diuinatione hominem fecit liberum, & vt homines faceret liberos fecit ſacrilegos, vt Diuus Auguſtinus dicit, quoniam, vt defenderet hominis libertatem negauit Dei præſcientiam. Recepta igitur eſt ſatis libertas hominis in Philoſophorum gymnaſijs, & veluti lumine naturali ſplendidiſsima veritas comprobata. Non ergo ſolum ex ſanctis Patribus quos ſupra retulimus, ſed etiam ex Gentibus & Philoſophis, libertas hominis apertiſsime conſtat. Diuus etiam Auguſtinus in tribus libris de libero arbitrio, & in libris cõtra Pelagiũ, & Cœleſtium de gratia Chriſti, ita validè defendit liberum arbitrium, vt oſtendat gratiam Dei non deſtruere naturam liberi arbitrij, ſed perficere magis. Et idem fecit in libris cõtra duas Epiſtolas Pelagianorum, quem ſequutus eſt Proſper Aquitanicus. Idemq; ſenſerũt Ambroſius, Bernardus, & Anſelmus, & Hilarius, diſputantes de concordia gratiæ Dei cum libero arbitrio, & de Diuina prædeſtinatione.

Plato in Gorgia, Ariſtot. li. 3. Ethic.

Stoici.

Cicero. de natu. Deorum.

D. Aug. in plurib. locis citatur.

Ambroſ. Bernard. Anſelm. & Hilar.

Sanè euidẽtiſsime experimur poſitum eſſe in voluntate atque poteſtate noſtra aliquid agere vel omittere cum volumus, & quod ad id vtimur diſcurſu conſultatione & conferentia, vt magis in vnam, quam in alteram partẽ declinemus. Igitur poſito obiecto, & poſitis medijs eligibilibus ad finem nullus eſt qui nõ ſentiat in ſeipſo electionem poſitam eſſe in arbitrio ſuo. Qua propter Principes, & gubernatores Reipublicæ, & humanarum actionum, per leges & præcepta, per promiſsiones præmiorum, per cõminationes pœnarum per conſilia exhortationes & reprehẽſiones dicũtur dirigere & gubernare rempublicam, quæ omnia ſuperflua eſſent ſi homo non operaretur liberè, ſed potiùs cum neceſsitate.

Vnde ſolum homini proteruo, & nihil conſiderãti potuit apparere neceſsitas agendi in operibus humanis. Sed contra hanc ſententiã obijciũt aliqui primo, quod ex prædictis ſignis & experientijs, ſolum poteſt oſtendi hominem duci, & moueri ratione in ſuis operibus, non vero oſtenditur ea libere agere. Et ſecundo ſi ſtatuamus Deum aliquando neceſſitare voluntatem hominis cordatis, in eo quidem caſu, non poſſet conſtare hominem agere ex Arbitrij libertate, quia tunc operaretur voluntate ſua, ſicut nunc operatur. Nam tunc experiretur in ſe ipſo agere & moueri ſua volũtate. Imoverò talis homo in caſu poſito nõ haberet principium quo poſſet cognoſcere neceſsitatem ſibi illatam extrinſecus à Deo, igitur non poteſt ſatis colligi ex ipſa experientia hominem liberè agere aut liberas eſſe operationes eius.

Huic obiectioni & calumnię reſpondetur etiam fuiſſe quoſdam qui negauerunt prima principia & ſplendidiſsimam veritatem, contra quos Ariſtot. affirmat fuſtibus & verberibus agendum eſſe non rationibus. Secundo, reſpondetur quod homini proteruo & procaci iuxta conditionem ſui ingenij ſemper relinquitur locus taxandi & murmurandi alioquin nunquam eſſent tot errores contra naturalem

Satisfit obiect.

turalem legem. Tertiò dicendum est, quòd homini bene dispositò, & ratione atq; discursu vtenti satis aperte, & clare cõstat si cum attẽtione procedat qualis sit, & quam liber processus vitæ humanæ, & modus operãdi, quem habet in dispositione suæ vitæ. Vnde experitur in se ipso se agere ex collatione, & conferentia, & non sine illa, & experitur in seipso se velle subijcere plerumq; obedientiæ gubernatoribus, aliquãdo verò nõ. Rursus experitur consequenter se non agere ex iudicio infixo, & innato sed ex prædicta conferentia & collatione, præsertim quando obiecta & media eligenda sunt fere æqualia ad finem. Vnde homo non solum experitur mutata cognitione, vel apprehẽsione obiecti, sed etiam eadem permanente positum esse in voluntate nostra hoc vel illo modo agere, & hac vel illa via, incedere: ergo varius iste modus agendi non consistit in sola cognitione, sed in indifferentia libertatis quæ est in voluntate. Et rursus post cognitas leges, post consilia audita, post promissiones præmiorum, post comminationes etiam pœnarum consideratas, experimur in potestate nostra ea ratione vel moueri, vel non moueri. Nam post consultationem mediorum sæpe sæpius eligimus vnum præ alio, solum quia volumus, & quia ita nobis placuit.

Secundæ calumniæ respondent nonnulli. Primò quòd si attente modus operandi consideretur in homine, facile quidem experietur quòd libere operatur, & quòd non agit ex iudicio naturæ infixo, & præcipue quia Deus agit ex diuina sua prouidentia iuxta modum & conditionem cuiuscumq; rei, ac proinde ex modo agendi humano satis palàm ostenditur in intrinseca facultate hominis positum esse hunc modum agendi, & operandi liberè, & ex consequenti consentaneum esse diuinæ gubernationi quod homo non aliter moueatur quam cum suo modo libero; quod potissimè est verum: quia voluntas nunquam agit liberè nisi ex conferentia, & collatione, quam non habet ille qui implanatur & qui ex iudicio infixo operatur. Si autem necessitaretur homo plane aduerteret postea, se non egisse ex radice contingentiæ, seu ex collatione & conferentia, sed ex infixo iudicio, vt dictum est. Dico secundò quod in actionibus prauis, & peccaminosis euidentissime constat homini se non necessitari à Deo, & oppositum est lumini naturali contrarium: quia Deus non solum prohibet malas actiones, sed etiam punit eas seueriss ime: ac proinde constat nullã posse inferre necessitatem homini ad eas peragẽdas, eo vel maximè, quod Deus sicut est prima veritas, ita etiam est prima bonitas & fons totius bonitatis, & sicut non mentitur nec mentiri potest: ita nec male agere, neque ad malum implanare nos. Id enim repugnat primæ bonitati per essentiam quæ est Deus. Sed respondetur tertiò, quod in eo casu si homo necessitaretur à Deo, sine dubio talis homo sicut in seipso experitur se liberè agere quando non necessitatur, ita experiretur in seipso se non agere libere quando in tali casu necessitaretur. Imó vero multò euidentius constaret ei se agere cum omnimoda determinatione ad vnũ, & sine illa indeterminatione, quæ est radix libertatis: & tunc quidem si necessitaretur à Deo, sine dubio Deus mutaret in eo apertissime modũ agendi & procedẽdi & collationem atque conferentiam, & indifferentiam iudicij, &c.

Quid recentiores qui dã sentiãt.

Aliqui ex recentioribus Theologis dicũt, quod si Deus diuina potestate sua, inferret necessitatem voluntati, hoc nobis non constaret, quia pari modo homo in eo casu videretur operari sua voluntate, sicut nunc operatur. Nam in tali casu homo experiretur se mo ueri ratione & voluntate sua, & non haberet aliquod principium, quo posset cognoscere extrinsecus necessitari à Deo: nisi Deus reuelatione sua id alicui manifestaret. Sed profecto, hoc mihi non probatur: existimo enim quod sicut nos aperte & palàm cognoscimus & experimur in nobis potestatem liberam, quam habemus eligendi, vel non eligendi, acceptandi, vel non acceptandi medium aliquod, ad finem vel obiectum, quod nobis proponitur, ita cognosceremus ex opposito modum cõtrarium, & necessarium si appetitus rationalis à Deo necessitaretur. Nam motio diuina talis est, vt ad ipsius Dei prouidentiam pertineat seruare rerum naturas, & non corrumpere, ac proinde secundum diuersum modum conditionis earum eas agere, ita quidem vt per diuinam motionem sequantur effectus necessarij secundum conditionem necessitatis quæ conuenit causæ secũdæ necessariæ, attẽperat enim Deus motionem suam conditioni agendi ipsius causæ. Quo fit vt modus, qui cõuenit causis liberis, vt ex eis sequantur effectus contingenter sit pari ratione cõmensuratus, & proportionatus potestati agendi liberæ. Propter quam causam Deus sic mouet liberum arbitrium, vt non ex necessitate moueatur, neque ad vnũ determinet, determinatione inquam necessaria, quamuis sicut dicit Sanctus Thomas 1.2. quæst. 10. art. 4. Si Deus moueat voluntatem ad aliquid, non inquam alio modo mouendi, quam ipsa se moueat ad illud, si mul cum hac positione & influxu Dei, seu motione aut concursu actuali, nunquam stare possit de facto quod ad hoc non moueatur voluntas: nõ quia hoc est simpliciter impossibile; imò vero possibile ex eo, quod eodem instanti & momento quo voluntas ad aliquid se determinat seu mouetur, potest contrariũ velle, posita tamen hac motione, & posito concursu & cooperatione Dei, quibus Deus vult nos velle & agere, volemus & agemus semper. Et quamuis non sit impossibile posse voluntatem necessitari à Deo qui author est eius, tamen in eo casu auferret illi libertatem

S. Thom.

in tali

in tali operatione, & actione, vt dixit Ruardus Tapper art. 7. contra Lutherum, mouendo eam ceu brutam pecudem, & cum iudicio infixo, repulsa indifferentia, quod nunquam facit: quod si feciſſet aliquando, homo ipse experiretur in seipso non operari sicut antea, cũ illa potestate ad contraria, & opposita. Nam certè beati in patria amantes Deum, quem vident facie ad faciem, plane cognoscunt, & experiuntur hanc dilectionem charitatis, quam habent, & exercent, optimam & spontaneam esse, sed necessariam quidem, & non liberam; ex quibus constat, quod si Deus necesitaret voluntatem hominis, & impenderet illi modum necessariò agendi, in se haberet, & recipe ret principium, quo posset cognoscere se non operari cum potestate ad opposita. Et per cõtrarium, cum videat homo, & in seipso experiatur, ita duci à Deo in operibus suis bonis, & pijs, vt possit simul in opposita declinare, inde aperte colligit se habere libertatem seu potestatem cum quadam indifferentia agendi, vel non agendi, vt sibi placuerit, quod si cõtrarium fiat, experietur se necesitari. Rursus etiam in motibus primò primis experitur homo quôd non ducitur neque mouetur libe rè, tam in actibus voluntatis, quã intellectus: neque cum consilio aut deliberatione vlla, sed potius necessario, &c. Ex quo infertur, quòd auxilium efficax Dei, & suæ diuinæ gra tiæ non necesitat volũtatem, sed potius eam mouet ad conuersionem, & ad fidem cum mo do libero. Nam certè cum homo se actu deter minat ad pium opus, seu ad cõuersionem eius satis manifestum est illi, se posse ad oppositũ applicare & determinare, quantumcunque iu uetur à Deo & moueatur à diuina gratia actuali, quia quanto gratia maior fuerit, & efficacior, tanto sanior fit homo & liberior, vt Diuus Augustinus dixit.

Postremo loco adduco rationem, qua ex modo & perfectione cognoscendi hominis, & naturæ intellectualis, & rationalis, ostenditur hominem operari cum potestate indifferentiæ ad opposita, nam libertas, & modus illius, vt infra dicemus, & aperiemus, originatur, & nascitur ex intelligentia: quia appetitus in viuentibus sequitur cognitionem, & perfectior cognitio quanto eleuatior est, tanto postulat in natura cognoscente perfectiorem appetitum: ergo cùm homo cognitionẽ habeat vniuersalem, & cum quadam collatione, & conferentia cognoscendo propriam rationem finis, & mediorum, & expendendo quid habeat bonitatis aut malitiæ, vtilitatis aut incommodi, & rursus cognoscat quòd medium inter alia sit indifferẽs, quia alia media adhiberi possunt, sequitur quod ille appetitus qui prosequitur cognitionem hanc, similiter habeat perfectam potestatem in appetẽdo, & hanc indifferentiam, vt non omne medium necessario appetat: sed vnumquodque iuxta rationem boni in eo cognitam, & iudicatam. Igitur si bonũ illud inter multa bona, & media non iudicatur necesarium sed indifferens sequitur, quod non amatur necessario sed libere, & ex consequenti ad hanc conferentiam, & collationem, & similiter ad hanc consultationem sequitur libera operatio, & electio voluntatis.

Rursus confirmari potest nostra assertio, ex ijs, quæ supra insinuauimus. Nam Deus est agens liberum ex eo, quod bona sibi non necessaria libere vult: ergo creaturæ intellectuales, & rationales, quæ participant gradũ intellectualem cum Deo similiter participãt modum operandi eius liberum, antecedens notissimum est, consequentia autem probatur, quoniam perfectissima libertas secundum nostrum modum intelligendi cõsequitur, perfectissimam cognitionem, & intellectualitatem, ergo secundum participationem cognitionis, & intellectualitatis dabitur etiam participatio libertatis: eo vel maximè quia est eadem ratio proportione quadã, videlicet, quòd creatura rationalis potest cognoscere, & percipere; imò vero de facto percipit aliquod bonum tanquam necessarium, & aliud tanquam indifferens, & aliud tanquam absolute bonũ, aliud verò vt bonum secundum quid; & vnũ tanquam coniunctum cum difficultate, & aliud sine illa: igitur creaturæ rationales, & intellectuales, quales sunt homo, & Angelus, vere participant liberum modum agendi, cũ indifferentia potestatis ad diuersa, siquidem similiter participant gradum cognoscendi intellectualem, vt dictum est.

ASSERTIO TERTIA.

Assertio tertia.

Dico tertiò, Indifferentia, quæ tribuitur voluntati, denotat potentiam, & potestatẽ ad vtrumlibet, actus verò liber ab ea elicitus denotat, & significat habitudinẽ intrinsecam, & immediatã ad potentiã, & facultatem elicientẽ eundẽ actum cum potestate ad oppositum in ea: itaq; actus ipse in se determinatus est ad hoc obiectum, & cum ijs circunstantijs actualibus, & ad hoc tẽpus hîc & nunc, quæ determinatio in tali actu libero, iã elicito, vel qui actu elicitur, non repellit habitudinẽ intrinsecã, & immediatã ad potentiã voluntatis actu elicientẽ ipsum, cum proxima potestate ad oppositũ: & hæc indifferentia, quæ in hac potestate ad oppositũ reperitur in voluntate, est vera libertas ipsius. Indifferentia verò quæ attribuitur intellectui, & iudicio eius nõ infixo à natura, sed procedenti ex vera collatione, & cõferentia dicitur quidẽ radicalis libertas, seu radix libertatis, quæ sane non est formalis libertas, sed appellari potest obiectiua indifferentia. Quo circa ratio seu intellectus proponit de obiecto, & circa obiectum varias, & distinctas rationes cõuenientiæ vel discõueniẽtiæ, prosecutionis vel fugæ: rursus ostẽdit, & proponit mediũ, non quidẽ semper

vt ne-

vt necessariũ, sed vt indifferens perpendendo difficultatẽ eius, aut vtilitatẽ, & pariter proponendo alia media, quæ excogitat, & hinc habet intellectus cum tali iudicio radicem, & principiũ libertatis, quæ est in volũtate. Imò verò hinc habet quod sit fundamentum electionis liberæ. Hæc est sententia D. Thom. 1. part. q. 83. & vbicumq; loquitur de libertate voluntatis, & 1. 2. q. 13. art. 1. & 6. & in 2. distinct. 24. q. 1. Caiet. Conrad. in eisdem locis, & Capreol. imò verò Scot. in 2. distinct. 25. cum Ricardo distinct. 24. id ipsum sentiũt. Sane Deus est maximè liber, & suppositа in eo cognitione, & scientia omnium obiectorũ possibilium diuina voluntas vult libere hoc vel illud obiectum, extra se propter veram indifferentiã obiectorũ, seu propter non necessitatem eorundem obiectorũ, quæ omnia sua infallibili, atq; clarissima scientia percipit antecedenter, per scientiam naturalem, & deinceps, determinat se ad existẽtiam huius, vel illius pro vt sibi placet. Hinc colligitur contra rationem facultatis liberæ, esse repellere indifferentiam potestatis, & potentiæ ad oppositа, quoniã cum libertas ipsius reponatur in hac indifferentia, si hæc omnino repellitur tunc actio non procederet à potentia, cũ indifferentia ad oppositа. Nam profecto quamuis actus, qui iam elicitur à facultate voluntatis libere agentis in se sit determinatus, & indiuiduus, nihilominus dicitur determinatus determinatione libera, quia talis determinatio includit habitudinem immediatam ad potentiam elicientem actum liberè, seu ad volũtatem habentem potestatem, & potentiã ad oppositum. Neq; negari vlla ratione potest, quòd voluntas in pũcto, quo incipit operari, in eo se determinet, quia actio sine dubio est principium formale determinatiuum, & determinans. Cæterum talis determinatio est libera, quia simul includit habitudinem ad potentiam voluntatis, ita liberè determinatam, & se determinantem cum quadam potestate ad oppositum. Deus verò media actione mea, & per eam determinat me in actu secundo. Vndè actio non est principiũ agendi, sed est formalis ratio determinans formaliter potentiã potius ad agendum, quam ad non agendum, & hæc actio optimè secum compatitur potẽtiam ad agendum, vel non agendum cum ijs, quæ in ipsa sunt præcisè, per modum actus primi. Hoc videtur mihi expressùm in Trident. sess. 6. can. 4. vbi ait. *Liberũ arbitrium, & tam motum à Deo, & excitatum posse dissentire si vult.* Igitur simul cum illa actuali determinatione, quam voluntas suo actu exercet cum actu operatur: simul habet potestatem ad oppositum, non quod simul sint actus oppositi agendi, & non agendi, quia hoc habet manifestam implicationẽ: sed quod simul sint actus ipsi, cum potentia tamen ad oppositum, hoc est actus eligendi hoc, cum potestate eligẽdi contrarium, ita vt relicto priori possit illa potestas voluntatis reduci ad actum secundum: quod ita intelligitur, vt quamuis potestas nõ agendi simul, & actu reperiatur cum actu ipso agentis, tamen actus ipse simul cum eius contrario, vel contradictorio actu neutiquam inueniatur, neq; inueniri possit, quia repugnat actus cum suo contrario vel contradictorio, sed non repugnat actus ipse cum potentia ad oppositum: quòd ex Dialectica, & Philosophia palàm, & apertè constat. Nam actu album, vel calidũ esse, pugnat cum actu nigrũ; vel calidum, vel cum non albo aut non calido, nõ tamẽ pugnat cum potentia calidũ, vel potentia nigrum: itaq; pugnat, quòd cum homo, v.g. conuertitur, & agit pœnitentiam, simul non conuertatur aut non pœniteat, quia pariter etiam pugnat quòd simul, & actualiter illa potestas ad oppositа, de facto reducatur ad actus contrarios, simul in eodem puncto, aut instanti temporis, seu ad actus simul contradictorios.

D. Thom.

Caiet. Conradus. Capreolus, & Scotus. Hunc modum dicendi insinuat Henricus quodlib. 1. quæst. 16.

Trident. sess. 6.

Dices, Deus cum influit in voluntatem ad actum supernaturalem conuersionis tribuendo efficax auxilium, quò constituit ipsam in actu primo, tunc eam determinat in actu primo in ordine ad secundum, quia auxilium illud pro vt venit à Deo, est efficax, & efficit vnum principium simul cum voluntate ad actualem conuersionem: ergo per hoc tollitur indifferentia voluntatis, & ex consequẽti libertas: ergo vel auferendum est efficax auxilium, vt voluntas maneat indifferẽs ad oppositа, vel, si ponitur in voluntate, sequitur ipsam non manere cum indifferentia, neq; liberam ad oppositum cum operatur conuersionem suam ex Dei auxilio. Respondetur breuiter, quia difficultas huius obiectionis postulat longiorem controuersiam, quod auxilium efficax præintelligitur, vt principiũ ipsius conuersionis, & vt actus primus, hoc autem auxiliũ gratiæ Dei est cõmensuratũ, & proportionatum libertati voluntatis, imo vero radici libertatis, à qua sequitur, & in qua fundatur modus liberè agendi eiusdem voluntatis. Nam certè Deus inspirando, & mouendo hominem ad bonum, mouet etiam ad iudicium, & ad conferentiam de bono agendo, illuminando intellectum: atque ita à Deo inchoatur principium illud, quod est iudicium de bono agendo, vt actus voluntatis feratur in bonum illud, & hac ratione fit, vt tale iudicium, quod est actus secundus in intellectu, respectu voluntatis, dicatur actus primus, & radix, & principium eligendi, & liberè eligẽdi. Et quidẽ posita hac gratia actuali in intellectu, & voluntate hominis, nihilominus adhuc voluntas potest non operari actum propter quem datur: quia talis gratia magis liberam efficit voluntatem, & magis sanam, cum non necessitet voluntatem, neq; determinet determinatione necessaria ad modum causarum necessariò agentium, aut more pecudum ex iudicio à natura infixo sine vlla collatione, &

Obiectio.

Solutio.

con-

Concil. Trident.

conferentia, vnde Trident. Con. ſeſſ. 6. can. 4. loquens etiam de actuali gratia Dei, & de operibus ipſius gratiæ affirmat, & definit adhuc poſita gratia illa in poteſtate voluntatis eſſe non cõſentire, quamuis non ſtent ſimul, quod ponatur de facto hæc efficax gratia actualis, vt venit à Deo, & quod de facto voluntas nõ conſentiat. Quod verò poſita efficaci gratia Dei, vt ab ipſo procedit adhuc voluntas maneat libera, & cum potentia ad oppoſitũ, hoc non eſt contra efficatiam eiuſdem diuinæ gratiæ, aut illius formæ ſupernaturalis receptæ in voluntate. Primò, quia hoc non prouenit ex inſufficientia aut ex impotentia eiuſdem gratiæ; quia talis gratia procedit ex ſapientia, & infinita ſuauiq; Dei prouidentia. Secundò quoniam quando Deus ipſe vult pari modo facit efficaciter, vt voluntas infalibilliter cõſentiat, licèt poſsit non cõſentire. Nam profecto ſi Deus actualiter impartitur actualẽ gratiam efficacem ad conſenſum, & conuerſionẽ ſine dubio tunc mouere, & moueri ſunt correlatiua. Quod maximè eſt verum, quia Deus proprie mouet voluntatem per ſuam gratiam actualem ſimul infundendo gratiam, & auxilium illud, & mouendo per modum actus primi, & ſecundi media actione voluntatis: quia Deus non determinat voluntatẽ in actu exercito, & in actu ſecundo, niſi per eandem actionem voluntatis poſita gratia prædicta, quæ eſt actus primus eius. Et ad obiectionem, reſpondetur negando conſequentiam; quia tam actus primus illius gratiæ actualis ſeu formæ gratuitæ auxilij ſupernaturalis, dantur voluntati à Deo cum ſuo modo libero, propterea quod omnis forma ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis, quæ datur, vt principium agendi, datur quidem in ordine ad actionem, cuius eſt forma, & principium, & ita ſine dubio determinat potentiam ad prædictam actionem, ſed iuxta modum, quem accipit à Deo, ſcilicet nõ determinando neceſſario, aut cum modo neceſſario potentias liberorum agentium, ſed ſuauiter, & liberè per modum actus primi, & ſecundi ſicut principium, & forma reſpectu agentium naturalium, & neceſſariorum, forma inquam data illis ad agendum recipitur in ipſis cum modo neceſſario, accipiendo à Deo modum neceſſario agendi, cum omnimoda determinatione neceſſaria ad vnum. Quo fit, vt voluntas aliter applicetur ad operandum à Deo, quam agens naturale, & neceſſariũ. Voluntas enim ita ſe applicat, vt id faciat ſub determinatione, & applicatione Dei cum radice contingentiæ in actu ſecũdo, & cum actuali collatione, & conferentia: quod non euenit in cauſis naturalibus, aut in pecudibus, aut in agentibus neceſſario. Itaq; fatemur voluntatem recepta gratia actuali etiam efficaci manere liberam actiue ſeu in agendo, quia talis determinatio actualis, quæ eſt per modum actus primi, etiam eſt conformis cũ ſuo actu ſecundo. Et ex conſequẽti ſicut actus ſecundus, qui formaliter determinat voluntatẽ vere eam facit actualiter formaliter determinatam, non repellendo poteſtatem voluntatis, cum vera facultate ad oppoſitum: ita neq́ue actus primus licèt determinet actu voluntatẽ non repellit in eadem voluntate poteſtatem, ad oppoſitum. Imò vero ſi ipſa actualis determinatio voluntatis, quæ fit per operationem, & actum ſecundum, in quo maior eſt difficultas non repellit poteſtatem ad oppoſitum, ac proinde neq́ue indifferentiam poteſtatis, multo minus ipſe actus primus, qui præintelligitur ſolum prius prioritate naturæ, non in qua ſed à qua, in eodem puncto, in quo, & datur à Deo, & voluntas ſimul ſe determinat, & determinatur à Deo: quia non alia actione determinatur actualiter, & formaliter per modum actus ſecundi, quam ipſa ſua actione, quæ & eſt à Deo, & ab ipſa voluntate affecta actu primo actualis gratiæ, ſibi commenſurato ſuauiter. Nam Deus per talem gratiam diſponit voluntatem ſuauiter, & fortiter iuxta illud. *Attingit à fine vſq; ad finem, fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.*

Ex dictis colligitur, quod ſicut de ratione facultatis liberæ eſt poteſtas agendi, & non agendi, ita etiam ad liberum vſum ipſius eſt neceſſarium, vt eadem facultas libera etiam, quando applicatur ad agendum recepto actu illo primo retineat adhuc poteſtatẽ non agendi, quæ optime compatitur ſecum actum ſeu operationem, quam voluntas exercet. Et ſane iuxta ſententiam D. Tho. 1. 2. q. 6. art. 3. & q. 71. art. 6. Ad primum. nomine actus, non ſolum comprehendimus reſpectu poteſtatis ipſius voluntatis actum poſitiuũ eius ſeu actualem operationem poſitiuam eius, ſed etiam comprehendimus negationem actus liberi cum aduertentia humana: ſiue hoc conſiſtat in poſitiua nolitione, ſiue in non volitione. *D. Thom.*

Secundò ſequitur ex dictis eſſe implicationem, quod voluntas ſit libera in actu ſecundo conuerſionis, aut electionis, & quod non ſit libera in actu primo præuio, per modum principij in eadem voluntate, & è conuerſo etiam quod voluntas ſit libera in actu primo per auxilium, quod recipit, & quod non ſit libera etiam in actu ſecundo, & ita repugnat eſſe liberam in actu primo, & quod nõ poſsit liberè vti eodem auxilio iam ſupernaturalicata (vt ſic loquar.) Nam certe efficax Dei gratia tribuit vires voluntati non quaſcumq; ſed cũ modo libero agendi eius, neq; auferendo liberum iudicium, aut conferentiam, & collationem intellectus, aut poteſtatem ad oppoſitũ. Ille autem vſus liber auxilij Dei ſicut eſt donum Dei, ita etiam eſt à Deo ſupernaturali authore gratiæ, & donorum, & bonorum omnium: quia omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Rurſus cum Deus præuenit omnem noſtram dilectionẽ, primũ æterna præelectione, deinde tẽporali vocatione per ſpecialem, & præuiam gratiam

tunc

tunc ipsa dilectio, & electio nostra producitur verè, & à gratia excitante, & adiuuante, quod sanè, neq; impedit libertatem in actione nostra, neq; in habitudine intrinseca quam habet ad ipsam volũtatem agentem. Et consequenter sicut in actu ipso libere se habet voluntas, ita etiam, & in principio actus dato per modum actus primi, quia principiũ illud non necessitat voluntatem, quod solerter aduertit Stapletonus lib. 5. de præparatione ad iustitiam pag. 108.

ASSERTIO QVARTA.

Dico quarto. Libertas non consistit solum in eo, quod est agere libenter, & spõtanee seu volũtariè præcise, quamuis hoc fiat cum aduertentia rationis, & cognitione eius, sed vlterius requiritur potestas agendi, & nõ agendi, per quam homo seu creatura rationalis habet dominium in proprias actiones, seu indifferentiã quandam in agendo ex eo, quod facultas sic agens, & operans non est determinata ad vnũ ex sua natura, sed potest hoc, vel aliud, vel oppositum velle, & nolle, aut non velle. Hæc assertio sequitur ex omnibus antedictis, & est D. Tho. locis citatis, & est de fide, nam sequitur ex omnibus locis scripturæ superius citatis, & ex cõmuni omnium Sanctorũ Patrum consensu, quos retulimus. Vnde in actibus humanis reperitur hæc perfectio, & conditio specialis libertatis, quæ sita est in hoc dominio nostrarum actionum, & in hac indifferentia, quam explicuimus. Quo fit, vt explodendus sit modus ille loquendi, qui apud quosdã inualuit, in quo omnẽ actũ, qui nt e spontanee libenter, & non inuite liberũ appellant, quamuis fiat absq; vlla indifferentia, & ex necessitate absoluta, nam talẽ appellat amorem beatificũ, cum tamen amor ille, sicut & visio ipsa in beatis sint actus necessarij, de qua re nos alibi diximus. Rursus Ecclesiastici 15. scriptura apertissime clamat veritatẽ nostræ assertionis cum ait. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Adiecit mandata, & præcepta sua, si volueris mandata seruare conseruabunt te. Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* Et Deutero. 30 *Testes mucco cœlum, & terrã, quod proposuerim vobis bonum, & malũ, elige ergo, &c.* In quibus locis apertè explicatur liber vsus voluntatis. Vnde hæc duo, nempe facultas libera, quæ verè habet dominium suorũ actuũ, cum indifferentia ad eliciendum hunc, vel illũ actum, vel ad non eliciendum, & vsus liber huius facultatis, & potestatis, quãuis mutuo fœdere conueniant: tamẽ distincta sunt quoniam facultas libera cum dominio suarum operationum, & cum prædicta indifferentia pertinet ad potentiam ipsam, & habet modũ actus primi, cæterum vsus ipse liber, est actus secũdus, seu operatio iam libere exercita, & sanè hic vsus liber nõ potest esse vnquã sine facultate libera, quia actus secũdus supponit primũ. Cæterũ facultas libera quãdo solũ habet rationẽ actus primi bene fieri potest, vt separetur ab actuali vsu libertatis, quia Deus pro sua omni potentia potest necessitare voluntatem actualiter, quamuis non possit eã cogere, neq; violentiã ei inferre, proprie loquendo de coactione. Quapropter non solũ est certum in nobis esse libertatem per modum actus primi seu facultatẽ liberã, sed etiã vsum liberũ, quẽ exercet voluntas quatenus est domina suarũ actionum: & ita fit, vt voluntas non solum sit libera à coactione, sed etiam à necessitate, quia libertas, & vsus liber nõ solum repellit coactionem, sed etiam necessitatem.

S. Thom.

Ecclesiastes 15.

Deuteronomij 30.

Vt libertatis natura amplius explicetur alii qui Theologi distingũt libertatẽ in naturalẽ, & moralẽ, ita sanè vt naturalis libertas præcedat moralẽ. Primus gradus libertatis naturalis præcise consistit in illa indifferentia, ad agendũ hoc vel illud, vel ad agendũ, & nõ agẽdum sine vllo prorsus respectu ad regulã moralẽ prudẽtiæ, & hic gradus libertatis potest cõpetere amentibus, & pueris antequã attingant perfectũ rationis vsum. Secũdus gradus libertatis includit primũ, & cõsistit in illa potestate indifferentiæ, ad agendũ bene, vel itale moraliter cum respectu ad regulam moralẽ prudentiæ. Et sanè primus gradus libertatis, qui pertinet ad naturalẽ libertatẽ potest reperiri, sine posteriori gradu libertatis moralis. Quia libertas seu indifferentia in agendo proportionatur cognitioni, sed potest dari cognitio sufficiens, ad iudicandũ aliquid esse magis bonũ in ordine ad naturam, vel in ordine ad delectationẽ, & potest dari etiã cognitio sufficiens ad iudicandũ de rebus artificiosis, hoc esse magis bonũ quã illud, ac proinde esse magis acceptandũ: & non ad discernendũ inter bonũ, & malũ morale cum respectu ad regulã moralẽ, & ad prudentiã, vel ad honestatẽ. Vt apertè cõstat in amẽtibus, qui de rebus artificiosis iudicant melius esse hoc quã illud, & in rebus naturalibus iudicant melius esse seipsos conseruare, quã præcipites dare, & tamen non cognoscũt discrimẽ inter bonũ morale, honestũ, & prauum: potest igitur dari primus ille potestatis gradus sine posteriori. Et quidẽ nos de vtraq; libertate loquimur, quia vtraq; reperitur in hominibus, in cordatis verò, simul cũ primo gradu libertatis reperitur secũdus, qui pertinet ad libertatẽ etiã moralẽ.

Quod verò quamuis nostra voluntas, sit libera, & habeat dominiũ suarũ actionũ, nihilominus, quod necessitari possit à Deo communiter fatentur Theologi. Nã cũ in voluntate sit potestas volendi, & nolendi, & non volendi, & hæc potestas sit finitæ efficaciæ, & virtutis in creatura rationali, sequitur, quod potest à Deo qui est infinitæ efficaciæ, & virtutis superari, & necessitari, ita vt nõ habeat in tali casu resistentiã, neq; possit resistere, aut

Quod possit voluntas à Deo necessitari.

vti poteſtate quam habet ad nolendū, & conſequēter in eo caſu, & in tali actu non habebit de facto vſum libertatis ſuæ, quāuis alias facultas in ſeipſa libera ſit. Et confirmari hoc poteſt, quia poteſt Deus mouere voluntatē ſine ſuo modo libero, & ſine propoſitione obiecti cum indifferentia, ſed potiùs cū illatione neceſſitatis, & non ſinendo voluntatē, vt vtatur ſua facultate libera. Rurſus ſtante iudicio neceſſario, & à natura infixo, appetitus, eſſet cō formis iudicio infixo, quia ſi nihil aliud appareret, neq; fuiſſet oſtēſum voluntati, vnquam niſi vnū ſingulare, & indiuiduū bonū, & obiectū, certè voluntas nunquā poſſet ferri in oppoſita contrariè: ergo in tali caſu ex defectu fundamēti libertatis, & ex carentia radicis voluntas nō poſſet vti ſua libertate eſſentiali in ordine ad cōtrariè oppoſita, imò vero reſpectu obiecti infiniti intuitiuè cogniti, quale Deus eſt, ex præfecta, & faciali eius viſione, & cognitione prouenit, vt amor eius in beatis ſit neceſſarius, & neceſſario ametur, quoniā talis cognitio perfecta viſionis oſtendit in Deo clare cognito, & viſo omnē, atq; perfectā rationē boni. Vnde cū Deus libere amatur id quidē veluti ex radice naſcitur ex imperfecta, viæ cognitione, qua ita cognoſcitur obſcurè, vt homo ſibi fingat aliquā rationē mali apparentē, ob quā non ametur, imò vero dānati in inferno ex praua cognitione, & peſsimo iudicio erga Deū, non ſolū ipſum non amant, ſed odio proſequūtur. Quapropter bonitas diuina imperfectè oſtēſa volūtati relinquit eādem voluntatem liberam ad vtrumlibet.

Ex dictis colligitur vltimò, quòd cū duplex ſit modus operandi à principio intrinſeco, vnus quidē eſt, cū determinatione neceſſaria ad vnū, & ad vnā partē tantū. Et hic modus operādi dicitur modus agendi naturæ. Quòd ſi in appetitu rationali, reſpectu alicuius obiecti hoc inueniatur, tūc dicitur volūtas appetere illud, vt natura eſt, ſeu naturaliter, vt S. Tho. expreſſe docet 1.2.q.10.art.1. Alter vero eſt modus operandi à principio etiā intrinſeco cum quadam indifferentia, & cum libertate à neceſsitate, qui modus eſt proprius voluntatis; ac proinde libertas operationis eſt perfectio operātis, non quomodocumq;, ſed reſpectu operantis cum indifferentia, & non cōparatione cuiuſcumq; obiecti, imò vero reſpectu alicuius, ſentio maiorē eſſe perfectionē agere, cū hac indifferentia, & cum hac libertate, quam neceſſario operari. Quare aliquando prouenit ex perfecta cognitione alicuius obiecti velle, & amare libere illud obiectū, quod ſi neceſſariò appeteretur eſſet imperfectio; tale ſanè eſt omne obiectū creatum, in quo poteſt apprehendi aliqua ratio mali, & boni, ex quo prouenit, vt ita ametur, vt poſsit nō amari, aut odio haberi ab eo, qui perfectiſsimè cognoſcit obiectū creatū; è cōuerſo vero ex perfecta, & intuitiua cognitione perfectiſsimi obiecti quod eſt Deus euenit, vt neceſsario ametur, vt dictū eſt. Quod ſanè eſt valde perpēdēdum pro ijs, quæ inferius dicēda ſunt à nobis.

S. Thom.

DISCVRSVS III.

Vtrùm libertas ſit formaliter ſolum in voluntate, an verò etiā in intellectu. Et de radice libertatis, & indifferentia eius in homine, Deo, & Angelis.

De hoc diſcurſu elegāter infra agitur in fine libri, & operis, Sectione 7.

LABEMVS In hoc diſcurſu Durandū aduerſariū in ſecundo diſt. 24.q.3. dicentē, intellectū, & voluntatē eſſe ipſum liberum arbitriū, ac proinde vtramq; potentiā, eſſe formaliter liberā, intellectū vero ſeu rationē prius habere libertatē, ita quidem vt tā ratio, quā intellectus magis habeāt de libertate, & priùs. Fundamētū huius ſententiæ eſt, quia illa potētia eſt formaliter libera, quæ in ſe habet indifferētiā, ſed intellectus priùs, & meliꝰ habet indifferētiā: imò vero eſt principiū, & fons illius indifferētiæ, quæ eſt in volūtate: ergo intellectus eſt formaliter liber, & prius liber. Oſtēdo cōſequentiā, quia libertas volūtatis depēdet ex indifferētia intellectus. Si enim intellectus haberet determinationem ad vnū tantū, & iudiciū determinatū, & infixū careret radice, & principio libertatis, & indifferētiæ, quæ eſt in volūtate, ac proinde volūtas eſſet appetitus omnino determinatꝰ, & nō ad oppoſita, tota ergo ratio libertatis, quæ tribuitur volūtati dicit habitudinē intrinſecā, & depēdentiā ab intellectu, & ratione tāquā à primo fonte libertatis, & tanquā ab habēte indifferētiā in origine, & radice prius, & melius, ergo intellectus eſt formaliter liber. Quo circa Ariſt. 9. Metaph c. 3. vocat potētias rationales liberas, intellectus autē eſt formaliter rationalis: ergo formaliter liber. Nā volūtas eſt potētia cæca, & quæ ſequitur ductū rationis, vnde cōmuniter definitur liberū arbitriū, quod eſt facultas rationis, & voluntatis. Et cōfirmari poteſt hoc fundamentū, quoniā ſi ratio non eſſet formaliter libera, quādo cōcludit iudiciū ſuū, pari ratione voluntas non eſſet libera in ſua electione, quia volūtas, non poteſt aliud eligere, niſi illud quod ratio concludit eſſe faciendum poſt deliberationem.

Ariſt. 9. Metaph.

Secūda ratio, ſeu fundamentū pro eadē ſentētia eſſe poteſt, quia tā intellectus, quā volūtas non poſſunt cogi, & vtraq; potētia eſt indifferēs, ad agēdū, & non agendū, & ad agēdū hoc vel illud, & ad iudicandū hoc vel oppoſitū. Nā quāuis intellectus in rebus neceſſarijs, de quibus habet lumē ſufficiēs nō poſsit aliter iudicare, quā res ſe habeat, tamē in rebus cōtingētibus, probabilibus, & dubijs, de quibus ſolū eſt conſultatio, & deliberatio, non tenetur adhērere potiꝰ vni parti, quā alteri: ergo libertas formaliſetiā cōpetit intellectui, & rationi.

Quod

Quod verò intellectus sit priùs & magis liber, quam voluntas, Probatur, quoniam actus, qui primò sunt liberi antecedenter ad omnes alios sunt conclusio syllogismi moralis & iudicium rationis, seu conclusio iudicij, sed huiusmodi conclusio deliberationis, consultationis, & iudicij præcedunt electionem voluntatis: ergo prius est liber intellectus. Rursus conclusio illa iudicij, & consultationis liberior est, quam ipsa electio: nam electio determinatur a conclusione iudicij & non è conuerso: ergo ratio est priús & magis libera quam voluntas. Et confirmari hoc potest, quoniam libertas voluntatis dependet à ratione & non è contra, vt perse patet: ergo ratio multo magis libera est, quam voluntas & prius. Nam si potentiæ rationales sunt liberæ, vt Arist. dixit, illa potentia erit prius & magis libera, quæ prius & magis est rationalis, hæc autem est ratio ipsa seu intellectus, quod maxime est verum, quia voluntas dependet a ratione, & liberũ dicitur esse id quod est gratia sui, & inde pendens ab alijs vt 1. Metaph. cap. 2. Philosophus docuit. Et confirmari iterum hoc potest, quoniam radix libertatis sita est in illa notitia contingentiæ mediorum ad finem, notitia vero mediorum est in ipsa ratione: ergo radix libertatis est ibidem: ergo cum ratio ipsa non solum sit libera, sed etiam sit causa, cur voluntas libera sit sequitur rationem ipsam magis liberam & prius liberam esse.

Aristot.

Henricus & Scotus.

Henricus quodlibeto 1. q. 16. & Scotus in 2. dist. 25. quamuis sentiant voluntatem non solum esse formaliter liberam, sed etiam esse ipsum liberum arbitrium, sentiunt tamen ita esse liberam voluntatem vt neq; pendeat à ratione & intellectu neque determinetur à iudicio practico eius, & ex consequenti dicunt rationem, neque esse formaliter, neque radicaliter liberam; non quidẽ formaliter, quia intellectus repulsis omni errore, & ignorantia necessario iudicat de rebus, sicut res se habent, & non libere. Rursus ratio seu intellectus nõ est radicaliter liber, quia radix libertatis significat veram causam eius; ratio vero, nõ est vera causa libertatis voluntatis, sed solum est conditio sine qua non esset libertas in voluntate.

Alexand. Alensis.

Alexander Alensis in 2. parte summæ, q. 72. membro primo artic. 3. putat liberum arbitrium esse potentiam quamdam particularem distinctam à ratione, & voluntate. & cõsequẽter tenetur dicere libertatem formaliter reperiri in tali potentia, quæ & est liberum arbitrium, & distinguitur à voluntate. Fundamentum huius sententiæ est, quoniam Deus fecit animam ad imaginem suam, quæ cũ sit Trinitatis imago sequitur quod mens seu rario optime refertur ad filium, qui est verbum, & sapientia patris: voluntas vero ad Spiritum sanctum, qui est bonitas. Ex quo intulit Alensis necessario esse constituendam aliquam aliam potentiam distinctam motricem aliarum, quæ correspõdeat patri, cui tribuitur potẽtia, atq; adeo hanc tertiam potentiam motricem distinctam à prioribus esse id quod appellatur liberum arbitrium.

De hac difficultate S. Thom. 1. parte quæstione 83. art. 1. 2. & 3. & 1. 2. q. 13. & in secundo sententiarum, distinctione 24. q. 1. & de veritate quæstione 24. & cum eo Caiet. Contadus eiusq; discipuli suæ familiæ, inter quos est Capreolus in 2. distinctione. 24. & eodẽ loco Ricardus aperte sentiunt liberum arbitrium hominis esse potentiam vnam particularem, nempe voluntatem, & hanc esse liberam, radicem tamen libertatis esse in intellectu & ratione. Secundo dicunt voluntatem non solum pendere ab hac radice libertatis, verum etiam determinari à iudicio practico intellectus, ac proinde pendère à tali iudicio rationis practicæ, de qua re statim dicemus.

S. Thom. Caiet. Conradus & Capreol. Richardus.

Quocirca Sanctissimus præceptor scholasticæ Theologiæ Magister & princeps, vt explicaret, quo pacto homo esset liberi arbitrij, quia alias frustra essent consilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia & pœnę, aduertit quædam esse agentia quæ absque iudicio agunt & operantur sicut ignis, qui mouetur sursum sine vlla cognitione, sed ex necessaria naturæ determinatione; sicut lapis, qui mouetur deorsum, & omni cognitione carentia. Quædam vero esse agentia, quæ agunt ex cognitione & iudicio sed non libero sicut bruta animalia. Nã ouis viso lupo apprehendit eum sub ratione mali, & disconuenientis, & vt fugiendum iudicio naturali & non libero: quia non iudicat ex collatione & conferentia, sed ex naturali instinctu, seu ex iudicio infixo à natura. Homo vero agit iudicio libero, quoniam agit ex conferentia & collatione & ex consultatione, iudicatq; per vim cognoscitiuam intellectualem aliquid esse prosequẽdum, vel non prosequendum, aut fugiendum. Sed quoniam huiusmodi iudicium ex conferentia & collatione, aut consultatione procedens non est à natura infixum, hoc est, ex naturali instinctu in particulari operabili, sed potius ex prædicta collatione rationis, idcirco homo agit iudicio libero potens ferri in diuersa & opposita. Quoniam ratio quãdo versatur circa contingentia habet & concipit viam ad opposita, & quidem particularia operabilia sunt contingentia quædam & idcirco iudicium rationis circa illa se habet ad diuersa, & non est determinatum ad vnum tantum, ac proinde necessarium esse hominem esse liberi arbitrij, ex eo quod rationalis & intellectualis est. Quæ doctrina in hoc discursu amplius & à suis fundamentis explicanda est.

S. Thom.

De hac doctrina agendum est fuse in fine huius operis & libri Sectione Septima.

PROPOSITIO PRIMA.

DIco primo. Res omnes ratione carentes, etiam si cognitione aliqua præditæ sint vt bruta animalia, carent etiam libertate ob imperfectionem suam, è contrario vero omnia

agentia intellectualia, & rationalia ſunt agẽtia libera. Quo fit vt negatio vſus rationis ſit adęquata & ſufficiens ratio carẽtiæ libertatis. Prima pars huius aſſertionis conſtituitur à me cõtra recẽtes & nouos Theologos, qui dixerunt verosimile eſſe in brutis animalibus eſſe libertatẽ quamdã, quoad aliquos motus, ita vt in eorũ poteſtate ſitũ ſit in vnam aut in alteram partẽ moueri, ſubiungit tamẽ hæc ſententia eſſe veſtigium quoddam libertatis in belluis, quia ſi bellua ex diuturna ſeſsione fatigata appetit ambulare, tunc ſi ex notitia ſpeciali, & ex appetitu alicuius obiecti nõ trahitur in aliquẽ locũ in poteſtate eius ſitum eſt indifferẽter in vnã vel in alteram partẽ moueri, & hoc veſtigiũ libertatis, ſeu hanc libertatẽ concedũt brutis & belluis. Quia volunt in potentijs brutorũ, & in appetitu ſenſitiuo belluarũ eſſe proximã quamdã rationem contingentiæ in ſuis actibus: & de hac re optarẽ ego ferulã ſedis Apoſtolicæ & Maiorũ: quoniam res hæc indiget animaduerſione propter incommoda quæ ex ea ſequuntur. Contra quã quidem ſententiã fuſius egimus 1.p.q.14.art.13.diſpu.2. in appendice ad præcedentia. Nos enim exiſtimamus negationẽ vſus rationis eſſe adęquatã omnino rationẽ negationis libertatis, & carentiæ eius, nã in pecudibus eſt illa carentia collationis, & cõferentiæ cũ habitudine ad indifferentiã obiecti vel medij, & conſequenter in eis eſt carentia libertatis. Homo verò quãuis in gradu intellectuali ſit in infimo ordine, tamẽ quia pollet ratione & cognitione cũ habitudine ad bonũ vniuerſale & ad conſultationẽ, collationem & conferentiã circa cõtingentia & cũ radice contingentiæ dicitur habere libertatẽ. Hanc verò à fortiori eſſe in vniuerſis agentibus creatis, quæ intellectu pollẽt & ratione, atq; vſu eius à nemine dubitatur.

Author 1. p.q.14. art. 13.

Principium autẽ proximũ actionis liberæ neceſſario debet eſſe potentia aliqua ſubſtantiæ intellectualis, quatenus intellectualis & ſpiritualis eſt. Hoc dico propter rationalem animã, quæ cùm ſit in homine prædito organis corporeis & facultatibus materialibus, illæ non ei conueniunt ſecundũ gradum intellectualẽ, ſeu quatenus habet ſpiritualem animã, & vt intellectualis eſt, & idcirco tales facultates non poſſunt eſſe proxima principia liberę actionis. Fundamentum huius rei eſt, quoniã proximum principiũ debet eſſe conforme, cõſentaneũ, & accõmodatum principali. Rurſus etiã, quia nullum agens habet dominium ſuæ actionis, niſi quatenus intellectuale eſt: ergo pari ratione non habet hoc dominiũ niſi per potentia & facultatem pertinentẽ ad gradũ intellectualẽ, qui vt intellectualis eſt, nõ poteſt non eſſe immaterialis ſecundũ ſe, & ſecundum potentias ſibi proximas, & neceſſario coniunctas. Sed aduerte, quod cum hic loquimur de principio proximo actionis liberæ, id quidem intelligendũ eſt de actione propriè libera & immediatè libera in ordine ad ſuum immediatum principiũ; & iſto pacto affirmamus proximũ pricipiũ actionis liberæ eſſe facultatẽ ſpiritualẽ, quia principiũ proximũ actionis, quæ tantũ eſt imperatiuè libera poteſt eſſe facultas materialis, qualis eſt potentia motiua ſecundum locũ, quæ reſidet in membris corporalibus: nam hæc poteſt eſſe ſubordinata ſuperiori potentiæ ſpirituali, & intellectuali, & rationali etiã appetitiuæ, in qua reperitur propria vis dominandi in ſuis actibus, qua median te habeat vim in inferiori potentia & in eius actionem ſibi ſubordinatam. Ex quo aperte ſequitur quod quamuis actio imperatiue libera ſecundum ſuam entitatem proxime & phyſicè fiat ab alia potentia, tamen denominatio libertatis in ea non eſt, niſi ab illa altera ſuperiori potentia, medio actu eius libero.

An verò ſit aliqua libertas in appetitu ſenſitiuo hominis propter coniunctionẽ, quã de facto habet cũ gradu intellectiuo, & quantũ ad ea, quæ in ſe ipſo formaliter participat appetitus ſenſitiuus in nobis, in quantum procedit ex anima rationali, ſeu quatenus appetitus ſenſitiuus ſubordinatur in homine potẽtiæ cogitatiuæ, id quidẽ nos fuſè diſſeruimus 1.2.q.74.art.3. Diximus enim in appetitu ſenſitiuo nullã eſſe libertatẽ, præcipue, quæ ſit principiũ peccati aut mali moralis, & ex conſequẽti neq; eſſe cõſtituendã in appetitu ſenſitiuo libertatẽ eſſentialẽ neq; naturalẽ, neq; moralẽ vt loco citato fuſius diximus. Quod ſi obijcias: Libertas appetitus naſcitur ex indifferentia potẽtię cognoſcitiuę proponẽtis obiectũ, ſed in cogitatiua hominis, cui ſubordinatur appetitus eius inuenitur aliqua indifferẽtia. Nã æſtimatiua pro vt eſt in nobis propter coniunctionẽ cũ gradu intellectiuo, vtitur comparatione, & diſcurſu circa particularia, vt docet S.Thom.1.p.q.78.ar.4. ergo ſicut appetitus ſenſitiuus hominis propter coniunctionẽ, quã habet cũ gradu intellectiuo eſt perfectior, quã in brutis, ita quidẽ ob eamdẽ rationẽ videtur quod habeat aliquid libertatis. Profecto aliquando euenit, vt paſsio orta in appetitu ſenſitiuo extenuetur, aut ſedetur adductis rationibus per intellectũ: ergo habet appetitus ſenſitiuus aliquam libertatem, nam certe quod eſt libertatis omnino expers, non mouetur perſuaſione facultatis cognoſcitiuæ, ſed potius ex determinatione propriæ naturæ.

Author 1. 2.q.74.

S. Thom. 1. p.q. 78. ar. 4.

Reſpondetur negãdo minorẽ. Nã quamuis in cogitatiua hominis reperiatur veſtigiũ aliquod imperfectũ diſcurſus, ex hoc tamẽ non ſequitur quod pari modo aut proportione ſit libertas in appetitu ſenſitiuo hominis, quoniã cogitatiua non proponit appetitui ſenſitiuo obiectũ cũ indifferentia ad oppoſitũ, ſed magis cũ quadã determinatione ad vnũ tantum: & conſequenter determinate mouet ipſum ſecundũ illud vnũ vt expreſſe docet, S. Thom. de virtute ſenſitiua in cõmuni reſpectu appetitus 1.p.q.82.ar.2.& 3. Quocirca quando dicitur quod libertas potentiæ appetitiuæ ori-

D.Thom.1. p.q.82.

tur

tur ex indifferentia cognoscitiuæ, id intelligitur de indifferētia in proponēdo & mouendo, ita sanè q̄ talis indifferentia in proponendo, & mouendo procedat ex eo quod cognoscitiua vis vtatur collatione & conferentia, & cōsultatione, qua ex tali cognitione & ex pōderatione bonitatis obiecti iudicat quasi in actu exercito amandum esse sine exclusione oppositi, & ita proponit ipsum potentiæ. Vnde S. Thomas loco citato colligit, potentiam sensitiuam mouere cum determinatione ad vnum appetitum ipsum ex eo, quod non vtitur hac conferentia & collatione.

Rursus ex eo quòd appetitus sensitiuus in nobis sit perfectior, quā in pecudibus non sequitur quòd secundū se aut sine subordinatione ad motionē voluntatis habeat libertatē vt Caiet. credit. Quia excessus ille in perfectione potest cōsistere in hoc quod in nobis est aptus obedire rationi, vnde S. Thom. loco citato 1. p. q. 78. art. 4. tolū docuit & voluit manifestare & indicare nobis cogitatiuā in homine habere hāc excellentiā, quod quantū ad intentiones, quas ibi distinguit à formis sensibilibus, cuiusmodi sunt cōmoditates & nocumenta propriæ naturæ, vtitur collatione, & cōparatione quadā. Et in hoc loco nō intellegit S. Thom. neq; loquitur de collatione propriè sumpta, qua ex cognitione proprietatū, quæ extremis cōueniunt, & ex cōparatione earū inter se colligitur vnū extremū esse alteri cōueniens aut discōueniens: sed loquitur S. Thomas de quadā imperfecta collatione, quæ cōsistit in hoc, quod cogitatiua veluti quadā recordatione ex vno in aliud, quasi inuestigādo progreditur. Cōstat autē quod ad discursum requiritur prior collatio & cōferentia & nō sufficit hæc posterior. Ad illud verò, quòd passio appetitus sensitiui solet aliquando sedari, adductis rationibus per intellectū, & quod ex hoc videtur colligi aliqua libertas in appetitu sensitiuo: Respōdetur negando quod ex hoc sequatur talis libertas. Vnde in cognitione sensitiua, qua mouetur ipse appetitus non reperitur persuasio proprie sumpta ex consultatione, & collatione proueniens, nam in cognitione sensus solum reperitur quędam apprehēsio obiecti ad vnū tātum determinata. Et quāuis passio appetitus sensitiui solet aliquando extenuari, vel augeri excogitatis rationibus ab intellectu, & applicatis simul & determinatis ad particularia per cogitatiuam, tamē hæc omnia solum fiūt per modū cuiusdam apprehēsionis obiecti cum determinatione ad vnū, & non per modum persuasionis discursiuę collatiuæ, & cum cōsultatione. Vtrum verò possit appetitus sensitiuus hominis habere aliquē modū libertatis si per impossibile moueretur immediate à cognitione intellectuali cū quadā indifferentia simili sicut est illa, quæ nūc reperitur in nostro intellectu, & nō à cognitione sensitiua neq; mediante illa, id quidē nunc solū propono & nō definio, quia nō vacat locus disputandi omnia, & quia ex his, quæ diximus 1. 2. loco citato facile quis conijciet multa, quæ dici possent in hac parte.

Ex dictis ergo facile satis colligitur rationem adæquatam carentiæ libertatis, & negationis eius esse negationem vsus rationis, & carentiam omnimodam collationis, & conferentiæ, quod quidem facile deducitur ex sententia Diui Thomæ. 1. parte quæst. 83. art. 1. & deinceps.

PROPOSITIO SECVNDA.

Dico secūdo. Libertatem formaliter reperiri in voluntate: in intellectu verò tanquam in radice & vero eius fundamento. Hanc assertionem tenet sanctissimus præceptor 1. part. quæst. 83. ar. 3. & 1. 2. quęst. 13. ar. 1. & 6. & in eisdem locis Cardinalis Caietanus idemque censent discipuli omnes diui Thomæ Conradus & plerique alij ex familia D. Thom. Capreolus etiam locis supra citatis, & id ipsum repetit S. Thom. in 2. distinctione 24. quæstione 1. Et extra Scholam diui Thomæ sequūtur eum Scotus in 2. distinctone 25. Henric. quòdlib. 1. quæst. 16. & Richardus in 2. distinctione 24. Robertus Bellarminus tomo 3. lib. 3. de Gratia, & libero arbitrio cap. 8 propositione 5. *D. Tho. Caiet. Capreol. Conradus Scot. Henr. Ricard. Bellarm.*

Est conclusio hæc contra Durandum in 2. distinctione 24. quæstione 3. cuius argumenta supra retulimus in principio discursus. Putat enim intellectum & volūtatem complere simul libertatem arbitrij, ita vt vtraque potentia sit formaliter libera, imo verò intellectum esse prius, atque perfectius liberū propter rationes ab eo superius assignatas, quoniā intellectus est perfectior potentia rationalis, quia solus ipse est proprie & quasi essentialiter rationalis, voluntas verò cæca cum sit solū participatiuè & per quamdam subordinationem quatenus est apta dirigi & gubernari à ratione: ex quo intulit intellectum esse primario liberum, & in discursu quæstionis insinuat liberum arbitrium formaliter consurgere, ex intellectu & voluntate. Et videtur hæc sententia plausibilis Magistro Sententiarum dicenti quod liberum arbitrium est facultas voluntatis & rationis collectiue, & consequenter insinuat veram rationem formalem liberi arbitrij non in sola indifferentia intellectus, aut in solo iudicio, aut in sola electione voluntatis consistere sed in vtrisq; simul. Et in hac re Durand. quamuis verissime dicat liberum arbitrium esse in intellectu & voluntate; & verissime etiam affirmet intellectum esse potentiā essentialiter & intrinsece rationalem, apprehēderēq; obiectum cum quadam indifferētia, & potiorē esse potentiā relatum ad voluntatē, tamen decipitur in eo quòd credidit formalē libertatem esse in intellectu, vt inferius fusius aperiemus. Forte deceptus est, quia Sanctus Thom. 1. 2. quæst. 1. attic. 1. dixit liberum ar- *Magist. Sētent.*

bitrium eſſe facultatem libertatis, & rationis, &c.

Eſt etiam poſita aſſertio contra modũ dicendi quorundam, qui crediderunt libertatem formaliter eſſe in ſolo intellectu, ob id, quod voluntas determinatur omnino ad electionẽ à iudicio intellectus, ita ſanè, vt neque ſine illo poſsit determinari ad aliquid agendum, neque etiam illo poſsito in particulari poſsit non cõformari illi, aut ab eo diſcrepare. Nam ex hac doctrina videtur ſequi, voluntatem non eſſe liberã formaliter. Primo, quoniã volũtas in ſua determinatione magis paſsiuè quam actiuè ſe gereret: quia ex ſuppoſita doctrina voluntas cum quadam neceſsitate ſequitur motionẽ alterius potentiæ: formalis autem libertas non videtur poſſe eſſe in potentia vt mota, ſed vt in ſe mouente. Rurſus ſecundò, quia ſi iudicium rationis eſt vnum ex requiſitis vt voluntas operetur, & poſito illo iudicio non eſt in poteſtate voluntatis non agere, ſi ſancitum & iudicatum eſt agere; ſequitur quod non eſt in poteſtate voluntatis agere, & non agere, ſi intellectus protulit iudicium ſuum de nõ agendo: atque ita non erit in poteſtate voluntatis agere & non agere poſitis antecedenter omnibus requiſitis ad agendum.

Hoc ſanè poteſt amplius illuſtrari in potentijs executiuis. Nã potẽtia v.g. motiua poteſt mouere & poteſt ceſſare à motu, & poteſt efficere hunc motũ vel contrariũ & tamẽ nõ eſt formaliter libera, quia id non valet, neq; poteſt quaſi ſe agẽs, ſe determinãs, aut ſe mouẽs, ſed veluti mota, & veluti ex neceſsitate ſequẽdo voluntatis motionem; Et idem apparet iendum de voluntate ſi eadem neceſsitate obtemperet iudicio intellectus.

His ita prælibatis probatur concluſio ex omnibus locis Sacræ Scripturæ ſupra citatis, in quibus palam oſtenditur libertatem formalem ſolum in voluntate reperiri, Eccleſiaſtici, 15. *Ante hominem vita, & mors. Quidquid placuerit ei dabitur illi, &c.* 1. Corinthiorum 7. *Non habens neceſsitatem, ſed poteſtatem habens ſuæ voluntatis.* Et Deuteronomij 30. *Teſtes inuoco cœlum, & terram, quod propoſuerim vobis bonum & malum, elige: ergo &c.* Et paulò antea in eodem capite habetur; *Conſidera, quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem, & malum vt diligas dominum Deum tuum, ſi autem auerſum fuerit cor tuum, & audire noluerit &c.* Ex quibus locis apertiſsimè deducitur libertatem formaliter reperiri in hac poteſtate actiua agendi: & non agendi quæ eſt in voluntate. Sancti patres plerumque dicunt in homine eſſe liberum voluntatis arbitrium, vt oſtendant libertatem formaliter eſſe in voluntate. Et idcirco Damaſcenus lib. 2. fidei cap. 25. dixit liberum arbitrium eſſe poteſtatem eligendi, electio verò eſt actus voluntatis. Et præterea cum ſancti loquũtur de libero arbitrio ipſum vocant voluntatem. Ita D. Bernardus lib. de Gratia & libero arbitrio. D. Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 1. 2. & 3. & deinceps, Gregorius Niſenus lib. 7. Philoſophiæ. Optatus lib. 7. contra Parmenianum. Et non legimus apud antiquos patres aut Theologos libertatem formalem eſſe in intellectu ſed radicalem. Et ſanè nulla alia relinquitur potentia, in qua poſsit eſſe libertas, niſi voluntas.

Pro hac concluſione & pro formali libertate, quæ eſt in voluntate militat fundamentum illud efficax, quod omnis libertas vel eſt quantũ ad ſpecificationẽ, vel quantũ ad exercitiũ: nullus enim alius modus libertatis excogitari poteſt. Sed intellectus formaliter, neq; eſt liber quoad ſpecificationem, neque quoad exercitiũ: ergo nõ habet formalẽ libertatẽ, ſed ſolũ radicẽ eius, ſeu radicale fundamentum ipſius libertatis. Probatur minor huius fundamẽti, quoniã intellectus ex natura ſua determinatur ad aſſentiendũ vero, ſub cuius ratione formali fertur in ſuũ obiectum: & ad diſſentiendũ falſo: quòd ſi intellectus non percipiat certò neutrã iſtarum rationũ in ipſo obiecto apprehẽſo, ſcilicet veritatis aut falſitatis, tunc neq; poteſt elicere actum aſſentiendi, neque diſſentiendi. Ergo nõ eſt liber neque quoad exercitium neq; quoad ſpecificationẽ. Sed hæc probatio, quæ à recentibus Theologis ad oſtendẽdam minorẽ adducitur, nõ mihi probatur: quia fieri poteſt, quòd intellectus nõ apertè, neque euidenter cognoſcat veritatem, vel falſitatẽ, & nihilominus quod appareat rationibus probabilibus & cõiecturis cõtingentibus, vel ex teſtimonio alicuius ſapientis, veritas ipſa obſcure manifeſtetur: & ita dabitur mediũ inter mẽbra illa poſita in probatione. Et conſequẽter etiã poſſet aliquis dicere intellectũ eſſe liberũ quoad ſpecificationem actus. Imò verò quod amplius vrget eſt, quòd intellectus operatur cũ cõferentia & collatione, & cũ cõſultatione ad inueniendã veritatẽ practicã & moralẽ, rectamq; rationẽ agibiliũ, quã attingit prudentia, ac proinde indifferens eſt intellectus ad determinationẽ iudicij cũ quadã radice cõtingentiæ ad hoc vel ad illud: vel ad oppoſitũ: Nã reuera cũ in moralibus procedit ex probabilibus, & cõtingentibus & nõ ex demõſtratiuis principijs aut illationibus contingentiã, & indifferentiam habet ad vtramq; partẽ. Vnde Ariſt. 2. Phyſi. tex. 48. cum diuidit agens, quod aliud ſit ſecundum naturam, aliud a propoſito, putat quidem illud eſſe agens à propoſito, quod ex conſultatione indifferenter ad vtramq; partẽ operatur. Et quidẽ intellectus quãdo ſolũ procedit ex cõtingentibus & probabilibus cũ cõſultatione collationis, & expõderatione huius vel illius rei, tunc quidẽ intellectus habet quamdã indifferentiam reſpectu obiecti, & iudicij terminabilis ad ipſum. Et ſine dubio intellectus applicatus a volũtate ad iudicandũ & conſultandũ aduenientibus hinc & inde probabilibus, & rationabilibus coniecturis, etiam ſe determinat ad talem actum,

Greg. Niſenus optatus.

Eccleſiaſtici 15.
1. Corinth. 7.
Deuter. 30.

Damaſcenus.

D. Bernar.

&

& ad tale iudicium de facto, & in exercitio.

Quocirca aliter ostendi potest minor superioris fundamēti. Nā intellectus circa obiecta apprehēsa & proposita nō dicitur esse indēterminatus, & veluti suspēsus manere, obid quod habeat dominiū sui actus formaliter, sed solū, quoniam obiectum nō est perfectè applicatū vt quasi naturali impetu necessario feratur in illud obiectū: quia eo inclinatur ad verum. Nā certè intellectus non potest esse aliquo modo indeterminatus circa suum actū nisi quia proponitur illi obiectum imperfectè: voluntas tamen circa obiectum perfectè & exactè propositū est domina sui actus, & potest esse indifferens iuxta capacitatem obiecti. Et sanè in intellectu diuino nulla est propriè indifferentia quoad iudicium, quia actus scientiæ illius semper est euidens cum perfectissima manifestatione obiecti: in voluntate autem est indifferentia respectu obiectorum, quamuis obiecta perfectissimè proponantur voluntati.

Sed adhuc sese offert difficultas in hac probatione, quia si volūtati perfectissimè proponatur aliquod obiectū perfectissimū quale, est beatificū, tūc nō habet dominiū sui actus. Nā volūtas fertur necessario in Deū clarè visum, & nō valet suspendere actū suū, quoniā intellectus lumine gloriæ illustratus apprehēdit & videt Deū intuitiuè, absq; vlla indifferentia obiecti ipsum determinate ostēdens volūtati: ergo nō sufficit. Neq; valet dicere, quod volūtas circa obiectū exactè propositū potest esse indifferens aut domina sui actus. Nā in beatitudine exactè proponitur illi obiectū beatificum per notitiam intuitiuam Dei clarè visi, & tamē voluntas non est domina sui actus circa dilectionē huius obiecti, neq; habet vsum libertatis in ea dilectione ad diligendū vel non diligendū Deū quantū ad exercitiū. Malè igitur intulerunt recētes Theologi hāc esse differentiā inter voluntatē & intellectū quod intellectus nō potest vllo pacto esse indeterminatus circa actū suū nisi ob imperfectā propositionē obiecti. Volūtas vero cica obiectū perfecte & exacte propositū potest esse indifferens: nā exactè proponitur in patria obiectū ipsi volūtati, & tamē neq; habet indifferentiā ibi neq; liberū vsum. Et è cōuerso in via ostenso obiecto visi & facilitate adquirendi ipsum cum omnibus circunstantijs & clara cognitione eius, ostensaq; delectatione, quæ in adquisitione obiecti inuenitur, ita vt ex parte obiecti delectabilis perfectè cognoscatur quidquid est in obiecto nullaq; repręsentata de facto discōueniētia volūtas nō appetit illud obiectū bonū siue vtile siue delectabile, & manet domina sui actus cū potestate volēdi, vel nō volendi. Adhæc solēt multi ex Theologis addere quod cognito obiecto bono, & honesto per intellectū cū omnibus circūstātijs tāta est libertas voluntatis, vt maneat cum potestate volēdi vel non volendi illud, de quare alibi diximus 1.2.q.77.art.1.& 2.

1.2 .q.77. ar.1. &.2.

Rursus potest probari volūtatē esse formaliter liberā & nō intellectum ex distinctione obiectorū intellectus & volūtatis, quia formale obiectū intellectus est verum seu veritas. At in eodē obiecto nō possunt simul esse verū & falsum, seu veritas & falsitas, quia veritas cōsistit in indiuisibili, & idcirco per se loquendo & quantū est ex meritis obiecti, semper intellectus est determinatus ad vnū quantū ad speciē actus hoc est ad actū assentiendi vero. Et obid si aliquādo nō satis determinatur intellectus, ob id tātū est, quia obiectū nō perfectè proponitur, neq; perfectè apparet; nō tamē ex intrinseca vi, aut dominio ipsius intellectus super actū suū: volūtatis autē obiectū est bonū potest autē idē obiectū simul esse cōueniēs vel discōueniēs sub diuersis rationibus, & in ordine ad diuersa. Et idcirco sīāte perfecta propositione obiecti, seu cognitione potest appetitus esse indifferens quantū ad specificationem ad prosequendum vel repellendum tale obiectum. Igitur indifferentia quoad specificationem non reperitur in intellectu perse & formaliter loquēdo. Sed de examine huius probationis dicemus inferiùs.

Ostenditur efficaciter esse in volūtate, formalē libertatē.

Sunt etiā grauiores alięrationes, quæ efficaciter ostēdūt libertatē esse formaliter in volūtate, & nō in intellectu, atq; adeo dominiū suarū actionū per se & formaliter esse in volūtate. Prima sit, quia ratio aut intellectus neq; est liber à necessitate, neq; liber à coactione: ergo libertas formaliter nō est in eo; at volūtas est libera à coactione & necessitate: ergo. Quòd vero intellectus nō sit liber à coactione sub ea ratione, qua volūtas est libera à coactione ostēdo, quoniā voluntas dicitur libera à coactione ex eo, quia volūtas nō potest velle quidquam cōtra inclinationē suā vel sui suppositi. Nā ipsa volūtas inclinatur ad omne bonū ac proinde nō potest velle aliquid cōtra inclinationē suā, quia quotiescumq; vult cōfert vim: ac proinde nō potest cogi aut pati violentiā vllo pacto: quoniā fieri nō potest, vt velit quod velle nō vult, & quod cōferat vim, non volendo quod vult, aut è cōuerso, quòd nō cōferat vim cū vult. At vero intellectus propenditur & inclinatur ad intelligendum quidquid habet rationem veri, quamuis eius impulsus & inclinatio non sit totius suppositi, & ob id potest cogid iudicandum & credendū contra inclinationē nō quidem suam & propriam, sed totius suppositi: nam ita dæmones credunt coacti, cōtra inclinationem totius suppositi, & idcirco credunt & contremiscūt. Et plerumq; ægrotātes coguntur credere, se morti proximos esse, quam omnino refugiunt & nollent credere si fieri posset: ergò hæc libertas à coactione reperitur in voluntate & non in intellectu.

Quòd vero intellectus nō sit liber à necessitate formaliter quoad specificationē, ostēdo. Quoniā si proponātur intellectui rationes palmariæ & euidētes, assentitur illis necessariò: si proponantur probabilia argumenta & funda-

mèta opinatur cũ quadam formidine: ſi rurſus proponãtur ei fundamẽta cõtraria & argumẽta æqualiter probabilia, tũc neceſſario dubitat intellectus, niſi accedat inclinatio volũtatis: nõ eſt ergò intellectus liber formaliter quantũ ad ſpecificationẽ libertate à neceſsitate quantũ ad ſpecificationẽ. Quòd vero hæc ita ſint apertè inſinuat Ariſt. lib. 2. de anima tex. 153. vbi dicit nos poſſe imaginari cũ volumus, non tamen, opinari niſi id, quod rationes & fundamẽta oſtendunt & concludunt eſſe opinãdũ. Hoc etiam planè teſtatur experientia ipſa, quia nemo conſultat, an debeat aſſentiri veritati apertè cognitæ, ſed abſolutè & ſimpliciter illi aſſentitur parti, ad quã ducitur ex vi rationũ, & argumẽtorũ. Præterea etiã in his, quæ fidei ſunt, ob id requiritur pia affectio voluntatis, quoniam non adduceretur mẽs noſtra, aut intellectus vt crederet ea, quæ ſuperant omnem rationẽ, niſi accederet pius ille affectus ſuper naturalis: ergò intellectus non habet formaliter eam libertatem, quàm aduerſarij cum Durando illi volunt tribuere.

Ariſt. 1. de anima.

Adducor etiã, quia ſi intellectus eſſet per ſe & formaliter liber, id quidẽ eſſet antecedẽter ad voluntatẽ, quia intellectus eã præcedit nõ ſolũ, quia nihil eſt volitũ, quin præcognitum: ſed etiã quia prius habet indifferentiã ſeu fontẽ & radicẽ libertatis: ſed ex hoc ſequitur hominẽ poſſe peccare antecedẽter ad cõſenſum volũtatis, ſiquidẽ intellectus antecedenter ad hunc conſenſum eſt formaliter liber, & habet dominiũ ſui actus. Imò vero peccaret intellectus ante cõſenſum, primò iudicãdo eſſe faciẽdũ quod alias eſt prohibitũ & non licet. Patet ſequela, ſi in illo actu intellectus eſſet liber formaliter cũ dominio illius iudicij mali. Nam certè ad hoc vt aliquis peccet ſufficit q; poſsit facere, teneatur, & nõ faciat, ſed homo tenetur nõ ſibi malè cõſulere & poteſt hoc facere ſi intellectus eſt formaliter liber, & nõ facit, quia libere male judicat: ergo antecedẽter ad cõſenſũ peccat ſi habet formalẽ libertatẽ poſitiuã cum indifferẽtia ad oppoſitũ. Et vlterius etiã peccaret homo bis in eadẽ re: primõ malè iudicando faciẽdũ eſſe quod nõ licet cũ libertate formali & plenario dominio huius actus, & præterea etiam malè eligendo per voluntatem.

Moueor rurſus, quia ex oppoſita ſentẽtia ſequeretur nõ excuſare à peccato ignorantiã in uoluntariam, inuoluntario voluntatis. Quia ad peccandum non requiritur niſi libertas formalis. Hæc autem iuxta oppoſitam ſententiã eſt etiam in intellectu antecedenter ad voluntatem, imò ante conſenſum illius: ergo intellectus tunc poterit peccare, deinde vero ſi accedat conſenſus voluntatis fiet aliud peccatũ. Hæc autẽ omnia valde abſurda ſunt. Nã certè tunc peccatum non eſſet voluntariũ & tamen Auguſt. lib. de vera religione cap. 14. dicit peccatum ſic adeo debere eſſe voluntarium vt ſi non ſit voluntarium non ſit peccatum.

Reſtat igitur vltimò oſtendere intellectum non eſſe formaliter liberũ à neceſsitate quoad exercitium. Quoniam nulla potẽtia poteſt eſſe formaliter libera quantum ad exercitium, ſi actus eius non eſt voluntarius intrinſecè: ſed operatio intellectus nõ eſt volũtaria intrinſecè: ergò intellectus ipſe nõ eſt facultas libera & formaliter & perſe. Probatẽ maior cũ minori ex declaratione earũ. Nã dupliciter poteſt aliquis actus eſſe volũtarius. Primò quidẽ extrinſecè hoc eſt per extrinſecã denominationẽ ab actu potentiæ mouentis vel applicantis alterã potentiã ad operandũ: qua ratione motio manus vel brachij dicitur volũtaria, quando quis ſponte ſua ſe mouet. Secundò aliquis actus dicitur voluntarius intrinſecè & per ſe, quandò non ratione alterius potẽtiæ, ſed per ſe eſt voluntarius, ſicut eſt actus amoris & dilectionis, nam quid eſt magis voluntarium & ſponta neum, quam amare? & tamen per ſe loquendo non dicitur ille actus voluntarius ab alio actu voluntario, ſed per ſe ipſum. Nam non requiritur vt ille, qui diligit, velit amare aliquò alio actu priori, & diſtincto. Et licet aliquando aliquis id poſsit facere pro ſua libertate, tamen hoc eſt accidentale ad voluntarium amorem, quoniã immediate & abſq; priori actu poteſt quis amorem elicere, & ita ipſamet dilectio actualis eſt intrinſecè velle amorẽ. Sed eſt diſcrimen, quod in priori modo volũtarij actus, qui extrinſecè denominatur voluntarius ab alio, eſt nõ ſolũ obiectũ, ſed etiã effectus eius. Obiectum ſanè, quia ille prior actus fertur & tẽdit in ipſum: effectus vero, quia talis actus non ſolum eſt volitus tanquam obiectum, ſed etiam cauſatus ſaltem mediatè quatenus ex vi actus voluntatis, vel appetitus applicatur ad operandum inferior potentia. Cæterum actus, qui per ſe ipſum eſt volũtarius intrinſecè non cõparatur vt proprium obiectum vel effectus ad actũ illũ, quo eſt voluntarius, quoniã ſe ipſo & per ſe ipſum eſt volnntarius & non eſt propriè loquẽdo neq; obiectum, neq; effectus ſui ipſius: ac proinde habet aliud obiectũ, in quod fertur directe, & eſt effectus potentiæ, à qua producitur & elicitur. Et pari modo per quandã quaſi virtualẽ reflexionem, quam in ſe includit eſt voluntarius, & ob id dicunt Theologi talem actum eſſe volitum, non quidem per modum obiecti, ſed per modum actus.

Quod intellectus nõ ſit liber à neceſsitate quoad exercitium prob.

Hinc conſtat, quod niſi actus aliquis ſit elicitus à potentia appetitiua non poteſt eſſe voluntarius per ſe ipſum intrinſecè. Quod oſtendo, quia propriũ volũtariũ & intrinſecũ, quatenus diſtinguitur à volũtario naturali prouenit formaliter ab aliquo actu elicito ab appetitu vitali. Nã ille actus qui eſt voluntarius extrinſecè accipit denominationẽ ab alio actu elicito ab appetitu vitali, à quo imperatur: igitur ille actus, qui per ſe ipſum & intrinſecè eſt volũtarius, cũ denominationẽ volũtarij nõ accipiat ab alio actu diſtincto elicito ab appetitu, ſed à ſe, neceſſariò debet eſſe elicitus ab appetitu viuẽte. Ratio huius eſt, quia actus, qui

elicitur

elicitur à volũtate, fit per modũ cuiuſdã inclinationis intrinſecæ & tendentiæ ſpõtaneæ in obiectũ: & ita talis tẽdẽtia ſe ipſa ſpõtanea eſt, qui modus tẽdentiæ proprius & cõſentaneus eſt potẽtiæ appetitiuæ: ergo etiã eſt propriũ illius, quòd eius actus per ſe ipſum ſit intrinſecè volũtarius: ergo ob eãdẽ cauſam cũ intellectus nõ ſit potẽtia appetitiua ſequitur actũ ipſius nõ eſſe per ſe ipſum intrinſecè volũtariũ.

Quòd verò ſolũ illa potẽtia poſsit eſſe libera quoad exercitium, cuius actus eſt per ſe ipſum volũtarius intrinſece hac ratione oſtẽditur. Quoniã exercitiũ actꝰ, quod eſt determinatio potẽtiæ ad agẽdũ, debet eſſe vel volũtaria ex inclinatione elicita agẽtis & operãtis, vel debet eſſe naturalis ex ſolo naturæ impulſu & impetu, nã nõ poteſt excogitari alia ratio, propter quã cauſa aliqua exeat in actũ ſecũdũ, & in aliquã operationẽ, niſi vel quia eſt talis naturæ ex ſe determinatæ ad opus illud, vel quia vult & appetit talẽ operationẽ: ſed libera facultas quoad exercitiũ ſeu potẽtia libere agẽs nõ determinatur ad opus ex ſolo naturæ impulſu, aut impetu: ergo determinãda eſt voluntarie: Igitur vel per volũtariũ extrinſece elicitũ ab alia potẽtia diſtincta, & ſic nõ erit potẽtia formaliter libera ſed, ſolũ imperatiue, quia in eo caſu ipſa nõ ſe mouet quoad exercitiũ, ſed magis determinatur & mouetur ab alio: vel determinatur ad opus per intrinſecũ volũtariũ & ſic neceſſe eſt vt talis potẽtia ſit appetitiua. Igitur vt aliqua potẽtia ſeu facultas ſit per ſe libera formaliter quoad exercitiũ hoc eſt potens ſe ipſam ad exercẽdũ actũ liberũ determinare, neceſſe eſt vt ſit facultas ſeu potẽtia intrinſecè volũtariè operãs per actũ ſuũ. Vnde cũ intellectus ipſe nõ ſit talis facultas aut potẽtia vt deſepatet ſatis, colligitur apertè intellectũ nõ eſſe per ſe aut formaliter potentiam liberam in exercitio ſui actus. Hoc confirmant fere omnes Theologi ex communi modo loquẽdi eorum & ſanctorum patrum, imò verò ex vulgari hominum cõſenſu. Nam ſi ego interrogem à Paulo, cur potius occupetur aut ſit intentus in contẽplatione & conſideratione huius rei, quã alterius, reſpondet, quia vult: ergo ex hoc ſatis liquet intellectum nunquam determinari ad alterutram partem, niſi per voluntatem.

Tãdẽ probatur intellectũ nõ eſſe liberũ formaliter quantũ ad exercitiũ. Quoniã omnis actio in homine ratione prædito, imò verõ in omnibus rebus fit ex appetitu alicuius boni vel ex fuga alicuius mali & diſconueniẽtis vt li. 1. Ethicorũ dicitur, & à S. Tho. traditur 1. p. q. 8. ar. 1. & 1. 2. q. 1. ar. 2. Sed appetitus boni in creatura rationali nihil aliud eſt quã voluntas: ergo volũtas ipſa eſt, quæ applicat intellectũ ad intelligẽdũ, vel quæ reuocat ipſum ab actu intelligẽdi. Quapropter ſi ipſa inclinatio intellectꝰ ad intelligẽdũ, dicatur eſſe appetitꝰ certũ eſt, huiuſmodi appetitũ eſſe naturalẽ & põdus eiuſdẽ intellectus inclinãtis ad perpetuũ actũ: ergo quòd intellectus nũc exerceat actũ intelligendi vel iudicãdi, vel quemcumq; aliũ, vel quod nũc quieſcat, & ſuſpẽdat actum ſuum non poteſt referri in ipſam rationẽ, ſed in appetitum totius ſupoſiti, qui nõ eſt alius, quàm voluntas ipſa.

Ariſtot. 1. Ethic. D. Thom.

PROPOSITIO TERTIA.

Dico 3.

Dico tertio. Libertas, quæ per ſe & formaliter eſt in volũtate, ſeu in appetitu intellectiuo, reperitur vere tãquã in principio, & radice, & veluti in fonte in intellectu: itaq; quãuis per ſe primò & formaliter ſolum ſit in volũtate, tamẽ radicaliter & veluti in cauſa, principio, & origine, ſolũ libertas eſt in intellectu & ratione. Et hoc dicitur ab aliquibus Theologis eſſe in intellectu ſolũ virtualiter per ſe primò loquẽdo: vnde volũtas nõ dicitur radicaliter libera. Hæc aſſertio eſt cõtra eos, qui dicũt volũtatẽ ita eſſe formaliter liberã & per ſe vt etiã à ſe ipſa ſit radicaliter libera, & non ab intellectu. Imò ſunt, qui dicãt, quod actus intellectus nõ requiritur niſi tãquã cõditio ſine qua nõ, vel vt occaſio ad hoc vt volũtas habeat actũ ſuũ, ſed nullo modo cauſaliter. Quẽ modũ dicẽdi ſuſcepit Scotus, & eũ ſatis inſinuat in 2. diſt. 25. q. vnica ad finẽ corporis §. Dico ergo ad quæſt. Et Henric. in 1. quodlib. q. 16. videtur proximus huic ſentẽtiæ. Eſt etiã aſſertio hæc cõtra Durand. locis ſuperiùs citatis, & in 2. d. 24. q. 3. nu. 15. qui pari ratione cõſtituit libertatẽ in intellectus, ſicut in volũtate formaliter & radicaliter, quamuis per prius & magis principaliter dicat eſſe in intellectu, quã in volũtate. Quoniã potẽtia illa eſt magis & principalius libera, per cuius actus habemꝰ dominiũ noſtrarũ actionũ, & huiuſmodi dicit eſſe intellectũ, quia actus volũtatis eſt poſterior actu intellectus, & per actũ antecedentẽ qualis eſt actus intellectus, debet regulari actus ſubſequẽs, qualis eſt actus volũtatis, ſecũdum enim præſupponit primũ: & ſic actꝰ liber volũtatis præſupponit notitiã intellectus & iudiciũ collatiuũ eius. Poteſtq; Durãdi ſententia magis cõfirmari, quia illa potẽtia eſt magis libera & principalius cuius actus, eſt magis in noſtra poteſtate: huiuſmodi autẽ eſt intellectus, ac proinde libertas nõ ſolã eſt in eo tanquã in radice, ſed per ſe primò & formaliter. Nã duo ſunt actus præcipuè liberi, ſcilicet electio volũtatis & iudiciũ cõcluſiuũ ipſius intellectus, ex his autẽ duobus, illud iudiciũ intellectus eſt magis in noſtra facultate, quia per illud determinatur electio voluntatis: ergo &c. Et quamuis electio ſit actus voluntatis liberæ, nõ tamẽ eſt primus actus liber, ſed primus actus liber eſt iudiciũ concluſiuũ, quod determinat voluntatẽ ad electionem, & quo poſito non poteſt volũtas non eligere, ac proinde libertas electionis pendet ex libertate illius iudicij, & conſequẽter intellectus, cuius actus eſt tale iudicium eſt potentia, non tantum radicaliter libera ſed per ſe & principaliter antecedenter ad volũtatẽ & ad eius electionem. Nam quamuis nemo poſsit habere culpam ſibi imputatam, niſi circa

Contra Scotum Henric. & Durad.

id, cuius habet dominiũ per aliquẽ actũ volũtatis, illud tamẽ dominiũ per ſe pẽdet ex notitia intellectus, imò verò illa electio volũtatis pẽdet ex iudicio concluſiuo, & determinatiuo eiuſdẽ intellectus: igitur intellectus multò magis quã radicaliter dicitur eſſe potẽtia libera. Quòd ſi obijcias Durando D. Auguſt. aſſerẽtẽ quòd peccatũ in tãtum eſt peccatũ, in quantũ eſt voluntariũ, & ex conſequenti quòd libertas ſolum radicaliter eſt in intellectu, in volũtate verò per ſe, Reſpõdet Durand. D. Auguſt. id quidem dixiſſe, quia actus, quo peccamus vel eſt elicitus à volũtate, vel ab ipſa imperatus, non tamen negat Auguſt. concurſum ipſius intellectus, neque negat libertatem eſſe etiam in intellectu pluſquam radicaliter.

Vt ſaluent quidam libertatem in voluntate, ſolũ ponũt in ea indifferentiã paſſiuam.

Alij Theologi in tantũ volunt tribuere libertatẽ intellectui, vt dicãt quòd illa indifferẽtia, quæ eſt in volũtate, ratione cuius dicitur libera, ſolũ eſt paſsiuè in volũtate, & nõ actiuè niſi in ſolo intellectu. Nã certè cũ hæc indifferentia ſita ſit in poteſtate ad volendũ & nolẽdũ dicunt prædicti Theologi hanc poteſtatẽ indifferẽtẽ inueniri in noſtra voluntate quatenus ex ſe nõ eſt determinata ad hoc vel illud obiectũ volendũ, neq; ad nolendũ aut volẽdũ idẽ omnino obiectũ; ſed quia ad vtrumq; poteſt ab alio determinari: quamuis ipſa nõ ſe determinet actiuè. Quòd ſi obijcias, ex hoc ſequi voluntatẽ hominis ſolũ concurrere paſsiue ad actus liberi arbitrij, quod in Conc. Trid. damnatur ſeſſ. 6. can. 4. Reſpondẽt negando ſequelã ob id, quòd voluntas ita ſit indifferens vt ad hoc vel illud determinetur, & quia nõ tantum determinatur ad recipiendũ, ſed etiã ad agẽdũ & volẽdum, atq; ita actiue concurrere ad volitionẽ. Hic modus dicendi refertur à quibuſdã exrecentibus Theologis, q. ẽ ego ſemper repuli. Nam libertatẽ arbitrij non ſaluat & plures difficultates inuoluit, præſertim illã, an libertas cõſiſtat in illa potentia paſsiua indifferẽtiæ reſpectu huius determinationis, vel illius, ſeu vtrũ libertas cõſiſtat in quadã paſsiua capacitate & indifferẽtia ad hãc vel ad illã determinationẽ. Et ſanè ſi libertas cõſtitueretẽ in hac ſola paſsiua indifferẽtia ſeu capacitate, libertas arbitrij euertitur, quia paſsio vt paſsio eſt præcise & ab extrinſeco illata, nõ poteſt eſſe ſub dominio patiẽtis, neq; ſub facultate libera eius, niſi in caſu, quòd actio cadat ſub dominio & poteſtate agẽtis, hoc eſt actio illatiua paſsionis, à qua eſt talis paſsio, ac proinde ad libertatẽ arbitrij non ſufficit indifferentia illa tantùm paſsiua. Sed de hac re inferius latius & fuſius rem hanc attingemus.

Repellitur hic modus dicendi.

Pro explicanda radice libertatis noſtræ not.

Pro explicatione huius tertiæ aſſertionis obſeruare oportet, nos poſſe loqui de libertate duobus modis, vel de libertate hominis, vel de libertate Dei & Angelorũ, quia poſſum⁹ declarare radicẽ libertatis cõſiſtere in indifferẽtia iudicij dupliciter, ex eo quòd iudiciũ poteſt dici indifferẽs vno modo, quia de eadẽ re poteſt intellectus habere ſucceſsiue, vel cõtraria, vel diuerſa iudicia. Et ſecũdò poteſt dici indifferẽs, quia ꝓpoſitis duobus mediis æquè cõueniẽtibus ad vnũ, & eũdẽ finẽ, intellectus nõ eſt magis determinatus ad iudicãdũ de cõuenientia vnius, quã alterius. Et profectò ſi fiat ſermo de libertate hominis in ſpeciali, fine dubio radix libertatis hominis cõſiſtit, in indifferẽtia iudicij tã primo, quã ſecũdo modo, quia poteſt etiã vtraq; ratione homo habere iudiciũ indifferẽs. Et de primo modo indifferẽtiæ nulla eſt difficultas, quia experiẽtia cõſtat vnũ & eũdẽ hominẽ iudicare prius aliquod mediũ in particulari ſibi cõueniẽs eſſe, poſtea verò iudicare illud idẽ mediũ nõ eſſe ſibi cõueniẽs, ſed malũ aut diſcõueniẽs ad talẽ finẽ: vel quia à parte rei facta eſt aliqua noua mutatio propter nouam circũſtãtiã vel quia, ſi eadẽ circũſtãtia aderat nõ tamẽ fuit cõſiderata prius ab eodẽ homine. Quòd verò poſsit homo habere indifferentiã iudicij ſecũdo modo declaratur, quia ſi proponãt v. g. Paulo duo vel plura media æquè bona & cõueniẽtia ad aliquẽ finẽ cõſequẽdũ, Paulus nõ eſt magis determinatus ad iudicãdũ de cõueniẽtia vnius, quã alterius medij, ac proinde circa talia media habet indifferentiã iudicij, & cõſequenter libertas noſtra prouenit radicaliter ex indifferentia iudicij vtroq; modo.

Nõ ſolũ id quod dicimus eſt verum reſpectu particularium mediorũ eligibiliũ; ſed etiã hoc habet verũ reſpectu vltimi finis vel boni in cõmuni. Quod eſt, dicere q⁹ ſicut libertas noſtra circa media particularia, quæ ſolet eſſe duplex vel cõtrarietatis, ſeu quoad ſpecificationẽ, vel cõtradictionis, ſeu quoad exercitiũ, prouenit ex indifferẽtia iudicij altero illorũ duorũ modorũ: ita etiã libertas cõtradictionis ſeu exercitij, quã ſolã habem⁹ erga bonũ in cõmuni prouenit ex indifferẽtia iudicij intellect⁹ altero illorũ modorũ. Quia licèt intellectus noſter nõ poſsit iudicare bonũ in cõmuni nõ eſſe amandũ, neq; poſsit dicere odio eſſe habẽdũ: tamen poteſt ceſſare ab actu, & ſic ceſſabit voluntas ab actu amoris, poteſt enim iudicare intellect⁹ eſſe cõueniẽs ceſſare hîc & nũc à tali actu. Ex quo ſequitur libertatẽ hãc contradictionis vel quoad exercitium, quã habemus erga bonum in cõmuni, radicaliter prouenire ex illa indifferentia iudicij noſtri intellectus.

Pro explicanda radice libertatis Dei, & Angelorũ aduerte.

Reſpectu libertatis Angeli vel Dei nullo modo poteſt cõuenire eis radicaliter libertas ex indifferẽtia iudicij primo modo. Nõ enim De⁹ & Angel⁹ poſſunt habere ſucceſsiue de eadẽ recõtraria iudicia: poſſunt tamẽ iudicare plura media eſſe æquè cõueniẽtia ad talẽ finẽ: v. g. ad manifeſtationẽ gloriæ & omnipotẽtię Dei potuit Deus iudicare nõ eſſe diſcõuenientes plures mũdos qui æqualiter omnipotẽtiã & gloriã ſuã manifeſtarent. Vnde libere voluit creare hũc mũdũ ſolũ. Et hæc libertas ad noſtrũ intelligendi modũ prouenit quaſi radicaliter ex illa indifferẽtia iudicij intellectus diuini circa plura æqualia media. Et proportionabiliter ac pari modo dicere poſſumus in Angelo. Sed eſt

valde

valde aduertẽdũ id quod ſupra tetigimus, nempe in intellectu diuino nullã eſſe proprie indifferentiã quoad iudiciũ, quia ſemper eſt actus ſcientiæ euidens & cũ perfecta manifeſtatione & propoſitione obiecti: in voluntate verò eſt indifferentia reſpectu obiectorum etiam ſi perfectiſsime proponantur illi: quod quidem qua ratione intelligendum ſit inferiùs dicemus.

Nota de triplici modo operandi abſq; iudicio cum ipſo libero, & neceſſario.

Secũdò obſeruare oportet, quod res omnes in hoc vniuerſo cõtẽtæ in triplici gradu & ordine cõtinentur. Nã quædã operãtur & agũt ſine iudicio, quædã verò cũ iudicio, nõ ſane collatiuo aut cõſultationis, ſed cũ naturali iudicio hoc eſt à natura infixo, quædã rurſus operantur & agũt cũ iudicio libero & nõ infixo. Res primi generis ſunt omnia non viuẽtia, & inanimata, ſecũdi generis ſunt pecudes & animalia bruta. Tertij autẽ generis ſunt creaturæ intellectuales & rationales, inter quas recẽſetur homo. Eſt autẽ perpẽdẽdũ q̃ iudiciũ ſeu arbitriũ liberũ diſtinguitur contra naturale: quia naturale eſt determinatum determinatione neceſſaria ad vnũ: ac proinde agere ex iudicio naturali, nihil eſt aliud, quã agere iudicio nõ indifferẽti ad hoc & oppoſitũ: ſed ex iudicio infixo & determinato neceſſariò ad vnũ oppoſitorum. Hoc modo bruta animalia agũt, nẽpe ex cognitione & iudicio, ſed infixo & determinato à natura: agere autẽ arbitrio libero eſt agere iudicio indeterminato ad hoc & oppoſitũ. Et non cõſiſtit hæc diſtinctio, aut differẽtia in hoc, q̃ quãdo agit v.g. homo, iudiciũ eius liberũ eſt de facto & in exercitio, hic & nũc indeterminatũ: naturale verò determinatũ, quia, quãdo de facto agẽs exit in actũ, & reducit de potentia ad exercitiũ eius hic & nũc in indiuiduo, tunc reuera & de facto oportet omne iudiciũ eſſe determinatũ ad vnũ, ſed attẽdit differẽtia penes hoc, quod iudicia brutorũ ſecũdũ ſe nõ habent indifferentiã ad hoc & oppoſitũ: Rationalium vero ſic, quoniã potentiæ rationales ſe habent ad oppoſita vt Ariſtoteles dixit.

Ariſt.

Appendix ad præcedentia.

Corollariũ eſſe intellectum primã radicem libertatis.

HInc colligitur plane primã radicẽ libertatis eſſe rationẽ & intellectũ. Vnde ex hoc primũ cõuenit alicui libertas & inest ei, quia intellectus eſt indifferẽs & indeterminatus ad hoc, & ad oppoſitũ: & quoniã ratio ipſa ſeu intellectus antecedũt omnẽ actũ volũtatis, hinc eſt libertatẽ primò eſſe inueſtigãdã in intellectu & ratione & in indifferẽtia eius, veluti in origine & principio, ſeu radice ipſius. Quã rẽ nõ ſatis bene intellexit Scotus vbi ſupra dicẽs libertatẽ primò eſſe quærendã in volũtate. Inquare taxatur Scot. à Caiet. Nã profecto quamuis dicamus libertatẽ primò eſſe in volũtate formaliter, tamẽ poſſumus pariter aſſeuerare primo etiã eſſe in intellectu tanquã in origine & principio ſeu radicaliter & fontaliter, vt ſic loquar. Neque obſtat quod Scotus dicit, quòd quidquid intelligitur ante omnem actũ voluntatis intelligitur purè & merè naturaliter, & quòd ob id nulla eſt ibi libertas. Reſpõdetur enim quòd illa propoſitio. Quidquid intelligitur ante omnem actum voluntatis intelligitur merè naturaliter, poteſt habere duplicem ſenſum. Primus ſenſus eſt, quòd omnis actus intellectus præueniens volũtatẽ eſt mere naturalis obiectiuè, cũ determinatione inquã & ſine cõtingentia obiecti, & hoc eſt falſum, habet enim intellectus reſpectu cõtingentium operabiliũ hãc negatiuã cõditionẽ nẽpe indifferẽtiã & indeterminationem iudicij reſpectu vtriuſq; partis cõtradictionis, quæ directè opponitur naturæ. Nã certè natura determinat neceſſariò ad vnũ tãtũ. Et huiuſmodi conditio eſt radix libertatis: quia ſi iudiciũ eſſet omnino determinatũ, volũtas nõ poſſet ad quã vellet cõtradictionis partẽ declinare, ſed neceſſitaret à iudicio infixo & determinato ad vnũ circa velle, vel nõ velle determinatè. Secũdus ſenſus eſt, quòd omnis actus intellectus, qui antecedit voluntatis actũ eſt mere naturalis elicitiue; & ſic eſt verum, quia actus intellectus, qui antecedit omnem actum voluntatis non elicitur ab intellectu ab electione, cum electio ſit actus voluntatis, & eam antecedat, vt de ſe patet. Atque ita poteſt vel diſtingui vel negari maxima Scoti.

Cùm igitur iudicium rationis circa hoc obiectum diligendũ & proſequendum, vel nõ proſequendum, neque diligendum ſit indifferens & indeterminatum ante actum voluntatis, & vtrinque intellectus habeat rationes, ſequitur quòd neq; natura neq; electione eſt determinatum, ſed veluti ſuſpenſum. Et hinc habet, quod tale iudicium naturale non eſt aut neceſſarium propter talem indifferentiam, imò vero naturæ repugnat, & libertatẽ fundat. Quòd ſi obijcias inſtando, quòd vel illa indifferentia iudicij eſt naturalis vel libera, Reſpondetur cũ Caietano quòd neq; eſt formaliter naturalis, neque eſt formaliter libera, ſed eſt radicaliter libera, hoc eſt radix & origo libertatis. Vnde eſt implicatio in obiecto dicere, indeterminatio naturalis; quoniam ſi naturalis, ſequitur quòd determinata ad vnum: ſi verò indifferẽs: ergo, non naturalis. Vnde neganda eſt conſequentia primæ obiectionis, quam paulò antea primo loco repoſuimus pro Scoto.

Scotus.

Ex dictis colligitur quòd cum voluntas ſit formaliter libera per ſe ipſam & intrinſece, quòd intellectus non eſt formaliter liber, ſed radicaliter. Et hæc ſine dubio eſt ſententia Diui Thomæ 1. parte quæſtione 83. per totã, & eſt communis in ſchola ſanctiſsimi Præceptoris, qui dicit libertatem per ſe primò formaliter & eſſentialiter tantũ eſſe in volũtate, radicaliter verò & veluti in cauſa & origine eſſe in ipſo intellectu, quòd eſt ſolũ eſſe virtualiter per ſe primò loquẽdo. Vnde S. Tho. in ar. 1. q. citatę apertè ex negatione iuditij collatiui, & ex negatione conferentiæ circa obiecta cõtingentia vel circa obiecta nõ exactè, aut perfectè propoſita vel cognita colligit negationẽ

D. Thom.

libertatis in appetitu, vt ſuperius fuſiùs explicuimus. Vnde Theologi apertè dicũt liberũ arbitriũ eſſe facultatẽ volũtatis & rationis, quia libertas cũ ſit veluti in cauſa & radice in ratione à qua pẽdet tãquã ab origine & principio libertas formalis volũtatis optime pertinet ad liberũ arbitriũ. Nã certe liberum arbitriũ eſt facultas rationis originatiue & præſuppoſitiue & eſt facultas volũtatis per ſe primo formaliter. Repellẽdi igitur ſunt, Hẽric. & Scot. qui aliquando oſcitãter dixerunt rationẽ non eſſe radicẽ neq; cauſam libertatis, ſed conditionẽ quamdã neceſſariã ad libertatẽ voluntatis. Quia putant cognitionẽ intellectus tantũ eſſe neceſſariã cõditionẽ præuiã ad volitionẽ. Nã ob id modũ cognitionis ſolũ appellãt neceſſariã conditionẽ ad modũ volitionis, qui reperitur in volũtate, & qui in libertate conſiſtit.

Sanè nõ impropriè dicere poteſt Theolog⁹ radicẽ etiã & cauſam libertatis eſſe ipſum vſum rationis ſeu vſum intelligẽdi, quia ſi fiat ſermo de ipſis potentijs ſine dubio potentiæ appetitiuæ, quæ cognitione carẽt ſequũtur cognoſcitiuas. Ita vt quamuis omnes potẽtiæ fundentur in anima, & ſint in ea veluti in radice, tamẽ anima immediate eſt radix potẽtiæ cognoſcitiuæ, & ea mediate eſt radix potẽtiæ appetitiuæ: & ita fit vt perfectior appetit⁹ proximè radicetur in perfectiori potẽtia cognoſcente. Atq; ita etiã fit, vt hæc perfectio formalis libertatis oriat̃ ex perfectione intelligẽdi. Qua ratione ſicut vna paſſio radix eſt alteri⁹ & origo, ſic volũtatis libertas dicetur fundari & radicari veluti in origine & cauſa in intelligẽtia rationis habẽte indifferẽtiã cũ collatione & cõferẽtia. Et ſanè ſicut perſe eſt ordo inter potẽtias ſimiliter inter actus carũ, quia inter actus ſimiliter eſt proportio, & quoniã fundamentũ totius eſſe moralis eſt libertas, ſequitur quod indifferẽtia in actibus volũtatis prouenit ex iudicio rationis collatiuo, vt optime dicuit S. Præceptor locis citatis, & 1.p.q.83. ar.1. quẽ ſequũtur Caiet. Conrad. & alij ſuæ familiæ & extra eã plures alij graues & nõ infimæ notæ. Sed aduertere oportet, quòd indifferẽtia, quæ ſumitur aut cõſideratur reſpectu actus volũtatis, & quæ oritur ex indifferẽtia iudicij rationis ſi attribuatur volũtati, ſignificat libertatẽ formalẽ in ipſa potẽtia volũtatis, ſeu potentiã ad oppoſita. Si verò indifferẽtia cõſideretur in actu volũtatis, vel attribuatur ei tũc indifferẽtia denotat immediatã habitudinẽ ad potentiã elicientẽ actũ illum, cũ poteſtate proxima ad diuerſa vel ad oppoſitũ: ac proinde quãdo ipſe actus in re eſt elicitus, vere dicitur liber ob id quod dicit habitudinẽ ad potẽtiã, à qua elicitur cũ proxima poteſtate ad oppoſitum. Cæterũ cũ potẽtia tũc nõ ſit cũ proxima poteſtate ad oppoſitũ, nempe quando actu operatur, quia videlicet nõ eſt in actu primo ad oppoſitũ, imo verò cum ſit in actu primo & ſecundo circa id, quod nũc actu operatur, ſequitur hoc indigere magna explicatione. Nã v.g. cũ quis & tẽpore & momẽto, quo tenetur ſe conuertere actu peccat libẽter & liberrimè, tũc potẽtia nõ eſt in actu primo per gratiã actualẽ, & formã ſupernaturalẽ, qua cõuertatur aut efficaciter moueri poſſt ad actũ cõuerſionis. Atq; ita nõ ſatis plenè intelligitur quo pacto tũc volũtas ſit cũ proxima poteſtate & immediata ad ſupernaturalẽ actũ cõuerſionis, cũ careat forma ſupernaturali auxilij actualis & efficacis. Quia licet verũ ſit, volũtatẽ tũc eſſe liberã poteſtatẽ ad oppoſita, etiam cũ actu peccat, tamẽ quòd ſit proxima poteſtas & vis ad actum ſupernaturalem, cùm actu caret forma ſupernaturali, & actu peccat & ſe auertit voluntarie à Deo, id quidem dicimus indigere explicatione non parua, quam rem in controuerſia de auxilijs Deo fauẽte aperiemus. Indifferẽtia ergo, quæ attribuitur intellectui & iudicio libero eius, dici poteſt indifferẽtia obiectiua: oriturq; indifferẽtia actus volũtatis, ex indifferẽtia iudicij rationis, & dicit habitudinẽ ad iudiciũ intellectus tãquã ad principiũ & originẽ ſui. Ita q; actus volũtatis liber amplectitur duplicem habitudinẽ, vnã immediatã ad voluntatẽ actu eliciẽtẽ cũ poteſtate ad oppoſitũ, alterã verò ad indifferẽtiã iudicij, tãquã ad radicẽ & originẽ libertatis, quæ in actibus volũtatis eſt. Nã profectò, quia iudiciũ liberũ, nõ naturale neq; infixũ à natura, propter perfectionẽ, amplitudinẽ & vniuerſalitatẽ ſuã, proponit in obiecto diſtinctas & varias rationes cõueniẽtiæ vel diſconuenientiæ, & pari ratione proponit media nõ ſemper vt neceſſaria, ſed vt indifferẽtia: & rurſus, quia diſcernit gradũ vtilitatis & difficultatis eius, & quia ſimul etiã inuenit, & proponit alia media: idcirco iudiciũ illud intellectus, ſeu ratio cũ indifferẽtia iſta quã habet, verè eſt fundamentũ electionis liberæ ipſius volũtatis. Hæc autẽ indifferentia rationis & iudicij liberi ſufficit in ratione fundamenti, & radicis, ad liberas electiones volũtatis, & requiritur etiam. Et ob id actus liber voluntatis dicit vtramq; habitudinẽ, & ad potentiã voluntatis elicientem ipſum cũ poteſtate ad oppoſitũ: & ad iudicium liberum, & indifferentiam obiectiuã intellectus. Quapropter in diuina libertate præſuppoſita ſcientia naturali & cognitione omniũ rerũ poſsibiliũ, diuina volũtas libere vult hoc, vel illud fore, propter indifferẽtiã obiectorum, quam per ſcientiam ſuam euidentiſsime & clariſsime cognoſcit.

D. Thom. Caiet. Cõr.

Tandẽ ſi formalis libertas non inuenitur in intellectu vt oſtẽſum eſt, neceſſe eſt vt illa ſit in voluntate, & hæc eſt poteſtas ad oppoſita, & ex conſequenti ſi oritur libertas volũtatis ex libero iudicio intellectus, & ex indefferentia obiecti vt cogniti & propoſiti à ratione cũ cõferentia & collatione, quæ eſt propria rationis ſequitur radicẽ libertatis & originẽ eius debere reponi in intellectu. Cõmunis igit̃ omniũ hominũ cõſenſus eſt hominem eſſe liberũ formaliter, quia habet poteſtatẽ ad oppoſita, quia ſi vult operatur, & ſi nõ vult, nõ agit vel

suspēdit suam actionē. Et hāc potestatē indifferentē sacra scriptura præcipue tribuit volūtati. & D. Aug. li. 3. de libero arbitrio c. 1. & sequētibus, & D. Ambros. li. 2. de fide c. 3. D. Damasc. li. 2. fidei, c. 25. appellāt liberā volūtatē ipsum liberū arbitriū, & nōnunquā dicunt liberū voluntatis arbitriū, vt videre est apud D. Ambr. loco citato & apud D. Aug. li. 5. de ciuitate c. 9. D. Pau. 1. Corinth. 7. maxime tribuit potestatē indifferētē volūtati dicēs. *Nō habens necessitatē, sed potestatē habēs suæ volūtatis.* Et id circo omnis bonitas vel malitia operū, & omnis ratio pręmij, vel pœnę vel meriti volūtati eligēti & consentienti tribuitur. Vnde Trid. sess. 6. ca. 5. dixit: esse in libera hominis volūtate seu facultate libera, liberè cooperari vel resistere gratiæ Dei, idq; hominem facere volūtate sua libera vel sola si resistat, vel adiuta grati a Dei si cooperetur & non dissentiat.

D. Augu. D. Damas. D. Ambro.

Apost. 1. Corinth. 7.

Trid. sess. 6.

Cōfirmari potest, libertas radicalis in intellectu & formalis in volūtate ita vt neq; intellectus sit formaliter liber, neq; volūtas à se radicaliter, sed formaliter tantū: radicaliter verò ab intellectu cū prædicta indifferētia. Quia non sunt cōstituendi in ipso homine actus eliciti per se liberi à duabus potētijs simul, secundū æqualē & formalē rationē, aut habitudinem ad duas potētias æqualiter. Quia alias in huiusmodi actibus tā intellectus, quā volūtatis esset duplex malū morale & duplex inordinatio volūtatis vt superius deduximus. Vnde si intellectus haberet libertatē formalē, & nō tantū radicalē aperte sequeretur, quod statim atq; intellectus iudicaret obiectū aliquod malū, quoniam apparet delectabile esse eligendū in hoc actu præcisè, antecedēter ad cōsensum volūtatis esset malitia moralis, quia talis actus seu tale iudiciū secūdū se est dissonū prudētiæ & rationi & regulæ: ergo si ex altera parte habet actus ille quòd sit formaliter liber, & à potētia formaliter libera, qualis est intellectus vt doctores oppositæ sentētiæ putāt, sequitur quod in tali actu intellectus præcisè sumpto & ante cōsensum volūtatis esset malitia moralis in eo, quia tale iudiciū est rationi dissonū, & prudētiæ. Preterea etiā in ipsa electione obiecti cogniti & iudicati esset etiā noua alia malitia moralis cū ille sit nouus actus liber, quē homo vitare posset, & de obiecto rationi dissono, & dissorme. Quod si volūtas nō cōsentiret neq; assisteret illi iudicio adhuc homo male egisset iudicādo essetq; reprehēsione dignus nō quidē ratione cōsensus volūtatis formalis aut virtualis, sed præcisè propter libertatē formalem in intellectus ratione illius mali iudicij formaliter liberi. Ex quo etiā sequitur, quod error intellectus & incōsideratio eius absq; interuētu volūtatis posset imputari ad culpā, cū sit à potestate libera formaliter intellectus, quæ omnia ferēda nō sunt Neq; ex hoc sequitur voluntatē esse perfectiorē intellectu quoniā multo maior perfectio est rationē esse regulā volūtatis, cui perfectioni in natura defectibili creata cōtradicit libertas formalis in eadē omnino potētia. Quod præcipuè est verū, quia regula debet esse certa & immutabilis, & habere rectitudinē & cōmēsuratione: hæc autē rectitudo & cōmēsuratio in ipsa regula debet esse determinata & certa & nō indifferens. Et quidē volūtas cū sit cæca indiget regula, & directione intellectus: at verò quia tēdit in suū obiectū per desideriū & appetitionē & volūtariā inclinationem capax est appetendi hoc vel illud, & eligendi oppositā, vel non eligēdi, in quo genere libertatis potest intellectū superare secundū quid, absolutè tamen volūtas inferior est perfectione & subijcitur intellectui, à quo dirigitur.

PROPOSITIO QVINTA.

Dico 4.

Dico quartò, Libertas voluntatis & indifferentia, quæ in potestate positiua ad oppositā reperitur in eadem voluntate, non est libertas & indifferentia passiua, sed est actiua libertas, & indifferētia agēdi, & non agendi, vel agēdi hoc aut illud: & oppositū dicere nō potest vnquā placere viro Theologo, neq; est ferendū. Hæc assertio est cōtra illū modū dicendi quorundā, qui putauerunt hāc volūtatis indifferentiā & libertatē passiuè tantū esse intelligendā: asseuerantes indifferentē potestatē ad hoc vel ad illud obiectū, ad hanc vel illam electionē inueniri in volūtate nostra, quatenus ipsa ex se non est determinata ad hoc vel illud obiectū eligēdū, neq; ad volendū, aut fugiēdū illud, sed ad vtrumq; ex oppositis posse ab alio determinari. Aqua sententia nō abhorret omnino Robertus Bellarmin. Tom. 3. lib. 3. de Gratia & libero arbitrio ca. 9. Solut. ad 7. vbi ait libertatem voluntatis sitā esse in hoc, quod in potestate eius est sinere se moueri vel resistere, nō quidē actu positiuo, sed negatiuo non sinendo se moueri ita vt libertas voluntatis sita sit in eo, quòd propositis multis rationibus sinat se moueri ab vna & non ab alia, verū hic modus dicendi videtur libertatē volūtatis repellere. Nā in Cōc. Trid. apertè dicitur nō solū voluntatē non se habere mere passiuè, sed etiā habere potestatē positiuā ad hoc vel illud, & agēdū vel resistendū & nō agendū, quæ potestas ad oppositā est libertas actiua, & indifferētia potestatis actiuæ ad vsum liberū & hoc apertè traditur in eodē Conc. Trid. sess. 6. c. 5. & can. 4. & in discursu totius sess. An verò libertas arbitrij nostri sita sit in passiua capacitate & indifferētia huius vel illius determinationis ipsi⁹ volūtatis, id quidē est quod nūc hac nostra cōclusione posita dissoluimus. Affirmamus enim nō posse vlla ratione cōstitui libertatē voluntatis aut arbitrij nostri in sola illa indifferentia passiua. Quapropter Tridentinū Cōciliū ad vsum libertatis & ad libertatem ipsam iudicauit necessariū esse, volūtatē hominis posse agere & posse non agere aut dissentire, quia si mere passiuè se haberet, tūc neq; in potestate eius esset agere & nō agere: sed solum

esset

eſſet in poteſtate præciſa agẽtis & inducẽtis paſsionẽ. Nã dato quod ſolũ paſsiuè ſe haberet volũtas, nũquã in poteſtate eius eſſet pati & nõ pati, ſed in poteſtate agẽtis: & pari modo nõ eſſet in poteſtate eius moueri, aut nõ mouere, ſeu determinari, aut nõ determinari, ſi tantũ paſsiuè ſe haberet ad hæc omnia. Senſit igitur Tridẽt. Concil. libertatis indifferentiã nõ eſſe reponẽdã in illa potẽtia paſsiua, vt paſsiua eſt, ſed in potẽtia agẽdi & nõ agẽdi. Vnde in eadẽ ſeſſ. 6. can. 6. dicitur. *Siquis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere &c.* Et in can. 4. antecedẽte. *Trident.* *Siquis dixerit liberũ hominis arbitriũ à Deo motũ & excitatũ nihil cooperari aſſentiẽdo Deo excitãti, atq; vocãti, quoad obtinendã iuſtificationis gratiã ſe diſponat ac præparet, neq; poſſe diſſentire ſi velit, ſed velut inanime quoddã nihil omnino agere, mereq; paſsiue ſe habere, anathema ſit,* Vbi perpẽdendũ eſt q̃ cõciliũ dixit liberũ arbitriũ excitatum, & etiã motũ à Deo aſſentiri Deo mouẽti, & etiã cooperari aſſentiẽdo ipſi Deo, & verè agẽdo in præparatione ad gratiã. Circa quę verba cõcilij aduertẽdũ eſſe iudico obiter cũ ſanctiſsimo Præceptore *S. Thom.* 1. p. quæſt. 105. art. 4. Vbi interrogat vtrũ Deus poſsit mouere voluntatẽ creatam, quã quidẽ quęſtionẽ ibi proponit, vt explicet qua ratione volũtas neq; neceſsitatur, neq; cogitur ex eo quod à Deo moueatur; id quod ad ſecũdũ & tertiũ argumẽtũ docet ſcilicet, quod moueri voluntarie eſt moueri ex ſe, id eſt, à principio intrinſeco, ſed illud principiũ intrinſecũ poſſe eſſe ab alio principio extrinſeco, atq; ita moueri ex ſe nõ repugnare neq; cõtradicere ei, quod mouetur ab alio. Et idẽ dicit ratione libertatis, & reſpectu poteſtatis liberæ, & reſpectu volũtatis vbi formaliter eſt ipſa libera poteſtas. Proponit enim hoc argumentũ D. Tho. Motus magis attribuitur mouẽti, quã mobili. Vnde homicidiũ nõ attribuitur lapidi, ſed proijciẽti. Si igitur Deus moueat volũtatẽ ſequitur, quod opera volũtaria nõ imputẽtur homini ad meritũ vel demeritũ: hoc autẽ eſt falſum: nõ igitur Deus mouet volũtatẽ. Reſpõdet S. Tho. ad 3. dicẽdo, quod ſi volũtas ita moueretur ab alio, quod ex ſe nullatenus mouere tur, opera volũtatis nõ imputarẽtur ad meritũ vel demeritũ (quod eſt dicere ſi volũtas merè paſsiuè ſe haberet aut nihil omnino ageret vt cõciliũ dicit) ſed quia per hoc, quod mouetur ab alio ſcilicet volũtas, nõ excluditur, quin moueatur ex ſe vt dictũ eſt: ideo per cõſequẽs nõ tollitur ratio meriti, vel demeriti. Et in corpore articuli etiã loquẽs de volũtate ſecundum actus eius liberos adducit illud ad Philippẽſes 2. *Ad Philippenſes. 2.* *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere.* Et affirmat vlterius, quòd quamuis voluntas moueri poſsit ab obiecto, tamẽ nũquã ſufficiẽter & efficaciter, niſi à Deo. Rationẽ omnium iſtorũ huiuſq; doctrinæ ab eo traditæ aſsignauit idẽ ſanctiſsimus præceptor. 1. p. q. 83. ar. 1. ſolut. ad 3. vbi dicit, quod liberum arbitriũ eſt cauſa ſui motus, quia homo per liberũ arbitriũ ſe ipſum mouet ad agẽdũ. Nõ tamẽ hoc eſſe de neceſsitate libertatis quod ſit prima cauſa ſui, id quod liberũ eſt: ſicut neq; ad hoc quod aliquid ſit cauſa alterius requiritur, quod ſit prima cauſa eius. Et cõcludit S. Tho. hoc modo, Deus igitur eſt prima cauſa mouẽs & naturales cauſas & volũtarias. Et ſicut naturalib⁹ cauſis eas mouẽdo nõ aufert, quin actus earũ ſint naturales, ita mouẽdo cauſas volũtarias nõ aufert, quin actiones earũ ſint volũtariæ: ſed potius hoc in eis facit: operatur enim in vno quoq; ſecũdũ eius proprietatẽ. Hæc omnia attuli, vt explicarẽ qua ratione etiã ſi libertas, & poteſtas liberæ volũtatis ſit verè actiuè in ea, & non tãtũ paſsiuè, nihilominus hoc ita intelligẽdũ eſſe quòd volũtas etiã vt libera nõ eſt prima cauſa ſui, & quod moueri à Deo volũtatẽ & pẽdẽre in ſuis actibus liberis, nõ ſolũ in eſſe & cõſeruari: ſed in agẽdo, & in cauſando, ſeu libere operãdo & eligẽdo, eſt quidẽ à Deo pri⁹ mouẽte ſecũdũ modũ & proprietatẽ cuiuſcũq; & quod per hoc nõ repellitur libertas ipſa. Et hoc eſſe verum ex calculo D. Thomæ.

Vſum liberi arbitrij eſſe per modũ actionis apertè traditur in ſacris literis Zach. 1. Ioel. 2. quæ verba adducũtur à Conc. Trid. ſeſ. 6. c. 5. *Zachariæ. 1* *Ioelis. 2.* *Trid. Conc.* *Cõuertimini ad me, & ego cõuertar ad vos.* Vbi libertatis noſtræ admonemur, & quidẽ in exercitio cõuerſionis liberæ, vſus libertatis noſtræ admonetur, & etiã admonemur noſtræ cooperationis, & actionis, quia dicitur. Cõuertimini ad me. Et Eccleſ. 31 *Eccleſ. 31.* *Qui potuit trãſgredi & nõ eſt trãſgreſſus, facere mala, & nõ fecit.* Quo in loco laudatur iuſtus de bono vſu poteſtatis agẽdi, & nõ agẽdi, quòd ſcilicet nõ fuerit vſus illa poteſtate in malũ ſed in bonũ. Et D. Auguſt. li. 1. retractationũ ca. 22. plerumq; dicit non eſſe cõtra gratiã Dei, quã ille prædicabat: in poteſtate hominis eſſe mutari in melius volũtatẽ, ſed eam poteſtatẽ nullã eſſe, niſi à Deo detur. *Auguſt. Retract. lib. 1.*

His ita prælibatis ſatis apertè cõſtat in homine eſſe potẽtiã aliquã actiuã, quæ ex ſua intrinſeca natura atq; vi eſt libera, & habet dominiũ ſuę actionis, ita vt in poteſtate eius ſitũ ſit eã facere vel nõ facere, elicere vel nõ elicere, ſeu exercere, aut nõ exercere vel, hãc ſeu oppoſitã actionẽ velle. Quæ ſane facultas libera eſſe nõ poteſt niſi ſit actiua. Et præter quã q̃ teſtimonijs ſanctarũ literarũ, & ex Cõc. Trid⁹ id oſtẽſum eſt, probat etiã ratione. Nã certè ſi volũtas dicitur libera & indifferẽs, ob id, quòd eſt paſsiuè indifferens vt ad hunc vel illũ actũ determinetur ab alio, ſequit quòd in ipſo vſu potius ad hũc quã ad illũ actũ, aut in hoc tẽpore potius quam in alio, ſolũ eſt paſsiue indifferẽs: ergo quod in ipſo vſu determinetur nõ poteſt hoc naſci, aut oriri ab ipſa volũtate, quia ipſa de ſe eſt indifferẽs paſsiuè, & ante quã ab alio determinet ſemper manet negatiuè indifferẽs, ſeu paſsiuè. Imò verò talis libertas paſsiua nihil aliud videt eſſe quã quod volũtas ſit capax determinationis alienæ, vel huius aut illius actus: & ex cõſequenti volũtas iuxta hũc

modum

modū dicendi nō poterit inchoare determinationē suā, quia omnis immutatio debet prouenire ab agēte: ergo talis passiua indifferētia nō sufficit ad libertatē. Nā certè volūtas est, quæ inchoat suā, determinationē cū subordinatione tamen ad Deū veluti ad primū liberū, & veluti ad primū deliberās & primū mouens omnia agens & disponens suauiter, quoniā ipsum liberū arbitriū se agit & mouet motum etiā à Deo. Nā hoc nō repugnat libertati, vt S. Tho. docuit locis citatis. Ex dictis colligitur Robertum Bellarminū. Tom. 3. lib. 3. de Gratia & libero arbitrio ca. 9. solutione ad 7. plurimū fauere contrariæ sententiæ etiam contra hanc 4. assertionē, quia in prædicta solutione affirmat libertatem voluntatis in eo proprie, sitam esse quod propositis varijs rationibus non necessarijs, sinat se moueri ab vna & non ab alia. Quia per hoc quod voluntas sinit se mouere ab vna ratione proposita, fit vt mens omissa alia inquisitione pergat & concludat iudicium particulare, ad quod cōtinuo sequitur electio. Itaq; libertas volūtatis (inquit Bellarm.) in eo sita esse videtur, quod propositis varijs rationibus non necessarijs sinat se moueri ab vna, & nō ab alia. Quæ sententia fauet illi, quā aduersarij nostri volunt impugnare dicentes, esse quorūdam Thomistarū existimantium ad liberā actionem creaturæ satis esse, quòd per facultatē ex se liberā operetur, & quòd ab obiecto nō necessario trahatur, seu ad vnū determinetur. Imò verò videtur reponere libertatem in eo tantū quod voluntas sinat se moueri ab vna ratione, & nō ab altera, vel q̄ resistat non actu positiuo sed negatiuo. Scio tamen posse interpretari Bellarminum. Primò, quòd hoc non est tantum passiuè se habere, secūdò quia ipse dixerat antea, libertatem voluntatis esse actiuam. Sed hanc difficultatem fecit Bellarminus, quia dixit libertatem voluntatis in eo proprie sitā esse videri, quòd propositis varijs rationibus nō necessarijs sinat se moueri ab vna, & non ab alia. Nam sinere se moueri dicit ordinem ad passionem.

Moueor ad eamdē impugnandā sententiam pro defensione quartæ assertionis. Nā passio in quātū passio est, præcisè nō potest esse sub facultate patiētis libera, aut sub dominio eius, nisi actio illatiua passionis sit sub dominio & potestate eiusdē patientis: ergo illa passiua indifferentia seu capacitas determinationis passiuæ in volūtate non sufficit ad libertatē arbitrij. Sanè manus mea est indifferens passiuè vt sursum vel deorsum moueatur, hæc autē indifferētia nō pertinet ad libertatē in manu: ergo pari ratione si actio nō est sub dominio patientis, neq; etiā passio erit sub dominio illius. At actio esse nō potest sub dominio patiētis si nō fit ab illo: sed nō est ab ipso patiēte, nisi illud idē sit agēs, quoniā actio nō est à passione, sed è cōtra passio ab actione: igitur in potētia passiua vt passiua est, nō potest cōsistere dominiū iuxæ passionis, nisi simul sit actiuè illius: ergo libertas formaliter ac præcisè nō est in potētia & facultate patiēte vt sic, sed in potētia agente. Nā certè passio nō est libera nisi per denominationē ab actione liberam: ac proinde facultas vel dominiū libertatis non potest statui in potētia passiua vt sic, sed in actiua. Sed obijcies. *Obiectio.* Potētia passiua etiā vt passiua est, potest resistere actioni, vel nō resistere: ergo hac ratione poterit esse & statui libertas in eadē potentia passiua vt sic: vt si dicamus in potestate eius sitū esse resistere agēti vel nō resistere: vt patet in opinione eorū, qui putāt amorē imprimi ab obiecto cognito vel à cognitione eius & non elici à volūtate. Nā hi authores possent dicere, quod quamuis obiectū vel cognitio quantū ex se est, necessariò efficiant amorē, nihilominus tamē amorē illū esse volūtati liberū, quia in potestate eius sitū est resistere, vel nō resistere tali effectioni, aut impressioni amoris. Sed respondetur, q̄ volūtas præcisè sumpta & nudè cōsiderata, vt est passiuè indifferēs ad recipiendū, vel nō recipiendū amorē illū, non potest per purā entitatē suā & per passiuā potentiā præcisè, resistere illi effectioni & impressioni amoris. *Occurritur obiectioni.* Et ratio est, quia resistentia formaliter loquēdo, solū potest esse ab aliquo cōtrario vel repugnāte, & nō ab ipso subiecto apto ad patiēdū & capaci passionis vt passio est. Imo vero ex hoc fit vt talis resistentia nō possit esse libera seu indifferens, quoniā tantū nascitur ex repugnātia formali vel ex oppositione entitatū: & idcirco si volūtas per suā entitatē formaliter resistit aliquādo impressioni amoris semper resistet & necessariò, quia semper retinet apud se, & habet eandē formalē repugnantiā, per suā entitatē. Quòd si nō habet hāc repugnantiā, nunquā sane resistet, nisi habeat aliquid aliud, quo & resistat & repugnet: & tūc in eo vel efficiēdo, vel nō efficiēdo poterit libertas cōsistere. Vnde si in opinione de productione amoris cōcedamus in obiecto ipso, vel in ipsa cognitione esse vim effectiuam amoris, tūc volūtas duobus modis poterit resistere illi actiuitati, vel remouēdo cōsiderationē obiecti, q̄d volūtas nō valet præstare, nisi volēdo, vel agēdo aliquid, vel nō cooperādo ipsi obiecto, vel cognitioni illius, quod quidē supponit eādē volūtatē esse causam efficiētē ipsi⁹ amoris, & ex cōsequēti fit vt indifferētia libertatis semper reducatur ad potestatē agēdi. *Obiectio.* Dices, In Deo est perfectissima libertas, sed illa nō cōsistit formaliter in potestate agēdi. Quia in Deo facultas agēdi tantū sumitur in his, quæ sunt ad extra, & actionum, quæ terminātur ad creaturas: libertas verò formaliter & per se primò iuxta nostrū modū loquēdi est in ipso actu amoris libero creaturarū, qui est immanēs in Deo. Rursus potētia actiua in Deo distinguitur à volūtate rationis tātū: volūtas autē sola est potētia libera formaliter: ergo libertas non debet esse actiua. Respōdet quod libertas creata cū primario & immediatè versetur circa actus ipsiusmet facultatis liberæ, circa quos exerce- *Dissolutur*

tur libertas. Fieri nō poteſt vt nō ſit facultas actiua. Nam certe libertas poteſt conſiderari vel in ordine ad actus immanentes diuerſos eiuſdē potentiæ, vel poteſt cōſiderari libertas in ordine ad obiecta diuerſa & diſtincta, vel in ordine ad effectus extrinſecos diuerſos, ita ſanè vt libertas dicat hāc triplicē habitudinē cū quadā indifferentia, ſcilicet, ad diuerſos actus immanētes in eadē potētia, ad diuerſa obiecta & ad diuerſos effectus ad extra. Hæc autē habitudo ſeu indifferētia ad effectus exteriores cōſequitur libertatē, ea ratione, quòd potentia libere agens & volēs, ſimiliter etiā eſt efficax eorū, quę vult. Quia poteſt applicare potentiā, quæ illa efficiat, & producit ad extra. Secūda autē habitudo ad diuerſa obiecta per ſe & formaliter requiritur ad libertatē ſi in ea habitudine reperiatur indifferētia, ſic enim per ſe ſufficit ad libertatē. Habere tamē indifferentiā hāc reſpectu obiectorū ſine immutatione vel additione vlla in ipſomet actu eſt ſolius Dei propriū. Et quidē reſpectu effectuū adextra, quos libere vult, ſiue producēdo ex ſolo imperio volūtatis, ſiue, quia more noſtro loquendo volūtas applicat potentiā actiuā ad productionē eorūdē effectuū, omnia inquā hęc potius ad actionē libertatis referūtur quā ad facultatem recipiendi. Vnde libertas diuinæ volūtatis inuoluit eminentiā quamdā & puriſsimā cōceptionē diuini actus ſuperantē omnē libertatem creaturæ. Nā libertas noſtra nō poteſt determinari ad aliqua obiecta, niſi ſubpræuenientibus pleriſq; actibus ſecūdis, qui ſine dubio adduntur eidē liberæ facultati, reſpectu quorum ipſa libera facultas ſit indifferens per modum actus primi. Et ſanè reſpectu iſtarū actionū, aut eorumdē actuū ſecundorum cōpetit libertas facultati liberæ, quatenus eſt actiua illorū actuū, & nō formaliter quatenus præciſe eſt receptiua illorū. Hunc modū dicēdi inſinuauit *Ariſtot.* Ariſt. 1. Magnorū moraliū ca 9. & Ethicorū c. 5. quibus locis dixit in arbitrio noſtro ſitū eſſe bona, malaq; facere, bonū autē, & malū morale de quibus Ariſt. loquitur ibidē proprie & formaliter in actibus volūtatis ſunt. Quod maxime cōfirmat, *Auguſt. Baſilius. Gregorius.* D. Auguſt. libro cōtra Adimā. Manicheū c. 26. & D. Baſilius homilia. Quod Deus nō ſit auctor malorū. Idē Greg. Nazianzen. oratione 1. & Tridentinū apertè docet libertatē voluntatis nō merè paſsiuè ſe habere, & idcireo voluntatē dicit ſeu liberū arbitriū actiue operari actus ſuos, ſignificans vſum libertatis præcipuè in actione cōſiſtere: facultatē verò liberam in aliqua potentia quatenus actiuè eſt, ſic Eccleſiaſtici 31. legimus, *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus facere mala & non fecit.* Deniq; Sancti omnes per poteſtatem actiuam faciendi, id, quod volumus declarant libertatem voluntatis. Ita Auguſt. Chriſoſt. Ambroſ. Methodius li de libero arbitrio. *Aug. Chry. ſoſt. Ambr. Method.*

Ex dictis colligo, quod quamuis potētia aliqua ſit indifferens ad varios actus vel ad oppoſita, vel ad modos cōtrarios, ſi tamen hæc potentia ſolū eſt paſsiua & nō actiua talis indifferentia nō ſufficit ad libertatē potētiæ illius. Nā potētia paſsiua vt ſic nō eſt libera, quia requiritur vis, qua talis facultas poſsit advnā partē determinare illā indifferentiam, huiuſmodi autē vis nō datur in paſsiua facultate vt ſic, ſed in actiua. Nā certe ſi facultas aliqua ſit indifferens ſine vlla vi, aut virtute ſe determinandi ſemper manebit in eadē diſpoſitione & indifferentia, donec ab alio determinetur. Idq; conſtat in ſuperficie, quæ ex ſe eſt indifferēs paſſiuè ad diuerſos colores, & in prima materia, quæ ex ſe eſt indifferens paſsiuè ad varias formas, niſi ab alio determinetur ad hanc vel ad illā in indiuiduo. Similiter ſiquis diceret cœlū eſſe indifferens paſsiuè ad motū, & quietē, reſpectu quorū ſolum habet principiū paſsiuū, nemo diceret quietem vel motum eſſe libera cœlo, quia non haberet vim actiuā exercendi vnum aut alterum, quamuis motus ille reſpectu alterius agentis ſi proficiſcatur à voluntate libera poſsit denominari liber.

Aduerte tamē in actibus ſupernaturalib⁹ volūtatē nō habere ex innata libertate vires, aut vim ſe cōuertēdi in Deū, quamuis libera ſit, negari enim nō poteſt, quin in ipſa conuerſione peccatoris ad Deū alia res ſit libertas, aliud verò vires ad conuerſionē. Nā quamuis libertas ſira ſit in illa indifferentia actiua innata ipſi volūtati, tamen hæc nō habet vires reſpectu cōuerſionis, & ita diſtinguimus vires, & vim agēdi cōuerſionē illam peccatoris in Deū à libertate. Homo ſanè liber eſt ad ſuā cōuerſionē, & hæc libertas ei cōuenit, quæ nō fundatur in indifferentia paſsiua, ſed in poteſtate indifferēti agēdi, & nō agendi, nō q⁹ hęc ratio libertatis, quæ in poteſtate agēdi, & nō agēdi fundatur, v.g. reſpectu illius cōuerſionis, vires habeat innatas per ſe eiuſdē cōuerſionis efficiendæ, ſed quòd dū eas recipit a Deo liberū arbitriū, ipſum actiuè eſt potens agere vel nō agere cōuerſionē illā, & prius intelligitur volūtas peccatoris in potētia paſsiua recipiēdi nimirū gratiā Dei actualē ad conuerſionē, quā dicatur potens efficere ſuā cōuerſionem ſupernaturalē, quamuis libertas, quæ illi ineſt, & quæ eſt in voluntate ipſius ſemper illi cōueniat ante & poſt, & hæc fundetur in indifferētia actiua cū habitudine ad vtrumq;, ſed nō quod vis agēdi cōuerſionē fundetur in illius libertatis innatis viribus. Quia licet libertas eſſe non poſsit niſi ſit actiua, tamē nō intelligitur, quod in ſe cōcipiat vires reſpectu cuiuslibet actus etiā ſupernaturalis, ſed dicitur actiua libertas, quia in ſe concipit poteſtatē ad vtrumq; oppoſitorū ſe determinandi, nunquam tamen ſe determinat ad hanc cōuerſionem, niſi prius recipiat vires commenſuratas conuerſioni, quę ſimul cum libertate potentiæ reddunt voluntatem potentem reſpectu conuerſionis eiuſdem. Has vires non habet innata libertas, ſed eas per gratiam Dei actualem & ipſius auxilia diuina recipit vt ſic actiue prodire poſsit & prodeat

ac prorrumpat in actum supernaturalem, de qua re dicemus inferius.

PROPOSITIO QVINTA.

Propositio Quinta.

DICO Quinto. Vt actio hominis libera sit, requiritur primo, quod homo operetur per facultatē ex se & per se liberam cū indifferentia obiecti, & cū potestate voluntatis ad oppositа: ita sanè vt voluntas operetur cū suo modo libero, & nō necessario trahatur ad vnū. Itaq; libertas volūtatis nō solū dicit habitudinē ad indifferentiā intellectus, per quē iudicatur indifferentia, quā habet mediū, vel obiectū respectu finis intēti, sed etiā dicit habitudinē ad potestatē agendi, vel nō agēdi formaliter sitā in voluntate, & ita requiritur & in differentia obiectiua respectu medij in ordine ad finē, & indifferentia potestatis, eiusdem voluntatis, & hæc secunda nunquā reperitur sine prima, vnde si intellectus proponat volūtati obiectū cū tali aduertentia, & indifferentia vt nullā inferat voluntati necessitatē semper voluntas libere agit. Non dico solā & præcisam indifferentiā obiecti cogniti esse adæquatā rationē libertatis, quia hæc indifferentia est obiectiua tantū, sed requiritur vlterius, vt relinquatur volūtas suæ naturæ, quod est dicere cū suo modo libero seu cū illa potestate formali, quam per se habet ad oppositа: ita sanè quod facultas per se libera voluntatis, neq; tratur necessario ab obiecto, vt fit in beatis, neq; impediatur vsus libertatis eius. Et quamuis tota libertas radicalis proueniat ab illo iudicio intellectus cū habitudine ad obiectum seu ad indifferentiam obiectiuam, tamen formalis libertas, quæ in potestate ad oppositа sita est, prouenit etiā à propria conditione appetitus intellectiui, cui propriū est ferri in hoc vel in illud iuxta propositionē obiecti ab intellectu factā: neq; negamus, aut vnquā diximus libertatē seu indifferentiā libertatis tantum & præcise esse indifferentiam obiecti propositi ab intellectu, sed etiam esse indifferentiā potentiæ volūtatis, cū ipsa sit perse formaliter libera, & ex cōsequenti cū potentia ad oppositа: potētia verò ad oppositа nō valet esse absq; indifferentia potētiæ ad illa duo cōtraria, vel contradictoria, vt indifferenter talis potētia atq; potestas sit expedita ad vtendum eadem libertate respectu cuiuscumq; oppositorū, & hoc est quod scripturæ clamant, & quod Sapiens dixit: *Appositi tibi ignem & aquam, bonum & malū, ad quod volueris porrige manum,* & Iosue 24. *Optio vobis datur, eligite quod placet.*

Iosue 24.

Neque etiam vnquam diximus idē esse facultatē liberā & liberū vsum, quia facultas ipsa est potentia v. g. ipsa voluntas: vsus autem liber est exercitium eiusdē libertatis inuentū in actu libero, vt quando voluntas habet velle aut nolle, aut non velle, & fieri potest, vt si impediatur exercitium libertatis, & vsus potentiæ liberæ vt sic, nihilominus maneat volūtas libera, non in vsu & in exercitio, sed in ratione potentiæ vt sic. Nā si voluntas destitueretur omni præsidio, & auxilio Dei ne operaretur & cōseruaretur, nihilominus in ratione potētiæ appetitiuæ tūc impediretur volūtas, ne haberet vsum liberū circa velle & nolle: potest enim Deus denegare omnē cōcursum cū libere impēdat illū nobis, & nihilominus permanebit volūtas essentialiter libera per modū potētiæ seu actus primi. Vnde potestas ipsa volē di aut nolēdi manet tūc, sed nō vsus neq; exercitiū huius potestatis, & ita fieri posset, quod quāuis intellectus habeat cognitionem obiecti, & medij ad finem, nihilominus voluntas impediatur ab vsu potestatis volendi, aut nolendi, vt insinuauimus.

Probatur conclusio.

Moueor ad veritatē assertionis positę, ex eō q̄ vsus libertatis propriè & formaliter consistit vt dicebā, in ipso actu libero volūtatis, sed actus voluntatis non habet rationem liberi à sola indifferentia intellectus: sed etiam à potestate, quæ per se inest voluntati circa illa, quæ intellectus indifferenter proposuit, quam voluntas exercet actualiter in ipsum actū, cui dominatur: ergo voluntas quamuis sit per se libera per modū potentię, si tamen impeditur aut quomodocunq; necessitatur, sicut verè potest necessitari à Deo, nō habebit vsum libertatis per hoc præcise, quod intellectus iudicet aut cōferat inter obiecta & media respectu finis. Fatemur ergo libēter & id semper constanter diximus, ad vsum libertatis non satis esse adæquate præcisam indifferentiam obiectiuā, seu iudicij intellectiui, sed vlterius requiri vt volūtas non necessitetur, neq; impediatur modus libere agendi in ea formaliter repertus.

Neq; obstat huic quintę assertioni illud Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Domini, quocumq; voluerit vertet illud,* seu inclinabit illud. Quia quòd cor Regis sit in manu Dei, & quòd inclinet illud, quo ipse voluerit, nō arguit quòd necessitetur à Deo, sed quòd dirigatur & moueatur suauiter & fortiter cū suo modo libero, arguitq; Deū summa sua prouidētia ita regere cor Regis liberrimū, vt simul exerceat dominiū, quod habet circa ipsum & circa operationes eius. Est enim Deus dominus liberi arbitrij, & suarū actionū, & est primum prædeliberās, à quo etiā in ratione prædeliberātis primi, pēdet liberū arbitrium hominis: sicut etiā pēdet ab eo in ratione primi efficiētis, & primi prædeterminantis. Caiet. prouerbiorū 21. explicās locū hūc: *Cor Regis in manu Domini, quòcumq; voluerit, inclinabit illud,* Dicit Latinū interpretem addidisse aduerbia illa, *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini,* Ad maiorē claritatem: Quia efficaciam simul & facilitatem diuinæ operationis ad inclinandū cor hominis, quocūq; Deo placuerit, describsit hoc loco Salomon instar diuidentis aquam in multos riuos. Et paulò inferius idem Caietanus inquit. Facillima efficacia Deus mouet cor, & inclinat illud quocūque vult, & ait quod hoc loco scribitur nomen tetragam ma-

Caietanus.

ton. Et iterum Caiet. Nullus intercedit labor, nulla resistentia, quando Deus vult: in omni enim creatura, & nō solum in corde hominis est, quæ a Theologis vocatur potētia obediē tiæ relatiuæ ad Deum. Omnia enim quæcumque vult Deus facit, sine resistentia prout vult: vult autem voluntatem seu cor hominis in operibus suis agere, cum suo modo libero. Et Deus non solum dicitur dominari voluntati hominis in quantum est natura, sed in quantum est etiam natura libera seu potentia libera. Nemo enim dicit Deum non habere dominium nostræ voluntatis, etiam quatenus est libera, formaliter loquendo. Et sane non haberet plenarium dominium voluntatis, nisi simul haberet potestatem eidem dominio adęquatam, vt iuxta sui prouidentiam efficacissimam, eam efficienter moueret, non destructo suo modo libero, quocumque voluerit. Quò fit, vt etiam Deus sit dominus voluntatis liberæ, quoad vsum suæ libertatis. Nam certe non haberet dominium plenarium supra voluntatem hominis liberam, vt libera est, nisi plenè dominaretur vsui libero eiusdem voluntatis, simul cum plenaria potentia Dei. Quæ non solum est potentia respectu necessariorū, sed & respectu liberorū, tū ad mouendū infallibiliter & libere, tū & ad mouendū necessario le

Augusti. gendus est diuus Augustin. circa explicationem huius testimonij, lib. de gratia, & libero arbi-

Iansenius. trio cap. 21. Iansenius prouerbiorum 21. hæc dicit. Sicut sunt, aut se habent diuisiones aquarum, ita se habet cor Regis in manu Domini. Cæterum cum omnium hominum corda sint in manu Domini, peculiariter de corde Regis id dicitur. Quod hoc maxime sit liberum, & alienæ potestati minus subiectū, quodque ab eius directione, & inclinatione salus, aut perditio totius pendeat Reipublicæ. Dicit etiā Iansenius, quòd sicut riui aquarum siue humana opera in diuersas partes feruntur, ita cor Regis per manum Domini, eiusque potentiam, ac prouidentiam, huc illucque fertur, pro illius libito, nimirum, quia cū fauet Dominus, inspirat sana principibus consilia, atque ad ea implenda impellit. Attende verbum, impellit quod importat veram efficientiam & propriā Dei: sed non necessitatem repellentem libertatem & vsum eius. Vnde idem Iansenius Ecclesiastici, 15. num. 16. explicans illud. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, non fauet aduersarijs nostris, quia eo loco tantum dicit, quod non determinat Deus liberum arbitrium pecorū more ad vnum, quasi diceret, non determinat hominem, seu eius liberum arbitrium determinatione necessaria ad vnum, ex iudicio infixo à natura, more pecorum, sine vlla radice contingentiæ, aut libertatis, sicut bruta determinat, sed pręmouet, & determinat determinatione libera, non secus ac ipse homo se efficienter determinat ad vnum, quod vult, vel amat, ex collatione, & conferentia atque consultatione. Imo vero Deus determinat nos ad bene agendum, vera determinatione libera, quia nō determinat in actu secūdo me ad pœnitendū, nisi eadem actione libera, qua ego me determino in actu secundo.

Neque audiendi sunt recentes Theologi insinuantes in hoc testimonio sapientis, voluisse significare Salomonem, cor seu voluntatem hominis necessitari a Deo. Nam quamuis verissimum sit Deum posse necessitare voluntatem, & cor hominis ad actum, quē alias ex se libere eliceret: quia cum Deus sit voluntatis autor, atque Dominus, & omnipotens modis omnibus, sine dubio poterit mouere, & impellere voluntatem, ita vt necessario operetur, vel poterit pari modo impedire vt nihil omnino agat. Nam profecto potestas illa, quæ inuenitur in voluntate finita hominis ad volendum, vel nolendum obiectum aliquod, nō est infinitæ efficacię, quoniam est proportionata & commensurata virtuti finitæ, & limitatæ talis potentiæ, ac proinde potest vinci & superari ab agente virtutis infinitæ, vt est Deus. Nihilominus sicut ex sententia August. habemus: non tantum Deus potest mouere efficaciter cor hominis, necessitando ipsum, & auferendo ab eo vsum liberum, & determinationem liberam, sed etiam potest mouere cor, & voluntatem efficaciter, cum suo modo libero. Nam hac de causa mirabiliter extollit D. Augustinus sapientiam, prouidentiam, & potentiam Dei, quia facit volentes ex nolentibus, quod sane non adeo in admirationem raperet sapientissimum Augustinum, si solum Deus hoc faceret, necessitando, & implanādo volūtatē. Dixit enim August. lib. de correptione & gratia, cap. 14. volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitriū. Sic enim velle, aut nolle in nolentis, aut volentis est potestate vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem: & tamen libere operatur homo suam salutem. Nam libere pœnitet, libere conuertitur, & libere perseuerat in amore, & impletione diuinorum mandatorū.

Hugo Cardinalis. Hugo Cardinalis inquit explicans hunc locū prouerbiorum 21. *Sicut diuisiones aquarum, id est, diuersa dona gratiarum sunt in manu Dei tribuentis ea, cui vult, & quando vult, & sicut vult, iuxta illud Ioannis. 3. & 1. Corinthiorum 12. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus diuidens singulis pro vt vult. Ita cor Regis, id est, cor regale, quod excussit à se iugum seruitutis malæ: neque alicui seruit nisi Deo, cui seruire regnare est. In manu Domini est, sicut oblatio in manu Sacerdotis, vel sicut virga in manu pastoris, vel sicut liber in manu scriptoris, vel sicut remigium in manu gubernatoris: ita cor Regis est in manu Domini, quocūque voluerit inclinabit illud, ad cogitandū, ad amandum, id est, sicut in potestate Dei fuit diuidere aquas superiores, quæ sunt supra firmamentū ab inferioribus, ita in potestate eius est cor Regis, & cuiuslibet hominis se bene regentis. Nam diuersa dona gratiarum sunt in manu Dei, &c.* En quo

pacto

pacto Patres explicant prædictum testimoniū sine vlla necessitate. Nā sine ea dum Deus vtitur sua potestate, atque prouidentia facit infallibiliter volentes, ex nolētibus, vt ex Augustini calculo habemus. Et præterea Deo volēti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium, cum tamen non necessitetur ad suam salutem homo, neque ad suam conuersionem, aut perseuerantiam in bono, quia libere mouetur ex dispositione Dei. Dionysius Richel. 21. in Prouerbia dicit, cor Regis esse in manu Domini, quia iuxta omne beneplacitū suū potest cor Regū afficere, alterare animare, robo rare, debilitare, quia quocūque voluerit inclinabit illud, ideſt, vertet, & dirigetur ad agendum, appetendum, & odio habendum, &c. Et subiungit, quòd inferiorum corda non minus sunt in manu omnipotentis, quia non est, qui eius queat resistere voluntati. Et quod per Regē intelligitur iustus bene regens seipsum nō propria potestate, sed diuina ope. Et ideirco cor eius in manu Dei consistere, & inclinare illud, ad omne bonū quod vult. Et iterum; Iste est ordo rerū in causalitate, & influētia, quòd corpus hominis subijcitur influentijs corporum cœlestiū, sensus autē interiores, & appetitus sensitiuus à dæmonibus possunt immutari; intellectus verò ab Angelis sanctis potest illuminari: Deo autē proprium est directè, & immediatè agere, & imprimere in voluntatē, & apicē eius, omneq; obstaculum gratiæ auferre, iuxta illud Iob. 12. *Deus immutat cor principū terræ.* Hoc Esther aduertēs dixit. *Transfer cor Regis, scilicet, Assueri in odium hostis nostri.* Esther 14. Et Salomon. 3. Regum 8. exorauit dicens. *Sit Dominus Deus noster nobiscū, & inclinet corda nostra post se.* In quibus omnibus locis nulla insinuatur determinatio necessaria, aut necessitas cordis, quantumcumque Deus efficaciter moueat, ad salutem, & efficienter præmoueat voluntatem nostram, sua actuali gratia transferendo efficienter cor hominis, à prauo in malum, quod non fit, nisi per liberam arbitrij nostri determinationem. Et nunquam dixit scriptura Deum concurrere tantùm, ad actionem, & non præmouere voluntatem, quæ cum priùs natura sit in se, quā operetur, sic etiam priùs natura intelligitur præmoueri à Deo, & præueniri efficaciter sua gratia, infallibili. Neque vnquam somniauit scriptura dicere, q̄ ex innatis viribus voluntas, vtitur auxilio sufficienti reducendo illud de potētia ad actum. Nam tam ipse vsus, quam ipsa reductio de potentia ad actum sunt dona Dei ex domicilio gratiæ suæ orta, de qua reductione de potentia ad actum, seu determinatione voluntatis, dicemus fuse, in disputatione de auxilio efficaci, vbi plura nos manent certamina. Legendus tamen est Caietanus Cardinalis prima parte, quæst. 105. art. 4. 5 & 6.

Dionysius Richel. *Iob 12.* *Hester 14.* *3. Reg. 8.* *Caiet. 1. p. q. 105.*

Ex dictis colligitur libertatem voluntatis, non solùm esse sumendam penes habitudinem, ad obiectum indifferens; sed etiam penes potestatem per se conuenientem voluntati ad opposita, nam hæc appellatur indifferentia potentiæ habentis libertatem agendi, vel non agendi, & ideirco ad libertatem requiritur indifferentia volentis, & operantis; nam hæc etiā reperitur in Deo: potuit enim creare mundum, & non creare. Quod sanè ita verum est, quod cum obiectum creabile esset indifferens, vt crearetur, vel non crearetur, nihilominùs in operante, & volente debet constitui potestas libera, & facultas volendi, vel non volendi creare. Verum tamen est nō esse ad rationem libertatis, vt libertas est in communi, necessariam indifferentiam potentiæ, in ordine ad actus, sed in ordine ad obiecta requiri, & sufficere: quod sane in libero Dei arbitrio est verum, non tamen in nostro arbitrio creato. Quoniam Deus per seipsum est indifferens ad amanda obiecta extra se, nō quidem per modum potentiæ ad actus: sed per modum cuiusdam actus simplicissimi, qui potest perse se terminari, vel non terminari absque potentialitate vlla ad obiecta illa indifferentia, quod sane conuenit Deo ob perfectionem infinitam sui: liberum autem arbitrium creatum, cum sit finitum, & nō possit attingere tantam perfectionem, dicitur participare libertatem per modum potentiæ, quæ potest efficere actum, vel suspendere, aut facere oppositum. Et non obstat, quòd voluntas Dei fuerit ab æterno determinata, & quod in ea determinatione semper manserit. Quoniam determinatio illa, quamuis ab æterno fuerit, fuit quidem ex propria libertate, & non fuit ab alio, quòd autem semper permanserit non fuit, quia non sit libera, sed quia non est mutabilis, cum Deo, & voluntati illius conueniat intrinsecè immutabilitas. Et ideirco determinatio illa Dei æterna non pugnat cum indifferentia, quoniam est à libertate intrinseca eius, necessitas verò immutabilitatis non repugnat simpliciter, vt etiam aduersarij nostri fatentur: quia est ex suppositione libera ipsimet operanti, seu volenti.

Colligamus ergo ad vsum liberum voluntatis necessario requiri, facultatem perse liberam, cum potestate ad opposita, & cum indifferentia obiecti, & iudicij intellectiui, & hoc sufficere. Nā si voluntas nō impediatur à tali vsu, aut nō inferatur illi vis, aut necessitas, repellendo ab ea modum liberè agendi in exercitio operis, tūc sine dubio liberè operabitur. Et hæc est sententia D. Tho. in 2. dist. 25. & hoc idem supponit, vt certissimum Sanctissimus præceptor 1. 2. q. 6. art. 4. & idem sensit Scot. in 4. dist. 49. q. 6. §. Duo ergo. Itaq; quo modocumque inferatur necessitas voluntati, quāuis ipsa sit libera per modū actus primi, & obiectum indifferens, secundū se taliter quod non inferat necessitatem voluntati, nihilominus talis necessitas, & modus necessariò agendi, vndecumq; proueniāt auferēt liberū vsum

D. Thom. *Scotus.*

à volũtate in ipſo exercitio, & in ipſo actu ſecundo. Quando verò nos 1.p.q.19.art.10.diſputatione vnica, diximus, actũ voluntatis ortum ex indifferentia intellectus circa obiectũ indifferens, quod non habet connexionẽ neceſſariam cum fine, ſempereſſe liberũ; id quidem oportet perpendere, quia actus volũtatis non oritur, perſe loquendo, ex indifferentia intellectus, ſi aliũde neceſsitatur voluntas in illo actu. Et idcirco dixi eo loci loquendo de actu libero volũtatis, quòd talis actus ortus ex prædicta ratione iudicij, cum indifferentia ad obiectũ ſemper eſt liber, quia ſi aliunde ex neceſſaria determinatione oriatur, vel procedat, nõ erit ortus, ex præfata indifferentia iudicij formaliter loquẽdo, ſed ex neceſſaria determinatione ſeu vi neceſsitante voluntatem. Quo fit, vt ſi actus volũtatis oriatur, ex indifferentia intellectus proximè, & perſe, cum indifferentia, ſeu habitudine ad obiectũ indifferens præcedẽte iudicio, cũ collatione, & cõferẽtia, tũc actus voluntatis erit liber. Si verò aliquid ſuperuenerit, quod repellat à voluntate hunc modũ liberè agẽdi, & illi vim inferat, neceſsitãdo eã ad vnum more animaliũ, tunc non dicetur actus ille perſe, & proximè procedere à formali indifferẽtia intellectus, & obiecti. Nã certè quãuis formalis libertas, ſit in voluntate, tamẽ hæc oritur ab indifferẽtia intellectus, & à iudicio libero radicaliter ſub indifferentia ad obiectũ. Hæc autẽ radix libertatis perſe cõuenit intellectui, & in eo formaliter reperitur: quãuis poteſtas libera agendi, & non agẽdi, actiuè, reperiatur formaliter tantũ in ſola voluntate, vt ſuperiùs deduximus. Cũ igitur hæc dixerimus 1.p. ſi à viro Theologo recte perpẽdantur, non eſt cur audiantur calũniæ aduerſariorũ. Cõticeſcant ergò, & taceãt authores oppoſitæ ſententiæ, cũ veriſimũ ſit volũtatẽ cum in ſuo actu neceſsitatur à Deo, per vim illi illatã, ita neceſſariò determinari à Deo, vt eius actus tunc non procedat perſe, & formaliter ex indifferentia intellectus, neque ſub indifferentia obiecti iudicati, vt indifferẽs eſt, neq; ſub collatione, & cõferentia procedẽte ex tali indifferentia intellectus circa tale obiectũ indifferens. Et idcirco, quãuis ad liberã actionem creaturæ, & ad vſum liberum, ſit neceſſariũ, quod procedat à facultate perſe libera, & formaliter, & ab obiecto indifferente, quod non neceſſario trahat, neq; determinet voluntatẽ, tamen ſi aliunde neceſsitetur volũtas, & facultas, quæ operatur, in ſuo actu, tunc talis actus, non dicetur procedere, ex indifferentia radicali intellectus formaliter, ſed ex cauſa extrinſeca neceſsitante, & illi vim inferente, & à ſe, vt à cauſa ſecunda ſubordinata agenti, & efficienti extrinſeco, eam cum neceſſario modo impellente, & neceſsitante, & oppoſitum, nunquam potuit venire in mentẽ diſcipulorum Diui Thomæ, & oppoſitum eſt velle obijcere calumnias contra ſcholam Sanctiſsimi præceptoris.

Ad argumenta Durandi.

REſtat iam diſſoluere argumenta, quæ in principio huius diſcurſus adduximus. Et primò ad argumenta Durandi, dicentis vtramque potentiam intellectus, & voluntatis eſſe formaliter liberam, imò vero intellectum eſſe priùs formaliter liberum. *Ad argum.*

Ad primum igitur argumentum Durandi, reſpondetur ſupponendo, non eſſe tribuendũ nomen liberi arbitrij formaliter omnibus illis rebus, quæ neceſſariæ ſunt ad eligendum liberè: ſed illi tantum rei, quæ eſt principium productiuum actuũ liberorum, per quod ſumus proprie domini noſtrarum actionum. Et ſane huiuſmodi principiũ eſt volũtas, quæ habet poteſtatem eligendi, & non eligendi actiuè, & per eam ſumus domini noſtrarum actionum, & electionũ. Vndè cum dicitur liberum arbitrium facultas rationis, & volũtatis, id intelligendum eſt, quod ratio dicatur libera radicaliter: voluntas formaliter. Quo ſuppoſito dico non ſufficere indifferẽtiam, quam habet intellectus priùs, quàm voluntas, vt dicatur eſſe formaliter liber propter rationes ſuperiùs aſsignatas. Et in hoc ſenſu, reſpõdetur intellectum prius habere indifferentiam radicalem, ſed non meliùs habere indifferentiam, quàm voluntas, quia hanc habet perſe, & formaliter volũtas; intellectus verò ſolùm eſt radix libertatis. Si dicas intellectum habere dominiũ noſtrarum actionum, ex eo, quod actus voluntatis eſt poſterior actu intellectus, & cõſequẽter actum volũtatis ſupponere notitiam collatiuam intellectus, ac proinde quod per actum antecedentem, qualis eſt actus intellectus cum indifferentia ad obiectum debet regulari actus ſubſequens, qualis eſt actus voluntatis, & conſequenter dominium eius; Reſpondetur negando intellectum habere tale dominium. Imò vero voluntas noſtra eſt potentia, per cuius actum habemus principalius dominium reliquorum noſtrorum actuũ: nam actus eiuſdem voluntatis eſt magis in noſtra poteſtate. Et ad probationem dicendum, quod ex hoc, quod actus intellectus, ſcilicet iudicium concluſiuum præcedat actum voluntatis, & illum determinet, ſolum colligitur, quod libertas ſit in intellectu tanquam in radicẽ, & cauſa, vel principio libertatis formalis, quæ eſt in voluntate. Et vt plurimum ſolum probatur, intellectum eſſe ſimpliciter nobiliorem potentiam, quàm voluntas, vt docent Theologi cum Sancto Thoma prima parte quæſtione 82. articulo tertio. Et nõ eſt audiendus Scotus, neque Henricus negantes rationem eſſe dicendam radicem libertatis, quia falſò putant ſolum eſſe conditionem neceſſariam ad libertatem. Hoc enim non ſolum eſt alienum à noſtra ſententia, in modo loquendi, ſed etiam in re, quia origo libertatis non eſt conditio, ſed fons, & principiũ, ſeu radix libertatis, quod nõ poteſt cõuenire cõdi- *Ad primũ.* *S. Thom.*

tioni

tioni, sine qua non. Possumus etiam dicere radicem libertatis esse vsum rationis, seu intellectus agentis cum conferentia, & collatione. Adde etiam, quod potentiæ appetitiuæ in naturis cognoscentibus immediate sequuntur potentias cognoscitiuas, tanquam proprias, & immediatas radices potentiæ appetitiuæ. Quo fit vt perfectior appetitus proximè radicetur, & fundetur in perfectiori potentia cognoscitiua. Ex quo planè etiam sequitur perfectionē libertatis formalis, quæ est in voluntate creata oriri ex perfectione intelligendi, atque ita sicut vna passio est radix alterius, ita voluntatis libertas dici potest radicari in ipsa intelligentia rationis collatiue. Et eadem proportio est inter actus earundem potentiarum. Nam sicut est perse ordo inter potentias, ita inter actus earum, & ex consequenti, sicut libertas est fundamentum totius esse moralis, similiter etiam indifferentia in actibus voluntatis prouenit ex iudicio rationis collatiuo, in ordine ad obiecta indifferentia. Vnde indifferentia, quæ attribuitur iudicio rationis, vt radici libertatis potest dici indifferentia, non formalis, sed obiectiua. Nam quoniam iudicium rationis propter perfectionem suam, & amplitudinem proponit varias, & diuersas rationes conueniētiæ vel disconuenientiæ in ipso obiecto, & pariter etiam proponit medium, non semper, vt necessariū, sed vt indifferens. Quia non solum discernit, & distinguit gradum vtilitatis, aut difficultatis eius, sed etiam simul inuenit alia media, quæ proponit, idcirco iudiciū, & ratio sunt verum fundamentū liberæ electionis ipsius voluntatis, & non tantū conditio, vt minus bene dixerunt Scotus, & Henricus. Et ex doctrina tradita possumus satisfacere fundamētis à Durando allatis. Nam certè esse potentiam formaliter liberam non est idem, quòd esse potentiam rationalem, aut intellectiuam: sed solum est esse comitem rationalis potentiæ inseparabilem, comitemque intellectiuæ potentiæ. Ad potentiam verò rationalem solum consequitur, quòd sit libera, vel formaliter, vel radicaliter. Et hac ratione interpretandus est Arist. 9. Metaph. vbi sine indifferētia, & indistincte locutus est de potentijs rationalibus, & solum voluit, & intendit asseuerare in ea parte rationali, quam nos mentem appellamus, esse indifferentiā in operando. Quo autem pacto conueniant, & concurrant singulæ potentiæ ad hanc indifferentiam illius partis superioris Arist. non dixit, à nobis vero, expositum est in hoc discursu.

Aristot. 9. Metaph.

Sed dices in fauorem Durandi. Quòd quāuis electio sit actus voluntatis, tamen non est primus actus liber, sed potiùs primus actus liber est iudicium conclusiuum, quod determinat voluntatem ad electionem. Ergò libertas electionis pendet ex libertate illius iudicij, ac proinde intellectus est potentia principalis libera. Duo enim sunt actus præcipuè liberi, nempe, electio voluntatis, & iudicium conclusiuum ipsius intellectus: ex his autem illud iudicium intellectus est magis in nostra facultate, & potestate, quia per illud determinatur electio voluntatis, vt dictum est. Respondetur, quod electio non tantum est actus voluntatis, sed etiam est primus actus liberi arbitrij, formaliter loquendo de ipso. Obiectio verò solū ostendit, quod iudiciū intellectus, vel ipse intellectus iudicās habeat libertatē radicaliter, & hoc modo admittimus duplicē actū liberi arbitrij. Vnum primū radicaliter tantum: alterum verò actum voluntatis, & electionem, & hanc dicimus esse primum actum liberi arbitrij perse, & formaliter. Et quāuis actus voluntatis nostræ, per quem habemus dominium reguletur per iudicium intellectus, solum inde colligitur, quòd libertas sit in intellectu, tanquā in radice, principio, seu fonte. Ad confirmationē Durādi negatur sequela, quòd volūtas nō esset formaliter libera, si intellectus non esset etiā formaliter liber. An verò cū voluntas sit perse libera possit aliud eligere, quam ratio concludit esse faciendum, vel non facere quod eadem ratio dictat, id quidem inferiùs examinabitur.

Ad secundam rationem pro Durando, quæ erat fundamentum illius, Respondetur, rationem posse cogi ad iudicandum, contra inclinationem totius suppositi, & non esse ita liberam à coactione, sicut voluntas est libera, quia voluntas à coactione dicitur libera quia fieri non potest, vt aliquid velit contra inclinationem suam, vel totius suppositi: quia cum ipsa inclinetur, ad bonum, vt sic, potest inclinari ad omne bonum, ac proinde non potest aliquid velle, contra inclinationem suam. Rursus cum ipsa sit inclinatio totius suppositi, non potest quidquam velle contra inclinationem totius suppositi, & consequenter non potest cogi, quia non potest fieri, vt velit, quod non vult. Ratio vero inclinatur ad intelligendum verum, tamen eius inclinatio non est totius suppositi. Et idcirco potest cogi ad iudicandum contra inclinationem, non quidem suam sed totius suppositi, & ad credendum aliquid contra inclinationem etiam totius suppositi. Nam ita dæmones credunt, & contremiscunt coacti. Iacobi secundo. Et plerumque ęgrotantes coguntur credere se morti propinquos esse, quod omnino fugiunt, & si fieri posset nollent credere. Et ex consequenti, non est par ratio de coactione respectu rationis, & voluntatis. Præterea quòd ratio non sit libera à necessitate quoad specificationem, ostensum est supra. Nam si proponantur illi in via, necessaria argumenta, necessariò assentitur, si proponantur vehementer probabilia, necessariò opinatur, quamuis cum formidine. Si verò æquè probabilia proponantur necessariò dubitat, nisi accedat voluntatis inclinatio, & amor. Hæc confirmat

Ad secundam.

Iacobi 2.

Ariſt. 2. de anima.

Ariſtot. 2. de anima vbi ait; nos poſſe imaginari, quod volumus, non tamen opinari, niſi id quod argumenta concludunt opinandum eſſe. Aduerte etiam pro ſolutione argumenti, quòd nemo conſultat, an debeat aſſentiri nec ne veritati cognitæ: imò vero abſolutè tēdit in eam partem, in quam apertè declinat argumentorum efficacia. Ex his patet ſolutio argumenti, & neganda eſt conſequentia.

INSVRGVNT HOC loco nouæ difficultates ex Scoto, & alijs.

Henricus quodlib. 1. quæſt. 16.

ADHVC Tamen Henricus vbi ſupra, & Scotus, qui fauet Henrici placito in 2. diſtinct. 38. quæſt. vnica propè mediū videtur aſſeuerare intellectū, neque radicaliter eſſe liberū, ſed libertatem ſolum eſſe in eo occaſionaliter. Quod inſinuat etiam Scotus in 2. diſtinct. 25. quæſt. vnica, ad finem corporis, in §. Dico ergo ad quæſtionem. Et non eſſe in eo radicē, ſed ſolum occaſionem libertatis. Probari poteſt ex eodem Scoto, quia omnis actus, qui antecedit actū voluntatis nullo modo eſt liber: ergò in intellectu non eſt libertas radicalis, alias quicumq; actus intellectus, quantumuis voluntatē præcederet eſſet liber. Vndè Scotus loco citato aſſerit, quòd ſi diuinus intellectus haberet aliquem actum ante diuinam voluntatem, ille actus eſſet omnino naturalis, & neceſſarius. Quia omnis actus præcedens actū volūtatis eſt naturalis. Et confirmari poteſt hæc ſententia, quia ex oppoſita ſequeretur, quod error, qui eſſet in intellectu ante cōſenſum volūtatis eſſet peccatū, quod eſt apertè falſum. Probatur ſequela. Quia error ille eſſet actus potentię liberæ, ſaltem radicaliter. Ergo hæc libertas ſufficeret ad peccatū. Rurſus ſecundò, ad conſtituendam libertatem in intellectu radicaliter, non ſatis eſt indifferentia iudicij eiuſdem intellectus: ergò talis libertas, non eſt conſtituenda in eo. Probatur antecedens. Quia ſi illa indifferentia iudicij ſufficeret, & eſſet requiſita ad libertatem, ſequeretur, quòd Deus non eſſet liber. Et ſecundò ſequeretur, quòd Angelus non eſſet liber ſaltem circa naturalia: conſequens eſt falſum: ergo, &c. Prima ſequela probatur. Quia Deus ab æterno habet in ſe prædeterminata, & prædiffinita omnia, quæ ad extra facit, & gubernat: ergò circa illa non habet iudicium indifferens: ergò neque libertatem. Secunda verò ſequela probatur. Quoniam Angelus circa naturalia habet iudicium determinatum. Neque poteſt decipi perſe loquendo circa naturalia, & poſtquam aliquid ex deliberatione iudicauit, & voluit non poteſt retrocedere, loquendo naturaliter, nec mutare iudicium. Ergò non habet iudicium indifferens, & indeterminatum circa naturalia, atque adeo neque habebit libertatem circa illa. Quòd ampliùs declaratur. Nam circa omnia naturalia cognoſcenda tam ſpeculatiua, quam practica non procedit Angelus per diſcurſum, ſed ſimplici naturali cognitione omnia penetrat, & ad illa ſe habet eius intellectus, vt ſolet ſe habere intellectus noſter, circa prima principia naturalia perſe nota. Præterea tertiò. Si alicui homini proponantur duo media æque bona, & conuenientia, poteſt homo acceptare vnum, & alterum refutare; illa autem libertas non prouenit ex indifferentia iudicij, quia vt ſupponimus homo ille habet æquale iudicium, de vtroque medio bono, & ita eodem modo terminatur eius iudicium, ad vnum ſicut ad alterum medium. Igitur non prouenit radicaliter, libertas noſtræ voluntatis, ex indifferentia iudicij noſtri intellectus, ſed occaſionaliter tantum. Præterea vltimò. Quoniam ſi indifferentia iudicij eſſet radix libertatis ſequeretur, quod vbicumque inueniretur talis indifferentia iudicij ſimiliter reperiretur. libertas. Conſequens eſt falſum: ergò, &c. Maior videtur aperta, & probatur Minor in brutis animalibus, & in hominibus amentibus. Bruta enim non habent iudicium determinatum, ſed indeterminatum. Nam ouis aliquando carpit vnam herbam, aliquando alteram, & veſcitur granis diuerſi generis indifferenter. Experientia enim oſtendit, quod homines amentes aliquando operantur, ex admonitione, vel exhortatione, & tamen neque in brutis, neque in hominibus amentibus eſt libertas: ergò.

Scotus.

Secundò.

Tertiò.

Vltimò.

Hæc tamen argumenta non oſtendunt intellectum carere radice libertatis, ſed tantùm probant, formaliter, non eſſe liberum, ſicut eſt voluntas. Vndè ad obiectionem primam paulò antea allatam pro Henrico, Scoto, & ſuis, Reſpondetur quod ſi daretur aliquis actus intellectus ita voluntatem præueniens, vt neque procederet ex motione voluntatis, neque haberet concomitantiam cum actu voluntatis, & cum motione eius, ille quidem actus eſſet omnino naturalis, & non liber. At verò in homine habente vſum rationis, non video quomodo inueniatur talis actus intellectus: nam ille erit actus humanus, atque adeo voluntarius, ſaltem per concomitantiam: erit ergò actus liber, & talis actus intellectus dicetur radix libertatis alterius actus voluntatis ſimul exiſtentis. Secundò reſpondetur, quòd actus intellectus, qui antecedit actum voluntatis poteſt dici ſolùm liber, libertate radicali perſe loquendo, & ita neganda eſt conſequentia. Ad confirmationem verò dico, quòd non ſequitur illud inconueniens, nempe errorē intellectus eſſe peccatum ſine conſenſu volūtatis, quia vt iam declarauimus, ille actus

Quòd his argumētis ſolum probetur non eſſe formaliter libertatem in intellectu palàm fit ex ipſorum ſolutione.

Ad primū.

intelle-

intellectus hominis habentis vsum rationis, habebit comitem actum voluntatis. Et non sufficit sola, & præcisa radicalis libertas solius intellectus, sed requiritur libertas voluntatis præstantis consensum.

Ad secundum. Ad secundam obiectionem, patet ex dictis. Et negatur vtraque sequela, & ad probationem vtriusque respondetur, solum probare inde libertatem in Deo, & in Angelo ad nostrum modum intelligendi, non prouenire ex indifferentia iudicij mutabilis successiuè in contraria, & diuersa iudicia de eadem re, sed tantum prouenire ex indifferentia iudicij secundo modo, quando propositis duobus medijs æquè conuenientibus, ad vnum, & eundem finem, intellectus non est magis determinatus, ad iudicandum de conuenientia vnius, quam alterius. Diximus enim supra libertatem Angeli, & Dei secundum nostrum modum intelligendi, solum prouenire radicaliter, ex indifferentia iudicij, secundo modo, quia licèt Deus, & Angelus non possint habere successiuè de eadē re contraria iudicia, possunt tamē iudicare plura media esse æque cōuenientia ad talem finē. Nam, v.g. ad manifestationem potentiæ, & gloriæ suæ, iudicauit, & potuit iudicare Deus esse possibiles plures mundos, qui æqualiter omnipotētiam, & gloriam suam manifestarent: vnde liberè voluit creare hunc mundum tantum. Et hæc libertas nostro modo intelligendi radicaliter prouenit, ex illa indifferentia iudicij intellectus diuina circa plura æqualia media.

Ad tertiū. *Caiet. Ferrara. Soncinas. S. Thom.* Ad tertiam obiectionem nonnulli respondent, quòd in illo casu, quando proponerentur homini duo bona æquè conuenientia neutrum eligeret. Ita Caietan. prima secundæ, quæst. 13. art. 6. Ferrara tertio, contra gentes cap. vltimo prope finem. Soncinas 9. Metaphysi. quæst. 14. fundamento 3. imò vero S. Thomas videtur fauere huic sententiæ, in artic. illo 6. citato, de qua re fusius inferius agemus. Nihilominus opposita sententia videtur omnino vera, & magis conformis rationi, & experientiæ. Quis enim dubitat Deum, ita voluisse creare hunc mundum tantum, ad manifestationem omnipotentiæ, & gloriæ, atque bonitatis suæ, vt etiam cognouerit ab æterno se potuisse ad eundem finem plures alios cœlos, vel multo perfectiores, & meliores, vel æquè bonos condere? Pro sua igitur mera liberalitate elegit creationem huius mūdi solius. Et inter homines etiam videtur cōpertum experientia, quòd quando rectè operantur, possunt etiam melius agere, imò verò aliquando de facto aduertentes posse facere aliquod aliud bonum, multo excellentius, & magis conueniens, prætermittunt illud ex sua libertate, & eligunt minus bonum. Et iuxta hunc modum dicendi, respondetur tertiæ obiectioni, negando minorem. Et ad probationem dicimus, quòd ex hoc, quod intellectus æqualiter iudicet hoc, & illud bonū esse conueniens, non sequitur, quod sit determinatus ad vnū in suo iudicio. Imò vero ostēditur habere iudiciū indifferens ad vnum, & ad alterum. Et hinc colligimus, quòd non solum inter duo bona iudicata æqualia ab intellectu, potest pro sua libertate voluntas vnū eligere; sed etiā quando intellectus proponit plura bona, quorum primū iudicat esse præstantissimum, & optimū, aliud verò esse minus bonū; sicut ipse intellectus est indifferens de se, vt proponat voluntati, etiam minus bonum, ita etiam voluntas est libera de se ad eligendum illud minus bonū, prætermisso optimo. Quo circa declarandus est, & interpretandus sanctissimus præceptor, vt habeat hunc sensum, quòd cōmuniter, & regulariter loquēdo semper homo eligit, id quod attentis, & ponderatis aliquibus circunstantijs sibi melius apparet.

Ad vltimum. D. Thom. Ad vltimam, & postremam obiectionem, neganda est minor. Et ad probationem, ex mente Diui Thomæ prima secundæ, quæst. 13. art. 2. ad 2. dicendum est, quòd bruta animalia operantur ex instinctu naturæ, & non ex indifferentia iudicij, aut ex electione. Quo circa quando ouis ex duabus herbis proximè se habentibus carpit vnam, & alteram omittit, id non facit ex indifferentia iudicij, aut ex electione, sed instinctu naturæ, ac proinde ita carpit herbam illam, ac si alia non esset in rerum natura. Est exemplum Sanctissimi præceptoris, veluti ex hoc, quod ex duobus extremis locis huius mundi inferioris, & sublunaris, ignis accipiat vnum, & relinquat alterum, non colligitur, quod id faciat ex indifferentia iudicij, vel electione, sed potius ex sua naturali inclinatione, qua ita est determinatus ad supremum locum, ac si nullus esset infimus in rerum natura. Hæc eadem solutio placet plerisque respectu amētium: quia etiam mouentur, ex naturali instinctu. Ex verbis enim, & suasionibus aliorum concipiunt amorem circa rem, quam apprehendunt, tanquam conuenientem, vel concipiunt odium, ad rem apprehensam, vt disconuenientem, & sic naturali instinctu ducti, vel prosequuntur rem aliquam, vel eam fugiunt. Nam canis naturaliter fugit lapidem contra se proiectum, & naturaliter prosequitur cibum.

Quid aliqui sentiant circa libertatē intellectus. Tanta premuntur difficultate, plures ex Theologis huius ætatis, vt propter obiectiones allatas, quas dissoluere conati sumus, dicant voluntatem esse perse primò liberam, intellectum verò non perse primò essentialiter aut formaliter, sed tantum per participationem libertatis ipsius voluntatis, & loquūtur isti authores simili modo atque de appetitu sensitiuo hominis, qui est liber formaliter per participationem: quæ libertas participata, sita est in hoc, quod intellectus, & appetitus sensitiuus possunt moueri ab ipsa voluntate, & illi sunt subijcibilia, in quan-

tum mouentur actu ad ſuas actiones, per actum voluntatis imperantis, nam hac ratione dicuntur participare actu libertatem formaliter, in illis actionibus. Et ſanè quamuis dicatur appetitus ſenſitiuus participare libertatem, ex imperio, & motione liberi arbitrij, & ſimiliter intellectus eam participet ex motione voluntatis liberæ, tamen illa indifferentia, quæ attribuitur intellectui in ordine, ad obiectum indifferens, & ad diuerſa media, de quibus iudicat, natiua eſt, & intima eidem intellectui. Et idcirco dicunt Theologi ex tali indifferentia intrinſecè radicaliter inuenta in intellectu, originem, & radicem ſeu fundamentum ſumere formalem illam libertatem, quæ eſt in potentia appetitiua voluntatis. Durandus locis citatis credidit intellectum, non eſſe per participationem liberum, ſed potius eſſentialiter, perſe, & formaliter, quod ſupra ſatis expoſuimus, agentes contra Durandum. Nunc verò repellendus eſt Caiet. qui 1.2. quæſt. 74. art. 4. in ipſo appetitu ſenſitiuo hominis etiam, vt non moto actu à voluntate, videtur ponere aliquam libertatem, non quidem omnino perfectam, & ob id non admittit Caiet. poſſe dari, peccatum mortale in appetitu ſenſitiuo, vt non moueatur à voluntate. Et quoniam concedit libertatem hanc poſſe dari in appetitu ſenſitiuo, vt non moto à voluntate, idcirco concedit peccatum veniale in eo etiam, vt non moto à voluntate. Et ita interpretatur D. Thomam aſſerentem in ſenſualitate poſſe eſſe peccatum veniale, ſed non mortale, quia in appetitu ſenſitiuo, vt actu mouetur à voluntate concedit Caiet. poſſe eſſe peccatum mortale. Hæc tamen Caietan. ſententia quatenus fatetur appetitum ſenſitiuum habere in ſe intrinſece libertatem, etiam independenter à voluntate impugnatur à nobis fuſe, & ad amuſsim, 1.2. quæſt. 74. art. 3. diſp. 1. & 2. Si quis autem interroget, cur in ipſo intellectu, & in appetitu ſenſitiuo hominis concedatur libertas participata formalis, & non in membris exterioribus, aut in operationibus externis, ſed potius negatur in eis libertas formalis etiam participata, cum tamen huiuſmodi membra moueantur ab ipſa voluntate ad proprias operationes; Ad hoc reſpondetur ex diuerſis locis Diui Thomæ prima ſecundæ, quæſt. 81. art. 3. ad 2. & quæſt. 50. artic. 3. ad 1. & 3. & quæſt. 74. artic. 2. Rationem differentiæ eſſe quoniam appetitus ſenſitiuus, in homine eſt ſubijcibilis rationi, & voluntati ſubditur ſubiectione politica, & ciuili, & illi obedit, vt ciuis regis dominio, hoc eſt, regali, & politico, eo quòd poteſt reſiſtere voluntati, membra verò externa ſubijciuntur voluntati dominio deſpotico, & ſeruili, vt ſeruus domino, quia non poſſunt reſiſtere ipſi voluntati. Hinc conſtat reſolutio dubij, ſeu interrogationis poſitæ, nullam enim libertatem formalem concedimus membris externis, & eorum operationibus, ac proinde in eiſdem nulla datur bonitas, vel malitia moralis formaliter, quod videtur maximè rationi conſonum. Nam ſicut actus exteriores, non ſunt liberi formaliter, ſed tantum denominatiuè à libertate, quæ reperitur in actibus interioribus, ſic etiam in eiſdem actibus exterioribus, nulla eſt bonitas, vel malitia moralis formaliter, ſed tantum denominatiuè ab ea bonitate, vel malitia morali, quæ eſt formaliter in actibus interioribꝰ, verbi gratia, actus exterior dandi eleemoſynam eſt quidem bonus moraliter, atque adeò liber. Dicimus tamen, quod ſicut non eſt liber formaliter etiam participatiuè, ſicut dicitur de appetitu ſenſitiuo ſubijcibili rationi, ſed tantum denominatiuè liber à libertate formali, quæ eſt in actu interiori volitionis dandi eleemoſynam: ita ſimiliter idem actus exterior dandi eleemoſynam, non eſt bonus bonitate morali, formaliter, ſed tantum denominatiuè, vt dictum eſt. Denominatur enim bonus ab illa formali bonitate, quæ eſt in actu interiori volitionis dãdi eleemoſynam. Conſona eſt hæc doctrina cum alia, quæ traditur à Sancto Thom. docente in intellectu, voluntate, & appetitu ſenſitiuo hominis poſſe dari habitus proprie dictos, ſcilicet virtutes, & vitia, ſed non in membris exterioribus, de qua re nos fuſe diximus in prima ſecundæ, in ſuo proprio loco.

Improbatur Caiet. attribuens appetitui libertatẽ quã non habet.

Dubitabit quiſpiam.

Ex Diuo Thoma facile reſpondetur.

Quod autem intellectus noſter participet libertatem formalem, præter radicalem, quã habet ipſe, clarius videtur, quam de appetitu ſenſitiuo. Quia intellectus eſt rationalis potentia, & ſpiritualis, & ita magis cum voluntate conueniens, quam appetitus ſenſitiuus: & quia etiam eſt radix libertatis ipſius voluntatis. Quod facile declaratur, quia omnis noſtra volitio ortum habet loquendo naturaliter, ex iudicio noſtri intellectus: ergo volitio noſtra naturalis habebit ortum, ex iudicio determinato noſtri intellectus, & volitio libera ex iudicio indifferenti, & indeterminato ipſius intellectus, atque adeo libertas actus noſtræ voluntatis pendet radicaliter, ex iudicio indifferenti noſtri intellectus, & hoc vocant Theologi, & Metaphyſici libertatem eſſe radicaliter in noſtro intellectu. Secundò declaratur, etiam hoc ex ratione, & fundamento S. Thomæ prima parte, quæſt. 83. art. 1. vbi ex eo probat in brutis appetitum, non habere libertatem, quia eius actus non procedit, ex iudicio rationis indifferenti, & conferente inter ſeipſa particularia operabilia, ſed ex iudicio determinato, ex inſtinctu naturæ, & propterea eſſe in homine appetitum liberum, quia eius actus procedit ex iudicio indifferenti, & indeterminato, in quo radicaliter fundatur libertas radicalis. Et declaratur hoc ampliùs, & efficacius, quoniam iudicium intellectus cõcluſiuũ,

Quòd in intellectu reperiatur libertas non ſolum radicalis, ſed etiam formalis participata.

D. Thom.

& vlti-

& vltimum, ita se habet ad electionem, quæ est actus voluntatis, quod tale iudicium est primum, & regulatiuum ipsius electionis, & ex consequenti est radix libertatis illius electionis.

Obiectio. Dices, propter quod vnumquodque tale, & illud magis, sed intellectus est causa libertatis electionis voluntatis: ergo ipse non solum est à se radicaliter liber, sed formaliter, & principalius est in eo libertas, & priùs. Respondetur, hoc argumento non rectè probari libertatem, esse formaliter in intellectu, sicut neque valet simile argumentum. Corpus est album propter albedinem: ergo albedo est magis alba formaliter. Nam quamuis ita sit, quod voluntas, sit libera propter indifferentiam intellectus, & suorum iudiciorum, non inde infertur voluntatem ideo esse liberam formaliter, quia intellectus est formaliter liber. Quocirca maxima illa explicanda est, cum schola D. Thomæ, & cum Soto 1. Posteriorū quæst. 2. Ad confirmationem octaui argumenti Respond. quod quādo aliquod prædicatum conuenit alicui, propterea, quod idem conuenit alteri, multo magis conuenit illi alteri, v.g. sicut quia minutio sanguinis, vel amara potio amatur, propter sanitatem, idest, quia sanitas amatur bene sequitur, quod magis amatur sanitas, sed non sic est in proposito, nisi fortè intelligatur, quod magis radicaliter, sit libertas in intellectu. Si verò loquamur de libertate participata formali, quæ ponitur participatiuè in intellectu, in quantum à voluntate mouetur, sic verum esset dicere, quod magis est talis libertas formalis in voluntate, quia ex eo, est formaliter participatiuè in intellectu, quia est formaliter in voluntate mouente intellectum, & appetitum, & reliquas potentias.

Occurritur ei.

Sotus 1. Post.

Maior explicatio præcedentium.

Euertere nituntur quidam libertatem radicalem intellectus.

SVNT præterea nouæ difficultates, quia nunquam quiescit animus, donec veritas ipsa palàm, & euidenter cognoscatur. Nam primo, ratio non concurrit ad actum voluntatis, vt vera causa eius. Quoniam ratio tantū se habet extrinsecè proponendo obiectum, & repræsentando illud. Illud autem quod est origo, principium, & radix alicuius, verā causam significat: ergo ratio ipsa quæ solum se habet extrinsecè proponendo obiectum, potius dicetur cōditio, sine qua non operatur volūtas, quam radix libertatis, quæ reperitur in voluntate. Vndè quidam moti hoc argumento dicunt similiter intelligi S. Thomam, si dicamus libertatem voluntatis nasci ex libertate intellectus. Et recens quidam Theologus comes, & socius, atq; coętaneus meus putat indifferētiam radicalē nō esse formaliter in intellectu.

Primò.

Secundò. Secundò omnes illi actus intellectus, qui præueniunt voluntatem, & omnem actum eius, qui sunt ex motione Dei, sunt necessarij, & omnino determinati: ergo volūtas non est libera ex eo quod intellectus est indeterminatus. Rursus implicat aliquam actionem procedere ab aliqua potentia, quæ est indeterminata, nisi prius determinetur ad agendum ab aliquo: ergo oportet assignare à quo determinetur prius intellectus, ad hoc vel illud iudicium, vt voluntas possit agere. Sed si procedat voluntas, ad agendum, ex determinatione iam facta prius ab aliquo, ipsa non manet libera: ergo. Et confirmatur. Quia si libertas voluntatis originatur tanquam ex radice, & principio ex indifferentia rationis, & iudicij intellectiui, sequitur, quod si intellectus est determinatus ad aliquod iudicium, de conuenientia alicuius medij, quod voluntas non habebit liberam potestatem eligendi, neque ad prosequendum, vel repellendum indifferenter medium illud, quia tunc non est indifferētia iudicij, sed determinatio.

Tertiò. Tertiò, In Deo est vera libertas. De fide enim est Deum liberrimè produxisse hunc mundum, sed Deus non habet indeterminationem, & indifferentiam iudicij: ergo libertas, vt sic non supponit tanquam originem, & radicem sui indifferētiam, & indeterminationem iudicij intellectiui. Probatur minor. Nā certè indeterminatio iudicij inuoluit, & importat imperfectionē, iudicium autem Dei sicut, & scientia eius nūquam variatur, sed semper fuit idē, vt docet S. Tho. 1. p. q. 14. art. 15. Hoc in Angelis, confirmari potest: in quibus, quamuis sit libertas arbitrij, tam ad supernaturalia, quam circa naturalia, in illis non inuenitur hæc indeterminatio, & indifferentia iudicij circa naturalia. Nam intellectus Angeli est determinatus per scientiam circa naturalia: ergo, ita D. Thom. 1. part. quæst. 58. art. 3.

S. Thom.

Vltimò. Quartò obijciunt aliqui, Indifferentia iudicij intellectiui, & indeterminatio eius oritur ex ipsis rebus, sed iudicium intellectiuum debet adæquari eisdem rebus: nam intellectus iudicat id, quod à parte rei contingit, aliàs decipitur, & est falsus. Quia veritas est adæquatio intellectus ad res ipsas: ergo libertas voluntatis, non habet originem cum illa sit intrinseca ipsi voluntati ex illa indeterminatione iudicij orta ex rebus ipsis.

Stabilitur ꝓposita veritas de libertate radicali intellectus.

Hæc tamen argumenta, nos non mouent, vt negemus voluntatem habere principium suæ libertatis à ratione, quamuis ipsa sit formaliter, & essentialiter libera: imo vero, vt operetur voluntas semper præcedit cognitio, vel iudicium rationis de conuenientia, vel disconuenientia obiecti, quod non est solum occasio libertatis, vt dixit Henricus, sed vera causa, & principium. Neque solum est conditio, sine qua non, vt dixit Scotus in secundo, distinctione 25. quæstio. vnica. Imò verò Clemens Alexandrinus Epistola secunda, Ad Iacobum fratrem Domini hac ratione ostendit liberum arbitrium hominis, quia ratio est indifferens, ad iudi-

Scot. in 2. dist. 25. Clemens Alexand.

candum. Vnde receptiſsimum eſt in Philoſophia, ea quæ in effectu inueniũtur formaliter, in cauſa inueniri virtualiter, & radicaliter. Imò vero ea, quæ ſunt formaliter in creaturis in Deo ſunt virtualiter, tanquam in cauſa, & quæ in his inferioribus formaliter cõtinẽtur, virtualiter reperiuntur, & eminenter in Sole, & Stellis. Atque ita libertas, quæ formaliter, & eſſentialiter perſe eſt in voluntate, cauſaliter, & radicaliter eſt in anima mediante intellectu, à qua anima voluntas ipſa procedit, & pari ratione etiam dixit Sanctus Thomas libertatem eſſe radicaliter in ipſo intellectu, à quo voluntas, etiam originatur. Vndè quamuis libertas, ſit eſſentialis voluntati hoc non tollit, quin minus pendeat à ratione, & intellectu, tanquam à prima radice, & cauſa.

Interrogatio. Poſſet aliquis interrogare, an libertas formalis, ſit aliquid ſupra voluntatem, ſeu aliquod ens ſuperadditum illi. Et in hac re ſupponenda eſt ſana doctrina de libertate voluntatis, quidquid ſit de hac difficultate. Quia certiſsimum eſſe debet, voluntatem, eſſe liberam formaliter, & perſe, & non habere eam ex formalitate libertatis intellectualis, ſeu ex formali libertate intellectus cum ille non ſit formaliter liber. Nam alias etiam actus intellectus, qui præcederent voluntatem, eſſent formaliter liberi, quia procederent à potentia libera formaliter, quod eſt apertiſsimè falſum, vt ſuperius contra Durandum, & alios diximus. Nam profecto illa potentia, tantùm eſt formaliter libera, cui primò, & principaliter tribuitur meritum, vel peccatum, quia vbi non eſt libertas, non eſt peccatum: voluntati autem tribuitur meritum, vel demeritum. Vndè Auguſtinus lib. 1. retractationum cap. 9. dicit, quod voluntas eſt, qua peccatur, & rectè viuitur. Rurſus voluntas eſt, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum, pro ſuo arbitrio agit, vel non agit. Et in hoc videtur ſita eſſe formalis libertas. Sicut etiam reponitur in dominio actionum noſtrarum: igitur cum voluntas ſit, quæ habet huiuſmodi dominium, & quæ pro ſuo arbitrio poteſt agere, vel non agere, illa tantum eſt, cui ineſt formalis libertas. Ex quibus colligo falſo ſuſtineri à nonnullis recentibus Theologis, quod quamuis voluntas pendeat in operatione ſua libera, ab intellectu, tanquam à proponente obiectum, cum collatione, & conferentia, & ab indifferentia eius circa obiectum, quòd nihilominus libertas voluntatis, non dependet ab intellectu, quia eſt eſſentialis eidem voluntati, neque eſt accidens illi ſuperadditum ex intellectu aduenies. Hoc enim quod voluntas, & libertas eius non dicatur dependêre ab intellectu aperte conuincitur eſſe falſum, vt paulo antea oſtendebamus, & eſt ſine dubio, incidere in ſententiam Henrici credentis intellectum, cum eius iudicio indifferenti, tantũ eſſe occaſionem, vel conditionem, ſine qua non libertatis. Neque opus eſt iterum repetere rationes nuper allatas.

Reſponſio. His ergo ſtabilitis, in ſchola Diui Thomæ diſcipuli eius aperte ſentiunt libertatem formalem, non eſſe aliquid ſuperadditum, vel diſtinctum à voluntate. Nam certè ſi loquamur de indifferentia habituali ipſius intellectus, non eſt aliquid ſuperadditum, ipſi potentiæ intellectiuæ, ſed eſſentialiter eſt ipſa potentia, quod aſſerunt nonnulli, & bene, maximè propter amentes, & paruulos ante vſum rationis, in quibus eſt habitualis libertas, & indifferentia, ſed non actualis. An verò in amentibus iam in ætate adulta conſtitutis, qui poſt longum vſum rationis, & poſt diſciplinas conſecutas in amentiam inciderunt, poſsit eſſe aliqua libertas, non quidem moralis, quæ reguletur per prudentiam, & legem, ſed naturalis præciſe, ſine vſu rationis cordatæ, id quidem explicatum fuit à nobis 1. part. quæſt. 14. art. 13. diſput. 2. Et nunc nihil definimus de hac re, ſed certiſsimum debet eſſe in his paruulis, & amentibus ante vſum rationis, eſſe habitualem indifferentiam, quæ nihil aliud eſt in genere entis ſuperadditum, ſed eſt eſſentialiter ipſa intellectiua potentia. Quare libertas habitualis formalis, non dicit aliquid ſuperadditum potentiæ voluntatis, ſed eſt eſſentialiter, & realiter ipſa potentia voluntatis. Quoniam voluntas ex ſua natura eſt libera eſſentialiter: ergo libertas non diſtinguitur à voluntate. Nam quòd eſt de eſſentia rei non ſuperadditur ipſi eſſentiæ.

Author. 1. p. q. 14. ar. 13.

Si verò loquamur de libertate actuali, quæ eſt in actu ſecundo, non eſt dubium, quin addat aliquid ſupra ipſam potentiam voluntatis. Nam addit actum ſecundum liberum, & vſum libertatis, qui in nobis ſemper eſt aliquid ſuperadditum potentiæ voluntatis, quẽadmodum indifferentia actualis iudicij, & ipſius intellectus cum ſua collatione, & conferentia, in ordine ad obiectum dicit aliquid ſuperadditum potentiæ intellectiuæ.

Ad 1. difficult. Ad obiectiones, & difficultates, quæ ſpecialem difficultatem proponebant paulo antea. Ad primam reſpondetur, quod intellectus non tantum repræſentat obiectum, ſed quodammodo facit obiectum voluntatis proximè, & cum quadam immediatione. Quia res ipſæ, quamuis in ſe bonæ ſint, non ſunt volũtatis obiectum, quaſi proximè, niſi à ratione iudicentur bonæ, & proponantur, vt conuenientes, & expetendæ. Quo fit, vt intellectus non ſe habeat, vt conditio ſine qua non præciſe. Non enim intellectus exhibet volũtati obiectũ, ſicut, qui applicat ignẽ ad cõbuſtionem, vel ſicut ille, qui aperit feneſtrã, vt illuminetur ſacellũ, ſed potius ſe habet, veluti lumẽ ipſum, quod facit colores eſſe actu viſibiles, qui abſq; lumine ſolũ potentia viſibiles di

cuntur.

cuntur. Quòd autem doctrina huius solutionis vera sit ostẽdo: quoniam ad solam, & præcisam conditionem, sine qua non, vt sic, non sequitur actio. Nam per solam apertionem fenestræ non illuminatur sacellum, si lumen deficiat. At vero ad propositionem rationis, qua proponitur res vt bona, & cõueniens, & ad iudicium rationis de hac cõuenientia, quo res proponitur, vt bona sequitur appetitio, & amor: quamuis fortasse res illa verè non sit bona: sed apprehendatur, & proponatur vt bona: ergo ratio seu intellectus non tantum concurrit præcisé, vt conditio applicans obiectũ, sed vt causa quodammodo faciens obiectum, quia rei bonæ tribuit quandam vim motiuã efficiendo, vt res illa sit actu expetibilis, quæ anteà tantum erat expetibilis potentia: igitur cum potentiæ sumant speciem, & essentiam ab obiecto sequitur, quod voluntas sumit speciem à bono proposito per rationem sub formalitate cõueniẽtiæ, ac proinde, quod talis voluntas sit libera, quoniam ratio proponit multa, atque varia, & ea confert inter se. Quocirca vera radix libertatis est ipse intellectus proponens multa, & de illis iudicãs, eaque conferens & de eis dictans cum habitudine ad indifferentiam obiectiuã. Ad illud verò, quod in intellectu nulla est libertas tanquam in subiecto dico, quod nulla est libertas formalis per se in intellectu, tanquam in subiecto, nihilominus est in eo indifferentia cum habitudine ad indifferentiam obiecti, & hoc in intellectu reperitur vt in subiecto, & ob id Theologi dicunt libertatem radicalem esse in intellectu, quia illa indifferẽtia intellectus, & illa habitudo ad obiecta indifferentia, est sibi propria, & in eo tãquam in subiecto. Ex qua indifferentia intellectus prouenit tanquam ex causa, & radice, quod voluntas sit libera formaliter, quamuis libertas formalis in ea solum reperiatur, tanquam in subiecto intrinseco eius.

Ad secundum. Ad secundam difficultatem, quæ secundo loco obijcitur respondetur, quod duobus modis aliqua actio potest dici libera. Primò, quia procedit ex cõsultatione, & consilio, & actua li electione voluntatis, & hæc est propriè, & formaliter libera. Nam certè propria actio liberi arbitrij est electio ipsa. Secundo potest actio dici libera, quia procedit ex potentia indifferente, & non determinata ad hoc, aut illud iudicium, & hac ratione actio non dicitur libera formaliter propriè, sed solum radicaliter, & causaliter, propterea quod ex huiusmodi operatione, & iudicio indifferente, appetitus qui sequitur intellectum ità se habentem, habet, quod non sit ad vnum determinatus, sed quod possit eligere potiùs hoc medium quam illud. Hanc doctrinam tradit doctissimus Caiet. 1. p. quæst. 83. art. 1. Ferrara 3. contra gentes, cap. 73. circa secundam rationem. *Caietan. Ferrara.* Et ea supposita respondere possumus ad argumentum, quod si liberum primo modo accipiatur, tunc actus ille, qui prœuenit omnem actionem voluntatis, omnino non dicitur liber, sed naturalis, hoc est, procedens ex inclinatione, & motione Dei, qui est naturæ auctor, non autem ex deliberatione rationis, & electione voluntatis, & conferentia, aut collatione. Si autem liberum hominis arbitrium sumatur secundo modo, sic actus intellectus præueniens voluntatem dicitur liber, ob id, quod procedit ab intellectu habente indifferentiam iudicij, seu iudicandi, & potest nunc iudicare hoc obiectum esse conueniens, & postea iudicare aliud esse conuenientius. Et sanè iuxta sensum hunc actus intellectus voluntatem præueniens, non dicitur naturalis, quia hoc pacto ille actus dicitur naturalis, qui procedit à potentia, quæ ex natura sua est ad vnũ tantum determinata. Et hac ratione Aristot. dedit differentiam inter potentias rationales, & irrationales, quod rationales se habent ad oppositа, non tamen potentiæ irrationales. *Aristot.* Tandem ad argumentum neganda est consequentia illius. Ad replicam respõdetur, quòd intellectus determinatur potiùs ad hoc iudiciũ quam ad alterũ ex Dei motione aut inspiratione. Vndè quòd in prima intellectus actione, cũ nouiter incipit agere moueatur à Deo, & quòd prima intellectio sit ex diuina motione est certissimum. Et id tenet S. Thomas. 1. par. quæst. 82. art. 4. ad tertium, & censet esse sententiam Philosophi lib. 7 moralium ad Eudemum, cap. 18. & Prima Secundæ, quæst. 9. artic. 4. vbi fusè disputat. S. Thom. quo pacto voluntas moueatur à Deo. *D. Thom.* Præterea plures Theologi interpretãtes illud Ioannis. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Dicuntinter alias interpretationes, hunc etiam posse esse sensum, quòd Deus, qui est prima lux, & primus intellectus mouet hominem ad intelligendum cum primum venit ad vsum rationis, quia tũc dicitur nouè aperire oculos rationis, & venire in hunc mundum tanquam homo, cum ante vsum rationis, & prudentiæ, aut iudicij virilis esset in mundo veluti cæcus, & veluti aliud animal. *Ioan. 1.* Et quidem licet locus iste explicetur à patribus de illuminatione respectu supernaturalium: cæterùm legitime valet interpretari etiam de illuminatione in ordine ad naturalia. Nam S. Tho. interpretatur etiam hunc locum de illuminatione diuina in ordine ad naturalia, per quã Deus, qui est primum lumen, & primus intellectus creaturas intellectuales illuminat, & mouet ad intelligendum etiam naturalia. Quã interpretationem insinuat D. Cyrillus lib. 2. super Ioannem, cap. 9. vbi hunc locum exponit de diuina illuminatione, per quam Deus in cõditione creaturarum tribuit intellectum, & naturale lumen intellectualibus, & rationalibus creaturis. *D. Cyril.* Et Sanctus Thomas, Ioannis. 1. & 1. par. quæst. 79. art. 4. ad primum, expressè dicit sensum Ioannis etiam esse eum, quem supra retu

ſimus. Nam certè ad prouidentiam Dei peculiarem pertinet deducere intellectuales creaturas in finem ſuum, & ob id prima intellectio, & cognitio finis debet eſſe ex motione diuina, & in Deum reduci tanquam in motorem primũ. Et hac ratione prima Angeli operatio fuit à Deo, data inquam ex inclinatione ab ipſo Deo authore naturæ, & gratiæ, & ex motione prima Dei, & ob id, non potuit eſſe peccatum, quia alias tribueretur ipſi Deo. Di

Obijcit Hẽricus. ces cum Henrico Quodlibeto. 9. quæſt. 3. primam operationẽ voluntatis non eſſe in Deũ referendam, tanquam in primum mouentem, aut motorem, ſed in voluntatem ipſam; quia Deus generali adminiſtratione, & gubernatione concurrit, non ſolum cum voluntate hominis, ſed vniuerſaliter etiam concurrit cum cæteris creaturis ad operationes ſuas, ſed reliquæ operationes creaturarum non referuntur immediatè in ipſum Deum, tanquam in primum motorem: ergo. Et confirmat Henricus hoc, quia ſi illa prima operatio voluntatis eſt ex diuina motione ſequitur, quod non haberet dominium illius actus, & ſimilium voluntas, & ſequitur etiam quod non eſſet libera. Iſtę obiectiones Henrici magnam excitãt tragœdiã de primo actu intellectus, & de primo actu voluntatis, an ſint primò ex diuina

Reſpondetur. motione, de qua re fuſius alibi agendum eſt. Sed hic breuiſsimè reſpondetur negando conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt, quia in operationibus, & actibus aliarum potentiarum Deus concurrit tanquam prima, & vniuerſalis cauſa ſimul cum ipſis ſecundis cauſis. Et idcircò effectus tribuuntur immediatè ipſis cauſis ſecundis. Cæterùm ad primam finis volitionem, & ad primam intellectionẽ Deus concurrit tanquam proxima, & immediata cauſa, & ſpecialis mouens intellectum, aut voluntatem ad exercitium illius primi actus, & tanquam ſpecialis cauſa, quæ applicat potentias illas ad huiuſmodi operationes, ſed perpendendum eſt, non eſſe negandum potentias illas ſimul etiam concurrere effectiue ad eaſdem operationes, quia ſunt actus vitales. Dico ſecundò eſſe probabile apud plures intellectum determinari potius ad hoc iudicium, quam ad alterum ex diſcurſu, & conſilio rationis deriuato, & quaſi originato à ſenſu, ex quo diſcurſu per reſolutionem ad principia nota ſibi procedit potiùs ad hoc iudicium, quam ad alterum, cum tamen loquendo abſolutè potuiſſet ex alio diſcurſu, & propter rationem aliam procedere ad aliud iudicium. Verbi gratia, habet Paulus cibum, & pecunias coram ſe, conſiderat tamen cibum eſſe conueniens, & magis accommodatum ad vitam ſeruandam, & ad repellendam famem. Tunc iudicat potius eligendum eſſe cibum, ſed nihilominus potuit Paulus ex alio principio diſtincto iudicare pecunias magis eſſe eligendas, vt ſi emendus eſſet fundus, vel ſi recuperandæ eſſent ingentes diuitię perditę, ex qua doctrina facilè dicere poſſumus, quando, & quomodo intellectus ſe determinat ad iudicandum, ante actum voluntatis. Ad confirmationem poſitã in hac ſecunda obiectione reſpondetur, quod intellectus in eodem inſtanti, quo ſe determinat ad iudicandum de conuenientia huius medij potuit determinare ſe, abſolutè loquendo ad diſtinctum iudicium de conuenientia alterius medij. Pariq́ue ratione voluntas in eo inſtanti, quo eligit medium illud potuit nõ eligere & eligere aliud ſub alia ratione propoſitum ab intellectu, & hic ſenſus diuiſus eſt. Sed de hac re ſpacioſa, & maiora nos manent certamina.

S. Thom. Sanctus Thomas, vt probet indifferentiam radicalem intrinſecè conuenire intellectui, formalem verò voluntati, ac proinde libertatem formalem ſolum in voluntate reperiri, non ſolum vtitur Prima par. quæſt. 82. artic. 4. potiſsimè ad tertium, illo diſcurſu, de electione voluntatis, quia ſola electio eſt actus liberi arbitrij, formaliter, & propriè loquendo, & quod idem actus vnus cum ſit non poteſt elici immediatè à pluribus potentijs, ac proinde, quod potentia libera, cuius actus elicitus eſt electio non poteſt cõſiſtere formaliter in pluribus potentijs, ſed in voluntate ſolum; ſed vtitur etiam S. Thom. alio diſcurſu ſimili, argumento ſuperius facto, in hunc modum. Omnes illi actus intellectus, qui præueniunt noſtram voluntatem, & ſunt ex motione Dei ſunt neceſſarij, & omninò determinati: ergo libertas formaliter non conſiſtit primò, & principaliter in ipſo intellectu: alias illi actus intellectus, qui præueniunt voluntatem eſſent liberi, quia procederent à potentia formaliter libera. Antecedens primum oſtenditur à Diuo Thoma. 1. par. quæſt. 82. artic. 4. ad tertium.

Sed profectò non videtur hæc ratio carere difficultate, prętер quàm quod videtur coincidere in ſecundam obiectionem, & difficultatem, quam nunc, ſoluere nitebamur. Quia in primis ex hoc, quod aliquis actus intellectus præueniat ſaltem natura aliquem actum noſtræ voluntatis, ex eo quòd in illo mouetur noſter intellectus ab extrinſeco, & ſuperiori intellectu, ſcilicet ab ipſo Deo nõ videtur rectè colligi, quod talis actus intellectus non ſit liber. Quoniam illud primum cõſilians & mouens, quod eſt Deus accommodat ſe in ſua motione, & concurſu naturis ipſarum potentiarum, cum quibus concurrit: ergo nõ obſtante illa prętmotione Dei mouentis, & præconſiliantis ſimul ſtare poteſt, quod noſter primus actus intellectus ſit liber, ſaltem quantum ad exercitium. Item, quia licet ille actus intellectus noſtri non procedat ex actu noſtræ voluntatis aliquo modo præueniente, ſufficit tamen ad libertatem, quòd voluntas comitetur illum actum noſtri intellectus, vt in materia de Angelis dicitur, primam Angeli operationem fuiſſe quidem

neceſſa-

necessariam quoad specificationem actus, liberam tamen quoad exercitium. Ita ergo posset quis dicere de illo actu intellectus nostri. Et quando S. Thom. 1.2. quæst. 9. ar. 4. docet voluntatem nostrã quantum ad primum actũ nouum alicuius finis non præuoliti moueri à principio extrinseco, scilicet ab ipso Deo, legitimus sensus esse videtur, quod in similibus actibus non se applicat ipsa voluntas, sed applicatur à Deo. Quod facile potest declarari in actibus supernaturalibus; ad quos eliciendos præuenit supernaturale Dei auxiliũ saltem natura. Hoc autem non obstante actus illi sunt liberi, & meritorij: ergo ex hoc, quod actus nostri intellectus non præsupponat actum voluntatis præcedentem nõ sequitur, quod non sit liber. Quòd si illi, quorum erat illa probatio probarent aliquem actum intellectus nostri ita præuenire nostram voluntatem, vt nec voluntas nostra illum comitaretur, fatendum esset talem actum intellectus non esse liberum: sed inde non sequeretur contra Durandum, quod quando in nobis datur actus voluntatis liber formaliter, non sit etiam libertas formalis in ipso intellectu; quemadmodum dici solet de actibus primo primis nostræ voluntatis. Ex hoc enim quòd tales actus non sint liberi. quamuis sint de re mala non erunt peccata; inde tamen non benè colligitur, quod libertas principaliter, formaliter, & essentialiter non sit in voluntate. Sed de hac re non vacat modo disputare, neque ea omnia, quæ diximus examinare. Sed nihilominus ratio legitima pro sententia Sancti Thomæ, & pro conclusione principali totius discursus est: quia principalis actus liberi arbitrij, loquẽdo formaliter & propriè, est ipsa electio: electio vero proprie, & formaliter sumpta est actus elicitus solius voluntatis, & ad intellectum tantũ pertinet dispositiuè, & veluti in radice: ergo libertas formaliter, & propriè loquendo essentialiter in sola voluntate reperitur, in intellectu vero tantum radicaliter, quæ quidem ratio desumitur ex Sancto Thoma. 1. par. quæst. 83. art. 3.

DE LIBERO *arbitrio Dei.*

AD tertiam difficultatem seu obiectionem, in qua de libero arbitrio Dei arguitur, Dico non defuisse hæreticos antiquos, & modernos, qui negarunt liberũ arbitrium in Deo, vt nihil intactum relinquerẽt. Quia argumentantur hoc modo. Libertas arbitrij, qua quis potest velle, aut non velle, & velle hoc, vel illud repugnat æternitati, immutabilitati, simplicitati, alijsque attributis Dei. Imò verò cum velle Dei sit idem, quod esse in ipso Deo si posset velle, & non velle sequitur, quod velle Dei posset non esse, atque ità ipse etiam Deus posset non esse. Vel si ipsum esse Dei est necessariũ absolutè, quo pacto velle Dei non erit similiter necessarium absolutè.

Quòd verò Deus habeat liberum arbitrium, & quod liberè velit ea omnia, quę sunt ad extra fide Catholica profitemur. Sicut eadem catholicè dicimus, & cõfitemur Deum liberè produxisse mundum hunc in tempore; vt constat ex illo Psal. 113. *Omnia quæcumque voluit fecit in cælo, & in terra.* Et ex illo ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Diuus Ambrosius explicans illud Pauli 1. Corinthiorum 12. *Hæc operatur vnus, & idem spiritus, diuidens singulis prout vult.* Libro 2. de Fide, cap. tertio, inquit; *Spiritus Sanctus diuidit singulis prout vult, id est, libero voluntatis arbitrio, non necessitatis obsequio.* Diuus Augustinus in Enchiridio. ca. 95. inquit. *Tunc in clarissima luce sapientiæ videbitur, quàm multa possit Deus, & non velit: nihil autem velit, quòd non possit.* Et lib. 13. de Trinitate, cap. 18. dicit Deum potuisse sumere carnem aliunde quàm ex Adam, & tamẽ hoc maluisse, & lib. de Bono perseuerantiæ. cap. 8. & 9. dicit Deum posse facere, vt omnes perseuerent vsque in finem, nec tamen facere. Gregorius Nissenus, lib. de Fato, cap. vlt. ait. *Non enim sub necessitate est Deus, neque voluntatem eius seruire necessitati fas est dicere. Etenim necessitatis est conditor.* Et inferiùs: *Omnipotẽs neque naturæ necessitate, neque legis præscripto operatur, sed sunt illi omnia contingentia, etiam necessaria.* Vtiturq; Nissenus ratione ex diuinis literis desumpta, quæ talis est. Deus multa operatur prẽter naturę ordinem. Nam Solem stare fecit contra Gabaonem ad vocem Iosue, & eũdem retrocedere ad preces Isaiæ: & obscurari tempore plenilunij ob mortem Saluatoris. Rursus fecit Virginem partum habere, cęcis dedit visum, surdis auditum, mortuis etiam vitam donauit: sed si Deus non operaretur libere, sed ex necessitate naturæ ageret, semper operaretur eodem modo, neque posset nunc seruare naturæ ordinem, nunc non seruare, & immutare: igitur liberè operatur, & pro arbitrio suo agit, non vlla vi, aut necessitate. Denique Chrysostomus, Hieronymus, & Gregorius Nazianzenus, & Patres omnes proceres Ecclesiæ voce consitentur vna Deum liberè agere circa nos, & in his, quæ sunt ad extra. Si enim homo est liberi arbitrij, vt naturali lumine etiam cognoscimus, cur Deus non erit liberi arbitrij? Non enim fas est vllam perfectionem homini tribuere, quæ non reperiatur excellentiùs, & meliùs in Deo. Rursus si Deus careret liberò arbitrio sequitur, quod ex necessitate naturæ ageret ac proinde non liberè, & pro arbitrio suo faceret ea, quæ facit, & ex consequenti frustra homines opem eius implorarent. Frustra etiã essent omnia sacrificia, & vota, quæ ad implorandum Dei auxilium efficiuntur.

Psal. 113.

Ad Eph. 1. D. Ambr.

D. Aug.

Greg. Niss. sen.

Chrysosto. Hierony. Greg. Nazian.

Igitur in Deo eſſe liberum arbitrium, & libere agere, non quidem comparatione ſuæ bonitatis, quàm neceſſariò diligit, atque vult, ſed comparatione aliarum rerum, quas & velle, & non velle, aut etiam nolle poteſt, vt ex his, quæ diximus Prima parte, manifeſtũ eſt, certa fide teneamus. Eſt autem in Deo libertas arbitrij non ſolum eminenter, ſed etiam formaliter, ſecluſa tamen omni imperfectione arbitrij creati, nempe facultate ad peccandum, atque non ſolum mutabilitate, ſed & viciſſitudinis obumbratione, quæ ex imperfectione voluntatis creatæ ortum habent. Vnde libertas arbitrij ità conſiderata, & dominium propriarum actionum, vt ſuperiùs diximus, perfectio ſimpliciter eſt.

Adde etiam non eſſe de ratione liberi arbitrij, poſſe velle bonum, & malum, aut poſſe nunc velle vnum, & poſteà mutare illud, & nolle, & ſatis eſſe ſi quis habeat optionem diuerſarum rerũ, quod electio fiat cum pleno, atq; perfecto iudicio rationis inter eas. Nam poſſe malum ſolum pertinet ad arbitrium creatum, vt ſic, & eſt imperfectio eius, & conuenit creaturæ rationali, quatenus facta eſt ex nihilo, & deficere poteſt, de qua re lege Diuum Thomam, de Veritate, quæſt. 24 artic. 3. Sanè libertas ad malum, & bonum ſimul neque Deo, neque Angelis, neque hominibus beatis conuenit. Quia eligere malum eſt imperfectio libertatis, ſicut & mutabilitas ipſa, poſſe enim actum mutare, & nunc nolle, quod anteà volebat nõ eſt liberi arbitrij ſimpliciter, ſed liberi arbitrij creaturæ, quæ quia ex nihilo facta eſt conuerſioni, & mutationi eſt ſubiecta. Quòd rurſus conſultatio præcedat electionem cum conferentia, collatione, & diſcurſu, id quidem pertinet ſolum ad naturam humanam, quæ ratiocinando ſcientiam ſibi parat. Nam Angeli qui ſimul cautam, & effectum cognoſcunt non indigent tali diſcurſu conſultationis, qui præcedat, ſed ſimul capiunt conſilium, iudicant, & eligunt.

D. Thom.

Nota.

Rurſus aduerte, quòd cum dicimus Deum liberè velle hoc vel illud, & poſſe non velle, nõ ſignificamus rem illam, quæ eſt velle Dei poſſe non eſſe, aut eſſe rem liberam ſecundum eſſe ſuum, ſed ſignificamus ipſum velle Dei non terminari ad creaturas, & ad rem iſtam, vel illam neceſſariò. Et nõ loquimur de poſſibilitate, ſed de exiſtentia rerum creatarum. Quoniam poſsibilitas rerum nihil ponit in re, niſi diuinam eſſentiam infinitis modis participabilem, diuinam potentiam, qua poſsit res producere, quibus participetur diuina eſſentia, diuinam ſapientiam, qua cognoſcat omnes modos, quibus participabilis eſt eſſentia diuina. Non poteſt autem Deus non habere eſſentiam infinitis modis participabilem: cur autem poſsit voluntas Dei non terminari ad exiſtentias rerum extra ſe, & liberè ſuper eas cadat, ratio eſt, quia res illæ, neque ſunt Deo neceſſariæ, neque habent cum Deo neceſſariam cõnexionem, ſed liberam, ac proinde, cum neq; ſint finis Dei, neque media cum ipſo cõnexa ex neceſsitate, ſequitur quod nõ ſunt per hoc abſolutè neceſſariç, & appetibiles, ſed ſolum ex hypotheſi, hoc eſt poſito, q; Deus velit per eas gloriã ſuam, & potentiã manifeſtare: aliàs Deus multa quæ poteſt nõ vult, & res creatas poteſt nõ velle, & annihilare. Sed valdè obſeruare oportet, quod cùm in Deo dicimus eſſe libertatem arbitrij, & poſſe facere hoc vel illud verèque potentiam faciendi, vel non faciendi hoc, quod non dicitur eſſe in ipſo Deo potentiã reſpectu actus diuini, quaſi poſsit Deus habere actum illum, & nõ habere, ſed ſolum reſpectu obiecti, quia poteſt voluntas Dei terminari ad talem vel talem rem producendam.

Sed dices. Libertas arbitrij cõſiſtit in hoc, vt quis poſsit velle, & non velle, & velle hoc, & nõ illud: ſed hoc repugnat diuinæ immutabilitati: ergo libertas huiuſmodi Deo repugnat. Et cõfirmatur, nã velle Dei eſt neceſſariũ cum ſit idem, quod eſſe Dei: ergo velle Dei non eſt liberum. Huic obiectioni & calumniæ reſpondetur, quòd velle, & non velle in Deo non ſignificant mutationem actus, ſed ſolũ, quòd velle Dei terminetur, vel nonterminetur ad tale vel tale obiectũ, & idcircò mutatio non eſt in Deo, ſed in ipſa creatura. Ad cõfirmationem eiuſdem calumniæ reſpondetur, velle Dei eſſe neceſſarium quãtum ad ipſum actum volendi, non tamen quantum ad ordinem, quem dicit ad creaturas. Itaque velle Dei ſecundùm quòd eſt actus diuinus eſt ipſe Deus immutabilis, & inuariabilis, cæterum ſecundùm ordinem, & habitudinem, ſecundum quam terminatur ad creaturas dicitur eſſe liberum, & ſic nullam habet neceſsitatem: eſſet enim in Deo magna imperfectio ſi à creaturis ex neceſsitate pendêret.

Obiectio.

Reſponſio.

Præterea obijcies, Voluntas diuina non poteſt non eſſe conformis diuinæ ſapientiæ, ſed diuina ſapientia non poteſt non iudicare id eſſe melius, & faciendum, quod re ipſa melius eſt, & faciendum: ergo diuina voluntas nõ poteſt eligere, niſi illud, quod re ipſa eſt melius, & faciendũ, & ex conſequenti ſequitur, quòd non eſt libera, cum nunquam poſsit eligere, niſi vnum. Reſpondetur diuinam ſapientiam iudicare nihil eſſe abſolutè bonum neceſſarium, & faciendum extra Deum, niſi tantum, quod ipſe Deus facere voluerit, & id eſſe melius, quod ei magis placet. Hoc autem, inſinuauit Paulus ad Epheſios. 1. cum dixit *Deum omnia operari, & agere ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Vnde quamuis voluntas diuina ſemper ſit conformis diuinæ ſapientiæ, tamen nulla inde ſequitur neceſsitas, quia ſapiẽtia etiam diuina conformis ſemper eſt diuinę voluntati in omnibus, quæ vult.

Alia obiectio.

Hnic obiectioni obuiãtur.

Ad Ephe. 1

Verùm vt hæc omnia melius intelligantur perpendendum eſt, libertatem diuinam perfectiſsimam, & eminentiſsimam eſſe, & al-

Nota pro Dei libertate.

tioris ordinis à libertate creaturarum, hominum, & Angelorum. Nã diuina voluntas etiã quatenus libera est longo interuallo superat, & excedit creatam voluntatem vt liberam, veluti excessu quodam analogicæ perfectionis, quæ est in membro principali analogato. Quocirca diuina libertas non debet cogitari respectu alicuius actionis, quæ sit & nõ sit, vel respectu alicuius volitionis, sicut libertas creaturæ. Nam certè libertas creaturæ est in ordine ad aliquã actionem, vel volitionem ab ea elicitam, quam re vera potest habere, & non habere. Vnde hac ratione diffinitur, quòd positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, & non operari, agere, non agere: elicere vel non elicere actionem. At verò libertas diuina nõ cogitatur vllo modo in ordine ad aliquam volitionem, taliter vt possit habere illam, & non habere, sed solum cogitatur in ordine ad obiectum, ad quod liberè terminatur, taliter quòd possit terminare actum diuinum. Quapropter libertas Dei sita est in hoc, quod ille actus simplicissimus voluntatis diuinæ terminari possit, & non terminari ad extra, seu ad obiectum secundarium diuinæ voluntatis, hoc est ad creaturas.

Adde etiam, quòd libertas in actu secundo cogitatur esse in Deo per ordinem ad creaturas, quas liberè vult. Nam in ordine ad diuinã bonitatem ille actus prorsus est necessarius sicut in ordine ad creaturas dicetur esse liber, & cum respectu libero, ità tamen vt actus ille liber Dei, quantum ad quid, & quantum ad absoluta, vt in Deo manens sit necessariò ipse Deus: licèt cogitatus cum respectu ad creaturas amatas & dilectas, sit liber. Potuit igitur Deus habere actum positiuum volũtatis, quo voluerit nihil determinatè decernere de creaturis producendis, vel non producendis, & in hoc casu verè saluatur libertas voluntatis diuinæ in actu secundo, quatenus in isto actu, & in isto casu, positiuè vult nihil determinatè decernere, aut diffinirè circa creaturas ipsas. Vbi aduerte, quod tunc talis actus includeret determinationem eiusdem voluntatis diuinæ liberè ab eo factam nihil definiendi, neque determinandi de creaturis ipsis. Verum quia hic actus videtur includere indeterminationem, & quasi suspensionem, idcircò videtur includere nonnullam imperfectionis notam. Propter quam causam censeo in diuina voluntate reponendum esse actum liberum, quo ab æterno Deus voluit se creaturis communicare, sicut etiam potuit determinatè voluisse se non communicare creaturis. Et sanè talis actus voluntatis diuinæ libere quantum ad quid, sed quantum ad substantiam ex parte subiecti est idem, quod ipse Deus, sed nihilominùs quatenus talis actus cogitatur, vt actus secundus cũ respectu ad creaturas dilectas, & volitas dici potest actus secundus liber ex parte obiecti hoc est respectu creaturarum volitarum, quæ cùm non haberent necessariam cõnexionem obiecti cum diuina voluntate, vt actu existant, liberè dicuntur volitæ à Deo vt sint.

Resolutio ad tertiam difficultatem.

Iam ergò ad tertium argumentum, seu tertiam difficultatem suppositis his, quæ diximus valdè perpensis, restat respondere. Dicẽdum igitur est ad argumentum, quòd eo pacto quo in Deo ponimus liberum arbitrium in ordine ad creaturas; similiter ponimus indifferentiam iudicij. Nam idcircò diximus Deũ liberè produxisse mundum hunc, quia iudicauit hoc esse medium conueniens ad manifestandam gloriam, & bonitatem suam. Sed nihilominus simul etiam cognouit, quòd alius mundus diuersus ab isto poterat esse medium conueniens ad hanc manifestationem: & quidem primum medium liberè elegit ab æterno, quamuis sicut potuit iudicare alium mundum esse etiam conuenientem, ità potuit liberè illum eligere. Non enim ex necessitate determinauit se, ad electionem prioris medij. Sed de hac responsione vide Sanctum Thomam, de Veritate, quæst. 24. artic. 3. ad tertium. Ferrariensem. 1. contra gentes, cap. 88. *D. Thom.* *Ferrarien.*

Ad probationem minoris, respondetur, quòd duplex est indeterminatio, vna quidem, quæ oritur ex parte causę ob id, quòd nondum est assecuta perfectionem suam, vt possit exire in actum: & talis non est in Deo, sed in illis qui non perfectè cognoscũt rem, & ideò deliberant adhuc, & consultant: alia verò quę oritur ex effectu, & qui non habet ordinem necessarium ad causam, & hæc indeterminatio dicit perfectionem in causa & arguit independentiam in ea, quia significat causam esse independentem ab hoc effectu, & ab eius contrario, vel contradictorio, & vtroque superiorem. Ad confirmationem de Angelis respondetur, Angelos etiam circa naturalia habere iudicium indifferens saltem quantum ad exercitium, quia possunt modo iudicare hoc verum, & posteà vel cessare ab illo, vel iudicare aliud verum: maximè verò circa veritates practicas, & morales, quæ pertinent ad agibilia. Quia in ordine ad eas minorem habet intellectus Angelicus determinationem. Atque adeò hac ratione negari non potest in Angelis arbitrium liberum, etiam circa naturalia, vt ex dictis constat.

Ad quartã & vltimã.

Ad quartam obiectionem, quæ in hac maiori explicatione præcedentium continetur nõ longè à principio respondetur indifferẽtiam iudicij circa media eligibilia, intrinsecè conuenire intellectui, illique inesse. Ex ea verò veluti ex fonte, & causa nasci libertatem, quæ intrinseca est, & propria atque formaliter cõueniens ipsi voluntati. Res verò exteriores sunt materia, circa quam versatur iudicium intellectus, & electio voluntatis. Rursus virtus conferendi media, & iudicandi de illis cum collatione, & cum quadam indifferentia obiectiua simul cum habitudine ad indifferentiam obiecti seu medij, hæc intrinsecè sunt in ipso intellectu, quamuis fundamentum huius col-

lationis, & conferentiæ, vel iudicij concluſiui inueniatur in rebus ipſis: media enim, & obiecta poſſunt eſſe indifferentia reſpectu finis, ſed habitudo intellectus ad hanc indifferentiam obiectiuam intrinſecè eſt in intellectu propter ea, quæ diximus.

DISCVRSVS IIII.

A quo determinetur cauſa libera, & indifferens? An à iudicio rationis? & quomodo, & an pẽ deat à Deo voluntas libera, vt ſic?

SECTIO I.

Non determinari voluntatem à iudicio intellectus. Probatur.

DISCVRSVS Iſte plures habet ſinus, conabor tamẽ euoluere eos, qui conducere poſſunt præſenti inſtituto. Et principio: volo probare poſſe voluntatem eligere contra iudicium vltimum, & concluſiuum intellectus, & contra iudicium practicum rationis, & ex conſequenti voluntatem liberam non determinari a iudicio practico, & concluſiuo intellectus Quoniam hoc eſt diſsidium inter naturales, & liberas potentias, quòd naturales præſente obiecto, & omnibus requiſitis ad agendum nõ poſſunt, nõ agere. Potentiæ verò liberæ poſſunt agere, & non agere, id quod experientia ipſa compertum eſt, & ex doctrina Ariſtot. 9. Metaphyſ. cap. 6. Voluntas verò eſt potentia maximè libera: ergò poteſt non agere, licet obiectum ſit præſens, & propoſitum ab intellectu per vltimum rationis iudicium, & practicè Et confirmari hoc poteſt, quia ſi voluntas infallibiliter ſequitur vltimum rationis iudicium, & non poteſt non ſequi illud, tunc ſequeretur primò voluntatem non eſſe indifferentem, & liberam. Secundò ſequeretur nunquam poſſe eligi minus bonum relicto maiori. Quoniam intellectus, ſeu ratio ſemper iudicat maius bonum præponendum eſſe minori, niſi forte erret, aut decipiatur: at hoc eſt falſum, & contra experientiam, quia plerumque homines ex rebus non neceſſarijs eligũt minùs bonum etiam abſque errore vllo. Imò verò Deus ipſe, in quem non cadit error, eligit, & facit minùs bonum, cum maius poſsit facere, & eligere. Et confirmatur ſecundò. Quia ſi voluntas libera determinaretur à iudicio rationis ſequeretur, quòd propoſitis duobus bonis æqualibus, & æqualiter propoſitis ab intellectu, neutrum poſſet eligere. Quia iudicium rationis rectum vnum præponit alteri, ſed contrarium experientia docet: ergò. Et confirmatur tertiò. Quoniam Diuus Auguſtinus. 12. de Ciuitate Dei, ca. 6. inquit. Si duo ſint æquè affecti animo, & corpore, & occurrãt eis bona, quę ſua pulchritudine poſſint affectum eorum allicere, ſi vterque æquali tẽtatione tentetur à diabolo, ſi tamen vnus tẽtationi ſuccumbit, & conſentit: alter verò minimè conſentit, neque ſuccũbit, non poteſt aſsignari, aut reddi alia ratio, aut cauſa, niſi, quia vnus vult, alter non vult. Sed ſi voluntas ſequeretur iudicium rationis, vt ſe ipſam determinaret fieri, non poſſet, vt poſito illo caſu vnus conſentiret, & alter non conſentiret. Quoniam ratio idem omnino, & æqualiter dictaret vtrique hominum. Confirmatur quartò, quoniam ſi libera voluntas determinaretur à iudicio rationis, ſequeretur electionem ipſam propriè, & verè non eſſe electionem. Et ratio huius eſt, quia electio eſt inter plura: igitur actus voluntatis, qui neceſſariò ſequitur determinatum iudicium, & practicum, atque cõcluſiuũ vnius non eſt electio, & tamen revera voluntas eligit, & revera illa eſt electio: ergò ſequitur vel illam eſſe electionem, & non eſſe electionem, vel voluntas libera non determinatur, neque pendet à iudicio rationis.

Ariſtot.

D. Aug.

Volũtatem non determinari à iudicio intellectus aſſerũt recentiores quidam.

Recentes Theologi putant, quòd quamuis ſit neceſſarium iudicium intellectus, vt voluntas ipſa poſsit eligere, tamen dicunt iudicium intellectus practicum neceſſarium non eſſe, vt determinet voluntatem indifferentem ad vnum. Et ratio primi eſt, quia cum voluntas ſit potentia cæca, & non poſsit ferri in incognitum, neceſſariò requiritur illud intellectus iudicium, vt volũtas eligere valeat. Cæterùm cum volũtas eã habeat libertatẽ, vt poſitis omnibus requiſitis ad eligendũ poſsit eligere & nõ eligere: ſequitur quod etiam poſito illo iudicio practico, & concluſiuo intellectus voluntas poſsit eligere, & non eligere, ac proinde, quod non determinetur omnino à iudicio rationis. Hoc confirmari poteſt ex Diuo Bernardo, lib. de Gratia, & libero arbitrio dicente: *Eſt ratio data volũtati, vt inſtruat illam, non vt deſtruat.* Deſtrueret autem ſi neceſsitatem vllam imponeret, quominùs pro arbitrio ſuo ſe ſe volueret. Dices neceſſarium eſſe, vt intellectus priùs iudicet quid eligendum ſit à voluntate practicè, & in particulari, & ità pendêre eius electionem à determinatione illius iudicij practici. Sed contra hoc inſurgunt authores oppoſitæ ſententię. Nam propoſitio illa, quę dicit neceſſariũ eſſe, quòd priùs intellectus iudicet, quid ſit eligendum, vt ex hac determinatione electio ſequatur dicunt dubiam, & æquiuocam eſſe. Quoniam ſi ſit ſenſus, priùs iudicare intellectum quid bonitatis, & conuenientiæ habeat medium eligendum ad ipſam electionem, vera eſt propoſitio. Si vero ſenſus ſit abſolutè omnino, & priùs eſſe iudicandum hoc determinate eſſe eligendum falſam eſſe affirmant propoſitionem hanc. Quia facit hunc ſenſum, nempè

D. Bernar.

quod

quòd pensatis,& considerati omnibus hic,& nunc iam est sub aliqua ratione necessarium hoc eligere, & idcirco omnino esse eligendū; sed nulla est ratio; propter quam tale iudiciū sit necessarium ante omnem electionem: imò verò hoc repugnat libertati electionis; ergò sufficit illud iudicium primum, quo medium hoc iudicatur vtile, & pensatis omnibus, aptum,vt eligi possit. Et idem videtur dicēdum, de quolibet alio obiecto bono, quod scilicet iudicetur sufficienter bonum in communi,vt amari possit: ergò sicut ad hoc quod visus ferri possit, & tendere in obiectum,non est necessarium, quod obiectum applicetur, vt visum,neque vt videndum,sed tantum vt visibile,ità quidem vt voluntas moueatur ab obiecto satis videtur esse,quòd proponatur,vt diligibile, quāuis non iudicetur omnino eligendum: ergò voluntas non requirit iudicium practicum, & conclusiuum à quo determinetur,& pendeat in sua determinatione.

Et cōfirmatur. Nam Deus vt ab æterno aliquid voluisset extra se & libere, nō oportuit nostro modo intelligendi,vt ante omnē liberam determinationem eius præcederet hoc iudicium in intellectu Dei. Hoc eligendum est à me. Hoc faciendum est in tempore. Hoc est amandum mihi. Quia hoc iudicium sine fundamento est, & apertè falsum. Nam videtur includere in se, quod tale obiectum extra Deum sit illi necessarium: igitur tantum præcedit hoc iudicium, scilicet, quod tale obiectum est conueniens, vel eligibile ad manifestationem gloriæ,& potentiæ suæ: ergò pari ratione debemus procedere in voluntate libera creata hominum. Nam profectò,vt voluntas eligat aliquod vnum medium non requiritur,vt de illo ità iudicet intellectus,quod de nullo alio habeat iudicium, quoniam voluntas solùm indiget cognitione illius obiecti, in quod tendit & fertur. Quod autem vel nō consideret, aut cognoscat neque apprehendat aliud obiectum,id quidem per se loquendo,est illi impertinens: ergo si intellectus noster semel iudicet hoc medium esse conueniens,aut vtile,seu eligibile,tunc quamuis iudicet simul aliud etiam medium esse conueniens, vel vtile,potest quidem volūtas vnum eligere: neq; requiritur quod intellectus priùs determinatè iudicet de altero illorum in particulari esse eligendum hîc,& nunc: imò verò neque esse potiùs hoc eligēdum, quàm aliud.

Si obijcias; Quando tantum adest vnicum illud iudicium in intellectu,voluntas omnino amplexabitur illud, quia tunc nō habet aliud ad quod se vertat & inclinet: cæterùm si adsunt plura iudicia, & obiecta, tunc voluntas tendet,& inclinabitur in illud, quod est de cō uenientiori obiecto,& magis vtili: ergo semper voluntas determinabitur à iudicio rationis concluſiuo; Respondent authores oppositæ sententiæ, quòd quādo in intellectu sunt plura iudicia de mediis æqualibus,tunc voluntas neque potest determinari ab illo iudicio æquali;neque rursus manebit suspensa. Quoniam hæc est libertas eius,vt possit vt sibi placuerit vnū eligere, & aliud relinquere. Aliàs non esset verum,quodvoluntas est libera formaliter. Et confirmatur præterea horum autorum sententia in diuina voluntate. Nam Deus cū eius intellectui se se obtulissent plures mundi, & æquales etiam partes materiæ pro sua voluntate elegit creare hos cœlos,nō illos,quod sanè non potest referri in inæqualitatem diuini iudicij. Quoniam ex parte Dei non potest assignari ratio aliqua,cur talis inæqualitas iudicij,seu tale iudiciū fundetur. Est ergo illa Dei prælectio tantùm ex libera diuinæ voluntatis determinatione. Quocirca probabilis sententia est, quòd etiam quando media sunt inæqualia, & vnum iudicatur esse conuenientius altero, voluntatem ipsam non necessariò determinari ex vi illius iudicij ad id quod melius,& conuenientius est. Et probari hoc potest, quia eo ipso, quod neutrum medium proponitur, vt necessarium potest voluntas vtrumque non amare: ergo à fortiori poterit voluntas indifferenter amare quodlibet illorum in particulari prætermisso altero. Et sanè plerisq; Theologis visum est, hoc in diuina voluntate necessariò esse concedendum: quoniam potuit Deus meliora facere quàm fecit,& tamē noluit. Docent enim Theologi Catholici incarnationem Verbi Dei fuisse medium optimum ad redemptionem humani generis, idque iudicasse Deum priùs ratione,quam illud vellet: & nihilominus stante illo iudicio potuit Deus sumere aliud medium relicto illo incarnationis Verbi Dei: ergo iudicium conclusiuum de conuenientiori, vel vtiliori medio non determinat infallibiliter potentiam liberam seu voluntatem ad illud prosequendum, vel eligendum. Aduerte quòd dicitur ex vi illius iudicij,quia ex vi intentionis voluntatis,vel prioris actus fieri potest,vt voluntas determinetur omnino ad eligendum medium cōuenientius,si maior illa conuenientia, vel vtilitas est necessaria ad consecutionem finis, prout ipse fuerat intentus ab operante. Nam tunc iam non tantum esset conuenientius,aut vtilius medium, sed esset omnino necessarium ad executionē intentionis complendam. Ex quibus apertè videtur constare, quòd quantumcumque intellectus iudicet de vno obiecto tantùm, & proponat illud esse conueniens,& dignum vt appetatur inuitando practicè voluntatem, vt etiam appetat illud, potest nihilominus voluntas pro libertate sua illud non appetere, neque amare. Quoniam ad non exercendum actum præcisè, voluntas non indiget alio iudicio,sed sibi sufficit, vt per illud, quod habet homo nunc, non iudicet hoc bonum esse sibi necessariò amandum hîc, & nunc. Quare voluntas tunc potest,vel diuertere intellectum, ne de illo obiecto cogitet, vel illum applica-

re, vt de eodem obiecto maiore cum diligentia inquirat, quanta ſit bonitas in eo, & vtrùm habeat aliquam diſconuenientiam cõjunctam, propter quam voluntas non ſolùm poſsit nõ amare illud, & proſequi, ſed etiam odio habere. Vel tunc poteſt voluntas ſuſpendere actũ: ergo iudicium vt ſic non determinat voluntatem omnino, neque ipſa pendet à iudicio rationis, vt à determinante.

Mouentur efficaciter authores oppoſitæ ſententiæ contra Scholam D. Thomæ. Quoniam ſi neceſſariò prærequiritur iudiciũ practicum determinatum, vt voluntas operetur, ità vt tale iudicium cũ ſuo imperio, ſit in ſuo ordine cauſa infallibilis, & neceſſaria ad liberum voluntatis actum: & eo iudicio poſito nõ poteſt voluntas non præſtare illi conſenſum, ſequitur apertè, quod voluntas non eſt potẽtia, quæ poſitis omnibus abſolutè prærequiſitis ad operandum, poſsit agere, & non agere, velle, & non velle, ac proinde, quòd non eſt potentia libera. Hic diſcurſus eſt efficax, & palmarius, poteſtque fuſiùs declarari: quoniã poſito huiuſmodi iudicio practico iuxta ſententiam diſcipulorum Diui Thomæ, voluntas in ſenſu compoſito, ex neceſsitate quadã vult, quia ſtante efficaci imperio ex parte intellectus, nulla remanet libertas in voluntate ad reſiſtendum, & contradicendum.

Bellarmi. quid ſentiat. Robertus Bellarminus lib. 3. de Gratia, & libero arbitrio, cap. 8. propoſitione 6. tom. 3. tenet voluntatis electionem pendẽre neceſſariò ab vltimo iudicio rationis practicæ. In qua re habet contradictores ſuæ familiæ nouos, & recentes Theologos, ſed nihilominùs probat ſuam ſententiam plauſibili argumento. Voluntas eſt appetitus rationalis, qui ſequitur rationem ſeu intellectum, & ex Ariſtot. 3. *Ethicorum*, cap. 2. electio eſt appetitus intellectiuus. Vnde Diuus Auguſtinus, libro 8. de Trinitate, cap. 4. dicit neminem poſſe amare incognitum: ergo nulla poteſt eſſe electio, niſi præcedat actus intellectus. Nam obiectum voluntatis eſt bonum cognitum, & iudicatum conueniens: ergo ſi voluntas vellet aliquid ſine præcedente iudicio, & cognitione, ſine dubio tunc operaretur voluntas ſine obiecto, quod nulla ratione fieri poteſt. Et cõfirmatur hoc. Nam cum homo operetur propter finem, fieri nequit vlla ratione, vt mouea tur homo ad eligendum aliquid, niſi intellectus ſeu ratio dictet, illud eſſe medium conueniens ad conſequendum finem propoſitum. Et profectò nemo eſt, qui ſi interrogetur cur aliquid faciat non dicat ſtatim, quia ità exiſtimat, & iudicat eſſe faciendum. Imò verò ille, qui interrogatus fuit, cur faceret rem quandã dixit. *Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas*, & non excluſit iudicium ſuum ab huiuſmodi electione. Nam ſine dubio iudicauit bonum ſibi eſſe agere contra rationem, ob vtilitatem aliquam, vel ad experiendam libertatem ſuam.

Aristot. 3. Ethic. D. Aug.

Arguitur pro hac ſententia. Eſt igitur argumentum tale pro hac ſentẽtia. Voluntas non poteſt velle quidquam, aut amare ſine præcedente rationis iudicio, cum ipſa ſit potẽtia cęca, & nihil ſit volitum quin prægnitum, ex ſententia D. Auguſt. ergo ſi cognitio intellectus eſt indeterminata, vel ſi iudicium illius eſt indeterminatum, ſequitur etiam voluntatem ipſam eſſe indeterminatam. Nam appetitus intellectiuus, qui eſt voluntas, ſequitur intellectum, ſicut appetitus ſenſitiuus, ſequitur cognitionem ſenſitiuam: igitur ſi iudicium intellectus fuerit determinatum, ſimiliter ipſa voluntas erit determinata. At vltimum iudicium concluſiuum, & practicum eſt determinatum omnino. Nam tunc ratio dicit, hoc eſt faciendum hic, & nunc omnibus penſatis: ergò voluntas infallibiliter ſeu neceſſariò eliget id, quod vltimum illud iudicium practicum, & concluſiuum determinauit, & decreuit eſſe eligẽdum, ſeu faciendum. Quòd verò ſi iudicium illud ſit determinatum, ſimiliter electio ſit determinata; probatur planè. Nam ſi quandò iudicium intellectus planè eſt determinatum ad vnum, tunc poſſet voluntas aliud eligere, vel illud, quod iudicatum eſt, non eligere, ſine dubio nõ poſſet aſsignari ratio vlla, cur voluntas elegerit illud aliud non iudicatum, aut cur non elegerit illud, de quo habuit iudicium, eſſe agendũ hic & nunc, & ex cõſequenti dabitur electio ſine iudicio, & actio ſine obiecto, quod non eſt ferendum vllo pacto.

Solutio. Si reſpondeas, eum, qui contra determinationem intellectus, & contra iudicium practicum rationis aliquid facit poſſe dicere reddendo rationem ſuæ electionis, & operationis, quia id facit, vt oſtendat ſuam libertatem, & eam experiatur: Contra; quia in eo caſu etiam habet iudicium practicum ad talem electionem. Nam omnibus conſideratis habet hoc iudicium, Bonum eſt mihi nunc agere præter rationem omnem, vt me oſtendam libertatem habere: ergò falſum erit, ſemper poſſe reddi rationem vllam, cur aliquis egerit contra determinationem vltimi iudicij practici; & ſimiliter illud erit falſum, nempe poſſe fieri, vt quis aliquid agat repugnante vltimo iudicio rationis practico, & concluſiuo.

Replica.

Cõfirmatur Poteſt fundamentum huius ſententiæ, & probatio confirmari à ſimili. Nam certè appetitus brutorum, ob id eſt ad vnum determinatus, quoniam ſenſitiua cognitio ſimiliter eſt ad vnum determinata. Quia certè voluntas reſpectu vltimi finis eſt determinata ad vnum quãtum ad ſpecificationem ob id, quòd iudicium rationis eſt ad vnum determinatũ: quia nõ poteſt repræſentare finem vltimum, niſi ſub ratione boni. Ad hæc, voluntas beatorum determinata eſt ad vnum, etiam quantum ad exercitium, quia iudicium rationis repræſentans finem illum vltimum ſolum ſub ratione boni ſemper eſt intuitiuè præſens, &

perfe-

perfectè applicatum mentibus beatorum, sine vlla repræsentatione alicuius mali, aut disconuenientis cõiuncti: ergò pari ratione in quacumque re in particulari eligenda volũtas est determinata quoad exercitium, & specificationem, & re ipsa infallibiliter eliget, & determinatè, si adest iudicium conclusiuum, & practicum particulare dictans hìc, & nunc hoc esse eligendum omnibus pensatis.

Sanè si quis possit eligere, sine dependentia ab vltimo iudicio rationis practicæ, aut contra dictamen illud, sequeretur etiam fieri posse, vt esset in volũtate peccatum, sine vllo errore, aut defectu in intellectu & ratione, quã illationem tenentur concedere authores oppositæ sententiæ, vt inferiùs deducam. Quod sanè est contra communem sententiam omnium, & cõtra illud Prouerbiorum. 14. *Errãt, qui operantur malum*, & contra illud Arist. proloquium. *Omnis peccans est ignorans.* 3. Ethicorum. cap. 1. 3. & 5. & 6. Ethicorum. cap. 12. & 13.

Prouer. 14. *Aristot. 3. Ethic.*

D. Bernar.

Habet etiam hæc sententia patronũ D. Bernardum lib. de gratia, & libero arbitrio, sic dicentem: *Habet voluntas quocunque se voluerit semper comitem rationem, non quòd semper ex ratione (id est secundum præscriptum rationis agat) sed quòd nũquam absque ratione moueatur.* Cùm igitur in omni electione, & operatione sua moueatur voluntas, sequitur, quòd nunquam absque ratione vlla moueatur, à qua pendeat in sua determinatione.

Obiectio.

Sed obijcies. Respectu mediorum, quæ ad finem conducunt nunquam datur iudiciũ, ità determinatum ad vnum, vt non simul sit etiã, aut possit esse aliud iudicium dictans, & proponens alia media vtilia ad illum finem sub ratione alicuius cõuenientiæ: ergo non pendet electio voluntatis ab illo vltimo iudicio practico, & conclusiuo. Respondetur: quòd vltimum iudicium cõclusiuum, & practicũ non admittit secum aliud simile iudicium, quale ipsum est, quia essent iudicia contraria, & pugnantia. Et quamuis illud practicum iudicium vltimum, & conclusiuum non neget, quin alia sint media vtilia ad eundem finem: tamen omnibus consideratis hìc & nunc, dictat hoc vnũ esse accipiendum, & executioni mandandum defacto, & in re, ac per hoc esse maxime conueniens, & absolutè accipiendum prę cęteris. Vndè si volantas tunc eligeret aliquod aliud medium, haberet quidem rationem cur eligeret illud tale medium, quia videlicet est vtile, & habet conuenientiam, sed nihilominùs voluntas non haberet causam vllam aut rationẽ, qua duceretur ad omittendum illud aliud medium, quod hìc & nunc iudicetur esse executioni mandandum, vel iudicatur vt melius, & conuenientius ad consecutionem finis. Quia vt supponimus non habet voluntas, nisi vnum vltimum iudicium cõclusiuum & practicum, nam non potest habere duo practica æqualia. Nam essent pugnantia, & contraria, nempè; quòd omnibus consideratis hoc est conueniẽtius, & executioni mandandum: & quòd omnibus consideratis hoc non est melius mediũ, vel non est executioni mandandum.

Diffoluitur

Quibus difficultatibus discursus iste inuolutus sit.

HAbet difficultatem discursus iste de determinatione voluntatis, à quo, in quam determinetur in suis actibus, primò quidem in electionibus voluntatis, à quo determinetur indifferentia volũtatis liberæ, & à quo pendeat necessariò, de quo plures sententias retulimus valde cõtrarias. Secundò habet difficultatem non solùm in electionibus, sed in intentione finis, quando voluntas se applicat de nouo ad finem aliquem particularem, quem anteà non intendebat. Habetque res hæc non paruam controuersiam, de primo actu voluntatis; an voluntas se moueat in primo actu, & se determinet, ad actum intentionis, quem de nouo habet, de quo nunquam cogitauit. Vtrùm videlicèt voluntas in primò illo actu, à solo Deo determinetur, & moueatur, vel vtrùm in eodem primo actu moueat se ipsam. Rursus habet etiam disputatio huius discursus difficilem controuersiam, propter imperium, & efficacem intentionem finis, & propter plenariam scientiam ex parte intellectus, an illis stantibus voluntas necessariò determinetur ab imperio & ab efficaci intentione finis, & à plenaria cognitione cõuenientiæ mediorum. Habet prætereà ingentẽ difficultatem illud de æqualitate mediorum, à quo determinetur voluntas, quando media habet æqualem conuenientiam respectu finis. De pueris etiam, & amentibus, casu quòd habeant actus liberos libertate essentiali, & non morali, est valde difficile, à quo determinetur voluntas eorum in suis operibus, & vtrùm habeant libertatem aliquam.

Difficultas de primo actu voluntatis.

HAEC omnia sunt à nobis examinanda, & aperienda, faxit Deus, vt verum teneamus portum, ne in re tanta à recta ratione, vel à recto tramite deuiemus. Sanctus Thomas solus inter Scholasticos, Prima Secundæ, quæst. nona, articu. quarto, mouet quæstionem hanc de primo actu voluntatis. An se ipsam moueat in eo, vel vtrùm à solo Deo moueatur, & determinetur; & respondet Sanctus Doctor, voluntatem in prima operatione de nouo aduenìente, seu in prima volitione non mouere se ipsam. Quia tunc non se applicat voluntas, neque determinat ad volendũ ex aliqua alia priori volun

S. Th. quam amplectatur sententiam.

tate. Ex quo infert Sanctiſsimus Præceptor, quòd in primo ſuo actu voluntas ab alio extrinſeco principio mouetur. Quod autem ſit tale principium, vtrùm ſit Deus, vel quid ſit, explicandum eſt à nobis infrà.

Igitur Sanctus Thomas apertè in articulo quarto citato loquitur de primo actu voluntatis, qui incipit circa quodcumque negotium, quod de nouo ſeſe offert voluntati. Et de huiuſmodi actu Caietanus, Prima Secundæ, quæſt. nona, & Ferrara. 3. contra gentes, cap. 89. in explicatione rationis Diui Thomæ affirmāt primum actum ſeu motum voluntatis tribuendum eſſe generanti, nimirùm Deo, tanquam principio proximo, & mouenti quod. Voluntatem verò eſſe principium quo, & per quod Deus mouet hominem ad primum actum volendi. Si autem roges à Ferrarienſi, quis ſit iſte primus actus voluntatis; Reſpōdet eſſe eum actum, quem habemus in hac vita circa finem oſtenſum ſub ratione boni in communi, ad quem propendimur, & inclinamur naturaliter. Pari etiam ratione putat Ferrara conſtituendum eſſe in intellectu quendam primum actum, qui ſit à Deo, & hunc dicit eſſe illum, qui primo occurrit cùm primùm homo peruenit ad vſum rationis, vel cùm primum incipit de nouo cognoſcere aliquod obiectum.

Caietan. *Ferra.*

Capreol.

Capreolus in ſecundo, diſtinctio. vigeſimaquarta, quæſt. prima, artic. 3. ad octauum, contra quintam concluſionem, & diſtinctio. vigeſimaquinta, quæſtio. 2. artic. tertio, ad argumenta Henrici contra primam concluſionem, & ad argumenta Scoti contra ſecundam concluſionem, & Scotus in quodlibetis, quęſtio. vigeſimaprima, qui impugnat rationem S. Thom. de hac re aliter incedut. Putat enim Capreolus, S. Thomam tenuiſſe voluntatem in primo actu non mouere ſe ipſam, quia primus actus non procedit ab ipſa voluntate tanquam à principio efficiente, ſed à ſolo Deo producitur, & infunditur voluntati. Rationē huius ſuæ ſententiæ ſeu fundamenti aſsignat, quoniam ad hoc, vt voluntas ex ſe aliquid operetur & velit, & vt ex ſe, ſe ipſam determinet reſpectu cuiuſcunque operis, priùs debet conſtitui in actu primo, ſed ante omnem actum non poteſt ipſa ex ſe eſſe in actu primo ad volendum: ergò ad primum actum non poteſt voluntas ſe ipſam mouere. Rurſus ſi actus primus procederet à voluntate, vt ab efficiente, eſſet in poteſtate eius, & eſſet liber, ſed primus actus voluntatis non eſt in poteſtate voluntatis, neque liber: ergò non procedit à voluntate, vt ab efficienti principio. Vega ſuper Concilium Tridentinum, lib. ſexto, cap. octauo, putat etiam motum non deliberatum, qui vocatur primo primus, non procedere à voluntate, vt ab efficiente, ſed tantum infundi à Deo. Et ideirco in eo eſſe ſolam gratiam operantem, non tamen cooperantem.

Scotus.

Sed contra concluſionem Diui Thomæ plures ſe offerunt obiectiones, prima eſt. Voluntas producit effectiuè volitionem finis, ſeu intentionem eius, ipſa enim eſt, quæ intendit, & vult finem, & quæ vult media conuenientia ad finem: ergò in volitione, & intentione finis mouet ſe ipſam. Patet antecedens. Quoniam intentio, & volitio finis eſt actio vitalis: ergò in tali volitione voluntas eſt, quæ ſe mouet. Et confirmari hoc poteſt ex differentia, quæ eſt inter hominem, & bruta, quòd homo mouet ſe in finem. Bruta verò non item, vt ex Philoſophia conſtat: ergò voluntas hominis ſe mouet in finem. Nam profectò ſi voluntas cùm vult finem, mouetur à Deo naturæ authore, & ex eius inſtinctu, & impulſu talis motus eſſet naturalis, & neceſſarius, quod eſt apertè falſum. Quoniam volitio, & intentio finis aliquando eſt libera, & meritoria.

Contra ſententiam D. Thom. quædam obiectiones proponuntur.

Prima.

Secunda.

Secunda obiectio eſt. Ad volitionem finis ſufficit obiectum præſens, hoc eſt, quòd proponatur obiectum voluntati ab ipſo intellectu. Nam ſi potentia non ſit impedita, & habeat obiectum præſens, nihil reſtat, quominùs ipſa per ſe operetur: ergò ſi ab intellectu proponatur obiectum voluntati ſub ratione conuenientis, vel vt velit finem, maximè cùm ipſa ſit potentia libera, ſequitur quòd non oportet conſtituere extrinſecum motorem.

Tertia.

Tertia obiectio eſt contra rationem Diui Thomæ. 1. 2. quæſt. 9. artic. 4. vbi docet voluntatem non mouere ſe ipſam in prima operatione ſeu volitione: quia tunc ex priori alia voluntate non ſe applicat ad volendum: atq; idcircò in primo ſuo actu ab alio extrinſeco principio debet moueri. Nam certè ſi voluntas cum incipit de nouo velle finem aliquem, moueret ſe ipſam, tunc moueret ſe ipſam per præcedentem volitionem, & deliberationem: ſed in his volitionibus, & deliberationibus non eſt proceſſus in infinitum: ergò deuenien dum eſt ad vnam volitionem, in qua voluntas moueatur ex inſtinctu exterioris mouentis. Sed hæc ratio nō eſt efficax. Nam poſſet quis dicere voluntatem ſe mouere cùm appetit finem, non per præcedentem volitionem, aut deliberationem, ſed quoniam ipſa habet in poteſtate ſua producere volitionem, quia vt dictum eſt ad productionē huius volitionis ſufficit, quòd obiectum ſit præſens, & quòd proponatur voluntati ab intellectu. Et cōfirmari hoc poteſt. Quoniā voluntarium poteſt dici duobus modis, vel quia eſt volitū, vel quia eſt in poteſtate voluntatis. Et hoc ſecūdo modo actus, quo voluntas primo appetit finē eſt voluntarius, quia eſt in poteſtate voluntatis: ergo ex hoc, quòd prima volitio finis nō ſit volita alia volitione, aut deliberatione non probatur ſatis efficaciter, quòd non ſit voluntaria, aut quòd ipſa ſit primum ab extrinſeco motore. Rurſus efficacia rationis Diui

Thomæ in hoc ſita eſt, quòd voluntas non ſe mouet, niſi mediante conſilio, vel præuia alia volitione. Quam ſuppoſitionem Sãctus Thomas non probat, ſed neque Ariſto. ipſe, quem ipſe adducit in fauorem ſuæ ſententię. Imò verò Ariſtot. lib. 7. Moralium ad Eudemum, ca. 18. quem ipſe citat aliter ſentit. Nam inquit in hunc modum. Deus noſter, & quia author eſt naturæ, & quia creaturarum intellectualium ſpecialem gerit prouidentiam, non ſolum quantum ad eas cognitiones, quas in exordio vitæ habemus, ſed etiam quantum ad alias, quas in temporis progreſſu exercemus mouet intellectum noſtrum etiam abſq; prę-uio iudicio, aut deliberatione, quæ quidem à Deo nobis immittũtur. Quo in loco Ariſt. nihil meminit de voluntate noſtra, an moueatur ex inſtinctu exterioris mouentis, ſed ſolùm hoc aſſerit de intellectu, & de prima cognitione.

Ariſto. lib. 7. Moral.

An voluntas determinetur ad electionem mediorum: & ex efficaci imperio.

AN verò voluntas neceſſariò determinetur ex imperio, id à nobis examinandum eſt. Nam ſunt multi, qui negent imperium hoc poſſe efficaciter determinare voluntatem ad electionem. Quia ſi poſito illo imperio volũtas non poteſt, non eligere etiam in ſenſu cõpoſito, ſequitur, quòd in eo ſenſu voluntas nõ operatur liberè, & ex conſequenti, quòd non meretur. Nam ſi imperium eſt talis conditionis, quòd eo poſito ità efficaciter mouet voluntatem, vt ipſa eo ſtante non poſsit nõ agere quoad exercitium, ſequitur quòd operationes, quæ ex imperio ſequuntur, carent libertate, vt dictum eſt, ac proinde meritò Almainus in Moralibus, vbi diſſerit de partibus prudentiæ, cap. 2. Scotus in ſecundo, diſtinctio. 6. quæſt. 1. & in Quodlibetis, quæſt. 17. videntur negare hoc imperium, & Almainus ſine dubio dubitat de illo: Scotus verò licèt conſtituat huiuſmodi imperium, tamen refert illum ad voluntatem & putat eſſe actum elicitum eiuſdem voluntatis, quia proprium eſt voluntatis per ſe poſſe ordinare res, & vnam alteri applicare. Sed Almainus probat repellendum eſſe huiuſmodi imperium, quia putat ad determinationem voluntatis nulla ratione eſſe neceſſarium. Primò, quia ſufficit iudicium intellectus. Nam eo poſito voluntas poteſt eligere, & homo poteſt habere executionẽ operis: ergò fruſtra ſtabilitur alius actus ad præcipiendum. Et confirmari hoc poteſt. Quoniam in intellectu ſolùm reperiuntur notitia apprehenſiua, & iudicatiua, compoſitio vel diuiſio, & diſcurſus: ſed imperium non eſt aliquid iſtorum. Quia imperium non eſt notitia apprehenſiua, neque iudicatiua, neque eſt diſcurſus, neque compoſito aut diuiſio: ergò ſi non debet conſtitui huiuſmodi imperium in intellectu, erit referendum ad voluntatem: ergò voluntas non determinatur ab intellectu, neque ab aliquo actu eius efficaciter, ſed determinabitur à ſe ipſa. Præterea poſita conſultatione & deliberatione in ratione practica ad operationem voluntatis de re agenda hîc, & nunc, dicẽte intellectu hoc medium eſſe ſumendum ad hoc agendum nunc vel tunc, ſufficienter determinatur voluntas: ergo. Rurſus ſatis eſt ex parte voluntatis ponere efficacem electionem, per quam voluntas eligit, & acceptat medium deliberatum, & iudicatum. Nam ſuppoſito tali iudicio cũ deliberatione, & efficaci electione nihil ſupereſt, niſi, quòd voluntas applicet membra externa ad exercitium operis exterioris: ergò ad determinandam voluntatem non requiritur hoc imperium. Nam certè voluntas eſt, quæ habet principem locum ad mouendum. Eſt enim voluntas primum mouens quoad exercitium, vt docet Sanctus Thomas. 1. 2. q. 9. art. primo, intellectus verò tantùm eſt primum mouẽs quoad ſpecificationem, hoc eſt, quoad propoſitionem obiecti, & directionem voluntatis: ergò non requiritur huiuſmodi imperium tanquam primũ principium mouens, & determinans voluntatem: imò verò nõ eſt neceſſariũ, vt principium primũ determinãs voluntatem, aut mouens illam quoad ſpecificationem. Quoniam per iudicium conſultationis, quod antecedit electionem ſufficienter dirigũtur operationes quoad ſpecificationem. Quòd ſi dicas imperium habere vim, & efficaciam deriuatam ab ipſa voluntate, qua poſsit mouere alias potẽtias quoad exercitium, hoc videtur eſſe voluntarium, quoniam ex voluntate nihil deriuatur in reliquas potentias, aut in actiones earum: imò verò neq; ipſa voluntas concurrit, vt cauſa effectiua cum alijs potentijs ad earum operationes. Non enim concurrit volũtas cum intellectu ad effectionem intellectionum, neq; cum oculo ad actionem viſionis: ergò imperium hoc commentitium videtur, & non debere cõſtitui ad mouendas, & determinandas potentias, neque ad determinandã voluntatem: ità vt voluntas pẽdeãt ex motione imperij quoad exercitium. Adrianus quodlibeto. 4. art. 1. putat non eſſe neceſſariam motionem huius imperij, vt voluntas eligat, ſeu determinetur ad electionem, neque ad hoc, vt reliquæ potentiæ executiuè nutu voluntatis operentur, neq; etiam, vt ipſa volũtas aut alia facultas aliquò modo eliciat aliquam actionem ſuam, ſeu vt ſe determinet. Poteſtque hoc probari ex argumentis iam poſitis. Et præterea, quia licèt concedamus in ipſo imperio dari virtutem mouentẽ quoad exercitium reliquas potentias, ſed nihilominus hoc non eſt neceſſarium; imò verò ſuperfluum, vt reliquæ facultates operentur, etiam liberè ex voluntatis impetu. Nam ſicut in brutis poſito affectu alicuius operis,

Secundò.

Tertiò.

Almainus Scotus.

Probatur admittendum non eſſe huiuſmodi imperiũ.

Adrianus aliter nititur euertere hoc imperiũ

statim ablq; vllo imperio potentia motiua secundum locum operatur: ità etiã nulla est ratio, cur statim, atq; voluntas elegit, non possit operari, sine vllo imperio determinante, aut mouente eam. Ad hoc respondent non nulli ex familia D. Tho. imperium hoc hominibus necessariũ esse, quoniam intellectus per imperium non tantum insinuat, & dictat quid sit agẽdum, sed etiam quomodò, & quãdo, & quo ordine illud sit faciendum. Sed contra hoc est, quòd per iudicium cõsultationis, non solùm proponitur voluntati, id quod est eligendum, & exequẽdum in opere, sed etiam quomodò quo ordine, & quando est faciendum: quia hæc omnia cadunt sub consultationem ipsam: ergo, &c.

Difficultas, an ad electionem liberè vel necessariò se determinet voluntas, supposita efficaci volitione finis,

REstat vlteriùs insinuanda difficultas illa de determinatione volũtatis respectu electionis. Vtrùm quandò voluntas vult & intẽdit efficaciter finẽ determinetur necessariò ex hoc ad eligendũ mediũ, quod iudicatur esse vnicũ, & cõueniens ac necessariũ ad finẽ illũ, exẽplum est de eo, qui efficaciter vult & desiderat sanitatẽ, iudicat autẽ per intellectũ esse mediũ vnicum sumere potionẽ amaram. Difficultas tũc est, vtrùm posita volitione huius finis, & sanitatis cũ illo iudicio de medio necessariò ad sanitatem consequendã, an volũtas necessariò determinetur, vt velit, & eligat medium illud. Ratio dubitandi in hac difficultate est. Quoniam si volũtas necessariò determinatur, aut necessitatur in huiusmodi electione medij, quod iudicatur esse necessariũ; sine dubio talis necessitas prouenit ex intentione finis, sed voluntas nõ necessitatur, neq; determinatur necessariò ex fine, quẽ intẽdit, siquidem volũtas liberè vult finẽ: ergò nõ necessitatur, neq; deteterminatur ad electionem illius medij. Et confirmatur. Quia voluntas in hac vita nõ necessitatur quoad exercitiũ: ergo etiam si voluntas efficacissimè velit finẽ, illumq; intendat nõ necessitatur, vt actu eligat medium, sed poterit suspẽdere electionẽ. Antecedens apertè cõstat ex D. Th. 1.2. q. 10 art. 2. vbi dicit, voluntatẽ à nullo obiecto necessitari posse, & moueri quantum ad exercitiũ. Et loquitur S. Tho. de statu naturali voluntatis, & in hac vita. Nam in vita beata voluntas necessitatur ad amãdum Deum, etiam quoad exercitiũ. Vbi obiectum beatificum, quod est cognitũ intuitiuè à beatis, habet omnem rationẽ boni, & cõuenientis, in quo nulla potest apparere ratio disconuenientis aut mali, atq; ità semper mouetur volũtas ad amorem illius. At verò in statu prẽsentis vitæ obiectum, quod proponitur voluntati, non proponitur euidenter, & sub omni ratione boni, & sine vllo impedimento, aut coniunctione mali alicuius, aut sine vlla etiã apparente disconuenientia, ac proinde ex imperfectione, & imbecillitate status viæ multa occurrunt, cur potest diuertere voluntas animum, & ità poterit nõ amare. Vndè cùm in omnibus bonis particularibus excepto bono infinito, in quo nulla ratio mali, aut defectus potest apparere, possit intellectus noster apprehẽdere aliquam rationem mali, vel defectus, ratione cuius non necessitatur, vt velit voluntas, & medium respectu finis in hac vita nõ sit summũ bonũ, neq; alienũ à cõiunctione alicuius disconuenientię, vel laboris, sequitur voluntatem non necessitari quoad exercitium ad hãc medij electionem, quamuis efficaciter intendat finem. Hac probatione vsus est Diuus Thomas. 1.2. quæstio. 13. artic. 6. vt ostendat electionem voluntatis nostræ esse liberam: quæ sanè si efficax est, proculdubio etiam ostendit, quòd voluntas nunquam necessitatur in electione mediorum. Postremò confirmatur. Nam homo appetit efficaciter beatitudinem in communi, & præterea iudicat per rationem media necessaria ad consecutionem beatitudinis esse, seruare diuina mandata, quæ tamen neque adimplet, neque seruat, neque eligit, vt consequatur finem, quem intendit: ergò non omnis, qui vult efficaciter finem necessariò eligit medium, quod iudicatur esse necessarium ab intellectu.

Quòd verò etiam existente perfecta scientia ex parte intellectus non determinetur volũtas ab ea, neq; moueatur quoad exercitium ostẽdi potest, quoniã in Angelis fuit verũ peccatum, in quibus nulla præcesit ignorantia, aut error. Rursus etiam in primo homine fuit verum peccatum, in quo nullus error intellectus præcesit. Stat præterea rationẽ ostendere, malum esse adulterium, & noxiũ corpori, & animæ, & quod nihilominùs volũtas se determinet ad oppositum, & ad fruendum aliena vxore pulchra. Fuit etiã articulus Parisiensis, qui ità habet: *Dicere quod existente perfecta scientia in cõmuni, & in particulari in intellectu, & ratione, nõ potest esse peccatum in volũtate, error.* Igitur voluntas non determinatur quoad exercitiũ etiam ex perfectissima cognitione huius viæ, sic tenuit Scotus in 3. distinct. 36.

Habet etiam, vt supra diximus ingentem difficultatem illud de æqualitate mediorum, quo pacto voluntas proposito æquali medio se determinet ad volendum: quia in eo casu nõ apparet, quonam modo se moueat ab intellectu iudicante, & cognoscente. Quia cum iudicium intellectus æquale sit, & propositio intellectus circa media æqualis, apertè in tali casu sequeretur, quòd voluntas nunquam se determinaret, sed suspensa maneret.

His iam prælibatis, in quibus longissimè egimus de difficultatibus, & sinuosissimis cõ-

Ratio dubitandi.

D. Tho.

Parisiensis Articulus.

Scotus.

trouer-

trouersijs, quæ obscurum, & ancipitem reddunt hunc quartum discursum, tempus est, vt gradum faciamus ad explicationem singulorum, quæ diximus.

Explicatio difficultatũ huius discursus, & singularum solutio.

PRIMA CONCLVSIO.

Dico.1.

VT Aperiamus singula, quæ difficillimis argumentis, & quæstionibus implicantur, & à nobis proposita sunt. Dico primò. Voluntas secundum statum huius viæ, nunquam mouetur neque operatur, nisi præuia cognitione, & cogitatione, à qua necessariò pendet, neque vnquam fertur natura rationalis amore, & affectu suo, nisi in rẽ ab intellectu cognitam. Hanc assertionem tenet Sanctissimus Præceptor. 1.2. quæst. 9. artic. primo, vbi fatetur necessarium esse voluntatem ab intellectu moueri, vt operetur. Hericus quodlibeto primo, quæst. decimaquinta putat, oppositum esse impossibile, & certissimum quod Sanctus Thomas affirmat. An verò hoc tantùm sit impossibile Angelo, vel homini, & non Deo, vel vtrûm Deus nullam voluntatem possit mouere sine præuia cognitione, id quidem non explicat Sanctus Thomas. Constituitur autem hæc prima assertio à nobis contra Bonauent. in Opusculis, tomo secundo, tractatu de Mystica Theologia, quæst. vnica, & contra Gersonem, Alphabeto 66. litera. O. & in tractatu de mystica Theologia: & contra Gregorium Ariminensem in secundo, distinct. 25. quæstio. 1. conclus. 2. ad 3. rationem contra ipsam, vbi videtur concedere saltem primum actum voluntatis esse, sine cognitione præcedente. Nã quamuis expressè concedat Gregor. priorem esse aliquem actum intellectus omni actu voluntatis, tamen vult non esse priorem notitiam aliquam intellectus, quàm sit in nobis desiderium sciendi rem aliquam, sed priùs in esse nobis desiderium sciendi rem, quàm sit notitia, & actus intellectus.

S. Thom. Henric.

Statuitur hæc conclu. contra Bonauẽturam, Gersonem, & Gregor. Ariminen.

Palude. Durand. D. Aug.

Sed sine dubio sententia Diui Thomæ non admittit distinctiones has, sed simpliciter credit, nihil omnino esse volitum à voluntate, sine præuia cogitatione, aut cognitione, neque voluntatem operari sine ea: quod etiam sensit Palude in 3. distinct. 18. quæst. 1. artic. 2. Durandus etiam in primo, distinct. 3. in 3. parte, distinctionis, quæst. 4. vbi putat, esse absurdum, Deum posse elicere actum volendi in voluntate, absque eo, quòd præcedat in intellectu cognitio. Hæc est expressa sententia D. Augustini. 8. de Trinitate, cap. 4. & lib. 10. cap. 1. vbi scribit voluntatem nihil omninò posse diligere, nisi id cognitum sit aliquo modo, vel scitum, aut creditum. Nam certè cum Augustinus proposuisset quæstionem hanc, & rationem dubitandi, quòd, videlicet voluntas aliquando desiderat scire incognitum, respondet repellẽdo dubitationem propositam hoc pacto. *Intelligendum est non hoc idem dici, cùm dicitur, amat scire incognita, vt si diceretur, amat incognita, vt autem amet incognita non potest: nõ enim frustra ibi est positum scire, quoniam qui scire amat incognita, non ipsa incognita, sed ipsum scire amat, &c.* Quibus verbis non tantum D. Augustin. affirmat, nunquam euenire, vt voluntas tendat suo affectu, aut operatione in ea, quæ incognita sunt; sed etiam id fieri nõ posse. Nam si aliquando scire cupimus, quæ incognita sunt, tunc ferimur affectu nostro in ipsam scientiam, quam in communi apprehẽdimus, vt vtilem, vt conuenientem, & iucundam, & ità nunquam fertur voluntas in incognitum.

Ratione sua datur concl. Primò ex volũtate diuina.

Probatur prætereà ratione, quòd voluntas non possit ferri in incognitum, sua virtute, aut ab intrinseco. Quoniam in Deo talem cernimus connexionem, inter amorem diuinum, & cognitionem Dei, atque Verbum patris, vt amor per se supponat cognitionem obiecti: imò verò processio Spiritus Sancti supponit processionem Filij, & Verbi ordine, & ratione: ergo in omni natura rationali hic est necessarius ordo, vt volũtas nunquam operetur sine præuia cognitione. Hãc rationem adducit D. Anselm. in Monologio, cap. 48. vt probet Deũ nõ potuisse se ipsum amare, nisi potuisset se intelligere, atque ità ex natura voluntatis, & affectus intulit rationem intelligentis.

D. Ansel.

Secundò ex appetitu sẽsitiuo, & ex necessitate præsentialitatis obiecti.

Secundò, Si posset voluntas operari, & ferri in incognitum profectò nulla videtur esse ratio cur non posset idem affirmari de appetitu sentiente, quod nullus hactenus dixit, neque affirmare est ausus. Rursus omnis potentia præcipuè illa, quę actione elicita, & immanente agit cum debeat necessariò habere obiectũ præsens aliquo modo, circa quod dicatur operari, sequitur quòd cum volũtas per suum affectũ, non faciat obiectum esse præsens, sicut facit cognitio, & apprehẽsio intellectus, ex eo, quod affectus, non est similitudo rei, in quam fertur, sicut est notitia, & cognitio, q̃ actus volũtatis exigat necessariò præuiã cognitionẽ, ratione cuius habeat obiectũ sibi præsens vt operetur, cum ipsa sit potẽtia cæca, & quę cũ sit appetitiua, desideret præsentiã obiecti, quale aliquo modo est, quod à ratione ostẽditur ei.

Itẽ, appetitus rationalis in hoc differt à naturali appetitu, quòd sequitur formã apprehẽsam per intellectũ: imò verò in pecudibus appetitus sensitiuus eorũ sequitur formã apprehẽsam per sensum, aut per æstimatiuam: ergo hoc habet volũtas quaten9 appetitus rationalis, ex sibi intrinseca cõditione, & natiua, q̃ se quatur formã apprehẽsam, & cognitã per intellectũ. Aliàs intellectus per accidẽs se haberet

reſpectu voluntatis. Vndè voluntas, quæ diuinum amorem producit in Deo, producit quidem per Verbum. Similiter etiam voluntas Beatorũ, quæ neceſſariò amat Deum, ſupponit priùs apprehenſum eſſe, & cognitum euidenter, & intuitiuè per intellectum.

Tertio ab inconuenienti

Sequeretur etiam, ſi voluntas poſſet ferri in incognitum, & ſic ſuas habere operationes, quòd pari ratione poſſet quocumque tempore operari voluntas ſine præuia vlla cognitione. Nam ſi voluntas poſſet ferri ſuapte natura, & ab intrinſeco in obiectum aliquod, neque cognitum, neque apprehenſum ab intellectu; cur ergo pariter non poſſet homo pro libito voluntatis ſuæ, quacumque occaſione, & quocumque tempore ita operari, ſine cognitione præcedente? Atque eadem prorſus ratione poſſet homo, ſine vlla cogitatione, aut cognitione peccare, quod non eſt ferendum. Gerſon fortè videns difficultatem hanc dixit dilectionem meritoriam non poſſe ferri in obiectum incognitum, optimè tamen meritoriam. Sed profectò hoc abſque fundamento dicitur, & eſt voluntarium. Nam certè cum voluntas ſit potentia libera, ſi ex natura ſua non poſtularet neceſſariò cognitionem, tunc ſine dubio abſque illa poſſet habere operationem liberam, ac proinde poſſet mereri ſupplicium, ſicut & premium.

Arguitur contra concluſ. præcipuè ex doctrina Gerſonis.

Sed dices, Amor & dilecto alicuius non pẽdent, ità intrinſecè à cognitione, vt ſine illa eſſe non poſsint, ſaltem de potentia Dei abſoluta, vel oſtendatur manifeſta aliqua implicatio, ſeu contradictio de hac re. Quòd ſi id fieri poteſt per potentiam Dei, nulla poteſt excogitari ratio, cur in hac vita perfectis hominibus non concedatur hic amor, ſeu hæc dilectio, ſine hac dependentia à cognitione. Poteſt enim, vt inquit Gerſon, Deus conſeruare in anima ſine præuia cognitione dilectionem ſemel elicitam à voluntate: ergo pari ratione poteſt efficere, vt eliciatur à principio ſine cognitione. Quòd autem Deus poſsit dilectionem ſemel productam à voluntate ſine præuia cognitione conſeruare, non alia ratione probari poteſt, quàm quòd hoc non videtur habere implicationem vllam. In hac obiectione mouetur difficultas de potentia Dei, vtrùm poſſet mouere voluntatem ad actum dilectionis, & amoris ſine vlla præuia cognitione. De qua re partem negatiuam tuentur Dionyſius Rikel, lib. de Cõtemplatione, & Opuſculo de laude vitæ ſolitariæ, artic. 36. & 37. & ſuper Dionyſium de myſtica Theologia, artic. nono. Quibus in locis putat in feruentiſsimo charitatis actu erga Deum actu præcedere contemplationem intellectus. Quòd verò voluntas hominis non poſsit agere, & operari in incognitum etiam de potentia Dei abſoluta, probari poteſt. Quoniam actio volendi vitalis cum ſit non poteſt infundi voluntati noſtræ omnino ab extrinſeco, ſed neceſſariò debet ab ipſa voluntate procedere, vt reuera dicatur velle, & amare. Aliàs ſi nullam efficientiam præſtaret voluntas, ſed tota efficientia dilectionis ità eſſet à Deo, vt nullam præſtaret voluntas omnino, tunc ſine dubio non diceretur diligere, & velle, ſed ſolùm ſe haberet merè paſsiuè. Vndè totum, quod eſt in actione vitali volendi, & diligendi non poteſt à ſolo Deo eſſe, ità vt non ſit à voluntate viuente, tanquam actus vitalis eius. Nam volitio, & actio voluntatis ſecundum aliquam ſui rationem intrinſecè, & eſſentialiter pendet à voluntate viuente creata, etiam vt à propria cauſa effectiua: ergo palam ſequitur etiam ſecundum abſolutam Dei potentiam non poſſe voluntatem ferri in incognitum. Nam certè cum Deus ſolus non poſsit infundere dilectionem, & operationem, aut actionem vitalem, diligendi obiectum aliquod, ipſi voluntati, ſed ipſa voluntas natiua ſua efficacitate neceſſariò debeat concurrere, ſequitur, quòd ſi voluntas ferri non poteſt in incognitum: quòd ſi hoc habet ab intrinſeco, & ex ſua natiua virtute, quòd etiam id fieri non poterit, etiam de potentia Dei abſoluta.

Sanè ex alia parte nunquam audeo denegare aliquid Deo, & eius potentiæ abſolutæ, niſi quod euidentiſsimam, & claram planè inuoluit contradictionem. Nam cum diuina potentia ſit infinita, multò maiora facere poteſt, quàm noſter intellectus cogitare; imò verò pleraquè fecit Deus ſupernaturalia, fide docente, quæ antequam nobis reuelarentur pauci eſſent, qui non affirmarent implicare contradictionem: quæ tamen poſtquam illuxit in cordibus noſtris lumen Dei, & ſupernaturalis magiſter ſcholæ fidei, intelligimus, cur illa non habeant repugnantiam, neque contradicant fidei. Et forte hoc, de quo agimus eſt vnum ex illis, nimirùm quod Deus poteſt de potentia abſoluta facere, quod voluntas operetur in aliquo caſu nulla præcedente cognitione ex parte intellectus. Non eſt enim adeò euidens contradictio in hoc, neque amor pendet ita eſſentialiter à cognitione, vt ſine illa eſſe non poſſet de potentia Dei abſoluta in nobis.

Dionyſius Rikel.

Satisfit argumento ex Gerſone deſumpto.

Sed nihilominùs reſpondere poſſums ad illud Gerſonis loco citato, quòd ſi Deus conſeruaret in anima amorem aliàs elicitum, ſine præuia cognitione, quòd in eo caſu, nihilominùs talis amor, aut dilectio habuit priùs cognitionem præuiam, & illa poteſt ſufficere, vt cõſeruetur operatio dilectionis in voluntate circa rem, quam anteà intellectus cognouerat. Nõ tamen poteſt fieri, vt dilectio eliciatur ſine cognitione præuia à principio: quamuis amor ſemel à voluntate productus prẽuia cognitione conſeruari poſſit recedente cognitione, ſeu non conſeruata. Hoc enim explicari poteſt & oſtendi, quia

omnes

omnes qui defendunt nunquam voluntatem operari, nisi præuia cognitione, id ostendunt quia experimento dicunt constare, imò omnes affirmant nullo alio modo melius, quàm experimento posse comprobari. Ex quo deduco argumentum ad ostendendum, nunquam voluntatem operari nisi præuia cognitione circa id, quod operatur, quæ cognitio, vel est præsens, vel fuit præsens aliquando. Nam qui oppositam sententiam sequuntur experimento volunt eam comprobare: ergò habent memoriam eius, quòd semel sunt experti: aliàs neque tanquam experti de ea re loqui possent. Nam certè memoria est rei præteritæ, & prius cognitæ: ergo qui meminerunt se dilexisse Deum actu feruentissimo aliqua in eis præcesserit cognitio Dei, vt dilecti. Quare semper oportet dicere dilectionē voluntatis procedere præuia cognitione, neque satis esse dicere, quòd in feruentissimo amore, & in feruentissima dilectione boni, & sancti viri exercent operationem huius dilectionis, sine præuia cognitione. Profectò, si voluntas fertur in incognitum, quando feruentissimè diligit, pari ratione appetitus animalis, qui feruentissimè amare solet ferretur in incognitū ex eadē causa: quia videlicet feruentissimè amat, & quasi amore ipso inebriatur, cum voluntas non minus pendeat ab intellectu, quàm appetitus à sensu, & è conuerso. Sed contrarium constat experientia. Quoniam eò magis augetur amor appetitus, quò efficacius imaginatione res ipsæ cognoscuntur, & cogitantur. Vndè si voluntas posset tendere in incognitū maximè in ecstasi quando homo abstrahitur à sensibus, & exteriùs nihil sentit, sed totus est in re, quam amat, sed ecstasis nulla ratione potest contingere, sine cogitatione interiori, vt dixit Diuus Augustinus. Psal. 67. loquens de ecstasi Pauli explicando versiculum illum. Ibi. *Beniamin adolescentulus in mentis excessu.* Paulus etiam idem de se ipso testatur. 1. Corinthiorum. 12. *Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Quæ sanè non audiuit auditu sensibili, à quo erat abstractus, sed auditu mētis, & rationis. Quòd si Paulus in ecstasi illa, non sine cognitione, dilexit perfectiùs Deum, quam vllus ex illis, qui oppositam sententiam sequuntur, non est cur sentiamus, fuisse concessum alijs hominibus perfectissimam dilectionem, sine cognitione vlla. Idem sentit Diuus Hieronymus in prologo super Abacuch, loquens de ecstasi prophetarum, & Diuus Epiphanius hæresi 48. Diuus Chrysostomus homil. 22. super acta Apostolorum. Diuus Anselmus 2. Corinthiorum. 5. super illud: *Siue mente excedimus.* Et idem Beda eodem loco. Potest enim, quod maximè perpendendum est, adeò facilis esse alicui viro iusto amor seu dilectio Dei ex assidua exercitatione, & ex Dei gratia atque dono, ex assidua, & multiplici contemplatione, vt videatur sibi, quasi nihil cogitare, sed se esse immersum in dilectione Dei. Nam cum nō laboret in discursu, sed permaneat in simplici, & pura atque suaui consideratione, ferè videtur, aut vix percipere cogitationem de re, quam amat, intentus & quasi imbibitus in amore ipso: quia certè homines ex lōga exercitatione, & continuo habitu, ità promptè & faciliter operantur, sicut illi, qui ex arte operantur. Et ita, vt quasi nō deliberent de agendis, sed tanta promptitudine rapiantur in opera ipsa, & ferantur in illa, vt non perpendant, neque aduertant vtrùm de illis cogitent. Quare dici solet, quòd in repentinis cognoscitur habitus. Musicus etiam quando pulsat lyram, quæ sine intellectus cognitio non pulsatur ab eo, tanta quidem velocitate, & promptitudine tangit, & pulsat, vt sibi videatur nihil de re illa cogitare: cum tamen cogitatio ipsa mentis singulos pulsus, atque tactus dirigat, & cognoscat. Pari igitur modo dici potest de illis, qui in Dei contemplatione sunt versati, & promptissimi. Et hac de causa, qui perfectissimo modo amori, & contemplationi Dei incumbunt dicere solent se in amore Dei flagrasse absque cogitatione vlla eius, licèt revera non minus de Deo cogitauerint, quàm citharœdus, qui pulsat fides, & dirigit manum in singulas sonoras consonantias.

Sed dices. Cognitio intellectus habet se respectu amoris, & dilectionis veluti conditio, sine qua non, & ità est causa per accidens: sed Deus potest supplere hanc conditionem sicut potest supplere propinquitatem ignis respectu combustibilis: ergo non omninò est necessaria præuia cognitio ad amorem. Huic argumento recentes Theologi putant respondendum esse Deum nō posse supplere conditionem, sine qua non, etiam illā, quæ est propinquitatis, & approximationis, ità vt agens ab intrinseco, & natiua sua virtute operetur, quamuis Deus possit aliàs supplere conditionem, & solus sua virtute sine agente secundo producere effectum. Et ex hoc deducunt, quòd cum dilectio, & amor debeant produci ab interna efficacitate voluntatis, inde est, quòd à solo Deo non potest produci dilectio sine voluntate, & ex consequenti, quòd nō poterit produci ipse amor sine cognitione etiam supplente Deo conditionem, sine qua non. Sed hæc responsio valeat cum suo authore, qui recenter, & voluntariè multa dixit. Vndè sentio cognitionem obiecti non esse conditionem, sine qua non obiecti voluntatis: & saltem sentio cognitionem obiecti non esse solam conditionem respectu amoris, sed potiùs habere se ex parte rationis formalis imbibitæ in obiecto voluntatis. Huic modo dicendi fauet Caietanus elegantissimè 1. 2. quæstione 30. artic. 3. Quocircà res, quæ diligitur, & amatur mouet secūdum, quòd apprehenditur à ratione, quamuis non ità se habeat à parte rei, & ità supra retulimus intellectū quodammodo efficere ob-

Optima ratio, qua ostēditur, actū dilectionis, sine præuia cognitione non esse.

D. Aug. Psalm. 67. 1. Corin. 12

D. Hieron. D. Epipha. D. Chrysos. D. Ansel. 2. Corin. 5.

Beda.

Notandum maximè.

Arguitur vlteriùs cōtra propositam conclusionem.

Quorundam solutio.

Nō placet.

Caietan.

iectum voluntatis, qua ratione cognitio prę uia ad amorem magis eſt intrinſeca, quàm propinquitas ad calefaciendum, cùm ipſa apprehen io rationis, & cognitio, & quaſi fabricatio eius faciat obiectũ in quod feratur ipſa voluntas. Propinquitas vero nõ facit ipſum agens, ſed potiùs illud ſupponit. Tandem non mihi probatur id, quod in hac re dicunt recentiores iſti in eo, quod affirmant, quod ſi Deus ſupplere t conditionẽ requiſitam, qualis v.g. eſt propinquitatis tunc agens non operaretur ab intrinſeco, & natiua virtute. Nam quamuis in eo caſu licet agens, qui eſt Salmanticæ comburet lignum Cõpluti, Deo ſupplente conditionem ſine qua non, propinquitatis videlicet, tamẽ combuſtio illa efficienter à calore ignis procederet, & ita ex virtute inſita ſequeretur, quamuis non ex propinquitate contenta intra iura naturæ.

Colligibilia duo.

Primum.

Ex dictis ſequitur voluntatem non mouere intellectum in omnibus ſuis operibus. Primo, quia plerumque cogitationes & intellectiones anteuertunt actum voluntatis, vt ex ipſa experientia conſtat. Secundò, quia etiam contradicente voluntate inſurgunt ſæpè ſæpiùs cogitationes, quæ rapiunt nos ad diuerſa. Tertio, quia vt conſtat ex prima aſſertione, nihil eſt volitum aut dilectum, niſi priùs ſit cognitum, vt communi prouerbio dicitur, & vt oſtenſum eſt efficaciſsimis rationibus. Quartò, Quia voluntas non producit habitum, neque qualitatem inhærentem, quæ ſit intellectio in ipſum intellectum, etiam in opinione eorum, qui dicunt intellectionem eſſe actionem grammaticalem, & non vere, & propriè actionem, ſed ſolum qualitatem quandam.

Secundum.

Secundò colligo, quòd quamuis voluntas moueat intellectum quantum ad exercitium in operibus liberis, & reliquas etiam potentias in his operationibus, quæ conueniunt homini, vt homo eſt, & vt agens liberum eſt applicando eas ad operandum, tamen intellectus mouet voluntatem dupliciter, nimirùm & in genere cauſæ finalis, & ſpecificatiuè, & etiam efficienter, ſeu in genere cauſæ efficientis. Dixi primo voluntatem mouere intellectum quantum ad exercitium in operibus liberis, & etiam reliquas potentias, quod intelligendum eſt de illis, quæ eius imperio ſubijciuntur. Et quidem quod moueat voluntas rationem quoad exercitium, tenet apertè Sanctus Thomas. 1. 2. quæſt. 9. artic. 1. Vnde Eccleſiaſtici: 15. legimus, Deum hominẽ conſtituiſſe, & reliquiſſe eum in manu conſilij ſui, hoc eſt, in opere ſuo libero. Nam certè intelligimus cùm volumus, & videmus cùm volumus, & operamur bona cùm volumus, & nemini imputatur peccatum, niſi volenti, & hoc eſt moralis Philoſophiæ principium. Quare cùm ex voluntate omne malum, aut bonum deducatur, ſequitur veriſsimum eſſe id, quod colligimus. Sed dices. Vnde habet voluntas hoc imperium, vt vniuerſas alias potentias moueat ad agendum? Reſpondetur, quòd hoc habet primò, ex eo quòd eſt appetitus totius ſuppoſiti, & appetitus vniuerſalis hominis: ſecundo ex eo quòd eſt appetitus totius ſuppoſiti liber, in quo reſidet formaliter libertas ipſa, reliquę verò potentiæ non item habent formaliter per ſe, & intrinſecè hanc libertatem, neque habent rationem appetitus vniuerſalis, aut totius ſuppoſiti. Vnde voluntas iure ſibi vendicat in homine, vt ſe habeat veluti Rex in regno, & inde fit, vt cùm voluntas propenditur in rem aliquam totus etiam homo cum potentijs ſuis imperio eius ſubiectis illuc trahatur. Trahit enim intellectũ vt intelligat, quod ipſa vult, memoriam vt recordetur, exteriora membra, vt mandẽt executioni, quod ipſa cupit. Rurſus explicari poteſt hæc veritas ab excellentia cauſalitatis finalis. Nam finis eſt prima omnium cauſarum, ipſe enim eſt qui primò, & præcipuè mouet cauſas omnes ad agendum: ergo illa animæ potentia, quæ tendit in finem habet in officio omnia mouere ex intentione quam habet in finem, cuius amore, atq; deſiderio rapitur, & hæc potẽtia eſt ipſa voluntas. Vnde quo efficaciori intentione tendit in finẽ, & quo maiori deſiderio rapitur in ipſum, eò vehemẽtius mouet ad media, quæ neceſſaria ſunt ad cõſecutionem finis intenti, & deſiderati. Sic enim cernimus in cauſis omnibus, vt quantò cauſæ efficaciores ſunt, tantò effectus qui proficiſcũtur ſunt perfectiores: ergo ſi finis eſt prima cauſa omniũ, in quem dirigitur intentio appetitus vniuerſalis, & totius ſuppoſiti ſequitur, quòd ad eundem appetitũ vniuerſalem pertinet omnia mouere: ac proinde volũtas mouet intellectum, & eas etiam potentias, quæ eius imperio ſubduntur illas applicando ad agendum.

S. Thom. Eccleſ. 15.

Difficultas; quo modo pendeat volũtas ab intellectu in motione ſui?

Dixi ſecundò voluntatẽ moueri ab intellectu, de qua re eſt grãdis cõtrouerſia, quo pacto intellectus moueat voluntatem; vtrum eã moueat dirigendo, & oſtendendo finem, & illuminando eã ad obiectum, vel potiùs vtrùm eã moueat non tantùm per modum cauſæ finalis, aut quantum ad ſpecificationem ſuarum actionum, ſed etiam effectiuè, & actiuè.

Volũtatem non moueri ab intellectu, vt ab efficienti ſentit Scotus.

De hac difficultate Scot. in 2. diſt. 25. q. 1. & potiſsimè in ſolutione argumentorũ apertè tenet voluntatem nõ moueri, vt à principio efficiente, neq; ab obiecto appreheſo neque ipſo actu intellectus proponẽte obiectũ, ſed moueri ab obiecto, tanquã à fine, & ab intellectu tanquam à proponente finem. Vnde Scotus tota illa quæſtione cõtendit probare obiectum non eſſe principium efficiens actus voluntatis, ac proinde volũtatem in ſuis actibus non pendẽre ab intellectu tanquã à principio efficiente. Hunc modũ dicendi deſumpſit ex Henrico quodlib. 9. q. 5. Non abhorret ab hac ſententia Capreolus in 2. diſt. 25. q. 1. articu. 3. in ſolutione primi contra primam

Henric. Capreol.

Ferrara. Probabilis iudicatur sententia hæc.

conclusionē, & cum est secutus Fer. lib. 1. cōtra gētes cap. 44. §. Circa istam propositionē. Et sanè iudico hanc opinionē valde esse probabilem. Nam S. Tho. 1. 2. q. 9. art. 1. affirmat voluntatem moueri ab intellectu, sicut à repræsentante obiectum, & antea dixerat volūtatem ab obiecto moueri, quia determinatur ab eo, tanquam à principio formali, à quo in rebus naturalibus actio sumit speciem. Vndè idem S. Tho. 1. p. q. 82. art. 4. fatetur reliquas potentias moueri à voluntate per modū agentis, & impellentis illas: voluntatem verò moueri ab intellectu per modum finis, sicut efficiens à fine mouetur, vt agat. Nam cùm bonum sit obiectum voluntatis, in quod fertur, sequitur, quòd mouet ipsam, vt finis. Id ipsum insinuat de veritate, q. 22. art. 12. Præterea si voluntas moueretur ab intellectu, vt ab efficiente, vel intellectio, & cognitio rationis cōcurrunt simul cum ipsa voluntate, ad eliciendum affectum, seu actionem ipsius tanquam instrumentum voluntatis ab ipsa eleuatum, sicut eleuatur phantasma, ab intellectu agēte, sicut instrumentū speciei intelligibilis: vel cōcurrit cognitio intellectus, seu intellectio ipsa tanquam vera causa propria virtute agens: sed neutro modo concurrit, neq; potest concurrere actiuè ad actū voluntatis: ergo nō potest volūtas pendēre ab intellectu, tanquā ab efficiēte, neq; ab eo determinari, vt ab efficiēte. Et quòd nō moueatur volūtas à cognitione intellectus actiuè, vt ab instrumēto patet. Nam quotiescunq; cōceditur alicui causæ instrumentum, illud sanè est inferioris naturæ quàm ipse effectus principalis, ad quē assignatur instrumentū, sed intellectio suapte natura non est imperfectior volitione in genere entis: ergò non potest esse instrumentū actiuū eliciendi actus volitionis. Si dicas intellectionē tanquā causam præcipuā propria sua virtute concurrere actiuè, ad actiones voluntatis, tunc sequeretur, q variata natura cognitionis penes clarū, & obscurū, variaretur etiā natura dilectionis, quia quando causæ sunt diuersę, secundū naturā diuersum etiam producunt effectū. At dilectio, si est eiusdē obiecti, siue cognoscatur illud clarè, siue obscurè eiusdē rationis est, & speciei: igitur cognitio, non est principium efficiens dilectionis, aut amoris.

Ratione cō firm. primò.

Secundò.

Secundò suadetur hæc opinio, quia si intellectio moueret voluntatem actiue, & efficiēter, sequitur quod voluntas, non maneret libera. Quia tam cognitio rationis, quàm bonum apprehensum seu appetibile sunt agentia naturalia: ergò si bonum apprehensum, vel cognitio actiuè, & efficienter mouent voluntatē, sequitur, quòd eam mouent naturaliter, & nō cum suo modo libero.

Tertiò.

Tertiò, Proposito bono voluntati ab intellectu, & remota omni actiuitate eius, & efficiētia: si bonum illud debitè proponatur appetitui, sine dubio voluntas propendetur in bonū illud sibi propositū. Nam videtur incredibile quòd in id non feratur. Satis enim est, vt voluntas operetur, quòd habeat obiectum præsens, seu quòd proponatur illi per intellectū. Quoniam si pecuniæ proponantur homini cupienti eas, continuo rapiunt illū, & tamē non actiuè, sed obiectiuè concurrunt: ergo, &c.

Quartò.

Quartò: Causa totalis proxima, & completa, cui correspōdet adæquatè effectus non postulat nouam aliquam causam, quæ concurrat ad effectum: sed voluntas secundum se ipsam in ratione potentiæ integrè constituta, potest intelligi, vt vera causa efficiens alicuius amoris aut operationis, vel affectus ipsius voluntatis, sine eo q̄ concurrat actus intellectus actiuè, & efficiēter: ergò non est verum intellectum, aut actum intellectus seu notitiam concurrere in genere causæ efficientis, ad actum volūtatis, vel ad eliciendum actum alligendi. Vndè si ostendero hoc esse verum in vno aliquo actu voluntatis, idem sine dubio erit in omnibus, & ex consequenti, actus intellectus, solum erit conditio repræsentans obiectum. Quòd verò voluntas sit sufficiens, ad eliciendum actum amoris, sine concursu efficiente intellectionis, seu notitiæ intellectualis; ostendo. Quoniam voluntas affecta habitu charitatis est integra causa efficiens actus dilectionis Dei, quia si in actu charitatis perpēdamus rationem vitalitatis, & affectus aut volitionis, vt volitio est, sufficiens principiū est in ipsa voluntate. Si verò consideremus specialem rationem talis volitionis, circa tale obiectum, scilicet Deum, additur illi habitus charitatis, qui cùm concurrat, ad substantiam actus dilectionis, & non solùm ad facilitatem, & modum sine dubio erit principium efficiēs amoris quatenus est talis obiecti. Quapropter cùm voluntas, cum tali habitu, & auxilio gratiæ Dei, sit completa causa ad producendum amorem Dei secundum omnem rationem, frustra adderetur noua alia causa efficiens, in ratione causæ actiuæ respectu illius actus.

Capreolus. Henricus. Ferrara. Victoria.

Propter hæc argumenta probabilis est hæc sententia, quam tenent Capreolus, Henricus, Ferrara, & olim Victoria locis superius citatis. Sentiunt enim quòd intellectus mouet voluntatem in genere causæ formalis, & finalis, & quod intellectus concurrit specificatiue, ad actum voluntatis. Et quamuis probabilitas huius sententiæ, sit valde rationabilis, tamen Caiet. 1. p. q. 80. art. 2. & 1. 2. q. 22. art. 2. tenet expresse quòd intellectus, non concurrit actiuè ad substantiam actus voluntatis, cæterum ad specificationem eius putat actiuè cōcurrere. Sed nihilominus, vt difficultas proposita aperiatur à nobis, aliam assertionem subijciā.

Caietanus.

Conclusio secunda.

Dico secundò.

Dico secundò. Valdè probabilis sententia est, quòd intellectus moueat voluntatem in genere causæ efficientis, & quòd obie-

ctum cognitum ab intellectu, cum ipſa notitia & actuali cognitione actiuè, etiam concurrāt ſimul cum ipſa voluntate, ad actum amoris, & dilectionis. Hæc aſſertio non eſt aliena à familia, & ſchola D. Thomæ, imò verò, neque ab ipſo D. Thom. Eam ſatis inſinuat, & tradit *D. Thom. Caiet.* Caiet. 1. p. q. 80. art. 2. & quæſt. 82. art. 4. & 5. & in eadem 1. p. q. 27. art. 1. & 3. & lib. 3. de anima cap. 6. dubio penultimo, in quibus locis putat Caiet. bonum per intellectum cognitum, ſeu intellectum, cum ſua notitia, & cognitione mouere voluntatem, non ſolum ſpecificatiuè, & in genere cauſæ formalis, & finalis, ſed etiam actiuè in genere cauſæ efficientis. Idem ſenſit Palude in 4. diſtinctione *Palude.* 49. quæſt. 3. art. 1. Conradus 1. 2. quæſt. 9. artic. 1. Paulus Soncinas 9. Metaph. quæſt. 11. *Paulus. Soncinas.* & quæſt. 13. qui adducit teſtimonium Sancti Thomæ in 2. diſtinct. 24. quæſt. 2. art. 1. vbi Sanctiſsimus præceptor inquit, quòd ratio elicit actum voluntatis. Magiſter Bartholomæus *Medina* Medina 1. 2. quæſt. 9. art. 1. cùm hanc defendat aſſertionem dicit efficacitatem mouendi voluntatem reduci ad imperium, & putat imperium habere vim actiuam, & effectiuā mouendi voluntatem quoad exercitium. Cæterū Caiet. quamuis nihil dixerit de efficientia huius imperij, tamen vim motiuam attribuit obiecto cognito, quatenus continetur ſub apprehenſione practica, & ſub iudicio practico. Fauent nobis Gregor. in 2. diſt. 25. quæſt. 1. con- *Gregorius. Gabriel.* tra ſecundam cōcluſionem, & Gabriel quæſt. vnica dubio 3. in eadem diſtinct. 25. Et hi authores cenſent, ex volūtate, & intellectu proponente obiectum, ſimul cum ſua notitia, & cognitione effici, & conſtitui, vnam cauſam totalem, adæquatam, & completam reſpectu amoris, aut affectus volūtatis. Imò vero quā- *Ferrara.* uis Ferrara aliquando contrariam ſententiam propoſuerit, quam nos retulimus ſupra, tamē reuera fuit varius. Quia loco citato primo cōtra gentes cap. 44. dicit quòd appetibile apprehenſum, ſeu ipſe finis, reſpectu actus intentionis, quo voluntas vult finem non mouet illam effectiuè tanquam principium actiuum, aut elicitiuum volitionis, ſed eam mouet formaliter per modum formæ ſpecificātis actū. At vero obiectum apprehenſum ſimul cum ipſa notitia intellectus, (ait) mouet voluntatem per modum efficientis, vt eligat media ad finem, quem intendebat. Vnde tenet, quòd intellectus cum notitia, & obiecto habent ſe tanquam ratio eligendi media, per modū efficientis: & hanc putat eſſe ſententiam D. Thomæ in commentarijs libri primi contra Gentiles cap. 74. & ita incidit in ſententiam Caietani.

Nota pro cōcluſione. Vt hanc aſſertionem, & probabilitatem eius oſtendamus, aduerte, quòd apprehenſio obiecti ſeu boni facta per intellectum poteſt conſiderari reſpectu voluntatis, vel præciſe quatenus eſt propoſitio obiecti, & apprehenſio præciſa, qua obiectum bonum voluntati proponitur: & ſub hac præciſione ſolum habet, quòd ſit conditio neceſſaria, cur obiectū bonum apprehenſum, & propoſitum moueat in genere cauſæ formalis, vel finalis ipſam voluntatem. Rurſus ipſa apprehenſio, & propoſitio boni poteſt conſiderari ſimul cum actu, & notitia intellectus, & cum cognitione ipſius obiecti; & ſic eſt quaſi naturalis origo actus volūtatis. Nā certè eſt ordo inter potentias animæ, quòd vna fluit ab anima mediante altera in genere cauſæ efficientis. Vndè intellectus immediate fluit ab anima intellectiua, & mediante illo fluit appetitus intellectiuus, qui eſt voluntas in genere cauſæ efficientis, & qualis eſt ordo inter huiuſmodi potentias operatiuas, & actiuas, quòd vna fluit ab altera in genere cauſæ efficientis: talis etiam ordo in actibus, & operibus earundem potentiarū eſt perpendendus, quòd actus vnius potentiæ operatiuæ, quæ vt talis eſt originatur ab altera, etiam originetur, ex actu alterius potētiæ, v.g. actus voluntatis ex actu intellectus: huiuſmodi autem origo, ad genus cauſæ actiuæ ſeu efficientis reducitur. Quare actus voluntatis pendet ab actu intellectus, tanquam ab origine, & cauſa illius, & non tanquam à conditione, ſine qua non. Huic doctrinæ fauet D. Thom. 1. p. quæſt. 77. art. 7.

D. Thom. Nota etiā pro concluſione. Aduerte etiam, quòd efficiētia, quæ tribuitur intellectui, & obiecto cognito, non eſt ad modum efficientiæ rerum materialium penſanda: quoniam actiuè, & efficienter agere, magnam habet latitudinem. Sufficit enim ad eam, quam ponimus origo, & dependentia ſuperius dicta, & quod ad eductionem amoris, de potentia voluntatis, non ſolùm actiuè ſe habeat voluntas, ſed etiam actiuè ſe habeat ipſa notitia, & cognitio obiecti, conſtituendo, cum eadem voluntate quaſi actum primum completum, & adæquatum affectus, & amoris producendi. Dices Sanctum Thomam de veritate quæſtione 25. articulo primo, palàm affirmare actum appetitiuæ potentiæ quodammodo oriri ex apprehenſione intellectus. Sed profectò obiectio hæc nihil omnino, contra nos concludit. Nam ſi ex ſententia D. Thom. actus appetitiuæ potentiæ quodammodo oritur, ex apprehenſione intellectus, multò magis erit verum quòd actus eiuſdem appetitiuæ potentiæ oriuntur ex notitia, & cognitione eiuſdem obiecti cogniti, & apprehenſi: præcipue cum ſit ordo originis inter huiuſmodi actus intellectus, & voluntatis, ſicut & inter ipſas potentias, quæ ab anima fluunt, & originantur ordine quodam, & vna mediante altera. Adde etiam, quòd quādo dicimus actum intellectus mouere efficienter voluntatem ad amorem, ad electionem, ad affectum, & operationes morales, & practicas, non agimus de intellectu ſpeculatiuo, vt ſic, & præciſè, ſed de intellectu practico cum ſua notitia, & iudicio eiuſdem ordinis: & hic intel-

lectus

lectus cum tali iudicio, & notitia efficienter, & actiuè mouet voluntatem, vt explicatum est.

D. Augus. Diuus Augustinus, in libris de Trinitate, sæpe sæpius scribit amorem procedere à scientia, & notitia. *D. Bernar.* Diuus Bernardus libro de interiori domo cap. 68. eodem modo loquendi vsus est. *Richardus.* Idem etiam repetit Richardus de Sancto Victore tractatu de contemptu mundi. parte 1. cap. 20. Quod verò à plerisque authoribus dicitur, quòd intellectus proponēdo vel ostendendo obiectum mouet voluntatem, in genere causæ formalis, & finalis, hoc non tollit, quò minùs notitia intellectus, simul cum voluntate efficiant vnum principium integrū actiuum amoris, & affectus. *Arist. 3. de Anima pro hac sententia esse videtur.* Aristot. quoque lib. 3. de Anima tex. 55. asserit appetibile, & amabile esse primum mouens immotum, mouens autem motum esse appetitum, qui mouet alias potentias motus priùs ab amabili, & appetibili. Neque valet dicere quòd amabile, vt finis, & bonum tantum mouet metaphoricè. Primò quia id non docet Arist. nempè quòd tantum moueat metaphoricè: quia potest vtroque modo mouere hoc pacto si sumatur bonum cum notitia, & cognitione eius atque iudicio. Secundò quia Aristot. pari modo videtur loqui de amabili, & appetibili sicut de appetitu, appetitus verò mouet verè efficienter, & non metaphoricè. Cùm igitur Aristot. eodem modo loquatur de appetibili, & appetitu, sequitur non esse alienum ab eius sententia, quòd etiam moueat obiectum simul cum notitia, & cognitione eius etiam actiuè ad amorem sui efficiendo vnum integrum principium simul cum ipso actu intellectus, & iudicio rationis, ad productionem amoris, & affectus volūtatis. Vndè quoniā plures cōtendunt dissoluere hanc obiectionem ex Aristot. desumptam; aduerte nos non dicere voluntatem moueri à solo appetibili efficiēter, quia ipsum solum, vt habet præcisè rationem finis, & amabilis, non dicitur agere, aut mouere propriè, nisi tantum finaliter, & metaphorice. Sed appetibile simul cum notitia, & actu cognitionis, efficere vnum principium simul cum voluntate, & ipsam notitiam, & cognitionem simul cum iudicio habere rationem agendi, & adiuncta volūtate agere. Sed adhuc aduersarij dicunt Arist. non loqui de cognitione amabilis, sed de ipso amabili. Sed profecto ex argumento negatiuo non videtur, cur dicamus Arist. negare ipsam notitiam, & cognitionem aut iudicium intellectus non concurrere actiuè, simul cum voluntate. Quòd si non loquebatur de cognitione, vt aduersarij putāt vt minimum hoc non negabit, imò vero quāuis expresse, id non dixerit si hoc aduersarij volunt, tamen in bona consequentia, & implicitè id dixit.

Explicatur & ratione probatur cō clusio. Secundò rationibus ostendi potest probabilitas huius sententiæ, & sumo rationem, & argumentum ex Caiet. Nam certè est ordo in actibus intellectus, & voluntatis, & negari nō potest, quin in diuinis Spiritus Sanctus, qui est amor procedat perse à Patre, & Verbo. Nā procedit per modum amoris: amor verò procedit ex præcōceptione intellectus, quæ Verbum est: igitur Spiritus Sanctus, qui est amor Patris, & Filij necessariò procedit à Verbo, & à Filio. Vndè intrinsecè in definitione spirātis includitur, quòd habeat Verbum, vel sit Verbū. Ergò sumpto argumento ab hac processione Spiritus Sancti, in qua Spiritus Sanctus necessariò procedit perse à Patre, & à Verbo seu Filio, necessariò etiā oportet dicere amorem voluntatis creatæ seu dilectionē, & affectus eius, actiuè etiam propriè loquendo, procedere à voluntate, & simul à notitia, & cognitione intellectus. Vndè Caiet. explicans hāc rationem, & applicādo eam suæ sententiæ, & opinioni, dicit cognitionē, seu Verbum mentis non esse principiū efficiens volitionis, nimirū principiū quod, sed esse principium quo, sicut etiam species est in intellectu ratio producendi Verbum. Neque valet dicere, quòd Verbum non est in voluntate, sicut species in intellectu, quò minus possit esse voluntati ratio agendi. Quia sufficit quòd sit in facultate, & potentia, cui subordinatur voluntas, & quæ radicem habet in eadem anima, & quæ suapte natura, etiam ordinatur ad ministrandum voluntati obiectum, & cognitionē vt operetur, & quòd voluntas originetur ex anima ordine quodam, & mediante intellectu in genere causæ efficientis. Et ex hac doctrina intelligitur vulgare pronuntiatum commentatoris Auerrois 12. Metaph. Com. 76. nimirum amabile dupliciter mouere appetitum. Primum secundùm esse reale, quod est in se extra animam, & sic mouere per modum finis solùm. Secundò, mouere appetitum, vt est in anima seu in intellectu, simul cum notitia, & sub cognitione, & iudicio intellectus, & sic mouere actiuè, & per modum efficientis. *Auerroes 12. Metap.*

Argumentum Caietani inferiùs fusè explicabitur, & quātā vim habeat. Hoc argumentum conantur dissoluere aduersarij, & in omne latus se vertunt, vt illud dissoluant. Et primò dicunt, quòd Verbum diuinum cōcurrit actiuè ad productionem Spiritus Sancti, quia amor diuinus est naturalis, & non liber: & idcircò negant, q̄ sit par ratio de actu necessariò, & de actu libero volūtatis. Vndè confitentur planè notitiā intellectus, & cognitionē eius habere se actiuè, & efficiēter, in ordine ad actū naturalē, & necessarium voluntatis nostræ; sed non in ordine ad actum liberū. Sed profectò hæc solutio, & responsio est voluntaria, quia si notitia, & cognitio intellectus seu obiectū cognitū simul cum eius cognitione, & iudicio practico circa ipsum, actiuè cōcurrunt ad actū necessariū voluntatis, mirabile est, quòd non concurrat ad actum liberū. Præcipue, quia si virtus actiua respectu amoris, cōuenit obiecto cognito, simul cū notitia, & cognitione eius, impertinens quidē est, quòd amor ille sit liber, vel necessarius.

Refutatur aduersariorum solutio; & proposita conclus. magis roboratur.

Quia illa actiuitas & efficacitas, quæ cõuenit notitiæ, & cognitioni intellectuali, & quæ est veluti ratio agendi vt quo, quæ simul cum voluntate producit amorem, non ita conuenit intellectui, vt suam habeat vim, si actio voluntatis est necessaria, & non habeat eandem vim, si actio voluntatis est libera, ita vt quasi ad libitum ponatur, & deponatur in notitia ipsa, seu in cognitione intellectus. Vnde Sanctissimus præceptor nunquam fecit distinctionem de actu libero, vel necessario, quandò loquitur de motione voluntatis à bono apprehenso, cum cognitione, & notitia intellectus. Quia simpliciter, & absolutè docet intellectum mouere voluntatem. Et confirmari hoc potest. Quia si cognitio, & notitia obiecti apprehensi actiuè concurrit ad actum necessarium voluntatis, & non ad liberum: sequitur, quod intellectus per notitiam, & iudiciũ non dirigit voluntatem inclinando illam, ad id quod tendit, sed solum ostendendo illi obiectum: ergo pari ratione in actibus necessarijs non concurrit actiue, sed solum ostendendo illi obiectum. Rursus obiectum cognitum nõ necessitat voluntatem, ad actum in aliquo statu, (omittamus modo statum beatificum) nisi tantum quoad specificationem: ergò pari modo in actibus necessarijs, solum moueret voluntatem in genere causæ formalis, vel finalis, quia necessitas actus, qui producitur, non tollit actiuitatem in causa producente. Neq; dicimus Verbum diuinum esse principium actiuum producendi amorẽ ad intra ex eo, quòd tantùm proponit voluntati obiectum. Quia ex hac præcisa ratione iam diximus, neque in nobis habere illam propositionẽ obiecti vllam rationem efficientiæ, aut actiuitatis, sed hanc condonandam, & tribuendam esse obiecto cum notitia, & cognitione eius, atque iudicio. Nam Pater & Filius habẽt virtutem spiratiuam, & actiuè spirant, & perse Spiritum Sanctum, habentque ambæ personæ, vnam rationem principij. Et quamuis Verbum accipiat à Patre substantialem naturam modificatam tali proprietate, vt illi virtus spirandi eadem conueniat, quæ est in Patre, & ob hãc eandem virtutem spirandi debeat Filius concurrere ad productionem Spiritus Sancti actiue: nihilominus Spiritus Sanctus necessariò procedit per modum amoris: amor autem, vt diximus procedit ex præconceptione intellectus, quæ est Verbum: igitur Spiritus Sanctus procedit necessariò à Patre, & Filio, tanquam à duabus personis spirantibus, sed non tanquam à duobus principijs, sed tanquam ab vno principio. Quod si dicas, Pater habet virtutem spiratiuam omnino infinitã: ergò si per impossibile, non fuisset Filius, se solo produceret Spiritum Sanctum. Dico hãc obiectionem fecisse Scot. 1. dist. 12. q. 1. credens Patrẽ, & Filiũ producere Spiritum Sanctum concomitanter, & per accidens, quod neque est verum, neq; ferendum. Quia Spiritus Sanctus procedit perse à duabus personis, & procedit per modũ amoris; & amor ex præcõceptione intellectus, quæ est Verbũ; & ita nõ procedit Spiritus Sanctus cõcomitãter solum à Verbo, sed perse, quia intrinsecè in desinitione spirantis includitur, quod habeat Verbum, vel sit Verbũ. Ex quibus omnibus patet solutiones ab aduersarijs datas, vt respondeant argumento Caietani, neq; dissoluere argumentum, neq; habere vim vllam cõtra nos, est enim Caiet. argumentũ tale. Verbum diuinum est principiũ amoris actiuè spirans Spiritũ Sanctũ: ergò in nobis etiam Verbum nostrũ erit principiũ, in eodem genere. Consequentia satis efficax est, & ostensa ex dictis. Quia quòd Verbũ diuinum, sit substantiale, idq; non possit conuenire verbo nostro creato, solũ variabit substantiã, & modũ essendi, non tamen genus principij, quantum ad hoc quod est actiuè agere, & spirare: & solùm efficiet, vt Verbũ diuinũ sit principiũ, quod quãuis verbum nostrum, sit tantũ principiũ quò.

Caietanus.

Scot. impugnatur.

Tertiò probatur ex imperio, qui est actus intellectus, ad quem pertinet denuntiare, & intimare mouendo, ex quò sic argumẽtor. Denuntiare, & intimare pertinent ad intellectũ: ergò imperium est actus intellectus: ergò intellectus mouet per modum imperantis voluntatem: At mouere per imperium intimando efficaciter, etiam est mouere actiuè, & in genere causæ efficientis propriæ: ergò intellectus cum eius notitia, & cum actu imperij habent vim actiuam mouendi voluntatem. Vndè perpẽdere oportet, quòd cum disputamus de motione voluntatis, quæ fit per intellectũ non est sermo de intellectu speculatiuo vt sic, sed de intellectu practico. Quocirca prudentia, quæ in intellectu est per imperium suum efficaciter mouet voluntatem, & virtutes, quæ sunt in ea, & stante efficaci imperio intellectus infallibiliter mouetur voluntas, non quòd nulla resset libertas, in voluntate ad cõtradicendum, vt male dixit Bartholomæus Medina. Quia voluntas adhuc manet libera, & potest contradicere, vel remouere principium illud, à quò sequitur imperiũ, sed quòd posito de facto tali imperio, nõ stent illa duo, scilicet, q̃ imperiũ permaneat, denũtiet, & intimet simul cũ iudicio practico hic, & nũc, & quòd voluntas non moueatur, neq; operetur.

Ex imperio à quo mouetur voluntas actiuè suadetur cõclus.

Improbatur Medina.

Authores oppositæ sententiæ conantur dissoluere hoc argumentum. Primò negando imperium aliquod in intellectu, quod possit mouere voluntatem actiuè. Secundò dicẽdo, quod quãuis constituatur tale imperium respectu nostrarum actionum, quòd non mouet ad eas actiuè, neq; vt causa efficiens, sed solũ eodem modo, quo cæteræ facultates mouẽtur à voluntate. Tertiò, quia imperium si debet constitui totã efficaciã habet, non quidem ab intellectu, sed à voluntate. Ex quò potiùs sequitur volũtatem effectiuè mouere per imperiũ. Sed profectò responsiones istæ non mihi

Solutiones quæ huic argumento adhibent possunt, ipsius vim nõ euacuant.

proban-

probantur primò, quia negare huiusmodi imperiū nō est dissoluere, argumētū sed fugere. Nā certè siue imperiū dicatur esse iudiciū practicū simul cōiunctū cū notitia, & actuali cognitione obiecti in ordine ad opus; sicut est illud iudiciū, quo quis dicit: Hic & nūc fugiēda est fornicatio hæc, & amplectenda honestas. Hoc de facto conuenit exercere, siue sit imperium coniunctum cum iudicio, quod explicatur his verbis: *Fac hoc: Ama hoc: Vita hoc*, &c. Nullus nisi ignorans sit, poterit negare, quod sane imperium semper prẹsto adest, siue implicitè, siue explicitè, aut virtualiter in intellectu, non solū post electionē voluntatis, sed ante electionem. Nam cum voluntas eligit, antecedit imperium, vt de facto, & in re eligat, & deinde facta electione etiam requiritur imperiū, vt voluntas tam interiùs, quàm exteriùs exequatur id, quod elegit, & interiùs operando, & applicando cæteras potētias, ad impletionem illius iudicij practici, & ad impletionem præcepti, & statuti. Et quoniā voluntas, non solùm mouet potentias, & applicat eas, sed etiam eligit media ad finem, quem intendit, id circò imperiū est necessariū ante electionem & post. Nam cum dicitur: *Appositi tibi ignem, & aquam, bonum, & malum, elige ergo, &c.* Verbum illud, *elige*, imperium continet, & sine dubio sicut Assentator ille comicus dicebat. *Egomet mihi imperaui*: Ita per iudicium practicum, & per actum intellectus homo sibi ipsi imperat dicendo. Hoc est eligendum hic, & nunc, fac illud. Quod sane imperium inter multa alia, quæ includit, inuoluit etiam intimationem, denuntiationem, locutionem, & excitationem quandam, quæ quidem ab intellectu exeunt, & in ipso imperio inclusa sunt, & ab intellectu prodeūt. Ex quo patet, quòd quia effectus habet realem dependentiam à causa, vt causa est, & actus voluntatis practicus cū sit, dependentiā habet, nō solum ab eadem voluntate eliciente, sed etiam ab intellectu illuminante, dirigente, & præcipiente, à quo habet realem dependentiam, etiam in re ipsa, & non per operationem intellectus. Quod verò respondent authores oppositæ sententiæ, nimirum imperium non habere efficaciam ab intellectu, sed ab eadem voluntate, dicimus hoc esse falsissimum. Nam imperium, non solùm à voluntate, sed etiam ab intellectu habet efficaciam, vt satis euidenter constat ex dictis. Cum etiam habeat efficaciam à iudicio practico intellectus, & à notitia, & cognitione obiecti, & mediorum, quæ sunt ab intellectu.

Ratio quarta pro conclusione.

Quartò probatur. Voluntas est in potentia, ad amandum quodcūque bonum particulare: ergò vt reducatur ad actum, & exercitiū dilectionis respectu alicuius boni particularis, indiget voluntas aliquo, à quo actuetur, & moueatur, & reducatur de potentia ad actum: sed huiusmodi motiuum, aut mouens, quod se habeat, vt causa secunda nō potest esse aliud, quàm iudicium de obiecto apprehenso, & cognito: ergò ab actibus intellectus actiuè mouetur voluntas: ergò cum in exercitio determinatur voluntas, ad amandum bonum aliquod particulare, non solùm concurrit apprehensum bonum, tanquam forma, & finis: sed etiam concurrit simul cum iudicio, & notitia sui ipsius actiue ad operationem, & affectum voluntatis.

Quinta.

Quintò probatur. Quoniam in opinione probabili, appetitus sensitiuus in suis appetitionibus mouetur actiuè, & effectiuè, à bono sensibili proposito per apprehensionem sensitiuam cum iudicio à natura infixo: ergò pari modo mouetur appetitus intellectiuus, actiuè à iudicio practico obiecti conuenientis propositi per intellectum: patet consequentia. Quia pari modo, se habet bonum sensibile apprehensum, & iudicatum ad appetitum sensitiuum, sicut se habet bonum apprehensum, & iudicatum per intellectum, & voluntatem, & quidem Aristot. semper loquitur pari modo de appetibili per sensum, & per voluntatem quantum ad motionem ipsius appetitus. Et sanè viri doctissimi, in hac parte putant sensitiuum appetitum animalium effectiuè moueri, ab æstimatiua, & iudicio, seu actiuè se habere bonum sensibile iudicatum, & apprehensum per sensum, ad operationes eiusdem appetitus sensitiui. Et necessitas, quæ in actu appetitus sensitiui in animalibus reperitur, non solùm prouenit à naturali inclinatione ipsius appetitus, & ab authore naturæ, sed etiam à iudicio à natura infixo, cum quadam determinatione necessaria ad vnum, tam respectu obiecti determinati, quàm respectu apprehensionis, & iudicij sine vlla indifferentia.

Sexta.

Sextò. Voluntas in multis operationibus suis apertè constat, quod mouetur actiuè ab intellectu, & in genere causæ efficientis, & impertinens est, quod actus voluntatis, qui ab ea procedit sit deliberatus, vel non deliberatus, liber, aut necessarius, ad hoc, vt negetur in intellectu, & in iudicio eius vis agendi, & efficiendi circa voluntatem: ergo in volitionibus indeliberatis ipsius voluntatis, voluntas mouetur actiuè à bono apprehenso, & à iudicio eius. Nam libertas, vel deliberatio non auferunt à bono iudicato, & apprehenso vim, quam habet, neque auferunt vim ab intellectu apprehendente, & iudicante, atque præcipiente. Imò verò experientia cōstat, quòd ad apprehensionem, & ad iudicium, & cognitionem, & præsentiam obiecti conuenientis, vel disconuenientis rapitur voluntas ad amorem, vel odium, ad velle, vel nolle: ergò.

Solutio.

Vndè perpendendum est, quod voluntas, non mouetur à quacumque apprehensione, sed solùm ab apprehensione practica, & à iudicio practico, & aliquando ab imperio practico intellectus habente vim, non tantum à

voluntate, ſed ab intellectu etiam. Dices totam vim actiuam, & effectiuam imperij prouenire à voluntate originaliter applicante intellectum ad operandum, & ita voluntatem ſeipſam mouere mediante imperio intellectus, & ex conſequenti vim actiuam intellectus, non eſſe referendam ad actiuitatem, & efficientiam intellectus, ſed voluntatis. Sed contra. Nam quidquid ſit de efficacia imperij intellectiui, illud tamen eſt certiſsimum, quòd efficacia iudicij practici, & concluſiui de re particulari, non prouenit à voluntate, ſed ab intellectu: ſed huiuſmodi iudicium practicum, & concluſiuum de re ſingulari, hic & nunc, actiuè mouet voluntatem ad operandum: ergò intellectus practicus cum tali iudicio ex ſe habent hanc vim mouendi actiuè voluntatem. Nam certè ſtante iudicio concluſiuo, & practico, quo intellectus concludit, & dicit hoc amandum eſſe hic, & nunc, verbi gratia, bonum vtile, vel delectabile, ſanitatem, vel delectationem, tunc infallibiliter mouetur ex ſuppoſitione ad amorem, vel ad odium, ſi repræſentetur obiectum ſub aliqua diſconuenientia: ergò voluntas tunc à tali iudicio effectiuè mouetur. Rurſus quòd iudicium non feratur de obiecto apprehenſo, niſi voluntate applicante intellectum, ad iudicandum aut quòd imperium non fiat, niſi eadem voluntate etiam applicante, & mouente intellectum, hoc nihil intereſt, quo minus facta applicatione, ipſum iudicium, aut ipſum imperium habeant vim actiuam, reſpectu amoris deinceps ſecuti in voluntate. Nam licèt ad hoc vt exiſtant iudicia practica intellectus, vel imperia illa, neceſſaria ſit applicatio potentiarum, ad ſuas operationes per voluntatem facta, tamen poſtquam actu exiſtunt iudicia illa, vel imperia iam ipſa habent ex ſe ſuam vim, aut efficientiam, quæ illis perſe conuenit.

Replicatur

Sanè quod dixit Cajetanus, de ſpecificatione actuum voluntatis, quòd non poteſt non prouenire ab intellectu, & ab obiecto apprehenſo, id nullam poteſt habere controuerſiam. Quia cum ſpecificatio actuum voluntatis, ſit effectus in rerum natura exiſtens, neceſſariò debet habere cauſam efficiẽtem, quia ſola voluntas non poteſt eſſe cauſa effectiua ſpecificationis, quia ſi ſola voluntas eſſet totale, & adæquatum principium actiuum ſpecificatiuum omnium ſuarum operationum, aperte ſequeretur, quòd omnes operationes voluntatis eſſent ſimpliciter eiuſdem ſpeciei. Voluntas enim ſe ſola ſecundum ſe conſiderata, ſecundum eandem rationem, & eandem prorſus actualitatem efficit omnem ſuam operationem, quia concurrit quatenus eſt potentia appetitiua, & volitiua. Nam ipſa perſe nõ habet aliam formam, & actualitatem: ergò omnis operatio, quæ procedit à voluntate, procedit ab ea, ſecundum quòd habet rationem eiuſdem, & vnius principij, & ex conſequenti haberet omnis operatio voluntatis eandem ſpeciem, quod eſt apertè falſum.

Probari etiam poteſt noſtra ſentẽtia. Quoniam ſpecies intelligibilis iuxta probabiliſsimam ſententiam, actiuè etiam concurrit ad intellectionem: ergò multò meliùs obiectum cum notitia, & cognitione eius, cum iudicio concluſiuo boni, & conuenientis, hîc & nũc, concurrunt actiuè, & effectiuè ad amorem, & affectum voluntatis. Dices, Verbum intellectus, notitia, & iudicium rationis, non ſunt in voluntate, ſicut ſpecies eſt in intellectu: ergo non eſt par ratio de ſpecie intelligibili in intellectu reſpectu cognitionis, atque de notitia, & iudicio reſpectu voluntatis. Quia tale iudicium practicum, notitia etiam aut imperium, non ſunt in ipſa voluntate, ſed in intellectu: ergo. Reſpondetur hoc non obſtare, quo minus notitia, & iudicium, aut imperium poſsint eſſe ratio operandi, vt principiũ quo, reſpectu actuum voluntatis, quod ſanè Caiet. veriſsimum eſſe putat, dicens cognitionẽ, notitiam, ſeu verbum mentis eſſe principiũ efficiens quo, ſeu ratio agẽdi, ſicut eſt ſpecies intelligibilis in intellectu. Quare per obiectum cognitum, & voluntati propoſitum ſimul cũ notitia, & iudicio practico concluſiuo conſtituitur cum voluntate, vna integra cauſa ad productionem affectuũ voluntatis, & ad operationes eius, & ad productionem amoris, vel odij effectiuam. Et ex his fit, vt voluntas dicatur eſſe in actu primo virtuali, & effectiuo proximè accincto ad operandum.

Iterum ſuadetur aſſertio.

Obiectio.

Fit ipſi ſatis.

Deniq; nunquam variat genus cauſandi ſubſiſtentia coniuncta cauſæ. Nam calor ſi eſſet perſe ſubſiſtẽs, in eodem genere cauſæ efficientis produceret calorem, & non variaret rationem cauſandi in genere, & in communi: igitur ſi Verbum diuinum actiuè concurrit ad amorem, & ad productionem Spiritus Sancti, vt docet Catholica doctrina, & ſubſiſtentia non variat genus cauſandi, ſequitur quòd notitia, & verbum noſtri intellectus, quamuis non habeat ſubſiſtentiam, imò vero ſit accidens in nobis, quòd in eodem genere cauſæ efficientis, in communi habet producere amorem, non quidem, vt ſubſiſtens, & principium quod, vt optime Caiet. aduertit, ſed tanquam ratio agendi, & principium quo. Hinc habes Caietani argumentum ſuperiùs relatum efficax eſſe. Nam in diuinis verbum actiuè concurrit ad amorem, ſeu ad productionem eius: ergò id ipſum in nobis contingit: patet conſequentia. Quia Verbum diuinum, & verbum noſtri intellectus, quamuis differant penes infinitatem, & ſubſiſtentiam, quia vnum eſt infinitum, & perſe ſubſiſtens, noſtrum verò finitum, & inexiſtens, tamen hæc diſtinctio non mutat genus cauſandi in communi. Quoniam ſi daretur calor perſe ſubſiſtens, & calor inexiſtens in eodem genere cauſæ concurrerent, ad calefaciendum actiue: ergo pari modo ſentiẽdũ eſt de notitia intellectus, & de

Deniq; eadem veritas roboratur.

iudicio eius, de verbo, & imperio, &c. Quòd actiuè concurrunt.

Argumenta Scoti soluuntur:

ARGVMENTA Scoti, quæ contra assertionem positam videntur militare, facilè dissoluentur ex dictis. Primum enim dissoluitur si dicamus notitiam intellectus, & cognitionem obiecti, simul concurrere cum ipsa voluntate, tanquam vnum principium integrum actiuè se habens ad affectum voluntatis, & amorem: ipsum verò obiectum cognitum cum iudicio, & notitia eius se habere, vt rationem agendi, & quasi principium quo. Itaque bonum cum notitia eius, & iudicio habet se veluti forma, qua voluntas etiã actiuè ad operationes suas concurrit, & non solùm formaliter mouet voluntatem: de qua re statim dicemus. Neque valet dicere, quòd sem per forma debet esse coniuncta operanti, quia satis est quòd sit in vna, & eadem essentia animæ, quia hoc est proprium voluntatis, quòd operetur per bonum apprehensum ab alia po tentia eiusdem animæ. Rursus cognitio, & iudicium practicum intellectus habent virtutem agendi ad affectum voluntatis. Nam voluntas subordinatur intellectui, & operibus eius. Quia præter quàm quòd voluntas fluit ab anima mediante intellectu, in genere causæ efficientis, habent etiam ordinem in operi bus suis, & quasi ordinem originis, quia nihil est volitum, quin præcognitum. Vndè non se habet obiectum cum cognitione, & iudicio eius, seu intellectus cum notitia, & cognitione, & practico iudicio, veluti instrumentum: sed veluti ratio agendi, & principium quo. Neque valet, quòd instrumentum debeat esse inferioris naturæ. Quia potest esse excellentioris naturæ. Nam Sol est instrumentum rerum inferiorum, & ille est perfectior plerisque effectibus orbis. Et est impertinens ad ra tionem instrumenti, quòd sit perfectioris, vel imperfectioris naturæ.

Medina nõ satisfacit argum.

Secundum argumẽtum Scoti dissoluit Bartholomæus Medina 1.2. quæst. 9. art. 1. dicẽs motum brachij esse liberum, quamuis dependeat à motu cœli, qui est naturalis. Nam motus recipitur in recipiente, seu passo ad modum recipientis. Sed profectò exemplum allatum à Bartholomæo Medina mihi non probatur. Quia motus brachij non est liber, nisi sola denominatione extrinseca omnino, & est actus imperatus exterior, & non immediatè aut elicitiuè liber. At verò actus voluntatis, & operationes eius, de quib⁹ loquimur, sunt act⁹ immediatè liberi, & perse, imo intrinsecè libe ri. Quia ipsi dicunt habitudinem ad indifferen tiam voluntatis, obiecti, & mediorum, quæ habitudo est in ipsis actibus voluntatis. Aliã etiam adhibet solutionem, secundo loco exẽplo ignis adducto: dicit enim, quòd si ignis ap plicatus calefaceret pro libito volũtatis meę, tunc calefactio esset libera, & quia bonum co gnitum apprehensum, & iudicatum pendet à voluntate, tam in applitatione, quàm in vsu, inde est quod cogitatio, & volitio habent veram libertatem. Sed neque hoc satisfacit argumento, neque quietat nos. Quia difficultas argumenti non est de libera applicatione, aut de libero vsu, quem voluntas habet circa intellectum, sed de modo illo, quo possint inter se cohærere, quòd intellectus simul cum iudicio practico eius, & cũ notitia obiecti apprehensi concurrant actiuè, & efficienter ad operationes voluntatis, & quòd operationes eius sint liberæ. Quia illa efficacitas, actiuitas, & efficientia, quæ in intellectu reperitur, non est ad libitum voluntatis mobilis, quia si semel intellectus habeat practicum iudicium cum notitia, & cognitione obiecti, quamuis applicatio, quæ fit per voluntatem, & vsus, quo voluntas vtitur intellectu libera sint, tamen quòd posito tali iudicio cum cognitione, & notitia obiecti, quòd hæc habeant vim agendi, non pendet à voluntate, quia non prolibito, hæc conueniunt intellectui, & iudicio aut obiecto cognito.

Soluitur secundum argumentum.

Vndè ad argumentum respondere oportet, quòd voluntas ex eo, quod sit potentia libera tantùm infertur, quòd habere possit actum volitionis, cum ipsa voluerit: at verò suppositò quòd velit exercere actum aliquem circa proprium obiectum, tunc bonum apprehensum, & iudicatum, simul cum notitia eius concurrunt cum eadem voluntate, tanquam ratio, & forma producendi volitionem huius speciei, aut alterius, & tanquam ratio actiuè se habens ad operationem voluntatis. Et quandò dicitur, intellectus mouet voluntatem ad modum causæ naturalis: ergò si mouet illam efficienter in suis operibus omnino eam determinat, ac proinde tollit libertatem; Respondetur primò, quòd illa motio, quam efficit obiectum voluntatis, simul cum cognitione, notitia, & iudicio eiusdem obiecti habent se veluti forma, & ratio agendi commensurata voluntati, & coaptata illi. Nam voluntas pendet ab illis, & subordinatur illis. Et efficientia, quæ in hac ratione agendi reperitur in intellectu respectu voluntatis, non potest destruere vllo pacto libertatem eius, quia habet se huiusmodi ratio agendi simul cum voluntate, quasi constituens, & integrans vnam causam totalem cum illa, & veluti ratio agendi, quasi voluntati intrinseca ad suas operationes. Quia hoc est proprium voluntatis, & illi natiuum, quòd cùm ipsa voluntas sit potentia cæca, & non apprehensiua, debet operari, & agere per bonum apprehensum ab alia potentia eiusdem animæ. Se cundò respondetur, quòd illa efficientia, quam habet iudicium practicum, siue intelle-

ctus cum obiecto cognito ad operationes voluntatis, non debet accipi quasi habens operationem distinctam, & alium concursum distinctum à concursu voluntatis, & ab efficacitate eius. Sed ambo concurrunt tanquam vnum principium integrum agens amorem, & affectum voluntatis. Tertiò respondetur, quòd quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur: & ita concursus obiecti cogniti, cùm efficiat vnum principiũ cũ voluntate ad modum voluntatis cum ea coniungitur: atque ita sicut vera efficientia Physica, quæ est in voluntate ad suos actus, quos actiuè, & efficienter producit, non aufert libertatem eorum, ita neque illud, quod est ratio agendi cũ ipsa, ad suas operationes, & veluti actus primus in ea, integrans vnam causam totalem, cum eadem voluntate. Quartò respondetur, mirabile esse quàm turpiter obijciatur hoc argumentum cõtra nostram sententiam, quia ex hoc quòd secundum fidem Deus concurrat efficienter, ad actus voluntatis nostræ, & ad substantiam eorundem, non infertur, neque sequitur ablatio libertatis, aut ab eis, aut à voluntate. Nam certum est quòd ad actum meritorium fidei, vel pœnitentiæ Deus efficienter physicè concurrit, & influit physicè efficienter, in huiusmodi actus, & tamen propter hanc efficientiam, non tollitur libertas ab eis: ergò quòd notitia intellectus, & obiecti cogniti, aut intellectus ipse cum obiecto apprehenso, & notitia eius actiuè efficienter concurrant ad amorem voluntatis, & operationes eius, non repellit libertatem, neque à voluntate, neque ab operibus eius. Deus enim est causa efficiens extrinseca, & physicè actiue, & efficienter concurrit ad actum, quo eligo caste viuere, & dare eleemosynam, & non solùm est causa moralis istarum actionum, sed etiam est causa efficienter physicè producens, vt certa fide credimus: ergò si per hanc causam efficientem tam moraliter, quam physicè, non tollitur libertas, neque etiam debet tolli per concursum efficientem obiecti proprij ipsius voluntatis, cùm ad actus eius concurrit, vt dictum est.

Obiectio. Sed dices. Voluntas mouet intellectum actiuè, quia vtitur eo, & applicat eum ad suas actiones, & operationes: ergò è conuerso fieri non potest, vt voluntas actiuè moueatur ab ipso intellectu. Quia in eodem genere causæ non potest iterum moueri voluntas ab intellectu: aliàs idem esset mouens, & mobile in eodem genere.

Dissoluitur. Respondetur, non esse absurdum, quòd idem moueatur, & moueat, si ad diuersa comparetur. Nam voluntas mouet, intellectum applicando ipsum ad suas actiones: intellectus verò mouet voluntatem iudicando, & proponendo obiectum cum cognitione, & notitia eius, & prætereà illuminando, & dirigendo ipsam, imò verò etiam imperando, & præcipiendo. Neque video cur hoc aliquam absurditatem contineat. Deinde certa res est nullam esse repugnantiam, voluntatem mouere intellectum actiuè, quantum ad exercitium, & quòd intellectus, seu potiùs bonum cognitum, & apprehensum ab eo concurrat ad volitionem huius obiecti, aut alterius tanquam forma, & ratio agendi ipsius voluntatis. Nam hæc duo valde diuersa sunt: esset autem inconueniens, quòd voluntas moueret intellectum applicando, eum actiuè ad exercitium, & quòd in eodem genere voluntas actiuè applicaretur, ad exercitium ab ipso intellectu. Quia sic, sicut vsus pertinet, ad voluntatem respectu intellectus, ita etiam intellectus vteretur voluntate, quod non est dicendum. Quoniam vti potentijs, est proprium voluntatis, cum illa sit appetitus rationalis, & appetitus totius suppositi liber, & vniuersalis.

Alia obiectio. Sed obijcies iterum contra ea, quæ in discursu huius secundæ assertionis diximus, de efficientia intellectus, cum efficientia obiecti cogniti circa actus voluntatis. Nam certè intellectus nihil ponit in voluntate, quod sit præuium volitioni, & actiuum illius: ergò non concurrit efficienter. Patet consequentia. Quia non satis apertè intelligitur, quomodo intellectus moueat effectiuè voluntatem, & ponat aliquid in ipsa. Quia apprehensio obiecti, seu notitia eius, quantumuis practica sit non est realiter in voluntate: ergò neque mouet illam efficienter, neque concurrit cum illa efficienter ad operationem eius. Sed respondetur huic obiectioni. Quòd intellectus fortè non dicitur mouere voluntatem actiuè ex eo, quòd ponat aliquid in ipsa, vt Caietanus planè sensit: ex hoc tamen non sequitur, quòd bonum apprehensum, & cognitum cum sua notitia non concurrat, & tanquam forma, & tanquam ratio agendi in ordine ad volitionem, & operationem voluntatis. Diximus enim obiectum cognitum cum sua notitia integrare cum voluntate vnam causam effectiuam, & actiuam volitionis, & operationum voluntatis. Neque requiritur hanc formam esse intrinsecè inhæsiuè, in ipsa potentia operatiua voluntatis. Quia sufficit, quòd sit, vel in eadem essentia animæ, vel in ea potentia, cui subordinatur voluntas, vt possit operari. Quia hoc est proprium voluntatis, quòd operetur propter bonum, apprehensum quidem ab alia potentia, quæ sit in eadem anima: ita vt per bonum illud cognitum, & iudicatum fiat in actu ad eliciendam volitionem. Nam certè iustitia est in voluntate, & tamen concurrit ad actum rectum iustè iudicandi: & religio est in voluntate, & nihilominus concurrit tanquam forma ad actum orationis, qui est in

Ipsius solutio ex Caietano.

intelle-

intellectu. Quapropter non est mirabile, quòd bonum cognitum, & apprehensum per intellectum concurrat actiuè, & effectiuè tanquam forma ad determinationem specificam actus voluntatis. Sed exempla adducta, quæ à quibusdam probantur, non mihi videntur esse sufficientia omninò. Nam recta electio voluntatis v. g. in materia temperantiæ videtur quantum ad substantiam solum esse effectiuè à voluntate, licet quantum ad modum, & regulationem sit à temperantia. Et similiter actus orandi elicitur ab intellectu, quamuis reguletur à religione, quæ est in voluntate. At verò substantia volitionis generica, vel specifica est à voluntate, quatenus informatur â bono cognito & apprehenso per notitiam sui. Quocirca alia sunt aptiora exempla. Nam intellectus agens quamuis non intelligat, tamen concurrit effectiuè cum intellectu possibili ad omnem illius operationem, & tamen intellectus agens realiter est distinctus ab intellectu possibili. Præterea phantasma lumine intellectus agentis illustratum causat intelligibiles species in intellectum possibilem, quamuis lumen intellectus agentis non inhæreat phantasmati. Adde etiam quòd ex calore, & lumine visibili integratur vnum obiectum motiuum, & terminatiuum visus, & tamen lumen, quod habet rationem formæ in hoc visibili obiecto, non inhæret colori.

Secunda secundi argumenti solutio.

Dico secundò ad argumentum, quòd ad hoc, quòd possit obiectum concurrere actiuè & effectiuè ad actum, & affectum voluntatis, sufficit, quòd intellectus vniatur voluntati mediante obiecto cognito, & iudicato: quia sic efficitur vna integra causa, quæ est ratio agendi ipsarum volitionum. Hæc tamen coniunctio non est per inhærentiam, sed præcipuè per ordinem, quem habet per modum originis voluntas ab intellectu, & à notitia eius, à quibus pendet voluntas in suis operationibus, quam natiuam originem & coniunctionem postulat voluntas in modo agendi, & operandi cum vera dependentia ab intellectu. Quare ad argumentum dico, quòd quamuis intellectus nihil ponat in voluntate inhærenter, ponit tamen aliquid in voluntate propter vnionem & coniunctionem, quam habet ad voluntatem, ratione cuius integratur vna causa actiua, & effectiua affectuum voluntatis, & ita negatur consequentia. Tandem dicant aduersarij quando voluntas mouet potentias ad suas actiones applicando eas ad agendum, quid imprimit in eas, aut quid recipiunt à voluntate per solam applicationem illam, ob quam actiuè voluntas dicitur mouere alias potentias? Rursus Angelus per intellectum & iudicium practicum dicitur mouere intellectum alterius Angeli, cum illi loquitur: ad quam locutionem efficienter concurrit, & tamen non videtur quid imprimat in intellectum alterius Angeli physice: ergo argumentum positum in multis casibus deficit contra nos, & sufficit notitia, & iudicium obiecti, & boni apprehensi iuxta modum explicandi, quem dedimus.

Dissoluitur tertium argumentum.

Tertium argumentum Scoti dissoluunt multi ex discipulis Diui Thomæ dicentes, quòd si proponeretur obiectum voluntati, & remoueretur ratio agendi ab eo, & à notitia, & iudicio eius, sic vt appetitus rationalis præcisè ad præsentiam obiecti moueretur non suppeteret, neque remaneret efficax argumentum ad ostendendum aliquid pati ab alio. Quia pari ratione possem ego dicere idem de intellectu respectu intelligibilis, & de sensu respectu sensibilis, nempe, quòd hæc omnia mouentur solùm ad præsentiam suorum obiectorum. Sed hæc solutio non satis dissoluit difficultatem. Vnde respondetur secundò: quòd si auferatur efficacitas agendi à bono voluntati proposito cum notitia, & iudicio eius, tunc nihil operabitur voluntas. Nam non sufficit ipsum bonum præcisè, nisi apprehensum, & cognitum, aut cum iudicio eius concurrat simul cum voluntate ipsa, tanquam ratio agendi. Adde etiam, quòd si non interueniat iudicium practicum, aut imperium, nulla sequetur operatio voluntatis. Vnde posita notitia ponitur volitio, non posita non ponitur. Inde fit, quòd voluntate operante actiuè concurrit intellectus cum notitia. Ad argumentum ergo fatemur, quòd remota omni actiuitate iudicij practici, & notitia obiecti apprehensi, non sequetur operatio

Vltimi argumenti solutio.

Quartum & postremum argumentum Scoti dissoluitur, si dicamus, quòd voluntas vt est potentia nuda, si non copuletur cum intellectu, cum iudicio, & notitia eius, seu cum bono apprehenso & iudicato, non efficit vnam causam integram, & totalem amoris, & affectus ipsius voluntatis, vt ostensum est ex dictis. Quare voluntas sine concursu intellectus, & notitiæ non est sufficiens ad eliciendum actum amoris. Similiter etiam in supernaturalibus nihil est volitum, quin præcognitum. Et quamuis habitus charitatis actiuè concurrat ad actum dilectionis, & ad substantiam eius, nihilominus actus intellectus, & notitiæ supernaturalis concurrunt ad eundem actum, & habent se cum voluntate, tanquam ratio, etiam agendi, quæ constituit vnum integrum principium cum voluntate ex eo quòd voluntas nihil agit, nisi ex obiecto apprehenso, cognito, & iudicato. Vnde Diuus Paulus ad Galatas capit. 5. dicit, *quòd fides per dilectionem operatur*. Rursus lumen gloriæ actiuè concurrit ad actum fruitionis, & amoris in patria vt habetur in Clementina, ad nostrum, de hæreticis.

Ad Galat. 5.

Ex dictis suprà colligitur primò hoc esse speciale in actibus voluntatis, quòd,

Conſectaria quædam. Primum.

poſtulant duo mouentia, vnum per modum agentis, alterum per modum illuminantis, & dirigentis. Quia voluntas ſequitur formam apprehenſam, cognitam, & iudicatam per intellectum, & obiectum eius eſt bonum apprehenſum, per intellectū. Eſt enim volūtas potētia cæca, & ideò indiget dirigente & illuminãte.

Secundum.

Secundò colligo. Quòd modus applicandi cauſas in naturalibus non eſt modus cauſandi per ſe, ſed per accidens, & pari ratione ſola propoſitio obiecti facta voluntati, ſi non concurrant notitia & iudicium, tantùm ſe habet vt conditio, ſine qua non reſpectu voluntatis. At verò cõcurrente notitia cum iudicio, aut imperio conſtituitur cauſa, quæ eſt ratio agendi per ſe, quæ vnita voluntati conſtituit vnum principium integrum efficienter concurrens ad actus voluntatis.

Tertium.

Tertiò colligo, poſſe optimè ſtare, quòd forma aliqua concurrat effectiuè ad operationem alicuius agentis, & quòd non moueat ipſum agens: ſicut patet de calore ignis, qui effectiuè concurrit ad calefactionem, & tamen non mouet effectiuè ignem ad calefaciendum. Sed multò magis eſt aduertendum optimè quidem ſtare, quòd potentia aliqua moueat aliam ad operandum, & tamen non concurrat cum illa effectiuè ad operationem, propriè loquendo. Nam voluntas mouet efficienter intellectum ad intelligendum, & potentiam viſiuam ad videndum, & tamen non concurrit cum ipſo intellectu effectiuè eliciendo intellectionem, neque effectiue eliciendo viſionem, & idcircò non eſt mirabile ſi cognitio, iudicium, aut imperium moueant actiuè efficienter voluntatem, quamuis non producant elicitiue actus eius. Hoc dixi & animaduerti, quia ex multis capitibus poteſt deficere aduerſariorum opinio, & ſententia.

Notãdum.

Tandem, quoniam poſſet quis dicere, Sanctum Thomam nunquam credidiſſe, aut ſenſiſſe, voluntatem moueri ab intellectu, vt ab efficiente per obiectum cognitum, & iudicatum, aut apprehenſum, neque actum intellectus concurrere ad amorẽ obiecti, vt cauſam actiuè & effectiuè ſe habentem, obſerua

S. Thomas.

quod Sanctus Thomas 1.2. quæſt. 9. art. 1. dixit, quòd dupliciter aliqua facultas animæ aut vis eius inuenitur in potentia ad diuerſa. Vno modo quantum ad agere vel non agere. Altero modo quantum ad agere hoc, vel illud, ſicut conſtat in potentia viſiua, quæ quandoq; videt actu, & quandoque non videt, & quandoque videt album, & quandoque videt nigrum. Et id circo inquit S. Thom. quòd talis facultas indiget mouente quantum ad duo, nimirum, quantum ad exercitiũ vel vſum actus, & etiam quantum ad determinationem actus. Quorum primum eſt ex parte ſubiecti, quòd inuenitur aliquãdo actu agens, & aliquãdo nõ. Aliud verò eſt ex parte obiecti, ſecundũ quod ſpecificatur actus. Motio verò ipſius ſubiecti eſt ex aliquo agente, ſed cum omne agens agat propter finẽ, principiũ huius motionis eſt ex fine, ſed obiectum mouet determinando actũ ad modum principij formalis, à quo in rebus naturalibus ſpecificatur actio, ſicut calefactio à calore, & iſto modo motionis intellectus mouet voluntatem, ſicut præſentans ei obiectum ſuum. Et non mouet intellectus ſpeculatiuus, ſed intellectus practicus, vt Ariſt. docuit 3. lib. de anima tex. 46. & ſequentibus. Vnde quando D. Auguſt. Pſal. 118. explicando verſiculum illum. *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas*, dixit. *Præuolat intellectus, ſequitur tardus, aut nullus affectus: ſcimus bonum, nec delectat agere.* Reſpondet S. Tho. quòd ex hac Auguſtini ſententia non habetur, quòd intellectus non moueat, ſed quòd non moueat ex neceſsitate,

Ariſt. 3. de Anima. D. Augu. Pſal. 118. D. Thom.

Quocirca bonum apprehenſum, cognitum cùm iudicio eius poteſt cõſiderari duobus modis. Primò quidem ſecundum eſſe reale, quod eſt in re: & ſecundũ hanc rationem concurrit vt finis: ſeu finaliter ad mouendam voluntatẽ, & non cõcurrit actiuè. Et profectò in hoc ſenſu intelligendus eſt S. Thom. quando dicit intellectum mouere voluntatem, tanquam præſentans illi obiectum, & per modum cauſæ finalis. Et eodem pacto intelligendus eſt. 1. p. quæſt. 82. art. 4. Vbi aſsignãs differentiam inter modum, quo voluntas intellectum, & intellectus voluntatẽ mouet, dicit, quòd volũtas mouet intellectum in genere cauſæ efficientis: intellectus verò mouet voluntatem in genere cauſæ finalis, illuminando, & dirigendo illam. Itaque in prædicto ſenſu intelligendus eſt D. Thom. vbicumque dicit, quòd intellectus non mouet voluntatem efficienter, ſed per modum finis, vt de veritate quæſt. 22. art. 12. ad 3. & artic. 11. ad 5. Quod bonum apprehenſum ſecundum quòd eſt in re, & vt habet rationem finis, & formæ omnino extrinſecæ reſpectu voluntatis, ſub hac inquam ratione non mouet efficiẽter voluntatem, ſed per modum finis. Secundo modo poteſt conſiderari bonũ apprehenſum ſecundũ quòd iã eſt cognitum, apprehenſumq; in intellectu, aliàs cum notitia, & iudicio eius. Quo pacto proportionatur voluntati perfectè, & completè, & hoc modo dicitur cõcurrere actiue ad actũ volitionis, tanquã forma, & ratio agẽdi ipſius volũtatis habens quemdã modũ agendi, & efficiendi erga actus eius. Et hoc eſt quod ſolet de mente Auerrois à multis citari, quòd appetibile mouet appetitum in duplici genere cauſæ, nimirũ, in genere cauſę efficientis, ſecundũ quòd eſt in anima, & in genere cauſæ finalis ſecundũ quòd eſt extra animam. Conſequenter dicere ſolent Philoſophi, quòd obiectũ, & terminus motus ſecundũ eſſe quod habet à parte rei cõcurrit ad ſpecificationẽ motꝰ, vt motus eſt per modũ formæ extrinſecæ, cæterũ ſpecificatio motus pro vt actio eſt deſumitur à principio proximo actiuo, & ab obiecto, & termino, ſecũ

dum

dum esse quòd habet intra potentiam operantem, & ita actio volũtatis specificatur ab obiecto secundum illud esse quod habet in ipsa voluntate per formam apprehensam. Ex quo cõstat non valere argumentum quod ab aduersarijs inculcatur de alijs motibus, & actionibus, vbi terminus motus concurrit in ratione finis, & formæ specificantis motum, non autem in genere causæ efficientis. Quia non est par ratio de obiecto, & termino operationis voluntatis, vt constat ex superiùs dictis.

Colligo igitur, quòd quamuis S. Thom. dixerit voluntatem non moueri efficienter ab obiecto intellexit demotione obiecti si sumatur pro vt est in re, quia sic habet rationẽ finis, & primi mouentis, cum finis sit prima causa mouens. Sed non dixit, quòd idem obiectum pro vt est in anima cognitum, apprehensum, & indicatum non habeat aliquam actiuitatem efficientem, quæ quanta sit intra latitudinem agendi efficienter, non explicatur modo à nobis, est enim non parua latitudo in modo causandi efficienter, quæ non vno modo, neq; sub eodem rigore debet conuenire omnibus causis totius vniuersi, siuè corporalibus siue spiritualibus.

CONCLVSIO TERTIA.

Dico 3. Dico tertiò. Voluntas pendet in suis actionibus à bono apprehenso, & cognito, tanquã à ratione formali agendi, & tanquam ab specificante intrinseco. Itaq; bonum propositum voluntati, vt sub apprehensione est, dicitur esse formalis ratio agẽdi ipsi volũtati, qua si ab intrinseco specificans operationes eiusdẽ voluntatis. Vnde illa apprehensio boni, & cõuenientis siuè sit ratio formalis obiecti voluntatis, siue sit conditio, sine qua non, quidquid illud sit, semper dicere oportet bonitatem ipsam apprehensam ab intellectu esse rationem formalem agendi ipsi voluntati. Hæc assertio recipitur communiter inter discipulos Diui Thomæ, imò vero Ferrara 1. contra gentes cap. 44. & Caietan. locis citatis. Conradus 1. 2. quæst. 9. artic. 1. Bartholomæus Medina, Paulus Soncinas & plures alij locis superiùs citatis eam tenent. Et quamuis hæc conclusio sit communis in schola Diui Thomæ, tamen inter se variant eius discipuli. Nam aliqui eorum censent obiectum apprehensum ab intellectu, taliter esse rationem formalem agendi voluntati, quòd voluntas non operatur per ipsum tanquã per formale principium actiuum actionis, sed solùm concurrit vt principium formale tantùm. Alij verò putant obiectum apprehensum taliter esse rationem formalem agendi ipsi voluntati, quòd est principium formale actiuum operationis eius, & non tantùm principium formale. Quæ quidem sententia placuit domino Caietano. Cuius sententia explicari potest si dicamus bonum apprehensum, quatenus sub illa apprehẽsione continetur esse voluntati rationem formalem agendi, tanquam formam, quæ est principium actiuum volitionis, quantum ad speciẽ ipsius. Quòd sane ita explicãt viri doctissimi in schola Sanctissimi Præceptoris dicentes, quòd bonitas obiecti, quatenus est sub apprehensione, concurrit quidẽ efficienter cũ ipsa voluntate, tanquam principium quo actiuum ad totam substantiã, & genericã, & specificam volitionis. Sed tamen formaliter & per se primò dicunt rationem genericam volitionis referendam esse ad voluntatem, tanquam ad eius proprium principium, rationem autem specificam debere referri in formam apprehensam, tanquam in principium proportionatum, à quo desumitur. Veluti in potentia visiua, ratio & substantia generica visionis per se & formaliter desumitur ab ipsa potentia visiua: substantia autem specifica visionis desumitur per se primò ab specie visibili, licet de facto ipsa potentia & species visibilis simul per modum vnius principij effectiuè producant totam visionem. Hunc esse sensum Caietani, & veram illius mentem, quidquid iuniores dicant ego non dubito. Vnde falsò imponunt Caietano, quòd docuerit substantiam genericam volitionis à sola voluntate effici: substantiam, verò specificam à sola forma apprehensa; quod Caietanus nunquam dixit. Quamuis Gregorius Ariminensis, Gabriel, Palude, & alij supra citati hunc amplexentur modum dicendi. Nam dicunt formam apprehensam nunquam concurrere ad volitionem, tanquam rationem formalem agendi, sed tanquam principium quoddam partiale. Et sane sententiam Caietani veram esse, hanc verò istorum non esse probabilem ostendo. Quia non satis intelligitur, quonam pacto voluntas producat vnam partem volitionis, nempe substantiam genericam: forma verò apprehensa producat aliam partem nimirum substantiam specificam.

Gregorius. Arimin. Gabriel. Palude.

D. Thom. Discipuli. Ferrara. Caietanus. Bartholom. Medina Paulus Soncinas.

Quòd verò voluntas pendeat à bono apprehenso vt sic, tanquam à ratione formali agendi voluntati, & quasi ab intrinseco specificante operationes eius, probatur. Nam voluntas per se ipsam nudè sumpta non potest esse proximum principium, à quo accipiant speciem operationes eius: sed omnis operatio, desumit speciẽ à proximo formali principio à quo procedit: ergo oportet necessario constituere formam aliquam, quæ sit voluntati ratio formalis agendi, quæ ipsam constituat proximum principium specificatiuum suarum operationum. Minor aperta est ex doctrina Diui Thomæ 1. 2. quæst. artic. 3. Maior autem probatur. Nam voluntas nude considerata est generale, & vniuersale quoddam principium omnium volitionum: igitur non est principium proximum formale specificatiuum alicuius specialis volitionis. Fauet etiam doctrina vniuersalis, & cõmunis: quoniam voluntas per se, & præcise

D. Thom.

aut nudè conſiderata ita ſe habet ad volitionem in communi, ſicut habet ſe potentia viſiua conſiderata ſecundum ſe ad viſionem abſque ſpeciebus: ſed potentia viſiua nuda non eſt proximum principium ſpecificatiuum alicuius viſionis particularis, & ſpecificę, ſed hoc habet ab ſpecie viſibili, per quam conſtituitur in actu ad videndum: ergo voluntas non habet ex ſe, quod ſit proximum principium ſpecificatiuum alicuius volitionis, ſed hoc habet ab obiecto ſecundum quòd eſt ſub apprehenſione practica, & ſub notitia eius.

Obiectio. Sed dices, voluntatem ſecundum ſe eſſe naturaliter determinatam ad amorem vltimi finis, & ex tali amore eſſe determinatā adamorem mediorum, & quòd idcirco non indiget aliqua forma, per quam determinetur, aut per quam conſtituatur in actu ad amandum aliquod bonum. *Soluitur 1.* Sed reſpondetur, quòd ex hac obiectione ſolùm colligitur voluntatem determinari ſatis, & actuari ad volitionem finis vltimi, & ſimul ad volitionem illorum mediorum, quæ habent neceſſariam connexionem, aut naturalem cum vltimo fine. Cæterum reſpectu illorum mediorum, quæ non habent omnimodam connexionem cum fine vltimo, voluntas non poteſt habere plenam, & conſummatam determinationem, & actualitatem, & ob id indiget aliqua ſpeciali forma determinate, quæ non videtur, quæ alia poſsit eſſe, quam bonitas ipſius obiecti, vt eſt ſub apprehenſione aut cognitione, & notitia, ſiue apprehenſio ſit conditio, ſiue ratio formalis, quidquid illud ſit. *Secundò.* Secundò reſpondere poſſumus, quòd determinatio voluntatis ad vltimum finem, nunquam eſt plenè conſummata, & perfecta niſi accedat apprehēſio, & notitia finis vltimi. Cuius rei ratio eſſe poteſt: quia finis vltimus non eſt omni ex parte proportionatus appetitui rationali, ſi conſideretur præciſe ſecundum eſſe reale in ſe vel ſecundum formam realem, quam in ſe habet, ſed requiritur vt fiat exacta, & conſummata proportio per formam apprehenſam per rationem, ita vt finis habeat formaliter reſpectu hominis rationem finis naturæ rationalis.

Diximus in hac tertia aſſertione bonum apprehenſum ſub apprehenſione & notitia formaliter loquendo, eſſe rationem formalem agendi voluntati, quaſi ab intrinſeco ſpecificans operationes eius. Aduertenda eſt illa particula, quaſi ab intrinſeco: quoniam ſine dubio bonum apprehenſum non eſt forma intrinſeca ipſi voluntati, ſed extrinſeca: quia bonitas illa apprehenſa eſt in intellectu & non in voluntate. Verum tamen eſt aliquo modo intrinſeca, quia eſt obiectū volūtatis & omne obiectum quodammodo eſt intrinſecum potentiæ ratione habitudinis intrinſecæ, ſeu ordinis tranſcendentalis, quem ad illud obiectum dicit potentia. *Vltima pars concluſionis probatur.*

Tandem probari poteſt vltima pars concluſionis, & aſſertionis poſitæ ex argumentis paulò antea factis. Nam certè veriſimè in ſchola Diui Thomæ probatur, quòd forma apprehenſa, & cognita eſt voluntati ratio formalis agendi, conſtituens ipſam in ratione proprij principij volitionis tanquam ſpecificans eius actionem: ſed omnis forma abſolutè loquendo, quæ eſt ratio formalis agendi alicui potentiæ, eſt principium quo actiuum operationis illius potentiæ, & non poteſt aſsignari aliqua inſtantia huius rei: ergo &c. Confirmari poteſt hoc. Quoniam forma apprehēſa abſolutè eſt neceſſaria ad volitionem vt perficiat, & compleat virtutem actiuam volitionis, quæ non eſt ſatis determinata, aut completa ad producendā rationem ſpecificam volitionis: ergo concurrit forma apprehenſa cum ipſa voluntate, vt virtus & ratio actiua. Fauet rurſus illud, quòd voluntas pro vt actuatur per formā apprehenſam, ſeu determinatur, conſtituitur in ratione principij proximi ſpecificatiui volitionis: ſed volitio, quatenus actio quædā eſt, ſpecificatur à principio actiuo pro vt eſt actiuum vt ſupra diximus ex ſentētia D. Thomæ 1.2.q.1.ar.3. ergo forma apprehenſa concurrit vt principiū actiuum volitionis. Hanc veritatem probant fere omnia argumēta, quæ ſupra retulimus, pro aſſertione præcedente.

Non debet conturbare quemquam quòd S. Tho. 1. contra gentes cap. 72. ratione 6. abſolute dixerit, intellectum non mouere voluntatē effectiuè, ſed mouere per modum finis, & de veritate q.22.artic.11. ad 5. Quòd intellectus non inclinat voluntatem ad bonum, quod appetit, & quòd ob id non eſt illi ratio agendi. *S. Thom. 1. contra gēt. c. 72.* Quia S. Thomas in primo contra gentes ſolum contendebat probare, quòd Deus ſit volens, & quòd illi primò conuenit maximè habere voluntatem, & hoc venatur ex ratione finis, & quia obiectum voluntatis eſt finis, & ita non conſiderauit niſi præciſe modū mouēdi cauſæ finalis, qui conuenit ex propoſitione obiecti præciſa in ordine ad volūtatē, hoc eſt ex propoſitione ipſius finis. Ex hoc enim præciſe non habet intellectus mouere, ſecundum modum cauſæ efficientis. *Obiectio ex verbis S. Tho. ſoluitur.* Rurſus etiam reſpondere poſſumus iuxta ea, quæ diximus ſupra parum ante tertiam aſſertionē. Propterea intellectus nō poteſt eſſe ratio agēdi, aut actiuè concurrere ad actus volūtatis quomodocūq;, quia voluntas nō mouetur à quacumq; apprehēſione boni, ſed ſolùm ab apprehenſione practica, aut ab imperio practico intellectus, imperiū verò vt habetur 1.2.q.17. vim habet effectiuam ad mouendum voluntatem. *Alia obiectio ex eodē S. Thom.* Dices eſſe ſententiam S. Thom. quòd tota vis effectiua, ſaltem ipſius imperij originaliter procedit à voluntate applicante intellectum ad imperandū, & ita q voluntas mouet ſe ipſam, mediāte imperio intellectus, & quòd ipſa poteſt ſuſpēdere intellectum ſi illi placuerit, ac proinde quòd vis motiua imperij nō eſt referēda ad efficaciam intellectus, ſed potiùs voluntatis. Sed *Repellitur.*

contra

contra hoc est, quòd quamuis voluntas efficienter, aut actiuè concurrat ad applicationē, quam facit de, intellectu : cæterùm applicatione facta ipsum iudicium intellectus, & ipsa practica notitia, & apprehensio, ipsumq; imperium, & intellectus cum illis, habēt vim, & rationem agendi per se. Et his stantibus si voluntas non suspendat applicationem intellectus, quam liberè facit, semper virtus illa actiua, & ratio agendi stat, quæ per se conuenit intellectui, quatenus habet practicam illam apprehensionem, vel cum iudicio, vel cum imperio. Illud etiam aduerte, quòd voluntas in prima sui operatione, etiam mouetur ab intellectu, cùm intellectus antecedat omnem voluntatis operationem: & ita hæc motio voluntatis originatur primò ab intellectu. Et hinc fit non debere esse processum in infinitum respectu mouentium, quomodocumq; moueatur voluntas, ab intellectu, & ab actibus eius, siue ab imperio, quod per se ipsum suā habet vim, quamuis requiratur, quòd præcedat applicatio, quam voluntas facit, vt dictum est.

Alijs aduersariorum calumnijs respond.

Prætereà nō obstant aduersariorum calumniæ contra responsionem datam. Quia siue cō stituatur hoc imperium, siue non, siue constituatur sub nomine iudicij practici, siue sub his verbis, *Fac hoc, elige hoc, Ambula, dilige, &c.* Aut quidquid sit de efficacia imperij : illud tamen certissimum est, quòd efficacia iudicij practici singularis, hîc & nunc, prouenit ab ipso intellectu, & à solo etiam intellectu. Quod sane iudicium singulare & practicum efficaciter mouet voluntatem ad operandum, ac proinde intellectus practicus etiam ex se habet hanc vim, seu efficaciam mouendi volūtatem, quando in tali statu constituitur. Ac proinde stante iudicio illo practico, & singulari, facta q; cōsultatione, quandò intellectus iudicat hic & nūc aliquid esse agendum, vel iudicat aliquam delectationem nunc esse amplectēdam, voluntas ad dilectionem illius rei, & amorem seu prosecutionem, aut electionem certissimē fertur, & quasi infallibiliter certitudine ordinis. Fauet etiam, quòd voluntas quamuis sit potentia actiua, & libera, tamen ante quam eligat, amet, vel diligat, est in potentia ad amandum hoc, vel illud bonum particulare: & consequenter, vt reducatur ad actum amoris, aut dilectionis respectu alicuius boni particularis eget aliquo motiuo, à quo actuetur, hoc autem motiuum non potest aliud esse quàm obiectum apprehensum, cognitum, & iudicatum. Si dicas, Conceptus boni apprehensi nō est forma specificans actum voluntatis, sed potius bonitas repræsentata per illum est ratio specificans: sed talis bonitas in conceptu mentis non habet verum esse reale, sed solum esse cognitū & apprehensum, ergo fieri nō potest quòd sit actiuè ratio & causa actus voluntatis, nisi tantùm per modum finis: sed contra. Primò. Quia ipsum practicum iudicium & apprehensio etiam practica obiecti cum notitia intellectus id habent per se, quòd integrant vnum principium simul cum voluntate, quod se habet veluti ratio agendi in ipsa voluntate, & vltra hoc, est ordo originis in processu & progressu istarum actionum voluntatis & intellectus, quia supponit voluntas in suis actionibus veram originem per se ex intellectu. Rursus etiam possemus obijcere contra aduersarios, quòd species intelligibilis hominis aut leonis continet leonem aut hominem, nō quidem in esse reali, sed solùm in esse cognito: & tamen species concurrit actiuè, tanquam ratio producendi intellectionem eiusdem hominis & leonis: ergo non dissimiliter bonitas illa cū apprehensione practica & iudicio eius potest esse ratio agendi & producēdi actiuè concurrens ad volitionē boni, seu amorē. Et sanè solutiones nōnullę, quæ ad hoc adducūtur minus vtiles sunt. Quod si inueniūtur loca, in quibus videtur S. Thom. dicere, quòd intellectus non mouet efficienter, dico esse interpretandum iuxta responsiones, quas sępe diximus. Vel, dicendum est, esse plura alia loca eiusdem Sanctissimi Præceptoris, in quibus censet esse rationem agendi in intellectu respectu actuum voluntatis, quæ quidem loca commemorantur à discipulis D. Thomæ simul cum illo qui habetur in 2. sententiarum distin. 24. quæst. 2. artic. 1. vbi Sanctus Thomas dicit, quòd ratio elicit actum voluntatis. Quæ verba nō possunt aliter habere proprium sensum, nisi quòd notitia practica existens in ratione practica concurrit vt ratio agendi simul cum voluntate ipsa, ad eliciendum actum voluntatis, & ad affectum & amorem. Quocirca Paulus Soncinas dicit se diligenter examinasse hanc controuersiam in doctrina D. Thomæ & hanc fuisse eius mentem.

Obijcies.

Contra obiectionem instatur.

D. Tho. 2. sentent.

Paulus Soncinas 9. Metaphy. q. 13.

Tandem, vt veritas nostræ assertionis amplius explicetur, obseruare oportet ex Philosophiæ principijs, quòd agens illud, quod vere producit specialem effectum, producit eum secundum substantiam, & secundum speciem, & secundum conditiones indiuiduantes in genere causæ efficientis, vt prima parte fusius diximus. Nam cum leo generat leonem, leo generans est principium actiuum geniti, non solùm quantum ad speciem, sed etiam quantum ad indiuiduales conditiones: neque oportet distinguere duas causas efficientes vel actiuas, vnam ipsius substantiæ, & alteram rationis specificæ. Quocirca in proposito dicimus, voluntatem simul cum sua ratione agendi esse veram causam actiuam volitionis suæ, & quantum ad substantiam, & quantūm ad speciem, & quantum ad conditiones particulares. Et non oportet distinguere, vt Caietanus voluit, principium actiuum substantiæ actus, à principio actiuo specificationis illius. Quia non est timendū vt Caiet. timuit, quòd si non distingueretur principium actiuū specificationis à principio actiuo substātię actus, sequereturvolitio

Nota ex Philosophia

nes omnes esse eiusdem speciei. Quia licet causa actiua, aut efficiens vna sit vtriusque, tamen obiecta formalia, à quibus specificantur volitiones sunt distincta. Potest esse aliquale exemplum ad rem hanc explicandam. Quia si res aliqua moueatur motu sursum, & motu deorsum, tunc tota actiuitas si se teneat ex parte illius, qui se mouet, aut quod se mouet, quamuis hoc ita sit, nihilominus duo illi motus specie differunt, quia termini, ad quos tendunt, specie differunt. Sic ergo volùtas in eo statu, in quo diximus actiue causat volitiones, & operationes suas, & quantum ad speciem, & etiam quantum ad conditiones indiuiduales, at verò bonum apprehensum per modum obiecti tantum seu finis, aut formæ causat speciem. Hæc est doctrina Sancti Thomæ, vel mens eius. Nam 1.2. quæst. 72. art. 3. ad 1. & 2. docet, quòd voluntas, quæ est principium actiuum actus humani, cum non sit determinata ad vnum, non sufficit ad producendos actus humanos, nisi determinetur ad vnum per intentionem finis, & idcirco ex fine, & obiecto perficitur esse, & species actus humani. De qua re lege Arist. 9. Metaphysicæ tex. 15. & 16.

D. Thom.

Appendix. Quòd voluntas à sola simplici apprehensione non moueatur: & quid dicant noui Theologi de voluntate malorum Angelorum, an præcesserit defectus in eorum intellectu.

EX dictis colligitur, voluntatem cum se mouet non pendêre solum à simplici rei apprehensione, neque hanc solam sufficere ad mouendam voluntatem, sed vlteriùs requiri iudicium de conuenientia rei & bonitate eius, siue explicitum & formale, siue implicitum, & virtuale. Hæc est sententia D. Thom. prima secundæ quæst. 9. artic. 1. ad 2. & in secundo sententiarum distin. 24. quæst. 2. artic. 1. & idem sensit Aristot. lib 3. de anima tex. 46. vbi dicit, quòd practicus intellectus mouet voluntatem ad agendum, sed non speculatiuus. Nam certum est, intellectum speculatiuum habere apprehensionem simplicem rei, & hanc solam non sufficere, & ideò Aristot. secundo de anima dixit, quòd ad illa, quæ in sola apprehensione sunt, habemus nos, sicut ad illa, quæ sunt in picturis, vbi terribilia nos non contristant, nisi accedat iudicium aliquod de imminente periculo. Quòd si sola apprehensio sufficeret, tunc si ista esset æqualis, omnia essent æqualiter appetibilia, vel fugienda. Nam æqualiter possumus apprehendere multa, & apprehendere miseriam vt bonam, & fruitionem vt malam, sed non æqualiter iudicare. Nam certè non appareret, cur non possit esse æqualitas apprehensionis, quia audita hac propositione, Miseria est bona, si non adsit iudicium apprehenditur sub ratione, sub qua enunciatur, nimirum sub ratione boni, imò verò si apprehensio præcisè sufficeret ad mouendam voluntatem sequeretur, quòd qui apprehenderet tanquam bonum, se interficere, quòd se libenter morti traderet. Rursus qui apprehenderet bonum esse se in mare proijcere, nihil omnino iudicando, si eodem modo apprehendit homo cordatus, sicut insanus, sequitur, quòd si sufficit simplex apprehensio rei ad mouendam voluntatem, quòd ambo æqualiter se haberent, sed homo cordatus, qui iudicat esse malum ratione illius iudicij id non facit. Insanus verò, quia iudicat esse bonum, id circo se ipsum proijcit in mare: igitur motio voluntatis non potest prouenire præcisè à sola apprehensione, sine iudicio.

Arist. li. 3. de Anima.

Moueor etiam, quia præcipua ratio, cur non potest quis nolle beatitudinem est, quia beatitudo non potest apparere sub ratione mali. Imò verò illa est vna ratio ex multis, cur beati non possunt nolle videre Deum. Sed si ad motionem voluntatis & ad volendum aliquid, sufficit sola & nuda apprehensio boni, aut mali, sequitur, quòd si apprehendantur beatitudo vt mala, & miseria vt bona, quod id sufficeret, quod est aperte falsum, nisi accedat iudicium de bono ad volendum, & de malo ad nolendum, aliàs posset prosequi miseriam, & odio habere beatitudinem, si hæc præcisè apprehendantur.

Proponitur argum. de Angelis.

Sed contra obijcies. Angelus cùm peccauit in secundo instanti non potuit sanè peccare, nisi ex simplici apprehensione, quia aliàs præcessisset error in eo, si habuisset iudicium: sed in Angelo nulla ratione potest admitti error ante peccatum: ergo. Et confirmari hoc potest de primo peccato Adami. Videtur enim, quòd peccauit ex simplici rei apprehensione, aliàs habuisset errorem in intellectu, si iudicasset priùs bonum esse comedere de ligno prohibito. Hæc obiectio longiorem postulabat controuersiam, & solutionem, quàm patitur locus iste. Sed nihilominus dicemus ea, quæ oportet, vt dissoluamus obiectionis propositæ difficultatem: & nonnulla alia ad repellendam aduersariorum sententiam.

Tenent quidam contra S. Thom.

Recentes Theologi, qui subuertere conantur scholam discipulorum Diui Thomæ, sentiunt in malis Angelis, & in primo homine fuisse peccatum in voluntate, non solùm sine errore, sed etiam sine vlla inaduertentia, & inconsideratione intellectus. Vnde tenent contra S. Thomam Theologiæ

Scholasticæ principē, quòd id quod Angelus appetiuit, dū primò peccauit, potuit esse malū moraliter, & quòd ob id potuit Angelus primò peccare, non solum ex parte modi appetēdi, sed etiam ex parte rei malæ, quam appetiuit, & quòd verosimile est eum sic peccasse. Fundamentum huius sententiæ est contrarium fundamento Sancti Thom. Dicunt enim quòd vt res, quæ est mala moraliter appetatur, neque est necessarium, vt iudicetur bona moraliter, neq; vt iudicetur bona simpliciter, sed satis esse si in ea conspiciatur aut existimetur ratio aliqua boni vtilis, honesti, aut delectabilis, ratione cuius appetatur v.g. vt fornicatio appetatur necesse non est, vt iudicetur bona moraliter, aut bona simpliciter, sed satis est vt se offerat intellectui vt delectabilis: ratio quippe boni delectabilis, quæ in ea elucet, sufficit vt appetatur. Quare absque vllo errore in intellectu potest quis appetere fornicationē eo ipso quod eius mēti repręsentetur vt bonum quoddam delectabile, sicut re ipsa est, esto simul iudicetur mala moraliter, & à Deo prohibita, & quòd ea appetitione homo fit indignus regni cœlestis, & dignus ęternis cruciatibus. Pari etiam modo sentiunt Angelum potuisse absque errore vllo in intellectu, appetere primo id quòd, erat malum moraliter, & quod videbat esse prohibitum à Deo, eo ipso quod in eo eluceret bonum honoris, aut quod aliud. Quia pro libertate, & arbitratu suo potuit Angelus præponere minus bonū maiori appetendo minus, & relinquendo maius, & hanc dicunt esse sententiam contra Sanctum Thomam, & opinionem Nominalium, Almayni, & Gabrielis, & aliorum, & Scoti etiā.

Existimatio plus est quam apprehensio, & ita est compositio: ac proinde sibi ipsis contradicunt recētes isti Theologi.

Almainus Gabriel & Scotus.

Dicunt vlterius recentes isti authores primum Angeli peccatum non fuisse etiam ex inaduertentia. Quia potissimum fundamentum discipulorum D. Thom. vt isti dicunt est, quia si ex inaduertentia non esset ortum sequeretur, quòd in intellectu Angeli præcessisset error, ipsum Angeli peccatum, sed hoc non est necessarium: igitur peccatum Angeli non fuit ortum ex inaduertentia. Secundò probant hoc. Quia in peccato ex inaduertentia vix tanta culpa potest intelligi, quantam cognoscere oportet in peccato illo, propter quod malus Angelus proiectus est à Deo, & punitus: & quantam superbia Angeli desertoris describitur habuisse. Tertiò probant. Quia par ratio est de Angelo, & de Adamo, & Eua primis parentibus, sed Eua non peccauit ex inaduertentia: siquidem diabolus proposuit illi, quasi hanc quæstionem & interrogationem. *Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis ex ligno? &c.* Adducunt D. Bernardum sermone primo de aduentu, vbi ex persona filij Dei, sic ait. *Noui in affectum malitiæ, & nequitiæ transijsse Angelos desertores, neque ex ignorantia aliqua seu infirmitate peccasse.*

D. Bernar.

Inter hos recentes Theologos nonnulli alij sentiunt Angelum habuisse affectum superbiæ, & præsumptionis arrogando sibi dona Dei supernaturalia, & appetendo ipsam beatitudinem ex suis viribus consequendam sine vllo errore omnino. Quia tam voluntas Angeli, quàm hominis potest moueri ad bonum & ad malum opus, ex sola simplici obiecti apprehensione & nuda propositione, absque vllo iudicio compositionis, aut diuisionis in intellectu. Nam cùm in simplici apprehensione non possit esse error vllus, fieri potest quòd Angelus peccauerit affectu superbiæ, & præsumptionis appetendo beatitudinem ex proprijs viribus absque vllo errore. Rursus eadem ratione dicunt fieri potuisse vt Angelus vel homo peccauerit appetitu superbo æqualitatis Dei secundum naturam, absque vllo errore in intellectu, quamuis non absque defectu. Defectus verò qui præcessit in intellectu in Angelo, fuit efficacius illa repræsentari, quæ ad peccatum mouere, quam ea, quæ à peccato retrahere debebant: & ita dicut isti potuisse Angelum apprehendere beatitudinem suam plenam, & absolutam, ac si conueniret sibi ex proprijs viribus, & hac ratione potuisse sibi complacere, sicut è contra potuit tristari, cernens se non posse reuera suis viribus illam adipisci. Et ita Angelus nullo errore deceptus peccauit, aut in hoc genere peccati, aut in alio simili. Vnde concludunt Angelum peccare potuisse circa beatitudinem, appetendo illam immoderate ex proprijs viribus, per solam simplicem apprehensionem, qua proponeretur illi beatitudo, eo modo, acsi adquisita fuisset proprijs viribus.

Impugnatio nouorū Theologorū circa modū operandi voluntatis.

SED profectò verisimum est peccatum Angeli fuisse ex appetitu superbo suæ beatitudinis: quia ex sententia Sancto Thomæ Diuus Bonauenturæ. Alexandri, Alberti Magni, Ægydij, & aliorum grauissimorum Theologorum Angelus peccauit ex superbo, & nimio desiderio suæ beatitudinis supernaturalis. Quia eam suis proprijs viribus adipisci concupiuit, siue expresse siue interpretatiue, propter inconsiderationem diuini auxilij, cui inniti debuerat, sicut dixit Ægydius. in 2. dist. 5. quæst. 1. artic. 2. & discipuli D. Thomæ. Imò verò addit Ægydius Angelum desertorem non tantum appetijsse beatitudinem proprijs viribus, sed etiam errore intellectus fuisse deceptum. Putat enim circa naturalia Angelum non posse errare, bene tamē circa supernaturalia obiecta. Idem videtur sentire Sanctus Thom. de errore intellectus Angeli mali, vel inconsideratione 1. par. quæst. 64. artic. 2. ad 3. & D. Bonauent. in 2. distinct. 7. 1. part. distinctionis, art. 1. q. 2.

S. Thom. Bonauent. Alexander Albertus Magnus & Ægydius.

Quia dicunt mansisse in dęmone primum peccatum, quo ad affectum, quo appetiuit suam excellentiam, non tamen quantum ad hoc vt crederet se posse illam consequi. In quo insinuatur Angelum malum prius habuisse errorem, quoad hoc, vt crederet se posse illam suā beatitudinem, & excellentiam consequi suis viribus.

Tamen istorum recentiorum sententia in eo quod affirmat voluntatē in suis actibus, & in electionibus suis atque operationibus siue bonis, siue malis non postulare nisi nudam, & puram, seu solam apprehensionem obiecti, nō mihi probatur. Rursus quod dicunt aliqui istorum, Angelum peccauisse non solum sine errore, sed etiam sine inconsideratione, aut inaduertentia, hoc nunquam mihi placuit, saltem quòd non peccauerint Angeli ex defectu considerationis, seu ex inconsideratione. Tandem displicet mihi, quod sentiunt recentes isti authores, in eo quod affirmant, quòd si Angelus malus appetiuit beatitudinem proprijs viribus, non tolùm, quia expresse aut interpretatiue voluit habere beatitudinem, non innitendo diuino auxilio, sed etiam ex errore, ignorantia, aut deceptione intellectus, quòd tùc illud singulare iudicium erroris, & ignorantiæ esset in Angelo contra fidem, faceretq; Angelum hæreticum. Putat enim author huius sentētię, quòd si peccator cum peccat iudicat fornicationem esse bonam sibi, hoc est delectabilem hic & nunc, quòd habet errorem contra fidē. Quæ omnia mihi displicent.

Quid primò displiceat.

Primò quidem displicet mihi dicere, Angelum peccauisse sine vllo defectu aut inconsideratione in intellectu. Nam quamuis Angelus non habuerit errorem positiuum in intellectu, tamen habuit defectum inconsiderationis. Hæc est doctrina D. Tho. q. 63. ar. 1. ad 4. vbi dicit peccatum in actu liberi arbitrij, posse dupliciter contingere, vno modo ex hoc quòd eligitur aliquod malum, sicut homo peccat eligendo adulterium, quod secundum se est malum. Et tale peccatum semper procedit ex aliqua ignorantia, vel errore, alias id quod est malum non eligeretur, vt bonum. Vnde adulter errat quidem in particulari, eligens hanc delectationem inordinati actus, quasi aliquod bonum ad nunc agendum, propter inclinationem passionis, aut habitus, quamuis in vniuersali non erret, sed veram de hoc teneat sententiam. Et hoc modo non potuit esse peccatum in Angelo. Quia neque in Angelis sunt passiones, quibus ratio aut intellectus ligetur aut obnubiletur, neque rursus primum Angeli peccatum potuit præcedere malus habitus ad peccatum inclinans. Altero modo contingit peccare per liberum arbitrium eligendo aliquid quod est bonum secundum se, sed non eligendo illud cum ordine debitæ mensuræ, aut regulæ: ita quod defectus inducens peccatum sit tolùm ex parte electionis, quæ non habet debitum ordinem, nisi ex parte rei electæ: Sicut si aliquis eligeret orare non attendēs ad ordinem ab ecclesia institutum, tunc quidem huiusmodi peccatum non prærequirit, neq; supponit ignorantiam, sed tantùm absentiam considerationis eorum, quæ considerare oportet. Et isto modo peccauit Angelus conuertendo se per liberum arbitrium ad proprium bonum absque ordine ad regulam diuinæ voluntatis. Et D. Thomas negat in Angelo præcessisse errorem, concedit tamen fuisse in intellectu eius, defectum inconsiderationis. Hæc est communis doctrina apud Sanctos patres, & apud D. Augustinum lib. 11. & 14. de ciuitate Dei, & nos egimus de hac re 1. p. q. 63. ar. 1. disp. 1. & ar. 2. disp. 3. vbi diximus Angelum nō habuisse errorem, præcessisse tamen primū peccatum Angeli, defectum practicum ex parte intellectus, & practicam inconsiderationem. Nam certè omnis defectus, qui est in actu voluntatis necessariò supponit aliquam imperfectionem in iudicio practico intellectus. Quia tota imperfectio voluntatis in eo consistit, quòd non bene conformetur suæ regulæ, hoc est quòd operetur, non bene posita regula: sed intellectus præstituit regulam voluntati per iudicium practicum & nō per solam apprehensionem: ergo ante quam voluntas deficiat, saltem prius natura supponitur aliquis defectus in intellectu, & in eius iudicio practico. Nam profectò eo modo operatur voluntas, quo dirigitur ab intellectu per iudicium practicum: ergo si nullus esset defectus in iudicio dirigente, nullus etiam esset defectus in voluntate. Quia voluntas est cæca, & in operibus suis illuminari, & dirigi debet ab intellectu: ergo quamuis verissimum sit Angelum non peccauisse ex errore aut ignorantia, tamen certissimum est peccauisse ex defectu considerationis: ergo primum Angeli peccatum præcessit ex parte intellectus aliqua inconsideratio practica. Quoniam primum Angeli peccatū præcessit aliquis defectus, sed ille non est error, neque ignorantia vt 1. p. ostendimus q. 63. ar. 1. & 2. ergò inconsideratio. Rursus electio voluntatis, qua Angelus elegit propriam excellētiam fuit peccatum, quia non est apposita regula superioris: sed hæc regula apponi non poterat, nisi per intellectum: ergo in intellectu Angeli fuit inconsideratio illius circūstantiæ, quā Angelus tenebatur aduertere, hic & nunc.

D. Thom.

D. Augusti.

Author 1. p. q. 63.

Quod verò recens quidam Theologus dicit, neque præcessisse defectum, neque vllum alium alicuius inconsiderationis in intellectu Angeli, non solùm mihi non probatur, sed vehementer displicet S. Thomæ, Cayetano, Alberto Magno, Ægydio, Durādo, Heruæo, Scoto, Capreolo. Imo verò Augustino 22. de ciuitate cap. 1. & Gregorio 34. moralium cap. 17. & 14. & lib. 3. cap. 18. & 23. videnſque hanc difficultatem author iste dicit Angelum potuisse peccare appetitu superbo æqualitatis Dei, secundum naturam absque vllo errore in intellectu, quamuis non sine defectu. In quo

D. Tho. Caiet. Albert. Magn. Ægydius. Durā. Hernæ. Scot. Capreol. D. Augusti.

autem

autem consistat iste defectus in peccato Angeli, aut in peccato cuiuscumque, explicat author iste dicens, in hoc consistere defectum in intellectu, quòd efficacius repræsentantur nobis illa, quæ ad peccatum mouere nos possunt, quàm ea, quæ à peccato nos retrahere debent. Sed profectò hoc nihil valet. Quia aliquando efficacissimè repræsentantur nobis multa, ad bonum, quæ tamen non sequimur, neque rapiunt voluntatem ad bonum, sed potius è conuerso sequimur ea quæ minus efficaciter repræsentatur nobis. Secundò quia si esset æqualis apprehensio, & repræsentatio vt potest cõtingere (maxime in opinione istorũ authorum) tunc si voluntas peccaret, etiã absq; defectu ex parte intellectus peccaret. Quia si illa apprehẽsio esset repræsentatio æqualis, tunc non efficacius repræsentarentur nobis, quæ ad peccatum nos mouere possunt, quàm ea, quæ à peccato retrahere debent. Tertiò. Quia repræsentatio obiecti, vel sumitur nuda, vt dicit solam relationem ad obiectum repræsentatum, & sic non est defectus intellectus in genere moris, neque est defectus practicus & moralis, sed solùm est relatio quædam. Vel sumitur simul cum discursu practico, aut cum iudicio intellectus, vel cum defectu consideratio nis, quam tenebatur perpendere & poterat & non fecit: & sic iste defectus non sumitur nisi ex parte intellectus & voluntatis, & non ex efficacitate obiecti apprehẽsi nuda, & præcisa: & sic habemus intentum: imò verò talis apprehensio tunc esset speculatiua purè, & illa efficacitas non proueniret nisi ex natura obiecti, & consequenter considerata vt sic non importaret eum defectum practicum, qui requiritur ex parte ipsius intellectus ad peccandum. Quo circa Arist dixit quòd ad ea, quæ sunt in apprehensione, habemus nos sicut ad illa, quæ sunt in picturis, vbi mors, & terribilia quæque nos non contristant, quantumcumque hæc habeant in repræsentatione multa, quæ videntur efficacissima: vt contingit quando cernimus ruinam, vel stragem depictam. Requiritur ergo ex parte intellectus aliquid maius, quàm sola apprehẽsio rei, aut quã sola repręsentatio nudè apprehẽsa præcisè, vt voluntas operetur & eligat siue bonum siue malum. Nam, vt supra diximus, si sola apprehensio sufficeret, omnia essent appetibilia æqualiter, vel fugienda, quia æqualiter apprehenduntur, saltem ad apprehensionem nulla videtur differentia, & ita defectus iste non sumeretur ab ipso intellectu. Imò verò grauiores Theologi censent defectum ex parte intellectus necessarium ad peccatum in voluntate, ita debere esse inconsiderationem in intellectu, vt illa sit practica & moralis, & vt minimùm interpretatiuè voluntaria, alias esset mera naturalis.

Vt voluntas operetur & eligat siue bonũ siue malum, nõ sufficit apprehẽsio ex parte intellectꝰ quæ sit speculatiua: sed requiritur practica.

Et ex his etiam constare potest quàm falsum sit id quod præfati recentes Theologi primo loco dixerunt, nempe voluntatem in suis actibus, & operationibus liberis, siue bonis, siue malis, non pendêre ab aliquo iudicio, aut discursu intellectus, sed solũ à nuda, & præcisa, atque simplici apprehensione obiecti, & intellectui protaci, cui pauca non sufficiunt multa non proderunt, vt dixit Concilium Arausicanum, cap. 25. Et sane S. Thom 1.2. q. 9. ar. 1. ad 2. satis apertè docet non sufficere simplicem, & nudam apprehensionẽ obiecti, sed requiri iudicium complexum circa obiectum de bonitate, & conuenientia eius, & quod sequendum sit id, quod proponitur. Quocirca non reputo sequendam esse Scoti sententiam in 2. dist. 6. q. 1. ad 3. principale. Qui loquens de peccato Angeli, putat Angelum per solam simplicem apprehensionẽ, qua diuinam æqualitatem apprehendit, sine vllo iudicio, aut sine vllo alio defectu inconsiderationis, & inaduertentiæ appetiuisse diuinam æqualitatem, & ob id appetiuisse illam sine errore vllo. Quia apprehensio nuda non facit errorem, nisi simul cum aliquo iudicio intellectus. Quam veritatem vt indubitatam, & certissimã semper docuit Sãctissimus Præceptor locis citatis, & etiam in 2. dist. 24. q. 2. art. 1. vbi probat hoc ex Arist. 2. de anima. tex. 154. vbi habetur quod ea, quæ nude apprehendimus, neque contristant, neque delectant, sed nos habemus ad illa sicut habemus etiam nos ad picturam in tabella sculptam. Sicut si video picturam nudè apprehẽdendo vel hominem celeriter equitantem, vel alium ensem habentem, non mouetur homo ad passionem aliquam, nisi aliquod habeam iudicium. Nam certè voluntas non mouetur nisi ad bonum, quod homo iudicat sibi esse aptum & conueniens: sed quòd res ita sit bona voluntati non potest teneri ex simplici, & nuda apprehensione tantum, sed iudicio sic iudicante illud esse conueniens sibi, & appetendum vel sequendum. Sola enim, & simplex apprehensio communis est bonis, & malis rebus. Quia res omnes apprehẽduntur sub ratione entis, & veri, sed voluntas non mouetur nisi à bono, & conuenienti sibi: ergo necesse est præter hanc nudam apprehensionem simplicem constituere iudicium de bonitate & conuenientia rei à voluntate sequẽda. Alias videtur si ex nuda hac apprehensione boni, & mali præcisè operaretur sine dictamine, de cõuenientia, aut disconuenientia eius, quòd tenderet voluntas in bonum, & malum simul, propterea quòd nõ sequeretur, nisi apprehensionem illam nudam, in qua possent bonum, & malum simul comprehendi sine iudicio de conuenientia, aut disconuenientia &c. Rursus bruta æqualiter apprehendunt herbas agri, sed cernimus quasdã carpere herbas, alias vero minime: ergo signũ est quòd prius habẽt iudiciũ, quo iudicãt has esse sibi cõueniẽtes, illas verò nõ itẽ. Quia aliàs omnes ore carperent indifferenter, liquidem omnes æqualiter apprehendunt sine distinctione, quantum est ex parte nudæ, & simplicis apprehensionis.

Cone. Arausic. Secũdũ circa tempora Leonis primi. cap. 25.

S. Thom. Scotus.

S. Thom. Arist.

Ratione probatur nõ sufficere nudã & solam apprehẽsionẽ, vt voluntas operetur siuè bene siuè malè.

Secũdò idẽ probatur.

Tertiò ex impugnatione modi dicendi aduerſariorum.

Mouetur ad impugnandam præfatam ſententiam. Quoniam modus explicandi aduerſariorum, quando dicunt voluntatem agere poſſe ſeu peccare ſine vllo iudicio præcedente practicè, & ſine errore, aut ſine inconſideratione ex nuda apprehenſione, non tamen abſq; defectueſt inſufficiẽs. Quia ſi petatur ab eis quid ſit iſte defectus moralis: ſineq; eſt error neq; inconſideratio, Reſpõdent defectum, qui ſemper precedit in intellectu hominis, vel Angeli peccantis, eſſe, efficaciùs repræſentari nobis illa, quæ nos ad peccatum mouere debent, quàm illa, quæ à peccato retrahere debent. Sed hic modus loquendi, vel ſolùm includit verba & non rem, vel non ſatisfacit difficultati, de qua agitur. Primò, quia efficaciùs repręſentari, vel fit ex vi ſolius nudæ apprehenſionis ſine vlla alia cognitione, diſcurſu, vel iudicio, vel fit ex vi apprehenſionis non nudæ, ſed cum iudicio aut diſcurſu. Primo modo fieri non poteſt, neque eſſe huiuſmodi maior efficacitas ex parte apprehenſionis intellectus. Quia illa eſt nuda pura, & præciſa apprehenſio, & non dicat aliquid, ratione cuius efficacius repręſentetur vnum, quàm aliud. Quia ad hoc ſimul requiritur cognitio compoſitiua, vel diſcurſus concluſiuus, vel iudicium practicum: ergo efficacius repræſentari nobis illa, quæ mouere nos poſſunt ad peccatum, quam ea, quæ à peccato retrahere debent ex præciſa & nuda apprehenſione, quæ vt nuda & ſimplex æqualis eſt, id fieri non poteſt niſi fiat ſimul cum cognicione compoſitiua, & cum iudicio, & diſcurſu cõcluſiuo: ergo nõ ſufficit nuda, & ſimplex apprehenſio, ad hoc vt voluntas moueatur in ſuis electionibus & operibus, ſed vlteriùs requiritur iudicium, & diſcurſus practicus, aut concluſiuus.

Itẽ quia voluntas cum ſit appetitus non apprehendit, neque exigit apprehenſionem in ſemetipſa ob eãdem rationem, nimirum, quia eſt appetitus, & inclinatio. Supponit tamen apprehenſionem in alia potentia ſibi ſocia, & amica, àqua pendet ex familiaritate naturæ, & àqua originem ducit, vt alibi diximus. Et cùm voluntas ſit cæca neceſſariò indiget dirigente eam, & illuminante, quæ directio non fit per nudam apprehenſionem præciſe, ac proinde actus voluntatis pendet in ſua determinatione non tantùm à nuda apprehenſione, quia hæc ſola non eſſet ſufficiens, ſed ab apprehenſione ſimul cum diſcurſu, & iudicio, & cum vera notitia, aut cognitione compoſitionis, vel diuiſionis. Fauet etiam quòd per apprehenſionem nudam optimè intelligitur obiectum eſſe prę ſens intellectui, ſed non voluntati proximè vt operetur: ergo cum voluntas ſit potentia cæca non ſufficit ſola, & nuda apprehenſio vt obiectum ſit proximè præſens voluntati, ſed requiritur vlteriùs cognitio, quæ eſt lumen actuale intellectus. Voluntas verò indiget illuminatione, vt dirigatur, & ducatur ad ſuã operationem. Neque ſufficit ſola illa nuda apprehenſio, ſed præſupponitur, & vlteriùs requiritur, vt diximus, ipſa cognitio, quæ fit per aliqualem diſcurſum, vel iudicium. Tandem authores oppoſitæ ſententiæ auferunt & tollũt omnem efficacitatem ſeu efficientiam ab obiecto apprehenſo, reſpectu voluntatis: quomodo ergo nunc dicunt quod efficacitas repręſentationis ipſius obiecti, nudè apprehenſi, eſt quæ facit plus voluntatem mouere alicuius ad peccatum, quàm ea repræſentatio, quæ debet à peccato retrahere? Nam interrogo, quid eſt iſta maior efficacitas repræſentationis ex parte obiecti nudè apprehenſi, ſi intellectus non aperit illam ſuo diſcurſu. Quia repræſentatio illa nuda nihil aliud eſt quam relatio, & hæc per ſe & vt talis eſt, non eſt efficacior, cum relatio non dicat efficacitatem per ſe loquendo.

Per ſolã apprehẽſionẽ obiectũ tantum eſt præſens intellectui non voluntati.

Authores iſti tenẽt alias quod obiectum apprehenſum nullam habet rationẽ agendi reſpectu amoris & affectuũ volũtatis q̃ quidem videtur eſſe cõtrariũ huic doctrinæ de efficacitate obiecti, quã modo dicũt

Vtrùm quãdo peccator peccat, iudiciũ, quod præcedit in intellectu, ſit contra fidem: & eſt ſermo etiam de homine verè Chriſtiano & Catholico.

POSTREMO loco mihi etiam diſplicet, quod recentes iſti Theologi dicunt. Quòd ſi in intellectu v.g. hominis, aut Angeli præcederet neceſſariò iudicium ante actum voluntatis malum, tunc illud eſſet iudicium erroris, & ignorantiæ in malo Angelo, & ita actus ille eſſet contra fidem, ac proinde faceret Angelum hæreticum. Putant enim authores prætati, quòd ſi peccator cum peccat, iudicat fornicationem ſibi eſſe conuenientem, & bonam, hoc eſt delectabilem hìc & nunc, quòd habet errorem in intellectu contra fidem. Sed profectò hoc vt dixi, mihi diſplicet. Quia poteſt eſſe error practicus circa obiectũ particulare proſequendum, vt illud voluntas eligat, quod reuera non eſt contra fidem. Imò verò ex hypotheſi, q̃ Angelus haberet errorem aliquem in intellectu practico circa operationem ſingularem & particularem non deberet eſſe neceſſariò contra fidem. Nam S. Thom. 2.2.q.162.art. 4. ad 1. quem aduerſarij allegant contra ſe ſub forma verborum ſequentium affirmat, præſumptionem, qua quis præſumit ſe habere bonum, quod non ſit à Deo, vel gratiam ſibi cõceſſam ex meritis (nõ quidem iudicando poſitiuè, & abſolutè & ſpeculatiuè hæc bona non eſſe à Deo, aut gratiã ex meritis proprijs ſibi donari, quia hoc eſſet contra fidem: ſed quòd ipſa præſumptio includat iudicium practicum, quo quis inclinetur ad præſumptionem voluntariam, quia amat præſumere) non eſſe neceſſario coniunctam cum errore contra fidem. Quia error contra fidem eſt exiſtimatio vniuerſalis, ſeu ſpeculatiua, non autem exiſtimatio ſingularis. Nam

ſiquis

Error practicus intellectus circa obiectũ singulare nõest error contra fidem.

S.Thom.

siquis existimaret speculatiuè gratiam vel hãc gratiam nobis dari ex meritis nostris,aut non omne bonum esse à Deo,tunc erraret contra fidem,& illud iudicium esset erroneum cõtra eamdem fidem. Verbi gratia, siquis iudicaret in vniuersum & speculatiuè fornicationem esse bonam,esset infidelis:si autem iudicaret practicè & in casu indiuiduo,& particulari bonũ sibi esse accedere ad mulierem pulchram, & bonum delectabile maximè sibi conueniens, tale iudicium non esset contra fidem. Et eamdem sententiam & doctrinam tradit S. Tho. 2.2. quæst. 20. artic.2.in corpore, & ad 2.vt ostendat desperationem posse esse sine infidelitate.

Argumentãtur authores oppositæ sententiæ.

Dissoluitur argum. & optima doctrina proponitur.

Authores oppositæ sententiæ, qui omnia conãtur cõtradicere,dicũt difficile esse excusare ab errore cõtra fidẽ, illud singulare iudiciũ practicum,sicut iudicium vniuersale, & speculatiuum, si sub eadem ratione vtrumque habeatur. Sed profectò mirabile est quod tam leuiter decipiantur. Nam nemo sanæ mentis dicet Christianum verè profitentem fidem, ex eo,quòd committat peccatum fornicationis, aut furti peccare contra fidem diuinam, aut habere expressum errorem contra eandẽ fidem. Quia iudicium illud v.g.de accessione ad mulierem pulchram,aut diuitem,vel nobilem,cum quis iudicat accessionem illam esse sibi delectabilem, aut conuenientem hîc & nunc, tale inquam iudicium non est contra fidem. Vnde pessimè argumentantur aduersarij carpentes hanc veritatem,quando ita obijciunt.Si quis iudicaret fornicationem esse bonam,hoc est,esse honestam,& secundum rationem,non tantùm peccaret contra fidem iudicans hoc in vniuersum,sed etiam peccaret contra fidem,si iudicaret hoc de singulari fornicatione. Quod sanè verisimum est,sed non ad propositum.Quia iudicium speculatiuum nõ solũ in communi potest esse contra fidẽ, sed etiã quãdo iudiciũ est de aliquo singulari,si eodem modo ferantur,& sub eadem ratione. Et ita hoc iudicium singulare, hæc fornicatio est bona, honesta, & mihi licita,sine dubio esset contra fidem: sicut iudicium illud vniuersale speculatiuum esset contra fidem,nimirum,fornicatio est licita,bona,& honesta, & secundũ rationem. Iudicium autem,quod nos dicimus non esse contra fidem,illud est, quod catholici peccatores communiter habent,nempe, bonum delectabile à me appetendum, est accedere ad hanc mulierem pulchram, nobilem, vel diuitem.Nam si quis dicat fornicationem esse delectabilem,nihil aliud iudicans,nõ errat contra fidem:& pari ratione si de hac singulari fornicatione sub eadem ratione dicat, hanc fornicationem cum pulchra muliere esse bonum delectabile,& esse delectabilem,& iucundã sibi,nihil dicit contra fidem. Imò verò ita est quod est bonũ delectabile talis fornicatio, & iocunda illi.Et pari ratione in peccato præsumptionis. Nam si quis dicat per vniuersale iudicium,vel gratiam concedi ex meritis, vel hãc gratiam iustificantem de facto sibi esse cõcessam ex proprijs meritis,in vtroque iudicio erraret contra fidem,& vtrumque esset speculatiuum.Non dissimiliter atque si quis iudicaret, se posse suis viribus consequi beatitudinem,& gratiam. Quia fides eodem modo docet in vniuersum nullam creaturam sibi sufficere ad consequendam suam beatitudinem, aut ad promerendam sibi gratiam Dei ex suis viribus: neque in vniuersum posse hoc facere neque in particulari, & qui contrarium diceret eodem modo erraret. Sed siquis appetendo propriam excellentiam, vltra modum sibi conuenientem diceret,mihi est iucundum presumere de mea iustitia,vt de ieiunio,de eleemosyna,de administratione iustitiæ, veluti Iudæus ille,qui ieiunabat bis in sabbatho,& præsumebat de sua iustitia,& sanctitate cõtra Publicanum,vt in Euangelio habetur, non haberet iudicium infidele contra fidem:bene tamẽ si iudicium includeret per se propositionem speculatiuam hæreticam. Quia tunc tale iudicium esset contra fidem,imo hæreticum, siue esset vniuersale,siue particulare.

S.Thom. D. Gregor.

Ad vnguẽ proponũtur & examinãtur verba D. Thomæ.

Sed quoniam isti authores allegant Diuum Thomam pro se vt superiùs diximus, recitantes testimonium Sanctissimi Præceptoris, sicut ab eis commemoratur & allegatur,idcirco,vt meliùs contra eos procedatur, volo S. Thomam eiusque sensum purum & verba in medium proponere, vt multò meliùs sit explosa sententia aduersariorum, & vt ab omnibus repellatur. Igitur S. Thom. 2. 2. quæst. 162. artic. 4. agit de speciebus superbiæ à D. Gregorio alsignatis lib.23. moralium cap. 7. inter quas species enumerat præsumptionẽ. Dicit igitur Sanctissimus Præceptor ex Sanctissimo Gregorio Summo Ecclesiæ Pontifice.*Superbiam importare immoderatum excellentiæ appetitum, qui scilicet non est secundum rationem rectam,ac proinde appetitum superbi tendere in excellentiam propriam vltra modum sibi conuenientẽ,quod potest fieri vel ex parte boni habiti, & possessi,vel cum quis attribuit sibi maius bonũ,quàm habeat.Vel ex parte causæ,pro vt scilicet excellentius est quòd aliquod bonum insit alicui à se ipso, quam quòd insit ei ab alio:& ideo cum aliquis æstimat bonum,quod habet ab alio,ac si haberet à se ipso,fertur per consequens appetitus eius in propriam excellẽtiam supra suum modum:in quibus omnibus appetitus fertur inordinatè in propriã excellentiã.* Et cum hæc & alia dixerit in corpore articuli; deinde, vt dissoluat primum argumentum mirabilem, & certissimam tradit Doctrinam. Est enim argumentum S. Thom. contra id, quod D.Gregorius 1. & 2. loco de speciebus superbiæ dicit,*Cum homines bonum, aut à semet ipsis habere se æstimant,aut sibi datum desuper, credunt,pro suis hoc accepisse meritis.* Et est tale argumentum.*Superbia est vitium distinctum ab infidelitate,sicut etiam humilitas est virtus distincta à fide:Sed quod aliquis æstimet bonum se nõ habere*

à Deo, vel quod bonum gratiæ habeat ex meritis proprijs, ad infidelitatem pertinet: ergo non debet poni ſpecies ſuperbiæ. Hoc eſt argumentum D. Thomæ. Sequitur eius doctrina, & ſolutio ad primum, vbi ſic ait. *Ad primum ergo dicendum, quòd vera æſtimatio poteſt dupliciter corrumpi. Vno modo in vniuerſali: & ſic in his, quæ ad fidē pertinent, corrumpitur vera æſtimatio per infidelitatem. Alio modo* (nimirum, corrumpitur vera æſtimatio) *in aliquo particulari eligibili: & hoc non facit infidelitatem. Sicut ille, qui fornicatur æſtimat pro tempore illo bonum eſſe ſibi fornicari: nec tamen eſt infidelis, ſicut eſſet ſi in vniuerſali diceret, fornicationem eſſe bonam,* (Intellige bonam, hoc eſt, licitam, aut non repugnantem rationi). *Et ita etiam eſt in propoſito*, nimirum argumento. *Nam dicere in vniuerſali aliquod bonum eſſe, quod non eſt à Deo, & gratiam hominibus pro meritis dari, pertinet ad infidelitatem: ſed quòd aliquis ex inordinato appetitu propriæ excellentiæ ita de bonis ſuis glorietur, ac ſi ea à ſe haberet, vel ex meritis proprijs, pertinet ad ſuperbiam, & non ad infidelitatem propriè loquendo.* En candide lector, quo pacto iuxta ea, quæ diximus conſequenter noſtram doctrinam confirmet S. Thomas, iuxta modum à nobis explicatum. Et quo pacto neget iudicium practicum ſingulare, hominis actu peccātis, de re illa, quam elegit ſibi, vt iucundam, vel vtilem, vel ad propriam excellentiam conducentem, eſſe iudicium infidele, aut contra fidem. Quod quidem idem Sanctiſsimus Præceptor videtur confirmare expreſſe in eadem 2.2. quæſt. 20. art. 2. vbi agit de deſperatione; & quæſt. 21. vbi agit de præſumptione, & dicit, præſumptionem cauſari ex inani gloria.

Sed mirabilis eſt doctrina eius pro præſenti noſtro inſtituto, quam tradidit antea quæſt. 20. citata art. 2. in corpore & in ſolutionibus argumentorum. Vbi argumentatur non poſſe quemquam deſperare abſque eo, quòd incidat in infidelitatem, & abſque æſtimatione contra fidem, ex eo quòd certitudo ſpei deriuatur à fide, ac proinde quòd non poteſt aliquis amittere certitudinem ſpei deſperādo, niſi fide ſublata. Quia manente cauſa non tollitur effectus, ac proinde manente fide ſequitur non poſſe hominem deſperare, niſi ſublata fide, & fundamento ſpei. Huic tamen argumento & obiectioni reſpondet S. Thomas ſupponēdo poſſe hominem peccare contra ſpem remanente fide, ac proinde quòd quicumque deſperat nō ob id eſt infidelis in iudicio, quod habet. Nam ſpes eſt poſterior fide, & remoto poſteriori non remouetur prius. Supponit ſecūdò quòd infidelitas pertinet ad intellectum, deſperatio verò ad voluntatem, & quòd intellectus eſt vniuerſalium, facultas verò appetitiua mouetur circa res particulares. Quia motus appetitiuus eſt ab anima ad res, quæ in ſe ipſis ſunt particulares. Supponit tertiò poſſe contingere, quòd aliquis habeat rectam exiſtimationē in vniuerſali, circa motum appetitiuum, & quòd non recte ſe habeat in particulari. Vnde aliquis habens rectam fidem in vniuerſali deficit in motu appetitiuo circa particulare, corrupta in particulari eius æſtimatione per paſſionem, vel per aliquid aliud. Sicut ille, qui fornicatur eligendo fornicationem, vt bonū ſibi hic & nūc, habet corruptāeſtimationē & in particulari, cùm tamen retineat vniuerſalem æſtimationem veram ſecundum fidem, nimirum, quòd fornicatio eſt mortale peccatum, & mala moraliter. Et ſimiliter in propoſito fieri poteſt, vt aliquis retinendo in vniuerſali veram æſtimationem fidei, videlicet, quòd in eccleſia eſt vera remiſsio peccatorum patiatur motum deſperationis, ita quidem quòd ſibi in tali ſtatu exiſtenti non ſit deſperandum de venia, corrupta æſtimatione eius circa particulare, & per hunc modum poteſt eſſe deſperatio ſine infidelitate, ſicut & alia peccata mortalia. Quo ſuppoſito reſpondet Sanctiſsimus Præceptor, quod ſi quis in vniuerſali eſtimaret miſericordiam Dei non eſſe infinitam eſſet quidem infidelis: hoc tamen non exiſtimat ille, qui deſperat, ſed ſolum putat, quòd ſibi in ſtatu illo propter aliquam particularem diſpoſitionem, non ſit ſperandum de diuina miſericordia hîc & nunc. Et per hoc diſſoluitur propoſita obiectio, & diſſoluuntur etiam argumenta omnia, quæ ab aduerſarijs in hoc puncto commemorantur. Imò vero ex hac eadem doctrina ſatis aperte conſtat, quo pacto æſtimatio circa ſingulare non eſt contra fidem, & quo pacto iudicia practica, & ſingularia, quæ habent peccatores cum peccant, ſiue fornicando, occidendo, aut furando, non ſunt contra fidem, neque reddunt eos infideles, aut hæreticos. Sed perpendere oportet, quòd ſi peccator haberet alio modo iudicium, quàm eo, quo communiter peccatores cùm peccant, dicuntur errare, tunc ſane ſi iudicium v. g. includeret per ſe, & directe propoſitionem contra fidē redderet eos in fideles. Vt ſi Paulus diceret, fornicationes & adulteria, quæ â me fiunt bona & honeſta ſunt, & non contra rationem, & non ſunt peccata, ſed licitè perpetrantur à me hic & nunc. Sed certè nunquam tale iudicium neque ſimile habent peccatores fideles cum peccant.

Poteſt quis remanente fide contra ſpem peccare.

Benè ſtat ꝙ aliquis indicet miſericordiā Dei eſſe infinitā & tamen in particulari de diuina miſericordia non ſperet.

Per hæc, quæ diximus in ſuperioribus patet ſolutio ad obiectionem de Angelo, qui videtur peccaſſe ex ſimplici apprehenſione. Quia ſi non peccaret ex ſola, & nuda apprehenſione, ſed ex iudicio, ſequeretur quòd præceſſiſſet error in intellectu Angeli. Et eadem obiectio fit de peccato primi parentis cùm primùm peccauit: videtur enim peccaſſe ex ſimplici rei apprehenſione. Nam ſi prius iudicaſſet bonum eſſe comedere de ligno prohibito, ſimiliter ſequeretur quòd in illo ante peccatum fuit error, & defectus prauæ diſpoſitionis. Dicendum eſt enim quòd peccauit Angelus per inconſiderationem, & ita fuit in intellectu eius defectus non erroris, ſed inconſide-

Ad obiectionem de Angelis ſupra poſitam reſpōdetur iā.

rationis.

Bartholom. Medina.

rationis. Bartholomæus Medina 1.2. quæst. 9. artic. 1. in fine arbitratur non esse inconueniens dicere Angelum cum peccauit habuisse practicum errorem in intellectu: quia errant omnes qui operantur malum, & omnis prauus est ignorans. Ex quo, dicit ille, non sequitur quòd fuerit error ante peccatum, quia prædictus error practicus etiam pertinet ad ipsum primum peccatum. Quia quando quis furatur sine dubio errat, hic tamen error non imputatur tanquam nouum & distinctum peccatum, sed constituit vnicum, & idem peccatum, vt dictum est.

Non est in intellectu Angeli constituendus error: sed tã tum practicus defectus.

Sed profecto non debemus constituere errorem in intellectu Angeli, vt aliàs ostendimus 1. part. quæst. 63. artic. 1. & artic. 2. sufficit constituere inconsiderationem, seu defectum practicum. Sed interrogabit aliquis de hoc defectu practico, seu practica inconsideratione, quæ ordine naturæ præcesserit primum Angeli peccatum, quomodo fuit Angelo voluntaria, siquidem præcesserit in intellectu priùs natura? & de hac re sentiendum est practicam illam inconsiderationem fuisse Angelo voluntariam, saltem interpretatiue. Quia aliàs talis inconsideratio non haberet nisi rationem puræ negationis. Rursus si inconsideratio ista non esset voluntaria, esset tunc mere naturalis, ex quo vlteriùs sequeretur quòd operatio voluntatis inde secuta, non esset mala moraliter. Sed interrogabis vlteriùs à qua operatione voluntatis inconsideratio illa dici potuit voluntaria? an ab illa operatione voluntatis immediatè secuta, quæ inconsiderationem ipsam sequebatur, & fuit prima operatio mala, seu primum peccatum Angeli? vel vtrùm fuerit voluntaria ab alia operatione voluntatis præcedente inconsiderationem ipsam? Et in hac re sunt qui putent inconsiderationem illam esse voluntariam ab operatione voluntatis consequente immediatè post; quatenus voluntas per illam operationem poterat non sequi iudicium inconsideratum, & applicare intellectum, vt formaret nouum iudicium plenariè circunspectum, & consideratum. Allegant isti Sanctũ Thomã prima secundæ quæst. 57. artic. 1. ad 3. &. 3. contra gentes cap. 10. circa finem. Sed profecto quantum ego sentio, neque id docet Sanctus Thomas locis citatis, neque est vera istorum doctrina. Quoniam si iudicium practicum inconsideratum pro vt antecedit operationem voluntatis, esset pure naturale & necessarium; vix explicari posset, quo pacto operatio voluntatis, quæ sequitur illud iudicium esset moralis & libera, cùm necessariò consequeretur ad ipsum finem. Præterea, nulla ratio verosimilis posset assignari, cur in Angelis bonis iudicium fuerit plenè cõsideratum, in malis verò inconsideratum, si in consideratio tribuitur naturæ, & non voluntati; cum tamen natura in vtrisque fuerit perfecta.

Dubitatio an & quomodo ille practicus defectus intellectus sit voluntarius Angelo.

Sentiunt alii quì esse volũtarium ab operatione consequẽti.

Impugnantur.

Alia igitur est solutio aliorum Theologorum, quòd inconsideratio illa dicitur voluntaria ab operatione voluntatis, quæ fuit primum peccatum Angeli. In quo conuenit hæc sententia cum priori: sed dissidet ab ea in eo, quòd hi Theologi censent illam voluntatis operationem esse posteriorem prædicta inconsideratione in vno genere causæ, in alio verò fuisse priorem. Nam certè illa fuit posterior in genere causæ formalis, eo quòd iudicium practicum inconsideratum fuit regula, & mensura illius operationis voluntatis: mensura autem, & regula ad genus causæ formalis reducuntur. Fuit tamen prior in genere causæ efficientis & motiuæ, quia ipse actus voluntatis, quatenus erat intentio finis propriæ excellentiæ, fuit causa motiua inconsiderationis, seu potiùs iudicij inconsiderati, cuius dictamen erat vt hic & nunc voluntas exerceretur in dilectione propriæ excellentiæ Angeli, cessando à subiectione regulæ superioris. Et quamuis hæc cessatio non expressè dictaretur, in eo tamen, quòd non proponebatur subiectio ad regulam, & proponebatur esse operandum circa propriã excellentiam, cum iam præcessisset promulgatio diuinæ legis, imo & acceptatio eius in primo instanti creationis: voluntaria fuit huiusmodi inconsideratio, & quasi interpretatiuè dictabat iudicium illud Angeli peccantis, nempe, non oportere illum subijci diuinæ regulæ, sed permanere in se ipso absque vlla subiectione. Itaque ex eo, quòd voluntas afficiebatur ad propriam excellentiam, tanquam ad vltimum finem, ipsa est, quæ applicabat, & mouebat virtualiter intellectum ad iudicandum practicè cum illa inconsideratione finis supernaturalis. Sed de hac re qui plura videre desiderat, legat quæ nos diximus, 1. p. locis citatis.

Aliter respõdetur & explicatur quo modo in diuerso genere causæ iudiciũ fit prius & posterius quàm operatio peccaminosa Angeli.

CONCLVSIO QVARTA.

Cõclusio 4.

Dico quartò. Voluntas nunquam determinatur ad actum liberum hic & nũc, nisi præcedat in intellectu practicum iudicium, quo hic & nunc omnibus pensatis definiat hoc esse homini eligendum. Non moror an hoc debeat esse imperium, quod explicatur his vocibus, *fac hoc, elige hoc*: vel an debeat esse iudicium conclusiuum, seu definita sententia, qua ex collatione, & conferentia intellectus dicat hoc esse eligendum hic & nunc. Hæc assertio sequitur ex superioribus, & est Diui Thomæ & totius scholæ sanctissimi præceptoris, quam tenet etiam Diuus Bernardus in libello illo de gratia, & libero arbitrio. Vbi ait. *Habet voluntas quocumque se voluerit, semper comitem rationem, non quòd semper ex ratione, sed quòd nunquam absque ratione moueatur.* Et iterum eodem libro: *Est ratio data voluntati vt instruat illam, non vt destruat. Destrueret autem si necessitatem vllam imponeret,*

D. Thom. D. Bernar.

quominus

quominus pro arbitrio ſuo ſeſe velueret. En quo pacto ex ſententia Diui Bernardi ratio data eſt voluntati, vt inſtruat illam: inſtructio autem non eſt per nudam apprehenſionem, ſed per diſcurſum, aut per definitionem, aut per cognitionem compoſitionis, vel diuiſionis, aut per definitam ſententiam, ſeu iudicium de re agenda, & de conuenientia eius: ergo voluntas pendet in ſui determinatione ab inſtructione rationis, & iudicio eius. Quod vero dicit Diuus Bernardus: *Non vt deſtruat illam, aut vt neceſsitatem imponat, quo minus pro arbitrio ſuo ſe voluat*: id nos etiam affirmamus, nempe, voluntatem à iudicio rationis ita determinari, vt eius determinatio ſit libera, & iuxta conditionē eiuſdem voluntatis. Quia pendet à iudicio illo rationis vt operetur, ſed ita pendet, quòd cum determinatur, ita ſit determinatio hæc, vt cum ſuo modo libero determinetur, & non cum modo neceſſario, ſicut determinatur appetitus in animalibus, & brutis, in quibus nulla eſt radix contingentiæ, aut in iudicio eorum, aut in appetitu ipſorum, directo & moto à iudicio ſenſitiuo aliàs à natura infixo. Hac enim ratione, neque mouetur voluntas, ſed ſuppoſito intellectu cum indifferentia eius, & iudicio ex collatione & conferentia facto, ſequitur operatio, & electio voluntatis. Hanc tradit ſententiam S. Thom. 1. 2. quæſt. 9. artic. 1. & in ſolutione ad 2. & in 2. ſententiarū diſtinctione 24. quæſt. 2. artic. 1. Hanc etiam tenent Caietanus, Ferrara locis citatis & communiter diſcipuli Diui Thomæ in ſchola eius eam defendunt. Bellarminus etiam tomo tertio de gratia, & libero arbitrio lib. 3. cap. 8. propoſitione 6. vbi ait electionem voluntatis, neceſſario pendere ab vltimo iudicio rationis practicæ. Eamdem ſententiam ſequuntur Capreolus locis citatis, Chryſoſtomus Iabellus 9. Metaph. quæſt. 4. & Paulus Soncinas 9. Metaph. quæſt. & S. Thom. 1. part. quæſt. 83. artic. 1. & 1. 2. quæſt. 77. art. 2. Caietanus in commentario Conradus etiam 1. 2. in prædictis locis ſuper D. Thom. Bartholomæus Medina 1. 2. quæſt. 9. art. 1. dubio vltimo, & pro hac ſententia citatur Ariſt. ab omnibus authoribus 3. lib. de anima textu 46.

D. Thoma.

Caietanus. Ferrara. Bellarmin⁹

Capreolus. Iabelus. Paulus Soncinas. Conradus. Medina. Ariſt. 3. li. de anima text. 46.

Fundamentum huius ſententiæ & aſſertionis poſitæ eſt, quòd voluntas ferri non poteſt, niſi ab intellectu dirigatur: directio autem non eſt per ſolam & nudam apprehenſionem, quæ nihil dictat, vt eſt nuda apprehēſio, ſed præſupponitur ad hanc directionē: ergo voluntas in ſua determinatione pendet neceſſariò à iudicio rationis, ſiue hoc fiat per dictamen aliquod, ſiue per propoſitionem de conuenientia obiecti, & mediorum, ſiue per diſcurſum concluſiuum, aut per imperium. Nam certè voluntas ferri non poteſt niſi in obiectum cognitum, & per rationem propoſitum, cum ipſa ſit appetitus rationalis. Voluntas enim non ſolùm eſt appetitus liber, ſed appetitus rationalis ſimul, & vtrumque conuenit inſeparabiliter ipſi voluntati, ac proinde obiectum eius proximum eſt bonum, vel apparens bonum à ratione demōſtratum, & propoſitum voluntati cum quodam ordine ad electionem pro explenda intentione, & conſecutione finis: ergo donec ratio determinate iudicet quid eligendum ſit non poteſt voluntas eligere: aliàs tenderet in obiectum incognitum. Nam cognitio vera ſicut & directio non eſt ſita in ſola apprehenſione: per puram enim apprehenſionem nondum cognoſcitur, neque iudicatur, vtrum res ſit talis, vel non ſit, & an ſit conueniens medium vt eligatur ad conſecutionem finis vel non ſit: ergo cum intellectus ſit indifferens, donec determinetur per iudicium ſuum, voluntas non ſe determinabit. Et hæc eſt cauſa cur Ariſt. 3. Ethicorum, cap. 2: vocauit electionem appetitum intellectiuum, & appetitum præconſiliati, & cur D. Auguſt. 8. de Trinitate cap. 4. dixit neminem poſſe amare incognitum, ac proinde ſine actu rationis nulla poteſt eſſe electio. Volūtatis enim obiectum eſt bonum apprehenſum, & iudicatum conueniens. Quo circa ſi voluntas aliquid vellet ſine præcedente cognitione, & iudicio operaretur ſine obiecto proximo, & apto, quòd fieri nulla ratione poteſt: igitur voluntas non poteſt velle aliquid, ſine præcedente iudicio rationis: ergo ſimiliter ſi libertas actionum voluntatis naſcitur non ſolùm ex libertate voluntatis, & ex habitudine intrinſeca ad ipſam, ſed etiam naſcitur tāquam ex vero principio, & origine ſeu radice ex indifferentia intellectus ſequitur quòd ſi iudicium ſit indeterminatum, & ipſa voluntas erit indeterminata, ſi verò iudicium determinatum ſit & ipſa determinata erit. At quando ipſa eligit, & operatur iam eſt determinata: ergo eius determinatio pendet à iudicio ipſius rationis, & intellectus. Et confirmari hoc poteſt quia quidquid homo agit, propter aliquem finem illud agit, ac proinde fieri nequit, vt moueatur ad eligendum aliquid, niſi ratio dictet illud eſſe medium conueniens ad finem propoſitum, quem intendit. Probari etiam poteſt hæc aſſertio ex omnibus argumentis ſuperiùs factis non longe à principio huius quarti diſcurſus, cum retulimus ſententiam Cardinalis Belarmini, quæ iterum repetenda non ſunt, ſed legat ea eo loci candidus lector.

Ariſt. 3. Ethicor. D. Aug. 8. de Trinit.

Propoſita cōcluſio probatur.

Rurſus aſſertio hæc, quæ à nobis poſita eſt militat contra recentes aliquos Theologos, qui putant voluntatem in ſuis actibus non dependère à iudicio rationis. Verum eſt D. Bonauenturam 2. tomo opuſculorum tractatu de myſtica Theologia quæſtione vnica ſenſiſſe, poſſe contingere non ſolum operationem aliquam voluntatis, ſed etiam perfectiſſimam quamquam eiuſdem voluntatis operationem in ſtatu huius vitæ poſſe eſſe ſine intellectione, aut obiecti propoſitione vlla. Et vt

D. Bonauentura.

D. Dionys.

hoc ostendat adducit D. Dionysiũ de mystica Theologia cap. 1. dicentem: *Tu autem Timothee charissime, pro maxima mysticorum spectaculorum exercitatione, qua vales, prætermitte & sensus, & mentis actiones, eaque omnia, quæ sub sensum cadunt, & animo cernuntur, & quæ non sunt, & quæ sunt, omnia, teque ad eius, qui omnem essentiam, omnemque scientiam superat, coniunctionem & vnitatem pro virili parte clam excita.* Et in eodem capite interum inquit, *Tumque demum, & ab his, quæ cernuntur, & ab ijs, quæ non cernuntur, liberatur, & in verè mysticam ignorationis caliginem irrepit, in qua omnia cognitionis subsidia deponit, atque in eo fit qui penitus tractari viderique non potest totus, eius qui superat omnia, nec vllius, nec suus, nec alterius, sed ei, qui omnino incognitus est, omnis cognitionis cessatione præstantiori modo coniunctus, atque hoc ipso, quòd nihil cognoscit, mentem etiam cognoscendo vincit, & super it.* Præterea idẽ Diuus Dionysius 7. cap. de diuinis nominibus, vocat sapientiam, quam de Deo habemus, irrationabilem & stultam, Sed hoc non alia ratione dicipotest, nisi quia vera sapientia, quæ in amoris diuini affectu consistit, sine ratione, & cogitatione alicuius rei est. Et ex his locis Diui Dionysij colligit Diuus Bonauentura sententiam suam cum dicat Dionysius: *Tunc hominem perfectissime Deo coniungi, & vniri, cùm relicta omni cognitione, & scientia, tam rerum spiritualium quàm corporalium ipsi coniungitur, & depositis omnibus præsidijs cognitionis, in illam caliginem ignorationis se ipsum excitat.*

Fauet Bonauenturæ, quòd amor non pendet ita essentialiter à cognitione vt sine illa esse nequeat vllo modo, & saltem per potentiam Dei absolutam fieri potest, quia in hac re nulla apparet contradictio. Quod si fieri potest hoc aliquando, non est cur negetur hoc in statu huius vitæ perfectis hominibus, aliquando concessum fuisse. Hoc potest confirmari: quia Deus conseruare valet in anima amorem semel elicitum: ergo similiter potest facere, quòd à principio sine amore eliciatur. Nam certè posse amorem semel productum à voluntate præuia cognitione conseruari dein ceps sine cognitione, nõ inuoluit cõtradictionem, neque apparet in hac re qualis sit contradictio.

Sed propter hæc argumenta non est deserẽda veritas. Nam D. Dionysius locis à me citatis tantum agit de modo, quo Deus cognoscitur à nobis, & vnum modum appellat ille ignorationem, quando nimirum Deus cognoscitur per negationẽ eorum, quæ scimus & videmus. Quia Deus neq; est homo, neq; Angelus, neq; sol, neq; cœlũ, neq; terra, neq; elementa &c. imò verò D. Dionysius negat illa omnia, quæ communiter dici solent de Deo, vt à nobis concipiuntur, & cognoscuntur. Quia vt à nobis cõcipiuntur, non cognoscuntur sine imperfectione, & ità sub hac ratione non conueniũt Deo. Quẽ modũ cognoscendi Deũ appellat D. Dionysius doctã ignorationẽ. Quia ignoramus quid sit, scientes tamen ipsum esse. Quãdo igitur D. Dionysius exhortatur Timotheũ vt in caliginẽ intret & coniungatur Deo ignoto, nõ exhortatur ipsum, vt vniatur Deo per amorem sine vllo genere cognitionis, sed vt Deo coniungatur cognito per indoctam illam sapientiam, hoc est, per abnegationem rerum omnium creatarum.

Deum cognosci per ignorationem apud D. Dionysium, est cognosci per negationes.

Duæ verò rationes (hoc est, argumentum cum sua confirmatione) quibus sententia D. Bonauenturæ stabiliri potest, supponunt per potentiã absolutam Dei posse fieri, vt homo habeat dilectionem alicuius obiecti, quod nulla cognitione, aut cogitatione sibi proponitur per intellectum. Hoc insinuat Palude in 4 dist. 49. q. 1. art. 2. idem videtur insinuare Ferrara 3. contra gentes cap. 89. §. Ad euidentiam, prope finem. Quorum fundamentum est se potest, commune illud, quia non reperitur in hac re aliqua contradictio. Nam cùm cognitio tantùm sit conditio obiecti voluntatis, videtur, quòd hæc possit suppleri à Deo: quoniam Deus potest supplere omnem conditionem requisitam ad aliquem effectum.

Palude.

Ferrara.

Sed profectò hoc mihi non probatur, quòd vlla ratione fieri possit voluntatẽ agere, suasque edere electiones, & operationes sine vlla præuia cogitatione. Vnde si rectè perpẽdatur Palude in 3. dist. 18. q. 1. art. 2. non est alienus ab hac sententia. Hoc mihi videtur sensisse D. Augustinus. 8. de Trinitate cap 4. & lib. 10. cap. 1. vbi palam affirmat voluntatem nihil posse diligere nisi sit cognitum, si non scitum, saltem creditum. Et cum D. Augustinus. 1. illo capite proposuisset quæstionem, & difficultatem contra nostram sententiam, ex eo, quòd voluntas aliquando desiderat scire incognitum: hanc dirimit difficultatem his verbis. *Intelligendum est non hoc idem dici, cùm dicitur, amat scire incognita, & si diceretur, amat incognita: vt autem amet incognita non potest, non enim frustra ibi est positum scire, quoniam qui scire amat incognita, non ipsa incognita, sed ipsum scire amat.* In quibus verbis Augustinus ostendit non solùm nunquam contingere, vt in incognita feramur per dilectionem, sed etiam hoc non posse fieri. Et id circo cum aliquid scire cupimus, tunc nos ferri affectu nostro in ipsam scientiam, quam apprehendimus, vt iucundam, vel vtilem profitemur, ex consequenti non ferimur in id, quod ignoramus, sed in scientiam eius, quod ignoramus, quæ nobis incognita non est: quòd si voluntas à se ipsa habet quòd ferri, & tendere non possit in incognitum, simili modo apparet, quòd neque per potentiam Dei possit ad id moueri, sine vlla omnino cognitione.

D. Augu.

Quòd autem voluntas non possit ab intrinseco ferri in incognitum sua virtute natiua constat ex dictis. Quia in diuina natura talem cernimus connexionem amoris, & cognitionis, vt amor per se supponat cognitionem obiecti, igitur pari modo, & suo modo in

Quòd sua naturali vi voluntas in incognitũ ferri non possit.

omni

omni natura rationali creata, idem eſt affirmandum. Hac ratione vſus eſt D. Anſelmus in Monologio cap. 48. Quo in loco D. Anſelmus volens probare Deum non poſſe amare ſe ipſum, niſi poſſet etiam ſe ipſum intelligere, colligit hoc ex ipſa natura affectus, quę poſtulat rationem intelligendi in eo, qui diligit. Sanè ſi voluntas poſſet ſuapte natura tendere in incognitum, ſeu ab intrinſeco, interrogo cur pro voluntate noſtra, & arbitrio noſtro non poſſemus ita agere quocumque tempore, & quacumque occaſione oblata. Nam certe eadem etiã ratione poſſemus ſine vlla cogitatione peccare, quod non eſt ferẽdum. Quòd ſi voluntas ferri poſſet in incognitum, idem ſimiliter dici poſſet de appetitu ſenſitiuo, quod hactenus nemò dixit, neque auſus eſt affirmare. Præcipue hoc verum eſt, quòd cum voluntas, & omnis facultas operans per actionem immanentem debeat habere præſens obiectũ ipſum aliquo modo, circa quod dicatur operari, & voluntas ſuo affectu non faciat obiectum illud eſſe ſibi præſens, ſicut cognitio facit compoſitiua: quoniam affectus non eſt ſimilitudo, ſicut eſt cognitio, inde efficitur quòd voluntas vt operetur, neceſſariò poſtulet cognitionem præuiam, qua obiectum ſit ſibi proximè præſens ne feratur in incertum.

D. Anſel.

Quomodo etiã per reſpectum ad Dei abſolutam potentiam fieri nõ poſſit vt voluntas feratur in incognitum.

¶ Ex his conſtat etiam apud aduerſarios fieri non poſſe, quòd voluntas feratur in incognitum, ſi neque virtute ſua natiua poteſt ferri in incognitum. Nam cùm Deus non poſsit infundere actum vitalem dilectionis, aut electionis ipſi voluntati omnino ab extrinſeco, quia huiuſmodi actus volendi, & eligendi neceſſariò debent procedere à volũtate ipſa actiuè efficiente, & non accepta omni efficacitate à Deo, quia totum id, quod eſt in actione volendi, & eligendi non poteſt à ſolo Deo eſſe, & ex conſequenti cum ſolus Deus non poſsit infundere voluntati actum vitalem dilectionis, aut electionis, ſed neceſſariò oporteat, quòd voluntas concurrat natiua ſua virtute & efficacitate, ſequitur quòd ſi ipſa ab intrinſeco ſua virtute ferri non poteſt in incognitum, quòd neque id fieri poterit à Deo contra modum ſuum intrinſecũ, & actiuum. Dices quòd non requiritur iſta cognitio ad actus volũtatis omnino neceſſariò, quia cognitio eſt cõditio, ſine qua nõ, Deus autẽ poteſt conditionem ſuoplere ſicut propinquitatẽ ignis reſpectu cõbuſtibilis. Sed reſpondetur hoc nihil valere: quia cognitio nõ eſt tantũ cõditio ſine qua nõ obiecti volũtatis, quia etiã habet ſe, & tenet ſe ex parte rationis formalis obiecti. Et rurſus, quia voluntas eſt cæca potentia & quæ indiget directione, quæ fit per cognitionẽ. Quòd ſi Deus cõſeruaret in anima, & in voluntate dilectionem ſemel antea elicitam, dico, quòd vel ſimiliter conſeruaret notitiam antecedentem, vel ſufficeret cognitio illa, quæ primò anteceſſit, cum non ſit mutatus actus volũtatis, ſed potius conſeruatus ſimul cum ſuo agente.

Obiectio.

Repellitur.

Sed quidquid ſit de hoc, certiſsimum eſſe debet voluntatem in ſuis actionibus dependère à iudicio rationis, ſicut dictum eſt, quidquid reclament recentes Theologi. Nam certè cum voluntas ſit appetitus rationalis 3. Ethicorum cap. 2. ſequitur quòd donec ratio determinatè iudicet & dictet, quid eligendum ſit, non poteſt eligere: quia alias tenderet in obiectum incognitum, & non vere prẽſens ſibi, quod præcipue eſt verum, quia vera cognitio non eſt per nudam, & puram apprehenſionem, ſed debet eſſe cum cõpoſitione aut diuiſione. Quia per apprehenſionem præciſe non cognoſcitur vtrùm res ſit talis, vel non ſit. Et rurſus ſtante è conuerſo iudicio intellectus concluſiuo, dicente hoc eſſe eligendum hic & nunc, non ſtat voluntatem non eligere, quamuis poſsit oppoſitum. Quia aliàs tunc etiam duceretur ſine ratione, imò verò formaliter, aut ſaltem virtualiter tenderet in incognitum: ex eo, quòd ſi non eligit id, quod iudicatur à ratione, & illud, in quod ab ipſa ratione dirigitur, tunc non eligendo illud, ſine dubio refutat illud obiectum, vel formali, vel virtuali actu: vel vult non amplecti tale medium cognitum, & iudicatum ſine vlla ratione, vel iudicio contrario. Repugnat igitur voluntati ſic operari, aut agere. & idcirco D. Bernardus dixit lib. de gratia, & libero arbitrio, ita habere ſemper voluntatem cognatam rationem, quia quamuis non ſemper ex ratione, tamen nunquam abſque ratione mouetur.

Ariſt. 3. Ethic. c. 2.

D. Bernar.

Vtrùm ſtante vnico iudicio intellectus voluntas maneat libera, vel neceſsitetur ad ſequendum illud?

SED dices contra hanc doctrinã. Si iudiciũ rationis neceſſariò ita prærequiritur, vt voluntas operetur, & exerceat actum ſuum liberum, & poſito tali iudicio ſi nullũ aliud adſit, neque cognitio diuerſa: ſequitur quòd voluntas infallibiliter, & certò habebit cõſenſum cõformem illi iudicio: igitur voluntas nõ eſt talis potentia, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum poſsit velle, & non velle, & conſequenter non eſt potentia libera. Diſcipuli S. Thom. vt Caiet. Conradus, Ferrarienſis, & ex alienis doctiſsimus Bellarminus Cardinalis negant conſequentiam. Nam cum dicunt quòd poſito iudicio practico vno præciſe, cũ quadam determinatione, quòd tunc voluntas ſi operatur neceſſariò eligit per conformitatẽ ad iudiciũ illud particulare & practicũ, quòd præſens eſt omnino, & dictans hic & nunc abſolutè eligendum eſſe hoc omnibus conſideratis: non intelligunt voluntatem neceſſariò eligere, aut conſentire neceſsitate oppoſita libertati, aut contingentiæ, ſed neceſsitate op-

Obiectio.

Caietanus Conradus Ferrarien. Bellarmin' reſpondent obiectioni negando cõ ſequentiã.

poſita

posita incertitudini, ac proinde necessitate certitudinis, & infallibilitatis propter fundamenta, & rationes à nobis allatas.

Dubitatio. Si interroges, Vtrùm hoc iudicium intellectus sit necessarium absolutè, & simpliciter, ex aliqua necessaria causa necessitante intellectum ad illud, vel vtrùm sit actus simpliciter liber; *Responsio.* Respondetur quòd tale iudicium non est ex aliqua causa necessitante, eo modo, quo causæ naturales necessitant, aut operantur cum modo necessario, aut de fixo omnino; sed illud iudicium tandem est liberum. *Alia dubitatio.* Si interroges rursus, Vtrùm illud iudicium sit liberum elicitiuè, ex vi intellectus, vel imperatiuè ab ipsa voluntate, respondetur, quòd iudicium intellectus circa obiectum agibile de ipso agendo, vel non agendo, vel de sic, vel aliter agendo, vel non agendo hoc tempore, vel illo cum his circunstantijs, vel sine illis, hoc, inquam, iudicium non est naturale, & infixum, idest, omnino determinatum cùm modo necessario. *Solutio.* Quia intellectus circa huiusmodi agibilia potest diuersimodè concludere affirmatiue, & negatiue. Vndè hoc iudicium est liberum libertate ipsius intellectus elicitiuè, & libertate formali voluntatis imperatiuè; deriuaturque ab intellectu libero libertate sibi conueniente. Nam iudicium de re aliqua quamuis determinate dictet, vel concludat quid sit agendum, hîc & nunc, tamen negari non potest, quin tale iudicium procedat, & egrediatur ab intellectu agente cum indifferentia, & contingentia, & cui natiuum est propter radicalem indifferentiam, veram habere originem, radicem, & principium libertatis. Quare discipuli D. Thomæ de mente ipsius 1. p. quæst. 83. art. 1. dicunt; quòd radix libertatis, qua potest homo in opposita, prouenit ex ratione, nimirū, ex intellectu ratiocinante, quatenus est indeterminatus, & indifferens, ad posse concludere de aliquo agibili. Vtrùm debeat fieri, vel non, hoc vel illo modo, hoc aut illo, vel alio tempore: possunt enim intellectui repræsentari diuersa, diuersæque rationes, vt patet in his, in quibus est conferentia, collatio, & consilium. Et quoniam actus voluntatis subsequitur iudicium, & determinationem ab intellectu factam, idcirco ab intellectu, vt à prima radice proueniunt ea, quæ liberè voluntas eligit. Vndè si intellectus concludit absolutè, & simpliciter hoc esse agendum, voluntas determinatur ad illud, & specificatur ab illo obiecto. Si verò intellectus diuersa habeat iudicia propter diuersas causas, & circunstantias, tunc voluntas tendit liberè in hoc, vel illud, aut in suū oppositum. Et idcirco optimè diximus radicem libertatis sumi ex indifferentia, vel diuersitate iudicij, quam intellectus habet de agendis contingentibus. Nam certè ratio circa contingentia habet vim ad opposita. Particularia autem agibilia sunt quædam contingētia, & ob id circa ea iudicium rationis ad diuersa se habet, & non est determinatum ad vnum. Et hac de causa ex hoc ipso, quod homo intellectiuus est, & discursiuus in rebus agendis, similiter est liberi arbitrij. Semper tamen voluntas, siue in hoc, siue in illo casu operatur ex iudicio rationis. Neque audio libenter eos, qui dicunt non esse inconueniens, quòd voluntas operetur aliquando sine vllo præuio iudicio. Quòd si plura ab intellectu dicantur, aut iudicentur, nihilominus quidquid sequatur, & velit voluntas, nunquam dicemus ipsam agere sine præcedēte aliquo iudicio aut dictamine practico.

Sed quoniam res hæc difficilis valde est, oportet obseruare, quod quamuis stante vnico iudicio practico, aut imperio illo, quod ab alijs stabilitur, nunquam stet voluntatem non consentire, tamen liberè voluntas operatur, & præstat consensum, & potest agere, & non agere. Nam potest voluntas planè tollere, & repellere iudicium illud, & applicare intellectum ad alia, & propterea, vt minimum est verissimum actum voluntatis non esse necessarium, sed liberum: siquidem in potestate voluntatis hæc omnia sunt. Ad hoc aduersarij respondent, quòd solutio data non satisfacit illis. Quia si posito illo iudicio practico, vel imperio, nunquam stat voluntatem recedere ab eo, sed indeclinabiliter agere. Quia cùm liberum arbitrium sit illud, quòd positis omnibus absolute prærequisitis ad agēdū potest velle, & non velle, & vnū ex prærequisitis sit iudiciū practicum, sequitur quòd etiam posito tali iudicio volūtas potest agere, & non agere. Quod si posito iudicio illo non stat voluntatem agere oppositum, aut posse non agere, sequitur quòd voluntas non operatur libere positis requisitis omnibus, inter quæ vnum requisitū est illud iudicium. Sed profectò argumentum hoc nihil valet, neque concludit quidquam cōtra nos. Quia si voluntas postulat iudiciū practicum, vt de facto operetur, sequitur quòd si tale iudiciū est liberum, & voluntas potest illud auferre, seu repellere, quòd ipsa libere operatur, & agit. Nam profectò voluntas, si posito illo iudicio, vt operetur, potest illud tollere, & non agere, optimè verificatur, quòd positis omnibus requisitis ad agendum in potestate eius est non agere: quia potest auferre iudicium illud, quod erat ratio agendi talem, vel talem operationem, & diuertere intellectū. Et fatemur libenter in schola D. Tho. iudiciū illud liberum esse. Sed continuò obijciunt iterum aduersarij, quod non potest intelligi per quam voluntatē iudiciū illud sit liberū. Ego verò si ipsi non intelligunt optimè percipio, & cognosco tale iudiciū esse, & posse dici liberum, nō solū ab intellectu, sed à voluntate: & esse liberum, habereque modum libertatis ab intellectu, & ab indifferentia eius, nemo est qui neget, nisi stultus sit. Vt minimum ergo

Quamuis stante iudicio practico ex parte intellectus nō stet, voluntatem non operari, potest tamen voluntas repellere tale iudiciū, & sic operari, aut non operari.

Arguunt authores oppositæ sentētiæ.

Soluitur argum.

Replicant contra solutionem.

Respondetur.

iudicium illud fundatur in intellectu, & in origine, & radice libertatis, seu in indifferentia illa intellectuali, quæ perse conuenit intellectui. Sed quoniam statim calumniantur nos authores oppositæ sententiæ, dicentes hoc non eneruare vim argumenti eorum: quia tale iudicium est quidem liberum radicaliter, quod habet ab intellectu, sed non est liberum formaliter à voluntate: Respondetur, quod cùm iudicium illud habeat ortum ex indifferentia intellectus, & ex vera origine libertatis, à qua formalis in voluntate deriuatur libertas: idcirco multum præstat, iudiciũ illud ducere secum fontem libertatis ab ipso intellectu. Quoniam ab eo prouenit libertas, & intellectus influens in iudicium illud influit cum quadam indifferentia. Nam intellectus circa agibilia potest diuersimode concludere affirmatiuè, vel negatiue; non ex infixa determinatione, sed ex libera, originatiue, & radicaliter.

Iterũ obijciunt.

Obuiã itur obiectioni.

Sed nihilominus sentio iudicium illud etiam esse liberum à libertate voluntatis. Si interroges à qua operatione voluntatis iudicium illud dicatur voluntarium; dico pari ratione; respondendum esse de illo iudicio voluntario, sicut de inconsideratione, quæ præcessit in intellectu Angeli, quæ etiam fuit voluntaria, vt superiùs parum ante quartam assertionem seu conclusionem diximus. Dicendum igitur est, iudicium illud esse voluntarium ab illa operatione voluntatis, quæ est peccatum in homine male agente, & consentiente. Nam certè operatio voluntatis in ordine ad illud iudicium, in vno genere causæ est prior ipso iudicio, & in alio genere causæ est posterior. Quia in genere causæ formalis illa operatio voluntatis libera est posterior, eo quòd iudicium practicum intellectus est, & fuit regula, & mensura illius operationis voluntatis. Mensura verò, & regula reducuntur ad genus causæ formalis. Est tamen iudicium posterius in genere causæ finalis, & in genere causæ efficientis, & motiuæ: quoniam actus ipse voluntatis, quatenus inuoluit intentionem finis fuit causa motiua illius iudicij intellectualis. Quæ solutiò ita solet explicari, quòd iudicium illud practicum intellectus est liberum, ex vi voluntatis amantis illud obiectum, & quod voluntas ipsa amat obiectum illud, ex vi talis iudicij: atque ita duos istos actus esse sibi inuicem causas in diuersis generibus causarum. Quoniam, & voluntas determinat intellectum, vt ita practicè iudicet, & intellectus determinat voluntatem, vt velit rem, quam eligit, vel accipit. Neque repugnat hoc, vt male dicunt aduersarij carpentes alias viros doctissimos. Quoniam non repugnat illa duo mutuo, & reciproca ratione se antecedere, & subsequi: quoniam hoc non fit in eodem genere causæ, sed potiùs in diuersis generibus causarum. Nam voluntas determinat intellectum efficienter, intellectus autem voluntatem finaliter, vt supra diximus, imò vero determinat formaliter regulando ipsam.

P.P.q.63. art.2.

Omnino euacuatur vis argumenti.

In diuerso genere causæ, & volũtas mouet intellectum & mouetur ab illo.

Quòd vero solutio hæc, & responsio non probetur ab authoribus oppositæ sententiæ seu aduersarijs parum interest. Existimo enim traditam doctrinam necessariam esse valdè, & satis apertam, si intellectui bene affecto, & disciplinato tradatur. Peius multò existimo posse defendi determinationem, aut operationem aliquam liberam voluntatis fieri posse sine cognitione, aut iudicio aliquo intellectus, quod videntur aduersarij prætendere, & nos supra tanquam rem ab omni mente alienam id propulsauimus. Imò verò nobiscum etiam idem sentiunt recentiores nonnulli ex Salmanticensi, & Complutensi Academia, & doctissimus Dominus Robertus Bellarminus lib. tertio de gratia, & libero arbitrio capite 8. propositione 6. qui nostram tuetur sententiam.

Bellarmin.

Sed obijcies contra hoc. Applicatio obiecti necessarij, ad aliquem actum semper antecedit talem actum. Nam fieri non potest, vt applicatio obiecti prouenial effectiuè ab actu, ad quem ordinatur, sed iudicium rationis requiritur ad actum voluntatis, vt applicans obiectum: ergo impossibile est, quòd iudicium rationis necessarium ad actum voluntatis effectiuè prouenial ab eodem actu.

Obiectio.

Et confirmant hoc. Quia voluntas non applicat aliquam potentiam ad actum suum, nisi volendo illum actum: ergo si voluntas applicat intellectum ad illud iudicium, id quidem faciet per actũ, quo vult, vt intellectus id iudicet. Quid igitur mouet voluntatem, vt hoc velit? Et confirmatur iterum. Quia alias primus actus intellectus posset esse à voluntate ipsa, quod est contra illud, nihil volitum, quin præcognitum, quia etiam de primo actu intellectus dici posset esse liberũ, & voluntariũ ex motione voluntatis, & nihilominus in suo genere esse causam eiusdē actus volũtatis, quo ipse est voluntarius. Quòd si hoc est impossibile in primo actu, id non est, quia est primus simpliciter, sed quia tali modo est causa actus volũtatis, vt ad illũ simpliciter, & in omni genere causę prę supponatur. Hęc autē ratio procedit in omni alio actu: ergo nũquā fieri potest, vt iudicium intellectus sit liberũ per actum voluntatis subsequentis ipsum.

Confirmatur 1.

Confirm.2.

Hoc argumentum, quod aduersarij obijciunt contra nos, non est nouum, sed antiquum, & à nobis propositum ante viginti annos in commentarijs primæ partis S. Thomæ q.63. art.2. disputatione 3. Proponiturq; à nobis loco citato cõtra responsionem à nobis superiùs datã in hunc modum. Operatio potentiæ in nullo genere causæ præcedit suũ obiectum: sed iudicium practicum, quo Angelus malè, & inconsideratè iudicauit

de suo

de suo vltimo fine pertinebat ad obiectū formale illius operationis voluntatis, quæ fuit primum peccatum Angeli: ergo illa operatio voluntatis nullo modo fuit prior iudicio inconsiderato. Minor supponitur, vt vera ex prima secundæ. Nam obiectum apprehensum ab intellectu, & iudicatum, est quod præsupponitur formaliter, vt volūtas in suas prorumpat operationes. Nihil enim est volitū, nisi præcognitum. Et argumentum seu obiectionem quam ibidem tradidimus, & subsequitur statim eodem loco solutio, & respōsio eius, nimirum quòd quando potentia est purè passiua eius operatio in nullo genere causæ potest præcedere suum obiectum: at verò quando potētia est factiua sui obiecti, necesse est quòd operatio potentiæ in genere causæ efficientis antecedat obiectū. Nam certè potentia calefactiua habet pro obiecto calidum, vt sic, & pariter ipsa est, quæ facit ipsum calidum. Et ita calefactio quamuis in genere causæ formalis sit posterior calido, quia specificatur ab ipso: tamen in genere causæ effectiuæ prior est. Sic ergo voluntas respectu iudicij practici, & singularis, à quo ipsa regulatur, & specificatur in sua operatione habet rationem potentiæ, non pure passiuæ, sed actiuæ. Quia iuxta dispositionem voluntatis intellectus practicus iudicat de rebus, quoniam qualis vnusquisque est, talis finis sibi videtur ex sententia Arist. Quocirca volūtas per suam operationem etiam dici potest factiua huius practici iudicij, ac proinde operatio voluntatis in genere causæ efficientis præcedit iudicium practicum, à quo regulatur, & mensuratur, & sumit speciem.

Potētia purè passiua in nullo genere causæ præcedit suum obiectum; bene tamen potētia actiua.

Hactenus diximus ea, quæ in 1. part. tradidimus. Sed præter ea iam hac nostra etate aliqui dicunt, quòd vt voluntas applicet intellectum ad agendum, sufficit quoddam iudiciū, quod se habet quasi inditum, & complantatum ad modum primorum principiorum, quo in communi dicitur bonum est applicare facultates omnes ad sua munera, & ad suas actiones. Cùm verò subsequitur circa aliquod particulare iuxta materiam oblatam, & occurrentem iudicium aliquod, tunc illud iudicium iam est volitum, seu voluntarium, vel expresse, vel virtualiter aut interpretatiue. Hoc non libet modo examinare, sed propositum sit candido lectori, vt aperiatur campus huius controuersiæ.

Solutio ad obiectionē.

Ad obiectionem, & confirmationes aduersariorum præter solutiones datas, respondetur operationē potentiæ sæpe sæpius præcedere suū obiectū, vt patet de intellectu agente, imò etiam de intellectu possibili dicente verbū, in quo casu prius est dicere quā sit verbū, quod est obiectum eius. Rursus applicatio obiecti formalis, quæ fit per ipsum actū non antecedit actum, sed habent se concomitanter, imò verò actus productiuus eius obiecti potiùs antecedit obiectum, & applicationē, vt constat de calido, quod est obiectum formale calefactionis, & de verbo mētis, vt diximus quod est obiectū intellectus, & actionis dicendi ipsum, & est posterius ipsa actione dicēdi. Quocirca si applicatio est necessaria antecedēter ad productionē obiecti, & est quasi productiua eius, ita quidē antecedit talē actū. Si verò applicatio obiecti fieret simul ab ipso actu productiuo obiecti non antecederet applicatio talem actum. Vndè fit, vt si ipsa actio est productiua eius obiecti, falsum sit quòd applicatio antecedat talem actum.

Quando applicatio fit per ipsum actum tunc actus potius antecedit applicationem quā applicatio actum.

Quapropter ex dictis cōstat solutio argumēti aduersariorū, seu obiectionis propositæ. Dicēdū est enim quòd quotiescumq; in agētibus, ad extra agēs operatur circa aliquod passum operatione trāseūte, vt actu possit inducere formā trāseuntē ad extra, vel mouere materiā distantē, tūc requiritur priùs applicatio agētis, & applicatio passi, vt agēs possit actu operari trāseunter. Nam cū agens habeat limitatā spherā suæ actiuitatis postulat propinquitatē agentis cū passo, & idcirco requiritur applicatio agentis ad passum. Cæterùm si agens nō operatur actione transeūte, & nō indiget hac propinquitate propter distantiā, sed potiùs actio est productiua obiecti, vt cōstat de actionibus immanentibus, non est vera maior argumenti, quòd applicatio antecedat talē actū. Rursus etiā nō requiritur quòd antecedat illa applicatio, quia sufficit, quòd sit concomitans actū. Imò vero aliquando ipsemet actus est applicatiuus obiecti, & ita neganda est Maior, & Minor. Et hoc est quod alij dicere solent. Quòd si applicatio, est necessaria antecedenter ad productionem obiecti, & est veluti productiua eius, transeat Maior. Si verò applicatio obiecti fit ab ipso actu productiuo obiecti, sic neganda est Maior. Vndè circa diuersum sensum potest negari Maior, aut Minor argumenti.

Solutio ad cōfirmationem primā.

Ad cōfirmationē respondetur negando antecedēs. Non enim requiritur, vt volūtas velit illū actum determinate, ex eo q voluntas applicat potētiam ad agendū. Et ob id ex eo quòd volūtas applicet intellectū ad agendū, ad discurrēdum, vel cognoscendū iuxta illud, cui afficitur, non sequitur, quòd voluntas velit illū actum determinate, sed quasi confusè. Respondetur secundò non necessariò exigi, neque requiri, quod voluntas velit actum illū in particulari explicitè, & formaliter, sed sufficere, quòd in communi velit illud iudicium vniuersale, quod se habet veluti principium primum complantatum, nimirum, quòd est bonū facultates non esse otiosas, & quòd est bonū eas ad sua munera, & actiones applicare. Quo posito tunc iuxta materiam oblatā, & occurrentem operabitur intellectus seu ratio. Et ex his patet ad vltimā confirmationē. Itaq; voluntas non potest velle hoc iudiciū particulare, & non illud explicitè si nullam habet lucem illius, cùm sit potētia cæca, quæ

Secunda solutio.

Ad secundam.

niſi ab aliquo dirigatur nihil velle poteſt. Cũ verò voluntas applicat intellectum, ad iudicandum, vel ad conferendum, tunc iam liberũ eſt iudicium illud, & libera eſt illa conferentia ordinata ad iudicium.

Corollariũ primùm. Ex dictis infertur veriſsimum eſſe, ad liberam determinationem voluntatis, neceſſariũ eſſe practicum illud iudicium, ipſam voluntatem omnino determinans determinatione libera, ſed certiſsima, certitudine oppoſita incertitudini: & etiam determinãs infallibilitate ordinis, & compoſitionis in ſenſu coniuncto, vt dixit Magiſter Sententiarum. Præterea rationabile valde eſt, quòd plures dicunt, intellectum per imperium practicum efficaciter mouere voluntatem ad opus. Quoniam tale imperium, vel eſt iudicium perfectè practicum, vel includit aut ſupponit illud, cum omnibus circunſtantijs, & definito diſcurſu concluſiuo ad agendum. Vndè imperium denuntiat volũtati quid agat, & intimat, & mouet eam, ac proinde tam ipſum, quam iudiciũ concluſiuum, ſiue ſint idem, vel non, ſunt veluti quidam actus impulſiuus voluntatis. Habent præterea modum locutionis intimantis quid ſit agendum. Cùm igitur iudicium practicum, & concluſiuum, tam perſe quam ex parte obiecti moueãt voluntatem, efficaciter inclinant illam: non ſolùm in ſua virtute, ſed etiam in virtute eiuſdem voluntatis, vel alicuius actus efficacis ipſius, qui præceſsit. Nã ſi voluntas efficaciter intendit finem aliquẽ, vel intendit conſecutionem, à qua non deſiſtit præcipuè, ſi deinceps elegit adhibere tale medium, tunc intellectus oblata occaſione hîc & nunc, & occurrente materia iudicat omnino hoc eſſe faciendum, quo poſito iudicio concluſiuo, & particulari, tunc voluntas omninò determinatur, non ſolùm à ſe, ex intentione finis, quam habet, ſed ſpecialiter à iudicio illo. Vndè ſi vult recedere ab operatione iſta ſpeciali, tunc ſimiliter debet recedere, & deſiſtere ab illa intentione finis, aliâs perſeuerante illo iudicio nunquam recedet ab operatione, quam habet, erga proſecutionem illius obiecti, de qua re legendus eſt S. Thom. 1. 2. q. 17. Et ita fit vt voluntas vere maneat libera in ſuo modo agendi, & quòd ratio aut iudicium detur voluntati, vt eam dirigat, & inſtruat, non quidem imponendo neceſsitatem, ſed veram certitudinem, vt proſequatur quod intendit, & vult, & ſic determinatur à iudicio rationis.

Conſtituendũ eſſe imperiũ in intellectu rationi cõforme eſt.

D. Thom.

Corolla. 2. Quãdo vnũ tantum eſt iudiciũ practicum intellect°, ſimpliciter, & omnino determinatur volũtas ad vnum.

Secundò colligitur nulla ratione negari poſſe, quòd voluntas ſimpliciter, & omnino determinetur ad vnum, quando vnicum tantum adeſt iudicium practicum in intellectu, & non habet aliud, ad quod ſe vertat. Tunc enim omnino ſequetur voluntas illud. Neq; valet dicere quòd in eo caſu poteſt voluntas non proſequi, aut non amare id quod propoſitum eſt, aut imperatum, & determinatum per iudicium illud practicum, & concluſiuũ. Quia ad non exercendum actum præciſe non indiget altero iudicio, ſed ſatis eſt, vt per illud, quod tunc habet homo, non iudicet hoc bonum, hîc & nunc eſſe ſibi neceſſariò diligẽdum. Quia voluntas poteſt tunc, vel ſuſpendere actum, vel diuertere intellectum, ne de illo obiecto cogitet, vel applicare intellectum aliter ad alia. Non inquam valet hoc. Quia ſi voluntas habet efficacem intentionem finis, & in ea permanet, tunc ſi repræſentetur illi medium omnino neceſſarium, ad eius conſecutionem, & accedat iudicium concluſiuum de re agenda, hîc & nunc, tunc voluntas non poteſt non eligere, & nihilominus hoc non obſtat libertati, vt dictum eſt, quia etiam intentio eſt libera, & eam poteſt deponere. Itaque voluntas determinatur primò ab intentione finis reſpectu omnium, quæ ſequuntur poſt illam. Secundò determinatur à iudicio concluſiuo, & practico intellectus habente vim maximam ad eam determinandam. Nam ſi voluntas dum intendit finem, quem libere amat, applicaret intellectum ad iudicandum, & ad collationem, & conferentiam, ſi interim inſurgerent rationes in eodem intellectu, nõ quidem impellentes voluntatem ad proſecutionem illius intentionis, ſed potiùs auertentes ab ea, tunc poſſet quidem deſiſtere ab intentione, & ita ceſſare ab electione mediorum, & proſecutione rei intentæ. Si tamen non alia adſunt iudicia, neque diſcurſus, niſi tantum illa, quæ iuuant maximè, & impellunt ad eandem intentionem proſequendam, tunc ſtare non poteſt, quin voluntas proſequatur quod intendit, quamuis hæc omnia pendeant ex illa prima intentione finis, & quaſi ex determinatione voluntatis ad finẽ. Vndè ſi accedat iudicium vltimò concluſiuũ de operando, hîc & nunc, fieri non poteſt vt non ſequatur illud, ſed hæc omnia liberè fiũt: quia non habent neceſsitatem conſequentis ſed conſequentiæ. Quòd ſi voluntas non proſequeretur illud iudicium, ſine dubio haberet aliud, vel deponeret affectionem erga finem.

Obiectio euertitur.

Hoc loco poſſem agere de defectu cauſæ liberæ, & origine eius, an cum quis deficit peccando habeat errorem, & quo pacto intelligatur illud Sapientis. *Errant omnes, qui operantur malum.* Et ſimiliter illud Philoſophi 3. Ethicorum cap. 1. 3. & 5. & lib. 6. cap. 12. & 13. *Omnis peccans eſt ignorans.* Et vtrùm voluntas prolibito ſuo poſsit velle aliquid contra iudicium rationis, & an exiſtente perfecta ſcientia in intellectu, ſine vllo defectu poſsit volũtas deficere in moralibus, exiſtente etiam perfecto iudicio, ex parte intellectus, de qua re dicemus infrà in tertia parte huius diſcurſus. Nunc verò quia fuſè locuti ſumus in re, de qua egimus, vſque in locum illum ſuſpendo animum lectoris tantiſper.

Sapientiæ Ariſtot. 3. Ethicorum & alibi ſæpius.

SE-

SECTIO II.

De primo actu voluntatis, An in eo moueat seipsam: vel vtrùm moueatur à solo Deo? Et an voluntas libera sit in intentione finis, vel solùm in electione mediorum?

Discipuli D. Thomæ

DISPVTATIO Hæc in gētem habet difficultatē hodierno die, quam mouent discipuli D. Thomæ 1.2. quæst. 9.ar.3. & 4. Quo in loco mirabile fuit S. Tho. ingenium pe neq; diuinū, de quo sicut D. Hierony. de paruis, & infirmis ingenijs dixit. *Grandes materias parua ingenia non sustinent.* Nos inuerso ordine de Sanctissimo Præceptore prædicare valemus, & dicere: magnum eius ingenium grandes materias sustinere. Nam certè loco citato incipit agere quo pacto in omni opere bono nos non incipimus, sed Deus est, qui donat nobis, & velle, & perficere, atque facere pro sua voluntate. Fateor difficultatē hanc dignè solùm deberi scholæ Sanctissimi Thomæ Aquinatis. Et quamuis veritas ipsa antiqua sit, tamen prodijt in lucem Sanctissimo Doctore, & Præceptore scribente. Hanc cōtrouersiam tetigit Ruardus Tapper art. 7. de libero arbitrio contra Lutherum pagina 285. vbi dicit manifestum esse non omnes actiones voluntatis esse liberas, sed plures esse naturales, nimirum, eas omnes, quæ vel præueniunt, vel non sequuntur liberum rationis consilium, & iudicium: quales sunt voluntates, quæ subrepunt, & repente fiunt in nobis, & quæ fiunt à pueris, vel furiosis, cum nec sint humanæ, neque in nostra potestate: & quamuis secundum Arist. sponte fiant, nō tamē liberè, nec per electionē. Nec liber est amor finis, nisi fortasis quoad exercitiū tātùm, hoc est libertate contradictionis. Ea verò sola, vt docet ipse, liberè à nobis fiunt quæ ex consilio, & deliberatione procedunt. Nam electio, inquit, quæ solùm mediorum est ad finem, & proprius actus liberi arbitrij, cum ratione, & mente est, & appetitus præconsiliati, & eorum tantum, quorum proprie domini sumus, quæque agere possumus, & omittere. Quæ igitur ex sola apprehensione sine iudicio, & consilio volumus, libera non sunt. Vbi igitur maior determinatio iudicij, minor est libertas; loquendo de determinatione ante conclusionem intellectus practici, siue operatiui. Nam quando agimus, vel eligimus ex rationibus apparentibus, oportet iudicium esse determinatum, vt dixit Cardinalis Caietanus prima part. quæst. 83. Hæc sunt quæ Ruardus Tapper Decanus Louan. dicit.

D. Hieronymus.

Ruardus Tapper.

Prosequitur Ruardus disputationem, de libertate voluntatis, & libero eius vsu, & inquit, quòd occurrūt hîc multæ difficultates, quarū discussionē oportet perpēdere propter aduersariorū argumenta. An nimirū amor finis, qui est primus actus volūtatis, à quo omnis electio, & tota vita pendet, sit necessarius, & merè naturalis, vel aliquo modo liber. Secundò vtrùm volūtas habeat se ad eū pasiuè.

Scotus.

Scotus de hac re quodlibeto 21. putat huiusmodi actū volūtatis esse liberū. Cæterùm S. Tho. videtur affirmare esse omnino naturalē ab authore naturæ, vel gratiæ. Dicit enim de huiusmodi actu D. August. lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 17. quòd Deus facit, vt velimus, etiā sine nobis, quam difficultatem fuse tradit Cadinalis Caiet. 1.2.q.9.art.4. & q. 111.art.2. vbi sentit huiusmodi actum primū à voluntate elici, sed tamen ipsam non se applicare ad volendum, sed hoc fieri à solo Deo in illo actu.

D. Thom.

D. Augustinus.

Caietanus.

Capreolus in 2. dist. 24. q. 1. ar. 3. ad 8. cōtra quintā cōclusionē. Et dist. 25. q. 2. ar. 3. ad argumenta Henrici contra primā conclusionē, & ad argumenta Scoti cōtra secundā conclusionē, putat actū primū voluntatis respectu finis esse cōplacentiā innatam à Deo, & recipi solùm, non autem effici ab ea. Dicit enim esse de mente S. Thomæ voluntatē in primo actu non mouere seipsam, imòverò putat primum actum voluntatis non procedere à voluntate, vt à principio effectiuo, sed à solo Deo produci, & voluntate infundi. Suadetur Capreoli sensus primò. Quia vt volūtas operetur, & ex se velit aliquid, priùs debet constitui in actu primo, sed ante omnem actū ex seipsa non est in actu primo, ad volendum: igitur ad primum actum non potest seipsam mouere. Rursus secundò. Si primùs ille actus à voluntate procederet tanquam ab efficiente, sequeretur apertè, quòd esset in eius potestate, & quòd esset actus liber: sed primus actus voluntatis non est in potestate voluntatis, & liber: ergo non procedit à voluntate tanquam ab efficiente. Sanè non implicat quòd actus ille à solo Deo producatur. Quia id quod postulat à solo Deo produci secundum naturam suam, non est dicendum vlla ratione, quòd habeat implicationem aliquam, aut quòd sit miraculum, quòd à Deo sit, cum ab ipso producitur.

Capreolus.

Respectu primi actus voluntatis ipsam non actiuè, sed passiue se habere sentit Capreolus.

Probat primò.

Secundò.

Scotus autem, & sui in hac parte argumentantur contra rationem Sancti Thom. quæ in duobus consistit. Primùm quidem in hoc: Quòd si voluntas moueret seipsam cum incipit velle finem, moueret se per præcedentem deliberationem, sed in his deliberationibus non est processus in infinitum: ergo semper deueniendum est ad vnam volitionem, in qua voluntas moueatur ex instinctu exterioris mouentis. Secundò in hoc sita etiā

Statuuntur rationes quæ militāt pro sententia S. Thomæ.

est efficacia rationis D. Thomæ, quòd voluntas non mouet se, nisi mediante consilio, vel mediante præuia alia volitione. Sed contra vtramque partem huius rationis arguit Scotus. Primò. Quoniam cum voluntas mouet se appetendo finem, in primo suo actu, hoc quidem non facit per præcedentem deliberationem, aut volitionem. Nam cum voluntarium duplex sit. Vnum, quia est volitum. Aliud vero quia est in potestate voluntatis; actus primus hoc secundo modo, quo voluntas appetit finem dicitur voluntarius. Quia est in potestate voluntatis. Et rursus, quia ipsa producit volitionem efficienter. Et ex consequenti, ex hoc quòd prima volitio finis, nõ est volita non probatur efficaciter, quòd non sit voluntaria.

Sed contra eam, & earum rationes arguitur primò.

Secundò.

Secundo argumentatur Scotus. Quoniam ad volitionem finis sufficit obiectũ præsens. Nam sufficit quod proponatur obiectum voluntati ab ipso intellectu: ergo præter hanc propositionem, & ostensionem obiecti factam voluntati, non oportet alium extrinsecum motorem quærere. Quia secluso omni impedimento quælibet potentia prosequitur suum obiectum, si adest illi præsens. Et confirmari hoc potest. Quoniam volitio finis est voluntaria. Nam est actus elicitus à voluntate: ergo est à principio intrinseco cum cognitione finis: ergo talis volitio non est referenda in instinctum exterioris mouentis.

Confirmatur.

Tertiò.

Tertio argumentari possumus in fauorem Scoti ex differentia, quæ reperitur inter homines, & bruta animalia, quod homines mouent se in finem. Bruta verò minimè: ergo voluntas hominis verè mouet se in finem. Nam certè si voluntas mouetur à Deo authore naturæ in finem, ex eius instinctu, & impulsu, sicut lapis mouetur à generante, sequitur quòd talis motus est necessarius, & naturalis, quod est plane falsum. Nam volitio finis aliquando est libera, & meritoria.

Non esse liberam voluntatẽ nisi in electione mediorũ asserũt quidam.

Ex Ari. 3. Ethic. probatur hoc.

Sunt etiam nonnulli Theologi, qui sentiũt voluntatem præcise liberam esse in electione mediorum, non verò in amore, vel intentione finis. Quæ sententia fundatur in Aristot. 3. Ethicorum cap. 2. & 3. vbi ait consultationem non esse de fine, sed solùm de medijs. Vnde conficiunt hoc argumentum. Omne liberum potest in consultationem cadere, sed sola electio est de qua consultamus, & deliberamus: ergo sola electio est libera. Probatur maior. Quia in omni libero est aliqua indifferentia, & ratio tendendi, vel non tendendi: ergo potest in consultationem cadere. Vtrùm tale obiectum, vel talis actus conueniat, vel an non conueniat. Et confirmari hoc potest. Quia voluntas ita comparatur ad liberum arbitrium, sicut intellectus ad rationem: sed intellectus, vt est ratio non versatur circa principia, sed circa ea, quæ colligit ex principijs: ergo voluntas quatenus est liberum arbitrium, non versatur circa finem, sed circa illa, quæ eligit propter finem. Quia ex Philosopho. 6. Ethicorum cap. 2. sicut principia se habent ad speculabilia, ita fines ad operabilia.

Aristot. 6. Ethic.

Henricus quodlibeto 9. quæst. 3, docuit primam operationem voluntatis, non esse referendam in Deum, tanquam in primum motorem, sed in ipsam voluntatem. Fundamentum Henrici primum est. Quia aliàs voluntas non esset libera, neque haberet dominium suorum actuum, quod tamen est contra naturam voluntatis. Secundum est. Quoniam Deus generali administratione non solùm concurrit cum voluntate, sed etiam cum omnibus creaturis, ad suas operationes. Cùm igitur operationes creaturarum non referantur immediatè in ipsum Deum, sequitur inquit Henricus, primam operationem voluntatis, non esse referendã in Deum, vt in primum motorem, sed in ipsam voluntatem.

Hẽricus nõ esse primũ voluntatis actum in Deum referendum existimat.

Ferrara lib. 3. contra gentes cap. 89. videtur fauere Capreolo. Putat enim primò, motum voluntatis primùm tribuendum esse generanti, nimirum Deo, tanquam principio proximo, & tanquam mouenti, quòd veluti motus grauium etiam tribuitur generanti. Voluntatem verò ipsam dicit esse principium quo, seu formam, per quam Deus mouet hominem, ad primum actum volendi, veluti in grauibus etiam generans mouet ipsum graue media grauitate ipsius. Secundò dicit illum primum actum voluntatis esse eũ actum, quem habemus in hac vita circa finem ostensum sub ratione boni in communi, ad quem naturalem habemus inclinationem. Et hunc actum existimat esse eum, quo absque electione vlla primò occurrit, cùm primùm peruenit homo ad vsum rationis, vel cum primùm incipit cognoscere aliquod obiectum.

Ferrara Capreolo fauet.

Sunt præterea cõplures alij recẽtes Theologi qui dicant primam operationem voluntatis, quæ est circa finem Deo tribuendã esse ex eo, quòd donauit voluntati naturalem inclinationem ad bonum, cui debetur concursus à Deo, vt velit, & prosequatur finẽ, & bonum. Sed profecto hoc non sufficit ad sententiam Diui Thomæ explicandam. Quia si ob id dicitur prima operatio voluntatis circa finem tribuendam esse Deo, quia dedit Deus naturalem inclinationem ad bonum. Pari ratione dici posset, ignem non calefacere à seipso, sed potiùs moueri à Deo, vt calefaciat, vel Deum calefacere præsente igne. Quia ignis habet natiuam propensionem, & inclinationem ad calefaciendum, cui debetur concursus Dei, sicuti voluntas habet inclinationem naturalem ad bonum. Præterea etiam: quia voluntas habet naturalem inclinationem ad media, quatenus vtilia sunt, & conducunt ad finem. Nam hac ratione non potest illa odio habere. Ha-

Primum actum voluntatis tribuendũ esse Deo creditur aliqui, sed ex malo fundamento.

bet

bet igitur naturalem hanc inclinationem, ad media respicientia finem, sicut habet ad finem ipsum, quatenus bonus est. Nam hac ratione non potest ipsum odio habere, & tamen Sanctissimus præceptor, prima secundæ, quæst. 9. art. 4. & 6. docet voluntatem, non se mouere, ad primum actum, nimirum, ad volitionem finis, benè tamen ad alios actus, scilicet, ad electionem mediorum.

D. Thom.

Explicatur difficultas huius quæstionis.

DIfficultas huius quæstionis ingens est, tum propter D. Thom. sententiam, & modum loquendi, tum etiam propter varietatem opinionum, & sententiarum tam in gymnasio discipulorum D. Thom. quam extra. Est igitur controuersia hæc difficilis. Quia non solùm possumus agere, de primo actu voluntatis nostræ, sed de primo actu, quem à principio creationis Angelus habuit, vel primus homo Adam cùm primum à Deo creatus est. Rursus est difficilis controuersia ista, de primo actu rationis, & voluntatis pueri primùm peruenientis ad vsum rationis. Est etiam difficilis proposita, quæstio de primo actu in quouis negotio tractando, quòd homini, aut Angelo nouiter se offert. Et quidem Sanctissimus præceptor 1. 2. quæstione 9. art. 4. & 6. planè, & apertè loquitur de primo actu voluntatis circa quodcumque negotium, quod nouiter se offert voluntati. Pari ratione mouetur difficultas huius quæstionis, de primo actu intellectus, sicut de primo actu voluntatis. Et vtrùm vitetur proceſſus in infinitum, per hoc quòd concedamus primam intellectionem nostri intellectus prouenire ab ipso Deo mouente intellectum nostrum. De qua re optimè Caietanus disseruit, & non obscure 1. p. quæst. 82. art. 4.

Quos sensus habeat præsens hæc cõtrouersia.

Caietanus.

Rursus aduerte dupliciter intellectionem nostram posse dici primam. Quoniam dici potest prima intellectio illa, quæ est simpliciter totius vitæ prima, sicut est illa, quam habet homo cùm primum ad vsum rationis accedit, & ingreditur tanquam rationalis, & liber homo in hunc mundum, cum vsu libertatis, & rationis. Altera verò potest esse prima intellectio, non quidem simpliciter prima totiùs vitæ, sed prima in aliquo negotio, & hæc potest dici prima in tali ordine. Similiter loquitur S. Thomas loco citato de primo actu, quem habet nostra voluntas circa aliquem finem. Illum enim dicit competere voluntati, vt mouetur à superiori instinctu, sicut etiam de intellectu, dicit intellectum nostrum, in prima intellectione moueri à Deo, & non à nostra voluntate.

Intellectio aut volitio nostra vno ex duobus modis potest dici prima.

Duobus modis contingit volun-

Voluntatem necessitari, ad appetitionẽ alicuius boni, duobus modis possumus id intelligere. Primò quidem quantum ad specificationem illius boni, quamuis non quantũ ad exercitiũ. Ita nimirũ, q licèt possit voluntas velle & nõ velle illud bonũ, tamen supposito quòd habeat actum, talis actus necessario debet esse velle, & amor, atque dilectio, ita vt non possit odio habere, aut velle oppositum specificatiue. Secundò possumus intelligere voluntatem necessitari non solùm quantum ad specificationem, sed etiam quantum ad exercitium, ita vt necessitetur ad actualem prosecutionem illius boni. Rursus oportet supponere distinctionem de duplici fine, nimirũ, proximo seu particulari, & vltimo, seu vniuersali. Particularis finis dicitur ille, qui est bonum priuatum, & particulare, quod amatur propter se, vt Honor, Diuitiæ, Excellentia propriæ personæ, Sanitas, vel Scientia. Vltimus autem finis dicitur beatitudo ipsa, vel fœlicitas hominis, siue hæc constituatur in re aliqua determinata, siue sumatur in communi, seu absolutè sub formali ratione beatitudinis, aut sub vniuersaliori ratione boni in communi.

tatem necessitari posse.

Finis duplex.

Sentio etiam libertatem voluntatis perfectiùs, & euidentiùs exerceri in electione mediorum, sic adeo, vt omnis actus liber, quatenus liber est, participet aliquo modo rationem electionis, & sub ea ratione possit cadere in consultationem. Huius rei fundamentum est. Quod voluntas fertur ad intentionem finis liberè, & aliquando fertur ex aliqua naturali propensione, & inclinatione. Ad electionem verò mediorum fertur ex vi appetitionis finis, quam voluntas ipsa vltra naturalem inclinationem sibi adiunxit. Et idcirco specialiori modo, magisque ex proprijs dicitur voluntas mouere se in electione mediorum, quàm in intentione finis. Tunc verò voluntas perfectiùs operatur liberè, quantò perfectiùs se se mouet. Adde etiam, quòd libertas cuiuslibet actus prouenit etiam ex varijs rationibus, quæ vel sunt in obiecto, vel in ipsomet actu: & ex formali, aut virtuali collatione, & conferentia earum. Nam certè si est libertas quoad specificationem requiritur, quòd in obiecto sit aliqua ratio boni, propter quam possit amari, vel diligi, & aliquis defectus, seu aliqua ratio mali, ratione cuius possit odio haberi, Si autem sit libertas tantum quoad exercitium requiritur, quòd vel in obiecto, vel vt minimum in ipsomet actu, sit defectus aliquis, vel carentia bonitatis, propter quam possit apprehendi, vt disconueniens, hic & nunc, vel saltem, vt non necessarius. Atque hac ratione quotiescumque actus, aut omissio eius est libera, tunc fit inter has rationes, quædam collatio, & conferẽtia, vel explicita, vel implicita, & ob id fit etiam quædã electio vnius actus præ alio, vel vnius actus præ omissione eius, vel è conuerso. In huiusmodi verò electione, qua vnum præ alio eligitur, necesse est, vt comparatio fiat in ordine ad aliquod

Magister proprijs mouetur volũtas in electione quã in intentione.

tertium, vel inter duo, vel in ordine ad aliquam rationem communem, ad quam voluntas aliquo modo ſit affecta, aut formaliter, aut virtualiter, vt habere poſsit principium, vel fundamentum electionis faciendæ. Nam certè qui eligit inter bonum honeſtum, & delectabile ſupponitur in eo affectus, ad bonum vt ſic: aliàs non ſtatim eligeret inter bona ſpecialia, ſed priùs ſtatueret ſecum, & decerneret. Vtrùm bonum eſſet ſibi proſequendum, & idem dicendum eſt in ſimilibus. Pari igitur modo quamuis tendentia in particularem finem, quatenus eſt motus in aliquod obiectum propter ſuam bonitatem, & in alia propter ipſum ſit amor, vel intentio finis: tamen quatenus eſt actus liber, quo hoc bonum alijs præfertur, eſt virtualis electio huius boni, vt ſit medium, vel pars fœlicitatis, quam voluntas intendit in ſuis actibus. Rurſus ipſe actus intentionis, vel dilectionis etiam vltimæ fœlicitatis, quatenus hîc, & nunc exercetur libere, & præfertur eius carentiæ, vel otio, eſt virtualis electio, qua talis actus, hîc & nunc eligitur, vt medium ad inchoandam, aut obtinendam fœlicitatem. Et hac ratione dici ſolet omnem intentionem finis particularis, eſſe electionem virtualem fœlicitatis, ad quam non ſemper requiritur, quòd præcedat intentio elicita ipſius fœlicitatis, ſed ſufficit naturalis, aut neceſſaria propenſio. Sic ergò omnis conſultatio verſatur modo proportionato, circa electionem, & omnis actio libera participat aliquam rationem electionis: & idcirco ipſa formalis, & propria electio, quæ procedit à propria, & elicita intentione finis, cenſetur actio maximè libera. Et propter hanc cauſam fit, vt liberum arbitrium dicatur verſari circa electionem, quamuis habeat plures alios actus liberos.

Omnis voli tio libera alicuius obiecti habet rationem electionis, etiã ſi non habeatur ex vi alicuius elicitæ intẽtionis finis.

CONCLVSIO PRIMA.

Concluſio prima.

His Ita conſtitutis. Dico primò. Voluntas, non ſolùm producit efficienter volitionem finis ipſum appetendo, vel amando, effectiuè concurrendo, ad actum amandi, vel diligendi, ſed etiam mouet ſe in electione mediorum. Hæc aſſertio eſt expreſſe contra Capreolum locis ſuperiùs citatis, quatenus dixit, idcirco voluntatem, non moueri à ſeipſa in primo actu. Quia primus actus non procedit à voluntate, vt à principio efficiente, ſed à ſolo Deo produci, & voluntati infundi. Eſt etiam contra Capreolum quatenus male interpretatur S. Thomam 1. 2. quæſt. 9. art. 4. & 6. dicentem voluntatem, non mouere ſeipſam in primo actu, quod Capreolus dicit eſſe verum. Quia primus actus voluntatis, non procedit à voluntate, vt à principio effectiuo, ſed ſolùm infunditur voluntati à Deo. Hæc inquam interpretatio, non ſolùm eſt contra Sanctum Thomam, ſed etiam eſt contra rationem omnem. Nam certe S. Thom. prima ſecundæ, quæſt. 9. artic. 4. ad 1. & 2. planè docet actum primum voluntatis, ad quem dixit voluntatem, non mouere ſeipſam eſſe ab ipſa voluntate, & non eſſe omnino ab extrinſeco, & ſimiliter dixit proximum principium illius, actus eſſe ipſam voluntatem. Primum verò principium extrinſecum eſſe. Nam certè primus actus voluntatis quicumque ille ſit, eſt actus vitalis, ac proinde habet proximum principium vitale, & viuens, quale eſt voluntas. Volitio enim, & amor finis non ſolùm eſt operatio voluntatis, ſed etiam eſt operatio vitalis eius, quæ talis non eſſet niſi effectiue à voluntate procederet. Eſt rurſus volitio finis voluntaria: ergò à principio intrinſeco cum cognitione finis. Non ergo infunditur ita, vt à voluntate efficienter non procedat. Imò verò ſi volitio vltimi finis, non procederet effectiue à voluntate nihil homo mereretur in ea: ergo falſo Capreolus, & peſsime interpretatur D. Thomam. Præterea S. Thom. nomine primi actus voluntatis, non ſolùm intelligit primum, quem in tota vita habemus, neque intelligit primum cum peruenimus ad vſum rationis, ſed primum in quouis negotio nouiter occurrente. Primus autem actus in quouis negotio, quod nouiter ſe offert non eſt neceſſe, quòd ſit indeliberatus, ac proinde poteſt eſſe meritum, & peccatum in eo. Non enim eſt neceſſarium negotium omne inchoari, in nobis à motu voluntatis, non deliberato, ſed ſtatim poteſt libere incipere, vt conſtat experientia, ſi iſti motus incipiant cum plena deliberatione, & conſideratione vtriuſque partis. Nam certè hac ratione Angeli in primo ſuo actu potuerunt mereri, vt Theologi docent loquentes, de prima operatione Angeli. Non enim ſemper eſt neceſſe gratiam operantem, incipere in nobis à motu voluntatis, non deliberato, ſed aliquãdo poteſt inchoari cum cogitatione, & deliberatione. Cum igitur S. Thom. ad primum actum voluntatis, dixerit voluntatem, non mouere ſeipſam, in prima operatione ſeu volitione, ſequitur quod alia ratione id dixerit, quam Capreolus exiſtimauit.

Eſt contra Capreol. cõcluſ. hæc: nã ſimiliter interpretatur D. Thom.

Concluſionis, quoad primã partem quædã adducuntur probationes

Dices. Voluntas eſt veluti pura potentia reſpectu primæ volitionis ipſius finis: ergo neceſſe eſt conſtituere motorem extrinſecum, à quo reducatur ad actum. Nam id quod eſt in pura potentia, non ſe reducit ad actum. Imò vero, vt fatẽtur Metaphyſici omnes, nulla res poteſt reducere ſeipſam, primò de potentia in actum, quocumque modo accipiatur motus ſiue mutatio. Quoniam omne mouens eſt actu tale, quale eſt patiens, tale in potentia, in ſuo ordine, vt dixit Ariſt. 3. Phyſicorum, tex. 17. Sed nulla res poteſt eſſe in actu, & in potentia reſpectu ſui ipſius: ergo nulla

Arguitur contra concluſionem.

Ariſtot. 3. Phyſic.

res

res agit in se ipsam primò, neque reducit se de potentia ad actum primò, & per se. Hoc argumẽtum adducunt nonnulli in fauorem Capreoli, quod sumpserunt ex Paulo Soncinate. 9. Metaph. quæst. 8. quo loco interrogat vtrùm aliquid possit se reducere de potentia ad actum primo, & per se. Ad hanc obiectionem seu argumentum respondetur; quòd quamuis voluntas sit in potentia formali ad primam volitionem, qua actualiter caret tamen est in actu virtualiter. Quia habet in se vnde possit comparare primam volitionem finis, si proponatur illi obiectum, sicut oportet, veluti ignis ratione caloris habet in se vnde possit se reducere ad actum combustionis, si ei applicetur materia, aut combustibile. Vnde maximum dissidium est inter voluntatem, & intellectum: quod intellectus, ita est pura potentia, vt non possit reduci ad actum, nisi speciem ab obiecto recipiat. Cæterùm voluntas ita est pura potentia respectu volitionis, aut intentionis, vt possit reduci ad actum amandi, & ad actum volitionis, & intentionis, proposito obiecto per intellectum sicut oportet, absq; eo quod recipiat aliquid intra se ipsam. Respondetur secundò, hoc argumentum esse frustraneum, & inualidum si ità conficiatur. Voluntas mouetur ab alio cũ primum appetit finem: ergo non cõcurrit efficienter ad actum amandi. Nam certè brutũ efficienter concurrit ad actum prosecutionis, & ad appetitionẽ finis, & nihilominùs mouetur ex instinctu naturæ. Intellectus etiam efficienter producit assensum fidei, sed nihilominùs mouetur à Deo per auxilium gratiæ suæ, & per illuminationem supernaturalem. Vnde hæc duo non pugnant ad inuicem, sed optimè cohærent inter se. Hæc potentia, aut facultas animę efficienter producit talẽ actũ, & nihilominùs mouetur ab alio, sicut è conuerso contingit, quòd res aliqua moueat alteram, & non concurrat efficienter ad actum illius. Quia voluntas mouet oculos ad videndum, & non concurrit efficienter ad actum visionis. Similiter voluntas per piam affectionem mouet intellectum ad credendum, sed efficienter non producit actum fidei, aut assensum. Ad replicam ibidem factam à pleriſque respondetur, quòd dupliciter potest aliquid esse in actu. Vno modo in actu formali, nimirùm; quia formaliter habet talem, aut talem actum. Alio modo in actu virtuali, nimirùm; quia virtualiter habet actum, quamuis non habeat eum formaliter. Impossibile namque est, quòd aliquid sit simul in actu formali, & in potentia respectu eiusdem, ac proinde dum mouet se, habet formaliter potentiam ad id, ad quod mouetur, & habet virtutem eiusdem productiuam. Vndè consequenter dicitur, quòd in diffinitione potentiæ actiuæ quando dicitur ab Aristot. Potentia actiua est principium transmutandi aliud, in quantum aliud, ly in quantum aliud, non reduplicat aliam rem, sed aliam rationẽ formalem, quando mouens, & motum sunt indistincta subiecto, putà dum voluntas causat in se actum suum. Nã in quantum est actiua volitionis, est aliud à se ipsa in quantum est receptiua eiusdem. Per hoc dissoluitur obiectio, qua aliqui ita colligunt; potentia actiua est principium transmutandi aliud in quantum aliud, sed voluntas nõ est res distincta à seipsa: ergo non potest esse principium transmutandi se. Nam certè particula illa, in quantum aliud, non reduplicat aliam rem, sed aliam rationem formalẽ, quando mouens, & motum sunt indistincta subiecto, vt dictum est.

Capreol. Soncin.

Respondetur ad argumen. primò per distinctionem de duplici actu formali, scilicet, & virtuali.

Secundò respondetur, quòd nõ valet aliquid mouetur ab alio: ergo non se mouet in tali actu.

Quòd verò voluntas se moueat in electione mediorum apertè constat. Quoniam illa potentia se mouet ad operandum, quæ etiam se applicat sua sponte ad operandum: sed voluntas hominis per deliberationem, & consilium se applicat ad eligendum media: ergo se mouet in electione mediorum. Et confirmatur. Quoniam intellectus ex assensu primorum principiorum mouet se ad assensum conclusionis per discursum: ergo pari modo voluntas per intentionem, & volitionem finis, se mouet ad volitionem mediorum. Patet cõsequentia. Quia ità se habet finis in practicis, sicut se habent prima principia in speculabilibus, ac proinde quòd in intellectu est assensus primorum principiorum, in voluntate est intentio & volitio finis, & consequenter, q' in intellectu est discursus ex principijs, in voluntate est electio mediorum pendens à volitione finis: ergo, &c. Item etiam, quia si loquamur, vt Philosophi morales loquuntur, voluntas quotiescunque agit sine vlla deliberatione, tunc in tali opere, quamuis efficienter agat, tamen non dicitur se mouere. Quoniam appetitiones naturales, vt tales sunt præcisè non dicitur in eis se mouere, sed potiùs quasi à natura ortæ. At verò in operatione, in qua voluntas agit media consultatione & deliberatione, tunc dicitur se agere, & se mouere, vt Philosophus moralis dicit. Sed in eligendis medijs vtitur consultatione, & deliberatione: ergo volũtas in electione mediorum propriè se mouet. Vndè voluntas in electione mediorum mouetur à volitione finis. Quia existens in actu per volitionem finis, se mouet ad eligenda illa, quæ ordinantur ad finem.

Quoad secũdam partẽ ostenditur conclusio.

CONCLVSIO SECVNDA.

Concluſ. 2.

Dr co secundò. Quamuis voluntas feratur necessariò circa finem aliquem propositum ei sub ratione boni vniuersalis, quantum ad specificationem, tamen quãtum ad illa bona particularia, & particulares fines, quos vel amat, vel intendit, liberè fertur quã tum ad specificationem. Hæc assertio videtur mihi esse Diui Thomæ. 1. p. quæst. 82. artic. 2. quo in loco Sanctus Thomas apertè di-

D. Tho.

cit voluntatem non ex necessitate velle ea, quæ vult. Et vt hoc ostendat, supponit, quòd sicut intellectus naturaliter ex necessitate inhæret primis principijs, ità volũtas vltimo fini. Intelligibilia autem quædam sunt, quæ nõ habent necessariam connexionem cum primis principijs, sicut sunt propositiones contingentes, ex quarum remotione non sequitur remotio primorũ principiorũ, & talibus propositionibus nõ assentitur intellectus necessariò, seu ex necessitate. Quædã verò propositiones sunt necessariæ, quę habent necessariam connexionem cum ipsis primis principijs: quales sunt conclusiones demonstrabiles ad quarum remotionem, sequitur remotio primorum principiorum. His verò intellectus assentitur ex necessitate, cognita connexione necessaria ipsarum ad principia, quod fit per discursum demonstratiuum. Cæterùm antequam huiusmodi necessitas connexionis cognoscatur per demonstrationem, non assentitur ex necessitate. Et idem processus debet considerari ex parte voluntatis. Nam sunt quædam bona particularia, quæ non habent necessariam connexionem ad beatitudinem. Quia sine illis potest aliquis esse beatus, & his voluntas nõ inhæret necessariò. Sunt præterea quædam alia bona, quæ habent connexionem necessariam ad beatitudinem, quibus nimirùm homo Deo inhæret, in quo solo cõsistit vera beatitudo. Verum tamen ante quã per certitudinem diuinæ visionis necessitas huius connexionis demonstretur, voluntas non inhæret ex necessitate Deo, neque his quæ Dei sunt. At verò voluntas videntis Deũ per essentiam de necessitate inhæret Deo. Ex quibus satis liquet voluntatem non ex necessitate velle quæcumque vult. Vnde in solutione ad primum, idem Sanctissimus præceptor dicit, quod quãuis volũtas nõ possit tendere in rem aliquam, nisi sub ratione boni, tamen quia bonum multiplex est, idcirco voluntas non ex necessitate determinatur ad vnũ.

Sicut intellectus primis principijs adhæret, & assẽtitur necessariò, alijs verò propositionibus non ita, pari modo voluntas vniuersali bono necessariò inhæret secus autẽ particulari

Sentio ergo hanc secundam conclusionem esse valde conformem doctrinæ D. Thom. 1. 2. quæst. 10. artic. 2. & quantum ad primam partem potest probari; quia proposito bono sub ratione boni in communi, quamuis voluntas non compellatur, aut necessitetur illud actu amare, tamen non potest voluntas illud odio habere, quia nullam inuenit rationẽ, mali in eo, & idcirco si vult exercere actum, talis actus debet esse amoris, & non odij, & hæc est necessitas quoad specificationem, & idem omnino est de fœlicitate in communi. Nam certe vt Diuus Augustinus plerumque dicit. 13. de Trinitate, cap. 4. & alibi non semel. Si interrogaretur quicumq; ex hominibus, vtrùm velit esse beatus, & non miser, sine dubio nullus esset, qui responderet se velle esse miserum, & non beatum: hæc autem est necessitas quoad specificationem. Ratio verò huius rei est. Quoniam in his obiectis, & similibus nulla apparet ratio mali; supponimus enim nihil posse odio haberi, nisi sub ratione mali, sicut neque diligi, aut amari, nisi sub ratione boni, & conuenientis.

D. Thomas est pro nostra conclus. quæ probatur quoad primã partem.

D. Aug. 3 de Trinit.

Secunda pars huius assertionis constare potest. Quoniam qui intendit habere scientiam, & consequi illam, & qui intendit cõsequi bonam valetudinẽ, non ita hæc diligit, quin possit ea odio habere, vel refutare. Et ratio est, quia in his particularibus bonis aliquando inuenitur in eis aliqua difficultas, vel incommoditas, aut defectus, ratione quorum bona hæc particularia displicere possunt voluntati. Et hac ratione etiam amor ipsius Dei est liber in hoc statu, nõ solùm quoad exercitium sed etiam quantum ad specificationem. Quoniam Deus quamuis secundum se sit bonum vniuersale, tamen apprehendi potest per modum cuiusdam particularis boni, & in eo apprehendi potest aliqua ratio mali, seu incommodi, in ordine ad effectus eius, & multò magis potest inueniri hæc incommoditas, & difficultas in intentione vel amore ipsius Dei, & idcircò potest à voluntate hominis refutari, & interdum Deus ipse odio haberi. Vnde à malis angelis etiam odio habetur.

Probatur assertio quãtum ad secundã partem.

Sed dices. Sanctum Thomam plerumque dicere hominem per voluntatem naturaliter appetere quædam bona particularia. Quia naturaliter appetit esse, viuere, & intelligere, & alia huiusmodi: sed appetitio naturalis includit saltem necessitatem quoad specificationẽ. Quare Sanctus Thomas. 1. 2. quæst. 10. art. 1. apertè dicit in huiusmodi appetitione voluntatem agere per modum naturæ, quod affirmat solutione ad primum. Quando verò voluntas operatur, vt natura tendit cum aliqua determinatione ad vnum; quia hic est modus operandi naturæ, huic obiectioni respondere possumus Sanctum Thomam. 1. 2. quæst. 10. artic. 1. non loqui de vlla necessitate, etiam quoad specificationem; sed solùm de modo operandi naturaliter, vt ex titulo illius articuli constare potest. Nam vt multi ex discipulis Diui Thomæ dicunt, illa vox naturaliter, non significat eo loco idem quòd necessariò. Quia S. Tho. apertè distinguit has duas voces in illo articulo primo, & in sequenti. Significat igitur ibi moueri naturaliter, idem quod moueri ex propensione naturæ. Nam ibi intendit S. Thom. docere voluntatem non solùm habere propensionem naturalem ad priuata commoda, & bona sua, sed etiam ad propria, & particularia bona aliarum potentiarum, aut partium ipsius hominis, & hoc pacto dicit voluntatem appetere vitam, sanitatem, & scientiam. Verumtamen simul cũ hac propensione naturali ad hæc priuata commoda, stat libertas quantum ad specificationem in appetitu elicito istorum bonorum; quoniã voluntas habet vim, vel suspendendi actum, ad quem inclinatur, vel etiam eliciẽdi contrarium; quando in obiecto esse potest aliqua

Obiectio.

S. Thom.

Respõsio ad obiectionẽ, quod volũtas ex Sancto Thoma non fertur in aliqua obiecta particularia naturaliter, id est necessariò, sed naturaliter id est ex propensione naturæ.

alia ratio, in qua huiusmodi actus possit fundari. Quòd verò hoc sit expressè de mente S. Thom. constat apertè ex eadem. 1. 2. quæst. 10. artic. 1. ad tertium. Quo in loco non obstante naturali illa propensione, vel motione, addit Sanctissimus Præceptor voluntatem ad nullum bonum particulare determinari, sed tantùm ad bonum in communi. Vbi palã loquitur de determinatione quoad specificationem. Quoniam vt in articulo secundo immediatè sequenti affirmat, etiam ad bonum in communi non determinatur voluntas quantùm ad exercitium, sed solùm quantum ad specificationem.

CONCLVSIO TERTIA.

Conclus. 3. Dico tertiò. Quamuis ad bona particularia, quæ habent connexionem necessariam cum fine vltimo, seu cum beatitudine in communi, necessitetur nostra voluntas quantum ad specificationem. Tamen non necessitatur quoad exercitium, neque respectu beatitudinis in communi, neque etiam respectu illorum bonorum, quæ habent necessariã connexionem cum illa. Hęc assertio expressè defenditur à S. Thom. 1. 2. quæst. 10. art. 1. & 2. & 1. par. quæst. 82. artic. 2. & de Veritate, quæst. 22. artic. 6. & est multorum discipulorum D. Thom. & est communis etiam extra gymnasium aut scholam. S. Thom. Prima pars huius assertionis aperta est, sed vt explicetur à nobis ampliùs aduertendum est, quòd tribus modis potest considerari voluntas nostra. Primò quidem, vt est potentia quædam, cui vt talis est, respondet bonũ in communi, tanquam vniuersale obiectum eius, à quo specificatur. Secundò potest considerari, quatenus à ratione dirigitur, & quatenus ab vno tẽdit in aliud, & est potentia rationalis, quæ sequitur rationem intellectus. Et sub hac ratione respondet illi vltimus finis, tanquam primarium, & connaturale eius obiectum, ex cuius desiderio, & appetitione mouetur ad alia bona particularia, sicut intellectus ex assensu primorum principiorũ procedit ad assensum cõclusionum. Tertiò consideratur voluntas, vt appetitus totius hominis, & vt sic naturaliter oppetit illa particularia bona, quę habẽt magnam connaturalitatem cum homine, vt esse, viuere, &c.

D. Tho. & eius discipuli sunt pro hac conclusione, & vt probetur ipsius prima pars, primò notand. voluntatẽ tribus modis considerari posse.

Notand. secundò. Rursus aduerte, quòd prima pars huius tertiæ assertionis potest intelligi duobus modis. Primò sanè quòd appetitus ad huiusmodi bona, ità sit necessarius quoad specificationem, vt regulariter loquendo, voluntas non possit velle contrarium, aut oppositum eorum. Licèt per accidens possit id velle. Quam interpretationem sequitur loco citato. 1. 2. quæst. decima, artic. 2. & etiam plures ex recentiori bus, & aduersarijs. Dicit enim Caietan. quod sicut in naturalibus reperiuntur aliqua, quæ semper, & omnino absque defectu aliquo contingere solent, vt cœlum moueri, & ortus, & occasus solis: quædam verò alia sunt simpliciter necessaria, ità vt eueniant fere semper, ali quando tamen deficiant, quãuis raro, vt quòd ex nucleo nucis nascatur arbor illius speciei, id quidem naturale est, & fere semper contingit, sed aliquando euenit: quòd alius effectus monstruosus oriatur: similiter dicendum est respectu voluntatis, quædam esse bona adeo necessaria, & connaturalia voluntati, vt impossibile sit omnino, quòd aliquando odio habeantur, hæc sunt bonum in communi, & vltimus finis, seu fœlicitas. Sunt tamen alia bona, quæ, vt in plurimum, & per se naturaliter diliguntur à voluntate, sed quandoque & per accidens possunt odio haberi, & huiusmodi sunt bona illa, de quibus est sermo in Prima parte huius assertionis, nimirùm, esse, viuere, &c. Nam cum bona hæc sint particularia, & non habeant intra se totam, & plenariam omnino rationem obiecti voluntatis, poterit intellectus quandoque in illis apprehendere, seu fingere aliquam difficultatẽ, vel aliquem defectum, propter quem non diligantur, vel odio habeantur.

Caieta.

Potest præterea prædicta pars conclusionis ita intelligi: quòd voluntas æqualiter determinatur, & inclinatur ad amandam, & volendam beatitudinem in communi, & ad volendum esse, & viuere, ità vt sicut est impossibile, quòd voluntas nolit beatitudinem, si tamen habeat actum circa illam, ità etiam sit impossibile, quòd voluntas nolit viuere, esse, & intelligere, si habeat actum circa eà. Quæ explicatio est etiam domini Caiet. in eodem loco citato circa solutionem ad tertium D. Th. affirmat enim S. Thom. Prima par. quęstio. 82. art. 2. quòd eadem necessitate, qua volumus finem vltimum, & fœlicitatem, volumus etiam media illa, quæ habent necessariã connexionem cum eo. Quod qua ratione sit intelligendum explicatur à S. Thom. artic. 2. quæstionis. 82. citatę primæ partis, & à Caietan. 1. 2. quæst. 10. art. 2.

Probantur duæ explicationes cõclus. quas Caiet. addu cit.

Quòd etiam volitio finis sit libera, quæ est 2. pars assertionis tertiæ probatur.

Quod verò voluntas ita libera sit, vt neque respectu beatitudinis in communi, neque etiã respectu eorum, quæ habent necessariam connexionem, & coniunctionem cum illa, necessitetur quoad exercitium, id expressè docuit Sanctus Thomas, de Veritate, quæst. 22. art. 6. & tam in Prima par. quam in Prima secundæ omnibus locis à me citatis. Fundamentum huius rei esse potest. Quòd voluntas non potest ferri in aliquod obiectum, nisi proponatur illi ab intellectu, sicut docuit D. Aug. vbi suprà: sed intellectus non necessitatur ad proponendum voluntati vltimum finem: ergo neq; voluntas necessitatur ad volendum. Et confirmari hoc potest; quoniam voluntas ità se habet in ordine ad finem vltimum, sicut se habet intellectus in ordine ad primum principium, teste Aristot. lib. 7. Ethicorum, cap. 8. & 2. Physicorum textu. 89. dicente ita

Aristot. 7. Ethic.

se ha-

se habere finem in appetibilibus, sicut principium in speculatiuis: sed intellectus non necessitatur quantum ad exercitium ad assensum primorum principiorum: ergo neque voluntas ad appetitum vltimi finis. Nam aliàs ex opposita sententia sequeretur maximum absurdum, nimirûm, quòd in appetitu vltimi finis nullum esset meritum.

Medina huius est sententiæ.

Bartholomæus Medina. 1. 2. quæst. 9. art. 4. apertè defendit hanc eandem doctrinam affirmans volitionem finis esse liberam, & voluntariam quantũ ad exercitium operis. Quia dum hanc vitam viuimus omnis operatio humana est libera; quod vel sola experiẽtia comprobari potest. Est enim situm in potestate nostra velle, & non velle, amare, & non amare. Quocirca cum Cardinalis Caietan. Prima secundæ, quæst. 9. artic. 4. scripsit, quòd prima volitio est naturalis, & non voluntaria, fortè non intellexit non esse liberam, aut voluntariam in exercitio actus, sed solûm intelligit non esse volitionem procedentem, aut caulatam ex deliberatione, & consultatione, aut ex simili præcedente volitione deliberationis, & consultationis. Sed quidquid sit de hoc, idem Caietanus 1. 2. quæstio. 10. art. 2. Dubio primò, putat voluntatem in primo actu circa finem necessitari quantum ad exercitiũ. Fauet ei Ferrara eius discipulus 3. contra gentes, cap. 61. Vbi affirmat, quòd si proponatur voluntati per iudicium practicum beatitudo, & fœlicitas in communi, amanda, & diligenda hic & nunc, in eo casu non potest voluntas nõ velle, & amare illud bonum propositum, suppositio inquam tali iudicio. Nam si voluntas vellet diuertere intellectum à tali iudicio eum amouendo, tunc minimè necessitaretur quoad exercitium, & ità absolutè loquendo non necessitatur ad exercitium, sed tantum ex suppositione illius iudicij, & permanentia, atque assistentia eius hic & nunc. Et hanc sententiam non esse improbabilem, neq; contra Diuum Thomam, quidquid aliqui recentes Theologi dicant, constat primò, ex ratione D. Tho. qua ostendit voluntatem, nullum habere actum simpliciter necessarium, quoad exercitium, siue circa finem, siue circa media: quæ ratio talis est. Voluntas in hac vita potest auertere semper cogitationem, intellectum, & iudicium à consideratione cuiuscunque boni sibi propositi: ergo voluntas absolutè loquendo non habet actum simpliciter necessarium quoad exercitium, siue circa finem, siue circa media. Quòd verò Caieta. dicit, & Ferrariensis cum eo, quòd si beatitudo proponatur voluntati per iudicium practicum, vt amanda hic & nunc ex tali suppositione iudicij sequatur amor, & dilectio in exercitio, hoc non est necessitari quoad exercitium absolutè, & simpliciter, sed ex suppositione, & secundum quid: quod quidem non repugnat cum hoc, quod est voluntatem non habere actum simpliciter, & omnino necessarium, quoad exercitium, siquidem in hac vita potest voluntas auertere semper cogitationem, cuiuscunque boni sibi propositi, & ob id tale exercitium semper est liberum..

Volũtatem necessitari in primo actu circa finem. Caietanus existimauit, & Ferrara cũ eo sensit.

Ratio pro hac sententia, quam defendunt Caietan. & Ferrara.

Dices rationem hanc Diui Thomæ nõ esse veram, aut non esse vniuersalem, quia prima hominis cogitatio est merè naturalis, quã homo auertere non potest: ergo non semper est positum in voluntate hominis auertere intellectum, & cogitationem. Hanc difficultatem optimè sensit Caietanus, sed profectò nõ est cur eum auerteret à sua sententia. Quia quamuis prima hominis cogitatio sit naturalis, & ob id non sit in potestate hominis non habere illam pro illo instanti, in quo eam habet, tamen est in potestate eiusdem hominis aduertere statim, tanquam agens morale, & eam repellere: si mala est: & hoc est sufficiens vt voluntas non dicatur necessitari quoad exercitium, cum illi sit liberum repellere illam cogitationem, non consentiendo, vel dissentiendo. Rursus etiam, quamuis prima illa cogitatio sit naturalis, tamen iudicium de obiecto diligendo, vel non diligendo potest non esse simpliciter, & omnino naturale: quia stante illa cogitatione aliàs naturali potest voluntas applicare intellectum, vt ad ferendum iudicium practicum magis rem consideret, & inquirat de illa. Quòd si intellectus nõ statim sufficienter aduertit, vt hoc sit in potestate voluntatis, tunc nondum adest sufficiens vsus actualis rationis, & consequenter non adest plena libertas actu, & inde sequuntur motus aliqui, quos S. Thom. indeliberatos appellat.

Obiectio cõtra rationẽ D. Thomæ repellitur.

Perpendere tamen valde oportet, quod quamuis plena, & perfecta cogitatio esset omnino naturalis, si tamen non proponeretur obiectum ab intellectu, tanquam bonum necessarium omnino, aut si non proponeretur actus ipse circa obiectum, tanquam necessarius etiã omnino cũ iudicio, nõ idcircò moueretur voluntas ex necessitate. Et ratio est; quia voluntas quando fertur in aliquod obiectum, non tantum vult obiectum, sed etiam virtualiter vult exercitium sui actus. Nam ille etiam est intrinsecè voluntarius, vt diximus suprà, & ob id ad hoc, vt necessitetur voluntas quoad exercitium, requiritur, quòd homo apprehendat, & iudicet tale exercitium hîc, & nunc tãquam bonum absolutè, & simpliciter necessarium, ità sanè, vt carentia illius actus non possit apprehendi sub aliqua ratione boni. Hoc tamen nunquam potest euenire in hac vita circa aliquem actum voluntatis, vt experimur semper: quia nulla ratio est vel occasio talis necessitatis. Quòd si quis errore sibi fingeret se habere tale iudicium hîc, & nunc de aliquo obiecto, & de exercitio actus circa illud obiectũ, tunc ex hypothesi, & ex suppositione illud exercitium dici potest necessarium, sed tamen in homine cordato absolutè non est exercitium illud necessarium omni-

Nota quòd quamuis cogitatio sit naturalis, si tamẽ per ipsam non proponatur obiectũ, vt bonum necessarium, non sequetur actus voluntatis necessarius.

no, nisi

no, nisi hoc contingat in homine, qui careat vsu rationis.

Aptior est interpretatio ista pro Sancto Thoma, quàm quæ à Caietano adducitur.

Hanc interpretationem à nobis datam cum solutione obiectionis propositæ pro Sancto Thoma, & eius schola magis aptam esse iudicamus, quàm sit illa, quæ traditur à Caietano 1.2.quæst.9.art.4.vbi ait Sanctum Thomam non negare simpliciter voluntatem habere aliquem actum necessarium quoad exercitiũ, sed solùm negare, quòd voluntas patiatur illam necessitatem ab obiecto; quod sanè verum est, quia tantùm prouenit à naturali conditione, & propensione ipsius voluntatis, & similiter S.Thom.dicit voluntatem quantum est ex vi obiecti posse auertere omnem cogitationem. Cui tamen sententiæ non repugnat, inquit Caietanus, quòd interdum voluntas ex tali dispositione, aut ex alia causa non possit talem cogitationem auertere. Sed quid quid sit de interpretatione Caietani Sanctus Thomas.1.par.quæst.82.art. 2. absolutè negat esse necessitatem quoad exercitiũ in voluntate nostra, & solùm concedit illam in visione beata, & non loquitur S.Thom.tantùm ex parte obiecti, sed absolutè de voluntate ipsa. Rursus, quia sicut voluntas nullum habet actum, nisi concurrente obiecto, ità sanè nullam patitur necessitatem in actu suo, si sermo sit de intrinseca, & connaturali necessitate, quæ non causetur ab obiecto in suo genere, nimirùm, in ratione causæ finalis allicientis, & mouentis metaphoricè. Quare etiam in statu beatifico Deus clarè visus, ità mouet voluntatem, vt in ratione obiecti, & finis vltimi illam ex necessitate determinet ad vnum. Nam etiam illa necessitas est intrinseca, & connaturalis voluntati, provt à charitate informatur: & hoc non repugnat doctrinæ S.Tho. 1.2.quæst.10. artic. 2. Quoniam ibi loquitur de voluntate viatoris tendentis in beatitudinem. Imò verò existimo traditam doctrinam desumi ex eodem Sanctissimo Præceptore, 1.par.quæst.82.ar.2.argum.secundo, cum solutione eius. Est enim tale argumentum S. Thom. *Obiectum voluntatis comparatur ad ipsam sicut mouens ad mobile, sed motus mobilis necessariò consequitur ex mouente: ergo videtur quòd obiectum voluntatis ex necessitate moueat ipsam.* Respondet Sanctus Thomas, *quòd mouens tũc ex necessitate causat motum in mobili, quando potestas mouentis excedit mobile, ità quòd tota eius possibilitas mouenti subdatur. Cum autem possibilitas voluntatis sit respectu boni vniuersalis, & perfecti, non subijcitur eius possibilitas tota alicui particulari bono: & ideò non ex necessitate mouetur ab illo.* En clarissimè sentit Sanctus Thomas possibilitatem voluntatis subijci bono vniuersali & perfecto, & idcircò ex necessitate moueri ab illo, ac proinde quotiescunque Sanctus Thomas reddit rationem alicuius actus necessarij ab intrinseco ipsius voluntatis semper assignat illam ex parte obiecti. Ex quibus patet Caietani interpretationem minùs validam esse in proposito, quàm par erat.

S.Tho. verba ex 1.p. referuntur.

Sed nihilominùs idem Caietanus multò meliùs sentit.1.par.quæst.41.artic.2.circa solutionem ad tertium, vbi conclusionem nostrã, & doctrinã secutus est dicẽs: voluntatem nostram in ordine ad beatitudinem in communi necessitari quidem quantum ad specificationem, non tamen quãtum ad exercitium. Rursus etiam idem Caiet. consequenter loquens ad hanc doctrinam in eadem 1.par.quæst. 63. artic.5.ad tertium, docet primam volitionem finis in Angelo fuisse quidem necessariam quoad specificationem, non tamen fuisse necessariam quantum ad exercitium, sed liberam. Hunc eundem modum sentiendi, quem nos hìc habemus tenuit non solùm locis citatis primæ partis, sed etiam in plerisque alijs, sed tantisper recessit in Prima secundæ deceptus in intelligentia S.Thom.

Caietà. meliùs sentit in alijs locis.

Sed contra assertionem nostrã, & pro Caietano se se offerunt obiectiones. Prima est. Iudicium primum intellectus est omninò necessarium, & à natura insitum, & voluntas nõ potest intellectum diuertere ab illo iudicio: ergo actus voluntatis, qui sequitur tale iudicium est necessarius quoad exercitium. Patet consequentia. Quoniam voluntas propterea non necessitatur quoad exercitium à suo obiecto, quia potest diuertere intellectum à primo iudicio. Secunda obiectio talis est. Ita se habet intellectus circa prima principia, sicut voluntas circa beatitudinem in communi, & è conuerso, sed intellectus circa prima principia iam apprehensa, & cognita necessitatur quantum ad exercitium ad iudicãdum, & assentiendum: ergo pari modo voluntas necessitatur ad beatitudinem in communi supposito iudicio practico intellectus. Tertia obiectio in hunc modum procedit. Voluntas non necessitatur quoad exercitium, quando in ipso obiecto potest apparere aliqua ratio disconuenientiæ, vel aliqua ratio difficultatis, vel mali, vel impedimenti alterius boni, sed in beatitudine in communi non potest apparere ratio mali, aut impeditiua boni; quia hoc esset contra rationem beatitudinis, & finis vltimi: ergo stante iudicio practico intellectus voluntas non potest cessare.

Obiectiones quædam cõtra conclu. prima.

Secunda.

Tertia.

Istæ obiectiones, quantum ego sentio non militant contra nos. Quia necessitas ex suppositione iudicij practici hìc & nunc, non facit necessitatem exercitij in voluntate, ità vt absolutè non sit liberum exercitium illud; vt satis explicatum est à nobis paulò anteà. Sed nihilominùs ad primam obiectionem respondetur negando maiorem, & ad probationem dico primò, illud iudicium esse quidem determinatum ex parte principij, esseque insitum à natura, quia non pendet à voluntate, sed nihilominùs esse indifferens, ex parte obiecti, quia non proponit obiectum, vt necessariò sequendum, sed ex modo quo proponi-

Ad obiectiones istas respõdetur ad primam.

tur obiectum per iudicium illud, relinquitur facultas intellectui, ad considerandam circunstantiam aliquam, propter quam, volūtas possit nō amare obiectum illud propositum. *Ad secund.* Secundæ obiectioni respondetur, quòd similitudo illa non tenet quantum ad omnia, sed solùm quantum ad duo. Primò quidem, quantū ad specificationem, quòd sicut intellectus necessitatur quoad specificationem, in ordine ad prima principia, ità voluntas etiam necessitatur in ordine ad beatitudinem in communi. Secundò quantum ad hoc tenet, quòd sicut prima principia sunt per se intelligibilia, & cōsequēter sunt causa assentiēdi cōclusioni, sic etiam beatitudo in cōmuni est per se appetibilis, & ex consequēti est causa, & ratio appetendi illa, quæ sunt ad finē. Ex alia autē parte est maxima dissimilitudo, & differentia in eo, q intellectus cognita connexione terminorum inter se non potest non assentire illis. Propterea, quod intellectus non est potentia libera formaliter: voluntas autem cum sit potentia libera formaliter, apprehensa beatitudine in communi potest cessare à volitione illius, propterea quòd in tali volitione potest apparere aliqua ratio mali, aut difficultatis aut impeditiua boni, ratione cuius voluntas diuertat intellectum Cæterùm si nulla appareret ratio mali, aut difficultatis, aut impeditiua boni, si semper permaneret iudiciū illud practicū, ex hac suppositione quāuis exercitium aliàs esset liberum semper omnino maneret, & diceretur necessarium non omnino & simpliciter, *Ad tertiã.* sed ex suppositione. Tertię obiectioni respōdetur fieri posse, quòd quamuis in obiecto illo non possit apparere aliqua ratio mali, tamen in actuali volitione illius possit apparere, quod quidem sufficit, vt voluntas in eo casu non necessitetur quantum ad exercitium. Nam certè in statu beatifico Sanctorum, vbi voluntas necessitatur quoad exercitium non potest apparere ratio aliqua mali, neque in ipso obiecto, neque in actuali amore illius. Quòd sanè prouenit ex eo radicaliter, quòd in obiecto illo apparet omnis plenitudo, & omnis ratio boni euidenter, & idcirco implicat, quod appareat aliqua ratio mali in illius amore.

An verò necessariò feratur voluntas quoad exercitium quotiescumque in ipsa operatione, aut exercitio, nō apparet aliqua ratio mali, aut non potest apparere. Similiter vtrùm voluntas possit necessitari quoad exercitium ab aliquo obiecto cognito, siue in via, siue in patria, & an possit ex iudicio aliquo practico necessitari quoad exercitium, dicemus dubio immediatè sequenti. Nunc verò adimpleamus promissionem nostram, de primo actu intellectus, & de primo actu voluntatis; An in his se moueant intellectus, & voluntas, vel potiùs; an voluntas moueatur à Deo, & non se moueat in illo primo actu, quamuis efficiēter, & vitaliter concurrant ad illum; voluntas ad suam primam volitionem, & intellectus ad suam primam intellectionem, de qua re aliam subijcio conclusionem.

CONCLVSIO QVARTA.

Concluſ. 4. Dico quartò. Valdè rationabile est voluntatem in primo suo actu, quo vult finem, siue sit sermo de primo actu totius vitæ, siue de primo actu voluntatis circa quodcunque negotium, quod nouiter se offert voluntati, voluntatem moueri ab aliquo extrinseco, siue moueatur à Deo, siue ab aliquo principio exteriori. Nam necesse est voluntatem in primum motum eius prodire ex instinctu alicuius exterioris mouentis. Pro intelligentia huius assertionis aduerte punctum difficultatis propositæ assertionis non consistere in eo; Vtrùm intellectus, & voluntas in primo actu efficienter se habeant ad eum. Quia sine controuersia vlla sentiendum est, tam voluntatem, quàm intellectum efficienter concurrere ad omnes suas operationes elicitas, & immanentes, sed difficultas solum est; An voluntas se moueat, & se applicet ad primum actum suum. Et similiter intellectus; An se moueat in suo primo actu. Nomine autem primæ intellectionis, aut primi actus intellectus ex Caietani sententia. 1. par. quæst. 82. artic. 4. possumus intelligere primam intellectionem simpliciter, quam puer nimirùm habet in primo totius vitæ initio, vel primam intellectionem in tali ordine, nimirū, quam aliquis in aliquo negotio nouiter tractando habet.

In quo ſita ſit difficultas declaratur, quod certum eſt ſupponendo

Caietan.

Rursus aduerte præsentem controuersiam difficultatem habere præcipuè in schola Diui Thomæ, qui Prima Secundæ, quæst. 9. art. 4. & 1. part. quæst. 82. artic, 4. apertè docet voluntatem non mouere se ipsam in prima operatione: imò verò loquens Sanctus Thomas de prima operatione intellectus Prima parte, quæst. 82. artic. 4. ad tertium, vt euitet processum in infinitū in intellectionibus, sicut in volitionibus affirmat non oportere procedere in infinitum, sed standum esse in ipso intellectu, & primam intellectionem reducendam esse in Deum. Et Caietanus mouet hoc dubium, cur reducitur à S. Thom. motus animi nostri in Deum, cùm in promptu esset causa proxima, scilicèt natura, in quam primus motus intellectus reducitur: & secundò interrogat, quid intelligit S. Thom. per hanc primam motionem, quæ à Deo fit. Vtrū intelligat generalem influxum in intellectualia in sui principio, vel specialem aliquam operationem, aliter in hoc, quam in illo. Voluit igitur Sanctissimus Præceptor. 1. 2. quæst. 9. artic. 4. citato, voluntatem non mouere seipsam in prima operatione seu volitione; quia si se moueret in ea, tunc operaretur ex priori alia volitione, & ità illa non esset prima. Et quoniam in prima operatione, & volitione, voluntas non se applicat ad volendum ex

S. Tho. doctrina ſuppoſita, maior extat, de hac re cō troueſia.

priori

priori alia voluntate, idcircò colligit Sanctus Thomas, voluntatē in primo ſuo actu ab alio extrinſeco principio moueri. Et addit vlteriùs, voluntatem eo modo, quo mouetur quantum ad exercitium actus, neceſſariò poſtulare aliquod exterius principium, à quo moueatur quoad exercitium: quia omne illud, quod quandoque eſt agens in actu, & quandoque in potentia, indiget moueri ab aliquo mouente, ac proinde cùm voluntas incipit velle aliquid, quod priùs nō volebat, poſtulat quòd moueatur ab aliquo ad volendum. Nam quamuis cum iam voluntas intendit, & vult finem, ipſa ſit, quæ ex tali volitione ſe ipſam reducit ad volendum ea, quæ ſunt ad finem, quod nō poteſt facere niſi mediante conſilio; tamen ante quam velit finem, & feratur in ipſum; quia non ſemper voluit actu illum, neceſſariū fuit, quòd inciperet velle finem. Et quoniam vt moueat ſe ipſam primò non habet aliquid, quo ſe reducat ad actum, neque priorem aliquam volitionem, à qua moueatur cùm ipſa ſit prima, aliàs eſſet proceſſus in infinitū: idcircò neceſſe eſt ſtare in prima aliqua volitione, & intentione finis, & quòd voluntas prorumpat in primum actum ad motum ſuum ex inſtinctu alicuius exterioris mouentis; quod ſanè quid ſit; An Deus ipſe, vel quidpiam aliud, non explicuit, quamuis in articulo ſexto ſequenti interrogauerit, vtrùm voluntas moueatur à ſolo Deo ſicut ab exteriori principio.

D. Anſelmus ſententiam Diui Thomæ amplectitur.

Diuus Anſelmus in Opuſculo de caſu diaboli, cap. 12. apertè ſenſit id ipſum, quòd D. Thom. de prima operatione, ſeu volitione ipſius voluntatis, quod voluntas non moueat ſe ipſam in ea, ſed moueatur ab alio. Et eius fundamentum eſt; quia quicunque ſe mouet ad aliquid volendum, mouet ſe ex priori alia voluntate: ſed prima voluntate non potuit eſſe alia prior: ergo nulla creatura rationalis poteſt ſe ipſam mouere ad primam voluntatem, ſeu volitionem. Quod fundamentum adducit Anſelmus, vt oſtēdat malum Angelum non mouiſſe ſe ipſum ad primam voluntatem. Ex quibus liquet difficultatem controuerſiæ huius ſitam eſſe, in eo, quod S. Thom. affirmat voluntatem nimirùm non mouere ſe ipſam ad primum actum. Nam certè primus actus voluntatis, neque eſt minus vitalis, neque minus ſpōtaneus, quam alij actus ipſius; vitalis enim operatio ſemper eſt à principio intrinſeco viuente. Et rurſus id quod ſponte, & voluntariè fit ſimiliter eſt à principio intrinſeco viuente cum cognitione finis. Et tandem difficile eſt, quòd S. Tho. dicit voluntatem moueri ab exteriori principio. Nam ſine dubio loquitur de exteriori principio efficiente. Dicit enim Sanctus Thomas, quòd cùm voluntas ſe mouet non dicitur ſe mouere, niſi moueat ſe mediante cōſilio, & ex aliqua volūtate præſuppoſita, & quia non debet eſſe proceſſus in infinitum, idcircò neceſſariū eſſe exterius aliquod mouens, ex cuius inſtinctu voluntas moueatur.

Ariſtoteles. 7. lib. moralium ad Eudemū. c. 18. loquens de primo actu intellectus ſic ſcribit: *Deus noſter, & quia author eſt naturæ, & quia creaturarum intellectualium peculiarem gerit prouidentiam, mouet intellectum noſtrum, non ſolùm quantum ad eas cognitiones, quas in exordio vitæ habemus, ſed etiam quantùm ad alias, quas habemus in tēporis progreſſu, quæ nobis inſunt, abſque præuio iudicio, aut deliberatione, & à Deo nobis immittuntur.* Quo in loco quamuis Ariſt. non dicat voluntatem noſtram moueri ex inſtinctu exterioris mouentis, tamen hoc affirmat de intellectu, & de prima operatione, & cognitione eius. Adde etiam quod Ariſto. in aperienda hac difficultate valde ſe torquet in explicatione eius: vnde ſit, & vnde ortum habeat, quòd ex hominibus quidam ſit aptus, & inclinatus ad Philoſophiam, quidam ad Poëſim, alius ad Aſtrologiam: & in ea re affirmat varias has hominum inclinationes à Deo prouenire, & proficiſci, ex quodam inſtinctu Dei dato ab ipſo.

Ariſtot. 7. moraliū. de intellectu in ſua prima electione à Deo moueri aſſerit, de voliū tate verò nihil dicit.

Homo ſecundū huius vitæ cōmunem viuēdi modū, & curſum, excitari ſolet ad primam volitionē, & cognitionē. Primò quidē, & proximè à Deo. Secundò ab Angelo cōmouente illius imaginationem, & deinde intellectū, nō ità vt proximè Angelus poſsit quidquam efficere in intellectum hominis, aut in imaginationem eius, niſi cōmouendo ſpecies. Tertiò ſolet homo ad primam cognitionem, aut cogitationem excitari per ſenſus exteriores, teſte ſanctiſsimo Aug. quando viſui vel alijs ſenſibus exterioribus aliquid occurrit. Poſtremò ſolet homo excitari ad primam volitionē, & cogitationē ex intēriori cauſa ipſius imaginationis, vt euenit in ſomnis. Verū perpēde omnes has cauſas Deū ſua prouidētia tali ordine diſpoſuiſſe, vt in tali, vel tali tēporis momēto fieret effectus, neq; tantū hac ratione ipſas diſpoſuit, ſed etiam voluit plura remouere impedimēta, quę has cogitationes impedire poſſent, aut repellere. Mirabiliter ergo S. Tho. locis citatis dixit primū volūtatis motū fieri ex inſtinctu alicuius exterioris principij, quamuis nihil definiat de tali principio, quod ſit, & an ſit Deus. Omittamus modo Ariſtotelem properantem in lib. illo ſeptimo moraliū ad Eundemum, cap. 18. citato, & recurrentem ad bonā fortunam, quā videtur ipſe cōſtituere cauſam, quę hominē applicat ad bonā cogitationē. Et quidquid ſit de hac bona fortuna, quam ille cōſtituit, ratione cuius Ariſto. ipſe probat bene fortunatū nō eſſe à natura, ſed à Deo mouente rationem, & impellente voluntatem. Nam dicit duplicem fortunā eſſe; vnā diuinam, per quam, qui bene fortunatus eſt, dicitur facere aliquid diuino numine adiutus, & hunc talem Ariſt. dicit agere, & operari ex impetu, & imperio diuino. Alterā verò dicit fortunam, quæ ſine diuino hoc impetu agit, iuxta quam

Regulariter plura ſunt, à quibus homo moueri ſolet in ſua prima volitione.

Ad fortunam recurrit Ariſto. vt aſſignet motorē voluntatis in ſuo primo actu.

ta quam homo dicitur operari ex natura, quã accepit. Nam hoc modo dici conſueuit aliquis bene fortunatus ex benigna quadam aſtrorum, & cœlorum conſtellatione, & ex tẽperamento naturæ, quod quis aſſecutus eſt.

Deus naturalium, & ſupernaturalium author, cuiuſcunque euẽtus cauſa per ſe ſtatuitur.

Cæterùm nos diuino edocti magiſterio, & ſupernaturali luce illuſtrati, multò meliùs ſentimus, quàm Ariſt. Affirmamus enim Deũ ſua prouidẽtia, & voluntate omniũ, quę fiũt, ſiue à natura, ſiue à caſu, & fortuna eſſe cauſam verã (repellamus peccata, qua ratione malitiam habent.) Vnde omnis euentus quantũcumq; fortuitus in ipſum Deũ reducitur, neq; ſolùm eſt verum, poſſe in ipſum Deum reduci omnes hos effectus, veluti in cauſam per ſe, ſed etiam veriſimè affirmamus nullam eſſe aliam cauſam naturalem per ſe fortuiti euentus. Hoc expreſſe ſenſit D. Aug. lib. 5. de Ciuitat. Dei. c. 9. dicens: *Nos fortunas cauſas, vnde & fortuna nomen accepit, non dicimus eſſe nullas, ſed latentes, quas tribuimus vero Deo, vel quorũlibet ſpirituum voluntati.* Quo loco D. Auguſt. nullam cauſam naturalem bonæ fortunæ aſſignat. Qua propter non eſt affirmandum aliquem eſſe aſtrorum concurſum, aut conſtellationem vllam, quæ hominem moueat, aut inclinet, quando imminet domus alicuius ruina, vt exeat à domo, ea nimirùm ratione, quia imminet tunc talis ruina, ſed alia omnino ratione diuerſa; quando quidem effectus ille ruinæ per accidens omnino coniungitur cum fuga, vel exitu à domo illa. De qua re legendus eſt Picus Mirandulanus lib. 4. contra Aſtrologiam, cap. 2. & 3. Henricus Quodlib. 6. q. 10. in ſolutione ad tertiam rationem. Legendus etiam eſt S. Thom. 3. contra gentes, ca. 92. & ſuper eundem locum Ferrarienſis; imò verò Scotus Quodlib. 21. eundem habuit ſenſum. Itaq; ſecundum doctrinam Chriſtianæ religionis ſentire oportet fortunam omnem noſtram diuinam eſſe, hoc eſt, euentum omnem & effectum, qui nobis fortuitus eſt, prouidentia, conſilio, & gubernatione Dei reuera euenire, vnũq; ad alium ordinari, & ex cõſequenti Deum velle, vt Paulus, verbi gratia, effodiat terram, vt reperiat theſaurum, quem non nouerat ibi adeſſe. Rurſus interdum in negotio iuſtificationis noſtræ euenit, vt ex pleriſque rebus, quas alio fine homines inueſtigabant iuſtificationis ſuæ ſeries ducat initium, & principium, Deo ita ordinante, diſponente, atque dirigente: aſſumente etiam Deo inſtrumenta, & motiua iuſtificationis noſtræ, prout ſibi placet. Quocirca tam prima gratia actualis, quàm illa, quæ noſtram iuſtificationem promouẽt, in bonam fortunam diuino numine, & diuina prouidentia, atq; directione ſtatutam, & directam reduci debet, ſiue hoc fiat per Angelos bonos, ſiue id nobis ex quibuſcũque alijs cauſis eueniat. Vnde D. Auguſt. lib. de correctione, & gratia, cap. 2. & deinceps ſemper affirmat homines nullum bonum facere volendo, & amando ſine diuino numine. Et S. Thom. 1.2. quæſt. 109. artic. 2. ſolutione ad primum poſtquam dixerat hominem eſſe dominum ſuorum actuum, & volendi, & non volendi, propter deliberationẽ rationis, quæ ad vtram q̃ partem flecti poteſt. Et ſimiliter poſtquã dixerat, quòd hominem deliberare, vel nõ deliberare, quamuis ſit dominus ſuæ deliberationis; nihilominùs oportere, quòd hoc fiat per deliberationem præcedentem. Et quoniã hoc non debet procedere in infinitũ, colligit Sanctiſsimus Præceptor neceſſarium eſſe, quòd finaliter deueniatur ad hoc, quòd liberum hominis arbitrium moueatur ab aliquo exteriori principio, quod eſt ſupra mentem humanam, nimirùm à Deo. Adducitq̃ue Sanctus Thomas Philoſophum in cap. de bona Fortuna, lib. 7. Moralium, ad Eudemum, cap. 18. *Ariſto. 7. moralium.* Prætereà colligit Sanctus Thom. quòd mens hominis etiam ſani, non ità intelligẽdum eſt, quòd habeat dominium ſui actus, quin indigeat moueri à Deo. Et Caietanus in commentario aduertit voluntatem hominis egere hac diuina motione ſpecialiter ad primum actum ſuum, ſeu exercitium eius. *Caieta.* Et iterum idem Caietanus. 1.2. quæſt. 9. in commentario quarti articuli dicit, quòd quamuis primus actus voluntatis ſit ex inſtinctu dato ab exteriori, nõ obiecto, ſed cauſa effectiua, Deo: ipſa tamen volũtas ex hac volitione finis iam data ſe ipſam mouet ad volendum alia propter finem, quod ſanè non poteſt conuenire brutis; quoniam ad omnia mouentur ab inſtinctu. Et ſubiungit Caieta. ſententiam S. Thom. eſſe, quòd ſicut generans graue, dat graui naturalem appetitum motus, & loci deorſum, & quòd idcircò ceſſante impedimento, graue ex appetitu accepto, mouetur deorſum, & quieſcit ibi: ita genitor volũtatis dat ei naturalem inclinationem in bonum, ità quòd propoſito per intellectum bono abſque impedimento, volũtas tendit in illud actu elicito, qui eſt volitio. Et hic actus dicitur eſſe ab exteriori agente, ea ratione, qua motus grauis dicitur à generante. Et meritò, inquit Caietanus; quia adhunc actum voluntas non concurrit, vt propter finem agens, ſed vt ad finem tendens, ex directione ſuperioris agentis ordinantis, & applicantis ipſam in hoc. Et propterea hic actus licèt ſit velle voluntatis, & à voluntate vt eliciente actum, non tamen eſt voluntarius, quia non eſt à voluntate, vt applicante ſe ad volendum, ſed naturalis: quia dator naturæ applicat ipſam mediante inclinatione data ad volendum. Oportet, enim, vt Sanctus Thomas dicit in prædicto quarto articulo, dari proceſſum in infinitum in voluntarijs, niſi deueniatur ad vnum non voluntarium, ſed naturalem actum voluntatis, in quo ſit ſtatus. Hæc Caieta. dixit, vt explicaret Sanctum Thomam, & reſponderet ad argumenta aliorum. Cæterùm hæc, quæ dicit examinanda ſunt à nobis inferiùs.

Picus Mirandulanus Hẽri. quod lib. 9. q. 10
S. Tho. 3. contra gẽt.
Ferrarien.
Scot.
D. Thom.

Fundamenta, & rationes ex quibus ostendi potest, quàm rationabilis sit S. Tho. sententia, suæque mentis explicatio.

D. Tho. in diuersis locis de vtroque voluntaris actu, scilicet, de illo, quẽ habemus in huius vitæ initio, & de illo, qui primo se offert in aliquo negotio ptractando loquutus est, quando asseruit in primo suo actu volũtatem non se mouere.

QVando Sanctus Thomas dixit voluntatem in primo suo actu volitionis nõ mouere seipsam, ad reliquos tamẽ alios actus, & mouere, & impellere seipsam, sine dubio locutus est D. Thom. de primo actu simpliciter, quem à principio suæ creationis habuit homo, vel de primo, quem habet homo in primo instanti vsus rationis. Et pari ratione idẽ intelligi potest de primo actu voluntatis, quem à principio Angelus habuit cum creatus fuit à Deo. Rursus etiam sententia Diui Thom. potest intelligi de primo actu in quouis negotio tractando, quod sese offert nouiter homini, aut Angelo, vt Caietanus asserit. Hunc sensum habet etiam D. Thom. 1. part. quæst. 82. artic. 4. quo in loco intendit primam intellectionem nostram ad hunc sensum reduci in Deum, quòd noster intellectus applicatur, & mouetur à Deo ad eliciendam talem operationem, & non mouetur vel applicatur à nostra voluntate. Et in hoc eodem sensu dicunt interpretes D. Thom. cum dixisse voluntatem nostram, quantum ad primam volitionem finis moueri à superiori instinctu, ideſt, applicari ab ipso Deo. Nam certè per hanc expositionem facile intelligitur, quo pacto vitetur processus in infinitum in volitionibus, & intellectionibus vtriusque potentiæ. Et similiter intelligitur illam primam intellectionem non esse à casu, neque à mouente inferiori. Vtrùm verò huiusmodi prima intellectio nostra, quamuis non sit ex motione nostræ volũtatis, nõ oporteat, quòd sit omnino necessaria, vel vtrùm si sit necessaria quoad specificationem possit nihilominùs esse libera, quoad exercitium, inferiùs est examinandum. Docet tamen S. Thom. de primo actu voluntatis circa negotium, quod sese nouiter offert, esse quidem affectum cuiuscunque finis particularis, & in eo moueri volũtatem nostram ad primam operationem ab instinctu alicuius exterioris principij; quod sanè ob id dixit Sanctissimus Præceptor, quia cum docet voluntatem se ipsam mouere intelligit per affectum circa finem seipsam applicare ad volendum ea, quæ sunt ad finem, media consultatione. Et quoniam in prima illa volitione non se applicat media consultatione, neque ex præcedente affectu erga finem, idcircò dixit volantatem non mouere seipsam in prima operatione, seu volitione, quia non se applicat ad volendum ex priori alia voluntate, atque ità in primo suo actu ab extrinseco alio principio, hoc est, à Deo mouetur specialiter. Est exemplum S. Thom. de eo, qui appetit sanitatem, cuius voluntas ex affectu sanitatis habet seipsam mouere ad quærendum media pro adipiscenda sanitate seu fine, quem intendit. Cæterùm ad affectum sanitatis, seu illius finis dicit S. Tho. voluntatem seipsam non mouere, sed ab aliquo exteriori instinctu moueri. Neque sufficit, quod voluntas in primo actu effectiuè, & vitaliter etiam concurrat efficiendo actum suum, sicut etiam oculus efficit visionem: quia in præsenti cum affirmamus voluntatem mouere seipsam, intelligimus voluntatem se applicare ad volendum finem, quod semper fit ex præcedente alia volitione, & ita non est simile de visione oculi.

Ratione suadetur veritas quartæ cõclusionis.

Sanè assertio huius nostri discursus non solũ loquitur de volitione vltimi finis, sed etiã de alijs finibus particularibus, quos Deus nobis proponit, & ad quos applicat voluntates nostras sua prouidentia sine deliberatione nostra aut consilio, vel discursu. Hoc autem esse verum probari potest primum: quoniam voluntas dicitur se mouere, & se applicare quãdo mediante deliberatione & cõsilio, se se mouet & applicat ad agendum, sed de fine vltimo nulla est deliberatio, aut consilium; quia nemo deliberat, an debeat appetere fœlicitatem, aut vitam, vel sanitatem: ergo in appetitione huius finis voluntas nõ se se mouet, neque se applicat. Patet consequentia. Quia sic se habet finis in rebus agendis, sicut primum principium in speculabilibus: ergo quemadmodum intellectus suaptè natura inclinatus est ad assentiendum primis principijs, ità voluntas ad appetitionem vltimi finis: ergo nõ dicitur se mouere, aut se applicare in appetitione huius vltimi finis. Et confirmari potest hoc. Nam quado quis à somno excitatus repente vult aliquod bonum, de quo nunquam cogitauerat, interrogo à quo moueatur voluntas in tali actu primo: nam certè non apparet à quo moueatur, nisi à Deo, cum nõ sit aliqua præuolitio, neque aliquis affectus prior, cùm ille sit primus, aliàs esset processus in infinitum, quem vt vitet S. Thom. asseuerauit primum actum voluntatis esse ab exteriori aliquo principio, vel instinctu.

S. Tho. ratio fideliter proponitur.

Ratio igitur S. Thom. talis est: *Omne mouens, quod se mouet tanquam rationale agens mouet se ex appetitione finis, cui afficitur. Vnde nullus motor incipit mouere, vel agere, nisi ex appetitu finis: ergo si voluntas mouet se ad primam volitionem, sequitur quòd se mouet ex præcedente appetitu finis, atque ita illa non est prima operatio voluntatis.* Caietanus in commentario articuli quarti citati. 1. 2. q. 9. format vim rationis D. Tho. hoc pacto. Omne agens agit propter finem appetitum, vel appetitu naturali, vel animali, aut intellectuali; sed voluntas mouẽdo seipsam, & mouendo etiã alias potẽtias, est verum agens: ergo ista prima operatio voluntatis est à voluntate ex appetitu finis, vel naturali, vel animali, vel intellectuali: sed non potest esse ex appetitu naturali;

Caietan.

quia sic non diceretur mouere seipsam: sed tũc dans naturam moueret illam, eo modo, quo grauia, & leuia mouentur à generante. Et ità talis actio non esset voluntaria, cum tamen voluntatem se mouere, includat in se voluntariè agere. Restat igitur quòd talis actio volũtatis sit ex appetitu animali, seu intellectuali, hoc est, ex volitione finis: sed agere ex præuolitione finis, & mediante consilio idē sunt, sicut cognoscere ex principijs, aut mediante syllogismo procedente ex illis idem sunt: ergo prima illa volitio finis, si non debet esse processus in infinitum reducenda est in principium aliquod extrinsecum: à quo moueatur voluntas.

Barth. Medina, Diui Tho. & Caiet. rationem expendit.

Bartholomæus Medina. 1.2. quæst. 9. art. 4. expēdit rationem Caietani, & Sancti Thomæ suppositio, quòd omne mouens mouet ex appetitione finis, & quòd motor non incipit agere, aut mouere nisi ex appetitu finis, ac proinde, quòd si volũtas mouet se ad primam volitionem, sequitur quod se mouet ex præcedente appetitu finis, & sic non est illa prima operatio, cum tamen loquamur de prima operatione voluntatis. Et sanè aliud est loqui de volitione finis, & aliud de volitione, vt à voluntate applicante seipsam ad volendum. Nam volitio nihil aliud est quã operatio voluntatis, qua vult, & certum est, quòd ad volendum sufficit voluntas cum obiecto cognito sub ratione conuenientis. Sed ad volēdum à se, ità quod particula, à se dicat causalitatē, & applicationem sui ipsius ad volendum, non sufficit voluntas cum obiecto, sed exigitur voluntas præuolens finem: quia velle à se non tantum importat velle, sed importat agere seu mouere: quod quia debet fieri propter finem, præexigit natura vel tempore appetitum finis; vt ipsa se applicet ex illo: quia tũc dicitur propriè se mouere. Et inde est, quòd illa prima volitio si non reducitur in aliam, & in aliam, & sic in infinitũ, quia debet esse prima, debet reduci in aliquod principiũ extrinsecum, à quo procedat in voluntatem.

Argumentum igitur, quod à discipulis Diui Thomæ pro defensione suæ sententiæ, & nostræ formari solet, si perpendantur bene, quæ diximus satis liquet, sed nihilominùs nouiores Theologi, ita id conficiunt. Omne agens agit propter finem appetitũ, quẽ intẽdit: sed voluntas agit se mouẽdo: ergo iste motus voluntatis est ab ea appetitu naturali, vel appetitu intellectuali: ergo si voluntas quando appetit finem se mouet sequitur talem motum ab ea esse, vel appetitu naturali, vel intellectuali ipsius finis: sed nulla ratione esse potest ex appetitu animali, vel intellectuali præcedente; quia hoc euidenter implicat. Nam sequeretur tunc quòd ante primam volitionem esset alia volitio. Relinquitur ergo, vt certum quòd appetitio finis fiat ex instinctu primi motoris. Anselmus igitur libro illo de casu diaboli, cap. 12. & Sanctus Thomas. 1. p. q. 82. art. 4. & 1.2. quæst. 9. art. 4. planè docent voluntatem non se mouere ad affectum alicuius finis si rectè intelligatur, quid est se mouere, sed solùm se mouere ad affectum circa media, non sanè; quia facultas voluntatis non sit principium efficiens volitionis ipsius finis, sicut etiam est principium volendi media, neq; etiã quia homo vel Angelus cũ ipsa facultate voluntatis non sint principiũ, quod volendi finem: sicut cum ipsa facultate voluntatis, quilibet eorum est principium volẽdi media, sed quoniam ad primum affectum finis, voluntas non se mouet ex priori aliquo affectu, quod est se mouere quasi per impulsum quendam à seipsa sibi impressum, sicut mouet reliquas potentias, & facultates: ad volendum autem media mouetur ex priori affectu, & ita voluntas ipsa quasi se ipsam impellit. Hæc est sententia Anselmi, & Sancti Thomæ. 1.2. q. 9. art. 4. vbi dicit. Et quidem ipsa voluntas mouet seipsam, in quantum per hoc, quòd vult finem reducit seipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem: hoc autem non potest facere nisi mediante consilio.

D. Ansel. D. Thom.

Rursus probatur hæc Sancti Thomæ sententia ex fundamento, & ratione, ipsius, quibus contendit probare Angelum non potuisse peccare in prima eius operatione in primo instanti creationis suæ. Est enim ratio S. Tho. talis. Prima operatio voluntatis debet esse à Deo, & ad eam voluntas non potest se determinare: ergo talis prima operatio non potest esse peccatum, aliàs peccatum tribueretur Deo, qui voluntatem Angeli ad talem operationem determinauit, & vt minimum sequitur non posse imputari culpam Angelo si ipse in prima sua operatione à Deo determinatur ad opus peccati: sicut nos in nostra sententia, tàm 1.p. quàm in 1. 2. diximus. Quòd autem prima voluntatis operatio à Deo sit, & quòd ad eam non dicatur in rigore se mouere voluntas creata, hoc est, quod dixit Anselmus loco citato, vbi affirmat Angelum nõ potuisse habere à se primam voluntatem, & idem affirmare debet de homine, quantum ad eius primam operationem. Fundamentum autem quo vtuntur Sanctus Thomas, & Diuus Anselmus est. Quoniam vt aliquis dicatur mouere seipsum ad aliquam volitionem, non sufficit voluntatem elicere actum volitionis ad quem homo concurrat cum sua voluntate, sed requiritur, quòd prius habeat aliũ actum voluntatis, ex quo se moueat ad sequentem actum. Verba autem Diui Anselmi loco citato hæc sunt: *Quod ergo nihil vult, nullo modo potest se mouere ad volendum.* Et hinc D. Anselmus, cap. 13. & 14. infert primam Angeli voluntatem esse à Deo. Est etiam alterum fundamentum Diui Thomæ; quia si Angelus in prima sua operatione peccare posset peccatum refunderetur in authorẽ illius: quia operatio, quæ simul incipit cum esse rei necessariò debet esse secũdum inclinationẽ naturę,

Ratio Sancti Thomæ, vt defendat Angelũ nõ posse peccare in primo instãti suæ creationis.

D. Ansel. verba.

Probatio D. Tho.

& secundum illud esse, quod creatura recepit à suo authore, siue tale esse sit naturale, siue supernaturale gratiæ: sed in primo instanti, sui esse, in quo creatus est Angelus, aut homo, vel aliqua alia creatura intellectualis; imò vero quæcumque creatura sit, non potest aliam habere inclinationem, aut dispositionem ad agendum, & operandum, nisi eam, quam à suo recepit authore: ergo operatio prima hominis, vel Angeli debet esse conformis inclinationi, & principijs acceptis ab authore suo: ergo operatio prima, quæ fuit in homine vel in Angelo tribuitur authori ipsius hominis, & Angeli, hoc est, Deo. Nã ineſt homini, & Angelo ab agente, à quo habet esse, sicut motus deorsum etiam est à generante. Ex quibus colligo, quòd prima operatio Angeli, & prima operatio hominis ineſt illis à Deo, quod

Caietan. supra in conclusione dixi. Caietanus. 1. par. q. 82. artic. 4. in explicatione D. Thom. vt explicet primam operationem intellectus, & quid intelligat S. Thom. per illam dicit quòd intellectio prima dupliciter dicitur. Vno modo simpliciter prima, quam nimirùm puer primo habet: alio modo prima in tali ordine, quam, scilicet, in aliquo negotio tractando aliquis primo habet, qualis est illa, de qua nullam habuit recordationem anteà, neque principium aliquod, sed quæ de nouo omnino aduenit, & quamuis de vtraque sit disputatio, tamen non est minor difficultas de secunda, quam de prima, & de secunda directe locutus est Aristot. loco citato in moralibus ad Eudemum. Et inquit Caietanus, quòd reducere has intellectiones in Deum cogit ratio eadem, qua astringimur reducere omnes motus in primum motum. Ita enim oportet reducere motum intellectionis primum, in primum intellectum in actu, & primã intellectionẽ in Deum, vt vniuersale, & primum principium intellectualium. Si enim motus intellectus puri reducuntur immediatè in primum intellectum, cum primas motiones in multis negotijs habeamus, ante vllam recordationem antecedentem, non ex electione, & discursu, sed nescientes, vnde eas habuerimus, consequens est vt principium primum talium intellectionum sit ipse primus intellectus, ratione suæ prouidentiæ, quam specialiter gerit de creaturis intellectualibus.

Auth. 1. p. q. 63. loquẽs de prima operatione Angeli bas adduxit rationes. Prima. Nos 1. par. q. 63. art. 5. vt explicaremus D. Tho. circa primam operationem Angeli, & par ratio videtur esse de prima operatione hominis creati à Deo, has attulimus ratiocinationes. Prima est. Ad Deum tanquam ad primũ agens spectat reducere in actum, id quod est simpliciter in potentia: sed Deus est purus actus: ergo ad illum spectat reducere in actũ, quod est simpliciter in potentia; sed tam homo, quam angelus in primo instanti sui esse sunt simpliciter in potentia, quantum ad operationem: ergo à Deo peculiari modo reducuntur in actum, tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis. Secunda ratio seu discursus est. Quoniam ad diuinam prouidentiam pertinet dirigere naturam intellectualem speciali modo, quãdo incipit operari iuxta illud Ioannis, cap. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum.* In quibus verbis duo insinuantur. Primum, quod rationalis natura speciali quodam lumine dirigitur. Secundò insinuatur, quod hoc lumen irradiat specialiter cum primum homo venit in mundum. Hæc autem directio specialis, & peculiaris tam est necessaria ex parte voluntatis, quam ex parte intellectus: ergo peculiari ratione refunditur in Deum, & tribuitur Deo. Ex his ergo discursibus satis liquet, quonam pacto primæ illæ operationes hominis, & Angeli specialiter in Deum referantur. *Secunda.* *Ioan. 1.*

Et fauet illud Isai. 65. dicẽtis. *Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me nõ interrogabant.* Quæ verba maximè conducunt ad probationem sentẽtiæ S. Thom. circa primam operationem, quæ nouiter se offert circa negotium aliquod; de quo nulla antecedens fuit recordatio, quam sanè operationem diximus esse affectum circa speciales, & particulares fines, ad quam operationem Sanctus Thomas dixit moueri voluntatem nostram ab instinctu alicuius exterioris principij. Nam certè cum voluntas non se applicet, neque moueatur ad primum actum sine cognitione aliqua præcedente; imò verò indigeat cognitione obiecti, quod nouiter se offert: quia non potest ferri in incognitum: rursus cum sola voluntas non possit esse causa, cur potiùs hoc obiectum, quam illud occurrat, idcircò indiget aliquo exteriori principio, à quo intellectus determinetur, vt potiùs hoc proponat quàm illud. Atque adeò cum voluntas moueatur ad primum actum ex tali cognitione, idcircò iure dicitur non mouere seipsam, sed potiùs moueri ab exteriori principio proponente obiectum; hoc autem exterius principium mouẽs, & determinans volũtatem ad primum actum per noui obiecti propositionem, non est vno modo in omnibus, quia in Angelis, verbi gratia, hæc prima propositio obiecti à solo Deo fit, & à nulla alia causa. Et ratio est. Quia ab alio Angelo non potest immutari intellectus, & voluntas illius, neque vnus Angelus curam gerit alterius; imò verò si vnus immutaret intellectum, & voluntatem alterius, & gereret curam eius tandem possemus abire vsque ad primum Angelum, & vltimus ad Deum, qui solus proximè moueret Angelum ad hanc potius cogitationem, quàm ad aliam. Homo verò excitatur proximè à Deo, secundo ab Angelo mouente imaginationem eius, & inde intellectum, commouendo species; tertiò excitatur homo ad primam cogitationem nouiter aduenientem per exteriores sensus quando visui, aut *Isai. 65.* *Principiũ exterius, de quo loquitur S. Tho. quòd mouet volũtatem in primo actu, non est vnum, & idem in omnibus Angelis, scilicet, & hominibus.*

auditui aliquid occurrit. Has omnes ercitationes,& plures alias,de quibus ſupra diximus Deus ſua prouidentia tali diſpoſuit ordine, vt tali, & tali tempore excitaretur homo ad nouas cogitationes, Deus ergo eſt ad quem reducuntur nouæ iſtæ cogitationes optimæ, & in quem reuocari debent inſtinctus illi,qui homini aduenium. Quare optime dixit Eſaias Propheta, cap.65.citato. *Inuentus ſum à non quærentibus me, palam apparui ijs, qui me non interrogabant.*

Hæc diximus de primis actibus voluntatis,quando velle incipimus,non ſolùm finem vltimum,in quem ab authore naturæ inclinamur, ſed etiam de primo illo actu voluntatis, quem nouiter habemus in peculiaribus alijs negotijs, in quibus voluntas hominis mouetur à Deo, & excitatur ſpecialiter. Hoc ſentiũt magni Theologi non ſolum in ſchola S. Tho.ſed extra illam etiam, qui recenter modo ſcripſerunt,qui loquuntur non tantum de prima volitione vitæ,quę eſt circa bonum, & circa finem vltimum,ſed etiam de prima operatione volũtatis, quam habemus in rebus nouiter agẽdis, quòd in ea moueatur volũtas ex inſtinctu primi motoris,exordinatione ſuę diuinæ prouidentiæ. Vndè Ariſt. 7.Moraliũ ad Eudemum.c. 18. propè finem inquit plerũq; nobis in mentem venire nihil anteà cogitanti bus efficacem quandam,& impetuoſam cogitationem,quæ ſecum voluntatem trahit, quã motionem non poſſumus referre, aut in noſtram inuentionem, aut nobis ipſis cum de re illa nihil cogitauerimus vnquam; vndè talis cogitatio reuocanda eſt in Deum. Nam certè experimur ſæpè ſæpius venire in mentem deſiderium,& cogitationem,de qua nihil deliberauimus,aut cogitauimus,vel meminimus, & experimur ſimul, quonam pacto voluntas noſtra feratur in rem illam impetu quodam: ergo talis appetitio ex inſtinctu Dei mouentis prouenit,& ex domicilio ſuæ prouidentię ſpecialis.

Ariſtot. 7. moraliũ, q nobis nihil cogitãtibus plerumq; in mentem aliqua venire contingunt cenſet,& id experientia ipſa cognoſcimus.

Recentes Theologi,vt oſtendãt aſſertionẽ propoſitam, non ſolum vtuntur illo teſtimonio Eſaiæ. 65. *Inuentus ſum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant,* Sed etiam vtuntur illo Ioannis, cap. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et quidem primum teſtimonium non eſt cur citetur in hoc ſenſu propriè,& in rigore,neq; habetur illo modo apud Eſaiam, quo ab eis citatur, ſed iſto: *Quæſierunt me, qui anteà non interrogabant, inuenerunt qui non quæſierunt me. Dixi,ecce ergo ad gentem, quæ neſciebat me, & quæ non inuocabat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas.* In quo teſtimonio,quod eſt principium illius capitis, literalis ſenſus non eſt is, qui adducitur à diſcipulis D. Tho. Quoniam in illis verbis, & in toto capite Prophetæ,oſtendit Chriſtus ſe fuiſſe quęſitũ, & inuentum à gentibus,quæ anteà in errore, & tenebris verſabantur. Aperuit enim illis Deus oculos aliquando,vt viam veritatis aſpicerent. Iudæos verò vocauit,& in cruce pendens ad eos,qui eum falſis criminibus ad mortem duxerãt,manus expandit. Quocirca principium capitis, in quo continẽtur relata verba, *Quæſierunt me, &c.* pertinet ad gentes, & continet earum vocationem:ab ijs iam tranſit ad Iudæos,quos propter peccata dicit reijciẽdos, ac proinde in verbis illis: *Quæſierunt me, &c.* Reſpõdet Deus ad orationẽ, & poſtulationem populi enixe petentis liberationem captiuitatis ſuæ. Quaſi dicat, & reſpondeat, querimoniæ illorum, dicẽs. In tantũ nõ ſum rigidus & crudelis,nec repello filios pœnitẽtes,vt etiã alienos,hoc eſt,gentes,quæ hactenus deditæ fuerunt erroribus,&idolis ſeruare velim. Quæſierũt enim me,ideſt,quærent,qui ante non interrogabant. Senſus eſt, futurũ eſſe vt gentes,quę iam nihil de me cogitant,me quærant,& quæ iã non quærunt me inueniãt, & agnoſcant. Et in illis verbis: *Ecce ego, &c.* ſenſus eſt. Conuertar ad gentes, & relinquetur vobis Iudæis domus deſerta. Iſte ergo eſt ſenſus illorum verborum. Et quamuis nõ propriè adducatur hoc teſtimonium ad rem, de qua agimus,nihilominùs in eo inſinuatur,quo pacto Deus irradiat intellectum hominis,etiã quando illum non quærit;quòd ſi hoc facit in ſupernaturalibus, id etiã facit in naturalibus, vt tenebras mentis repellat. Cùm igitur hoc ita ſit optimè quadrat teſtimoniũ illud Ioannis,cap.1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Cuius loci ſenſus non tantũ eſt de illuminatione diuina,& ſupernaturali, ſed etiã de illuminatione in ordine ad naturalia,quatenus Deus, qui eſt primus intellectus, & prima lux illuminat etiam creaturas intellectuales ad intelligendum, etiam naturalia. Nam inter optimas, & plures alias interpretationes, hanc etiam adducit S. Thom. ſuper Ioannem,capit. primo,& 1.par.quęſt.79.artic.4. Deus enim,qui prima lux eſt, & primus intellectus mouet hominem ad intelligendum, quando venit ad vſum rationis. Tunc namque dicitur etiam venire in hunc mundum,tanquam homo,& vir; quia ante rationis vſum, erat homo immundum veluti pecus. Diuus Cyrillus lib. 2. in Ioannem, cap. 9. expoſuit hunc locum de illuminatione diuina, per quam Deus in ipſa creatione contulit creaturis intellectum, & naturale lumen. Et quamuis à Sanctis Patribus etiam intelligatur locus hic de illuminatione in ordine ad ſupernaturalia, & de illuminatione, quam fecit Deus veniens in carnem, nihilominùs etiam poteſt intelligi teſtimonium hoc de illuminatione naturali, & de vtroque lumine ſupernaturali, & naturali.

Eſai.65.

Ioan.1.

D. Thom.

D. Cyrill.

Quo conſtituto in ſchola Diui Thomę poteſt confici hoc argumentũ. Ad Dei prouidẽ-

Quòd non ita aptè literalis ſenſus huius teſtimonij Iſaiæ.65. à diſcipulis D. Thomæ explicetur,& quæ ſit vera, & genuina ipſius explicatio.

tiam

tiam specialem pertinet deducere creaturas intellectuales in suum finem: ergo prima intellectio finis est ex diuina motione, & in Deum reducitur tanquam in primum motorem. Vnde prima Angeli operatio fuit naturalis, hoc est, à Deo data, ex inclinatione ab ipso authore gratiæ, & naturæ. Aliam conficiunt rationem Theologi de hac re, quę à nobis tacta est in superioribus. Quòd voluntas tunc se mouet, quando mediante consilio, & deliberatione se mouet; quia hoc est propriè se mouere: sed is, qui deliberat, aut consulit non deliberauit prius, aliàs fieret processus in infinitum in deliberationibus, & intellectionibus: ergo veniendum est ad vnam volitionem, & intellectionem, seu cogitationem, in qua standum est, quia non est referenda in aliam deliberationem propriam, sed in Dei motionem, & instinctum. Quod argumentum vires habet, tàm in sententia Diui Thomæ, quam in sententia Aristot. & verè probat, quòd quando incipimus velle absque alia deliberatione, & volitione præcedente, talis motio est ex superiori principio, & authore. Sanè sicut Deus, in quantum est author gratiæ, interdum mouet, & excitat homines ad fines supernaturales, & ad supernaturalia negotia, de quibus nulla in eis præcesserat cogitatio, quod est maximè conforme testimonijs illatis, & citatis, in quibus quidem operibus homo cognoscit se moueri, & se mouere, sed nescit vnde illa motio originem trahat: legimus enim Ioannis cap. 3. *Spiritus vbi vult spirat, & nescis vnde veniat, aut quò vadat*: non dissimiliter Deus in quantum est naturæ author, etiam mouet voluntatem nostram interdum ad quædam opera, de quibus nihil anteà meminimus; quod sanè Deus efficit, vt ostendat particularem prouidentiam, quam ipse gerit erga creaturam intellectualem, vt superiùs diximus Caietani sententiam recensentes. Quapropter sicut primi motus consequentes naturam tribuũtur Deo authori eius, sic motus isti, & instinctus immittũtur à Deo, quatenus ipse habet peculiarem prouidentiã de natura intellectuali, & rationali. Vnde ingeniosè, & elegantissime dixit S. Thom. quod quando voluntas incipit velle, non ex præuia deliberatione, mouetur ex instinctu primi motoris.

Ex Dei prouidentia argumentum desumitur pro reductione primæ intellectionis in Deum.

D. Thom. Aristot.

Ioan. 3.

Ad argumenta supra facta respondetur.

Ad argumenta respõdetur, & primùm ad ea quæ adducũtur p Capreolo.

AD argumenta, quæ initio secundæ Sectionis huius discursus pro Capreolo militant, dicendum est, interpretationem Capreoli esse contra Diuum Thomã, & præterea aduersari rectæ rationi. Quòd sit cõtra S. Thom. constat: quoniam S. Thom. 1. par. quæst. 27. artic. quarto, docet intellectum ex se non esse in actu primo ad intelligendum, nisi recepto in se aliquo ab extrinseco: voluntatem verò ex se esse in actu primo ad volendum: igitur ex sententia ipsius nõ requiritur, quòd ipsa recipiat aliquid aliud vt possit elicere operationem suam. Et 1. 2. quæst. 9. artic. 4. ad primum, & secundum, planè fatetur primum voluntatis motum, ad quẽ dicit voluntatem seipsam non mouere, aut applicare, esse ab ipsa voluntate, & non esse omnino ab extrinseco, & proximum illius principium esse voluntatem ipsam: primum verò principium esse extrinsecum. Ex qua quidem doctrina colligit Sanctissimus præceptor, & infert, primum motum voluntatis, ad quem voluntas seipsam non mouet, esse quidem voluntarium, & non esse violentum. Colligit verò S. Thom. motum illum primum esse voluntarium, quia ad rationem voluntarij sufficit esse à principio intrinseco. Neq; obstat dicere principium ipsum intrinsecũ moueri aliquo modo ab extrinseco, vt id quod procedit ab intrinseco principio sit voluntariũ. Infert autem S. Thom. non esse violentum; quia quamuis à principio extrinseco sit, tamẽ quia intrinsecum etiam confert vim, ob id non potest esse violẽtum. Rursus Capreolus apertè loquitur contra omnem rationem. Quoniam, primus actus voluntatis, spontaneus est, & cõsequenter debet esse à principio intrinseco, & præterea est actus vitalis, & ità debet esse à principio vitæ cõiuncto. Præterea Sanctus Thomas nomine primi actus voluntatis non solùm intelligit primum, quem habemus in tota vita, neque primum cùm peruenimus ad vsum rationis, sed primum in quouis negotio, vt dictum est. Primus verò actus in quouis negotio, quod se se offert de nouo potest esse vel bonus, vel malus, non enim requiritur omne negotium in nobis inchoari à motu voluntatis non deliberato, sed statim liberè incipere potest, vt constat experientia, si hi motus incipiant cum plena deliberatione, & cõsideratione vtriusq; partis, qua ratione Angeli potuerunt mereri in primo suo actu. Nõ enim requiritur, quòd gratia operans in nobis semper incipiat à motu voluntatis non deliberato; quia aliquando potest inchoari ex sola cogitatione: & tamen Sanctus Thomas inquit ad hunc actum primum voluntatẽ non mouere seipsam. Vnde Capreoli sensus, neque est rationi conformis, neque Diuo Thomæ. Dices, Voluntas non mouetur ab aliquo exteriori; quia motus voluntatis est voluntarius, vt dictum est, sed de ratione voluntarij est, quòd sit à principio intrinseco, sicut etiã est de ratione motus naturalis, quòd sit à principio intrinseco: non ergo motus voluntatis est ab aliquo extrinseco. Respõdetur de ratione voluntarij esse, vt dictum est, quod principium eius sit intra, sed non requiritur, neq; est necessarium, quòd principium intrinsecum sit primũ principium nõ motũ ab alio. Vnde motus voluntarius quamuis habeat

Obiectio.

Dissoluitur.

principiũ proximum intrinsecũ, tamen principium primum est ab extra, sicut & primum principiũ motus naturalis est ab extra, quòd nimirum mouet naturam. Quæ doctrina valde est notanda propter ea, quæ inferiùs dicenda sunt à nobis. Per hæc quæ diximus dissoluuntur rationes, & motiua Capreoli.

Ad argumenta Scoti, Ad primum, quòd prima volitio est volũtaria nõ vt obiectũ volitum, sed quia est in potestate nostra.

Ad argumenta Scoti etiam in principio huius secundæ Sectionis posita ad primum, quo vult impugnare rationem Sancti Thomæ respondetur, quòd prima volitio finis est volũtaria non vt obiectum volitũ, sed dicitur voluntaria, quia est in potestate nostra. Vndè prima volitio finis est voluntaria, quia est in potestate nostra velle, & nõ velle, amare, & non amare. Ex quo tamen non sequitur, quòd illa prima volitio non fit à Deo excitante. Imò verò ex hoc non sequitur, quòd si voluntas se moueat ad illam non debeat esse volita ex præcedente volitione; quoniam si voluntas se moueret ad eliciendam primam volitionem, iam tunc prima volitio esset volita ex appetitione alicuius finis, & sic optimè cõcludit Sanctus Doctor, quod fieret processus in infinitum.

Ad secundum, quòd ad primam volitionẽ satis est volũtas, & obiectũ per voluntatẽ propositum.

Ad secundum Scoti dico aliud esse loqui de volitione finis, & aliud de volitione eiusdem finis, quatenus deriuatur ex voluntate applicante se ad volendum; quia ad primam volitionem satis est voluntas, & obiectum propositum per intellectum. Volitio namque nihil est aliud, quàm actus voluntatis tendẽs in bonum. Cæterùm ad volitionem finis, prout oritur ex voluntate applicante se ad volendum requiritur, quòd voluntas per propriam operationem se applicet ad volendum finem. Cùm igitur illa propria operatio sit propter finem, necessariò dicendum est, quòd priùs vult finem, quàm moueatur in illum, & idcirco colligit Sanctus Thomas, quòd si voluntas se moueat in finem, dicitur se mouere per præcedentem volitionem, & quia non est procedere in infinitum necessarium est deuenire ad vnam primam volitionem, quàm habemus ex instinctu Dei mouentis. Ad confirmationem fatemur, volitionem finis esse voluntariam, & esse à principio intrinseco, sed non dicitur voluntaria tanquam obiectum volitũ, sed est voluntaria in ratione actus talis volitio, quia est in potestate voluntatis, vt Caietanus dixit. Vnde neganda est vltima consequentia confirmationis.

Ad cõfirm.

Ad tertiũ, quòd verissimũ est primũ actũ voluntatis esse effectiue ab ipsa voluntate.

Ad tertium dico, quòd tantum probat voluntatem nostram esse principium proximum efficienter, quod efficienter concurrit ad volitionẽ finis, ex quo non sequitur, quòd se mouet ad illum, aut quòd se applicet. Vndè cum homo se mouet ad cõsequendum finem, tunc dirigit media necessaria ad consecutionẽ eius, in quo differt à brutis; verùm non se mouet in appetitione finis, sed excitatur ab authore naturæ. Vndè homo se mouet in finẽ, non per actum, quo vult finem, sed per actũ, quo refert & dirigit media ad finem. Et perpende valde, quod secundum considerationẽ physicam voluntas potest dici, quòd se mouet in finem, quando vult finem, ex eo, quòd habet in se principium actiuum illius volitionis, at verò secundum considerationem moralem non dicitur se mouere in finem. Quia propriè tunc dicitur se agere, & se mouere in finem, quando agit ex præcedente deliberatione, vel ex præcedente appetitu finis, vt supra diximus.

Vltima, argumentorũ quæ ab aduersarijs obijciuntur resolutio.

Tandẽ argumenta, quæ ab aduersarijs fiũt contra rationes D. Thom. solùm probant appetitionem finis esse actum elicitum voluntatis. Cæterùm non probant, quòd non proficiscatur ex inclinatione voluntatis. Rursus appetere finem, intendere illum, ac desiderare, actus elicitus est à voluntate: sed quoniam non proficiscitur à voluntate, vt applicante se ad volendum, quoniam Deus author naturæ inclinat, & excitat voluntatem, vt velit finem suum, idcircò à plerisq; dicitur ille actus esse non voluntarius. Non quidem, quòd prima volitio finis voluntaria non sit; quoniam verè est in potestate nostra velle, & non velle, amare, & non amare. Sed quia est à Deo excitante, & quia secundum considerationem moralem in ea voluntas non dicitur se applicare, aut se mouere in finem, idcircò non dicitur esse illa volitio talis, qualis est illa, in qua voluntas dicitur in rigore se mouere in finem. Sed nihilominùs perpende, quòd quãuis voluntas moueatur ex instinctu Dei mouentis ad volendum finem, non inde sequitur, quòd illa volitio sit necessaria, & minimè libera. Quia Deus mouet vnumquodque secundum conditionem propriæ naturæ: liberum autem arbitrium mouet cùm modo eius libero liberè, agentia verò naturalia mouet cum modo eorum necessariò, & naturaliter non liberè. Et sanè certissimum est Deum mouere voluntatem, verbi gratia, ad piam affectionẽ fidei, & ad actum contritionis, & tamen non necesitare voluntatem nostram. Rursus Prophetæ locuti sunt Deo inspirante, & mouente intellectus, & voluntates eorum, at liberè operabantur. Itaque inclinatio nostræ voluntatis in bonum est quædã Dei inspiratio, quæ non aufert nostram libertatem. Verumtamen Deus aliquando illuminat, excitatque voluntatem nostram absque consensu voluntatis, seu absque libertate. Nam, vt inquit Augustinus impossibile est, quin visis tangamur, & hos motus subitos Theologi vocant coruscationes instantaneas, aut motus primo primos. De qua re legendus est Diuus Augustinus, Diuus Ambrosius lib. secundo, de Cain, cap. 1. & lib. 1. de Iacob, cap. 1. & Diuus Augustinus, lib. tertio, de Libero arbitrio.

Aliquando fit, quòd à Deo moueatur voluntas, sine ipsius libero consensu.

D. Aug. D. Ambr.

(*)

SECTIO III.

De libertate voluntatis quantum ad exercitium, vtrùm sit tam in patria, quàm in via?

DIXIMVS Etiam de hac re multa in disputatione proximè præcedente, vbi interpretati sumus, qualiter voluntas non necessitetur, quo ad exercitium, neque respectu beatitudinis in communi, neque respectu eorum, quæ habent connexionem necessariam cum illa, neque etiam in ordine ad bona particularia, etiam si cum vltimo fine habeant coniunctionem. Nunc verò examinare oportet, an possit necessitari voluntas in suis actibus ab aliquo obiecto, & est sermo de necessitate quoad exercitium operis. Et sanè pro explicatione huius dubij obseruare oportet, quòd intentio sumi potest pro actu voluntatis, qui nihil aliud est, quàm tendentia quędam in finem, quæ quando est cum cognitione finis, & mediorum, quæ ducunt in finem solùm potest conuenire creaturæ rationali. Et hac ratione disputant, tàm Philosophi morales, quàm Theologi de intentione; quoniam si sumatur intentio pro quadam tendentia in finem, sine vlla cognitione præuia in eo, qui tendit in finem, sic natura etiam intendit finem. Cùm igitur intentio sumitur pro actu voluntatis circa finem, potest respicere finem absolutè, nimirùm, quatenus est amabilis propter se, & sic talis intentio appellatur voluntas, etiam in communi modo loquendi, sumitque denominationem à potentia voluntatis. Si verò actus intentionis respiciat finem, tanquam terminum consequendum per certa media, sic intentio habet verè, & propriè rationem, & officium intentionis, Nam certè quando voluntas respicit finem, quem iam possidet, & habet, respectu huius finis habiti, & possessi non ponitur intentio in voluntate, sed fruitio, de qua disputant Theologi. 1. 2. quæst. 11. & est actus appetitiuæ potentiæ respectu finis possessi. Adde etiam quòd quamuis actus voluntatis supponat semper actum intellectus, & rationis, tamen inter omnes actus voluntatis nullus est, in quo magis reperiatur, & manifestetur ratio ordinis, & intelligentiæ, quàm in ipsa intentione voluntatis. Nam certè intentio, quæ respicit finem veluti terminum per certa, & ordinata media consequendum, verè supponit cognitionem finis, non vt cumque sed finis, qui se habet veluti terminus, & scopus illorum, quę in ipsum ordinantur. Ordinare autem opus rationis est, ac proinde in ipsa intentione plane cernitur ordo rationis, idque testatur Sanctus Thomas, de Veritate, quæst. 22. artic. 13.

Notandum quomodo in præsenti vsurpetur intentio.

In quo intentio, & fruitio distinguantur

D. Thom.

Ex hac doctrina colligo hanc impressionem rationis, & ordinis in intentione repertam, non conuenire voluntati secundùm se, sed quatenus ab intellectu mouetur, & ab ordinatione eius. Quoniam ità videmus, quòd quando duo agentia subordinata ad operandum coeunt: in inferiore agente subordinato cernitur quasi duplex motus. Vnus sanè proprius, hoc est, qui conuenit ei secundum suam naturam. Alter verò, qui ei conuenit, quatenus mouetur ab agente superiori, cui subordinatur. Neque hoc habet repugnantiam vllam, sicut in corporibus cœlestibus, quæ subordinantur primo mobili præter motum sibi proprium, & connaturalem, mouentur etiam ad motum primi mobilis, motu alio ab Oriente in Occidentē. Et causæ secundæ agentes non habent influxum sibi etiam connaturalem, vt constat in elementis, nisi cum quadam dependentia à cœlo, & à Deo, non tantum in essendo, & in sui conseruatione, sed etiam in agendo, & causando, sic ergo quòd voluntas hominis afficiatur ad finem est voluntati connaturale. Quòd verò aptè, & oppositè cum quadam ordinatione per statuta media tendat in finem, hoc quidem voluntati conuenit quatenus dirigitur à ratione, ac proinde intentio est actus voluntatis ex directione intellectus proueniens. Sed in hac acceptione loquimur de intentione in toto rigore. Nam intentio communiter solùm sumitur pro tendentia in finem, cum cognitione eius, in quo est magis, vel minùs perfectè. Et quamuis apud Diuum Bonauenturam in 2. distinct. 38. artic. 2. quæst. 2. intentio dicatur habere duplicem actum; vnum intellectus, alterum voluntatis, & vtrumque circa finem, à qua sententia non abhorret Scotus omnino, tamen sentio intentionem esse actum solius voluntatis directè, cum respectu & ordine ad actum intellectus conferentem finem cum medijs. Et hanc esse sententiam Diui Thomæ testātur discipuli eius, & ante ipsos Diuus Thomas, Prima secundæ, quæst. duodecima, artic. primo. Conradus eodem loco, & Bartholomæus Medina, Durandus in Secundo, distinctione trigesima octaua, quæstio. secunda. Ricardus ibidem, artic. 3. quæst. prima. Dixi Scotum non plurimum recessisse à Bonauentura. Quoniam in Secundo distinctione trigesima octaua, quęstio. prima. videtur mutasse sentētiam cum Gabriele eius assecla in Secundo, distinct. 38. quæst. 1. artic. 3. dub. 1..

Quod voluntas moueatur in finē propriū est ipsi, & tom naturale: quòd verò aptè, & cū quadam ordinatione mediorū cōuenit ipsi quatenus à ratione dirigitur.

D. Bonau. & Scot.

Intentionē esse actum solius voluntatis cū respectu ad actum intellectus tenēt Conrad. Medina. Durand. Ricard.

Est de hac re testimonium Diui Ambrosij relatum à Diuo Augustino, lib. de spiritu, & litera, cap. 4. vbi ait: *Affectus, operi tuo nomen imponit*, id autem quod nomen imponit operi est ipsa intentio, ac proinde intentio est affectus. Sanctus Thomas ad rem hanc comprobandam in Secundo, distinctione. 38. q. prima, art. 3. hac vsus est ratione, quæ sic procedit. Illius facultatis est intendere, cuius etiā

D. Ambr. D. Augu.

D. Tho. ratio pro hac veritate.

Electio etiã pertinet ad voluntatem, eſt enim actus ipſius cũ reſpectu ad actum intellectus.

eſt fugere, & proſequi: at proſequi, & fugere eſt voluntatis, & non intellectus. Nam intellectus ſolùm iudicat fugiendum, aut proſequendum eſſe aliquid: ergo intentio per ſe eſt actus voluntatis, & non intellectus. Pari etiã ratione electio directè pertinet ad voluntatem connotando reſpectum ad intellectum ordinantem. Hæc autem intentio ſub hac acceptione etiam ſi ſupponat ordinationem, & reſpectum ad intellectum ordinantem, verè eſt actus liber voluntatis, in quo voluntas etiam ità ſe habet, vt in poteſtate eius ſitum ſit, non intendere finem iſto modo, nempè, cum quadam directione, & ordinatione, aptè, & appoſite per ſtatuta media. Sic enim intentio actus eſt voluntatis ex directione intellectus proueniens, vt dictum eſt, & non eſt ſimplex intentio, quæ appellatur voluntas communi nomine.

Quorũdam ſententia aſſerentium in patria poſſe eſſe actum liberum amoris Dei quantũ ad exercitium.

His ità conſtitutis, quæritur in præſenti an voluntas poſſit moueri neceſſariò ab aliquo obiecto quoad exercitium. De qua re ſunt qui dicant, quòd ſicut beati in patria diuerſas habent intellectiones, & varias cognitiones; vnam quidem quidditatiuam, & euidentem de Deo per viſionem, qua intuentur ipſum, alteram verò per nouas reuelationes extra verbum, vel per alias ſcientias: ità quidem dicunt beatos habere diuerſos, & varios actus voluntatis circa Deum, qui inſequuntur hunc modum cognoſcendi diuerſum, nimirùm, actum voluntatis, & dilectionis neceſſarum quantum ad exercitium, & minimè liberum, in ſequentem viſionem beatificam, & alterum actum voluntatis inſequentem cognitiones alias, quæ vel fiunt per reuelationem, vel per ſpecialem ſcientiam extra verbum. Et hunc actum dicunt eſſe liberum quantum ad exercitium; quia poteſt voluntas ab illo ceſſare, ſicut & intellectus ipſe poteſt nihil cogitare. Et authores huius ſententiæ dicunt vlteriùs voluntatem in ſuis actibus electionis, vel intentionis ſuperiùs dictæ, non neceſsitari abſolutè quoad exercitium, etiam in patria ab aliquo obiecto, quod ſit medium vel finis. Quia, vt dicunt poteſt beatus habere actum circa ipſum Deum, qui ſequitur cognitionem ipſius non beatificam, & tunc talis actus erit liber libertate exercitij.

Caieta. ſenſit voluntatem nõ poſſe neceſſitari in aliquo ſtatu ex parte obiecti, vt obiectũ eſt.

Caietanus putat voluntatem non poſſe neceſſariò moueri quantum ad exercitiũ ex parte alicuius obiecti, vt obiectum eſt. Vndè dicit non poſſe eſſe efficaciam alicuius obiecti tantam ſupra voluntatem, vt eã poſſit neceſſariò quoad exercitium mouere, aut eam ita inclinare, vt neceſſariò moueatur quoad exercitium. Secundò dicit, naturam voluntatis eã eſſe, vt ſi aliquando volũtas ſit, aut reponatur in tali ſtatu, vel in tali diſpoſitione naturali, vel ſupernaturali per charitatem, tunc neceſſitate quadam naturali actu moueatur, & inclinetur quoad exercitium circa tale obiectũ. Hoc videtur eſſe dictum à S. Tho. 1. 2. quæſt. 10. art. 1. ad ſecundum, vbi inquit. *Non oportet quòd voluntas ſemper actu velit, ſed ſolũ quando eſt in aliqua diſpoſitione determinata.* Addit tamen Caietanus, quòd in tali caſu illa neceſſitas exercitij non prouenit ab ipſo obiecto, vt ſic, ſed ab ipſa natura voluntatis, vel charitatis, quæ poſita in tali ſtatu, vel in tali diſpoſitione fertur neceſſariò quoad exercitium in illud obiectum, & non habet libertatem ad ſuſpendendum exercitium, neque ad ceſſationem illius actus, ſicut conſtat in potentia viſiua, quæ non impedita neceſſariò fertur in colorem, & graue non impeditum neceſſariò fertur in centrum. Illa tamen neceſsitas exercitij, neq; prouenit à calore, neque à centro, ſed ab ipſa natura potentiæ viſiuæ, & à natura grauitatis in ipſo graui, quæ poſita in tali diſpoſitione, & ſtatu ſi non impediatur neceſſariò fertur in obiectum, & in centrum, neceſsitate exercitij. Itaque ſententia Caietani eſt intelligenda formaliter, quòd voluntas à nullo poteſt obiecto neceſsitari quoad exercitiũ, quatenus obiectum eſt; quia à nullo obiecto vt tale eſt, mouetur ad exercitium. Quod S. Tho. dixit aperte. 1. 2. q. 9. art. 1. affirmans intellectum quatenus proponit obiectum voluntati nullo modo poſſe eã mouere ad exercitium, ſed tantum ad ſpecificationem. Ac proinde idem S. Tho. ſubiungit artic. 3. & 4. ſequenti quòd voluntas non mouetur ad exercitium, niſi à ſe ipſa, & à Deo, ex quo ſequitur à fortiori, quod à nullo obiecto neceſſariò moueatur quoad exercitium. Et ex hoc diſcipuli D. Tho. intulerunt, quòd quando voluntas hominis in patria neceſſario mouetur ad amorem Dei quoad exercitium, id quidem non prouenit ab obiecto ipſo beatifico, vt obiectum eſt, ſed ab ipſa natura voluntatis, & charitatis, quæ quatenus eſt in tali diſpoſitione, & ſtatu, neceſſariò mouetur neceſsitate exercitij in Deum clarè viſum, ità vt non poſsit ſuſpendere exercitiũ, neque ceſſare ab illo actu videndi, & amandi Deum.

D. Thom.

Hæc ſententia Caietani viſa eſt ingenioſa, & acuta quibuſdam: cæterùm dicunt eam non eſſe valde conformem ſuo præceptori, & doctori Sancto. Quoniam Sanctus Thomas. 1. 2 quæſt. 10. art. 2. probauit, quòd voluntas nunquam mouetur ad exercitium ab obiecto, & 1. par. quæſt. 82. artic. 2. non inquirit, vtrùm voluntas moueatur ex aliquo obiecto neceſſariò quoad exercitium, ſed tantùm interrogat, *Vtrùm propoſito aliquo obiecto ſequatur in ipſa voluntate motio neceſſaria ad exercitium.* Et reſpondet negatiuè, ex eo quòd voluntas libere poteſt remouere, & repellere cogitationem cuiuſcunque obiecti, & conſequenter nõ velle illud. Quod expreſsé dixit in eadẽ. 1. 2. quæſt. 10. citata, artic. ſecundo, in corpore. Vndè ratio, quæ contra Caietanum militat eſt; quia Sanctus Thomas in ſua probatione

S. Thomas. 1. 2. q. 10. art. 2.

non

non solùm assumit voluntatem, quantum est ex parte obiecti, posse remouere cogitationem illius, sed etiam assumit in eadē probatione, quòd proposito quocumque obiecto voluntas reuera est libera, vt possit amouere de facto cogitationem illius, & consequenter non necessitatur, ad exercitium in ordine ad tale obiectum.

Capreolus nō posse aliqua ratione volūtatem necessitari quoad exercitiū in hac vita sensit expresse.

Capreolus in 1. distinct. 1. quæst. 3. in discursu quartæ conclusionis apertè docet voluntatem, non posse necessitari, quoad exercitium ex aliquo obiecto, in hac vita, & pro hoc statu, in quo sumus, in quo potest repræsentari intellectui ipsa suspensio exercitij, & cessatio eius sub ratione conuenientis, aut sub ratione boni, sicut etiam potest repræsentari ipsum exercitium operis sub ratione difficilis, quamuis ipsum exercitium operis, seu ipse actus voluntatis versaretur, circa ipsum Deum in via. Hanc esse sententiam D. Tho. probat Capreolus 1. 2. loco citato, ex eo, quòd de quocumque obiecto potest homo, in hac vita non cogitare amouendo intellectum, & applicationem eius ab illo obiecto, & applicando ad aliud distinctum. Secus autem esset in statu beatifico, in quo voluntas non potest suspendere actum diligendi Deū, quem intuitiuè cernit intellectus. Quocirca non obstat illud, quod habetur de veritate quæst. 22. art. 6. quòd quantum ad exercitiū actus, semper inest libertas voluntati, in quocumque statu naturæ, & respectu cuiuscumque obiecti. Quia solerter D. Thom. dixit, *in quocumque statu naturæ*, vt excluderet statum glorię. Idem sensit de veritate quæst. 24. art. 8. ad 2. vbi S. Thom. etiam excludit statum gloriæ ab ista libertate exercitij, qua hîc in via vtitur voluntas, etiam dum habet habitum gratiæ, & charitatis.

Probat id Capreolus.

Aliorum ducēdi modus proponitur.

Sunt qui dicant quòd necessitas exercitij, in beatis prouenit ab illo obiecto beatifico, non quidē, vt præcisè est obiectū, sed vt est summū bonū intuitiuè cognitum, & quoniā in via nullum obiectum est summum bonū clare visum, idcirco hic in via, non potest necessitari voluntas necessitate exercitij. Nam certè quoniam in obiecto illo beatifico, vt clarè visum est, nulla potest apparere ratio mali, aut difficultatis, & ex alia parte in eo apparet intuitiue omnis ratio boni, idcirco voluntas hominis beati necessitatur quantum ad exercitium, ad dilectionem actualem illius obiecti, quod quidem in via, & pro hoc statu, in quo Deus non videtur intuitiuè, euenire non potest.

Hoc non esse de mente S. Thom. asseritur

Hæc sententia non est de mente S. Tho. Quia summa illa, & infinita bonitas clarè, & intuitiue visa, tota se tenet ex parte obiecti, & ex parte intellectus, sed tam obiectum, quàm intellectus mouent voluntatem præcisè, quantum ad specificationem, & nullo modo possunt mouere voluntatem, quantum ad exercitium: ergo. Bartholomæus Medina prima secundæ, quæst. 10. art. 2. dubio primo vult, necessitatem exercitij, in voluntate prouenire ex eo, quòd beatifica visio habet se veluti imperium efficax, & tanquam iudicium certum, & euidens de summo bono, cui voluntas non potest non obtemperare. Sed certè hæc responsio est difficilis: quia intellectus in actu imperij suam efficaciam habet ab ipsa voluntate, quæ est primum mouens quantum ad exercitium. Secundò, quia cùm in ipsis beatis visio, & amor sint operationes naturales, & necessariæ, efficacia earum non debet tribui illi imperio intellectus. Nam imperium semper versatur circa actus liberos, sed debet reduci ad diuinam motionem, & ad naturam voluntatis, quæ posita in tali dispositione, & in tali statu, vt dicebat Caietanus, mouetur naturaliter, quantum ad exercitium. De qua re infra dicemus.

Medina ab ipsa visione beatifica veluti ab efficaci imperio putat prouenire necessitatē volitionis in patria.

Difficilis indicatur hæc sententia.

CONCLVSIO PRIMA.

Conclusio prima.

His ita constitutis, dico primò. Homo, & quælibet alia creatura rationalis, si consideretur, vt est in via, & sumatur in hoc statu, in quo sumus, in quo non cernimus clarè Deum ipsum, ita suapte natura est disposita ex parte intellectus; vt bona particularia, imò, & Deum ipsum possit diuersimodè, & variè apprehendere, hoc est, sub diuersis rationibus, & modò intensiùs, & efficaciùs, modò verò remissiùs, & aliquando hoc sub efficaciori ratione, quàm aliud, & modò hoc intensiùs, quàm aliud, & modò hoc, & modò oppositum. Fundamentum huius rei est, quòd bona particularia, & specialia apta nata sunt apprehendi vno, vel altero modo, & hoc, aut illo apparere: Deus etiam ipse quandiu non cernitur sicuti est, sed obscurè, vt in hac vita, similiter potest hoc, & illo modo apprehendi, & apparere, & sub alia, atque alia ratione efficaciùs aut remissiùs. Quare cùm libertas voluntatis fundetur in hac varietate, & in hac indifferentia intellectus, & rationis, vt superiùs fusè deduximus, ex Sancto Thoma prima parte, quæstione 83. articulo primo, & deinceps; sequitur apertè voluntatem creaturæ à nulla re posse in hac vita determinari quoad exercitium, sed ita ferri in quamlibet creaturam, aut in quodlibet obiectum, vt possit ferri in oppositum, vel saltem possit non ferri. Rursus etiā cum nulla cognitio, sit in hoc statu tam aperta, & clara, vt repræsentet omnem rationem boni in obiecto, ita vt in eo non possit apparere aliqua ratio difficultatis, aut efficacius aliqua ratio mali, quam ratio boni, inde efficaciter deducitur, in hac vita non posse voluntatem necessitari quoad exercitium. Nam profectò cùm ratio virtutis, sit patti-

Proposita cōclusio probatur ex diuerso modo, quo res in hac vita apprehendi cōtingit.

Ex eo quòd in obiecto apprehenso non repræsētatur omnis ratio boni eadē veritas suadetur.

culare bonum non potest res illa, quæ est secundum virtutem, ita apparere sub omni ratione boni, aut sine omni ratione difficultatis, vt voluntatem ex se liberam, ad se necessario trahat, Quia non potest efficacius repræsentari sub omni ratione boni, quàm oppositum, aut quàm ratio difficultatis, quæ cum ipsa est coniuncta. Voluntas autem attracta ab aliquo contrario, vel oppositio virtutis, vel existente defectu attentionis, vel considerationis in intellectu pro hac vita, iam voluntas deficeret ac proinde non necessitaretur quoad exercitium.

Ex innata libertate qua in hac vita fruit rationalis natura ostenditur assertio.

Moueor etiam ad hoc ex ratione libertatis cuiuslibet creaturæ rationalis. Quia si voluntas creaturæ libera est circa aliqua obiecta, vel circa media, vel circa finem intendendo ipsum per certa media, & ordinata ex directione intellectus, vt in exordio huius disputationis diximus, tunc talis voluntas suaptè natura est libera, sed facultas ex se libera hoc habet perse, vt à bono, quod non proponitur sibi efficaciùs sub omni ratione boni, & cum omni exclusione mali, aut difficilis, non possit necessario trahi necessitate exercitij: ergo cum tale sit quodlibet bonum etiam virtutis in hoc statu, sequitur non necessitari voluntatem quoad exercitium vllo pacto.

Eadem ferè ratio magis roboratur.

Moueor rursus, ad explicandum exercitium voluntatis creatæ liberum, in hac vita. Quia vt nos diximus in disputatione de Angelis, Deus sicut non potest facere creaturam rationalem impeccabilem, sic etiam non potest facere creaturam rationalem, & intellectualem, sine libero arbitrio, (loquor de his, quæ suapte natura debent conuenire creaturæ rationali, seu intellectuali) & ita etiam non potest fieri, vt creatura, quæ pollet libero arbitrio, non possit deficere suaptè natura, eo ipso, quod creatura est de nihilo facta, ac proinde suaptè vi, & natura non poterit esse constans in exercitio operis perpetuo.

Corollariũ not.

Ex dictis colligitur, non posse fieri creaturam rationalem liberi arbitrij, cum libero vsu circa aliqua obiecta, determinatam semper in exercitio ad virtutem absque vlla libertate deficiendi, aut necessario determinatam, quoad exercitium operis ad bonum. Quòd verò nulla creatura rationalis fieri possit absque hac libertate, saltem circa aliquod genus obiecti, docuit Diuus Damascenus lib. 2. fidei capit. 3. cuius verba hæc sunt. *Rursum id omne, quod ratione vtitur, arbitrij quoque libertate præditum est. Angelus itaque vt rationis, & intelligentiæ particeps liberi arbitrij est, vt autem creatus in ea conditione erat, vt mutationem recipere posset, liberumque esset, vel in bonum, vel in malum moueri*: Ergo fieri, & produci non potest rationalis creatura, quæ necessario alligata, & determinata sit ad vnam partem, & ad vnum exercitium circa quæcumque obiecta, quæ illi possunt proponi. Nam certè nisi creatura sit brutum, & irrationale animal, libera debet esse circa obiecta. Hoc ipsum idem Damascenus iterum comprobat lib. 2. fidei capit. 27. dicens. *Vbi est ratio, vis illa, & facultas rationalis partim in contemplatione, partim in actione versatur. Ea verò in actione posita est, quæ consultat, & rebus agendis modum præscribit. Qui autem consultat perinde consultat, tanquam rerum agendarum electio in ipsius sit potestate*: Igitur libertate exercitij, & vsu eiusdem libertatis in hac vita semper prædita est voluntas hominis. Vndè creatura omnis, quæ ratione pollet, ita est liberi arbitrij, vt quocumque genere rationis prædita sit, habeat collationem, & conferentiam, vel duorum bonorum, vel boni, aut mali, vel sui oppositi, & de illis potest suaptè natura consultare, & variè se habere in exercitio huius operis.

D. Damas. pro eo clarè loquitur.

D. Hieronymus idẽ apertè sentit.

Diuus Hieronymus in commentarijs ad Galatas capite sexto, & Epist. 146. & vbi cumque loquitur, de libero arbitrio hominis, vel Angeli, vel creaturæ rationalis, quia non solùm facit comparationem cùm creaturis productis, sed etiam cùm producibilibus semper tribuit Deo attributum immutabilitatis; creaturæ verò rationali tribuit mutationem, & non permanentiam in exercitio suarum operationum, aut voluntatis, vel liberi arbitrij, & Diuus Augustinus 12. de ciuitate Dei cap. 1. id ipsum confirmat. Diuus Damascenus lib. 2. fidei cap. 3. non longe à principio ait. *Quidquid enim creatum est, mutationi subsit necesse est, id enim vnum extra mutationis aleam est, quod nihil habet à quo sit creatum*: Ergo non potest habere permanentiam in exercitio virtutis, neque creatura libera determinari ad illud, cum permanentia aut immutabilitate fixa. Imò verò non potest fieri creatura rationalis liberi arbitrij, circa aliqua obiecta, quæ semper sit necessariò determinata, ad virtutem absque vlla libertate ad peccatum, quod dixit Diuus Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 12. Fulgentius in lib. de fide ad Petrum cap. 23. Ait enim, *Cuicumque creaturæ rationali præstatur, vt peccare non possit: non est naturæ propriè, sed gratiæ.*

D. Augustinus.

Fulgẽtius.

Diximus nullam fieri posse creaturam rationalem, & intellectiuam, quæ non habeat libertatem circa aliqua obiecta. Verùm, quia datur libertas aliqua voluntatis circa obiecta aliqua, simul coniuncta cùm necessaria determinatione, ad virtutem, & absque libertate deficiendi, qualis est libertas inuenta in Deo, nunc explicandum est qualiter libertas creata ex eo quòd creata est non possit esse coniuncta, cùm quadam determinatione necessaria, ad virtutem. Nam certè Diuus Damascenus ex alio

D. Damas.

principio

Libertas in creatura rationali intelligi optimè potest, sine eo quòd intelligatur libertas deficiendi.

principio ostendit libertatem naturæ absolutè, & ex alio principio ostendit libertatem deficiendi subditam mutabilitati. Quia libertas naturæ creatæ, quæ absolutè libertas est exercitij, & specificationis circa obiectum aliquod vniuersale sufficienter ostenditur esse, vel in homine, vel in Angelo, vel in qualibet alia creatura intellectiua, ex eo, quòd intellectiua, & rationalis est: libertatem verò deficiendi in exercitio, aut specificatione, & libertatem ad peccandum probat Damascenus ex illo principio, quòd creatura rationalis, aut intellectiua est creata, & ex nihilo facta, quod sanè principium etiam recipitur à Sanctis Patribus supra citatis, & eo vtitur Sanctus Thomas in hac materia, à quo etiam non abhorret Scotus.

S. Thom.

Adde etiam quòd Sanctus Thomas prima parte, quæstione 63. articulo primo, vius est hoc discursu. Malè moraliter agere, seu peccare nihil aliud est, quàm deficere à rectitudine, & declinare à regula, quam quis in operatione sua deberet amplecti, siue in naturalibus, siue in moralibus. Nam certè sola illa operatio non potest deuiare à rectitudine, cuius recta regula est ipsamet virtus agendi eam, veluti si manus alicuius artificis esset ipsamet regula recta artis, tunc non posset opus artis non esse rectum, aut non rectè procedere à manu, siquidem ipsa est regula artis, vt supponitur. Sed in nulla natura rationali, & intellectiua creata regula iusta agendi, & operandi moraliter est ipsa voluntas operantis. Quoniam regula omnium operationum hominis, vel Angeli est diuina voluntas: igitur nulla est voluntas alicuius creaturæ rationalis, vel intellectualis, quæ non possit in exercitio, & opere ipso deuiare à rectitudine, & à regula. Neque sufficit contradictio Scoti, qui ita obijcit.

Obiectio Scoti.

Non requiritur, quòd facultas operandi sit regula ipsius operationis, vel operantis, vt ab ea deficere non possit. Quia intellectus circa prima principia, quæ ipsis sunt regula sciendi errare non potest, & tamen intellectus, qui est facultas intelligendi principia non est ipsa principia. Imo vero nihil obstare videtur, quòd aliqua facultas ita necessariò sit determinata circa suam regulam, vt ab ea deuiare non possit, sicut in exemplo adducto constat de intellectu circa prima principia, quæ ipsi sunt regula sciendi, circa quæ errare non potest, quamuis ipse intellectus, qui est facultas intelligendi eadem principia, non sit ipsamet principia. Huic obiectioni, respondet Caietanus prima parte, quæstione 63. articulo primo, dicens sensum Sancti Thomæ esse, quod idem sit, virtutem, & facultatem aliquam operandi esse suam regulam in operando, & habere causam similem immutabiliter coniunctam. Et primo modo dicit Caietanus voluntatem operandi esse suam regulam formaliter: posteriori verò modo esse similiter suam regulam, sed tantum virtualiter. Et quoniam tantum in Deo est immutabilis amor omnis boni: in creaturis autem potest mutari facilè, idcirco in creaturis facultas operandi non est ipsa regula, quæ est amor omnis boni, neque primo, neque secundo modo. Et profecto Scotus tandem conuictus veritate, incidit in eandem rationem Diui Thomæ, hoc pacto. Omnis natura, quæ non est sua regula, neque est necessariò conformis suæ regulæ potest deficere, & deuiare à regula: sed huiusmodi est natura rationalis creata, vt creata est: ergo potest deficere à sua regula, ac proinde non potest dari creatura rationalis seu libera necessariò determinata ad exercitium virtutis. Addit etiam Scotus in fauorem huius hunc discursum: Omnis voluntas, quæ satiata non est in sua appetitione, quia nondum consecuta est bonum suum, nimirum, Deum ipsum, in quem propenditur, potest appetere aliquod bonum apparens, quod alias non est rationi conforme, sed contra rationem, & contra illud summum bonum, donec illi bono summo adhæreat inseparabiliter: sed voluntas humana est huiusmodi: ergo potest appetere bonum aliquod apparens, quod non sit verè bonum, sed contra rationem, & ex consequenti deficere à regula moralis rationis. In confirmationem harum rationum oportet aduertere proximam regulam actionum humanarum esse operationem rationis proponentis id, quod rectum est, vt liquet ex consensu omnium Theologorum prima secundæ, quæst. 19. Nam licèt natura rationalis, vt rationalis est, sit regula prima iusti, & iniusti, boni, & mali in moralibus: Quia illud dicitur esse bonum, quod est conueniens, & consentaneum naturæ rationali, vt sic: illud verò malum quod est disconueniens naturæ rationali, vt rationalis est: cæterum quia huiusmodi conuenientia, & disconuenientia, eatenus imputatur nobis, quatenus proponitur per rationem, idcirco non ineptè dicitur regulam proximam istarum actionum esse rationem proponentem id, quod faciendum, & agendum est.

Regula nostrarũ operationũ est ipsa ratio, & quod per eam nobis proponitur faciendum, aut vitandum, &c.

Rursus hoc ipso, quòd creatura rationalis est ex nihilo, potest apprehendere bonum apparens, aut bonum delectabile peccati efficaciùs, quàm bonum virtutis. Quoniam bonum virtutis creatura pro hoc statu, non considerat semper efficaciùs, cum non videat Deum clarè, & sicuti est: ergo non determinatur ad virtutem determinatione exercitij, aut infallibiliter, aut necessario. Rursus discursus Sancti Thomæ hac etiam ratione confirmari potest. Quoniam omnis natura creata, quæ non est ipsa regula,

Quia creatura ex nihilo condita est, ideò potest efficacius bonũ delectabile peccati, quàm honestatẽ virtutis apprehendere & amplecti.

Responsio.

nimirum,

nimirum, ipsa consideratio, & aduertentia boni, sicut Deus ipse est sua bonitas, & sua sapientia, non potest immutabiliter conformari ipsi regulæ, ob id, quòd ipsa consideratio boni, qua ducitur natura rationalis potest variari in ipsa: ergo, &c. Tandem natura, quæ ex se non est satiata summo bono, donec consequatur illud, & ei adhæreat immutabiliter, potest desiderare bona alia particularia varie, & diuersimodè, sicut etiam potest illa diuersimode, & varie apprehendere. Hoc autem omnis creatura rationalis habet in hoc seculo, quamdiu non intuetur Deum: ergo.

CONCLVSIO SECVNDA.

Cõclusio 2. nullã creaturam pro statu viæ posse in aliquod obiectũ semper ferri necessariò quoad exercitium siue odio siue amore ipsum prosequendo.

Dico secundò. Nulla creatura rationalis, aut intellectualis etiam si sit Angelus potest ferri necessariò quoad exercitium in hac vita in aliquod obiectum siue illud amando, siue odio habendo semper. Hanc assertionem tenet Ferrariensis 3. contra gentes cap. 109. Putat enim nullum amorem esse naturalem, & necessarium in Angelo quoad exercitium, neque etiam amorem sui ipsius. Probatur hæc assertio. Quoniam libertas exercitij manet semper in nostra voluntate in omni statu extra beatificum, vt docuit S. Thom. de veritate quæst. 22. artic. 6. Sed in creatura intellectuali, qualis est, verbi gratia Angelus est multò perfectior libertas, quàm in nobis, vt 1. par. quæst. 59. diximus: ergo nullus actus amoris est necessarius quoad exercitium in Angelo, & multò minus in nobis. Nam profectò si v.g. in Angelis amor nimirum sui esset quoad exercitium necessarius, & omnino naturalis in eis, nullus posset reperiri in eo defectus peccati. Quia illa, quæ sunt omnino necessaria, sunt extra genus moris; sed Angelus peccare potuit in amore sui: ergo.

Nec seipsum Angelus necessariò amauit.

Quantũ ad specificationem necessariò seipsum Angelus amauit.

Dixi in conclusione, nullam creaturam rationalem, etiam Angelum necesitari quoad exercitium, in ordine ad aliquod obiectum, neque etiam circa seipsum. Quia quoad specificationem verè necesitatur Angelus circa se, de quo non dubitant discipuli D. Thomæ. Verum est plerosque ex familia S. Tho. docere creaturam rationalem Angelicam se amare necessariò quoad exercitium. Quorum fundamentum est, quod Angelus se cognoscit necessariò quoad exercitium: igitur ex illa cognitione necessaria resultat in voluntate Angeli naturaliter, quædam complacentia in bono proprio, ac proinde omnino naturaliter, & necessariò vult sibi bonum. Nulla enim ratio esse potest cur Angelus suspendat exercitium suæ dilectionis cessando à dilectione actuali sui. Quia non solum Angelus habet vehementem propensionem, ad bonum proprium, sed etiam non impeditur ab alijs actibus. Et confirmari hoc potest. Quia voluntas Angeli est potentia vitalis: ergo non potest totaliter cessare ab omni operatione, aliâs si suspenderet omnem actum vitæ non viueret: sed omnis operatio voluntatis Angelicæ fundatur in proprio amore ipsius Angeli operantis. *Quoniam amicabilia quæ sunt ad alterum, oriuntur ex amicabilibus, quæ sunt ad nos*: ergo, &c. Sed nihilominus, respondere possumus, quòd speculatiua cognitio, qua Angelus se cognoscit est necessaria quoad exercitium, non tamen cognitio practica sui, qua iudicat se esse diligendum, & amandum, hîc & nunc, in omni euentu. Nam hæc solùm est necessaria quantum ad specificationem, & huic practicæ cognitioni correspondet amor sui ipsius. Quæ responsio est probabilis, quam tenet etiam Ferrara loco citato. Vndè intellectus Angeli viatoris, quamuis sit plenè determinatus, in iudicijs speculatiuis, non tamen in iudicijs practicis circa agibilia. Rursus veritas speculatiua rei ita est determinata, vt duo oppositа simul esse vera non possint. Cæterum conuenientia, ad finem non habet similem determinationem, quia sæpe contingit, quòd ambo oppositа sint conuenientia, ad eundem prorsus finem, propter varios respectus, diuersasque rationes. Ex qua doctrina liquet intellectum Angeli, qui falli non potest erga veritatem rei sibi propositæ, quia simplici intuitu penetrat quidquid est in re illa, plenariam habet determinationem circa iudicium de veritate, aut falsitate rei, non tamen habet omnimodam determinationem circa iudicium practicum, de conuenientia rei, ad finem ex eo quòd ipsa conuenientia non est prorsus, neque totaliter à parte rei determinata. Et quoniam voluntas Angeli non dirigitur in suis actionibus à iudicio speculatiuo, quod est de veritate rei, sed à iudicio practico de conuenientia rei ad finem, propterea non habet plenariam determinationem practicam ad vnum, sed potiùs libertatem fundatam seu radicatam in indifferentia iudicij practici.

Licèt cognitio speculatiua Angeli sit necessaria quoad exercitiũ, minimè tamen cognitio practica qua iudicat se esse, hìc & nunc diligendum.

Voluntas non dirigitur à iudicio speculatiuo, sed practico intellectus.

Tandem probatur. Quia voluntas tunc non potest suspendere exercitium cessando ab actu, & operatione, qua fertur necessariò quoad exercitium in aliquod obiectum, quoties in ipsa operatione, aut exercitio non potest apprehendi aliqua ratio mali, vel difficilis: sed Angelus nedum homo potest apprehendere rationem mali, vel minoris boni in ipso actu, & exercitio amandi seipsum, nimirum, vt Deum amet ex toto corde, sui etiam oblitus: ergo. Rursus in alijs obiectis, quæ sibi amat Angelus, vel homo vt bona, non reperitur aliquod à cuius amore cessare non possit suspendendo exercitium: ergo cum amor amicitiæ, quo Angelus seipsum amat, & diligit, non sit distinctus ab amore concupiscentiæ, quo rem aliquam, vt bonum sibi concupiscit, sequitur vt nullus

Probatur præterea 2. concl. ex eo quòd Angelus potest apprehẽdere rationem minoris boni in amore sui quàm alterius videlicet Dei.

Confirmat.

sit actus amoris sui necessarius quoad exercitium, nisi tantum amor, quo Deum clarè visum sibi amat.

Corollariũ quòd si dilectio, qua homo vel Angelus seipsũ amat, nõ est necessaria quoad exercitium, multo minùs erit necessarius quilibet alius amor.

Ex dictis colligo, quòd si dilectio hominis vel Angeli erga se non est necessaria quoad exercitium in hac vita, multo minus circa alios: timò verò quamuis Angelus necessariò se diligat quoad exercitium, non tamẽ alios. Vnde quando dicitur à Sancto Thoma 1. p. quæst. 60. art. 4. solut. ad 2. quòd vnus Angelus diligit alium, sicut seipsum, illa particula, sicut, non dicit æqualitatem, sed similitudinem. Cùm ergo dicitur, quòd vnus Angelus naturaliter amat alterum, ob id dicitur, quia adhunc amorem magnam habet propensionem, & naturalem. Vndè amor, quo vnus Angelus alterum diligit, necessarius, & naturalis est quoad specificationem, sed non quoad exercitium. Et hæc sine dubio est sententia Diui Thomæ locis citatis. Quòd verò hoc certum sit, persuadetur. Quoniam bonitas, quæ in vno homine reperitur respectu alterius, aut quæ in vno Angelo reperitur respectu alterius, non habet ex se, quòd possit totaliter necessitare voluntatem alterius Angeli. Quia talis bonitas, neque est totalis bonitas, sicut bonitas diuina, neque habet omnimodam coniunctionem, cùm voluntate alterius Angeli, sicut posset dici de essentia cuiuslibet Angeli respectu sui ipsius: igitur non habet, vnde necessitetur omnino ad amorem alterius, quantum ad exercitium. Et confirmari hoc potest. Quia cognitio hominis, qua alterum cognoscit, non est necessaria quoad exercitium, potest namque cessare ab actuali cognitione illius, & pari ratione cognitio, qua Angelus alterum cognoscit, non est necessaria, quia potest cessare ab actuali exercitio eius: ergo pari modo dilectio, qua quilibet istorum alterum diligit non est necessaria necessitate exercitij. Patet consequẽtia. Quoniam actus voluntatis regulatur per actum intellectus: ergo impossibile est, quòd actus voluntatis sit necessarius quantum ad exercitium circa aliquod obiectum, nisi pariter actus intellectus sit necessarius quoad exercitium circa illud idem obiectum.

Probatur corollariũ ex eo, quòd bonitas reperta in alia creatura à se distincta nec est totalis, neque habet intimã connectionem cum voluntate ipsa.

CONCLVSIO TERTIA.

Conclus. 3. Voluntas fertur necessariò non tamen quoad exercitium in beatitudinem in cõmuni.

Dico tertio. Voluntas necessariò fertur in beatitudinem in communi, non tamen quoad exercitium. Itaque voluntas nostra non solum non fertur necessario quoad exercitium in aliud obiectum particulare, sed neque in beatitudinem in communi in hac vita. Hanc conclusionem constituo contra quosdam Theologos, quos refert Palude in 4. distinct. 49. quæst. 7. art. 2. & Ioannes Maior ibidem, & partim est contra Durandum in 4. distinctione 49. quæst. 8. num. 18. qui videtur affirmare nullum hominẽ in hac vita appetere necessariò quoad exercitium beatitudinem voluntate efficaci, qualem dicunt esse desiderium, & delectationem, ex eo quòd desiderium, & delectatio semper terminantur, & feruntur ad rem singularem, & indiuiduam. At verò voluntate inefficaci seu conditionata, vt illi volunt, censent omnes appetere necessariò beatitudinem, & intelligunt hoc quoad exercitium. Refertur pro hac sententia Henricus, sed profectò obscurè loquitur, & non est cur citetur pro hac sententia. Palude tamen si attente legatur, videtur consentire Durando, loco citato conclusione prima, & solutione, ad primum, & tertium argumentum. Contra hos omnes militat proposita assertio, in qua duo affirmantur. Vnum est voluntatem non tendere necessariò quoad exercitium in beatitudinem in communi, aut in obiectum aliquod apprehensum huius vitæ, sed tale exercitium esse liberum voluntati. Alterum est voluntatem nostram necessariò ferri atque tẽdere quoad specificationem in beatitudinem in communi. Hoc secundum tenet S. Thom. 1. 2. quæst. 10. art. 2. & cum eo Caietanus, Bartholomæus Medina, Conradus, idem docuit S. Thom. de malo, quæst. 6. & de veritate quęst. 22. art. 6. Soto in 4. distinct. 49. quæst. 2. art. 1. concl. 2. & 3. Scotus in 4. distinct. 49. quęst. 10. §. Quantum ad secundum articulum. Capreolus in 1. distinct. 1. quæst. 3. art. 1. concl. 1. & 3.

S. Thom. Caiet. Batholom. Medina. Conradus. Soto. Scotus. Capreolus.

Ratione ostenditur hoc ipsum. Quia voluntas non potest odio habere bonum sub ratione boni; sed in beatitudine considerata secundum rationem communem, & vniuersalem, non potest apparere aliqua ratio mali: ergo beatitudo non potest odio haberi; & hæc est necessitas quoad specificationem. Neque valet argumentum quoddam quorundam aduersariorum dicentium tantam esse libertatem voluntatis, vt si Deus præciperet odio habere beatitudinem in communi, tunc non esset necessarius amor illius quoad specificationem, sed liber. Quia reuera implicat esse tale præceptum, sicut etiam implicat voluntatem odio habere bonum, vt bonum est, & vt est beatitudo in communi. Sed dices vlteriùs. Plures sunt ex hominibus, qui laboribus vitæ implicati, quasi ex fastidio vitæ mortem sibi asciscunt, quamuis repræsentetur illis mors, vt malum quoddam beatitudini oppositum: ergo huiusmodi homines nolunt esse beati, ac proinde voluntas eorum non necessitatur quoad specificationem circa beatitudinem. Huic obiectioni respondetur quod homines, qui sibi mortem desiderant, vel non esse, non habent huiusmodi desiderium ex aliqua displicentia beatitudinis secundum se, neque etiam habent tale desiderium ex eo, quòd expresse volunt non esse beatos. Quia hac ratione amarent carentiam beatitudinis, quod non implicat minus, quam odio habere ipsam beatitudinem. Neque rursus homo,

Probatur ratione quoad secundã partẽ quia in beatitudine in cõmuni nõ potest apparere aliqua ratio mali.

Obiectio de sumpta ex his, qui sibi interitũ parant.

Eluitur obiectio, nam illi malum fugiũt, beatitudinẽ verò non contemnunt.

ſus homo, qui tædio confectus, mortem amplectitur, & amat, id facit, quia putet in hoc eſſe aliquam partem beatitudinis ſuæ, ſed magis, quia vult fugere malum aliquod, de quo iudicat eſſet maius malum, & ob id magis mouet ipſum, atque ita vult ſuſtinere mortem, eamque deſiderat, imò verò poteſt deſiderare non eſſe tanquam minus malum, in quo iam manifeſtatur, & apparet illi aliqua ratio boni, nimirum, carere maiori malo. Alij reſpondent, damnatos in inferno deſiderare non eſſe, ſed nihilominus velle ſuam beatitudinem. Quia quamuis ipſum non eſſe ſit ingens malum, quatenus priuat ipſo eſſe proprio, tamen ex alia parte quatenus priuat damnatos ſua miſeria, eſt magna pars fœlicitatis ipſorum. Quoniã carere malo eſt beatitudo quædam, & hæc etiã eſt probabilis ſolutio, quidquid nonnulli dicant. Ex dictis colligitur nõ ſolùm circa beatitudinem in communi, aut circa eam in particulari conſideratam, nimirum, in viſione, & fruitione Dei, ſed etiam circa quæcumque bona particularia, ſi ſub ratione boni ſumantur, ferri voluntatem noſtram neceſſariò quoad ſpecificationem, quia ſub tali ratione boni, non poteſt illa odio habere. Quòd ſi aliquando homo ceſſat à conſideratione beatitudinis, vel ab aliqua conſecutione eius, non idcircò ſuſpendit hũc actũ, neque ceſſat, vt male aliqui dicunt. Quia in ipſa beatitudine ſecundum ſe appareat ei aliqua ratio mali. Quoniam hac ratione poſſet ipſam beatitudinem iam odio habere ex illo malo, quod apparet in ea ſecundum ſe, quod eſt contra ea, quæ dicta ſunt in ſuperioribus. Sed ſi ceſſat, vel ſuſpendit actum, idcirco eſt, quia in ipſa conſideratione actuali, aut conſecutione beatitudinis poteſt apparere aliqua ratio mali, nimirum moleſtiæ aut difficultatis, aut alterius mali, ex quo oſtendetur à nobis, ſicut etiam oſtenſum eſt ſupra nullum appetitum voluntatis illi eſſe neceſſarium quoad ſpecificationem propter rationem moleſtiæ, vel difficultatis, vel alterius mali coniuncti cum ipſa conſecutione.

Alia ſolutio.

Fertur neceſſariò voluntas neceſſitate quoad ſpecificationem in quæcũque bona etiam particularia, ſub ratione boni apprehẽſa.

Explicatur prima pars cõcluſionis de libertate quoad exercitium reſpectu beatitudinis in communi.

Prima etiam concluſionis pars de libertate exercitij ipſius voluntatis, & quòd nulla voluntas creata feratur in beatitudinem neceſſario quoad exercitium in ſtatu huius viæ, defenditur ab authoribus citatis, & à Ferrarienſi lib. 3. contra gentes cap. 62. Nam certè libertas voluntatis humanæ quoad exercitiũ circa beatitudinem in communi in eo conſiſtit, vt voluntas poſsit ceſſare ab affectu amoris circa eam, & ſuſpendere exercitium huius affectus. Hoc autem ea ratione facere poteſt, quatenus intellectus ceſſare etiam poteſt à conſideratione illius. Nam alias perſeuerante iudicio, & decreto intellectus, cùm efficaci apprehenſione, & notitia beatitudinis, qua proponatur voluntati ſub omni ratione boni nunquam ſtabit, quòd cum tali actuali aduertentia, & vigilia voluntas non feratur affectu amoris in beatitudinem in communi, & hæc non eſt neceſsitas exercitij abſoluta, ſed ex ſuppoſitione tantùm, quæ ob id includit ſecum libertatem. Et ſane S. Thom. prima ſecundæ, quæſt. 10. art. 2. libertatem quoad exercitium circa beatitudinem in communi, eam in hoc reducit, quòd homo ceſſare poſsit ab illo exercitio, quatenus liberũ eſt illi ceſſare à prærequiſitis illius exercitij, & à conſideratione, & iudicio intellectus.

Sunt qui dicant non tantum hac ratione poſſe voluntatem ceſſare ab exercitio affectus, circa beatitudinem in communi, & in ſingulari in hac vita, ſed etiam ſuppoſita tali apprehenſione, ex eo quòd intellectus non ſolùm poteſt ceſſare ex ſe à tali conſideratione, vel ex alia cauſa naturali, ſed etiam ex imperio voluntatis ſi iudicetur moleſtum, aut difficile intellectui tali cogitatione occupari: ergo pari modo, atque ratione perſeuerante tali conſideratione poteſt ceſſare ab exercitio ſui actus, quia etiam eodem modo poteſt iudicare intellectus eſſe inutile, aut moleſtum in tali affectu detineri, ſicut etiam de cogitatione ipſa dictum eſt.

Alia ratione oſtenditur liberũ eſſe voluntati ceſſare ab actuali amore circa beatitudinem in cõmuni.

Sed nihilominus pro noſtra ſententia adduco rationem, qua efficaciter probatur hoc diſcurſu. Libertas voluntatis prouenit ex eo, quòd in obiecto ipſo poteſt apprehendi non tantùm ratio boni, ſed etiam ratio mali, ita, vt propter rationem mali reſpuatur, & propter rationem boni diligatur; quòd ſi in obiecto, & de obiecto non poteſt apprehendi vtraque ratio, nulla maneret circa illud obiectum libertas in voluntate, quia neque voluntas poteſt odio tendere in bonum, neque amore in malum, vt ſic: igitur ſi non poteſt apparere, niſi ratio boni non manebit libertas quoad ſpecificationem, hoc eſt vtametur, & vt odio habeatur; & pari modo, atque ratione, ſi neque in obiecto, neque in exercitio cogitandi, & appetendi obiectum, non poteſt apparere ratio mali, ſi aliunde non eſt impedimentum vllum, erit in voluntate neceſsitas exercitij, & ſpecificationis. Qua ratione vtemur infra occaſione difficultatum, quæ ſe offerent. Sed in exercitio conſiderandi in via beatitudinem in communi, & in ſingulari, & in exercitio diligendi eam, poteſt intellectus inuenire rationem alicuius mali, vel moleſtiæ, aut alterius rationis: ergo poteſt voluntas tale exercitium nolle, ac proinde velle ceſſare ab illo. Ex quo fiet, vt de facto ceſſet. Hanc rationem tanquam efficacem adduco, quam approbat Capreolus in primo diſtinctione prima, quæſt. 3. art. 1. poſt tertiam cõcluſionem.

Poteſt intellectus inuenire rationem alicuius mali vel moleſtiæ in affectu dilectionis ipſius beatitudinis, & propterea ceſſare à tali affectu.

Scotus etiam contendit loco citato in 4. liberum eſſe voluntati ceſſare ab affectu beatitudinis, etiam ſuppoſita præfata apprehenſione intellectus. Cæterum hoc non probat efficaci ratione. Quoniam Scotus hunc conficit diſcurſum. Cauſa inferior non poteſt

imponere

imponere necessitatem superiori, sed intellectus est inferior causa, quam ipsa voluntas: ergo non potest illi vllam necessitatem imponere. Hunc Scoti discursum non admittit Durandus in 4. distinctione 49. quæst. 8. numero 12. Quoniam intellectus aliquando patitur necessitatem à sensu, ita vt non possit non cogitare de re aliqua, vt cum quis comburitur, vel patitur læsionem ingentem, & dolorem sensus, cum tamen sensus sit facultas multò inferior, ex quo patet discursum Scoti efficacem non esse, & maiorem propositionem eius esse falsam, imò verò intellectus multò excellentior facultas est, quàm voluntas. Accedit etiam quòd necessitas non tantùm potest prouenire ex intellectu, sed ex re intellecta, quando nimirum tali modo apparet, & proponitur ab intellectu, vt non possit non amari, sicut contingit in patria.

Ex Durando impugnatur ratio quam Scotus adducit.

Assensu ipso intellectꝰ aliquãdo necessitatẽ patitur.

Sed obijcies contra ea, quæ diximus, doctrinam communem ex Aristot. desumptam 2. Physicorum cap. 9. vbi finis in agibilibus, & moralibus operationibus cõparatur principio in speculabilibus: sed intellectus necessariò præbet assensum quoad exercitium ipsis primis principijs conclusionum, apprehensa semel terminorum connexione: ergo voluntas circa finem semel apprehensum, & repræsentatum non potest non operari. Respondetur tamen quòd Aristot. optime comparat assensum primorum principiorum cum voluntate finis in agibilibus, ob id quòd sicut principia sunt perse nota, & non per aliud, sic etiam finis est gratia sui, & perse volitus, & non gratia alterius. Rursus etiam comparantur inter se, quia sicut assensus principiorum est causa assensus conclusionis, ita etiam volitio finis est causa volitionis eorum, quæ sunt ad finem. Sed an voluntas feratur in finem, & intellectus in prima principia necessariò quoad exercitium vel quoad specificationem, de hac re nullam mentionem fecit Aristotel: quia id minime conducebat tunc suo instituto. Et quidquid sit de hoc certum est, quòd, neque intellectus fertur in prima principia necessariò quoad exercitium per assensum, quia potest per voluntatem quoties placuerit diuertere intellectum ab assensu cessando. Nolo dicere, quòd existente actuali cognitione extremorum ipsius principij, cum illo ordine necessariæ connexionis, sub quo euidenter repræsentantur extrema connexa, & conuenientia quòd possit intellectus non assentiri ex voluntatis imperio, sed solum sentio posse voluntatem diuertere intellectum, ita vt cesset actualiter, vel quod intellectus non procedat ad assensum: quia fieri potest, vt non consideret extrema propositionis, cum illo ordine conuenientiæ, & connexionis, & sic cessare ab illorum consideratione incepta.

Obiectio de sumpta ex proportione, quam habet principium in speculabilibus cum fine in practicis.

Sicut intellectus non fertur necessariò quoad exercitiũ in prima principia, ita nec voluntas fertur in finem primũ & vniuersalem.

Sed obijcies iterum. Voluntas nunquam cessat, neque potest cessare ab affectu, & amore circa obiectum aliquod, nisi in eo appareat aliqua ratio mali, aut impedimentum maioris boni, sed in ipsa beatitudine in communi apprehensa, & cognita non potest apparere ratio aliqua mali, neque etiam ratio, quæ maius aliquod bonum impediat, cum beatitudo in communi dicat carentiam omnis mali, sicut bonum satiatiuum sui: igitur voluntas non potest cessare ab affectu, & amore erga illam. Dices posse intellectum cessare à consideratione beatitudinis in vniuersum, & ita ab amore circa illam. Sed profecto quamuis hoc ita sit, tamen argumentum adductum, vt minimum videtur ostendere voluntatem nostram non posse cessare ab affectu circa beatitudinem in communi, toto tempore, quo permanet consideratio actualis eius, quod videtur sufficere, vt dicatur voluntas non quidem absolutè, sed saltem aliquo modo moueri quoad exercitium necessario secundum quid. Huic obiectioni respondeo voluntatem, vt cessare possit ab affectu, & amore, ita vt libere amet aliquid quoad exercitium non requiri necessariò, quod appareat in ipso obiecto aliqua ratio mali, sed sufficere si possit apparere in ipso exercitio, & in ipsa actuali consideratione. Vndè licèt in ipsa beatitudine apprehensa sub ratione beatitudinis non possit apparere aliqua ratio mali, tamen potest apparere in ipso actuali exercitio affectus, & considerationis circa ipsam, quod sanè sufficit, vt voluntas possit ab exercitio cessare, vt superiùs fusè diximus. Quòd verò in ipsa beatitudine non apprehẽdatur, aut non possit apprehendi aliqua ratio mali, hoc sane tantum erit causa quòd beatitudo non possit haberi odio, & quod possit mouere affectum necessitate specificationis.

Obiectio ꝙ in ipsa beatitudine in cõmuni apprehensa nõ reperiatur aliqua ratio mali, & sic quòd nõ possit cessare ab affectu circa ipsam.

Solutio ꝙ etsi non reperiatur in ipsa beatitudine aliqua ratio mali sufficit, ꝙ reperiatur in affectu ipso, vt cessare possit ab eo.

Obijcies præterea: Quia si in actibus voluntatis non deueniamus ad vnum primum actum eius, qui nullo modo sit liber fiet processus in infinitum. Quoniam si voluntas hominis vult aliquid libere quoad exercitium, id velle debet ex deliberatione, & consequenter ex electione. Deliberatio verò solum est circa media, quorum est electio, non circa finem cuius est intentio. Vndè si ea, quæ quis vult libere ex electione vult, sequitur apertè ipsum velle illa propter aliud: & ex consequenti nisi deueniamus in voluntatem necessariam finis vltimi, quem aliquis gratia ipsius velit, & gratia eius cætera omnia, necessariò fiet processus in infinitum. Hæc ratio si efficax esset, etiam persuaderet non tantum voluntatem vltimi finis, sed etiam quamcumque aliam voluntatem primam, circa quemlibet finem particularem, à quo negotium aliquod ordimur, necessariam esse vtroque

Obiectio alia quòd si non detur aliquis actꝰ omnino necessarius sit concedẽdus processus in infinitum.

modo

modo nimirum, quoad exercitium, & ſpecificationem ſimul, quod nullus concedet. Aliqui arbitrantur hanc rationem eſſe Caietani, ſed malè, neque vnquam ipſe Caietanus fuit in ea ſententia, vt putaret eſſe aliquem actum volũtatis in hac vita neceſſariũ quoad exercitium, & ſpecificationem ſimul præter motus ſubitos, & indeliberatos. Nam iſti qua tenus præueniunt omnem deliberationem ſunt neceſſarij, & in nobis ſemper ferè ita eueniunt, licèt ex natura rei non ſit neceſſarium negotium incipere, & inchoare ab eis. Et quidquid ſit de hac re nihilominus, reſpondetur prædictæ obiectioni. Primò ridiculum eſſe quodcumque opus, vel negotium incipere, & inchoari ex voluntate beatitudinis in communi. Nam vnuſquiſque experitur in ſeipſo, ſe ex affectũ boni honeſti, vel delectabilis, vel vtilis in particulari, quod ſe ſe primo offert abſque cogitatione, & recordatione beatitudinis in communi, pleraque negotia incipere, & exordiri. Dices in quolibet bono illo particulari inueniri rationem beatitudinis in communi participatiuè. Sed hoc nihil intereſt, quia in præſenti loquimur de ratione beatitudinis in communi vt ſic, conſiderata vniuerſe quatenus eſt aggregatio perfecta bonorum omnium. In quolibet autem bono ſingulari non reperitur hæc ratio, ſed veſtigium quoddam, & quaſi ſimilitudo in quantum eſt bonum aliquod, & priuatio alicuius mali, circa quod voluntas non fertur neceſſariò quoad exercitium. Secundò reſpondetur conſequenter ad ea, quæ diximus nõ opus eſſe quodlibet negotium inchoari à volunt ate, & affectu neceſſario quoad exercitium, ſed tantum ab affectu finis, qui intenditur gratia ſui. Nam cætera, quæ ſunt media amari debent gratia finis, & ex conſequenti debet præcedere affectus, & voluntas finis. Cæterum iſte affectus finis poterit eſſe liber vtroque modo, & quoad exercitium, & quoad ſpecificationem, ſi finis ſit res particularis.

Falſũ omnino eſt quod cunq; opus inchoari debere ex voluntate beatitudinis in cõmuni: poteſt enim optimè exordium ſumere ex affectu cuiuſcũque boni.

CONCLVSIO QVARTA.

Concluſ. 4. Voluntas ſeipſam, & reliquas potẽtias quoad exercitium determinat.

Dico quarto. Voluntas non ſolùm ſeipſam determinat, ſed etiam reliquas potentias quoad exercitium. Hanc aſſertionem tenet S. Thom. 1. 2. quæſt. 9. art. 1. & 3. & in toto diſcurſu quæſtionis. Prima pars huius aſſertionis oſtenſa eſt à nobis in ſuperioribus. Nam cum voluntas ſit libera, & habeat dominium ſui actus, & in ipſa ſit velle, & non velle, relinquitur, quòd ipſa ſe mouet, & ſe determinat, quod ſanè non eſſet ſi ipſa non haberet in ſui poteſtate mouere ſeipſam ad volendum: igitur voluntas eſt talis facultas, quòd ipſa mouet ſeipſam, & ſe determinat. Qua ratione vſus eſt S. Thom. 1. 2. quæſt. 9. in pleriſque articulis. Nã profecto ex ratione finis, qui eſt voluntatis obiectum, & primum mouens in regno animæ, pertinet ad voluntatem mouere, & determinare alias potentias in ordine ad finem, quod ſe habet, vt principium, & voluntatis obiectum. Cum igitur finis in agibilibus, & appetibilibus habeat ſe veluti principium primum in intelligibilibus: intellectus, verò per hoc quòd cognoſcit principium reducit ſeipſum de potentia in actum ſuum quantum ad cognitionem concluſionum, ac proinde per hoc ſeipſum mouet: ſequitur pari modo dicendum eſſe de voluntate, & multò meliùs, quòd voluntas per hoc quod vult finem mouet ſeipſam ac determinat ad volendum ea, quæ ſunt ad finem. Quo fit vt in quantum actu vult finem actu ſe reducat de potentia in actum reſpectu illorum, quæ ſunt ad finem, nimirum, vt ea actu velit.

D. Thom. ratio pro cõcluſione.

Quòd verò voluntas determinet alias potentias ad exercitium ſuarum actionum, doctrina eſt S. Thom. locis ſupra citatis, præcipue 1. 2. q. 9. art. 1. & vt Sanctiſsimus præceptor oſtendat veritatem hanc vtitur hac ratione. Id quod eſt in potentia ad agendũ, & non agendũ, quod eſt eſſe in potentia quoad exercitiũ, & ad agendũ hoc & illud, quod eſt eſſe in potentia quoad ſpecificationẽ indiget motore quoad duo, & quoad exercitium, & quoad ſpecificationẽ: ſed obiectũ mouet determinando actũ ad modum principij formalis, à quo in rebus naturalibus actio ſpecificatur, ſicut calefactio à calore, & ita obiectum intellectus eſt quod mouet ſpecificando, imò verò iſto modo motionis intellectus mouet voluntatem, ſicut præſentans ei obiectum ſuum: ergò voluntas ex fine, quem intendit, mouet quoad exercitium, & quãtum ad vſum reliquas potentias. Nam moueri quantum ad exercitium tenet ſe ex parte ſubiecti, quod aliquando agit, & aliquando non agit. Motio verò ipſius ſubiecti eſt ex agente aliquo. Cũ igitur omne agens agat propter finẽ, & principium huius motionis ſit ex fine, ſequitur quòd ad quam partem pertinet ipſe finis, ipſa eſt quæ mouet de facto, & in exercitio reliqua, quæ ad eundem finem ordinantur. Bonum enim in communi, quod habet rationem finis eſt obiectum voluntatis, & idcirco volũtas ex hac parte mouet reliquas potentias animæ ad ſuos actus. Nam vtimur illis cum volumus, ex eo quòd perfectiones omnes aliarum potentiarum comprehenduntur ſub obiecto voluntatis, tanquam quædam bona particularia. Quòd autem doctrina poſita optimè concludat intentum D. Tho. probat ipſe: Quia ſemper ars, aut potẽtia, ad quam pertinet finis vniuerſalis, mouet ad agendum artem ipſam, vel potentiam ad quam pertinet finis particularis ſub illo vniuerſali comprehenſus, ſicut dux exercitus, qui intendit bonum cõmune, ſeu ordinem totius exercitus mouet ſuo imperio aliquem ex tribunis, qui intendit ordinem vnius aciei, ſed obiectũ mouet determinando actum ad modũ principij formalis,

Ratio ex S. Tho. ad oſtendẽdum volũtatem mouere reliquas potentias quoad exercitiũ.

Potẽtia, ad quam pertinet finis vniuerſalis mouet ad agendũ potentias, ad quas fines particulares pertinent.

formalis, quatenus est in intellectu: ergo id quod debet mouere per modum exercitij debet ex oppositio accipi. Vnde voluntas tanquam dux exercitus quatenus intendit finem suo imperio mouet & determinat actu reliquas potentias quoad exercitium.

Potentia quæ est indifferens ad agendum & non agendū, ad agendum hoc & illud indiget duplici principio determinante, vno quoad exercitium, alio quoad specificationem.

Discursus iste, quem S. Thom. prætendit vt ostendat positam assertionem supponit hanc propositionem, quæ talis est. Agens, quod secundum se est in potentia ad agendum, & non agendum, ad agendum hoc, & illud: hoc est, agens quod de se est indifferens vt agat, & cesset ab operatione, neque ad vnam harum partium naturaliter determinatur, indiget duplici principio mouente, & determinante, altero quoad exercitium, altero verò quoad specificationem. Et sanè licet nulla sit huiusmodi facultas nisi ipsa voluntas, vel alia, quæ subdatur ipsi voluntati; cæterum propositio assumpta, & relata id non exprimit, & ex consequenti potest assumpta propositio deseruire, tanquam principium ad inferendum voluntatem esse primum principium mouens, & determinans quoad exercitium: intellectum verò esse principium mouens quoad specificationem. Sanè si intelligatur propositio D. Thom. citata, quæ in articulo assumitur, sicut nunc dicebamus, sic valde rationabilis est. Quoniam vbi aliquod agens est in potentia vtroque modo, indiget similiter duplici principio reducente ipsum vtroque modo ad actum.

Potētiæ naturales non sunt ex se indifferētes sed potius semper determinatæ, nisi ratione alicuius impedimenti, à quo impediantur.

Neque valet quod Caietanus adducit de potentijs naturalibus. Nam sunt ex se determinatæ ad semper agendum, & ad vnum genus operationis, vt calor ad calefaciendum, grauitas ad motum deorsum, neque sunt potentiæ naturales indifferentes ad vtramque partem exercitij, aut specificationis: quia si aliquando cessant ab operatione, aut exercitio, id quidem est vel ratione alicuius impedimenti, vel ex defectu passi, & non ex eo, quòd ipsæ potentiæ ab intrinseco sint indifferentes, & per se sicut est voluntas.

Cum voluntas sit appetitus animalis, seu rationalis ab ea determinari debent quantum ad exercitium cæteræ potentiæ ipsi subditæ.

Tandem eleganter Sanctissimus præceptor deducit, & colligit principium mouens se ipsum, & reliqua quoad exercitium esse voluntatem ex eo, quòd tale principium debet esse ex parte subiecti, quod est indifferens ad operandum: nam ab ipso debet oriri determinatio huius indifferentiæ. Quoniam nullum videtur principium magis proprium, aut aptum, quàm volūtas ipsa in homine. Ab appetitu namque animali seu rationali videtur determinanda hæc indifferentia, & non ab appetitu naturali, aut à natura ipsa, quia hæc semper est ad vnum determinata ex se ipsa intrinsece inquocumque genere agendi, & operandi. Ex quibus aperte constat quod res naturales aut potentiæ naturales non sunt ex se indifferentes, neque ex eis nascitur indifferentia ab intrinseco, sed ab extrinseco proueuit omnino, & ita non postulat indifferentia earum principium intrinsecum, vt ad actum reducantur. Agens autem liberum, quod per se & ab intrinseco indifferens est, postulat verè vt ad actum reducatur, intrinsecum principium determinans, aliàs non esset per se indifferens & ab intrinseco, sed potiùs esset determinatum ad vnum ab intrinseco. Postremò S. Thom. in prædicto articulo primo citato principium mouens, & determinans quoad specificationem in homine dixit esse intellectum. Idque probat, quia specificatio, hoc est, determinatio vt exercitium potiùs sit de hoc obiecto, quàm de alio, & vt potiùs sit in hanc partem, quam in illam, id sanè prouenit ex diuersa propositione obiectorū, quæ fit per intellectum.

Obiectio.

Sed dices. Voluntas antequam se ipsam, & reliquas potentias determinet ad exercitium, requiritur antecedenter ex parte intellectus propositio obiecti, circa quod exercitium illud ex determinatione voluntatis versetur: ergo intellectus erit potius, & prius principium mouens quoad exercitium, quam ipsa voluntas, cùm intellectus sit, cui per se conuenit proponere obiectum tale, atque ita vtraque ratio principij, tā quoad exercitium, quàm quoad specificationem erit propria ipsius intellectus, & conueniet illi. Respondetur quòd vtraque determinatio concurrit simul in vno, & eodem actu, quo voluntas aliquid vult & vtraque est necessaria, sed nihilominus propositio obiecti, quæ fit per intellectū supponitur vt prior: quia prius est esse obiectū circa quod debeat esse exercitiū voluntatis, à quo specificetur actus, quā sit actualis existentia exercitij, saltem prius intelligitur. Et quidem ad vtramque determinationē specificationis, & exercitij præintelligitur vt diximus propositio obiecti circa quod. Sed nihilominus volūtati tribuitur motio, & determinatio quoad exercitium. Et ratio est: quoniam adhuc etiam proposito ipso obiecto voluntas ipsa ex se determinatur ad volendum, vel non volendum: quia contra quamcumque obiecti propositionem in statu huius viæ voluntas potest sistere se, & neque operari, neque consentire. Quapropter reliquæ omnes potentiæ determinantur ad agendum, vel non agendum. Non sanè virtute intellectus secundum se, aut præcise: quoniam intellectus per se non potest eas mouere, sed in quantum id, quod intellectus proponit, voluntas ipsa amplectitur. Et idcirco optimè Sanctus Thomas dixit reliquas potētias determinari ad exercitium suum ab ipsa voluntate: quoad specificationem tamen voluntas dicitur moueri ab intellectu, & ex consequenti reliquæ potentiæ ex voluntate pendentes. Quoniam voluntas exercitium suum, vel suspensionem ab eo circa hoc obiectum, potius, quàm circa illud determinat quidem per conformitatem ad diuersam

Dissoluitur

In vno & eodem actu sunt simul determinatio quoad exercitium & quo ad specificatiō nē, licet hæc ab intellectu, illa à voluntate proueniat.

propoſitione obiectorum, quam intellectus facit, ita tamen, vt voluntas ſemper ad obiectum illud moueatur, quod proponitur efficacius, & non ad aliud. Quem modum dicendi approbant modo recentes Theologi. Et idem affirmat ſentiendum eſſe in brutis de appetitu, & ſenſu, quòd appetitus ſit primũ mouens quoad exercitium. Quia quamuis propoſito obiecto neceſſario ab eo moueatur, tamẽ ſenſus, neq; mouet, neq; determinat cæteras potẽtias ex ſola propoſitione obiecti ad hoc vt moueatur, vel nõ moueatur, quòd eſt mouere quoad exercitiũ, niſi pro vt intercedit conſenſus ipſius appetitus, atq; ita illi tanquã mouenti primò tribuitur determinatio quoad exercitiũ. Verumtamen neq; ipſa voluntas, neque appetitus poſſunt dici primi motores quantũ ad ſpecificationem, quamuis determinent operationẽ potiùs circa hoc obiectũ, quã circa illud. Quia radix prima huius determinationis eſt propoſitio ipſius obiecti facta eo modo, quo ſæpe dictũ eſt, quã dum eam ſequitur voluntas determinat reliquas potentias. Cæterùm quando dicimus voluntatẽ eſſe principium mouendi quoad exercitium, id debet intelligi non quòd quæcumq; potentia ſubijciatur motioni voluntatis ad hoc, vt ceſſet ab omni ſua operatione, quia imaginatio non poteſt ceſſare, ſed quia quælibet potentia circa quodcumque obiectum poteſt operari, vel nõ operari pro vt ipſi placuerit voluntati.

In brutis appetitus eſt primum mouens quoad exercitiũ.

CONCLVSIO QVINTA.

Concluſ. 5.

Circa finem quẽ quis ſibi præſcribit, & in ipſius intentione voluntas eſt libera pro ſtatu huius vitæ.

DICO quinto. Voluntas in intentione finis eſt libera pro ſtatu huius vitæ. Dixi in intentione finis, loquendo præcipuè de intentione per certa media. Dixi etiã voluntatẽ eſſe liberã in intentione finis, loquendo de fine vltimo, non quidẽ ſimpliciter vltimo in cõmuni, ſed de fine vltimo materialiter, ſeu de fine vltimo, quẽ quis ſibi præſcribit in particulari, vel de vltimo fine, qui poteſt eſſe finis, & mediũ iuxta diuerſas ordinationes volũtatis. Hęc aſſertio eſt D. Tho. 1. 2. q. 12. & q. 13. Vnde S. Tho. dicit electionem non eſſe finis, ſed eorũ quæ ſunt ad finem, & Ariſt. 3. Ethicorum cap. 2. dicit quòd voluntas eſt finis: electio vero eorum, quæ ſunt ad finem. Nam certè cum finis in operabilibus ſe habeat vt principium, & nõ vt concluſio, ſequitur quòd finis, in quantum talis non cadit ſub electione. De fine autem poſſumus loqui quatenus eſt vltimus, in quem omnia omnino referuntur, & ipſe non refertur in aliud, & hac ratione intentio finis quamuis ſit libera quoad exercitiũ, non tamẽ eſt libera quoad ſpecificationem. Vnde quãdo recentes Theologi dicunt libertatem ſolùm oriri ex conſultatione, & tantùm reperiri in electione mediorum, hoc verum nõ eſt. Quia etiam ipſa voluntas finis ſiue contracti, & determinati in ſingulari materia, ſiue conſiderati in communi poteſt eſſe libera, nõ quidem ex

Duplex finis alius vltimus in quẽ omnia referuntur, & ipſe non refertur in aliud, alius eſt vltimus materialiter, quia ipſum quis ſi

conſultatione, quæ dicitur eſſe mediorum, ſed ex modo, quo intellectus proponit cum indifferentia ad vtramq; partem, vel ex parte obiecti, vel ex parte exercitij, & ita in prima volũtate poteſt eſſe malum, & peccatum, nimirum circa delectabile. Imò verò ſentio conſultationem etiam eſſe poſſe de fine, non quidem de fine in communi, ſed de fine contracto in materia ſingulari, & particulari, vt ſi quis conſtituat vltimum finẽ in delectatione, vel in excellentia propriæ perſonæ ſuper alios, vel in diuitijs, aut in honore, tunc enim ſumitur finis vltimus contractus. Nam finis vltimus poteſt conſiderari vt non contractus, ſed quatenus dicit rationem finis vltimi, in quem omnia ordinantur, & ipſum in nullum aliud refertur. Et iſte vltimus finis eſt fælicitas in cõmuni non contracta, ſed quatenus dicit carentiam omnis mali in communi, non deſcendendo ad hoc, neque ad illud.

bi in particulari præſcribit vt Diuitiæ excellentia propriæ perſonæ &c.

Actio qua volũtas fertur in finẽ dicitur intẽtio, propoſitum, & volũtas finis.

Ariſtot. 6. Ethicorum cap. 9. 12. & 13. voluntatem finis, quam nos appellamus communiter intentionem, ille vocauit propoſitum, & 3. Ethicorum cap. 2. eamdem intentionem, appellauerat voluntatem, in quibus locis Ariſto. ſumit finem, circa quem dicit etiam verſari propoſitum, non ſanè pro ratione boni contracta, & determinata in materia ſingulari, ſeu particulari, ſed ſumit finem pro ratione boni abſtracta ab omni materia. Solet etiam dici à Philoſophis moralibus rectum propoſitum fieri à virtute, quia *Qualis vnuſquiſque eſt, talis finis ſibi videtur*: rectam autem electionem fieri à prudentia. Vnde Ariſt. 6. Ethicorum cap. 12. putat priùs eſſe bonum propoſitum natum & ortum ex ſolo bono affectu virtutis, quam prudentiam. Nam hac ratione certiſsimum eſt voluntatem finis eſſe priorem, quam ſit conſultatio, quæ eſt actus prudentiæ, quia conſultatio non eſt de vltimo fine formaliter, ſeu in communi, conſtat autem quòd prudentia verſatur circa finem virtutis contractum in materia particulari præſcribendo modum debitum ſecundum regulam virtutis. Igitur propoſitum illud, quod verè etiam dicitur intentio, verſatur tantùm circa virtutem in communi, ſeu abſtractè conſideratam. Quia affectus huius non poſtulat prudentia propter quam cauſam S. Thom. 2. 2. quæſt. 47. art. 6. in hoc ſenſu dixit, *Prudentiam non præſtituere finem virtutibus moralibus*, Vbi locutus eſt de fine non contracto. Quia ſi loqueretur de fine contracto in materia ſingulari nimirum de fine iuſtitiæ in hac materia, vel de fine temperantiæ in hoc cibo, & potu, non rectè loqueretur ſi affirmaret prudentiam non præſtituere hunc finem. Nam prudentia eſt, quæ proprie aſſignat mediocritatẽ virtutibus, ex quibus patet quòd S. Tho intelligit hoc de fine abſtracto à materia particulari. Quo circa S. Tho. 1. 2. q. 66. fatetur planè & optimè prudẽtiã non tantũ aſſignare, & determinare media,

Ariſt. 6. Ethic.

Quãuis prudentia non præſtituat finem vniuerſalẽ & abſtractũ à particulari materia, tamen præſtituit finẽ ipſum in propria materia, & ſolũ media ipſa ad finem.

quæ

quæ sunt ad finem, sed etiam ipsum finem in propria materia.

Cum igitur intentio versetur non tantum circa finem vltimum, sed etiam circa non vltimum, & versetur etiam circa finem abstractè consideratum, & circa finem etiam contractum in materia particulari. Rursus etiam cũ intentio finis possit sumi, vel quatenus est desiderium solum, vel quatenus est actus voluntatis intendens finem per certa & determinata media cum quadam subordinatione ad rationem, sic intentio finis libera est; atque àdeo vera conclusio à nobis posita: nam solum finis vltimus in communi & abstractè consideratus intenditur necessariò quoad specificationem S. Thom. 1.2. q. 12. art. 2. dicit actum intentionis versari circa finem, siue sit vltimus, siue non. Vnde si intentio esset solùm vltimi finis, hoc est beatitudinis, non essent diuersæ hominum intẽtiones, quòd aperte est falsum: respicit igitur intentio finem secundũ quòd est terminus motus volũtatis. In motu verò potest dupliciter accipi terminus, nimirũ, vel primò ipse terminus vltimus, in quo quiescitur & iste est proprie terminus totius motus. Vel potest secũdo accipi termin⁹ pro eo, quod est finis & terminus vnius partis motus, & mediũ respectu alterius, sicut constat de motu quo itur de A. in C. per B. tũc enim C. est vltimus terminus, B. autẽ est terminus non vltimus, & vtriusq; potest esse intentio, ac proinde quamuis intẽtio semper sit ipsius finis, non tamẽ requiritur quòd semper sit vltimi finis. Quæ doctrina est D. Tho. loco citato. Sed cũ dicit Sanctissimus Præceptor intentionẽ posse esse finis vltimi, & nõ vltimi, per finẽ non vltimum possumus intelligere nõ mediũ pro vt habet rationẽ medij, ad cuius consecutionẽ, alia etiã media referũtur. Nã omnis finis habet rationẽ vltimi appetibilis, quatenus finis est, vt ex Arist. doctrina apertè cõstat: sed possumus intelligere rẽ, in qua est summa nostra fælicitas, vel ipsam fælicitatẽ secundũ rationẽ formalẽ: per finẽ autem nõ vltimũ, quẽcumq; alium finem, qui licet gratia sui appetatur tamen non continet nostram beatitudinẽ. Neque huic obstat, quòd S. Tho. dixit 1.2. q. 12. ar. 3. per hæc verba: *Est enim intentio non solum finis vltimi, sed etiam finis medij: simul autem intendit aliquis, & finem proximum, & vltimum, sicut confectionem medicinæ, & sanitatem.* Nam in hoc loco S. Thom. sensit vnum medium magis propinquum fini posse cadere sub actu intentionis, ex qua moueretur homo ad eligendum mediũ magis remotum. Sed profectò quidquid sit de hoc, ego sentio vnum medium non mouere gratia sui ad appetendum aliud medium, & ex consequenti propriè non cadere sub actu intẽtionis ipsius voluntatis, cum intentio propriè solùm dicatur esse ipsius finis. Verũ est quod fusiori significatione, & lata dicitur intentio finis non vltimi, seu medij proximi ad finem.

Iam igitur ex dictis constat, quòd de vltimo fine possumus loqui vel de vltimo fine contracto, & in particulari, vt de diuitijs, honore, vel de Deo, & de hoc fine est in nobis libertas, imò deliberatio, & consultatio iuxta illud Deuteronomij 26. *En Dominũ elegisti hodie*: Quare cum Gentiles reiectis idolis suis senserunt illa, non esse veros deos, & conuersi sunt ad verum Deum Iesum Christum vnicum Dominum nostrum, libera fuit talis intentio in eis, & cum quadam deliberatione facta. Secundò. Vltimus finis accipitur pro vltimo fine in communi, non contracto qui dicitur beatitudo, & fælicitas vt dicit carentiam omnis mali, quem finem omnes desideramus. De quo fine vltimo locutus est Augustinus cum loqueretur de parasito illo, qui cùm reuelare voluisset cogitationes cordiũ, dicendo. *Omnes vultis vili emere, & care vendere*. dixit Sanctissimus Augustinus. *Melius dixisset. Omnes vultis beati esse, miseri esse non vultis*. 13. de Trinitate cap. 3. Et de hoc fine vltimo nèque est electio, neq; potest esse, neq; rursus est libertas specificationis, quamuis sit de eo fine in nobis libertas exercitij. Dixi quòd de isto fine ita formaliter accepto, & non cõtracto nullo modo est electio, quia nullo modo talis vltimus finis potest habere rationem medij sicut neq; potest odio haberi. Tertiò & vltimò potest accipi vltimus finis pro eo, quẽ vnusquisque habet, & sibi fingit pro affectu suo, & in hunc libere fertur, vt experimento cõstat. De niq; verissimè dictũ est voluntatẽ ferri in finẽ etiã liberè, & potissimè in exercitio cõsiderãdi in via beatitudinẽ in cõmuni, & in particulari, & in exercitio diligẽdi eam: potest enim intellectus inuenire rationem alicuius molestiæ, aut difficultatis vel laboris, aut alicuius mali in ipso exercitio, ratione cuius potest voluntas tale exercitium vel odio habere, vel suspẽdere, ac proinde velle ab eo cessare, ex quo fiet vt cesset. Cùm igitur hoc verissimum sit similiter certissimum erit voluntatem in intentione finis liberè se habere.

CONCLVSIO SEXTA.

Dico sextò. Solum obiectum beatificum tale est, vt in ipsum beati ferantur necessariò in patria necessitate exercitij, & specificationis. Volo dicere tam actum intellectus quam voluntatis esse necessarium in beatis, etiã quoad exercitiũ amandi, & videndi Deũ, quem intuitiue vident præsentem, ita vt non possint desistere à dilectione, & visione ipsius Dei. Hæc assertio debet esse certa omnibus rectè sentientibus, & est. S. Tho. 1.p.q.6.art.5. ad 5. vbi planè docet quemcunq; beatum, qui intuitiuè Deum per essentiam videt, pari ratione ita diligere ipsum, vt impossibile sit eũ non amare. Idem dixit in eadem prima parte, S. Thom. q. 82. art. 2. Est tamen proposita assertio contra Scotum in 1. distinctione 1. q. 4. Qui quamuis putet beatos omnes de facto nũquam cessare ab actu dilectionis, & visionis Dei, sed nihilominus eorum volũtates liberas

S. Thom.

Duplex terminus assignari potest alicui motui, scilicet vltimus & nõ vltimus

Obiectio ex verbis D. Tho. repellitur.

Resolutio eorum quæ in hac cõclusione dicta sunt tam de fine in particulari & cõtracto quem liberè quoad exercitiũ & specificationem intẽdit voluntas, quàm de fine vltimo in cõmuni, quẽ licet intẽdamus necessariò quo ad specificationẽ, libere tamen quoad exercitium.

Conclus. 6.

Solùm Deus clarè visus est obiectũ necessarium quantum ad specificationem, & quãtum ad exercitium.

manere dicit, & poſſe ceſſare ab illo actu de poſsibili, quamuis de facto id nunquam eueniat. Sed probatur primo aſſertio noſtra. Quoniam ita comparatum eſt in rebus omnibus, quòd omnis natura quotieſcumq; adipiſcitur finẽ vltimũ ſuum, ita in eo quieſcit, quòd non poteſt appetere receſſum ab illo, lapis enim ſi peruenit ad centrum terræ, ita in eo loco quieſcit, vt inde nũquã recedat, neq; poſsit recedere niſi vi, & violẽtia. Cuius rei ratio eſſe poteſt: quia nõ habet appetitũ recedẽdi à ſuofine, & à ſua fælicitate, quã poſsidet: ſed viſio beatifica, & Dei dilectio in patria eſt finis vltimus: ergo cõſequuto hoc fine, & poſſeſſo, ita in eo manet, & quieſcit beatus, vt non poſsit velle recedere. Hac enim de cauſa dixit Propheta Pſal. 16. *Satiabor cũ apparuerit gloria tua.* Si enim voluntas beati poſſet velle recedere, aut poſſet velle ceſſare ab actu beatifico, non eſſet verum quod dixit Propheta. Satiabor cũ apparuerit gloria tua. Quia ſi poſſet velle recedere, poſſet appetere aliud: ergo in ſtatu illo beatifico neceſsitãtur quoad exercitium, tam voluntas, quàm intellectus beati. Hoc ſolet cõfirmari à Theologis hac ratione. Quoniam actus viſionis, & dilectionis beatificæ mẽſurãtur æternitate participata, quod eſſe non poſſet, ſi beati poſſent ſuſpendere exercitium dilectionis, & viſionis beatificæ. Eſt igitur actio voluntatis dilectionis Dei in beatis non libera, ſed neceſſaria neceſsitate exercitij, aliàs poſſet eſſe variabilis, & corruptibilis, & minime perpetua de ſe, ac proinde non menſuraretur æternitate.

Probatur aſſertio.

Omnis natura quæ cõſequitur ſuum finem vltimũ, ita in eo quieſcit, vt non poſsit appetere receſſum ab illo.

Pſalm. 16.

Cõfirmatur

Dices. Volitionem & dilectionẽ Dei erga creaturas, vere eſſe liberam, liberè enim Deus hunc mundum produxit, quo non obſtante illa Dei volitio, quam ab æterno habuit producendi creaturas in tẽpore menſuratur æternitate: ergo quamuis viſio beatifica in beatis menſuretur æternitate, id quidem non obſtat quominus viſio illa libere exerceatur cum dilectione erga Deum. Reſpondetur tamen obiectionem hanc efficacem non eſſe, & potius fauere nobis, quam contradicere. Quoniam in Deo eadem omnino volitio eſt, qua Deus ſe ipſum diligit, & creaturas: ſed ſe neceſſariò, creaturas vero liberè diligit. Nam ordo ad creaturas liber eſt, ſicut ordo ad ipſum eſt neceſſarius. Vnde ſi in Deo daretur aliqua volitio, quæ ſecundum ſubſtantiam ita eſſet libera, vt poſſet eam ſuſpendere ceſſando ab illa, & à ſubſtantia eius, talis quidem volitio non poſſet æternitate menſurari. Quo fit, vt ſi actus viſionis, vel dilectionis Dei in patria, ita liber eſſet, vt beatus eum ſuſpenderet, vel ab illo ceſſare poſſet, tunc non menſuraretur æternitate.

Occurritur cõfirmationi.

Euellitur occurſus.

Eadem omnino volitione Deus ſe ipſum neceſſariocreaturas verò libere diligit.

Moueoretiam ad veritatem propoſitæ aſſertionis. Quoniam voluntas etiam in hoc ſtatu viæ nunquam velle poteſt quidquam niſi ſub ratione boni in communi: igitur in patria illa cæleſti nunquam poteſt beatus velle aliquid, niſi ſub ratione bonitatis Dei intuitiue cogniti. Cum igitur ceſſare à Dei amore, & dilectione non poſsit in patria repræſentari ſub ratione boni, neque illa habeat moleſtiam aut difficultatem vllam, ſequitur, quòd voluntas nunquam poteſt ceſſare &c. Huc accedit quòd voluntas nunquã ceſſat ab amore alicuius boni, niſi appareat illi aliqua diſconuenientiæ ratio, aut impedimentũ alterius boni: ſed implicat in actu beatifico, quòd appareat aliqua diſcõuenientiæ ratio, cũ beatitudo ſit ſummũ bonum noſtrũ, præcipuè cũ beatitudo nõ poſsit eſſe impedimẽtum maioris boni: ergo.

Probatur præterea aſſertio: quia nulla ratio boni poteſt apparere in ceſſatione ab actu dilectionis Dei in patria.

Sed interrogabit aliquis, vtrùm ſit aliqua ratio, & cauſa intrinſeca, cur beatus neceſsitate exercitij feratur per voluntatem in Deum, & cur careat omni libertate exercitij, & ſpecificationis dilectio beati cernentis Deum in patria. Ratio dubitandi eſt ex Sanctiſsimo Præceptore. 1. 2. quæſt. 10. ar. 2. & de veritate q. 22. artic. 3. Quibus locis affirmat voluntatem à nullo obiecto ex neceſsitate moueri: ac proinde dicit voluntatem eſſe liberam, quantum ad exercitium actus, in quocumque ſtatu naturæ, & reſpectu cuiuſcumque obiecti: ergo ſi in quocumque ſtatu, & reſpectu cuiuſcumq; obiecti ſequitur, quod neq; in patria poteſt aſſignari vlla ratio, cur beati neceſsitẽtur quoad exercitium. Altera ratio dubitandi ſumitur ex actu dilectionis beatificæ in patria. Nam ille actus dilectionis eſt elicitus à volũtate, & producitur effectiuè ab habitu charitatis, ſicut actus viſionis à lumine gloriæ: ergo talis actus dilectionis à voluntate elicitus liber eſt libertate exercitij, quod potiſsime eſt verum, quoniã habitibus vtimur cum volumus. Et confirmari hoc poteſt. Quoniam idem actus dilectionis, & charitatis, qui fuit in via, manet in patria, quia *Charitas nunquam excidit* 1. Corinthiorũ 13. ſed actus dilectionis in via liber eſt quoad exercitium: ergo pari ratione in patria. Nam videtur valde difficile, quòd idem actus numero poſsit eſſe liber, & neceſſarius.

Dubitatio curactus dilectionis Dei in patria ſit neceſſarius.

1. Corinth. 13.

Hæ rationes dubitãdi poſtulãt vt explicemus rationẽ, cur actus beatificus dilectionis Dei nõ ſit liber, ſed neceſſarius in patria, vtraq; neceſsitate exercitij, & ſpecificationis. In qua re aliqui Theologi dicũt, quòd illa neceſsitas dilectionis Dei in patria prouenit quidẽ non ex ipſo habitu charitatis, ſed ex natura voluntatis, pro vt eſt in tali ſtatu, hoc eſt ex eo quod quatenus voluntas eſt in ſtatu beatifico, in quo ceſſatio ab actu dilectionis non poteſt illi repreſentari ſub ratione boni, neque ſub ratione expedientis, inde voluntas non poteſt ceſſare ab exercitio illo dilectionis beatificæ, in quo neque laſſatio, neque difficultas, neque impedimentum vllum ſeſe offerre poteſt.

Alij alias aſsignant rationes. Dicũt enim neceſsitatẽ dilectionis Dei in patria prouenire ex natura ipſius obiecti beatifici. Nam cũ ipſum ſit obiectũ infinitũ, continens in ſe omnẽ

Addncitur ratio dub. quòd Deus cum ſit obiectum infinitum continet omnem rationem boni.

rationem, & plenitudinem boni, & hoc repręsentetur voluntati per claram, euidētem, & intuitiuam cognitionem, inde est, quòd cū obiectum hoc sit præsens ipsi voluntati, in quo repręsentatur omnis ratio boni, & quidquid imaginari potest esse de ratione boni, idcirco volūtas toto conatu fertur in obiectū illud, quòd habet plenitudinem boni, cum sit obiectū perfectissimum voluntatis, in cuius dilectione vt proponitur ei euidēter ab intellectu omne bonū voluntatis, & ipsius beati cōsistit. Quæ quidem ratio cū pulchra sit, tamen nō est adæquata, neq; omnino conformis literæ D. Tho. dicentis locis citatis, voluntatem à nullo obiecto necessitari posse quoad exercitiū in nullo statu. Vnde addunt Theologi plures: huic rationi, hanc necessitatē exercitij in patria, non prouenire ex solo illo obiecto beatifico præcise, sed simul ex illo proficisci, & ex natura ipsius voluntatis. Quoniā natura, & inclinatio voluntatis est, vt si habuerit præsens omne bonū secundum omnem rationem boni, ita vt nulla ratio mali, seu impedimenti aut difficultatis in eo apparere possit, sicut fit in vita beatifica, vbi intuitiuè, & perfectè proponitur tale obiectum voluntati, tunc voluntas necessariò moueatur in illud obiectum, in cuius tendentia satiatur voluntas.

Non videtur adæquata: quare alij addūt summi rationē etiā ex parte voluntatis.

Scotus in 4. dist. 49. q. 6. §. Hic sunt duo, sensit perpetuam esse durationem, & perpetuum exercitium visionis Dei in patria, & dilectionis beatificæ: hoc tamen exercitiū perpetuum non prouenire ex natura habitus mouentis ad operationes illas, neq; ex determinatione potentiarū. Quia, vt putat Scotus alibi beati in libera potestate habent frui, vel non frui Deo, quod pertinet ad libertatem exercitij, vt ille alibi dixit in 1. dist. 1. q. 4. §. Negatiua istius articuli. Quod ita intelligit Scotus nimirū beatos cessare posse ab his operationibus beatificis, si suæ libertati relinquerentur à Deo. Ex quibus cōstat perpetuitatē operationū in beatis, & incorruptibilitatē in solā volūtatem Dei reuocandā esse. Est igitur sententia Scoti, & suorū cum Gabriele in 1. dist. 1. q. vltima ar. 2. concluſ. 3. & in 4. dist. 49. q. 2. art. 3. dubio 5. in supplemento, quantum ego conijcere possum: dilectionem Dei, seu fruitionem in patria, non habere principium intrinsecū, à quo necessariò procedat, sed solùm procedere à principio contingente, & libero, sed nihilominus ex diuina protectione, & ex assistentia diuinæ gratiæ, voluntatem beatorum ita esse determinatam ad fruendū Deo & ad diligendum ipsum, vt ab eius fruitione & dilectione non possit cessare, neque desistere.

Scot. Dilectionem beatorū non habere principiū à quo necessariò eliciatur, existimauit.

Hoc ita esse fundatur, & probatur ab his authoribus. Quoniā quando principiū eliciens nō operatur necessariò, ille qui habet tale principiū similiter nō operatur necessariò: sed charitas patriæ nō elicit necessariò dilectionē, & fruitionē beatā. Nam eadem est omnino charitas patriæ, & viæ, in via autem non operabatur necessario: ergo neq; in patria cū clara Dei visione nō operabitur necessariò: ergo volūtas beati intuētis Deū habens talē habitū charitatis, ratione illius non operabitur necessariò, præcipuè quia necessitas agēdi non prouenit ex diuersa propinquitate obiecti, aut passi, sed ex intrinseco principio agentis. Quoniā ab eo debet prouenire necessitas operandi, à quo prouenit ipsa operatio: tanquā à principio: igitur cū operatio procedat à principio intrinseco efficiēti, ab illo etiā debet prouenire necessitas. Ex hoc autē, quòd intellectus nūc videat clarè, nunc obscure, nihil variatur in principio intrinseco, à quo procedit operatio, sed sola variatio fit ex parte applicationis obiecti: ergo sicut in via quādo Deus cognoscebatur obscure volūtas ferebatur in Deū liberè, & cōtingēter, pari modo in patria ferri debet volūtas in Deū clarè visum. Si dicas obiectū clarè visum, quod est Deus cōcurrere vt principiū efficiēs ad dilectionē, & fruitionē Dei, & idcirco talē dilectionē necessariò elici, contra hoc est, quòd Deus, qui est obiectū huius fruitionis, & dilectionis operatur liberè, & non necessariò, quæcumq; operatur ad extra: ac proinde actus dilectionis, nō erit necessarius ex hoc capite.

Probāt Scotus & sui suam sententiam.

Sed profecto certissima debet esse sentētia superius proposita, quæ docet cōtra authores omnes citatos, voluntatē creatā in patria, ita necessario ferri in Deū clarè visum, vt non possit ipsum nō diligere amore charitatis, & necessitari in exercitio illius dilectionis. Hæc est expressa sententia D. Tho. 1. 2. q. 4. ar. 1. & art. 4. sed præcipuè eā tradit lib. 3. cōtra gētes ca. 62. & Ferrariēsis eodē loco. Caiet. 1. p. q. 82. ar. 1. & 2. Durandus in 4. dist. 48. q. 2. & distinct. 49. q. 8. num. 16. Henricus quodlib. 12. q. 5. Ægydius quodlib. 5. q. 6. Capreolus in 1. dist. 1. q. 3. art. 1. concl. 4. &. 5. Palude in 4. dist. 49. q. 7. art. 2.

Sentētiā suprapositā de necessitate dilectionis in patria veriſsimā tenēt D. Tho. Ferrara. Caietan. Durand. Henric. Ægydius. Capreol. & Palude.

Rationes, quæ huic veritati suffragantur præcipuæ sunt D. Thom. sed præcipua hæc est. Quòd voluntas, vel potest cessare à dilectione, & delectatione, cessante visione beatifica, vel ipsa semper permanente: cessante autem visione beatifica dubium esse non potest, quin cessare possit, & suspendi ipsa dilectio, & delectatio. At vero cessare à visione beatifica non est in potestate ipsius videntis, & intuentis Deum: quoniam aut cessare posset à visione ex defectu facultates videndi, aut ex læsione eius, vt cum quis vel moritur, vel fit cęcus: aut deficeret facultas videndi, quia deficeret lumen, vel quia nollet ampliùs videre: sed duo priora non sunt in potestate voluntatis, nimirum, facultas videndi, aut defectus luminis, ergo ex illa parte non potest cessare visio: postremum autem, quod est nolle videre, similiter nō est positū in voluntatis potestate: quia nemo potest velle se nō esse beatū, & fælicē. Cū igitur beatitudo, & fælicitas creaturæ rationalis sit visio Dei clara, nemo poterit velle à visione cessare.

Ratio efficax pro sententia D. Tho. quòd non possit beatus cessare à visione ipsa beatifica, & sic nec à dilectione.

Et pari modo S. Thom. probat neminem poſſe ceſſare à dilectione Dei, & fruitione intuitiue, & clare viſi. Quoniã non poteſt velle ſe non eſſe beatum, & fælicem. Quòd autem non poſsit beatus ceſſare ab affectu erga Deum permanente viſione, probat Sanctiſsimus Præceptor eodem libro 3. contra gentes cap. 62. ratione ſexta: quia nemo poteſt velle diſcedere à bono, quo fruitur, hoc eſt, ab ipſo exercitio fruitionis, niſi propter malum aliquod, quod apprehendit in fruitione illius boni, vel quia apprehendit in ea impedimentum aliquod maioris boni. Nam ſicut voluntas nihil deſiderat, niſi ſub ratione boni, ſic etiam nihil fugit niſi ſub ratione mali. At in fruitione Dei clarè viſi, non poteſt apparere beato aliqua ratio mali, aut vllum impedimentum alicuius boni, cum ipſa ſit optimum omnium, ad quod natura humana peruenire poteſt: ergo is, qui Deum videt & intuetur non poteſt velle ceſſare à fruitione Dei. Hac igitur ratione oſtendit S. Thom. beatum non poſſe vnquam velle ceſſare à fruitione, etiam ex ſe ipſo, neque à viſione Dei, ac proinde viſionem, & fruitionem eſſe perpetuam in ipſo exercitio.

Aduerte rationem hãc.

Sed vt rationem D. Thom. intelligas candide lector perpendere oportet, quàm ſolerter locutus ſit D. Thom. in diſcurſu rationis datæ, quia nunquam dixit voluntatem non poſſe ſuſpendere dilectionem, & fruitionem de aliqua re, quando in re ipſa non poteſt apprehendere vllam rationem mali, aut impedimentum maioris boni, quoniam hoc quamuis ſufficiat ad neceſsitatem ſpecificationis, tamẽ non ſufficit ad neceſsitatem exercitij, ſed tantum dixit D. Thom. neminem ceſſare poſſe à fruitione, & exercitio dilectionis, qui infruitione ipſa, & in exercitio non poteſt apprehendere aliquam rationem mali, aut impedimentum maioris boni. Nam certe quando ceſſat homo ab aliquo affectu, illumque ſuſpendit, idcirco dicitur ceſſare ab eo, vel quia moleſtè fert aliquid in operatione ipſa, vel in affectu, vel quia afficitur labore, tædio, aut difficultate ex aliquo concomitante operationem, vel affectum voluntatis, vel tandem quia maius bonum ſeſe offert, quo diſtrahitur à minori. Quocirca cùm in viſione ipſa beatifica tanta ſit efficacia, & vis ipſius viſionis Dei intuitiuæ, vt non ſolùm oſtendat in ipſo Deo eſſe ſummam rationem boni, ſed etiam faciat eam eſſe ſuauem ſine difficultate, imò verò reddat affectum diligendi Deum clarè viſum ſuauiſsimum, & cum ingentiſsima delectatione, ita vt nulla apparere poſsit ratio difficultatis, laboris, aut faſtidij in exercitio ipſo, vel in his, quæ concomitantur ipſum affectum, neque etiam poſſet apparere aliquid aliud melius, tunc præcluditur via ceſſandi ab exercitio fruitionis, & dilectionis, & ita fit voluntatem ſic affectam in tali ſtatu, & circa tale obiectum, & cum his conditionibus neceſſariò ferri in Deum, quo ad exercitium affectu dilectionis, & amoris amicitiæ, & delectationis.

Expenditur ratio D. Thomæ.

Rurſus perpendere oportet, neceſsitatem illam, ſecundum quam voluntas fertur in Deum in patria, non prouenire, aut conuenire ei ex aliquo habitu, ſed à principio intrinſeco, & à natiua virtute ipſius voluntatis, cui verè conuenit vterque modus agendi, & operandi, nimirum per modum naturæ cũ neceſsitate, & determinatione ad vnam partem: & cum libertate, & indifferentia, vt ſuperiùs dictum eſt. Hæc autem varietas in modo agendi, & operandi non competit voluntati abſolutè conſideratæ, & præciſe ſecundum ſe, ſed quatenus præuenitur ex parte intellectus diuerſo modo. Quia cùm proponitur voluntati tale obiectum, ita vt in eo appareat aliqua ratio mali, laboris, aut difficultatis, liberè mouetur circa ipſum vtraque libertate exercitij, & ſpecificationis, ita vt poſsit non diligere illud obiectum, & poſsit odio ipſum habere. Si verò in obiecto quòd proponitur ratione cuius præuenitur voluntas non poteſt apparere omnino vlla ratio mali, ſed tãtum in ipſo exercitio, tunc libere mouetur ſaltem ſecundum exercitium, quia ita fertur affectu proſecutionis in ipſum obiectum, vt poſsit non ferri in ipſum. Neque valet dicere quòd in alijs agentibus naturalibus varietas in conditione propinquitatis, vel diſtantiæ, non variat modum agendi aut operandi: ad hoc vt negemus varietatem in modo proponendi obiectum, quæ videtur eſſe veluti conditio, variare modum agendi, & operandi in voluntate ipſa. Et ratio eſt. Quia in illa propoſitione obiecti, quæ fit ab intellectu, qua præuenitur voluntas nõ reperitur ſola conditio requiſita ad agendum, ſed reperitur aliquid obiecti ob id, quòd per eam apparet ipſum obiectum diuerſis modis, nimirum, vel ſub omni ratione boni in ſe, & in exercitio ipſo, aut ſub aliqua ratione mali &c. igitur cum variata conditione hoc eſt, cognitione, & apprehenſione illa varietur etiam ipſum obiectum, vt fuſius diximus 1.2. quæſt. 1. mirabile non eſt ſi pariter etiam varietur modus operandi ipſius voluntatis.

Neceſsitas dilectionis Dei in Patria nõ prouenit ex aliquo habitu, ſed à principio intrinſeco & natiua virtute ipſius voluntatis.

In propoſitione obiecti beatifici & cuiuſcumq; alterius non reperitur ſola variatio conditionis, ſed etiã ipſius obiecti.

Ex dictis ſequitur, quòd in patria voluntas neceſsitatur ad amandum Deum, & quòd hoc eſt maximè conforme naturæ voluntatis, & quòd neceſsitas hæc non prouenit ex obiecto, ſed ex natura ipſius voluntatis in tali ſtatu. Eſt enim conditio, & inclinatio voluntatis, eiuſque natura talis, vt ſi habuerit præſens bonum ſibi ſecundum omnem rationem, & plenitudinem boni, ita vt in eo nulla poſsit apparere ratio mali, & hoc fuerit ab intellectu perfectè, & intuitiuè propoſitum, ſicut fit in vita beata, moueatur neceſſariò in illud, ſicut etiam natura grauis, ſeu lapidis expoſcit ferri naturaliter in centrum ſublato impedimento. Quapropter non mihi probatur quòd dicit Bartholomæus Medina de neceſsi-

Necessitas quoad exercitium in dilectione beatorũ non oritur ex imperio efficaci intellectus.

tate huius exercitij beatifici in beatis, quia ea reducit ad imperium efficax ex parte intellectus, quale est illud, ama, dilige. Dicit enim quod hoc imperio efficaci rapta voluntas nõ potest non amare, & exercere actum dilectionis. Sed profectò oblitus est sui Bartholomeus Medina. Quia posito etiam imperio efficaci in via, ipse fatetur viatorem in operibus suis necessariò agere, non quidem necessitate excludẽte libertatem, quia sic non libere ageret in exercitio, neque libere operaretur, sed necessitate suppositionis, simpliciter tamen & absolute libere, & tamen non eodem modo, neque eadem ratione dicitur necessarius actus dilectionis in beatis in patria illa cœlesti, quia absolute, neque diligunt libere, neque merentur, cum ille actus dilectionis sit omnino necessarius, & in termino.

Duratio perpetua & inamissibilitas est de ratione beatitudinis.

Ex dictis rursus sequitur durationem perpetuam esse de ratione beatitudinis, & exercitium visionis, & dilectionis, & fruitionis Dei, ac proinde de ratione beatitudinis esse quòd amitti non possit. Est rursus de ratione beatitudinis impeccabilitas & rectitudo, à quibus deficere non potest beatus, cum beatitudo sit status omnium bonorum agreggatione perfectus. Quare ex multis capitibus redditur certa conclusio à nobis proposita.

Nullum apparens bonũ dimouere potest beatum ab efficacioris considerationeveri boni.

Per visionem enim claram Dei, ita efficaciter proponitur nobis Deus super omnia diligendus, vt non tantum non possimus odio ipsum habere, aut non amare, sed potius Deus ipse ita propositus habet efficaciter mouere intellectum per visionem claram sui, vt id quòd iuxta rationem, & secundum voluntatem Dei est, multò efficaciùs apprehendat intellectus, quàm oppositum, ita vt neque ratione alicuius boni apparentis dimoueri possit ab efficaciori consideratione veri boni, quod est secundum rationem. Quoniam illa visio, & clara intuitio Dei, quæ ostẽdit quàm iustum, & æquum sit diligere Deum super omnia, suapte natura infert necessariò considerationem efficaciſsimam cuiuscumque operationis, & boni specialis, quod est iuxta voluntatem ipsius Dei, atque à Deo sicut ipsa visio Dei intuitiua, & clara perturbari non potest ab alia contraria operatione, pari modo illa efficax Dei cognitio nata ex intuitiua visione, qua beatus apprehendit id, quod est secundum rationem, & voluntatem Dei vinci non potest efficaciori alia cognitione, qua apprehendatur bonum delectabile, quòd sit contra rationem. Cum igitur voluntas peccare non possit, nisi in intellectu præcedat defectus considerationis, sequitur quòd permanente visione Dei, & efficaciſsima illa consideratione boni, quæ non potest à contraria superari, non poterit voluntas deficere, aut peccare, ac proinde ex hoc capite nulla ratione, semel adquisita visione clara Dei poterit beatus amittere beatitudinẽ, aut peccare, & deficere.

Dissoluuntur rationes dubitandi.

Ex Dictis etiam dissoluuntur rationes illæ dubitandi, quas attulimus tam ex ratione, quàm ex testimonio D. Thom. Respondetur enim quod quando D. Thom. affirmat voluntatem à nullo obiecto ex necessitate moueri, quod locutus est de necessitate proueniente ex obiecto vt obiectum est præcise, vel quòd voluntas à nullo obiecto necessitatur in via necessitate exercitij, & specificationis. Vnde illa necessitas quæ est in patria non prouenit ex obiecto præcise, sed ex his, quæ diximus. Habitus enim luminis gloriæ, & charitatis constituuntur non solum vt transferant, & eleuent potentias intellectus, & voluntatis, sed etiam vt reddant eas proportionatas ad actum visionis, & dilectionis Dei. Nam sine his habitibus non valerent producere actus illos, neque liberè, neque necessariò, supposita tamen eleuatione, & proportione facta per habitus simul cum propositione Dei præsentis, iam intellectus lumine gloriæ affectus necessitatur ad visionem, qua necessitate facta similiter voluntas charitate affecta in statu illo necessitatur ad dilectionem. Quæ sane necessitas suppositis illis principijs prouenit ex ipsa natura intellectus, & voluntatis in statu illo beatifico: & ita ab intrinseco, suppositis eleuatione potentiarum facta per habitus illos, per quos habent virtutem producendi actus illos, & proportionem cum eis. Vnde neganda est sequela, quam ex testimonio D. Thom. intulerunt nonnulli ex aduersarijs, optime namq; assignare possumus rationem, cur in patria necessitetur volũtas quoad exercitium, vt in discursu huius sextæ conclusionis fuse eam assignauimus.

Soluitur argum. desumptũ ex testimonio. D. Thomæ.

Ab intrinseco suppositis eleuatione ipsarum potentiarũ per lumen gloriæ & habitum charitatis fertur voluntas necessario in dilectionẽ Dei.

Secundæ obiectioni seu rationi dubitãdi respondetur negando consequentiam, & ad probationem dicẽdum est, quòd habitibus vti possumus, quando opus est, seu quando volumus, quantũ est ex parte ipsorũ habituum, at vero fieri potest ex alio capite quòd potẽtia necessitetur quoad exercitium, post quã semel fuerit posita in tali statu, & eleuata per habitũ luminis glorię, & charitatis, tũc enim necessitas non prouenit ex habitu ipso, sed ex natura voluntatis, quæ in tali dispositione, & statu, atque natura constituta est, in qua suspensio ab actu, & cessatio ab operatione non potest illi representari sub ratione conuenientis aut boni. Sed dices ex D. Thom. 1. 2. quæst. 4. art. 4. & 1. part. quæst. 62. artic. 8. quòd sicut voluntas se habet in via ad bonum in communi, pari modo se habet in patria in ordine ad Deũ clare visum: sed in ordine ad bonũ in cõmuni, in quo nulla apparet ratio mali nõ necessitatur voluntas in via, ita vt feratur in illud necessariò quoad exercitium: ergo neq; in patria in ordine ad Deum clare visum. Respondetur primò quòd ratio D. Tho. quæ adducit simili-

Habitibus vtimur cũ volumus, sed ex alio capite fieri potest vt potentia non possit non vti ipso habitu.

tudinem de voluntate in ordine ad bonum in communi in via, & in ordine ad Deum in patria non tenet in omnibus, ſed ſimilitudo conſiſtit in hoc, quòd ſicut nunc neceſſitat nos quoad ſpecificationem, beatitudo in communi: etiam neceſſitat nos in patria Deus clarè viſus, & quoad ſpecificationem, & quoad exercitium, propter fundamentum D. Thom. 1.2. quæſt. 5. art. 4. vbi dicit impoſsibile eſſe, quòd beatus intuens diuinam eſſentiam velit eam non videre ex eo, quòd omne bonum habitum, quo aliquis carere vult, vel eſt inſufficiēs, & quæritur aliud ſufficientius loco ipſius, vel habet aliquod incommodum annexum, propter quod in faſtidium venit: viſio verò eſſentiæ diuinæ replet animam omnibus bonis, cū coniungat eam fonti totius bonitatis. Vnde Pſal. 16. dicitur, *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et ſapientiæ 7. dicitur, *Venerūt mihi omnia bona pariter cum illa*, nimirum cū contemplatione ſapientiæ. Rurſus etiam non habet adiūctū aliquod incommodum, neque tædium conuerſatio diuinæ ſapientiæ, vt habetur ſapientiæ 8. ergo beatus non poteſt propria voluntate beatitudinem deſerere. Similiter non poteſt eā amittere Deo ſubtrahente illam, nam cum ſubtractio beatitudinis ſit pœna quædam non poteſt talis ſubtractio prouenire à Deo iuſto iudice, niſi pro aliqua culpa, in quam qui videt, & intuetur diuinam eſſentiam incidere non poteſt. Nam ad viſionem beatificam neceſſariò ſequitur rectitudo voluntatis, vt probant omnes Theologi 1. 2. quæſt. 4. art. 4. Vnde fit, vt nullum aliud agens poſsit ſubtrahere hanc beatitudinem, quia mens coniuncta Deo ſuper omnia alia eleuatur, ac proinde ab huiuſmodi coniunctione nullum aliud agens poteſt ipſam repellere. Sunt etiam plures alij Theologi, qui diuerſo modo explicant ſimilitudinem adductam ex D. Thom. locis citatis in obiectione. Dicunt enim Sanctiſsimū Præceptorem voluiſſe aſsignare differentiam inter Deum obſcurè cognitum per fidem, & clarè cognitum per viſionem beatificam, quòd Deus cognitus obſcurè non neceſsitat voluntatem hîc in via, etiam quoad ſpecificationē, quia poteſt volūtas repudiare illū, & odio haberi à peſsimo homine iuxta illud Iob. 22. *Dixerunt Deo, recede à nobis &c.* propterea q̄ poteſt in hoc ſtatu, & ſecundū noſtrā apprehenſionē apparere in ipſo aliqua ratio mali, & in eius oppoſito aliqua ratio boni. Cæterū Deus cognitus per beatificam viſionem neceſsitat voluntatem quantum ad ſpecificationem, ſicut modo beatitudo in communi dicitur neceſsitare nos quoad ſpecificationem, eo quòd ſicut in beatitudine in communi non poteſt modo apparere aliqua ratio mali, ita ſimiliter cognito Deo per beatificam viſionem non poteſt apparere vlla ratio mali, cùm videatur ipſe Deus, ſicut eſt in ſe ipſo, in quo eſt plenitudo omnis bonitatis infinitæ. Vnde fatemur ex illis locis D. Thom. citatis non colligi efficaciter neceſsitatem voluntatis, niſi tantum quoad ſpecificationem: colligitur tamen ex alijs à nobis adductis, ſimulque ex fundamentis, & rationibus à nobis connumeratis. Legendus eſt Ferrarienſis, & Capreolus locis ſuperiùs citatis.

Si interroges & vrgeas vlteriùs, quæ ſit cauſa cur cùm proponitur voluntati in hac vita fælicitas, & bonum in communi, quod caret omni malo non mouetur neceſſariò, in vita autem illa beata cùm oſtenditur fælicitas ſine omni malo, neceſſariò mouetur voluntas. Reſpōdetur, quòd cognitio cum attentione actuali de ſummo bono pro hoc ſtatu, in quo ſumus, non accipitur ſemper tanquam bonum, & conueniens, imò verò plerumque accipitur vt difficile propter impedimenta, quæ occurrunt: vel propter difficultatem aliquam, aut laborem tanquam inconueniens, ratione huius ſtatus, imbecillitatis, & imperfectionis, in quibus verſamur. Quocirca voluntas poteſt animum repellere, & diuertere à tali cogitatione actuali, & ſic fiet, vt poſsit non amare. Cùm igitur beatus nullo impedimento conſtringatur, neque illi appareat difficultas aut labor vllus, poterit auertere cogitationem. Accedit etiam poſſe hominem in hac vita habere illud iudicium bonum eſſe conuertere cogitationem ad bonum delectabile, aut vtile, quod ſeſe offert. Quod ſanè euenire non poteſt in vita illa beata, vt ſatis explicuimus,

Ad confirmationem eiuſdem ſecundæ obiectionis reſpondetur negando conſequentiam. Et cùm probatur reſpondetur, quòd ratione illius ſtatus beatifici efficitur, vt actus ille charitatis, qui in via eſt liber, in patria ſit neceſſarius. Quoniā in via fertur in Deū cognitū per fidē cognitione obſcura, & idcirco ceſſare ab actu illo poteſt apparere ſub ratione boni. Verūtamen in patria vbi, in ſtatu illo fertur volūtas in Deū cognitum lumine gloriæ, cognitione intuitiua, & euidente actus ille, idcirco eſt neceſſarius, quia ceſſatio ab ipſo non poteſt apparere ſub ratione boni, & hinc fit vnum, & eundem actum numero charitatis, qui in via amiſsibilis erat, in patria non poſſe amitti, vt author eſt. S. Thom. 2, 2. quæſt. 24. art. 11. Vt autem intelligas penitus rem hanc perpendendum eſt, quòd cum charitas ſit quædā expreſsio, & participatio amoris diuini, quo Deus ſe ipſum diligit, quòd ſicut amor ille diuinus naturaliter & neceſſariò inclinat voluntatem in Dei amorem: ita pariter charitas participata, quæ eſt in nobis neceſſariò inclinat voluntatem hominis & Angeli in amorem, & dilectionem diuinam, quæ ſanè neceſſaria inclinatio per ſe ipſi charitati conuenit. Si autem in ſtatu huius vitæ charitas non ſe explicat in hunc amorem neceſſariò, ſed contingenter, & liberè, hoc non oritur ex defectu inclinationis ipſius charitatis, ſed ex ſtatu imperfecto huius vitæ, & ex imperfecto modo participandi ipſam charitatem, quo in via, & ſtatu

Repellitur obiectio ex S. Thom.

Pſalm. 16. Sapient. 7.

Nulla ratione fieri poteſt deſertio beatitudinis, ſcilicet nec propria nec aliena voluntate.

Aliorum ſolutio ad obiectionem ex S. Tho. Iob. 22.

Cognitio actualis de ſummo bono in hac vita non ſemper apparet conueniens, propter difficultatē & laborem, & ideo nō mouet neceſſariò quoad exercitium.

Ceſſatio ab actu dilectionis in patria ſub nulla ratione poteſt apparere bona & ideo nec à beato appeti.

Charitas de ſe neceſſariò inclinat vo

iſto

luntatem in actualē amorem Dei, vnde ita fit in ſtatu perfecto.

iſto participatur, & ex imperfecta cognitione obiecti. Nam taliter iudicamus in via Deum eſſe ſummum bonum, & quòd ipſum amare ſuper omnia eſt maximè bonum noſtrū, quòd propter obſcuritatem huius cognitionis reſpectu obiecti minimè cogniti intuitiuè, & clarè admittitur interdum in intellectu eſſe conueniens ceſſare ab amore diuino, propter varias circunſtantias, quæ in illo ſtatu contingunt. Nam fatigamur in attentione, & in permanentia illius actus amoris, diuertimur etiam à pleriſque negotijs, de quibus iudicamus nobis cōuenire, & ad ea nos applicare, cuius oppoſitum contingit in patria, & inde fit, vt in illo ſtatu beatifico charitas prorūpat, & explicet ſe ipſam in omnem ſuam inclinationem. Vnde fit vt neceſsitetur voluntas ad illud exercitium amoris diuini, & tunc voluntas ad amorem illum concurrit per modum naturæ exiſtente habitu charitatis in ipſa. Ita dixit S. Tho. 1.2. quæſt. 10. artic. 1. vbi dixit voluntatem noſtram ferri in vltimum finem, vt natura quædam eſt, & non vt potentia libera,

CONCLVSIO SEPTIMA.

Triplex modus explicādi qua ratione intelligēdus ſit S. Tho. quādo dixit. Volūtatem hominis eſſe liberam reſpectu cuiuſcunque obiecti, & etiam quoad exercitium actus in quocumque ſtatu naturæ.

Dico vltimo. Quando S. Thom. dixit voluntatem hominis eſſe liberam reſpectu cuiuſcumque obiecti, & etiam eſſe liberam quoad exercitium actus, in quocumque ſtatu naturæ, primò hoc debet intelligi de quocumque ſtatu naturæ, vt ſtatus naturæ eſt. Secūdò debet intelligi de voluntate viatoris. Tertiò debet intelligi quòd voluntas eſt libera reſpectu cuiuſcumque obiecti, vt obiectum eſt. Quem modum interpretandi deſumere poſſumus ex D. Thom. de malo quæſt. 6. art. vnico ad 6. argumentum, & 1. 2. quæſt. 10. art. 3. Nam certè Sanctiſsimus Præceptor ex eo oſtendit voluntatem quantum ad exercitium actus à nullo obiecto ex neceſsitate moueri in hoc ſtatu. Quoniam voluntas poteſt diuertere intellectum à cogitatione cuiuſcumque obiecti, ac proinde nullum eſt obiectum, quod neceſsitare poſsit voluntatem in ſtatu viæ. Sumere etiam poſſumus hunc modum interpretandi, quem tertio loco adhibuimus ex Caietano 1.2.q. 10. art. 2. cuius ſententiam ſtatim in initio huius diſputationis retulimus. Quia in articulo illo citato S. Tho. interrogat, vtrū voluntas moueatur neceſſariò à ſuo obiecto, & reſpondet moueri neceſſariò ab obiecto aliquo, quantum ad ſpecificationem, à nullo tamen quoad exercitium. Sed aduerte, quòd de motione quoad ſpecificationem intelligit Caietanus ex ſententia D. Thom. quòd ſit ab obiecto, vt obiectum eſt, & ex conſequenti neceſſariò intelligit de motione quoad exercitiū, quòd nō ſit ab obiecto, vt obiectum eſt. Aliàs ſermo D. Thom. nō eſſet formalis quando dixit, quòd volūtas quantum ad exercitiū à nullo obiecto ex neceſsitate mouetur, & quòd libera eſt reſpectu cuiuſcumque obiecti. Rurſus S. Thom. 1.2. quæſt. 9. art. 1. definiens voluntatem non moueri quoad exercitium ab obiecto ſuo, verè intellexit ab obiecto, quatenus obiectum eſt: igitur quando definit voluntatem non neceſſariò moueri ab obiecto ad exercitium, ſimiliter etiam intellexit quantū eſt ex parte obiecti, vt ſic, patet conſequentia. Quia doctrina hæc fundatur in his, quæ dixit D. Thom. in præfata quæſt. 9. art. 1. vbi ſtatuit voluntatem non moueri quoad exercitiū à paſsione appetitus ſenſitiui, ſed ſolum ex parte obiecti. Et 1.2. q. 10. art. 3. nihilominus iterum definit appetitum non moueri neceſſariò ab illa paſsione ad exercitium in his, quæ habent liberum arbitrium. Vnde probationes D. Thom. in prædictis articulis iam citatis procedunt in hoc ſenſu, quòd quantum eſt ex parte obiecti, vt obiectum eſt præciſe, voluntas poteſt remouere ab intellectu cogitationē illius, ac proinde ceſſare à volitione eius, niſi ex alio capite proueniat neceſsitas exercitij.

Ex dictis diſſoluuntur omnia argumenta, quæ fieri poſſunt in hac parte & omnes opiniones, quæ in principio huius dubij allatæ ſunt.

Dubitatio appendix.

Quo pacto à S. Tho. probetur, volūtatem nunquam moueri neceſſariò ab obiecto ſuo.

RESTAT Nihilominus examinare paucis, quo pacto S. Thomas probet voluntatem ab obiecto ſuo nunquam neceſſariò moueri. Nam certe hoc oſtendit iſto diſcurſu: Homo poteſt non cogitare de quocunq; obiecto: ergo poteſt non velle illud, atque ita non neceſsitabitur ad actu volendum illud. Sane hæc ratio videtur difficilis. Primò, quia experimur ſæpe ſæpius vehementes quaſdam cogitationes, quas voluntas aut compeſcere, aut repellere non valet. Vnde D. Auguſt. dixit non eſſe in facultate noſtra, quin viſis tangamur. Quæ motio cùm non ſit in poteſtate voluntatis non poteſt non eſſe ab obiecto: igitur obiectum aliquando neceſſariò trahit voluntatem. Rurſus prima cogitatio repræſentatiua obiecti nō eſt in poteſtate noſtra. Quòd apertè cōſtat etiam de prima intellectione, quę omnino neceſſaria eſt, quantum ad exercitium, quia ſi voluntaria eſſet, cùm nihil ſit volitum, quin præcognitum, iam ſequeretur, ante primam cognitionem eſſe aliam anteriorem, & ſic fieret proceſſus in infinitum. Præterea, ſiquis cōburatur igne, non poteſt non neceſsitari volūtas quoad exercitium nolendo, & refutando combuſtionem, neque poteſt etiam voluntas diuertere mentem, & cogitationem actualē, à paſsione combuſtionis, qua affligitur. Imò vero ſiquis intueatur valde ſpecioſam fœminam, ſubitò rapitur voluntas ad quandam complacentiam, & viſo capitali hoſte ſtatim voluntas permouetur, & corrapitur, & incitatur. Inpueris, & amentibus volūtas neceſſariò mouetur ab obiecto præſentato, & propoſito, præ-

Adducuntur contra mentem D. Tho. quædā inſtātiæ de quibuſdam vehementibus cogitationibus, de prima intellectione, & de alijs in quibus nō poteſt ſe abſtrahere intellectus à cognitione quorūdam obiectorū maximè ſenſibiliū.

cipue cùm non moueantur libere. In motibus primò primis, etiam necessitatur voluntas quoad exercitium: igitur voluntas necessariò mouet à suo obiecto. His dubitationibus premitur sententia D. Tho. sed profecto si recte intelligatur, ex dictis soluta sunt dubia ista.

Caietanus concedit voluntatem omninò necessitari ad primum actum, quantũ ad exercitium, hanc autem necessitatem dicit non esse ab obiecto vt sic, sed à natura, sicut illa, quæ est in vita beata, vbi Deus necessitat voluntatem mediante inclinatione ipsius charitatis, eo modo quo in superioribus fuse à nobis dicitur, & explicatur. Qua propter S. Tho. non affirmat quòd quandocumque aut quomodocũque aut in qualibet dispositione voluntas possit aliò diuertere cogitationem, vel de obiecto non cogitare: quia hoc aperte repugnat: sed solum docet S. Thom. nullum obiectum habere de se quòd possit necessitare potẽtiam ad operandum, sed posita potentia in tali dispositione, aut in certo aliquo statu necessariò cogitat. Quòd autem hoc sit verum, constat quia si obiectum haberet de se vt obiectum est virtutem necessitandi potentiam, semper necessitaret, & semper posset necessitare, cum obiectum sit semper idem. Vnde S. Thom. expresse intendit nullum esse obiectum huius viæ, in qua versamur, quod in se habeat aliquid, quo possit voluntatem necessitare ad agendum. Nam neque hoc habet respectu apprehensionis in via. Cùm verò Caietanus concedit manente actuali cogitatione de aliquo obiecto voluntatẽ non posse nõ velle, intelligit Caietanus de motu primo, seu de primo primò solum, & licet Caietanus 1. 2. quæst. 10. art. 2. videatur concedere voluntatem necessitari ad primum actum, quantum ad exercitium, tamen in articulo tertio eiusdem quæstionis videtur negare actus primos necessarios, & naturales.

Variat Caiet. in explicanda necessitate primi actus intellectus.

Primum dictum.

Sed nihilominus in dissoluendis his difficultatibus, præter illa, quæ diximus. Dico primò, voluntatem non necessitari ex obiecto, præcipuè in statu viæ. Nam idem obiectũ proposítum voluntati cum maiori efficacia, & cognitione non necessitat: ergo neque antea necessitabat. Quia si quis videns speciosam aliquam fœminam, motus est subito ad volẽdum eam, & ex eo quòd fuerat aspectu delectabilis valde, motus est necessario quodam motu, postea tamen adueniente vsu rationis, vel cognoscendo esse honestam, aut esse suam, vel quòd vtile sit accedere ad eam, non necessitatur ad vsum, aut volitionem eius, sequitur quòd talis necessitas non fuerat ex parte obiecti: quod sane est vnum & idem vtrobique, & in vtroque casu, sed talis necessitas fuit ex parte ipsius voluntatis, cuius natura est, in quantum est appetitus, vt aliquando moueatur subito sine deliberatione. Vnde sicut in brutis necessitas non prouenit ex obiecto, sed à natura, ita euenire potest in voluntate agente vt natura, seu naturaliter, & ita euenit etiam in motibus primò primis.

Probatur voluntatẽ non necessitari in hac vita ab obiecto.

Dico secũdò. Prima intellectio simpliciter est, quæ anteuertit omnem actum voluntatis. Vnde S. Thom. 1. 2. quæst. 10. art. 2. non affirmat ante omnem cogitationem, & intellectionem antecedere actum voluntatis, sed solùm dicit quòd post quam habuerimus aliquam cogitationem, possumus eam repellere, & amouere si volumus, hoc est, pro libertate nostra, quod certissimum debet esse viro Theologo. Imo vero licet cogitatio vehemens, & ingens sit, etiam possumus eam abijcere, aut suspendere, & intellectum aliò inclinare, quamdiu non absoruetur libertas, quamuis id fiat cum ingenti difficultate, & magno cum labore, & aliquã do oportet implorare diuinum auxilium. Et inde constat quo pacto non necessitetur volũtas quoad exercitiũ, etiã manẽte cogitatione aliqua de bonitate, & conuenientia rei. Longe igitur diuersa ratio est quam S. Thom. adducit, quàm sit illa, quæ in argumentis aduersariorum insinuatur. Nam S. Thom. hunc efficit discursum loco citato. Non reperitur, neque datur cogitatio in intellectu, aut in mente: ergo non sequitur volitio in voluntate, patet consequentia, quia nihil est volitum, quin prægnitum.

Secundũ dictum. Prima intellectio antecedit omnem actum voluntatis.

Dico tertiò, voluntatem ad nullum actum necessitari in via quoad exercitium etiam in pueris, & amentibus. Ita sensit olim Pater Victoria, & cum eo suæ familiæ Theologi, sed de hac re dicemus infra. Sane voluit Victoria in pueris, & amentibus reperiri libertatem, & etiam in actibus primo primis, quamuis in eis non reperiatur deliberatio. An verò hoc sit probabile, aut certum, vel potiùs oppositum, nimirum nullam inesse libertatem in motibus primò primis, & in operationibus puerorum, id examinare oportet. Nam communiter Theologi docent 1. 2. quæst. 10. art. 1. non esse libertatem aut in pueris, & amentibus, aut in motibus primò primis. Vnde S. Thom. loco citato docet amentes in operibus suis non aliter se habere, quam pecudes, in quibus libertas non est. Quia si esset libertas in his operibus sequeretur illa posse esse peccata, quoniã omnis operatio libera est moralis, & capax meriti, aut demeriti. Hanc tamen rẽ fusius disputabimus inferiùs, nunc satis sit dicere voluntatem necessitari in huiusmodi operationibus, quoad exercitium, non ab obiectis vt obiecta sunt, sed à naturali inclinatione illius status pueritiæ, aut amentiæ, per quam determinatur ad sequendum iudicia, quæ sunt penitus determinata, in quibus nulla reperitur omnino indifferentia, ex eo, quòd huiusmodi iudicia proponunt obiecta, modo quodam naturali, & necessario. Si verò posset proponi in pueris obiectum cum aliqua indifferentia, sine ordine tamen ad regulas prudentiæ, vel ad regulas morales, quia nondum illuxit vsus rationis respectu morum, aut prudentiæ, cum

Tertium dictum. Voluntas ad nullũ actũ necessitatur in via quantum ad exercitiũ ex parte obiecti. Pater Victoria.

subordinatione ad regulas morales. An ita tali casu concedatur libertas naturalis non tamen moralis, & quid sit vterque iste modus libertatis, id sane aperiendum est à nobis infra.

Vltimũ dictum ex mẽte Ferrariæ.

Dico vltimò, plerosque viros doctissimos sensisse, quòd stante iudicio particulari, & practico hic & nũc voluntas necessitatur ad amorem vltimi finis, necessitate exercitij, ita docuit Ferrara non infimæ notæ Theologus 3. contragentes cap. 62. in solutione cuiusdam secundi argumenti, in qua sententia necessitas voluntatis non tantùm prouenit ex efficacia illius iudicij, sed ex naturali inclinatione voluntatis circa vltimum finem. Capreolus tamen sensit oppositum in 1. distinctione 1. q. 3. cõclusione 1. & 3. Affirmat enim quòd stante illo iudicio in hac vita adhuc voluntas manet libera quoad exercitium & potest nõ exire in actum dilectionis, quia iudicium illud eo quòd obscurum sit, non proponit voluntati finem vltimum, vt necessario amandum omnibus modis, sed permittit intellectui facultatẽ, vt inueniat aliquam circunstantiam, propter quam ipsa voluntas possit cessare à dilectione eius. Sed quid sit sentiendum dicemus infra fusè satis.

SECTIO IIII.

Vtrùm voluntas ab efficaci intentione finis, & à plenaria scientia ex parte intellectus determinetur necessariò, vt velit mediũ vnicum necessarium ad finẽ. Et an debeat cõstitui imperium ex parte intellectus?

Voluntatẽ supposita etiam intentione efficaci finis, non necessitari ad eligendũ mediũ vnicum ad consecutionem ipsius finis probatur.

SENTIVNT nonnulli ex recentibus Theologis, quòd etiam supposito proposito efficaci, seu intentione efficaci finis, voluntas non eligit necessariò medium vnicum ad consecutionem finis. Suaderi potest hæc sententia, primò. Quia si vir cordatus efficaciter intendit suam salutem, tunc quamuis iudicet euidenter necessarium esse seruare legem, & præcepta nihilominus non eligit media, quæ necessaria sunt ad efficacem illam intentionem salutis suæ explendam, imò verò liberè seruat legem, & præcepta, cum tamen huiusmodi obseruatio sit medium vnicum ad consecutionem salutis, quam intendit. Si dicas eum, qui habet efficax propositum finis, & salutis suæ necessario eligere media tali fini consentanea, contra hoc arguitur. Quia si necessariò eligit seruare legem, & præcepta, sequitur ex hoc, quòd non meretur in obseruatione legis. Si autem rursus dicas, eum hominem, qui talem intentionem efficacem suæ salutis habet, verè mereri in electione mediorum suæ salutis, quia liberè vult finem antecedenter, in cuius voluntate fundatur illud meritum volendi seruare mandata: Contra hoc est. Quia sequitur, vt minimum si voluntas non liberè agit respectu mediorum secundum se, quòd talis homo, de quo est sermo, non plus meretur in obseruatione mandatorum, quàm antea meruerat intendendo efficaciter finem, & salutẽ animæ suæ: quod ferendum non est. Nam ex hoc sequeretur planè quòd si esset necessariũ medium, sustinere martyrium in aliquo casu, quòd non ampliùs mereretur in perpessione, & sustinentia martyrij, quàm volendo & intendendo finem cum proposito efficaci eius, ac proinde non esset maior accessio præmij martyri Christi, quàm alijs, cæteris paribus: igitur voluntas etiam supposito efficaci proposito seu intentione finis non necessario eligit vnicum medium, quod alias est necessariũ ad finem: igitur voluntas est libera etiam respectu medij necessarij, & vnici.

Aliud argũmentum ad idem desumitur ex ægroto efficaciter salutem intendente nolente tamen abscissionem brachij quod est mediũ vnicum ad salutem.

Fauet huic modo dicendi, quia si ægrotus vult sanitatẽ efficaciter, quamuis aliàs iudicet vnicum, & necessarium medium ad consecutionem suæ salutis esse abscisionem brachij, aut cruris, vel alterius membri, non vult eligere medium illud vnicum, etiam perseuerante adhuc efficaci proposito, & efficaci intentione finis: ergo &c. Idem argumentum fieri solet de viro probo, cui à medicis dicitur non esse aliud remedium salutis recuperandę, nisi accedere ad fœminam, tunc sequitur quòd ille non peccat, cum antea non peccaret intendendo finem, & sanitatem suam, sed supposita efficaci intentione finis licita necessariò eligit vnicum medium: ergo in tali casu non peccaret, quod est aperte contra fidem, & contra rationem: ergo nulla ratione sustineri potest, quòd supposito efficaci proposito homo ex necessitate eligit vnicum medium ad explendam efficacem intentionem finis. Et confirmari hoc potest. Nam stante scientia actuali, tam in communi, quàm in particulari, non potest voluntas ratione passionis agere oppositum eius, quod intelligit, simul cum actuali iudicio, quo homo iudicat hoc nunc faciendum esse: ergo multò magis hoc erit verum, quando quis non solùm habet cognitionem hanc actualem in communi, & in particulari, sed etiam cum habet efficax propositum cùm efficaci intentione finis. Tunc enim necessariò eliget quodcumque medium vnicum, quod aliàs non erat licitum, & consequenter non peccabit in eo. Quia supposita efficaci intentione finis, non liberè, sed necessariò eligit.

Cõfirmatio.

Quidam modi explicandi efficacitatem in intẽtione finis, vt inutiles reijciũtur.

Pro explicatione huius rei aduerte recẽtes Theologos de hac re multiplicare inutiles distinctiones, vt explicent quid sit efficax volũtas finis. Dicunt enim, quòd omnis voluntas inefficax, & simplex, est verè absoluta, quia fertur absolutè in obiectum. Alij Theologi censent efficacem voluntatem dici voluntatẽ

intensam,

intenſam: inefficacem verò eſſe aliam minus intenſam, aut remiſſam. Sed profectò hoc modo non ſatis aperitur qualis ſit voluntas efficax. Nam poteſt dari voluntas valde intenſa circa aliquod impoſsibile cognitum, vt tale, quæ multò intenſior ſit, quam efficax aliqua voluntas circa aliquod poſsibile obiectum. Sanè Chriſtus intenſe triſtis erat & intenſe volebat vt tranſiret ab eo calix ille, cæterum volũtate efficaci oppoſitum deſiderabat. Idem etiã euenit in mercatoribus, qui preſsi à tempeſtate maris merces proijciunt in mare, cum tamẽ eorum voluntas in hoc remiſſa ſit, intenſior verò circa oppoſitum. Et multò minus eſt verum dicere voluntatem inefficacem eſſe abſolutam. Nam inefficax voluntas non eſt quæ abſolutè vult independenter à quocumque, neque ob id appellatur inefficax, quia non habeat effectum. Nam ſtat hominem omnino abſolutè velle efficaciter appetere mortem pro Chriſto, ſicut de pleriſque ſanctis legimus, & tamen non ſequitur effectus, quia non ſeſe obtulit martyrium, neque occaſio moriendi pro Chriſto.

Intẽſe Chriſtus Dominus volebat tranſitũ calicis ab eo.

Ego verò ſentio voluntatem efficacem eſſe voluntatem abſolutam ſimpliciter. Voluntas verò ſimpliciter abſoluta eſt quando quis abſolutè vult finem intendendo ipſum, & conſecutionem eius: in qua volitione abſoluta, cum ſit omnibus penſatis determinata, includitur volitio mediorum, virtualiter ſaltem. Voluntas verò inefficax opponitur voluntati abſolutæ, & efficaci. Nam vel non eſt abſque conditione, aut expreſſa aut virtuali: vel includit quemdam modum velleitatis, atque adeò cõditionalis voluntas ſimilis eſt inefficaci voluntati. Mercator enim vult ſeruare diuitias, nolletque eas in mare proijcere, ſi poſsibile eſſet aliter vitam ſeruare: cæterùm omnibus penſatis determinatè vult proijcere merces in mare ad ſaluandam vitam. Et hanc voluntatem Ariſtot. appellauit voluntatem ſimpliciter, illam verò priorem non niſi miſtam, & inefficacẽ. Voluntas igitur abſoluta habet quaſi independentiam, nam ob id dicitur abſoluta, quia omnibus penſatis abſolutè vult: & talis reuera eſt efficax voluntas, quæ tendit in rem, & quatenus ex ſe eſt, ex vi ſua fertur in executionem, quia non ſolum placet res ipſa, ſed conſecutio eius. Voluntas autem conditionalis, ſeu volitio, quæ omnibus penſatis non fertur abſolute in rem, ſed cum quadam dependentia, illa quidem inefficax eſt voluntas, quia non fertur in rem ex vi ſua, cum executione quadam, ſicut conſtat de volitione mercatoris volentis ſeruare bona ſua, cum vndis maris agitatur & premitur. Illa enim eſt inefficax voluntas, & non abſoluta, neque ſimpliciter voluntas. Imò verò ſolùm dici poteſt quidam amor, & quædam complacentia in re, ab ipſa executione conſecutionis abſtracta. Neque ob id dicetur voluntas aliqua non eſſe abſoluta, aut efficax, quia volens non potuit conſequi, quod abſolutè, & efficaciter intendebat, quia iſte non fuit defectus volitionis abſolutæ, ſeu efficacis, ſed tantum fuit defectus ex parte rei ad extra, aut ex parte alicuius impedimenti. Fatemur tamen, quòd ſicut voluntas inefficax, quę eſt ſecundum quid, quamuis ſit aliquando intenſa poteſt deponi in ipſo operante quantũ ad inefficaciam, vel quantum ad rationem alicuius dependentiæ, & tandem in operante mutari, vt tandem fiat abſoluta voluntas, quæ tunc iam erit veluti terminus reſultãs ex priori volitione, quaſi ex diſpoſitiua ad hanc, quæ modo incipit eſſe abſoluta, & efficax. Ita quidem fieri poteſt, vt creſcente intenſione voluntatis inefficacis ſeu ſecundum quid, tandẽ vltimò voluntas eliciat penſatis omnibus ex parte intellectus propoſitum abſolutum, etiã in ordine ad conſecutionem rei. Sed nihilominus ratio volitionis abſolutæ ſeu efficacis neque eſt poſita in ipſa intenſione, quia ſtat non eſſe intenſam plurimum, & nihilominus eſſe abſolutam, & efficacem, vt patet de illo, qui reuera proijcit merces in mare, cuius voluntas ſeſe abſolutam reddidit ab omni amore earum efficaci, & ab omnibus cauſis occurentibus, vt tandem illis omnibus penſatis abſolutè proijcerentur. Neque rurſus eſt poſita ratio voluntatis abſolutæ, ſeu efficacis in ipſo euẽtu, quia efficacitas actus interioris, ſeu volitionis non ſumitur ex re extrinſeca omnino, ſed antecedenter ſe habet eius abſoluta ratio, ſeu efficacia interior ante rei ſucceſſum, & euentum. Nam quòd res non ſucceſſerit, non tollit quin minus voluntas ipſa, ſeu actus interior de ſe fuerit abſolutus reuera ſeu efficax. Communis etiam modus loquendi vniuerſorum hominum eſt, voluntatem ſimpliciter eam appellare voluntatem abſolutam, ſeu efficacem. Diuus Auguſt. lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 7. diſtinguit voluntatem in paruam, & robuſtam, non quidem ratione intenſionis, ſed quia vnam putat eſſe abſolutè determinatã ſeu efficacem, alteram verò non eſſe abſolutam, neque determinatam voluntatem determinatione operantis abſoluta. Quòd verò ex impedimento extrinſeco euentus non ſequatur quòd voluntas illa intendit, id non efficit quòd ipſa voluntas non ſit in actu ipſo completo interiori, vere, ſimpliciter, & omnino abſoluta, ſeu efficax. Vnde D. Auguſt. voluntatem abſolutam, & determinatam Dei vocauit voluntatem ſecundum propoſitum. Rurſus cum Theologi loquuntur de auxilio efficaci, & inefficaci diſtinguentes illa auxilia inter ſe, nunquam dicunt qui rectè ſentiunt auxilium efficax dici ex euentu, aut ab effectu, ſed efficax dici, quia in ſe habet veram efficaciam ex parte principij, & doctiſsimus Cardinalis Berlarminus libro 1. de Gratia & libero arbitrio, cap. 12. dicit Gratiam efficacem aut auxilium efficax, non dici neque eſſe efficax ab euentu, quia videlicet ſortitur effectum. Pari igitur modo voluntas efficax, ſeu ſimplici-

Volũtas efficax eſt voluntas abſoluta ſimpliciter.

Volũtas inefficax eſt voluntas cõditionalis quæ non fertur abſolute in rẽ, ſed cum quadã dependẽtia.

Cum voluntate intenſa nimis circa aliquod obiectũ, ſtat voluntas contraria abſoluta & efficax circa obiectum cõtrarium.

D. Augu. volũtatẽ diſtinguit in paruam & robuſtam.

Volũtas abſoluta & determinata Dei dicitur à D. Aug. voluntas ſecundũ propoſitum.

ter absoluta, non dicitur efficax seu absoluta solùm quando sortitur effectum, seu ab euentu ipso. Nam potest esse verè absoluta, seu efficax in homine, quamuis non sortiatur eum effectum, quem intendit ad extra. Nam peccator cum pœnitet & conteritur firmam, absolutamque voluntatē habet, seu efficacem nunquam amplius peccandi, quamuis postea discursu temporis peccet, & non sortiatur effectum nunquam peccādi, de quare nos plura diximus 1.2.q.112.art.3.disp.2. & 1.p. q.19.art.6.disp.1.

Volūtas potest esse efficax sine eo quòd sortiatur effectū.

CONCLVSIO PRIMA.

Conclus. 1. Verè necessitatur volūtas ad electionem medij vnici ex intētione efficaci finis: sic S. Thom. Caietan. Conrad. Medina & Adrianus.

His ita constitutis dico primò. Si voluntas vult efficaciter finem voluntate determinata simpliciter & absolutè ad executionem: & iudicat vnicum tantum esse medium necessarium ad finem, verè necessitatur voluntas ad electionem illius medij, de quo iudicauit esse vnicum, & omnino necessarium. Hanc assertionem tenet S. Thom. 1.2. quæst. 13. art. 6. ad 1. & 2. & q. 10. præcedente art. 2. ad 3. & 1. p. q. 82. art. 2. Eandem docent sententiam discipuli D. Thom. Caietanus Conradus Bartholomæus Medina, & plures ex recentioribus Theologis nostræ ætatis. Eandem etiam tenet Adrianus quodlibet. 4. art. 1. §. Secundo præmitte, litera C. cuius verba inferiùs adducemus differentes de imperio, quod ille non negauit.

Etsi mediū sit necessariū ad finē, si tamē hoc ignoratur non necessitatur voluntas ad electionē illius

Sed, vt hanc conclusionem intelligamus suppono, quòd licet medium sit necessarium ad finem, si tamen hoc non cognoscitur, neq; esse vnicum tantum, potest homo velle efficaciter finem absque eo, quòd eligat tale medium, de quo neque nouit esse necessarium neque vnicum. Et ratio est: quia voluntas vt velit postulat iudicium ex parte intellectus, quia nihil est volitum quin prius sit cognitum. Imò verò plerumque in rerum cognitione euenit, vt aliquis assentiatur principijs, & non conclusioni, nimirum, si ignorat cōclusionem illā deduci ex illis principijs, sic sane potest contingere vt homo velit finē, & habeat propositū efficax illius, & quòd non velit medium necessarium, quando illud minime cognoscit esse vnicum, & necessariū prorsus. Suppono etiam nullum medium, quantumcumque sit necessarium necessitare voluntatem, necessitate nimirum absoluta, & simpliciter: quia medium non efficacius mouet voluntatem, quàm ipse finis, sed finis in statu huius vitæ non necessitat voluntatem: ergo neque etiam medium.

Probatur assertio.

Hoc ita stabilito probatur conclusio. Nam quotiescumque intellectus iudicat in obiecto esse omnem rationem boni, & in exercitio nō potest apparere aliqua ratio mali, tunc fertur volūtas in obiectū ipsum necessariò, quātū ad exercitiū: ergo suppositā efficaci intētione, & voluntate finis in medio vnico, & in electione eius nō potest apparere vlla ratio mali: igitur electio illius medij necessariò sequitur ad efficax illud propositum, & ad absolutā, & determinatā voluntatem circa finē. Quòd verò in medio vnico, & necessario, & in eius electione suppositā determinatione volūtatis absoluta & efficaci, qua decreuit voluntas absolutè finē consequendum à se, non possit apparere vlla ratio mali, respectu voluntatis intendentis absolute finem, ostendo: quia licet medium illud absolute sumptum sit aliàs difficile, & in illius desiderio possit apparere aliqua ratio mali, tamen suppositā efficaci intentione finis consequēdi, neque in ipso medio relato ad finē, neque in illius desiderio potest aut esse, aut apparere ratio mali suppositā voluntate efficaci, & absoluta intendente finem, & consecutionē eius. Nam certe medium illud vnicum, & necessarium ad finem illum efficaciter intentum habet omnem rationem vtilis respectu finis, cum illud sit medium vnicum, & necessarium omnino. Vnde quamuis sit difficile, & aliunde malum, tamen huiusmodi malitia non est medij, quatenus medium est, quia non est malitia inutilitatis, aut improportionis ad finem, & inde fit vt omnis malitia quæcumque sit, alia, inquam, quæ non est medij vt medium est permanente semper efficaci proposito finis, superari debeat necessario si non est cessandum ab intentione, & efficaci proposito finis.

In medio vnico & necessario ad finem efficaciter intentū non potest apparere aliqua ratio mali: & ideo necessariò debet à voluntate eligi.

Electionem medij vnici ad finē esse tantum necessariā necessitate quadā conditionali sentit Medina, & id explicatur.

Aliqui Theologi, inter quos est Bartholomæus Medina dicunt electionem illius medij vnici ad finem efficaciter intentum, esse necessariam necessitate quadam conditionali, & ex suppositione. Quoniam hæc necessitas si volo finem efficaciter, necesse est, vt velim medium necessarium ad finem, vt de se patet est necessitas suppositionis, quæ non aufert libertatem. Nam certè si volo disputare volo loqui. Declarari autem hoc amplius potest Quoniam libertas voluntatis nostræ oritur ex eo, quod iudicium nostri intellectus non sic determinatur ad tale obiectum vt non possit vel oppositum iudicare, vel iudicare bonum esse cessare à tali actu. Sed postquam voluntas nostra efficaciter voluit finem, nihilominus adhuc est in facultate humanæ libertatis desistere à tali intentione, seu volitione finis, & apprehendere hoc sub ratione boni, & conuenientis, & consequenter poterit agere & non agere, aut velle, & non velle, tam finem, quàm media ipsa.

CONCLVSIO SECVNDA.

Concl. 2. Omnis actus electionis circa media qui potest esse in hac vita est absolute liber, & probatur hoc ipsum.

Dico secundo absolutè loquendo, omnem actum voluntatis circa media in statu huius vitæ actum liberum libertate exercitij seu contradictionis. Hoc constat esse verum. Quoniam omnis actus huius vitæ circa finem etiam vltimum verè est liber libertate exercitij: ergo multò magis erit liber circa media ad ipsum. Consequentia nota est,

Antecedens verò conſtat ex dictis ſectione præcedente & alijs, imò verò experimur hoc ipſum in nobis, quia liberè ceſſamus ab exercitio volendi beatitudinem. Si verò aliquis negaret conſequentiam adductam primò loco, poſſet probari euidenter contra ipſum. Nam non poteſt voluntas eſſe magis determinata circa media, quàm circa finem. Imò verò multo minus: igitur ſi ſuppoſita volitione finis volumus finem liberè quoad exercitium ſequitur quòd eadem volitione finis ſuppoſita, libere volumus media.

Cum libertate ſimpliciter & abſoluta quæ eſt in electione mediorũ ſtat neceſsitas cõſequẽtiæ & ex ſuppoſitione, quæ oritur ex efficaci intẽtione finis.

Sed quamuis non deficiat libertas in tali electione medij, nihilominus poſita abſoluta volitione, & abſoluto propoſito efficaci finis, neceſſariò neceſsitate conſequentiæ volũtas eligit medium vnicum, quod iudicatur eſſe neceſſarium ad finem. Nam profectò hæc conſequentia neceſſaria eſt. Paulus vult voluntate efficaci, & abſoluta ſanitatem, & iudicat vnicum medium neceſſarium eſſe, ſectionem venæ, aut amaram potionem: ergo conſequenter vult vel ſectionem venæ, vel amaram potionem. Quod vero neceſſario neceſsitate conſequentiæ voluntas velit medium illud vnicum oſtendi poteſt. Quoniam ex oppoſito conſequentis cum minori ſequitur oppoſitum maioris: igitur illa prior conſequentia eſt neceſſaria, nimirum. Paulus vult efficaci propoſito, & voluntate ſalutem, & iudicat eſſe neceſſarium medium, & vnicum, ſectionem venæ: ergo vult conſequenter neceſsitate conſequentiæ ſectionem venæ. Vnde ſi neges hanc conſequentiã probatur vt diximus ex oppoſito conſequentis cum minori ad oppoſitũ maioris, hoc modo. Paulus non vult ſectionem venæ, & eam iudicat eſſe medium vnicum neceſſarium ad ſanitatem tuendam: ergo non vult abſolutè, & ſimpliciter ſeu efficaciter ſanitatem.

Hæc neceſſitas conſequentiæ ſeu ex ſuppoſitione, cũ nõ deſtruat libertatẽ nec etiã deſtruit rationẽ meriti vel demeriti, laudis vel vituperij.

Ex dictis colligitur hanc neceſsitatem volendi illud vnicum medium neceſſarium ad finem neceſsitate conſequentiæ non deſtruere libertatem electionis, aut actus circa medium, neque etiam deſtruere rationem meriti, & laudis: ſicut neque neceſsitas conſequentiæ, quæ ſumitur ex ſuppoſitione diuinæ prouidentiæ non aufert libertatem voluntatis circa conſequens: ergo neque etiam illa neceſsitas conſequentiæ, quæ deſumitur ex voluntate ipſius finis. Sane quòd neceſsitas conſequentiæ ſumatur ex ſuppoſitione diuinæ prouidentiæ, & quòd non tollat libertatem à nullo ex catholicis negatur: aliàs homo nullum haberet actum liberi arbitrij, cum omnis actus humanus cadat ſub diuinam prouidentiam. Rurſus ſupponamus Dei voluntatem determinatam & abſolutam eſſe quòd ego loquar, nihilominus etiam ſuppoſita hac voluntate Dei ego libere volo loqui, quamuis ſuppoſita illa Dei volitione ex neceſsitate conſequentiæ, non conſequentis neceſſariò loquar.

Obiectio.

Dices, fieri non poteſt in ſenſu compoſito, quòd intellectus exiſtente efficaci voluntate, & efficaci propoſito finis, aliter iudicet, aut quòd voluntas ſuppoſita tali efficaci intentione finis non velit medium illud vnicum, quod iudicatur eſſe neceſſarium: ergo voluntas non eſt libera in ſenſu illo compoſito. Huic obiectioni nonnulli reſpondent negando conſequentiam, quoniam libertas non definitur, quòd ſit facultas ad vtrumlibet oppoſitorum ſimul in ſenſu compoſito, ſed ad vtrumlibet diuiſim, ita vt voluntas ex cognitione indifferentiæ poſſit velle vtrumlibet, non ſimul compoſitiue, ſed ſimul diuiſim hoc, vel illud, quod ſibi placuerit. Sed dico ſecundò ad obiectionem ſatis eſſe ad veram rationem libertatis quod voluntas poſsit agere, & non agere, eligere, & non eligere, licet neceſsitate conſequentiæ fiat præciſe electio, & non neceſsitate rei, aut conſequentis. Nam certum eſt, quòd ſi diſputo, loquor, verùm ſicut non diſputo neceſſario, ita non loquor neceſſario: & idem eſt de eo, qui vult efficaciter ſanitatem, quia tunc conſequenter ex ſuppoſitione vult neceſſariò medium, & ſectionem venæ.

Quorundã ſolutio.

Verior ſolutio quòd ad libertatem ſufficit quòd voluntas poſsit abſolute agere & non agere licet ex ſuppoſitione neceſſario agat. Si volũtas neceſsitaretur neceſsitate antecedentis ſimpliciter neceſsitaretur ad cõſequẽs

Secundò colligitur, quòd ſi voluntas neceſsitaretur non ſolùm neceſsitate conſequentiæ, ſed etiam neceſsitate antecedentis, quòd pari ratione ſimpliciter neceſsitaretur ad conſequens, ſeu neceſsitate conſequentis, ac proinde tunc voluntas etiam volendo media neceſſaria ad finem, non eſſet libera in electione mediorum ad finem, ad quem neceſsitatur, vt ſupponimus. Hoc conſtat apertè eſſe verum, nam etiam in beatis, quorum voluntas neceſsitatur neceſsitate exercitij ad dilectionẽ Dei, ſimiliter neceſsitatur ad ea, quæ habent connexionem neceſſariam cum tali fine. Sic ergo quoniam voluntas noſtra neceſsitatur quoad ſpecificationem reſpectu vltimi finis in communi, conſequenter etiam neceſsitatur, & parimodo quoad ſpecificationem circa ea, quæ neceſſariam dicunt connexionem, & habitudinem ad finem, quod dixit S. Tho. 1.2. quæſt. 10. artic. 2. ad 3. ſic ergo ſi voluntas neceſsitatur neceſsitate antecedentis ſimul, ſimpliciter neceſsitabitur ad conſequens.

CONCLVSIO TERTIA.

Concluſ. 3. Vſus, executio, & electio mediorũ verè & propriè dicuntur eſſe effectus finis.

Dico tertio. Vſus mediorum, ſeu executio eorum ſimul etiam atque electio eorundem, verè & proprie, & per ſe dicuntur eſſe effectus finis habentis rationem cauſæ actu cauſantis. Simul tamen cum hoc eſt veriſsimum, quòd ſi quis efficaci voluntate propoſuit ſibi finem aliquem conſequendum, & occurrunt ei plura media, liberum eſſe illi eligere hoc vel illud medium, neque eſſe neceſſarium vnum determinate illorum

eligere, sed nihilominus quocúque medio vtatur homo ad consecutionem finis, tunc vsus, & executio illius medij simul cum electione facta de ipso, dicuntur esse effectus ipsius finis quem efficaci proposito intendit agens. Vt cõclusionem hanc explicemus quoad primã partẽ eius obserua, quòd non tantum media sunt propter finem, sed etiã quidquid à fine essentialiter pendet, aut ex illius amore procedit. Vnde nõ tantũ medium, & vsus illius, sed etiã electio est propter finem, & possunt hæc dici esse veluti medium ad finem. Quare sicut superiùs diximus, actum elicitum à potentia formaliter libera esse intrinsecè voluntariũ, seu volitum per modum actus, ita etiam ipsa electio cũ sit actus à volũtate elicitus similiter est intrinsecè volita, & sanè non est volita nisi propter cõsecutionẽ finis. Quoniã sicut res, quæ eligitur, propter finẽ eligitur, ita ipsamet electio, & vsus mediorum est propter finẽ intentum, & exercetur propter finem. Vt v.g. qui eligit eleemosynã, & vtitur illa, vt satisfaciat pro peccatis non tantũ refert eleemosynam, quam eligit in illum finem, sed etiam refert vsum & volitionem illam, qua elegit eleemosynam: ex eo quod ad illum finem satisfaciendi pro peccatis est conueniens, & vtilis maximeq; apta electio illa, & in ea reperitur illa bonitas, & vtilitas, quæ requiritur in medio comparato ad finẽ intentũ. Quod sane potest amplius explicari, quoniam consultatio est de medijs ad finem. Vnde si contingat voluntatem actu explicito, & formali velle consultare, tunc talis volitio reuera est cuiusdam medij ad finem. Quia Paulus nimirum non ob aliud vult consultare, nisi ad parandam sibi viam, vt finem obtineat. Quocirca pari modo si voluntas tam propria, & directa, quã reflexa velit hic & nunc eligere, illo actu vult electionem tanquam medium, quia etiam illam vult propter finem, sicut & consultationem ipsam. Quod si hoc voluntas non efficiat actu distincto, aut reflexo, tunc ipsamet electio eo modo, quo est intrinsece volita, intrinsece etiam est quoddam medium ad finem ratione cuius est volita, & consequenter verè, & propriè est effectus finis intenti.

Non solum vsus & executio mediorũ est propter finẽ sed etiam ipsamet electio est volita propter finem intrinsece & se ipsa.

Consultatio etiã est propter finem ex se & natura sua.

De hac igitur prima conclusionis parte quòd vsus mediorum ad finem sit effectus finis causantis, nulla est controuersia, quoniam huiusmodi vsus, & actus non tantum procedit ex affectu, & intentione finis, sed etiam verè dici potest acpropriè medium ad finem. Nam licet nomine vsus, & executionis finis non intelligamus præcise solum vsum externum, vel executionem, sed etiam actum interiorem, quo voluntas vult, & applicat membra, vel instrumenta ad exequendum medium, tamen tota illa actio vt includit tam actum imperantem, quam imperatum verè & propriè dicitur esse medium ad finem, ac proinde propriissime etiam est effectus finis. Et potest hoc confirmari. Quoniam electio est de medijs. Cum autem talia sunt media, quòd per vsum actiuum voluntatis debeant exerceri, tũc etiam ipse vsus actiuus cadit sub electione. Nam eligitur vt medium tota illa humana actio, quæ ex actu interiori, & exteriori consurgit. Igitur etiam actus ipse interior voluntatis, quo fit proximè vsus, & executio medij exterioris habet rationem medij ad finem: igitur etiam est effectus finis causantis.

Illa vero pars conclusionis, quæ dicit electionem ipsam mediorum verè etiam esse effectum finis causantis, constat apertè. Quia ille actus propriè est propter finem: esse autem propter finem est id: in quo causatio finis exprimitur: ergo &c. Maxime autem hoc est verum. Quoniam actus ille procedit ex intentione efficaci finis, & ex ratione ordinante medium ad finem, in quibus videtur præcipuè consistere causatio finis: ergo &c. Vnde sine dubio talis actus electionis essentialiter pendet ex fine, quia non versaretur circa media nisi ratione finis. Imò verò media ipsa electa à voluntate non sunt effectus finis intenti, nisi media electione: ergo multò magis ipsamet electio est effectus finis.

Cum electio sit propter finem optimè dicitur esse effectũ illius in genere causæ finalis.

CONCLVSIO QVARTA.

Concluſ. 4.

In electione medij necessarij ad finẽ determinatur volũtas ex intẽtione & proposito efficaci finis ad iuncto iudicio de vnico medio necessario.

Dico quarto. Volũtas in electione medij necessarij, & vnici ad finem, quẽ intendit efficaci proposito, seu efficaci intẽtione, determinatur ab illo proposito efficaci, seu ab illa intẽtione, vt eligat tale mediũ. Itaq; volũtas intendens finẽ efficaci proposito determinatur à se ipsa, vt mandet executioni, id quod intendit, vt consequatur illud, ac proinde determinat se ex suo efficaci proposito seu intentione finis, ad quærendũ media opportuna, & cõuenientia. Quòd si per intellectum iudicet vnicum tantum esse medium, & illud necessario omnino: si tunc adhuc voluntas persistat in proposito illo efficaci, seu intentione finis cõsequendi, & amplectendi & nõ adsit impedimentum, tunc ex proposito illo efficaci adiuncto iudicio de vnico medio omnino necessario, volũtas determinatur ad electionẽ illius, quæ electio ex principio determinante libera est, cum ipsa intentio finis libera sit libertate exercitij, & aliquando circa finem particularem libera, etiam libertate specificationis. Simul tamẽ cum hoc iuxta ea, quæ diximus electio illa quatenus procedit ex fixa intentione finis, & ex efficaci proposito dicitur necessaria necessitate consequentiæ, & habet se veluti effectus illius propositi efficacis, seu intentionis ipsius finis. Vnde efficax propositum, seu efficax illa voluntas, & intentio feruntur in rem, seu finem cum quodam ordine ad executionem, quatenus non tantùm placet huic voluntati, & huic proposito efficaci res ipsa in se, sed etiam placet illam omnino consequi. Igitur si intellectus iudicet vnicum tan-

tùm

tum eſſe medium, illudque omnino neceſſarium, & conueniens ad conſecutionem finis, ſequitur quòd voluntas tunc determinatur, eo modo quo diximus ad talem electionem, quæ determinatio oritur & procedit ex illis principijs, nimirum ex efficaci propoſito & iudicio illo rationis circa medium eligendũ. Hæc omnia conſtant apertè ex ſuperiùs dictis.

Controuerſia de imperio, An ſit conſtituendum.

Imperiũ intellectus nõ eſſe admittẽdum nec eſſe alicuius efficacitatis ſentiunt quidã: reſpuuntque Adrianũ profeſſed malè. Quidipſe ſentiat.

ALTERA pars huius ſectionis eſt de efficacitate imperij circa electionem mediorum, & voluntate efficiendam, de qua re recens Theologus putat imperium ex nobis ad noſtraſque actiones, neque eſſe neceſſarium, neque eſſe alicuius efficacitatis & eſſe tantum quamdã expreſsionem deſiderij, quæ ſi fiat in eodem homine ad aliquas actiones eliciendas nullam habet virtutem. Pro hac ſententia citatur Adrianus quodlibeto 4. artic. 1. ſed male: quia Adrianus nihil tale habet. Reperio autem in eo loco Adrianum dixiſſe duo. Primum eſt voluntatem efficaciter volentem finem, neceſſariò velle omnia, quæ ſcit ad finem illum eſſe neceſſaria, & ſubiungit ſe loqui de voluntate efficaci ad excludendum volitionem conditionatam & ſimplicis complacentiæ. Quod probat, quia ſicut aſſenſus antecedentis naturaliter cauſat aſſenſum conſequentis, dum cognoſcitur aut creditur ad ipſum ſequi, ita volitio efficax finis neceſſariò cauſat volitionem omnium, quæ quis ſcit, aut credit neceſſaria ad talem finem conſequendum, vt patet de illo, qui tempeſtate maris iactatus & preſſus videns electionem mercium eſſe neceſſariam ad ſaluandam vitam proijcit merces, & nullus ſanæ mentis dicet eum velle vitam ſaluare, niſi etiam velit merces eijcere. Nam (inquit Adrianus) *Quis tam hebes eſt, qui neſciet eum non velle efficaciter ambulare, quem videt nolle arripere baculum, quem nouit ſibi ad ambulandum eſſe omnino neceſſarium?* Vnde Philoſophus 3. Ethicorum dicit. *Si aliqui præſtituto fine inueniant impoſſibile eſſe, quo finem oportet attingi diſcedunt*, id eſt, deſinunt velle finem. Ex his deducit Adrianus, quòd in diſcurſu practico morali, maior ipſius diſcurſus practici non ſaluatur ſine efficaci volitione finis, quẽ in ſum principium dicit proſequendum eſſe, & illa naturali neceſsitate cauſat volitionem omnium, quæ ſciuntur neceſſaria ad talem finem. Cùm igitur minor adiuncta ponat id, ſine quo finis haberi non poteſt: oportet voluntatem efficaciter velle hoc medium, & ita operari, niſi prohibeatur. Vt, verbi gratia, ſint iſte diſcurſus. *Fortiter per me agendum eſt in hoc prælio pro ſalute populi Chriſtiani, & fidei orthodoxæ: ſed non poſſum in ipſo fortiter agere, niſi inuadendo hoſtes, ſubeam pro nunc mortis periculum: ergo hoc nunc eſt faciendum.* Volens efficaciter per maiorem finem præſtitutum, neceſſariò vult medium propoſitum per minorem, tanquam neceſſarium ad illum finem, & ita vult cum mortis diſcrimine hoſtes inuadere. Hæc Adrianus. In quibus verbis tantum abeſt vt repellat imperium ſecutum ex illa efficaci intentione finis, quòd potius videatur fauere plurimum oppoſitæ ſententiæ: neque quidquam protulit contra imperium, de quo non loquebatur.

Ariſt. 3. Ethic.

Nuſquam Adrian. repellit imperium intellectus, ſed potius fauet ſententiæ quæ ipſum admittit.

Argumẽta contra imperium.

Sed nihilominus recentes iſti authores probant ſuam opinionem. Quia actus imperij ſi eſt in intellectu non videtur neceſſarius, vt moueat cæteras potentias quoad exercitium, quia ex ſententia Sancti Thomæ primum mouens quoad exercitium eſt voluntas: intellectus verò ſolùm eſt primum mouens quoad ſpecificationem, hoc eſt quoad propoſitionem obiecti, & directionem. Si dicas, neceſſarium eſſe imperium tanquam primum principium mouens, quoad ſpecificationem. Contra. Per iudicium compoſitiuum, & per iudicium conſultationis, quod electionem præcedit, ſatis ſufficienter dirigũtur operationes quoad ſpecificationẽ: ergo nõ eſt neceſſariũ huiuſmodi imperiũ. Vnde authores huius ſententiæ dicunt fictitiũ eſſe, & voluntarium affirmare in imperio eſſe deriuatã aliquam virtutem à voluntate, qua poſsit mouere quoad exercitium reliquas potentias. Sed profectò quamuis dicant hoc eſſe fictitium, hoc non probant. Imò vero magis fictè illi loquuntur contra D. Thom. & antiquos Theologos in hac parte. Sed nihilominus obijciunt. Ex voluntate nihil deriuatur in reliquas potentias, aut in actiones earum. Imo vero ipſa voluntas non concurrit, neque poteſt concurrere tanquam cauſa effectiua cum alijs potentijs ad earum operationes: ergo ſi eſſet verum ex imperio in nobis moueri reliquas potentias, ita eſſet accipiendum vt ſola voluntas eſſet primum mouens quoad exercitium: intellectus verò ſuo imperio ſolum dirigeret inſinuando propoſitum, & intentionem voluntatis.

Primum deſumitur ex hoc quòd voluntas eſt ſufficiẽs, vt moueat potentias ad opus.

Solutio repellitur.

Rurſus argumentantur aduerſarij cõtra D. Thom. & contra huiuſmodi imperium. Nam quamuis cõcedatur in imperio virtus effectiua quoad exercitium reſpectu aliarum potentiarũ, tamen talis actus non videtur eſſe neceſſarius vt reliquæ facultates operentur etiã libere ex impetu voluntatis. Quoniam ſicut in brutis, & pecudibus poſito affectu alicuius operis ſtatim abſq; vlla inſinuatione per modũ imperij, potentia motiua ſecundũ locum operatur: ergo pari modo poſtquã voluntas elegit ſtatim abſq; vlla alia inſinuatione imperij, poterit operari. Si dicas reliquas potentias liberè à volũtate noſtra moueri, facultates vero in brutis neceſſariò moueri, & appetitione neceſſaria, & quòd idcirco in homine requiri

Secũda obiectio deſumitur ex brutis quæ poſito affectu circa aliquod opus ſtatim mouẽtur potẽtiæ exteriores ſine aliquo quod habeat rationẽ imperij.

tur

tur imperium, in brutis verò non item. Cõtra hoc obijciunt. Quoniam semel posita in nobis intentione, & electione, operatio alterius facultatis, quæ electionem ipsam confestim sequeretur, eodem modo esset voluntaria ratione voluntatis liberæ, à qua sine imperio procederet, non minus, quàm si per imperiũ fieret: ergo, &c.

Henricus Ioannes de Medina, et Almainus enertere nituntur hoc imperiũ intellectũ, & arguũt pro se tribus rationibus.

Henricus quodlibeto 9. q. 6. Ioãnes de Medina codice de pœnitentia tractatu 6. cap. 2. Almainus tractatu 3. moralium cap. 2. Nominales etiam, Ocham, Hieronymus Angestus, & alij authores obscuri nominis, fatentur esse constituendum imperium: sed putant imperium solum esse actum elicitum à voluntate, & probant primò ex argumentis superius factis. Quia si imperium esset actus intellectus, vel esset simplex apprehensio, vel compositio seu diuisio, aut discursus, & iudicium, sed nihil istorum esse potest. Nam si aliquid eorũ est, præcipuè compositio, sed hęc non potest esse imperium, quia imperium explicatur his verbis, fac hoc, & non illis, faciendum est tibi hoc. Quia hæc verba potius exprimunt conclusionem cõsultationis, quæ est iudiciũ, quã imperiũ, quod est post iudicium: sed per illã enuntiationem, fac hoc, non exprimitur aliqua cõpositio, & diuisio existẽs in intellectu: ergo imperiũ non est vllus actus intellectus.

Prima ex eo, quod in intellectu solum sunt isti actus, scilicet simplex apprehensio, compositio, & discursus, & nullus horum est imperium.

Secũdo probant. Quoniã imperare est superioris, ex cuius nutu inferiores mouentur, sed in nobis facultates omnes mouentur ex nutu voluntatis, tanquã ex nutu superioris, cũ sit appetitus totius suppositi, & ipsa volũtas nõ mouetur ex nutu alterius: igitur imperare actus volũtatis est. Et cõfirmari hoc potest. Nã qui imperat cõpellere potest eum, cui imperat, vt exequatur imperiũ suũ, sed intellectus nõ potest cõpellere voluntatẽ, aut alias potẽtias: ergo pari ratione volũtas nõ potest imperare volũtati, neq; alijs potentijs: igitur cùm volũtas possit compellere intellectum, & reliquas facultates, vt operẽtur, quod ipsa intendit, & vult, sequitur potiùs ad volũtatẽ, quã ad intellectum pertinere imperium.

Secunda ratio pro Almaino, & Henrico quòd volũtas est superior, & regina in regno animæ, & ideo q̃ sola ipsa imperet.

Præterea. Nulli potest imperium de aliquo opere imponi, quod ipse solus efficere non potest. Nam si duo requiruntur ad actionem, frustra vni præcipitur, vt operetur, sed nullus est actus voluntatis, qui fiat à sola voluntate: ergo nullus est actus voluntatis, qui sub imperium cadere possit. Adhæc primus actus voluntatis non cadit sub imperio, quia in omni opinione, si imperium non est actus voluntatis, saltem supponit actum voluntatis: ergo primus actus voluntatis, qui non supponit alium priorem, non potest cadere sub imperio: ergo similiter nulla actio voluntatis potest cadere sub imperio voluntatis, siquidem soli voluntati non est præcipiendum id, quod ab ea sola fieri non potest. Obiectum autem seu intellectio non videntur idonea ad hoc, vt illis insinuetur imperium: ergo potiùs est proprium voluntatis imperare, quàm imperari ab alio.

Tertia ratio pro his authoribus.

Quid sit sentiendum de imperio, explicatur.

PRO explicatione huius difficultatis, dico primo. Imperium est actus intellectus productus ab ipso, supponit tamẽ motionem volũtatis. Hæc assertio est D. Tho. 1. 2. q. 17. art. 1. Probat eã ex D. Greg. Nis. lib. 4. c. 9. in principio, & c. 8. ante mediũ, & ex Arist. 1. Ethicorum cap. vltimo, vbi plerumq; repetit appetitũ hominis obedire rationi. Eandẽ tenet Caiet. in eodẽ loco; & 1. 2. q. 58. art. 4. & q. 60. art. 1. Idem sensit Caiet. 2. 2. q. 83. art. 1. vbi ex S. Tho. affirmat orationẽ cõmuniter vsurpari pro actione elicita ab intellectu ex aliqua motione volũtatis, & par ratio videtur esse de imperio, & oratione. Nã hoc solo differunt imperiũ, & oratio, quòd oratio est inferioris, & indigentis, directa ad superiorem, & potentẽ: imperium verò è conuerso est superioris in ordine ad inferiorẽ. Eandẽ sententiam tenet Sotus lib. 1. de iustitia, & iure art. 1. Barthol. Medina 1. 2. q. 17. Richard. in 4. dist. 15. art. 4. q. 1. Gabriel in canone Missæ lect. 61. littera H. Corduba lib. 2, de ignorantia q. 10. idem sentiunt omnes Thomistæ cõmuniter, & inter eos Conradus.

Concluſ. 1. Imperium licèt ſuppo nat motionem volun tatis, eſt ta men actus intellectus elicitus ab ipſo. Sic D. Thom. D. Gregor. Niſſenus. Caiet. Sotus. Medina. Richardus. Gabriel. Corduba, et Conradus.

Vt explicemus concluſionẽ hanc obſeruã dum eſt primò. Hanc mutuam conſenſionem eſſe habere, & ſeruare inter ſe intellectum, & voluntatem, quòd reflectuntur ſupra ſe, ità vt actus voluntatis, & rationis, ſupra ſe ad inuicem ferri poſsint, quatenus intellectus ratiocinatur de volẽdo, ſeu de volitionibus ipſius voluntatis: volũtas verò vult intellectum ratiocinare, & intelligere. Et ſimiliter perpendere oportet, aliquãdo cõtingere quod actus voluntatis præueniatur ab actu rationis, & è conuerſo quòd actus rationis præueniatur à voluntate, ſed tamen quoniam virtus prioris actus remanet ſemper in actu ſequenti, idcirco aliquãdo euenit, vt ſit aliquis actus voluntatis, in quo virtute maneat aliquid de actu rationis, vt apertè conſtat in electione voluntatis, & in actu vſus. Et è contra etiam poteſt eſſe aliquis actus rationis, in quo ſecundum virtutem maneat aliquid de actu voluntatis. Sic ergo conſequenter loquendo ſentiendum eſt, imperium ſeu imperare eſſe quidem eſſentialiter actũ rationis, ob id quòd imperans ordinat illum, cui imperat ad aliquid agendum, intimando imperium, rem imperatam, quatenus imperatur, & ſimul denuntiando, & ordinando per modum cuiuſdam intimationis. Sic autem ordinare per modũ huius intimationis eſt actus ipſius rationis, vt de ſe patet. Cæterùm eſt valde obſeruandum intellectum ſeu rationem poſſe intimare aliquid, vel denuntiare duobus modis, vno modo

Nota pro cõcluſione.

abſolutè per denuntiationem affirmatiuam, vt ſiquis dicat, hoc eſt mihi, aut tibi faciendum, & hæc ſolum eſt denuntiatio indicatiua. Secundò modo fieri poteſt intimatio imperatiua, quæ exprimitur his verbis. *Fac hoc. Elige hoc, Manda hoc executioni,* & ſimilibus, & hæc intimatio eſt qua intellectus, ſeu ratio intimat aliquid alicui mouēdo ipſum ad hoc. Cùm igitur primum mouens ad exercitium, in viribus animæ ſit voluntas, quæ eſt appetitus totius ſuppoſiti, ſequitur imperium eſſe actum intellectus ſuppoſita motione voluntatis. Nam certum eſt, quòd ſecundum mouens non mouet, niſi in virtute primi mouentis, ac proinde ſi intellectus, & ratio mouent imperando hoc, non illis conuenit præciſe ſeclusa vi, & virtute voluntatis, ſed potius ex vi, & virtute eius, ac proinde manifeſtum eſt imperare eſſe actum rationis, ſuppoſito actu voluntatis, & vi illius, in cuius virtute, ratio ipſa per imperium mouet ad exercitium actus. Vndè imperare non eſt quomodolibet mouere, quia ſic pertineret ad ſolam voluntatem, ſed eſt mouere cum intimatione quadam præceptiua, & in exercitio, quaſi in actu ſecundo ordinatiua ipſius executionis, quòd totum eſt ipſius intellectus, & rationis. Sed dices. Poſito imperio, ſequitur actus, ſeu operatio, ſed ad actum rationis non ſtatim ſequitur operatio, neque actus. Nam ſtat aliquem iudicare aliquid eſſe faciendum, & tamen quòd vel illud non operetur vel non ſtatim illud operetur: igitur imperare non eſt actus rationis, ſed voluntatis. Difficultatem huius obiectionis ſenſit Diuus Thomas. Vndè ad eam reſpondemus cum S. Thom. prima ſecundæ, quæſt. 17. art. 1. vnico verbo. Nimirum obiectionem iſtam ſolùm probare imperium nō eſſe actum rationis abſolutè, ſed cum quadam motione, & vi ipſius voluntatis.

Obiectioni reſpondetur per hoc q̄ imperiū nō eſt actus rationis abſolute, ſed cū quadā motione voluntatis.

Loquimur in præſentiarū de imperio alicuius hominis ad ſeipſum.

Secundo ſupponere debemus, proprium actum prudentiæ eſſe præceptum, & præcipere ordinatè circa agibilia. Vndè in concluſione à nobis poſita loquimur de imperio, non ſolum vnius hominis ad alium, ſed propriſsimè in hac diſputatione de imperio eiuſdem hominis ad ſeipſum: & quidquid dicant recentes authores nihil intereſt. Vndè Caietanus prima ſecundæ, quæſt. 17. art. 1. aduertit actum imperij ſeu præcepti componi ex aliquo, quod eſt intellectus, & ex aliquo quod eſt voluntatis, vt paulò antea inſinuauimus. Ac proinde imperium habet vim à duplici principio ortam nimirum ab intellectu, & voluntate. Nam certè ad rationem imperij tria concurrunt, quæ in ipſo imperio concipiuntur, nimirum ordinatio alicuius ad aliquid, & intimatio rei ordinatæ, & tādem motio. Quoniam cum præcipitur dilectio Dei, ſine dubio ordinatur quis ad amādum Deum, & hoc intimatur illi, & mouetur ad hoc ab ipſo imperā te. Ex his autē tribus actibus in imperio inuētis, & incluſis, duo priores, nimirū ordinatio, & intimatio pertinēt ad intellectū, ſeu ad rationē, eſt enim cōmunis animi conceptio, q̄ ordinare eſt actus intellectus, ſeu rationis, quāuis imperetur à voluntate. Actus enim ordinatiuus aliquorū formaliter conuenit ſapiētiæ, prudentiæ, & arti, ac proinde quidquid ordinis eſt in rebus volūtarijs, & naturalibus, id quidem à ratione proficiſcitur, & in ipſam reſoluitur, opus enim naturæ eſt opus intelligētiæ. Rurſus electiones, in quibus præcipuè ſplēdet, & apparet ordo, ſeu ordinatio eorum, quæ ſunt ad finem, proficiſcuntur â conſilio ordināte hoc in illud. Volūtas namq; eligēs, & vtens tendit in res ipſas, & in media, ſecundum ordinē rationis ab ea præſcriptū, & ſecūdum directionē eius. Tertius actus qui includitur in ipſo imperio non eſt ſeparatus à motione pertinente ad voluntatē, ſed potiùs includit motionē eius. Quare imperium, vt eſt regulatiuū, & ordinatiuū pertinet ad intellectum, & rationē: at verò quatenus imperiū eſt actus motiuus, & executiuus intimando, ſic dicitur pertinere ad voluntatem, quatenus tale imperium habet vim voluntatis mouentis. Et hæc eſt cauſa cur S. Thom. dixerit imperium eſſentialiter, & elicitiuè eſſe actum rationis, & intellectus, non quidem abſolute, & æqualiter, ſed rationis, vt mouetur à volūtate. Quo fit vt ordinatio intimatiua in ipſo imperio prudentiæ incluſa ſubſit virtuti motionis voluntatis: motio verò ſe habeat vt forma, & ita quoad formam motionis pendet à voluntate. Vndè doctiſsimus Caietanus Cardinalis affirmat imperium, & præceptum eſſe actum intellectus formaliter: appetitus verò virtualiter; Electionem autem è conuerſo formaliter eſſe actum appetitus, virtualiter tamen eſſe actum intellectus, & intelligit Caiet. formaliter, ideſt, quoad ſubſtantiā actus, ſeu eſsētialiter, & virtualiter, ideſt cauſaliter.

Ex tribus quæ inueniuntur in imperio duo pertinēt ad intellectum ordinatio videlicet, & intimatio, motio verò voluntatis eſt opus.

Cardinalis Caiet.

Sentiendū igitur eſt propoſitā aſſertionem eſſe veriſsimā, quæ probatur ex fundamentis adductis, non ſolū quantū ad An eſt, ſed etiā quantū ad quid eſt. Eſt igitur imperium actus ſimpliciter rationis ſeu prudētiæ, cum quo ſimul ſtat, quòd ſit actus rationis participantis voluntatem, quæ eſt primum formaliter mouens, tam ſeipſam quoad productionē actus, quàm etiā rationem quoad exercitium. Hæc ſine dubio eſt Ariſt. ſententia, & conueniunt nobiſcum plures ex familia Scoti, adducuntque Philoſophum 1. Politicorum dicentem. *Rationem imperare potētiæ appetitiuæ, ſed vi appetitiuæ, principatu politico.* Et 6. Ethicorum ſæpe Ariſt. dicit prudentiam eſſe imperatiuā, & præceptiuam.

Ariſtot. 1. Politicorū, cap. 3. Scotus.

Moueor ad præfatam aſſertionem, quoniā de rebus agēdis non eſt omnino cōſummata ratio præciſe per iudicium, & conſilium, ſed requiritur quòd ſuperueniat imperiū, & præceptū, quando oportet, & ſicut oportet, &c. Nam, v. g. cum aliquis prudenter ſe habet

Suadetur concluſio.

ad ea, quæ sunt temperantiæ abstinens se à cibo, & potu, non idcirco solùm prudẽter se habet, quia rectè discurrit circa qualitatem, quãtitatem, & tempus sumendi cibum, & potum, neque etiam, quia rectè iudicat in ordine ad conditionem, & dispositionem propriam, sed quoniam illa, quæ rectè sunt inuenta, & iudicata sibi ipsi, præcepto efficaci imponit: quo nimirum sibi animus perfectè, & efficaciter imperat quod vult per *Fac hoc*, vel alio simili modo imperandi. Hoc insinuat S. Thom. 1.2. q.17. art.1. & Adrianus loco superius citato, qui sequitur D. Tho. Deniq; præceptum veræ, & propriæ prudẽtiæ est efficax, quo vult efficaciter bonũ, propter cuius defectũ multi non operantur prudenter, quamuis prudẽter iudicent. De quare legendus est Caietanus 1.2. q.13. & q 58. art.5. & q.78. art.2. Vndè Arist. loco citato 6. Ethicorũ cap.10. inquit. *Non est autem idem sagacitas, & prudentia: prudentia enim præceptiua est, finis autem ipsius est quidnam sit agendum, aut non agendum præcipere: sagacitas verò vis iudicandi dumtaxat.* En quo pacto Arist. confirmat rationem propositam, qua mouemur. Quòd verò habeat imperium vim voluntatis, & motionem eius, & quòd non sit solius voluntatis actus, constare potest, quia aliàs eo ipso, quòd alicui inferiori nota esset voluntas superioris sui, sine vlla alia intimatione intellectus debuisset illi parere, & obtemperare, quod est apertè falsum. Ex quo apparet non in sola volũtatis actione imperium, aut legem consistere, sed esse actum intellectus intimatiuum executionis supposita motione voluntatis.

Fauet etiam quòd imperare substantialiter est intimare voluntatem superioris, vel ordinem rationis, & affectus sui ad seipsum, & intimare electionem eiusdem voluntatis, non solùm proponendo, quid faciẽdum sit, ex voluntate superioris, vel sui ad seipsum in his, quæ vult, aut tenetur facere, sed etiam est intimare mouendo: igitur quamuis imperium sit substantialiter, & elicitiuè actus intellectus, supponit tamen voluntatem, quæ trahitur in ipso imperio, & ita supponit motionẽ eius. Importat præterea imperium ipsum locutionem quandam efficacem, & motricem: quare non potest esse actus solius volũtatis.

Aristoteles quoque 6. Ethicorum cap.9. 10. & 11. quidquid aduersarij dicant, quia nihil interest quod sentiant oppositum, scribẽs de partibus, & operationibus prudentiæ cõstituit Eubuliam, Synesim, & Gnome. Eubuliæ officium est consultare rectè. Synesis est ad quam pertinet rectè iudicare per consultationem de rebus agendis. Gnome verò est cuius officium extenditur etiam ad bene præcipiendum, & non solùm ad rectè iudicandum per rationes naturales. Præcipuè tamen prudentia est, cuius interest imperare, & præcipere, imò verò cuius etiam interest consultare, & iudicare, sed habet prudentia has partes potentiales, quas recensuimus. Neque intelligas has esse virtutes quasdam separatas inter se, sed vnicam tantùm esse prudentiam monasticam, includentem etiam has partes potentiales. Et 1. Politicorum cap.3. docet Philosophus quo pacto ratio imperat membris exterioribus imperio, cui correspondet obediẽtia seruilis: appetitui verò imperat imperio politico, & ciuili. Neque valet dicere nullam electionem esse directam à virtute prudentiæ, sed solùm à partibus prudentiæ, nimirum ab Eubulia, Synesi, &c. Quia electio, vt sit nihil aliud postulat ex parte intellectus, quàm consultationem ipsam, & iudicium, quod sane fit per Eubuliam, & Synesim ex sententia D. Thom. Nam cum iuxta opinionem communem imperium sit post electionem ad executionem illius, quod electione ipsa est acceptatum, sequitur actum prudentiæ tantum esse necessarium ad opus ipsum exequendum, & non ad studiosam electionem, & consequenter, id quod maioris est momenti in virtute, nimirum ipsa electio fieret sine prudentia, quod dici non potest.

Mirabile profectò argumentũ aduersariorũ, quod nihil valet, & tamẽ eõclusit aduersariorũ ingenia. Dixi nihil valere. Primò, Quia omnes illi actus cõsultandi, rectè iudicandi, & rectè ordinandi, & præcipiendi omnes sunt actus prudẽtiæ monasticæ, in ordine ad bonũ virtutis cuiusque. Hos autẽ exercet prudentia medijs suis partibus potentialibus, & non vt virtus separata ab illis. Rursus secundò nõ est parui momenti imperiũ ipsius prudentiæ, quod ab ipsa est propriſsimè, quo prudentia exequitur electionem, quæ à voluntate per agitur, deliberationem etiam, & iudiciũ. Vndè si prudẽtia nullum alium actũ haberet, nisi imperiũ ad opus ipsum virtutis exequendũ, non esset hoc parui momenti, vt dicunt aduersarij, sed ingentiſsimi momenti. Quia in executione operis, & ordinationis intellectus circa virtutem, totum pondus operis virtutis ferè pendet. Rursus tertiò. Quia prudentia est recta ratio rerũ agibilium, recta autem ratio non solùm reperitur in consultatione, sed etiam in iudicio, & tandem in præcepto, seu imperio, & in modo operandi, & præcipiendi: ac proinde negamus studiosam electionem non suscipere directionem à virtute prudentiæ. Quarto facit quòd imperium non tantũ subsequitur electionem, sed etiam antecedit illã, ita tenet Bartholomæus Medina 1.2. q. 77. art.2. prope medium, & Caietanus 1.2. q.58. art.4. & q 66. art.3. & 2.2. q.47. art.5. Nam quamuis prudentia supponat rectum affectum voluntatis, quia qualis vnusquisque est, talis finis sibi videtur, tamen supposito proposito, & intentione virtutis requiritur imperium ad rectè consultandum de facto, & iudicandum de medijs. Vndè intellectus ex motione volũtatis etiam imperat sibi ipsi inuestigare media, & quærere consul-

S. Thom. Adrianus.

Præceptũ prudentiæ efficax.

Inferior superiori obtẽperare non debet, etiã si nota sit superioris volũtas, donec superior intimauerit, & intimatione præceperit.

Eubulia, Synesis, & Gnome partes sunt potẽtiales prudentiæ, & quæ sint ipsarũ munera ex Arist. explicatur.

Actus consultandi, iudicandi, & præcipiendi sunt proprij actus prudentiæ.

Vide Vazquez, qui tenet oppositũ sine causa 1.2. q. 17. art. 3. pag. 463. Sunt tamẽ pro nobis Medin. Caietanus, & alij.

tationē, & alia opportuna, & nō ſegniter aut otioſe hæc relinquere. Deinde vero imperat prudentia, ne voluntas otioſe ſe habeat, & remiſſe in electione facienda, & tandem ſequitur vltimum complementum imperij, & præcepti exequentis virtutem. Vndè hæc omnia inter ſe connexionem habent, & concatenationem ad vltimum virtutis fructum ordinatam. Quare malè aduerſarij conijciunt, nunquam prudētiam ſupponere rectam electionem, quia prudentia reſpicit omnem ſtatum, & diſcurſum virtutis à principio, vſque in finem, cum ipſa ſit recta ratio rerum agibilium antecedenter, & conſequenter ad ipſam electionem, & reſpicit omnem diſcurſum moralem reſpectu eius, quod concludit. Hanc eſſe ſententiam veram docuerunt cum S. Thom. Euſtratius grauis author, & Donatus Aciaiolus ſuper Ariſtotelem, ſed nos non volumus facere diſtinctos habitus, ſed vnicum prudentiæ tantum, habentem in ſe has omnes vires, & officia ad vnum virtutis finem ordinatum. Neque curamus adducere plura Ariſt. loca, vt explicentur à nobis. Quia quamuis prudentia monaſtica vna ſit, tamen cùm plures habeat vires, & ad plura ordinetur, ex eo quòd eſt recta ratio rerum agibilium, ob id Ariſt. ſingula, quæ prudentiæ conueniunt reſpiciens, ea diſtinxit, ac ſi de diuerſis habitibus loqueretur, vt omnia claritatis gratia explicaret nobis.

S. Thomas. Euſtratius. Donatus Aciaiolus.

Corduba quid ſētiat de imperij neceſsitate.

Antonius Corduba loquens de neceſsitate imperij dixit, imperium eſſe neceſſarium in nobis, ex eo quòd intellectus per ipſum non ſolum inſinuat quid facto opus ſit, ſed etiam quomodo, quo ordine, & quando illud faciendum ſit. Hunc modum dicendi reijciunt recentes Theologi, & dicunt nullius ponderis eſſe rationem hanc ad conſtituendum imperium. Quia per iudicium conſultationis non ſolum proponitur voluntati quid eligendum eſt, & opere exequendum, ſed etiam quomodo, quo ordine, & quando faciendum ſit, quoniam omnia hæc ſub conſultationem cadunt: igitur ſemel ſtatutis his omnibus per iudicium, & electis per voluntatem fruſtra ponitur nouus alius actus intellectus, qui dicatur imperium. Sed profectò neque argumentum iſtorum aliquid valet, neque explicant omnia, quæ ſunt neceſſaria ad electionem. Nam quamuis quando vnicum tantum eſt medium, illudque omnino neceſſarium, ad conſecutionem finis, quem voluntas efficaciter intendit, non eſſet neceſſarius actus imperij antecedenter ad talem electionem, tamen quando inquiſitio verſatur circa diuerſa media, & præcipuè cum vel illa ſunt æqualia in ordine ad finem, vel non valde diuerſa aut inæqualia, & præcipuè quando ſuppoſitis illis medijs repræſentantur aliquot impedimenta, quæ retardare poſſunt hominem ad talem electionem faciendam, tunc requiritur imperiū prudentiæ, vt fiat electio. Puto enim

Quibuſdam diſplicet ipſius ratio, quæ nō eſt ſatis efficax.

antecedenter ad hanc electionem liberam inter plura media, vbi poteſt eſſe varietas, & diuerſitas mediorum, & vbi poſſunt occurrere impedimenta perturbantia electionem, neceſſarium eſſe illum actum imperij ipſius prudentiæ vi ſua mouentis ex ratione prudentiæ ad electionem liberam, exercendam à voluntate. Ita Bartholomæus Medina 1. 2. q. 77. art. 2. Totius enim huius proceſſus, & antecedenter, & ſubſequenter ad electionem, ratio & ordo, ad prudentiam pertinet, quæ ſuo ambitu à principio, vſque in finem præſidet actibus omnibus neceſſarijs ad agibilia, tā ex parte intellectus, quā ex parte voluntatis. Et quamuis per conſultationem, & iudicium proponantur voluntati media liberè eligenda, imò proponatur ordo conueniens, tamen vt de facto fiat electio vnius medij, & acceptetur ordo, & ne retardetur volūtas, & vt impedimenta non remoueant, aut obſcurēt, & perturbent electionē medij, accedit actus imperij intellectus, & prudentiæ, atq; ita ſequitur electio, itaq; ſentio huiuſmodi imperium eſſe neceſſariū antecedēter ad electionem, & poſt electionem etiam, neque hoc eſſe vlla ratione contra D. Thom. vt dicemus. Quapropter intellectus per imperium, non inſinuat formaliter, & expreſſe quid facto opus ſit, aut quo ordine, & quando aliquid faciendum ſit, quia hoc pertinet ad iudiciū conſultationis. Sed imperiū importat intimationē conſultationis, & iudicij cū proximo, & immediato ordine ad executionē, & cum quadā motione, qualis in imperio reperitur. Itaq; inſinuatio illa per modum practicè, & moraliter inſtruētis ad cōſultationē, & iudiciū pertinet, ſed per modū intimātis, & mouētis pertinet ad imperiū. Et ex his patet, quòd quāuis ea, quæ dixit Antonius Cordub. non exactè explicēt rationē imperij, nihilominus impugnatio, quæ ab aduerſarijs adducitur cōtra eū nihil valet, & forte Cordub. ſenſit in ſua reſpōſione atq; doctrina id ipſum, quod nos diximus ſi examinētur ea, quę ille ſcripſit lib. 2. de ignorantia q. 10. Sentio etiā imperiū eſſe neceſſariū poſt electionē factam, vt executioni mādetur id ipſum quod electū eſt, & accepta tū, in quo cōuenio cū omnibus Thomiſtis cō ſtituentibus imperiū hoc ad minus poſt electionē. Et vlteriùs addo in fauorem eorū non ſolum poſt electionē, ſed etiā ante illam præcedere imperium prudentiæ, vt electio fiat.

Antecedenter, & conſequēter ad ipſam electionem requiritur in intellectu imperium.

Sanctiſsimus Præceptor 1. 2. q. 17. art. 1. enumerat imperiū, tāquā actū diſtinctū inter alios actus humanos, in eadē quæſtione art. 3. ſequenti, in corpore, & ad primū dicit imperiū prius eſſe quàm vſum, & poſterius electione volūtatis ad executionē mediorū, quæ eliguntur. Quòd ſi imperiū nullius eſſet efficacitatis reſpectu alicuius actionis noſtræ, nō cōſtitueretur à S. Tho. inter actus humanos in aliquo ordine. Et quidē S. Tho. non ſolum in prima ſecūdæ, ſed etiam 2. 2. q. 83. art. 1. hæc

S. Thom.

Imperium prius vſu, electione poſterius.

dixit.

dixit. *Sic ergo ratio dupliciter est causa aliquorũ. Vno modo sicut necessitatem imponens, & hoc modo ad rationem petinet non solùm imperare inferioribus potentijs, & membris corporis, sed etiam hominibus, & subiectis.* Iudicat ergo S. Thom. nõ tantùm in nobis posse esse imperium respectu nostrarum actionum, sed etiam talis esse virtutis, vt necessitatem quandam inferat, nõ solùm membris, sed etiam facultatibus inferioribus: hoc est, quòd ita sit efficax, vt posito actuali imperio cum practico iudicio præcedente proposito efficaci, seu intentione finis facultas ipsa inferior certissimè operetur, ita vt non stent simul adesse illa omnia, & quòd facultas inferior non operetur. Adde etiam S. Thom. 2.2. q. 47. art. 8. & q. 51. in discursu illius quæstionis, asseuerare proprium actum prudentiæ esse præceptum, quod colligit ex Philosopho 6. Ethicorum cap. 12.

In actibus interioribus imperiũ etiã est constituendũ.

Quòd verò homo indigeat huiusmodi imperio in suis actibus etiam interioribus, constat quidem, quia homo non agit necessitate naturæ, sed agit liberè, & consequenter non ducitur sicut bruta, neq; sicut res inanimes. Est enim modus agendi in homine proprius cum libertate, & præterea superior, & eleuatior, quàm modus agendi in alijs viuentibus, & pecudibus. Quia homo agitur, & se agit cum modo rationali, & consequenter etiam cum modo imperij, præcipue, vt dictum est, cum homo sit natura liber. Quare quòd voluntas moueat efficienter, applicando potentias, & vtendo illis, apertè constat, aliâs quomodo vsus electionis pertineret ad efficacem intentionem finis? Supposito igitur amore, & affectu erga finem, cum proposito efficaci, & intentione eius, & non tantùm cum cõplacentia, voluntas applicat intellectum ad inquisitionem mediorum, & iudicium circa illa. Quare inquisitione facta præcipuè si est de pluribus medijs, de quibus voluntas libere potest vnum, aut aliud eligere, tunc necessarium est imperium iuxta modum superiùs assignatum, vt voluntas reuera se applicet ad eligendum, & eligat hoc aut illud medium, in quo non solum ab intellectu, sed etiam à seipsa se moueat, vt exequatur munus eligendi hic & nunc, præcedente priùs inquisitione, & consultatione iam dicta. Deinceps verò mandatur executioni interiùs, & exterius talis electio.

Modus procedendi ab intentione finis vsque ad executionem mediorum.

Aduertere tamen oportet falsam esse quorundam sententiam, qui dixerunt intellectũ proponere ipsi voluntati per modum cuiusdam insinuationis finem, quem efficaciter voluntas intendit ex efficaci proposito, & quòd hoc explicat iterum intellectus voluntati per hanc intimationem hac enunciatione factam ad executionem mediorum. Voluntas vult, vt fiat electio, quia voluit finem. Sed profectò hoc est ridiculum, & ab omnibus reijcitur. Nam præterquàm quod hic modus explicandi actum imperij est contra S. Tho. est etiam ridiculus, & inutilis, vt constat ex D. Thom. 1. 2. quæst. 17. art. 3. ad 1. vbi ait, non omnem actum voluntatis esse priorem imperio, sed vt in prædicta solutione ait, aliquis actus præcedit, nimirum electio, & aliquis sequitur, videlicet vsus. Quia post determinationem consilij, quæ est iudicium rationis, voluntas eligit, & post electionem ratio imperat ei, per quod agendum est, quod eligitur. Et tunc demum voluntas alicuius incipit vti exequendo, &c. Hæc D. Thomas. In quibus verbis satis apertè patet quàm falsa sit sententia relata, & dissona à D. Thom. Vbi aduerte imperium verè constitui à S. Thom. in ordine directo. De ordine autem reflexo dicemus alibi. Rursus aduerte, quidquid aduersarij dicant Sanctum Thomam non negauisse essentiam imperij esse ante electionem, sed tantùm voluisse docere non posse plene rem imperari, nisi præcribantur media, quibus res facienda est, acsi diceret S. Thom. imperium esse ante electionem, vt electio fiat, & non negligatur, neque tepescat propter causas superiùs dictas, sed post electionem compleri omnino, quia habet effectum conformem intentioni finis, & hoc non solum non est effugium, sed est necessarium fundamentum, ad intelligentiam Sanctissimi Præceptoris, propter euidentissimas rationes superius à nobis traditas. Quare verba sunt, nõ res, quæ loquũtur aduersarij.

Modus explicandi imperiũ à quibusdam inuentus reijcitur.

Plurimi rectè consulũt, & iudicant, in horum tamen executionẽ ob defectũ imperij tepescunt.

Bartholomæus Medina 1.2.q.17. art 1. vt constituat necessitatem, & existentiam huius imperij, dicit plurimos esse ex hominibus, qui rectè consulunt, & rectissimè iudicant, quid facto opus sit, qui tamen difficultate rei perterriti non imperãt operis executionem, & ideirco sentit necessariũ esse huiusmodi imperiũ. Similiter etiam dicere potuisset, quòd etiam supposito amore erga finem, dum fit consultatio, & inquisitio mediorum, quòd voluntas plerumq; seneseit, vel ex difficultate mediorum, quæ repræsentantur, vel ex impedimentis, quæ se se offerũt in ipsa inquisitione, & deliberatione, vel ex plerisq; alijs causis, & quod propter eandẽ causam incipit imperium antecedẽter ad electionem faciendã, & cõpletur post electionem, simul cum executione operis. Quod verò imperiũ sit actus intellectus supposita motione voluntatis, & non sit actus elicitus substantialiter à voluntate, probat idem Batholomæus Medina. Primò, quia imperare est loqui, & denuntiare. Secũdò, quia est dirigere. Tertio, quia non tenemur nos conformare voluntati diuinæ in volito materiali, neque voluntati prælatorũ, & superiorum: tenemur autem conformare nos præcepto Dei, & superiorũ, vt certũ est & sine controuersia. Nam licèt mihi sit exploratum Deum velle, mori patrẽ meum, aut sororem, possum sanè dolere de morte patris, & affici mœrore, & quãuis ego intelligam superiorem, & prælatum meũ velle, vt aliquid

Probat Medina imperiũ esse actum intellectus.

facium, ad quod non teneor ex præcepto alicuius, non teneor id facere, nisi ipse præcipiat. Imo verò fieri posset, quod iudex præciperet aliquid absque volũtate quod illud fiat, & esset nihilominus imperium: igitur imperium non est actus elicitus à volũtate, sed est actus intellectus. Sed nihilominus simul cum hoc stat imperium ipsum habere vim, non tantũ ab intellectu, sed à voluntate simul, & idcirco dictum est imperiũ esse actum intellectus, suppositа motione voluntatis.

Obiectiones aduersariorum soluuntur.

Ad primã obiectionẽ contra necessitatem imperij respond.

OBiectiones aduersariorum, quæ contra huiusmodi imperium militant, & contra scholam D. Thom. facile dissoluentur ex dictis. Ad primum negatur quòd actus imperij, si est in intellectu non sit necessarius, tum ad mouendum cæteras potentias, tum etiam ad exercitium circa actus interiores voluntatis, & in hoc voluntas etiam mouetur ab imperio, & dum mouetur ab illo etiam mouetur à se: quia imperium est actus intellectus suppositа motione volũtatis. Quare intellectus mediante imperio non solùm mouet voluntatem quoad directionem, sed etiam mouet quoad electionem, & executionem. Et ad replicam respondetur per iudicium consultationis non sufficienter moueri voluntatem, ad executionem electionis liberæ, tum quando sunt multa media diuersa, tum etiam quando senescit voluntas. Et præterea quando se offerunt aliquot impedimenta, tunc enim requiritur illud imperium, quod magis excitat voluntatem, & repellit quasi torporem eius, & eam inducit ad executionem mediorum intimatione sua, & motione. Quare ridiculũ est dicere fictitium esse huiusmodi imperiũ, & magis credendum est Doctori Sancto, quã recenti Theologo. Ad aliam obiectionem, & replicam, quando dicitur, quòd ex voluntate nihil deriuatur in reliquas potẽtias, aut in earum actiones, respondetur hoc esse falsum.

Monet imperio suo intellectus potentias interiores, & exteriores.

Cæteræ potentiæ recipiunt ab intellectu medio suo imperio excitationẽ quã dam.

Recipiunt enim reliquæ potentiæ excitationem executionis, intellectus etiam mouet voluntatem mediante imperio, & excitat eam, habetque imperium vim quandam mouendi voluntatem, ad executionem electionis, & ad hoc vt de facto non tepescat in electione. Nam si hoc concedunt aduersarij inquisitioni, & consultationi, multò magis imperio. Quòd si interroges, quid sit illa excitatio, interrogarem ego similiter. quid est illa excitatio, quã facit Angelus circa intellectũ, & voluntatem alterius Angeli, cũ loquitur illi? Certè nõ est motus, qualis est localis, aut calefactionis, quia est motus alterius ordinis, & pertinet ad motionẽ alterationis perfectiuæ, & ad propriũ modũ mouendi spiritualiter, imò ad modũ mouẽdi eleuatũ, qui cõuenit creaturis intellectualibus, quia homo agitur modo rationali: est igitur imperiũ virtus quædã motiua, & effectiua: & virtutẽ hanc etiã habet quatenus ipsum imperiũ, ita est actus intellectus, vt subseruatur motioni voluntatis, hoc est, virtutis, quã volũtas habet, quatenus imperium vtrumq; virtutẽ cõplectitur, & ab vtraq; progreditur iuxta munera, & officia, quæ superiùs diximus illi conuenire. Negare igitur oportet q̃ volũtas non habeat influentiã ad applicationẽ, & exercitiũ actionum moraliũ, & quãuis volũtas, neque intelligat, neque videat, tamẽ applicat intellectũ, & mouet illũ, vt vtatur suis actionibus ab eodem intellectu elicitis. Quod si intellectus suo imperio etiã mouet, id sanè nõ habet facere intellectus nisi suppositа motione voluntatis.

Ad secundam obiect. solutio.

Secundæ obiectioni respondetur, negando actũ imperij nõ esse necessariũ, vt tã intellectus, quam etiã volũtas in processu morali, & ordinationis prudẽtialis, vsq; ad vltimũ exitũ executionis, & operis deducãtur. Neq; est simile de modo agẽdi hominis, & creaturæ rationalis, & de modo agẽdi, qui est in brutis, & pecudibus. Primò; quia in præsenti est sermo de actionibus liberis, & de actibus pertinentibus, ad genus moris, quæ brutis, & pecudibus cõuenire nõ possunt. Secũdò, quia bruta operãtur necessariò sine cõsultatione, aut inquisitione, & sine vlla omnino indifferẽtia, aut radice cõtingẽtiæ, sed necessariò necessitate naturæ, & iudicio à natura infixo. Alius igitur modus mouẽdi cõpetit hominibus, & creaturis rationalibus ex ipsa cõditione facultatum intellectualiũ, quã cõueniat pecudibus: homines enim ratione, prudẽtia, & imperio mouẽtur: agitur enim homo cũ modo rationali ex eo quòd est liber, & intellectiuus. Ad replicã patet solutio ex dictis. Diximus enim qualiter etiã posita intentione, & electione adhuc requiritur imperium ad operis executionẽ, & ad actualem directionem executiuam, non tantùm in actu signato, sed in exercito.

Non est idẽ modus agẽdi in creatura rationali, & in brutis.

Ad alia arg. ex Almaino.

Ad obiectiones Almaini, ad primã sentiendũ est, in intellectu speculatiuo solum debere cõstitui actus illos relatos in argumento. Verũ ad actiones morales, & ad agibilia oportet in intellectu practico cõstituere actũ præcipiendi, seu imperij. Et ratio est. Quia alia est veritas intellectus speculatiui, alia verò est veritas practica: est enim veritas intellectus practici cõformitas ad appetitũ rectũ, seu consentaneè se habere ad ipsum. Veritas verò speculatiua est conformitas intellectus ad rẽ ipsam. Secunda solutio esse solet, quòd quando Arist. cõstituit tres operationes intellectus, nimirũ, simplicẽ apprehẽsionẽ, discursum, cõpositionẽ, & diuisionẽ, locutus est de actibus seu notitijs intellectus absolutè consideratis in se, quatenus cõtinẽtur intra limites intellectus: non verò consideratis cũ ordinatione ad aliud, seu respectiuè, quatenus habẽt dependẽtiam seu connexionem ad appetitum: & talis est intellectus practicus, quatenus in processu prudẽtiæ moraliter agit. Nam in actibus practicis imperium potest reduci ad discursum

Alij sunt actus intellectus practici, alij actus intellectus speculatiui.

moralem,

moralem, & processum eius, seu syllogismum practicum, & moralem. Nam est veluti conclusio syllogismi practici, qua concluditur hoc vel illud esse agendum, imò verò apud quosdam notitia iudicatiua diuiditur in ostensiuam, & præceptiuam. Quia notitia iudicatiua est virtute multiplex in moralibus, habetque connexionem, & ordinem ad appetitum, & comparationem ad ipsum, & idcirco talis notitia iudicatiua diuiditur ab illis in ostensiuam, & præceptiuam. Bartholomæus Medina putat imperium, neque esse notitiam apprehensiuam, neque iudicatiuam, sed imperatiuam, ex eo quòd multi actus inueniũtur in intellectu, qui neque sunt apprehensiui, neque iudicatiui, & in hoc ordine continẽtur promissio, & deprecatio, &c.

Notitia iudicatiua diuidi solet in ostensiuam, & præceptiuam.

Obiectio.

Sed obijcies contra ea, quæ diximus. Quia ex simplici apprehensione secluso quocumque alio actu iudicatiuo, & præceptiuo possum elicere liberam volitionem rectæ rationi conformem: ergo non requiritur illud imperium, aut iudicium præceptiuum. Nam certè statim, atque cognosco, & iudico hoc esse agendum propter talem finem, & circa debitam materiam cum suis circunstantijs, voluntas est conformis rectæ rationi, & nihil aliud requiritur ad executionem. Respondetur tamen negando antecedens, quòd sufficiat sola apprehensio. Nam requiritur, vt diximus, etiam notitia iudicatiua, & in progressu, & discursu morali notitia præceptiua, iam enim ostensum est qualiter imperium sit necessarium ad actiones morales, & exequendas, & omnino dirigendas.

Occurritur ipsi.

Ad secundam obiectionem, & probationẽ Almaini respondetur, voluntatem hominis esse veluti reginam, cùm sit appetitus totius suppositi, intellectum tamen esse veluti regẽ imperantem, & regentem, cuius interest præcipere in operibus totius processus moralis præsidendo, & ordinando. Volũtas enim cæca est, & debet gubernari ab intellectu. Vndè Arist. 1. Politicorum cap. 3. dicit quòd ratio principatur appetitui, non principatu seruili, sed regali, & politico. Hanc doctrinam tradiderunt omnes sapientes, quòd scilicet, prudentia imperat, voluntas obedit, hoc omnes Sancti Patres etiam docuerunt. Solus insipiẽs dixit rationem debere obedire volũtati cum dixit. *Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.* Sed nihilominus verissimum est id, quod diximus, nempe, virtutem mouendi, & efficaciam motus, quæ est in imperio ad agendũ, & mouendum, eam habere à motione voluntatis, cuius interest mouere, & applicare potentias ad agendum. Et propter hanc causam Theologi, & Philosophi dixerunt interdum voluntatẽ imperare potentijs: verũ quia non imperat intimando, aut dirigendo, neque regendo, neq; illuminando, non dicitur imperare proprie. Habet tamen imperium, quod sit actus intellectus mouẽs ex suppositione motionis voluntatis. Vndè negandum est, quòd imperare sit actus elicitus à volũtate, sed est actus elicitus intellectus, qui secũ trahit vim mouẽdi à volũtate, habent enim summã consensionem inter se intellectus, & voluntas, & sympathiã. Ad confirmationẽ respõdetur, q̃ in actibus moralibus, & practicis intellectus non potest cõpellere voluntatẽ, aut alias potentias: tamẽ imperiũ, quatenus supponit motionẽ volũtatis, trahit virtutẽ mouendi multiplicẽ respectu intellectus: imò verò respectu multarũ operationum voluntatis. In quo cernitur magna efficacia voluntatis, quòd nõ solũ mouet alias potentias, & intellectũ, sed etiã mouet seipsam, quia etiã taliter mouetur, quod etiã se moueat. Dico secundò ad prædictam obiectionem, superiorem, & excellẽtiorem facultatẽ esse in nobis intellectũ, non voluntatẽ, ac proinde ex isto capite nihil militare potest contra nos. Neq; tamẽ potẽtia illa dicitur superior, neq; ad eam pertinere dicitur imperiũ, cuius nutu cęteræ mouẽtur, quia alias etiã in brutis esset imperiũ. Nam facultas motiua secundũ locũ, operatur ad nutum appetitus animalis, quod tamẽ dici nõ potest. Ad confirmationẽ. Verum est ad illum pertinere imperare, qui potest cõpellere eos, quibus imperat, vt exequantur imperiũ, ex hoc tamen non sequitur quòd imperiũ sit actus volũtatis, & nõ intellectus. Nam primò hoc nõ sequitur in vno homine respectu alterius, quia cùm cõmuniter dicitur eum, qui imperat vere posse cõpellere illũ, cui imperat, vel est sermo de cõpulsione obligationis conscientiæ inferioris, aut de compulsione, quæ cõsistit in inflictione pœnæ. Si sermo sit primo modo non sequitur, imperiũ esse actũ voluntatis, quoniam sola voluntas superioris, absq; insinuatione facta per intellectum, non potest obligare conscientiam: ergo quamuis is, qui imperat possit compellere, tamen non sequitur eum imperare per solam actionẽ voluntatis. Si autem sermo sit de coactione, quæ est in inflictione pœnę pari modo non sequitur rectè id quod inferebatur in argumento. Quoniam neque volũtas superioris est, quæ pœnam infligit, neque requiritur, vt ipsa pœna infligatur per eandem facultatem, per quam imponitur in præceptum. Imò verò infligere pœnam non pertinet re ipsa ad legislatorem superiorem, sed ad inferiores ministros, qui voluntatem eius insequuntur. Tandem si sermo sit de infligenda pœna per solam obligationem, & vim imperij, tunc quidem ad eandem omnino potentiam spectat imperare, & pœnã infligere: sed sicut hactenus non satis probatur, imperium esse actum voluntatis, in vno homine respectu alterius, ita similiter minimè probatur, ad solam voluntatem pertinere imponere obligationem pœnæ. Rursus vltimo si fiat sermo de vno, & eodem homine respectu sui, ego nõ video cur non possit sibimetipsi imperare, vt supra

Ad secundã argum. ex Almaino.

Ratio appetitui principatur, & dominatur dominio regali, non seruili.

Ad confirmationẽ solutio.

Intellectus perfectior potẽtia quã voluntas.

Quãuis ad eum pertineat imperare, cui cõuenit posse compellere, tamen non constat hoc voluntati conuenire, imò id est quod negatur.

ostensum est à nobis. Vndè parasitus ille Terentianus, hanc moralē Philosophiā recognoscens ait. *Postremò egomet mihi imperaui, omnia assentari.* Hoc est, dixi animo meo, & præcepi illi, vt omni tempore blandiatur diuitibus. Verùm cum in intellectu ponimus imperium, vt iam sæpe sæpius retulimus, ita iudicamus ponendum esse in intellectu respectu suarum actionum, vt imperium supponat motionem voluntatis, qua ratione illi posset cōuenire vis quædam mouendi ad opus, ratione voluntatis, quam supponit, ex quo fit, vt neganda sit consequentia confirmationis.

Ad secundum argumentum.

Tertiæ rationi, seu obiectioni Almaini, & Henrici respondetur, negando consequentiam. Rursus etiam negari potest Minor, & quamuis obiectum simul cum cognitione, & notitia eius concurrat cum voluntate, veluti partialis causa efficiens actus amoris, & affectus, nihilominus tamen adhuc potest esse capax imperij, quia in sua potestate est cum obiecto, & cognitione obiecti, seu notitia eius suam producere actionem, aut non producere; neque elicere. Imò verò si argumentum prædictum haberet aliquam vim, pariter ostenderet voluntatem in eodem homine non posse ab intellectu eiusdem hominis recipere imperium. Quoniam voluntas non esset tota causa suæ actionis, qua deberet obedire. Vndè neganda est vltima consequentia, & sufficit voluntatem posse facere aliquid adiuncto sibi intellectu, & è conuerso. Perpendendum est tamen id quod S. Thom. dixit secunda secundæ, quæst. 83. art. 1. nimirum esse de ratione imperij inducere necessitatem aliquam, quòd, vt ipse S. Thom. docet, obseruari debet, non solum in imperio vnius hominis respectu alterius, quatenus imponit necessitatem quandam obligationis, sed etiam respectu eiusdem hominis ad seipsum, & respectu suarum actionum in eodem homine.

CONCLVSIO SECVNDA.

Concluſ. 2. Quamuis imperiū intellectus aliquando nō ſit neceſſarium, ſemper tamē requirit aut ipſum, aut aliquid ipſi æquiualēs.

Dico secundò. Quamuis posito explicito imperio ex parte intellectus efficaciter præcipiente detestandum esse furtum, vel adulterium hic & nunc, & nulla ratione prosequendum, voluntas non possit amplecti, & prosequi adulterium, aut furtum, tamē non est improbabile dicere, quod nō requiritur semper hoc imperium explicitum, sed sufficere aliquid æquiualens illi imperio, siue hoc sit iudicium actuale, quo quis hic & nūc, iudicat hoc non esse faciēdum cum plenaria, & omnimoda cognitione, tam in vniuersali, quam in particulari. Hanc ego assertionem tradidi 1.2. quæst. 77. art. 2. disp. vnica. Et probari potest. Quia S. Thom. loco citato primę secundæ solutione ad 4. & 5. & q. 78. art. 1. ad 1. & de malo q. 3. art. 9. de veritate, q. 24. ar. 2. ad 8. & 1. p. q. 63. art. 1. ad 4. aperte tenet voluntatem peccare non posse, nisi ex parte intellectus præcedat aliquis defectus, error, aut ignorantia: ergo quotiescumque adest imperium cum perfecto iudicio, ne fiat aliqua operatio praua non est vllus defectus in voluntate, ac proinde hoc permanente imperio, & perfecto iudicio, voluntas nunquam peccabit: quia aliàs sine vllo defectu ex parte intellectus posset esse peccatum. Secunda verò pars huius assertionis, quæ est de imperio ostendi potest etiā. Quoniam vt voluntas velit aliquid, imperium solùm est necessarium ad vsum, vel executionem: sed vsus, & executio sufficienter pendent à voluntate, & à iudicio actuali, quo quis iudicat hoc non esse faciendum hic & nunc, cum plenaria cognitione, tam in vniuersali, quam in particulari: ergo sufficit aliquando illud æquiualens imperium. Obserua tamen quòd quando affirmamus, quòd posito imperio, seu posito explicito illo iudicio actuali, absoluto, & efficaci, cū omnimòda, & plenaria cognitione, tā in vniuersali, quam in particulari non posse voluntatem facere oppositum, non ita est intelligēdum, vt ipsa voluntas nō maneat libera. Quoniam etiam posito illo iudicio absolutè loquēdo est libera. Primò quoniam tam illud iudicium, quàm ipsum imperium dependent ex libera voluntatis applicatione, quia potest voluntas remouere illa iudicia, & distrahere imperium illud, dependent enim hæc in ordine mouendi efficienter ab ipsa voluntate, nam hac ratione intellectus etiam ab ea pendet. Et idcirco dictum est, quòd existente imperio illo efficaci, vel iudicio illo actuali absoluto, & efficaci cum plena cognitione, tam in vniuersali, quam in particulari voluntas non potest oppositū facere. Quia non stant illa duo, nimirum imperium, vel iudicium absolutum, & efficax cum plena cognitione vniuersali, & particulari, & sine vllo omnino defectu ex parte intellectus, & quòd voluntas faciat oppositum eius, quod vel imperatur, vel efficaciter iudicatur à ratione. Et iste sensus est omnino compositus.

Abſolutè poſito ex parte intellectus ſiue imperio, ſiue practico iudicio manet libera voluntas.

CONCLVSIO TERTIA.

Concluſ. 3. In ſenſu cō poſito ſtante, v. g. iudicio practico, vel imperio intellectus, quòd aliquid fiat non poteſt diſſētire voluntas.

Dico tertiò. Si fiat sermo de iudicio practico intellectus absoluto, & efficaci cū plenaria cognitione, seu sine defectu ex parte intellectus, sentiendum est, quòd permanēte in intellectu tali iudicio practico efficaciter dictāte tā in vniuersali, quā in particulari non esse exercendū hic & nunc, aliquē actū peccati, volūtas non potest velle in tali sensu cōpositionis illud peccatū. Hæc assertio est D. Tho. 1.2. q. 77. art. 2. & Caiet. Cardinalis in eodem loco, idem sensit Barth. Medina, & recentiores, imò verò Adrianus, & Capreol. Fundamentum autem huius est, quod omnis peccās est ignorās, vel deficiēs ex parte intellectus, vt Arist. 3. Ethicorū c. 3. & 6. Ethicorū

affirmat:

affirmat: ergo existente intellectu sine vllo defectu, & cũ perfecta scientia, & practico iudicio dictante hoc non esse agendum hic & nunc, id non potest fieri, neque fiet. Vnde inquit Aristot. quòd existente recta prudentia in particulari non potest esse peccatum. Fauet etiam illud Prouerbiorum. 14. *Errant, qui operantur malum.* Vnde in sacro eloquio iusti dicuntur Sapientes, mali verò insipientes.

Probatur assertio ratione.

Rursus fundatur prædicta assertio. Quoniã voluntas nunquam mouetur ad prosequendum, & volendum aliquid, nisi ex parte intellectus præcedat iudicium practicum dictans illud esse appetendum, sed existente in intellectu prædicto iudicio practico circa aliquem actum peccati non potest simul esse aliud iudicium dictans eundem actum non esse appetendum, & exercendum: ergo neque voluntas potest eum velle. Maior est Sancti Thomæ. 1. 2. quæst. 9. artic. 1. ad secundum, & Aristot. 3. de anima, cap. 9. & 10. quia motus voluntatis cùm semper sit respectu sui obiecti prosecutio, vel fuga, necesse est, q terminetur ad obiectum sub ratione fugiendi, vel prosequendi: ergo pari ratione est necessariũ, quòd proponatur per intellectum ipsi volũtati sub ista ratione: sed hoc minimè fit per actus intellectus speculatiui, neque per iudicium speculatiuum, sed solum per iudicium intellectus practici: ergo necessarium est tale iudicium practicum absolutum efficaciter dictans, vt moueatur voluntas ad agendum aliquid. Neque sufficit hoc iudicium in vniuersali, sed requiritur vlteriùs hoc iudicium practicum in particulari, ex eo quòd actus voluntatis, vt dictum est debet esse circa obiectum, vt fugiendum, vel prosequendum in particulari, vt Aristot. dixit. Minor autem probatur. Quoniam duo illa iudicia sunt contraria, & opposita, & non possunt simul esse in eodem intellectu: ergo.

Ex Authoritate Aristot. eadem 3. conclus. ostenditur.

Moueor etiam ex Aristot. 6. Ethicorum, & 3. Ethicorum, cap. 3. quibus in locis dicit, quòd existente recta prudentia in particulari non potest esse peccatum; quia omnis peccãs est ignorans. Quò fit vt semper sit defectus in intellectu peccãtis, & consequẽter existente perfecta scientia cum perfecto iudicio, & imperio, & cum aduertentia nõ stat simul esse peccatum. *Nam errant omnes, qui operantur malum.* Prouerbiorum. 14. quem locum explicuit Daniel Propheta, capit. 13. dicens: *Euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum.* Vnde in sacris literis, sicut iusti dicuntur Sapientes, ità improbi dicuntur insipiẽtes. Ratio suffragatur huic veritati, quia obiectum voluntatis est bonum & conueniens propositum per intellectum: ergo si voluntas fertur in malum, ideirco est, quia proponitur obiectum illi, vt conueniẽs, & vt agendum ex aliquo defectu intellectus, vel ex inconsideratione aliqua. Nam certè voluntas vel fertur in bonum verum, & honestum, vel fertur in bonum apparens, quod non est verè bonum. Et primo modo in appetitione boni honesti non peccat, si verò voluntas feratur in bonum apparens, sub ratione vtilis, aut delectabilis, quando revera bonum non est, sed apparens, tunc est defectus in intellectu, aut ignorantia: igitur peccatum quodcumque ex defectu intellectus, ignorantia, aut errore procedit: igitur nũquam euenire potest, vt existente perfecta scientia, & perfecto iudicio sine defectu, aut ignorantia ex parte intellectus circa verum bonum, & honestum, sit peccatum in voluntate. Et confirmari hoc potest. Quoniam electio voluntatis fit, vt diximus ex imperio intellectus, huiusmodi autem imperium, vel est de re honesta secũdum debitas circunstantias, & sic iudicium intellectus est rectum, & electio etiam est recta. Si autem iudicium, & imperium intellectus sit de malo obiecto, sub ratione boni apparentis, iam imperium illud, & iudicium non habent rectitudinem prudentiæ, ac proinde electio mala est: igitur omnis electio procedit ex indebito iudicio, & imperio: ergo non stat imperium, & iudicium habere rectitudinem simul cum perfecta scientia obiecti, & quod voluntas deficiat. Cardinalis Caietanus. 1. 2. q. 77. artic. 2. Capreolus in 3. distinct. 36. quæst. vnica. Adrianus quodlib. 4. artic. 1. Durand in 2. distinct. 39. quæst. 1. omnes hi authores sentiunt nobiscum. Caietanus verò dicit peccatum omne procedere ex errore, & ignorantia intellectus extendendo ignorantiam ad defectum, & inconsiderationem, aut inaduertentiam intellectus, & hac ratione explicat Sanctissimum Præceptorem Diuum Thomam 1. par. quæst. 63. artic. 1. ad quartum. Addit tamen, quòd vt voluntas aliquid appetat semper requiritur iudicium, vel imperium intellectus, in quo iudicio dicit decipi, & errare eum, qui peccat. Thomistæ verò, vt explicet Caietanum dicunt locutiones has nimirùm, *Hoc est faciendum, Hoc est operandum, aut eligendum*, tribus modis explicari posse. Primò vt sit sensus: dignum est, vt hoc efficiatur à me. Secundo, vt fiat alius sensus, videlicet. Debitum est secundum legem, vt hoc fiat à me. Tertiò, vt sensus sit: hoc est executioni mandandum, omnibus inquam pensatis, seu quidquid inde sequatur. Et in hoc sensu, quando deliberamus, & consultamus de rebus agendis, accipitur in discursu morali practico, itaque Catholicus, qui ex fragilitate fornicatur, habet hoc iudicium in communi rectum. Fornicatio secundum legem Dei est fugienda, sed simul cum hoc iudicio communi, & vniuersali, habet alterum iudicium practicum, & singulare, nimirùm, quoniam appeto mihi complacentiam, & delectari, idcirco accessus ad hanc speciosam fœminam mihi bonus est, & delectabilis executioniq; mandandus, in qua re talis homo caret iudicio, quod habere debuisset, & decipitur. Qua propter in eo, qui fornicatur

Prouer. 14.

Dani. c. 13

Fieri nõ potest, vt sit peccatũ in voluntate, nisi in intellectu sit aliquis defectus.

Caiet. Capreo. Adrianus. Durandus.

In homine qui aliquod peccatū patratur, duo ſunt iudicia quæ contradictoria apparent, ſed non ſunt.

nicatur ex paſsione duo ſunt iudicia, quæ contradictoria apparent, ſed non ſunt. Nam peccator, qui ex paſsione fornicatur, & adulterat vere credit etiam adulterium illud nō eſſe licitum, neque faciendum ſecundum legem Dei, ſed nihilominùs omnibus concurrentibus, & penſatis, quia amat ſibi complacere, & delectari habet iudicium ſpeciale, quo iudicat hic & nunc, bonum eſſe ſibi nunc delectari, & accedere ad hanc fœminam, habet enim in eo caſu homo ille peccās efficacem affectum, & efficax propoſitum, cū attentione, & efficaci quadam notitia obiecti, ratione cuius efficacius repræſentantur illi, quæ ad peccatum, & ad bonum illud delectabile amplectendum eū mouere poſſunt, quàm ea, quæ à peccato retrahere debuiſſent, & idcircò habet ſpeciale illud iudicium practicum, ſed iudicia hęc quis non videt non eſſe contradictoria? Quia nō ſunt reſpectu eiuſdem, neque habent eundem ſenſum, neque ſunt ad idem, vt ſatis liquet ex modo dictis. Vnde ſtante ſcientia morali in vniuerſali, vel in particulari poteſt eſſe peccatum in voluntate. Cæterum ſtante ſcientia practica, & practico iudicio cum imperio, ſine defectu intellectus circa bonum honeſtū, non ſtat eſſe peccatum, hæc eſt cauſa cur plures Theologi dicunt, quòd quando communiter affirmatur, Omnis peccans eſt errans nō loquuntur de errore contra ſcientiam illam communem moralem, ſed de errore cōtra prudentiam, & contra iudicium practicum omnino, & ſingulare hic & nunc. Sed quo pacto illa duo iudicia non ſint contraria circa eundem actum aliàs peccaminoſum, legenda ſunt, quę nos diximus. 1.2. quæſt. 77. artic. 2. concluſ. quarta, quinta, & ſexta. Vnde iudicium illud practicum de obiecto prohibito, quo inducitur homo ad malum actum, dici ſolet falſum duobus modis. Primò per ordinem ad appetitum rectum. Quia cum veritas practica ſit conformitas, & conſonantia ad appetitum rectum, ſequitur tale iudicium practicum, de quo loquimur in eo, qui peccat eſſe falſum, quatenus practicum eſt, quia non eſt conforme appetitui recto in ordine ad finem. Eſt enim actiuæ mentis veritas conſentaneum eſſe appetitui recto, & pari modo actus imperij poteſt dici falſus ſub prædicta ratione. Secundò illud practicum iudicium dici poteſt falſum enunciatiuè: quatenus enunciatur per ipſum de re aliter, quàm iudicandum eſſet, aut quàm res ſe habeat, quia per hoc iudicium enunciatur acceſſum ad fœminam ſpecioſam abſolutè, & de facto eſſe amplectendum omnibus penſatis hic & nunc, & tamen certum eſt, quod actus ille non eſt ſimpliciter appetendus, quia ſolum eſt conueniens ſecundum quid. In quo actus iſte iudicandi differt ab actu imperij, per quem propriè non enunciatur, ſed ſolum intimatur voluntas ſuperioris. Quia tantùm datur per verba imperatiui modi ac proinde ſub iſta ratione non habet veritatē, aut falſitatem in enuntiādo, ſicut ea dicitur habere in primo modo.

Error eius qui peccat ſemper eſt cōtra prudētiam, nō tamen contra ſcientiā moralem, aut in communi, aut in particulari

Iudiciū practicū de obiecto prohibito duplici ratione falſum.

Ad argumēta in principio Sectionis facta reſpondetur.

Ad primū argumēt. in principio Sectionis poſitum.

AD argumenta, quæ in principio huius quartæ Sectionis propoſita fuere reſpondetur. Ad primum ſentio, quòd ſi quis efficaciter intenderet ſalutem animæ, & ex efficaci propoſito firmo, & fixo, illique adeſſet efficax iudicium cum imperio eligendi media neceſſaria ad conſecutionem ſalutis, tunc infallibiliter ſequeretur electio mediorū tali fini conſentanea, non quidem neceſsitate conſequentis, ſed conſequentiæ tantùm. Sed quoniam voluntas liberè vult finem hunc, ſimiliter vult liberè media. Cum quo ſtat quod diximus, quòd ſi vult efficaciter finem neceſsitate conſequentiæ, vult media neceſſaria ad conſecutionē eius: & ſimiliter ſtat libere ſeruare legem, & præcepta, cū etiam liberè ſtet propoſitum propriæ ſalutis ſpiritualis. Vndè medium nunquam neceſsitat voluntatem neceſsitate abſoluta excludente libertatem. Ad replicam, qua infertur, quòd ſi neceſſariò eligit medium ſeruandi legem, ſequeretur, quòd homo non meretur in obſeruatione legis, ſeu in electione mediorum. Reſpondetur eum, qui ex efficaci propoſito finis eligeret vnicū medium habiturum eſſe nouum meritum, vel demeritum, ſi in ipſo medio eſſet bonitas, aut malitia propria, aut diſtincta à bonitate, vel malitia finis. Rurſus etiā ad hoc, vt ſit nouum meritū in electione medij neceſſarij, & vnici non requiritur noua libertas diſtincta poſt efficacem diſtinctionem finis, ſed ſufficiet illa libertas, quæ ſupponitur in intentione finis, dūmodo ſin ipſo medio ſit ratio ſpecialis bonitatis, aut malitiæ: quia liberum ſolū eſt fundamentum neceſſarium boni, & mali moralis, neq; requiritur multiplicatio liberi ad multiplicandam malitiam, aut bonitatem; quia in eodem omnino actu ſingulari, & libero vnica libertate, poteſt eſſe duplex ratio peccati. Quòd ſi in medio illo vnico, & neceſſario ad finem non eſſet ſpecialis ratio malitiæ, vel bonitatis, quæ ſumitur ex peculiari ordine ad rationalem naturam, ſed ſolum eſſet in eo ratio bonitatis, & malitiæ ex ordine ad finem, non eſſet in electione illius ſpeciale meritum.

Qui ex efficaci propoſito finis eligeret medium vnicum, haberet nihilominùs nouum meritum, vel demeritum, ſi in ipſo medio eſſet bonitas, aut malitia propria.

Alij Theologi aliam aſsignant ſolutionem. Dicunt enim, quòd quādo quis vult finem efficaciter, poſteà in electione mediorum nihil meretur, ſed totum meritū præceſsiſſe in efficaci illa intentione, quando voluit finem. Hoc tamen ſi vt iacet, intelligatur non mihi probatur; quia defraudat ſua laude opera ſtudioſa: imo verò repellit merita à pleriſq; operibus ſtudioſis, quod non eſt ferendum. Nam certè dicere in obſeruatione mandatorū Dei, quæ ſunt media ad ſalutem æternam neceſſa-

ria, ad eamq; obtinendam, non esse meritum, periculosè dicitur; quia non tantum meretur, qui ex religionis voto pergit in Diuum Iacobum, quia efficaci voluntate voluit peregrinari, & iter arripere, sed etiam meretur in omnibus laboribus, quos sustinet in discursu itineris.

Quocirca sentiendum est electionem medij necessarij, & vnici liberam esse ac proinde meritoriam. Quia tantùm est necessaria ex suppositione, & ex conditione quadam, quę sanè necessitas non denudat humanā electionem à vera libertate; quia potest homo velle, vel non velle finem, vel volendo finem, liberè continuare medium, & in huiusmodi continuatione meretur, & potest etiam nihil cogitare de medio, vt sic. Magister Victoria olim putauit, quòd quamuis concederetur non esse nouum meritum in electione medij vnici, & necessarij, non obid sequeretur perire aliquid de ipso merito, ex eo quòd propositum efficax finis, ex electione medij necessarij, esset tunc maioris meriti, vt si subuenire pauperi est meritorium, vt quatuor, & delibero de medio, & iudico de illo esse necessarium omnino, & quòd est necessarium de pertinentibus ad statum tollere multa, & abstinere à multis, tunc voluntas subueniendi crescit in merito, & est maioris meriti. Hanc solutionem Bartholomæus Medina dicit esse acutam, & ingeniosam, sed non veram. Ego verò ob eandem causam sentio recurrendum esse ad alias solutiones, & fatendum esse, quòd in ipsa electione, & obseruatione mandatorum est nouum meritum, vt dictum est. Ad replicam vltimam huius primi argumenti, illi, qui putant in electione medij vnici, & necessarij, non esse nouum meritum, consequenter sentiunt, quod in tali casu, ille qui moritur pro Christo nihil meretur de nouo, sed nihil etiam perire de merito, vt retulimus. Sed profectò hęc solutio neque est vera, neque mihi probari potest. Sētio enim oppositum, nimirùm electionem medij vnici, & necessarij liberam esse, & meritoriam, vt dictū est, ac proinde affirmo martyrem illum, qui moritur pro Christo dum exercet actum bonum, & optimum moriendi, verè mereri, & non tantum meruisse in appetitione finis, sed etiam in tali electione medij, & in vsu illius.

Qui ex efficaci intentione vitæ æternæ elegit martyrium, quod est medium vnicum ad eam, nō tantum meruit in efficaci proposito, & intentione salutis, sed etiam in illa electione martyrij.

Ad secundum argumentum de ægroto, qui vult sanitatem efficaciter, ex dictis potest cōstare eius solutio. Dicēdum est enim eum, qui iudicaret se non habere vllum aliud medium, quo posset sanitatem consequi, nisi vteretur mutilatione membri, quòd eo ipso, quòd repelleret, & nollet acceptare, aut eligere medium illud absciſsionis cōtinuò, minui ab efficacitate intentionis sanitatis, atque adeò talem hominem velle cessare ab illo proposito efficaci salutis, suamque intentionem trāsire, & mutari in desiderium, aut in voluntatem quandam inefficacem, quæ retardaretur ex difficultate illius medij, vt non omnino efficaciter tenderet in finem, & in veram executionem eius, sicut anteà. Quòd si permaneret aliquanto tempore voluntas cum aliquali efficacia, hoc esset, quia adhuc remaneret apud illum hominem credulitas aliqua, seu opinio, cum spe consequendi sanitatem per aliud medium diuersum, quod iudicat posse inueniri. Ad illud verò de viro probo, cui à medicis dicitur nō esse aliud remedium sanitatis, nisi accessus ad fœminam, respondetur hominem illum verè peccare, si acceptaret medium illud, quia est prohibitum a lege Dei. Et in tali casu, sicut volitio finis est libera per illud medium, ità tenetur cessare ab illa: poterit tamen adhuc manere cum desiderio sanitatis, & cum placentia salutis, ità vt apud se decernat sanitatem volo, sed si pollutione fornicationis est consequenda, potiùs malo mori, tunc enim in eo casu tenetur homo ille excitare intellectum ad considerandum eas rationes, quibus efficacius repræsentetur malum animæ, quod incurritur & peccatum, quod contra Deum fit, & priuatio salutis æternæ, vt sic tepescat intētio illa prior ipsius finis. Inquit enim Saluator Christus, qui amat patrem, aut matrē plusquam me, non est me dignus, & consequenter pari modo dici posset, quòd si quis diu permaneret in aliqua intentione finis boni, ad cuius assecutionem vnicum tantum esset medium, quod nihilominùs homo sicut liberè vult finem illum in exercitio, ità posset electionē eludere excitando in intellectu obiecta, & rationes, quæ efficaciter repræsentarent alium finem. Ex quo satis apertè constat quòd non necessitatur homo necessitate excludente libertatem, vt dictum est.

Ad secundum argumentum in principio notanda solutio.

Ad confirmationem ex dictis constare potest solutio eius. Nam certè sine defectu ex parte intellectus, aut ignorantia aliqua, aut nisi aliqua ex parte ratione passionis obnubiletur iudicium rationis, nō stabit oppositum agere. Rursus negāda est consequentia confirmationis, semper enim manet libera voluntas loquendo de libertate consequentis. Et quamuis voluntas maneat libera absolutè loquendo, tamen in illo casu stante illo iudicio efficaci, & absoluto in intellectu voluntas nō potest nisi accedat aliquis defectus ex parte inconsiderationis, vel iudicij, &c. velle malū. Quòd si velit malum aliquod, & oppositum sine dubio fiet aliqua mutatio ex parte intellectus. Nam non potest esse in intellectu iudicium practicum dictans hoc esse agendum hic & nunc, cum efficaci proposito finis, & quòd non sequatur operatio, & electio vnici medij necessarij, quia tale iudicium est incompossibile cū illo altero iudicio oppositio, quod deberet esse in intellectu, vt fieret oppositum. Quare suppositio tali iudicio practico in intellectu, requisito ad bene agēdum, sine vllo defectu omnino, quo iudicatur bonum, & repellitur malum, voluntas in hoc sensu composito

Ad confirmationem.

re vera

reuera non poteſt velle oppoſitum, ità vt ſimul compoſitiuè ſtent illa duo, nimirùm perfectum illud iudicium practicum, & efficax, quo ratio dictat non eſſe faciendum actũ fornicationis. & quòd volũtas de facto velit nihilominùs actũ illum. Suppono enim quòd iudiciũ practicũ, de quo loquimur non ſolũ dictat omiſsionem, aut negationem actus fornicandi, ſed etiam dictat poſitiuam eius nolitionẽ, ſeu volitionem poſitiuam non exercendi ipſum. Quoniam cum tale iudicium practicum efficax, & abſolutum ſit operatiuum, & verè efficax, non tantùm mouet voluntatem ad negationem actus, ſed etiam ad volitionem talis negationis, vel ad poſitiuã nolitionem actus. Sed de ſolutione iſtorum argumentorum lege, quæ diximus. 1.2.q.77.art.2.

Legẽdus eſt author de ſolutione horum argumen. 1.2.q. 77.art.2.

SECTIO V.

A quo determinetur volũtas quãdo media habent æqualem conuenientiam reſpectu finis: Et an poſsit eligere minus bonum relicto meliori medio?

In nullo apertius libertas volũtatis oſtenditur, quã in electione mediorũ æqualiũ, & in electione minoris boni.

SENTIO In nulla re poſſe apertiùs cognoſci libertatẽ voluntatis, quã in electione mediorum æqualium, & pari modo in electione minoris boni. Dubium ergo eſt. An poſsit volũtas relicto maiori bono eligere minùs, & vtrũ duobus medijs æqualiter propoſitis, permanẽte eadẽ propoſitione illorũ, eodẽq; iudicio, volũtas poſsit ſibi eligere vnũ eorum? De hac difficultate diſputãt Theologi. 1.2. quæſtio. 13. artic. 6. Nos verò quantum pertinet ad noſtrum inſtitutum dicemus hoc loco ea, quę in difficultate hac aperienda videtur neceſſaria. Et quidem S. Tho. in artic. 3. citato, ſolut. ad tertium, dicit nihil obſtare, quo minus ſi aliqua duo æqualia proponantur ſecundum vnam conſiderationem, voluntas flectatur magis in vnum, quàm in aliud, ſi circa alterum eorum conſideretur aliqua cõditio, per quam eueniat, & ratione cuius magis flectatur voluntas in ipſum, quàm in aliud. Sed profectò hac ratione non ſunt æqualia illa, quæ proponuntur, ſi circa vnum eorum conſideretur aliqua conditio, per quã eueniat, magis quàm in altero. Quocirca maior difficultas eſt, quando eſt paritas æqualitatis in omnibus.

Prima ratio dubitandi.

Ratio dubitandi quæ ſe ſe offert eſt, quia cum obiectum voluntatis ſit bonum, & conueniens, ſequitur, quod ſi ęqualiter proponantur voluntati duo bona æqualia, vel duo media ęqualiter cõuenientia reſpectu finis, quod in eo caſu nihil ſe ſe offert, à quo determinetur voluntas, vt vnum eligat alio relicto, atque adeo nullum eliget, & à nullo determinabitur, quia nulla apparet ratio, quæ ſpecialiùs moueat, vt ab ea voluntas determinetur, quia vt ſupponimus omnia ſunt æqualia. Rurſus etiam in caſu, quo voluntati proponãtur duo bona inæqualia, ſi voluntas eligit minus bonum relicto maiori, ſequitur, quod voluntas, quæ eſt indifferens formaliter nihil habet à quo poſsit determinari. Ac proinde voluntas iure ſuo poterit multò meliùs ex duobus bonis æqualibus eligere quodlibet eorum: vel ſi hoc non poteſt facere ſequitur, quòd voluntas non determinatur quantum ad eius indifferentiam ab aliquo determinante moraliter, neque à maiori bonitate, & conuenientia obiecti, ſiquidem poteſt voluntas eligere minus bonum, à quo minus determinatur voluntas, quia eſt minus determinatiuum relicto maiori bono. Cõficio igitur argumentum. Si ratio proponat voluntati duo bona inæqualia poteſt voluntas eligere minus bonũ reiecto maiori: ergo multò magis poterit ex duobus bonis æqualibus ſecundùm ſe eligere, quod voluerit eorum. Probatur antecedens. Nam obiectum voluntatis adæquatum eſt bonum, nõ magis bonum: igitur ſi minùs bonum eſt obiectum voluntatis volũtas poteſt ferri in illud. Nam certè ſi minus illud bonum proponeretur voluntati præciſe, & ſine conſortio alterius, ſine dubio poſſet voluntas appetere, & amare illud: ergo quamuis proponatur cũ cõſortio alterius boni, ſicut nõ repellitur abeo ratio bonitatis, aut conuenientiæ non aufert appetitionẽ, & affectũ ipſius. Rurſus nõ ſemper homo eligit meliora, neq; ad eam electionem tenetur aliquo vinculo; imò verò plerũque cernimus nos non eligere meliora. Nam quamuis ex propoſito ſalutis animæ operemur, non eligimus meliora media, aut conſilia Euangelica, neque eligimus ſanctiorem ſtatum viuẽdi: ergo. Deinde Deus eſt liberrimus in ordine ad creaturas, & etiam eſt infinite Sapiens, qui quamuis cognoſcat meliora, & maiora bona, non tamen eligit ſemper, maiora, neque meliora. Conſtat enim ſecundum fidem Deum ab æterno voluiſſe mundum creare in tempore, vt ſe communicaret ad extra, & vt ſuam manifeſtaret bonitatem: ſed nihilominùs videbat ſe facere poſſe mundum alium excellentiorem. Ex quo apertè valde conſtat tantam eſſe libertatem voluntatis, vt non ſolum poſsit ex duobus bonis æqualibus, æqualiter propoſitis vnum eorum eligere altero repulſo, verùm etiam voluntatem eligere poſſe, quod minus bonum eſt reiecto maiori bono. Quocirca Sanctiſsimus Præceptor. 1.p. quæſt. 25. artic. 6. apertè affirmat Deum potuiſſe meliora facere, quàm fecit. Quod probat palam ratio omnipotentię diuinæ, quę infinita eſt, & in hoc præcipuè conſiſtens, vt quauis creata natura producta excellentiorẽ, & meliorem efficere poſsit: ergo ſatis efficaciter ex his colligitur voluntatem, ex duobus

Secunda ratio.

Conficitur argumentũ

Tertia obiectio.

Quarta obiectio.

bonis

bonis propositis per rationem posse eligere, quod minus bonum est, ex quo à fortiori efficacius sequitur ex duobus bonis æqualibus omni ex parte posse eligere voluntatē, quòd sibi placuerit. Hunc modum dicendi tenuit Henricus quodlibet. 1. quæst. 16. Marsilius in 2. quæst. 16 artic. 4. Richardus in 2. distinct. 38. artic. 2. quæstio. 4. in corpore eius, & ad tertium.

Henric. Marsil. Richard.

Quinta obiectio ex D. Augusti.

Diuus Augustinus videtur fauere huic sententiæ lib. 12. de Ciuitate Dei, cap. 6. Quo in loco, vt manifestet apertam voluntatis nostræ eximiam libertatem dicit, quòd si æqualiter proponatur eadem eiusdem fœminæ pulchritudo duobus hominibus æqualiter affectis mente, & corpore, neque maiori tentatione tentatis, ità vt vnus par, & æqualis sit in omnibus cum altero: fieri posse vt vnus consentiat, altero dissentiente, quam differētiam D. August. in solam, & puram libertatem consentientis, & dissentientis refundit: ergo pari modo hominis voluntas, quæ indifferens est ex se, & indeterminata, atque adeò libera, tantæ erit libertatis, vt ex duobus medijs æqualiter propositis ad eundem finem possit vnū, vel alterum eligere, alio reiecto. Accedit etiā

D. Bernar.

Diui Bernardi sententia, quæ tantam docet esse voluntatis libertatem, vt cōtra rationem ipsam possit aliquid prosequi, ità vt nullam à ratione possit necessitatem pati: quòd si hoc fieri potest, similiter efficitur posse voluntatem ex duobus medijs æqualiter propositis alterum eligere æquale, vel etiam minus conueniens, repulsis alijs: aliàs voluntas pateretur necessitatem aliquam contrà suam libertatem à ratione proponente hanc æqualitatem, vel inæqualitatem, ità vt non posset hac ratione contra rationem operari. Dicit enim Diuus Bernardus lib. de gratia, & libero arbitrio hanc sententiam. *Porro voluntas est motus rationalis, & sensui præsidens, & appetitui. Habet sanè quocumque se voluerit semper rationem comitem, & quodammodo pedissequam. Non quòd semper ex ratione, sed quòd nunquam absque ratione moueatur, ità vt multa faciat per ipsam, & contra ipsam, hoc est, quasi per eius ministerium contra eius iudicium, & consilium.* Et statim: *Est verò ratio data voluntati, vt illā instruat, non destruat.* Destrueret autem si ei necessitatem vllam imponeret, quominùs pro arbitrio suo sese verteret, aut volueret, siue in malum consentiēs appetitui, aut nequam spiritui, vt sit animalis, non percipiens, vel certè etiam persequēs ea, quæ sunt spiritus Dei, siue ad bonum gratiam sequentes, & fiat spiritualis, quæ omnia iudicans ipsa minime iudicetur, si inquam horum quodlibet prohibente ratione voluntas non posset, voluntas iam non esset. Hactenus Diuus Bernardus: ergo si ex eius sententia tanta est voluntatis libertas, vt nullam à ratione necessitatem patiatur, quo minus contra eam possit agere, & prosequi, sequitur voluntatem nostrā multo meliùs posse ex duobus medijs æqualibus vnū eligere, vel ex duobus inæqualibus minus bonum acceptare, altero reiecto.

Mouentur etiam authores huius sententiæ ad eam defendendam, quia si voluntas ex duobus medijs æqualiter conuenientibus ad consecutionem finis, & æqualiter propositis à ratione, non potest vnum eorum eligere, sequitur apertè ex æqualitate bonitatis eorum, & æquali modo proponendi rationis, quo nostræ voluntati proponuntur imponi necessitatem voluntati humanæ. Patet consequentia. Quia in opinione citata voluntas tunc nullum medium potest eligere illorum. Pari etiam ratione, si voluntati proponantur inæqualia media, quorum vnum maius, & conuenientius est, alterum verò minus bonum, sequitur voluntatem tunc necessitari à maiori bonitate, & à meliori medio, si non posset liberè eligere medium minus bonum, & minus conueniens. Dices ex huiusmodi propositione mediorum æqualium, aut inæqualium nullam imponi necessitatem voluntati eligendi, nimirum, quod maius bonum est, aut non eligendi quando media sunt æqualia. Quoniā potest voluntas mouere intellectum, vt de nouo inquirat alia media, & proponat illa sub alio modo eligenda. Sed cōtra. Quoniā ad hoc, vt voluntas de nouo moueat intellectum ad iudicandum, & ad alio modo proponendum, necessario debet præcedere iudicium aliud, quo intellectus iudicet bonum esse de nouo inquirere alia media, vel de eisdem medijs anteà propositis, alio modo iterum de nouo iudicare, & sic iterum redit eadem omnino difficultas de isto iudicio, vtrùm possit voluntas sequi eam partem, qua minus bonū, vel æquale iudicatur, vel vt minimum erit processus in infinitum, & consequenter homo nūquam incipiet liberè agere. Et confirmari hoc potest. Quoniam si obstaret aliquid quò minùs defacto eligeretur medium, quod proponitur tanquam minùs vtile permanente semper eodem iudicio, atque eadem propositione illius medij, illud esset, quia minùs bonum, vt tale est, induit aliquam rationem mali, nimirùm, quatenus consideratur, vt minus bonum, malum verò sub explicita ratione mali non potest eligi; sed minus bonum, vt habetur ex D. Augustino in lib. Retractationum, & lib. de Natura boni, cap. 13. & 14. non est formaliter malum etiam si comparetur cum maiori bono. Imò vero D. August. eo loci ostendit omnia tàm parua, quàm magna esse à Deo. Et Genesis. 1. legimus: *Quòd vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Verūtamen in nostro proposito August. subiungit hæc verba. *Sed in omnibus his, quæ parua sunt, contrarijs nominibus appellantur, sicut in hominis forma, quia maior est pulchritudo in eius comparatione & simiæ: simiæ pulchritudo deformitas dicitur, & fallit imprudentes tanquam illud sit bonum, & hoc malum.* En quo pacto D. August. affirmat bo-

Sexta obiectio.

Quod imponatur necessitas voluntati, si ex duobus medijs æqualiter à ratione propositis vnum præ alio eligere nō possit.

Occurritur solutioni, quæ assignari potest argumēto.

Cōfirmatur

Minus bonum etiam comparatū, cum maiori non est formaliter malum.

D. Aug.

num

num, quod comparatione maioris boni eſt minus bonum, & aliquando appellatur nomine mali, videri malum, tamen reuera non eſſe malum: igitur nihil impedit, quò minùs voluntas eligat medium, quod eſt minùs bonum, aut minùs vtile, etiam comparatione facta cum maiori medio bono, aut magis conueniente. Diuus Auguſtinus lib. 1. de Geneſi cõtra Manicheos, cap. 2. apertè tribuit ſoli voluntati diuinæ tanquam propriæ, & veræ cauſæ, cur Deus ipſe creauerit in principio cœlum, & terram, & non reuocat hoc in iudicium Dei, quo apparuerit Deo melius bonum eſſe condere cœlum, & terram, quàm non creare. Vnde cum Deus ipſe abſq; noua conſultatione, aut inquiſitione iudicij potuiſſet permanente eodem iudicio alium producere mundum, ſequitur humanam voluntatem poſſe etiam eodem permanente iudicio, & eadem apprehenſione eligere vnum ex æqualibus bonis, vel etiam minus bonum eligere. Aut ſi hoc nõ fieri poteſt, aſsignetur ratio diſparitatis inter voluntatem humanam, & diuinam, quantum ad hoc. Cum certiſsimum ſit Deum, vt ſuperius diximus, poſſe ex duobus bonis æqualiter propoſitis eligere vnum, quòd æquale eſt, vel ex duobus bonis inæqualibus, & inæqualiter propoſitis eligere minus bonũ, illo altero reiecto. Nam certè potuit meliorẽ mũdum facere, quam fecit, & ſimiliter minùs bonum, quam fecit: ergo pari ratione voluntas hominis, &c.

Soli Diuinæ voluntati tribuit D. Auguſt. cur potius Deus creauerit mundum quàm nõ, minime verò iudicio Diuini intellectus.

Bellarmin. ſentent. 2. loco proponitur.

Secunda ſententia eſt, quam tenet Bellarminus, lib. 3. de Gratia, & libero arbitrio, cap. 9. in reſponſione ad quandam confirmationẽ, tomo. 3. Quo in loco dicit, quod remoto omni errore ex parte intellectus, poteſt voluntas abſolutè eligere minus bonum, ſi in particulari propter aliquam circunſtantiam ratio iudicet illud hoc tẽpore eſſe optimum. Quo modo Deus cum aliquid agit non idcirco illud agit, quia ignoret ſe poſſe aliquid melius facere, ſed quoniam iudicat, tunc maxime expedire illud. Dicit ſecundò, quod propoſitis ſimul duobus medijs, & bonis æqualibus poteſt voluntas ſe determinare eligendo vnum eorum, in quo caſu propter circunſtantiam aliquam voluntas inclinauit ſe in alterum, vel vt deſiderium voluntatis impleatur ſinet ſe moueri ab altero, & ita concludetur vltimum iudicium, & ſequetur electio. Quia experientia ipſa docet, quòd quando nõ poſſumus per intellectum vnum præponere alteri, tunc iudicatur tanquam rationabile potiùs eſſe vnũ eligendo ſorte quadã, quam relinquere vtrũque medium. Hanc ſuam ſententiam non probat Bellarminus, quia putat eam ſatis conſonam rationi, de qua dicemus infrà.

Tertia ſententia Diſcipulorum Diui Thomæ.

Tertia ſententia eſt, quam tenent diſcipuli D. Tho. nimirũm, quod ex duobus medijs æqualiter propoſitis, & æqualiter bonis voluntas non poteſt eligere vnum reiecto altero, niſi conſideretur aliqua præſtantia vnius medij, aut vnius boni ſuper aliud, & pro hac ſententia citatur Diuus Thomas. 1. 2. q. 13. artic. 6. ad tertium, qui eo loci citat Ariſtotelem dicentem, quòd electio ſemper eſt melioris boni. Fundamentum huius opinionis eſt, quòd vt voluntas moueatur requiritur, quod determinetur ab intellectu, ſed in caſu, de quo loquimur, intellectus non magis determinat voluntatem ad hoc bonum, quàm ad illud, cũ ambo ſint æqualia, & æqualiter propoſita, ac proinde in caſu diſputationis, voluntas nunquã mouebitur, neq; determinabitur ad vnũ illorum mediorum, veluti ſi daretur corpus æqualiter graue, & leue, neque moueretur ſurſum, neque deorſum. Ad eundem igitur modum ſi bonum eſt æquale vtrobique, & voluntas habet æqualem inclinationem, non maiorem ad vnum, quàm ad aliud, voluntas nunquam determinabitur ad vnũ, neque fiet electio. Aliàs ſi voluntas potiùs ſe determinaret ad vnum medium, quam ad alterum, ſequeretur nullam poſſe aſsignari rationem talis determinationis, ſed ſolùm diceremus voluntatem tunc ſe determinauiſſe, quia ſic vult, & ſit pro ratione voluntas. Et cõfirmari poteſt hæc eadem ſententia; quia ſi propoſitis duobus bonis ex parte intellectus, & omnibus rectè conſideratis poteſt voluntas eligere illud, quod eſt minus bonum, pari ratione ſequitur poſſe eſſe peccatum in voluntate abſque errore, & defectu intellectus. Hunc modum dicendi ſequitur Conradus. 1. 2. quæſt. 13. artic. 6. Bartholomæus Medina ibidem. Gregorius in 1. diſtinct. 40. & 41. quæſt. 1. artic. 2. ad primum.

Conrad. Bartholo. Medina. Gregor.

Mouentur authores iſtius ſententiç ex Diuo Damaſceno lib. 2. de Fide orthodoxa, cap. 22. qui definiens conſilium, quod antecedit electionem, ait: *Deliberat enim quiſpiam rem aliquã aggredi debeat necne, mox id, quod melius, conducibiliuſque futurum ſit expendit, & iudiciũ dicitur. Poſteà afficitur ad id, quod conſilium cenſuit, comprobat, & amplectitur, & tunc ſententia vocatur. Etenim ſi ita iudicet, vt tamen ad id quod iudicatum eſt, minimè afficiatur, & minime illud amplexetur, tunc ſententiæ nomen id minime obtinebit. Iam verò poſt affectionem, ſeu ſententiam* (quam anteà ità vocauerat Damaſcenus) *exiſtit electio.* Vnde ſi electio non ſequeretur ſemper iudicium de meliori, nunquam diceret Diuus Damaſcenus abſolutè iudicium eſſe de meliori, & poſt iudicium eſſe affectionem, id eſt, conſenſum amplectentem id, quod iudicatum eſt, & poſt affectionem eſſe electionem.

D. Damaſ.

Iudiciũ debere eſſe de meliori aſſeruit Damaſcenus.

Euſtratius. 6. Ethicorum, cap. 2. apertè tenet, quòd electio voluntatis ità procedit ex conſultatione, vt ſemper melius anteponat priori.

Euſtratius.

Diuus Gregorius Niſſenus lib. quinto Philoſophiæ, cap. 4. propè finem dicit: *Quòd quoniam non omnia, quæ opinamur nobis placent, neque in opus deducere cupimus, idcircò tunc electio, & eligibile ſit, id quod ex conſilio præiudicatum eſt, cum aſſumpſerit appetitum.* Vnde verbum

D. Gregor. Niſſen.

illud

illud præiudicatum, apertè denotat, id quod consultatione, atque sententia, est alteri antepositum.

Arist. adducit exemplum de famelico & sitiente, cui æqualis est appetitus ad cibum, & ad potum.

Aristoteles lib. 2. de Cœlo, cap. 13. tex. 93. adducit multa exempla antiquorum, & inter ea illud de famelico, & sitiente, de quo aiebant quòd si apponeretur illi cibus, & potus in æquali distantia voluntas eius non magis se determinaret ad cibum, quàm ad potum, si vtrũque (inquam) æqualiter repręsentaretur, & proponeretur appetitui, ità vt appetitus ipse etiã esset æqualiter dispositus ad vtrumque, ex quo exemplo videtur pari ratione esse loquendum de voluntate. Hanc sententiam antiquorum Aristot. non impugnat, & idcircò videtur eam approbare. Rursus idem Aristot. 3. Ethicorum cap. 3. explicans, quid sit eligibile ait. Quod enim cæteris ex consultatione prætulimus, id eligibile est, & loquitur de prælatione excellentiæ, & dignitatis. Eandem sententiam tenet Aristot. 3. de Anima, cap. 11. tex. 58. vbi Aristot. affirmat, quòd in deliberatione, qua inquiritur, an hoc potiùs, quàm illud sit agendum, debet esse vna regula, quæ expendat singula, quæ proponuntur, & id quod hac regula iudicatum est maius, voluntas eligit, & prosequitur, & consequenter non æquale, neque minus: igitur cum voluntas in electione mediorum facienda sequatur consultationem singula ponderantem, quæ ab intellectu proponuntur, non poterit amplecti id quod est minus, aut quod æquale tantùm iudicatur.

D. Thom.

Confirmari etiam potest hæc sententia ex doctrina Sancti Thomæ. 1. 2. quæst. 13. artic. 6. vbi ait, omnem rationem libertatis, quãtum ad specificationem in electione mediorum, de qua agimus procedere ab intellectu, tanquam à radice, ob id quòd intellectus potest, in quocunque medio ab intellectu proposito inuenire rationem boni, vt eligatur, & mali, vt relinquatur: ergo sensit D. Thom. non posse voluntatem repellere aliquod medium ex duobus illis, nisi priùs ostensa in eo aliqua ratione mali. Vnde si voluntas posset ex duobus illis vnum eligere, & alterum repellere æqualiter, tunc non oporteret, quòd ab intellectu inuestigaretur aliqua ratio mali in vno medio illorum, vt repelleretur. Præterea in argumento tertio eiusdem articuli obijcit sibi S. Thom. casum: quando duo media æqualiter bona conuenientia, & vtilia, æqualiter proponuntur. Nam in hoc casu non apparet, quo pacto voluntas possit se determinare, aut quo pacto possit ad electionem procedere. Huic tamen difficultati, & obiectioni respondet S. Tho. tunc nihil obstare, quò minùs volũtas eligat, quoniam in tali casu intellectus potest iterum de medijs consultare, & inuenire in vno eorum maiorem vtilitatem, aut conuenientiam. Quòd si liberum esset omnino voluntati permanente vno, & eodem iudicio cum æquali propositione illorũ duorum mediorum æqualium vnum eligere, & alterum repellere, frustra & sine causa ita responderet D. Tho. quoniam multò faciliùs posset dicere voluntatẽ in tali casu posse sine nouo iudicio, & inquisitione ad electionẽ alteriùs medij procedere, quid quid Caietanus dicat in prædicto articulo. Et hæ sunt rationes, quibus recentiores probant præfatam sententiam.

Propositis duobus medijs æqualiter conuenientibus in ordine ad finem potest intellectus iterum consultare de medijs, & inuenire in vno eorum maiorẽ vtilitatem, & conuenientiam in ordine ad finem.

CONCLVSIO PRIMA.

Concluſ. 1.

Nunquam proponũtur voluntati duo media æqualiter conuenientia in ordine ad finẽ.

PRo explicatione huius difficultatis. Dico primò. In rebus agendis, & in processu morali secundum cursum humanæ vitæ, præcipuè si in hac controuersia fiat sermo de disputatione morali, & de his, quę de facto eueniũt, sentio nunquam contingere quòd proponantur intellectui duo media ita ęqualia, & æqualiter conuenientia ex omni parte; quod vnum eorum saltem non emineat alteri, vel in speciali ratione, vel in aliqua circunstantia, vel motiuo, vel in aliquo, ad quod magis propenditur complexio, vel voluntas ipsius operantis. Ego sanè hanc assertionem vt verisimam constituo, neque possum adduci in oppositũ. Primò; quia si sunt duo media cõuenientia ad consecutionem finis, vel illa media sunt numero differentia vel specie. Si sunt numero differentia, tunc conditiones speciales sunt veluti primo diuersæ, neque habent conuenientiam indiuidualem, ac proinde non erit in illis æqualis ratio conuenientiæ respectu finis, ac proinde intellectus nõ iudicabit esse ęqualitatem in illis. Si dicas, quòd illa media in ratione medij sunt specie diuersa, tunc nũquam possunt esse æqualia, sicut neque duæ species sunt æquales. Neque valet dicere, quod sunt eiusdem speciei, & solo numero differunt; quia tunc illa distinctio numerica sufficit ad varietatem, & inæqualitatem in eis. Quo fit, vt regula illa moralis semper sit vera, quæ dicit electionem semper esse de meliori bono, quod videlicet iudicatur tale ex aliqua causa, ratione, aut circunstantia. Vnde reperio Philosophos morales, & Theologos dicentes impossibile esse in materia morali, quod sint duo bona omni ex parte æqualia, quæ æqualiter proponantur voluntati, tanquam duo media æqualia ad consecutionem finis. Fauet huic sententiæ, quòd quamuis proponerentur voluntati hæc duo æqualia media, nihilominùs possent rationes vnius intensius, & efficaciùs repræsentari, seu apprehendi ab intellectu, quàm rationes alterius, & ex maiori attentione intellectus ad vnũ medium, quàm ad aliud, fieri posset vt voluntas magis excitaretur ad electionẽ vnius quàm alterius. Nam fieri posset, quod ex parte vnius medij quamuis secundum se sit æquale efficacius repręsententur nobis illa, quę in eo continentur, & quę ad electionem mouere possunt voluntatem, quam ea, quę in alio medio reperiuntur. Rursus fieri potest, quod respectu illorum mediorũ, quamuis secundùm se sint ęqualiter bona, & conue-

Duo media quæ aliàs videantur æqualia in ordine ad finem de necessitate in æqualiter

nientia,

repræſentã tur, ſcilicet vnum magis, aut minus intenſè quã aliud.

nientia, intellectus, vel ceſſet à conſideratione vnius, & non alterius, vel ſuſpendat maiorem attentionem, vel conſideret, quòd quamuis bonitas, & conuenientia ſit æqualis in ipſis medijs, tamẽ vnum eorum difficiliùs amplecti, & maiori labore comparari, & hæc difficultas ſeu labor nihil auferunt de bonitate, & conferentia medij, ſed ſolùm inducunt difficultatem ex parte operantis. Itaque ex parte mediorum ab intrinſeco, neque eſt maior bonitas, aut conuenientia, neque maior difficultas, aut labor obiectiuè, ſed ſolùm omnino extrinſecè.

Sed vt propoſitam in aſſertione doctrinam intelligas, obſeruare oportet, quòd voluntas quotieſcumque eligit oblatis pleriſque medijs, & bonis ad finem, requiritur quòd intellectus iudicet aliquam præſtantiam, aut commoditatem maiorem reſpectu operantis, aut reſpectu boni, quod eligitur, in ordine ad alterum, vt voluntas poſsit eligere in quocumque euentu. Neque requiritur, quòd hic iudicetur maior præſtantia reſpectu boni ſecundùm ſe, ſed ſufficit quòd iudicetur maior commoditas reſpectu operantis. Præterea loquimur in præſenti de electione voluntatis, quæ fit præcedente iudicio intellectus, non quidem ſpeculatiuo, ſed practico, & morali, quo voluntas eligit id, quod cõuenientius ſibi videtur ſecundum omnem occaſionem, & circunſtãtias. Nam iudicio ſpeculatiuo fieri poſſet, quòd intellectus cognoſceret aliquid non eſſe melius ſecundùm ſe, & tamen deſcendendo ad practicum iudicium habere maiorẽ conuenientiam reſpectu operãtis. Ex quibus omnibus apertè colligitur voluntatem indigere auxilio, & ope intellectus, vt determinetur ad electionem reſpectu quorumcumque mediorum.

CONCLVSIO SECVNDA.

Concluſ. 2.

Dico ſecũdò probabiliſsimam eſſe ſententiam de electione voluntatis, quæ affirmat, non ſolùm voluntatem non poſſe eligere minus bonum repulſo maiori bono ad conſecutionem finis, ſed etiam non poſſe eligere æquale medium, altero reiecto ſi per omnia æquale eſt. Vnde diſputatio propoſita, eſt de medijs ad aliquem finem conſequendum, vtrũ ſuppoſito propoſito efficaci finis, ſeu intentione eius, & propoſitis etiam duobus medijs, voluntas poſsit eligere vnũ eorum, quod æquale eſt cum altero, vel etiam vtrùm poſſit eligere medium, quod iudicatur eſſe minùs vtile, aut minus conueniens. Et ſanè euenit interdùm finem aliquem voluntatem rapere, & trahere ad ſe, non qui melior iudicatus eſt, quia hoc non requiritur neceſſariò, ſed qui aliàs efficaciùs proponitur. Nã cum Petrus, verbi gratia, mouetur ab aliquo delectabili, intellectus iudicat practicè hic, & nunc ſibi conuenire magis hoc bonum delectabile, vel vtile, quàm alias illud aliud, quod aliàs eſt difficile valde, & honeſtum, quod intelligitur de ipſo delectabili ſenſus, & in eo caſu proponitur ab intellectu cum maiori attentione, & efficaciùs illud obiectum delectabile, in quo reperitur defectus ipſius rationis, quàm obiectũ honeſtum, & bonum honeſtum.

Volũtas ex duobus medijs æqualiter propoſitis neutrũ poteſt eligere, & multò minùs poterit eligi, quod iudicatur minus bonum.

Moueor ad præfatam aſſertionem. Primũ ex his, quæ dixit D. Thom. 1.2. quæſtio. 13. artic. 6. quæ à nobis adducta ſunt ſupra in diſcurſu tertiæ ſententiæ. Moueor etiam ex his, quæ retulimus ex Diuo Damaſceno, & ex Diuo Gregorio Niſſeno, lib. 5. Philoſophiæ, capit. 4. Et moueor tandem ex rationibus, & fundamentis, & authoribus citatis pro tertia ſententia. Nam omnia illa argumenta probãt hanc aſſertionem.

Probatur aſſertio ex his quæ dicta ſunt ſupra.

Sed nihilominùs probatur adhuc. Quoniã electio voluntatis, etiam in caſu, de quo loquimur fieri non poteſt, niſi determinetur voluntas ex conſultatione, & iudicio, ſed iudicium conſultationis, neque poteſt eſſe de minori, neque de æquali bono: ergo neque electio. Conſequentia aperta eſt, & maior probatur, nimirùm quod electio eſſe non poſsit, niſi ex iudicio conſultationis. Nam electio ſecũdum Philoſophum eſt appetitus præconſiliati, ſeu eius, quod præiudicatum eſt, ſicut ſupra etiã dixerunt Damaſcenus, & Diuus Gregorius Niſſenus: ergo ſicut ſine conſultatione nemo valet eligere, ità etiam neque abſque iudicio illo: ſed iudicium conſultationis nunquam eſt de minori bono, imò verò neque de æquali præciſe. Quod probo; quoniam intellectus ſeu ratio ex conſultatione ipſa tantùm colligit, & iudicat id, quod eſt melius. Nam inter æqualia per conſultationem non iudicat, neq; concludit hoc eſſe ſequendum, neque etiam colligit inter æqualia ſequendum eſſe illud, quod eſt minus bonum, cum videat eſſe minus bonũ. Si dicas, quòd ratio cum intueatur vtrũque medium æquale eſſe poſt conſultationem hanc fert ſententiam de vtroque medio tanquam de conuenienti, & vtili ad finem, vt videlicet eligat, quod voluerit, & quòd in eo caſu ſicut adeſt iudicium illud rationis, ſimiliter etiam aderit electio, & quòd ſufficit iudicium illud antecedens voluntati propoſitum. Sed contra hoc eſt, quòd conſultatio de medijs æqualiter bonis, aut conuenientibus ad finem, non fit, neque requiritur ad inquirendum, vtrùm ſit bona, & vtilia; quoniam præſuppoſito hoc iudicio, & æquali vtilitate, & conuenientia reſpectu finis procedit controuerſia propoſita. Nam certè ſpecialis iſta conſultatio de vtilitate medij tantùm reperitur, quando ſunt duo media. Quoniam vbi tãtum eſt vnicum medium præciſe de eo nõ eſt propriè conſultatio, quia non eſt neque fit conferentia cum alio medio: conſultatio verò in hoc tendit, & dirigitur, vt duo ſaltem media vel plura inter ſe, & cum fine conferantur, ità vt ratio iudicet de vno eorum eſſe eligendum

Electio appetitus eſt præconſiliati.

Cõſultatio non eſt niſi vbi ſũt plura media.

præſe-

præferendo illud alteri, ob id quòd duo simul non sint eligenda: igitur quousque intellectus cernat vnum eorum præstantius esse, vel habere specialem aliquam rationem motiuam, nunquam iudicium, aut sententiam pronunciabit. Quòd autem voluntas contra iudicium rationis non possit eligere constat apertè ex definitione electionis. Quoniam electio est voluntas præconsiliati, & eius quod præiudicatum est, sed quod est minus bonum, & minus vtile non præiudicatur, vt dignum electione repulso maiori bono, seu comparatiuè: ergo in casu, de quo loquimur, voluntas non potest eligere minus bonum, & minus conueniens.

Voluntas cõtra iudicium rationis eligere non potest.

¶ Recentes Theologi contendunt probare hanc eandem assertionem ratione quadam, quam dicunt esse efficacem, quæ talis est. Medium, quod est minus conueniens, aut minus vtile, & bonum, quamuis absolutè, & secundùm se sit bonum, & vtile, cæterùm comparatione facta cum maiori bono, magisque vtili & conueniente, includit sub hac ratione formaliter quoddam malum, & est formaliter malum: ergo si consultatio de medijs fit inter hæc ipsa media comparando illa inter se se, & iudicium de vno medio facta collatione, & conferentia ad alterum, est de illo tanquam de meliori bono, quod proponitur, vt eligendum ipsi voluntati sub hac collatione; sequitur quòd si eligeretur illud aliud medium, quod est minus bonum, & minus conueniens, quòd eligeretur formaliter, vt malum, & anteponeretur maiori bono. Hæc ratio non est efficax, quamuis à modernis dicatur esse efficax. Nam ridiculum est affirmare, quod quando sunt duo media simpliciter, & absolutè bona, vnum quidem magis conueniens, alterum verò vere bonum conueniens, & vtile ad consecutionem finis honesti, quamuis non tam vehementer vtile, aut conueniens, sicut illud aliud melius, & excellentius bonum, quòd tunc medium, quod non est adeò excellentius comparatione ad melius sit formaliter malum quòddam, aut quod si eligeretur relicto maiori bono, quòd tunc formaliter, vt malum eligeretur. Nam minus bonum comparatum ad maius bonum non habet defectum bonitatis; imò verò neque carentiam bonitatis, neque maioris bonitatis, sed solùm dicit negationem maioris bonitatis, & neque dicit defectum propriè loquendo, neque carentiam. Quia si medium bonum ad consecutionem finis honesti habet sufficientem conuenientiam, bonitatem, & vtilitatem comparatiuè ad finem honestum adipiscendum nulla ratione dici potest, quòd est formaliter quoddam malum, aut quòd si eligeretur, formaliter, vt malum eligeretur. Quia reuera minus bonum comparatiuè ad maius non est malum formaliter, sed solùm est minus bonum, quod satis indicat particula illa, minus: illud verò quod est malum quoddam formaliter nullam potest habere formaliter rationem bonitatis, & conuenientiæ ad consecutionem boni honesti, etiam comparatiuè. Imò verò bonum, quod est minùs vtile si tamen habet tantam vtilitatem, & conuenientiam in ordine ad finem, vt sufficienter sit proportionatum, & aptum ad finem, sine dubio habet omnia sibi debita, & in suo ordine requisita ad consecutionem finis: ac proinde nunquam dici potest, quod tale medium sit formaliter quoddam malum etiam comparatiuè ad maius. Et multò minus dici potest, quod si eligeretur tale medium, formaliter, vt malum eligeretur: quia ambo continentur in genere boni simpliciter, vt supponimus. Ac proinde si eligeretur, non formaliter, vt malum eligeretur, sed eligeretur, vt bonum & conueniens, esto facta comparatione ad maius bonum non esset tantæ excellentiæ, sicut illud maius bonum. Neque valet dicere, quòd in communi modo loquendi hominum minus bonum potest dici malum comparatiuè ad maius bonum, quia in præsenti loquimur scientificè, & in rigore sermonis Philosophici, & Theologici, & ad examinandam veritatem secundum rem. Maximè autem hoc esse verum quod diximus, constat, quia status continentiæ, & paupertatis optimus est ad consecutionem boni honesti, & beatitudinis, & tamen status religionis professione firmatus cum voto solemni multo excellentius medium est, meliorque status: nemo tamen dicet, quòd status castitatis, aut viduitatis, aut virginitatis in sæculo, non est simpliciter, & absolutè, & formaliter quoddam bonum, etiam si comparetur ad statum religionis voto castitatis, aut virginitatis firmatum. Neque rursus quis dicet, quòd comparatione facta vnius ad alterum, & minoris ad maius bonum, quòd sub hac ratione malum quoddam formaliter est status continentiæ, castitatis, aut viduitatis. Neque etiam quis dicere potest, quod si quis eligeret statum inferiorem ad consequendum bonum virtutis, quòd quãuis talis status sit minus perfectus, & minus bonus, quòd tunc formaliter, vt malum eligeretur.

Si eligeretur minus bonum à voluntate, vt bonum eligeretur.

Status castitatis, aut virginitatis in sæculo bonus est, etiam comparatione facta ad statum religionis.

Falsum omnino est, q minus bonũ incomparatione alteri⁹ maioris dicatur & sit formaliter malum, ità vt si voluntas eligeret illud diceretur eligere malum.

Bartholomæus Medina. 1. 2. quæst. 13. artic. sexto, probat voluntatem non posse eligere æquale medium, neque minus bonum, quia vt voluntas eligat vnum ex illis duobus, indiget imperio rationis sic præcipiente & dicente: *Elige hoc, Fac hoc.* Posito autem tali imperio iam medium illud efficitur melius & præstantius, & ex consequenti si ex eo, quòd imperium fertur in aliquod medium redditur melius & præstantius, sequitur, quòd nunquã fertur voluntas in minus bonum, sed in maius ex illis duobus propositis ab intellectu ad consecutionem finis. Hæc ratio impugnatur ab alijs iunioribus, & meritò, sed non ob eam

causam, quam ipsi adducunt, videlicet quia imperium nunquam præcedit electionem, existimo enim hoc falsum, & ridiculum esse, vt alibi diximus, & demonstrauimus euidenter. Neque solum præcedit aliquam electionem imperium, quæ tantum est per reflexionem quandam, sed etiam plerumque præcedit electionem simpliciter, siue talis electio sit alia, & alio modo facta, siue quæcumque illa sit, huiusmodi imperium, seu id quod habet veram vim, & rationem, atque virtutem imperij, alioqui in processu morali, cùm electio sit veluti conclusio exercita pertinens quasi vltimate ad praxim intellectus, & voluntatis, vbi iam voluntas non tantum intelligitur determinata ex parte finis, sed etiam ex parte medij, requiritur tale imperium, seu id quod habet vim imperij antecedenter ad electionem. At verò illa ratio, quam adducit Bartholomæus Medina de imperio, quòd per huiusmodi imperium efficitur melius illud mediũ, quod vel aliàs est minus bonum vel æquale, & quòd ob id voluntas semper eligit maius bonum, hoc mihi non probatur. Quoniam imperium nullam bonitatem reponit in re, quæ eligitur, sed tantum supponit bonitatem, vtilitatem, aut conuenientiam circa rem electam, in quam fertur vt eligatur ipsum imperium, est enim sufficiens obiectum imperij vtilitas, & conuenientia medij in ipso inuenta, aut iudicata respectu ordinationis ad finem, vt ab intellectu & voluntate præcipiatur, & imperetur in processu, & discursu morali, & practico.

Fieri mediũ propositum ab intellectu melius, & præstantius ad finẽ ex imperio ipsius intellectus sensit Medina.

Imperium nullam bonitatẽ ponit in re quæ eligitur.

CONCLVSIO TERTIA.

Concluſ. 3.

Dico tertiò. Non est improbabilis sententia, illa quę affirmat voluntatem liberam, & liberè agentem posse de facto eligere æquale medium, imò verò minus bonum respectu maioris, dum modo vtrobique reperiatur tota bonitas, quæ requiritur & sufficit ad rationem medij, & ad finis consecutionem, & quod hoc iudicetur ab intellectu. Hæc conclusio videtur esse plurium authorum nõ infimæ notæ, hanc tenuit olim Henricus quodlibeto 1. quæst. 16. Ricardus etiam in 2. distinct. 38. artic. 2. quæst. 4. Marsilius in 2. quæst. 16. art. 4. Eandem etiam tenuit Ioannes Maior in 2. distinct. 38. quæst. 1. Gabriel etiam, & plures cum eo, imò verò Auerroes. 6. Ethicorum. ca. 11. sensit voluntatem posse eligere æquale medium, vel illud quod minus bonum est alio maiori non electo. Quæ quidem assertio, mirabiliter explicat libertatem voluntatis, illa verò opposita sententia nõ ita exactè videtur eam aperire. Nam certè si voluntas propositis maiori, & minori bono non potest eligere minus relicto maiori, sequitur quòd non est libera quantum ad specificationem respectu mediorum ad finem. Patet consequentia. Quia iuxta oppositam sententiam, si voluntas debet eligere, vel se determinare ad eligendum, non potest non eligere maius bonum relicto minori bono. Nam non potest eligere minus bonum relicto maiori: ergo necessitatur quoad specificationem ad electionem maioris boni. At ista sententia, quæ à nobis hac tertia assertione traditur facit voluntatem liberam in electione mediorum quorumcumque non solùm quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem simul: ergo intentum, &c. Et confirmari hoc potest. Quia in casu huius controuersiæ, nimirùm, quando vel media sunt æqualia, vel inæqualia, sequitur quòd voluntas nunquam liberè agit, neque eligit. Quia non quando sunt æqualia, ex eo quòd iuxta oppositam sententiam, nisi vnum eorum iudicetur esse melius, vel conuenientius, vel vtilius non potest eligi reiecto altero sibi æquali. Neque etiam quando sunt inæqualia, & vnum medium est magis bonum, & melius altero. Quia tunc non potest non eligi, quòd melius est, & non potest non relinqui quod deterius est: ergo nunquam liberè operatur voluntas. Nam in toto discursu vitæ humanæ omnia media, quæ occurrunt ad electionem, vel sunt æqualia, vel non sunt æqualia. Si sunt æqualia non potest eligi vnum, donec appareat inæquale. Rursus si non sunt æqualia sequitur quòd sunt inæqualia, & ex consequenti vnum est melius, aut conuenientius, aut vtilius altero, & tunc illud quod tale iudicatur necessariò est eligendum, & prosequendum, & non illud quod est minus vtile, vt dicũt authores oppositę sententię, atq; ita imponitur voluntati nostrę quędam necessitas. Dices, q̃ quando proponuntur illa æqualia, vel inæqualia media, tunc nulla necessitas infertur voluntati in suis electionibus, quia ipsa potest mouere intellectum, vt de nouo inquirat alia media, vel eadem alio modo eligenda proponat. Sed contra hoc est, quia iste casus est diuersus ab eo, de quo in controuersia disputamus: quoniam quod à nobis inquiritur in præsenti est quando media sunt absolutè æqualia omnibus pensatis, vel quando sunt inæqualia, & vnum est conuenientius, & melius altero ex iudicio rationis. Quia si ex aliqua causa, vel circunstantia, aut ratione vnum esset melius altero, & vt tale iudicaretur ab intellectu, de hoc nõ erat tota hęc controuersia, sed solùm in casu æqualitatis, vel disparitatis, vt superius diximus. Prętereà non satisfacit dicere, quòd potest voluntas mouere intellectum, vt denuo inquirat, vel vt diuerso modo proponat eligenda. Quoniam, vt voluntas possit mouere rationem ad iudicandum de nouo, vel ad proponendũ alio modo media eligenda, necessariò debet præcedere aliud iudicium, quo intellectus iudicet bonum esse inuestigare de nouo alia media, aut de medijs iam propositis alio modo iterùm iudicare,

Poteſt voluntas ex duobus medijs æqualiter propoſitis vnũ eligere, imò ſi aliud ſit minus bonum illud poteſt eligere. Henric. Richard. Marſilius. Ioan. Maior, & Gabriel, ſic tenent.

Probatur concinſ.

Cõfirmatur

Ex oppoſita ſententia quòd voluntas nunquã liberè agat videtur nõ obſcure colligi.

Occurritur enaſioni quæ adducitur pro cõtrariè opinantibus.

& tunc redit eadē quæstio,& difficultas de isto iudicio; vtrùm voluntas possit sequi eam partem, qua minus vel æquale iudicatur, ac proinde dabitur processus in infinitum, aut homo nunquam incipiet liberè agere.

Altera solutio non satisfacit, & ideò impugnatur.

Si rursus respondeas ad argumentum factū, quod adhuc semper manet libertas in voluntate,nimirùm, quoad exercitium. Quoniam potest homo tunc cessare à proposito finis, & ab intentione finis, & ità etiam ab electione, & iudicio, sed profectò ista responsio minimè satisfacit. Primò, quia iste sine dubio non est casus, de quo loquimur,neque in quo est difficultas. Secundò, quia supposita intentione, & proposito finis, non potest voluntas non eligere,&ità redit eadem difficultas. Neq; valet dicere ex iudicio rationis circa illa media tolli libertatem quoad exercitium, quia hoc neque est ferendum, neque dissoluit quod inquiritur. Si dicas manere libertatem, quoad specificationem ex eo, quod voluntas potest nullum eligere medium ex illis propositis, sed profectò hoc non est dicere voluntatem esse liberam quoad specificationem, sed quoad exercitium tantum. Quia libertas specificationis in tali casu, de quo est disputatio,consistit in hoc, quòd si debet voluntas de facto eligere, possit eligere pro libertate sua quodlibet oppositorum, aut contrariorum, vel extremorum, vt sibi placuerit: quia hæc est libertas contrarietatis, seu specificationis. Neque valet dicere, quòd non requiritur noua inquisitio ex parte intellectus, & quod ità cessabit processus in infinitum. Quia si manet idem iudicium ex parte intellectus, & non alia, neque alia inquisitio, similiter redit eadem difficultas de electione istorum mediorum,quia omnibus eodem modo se habentibus idem casus est, & eadem difficultas. Si autem varietur iudicium, & inquisitio ex parte intellectus,& varietur obiecta, vel circunstantiæ, iam non est idem casus, & saltem non manent omnino æqualia obiecta, neque media.

Si ex duobus medijs propositis non posset vnum præ alio à voluntate non eligi quamuis alias posset suspendere ab omni actu diceretur, tunc voluntas libera quoad exercitiū nō verò quoad specificationem.

Moueor similiter ad probabilitatem huius sententiæ, & assertionis. Quoniam Deus, qui maximè liber est ex infinitis mundis propositis, & cognitis ab eo, inter quos inuenitur inæqualitas bonitatis, elegit hunc, quem oculis cernimus, & potuit sine dubio alium excellentiorem creare, imò verò ex duobus medijs æqualiter propositis ab intellectu diuino, vbi nulla potest esse deceptio, aut noua inquisitio, potest Deus eligere æquale,sicut etiam potuit, & fecit non meliorem mundum ex omnibus, quos cognouit esse possibiles: ergo id ipsum potest humana voluntas permanente eodem iudicio, & eadem apprehensione, & sine dubio difficiliter assignatur disparitas quantum ad hoc inter diuinam, & humanam voluntatem, vt palam constare potest Lectori Theologo si audiat responsiones, quas authores oppositæ sententiæ circa hoc adducunt,quæ minimè satisfaciunt rationi,& intellectui.

D. Aug. D. Bernar.

Fauent etiam huic sententiæ Diuus Augustinus,& D. Bernardus locis supra citatis pro prima opinione,quorum testimonia non sunt iterum repetenda, sed ibi legantur,eum Diuo Augustino lib. de Natura boni, cap. decimotertio,& decimoquarto, & deinceps;& lib. 1. de Genesi contra Manicheos, capit. 2. & lib. 12. de Ciuitate, cap. 6. & cum Diuo Bernardo in libello illo de gratia, & libero arbitrio.

Minus bonum solum habet negationem maioris bonitatis.

Demum moueor. Quia si aliquid obstaret, quò minus voluntas ex duobus medijs eligeret illud, quod proponitur vt vtile, & conueniens quamuis non esset melius, neque maius bonum,aut magis vtile,sed minus bonum,permanente tali propositione & iudicio ex parte intellectus; illud esset; quia minus bonum, quatenus minus bonum est,induit aliquam rationem mali, malum verò sub expressa ratione mali nō potest eligi. Sed cōtra hoc est. Primò. D. August. loco citato lib. de natura boni. c. 13. & 14. vbi etiam minus bonum verè bonum esse,dicit:quia omnia non sunt æqualia bona, & minus bonum propriè non patitur defectum boni, sed solùm habet negationem maioris bonitatis,quod sanè non est esse malum, de quo inquit August. quòd hoc fallit imprudentes tanquam illud sit bonum,& hoc malum, nimirùm ipsum minus bonum. Nam certè minus bonum si habeat omnia requisita in suo genere & specie,aut omnia, quæ in suo ordine requiruntur nulla ratione dici potest malum. Rursus etiam huiusmodi minus bonū habet omnia requisita ad hoc, vt possit esse obiectum motiuum voluntatis, & vt possit esse medium conducens ad consecutionem finis: ergo habet omne illud, quod requiritur, vt possit eligi à voluntate intendente finem. Verùm perpendere maximè decet electionē debere esse inter plura propriè loquendo. Nam quando tantùm est vnicum medium ad finem, & non habet aliud socium, cum quo fiat comparatio, & collatio tunc sanè non propriè dicitur esse electio. Et ratio est, quia quando medium aliquod eligitur ad finem sub duplici consideratione, seu respectu eligitur, videlicet in quantum est vtile,& cōueniens ad finem, & secundò quatenus comparatur cum alio medio, & hac ratione dicitur fieri electio eius,quod præconsiliatum,& præiudicatum est, ex ordine & consilio, atque iudicio præferente vnum medium alteri medio.

Propositis duobus medijs æqualibus ab intellectu potest suspēdi iudiciū de altero bono.

Argumenta, quę contra hanc sententiā fieri possunt, & de facto fiunt non difficiliter dissoluentur si attente cōsiderentur ea,quæ diximus. Nam certè propositis duobus medijs æqualibus posset suspendi iudicium de altero bono illorum, & solùm iudicare de conuenientia huius, & vtilitate eius, & id solum

sufficere ad electionem: suspensio autem illa iudicij censeretur veluti repulsa alterius medij. Nam certè si semel iudicauerit intellectus de conuenientia, & vtilitate alicuius medij ad finem, quamuis occurrat alterum medium æquale, tunc illud primum iudicium sufficiet, vt voluntas eligat mediũ illud speciale, de quo iudicium tulit, quod erat bonum, & conueniens, aut vtile. Sunt tamen qui dicant quòd quando æqualia media occurrunt, tunc voluntas potest ex quadã affectione, & quasi inclinatione eius determinari magis ad electionem huius quã alterius, quod à me proponitur, vt lector se iudicem constituat. Quocirca quotiescunque non adest aliqua determinatio iudicij practici ad electionem, tunc fortè voluntas ad experiendam, & ostendendam libertatem poterit se determinare ad vnum medium ex illis duobus æqualibus, & tunc in eo casu possumus intelligere præcedere omnibus cõsideratis hoc iudicium practicum. Bonum est mihi ad experiendam, & ostendendam libertatem meam me determinare ad eligendum. A. sicque cognoscam maximo experimento, quòd liber sum in electione huius medij, quod tamen alias est bonum, & conueniens seu vtile ad finem, quem intendit. Et hoc videtur insinuasse Diuus Bernardus libro illo de Gratia & libero arbitrio, & videtur etiam insinuasse Robertus Bellarminus, libro tertio, de Gratia, & libero arbitrio, cap. octauo, in responsione ad quandam obiectionem. Et certè quotiescumque voluntas mouetur ex recta intentione finis, aut ex efficaci proposito boni honesti, si tunc ab intellectu proponantur illi duo æqualia media bona & honesta, quorum vnumquodque dignum est electione, voluntas liberè se determinabit ad vnũ illorum, sub determinatione tamen Dei, ità vt voluntas moueatur à Deo, & se moueat, & determinetur à Deo, & se determinet simul, vt affirmat Ruardus Taper artic. 7. de Libero arbitrio, pag. 305. impressionis Louanienſis, anno 1555. Inquit enim, quòd in omni materia tàm pietatis, quàm gratiarum etiam in materia morali, & ciuili, ad voluntatem pertinet se determinare ad vnam, vel alteram partem, & quod quamuis sub determinatione Dei, non tamen ob id minus liberè se determinat voluntas, quàm si non concurreret, nec determinaret Deus. Dicit tamẽ Ruardus, quòd non oportet disputare, quis prior sit in determinando voluntatem, an ipsa, an Deus. Quòd autem Deus in huiusmodi bonis determinet voluntatem dixit Ruardus secutus Driedonem magistrum suum in eodem artic. septimo, de Libero arbitrio, pag. 300. cuius doctrina eo loci perpendenda est tanquam maximè necessaria ad alia, quæ nos manent certamina.

D. Bernar.

Robertus Bellarm.

Ruard. Taper.

(*)

Ad argumenta superius facta respondetur.

AD argumenta etiam, quæ contra propositam Assertionem, & pro prima opinione militant, & quæ secundam conclusionem impugnant iam respondere oportet. Vnde ad duas rationes dubitandi fatemur, quòd si nulla appareat ratio, à qua specialiter moueatur, vel determinetur voluntas per iudicium aliquod intellectus in casu, quòd media sint omnino æqualia, voluntas non determinabitur ad vnũ eorum. Quare intellectus est, qui ex aliquo iudicio in tali casu determinare debet voluntatem potius ad vnum medium, quàm ad alterum, siue hoc fiat per aliquid, quod habet modum imperij, vt superiùs interpretabamur, siue per aliquid quod habet modum sententiæ. Semper tamen, & in omni euentu sentiendum est voluntatem in illa electione se liberè determinare. Et ad secundam rationem dubitandi negatur sequela, & vltima etiam illatio. Nam certè si aliquando, ex duobus bonis æqualibus voluntas eligeret vnum eorum, quia vult, tunc verè fertur in suum obiectum, quod est bonum, circa quod potest ipsa experiri suam libertatem, & proculdubio stando in tertia sententia, & in doctrina secundæ Assertionis, donec iudicetur ab intellectu aliqua ratio, vel aliquis modus respectu operantis, vel commoditas eius nunquam voluntas se determinabit magis ad vnum, quam ad aliud, si omnia sunt paria. Et quando conficitur argumentum, quòd si ratio proponat voluntati duo bona inæqualia, potest voluntas eligere minus bonum reiecto maiori, negatur hoc simul cum consequentia. Et ad probationem antecedentis, concesso antecedenti, ad consequentiam fatemur posse voluntatem aliquando ferri in minus bonum, non quidem absolutè loquendo, sed si tantisper appareat, aut iudicetur aliqua ratio, vel aliqua circunstantia, quæ etiam extrinsecè potest occurrere, aut ratione loci, vel temporis, aut aliquid huiusmodi. Et tandẽ negatur vltima consequentia. Quia vt determinetur voluntas indiget aliquo iudicio consultationis, & aliquo motiuo, vt ex authoribus supra citatis, & ex Philosopho ostendimus. Ad tertiam etiam obiectionem solutio patet ex dictis. Non enim semper homo eligit meliora, sed aliquando illa, quæ respectu sui videntur magis apta illi ex aliquo motiuo, aut ratione particulari, imò verò quamuis aliquod medium sit melius, & excellentius secundum se, & absolutè, nihilominùs si relatum ad vires operantis habet, vel aliquam difficultatem, aut dilationem maioris durationis, voluntas ipsa senescit circa illud medium, & eligit alterum. Ad quartam obiectionem sentio argumentum esse difficile valde, quidquid authores oppositæ sententiæ dicant. Certum est enim potuisse

Ad primũ argumẽt. in princip. cõtra 2. concluſ.

Ad ſecundam rationem dubitãdi.

Debet ſemper illud, quod eligitur iudicari meliusſaltem ſecundum alquã circunſtantiam.

Ad tertiam rationem.

Ad quartã rationem.

Deum facere alium mundum perfectiorem, & meliorem, quàm hunc, quem fecit, ac proinde cùm decreuit ab æterno per electionem suam condere istum, non decreuit meliorem, aut id quod melius poterat, & ex hoc apparet quàm difficile sit explicare, quo pacto homo positis duobus medijs circa quæ liberè se gerit, nõ possit relicto maiori bono eligere minus bonum, aut minus vtile. In qua re sentio non esse parem, neque eãdem rationem electionis, Dei & hominis; quia licet dicatur Deus elegisse creaturas, quas reuera decreuit condere, ex eo quòd omnis bonitas creaturę relata ad diuinam cõparatur ad eam; veluti medium cũ suo fine, sicuti homo eligit medium vtile ad finẽ: cæterùm homo eligit semper per consultationem, & collationem comparatiuam referendo ex duobus medijs vnum ad alterum, & eligendo vnum, quatenus per consultationis iudicium præfertur alteri, vt cõstat ex definitione electionis humanę. Verumtamen Deus nõ eligit vnam creaturam comparatiuè, & collatiue cum altera, quam non eligit, sed quamlibet absolutè eligit, sed nihilominus simul cũ hoc est verum, & certum Deum plenè cognoscere quamlibet creaturam, etiam relatiue ad alteram, sed tamen non eligit Deus quamlibet creaturam comparatiue cum altera: quoniam intellectus Dei, seu diuinum iudicium non proponit vnam creaturam, vt potiùs eligendam, quam alteram, sed proponit bonitatem cuiuscumque. Hæc autem disparitas inter Deum, & nos oritur ob id, quod Deus eligit creaturas absque vlla indigentia, nos verò semper eligimus ex indigentia finis, quem consequi intendimus per media nobis vtilia, & commoda. Et idcirco cum procedimus ad consultationem ad hoc dirigimus mentem, vt inueniamus quod melius est, & ob id permanente eodem iudicio, quo aliquid tanquã melius iudicatum est, homo ità eligit id quod est melius, vt nunquam eligat, quod est minus bonum, neque possit eligere nisi diuertat intellectum liberè ad aliud iudicium, vel ad aliam propositionem. Deus verò inuariato iudicio suo potest minus, & maius eligere, vt dictum est, & cum eligit, quod melius est non idcircò potius eligit melius, quia melius est, cùm possit ex eodem omnino iudicio inuariato etiam minus eligere. Nos tamen cum potiùs eligimus illud, quod melius est, quatenus melius est non possumus ex eodem iudicio non eligere illud, quod est melius, alias non diceremur eligere potiùs melius, quia melius est, sed quia illud volumus, sicut possemus aliud velle. Ex qua doctrina infertur, quòd si homo vel Angelus eligerent absolutè aliquod medium vtile, & conueniens ad finis consecutionem non comparatiue, neque respectiuè ad aliud, sed solùm quatenus est conueniens, & vtile, & non quia alteri præfertur, tunc sanè, tam homo, quàm Angelus possunt eligere id, quod melius est, sed nostra difficultas non est de hoc, sed solùm quando propositis duobus medijs iudicatur maior præstãtia & bonitas in vno, quàm in altero. Tandem cùm voluntas diuina sit summa rectitudo, & ex sua natura sit semper rationabilis in suis actionibus, eo ipso quod eligit vnam creaturam rationabiliter intelligitur determinata voluntas eius ad illam, neque indiget vlla alia conferentia, aut collatione, neque nouo iudicio cùm vnicum tantum sit Dei, & æternum.

Ad quintam obiectionem ex Diuo Augustino respondetur, quòd ex prædicto testimonio non sumitur efficax argumentum pro opposita sententia. Quoniam casus ille à D. August. commemoratus non est de duobus medijs æqualiter propositis, sed de vno, & eodem fine æqualiter proposito duobus hominibus, & sanè diuersa omnino ratio est duorũ finiũ, si vt æquales proponerentur, & de duobus medijs pari modo propositis. Quoniã ex finibus vnus nõ appetitur, neq; desideratur aut intenditur comparatiuè cum altero, sed absolutè intenditur. Rursus etiam sensus secundæ Assertionis, & tertiæ opinionis intelligitur quidem de duobus medijs propositis ad eundem finem collatis inter se, & eidem homini obiectis, de quibus dicimus, quod alterum illorum comparatiuè ad aliud non valet eligi, nisi iudicetur esse melius. Diuus autem August. loquitur de vno, & eodem fine eodẽ modo proposito duobus hominibus, in quo sanè casu, ille qui sequitur talem finem non sequitur ipsum comparatiue cum alio æquali, vel meliori. Quocirca loquitur D. August. de libertate quoad exercitium in eodem homine, & eam reducit in voluntatem. At verò præsens controuersia est de duobus medijs æqualiter propositis eidem homini, & de libertate quoad specificationem, quæ in hoc sita est, vt possit voluntas hoc vel illud medium eligere. Ad Diuum Bernardum respondetur Diuum Bernardum loco citato solùm docuisse, quòd voluntas aliquando agit, & operatur contra rectam rationem, quæ proponit quod rectum est, & quòd nunquam operatur sine illa. Quoniam voluntas habet semper sibi comitem, & sociã rationem ipsam, etiam quando homo peccat, ex eo quòd adest rectæ conscientiæ stimulus, quasi retrahens à peccato, & iudicium inuitãs ad virtutẽ. Verum si homo peccat inter multa alia, ex quibus prouenit, quòd homo peccet, etiam procedit ex eo, quòd efficacius proponitur homini, id quod est illi delectabile, & contra rectam rationem. At verò D. Bernardus non loquitur eo loci de consultatione mediorum, neque docet illud, quod recta vel praua ratione proponitur, tanquam medium magis vtile à voluntate aliquando repelli permanente eodẽ omnino iudicio, de quo in præsenti nos disputamus.

Sextæ obiectioni respondetur, eam velle persuadere, quòd si non potest voluntas eligere id quod minus est relicto maiori bono, vel illud quod

Non est par ratio de electione Dei, & hominis quãtum ad eligendũ id quod proponitur, vt melius.

Deus eligit media conuenientia ad finem absq; indigentia, homo verò cum illa.

Difficultas nõ est de medijs absolutè, sed comparatiuè sumptis, scilicet vnum in ordine ad aliud.

Ad quintã obiectionẽ.

Non est eadem difficultas de fine sicut est de medio.

Ad Diuum Bernardum

Ad sextam obiectionem.

lud quod est æquale relicto altero æquali, quod tunc non est libera in tali electione. Sed respondetur sine dubio voluntatem etiam in illo casu esse liberam, & de libertate exercitij apertè constat, quòd sit libera quantum ad exercitium. Quia potest homo cessare à volitione finis, & ità cessare non solùm à iudicio circa illa media, sed etiam ab electione cuiuscumque illorum, supposito tamen libero, & efficaci proposito, seu libera intentione finis, non posse voluntatem non eligere, vt in casu, quo tantùm est vnicum medium ad consecutionem finis, non satis est hoc, vt dicamus tolli libertatem exercitij ex iudicio rationis. Rursus etiam manet libertas quantum ad specificationem, quoniam potest voluntas nullum medium omnino eligere ex illis, quæ proposita sunt, & rursus ex hoc fiet, vt vlterius intellectus inquirat, vel nouas rationes vtilitatis de eisdem medijs, vel noua alia & distincta media, & sic saluabitur libertas quoad specificationem, quæ in hoc sita est, vt hoc potius, quàm illud eligatur, quod est oppositum, vel coextremum. Cæterùm aduertè, quod ad hoc nō necessariò exigitur inquisitio noui medij: quoniam eo ipso, quòd voluntas, quæ est libera nullum omnino medium eligit ex illis, quæ proponuntur sibi, si adhuc voluntas manet in illo efficaci proposito, seu intentione finis, intellectus naturaliter incipit inquirere, quia sicut eo ipso, quòd voluntas appetit finem, & manet in illius proposito, absque iudicio alio, quod præcedat circa ipsa media, aut quod dictet bonum esse mouere intellectum ad consultandum de medijs, statim intellectus incipit consultare de illis, quousque ferat iudicium, & perueniat ad sententiam, quia intellectus ad hoc excitatur à voluntate finis, ità similiter cū volūtas ex propositis medijs nullū eligit, & nihilominus permanet in eodē proposito circa finē, & efficaci desiderio eius, naturaliter intellectus excitatur absque alio voluntatis impulsu, vt consultet de medijs de nouo. Nam certè intellectus quando voluntas tali rapitur desiderio, & proposito, nūquam desistit ab inquisitione, & consultatione, donec inueniat medium aliquod, quod voluntati placeat, & ab ipsa eligatur. Igitur stando in sententia secundæ Assertionis non tantum manet libertas exercitij, sed etiam libertas specificationis absque vlla necessitate, aut læsione: quòd si in medio minùs vtili non posset reperiri aliqua ratio expediens maior, vel aliqua circunstantia, vel aliqua facilitas temporis, aut loci, maior inquam quàm in altero medio, tunc voluntas perinde se haberet circa medium illud, supposita efficaci illa intentione finis, sicut circa vnicum medium tantum, de quo superius Sectione quarta diximus.

Etiam stante intentione, & efficaci proposito finis manet libera volūtas in electione medij.

Quando ex ppositis medijs nullum eligitur à volūtate, si in eadem intentione finis perseueret, statim intellectus naturaliter excitatur ad inquirenda noua media

Tandem aduerte voluntatem liberam esse in eligendo, non quidem quòd non determinetur certissime ab vltimo iudicio, & practico rationis, sed quoniam hoc ipsum iudicium practicum, & vltimum in potestate est ipsius voluntatis. Perpendendum est enim, quod per cognitionem boni in vniuersum statim existit quædam inclinatio in voluntate circa illud bonum non tamen plena electio. Deinde verò, cum à ratione proponuntur distincta & varia media, & ostēditur quid boni, maioris vel minoris, aut quid mali sit in vnoquoq; illorum, voluntas inclinatur modo in vnam partem, & modo in alteram, & in potestate eius tunc etiam situm est, vt vel reūstat, vel sinat se duci & moueri, volendo id, ad quod excitatur ducitur, & mouetur.

SECTIO VI.

An posśit esse libertas aliqua antecedenter ad deliberationem, & cōsultationem rationis, hoc est, An posśit esse libertas in quibusdam actibus, quæ non sit capax bonitatis, & malitiæ, laudis, aut vituperij? Et vtrùm reperiatur in appetitu sensitiuo?

DE hac difficultate parum, aut nihil inuenio apud antiquos Theologos, sed Magist. Victoria, in relectione de puero per ueniēte ad vsum rationis. n. 5. 6. & 7. censuit posse esse libertatē, in quibusdam operibus antecedenter ad deliberationē, *& quòd in pueris & amentibus est aliqua libertas, sine deliberatione: quia possunt agere, & nō agere.* Dicit secundò, quod volūtas puerorū, & amētium nō necessitatur in suis actibus; quia amētia solū dicit priuationē, seu quandā turbationem mētis, nimirū intellectus, & nō dicit respectū ad voluntatē. Dicit tertiò, quòd hęc nō est simpliciter, neq; propriè libertas, sed imperfecta, & secūdū quid, quia nō est capax bonitatis, & malitię, neq; laudis aut vituperij. Primū, & secūdum probat; quia non videtur esse idē, habere vsum rationis, quod posse agere, & nō agere positis requisitis ad agēdum: quoniā hoc secūdum prędupponitur ad primū. Nā homo plerūq; producit plures act⁹, quos potest nō producere, nō habēs vsum rationis, idq; cō stat de pueris, qui habēt actus volūtatis, & nō necessariò. Nā cū pueri crescere incipiunt, & cognoscere etiā maiorē, vel minorē bonitatē rerū antequā perueniāt ad articulū vsus rationis nihil est in illis, à quo necessitetur volūtas, cū voluntas sit formaliter, & ex sua natura libera, ac proinde sequitur quòd non necessitatur. Probatur hoc; quoniā voluntas tūc nō necessitatur ab obiecto, neq; à sensu, neq; à passione appetitus sensitiui, neq; à iudicio intellectus,

Posse esse libertatem in quibusdā operibus antecedēter ad deliberationem sensit Victoria.

Volūtatem pueri, & amētis à nemine necessitari posse, putat, & probat Victoria.

lectus, neq; à natura neq; à Deo, neq; potest aliud imaginari à quo volũtas necessitetur, seu determinetur necessariò. Et certè sensus non potest mouere volũtatem nisi per intellectũ, vt Arist. docuit 3. lib. de Anima: ergo sola sensatio non potest necessitare volũtatem. Neq; etiam passio, quoniam amentes, & pueri aliquando agunt sine passione, vel saltem potest tanta esse passio in homine sano sicut in puero & amente. Præterea non necessitatur voluntas pueri ex parte intellectus. Quoniam quæcũq; notitia, quę est in puero, vel in amẽte potest esse in homine adulto, & in homine sapiente: sed in adulto non necessitatur voluntas ab illa notitia: ergo neque in puero, aut in amente. Maior aperte cõstat; quia vel talis notitia est simplex apprehensio, vel iudicium, & quodcũq; tale sit potest esse similiter in adulto. Præterea voluntas non necessitatur ab obiecto, vt obiectũ est præcise quantũ ad exercitium, quia vt superius dictum est, & ostensum nullum obiectum est, quod de se necessitet voluntatem, præcipuè cum obiectum non moueat voluntatem nisi mediante iudicio intellectus, quo iudicamus aliquid esse bonum, & conueniens, sed tale iudicium non necessitat voluntatem. Imò verò pueri, & amentes, vt diximus agunt sine passione: ergo quamuis in pueris & amentibus non reperiatur deliberatio, neq; capacitas deliberãdi, quatenus sunt in tali statu, neq; etiam capacitas bonitatis, & malitiæ, laudis, aut vituperij, neq; ipse vsus rationis in ordine ad bonum honestum, nihilominus reperitur in eis potestas faciendi, vel non faciendi in ordine ad bonum conueniens, vel non conueniens. Et cõfirmari hoc potest, quia si notitia intellectus necessitaret voluntatem pueri, illa vel esset simplex apprehensio, vel esset perfectum iudicium intellectus, vel imperfectum: sed non potest esse simplex apprehensio, quia talis notitia non solum non necessitat voluntatem, sed neque potest eam mouere, vt dixit Aristot. 3. lib. de Anima. Nam intellectus speculatiuus nõ mouet, sed tantùm practicus; neq; iudicium simplex de bono vel malo: quoniam hoc non necessitat adultum; iudicium verò completum non potest esse in amente, aut in puero, & dato q̃ esset in illis non necessitaret: ergo nihil est, quod possit necessitare volũtatem pueri vel amentis. Et confirmari hoc potest. Quia plus mouet iudicium perfectum de bonitate alicuius obiecti, quàm iudicium imperfectum, aut quàm sola simplex apprehensio, sed illud non necessitat: ergo multò minùs iudicium incompletum, quod est in pueris, & amentibus. Nã mirabile est, quod hoc iudicium, Hoc est bonum; hoc est delectabile, quod puer habet, necessitet puerum, seu voluntatem eius, & tamẽ quòd idem prorsus iudicium cum maioribus motiuis, nimirùm si dicas, Hoc est bonum, honestum, vtile, meritorium, honorificũ, in adulto non necessitat voluntatem eius. Et confirmatur præterea. Quoniam anima separata pueri, vel insani hominis, si permaneret cum eadẽ notitia, quam habebat ante separationem non necessitaretur: ergo neque vnita corpori necessitatur ab eadem notitia. Nam certè positis æqualibus notitijs intellectualibus in duabus animabus, si vna non necessitaret, neque altera. Quia differentia ex parte corporis omnino nihil facit, si non faciat differentiam in notitijs ex parte intellectus. Rursus experientia cernimus, quòd pueri multa operantur rationibus persuasi, & rogati, & admoniti, etiam ad modum aliorũ, qui habent vsum rationis: ergo voluntas in illis non necessitatur; imò vero cernimus eos cõparare aliquando maius cum minori bono, & eligere sibi, quod magis conueniens apparet.

Hunc modum dicendi secutus est Antonius Cordub. lib. 2. de ignorantia, quæst. 10 qui fatetur in pueris, & amentibus esse actiones liberas, sed non deliberatas, neque bonas, aut malas in genere moris; & in quæst. 11. sequenti limitat suam sententiam, pag. 65. & inquit in pueris, & amentibus, & alijs in quibus ratio ligata est, neque esse plenam libertatem, neque propriam in suis actibus reperiri. Concedit tamen aliquam esse libertatem in actibus amentium, & puerorum, imperfectam tamen. Ducitur autem Cordub. eisdem argumẽtis, quib. Magist. Victoria, & probat Præterea; quia cũ sola obiecti appehensione voluntas potest suos actus libere elicere, præcipuè quia amentes, & pueri habent actus intellectus, & voluntatis circa spiritualia, & vniuersalia efficiunt q̃ discursus syllogisticos, qui actus non semper necessariò, sed plerumq; libere producũtur à volũtate, cum ipsa sit ex sua natura formaliter libera. Rursus etiã patet ex ijs, quę pueri dicunt & faciunt, & loquuntur de Deo, & Angelis: similiter etiam amentes disputãt de Angelis, & de Deo, & cõficiũt rationes syllogisticas, & probabiles, quod videtur insinuare S. Thom. in 4. distinct. nona quæstio. 1. artic. 4. ad tertium, & quartum argumentum, & 2. 2. quæst. 154. artic. 5. & de veritate, quæst. 28. art. 3. ad sextum, & 1. p. q. 84 art. octauo. In quibus omnibus locis aperte sensit sanctissimus præceptor quòd in pueris, & amentibus; imò verò in somniantibus reperiuntur veri actus intellectus & voluntatis. Nam certè in pueris, & amentibus parum ante vsum rationis, & quando iam disponuntur ad illum, proponitur sufficienter illis obiectum voluntatis: ergo potest voluntas habere actus proprios. Patet consequẽtia, quoniam omnis potentia potest agere si illi proponatur obiectum eius sufficienter. Antecedens constat apertè. Quoniam pueri, & amentes iudicant secundum intellectũ bonum esse comedere, aut bibere: ergo.

Caietanus. 1. 2. quæstio. 77. artic. 2. censet omnem actum voluntatis productum à nõ habente vsum rationis perfectũ, vel productũ

Cõfirmatur primò.

Secundò cõfirmatur.

Tertiò confirmatur.

Anton. Cordub hunc eundem modum amplexus est.

Probat Cordub Iuam sententiam

Caiet. omnem actum à nõ habẽte

Vsum rationis præductum putat esse naturalem, & necessarium.

sine iudicio deliberationis præuio, saltem virtualiter deliberante esse naturalem, & necessariò productũ, & non esse in potestate nostra, neque esse moraliter bonum aut malum, neque scienter elicitum. Illam igitur volitionem inquit Caieta. neque esse liberam, neque vllo modo deliberatam. Sed addit Caieta. loco citato, quòd etiã si in non habẽtibus vsum rationis perfectum volũtas esset libera in suis volitionibus, tamen non esset deliberata, neq; moraliter bona, neque conformis rectæ rationi; quoniam recta ratio, & iudicium requisitũ vt vo ũtas deliberatè, & bene moraliter velit, non est qualiscumq; cognitio, neq; iudiciũ solum ostensiuum, aliàs sola intellectio speculatiua sufficeret, cuius oppositum dixit Arist. 3. de Anima, affirmans nihil humanè, hoc est, deliberatè ab homine fieri, sine intellectu practico & appetitu, ac proinde semper necessarium esse iudicium actuale vel virtuale de agẽdo, vel vitando bono, vel malo iudicans, & deliberãs simul atq; præcipiens. Huius etiam sententiæ refertur fuisse vir obscuri nominis Adam Godam in 1. dist. 1. & deinceps cũ quibusdã alijs. Si quis Caietanũ sequeretur in hac parte apertè dicere posset, quòd in non habentibus vsum rationis, seu liberi arbitrij, vt in pueris, & amẽtibus voluntas necessariò, & non liberè producit omnes actus. Quia ea est volũtatis natura, quòd si intellectus solutus est, & capax deliberationis, & consilij, & non est ligatus, tũc voluntas liberè agit: si vero intellectus nõ est capax deliberationis, & consilij in aliquo statu, vt in statu amentium, & puerorum, tunc volũtas necessariò, & naturaliter agit, sicut etiã appetitus brutorũ, & ità fit, vt voluntas in pueris, & amentibus necessitetur, non sanè ab vlla notitia seu passione, sed à sua natura, sicut in brutis; quia libertas voluntatis pendet ab intellectu, tãquam à causa & radice: ergo in non habentibus vsum rationis, & liberi arbitrij, hoc dici non potest, &c.

Adam Godam.

In appetitu sensitiuo hominis esse quandã libertatẽ imperfectam credidit Caietanus.

Sed profectò mirabile est, quòd Caietanus præfatam insinuauerit sententia, cum ipse Caietanus sui oblitus. 1. 2. q. 74. artic. 3. & 4. senserit in appetitu sensitiuo hominis esse libertatem quandam imperfectam propter coniunctionem, quam defacto habet cum gradu intellectiuo, seu quantum ad ea, quæ in seipso formaliter participat in nobis appetitus sensitiuus, in quantum procedit ex rationali anima, de qua libertate imperfecta fatetur Caietanus verè esse sufficientem ad genus moris, nẽpè ad actionem bonam moralem, & ad malã etiam saltem ad veniale peccatum, quamuis non ad mortale. Et addit Caietanus, quòd licet in appetitu sensitiuo hominis accepto secundùm se possit esse veniale peccatum, nõ tamen mortale, nisi provt à ratione mouetur.

Qua ratione concedit Caiet. libertatem appetitui, ea & multo maiori deberet concedi in pueris & amentibus.

Dixi, esse mirabile, Caietanum ita sensisse, vt dixerit non posse esse libertatem vllam in actibus voluntatis puerorum, & amentium, quia carent deliberatione, & consilio. Nam si Caietanus donat appetitui sensitiuo hominis libertatem aliquam sufficiẽtem ad genus moris saltem in actibus venialibus, non video, cur ipse neget libertatem imperfectam in actibus voluntatis puerorum, & amentium, cum voluntas ex sua natura sit per se formaliter libera; appetitus verò sensitiuus nõ item. Quòd si dicas in amentibus, & pueris deficere consiliũ & deliberationem, id non satisfacit, neque soluit difficultatem: nam multò minùs sensus habet consilium, aut deliberationem.

In brutis esse quendam gradum libertatis sensit quidam ex recentioribus.

Hodie recens quidam Theologus sensit etiam in brutis esse quendam gradum libertatis, seu vmbram, imo verò radicem veram contingentiæ ad agendum, vel non agendum, & ad agendum hoc vel illud. Et sine dubio authores huius sententiæ facilè dicerent posse esse propriè actus liberos in amentibus, & pueris antecedenter ad deliberationem, & consultationem rationis. Imò verò author huius sententiæ tenuit proximam, & immediatam radicem contingentiæ esse non solum liberum arbitrium hominum, & Angelorum, sed etiam appetitum sentientem bestiarum, & brutorum quoad illos actus, in quibus bestiæ videntur habere vestigium libertatis. Quii sanè modus dicendi à seculo non est auditus quantum ad id, quod affirmat de appetitu sentiente brutorum, & bestiarum, neq; Theologus aliquis eo nomine dignus, aut Catholicus cum tradidit vel docuit, neque à Sanctis Patribus vnquam fuit insinuatus. Nam interrogo; quid est contingentia nisi indifferentia quædam ad esse, vel non esse? Hæc autem indifferẽtia respectu actionũ non potest esse in æstimatiua brutorum, & bestiarum, præcipuè, quòd vbi non potest esse comparatiua, & collatiua cognitio vnius ad alterum implicat contingentia hæc, cuius proximam & immediatam radicem author iste dixit esse non solum liberum arbitrium, sed etiam appetitum sensitiuum bestiarum. Huic argumento respondet author præfatæ sententiæ, quòd quamuis aliquis dicatur esse præditus libertate arbitrij, quæ sit sufficiens ad meritum, vel demeritum, & ad opera prudẽtiæ exercẽda, & ad hoc necesse sit habere cognitionẽ hanc cum indifferenti notitia, quæ actum liberum debet antecedere, sicut in argumento dicitur, tamen necessarium nõ esse, vt quoties aliquid liberè fit, & exercetur antecedant cognitio comparatiua, & collatiua, aut notitia indifferens. Sed profecto quamuis ad meritum, & ad actus prudentiæ inconcussè hæc sint necessaria, tamẽ ad actionem liberam, & liberum exercitium, si procedat ex vera radice contingentiæ, necessariò requiritur cognitio cum indifferenti notitia, id enim importat radix contingentiæ, hãc autem donare brutis stultum, & ridiculum est. Nam certè indifferentia intellectus, & iudicij supponit cognitionem collatiuam, & comparatiuam vnius ad alterum, & ob id

Contingentia nihil aliud est, quã indifferentia ad esse, & non esse, & hæc non est in brutis

Ad actionem liberã necessariò requiritur cognitio cũ indifferenti notitia.

nullam

nullam in appetitu brutorum posse esse proximam cõtingentiæ radicem, omnes sentiũt, quod præcipue est verum. Quia bruta operantur ex iudicio determinato, & à natura infixo. Quocirca qui ita loquũtur vere dissimulant speciem quandam libertatis in brutis minus plenam, & perfectam, cum sentiãt in brutis esse libertatis vestigium cum vera radice, & proxima contingentiæ.

Distinctio libertatis à quibusdã innata.

Nonnulli Theologi distinguunt libertatẽ in naturalem, & moralem, & illam dicunt præcedere istam, ac proinde censent posse esse libertatem in quibusdam actibus voluntatis antecedenter ad deliberationem, & consultationem rationis, & consilium eius. Itaque authores huius sententiæ claritatis gratia distinguunt duos gradus libertatis. Primum affirmãt consistere in quadam indifferentia ad agendũ hoc vel illud, seu ad agendum, vel non agendum, sine vllo prorsus respectu ad regulã moralem prudentiæ seu ad honestatem: & hunc gradum libertatis dicunt conuenire amentibus, & pueris antequam perueniant ad perfectum rationis vsum.

Angelstus.

Hieronymus Angestus disputans de libero arbitrio, & de subiecto substantiuo virtutum cap. 6. §. Vsque adeo: dicit. *Vsque adeo ad moraliter bonum, vel malum necessariam esse deliberationem, vt per eius carentiam aut imperfectionem circa quamcunque materiam prohibitam sub mortali contingat dari voluntatis motum formaliter liberum, non peccatum, vel dũtaxat veniale. Quãdo verò sic, & quando non, arduum, & difficile est decidere, & confusum Chaos, tum propter difficultatem materiæ, tum etiam propter loquentium varietatem.* Hæc Angestus: & statim in primo suo notabili aduertit voluntatẽ, cum sola operis apprehensione posse volitionem eius libere elicere: in quo casu ille actus voluntatis erit liber, sed non deliberatus aut formaliter aut interpretatiuè, quia stultus, & amens, & puer quatenus sunt in tali statu non habent iudiciũ agendi cum consultatione, neque collationẽ, & conferentiam in ordine ad regulas prudentiæ, & morum, idque sæpius inculcat in discursu suæ sententiæ. Ex quibus apertè constat hunc authorem sensisse posse esse libertatem aliquam in quibusdam actibus voluntatis, & intellectus antecedenter ad deliberationem, & consultationem rationis.

CONCLVSIO PRIMA.

In appetitu sensitiuo hominis secundum se sumpto non est vera libertas sufficiẽs ad peccatũ veniale.

PRO explicatione huius controuersiæ. dico primo. Illa sententia, quæ putat appetitum sensitiuum hominis, secundum se sumptum veram habere libertatem, quamuis minus perfectam, sufficientem tamen ad veniale peccatum, sine dubio, neque est vera, neque probabilis. Et sane authores huius sententiæ fatentur appetitum sensitiuum in seipso habere libertatem, etiam vt præuenit rationẽ ipsam, ac proinde velint, nolint, debent concedere consequenter voluntatẽ puerorũ, & amẽtium, etiam, vt præuenit consultationẽ, & deliberationẽ habere aliquam libertatem in suis actibus, multò meliùs quàm ipse appetitus sensitiuus, præcipue propter duo. Primo quidem, quia voluntas ex natura sua, & perse formaliter est libera, quod non conuenit appetitui sensitiuo, vt ostendemus infra. Secundo, quia voluntas etiam in pueris operatur ex cognitione aliqua intellectuali. Duo igitur sine controuersia sunt affirmanda. Primum est, vel nõ esse omnino libertatem in appetitu sensitiuo, vel saltem secundò non esse illã, quæ requiritur, vt sit principium peccati, quæ duo cõtra Caiet. nos asseueramus, & diximus olim 1. 2. q. 74. art. 3. disp. 1. Quia certè in appetitu sensitiuo, vt præuenit rationem, neq; est libertas quoad exercitiũ, neq; quoad specificationẽ. Quoniã huiusmodi libertas postulat, & requirit vim ad cognoscendũ quasi per reflexionẽ ipsum motũ appetitus. Supponit etiam cognitionẽ boni vniuersalis, imo verò, vt possit esse principiũ alicuius culpæ, aut peccati prærequirit cognitionem bonitatis, & malitiæ, & facultatẽ quandã ad ponderandum bonitatẽ, & malitiã vniuscuiusq; & ad conferendũ vnũ bonũ cũ altero, quod non potest conuenire facultatibus sensitiuis præsertim quatenus præueniunt rationẽ: ergo, &c. Et confirmari hoc potest, quia libertas saltem illa, quæ est sufficiens ad peccatũ supponit cognitionẽ sufficientẽ, ad discernendũ inter bonum honestũ, & malum in cõmuni: sed talis cognitio minimè correspondet appetitui sensitiuo sumpto secundũ se: igitur in eo non est libertas, vel si est aliqua, illa est adeo imperfecta, quod non est sufficiens ad peccatum vllum. Nam ob id pueri, & amentes, esto haberent aliquã libertatem incõpletam, & imperfectã, ante vsum rationis peccare non possunt, quia carent illa cognitione. Quoniã sine dubio ratio honestatis excedit ordinẽ sensibiliũ, & ex consequẽti non potest à facultate sensitiua cognosci, sed solùm ab intellectiua, & appetitus sensitiuus etiã in nobis non mouetur immediatè ab intellectu, sed à cogitatiua, quæ est facultas sensitiua. Præterea in appetitu sensitiuo, non potest esse indifferentia cùm ipse sequatur cognitionẽ sensitiuam, in qua similiter eadem indifferentia reperiri non potest. Quia vtraque potentia est materialis, & organica. Agens verò materiale est determinatũ ad vnũ: ergo nõ potest talis libertas reperiri in appetitu sensitiuo. Rursus ex alia parte constat, quod bonũ morale, & honestum consistit in conformitate ad rectam rationẽ, malum verò in deformitate: sed appetitus sensitiuus, secundum se vt præuenit rationem, non attingit obiectum, vt cõforme, vel difforme rationi, quia in hoc differt, ab appetitu intellectiuo: ergo.

Maiori ratione in puero esset concedenda libertas si semel admitteretur in appetitu sensitiuo.

Libertas sufficiẽs ad peccatũ supponit cognitionem sufficientem ad discernẽdum inter bonum, & malum.

In cognitione sensitiua non potest esse indifferentia quia procedit à potẽtia materiali quæ est ad vnũ determinata.

Quando Caiet. dicit appetitũ sensitiuũ hominis verã habere libertatem, secundũ se sumptum etiam, vt præuenit rationem, quamuis

minus perfectam, ſufficientem tamen ad veniale, hoc poteſt habere duplicem ſenſum. Primus ſenſus eſt, quòd appetitus ſenſitiuus, ſecundum ſe ſufficiẽtem habet libertatem ad peccatum veniale etiam poſt aduertentiam rationis circa motum eiuſdem appetitus, & poſtquam voluntas reſiſtit, & conatur reprimere motum illum: ita vt in ipſo appetitu ſecundum ſe, & independenter à voluntate ſit iſta libertas taliter, vt etiam renuente voluntate, & contradicente ſit peccatũ in ipſo appetitu. Et hic ſenſus non eſt tutus, imò verò eſt contra Concil. Trid. & contra Sãctorum teſtimonia, vt nos diximus, & oſtendimus 1.2.q.74.art.3.diſput.1. Et fortè hũc ſenſum minimè admittit Caiet. Nam certè ſequeretur, quod ſi voluntas non poſſet reprimere actum concupiſcentiæ, quòd ipſa contradicẽte, & renuente Homo peccaret, & tunc iſti appetitus nẽpe ſenſitibus, & rationalis haberent ſe, ſicut duo homines, quorũ vno renuente, & nolente alter peccaret. Secũdus ſenſus Caietani eſſe poteſt q̃ libertas aliqua conueniat appetitui ſenſitiuo antecedẽter, tantũ ad rationis aduertentiã, & repugnantiã voluntatis, ita quidẽ vt antequã ratio aduertat, & voluntas moueat, vel renuat ſit in appetitu aliqua libertas, imperfecta tamen, ſed ſufficiens ad veniale. Et hic etiã ſenſus quidquid nõnulli dicant, non videtur mihi eſſe ferendus quia etiã in hoc ſenſu cõtradicit Concil. Trid. ſeſſione 5. vbi habentur hæc verba. ***Manere in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem hæc ſancta ſynodus fatetur, & ſentit: quæ cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, viriliter per Chriſti Ieſu gratiã repugnantibus, non valet, quinimo qui legitimè certauerit coronabitur.*** Præterea appetitus ſenſitiuus ante rationis aduertẽtiam, & ante reſiſtentiam voluntatis habet libertatem ſufficientem, ad peccatum veniale, vt qui cum Caiet. ſentiunt conantur male defendere, ſed propter huiuſmodi aduertentiã non amittit ipſe appetitus propriam libertatem quam habet: ergo pari ratione eam retinet poſteà quam ratio aduertit, & ex conſequenti, habet omnia quæ requiruntur, vt motus eius poſsit eſſe peccatum veniale. Probatur minor, quia iuxta Caietani ſententiã appetitus dicitur habere libertatem illam independenter à motione voluntatis.

Duplex ſenſus quẽ habere poteſt ſentẽtia Caietani de libertate appetitus.

Neuter ſenſus eſt verus. Concilium Tridẽtinũ.

Appetitus ſenſitiu⁹ hominis non eſt potentia pure naturalis.

Sed cum hæc vera ſint nihilominus appetitus ſenſitiuus, non eſt potentia purè naturalis, quæ nullo modo obediat rationi, ſicut potentia vegetatiua, aut nutritiua, & hoc ſolùm oſtendunt argumenta Caietani. Nam conſtat experientia appetitum ſenſitiuum adductis rationibus per intellectum, moderari; vel aliquando ira, vel furore accendi, ac proinde nõ habet ſe ſicut potentia merè naturalis. Hanc excellentiã ſortitur appetitus ſenſitiuus hominis ex coniunctione, & vnione ad portionem hominis ſuperiorem. Vnde iuxta ſentẽtiam Ariſtot. 1. Politicorum cap. 3. membra exteriora mouentur à voluntate imperio ſeruili, & deſpotico; appetitus verò mouetur à voluntate motu politico, & regali. Mouere autem deſpoticè eſt mouere neceſsitando. Cæterùm mouere politicè, ſeu ciuili, & regali imperio, eſt non cum neceſsitate, ſed conſiliando, & perſuadendo, ita vt in poteſtate illius cui datur conſilium, ſit repugnare, & reſiſtere, & ſuauiter obedire. Mẽbra igitur exteriora immediatè applicantur à voluntate, ad ſuos actus, & ſic applicata neceſſario illos exequuntur, neq; poſſunt reſiſtere. Appetitus verò ſenſitiuus non ita mouetur à voluntate, ſed media ratione, & cogitatiua. Cum enim appetitus non poſsit ferri in obiectum incognitum, & per ſolã voluntatẽ non proponatur illi obiectum requiritur, vt vis cogitatiua interueniat, tanquã proponens proportionatum, & eiuſdem rationis cum ipſo appetitu. Verum, quia cogitatiua non eſt ita perfecta, vt de ſe cognoſcat rationẽ illam, ſub qua voluntas vult, vt appetitus appetat aliquid, vt ſic moueatur ab illa, idcirco etiam requiritur, vt voluntas vtatur ratione, quæ poſsit talem rationem boni apprehendere, qua apprehenſione mediante illuſtrat cogitatiuam in quantum conſiderante intellectu maiorem rationem boni, vel mali in ipſo obiecto, cogitatiua ipſa circa idem obiectum operatur, & cogitat. Quare circa tale obiectum à voluntate intentum, aliter mouetur appetitus, quàm ſi moueretur à ſola cogitatiua proponẽte obiectum. Et hæc eſt expreſſa ſententia D. Tho. 1.p.q.81.art.3. Quod ſane experientia conſtare diximus, quia plerumq; ſedatur paſſio appetitus propoſitis rationibus per intellectum, & è conuerſo aliquando ira accenditur quando rationes aliquę diſcutiũtur: ergo apertum ſignum eſt, quòd illis poſitis rationibus illuſtratur cogitatiua; & quòd inuenit maiorem rationem boni, vel mali in obiecto, quia ex vniuerſalibus rationibus, quas, intellectus apprehendit deriuantur particulares quas percipit cogitatiua, & propter illas poteſt moueri appetitus obtemperando directioni rationis: ex quo etiam prouenit, vt voluntas poſſit mouere appetitum in contrariũ eius quod appetebat. Quoniam appetitus, non ſolùm habet inclinationem, ad bonum ſenſibile, ſed etiam ad obediendum rationi, quia appetitus ſenſitiuus hominis eſt ſubijcibilis rationi, vt nos diximus olim 1.2. q.71.art.1. ergo ſicut poteſt obiectum ſenſibile immediate propoſitum per cogitatiuam ſequi, ita etiam poteſt ferri in contrarium, prout à ratione ipſa perſuadetur media eadem cogitatiua: & ex conſequenti ſecundum varias rationes ſibi propoſitas poteſt elicere diuerſos actus in alterutram partem. Et hæc eſt cauſa cur in appetitu ſenſitiuo hominis dicitur eſſe quædam libertas participata, non tamen formalis, & per eſſentiam: non enim eſt potentia pure naturalis, ſicut potentia nutritiua, & vegetatiua,

Motus deſpotic⁹, et ſeruilis quid, Motus etiã Regalis, & ciuilis quæ natura.

Appetitus mouetur à voluntate media cogitatiua, & ratione.

Poteſt voluntas mouere appetitum in contrariũ eius quod appetebat.

sed est capax obedientiæ respectu rationis, & voluntatis, & ob id dicitur subijcibilis rationi. Cùm tamen non ei obediat seruiliter, aut despoticè, sicut membra externa: quæ non possunt contra niti, sed obedit, & obtemperat obedientia regali, & politica, ita vt aliquãdo possit contrarium facere. Et ob eandẽ causam appetitus sensitiuus hominis est capax ad recipiendum virtutes morales temperantiæ, fortitudinis, &c. Hanc igitur participatam libertatem habet appetitus sensitiuus ex coniunctione, & nexu ad partem superiorẽ, & ad rationem, sicut cogitatiua discurrit, & facit syllogismum sensatum ex coniunctione ad intellectum, & ad partem superiorẽ. Quia quando aliqua duo extrema coniunguntur, supremum infimi attingit infimum supremi.

CONCLVSIO SECVNDA.

Conclusio secunda. Nec naturalis neque moralis libertas constituenda est in appetitu sensitiuo hominis.

Dico secundò. In appetitu sensitiuo hominis, neque est constituenda libertas essentialis naturalis, neque moralis. Hanc assertionem constituo propter nouos Theologos, qui dicunt appetitum sensitiuum habere libertatem essentialem, & esse liberum libertate naturali, non tamen morali, & ad hoc habere integram naturalem indifferentiam. Hæc assertio duas habet partes. Prima est de libertate essentiali naturali, quæ neganda est in appetitu sensitiuo hominis, si ex proprijs cõsideretur. Probatur: Quia libertas ad operandum prærequirit sufficientem cognitionem, ad considerandum rationes conuenientiæ, & disconuenientiæ quæ in obiecto reperiuntur, & ad conferendum eas inter se. Imo vero ad colligendum ex tali conferentia, & collatione, quæ illarum alijs præponderet; sed hoc non potest fieri à sensu, aut à cognitione sensitiua à qua appetitus ipse mouetur. Quia talis cognitio continet discursum valde perfectum, & collationẽ eximiam rationum ipsius obiecti, imo etiam cognitionem finis, sub ratione finis, & cognitionem proportionis mediorum ad ipsum finem: ergo talis libertas, non est concedenda appetitui sensitiuo hominis. Nam si caret hac cognitione, quæ est veluti realis libertatis, necessariò caret libertate, & quantum ad specificationem, & etiam quantum ad exercitium. Quoniam libertas exercitij pari ratione prærequirit vim ad cognoscendũ exercitium actus, & eius suspensionem, atque negationem, & consequenter rationes bonitatis, & conuenientiæ, quæ sunt in vtroque, & quæ earum alias exuperent. Nam hoc omnino superat facultatem, seu perfectionem virtutis sensitiuæ. Rursus cogitatiua in homine ex proprijs, non habet indifferentiam. Nam licet, vt multi putant in cogitatiua reperiatur aliquod vestigium discursus, non sequitur ob id quòd in appetitu sensitiuo, sit libertas. Quia cogitatiua nunquam proponit obiectum, cum indifferentia ad oppositum: sed potiùs cum determinatione ad vnum, & ob id secundum illud vnum ipsum determinatè mouet, vt D. Thom. eleganter docuit 1. part. quæst. 82. art. 2. ad 3. de virtute sensitiua in communi respectu appetitus. Quocirca quando dicitur, quòd libertas potentiæ appetitiuæ originatur, ex indifferentia cognoscitiuæ id quidem debet intelligi de indifferentia in proponẽdo, & mouendo. Verum tamen est, quòd vt loco citato D. Thom. insinuat, huiusmodi indifferentia in mouendo procedit, & oritur ex eo, quòd cognoscitiua potentia, & facultas vtitur collatione, & conferentia quadam, qua ex perfecta cognitione, & animaduersione, seu ponderatione bonitatis obiecti iudicat quasi in actu exercito, esse diligendum, & amandum sine expulsione aut repulsa oppositi, & sic proponit ipsum potentiæ appetitiuæ. Propterquam causam Sanctus Thom. loco citato colligit potentiam sensitiuam cognoscitiuam mouere appetitum cum determinatione ad vnum, ex eo quòd non vtitur præfata collatione, & conferentia, de qua diximus. Et ex dictis colligitur quo pacto sit intelligendus Sanctus Thomas 1. part. quæst. 78. art. 4 cum dicit quòd cogitatiua hominis per collationem quandã adinuenit intentiones. Nam Sanctus Thomas non vult cogitatiuam hominis habere conferentiam, & collationem proprie dictã, qua ex cognitione rationum, & proprietatum, quæ conueniunt extremis, & obiectis, & ex conferentia earum inter se seu comparatione, colligatur vnum extremum esse conueniens, vel disconueniens alteri, sed loquitur de collatione quadam imperfecta, quæ in hoc consistit, quod cogitatiua veluti quadam recordatione ex vno in aliud, quasi inuestigando progreditur. Et quidem constat quòd ad verum, & proprium discursum, qualem libertas prærequirit non sufficit hæc posterior collatio, sed requiritur prior cum præfata conferentia rationum. Quia propter Sanctus Thomas loco citato tantum voluit cogitatiuam in homine hanc habere excellentiam, quòd quantum ad intentiones, quas ibi distinguit à formis sensibilibus, quales sunt propriæ naturæ commoditates, & nocumenta, & vtilitates, vtitur quadam collatione non quidem proprie sumpta, sed vt diximus.

Probatur concl.

Non est cognitio sensitiua valens discernere inter rationes conuenientiæ, & disconuenientiæ & eas cõferre inter se, & in ordine ad finem, & ideo nec libertas est in appetitu sensitiuo.

S. Thom.

Non sensit D. Thom. habere cogitatiuã propriam conferentiã, & collationem mediorum.

Secunda huius assertionis, pars est de libertate morali, quæ multò euidentiùs neganda est in appetitu sensitiuo hominis, ac proinde actus appetitus sensitiui, vt ab ipso est, & vt præuenit voluntatem, non potest esse peccatum. Vnde præter libertatem participatam, quam habet appetitus, secundum quod subordinatur actuali imperio voluntatis, vel formali, vel interpretatiuo, idest voluntati mouenti ipsum, aut non reprimenti cum potest, & tenetur reprimere, non debet concedi appetitui sensitiuo hominis es-

Libertas moralis multo minus quàm naturalis in appetitu sensitiuo debet concedi.

sentialis

ſentialis aliqua libertas moralis, quoniã hæc illi conuenire non poteſt, neque quantum ad illa, quæ ſunt ſibi propria intra latitudinem naturæ ſenſitiuæ, vt eſt nobis communis cum brutis, nec quoad ea, quæ habet formaliter in ſeipſo, quatenus procedit ex rationali anima, tanquam ex radice. Quare moralis libertas, quæ requiritur ad bonas, vel malas actiones in genere moris, non eſt concedenda appetitui ſenſitiuo hominis, ita ſanè, vt eſſentialiter illi conueniat, quia aliàs ſenſitiuus appetitus hominis, ſine omni ordine ad intellectum, & voluntatem ſeu ad liberum hominis arbitrium peccare poſſet: ergo non eſt in ipſo libertas illa, quæ requiritur, vt ſit principium mali moralis, aut peccati. Quod ſanè hac ratione fit firmum, quia libertas ad peccandum requirit, & ſupponit ſufficientem cognitionem, ad diſcernendum inter bonum honeſtum, & malum in communi: ſed talis cognitio non reſpondet appetitui ſenſitiuo accepto ſecundum ſe: ergo in eo non poteſt eſſe moralis aliqua libertas, qualis eſt illa, quę ſufficit ad peccandum. Maior huius confirmationis certa eſt. Nam ob id amentes, pueri, & ebrij non poſſunt peccare, quia carent illa cognitione, & perfecto vſu rationis. Minor autem oſtenditur. Quoniam ratio boni honeſti ſeu honeſtatis excedit ordinem ſenſibilium, & à facultate ſenſitiua ob id cognoſci nõ poteſt, ſed tantum ab intellectiua. Adde etiam quod appetitus ſenſitiuus etiam in ipſo homine non mouetur immediatè, & proximè ab intellectu, ſed à cogitatiua, quæ eſt facultas ſenſitiua. Quapropter appetitus ſenſitiuus ſecundum ſe, & præciſe, ſeu formaliter cum non habeat pro obiecto bonum ſub ratione boni honeſti, ſed ſub ratione boni ſenſibilis, idcirco ſecundum ſe præciſe non eſt capax actus honeſti, in quo differt ab appetitu intellectiuo. Ex quo deducitur aperte hanc libertatem moralem, non eſſe concedendam appetitui ſenſitiuo hominis in ſenſu iam explicato. Quod argumentum pariter militat contra Caietanum, qui cum præter libertatem participatam in appetitu ſenſitiuo hominis conceſſerit illi alteram eſſentialem moralem, pariter etiam conceſsit quod actus appetitus ſenſitiui, etiam ſine reſpectu ad voluntatem, ſed præciſe, vt ab eo procedit poteſt habere rationem mali moralis, & peccati ſaltem venialis. Credit enim in appetitu ſenſitiuo hominis eſſe ſufficientem libertatem, vt poſsit eſſe principium mali moralis, & peccati. In quo valde decipitur, & errat, quia vt aliquis actus imputari poſsit agenti ad culpam requiritur, quòd ſit in facultate ipſius, ita vt habeat dominium illius actus, vt docet S. Thom. 1.2. quæſt. 21. art. 2. Sed appetitus ſenſitiuus ſecundum ſe, aut homo mediante ipſo non habet dominium alicuius actus. Quia illud habet ſolum mediante libero arbitrio, & voluntate, & non mediante appetitu ſenſitiuo, vt ſic: ergo.

Ratio pro 2. parte concluſionis.

Alia eiuſdẽ ratio ex eo quòd ſenſitiuus appetitus nõ monetur immediate ab intellectu, ſed à cogitatiua.

Ex dictis ſatis deducitur, quòd ſi appetitus ſenſitiuus accipiatur pro vt ſubeſt actualiter imperio rationis, & volũtatis, ſic poſſe in eo eſſe peccatum. Cæterùm ſi accipiatur, v.g. actus appetitus ſenſitiui, vt ab ipſo præciſe procedit, & abſque ordine ad voluntatem, vt ſic non poteſt habere rationem peccati. Quo circa D. Auguſt. libro de duabus animabus cap. 10. & libro 1. de vera religione cap. 14. delirium putat aſſerere quòd poſsit eſſe peccatum ſine voluntate. Quare Sancti patres vnanimi conſenſu dicunt non poſſe inueniri peccatum, ſine aliquo voluntatis conſenſu. Lege Auguſtinum locis citatis, & lib. 1. de libero arbitrio cap. 25. & lib. de ſpiritu, & littera cap. 30. & lib. octuaginta & trium quæſtionum, quæſt. 24. & in quæſtionibus ſuper Leuiticum q. 24. & lib. 1. de ſermone Domini in monte cap. 12. & 1. retractationum cap. 15. Idem docet S. Thom. in 2. diſt. 24. q. 3. art. 2. vbi ait nullum motum ſenſualitatis pertinere ad genus moris, niſi procedat à volũtate, quæ eſt principium morale: quia ibi incipit genus moris, vbi incipit dominium voluntatis. De hac re legendum eſt Concilium Tridentinũ ſeſſ. 5. §. 5.

Corollar. 1. In appetitu ſẽſitiuo, vt ſubeſt actuali imperio rationis & voluntatis poteſt eſſe peccatũ.

Legendus D. Auguſt.

Secundò deducitur, quòd licèt in cogitatiua reperiatur aliquod veſtigium diſcurſus, ex hoc tamen non ſequitur, quòd ſit libertas in appetitu ſenſitiuo, quia cogitatiua non proponit appetitui obiectum cum indifferentia ad oppoſitum, ſed potiùs cum determinatione ad vnum, ac proinde determinate mouet ipſum ſecundum illud vnum, vt docet S. Tho. de virtute ſenſitiua in communi reſpectu appetitus 1. part. quæſt. 82. art. 2. ad 3. Vnde quando dicitur libertatem potentiæ appetitiuæ oriri ex indifferentia cognoſcitiuę intelligitur de indifferentia in proponendo, & mouendo. Quæ ſanè indifferentia in mouendo procedit ex eo, quòd potentia cognoſcitiua vtitur collatione, qua ex perfecta cognitione, & ponderatione bonitatis obiecti iudicat quaſi in actu exercito eſſe amandum, & ita proponit ipſum potentiæ adhuc manente indifferentia oppoſiti. Vnde S. Thom. ex eo colligit potentiam ſenſitiuam mouere cum determinatione ad vnum, quia non vtitur collatione.

Corol. 2.

Tertiò colligo, quòd appetitus ſenſitiuus ex eo quòd in nobis ſit perfectior, quàm in brutis, non ſequitur quod ſecundum ſe, & ſine ſubordinatione ad motionem voluntatis habeat libertatem. Quia illic exceſſus in perfectione poteſt conſiſtere in hoc quòd in nobis eſt aptus, natus obedire rationi.

Corol. 3.

TERTIA CONCLVSIO.

Concluſ. 3. Amentes, & pueri de

Dico tertio. Amentes, & pueri habent actus intellectus, & voluntatis. Hæc aſſertio conceditur ab omnibus, quam expreſſe

tenent

Facto habet actus intellectus, & voluntatis.

tenent recentiores Theologi. Victoria in relectione de his, ad quæ tenetur homo veniẽs ad vsum rationis, & Bartholomæus Medina prima secundæ, quæst. 10. art. 3. cõclusione 1. & dicunt hanc esse sententiam D. Thom. 1. part. quæst. 84. art. 8. ad 2. vbi explicans quo pacto sensus, & imaginatio plus, vel minus ligantur, vel soluuntur in dormientibus, ita cõcludit. *Ergo per modum quo sensus soluitur, & imaginatio, dormiẽdo ligatur iudicium intellectus non tamen ex toto. Vndè aliqui dormiendo syllogizant, & cum excitantur semper recognoscunt se in aliquo errasse.* Ex quibus verbis S. Thomæ colligit Victoria dormientes habere actus intellectus, & per consequens posse habere actus voluntatis. De qua re legendus est S. Thom. in 4. distinct. 9. q. 1. art. 4. ad 3. & 4. & 2. 2. q. 172. art. 1. ad 2.

A quibus defendatur conclusio.

Ratio pro concl. 3. desumitur ex sufficienti propositione obiecti.

Habet hæc assertio sua fundamenta, & rationes. Nam eius veritas potest fundari primo in hoc, quòd in pueris, & amentibus obiectum voluntatis proponitur sufficienter illis: ergo potest in eis voluntas habere aliquem actum, quia omnis potentia, si obiectum illi sufficienter proponatur, potest agere. Nam certè pueri, & amentes etiam secundum intellectum iudicant bonum esse comedere, imò verò Sanctus Thom. sensit eos syllogismum construere, quamuis cum errore. Rursus etiã experientia cernimus amentes, & pueros, quando propè vsum rationis sunt, & antequã ipso potiantur de multis iudicare, de quibus sensus iudicare non valet: ergo.

2. Ratio. Pueri, & amẽtes quã do habent actus circa res spirituales.

Secundò potest eadem assertio fundari ex eo quòd amentes habent interdum quosdam actus circa res spirituales, quæ minimè cadũt sub sensum, & disputant plerumque de Deo, & Angelis, de Philosophia, & Dialectica. Habent præterea aliquando quoddam desideriũ rerum spiritualium. Depingunt præterea figuras secundum regulas artis, quod sine intellectu fieri non potest. Et confirmari etiam hoc potest. Quoniam sensus hominis, quamuis sint perfectiores aliquo modo quã in brutis, tamen sunt eiusdem rationis. At amentes, & pueri habent plures actus, quos bruta habere non possunt: igitur tales actus non proueniunt à solo sensu, sed ab intellectu, & voluntate. Experientia enim videmus pueros, & amentes habere plerumque actus quosdam etiam sensuum sufficientes in vigilantibus, & sanis ad actum intellectus, & voluntatis. Vnde habent iudicium per sensum, tale, quod esset sufficiens mouere, non amentem, aut virum adultum ad actum intellectus, & voluntatis.

CONCLVSIO QVARTA.

Con. 4. Pueri, & amentes vtrent actibus liberis iuxta probabilem sententiam.

Dico quarto. Valde rationabile est pueros, & amentes nõ habere actus liberos: ac proinde nulla ratione videtur esse certum quod positis omnibus requisitis, ad agendum possint agere, & non agere. Hæc assertio insinuatur à D. August. lib. 1. retractationũ cap. 9. in illis verbis. *Malum quod caueri non potest peccatum non est, malum verò quod caueri potest peccatum est.* Igitur si amentes sunt liberi, & non cauent malum, cum in manu sua sit illud cauere, peccato aliquo tenentur. Et cap. 10. sequenti affirmat August. ad peccatum satis esse, quòd sit voluntarium, explicatum his verbis: *Si noluissem, non fecissem.* Igitur si amentes, & pueri non necessitantur in suis operibus, quia libere agunt, sequitur quòd si noluissent, non fecissent, ac proinde quòd peccatum esset illis. Dixi propositam assertionem insinuari à D. August. quia licèt expresse eam loco citato non protulerit, tamen insinuatur in prædictis verbis. Hanc etiam conclusionem expresse tenent recentiores Theologi, Bartholomæus Medina 1. 2. quæst. 10. art. 3. concluſ. 2. & Bañes 1. part. quæst. 82. art. 2. in solutione 3. argumenti, vbi affirmat nullam in esse libertatem in operationibus puerorum, & amentium, neque in motibus primò primis adultorum. Et sane id, quod dicit de motibus primò primis videtur mihi certum quidquid dicant Victoria, & Cordubensis locis superius citatis. Quòd verò pueri ante vsum rationis, & amentes non libere operentur, neque vtantur libertate in suis actionibus id cõstat ex S. Thom. 1. 2. loco citato, vbi affirmat amentes non aliter, se habere in suis actibus, quam bruta, in quibus nulla est libertas. Nam si inesset libertas eiusmodi operationibus sequeretur, quòd possent esse peccata, vt dictũ est, quia omnis operatio libera voluntatis, & intellectus est moralis: ergo capax meriti, & demeriti, boni, & mali. Hoc argumentum optimè vidit Victoria in relectione illa citata de his, ad quæ tenetur homo veniens ad vsum rationis. Sed non putat esse efficax. Respondet enim negando consequentiam, quia non satis est actum esse liberum ad hoc, vt sit peccatũ, sed vlteriùs inquit ille, requiritur quòd actus amentium, & puerorum sint deliberati, quod non reperitur, neque reperiri potest in amentibus, & pueris. Quocirca S. Thom. locis superius citatis, & 1. par. quæst. 84. art. 8. ad 2. & in 4. distinct. 9. quæst. 1. excusat somniantes, non quia necessariò agunt, sed quia non habent perfectum vsum rationis, vel intellectus, quia ipse est impeditus, ita vt defectus proueniat ex parte intellectus, non ex parte voluntatis. Sed de hac re cõclusione 6. sequenti fusiùs agemus.

D. August.

Medina. Bañes.

Comparat S. Thom. pueros, & amẽtes brutis qui ex instinctu naturali, & absque libertate agũtur.

Nunc verò in fauorem propositæ assertionis hanc constituo rationem. Nam certè si amentes, & pueri habent liberum vsum rationis, seu libertatem in suis operibus, sequitur quòd sunt vere Domini suorum actuũ, & sui compotes. Patet sequela, quia habere dominium nostrorum actuum, nihil aliud videtur esse quam habere in potestate nostra velle, & non velle, agere, & non agere, operari, & non

2. Ratio.

operari.

operari. Fauet etiam quòd si habent veram libertatem, atque potestatem agendi, & non agendi, ac proinde verum dominium suarum actionum veramque libertatem simul cū vsu libero, sequitur quòd habent collationem, & conferentiam, de circunstantijs operum cum quadam indifferentia, ratione cuius moueri possunt ad agendum, vel ad cessandū ab actione, & hac ratione non tantum habebūt actus liberos, sed etiam actus deliberatos, qui ex collatione, & consilio rationis proueniant, ac proinde ex deliberatione. Et confirmari hoc potest. Quoniam ad laudem alicuius operis studiosi satis est potuisse transgredi legem, & non fuisse transgressum, id namque in Sacris litteris valde laudatur, igitur si pueri, & amentes habent actus liberos cum indifferentia, sequitur quòd in quibusdam actibus sunt digni laude virtutis, quia potuerunt eam transgredi, & non sunt transgressi.

Si haberent actus liberos pueri et amentes essent digni laude, & vituperio.

Moueor præterea. Quia si pueri, & amentes habent vsum liberum, liberaſque actiones sequitur voluntatem eorum, neque necessitari, neque determinari ad vnum, ac proinde voluntatem eorum esse capacem vitij, & virtutis, quoniam virtus, & vitium ad id reponuntur in voluntate, vt eam determinent ad bonum vel malum. Tandem vrget argumentū insinuatum. Nam ille dicitur peccare, qui potest, tenetur, & non facit. Vnde vt actio aliqua sit peccatum satis est quòd sit liberum contra legem, & in potestate agentis contra eam: sed amentes, & pueri possunt agere, & non agere propositis quibusdam obiectis, & habent verum vsum libertatis actusque liberos contra legem: ergo si illis conceditur vera libertas, similiter debet attribui illis peccatum, quod nulla ratione est ferendum, neque affirmandum.

CONCLVSIO. QVINTA.

Concl. 5. Iuxta probabilem sententiam cōcedi potest in pueris, et amentib⁹ libertas non moralis sed naturalis.

Dico quintò. Non est improbabile omnino affirmare in pueris, & amentibus esse libertatem naturalem, non moralem in nonnullis actibus eorum, ac proinde eos exercere quasdam liberas operationes antecedenter ad deliberationem, & ad verum vsum libertatis moralis. Hanc assertionem tradit Franciscus Victoria relectione citata propositione tertia, & in discursu eius. Vnde affirmat non esse idem, habere liberum arbitrium aut vsum rationis, quòd posse agere, & non agere positis requisitis ad agendum in sensu, in quo communiter Doctores loquuntur. Sed dicit Victoria hanc propositionem, non esse ita certam, sicut illam communem omnibus, quæ affirmat vsum rationis idem esse, quòd habere liberum arbitrium. Et nihilominus quamuis videat oppositum suæ sententiæ defendi à recentioribus, tenet tanquā probabile hominē carentem vsu rationis, qualis est puer, & amēs producere nimirum plures actus, quos potest non producere. Eādem assertionem tenet cū Victoria Antonius Cordub. lib. 2. de ignorantia, q. 10. & putat esse sententiam D. Thom. & insinuat etiam esse sententiam Adriani in 4. disput. de Eucharistia, quando agit de pollutione in somnis. Et à fortiori eam tenet Caietanus.

Tenuit eandem Ludouicus Molina in concord.

Sed vt doctrina propositæ assertionis explicetur obseruare oportet primò. Quòd ratio liberi nō diuiditur per bonum, & malum, per conueniens, & disconueniens, sicut genus per species, sed sicut subiectum per varia accidentia, seu per varias formas, ac proinde bonū, & malū morale non sunt differentiæ essentiales actionis, neq; voluntatis consideratæ secundum genus naturæ, quia tantum sunt differentiæ eius si consideretur secundum genus moris, quod sanè tam actioni voluntatis, quā alteri actioni conuenit accidētaliter. Huius sententiæ fuit Caiet. 1. 2. q. 19. art. 1. & q. 20. art. 6. & D. Bonauent. in 2. dist. 41. art. 1. q. 2. quo in loco docet actionem voluntatis non diuidi per bonum, & malū tanquam per differentias, sed tanquam per quid accidentarium. Fauet Scot. in 1. dist. 17. q. 2. §. Quantū ad istum, & Durand. in 2. dist. 40. q. 3. Sed de hac re alibi diximus multa, nunc verò satis sit hæc dixisse. Si tamen aduertamus genus moris, non esse ipsam substantiā actionis interioris, sed quandā rationem, & denominationem cum ordine, & respectu illi aduenientē. Quæ sanè non est ratio voluntarij, neq; liberi, sed potiùs est quædam communis ratio ad malitiam, & bonitatem, ita tamen, vt ratio voluntarij, & liberi sit fundamentū quoddā necessarium, & quid præuium ad illud genus moris. Vndè sine ratione volūtarij, & liberi nō præintelligitur fundamētū totius generis moris: & actus bonus aut malus moraliter postulat rationem liberi pro fundamento necessariò.

Caietanus. D. Bona. Scotus. Durandus.

Secundò aduerte quosdā ex Theologis recentibus dixisse distinguendam esse duplicē libertatem, scilicet, naturalem, & moralem, & illam dicunt præcedere istam, ac proinde sentiunt libertatem, & actum liberum posse præcedere moralitatem omnem. Vnde distingūt libertatem in duos gradus, seu potius considerant eam in duplici statu. Primus gradus consistit in quadam indifferentia, ad agendū hoc vel illud, seu ad agendum, vel non agendum, sine vllo prorsus respectu, aut ordine ad regulam moralem prudentiæ, seu ad honestatem, & hic gradus libertatis potest conuenire pueris, & amentibus antequam perueniant, ad perfectum vsum rationis. Secundus gradus libertatis consistit in indifferentia ad bene, vel malè agendum moraliter.

Duplex gradus seu status libertatis naturalis, scilicet & moralis explicatur.

His ita prælibatis probari potest quinta assertio. Ostendo ergo priorē libertatis gradum pertinentē ad libertatem naturalē reperiri posse, sine posteriori gradu libertatis moralis, & sine deliberatione. Nā certè libertas moralis, quæ cum deliberatione coniūcta est

Probatur cōclusio de libertate naturali quæ conceditur.

præce-

prærequirit, & ſupponit ſufficientē cognitionem ad diſcernendū inter bonū honeſtum, & malū in cōmuni, ſed talis cognitio non poteſt reperiri in ſtatu amentium, & puerorum ante quam perueniant ad perfectū vſum rationis, quia carent illa cognitione, & præterea quia ratio honeſtatis, ſeu boni honeſti excedit ſtatum puerorum, & amentium. Nam hæc etiam eſt ratio cur in eo ſtatu peccare non poſsint, quia videlicet carent illa cognitione, & illo perfecto vſu rationis: ergo huiuſmodi ſecūdus gradus libertatis, qui valde diuerſus eſt à primo ſeparabilis eſt ab ipſo. Probatur conſequētia. Quoniam libertas primi gradus ſeu indifferentia in agendo proportionatur cognitioni, ſed poteſt dari cognitio ſufficiens ad iudicādū aliquid eſſe magis bonū in ordine ad naturā, vel delectationē, & rurſus poteſt dari cognitio ſufficiēs ad iudicandū aliquid eſſe magis bonū in ordine ad res artificiales, ac proinde eſſe magis acceptandū, quā aliud, & nō ad diſcernendū inter bonū, & malū morale cum reſpectu ad honeſtatē, vt patet in amentibus, qui de rebus artificioſis iudicant melius eſſe hoc quā illud, & in naturalibus iudicant melius eſſe ſeipſos ſeruare, quam præcipites dare, & tamen nōn cognoſcunt differentiā, aut diſcrimen inter bonum morale honeſtum, & malum oppoſitum: ergo poteſt dari ſeu reperiri primus ille gradus libertatis ſine poſteriori. Profectò eſſe morale conſiſtit formaliter, in hoc quod eſt actum aliquē procedere à voluntate libera, & deliberante, vt ſubordinata rationi, tanquā regulæ dirigenti ipſam in genere moris, hæc autē ſubordinatio ad rationē tanquā ad regulā dirigentē in genere moris, & ad diſcernendū rationem boni honeſti ab oppoſito, quæ poſtulat perfectū vſum rationis non datur in amentibus, & pueris ante perfectū rationis vſum, quia licèt eſſe morale non poſsit reperiri ſine libertate, tamen non conſiſtit formaliter in ea præciſe, quamuis eā poſtulet, & requirat: ergo huiuſmodi libertas moralis ex vi ſua poſtulat diſtinctionē à priori gradu libertatis, ita vt non implicet ſeparari ab eo. Quam rem, vt intelligas obſerua voluntatem liberam duobus modis poſſe ſubordinari rationi. Primò quidem, vt proponenti obiectum cum indifferentia ad vtrumque. Secundò tanquam regulæ dictanti, & dirigenti quid expediat agere, vel non agere in ordine ad bonum honeſtum, & ad regulas directionis moralis, eſt tamen magna differentia inter hos duos ſubordinationis modos. Quoniā ex priori voluntas tantū habet, quòd poſsit agere, vel nō agere circa obiectum ita propoſitū cum illa indifferentia ad vtrumque. Ex ſecundo verò voluntas habet quandam quaſi determinationē moralē ad agendum ſeu non agendum. Quia à proxima, & immediata regula morum proponitur ipſi alterum iſtorum ſub ratione debiti, aut honeſti, & expedientis. Et rurſus ex hac differētia prouenit altera, quod ratione prioris ſubordinationis nimirum, quatenus voluntas ſubordinatur rationi, vt proponenti obiectum cum quadam indifferentia ſolum conſtituitur voluntas, in eſſe principij liberi intra genus naturæ, ac proinde poteſt habere hunc libertatis gradum ſine ſecundo. Nam cum modus ille proponendi obiectum præciſe ſub quadam indifferentia, ſolum pertineat ad genus naturæ, non poteſt voluntas transferri ratione ipſius ad alium ordinē agentium. Ratione autem poſterioris ſubordinationis, voluntas conſtituitur in eſſe principij moralis, quia ſicut ratio ipſa quatenus ita proponit eſt verū principium directiuum, in genere moris, ita quidem voluntas, vt principiū actiuum cum illa ſubordinationē, ad directionem rationis reſpectu boni honeſti pertinet ad idem genus. Quod inſinuat Conradus 1.2. q. 18. art. 5. quamuis non ita expreſſe, vt à nobis proponitur. Et ſanè ex doctrina ſuperius tradita facile poteſt intelligi, in quo conſiſtat ratio libertatis naturalis, ſi ea eſt diſtinguenda à libertate morali.

Franciſcus Victoria relect ione citata perſiſtit in ſua ſententia ſentiens hominem producere multos actus, quos poteſt non producere etiam non habens vſum rationis, aut liberi arbitrij perfectum. Quod probat de pueris, & amentibus, qui habent actus voluntatis plures, & non neceſſariò ſemper. Nam cum voluntas ex ſua natura ſit formalite r libera, & potētiæ rationales ſint ad oppoſita, & nihil ſit in pueris, & amentibus in multis actibus eorum, à quo neceſsitetur voluntas, ſequitur quòd non neceſsitatur ſemper, & quòd libere operantur antecedenter ad libertatem moralem. Minor probari poteſt. Quia ſi voluntas puerorum, & amentium ſemper neceſsitaretur in actibus ſuis, vel hoc eſſet à notitia intellectiua, vel ſenſitiua, vel à paſsione appetitus ſenſitiui, cum nihil aliud poſsit imaginari, vnde neceſsitetur. Sed nullum iſtorum poteſt neceſsitare, quia ſenſus non poteſt mouere voluntatem, niſi per intellectum, vt habetur 3. de anima: ergo ſola ſenſatio non poteſt neceſsitare voluntatem, neq; etiam paſsio neceſsitat ſemper. Quia amentes, & pueri aliquando agunt ſine paſsione, vel ſaltem poteſt eſſe tanta paſsio in homine ſano, ſicut in amente, & puero. Neque rurſus neceſsitantur pueri, & amentes ex parte intellectus. Quoniam quæcumq; notitia eſt in amente, vel puero poteſt eſſe in adulto, & in ſapiente, & in hoc non neceſsitatur voluntas: ergo neque in illis. Maior verò patet. Quia, vel eſt ſimplex apprehenſio, vel iudicium, quodcumq; autem tale poteſt eſſe in adulto abſq; eo quod neceſsitetur: ergo. Sane ſimplex apprehenſio, & notitia non neceſsitat. Quoniam non ſolum ſimplex notitia non neceſsitat, ſed neque poteſt mouere voluntatem, quoniam intellectus ſpeculatiuus non mouet, ſed tantum practicus. Et rurſus amentes aliquando agunt ex iudicio, quod ſi

Bene ſtat quòd aliquis habeat cognitionē qua iudicet aliquid eſſe bonū in ordine ad naturam, & delectationē & tamē quòd nō poſſit diſcernere, an ſit cōueniēs, vel diſcōueniēs cum reſpectu ad honeſtatem.

Dupliciter ſubordinari poteſt ratio ni.

Conradus.

Habere puerum plures actus, quos poſſet non producere probat Victoria.

Ariſtot. 3. de anima.

iudicium

iudiciũ ſimplex ſit de bono, vel malo ſimiliter hoc nõ neceſsitat puerũ, & amẽtẽ, quia id non neceſsitat adultum. Iudicium verò completum, & perfectum non poteſt eſſe in amẽte, & dato quòd eſſet in eo, non neceſsitaret ipſum: ergo nihil eſt quòd poſsit neceſsitare voluntatẽ pueri, & amentis. Et cõfirmari etiã hoc poteſt. Quoniam plus mouet iudicium perfectum de bonitate obiecti, quàm iudiciũ imperfectum, vel ſola apprehenſio ſimplex, ſed illud non neceſsitat: ergo multò minus iudicium incompletum, quod eſt in pueris, & amentibus. Addit Franciſcus Victoria mirabile eſſe quòd hoc iudicium, hoc eſt delectabile, vel dulce, quod puer habet, neceſsitet illũ, & tamen idem iudicium de obiecto delectabili, & dulci cum iſtis alijs, hoc eſt bonũ etiã, & honeſtum, præceptum, & honorificum, quod eſt in adulto, nõ neceſsitet illum. Fauet etiam. Quoniam anima ſeparata non neceſsitaretur ab illa notitia, quæ eſt in puero, aut in amente: ergo neque coniuncta corpori. Oſtẽdo conſequentiam. Quoniam intellectus, & anima habent quandam eminentiã ſupra corpus etiam in corpore exiſtentes, vt tertio de anima Ariſt. docuit, & intellectus nihil recipit à corpore, niſi notitiam ratione phantaſmatum præcedentium, quæ ſunt veluti inſtrumenta ſpecierum, & idcirco non eſt dubium quin poſitis æqualibus notitijs intellectualibus in duabus animabus, ſi vna non neceſsitat, neque altera. Quoniam omnino differentia ex parte corporis, ſi non facit differentiã in notitijs ex parte intellectus nihil facit.

Intellectus & anima etiã in corpore exiſtentes habent eminẽtiam ſupra ipſũ.

Aliæ rationes pro ſententia P. Victoriæ.

Mouentur etiam ad hanc ſententiam defendendam Victoria, Cordubenſis, & alij. Quoniam pueri, & amentes admoniti, & rogati multa operantur, imò verò aliquando dicunt ſe velle aliquid facere, & paucis interiectis dicunt ſe nolle facere. Rurſus pueri, & amentes comparant inter duo, quod illorum debeant eligere cum quadam indifferentia in principio, & deinde ſe determinant, quod vel experientia compertum eſt: ergo cum voluntas hominis, ſit formaliter libera ex natura ſua, ſequitur pueros, & amentes ſi habent notitiam obiecti cum quadam comparatione antecedẽter ad regulas prudẽtiæ, & legis, quòd operantur libere libertate naturali, non morali. Et confirmari poteſt. Quoniam poteſt aliquis habere vſum rationis ſufficientem circa artes, qui non habet eum circa materiã moralem. Quod probari poteſt. Quia cernimus aliquos incidere in amentiam, quos videmus non amiſiſſe artem, ſi quam antea didicerunt, ſed ſciunt ſcribere, legere, pingere, imò verò, & ſyllogiſmos facere, & alia id generis. Rurſus pueri inſtituuntur, in aliqua arte etiam antecedenter ad vſum rationis perfectum, inſtitutio verò plurimum facit ad vſum rationis, & libertatis, ſed poteſt quis inſtitui circa aliquam artem, prius quam circa moralia: ergo. De hac re legendus eſt Franciſcus Victoria in relectione illa de his, quæ tenetur homo facere veniens ad vſum rationis, num. 17. Tandem confirmatur. Quoniam ratio liberi non diuiditur per bonũ, & malum, ſicut genus per ſpecies: ac proinde bonum, & malum morale non ſunt differentiæ eſſentiales actionis, neq; voluntatis conſideratæ ſecundum genus naturę. Imò verò ratio voluntarij, & liberi habent ſe vt fundamentum quoddam, & quid præuiũ ad genus moris, & ad deliberationem: ergo nõ eſt impoſsibile quòd amẽtes, & pueri habeãt nonnullos actus liberos per ſubordinationẽ voluntatis, qua ſubijcitur rationi, & intellectui, non quidem tanquam regulæ dictanti in ordine ad bonum honeſtum, ſed tanquam proponenti obiectum ſolum, cum indifferẽtia ad vtrumque, & non in ordine ad regulas morales iuxta ea, quæ diximus ſuperius: ergo, &c.

Neque valet dicere, quòd ſi actus voluntatis in puero plerumque ſiunt libere, & cum indifferentia, quòd conſequenter ſunt boni, vel mali, tam in eis, quàm in amentibus. Quia non ſatis eſt quòd ſint liberi modo ſuperius explicato, ſed requiritur, quod ſint deliberati ad hoc, vt dicantur boni, vel mali moraliter, aut peccata. Quo circa S. Thom. tam prima parte, quàm in quarto ſentẽtiarum diſtinct. 9. quem ſupra retulimus excuſat ſomniantes à culpa pollutionis, non quidem aſſumens pro cauſa, quia neceſſariò agunt, ſed quia non habẽt perfectum vſum rationis, vel intellectus, ſeu deliberationem. Et pariter circa materiã bonam poſſunt eſſe motus primò primi, qui tamen non dicuntur meritorij propter indeliberationem: ergo quamuis pueri, & amentes habeant talem libertatem, ſi tamen careant deliberatione, & habent rationem impeditam ſicut de facto eam habent, quia in eo ſtatu non habent iudicium, neque collationem in ordine ad bonum, vel malum morale, ex eo, quòd voluntas in eis non ſubordinatur rationi tanquam regulæ dictanti, & dirigenti, quid expediat agere, vel non agere in ordine ad bonum honeſtum, & ad regulas morales, ſequitur quòd neque peccant, neque operantur male moraliter, ac proinde ex hac radice non eſt opus negare libertatem voluntatis in eis. Sanè amentiã in pleriſque examentibus videtur ſolùm ſignificare turbationem mentis, & rationis, nec dicit reſpectum ad voluntatem, manet igitur ſi non certa, ſaltem, vt probabilis propoſitio in pueris, & amentibus non ſemper neceſsitari voluntatem eorum, ſed poſſe agere. & non agere libertate quadam naturali. Verum tamen eſt, vt dicit Victoria numero 5. propè finem, quòd hæc non eſt ſimpliciter, nec perfecta libertas, ſed imperfecta, & ſecundum quid, quia non eſt capax bonitatis, & malitiæ, neque laudis, aut vituperij in illo gradu, & in illo ſtatu.

Obiectio repellitur.

Optime poteſt quis habere vſum rationis circa aliquam artem, & tamen care re illo in ordine ad mores.

Amentia turbationẽ tis, & ratio nis.

CON-

CONCLVSIO SEXTA.

DIco sextò bonum & malum morale non sunt differentiæ essentiales actionis, aut actionũ, voluntatis consideratæ secundum genus naturæ: sed solùm dicuntur differẽtię eius cõsideratę secundũ genus moris. Hæc conclusio sequitur ex dictis. Nam in pueris & amentibus reperiuntur actiones voluntatis & intellectus, cũ tamen in eis non reperiatur bonum & malum morale: ergo bonum & malum morale non sunt differentiæ essentiales actionis voluntatis cõsideratæ secundũ genus naturæ. Hanc etiam sententiam defendit Caiet. 1. 2. q. 19. art. 1. & contendit eam ostendere ex suo Præceptore Sanctissimo in eodem articulo citato. Primò sanè, quoniam S. Thom. cũ dicit bonũ & malũ per se esse differentias actus voluntatis loquitur de volũtate quatenꝰ est intra genus moris & quatenus est principiũ actionum regulabilium, quę fiunt cũ deliberatione. Et hunc modũ dicendi sequutus est D. Bonauent: qui etiã docet actionẽ voluntatis vt sic non diuidi essentialiter per bonũ & malũ, veluti per essentiales differẽtias, sed veluti per aliquid accidentale, idq; docuit in secundo dist. 41. art. 1. q. 2. Huic etiam sententiæ adhæret Durand. in 2. dist. 40. q. 3. Scot. etiã in 1. dist. 17. q. 2. §. Quantũ ad illum. Quo in loco distinguit bonitatem actus à substantia ipsius actus & docet bonitatem actus constituendã esse in relatione quadam conuenientiæ cum recta ratione rerum agibilium, hoc est cum prudẽtia.

Caiet. D. Bonau. Scotus Durãdus.

Secundo probat Caiet. hunc esse D. Tho. sensum quia 1. 2. q. 19. art. 1. in corpore comparat bonum & malũ, quod reperitur in actione volũtatis vero & falso quod inuenitur in actione intellectus: sed verũ & falsum non sunt differẽtiæ actionum & operationum intellectus secundum suam naturam: igitur bonum & malũ non erunt differentiæ essentiales operationum seu actionum ipsius voluntatis secundum esse naturæ. Quod autem non sint differentiæ essentiales operationum intellectus verum & falsum constat ex Aristotele cap. de substantia, in quo loco asseuerat opinionem, quæ est actio intellectus successiuè posse esse verã & falsam & ex consequenti verum & falsum nò esse differentias essentiales neque intrinsecas proprietatis actionis intellectus, sed esse communia accidentia.

Secunda ratio pro conclusione: & quòd sit de mente S. Tho.

Tertiò ostendit Caietanus eandẽ assertionem. Quoniã eadẽ actio interior est in duabus speciebus peccati, vt dese patet: ergo nulla illarum specierũ potest esse differentia essentialis illius actionis consideratæ in genere naturæ. Nã nulla est actio essentialiter in duabus speciebus, id est secundũ substãtiã suam, quamuis possit esse in duabus speciebus ei accidẽtalibꝰ: ergo si actio voluntatis reperiri potest in duabus speciebus peccati, aperte colligitur speciẽ malitiæ non esse essentialẽ, aut substantialem actioni voluntatis quantum ad genus naturæ.

Tertia.

Nulla actio essentialiter est in duabus speciebus.

Potest etiam aliis fundamentis ostendi proposita assertio. Nam nullus est actus voluntatis, qui non possit de libero permanere sine libertate, remota solũ indifferentia rationis & attentione seu cõsideratione: aut de nõ libero fieri liber, nimirum quando incipit in nobis sine deliberatione & deinde continuatur cũ perfecta attentione aut deliberatione, v. g. potest in nobis incipere affectus ad fæminã vel odiũ proximi sine libertate, vt constat in motibus primò primis, qui incipiunt sine sufficienti attentione & cogitatione necessaria ad libertatẽ & ad deliberationem. Rursus potest idem affectus ad alienam & idem odiũ proximi protrahi, & continuari cum libertate: igitur idem actus potest de non malo fieri malus. Patet cõsequentia, nam quando incipit sine libertate & deliberatione non est malus actus: incipiente autem libertate incipit posteà esse malus, & è cõtra etiam potest euenire vt mutetur: ac proinde colligitur malitiam moralem non esse differentiam essentialem illius.

Idem actus quoad substantiam potest de libero fieri non liber: & è contra.

Quod vero possit idem actus seu idem affectus voluntatis de libero fieri non liber, & è conuerso de non libero liber facile ostendi potest: quoniam libertas in actu volũtatis ei cõuenit ex plena aduertẽtia attentione & cõsideratione rationis & ex conferentia & collatione iudicij intellectiui. At huiusmodi attẽtio & collatio cũ conferentia & in differẽtia rationis nihil mutat in substãtia ipsius actus volũtatis nec q; efficit vt in aliud expresse feratur voluntas quã si sine tali attentione & cõsideratione ferretur: attentio autẽ & cõsideratio collatiua est cogitatio vtriusq; partis, ex qua homo vnã & alia sequi posset, & attentio necessaria ad opus peccati est cõsideratio malitiæ. Rursus ex hac cõsideratione non fit, vt affectus aliquid velit expresse, quod antea minimè volebat: ergo. Vnde ex hoc fundamẽto colligitur, quòd sicut in nobis potest incipere motus primus peccati absque morali malitia ex defectu cõsiderationis & deliberationis: qui si postea continuetur potest fieri malus, nimirũ aduenientе deliberatione & attentione: sic etiam potest fieri vt aliquis motus primus virtutis in nobis insurgat & incipiat absque deliberatione vlla & consequenter non sit bonus in genere moris: deinceps autẽ si continuetur cum attentione & deliberatione fiat bonus in genere moris.

Probatur quòd idem actus de libero fieri possit nõ liber.

Et pari modo euenire potest è cõuerso vt affectꝰ volũtatis fieri possit de bono moraliter, nõ bonus: nimirũ si quando incipit, incipiat cũ attẽtione & deliberatione postea verò ex defectu considerationis illi deficiat sufficiens ratio libertatis, talis inquam & tanta, quanta ad libertatem requiritur: vt siquis posteà incideret in amentiam aut in omnimodam incõsiderationem circa illum affectũ. Rursus idem affectus charitatis, quæ est in vijs potest manere in patria: & tamen in patria manet sine libertate, vbi ob eam causam non potest esse bonus bonitate morali, quam consequitur ratio meriti, tanquam propria passio eius: Nam

Quòd etiam è conuerso fieri possit actus liber de non libero.

bonitas moralis talis debet eſſe, vt ſit cauſa meritiꝫ eo quod Ariſtoteles docuit actum virtutis moralis, vt ſic exigere quòd ex electione fiat & ex libertate 2. Ethicorũ ca. 4. Nam qui ſtudioſe agit & operatur debet agere ſciens eligens & propter ipſum, alias non operatur ſtudioſe.

SEPTIMA CONCLVSIO.

Concl. 7. Voluntariũ in genere & in communi non eſt genus neq; fundamẽtũ moris.

VOluntariũ in genere ſumptũ & quaſi vniuerſaliter, neq; eſt ratio generica moris neq; eius fundamentũ neceſſarium. Quia tã in amentibus quã in brutis & in homine etiã liberè operante reperitur. Hæc aſſertio ſupponit voluntariũ bifariã accipi. Primò quidẽ pro voluntario in cõmuni & in vniuerſali quatenus cõprehendit tã illud quod fit ſponte & ſine libertate, quàm illud quod fit libere: & hoc voluntariũ in cõmuni, eſſentiale & ſubſtantiale eſt, cuicumque actioni internæ voluntatis. Quoniã eſſentiale eſt cuicumq; actioni interiori voluntatis quòd procedat à principio intrinſeco cũ cognitione: hoc enim eſt definitio voluntarij conſiderati in cõmuni. Rurſus ſecũdo accipitur voluntariũ pro eo quòd tantũ eſt liberũ nõ ſolum quacumq; libertate, ſed etiã libertate contradictionis, nimirum quia ſic eſt vt poſsit non eſſe quando videlicet actus volũtatis ſic elicitur, vt poſsit non elici. Hæc autẽ ratio voluntarij, eſt voluntarium libertatis ſeu liberum: quę quidem libertas neceſſarium fundamentum eſt totius generis moris ad hoc vt actus ſit bonus vel malus moraliter: & ſine hoc genere voluntarij nullus actus poteſt eſſe moraliter bonus aut malus.

Duplex ratio voluntarij.

Corollar. 1. Ex dictis colligo, quòd ſi accipiatur volũtariũ in ſecũdo hoc genere optime dicitur actus eatenus eſſe bonus vel malus in genere moris ſeu moraliter, quatenus voluntarius eſt: quia hoc ſecundum genus volũtarij poſtulat rationem liberi pro fundamẽto. Dices ſi hoc eſt verum ſequitur quòd bonum & malum ſunt differentiæ eſſentiales actus interioris volũtatis ſecundum ſubſtantiam ipſius, ſeu in genere naturæ. Reſpondetur quòd liberum hoc ſecundo modo acceptum non eſt quid intrinſecũ ipſi actioni voluntatis ſumptę in genere & in cõmuni: ac proinde licet bonum & malum ſint per ſe differentiæ ſubſtantiales & eſſentiales huius liberi ſecundæ acceptionis, inde tamen minime colligitur eſſe differentias eſſentiales ipſius actus interioris voluntatis ſecundũ genus naturæ, ſeu ſecundum ſubſtantiam ſuam. Ex his ergo ſatis apertè conſtat liberũ in hoc ſecundo genere non eſſe quid eſſentiale aut intrinſecum actibus voluntatis vt ſic, & conſequenter in pueris & amentibus non eſſe hoc liberum ſecundi generis quamuis, in eis reperiatur actus voluntatis.

Corollar. 2. Ex dictis etiam colligo ſecundò, propoſitionem illam tritam ſatis inter Theologos: nimiram, Actioni hominis eatenus conuenit bonitas & malitia moralis, quatenus voluntaria eſt vel in quantum voluntaria eſt, bifariã poſſe à nobis intelligi. Primò quidem accipiendo particulã quatenus, vt ſit nota perfeitatis, & ita ſenſus illius propoſitionis eſt: Actioni volũtariæ & liberæ ſeu deliberatæ hominis cõuenit per ſe & non per accidens bonam eſſe aut malã in genere moris: vel è conuerſo. Actioni hominis bonæ aut malæ moraliter, per ſe conuenit liberam eſſe: & hac ratione vera eſt propoſitio. Huius rei ſimile exemplum adducitur, ſicut perſe conuenit relationi huius vel illius generis, habere hoc vel illud fundamentum: & è conuerſo tãli fundamento per ſe conuenit talis relatio: v. g. vnitati in forma per ſe conuenit relatio identitatis: generationi autem per ſe conuenit relatio paternitatis ad filium & è conuerſo relationi paternitatis per ſe conuenit habere fundamentum generationis. Secundo accipiendo particulam quatenus ſeu in quãtum pro vt poteſt ſignificare eandem eſſe formalem rationem liberi ſeu voluntarij, & bonitatis aut malitiæ moralis, ita ſanè vt ſit ſenſus: actio eò eſt mala aut bona, quò eſt libera, & in hoc ſenſu eſt falſa, vt de ſe patet.

Quomodo ſit verũ & intelligẽdum quòd actio in tãtum eſt bona vel mala in quantum voluntaria.

CONCLVSIO OCTAVA.

Concluſ. 8. Liberum eſt fundamẽtũ neceſſariũ fundamẽtũ eſſe moralis.

DIco octauo. Liberum, non eſt genus moris, videlicet ad bonum & malum: eſt tamen fundamentum neceſſarium, & quid præuium ad genus moris. Actum autem aliquem habere eſſe morale formaliter conſiſtit in hoc quod eſt procedere à voluntate libera ſecundi generis vt ſubordinata rationi, quatenus habet rationem regulæ dirigentis ipſam in genere moris. Vel vt iuniores volunt, eſt regulabilitas per rationem: ergo. Itaque genus moris non eſt ipſa ſubſtantia actionis interioris, ſed aliquid aliud illi aduenies, vt dictum eſt. Ratio autem moris diuiditur tanquam per differentias eſſentiales aut ſpecies per bonum & malum in genere moris, ſeu moraliter: ergo. Veruntamen cum dicitur liberum & voluntarium ſecundi generis eſſe fundamentum neceſſarium generis moralis, & quid præuium, in quo fundatur bonitas & malitia morum, non ſolùm debet intelligi de libero & voluntario formali, & expreſſo ſed etiam de libero & voluntario interpretatiuo: ſiuè directe ſiue indirecte libero.

Benè poſſunt eſſe aliquæ actiones voluntariæ quæ non ſint morales

Vnde fit, vt quamuis aliquæ actiones amentium ſint actiones voluntatis, & ſint actiones voluntariæ, non tamẽ ſunt morales, neq; actiones liberæ ſecũdi generis: ac proinde fit, vt bonum & malũ in genere moris non ſint differentiæ eſſentiales actionis volũtatis. Præſertim quia illud liberũ ſecũdi generis, quod eſt fundamẽtũ pręuiũ ad genus moris, deficit in pueris & amentibus ante vſum rationis: nam ante illum vſum nõ intellegimus actum aliquẽ volũtatis procedere à volũtate libera vt actu ſubordinata rationi quatenus habet rationẽ regu

lę dirigentis ipſam in genere moris. Hæc enim omnia deficiunt in puero ante vſum rationis & in amente. Quare prima conditio neceſſaria ad bonitatem moralem eſt vt actus ſtudioſus & virtutis fiat ex electione, hoc eſt ex libertate morali ſecundi generis, ita vt ſit regulabilis per rationem, ſeu per regulam dirigentem in genere moris.

Hinc fit vt facile cognoſcamus illud voluntarium & liberum, quod eſt in pueris & amentibus non poſſe habere rationem laudabilis in genere moris, ſicut non poteſt habere rationem meriti: quia ſolum rectitudo prout in actione libera ſecundi generis conſtituit rationem laudabilis. Rurſus etiam quia ratio meriti conſequitur bonitatem moralem veluti paſſio ſequitur eſſentiam: ac proinde ſublata prædicta ratione liberi, bonitas actionis ſolum manet ſub ratione rectitudinis communis tam in actionibus brutorum, quàm rerum inanimatarũ & etiam in actionis humanibus, quia quælibet actio in communi quorumcunque agentium poſtulat ſuam rectitudinem in ſuo genere. Alias dicitur mala in ſuo genere, carens rectitudine illi debita.

Ratio meriti & demeriti cõſequitur bonitatem, & malitiã moralẽ ſicut paſſio ſuam eſſentiam.

Cùm ergo D. Thomas dixit bonum & malũ non eſſe differentias eſſentiales actionis voluntatis ſecundum eſſe naturæ planè repulit actiones voluntatis puerorum & amentium quæ tantum ſunt in genere naturæ, & non in genere moris. Sed quoniã in diſputatione de peccatis ſuper primam 2. D. Thomæ multa diximus tam circa hanc concluſionem quàm circa præcedentes ideirco eò remitto lectorem, & hoc loco me contineo.

Ad argumenta pro quarta concluſione, quid poſsit reſponderi.

Ad Primũ argum.

AD argumenta vtriuſq; partis & vtriuſq; ſententiæ patet ex diſcurſu quartæ, & quintæ concluſionis. Vnde D. Auguſt. nõ meminit neq; diſputauit, an in pueris, & amẽtibus ſint aliquãdo actus liberi, ſed locutus eſt de cõmuni ſtatu hominum, & de cordatis hominibus in quibus malũ, quod ab eis caueri poteſt peccatũ eſt illis ſi illud nõ vitent. Vnde negatur cõſequentia de pueris, & amentibus, quia ſolum habent libertatem primi gradus cum indifferẽtia proportionata ſuæ cognitioni, neq; habẽt voluntatem liberam cum ſubordinatione ad rationem tanquam ad regulam dirigentem in ordine ad bonum honeſtum pro ſuo ſtatu. Et ſanè S. Thom. locis citatis ſolùm docet, nullũ eſſe peccatum in amentibus & pueris ſicut neque in brutis, in quibus non eſt libertas.

Ad 2. argument.

Ad ſecundũ argumentũ. Quod ſi pueri & amentes haberent libertatẽ in aliquibus operibus ſequeretur eos eſſe verè dominos ſuorum actuũ, reſpondetur quod ſolũ illæ actiones dicuntur propriæ humanæ, quarũ homo eſt dominus. Eſt autem homo Dominus ſuarũ actionũ per rationem, & voluntatem. Vnde & liberum arbitrium dicitur eſſe facultas voluntatis & rationis, ac proinde homo verè habet dominiũ ſuarum actionũ per liberum arbitrium: ſed S. Thom. 1. 2. quæſt. 1. art. 2. inquit, quòd ad hoc vt homo ſit dominus ſuarum actionũ duo requiruntur, alterũ quidẽ quòd homo habeat facultatem liberam conſultandi, & deliberandi quid bonum, & quid malum ſit, & quid ſit proſequendum, aut fugiendum, & vitandum. Alterum vero eſt quod habeat in ſua poteſtate poſt deliberationem me ligendi, & relinquendi quod ſic deliberatũ eſt ab eo, & hac ratione homo dicitur dominus ſuarum actionum. Neq; ſufficit primum ſine ſecundo, neq; homo eſſet dominus ſuarum actionum ſi poſt deliberationem neceſſario ſequeretur conſilium, aut non poſſet ſequi, & hoc dominium ita explicatum deficit pueris, & amentibus & dominium actionum humanarum eſt facultas vtendi ratione & voluntate cum facultate conſultandi & deliberandi, & faciendi & non faciendi cum alijs annexis. Rurſus non habent collationem, & conferentiam de circũſtantijs operum, neque collationem ad deliberandum, & conſultandum, ac proinde cum non habeãt actus deliberatos, qui ex collatione & rationis conſilio proueniant, non dicuntur habere dominiũ propriè. Et quamuis ad laudem operis ſtudioſi ſatis ſit potuiſſe tranſgredi legem, & non fuiſſe trãſgreſſum, tamen amentes, & pueri, qui non habent rationis vſum, neq; voluntatem quæ in tali ſtatu ſubijciatur regulæ & rationi dirigenti non dicuntur tranſgredi legẽ, Quia ad hoc erat neceſſarium, quòd voluntas eorum eſſet ſubordinata rationi in illo ſtatu tãquam regulæ dirigenti ipſam in genere moris, & ad diſcendum rationem boni honeſti ad oppoſitũ, ſicut ſuperiùs diximus in diſcurſu quintæ aſſertionis, quod reperiri nõ poteſt in pueris, & in amẽtibus cùm eorũ voluntas non ſubordinetur tunc rationi tanquam regulæ dictãti & dirigenti quid expediat agere vel nõ agere in ordine ad bonum honeſtũ, & ad regulas directionis morales, vt loco citato diximus.

Pueri & amentes carent dominio ſuarum actionum, quia nõ habent actus deliberatos, qui ex collatione, & rationis conſilio proueniant.

Non dicuntur pueri & amentes legem tranſgredi.

Ad vltimũ

Ad vltimum Franciſcus Victoria relectione citata num 5. propoſitione 3. inquit, quòd non videtur eſſe idem, habere liberum arbitrium, aut vſum rationis, quod poſſe agere, & non agere poſitis requiſitis ad agendũ, ad ſenſum, in quo cõmuniter doctores id accipiunt. Hanc tamen doctrinam dicit ille non eſſe ita notam, neque certam ſicut eſt illa, quam ipſe tradiderat de vſu rationis, de quo inquit idem eſſe, quod habere liberum arbitrium, aut ſicut illa, de qua dixerat propoſitione 2. non eſſe idem liberum arbitriũ aut vſum rationis, quòd habere actus intellectus & voluntatis. Quoniam amentes, & pueri nõ habent vſum rationis, & tamẽ habent actus intellectus, & volũtatis etiam circa res ſpirituales, quæ nõ cadunt ſub ſenſu, quia loquuntur de Deo interdum & diſputant, & ſyllogizant. Sed profectò quid-

Vera solutio.

quid sit de opinione Victoriæ semper est dicendum potentiam liberam esse, quæ positis requisitis ad agendum posset agere, & non agere, hæc enim est vera conditio liberi arbitrij, seu causæ liberæ, vt opponitur causæ necessario agenti: Amentes autē & pueri si aliquando habent in eo statu ante vsum rationis absque subordinatione ad legem dirigentem & ad directionem circa bonum honestum actus aliquos liberos ex eo, quòd eorum voluntas sub ordinatur intellectui, vt cognoscenti, & proponenti obiectum cum indifferentia absque ordine ad bonum honestum, & ad regulas & principia moralia, tunc eos actus exercet secundum primum gradum libertatis naturalis, sed quoniam carent subordinatione ad regulam boni honesti, & ad regulam dirigētem, & dictantem quid expediat agere vel non agere secundum principia moralia & leges idcirco eorum actiones non sunt capaces vitij & virtutis. Denique patet solutio huius argumenti ex dictis.

DISCVRSVS QVINTVS, vbi soluuntur difficultates contentæ in primo huius operis discursu.

SECTIO I.

QVomodo intelligatur illud vulgare proloquium: Facienti quòd in se est Deus non denegat gratiam? Et de ordine operum ad gratiam vocantem & præuenientem.

IAM tempus, est vt dissoluamus argumēta, quæ in exordio primi discursus proposita fuerūt pro gratia contra liberum arbitrium. Primum igitur argumentū obijcit, quòd credere & conuerti ad Deū non est in potestate humanæ voluntatis ex innatis viribus, aut libertate eius, quia nemo potest credere nisi vocetur, tangatur & moueatur cor eius. Nemo autē habet in potestate sua vt vel vocetur à Deo vel tāgatur aut inspiretur &c. Respōdetur, quòd ea, quę in primo argumento deducuntur solū ostendunt neminē posse credere absq; adiutorio diuino: adiuuat autē Deus ad hoc opus, primū vocādo, & ea, quæ salutis æternæ sunt inspirando, aut proponendo vel per se vel per Angelū aut hominē. Nam hac ratione dixit Paul. ad Roman. 10. fidem esse ex auditu. Deinde intus suggerēdo, & mouēdo, & etiam suasione quadā occultissima intimando ea, quæ pro salute nostra cōueniunt, quibus fit vt mens nostra non coactè sed libera voluntate credere incipiat ex Dei adiutorio & testimonio verbi Dei. Ex quo fit vt credere nō sit solius liberi arbitrij opus, sed simul Dei & hominis, dicente hoc Saluatore Christo Iesu, Ioannis 6. *Operamini cibum, qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Et interrogātibus Iudæis, quid faciemus vt operemur opera Dei? Respondit Christus: *Hoc est opus Dei, vt credatis in eū, quem misit ille.* Quibus verbis aperte insinuat nos oportere operari opus Dei. Vnde cōsequens est ipsum credere opus Dei esse simul & nostrū. Quia nos operamur illud, Deus nos præuenit, vt credere velimus, qui nos præuenire nō possumus, & quāuis opus credēdi simul sit Dei & nostrum, tamē à Deo est gratia, qua nos præuenit, & mouet & primū principium credendi. Quocirca quamuis ipsum credere simul sit opus nostrū & Dei, nō dixit. Hoc est opus vestrū vt credatis in eū, quē misit ille, ne daretur occasio hominibus errādi sicut errāt hæretici cū Pelagio arbitrātes se posse credere absq; Dei præuenientis gratia & misericordia, cùm tamen Paul. ad Rom. 9. dicat. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*, tanquā si diceret esse vas honoris, esse electū ex massa perditionis, esse sine peccato, nō est hominis: sed nō inde cōsequens est, credere non esse hominis aut liberi arbitrij opus, aut credere nō esse vnquā in potestate libera volūtatis: quia Deus pro loco & tēpore vocat, pulsat, & adiuuat, & mouet incredulos, vt credant libera volūtate. Quemadmodū hi, qui credūt tangūtur à Deo mouētur & iuuātur, vt in fide recta semel accepta volūtarie maneant & proficiant. Quocirca Pau. in eodē ca. 9 ad Roman. postquā dixit *Nō est volentis neque currentis, sed Dei miserentis*, subdidit. *Cuius vult miseretur, & quē vult indurat*: plane insinuās tā culpā, quā iustitiā esse hominis libera: Iudęis quidē induratis tribuēs culpā pro eo, q ex operibus legis sine fide in Christū conati sunt apprehēdere iustitiam: Gentes verò iustitiā apprehendisse, quia non ex solis operibus, sed ex fide in Iesum quæsierunt illam.

Ad Rom. 9.

Solutio ad 1. argum. primi discursus.

Ad Rom. 10.

Ioann. 6.

Sed pro solutione huius primæ difficultatis, quæ in argumento inuoluitur, tantisper immoremur, faxit Deus vt verum portum teneamus. Diuus Augustinus in epistola ad

D. Aug. ad Valentin.

Valentinum sic ait. *Nimia voluntatis suæ diffidentia deiecit quosdam in negligentiam: quosdam vero nimia voluntatis suæ fiducia extulit in superbiam. Illi dicunt, vt quid conamur bene viuere, quod in solius Dei est voluntate? Isti dicunt: vt quid rogamus Deum ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate? Proinde & ista quæstio, vbi de libero voluntatis arbitrio & de gratia Dei disputatur, ita* inquit Aug.. *est ad dicernendũ difficilis vt quando defenditur liberum arbitrium, Dei gratia negari videatur: quando autem asseritur Dei gratia liberum arbitrium putetur auferri.* Qua propter difficultas huius primi argumenti indenascitur quòd scriptura diuina aliquando ita loquitur, vt nihil videatur liberum arbitrium prodesse aut facere ad salutem, sed sola gratia totum facere. Veluti cùm dicit, *Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis: Deus cuius vult misereretur, & quem vult indurat: Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea* Aliquando verò scriptura ita loquitur ac si tota nostra salus in nostra consistat volũtate. Veluti cum dicitur Esaiæ 1. *Si volueritis, & me audieritis, bona terræ comedetis, si nolueritis gladius deuorabit vos.* Et Ecclesiastici. 15. *Ante hominem bonum & malum, vita & mors, quodcumque voluerit dabitur illi.* Hæc & alia sacrarum litterarum testimonia, quæ inter se habent suam difficultatem sunt, ex quibus gratiam simul cum libero arbitrio docet catholica fides defendere. Authoritas enim diuina in scripturis sacris neminem quaquam hominem (ait Augustin.) admoneret si nullam liberi iudicij rationem in homine cognosceret. Nec item pro meritis bonis, aut malis singulis retribueret, si per liberum arbitrium nullum bonum vel malum homo faceret. Rursus nec gratiam scriptura cõmendaret tanquam necessariam ad salutem, si liberum arbitrium saluari & bene operari sine gratia Domini nostri Iesu Christi sufficeret.

Testimonia sacræ scripturæ quorũ alia gratiã, alia liberum arbitriũ stabiliunt.

Contra hanc tamen Ecclesiæ doctrinã, insaniam suã protulerunt duæ hæreses inter se sedissidẽtes dissimili sentẽtia sed simili mẽte peruersa, vtriq; simul gratiam Christi oppugnãt, nimirũ Pelagius & Manichæus, sed iste liberũ aufert arbitriũ, ille vero nẽpe Pelagius adeo extollit innatas vires arbitrij creati vt gratiã Dei cõculcet. Quo circa Deus prouidens duas has hæreses Sathanæ procurãte suborituras esse: in scripturis sacris tribuit bene velle, & bona facere, & conuerti nũc humanæ voluntati, nũc soli diuinæ gratiæ. Nã dũ admonet arguit & hortatur hominẽ, vt credat Euangelio, vt velit hoc, nolit illud, vt faciat hoc, & respuat illud, vt corde ad Deũ redeat, vt Deũ pro gratia impetranda oret, & pulset, vt Deo vocanti obediat, futurã tunc hæresim destruit Manichæi, apertè insinuat libertatẽ arbitrij, & nullã esse in homine mentẽ immutabiliter & necessariò operantẽ bonũ, neq; itẽ aliam esse mentẽ in homine secundũ se, & immutabiliter malã, sed vnã esse animam, eamdẽq; liberam volũtatem, quæ nunc bona faciat, nunc mala, nunc bene viuat, nunc male libere. Cũ verò scriptura extollit gratiã Dei, & affirmat neminẽ posse venire ad Christum, nisi pater cælestis traxerit illũ, destruitur Pelagiana hæresis, & suorũ, & simili ratione cũ bonꝰ vsus gratię donũ Dei dicitur à Sãctis Patribus innatæ vires liberi arbitrij, quas Pelagius extollit, quàm sint insufficientes in operibus gratiæ supernaturalibus explicatur. Vnde Paulus, *Nõ sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et quoniam D. Augustin. agens contra Manichæum commendat libertatem arbitrij nostri, & pro defensione liberi arbitrij multa dicit & exaggerat dicens etiam nihil esse tam in potestate nostra, quam voluntatem ipsam: *Idcirco quia in his & similibus propositionibus gratia Dei non semper commemoratur, putant Pelagiani* (inquit Augu.) *nos suam tenuisse sententiam. Sed frustra id putant: voluntas quippe est qua quisq; peccat, qua recte viuit: verum ex se peccat quisquis peccat, rectè autem vel le non potest nisi fuerit auxilio Dei adiutus. Proinde arrogantes huius seculi homines contemnentes venerandam patrum antiquitatem, arbitrantes Irenæũ, Basilium, Athanas. Tertullia. Ambros. Chrysost. liberum defendentes arbitrium, non recte sensisse de gratia diuina miserabili cæcitate falluntur.* Sed operæpretium est aduertere cum Driedone lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 3. *Patres istos* ante quã hæresis insurgeret Pelagiana, curam gessisse præcipuam, vt hæresim extingueret Manichæorum, contra quem scripserunt patres antiqui, præcipuè Chrysost. qui in plerisq; locis plurimum videtur tribuisse libero arbitrio, ipsum sic defendens vt Pelagiani minùs recte eum intelligentes putauerint illũ suam ipsorum tenuisse sententiam. Verum quod non recte id putare valeant, sed ipsum Chrysostomum optimè de gratia & libero arbitrio sensisse manifestum est, si Chrysostomi dogmata in multis alijs locis adinuicem conferantur, legendus est in hom. de Adam, & Eua, & hom. 3. de conuersione D. Pauli: vbi pro gratia contendit & loquitur.

D. Augu.

Chrysosto. Homilia. 12. in epist. ad Hebræos

Manich. liberum arbitrium, Pelagius gratiã negat.

Fatemur igitur conuersionem in Deum ab infidelitate ad fidem, à peccato ad gratiam libere fieri ab homine adulto, sed non ex innatis viribus voluntatis humanæ, aut liberi arbitrij, sed ex diuina gratia. Nemo enim potest venire ad Christum, nisi pater cælestis traxerit illum Ioan. 6. Et D. Cyprianus, quẽ citat D. Augustinus, sæpius repetit illam sentẽtiã, quam idem Augustinus celebrat in libris de prædestinatione sanctorum, & de bono perseuerantiæ. *In nullo gloriandum quando nostrum nihil est*: ergo id conceditur argumento facto ab aduersarijs, quòd non est in potestate virium, seu ex innatis viribus volũtatis humanæ vel arbitrij creati in Deum conuerti, aut fidem fieri. Id enim Trid. Concil. sess. 6. de iustificatione palã definiuit can. 2. & 3. & in decreto de iustificatione ca. 5. & 6. Rursus fatemur cum D. August. lib. 1. de prædestinatione sanctorũ

Liberè fitcõuersio in Deũ, sed nõ ex innatis viribus.

D. Cypria.

Conc. Trid.

Prouidens Deus has hæreses, sacram Scripturam ditauit testimonijs contra ipsas.

cap 3. quòd neq; velle poſſumus cõuerti ab infidelitate ad fidẽ niſi vocemur: & quòd cũ poſt vocationem voluerimus non ſufficit volũtas noſtra, & curſus noſter, niſi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quò vocat. Ex quo intulit Auguſt. manifeſtũ eſſe non volentis, neq; currentis, ſed miſerentis Dei eſſe quòd bene operamur, quod dicit Auguſt. veriſimum eſſe: ſed non licet inferre quod ſi neceſſaria eſt gratia quæ libertatẽ perficiat eiq; vires præbeat, quòd ob id aufertur libertas aut læditur.

An verò in poteſtate hominis poſitum ſit quòd tangatur & inſpiretur à Deo, & vocetur ab ipſo id quidẽ alibi explicandũ eſt fuſe, de quare nõ pauca diximus 1. 2. in diſputatione de gratia, nũc verò aliqua dicemus. Suppono tamẽ prius D. Auguſt. lib. 1. de prædeſtinatione ſanctorũ ca. 16. duas cognouiſſe vocationes Dei ad nos factas, vnã, qua vocati ſunt qui noluerũt venire ad nuptias, qua vocatione & Iudęi vocati ſunt, quibus Chriſtus crucifixus ſcãdalũ eſt. Alteram verò vocationem, quam ille appellat ſecundũ propoſitum, qua vocatione reuera & de facto veniunt illi, qui vocãtur. Secundum quam vocationem Paulus ad Romanos. 9. dixit. *Non ex operibus ſed ex vocante dictum eſt. Quia maior ſeruiet minori.* Et ſubiungit Auguſt. *Nunquid dixit, non ex operibus ſed ex credente? Prorſus etiam hoc abſtulit homini, vt totum daret Deo. Dixit ergo: ſed ex vocante, non quacumq; vocatione, ſed qua vocatione fit credens. Quòd ſi hac vocatione fit credens* (vt interim hoc dicã) ergo eadem vocatione, quæ dicitur ſecundũ propoſitũ, & qua homo ex infideli fit credẽs determinatur à Deo ad credendũ ex ſentẽtia Auguſt. Nam aliquis fit credẽs credẽdo, & ex actu credendi, per quem determinatur actu ipſa voluntas, quod ex ipſa vocatione ſecundũ propoſitum fit, nam ea homo fit credens à Deo, vt ipſe Auguſt. teſtatur. Et ita vocatione determinatur à Deo dum per eam fit credens.

Ad Romanos. 9.

D. Augu.

An ſit in poteſtate hominis quòd inſpiretur & vocetur à Deo?

SED redeamus ad propoſitam difficultatẽ, quæ inſinuatur in primo argumẽto vtrum ſit in poteſtate hominis, quòd inſpiretur & tãgatur à Deo, vel vocetur. In quare confutato pelagio orti ſunt alij, qui ſemipelagiani vocati ſunt, affirmãtes quòd quamuis ad conſequendã iuſtitiã neceſſariũ ſit ſupernaturale auxiliũ nõ tamẽ gratuitum. Putabant enim iſti ſupernaturale hoc auxiliũ ex innatis viribus liberi arbitrij & operibus eius dari nobis, quia alias nõ poterant intelligere, quo pacto eſſet in poteſtate hominis ſaluari, ſed ſolũ in mera voluntate Dei dãtis auxiliũ, cui vult. Sane pelagius vt colligitur ex D. Auguſt, epiſt. 107, prius docuerat hunc errorẽ: cæterũ ſemipelagiani pluribus, & maioribus Pelagij erroribus repulſis, hunc per ſimulationẽ occultare, & retinere clã voluerunt, ita tamẽ vt in verbis eorũ gratia audiretur, & ſonaret, meritũ verò occultaretur & deliteſceret in eiſdem verbis. Leo Papa in epiſt. 84. videtur ſcripſiſſe contra hos dicens. *Damnent apertis profeſſionibus ſuis ſuperbi erroris authores:* Et ſtatim inferius. *Nihil in verbis eorũ obſcurum, nihil inueniatur ambiguũ: quoniam nouimus hanc iſtorũ eſſe verſutiã, vt in quacũque particula dogmatis execrandi, quam à damnandorum ſocietate diſcreuerit, nihil ſibi ſenſuũ ſuorũ exiſtimẽt eſſe non ſaluum. Cumq; omnes definitiones ſuas ad ſubrependi facilitatem improbare ſe ſimulent, atq; deponere, hoc ſibi tota arte fallendi niſi intelligatur excipiunt, vt gratia Dei ſecundum merita dari accipientiũ ſentiatur, quæ vtiq; niſi gratis detur non eſt gratia ſed merces, dicente Apoſtolo, Gratia eſtis ſaluati perfidem, & hoc non ex vobis: donum enim Dei eſt, non ex operibus, ne quis glorietur.*

Leo Papa.

Ad Epheſ. 2.

Recentes Theologi nõnulli expreſſe dicũt Deũ velle influere in volũtates noſtras & in actus liberos eius, non quidem abſolute, ſed quaſi ſub conditione, & hac ratione velle vt actus aliquis à voluntate creata fiat expectando influxũ creatæ volũtatis noſtræ, ita vt quaſi ſub hac conditione Deus velit influere ſuã gratia & auxilio, ſi voluntas ſeſe ad eliciendũ actũ determinauerit expectando inquã influxũ voluntatis noſtræ. Quid autẽ ſibi velit iſte modus dicendi & quid inuolute, & occultè dicat, Sancta ſedes Apoſtolica Romana iudicio ſuo decernat, cui meũ ſubmitto. Nam concilia præcipue Arauſicanũ ſecundũ & antiqui patres ſemper dixerunt auxilium gratiæ Dei ad opera ſalutis gratuitũ eſſe omnino. Deumque non expectare voluntates noſtras. Neq; ſolũ male diceretur & contra concilia præcipuè cõtra Tridentinũ primum auxiliũ ſalutis noſtrę, quod à vocatione incipit ex meritis dari, aut de congruo vel de condigno, cum ſeſſ. 6. ca. 5. dicatur, quod nullis exiſtentibus meritis vocãtur homines peccatores. Sed etiam eſſet valde difficile affirmare Deũ influere in nos ſub conditione operationis noſtræ, & actus voluntatis, expectando influxũ voluntatis noſtræ ad actũ, quaſi ſub cõditione illa, ſi ipſa ſe ad eliciẽdũ illum determinauerit. Et eſt ſermo de primo auxilio vocationis circa exordiũ iuſtificationis. Nã datis pleriſq; auxilijs, quibus tangitur & inſpiratur homo & mouetur à Deo, quibus etiam bene vtitur, Deus vlteriora dat vt D. Auguſt. epiſt. 105. & 106. docet. Vnde quãuis in omnibus iſtis auxilijs reperiatur gratia Dei, tamen Sancti patres potiſsimè in primo auxilio, quod ad voluntatem credendi datur & ad initium conuerſionis hanc gratiã conſtituũt, & hac ratione negant initiũ ſalutis poſſe eſſe ex nobis, negãtq; totã gratiã quatenus in illo primo auxilio inchoat, poſſe aliquo modo fundari in operibus noſtris, quod non tantũ debet intelligi de operibus, aut meritis de condigno, ſed etiam de congruo. Sed obſeruãdum eſt ſemipelagianos poſt pelagium non

Quid recentes Theologi ſentiant de hoc.

Semipelagiani auxilium ſupernaturale vocationis cõcedentes, illud eſſe gratuitum negabant.

Falſum eſt Deũ influere nos ſua gratia ſub conditione operationis

In primo auxilio potiſsimè gratia Dei conſtituitur à Sãctis Patribus.

poſuiſſe

posuisse meritum de cõdigno in eo actu humano, seu opere voluntatis nostræ, propter quod initiũ gratiæ seu primũ auxilium dari affirmarent: & ita non dicebant dari ex iustitia, sed ex misericordia, affirmabant tamen dari per respectum ad aliquem laborem nostrũ, vel conatum, seu ad voluntatem & desiderium obtinendi gratiam vel iustitiam, quatenus ex innatis viribus liberi arbitrij haberi potest ante omnẽ gratiam. Quam sententiam Cassianus tradidit lib. 12. de instit. Cœnob. ca. 14. & sequẽtibus, & in collation. 13. Sed profecto in hoc sensu Diuus August. epist. 105. & 106. & lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 6. & sequentibus, & Psalm. 31. scripsit cõtra hanc sententiam. Nam etiã in hoc sensu, in quo præcedentem sententiã retulimus dixit August. contra istos. Gratiã nihil humani meriti præcedere, vocat enim D. August. prædictis in locis humanũ meritũ illud, quod sine vlla gratia præsumitur ex innatis viribus & ex sola libertate. Contra quã sententiã scripsit Diuus Prosper contra Collatorem, & Fulgentius lib. de incarnatione & gratia cap. 12. 13. & 17. & Cælestinus Papa epist. 1. & Conc. Trid. sess. 6. cap. 5. & Arausicanum secundum, & Leo Papa Sanctissimus expresse epist. 84. citata.

D. Prosper Fulgentius Celestinus Conc. Trid. & Arausicanum.

Alij fuerunt & sunt Theologi, qui volunt posse hominẽ per vires naturæ aliquid efficere, quo primũ gratiæ auxiliũ, seu primam vocationem obtineat, in quo sensu interpretantur celebre illud Proloquium, Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, de illo qui ex innatis viribus seu per vires liberi arbitrij facit quod in se est. Quam sententiam (quod est mirabile) volunt recentes Theologi huius ætatis non quidem damnare sed pie explicare, ne cum semipelagianorum errore inuoluatur, quia vt ipsi putant habet catholicum sensum, quem ego non video. Voluerunt igitur authores citatæ sententiæ vt declararent sufficientiam, & necessitatem gratiæ, modum inuestigare, quo prima gratia sit in potestate hominis & eã habere etiam quantum ad primũ auxilium vocationis, aut tactus diuini, quia alias non intelligitur quonam pacto in potestate hominis sit, obtinere salutem si non est in potestate eius inchoare illam, & id circo introduxerunt prædictũ modũ dicendi.

P. Molina tenet Deum præsto esse in libero arbitrio vt quoties ex suis naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex spectantibus ad iustificationẽ, illud efficiat.

Ludouicus Molina in concordia q. 14. art. 13. disp. 10. affirmat, quòd sicut Deus semper est præsto per generalem cõcursum libero arbitrio vt naturaliter velit aut nolit, pro vt placuerit: ita præsto illi est per auxiliũ gratiæ sufficiens, vt quoties ex suis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex ijs, quæ ad iustificationem spectant, illud assequatur pro vt ad salutem oportet. Et inferius inquit Molina. Quòd si conantibus ex suis naturalibus, facientibusq; quod in se est, vel vt fidẽ amplectãtur, vel vt de peccatis doleant, Deus non est semper præsto per auxilia, & gratiam præuenientẽ vt actus sint quales ad salutem oportet; quanam ratione verum erit, Deum velle omnes homines saluos fieri? Et in hoc sensu videtur explicare locum illum Ioan 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, dicit enim de hominibus hæc verba: *His enim eatenus facta est potestas, vt filij Dei fiant: quatenus si quantum in se est conentur, præsto illis aderit Deus vt fidem, & gratiam consequantur, neque desiderio suo fraudentur. Quare ea ratione in potestate eorum est vt filij Dei fiant.* Et in exordio huius disputationis de cimẽ, idem Ludouicus Molina asseuerat, quòd quotiescumque ex suis viribus naturalibus conatur liberum arbitrium, præstoue est ad conãdum totum id quod ex sese potest, tam circa fidem, quam circa dolorem de peccatis ac iustificationem, à Deo conferri gratiã præuenientẽ, seu auxilia gratiæ, quibus id faciat vt oportet ad salutẽ, & tandem dicit esse legem de hac re, quã Pater æternus & Christus Dominꝰ statuerunt. Hac inquã ratione supra tacta, vt quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis est, præsto nobis essent auxilia gratiæ, quibus ea vt oportet ad salutẽ efficeremus, vt ea nimirum ratione homo viator semper in manu liberi arbitrij sui, salutẽ suam haberet, & posita esset. Hactenus de sententia Molinæ, quam ille introducit vt inueniret modum, quo sit in potestate hominis habere gratiam necessariam salutis etiam quoad primum auxilium: quia aliàs non apparet quomodo sit in potestate hominis salutẽ obtinere si nõ est in potestate illius eã inchoare. De hoc modo dicendi, & de pleriſq; pronuntiatis in eo contẽtis expectamus hodie iudiciũ Apostolicæ sedis, eiusq; definitionẽ, & decretum. Dicã tamẽ inferiùs quid reperio apud D. August. & etiã ea, quæ sentire videntur scholastici Doctores, & quæ nos diximus in disputatione de gratia.

De hoc legẽ esse latã inter patrem æternũ & Christũ Dominum sensit Molina.

Hanc sentẽtiam refert Franc. Suarez sub eodem tenore: li. 3. de Auxilijs ca. 2. §. Nõ omittam pagin. 155.

CONCLVSIO PRIMA.

PRO explicatione huius difficultatis, quæ gratia primi argumenti in hac priori sectione tractatur dico primò. Initium salutis animę nulla ratione incipit ab innatis viribus naturalibus. Hæc assertio certissima est, & quæ habet fundamentum in concilijs, & Sanctis Patribus. Nam certę Tridentinum concilium sess. 6. cap. 5. sic determinat. *Declarat præterea* (scilicet Sancta Synodus) *ipsius iustificationis exordium in adultis, à Dei per Christum Iesum præueniẽte gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione &c.* Idẽ habetur & traditur in Conc. Arausicano canone 3. & 4. 17. Sed præcipuè canon. 18. & 25. idẽ tradit Cælestin. primus epist. 1. ad Episcopos Galliæ cap. 12. & Leo primus epist. 84.

Concluſ. 1. Initium salutis animæ nullatenus est ex viribus naturalibus.

Conc. Trid. & Arausi. Cælestinus & Leo. primus.

Ex veritate huius assertionis colligo sententiã illam, quæ asserit non ex debito iustitiæ sed infallibiliter aut necessariò ex lege Dei immediate sequi ad opera naturalia supernaturalem gratiam actualem, seu auxilia, & præsidia supernaturalia Dei, quibus quoties ex suis viribus naturalibus homo aggredi voluerit

opus aliquod ex his, quæ ad iuſtificationẽ ſpectant illud exequatur, pro vt ad ſalutem oportet, non poſſe bene defendi. Quoniam ſcriptura & concilia Sanctique Patres non ſolùm dicunt neminem poſſe ex innatis viribus naturæ obligare Deum ad conferendam gratiam per modum diſpoſitionis aut meriti, verum etiam negant poſſe nos ex innatis viribus naturæ, & liberi arbitrij facere quæ neceſſaria ſunt ſecundum legem Dei ad hoc, vt Deus cõferat nobis gratiam: & tamen authores oppoſitæ ſententiæ cenſent eſſe legem infallibilem, vt quoties homo peccator ex ſuis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex ijs, quæ ad iuſtificationem ſpectant, illud exequatur pro vt ad ſalutem oportet. Hoc non video qua ratione ferendum ſit, nimirũ, quòd ex viribus naturalibus poſsit peccator aggredi opus ex his, quæ ad iuſtificationem ſpectant vt illud exequatur pro vt ad ſalutẽ oportet: ita vt conferantur homini auxilia gratiæ ex lege infallibili, ſicut confertur cõcurſus generalis rebus naturalibus, ſeu vt Molina dicit, quòd quotieſcũq; liberũ arbitriũ ex ſuis viribus naturalib⁹ conatur, præſtove eſt ad conãdum totum id quod ex ſeſe poteſt tam circa fidem, quam circa dolorem de peccatis ad iuſtificationem, à Deo conferri gratiam præueniẽtẽ auxilia ve, quibus id faciat vt oportet ad ſalutem. Hoc inquam quod dicit de libero arbitrio ex ſuis viribus naturalibus, & ex conatu earum nõ video, vt dixi, quo pacto ferendum ſit. Quoniam Sancti Patres etiam damnantes Pelagium potiſsimum intendebant damnare hanc infallibilem & neceſſariam conſecutionem gratiæ ex operibus naturalibus, ſeu ex operibus liberi arbitrij ex innatis viribus naturalibus eius ortis. Sed eſt valde perpendendũ id quod Magiſter Vega & Bartholomęus Medina dicunt, nimirum Pelagium non adeò deſipuiſſe vt diceret, nos poſſe facere Deum debitorem ſimpliciter primæ gratiæ, & mereri illã de condigno aut ex rigore iuſtitię: ſed tantùm ex lege ſua infallibili. Quoniam ad rationem meriti ſufficere videtur, quòd merces debeatur, non ex natura operis, ſed ex pacto & lege diuina. Imò verò meritum, quo iuſti merentur gloriam, fundatur in lege & ordinatione diuina: ergo ſi ſecũdum legem infallibilem Dei ſequitur gratia, ita vt ex ſolis viribus naturæ factis, homo peccator habeat poteſtatem auxiliorum gratiæ, & vocationis: aut ita vt quoties ex ſuis viribus naturalibus peccator aggredi voluerit opus aliquod ex his, quæ ad iuſtificationem ſpectant illud exequatur pro vt ad ſalutem oportet, vt dicit Molina, ſequitur, quòd talia opera, ex innatis viribus naturæ facta poſſent dici meritoria illius gratiæ actualis, & auxiliorum ad opera, quæ ad iuſtificationem ſpectant, vt illa exequatur, & conſequatur pro vt ad ſalutem oportet. Vnde aduertendum eſt Ludouicum Molinam verè quidem repuliſſe rationem meriti reſpectu gratiæ actualis, ſeu auxiliorum ſupernaturalium. Quia videbat ex ſua doctrina poſſe colligi rationem meriti reſpectu auxiliorum gratiæ, & quamuis meritum repulerit, tamen tacuit, & minimè expreſsit: an opera naturalia ex innatis viribus naturæ facta bona moraliter, haberent rationem diſpoſitionis ſuppoſita lege infallibili, quam ipſe conſtituit ab operibus naturæ præciſe, ad gratiam auxiliorum ſupernaturalium. Et mirabile profectò eſt quòd tacuerit, an bona opera naturalia haberent rationem diſpoſitionis ad prædicta ſupernaturalia gratiæ auxilia, in ſenſu, quem ipſe tradit, & ſupra ex ipſo retulimus: cum non lateret ipſum doctores catholicos non ſolùm repellere rationem meriti ab his operibus reſpectu gratiæ, vt etiam repellitur à Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. ſed etiam repellere rationem diſpoſitionis ab operibus præciſe naturalibus, factis ex innatis viribus noſtris. Imò verò Tridentinum Concil. diffinit nullum hominem ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiã coram illo, libera ſua voluntate poſſe. Et tamẽ ait Molina: quòd quotieſcumque liberum arbitrium ex ſuis viribus naturalibus conatur præſtove eſt ad conãdum totum id quod ex ſeſe poteſt, tam circa fidem, quam circa dolorem de peccatis ac iuſtificationem, à Deo conferri gratiam præuenientem, auxilia ve quibus id faciat vt oportet ad ſalutem. En Molina docet hominem libera ſua voluntate & ex innatis viribus ſe mouere poſſe tam circa fidem, quàm circa dolorem de peccatis ac iuſtificationem, ob quam motionem ex naturæ conatibus factam confertur illi gratia præueniens, & conferuntur auxilia, quibus id faciat, vt ad ſalutẽ oportet, cuius rei iudicium ſit ex ſacro Tridentino Concilio, qualiter hoc dicatur.

Moueor etiam quia incideremus, ſi vera eſſet ſententia prædicti authoris in illud Aug. *Cur hunc trahat, & illum non trahat, noli iudicare, ſi non vis errare*, & conſequenter poſſemus facile ſoluere quæſtionem illam D. Pauli, quam ille excitat in epiſt. ad Rom. & inſolutam relinquit, nimirum: *Quid eſt quòd hunc trahit & alium non trahit?* poſſet quis reſpondere iuxta hanc ſententiam. Hunc trahit, quia ex innatis viribus ſuis ſeu naturæ fecit bona opera, & conatus eſt, vel ex lege infallibili ſe diſpoſuit, illum verò non trahit, quoniam non fecit bona opera naturalia, neque conatus eſt ex viribus naturæ, quibus infallibili lege correſpondẽt auxilia gratiæ, & ità non ſe præparauit ex ſuis viribus, neque conatus eſt ex illis. Rurſus ſi eſt talis lex infallibilis omnino, illa quidem eſt lex ab operibus naturæ ad opera gratiæ, ſeu à natura ad gratiam, quomodo ergo ſcripturæ & concilia definiunt hominem ex facultate naturæ nihil poſſe facere quod ad ſalutem æternam conducat, ſine ſpeciali gratia Dei. Nam profecto vtiliſsimum & maxime conducens eſſet ponere talem præparationem ex naturæ conatu, & ex innatis viri-

Sacra ſcriptura & concilia aperte negant poſſe nos ex viribus naturæ facere quæ neceſſaria ſunt ſecundum legem Dei ad ſalutem ſpiritualem cõſequendam.

Vega. Medina.

Nõ expreſſit Molina an opera bona facta ex viribus naturæ haberent rationem diſpoſitionis ſuppoſita lege ad gratiam auxiliorum ſupernaturalium.

Poſſet optime reſponderi quæſt. factæ à D. Aug. quam ipſe inſolutam relinquit, ſi vera eſſet ſententia Molinæ.

bus facultatis naturæ, ad quã de lege omnino infallibili fieret vt quoties peccator ex suis viribus naturalibus aggredi vellet opus aliquod ex his, quæ ad iustificationem pertinẽt illud exequeretur pro vt ad salutem oportet.

Primum nostræ salutis initiũ esset in nobis si verum esset quod defendit Molina.

Moueor vlterius, quia si vera esset doctrina Molinę, sicut ille eam tradit, sequeretur posse dici, quòd primum initium absolutè & simpliciter nostræ salutis esset in potestate nostri conatus, & virium nostrarum naturalium: non quidem primum in ordine supernaturalium, sed primum absolutè & simpliciter ante quod non est aliud. Probatur sequela. Quoniam ex lege infallibili non aliter quàm ex cõcursu generali ordinis naturæ, lege quasi naturali ordinaria, qua omnibus agentibus statuit Deus nõ denegare talem cõcursum generalem (vt Molina fatetur) Deus ipse conantibus nobis ex solis naturæ viribus dat gratiæ auxilia, quibus homo peccator quantumcunque sit Dei inimicus faciat & aggrediatur ea, quæ ad iustificationem, & salutem oportet: vt quoties ex viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex his, quæ ad iustificationem spectant illud exequatur pro vt ad salutem oportet. Et est sermo de homine, qui ex conatu naturali, & ex suis viribus naturalibus aggredi vult opus aliquod ex his, quæ spectant ad iustificationem. Supponamus opus illud esse dispositionem vltimam ad iustificantem gratiam, seu contritionem, seu conuersionem vltimam, tũc planè sequitur ex aduersariorum dictis, quòd primum initium huius consecutionis vltimæ dispositionis ad iustificationem, seu ad gratiam, sunt vires naturales innatæ liberi arbitrij, seu operationes merè naturales ordinis naturæ bonæ moraliter. Quapropter prædictus author videtur reducere initium & exordium gratiæ actualis, & auxiliorum supernaturalium & operum etiam supernaturalium in vires innatas liberi arbitrij, & in operationes factas ex eisdem viribus naturalibus, ac proinde quòd facienti quod in se est ex viribus, & conatu naturæ Deus ex lege infallibili non denegat gratiam, neque auxilia omnia ordinis gratiæ. Quare Franciscus Suarez lib. 3. de Auxilijs, cap. 2. §. Non omittam, dicit quòd authores huius sententiæ studuerunt inuenire modum quo sit in potestate hominis habere gratiam, etiam quoad primum auxilium: quia alioqui non apparet quomodo sit in potestate illius salutem obtinere: si non est in potestate illius eam inchoare: attendendum est verbum illud, eam inchoare.

Si hæc lex infallibilis admitteretur Deo fidelis non fuisset sibi & Tyrijs & Sidonibus.

Adducor etiam, quia si ex operibus naturalibus infallibiliter ex lege dãtur homini auxilia gratiæ, imò prima auxilia præuenientia sequitur quòd si Deus non daret illa esset infidelis, cum scriptura dicat, Deus fidelis est se ipsum negare non potest: & tamen cernimus quòd Deus Tyrijs & Sidonibus non dedit auxilia, quibus conuerterentur, aut quibus facerent, & aggrederentur opera ex his, quæ ad iustificationem spectant, quamuis opera eorũ multò meliora fuissent, quàm illa quæ ciues Corozaim & Bethsaidæ egerunt, & tamen si ex lege infallibili propter naturalia opera facta ex innatis naturæ viribus dantur auxilia gratiæ, & auxilia præuenientia, sequitur illa potius donanda esse Tyrijs & Sidonibus, quàm ciuibus Corozaim & Bethsaidæ. Imò vero illis infallibiliter, & ex lege infallibili, istis verò non item. Fauet etiam quòd Deus dedit ingentia auxilia gratiæ Paulo, Latroni, & Magdalenæ, & tamen Paulus cum hæc auxilia recepit, & cum vocatus est à Deo efficacissima vocatione non solùm nõ operabatur bene, sed persequebatur actu ecclesiam Dei. Latro etiam sceleratissimus erat, & in peccatis vixit, similiter etiã Magdalena peccatrix fuit: ergo non receperunt auxilia gratiæ Dei etiam præuenientia ex hac infallibili lege facta ex operibus naturæ, & innatis viribus nostri liberi arbitrij ad gratiam actualem, seu ad supernaturalia auxilia. Imò verò fuerunt plures qui bona opera naturalia fecerunt ex viribus naturæ seu ex innatis viribus arbitrij nostri, qui tamen nõ tot receperunt auxilia, sed permissi sunt permanere in peccato, in quo erant. Ex quibus omnibus etiam satis liquet non esse ferendam aliã sententiam quorundam asserentium, opera per vires naturæ facta, ita conferre ad gratiam consequendam, vt ex eis & ex lege infallibili sequatur & infallibiliter inferatur vltima dispositio ad gratiam. Nam incidit hoc in errorem Pelagij. Quid enim aliud est dare initium salutis spiritualis, nisi efficere opus ad quod infallibiliter sequatur ipsa salus, aut iustificatio, vel immediatè vel mediante aliqua operatione, quæ ex lege habeat modum dispositionis ad ipsam?

Multi ex peccatoribus qui actualibus peccatis erant inuoluti à Deo fuerunt vocati, & non ex hac lege siquidẽ nullis erant bonis operibus præditi.

Et multò minùs est ferenda sententia illa, quæ præter infallibilitatem moralem constituit legem vniuersalem, & connexionem necessariam gratiæ actualis & dispositionis aut conuersionis cum operibus, & viribus naturæ præcise naturalibus.

Sanè omnis operatio, quæ parat viam ad gratiam, ad conuersionem, & iustitiam, semper Sancti Patres, & Concilia dicunt eam esse ex auxilio supernaturali Dei. De qua re optime legendus est D. Augustinus 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 7. & D. Ambrosius super Lucam lib. 2. cap. 12. & lib. 6. cap. 32. & lib. 10. cap. 96. D. Hierony. lib. contra Pelagium, & in epist. ad Damasum Papam D. Gregorius 16. moralium cap. 11. & lib. 33. cap. 25. & D. Bernardus super Cantica sermone 8. Et iterũ D. Ambrosius super Epistolam ad Ephes. 1.

D. Augu. D. Ambr. D. Hieron. D. Gregor. D. Bernar.

Profectò si homo peccator ex innatis viribus & operibus naturæ præcise, consequitur auxilia supernaturalia gratiæ ad conuersionẽ & iustificationem ordinata, initium, vt dictum est supra operum disponentium ad iustificationem esset ex nobis ita conantibus ex nostris viribus naturalibus, ac proinde homo haberet

quid rationabiliter reſponderet Paulo interroganti. Quis te diſcernit? Poſſet enim homo reſpondere, diſcernit me primò iſte conatus ex viribus mei liberi arbitrij, cui ex lege infallibili debentur vel debito promiſsionis, vel debito fidelitatis, aut legis infallibilis, infallibiliter auxilia gratiæ, ſicut debetur generalis concurſus ordinis naturæ libero arbitrio, vt naturaliter velit, aut nolit pro vt placuerit. Nam hac ratione dicunt aduerſarij præſto eſt illi Deus per auxilium gratiæ ſufficiens, vt nimirum quoties ex ſuis viribus naturalibus aggredi voluerit homo opus aliquod ex his, quæ ad iuſtificationem ſpectant illud exequatur pro vt ad ſalutem oportet. Haberemus rurſus quid reſponderemus Paulo interrogãti. Quis prior dedit illi. Nam poſſet homo dicere ſe ex ſuis viribus naturalibus voluiſſe aggredi opus ex his, quæ ad iuſtificationem ſpectãt, & hoc dediſſe ex ſuis innatis viribus. Imò verò facile quis poſſet ſatisfacere illi quæſtioni, quam Paulus inſolutam reliquit in epiſt. ad Romanos. Quid eſt quòd hunc trahat & illum non trahat: poſſet enim homo ſi aduerſariorũ doctrina eſſet vera reſpondere, hunc trahit quia iſte fecit quod in ſe eſt ex viribus naturæ ad implendo legem, quam ſtatuit, & promiſsionis ius in eadem lege incluſum. Alium verò minimè trahit, quia non fecit, quod in ſe eſt ex eiſdem innatis viribus. Præterea ſi ab operibus factis ex naturæ viribus ad gratiam actualem ſeu auxilia ſupernaturalia, & ad opus ex his, quæ ad iuſtificationem pertinent eſt conſecutio infallibilis ex viribus naturalibus, ſeu ad gratiæ auxilia, & principia ſalutis. Quo pacto ſcriptura & concilia ſentiunt hominem ex facultate naturæ non poſſe aliquid facere quod ad vitam æternam ſit vtile ſine gratia Dei ſpeciali. Nam certe vtiliſsimum eſt ponere conatum ex viribus naturalibus liberi arbitrij, Quia eo poſito de lege dãtur auxilia diuinæ gratiæ, quibus faciat homo id quod oportet ad ſalutem tam circa ea, quæ fides habet ad diſcenda, & amplectenda, quam circa dolorem de peccatis, ac iuſtificationem vt aduerſarij fatentur in ſua ſententia Imò verò Deus expectaret vires naturales, & naturæ conatum in operationibus naturæ præciſe ad donationem auxiliorum gratiæ.

CONCLVSIO SECVNDA.

Concluſ. 2.

Poteſtas quæ datur hominibus vt fiant filij Dei non eſt ex naturæ viribus.

Dico ſecundò. Non poteſt vlla ratione locus ille Ioannis 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis &c.* intelligi de poteſtate accepta ſi homo operetur ex naturæ conatu ita vt operetur quãtũ in ſe eſt ex viribus naturæ, vt ob id quia conatur ex naturę viribus quãtũ in ſe eſt, præſto illi adſit Deus infallibiliter ex lege per auxilia gratię vt fidẽ & gratiã cõſequatur, neq; defiderio ſuo fraudetur. Quare ratione naturalium operum, aut conatus naturalis liberi arbitrij non dicitur eſſe in poteſtate hominum, vt filij Dei fiant. Hæc eſt expreſſa ſententia D. Auguſt. lib. 2. de prædeſtinatione ſanctorum, ſeu de bono perſeuerantiæ cap. 8. vbi D. Auguſt. ſic ait. *Non itaque in hominum, ſed in Dei eſt poteſtate vt habeant homines poteſtatem filij Dei fieri: ab ipſo quippe accipiũt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeant fidem, quæ operetur per dilectionem.* Quapropter non eſt ferenda ſententia aduerſariorum quorundam, qui poſtquam dixerunt quòd ex lege infallibili propter naturæ opera Deus confert auxiliũ gratiæ ſufficiẽs, hac nimirũ ratione, vt quoties homo peccator ex ſuis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex his, quæ ad iuſtificationẽ ſpectant, illud exequatur pro vt ad ſalutẽ oportet: addiderũt vlteriùs conſequẽter ad hæc, loquẽtes de hominibus operantibus ex innatis viribus & conatu naturæ: hæc verba. *His enim eatenus facta eſt poteſtas vt filij Dei fiant quatenus ſi quantum in ſe eſt conentur, præſto illis aderit Deus, vt fidem & gratiam conſequantur: neque deſiderio ſuo fraudentur. Quare ea ratione in poteſtate eorũ eſt vt filij Dei fiant. Primæ item ad Timotheum 2. vult omnes homines ſaluos fieri. Quod ſi conantibus ex ſuis naturalibus facientibuſque quod in ſe eſt* (inquit Molina) *vel vt fidem amplectantur, vel vt de peccatis doleant, Deus non eſt ſemper præſto per auxilia & gratiam præuenientem, vt actus ſint quales ad ſalutem oportet, qua nam ratione verum erit, Deum velle omnes homines ſaluos fieri?* Hactenus ipſe Molina: ex cuius ſententia & ex eius verbis ſatis apertè conſtat, qualiter ille vult, quòd ex innatis viribus liberi arbitrij nobis conantibus infallibiliter habemus ex lege quamdam poteſtatem in ordine ad auxilia gratiæ & ad gratiam præuenientem. Et ita videtur author iſte facere quoddam ius in homine peccatore à natura, & à conatu virium naturalium ad gratiam cum quadam obligatione iuris & legis.

Ex D. Auguſt. clare demonſtratur noſtra ſentẽtiæ & falſitas contrariæ.

Hoc ego aliter reperio apud Diuum Auguſt. lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorũ ad Bonifacium cap. 2. dicentem hoc pacto, *Cum ita que non viuant bene homines niſi effecti filij Dei: quid eſt, quòd iſte libero arbitrio vult bene viuendi tribuere poteſtatem, cum hæc poteſtas non detur niſi gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, dicente Euangelio: Quotquot autem receperũt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Ioannis 1. Quid clarius dici poterat à D. Auguſt. cõtra ea, quæ Molina ſuperiùs protulit? Rurſus etiã idem Auguſt. eodem libro cap. 3. ſequenti explicans illud. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit eum*, ait. *Et hoc propter credentes & non credentes ſe dixiſſe manifeſtauit, exponens quod dixerat. Niſi pater qui miſit me traxerit eum, id ipſum alijs verbis repetendo in eo quod ait. Niſi fuerit ei datum à patre meo. Ille quippe trahitur ad Chriſtum, cui datur vt credat in Chriſtum. Datur ergo poteſtas vt filij Dei fiant, qui credunt in eum, cum hoc ipſum datur vt credant in*

Aperte repellit D. Aug. hanc ſententiam, & idem ão cet li. 1. Retractationũ ca. 22. vide locum.

eum. Quæ potestas nisi detur à Deo nulla esse potest ex libero arbitrio &c. En quo pacto ferenda nō est expositio aduersariorum. D. Anselmus ad Rom. 9. explicans illud: ò homo tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dixit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti? Dicit Anselmus. Ille qui verus figulus, ideſt, creator & artifex, & formator noster est, habet potestatem salua iustitia, cuius vult misereri & quē vult indurare. Sed tu quandiu figmentum es nondum perfectus es filius. Quia nondū hausisti plenissimā gratiam, qua nobis data est potestas filios Dei fieri, vt possis audire: iam non dicam vos seruos sed amicos &c. En D. Ansel. si rectè perpendatur contrarius est Molinæ in hac potestate, qua Deus dicitur dedisse facultatem vt fiant filij Dei.

D. Ambrosius explicat locum Ioannis 1.

Sed volo rem hanc altius repetere & explicare: hoc autem consequar si interpretationem huius loci Ioannis 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius, tradidero ex Patribus. D. Ambros. lib. 4. de fide. cap. 4. dicit Euangelistam in illis verbis, Dedit eis potestatem filios Dei fieri, hanc particulam posuisse, vt hominum filiatio distinguatur ab illa Verbi, qua Verbū filius etiā Dei est. Nostra quippe filiatio adoptionis est, Verbi vero naturæ: nostra potestatis, illius est proprietatis. Sensus ergo erit. Dedit eis potestatem vt sint filij Dei, quia natura non sunt filij sed gratia.

D. Athan.

Diuus Athana. serm. 3. contra Arrianos, & Diuus Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 14. dicunt hanc potestatem esse gratiam vt sint filij ex gratia, non ex natura, quæ doctrina verissima est.

D. Gregor.

Diuus Gregorius hom. 6. in Ezechielem aliter interpretatur, vt per potestatem eorum qui recipiunt Christum, cum dicat Euangelista. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatē filios Dei fieri, dignitas & excellentia significetur, vt sit sensus: dedit eis hanc dignitatem & excellentiam vt filij sint Dei, seu, qui eum receperunt dedit eis potestatem filios Dei fieri, verba Gregorij hæc sunt. *Quid hac potestate altius? Quid hac altitudine sublimius dici potest, in qua creatus quisque efficitur?*

Ianſenius.

Ianſenius in concordia hunc explicans locum affirmat vt satisfaciat intentioni Euangelistæ dictionem illam, *Potestatem*, si consulamus Græcum codicem significare non solum potestatem, sed etiam ius & facultatē alicuius rei faciendæ, vt ita verti possit: dedit eis potestatem filios Dei fieri, hoc est, dedit eis ius, authoritatem, & dignitatem vt fiant filij Dei, & sint. Et Christum accepisse dictionem illam potestatem pro iure & authoritate seu dignitate, constat ex illis verbis, cum potestatem ipsis datam, & serui natutam filio enodauerit, & adoptionem ac gratiam per potestatem hanc intellexerit, tutissime postea intulit, ex Deo nati sunt &c. Atque hoc modo, inquit Ianſenius, etiam accepisse quemdam in Paraphrasibus constat, cùm sic habeat, quicumque receperunt sermonem hunc, his vicissim hoc dignitatis contulit, vt per fidem & baptisma insiti Christo fierent & ipsi filij Dei. Proinde nomen potestatis hic accipitur quemadmodum frequenter pro præeminentia & dignitate. Vnde sensus literæ est. Dedit eis hanc excellē tiam & dignitatem, & hoc ius vt fiāt filij Dei eo ipso, quo eum recipiunt. Nam & ob id dixit Euangelista: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, eo ipso quo eum recipiunt. Vt autem explicaret qui sint qui recipiant eum, adiecit: his, qui credunt in nomine eius, vel vt habent Græca in nomen eius, quod est credere in ipsum & in nomen eius, quia non est datum aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in Christo Iesu.

Caietan.

Caietanus, lentaculo 5. dicit verbum illud: Dedit eis potestatem ita esse exponendum vt intelligamus ijs, qui recipiunt & credunt in Christum dari potestatem, non qua postea fiāt filij Dei, sed qua eo ipso tempore vel momento, quo credunt fiant filij Dei. Fides enim ex se non potest filios Dei nos facere, sed ex gratuito Dei dono habet hanc potestatē, hac ratione vt qui recipiunt Christum, & credunt in eum data dicatur esse illis potestas, qua fiāt, & fiendo sint filij Dei ex gratuito Dei dono.

S. Thom.

Diuus Thomas videtur etiam & hoc modo intelligere: qui receperunt eum, his Deus dedit potestatem, neque recepissent eum nisi Deus dedisset illis potestatem filios Dei fieri. Hāc autem potestatem dedit secundum interpretationem D. Thom. proponendo eis credenda, & per infusionem gratiæ suæ corda eorum mouendo ad credendum & recipiendum ipsum. En quo pacto iuxta sensum Patrum & etiam D. Thom. quanam ratione secūdum sensus & interpretationes eorum nihil ex illis verbis: dedit eis potestatem, colligere licet de innatis viribus aut conatibus liberi arbitrij vt Molina comminiscitur. Præcipue cum dicat ille, quòd quoties homo ex suis viribus naturalibus aggredi vult opus aliquod ex ijs, quæ ad iustificationem spectant &c. Vbi animaduertenda est particula Molinæ: quòd postquam suam tradidit doctrinam, in principio illius decimæ disputationis citatæ dicens vniuersaliter hæc verba. *Quotiescumque liberum arbitriū ex suis viribus naturalibus conatur præstare est ad conandū totū id quod ex se potest tā circa ea, quæ fides habet addiscenda & amplectenda, quam circa dolorem de peccatis ac iustificationem à Deo conferri gratiam præuenientem, auxilia ve, quibus id faciat vt oportet ad salutem.* Subiungit inferius. *Sæpe etiam liberum arbitrium, quasi sopitum ac torpens excitat,* & quid in his verbis dicere voluerit ipse explicet. Nam videtur insinuare inuolutè maximas has vires liberi arbitrij sopitas esse in eo ad hanc potestatem vt homines fiat filij Dei, in eo sensu, quem ipse vult, vt per innatas vires & conatum naturæ lege infallibili

Ex Sanctis Patrib⁹ & ipsorum explicatione circa testimonium illud Ioannis 1. Nihil colligitur in fauorem Molinæ, & legis infallibilis, quam inuenit.

donet

donet Deus auxilia gratiæ debita ex tali lege, ſi non debito iuſtitiæ, ſaltem debito legis & promiſſionis infallibilis & fidelitatis, ita vt Deus non poſsit non dare gratiæ auxilia, quia fidelis eſt & ſe ipſum negare non poteſt, præcipuè facta lege ex innatis viribus ſi homines conentur ex vi & efficacia naturæ.

Theophyl. Theopylatus explicans locũ Ioannis: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri inter alia, quæ dicit affirmat, quòd per recipientes Chriſtum intelliguntur Catechumeni, qui fidem habent ante baptiſmum, per quem datur gratia adoptionis, iſti ergo per fidem nondum regenerati ſunt, nec filij Dei dicũtur facti quouſque baptizentur, baptiſmus enim eſt, quo homines renaſcuntur in ſpiritu, & fiunt filij Dei, habent tamen credentes poteſtatem & facultatem ſuſcipiendi baptiſmum, & per eum renaſcendi Quam explicationem ſequitur To-

Card. Toletus. letus annotatione 34. ſuper Ioannem, & ſubiungit ille. *Nec obſtat hunc quòd aliqui ante baptiſmum gratiam filiorum aliquando accipiunt: id enim fit per baptiſmum in voto ſuſceptum: eius enim tanta eſt efficacia, vt ante quam in re ſuſcipiatur, operetur per votum in credentibus.* Rurſus idẽ Toletus Cardinalis dicit congruentius ſibi videri per fidem hominem non fieri nec renaſci filium Dei, ſed per baptiſmum, qui dat gratiã filiorum: per fidem autem ſolum datur poteſtas renaſcendi per baptiſmum qui regenerat, & facit filios Dei ſolos credentes in Chriſto. Nam ſoli credentes gratiam adoptionis recipiunt, quam baptiſmus ſolet dare etiam voto ſuſceptus. Tandem non poteſt congruere ſententia Molinæ cum veritate: cum Euangeliſta Ioannes dicat: *Quotquot autem receperunt eũ, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt &c.* Ergo dici non poteſt quòd ſi conantibus nobis ex innatis viribus &c. vt præfatus Molina diſputatione 10. citat. dixit: Nã ait Euangeliſta, *Quotquot autem receperunt eum &c.*

Has omnes retuli ſanctorum & Theologorum interpretationes, vt palam ſit lectoribus, Catholicis omnibus, nullum ex antiquis patribus, neque Diuum Auguſt. neque aliquem ex Theologis Scholaſticis expoſuiſſe locum Ioãnis in eo ſenſu, quem Molina voluit. Quo

Ruardus Tapper. circa Ruardus Tapper art. 7. de libero arbitrio cõtra Lutherum, inquit in poteſtate hominis eſſe in melius mutare volũtatem, ſed eam poteſtatem nullam eſſe, niſi à Deo donetur: de quo dictum eſt dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri. Ioannis 1. Et ſubiungit Ruardus; Cum enim hoc ſit in poteſtate quòd cum volumus facimus, nihil tam eſt in noſtra poteſtate, quã ipſa voluntas, ſed operatur voluntas à Domino &c.

CONCLVSIO TERTIA.

Concluſ. 3. Dico tertiò. Deus quantum in ſe eſt paratus eſt ad dandum omnibus gratiam ſuã, & ad vocandum omnes adultos iuxta illud Deus vult omnes homines ſaluos fieri: ac proinde dicitur quòd in poteſtate cuiuſuis hominis eſt ſaluari, quia poteſt habere hoc diuinũ auxilium, non quidem ex merito, aut diſpoſitione ſua, aut quia ex innatis viribus, aut naturæ conatibus ex lege obligetur Deus ad danda auxilia gratiæ, & primam vocationem, aut gratiam præuenientem, ſed ex liberali, & generali largitione Dei prouidentis. Vnde Chriſtus Matthæi. 11. dixit, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis.* Ecce quomodo vocat etiam peccatores, qui valde onuſti, & onerati ſunt peccatis. Et Apocaly. 3. *Ego ſto ad oſtium & pulſo, ſiquis aperuerit intrabo & cænabo cum illo. Pœnitẽtiã age: Ecce ſto ad oſtiũ & pulſo.* Quod dicit ne ſe excuſaret dicendo ſe nõ poſſe: neq; vim habere agendi pœnitẽtiam: ob id ergo ſtatim ſubiecit, Ecce ſto ad oſtium & pulſo. Pro intelligentia verò huius aſſertionis, obſerua quòd quamuis homo nihil ex ſepoſsit efficere aut ex innatis viribus ſeu naturæ conatibus, quo diuinum hoc auxilium obtineat, ſed Deus ſola gratuita voluntate ſua illud offerat, poteſt tamen homo ſua voluntate impedire ſuffi cienter & quantum in ipſo eſt ne recipiat hoc auxilium à Deo, & hanc vocationem, nimirum multiplicando peccata, & reddẽdo ſe magis atque magis indignum illius gratiæ Dei auxiliatricis, quod expreſſe docuit S. Thom. lib. 3. contra gentes cap. 159. Dixi hominem ſua voluntate per peccatum poſſe ſufficienter impedire quantum in ipſo eſt, ne actu recipiat à Deo hoc auxilium gratiæ: quia peccatũ quantum in ſe eſt, eſt huius pœnę dignum, quamuis non obſtante quocumque peccato Deus poſsit hanc gratiam conferre, & plerumque id faciat illuminando, & efficaciſsime vocando grauiſsimos peccatores, vt certiſsimum ſit hanc gratiam dari cui datur ex liberaliſsima largitione Dei: licet ei, cui actu non datur ex demerito & impedimento eius non detur. Quocirca ex liberaliſsima Dei largitione factũ eſt, vt vocaretur Paulus etiam quando actu perſequebatur eccleſiam Dei. Ita docet D. Auguſt. lib de gratia & libero arbitrio ad Valentinum cap. 5. dicens: *Vt autem de cœlo vocaretur, & tam magna & efficaciſsima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat ſola: quia merita eius erant magna ſed mala. Denique & alibi dicit ad Timotheum. Collabora Euangelio ſecundum virtutem Dei, ſaluos nos facientis, & vocantis vocatione ſua ſancta: non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum ſuum propoſitum & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu.* Hæc D. Auguſtinus. Quo circa poſtquam homo peccauit & eſt in peccato mortali, & inimicus Dei, vere eſt indignus diuina gratia, & ſolum eſſet illi donanda pœna pro delicto & peccato atq; offenſa Dei, ita enim D. Auguſt. ſatis inſinuat loco citato dicens. *Item meritas ſua ſed mala commemorans* (nimirum Paulus ad Titum. 3) *ait. Fuimus enim ſtulti, & nos aliquando & increduli, errantes ſeruientes deſiderijs, & voluptatibus varijs, in mali-*

Math. 11.

Apocal. 3.

D. Auguſt.

Ad Titũ. 3.

tia & inuidia agentes, abominabiles, inuicem odio habẽtes. Quid istis tam malis meritis, nisi pœna vti q̃ debebatur? Sed Deo reddente bona pro malis per gratiam, quæ non secundum merita nostra datur, factum est quod deinde subiunxit, & dicit: cum autẽ benignitas & humanitas illuxit Saluatoris nostri Dei non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secũdum suam misericordiam saluos nos fecit &c.

Si homo nõ apponeret impedimẽta peccatorum reciperet vocationẽ, sed ex Dei liberalitate.

Quapropter si homo peccator ita se gereret aut vitam traduceret, vt nullum nouum impedimentum gratiæ adhiberet, aut obicẽ, gratiæq; obstaculum, tunc auxilium, vel vocationem gratiæ vere reciperet, non quidem ex debito, sed ex illa liberali Dei largitione qua ipse stat ad omniũ ostium, & pulsat. Vnde nõ ponenti obicem & impedimentũ cernimus Deũ ex sua liberalitate dare gratuita illa auxilia, quod videtur insinuare Conc. Trid. sess. 6. ca. 11. & 13. *Deus neminem deserit, nisi prius deseratur ab ipso.* Verissimũ igitur est Deũ ex liberalitate sua, cuius interest ostendere diuitias gratię suæ dare suã gratiã homini nõ ponenti obicẽ: sed per hoc nihil attribuitur homini, sed tãtũ quòd possit illam gratiam per peccatũ impedire, vel quòd possit vitare peccatum contra legem naturæ, quo posset impedire illam.

CONCLVSIO QVARTA.

Concluſ. 4. Vt homo recipiat primam gratiam nulla diſpoſitio eſt neceſſaria ex parte ipſius hominis.

Dico quartò. Vt homo recipiat primã gratiã excitantẽ & præuenientem, omnino inquã primam, & prima etiam auxilia, quę necessaria sunt ad salutẽ nulla dispositio est simpliciter necessaria ex parte ipsius hominis, quæ ex innatis eius viribus aut conatibus naturæ proficiscatur antecedenter ad ipsam gratiã excitantẽ omnino primã. Hãc ego assertionem tradidi 1.2.q. 112.ar.3.disp. 4. & dixi esse de fide. Quia certũ est Deũ vocare plerumq; homines omnino indispositos, sicut vocauit Matthæũ Telonariũ, & Paulũ actu persequẽtem ecclesiam Dei, & Magdalenam peccatricem. Vnde negari non potest Deũ vocare plerũq; homines indignos tali vocatione, & omnino indispositos. Quod persentiens Isaias Propheta ca. 65. inquit. *Quæsierunt me, qui ante non interrogabant, inuenerunt qui non quæsierunt me, dixi ecce ego ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum, expandi manus meas tota die ad populũ incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Et inferiùs. *Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.* Et Ezechielis 3. *Non propter eos faciam sed propter nomen meum.* Et Regius Propheta Dauid Psal. 75. *Dixi, nunc cœpi hæc mutatio dexteræ excelsi est.* Quem locum perpendit D. Augustinus lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. vltimo. Sic enim ait Augustin. *Quæ cum ita sint nihil in scripturis sanctis hominẽ à Domino video iuberi propter probandum liberum arbitrium, quod non inueniatur, vel dari ab eius bonitate, vel posci propter adiutorium gratiæ demonstrandum, nec omnino incipit homo ex malo in bonũ per initiũ fidei commutari, nisi hoc in illo agat indebita, & gratuita misericordia Dei. De qua suã cogitationem recolens quidã sicut legimus in Psalmis: Nunquid obliuiscetur, inquit, misereri Deus: aut continebit in ira sua misericordias suas? Et dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi. Cum ergo dixisset. Nunc cœpi, non ait: Hæc mutatio arbitrij mei, sed dexteræ excelsi.* Ergo quotiescumque homo primũ mouetur à Deo, aut sua prima gratia excitatur, & præuenitur, aut auxilio suo & vocatione trahitur, non est dicendum Deum obligari lege aliqua, vt tribuat inceptionis auxilium, aut primam præuenientem omnino gratiam peccatori, quatenus liberum arbitrium eius ex suis viribus naturalibus conatur, præstoue est ad conandum totum id, quod ex sese potest, tam circa ea, quæ fides habet addiscenda, & amplectenda, quam circa dolorem de peccatis ad iustificationem, vt aduersarij sentiunt. Et subiungit Augustinus. *Sic itaque Dei gratia cogitetur vt ab initio bonæ mutationis suæ vsque in finẽ consummationis, qui gloriatur in Domino glorietur.* Propter quod testimonium Augustin. in Concilio Arausicano canone 4. dicitur, *Deum non expectare voluntatem nostram vt à peccato purgemur.* Quod sane intelligitur ratione gratiæ excitantis, & dicitur non expectare. Vnde non ex præuisione voluntatis nostræ, quo fit vt Deus aliquando pro sua voluntate & liberali donatione maiorem gratiã excitantem conferat minus disposito secundũ naturã, & minus bene operanti ex conatibus naturæ aut viribus liberi arbitrij.

Psal. 76.

Cõc. Arau.

Sine fidei præiudicio oppoſitum noſtræ concluſionis defendi nõ poteſt.

Ex dictis colligo hominem peccatorem ex operibus naturalibus, & ex conatibus naturæ, aut ex innatis viribus liberi arbitrij non valere se disponere ad gratiam excitantem primam, & oppositum non potest defendi sine præiudicio fidei. De hac re nos diximus multa 1.2.quæst. 109. artic. 6. disputatione vnica, quæ eo in loco videda sunt, vbi retulimus plurima testimonia scripturæ & conciliorum, & ostendimus non solùm hominem non mereri primam gratiam neq; de condigno, neque de congruo, sed neq; parare viam dispositionis ad gratiam Dei, ita vt ex lege vniuersali, & infallibili peccatori operanti ex conatibus naturæ bene moraliter donentur auxilia supernaturalia, quibus quoties ex naturalibus viribus aggredi voluerit opus aliquod ex his, quæ ad iustificationem spectant, illud exequatur pro vt ad salutẽ oportet, vt aduersarij dixerũt. Hęc etiam est causa cur Paulus 2. Corinth. 3. dixit. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis &c.* & 1. Corint. 4. *Quid habes, quod non accepisti. si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Quod si ex innatis viribus & naturæ conatibus, aut ex operibus merè naturalibus homo haberet quoddam quasi ius ex lege statuta, ad consecutionẽ gratiæ & auxiliorum supernaturalium ad illa quæ aduersarij dicunt, vt quoties vellet peccator ex suis viribus naturalibus aggredi aliquod opus ex his, quæ ad iustifi-

Iſaiæ 65.

Ezechiel 3. Pſal. 3. D. Augu.

Paul. 2. Corint. 3. Prima Corinth. 4.

cationem ſpectant illud exequatur, prout ad ſalutem oportet, iam homo peccator haberet aliquid ex ſuis viribus quo defacto acquireret ius ad gratiæ auxilia & ad gratiam primo preuenientem: & haberet aliquid quo quaſi ex diſpoſitione morali per naturæ vires de facto conſequeretur actualem gratiam ſeu auxilia & vocationem Dei, cuius oppoſitum ſonant ſcripturæ & concilia,

D. Auguſt, dicit præcipuum Pelagij errorem fuiſſe per liberum arbitrium peruenire hominẽ ad gratiam Dei.

D. Auguſt. lib. de gratia Chriſti cap. 14. & lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum ca. 8. & 10. & etiam lib. 1. cap. vltimo dicit præcipuum errorem Pelagij fuiſſe per liberum arbitrium peruenire hominem ad gratiam Dei, & lib. de prædeſtinatione ſanctorum & epiſtol. 107. & de ſpiritu & littera cap. 34. aperte dicit non eſſe in noſtra poteſtate, quod Deus nobis inſpiret, ita Proſper in libris contra collatorem, Fulgentius lib. de gratia Chriſti. Et hi omnes Sancti Patres communiter appellant vocationem, ſimpliciter opus Dei: quia nullo modo poteſt eſſe ab homine. At ſi aduerſariorũ ſententia de innatis viribus aut conatibus naturæ eſſet vera, iam homo haberet per liberum arbitrium, quo de facto peruenire ad gratiam primam poſitiue & infallibiliter. Quocirca D. Auguſt. lib 83. quæſtionum, q. 68. dicit. *Quòd ſiquis ſibi tribuat quòd vocatus veniat, tamen non poteſt ſibi tribuere quòd vocatus ſit.* Et Concilium Arauſicanum canone 25. generaliter decernit in omni opere bono nos non incipere, quod vt minimum verificari debet ratione primi principij, & primi initij iuſtitiæ. Et fauent noſtræ ſententiæ teſtimonia ſcripturæ in quibus iuſtificatio comparatur creationi, quia nullum habet principium & initium ex homine. Idem habetur in Concilio Africano, cuius meminit Proſper loco citato.

Ex ratione deſumitur pro concluſione argu.

Ratione etiam oſtenditur veritas præfata. Quoniam ordinari in finem ſupernaturalem conuenit homini ex ſola Dei gratia, & non ex innatis viribus, aut conatibus naturæ: igitur nihil poteſt homo præcipue peccator ex viribus naturæ facere, quo vel ſe diſponat ad inchoandum illum ordinem gratiæ, vel habeat aliquod ius ad principium inchoationis illius ordinis gratiæ. Quod probo: quia ſi ſe diſponeret vel illa diſpoſitio eſſet talis ex ſua natura & hoc non: cùm ſit inferioris ordinis, vel eſſet talis ob relationem operantis, hoc eſt, hominis peccatoris operãtis ex naturæ conatu aut ex innatis viribus: & hoc etiam non, quia operans maximè in hoc ſtatu naturæ lapſæ antequam præueniatur gratia cùm ſit in peccato eſt indignus & inimicus Dei: ergo neque titulo diſpoſitionis, neque aliquo titulo iuris, aliqua ratione dici poterit, quod ex innatis viribus liberi arbitrij aut per operationes naturales moraliter bonas paret ſibi viam infallibilem, qua perueniat ad illam primam Dei gratiam, vocationem & auxilia eius. Hoc etiam cenſent S. Thom. 1. 2. quæſt. 109. art. 6. & q. 112. art. 2. Driedo lib. de gratia & libero arbitrio vbi ſupra D. Bonauentura in 2. diſt. 28. art. 2. q. 1. Vega lib. 6. in Trid. cap. 10.

S. Thom. Driedo D. Bonaue.

CONCLVSIO QVINTA.

Concluſ. 5.

Non poteſt explicari de hoc quod eſt agere ex naturæ, ſed ex gratiæ viribus illa maxima communis. Facienti quod in ſe eſt &c.

Dico quinto. Celebris illa ſententia Theologorum, quæ valde celebratur in ſchollis, nimirum, *Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam*, nulla ratione explicari poteſt de faciente quod in ſe eſt ex viribus innatis, aut naturæ conatibus, ſeu operationibus ordinis naturæ præciſe, ad quas ex lege Dei conſequatur gratia. Neque poteſt explicari de diſpoſitione poſitiua operum naturalium, ad quam ex lege Dei conſequatur gratia: vnde non poteſt intelligi neque explicari de homine peccatore faciente quod in ſe eſt per vires naturæ, ſed per gratiæ auxilium: ac proinde eo poſito non poteſt accõmodari ad collationem primi auxilij & primi initij, ſed ad ſubſequentia. Doctrina huius aſſertionis eſt Sanctiſsimi Præceptoris D. Tho. 1. 2. quæſt. 109. art. 6. ad 2. vbi ait nihil hominem poſſe facere, quin à Deo moueatur, iuxta illud Ioannis 15. *Sine me nihil poteſtis facere*, & quod idcirco cum homo dicitur facere quod in ſe eſt dicitur hoc eſſe in poteſtate hominis ſecundum quod eſt motus à Deo. Vbi obiter aduerte, quòd conuerſio hominis ad Deum fit quidem per liberum arbitrium, & ſecundum hoc homini præcipitur quod ſe ad Deum conuertat: ſed liberum arbitrium ad Deum conuerti non poteſt, niſi Deo ipſum ad ſe conuertente, iuxta illud Hieremiæ 31. *Conuerte me, & conuertar, quia tu Dominus Deus meus.* Et Threnorum vltimo, *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Quæ doctrina eſt D. Thom. loco citato ſolutione ad 1. Et ſolutione ad 4. inquit, quod hominis eſt præparare animum, quia hoc facit per liberum arbitrium, ſed tamen hoc non facit ſine auxilio Dei mouentis, & ad ſe attrahẽtis. Primum igitur gratiæ auxilium non datur homini ex aliquo iure, aut ex aliqua obligante lege, neq; ex aliqua diſpoſitione, neque ex aliquo merito condigni aut de congruo: neque ex innatis naturæ viribus & conatibus. Nam quamuis primum auxilium ſupernaturale antecedant in homine opera moralia ex innatis viribus naturę facta, nihilominus nõ eſt dicendum illa opera moralia ex naturæ conatibus & viribus facta, aut parare viam aut habere rationẽ diſpoſitionis, aut inuoluere aliquod ius obligandi, aut infallibilitatem neceſſariam ad ſupernaturale auxilium obtinendum. Primò, quia huiuſmodi opera naturalia etiam bona moraliter ſunt hominis peccatoris & inimici Dei. Secundò, quia ſunt inferioris ordinis & facta à naturæ conatibus, & vt ſunt ab homine operante nihil habent ſupernaturale. Tertio, quia nulla eſt lex infallibilis à natura ad gratiam

Conc. Trid. ſeſſ. ſexta cap. 5.

Hieremiæ 31. Threnorum vltimo.

Etiã ſi præcedant bona opera vocationẽ ipſam, non tamen ipſa parant viã, aut habent rationẽ diſpoſitionis &c.

ratio-

ratione operum naturalium. Quarto, quia huiusmodi opera ex viribus naturæ facta præcise, si bona sunt solùm poterunt impedire peccata, quæ alias essent obex & obstaculum talis gratiæ. Vnde fit, vt ex naturæ viribus & conatibus non fiat id, quod aduersarij prætendunt.

Ex dictis repelluntur omnes illi Theologi, qui sentiunt hominem posse se præparare aut disponere ex innatis naturæ viribus ad gratiã excitantẽ omninò primã. Nã in hoc sensu pu tauerunt vesũ esse proloquium illud. Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. Quia credunt q; si per naturæ vires faciat homo quod potest infallibiliter assequetur gratiam illam excitantem. Quã sententiã insinuauit Albertus Magnus in 2. dist. 28. q. 1. & Alensis 3. p. q. 69 ar. 6 Imò vero Durãd. & Scotus. Sanctus Thom. 3. contra gentes cap. 159. proponens eamdem difficultatem, quam, nos hoc loco tractamus, & quæ in primo argumento primi discursus obijcitur. Quod nimirum, nulli potest imputari, quod ab alio dependet. Et quod non sunt nobis libera auxilia gratiæ, neque in potestate nostra. Respondet quod quãuis aliquis per motum liberi arbitrij diuinam gratiam neque promereri, neque acquirere possit: potest tamen se ipsum impedire ne eam recipiat. Quia de quibusdam dicitur Iob. 21. *Quod Deo dixerunt: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* Iob. 24. *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* Atque adeo inquit D. Tho quòd cum hoc sit in potestatẽ liberi arbitrij impedire diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire rationabiliter imputatur ad culpam homini, qui impedimentum præstat receptioni gratiæ: quoniam Deus quantum in se est paratus est omnibus gratiam dare. *Vult enim omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire*, vt habetur 1. Timotheum secundo, ac proinde gratia priuantur illi, qui resistunt, & illi, qui in se ipsis gratiæ impedimẽtum præstant. Stat enim Deus ad ostium, & pulsat. Quare sole mundum illuminante ad culpam imputatur ei si oculos claudit, aut impedimentum aliquod præstet, aut si ex hoc aliquod malum sequatur: quamuis videre non possit, nisi lumine solis præueniatur, ita in proposito de quo loquimur. Vnde Christus, *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.*

Verumtamen Ferrara 3. contra gentes capit. 159. in commentario Sancti Thomæ quod est valde perpendendum aduertit propositionem illam, nimirum: Quod nulli imputatur quod ab alio dependet, non esse veram sed falsam, vt colligitur ex Sanctissimo præceptore ex eodem cap. 159. Dixi Sanctum Thom. ex his, quæ illo cap. tradit velle falsum esse, quòd nulli imputetur, quòd ab alio depẽdet, quando non est ex parte eius à quo illud dependet, quin illud habeatur, sed ex parte recipientis ponentis impedimentũ liberæ & voluntariæ illius receptioni, sic enim euenit quãdo quis gratiã non accipit, quod non est ex parte eius, à quo illud dependet nempe Dei, & id circo nõ est absque hominis imputatione. Et ex hoc cõstat quomodo homini imputatur si gratiam non habeat, quamuis à solo Deo eam habere possit, nam certè quod quis non recipiat aliquid ab eo, qui paratus est dare, & qui ad accipiendum inuitat, & instigat, non est absque imputatione ipsius qui inuitatur.

Sed obijcit Ferrara, quòd si auxilium illud, sine quo homo non potest aliquod bonum facere, aut sine quo non potest quis se ad gratiã præparare, non esset omnibus cõmune, sed alicui deesset: tunc videtur difficile, quòd alicui imputetur quòd non habeat operationem illam bonam, aut quòd non agat bonum aliquod, si caret prædicto auxilio, aut quòd gratiã non adquirat. Quia nulli videtur imputandũ esse si nõ habeat quod sine auxilio alterius acquirere non potest, quando sibi auxilium illud non adest. Huic obiectioni respondet Ferrara, quòd nihil concludit omnino contra veritatem. Quoniam si quis propria voluntate in malum aliquod incidat, à quo per se liberari non potest, si non liberetur, non est absq; eius imputatione: quoniam debebat cauere ne in illud malum incideret, à quo sciebat se propria virtute liberari nõ posse: sicut non est absque imputatione, quòd aliquis nõ exeat ex puteo, à quo exire non potest, nisi ab alio adiuuetur, quando libere & propria voluntate in illũ se deiecit. Homo vero, qui libere & voluntarie peccat propria voluntate cadit in ipsum peccatum, per quod gratia priuatur, quam per se acquirere non potest, idcirco merito sibi imputari potest si gratiam nõ habeat, etiam deficiẽte sibi auxilio diuino, quo pararet sibi viam ad gratiam. Quocirca propositio assumpta dumtaxat habet veritatem quando is, qui sic priuatur non fuit ob aliquam suam culpam causa talis priuationis. Nam si ipse sua culpa, & voluntate fuit causa huius carentiæ, & priuationis falsa est.

Sed vt res hæc recte intelligatur aduertenda sunt quæ S. Thomas docet 3. contra gentes cap. 160. & in eodem loco Ferrara eius discipulus, quibus libenter subscribo. Quòd quãdo dicitur in potestate liberi arbitrij esse non præstare impedimentum gratiæ, quòd hoc absolute intelligitur de his, in quibus naturalis potentia integra fuerit. Nam si homo voluntariè declinauerit & inciderit in malum & peccatum non erit omnino in potestate eius nullum impedimentum gratiæ præstare. Quia licet ad breue tempus possit abstinere ab aliquo actu peccati propria potestate, cæterùm si diu sibi relinquatur, in peccatum cadet, per quod gratiæ impedimentum præstatur secundum receptissimam sententiam D. Gregorij hom. 11. super Ezechielem, & 25. Moralium cap. 13. quem refert S. Thomas 1. 2. q. 109. ar. 8. *Peccatum quod mox per pœnitentiam non delẽ-*

tur

Albertus Magnus. Alensis. Durandus. Scotus. D. Thom. hãc eandem difficultatẽ proponẽs solvit sicut nos.

1. ad Timotheum 2.

Ferrara 3. contra gentes.

Falsum est quod nulli imputatur quodab alio dependet.

Obiectio ex Ferrara.

Dissoluitur

Si aliquis spõtè in aliquod malũ incidat à quo per se liberari non potest, si nõ liberetur nõ est absque eius imputatione.

D. Grego.

tur, ſuo pondere in aliud trahit. Fundamentum huius rei, Sanctus Thomas adducit, dicens. Quòd quando mens hominis à ſtatu rectitudinis declinat, tũc recedit ab ordine debiti finis ac proinde illud, quod in affectu, & in amore & deſiderio deberet eſſe præcipuum tanquam finis vltimus efficitur minus dilectum illo ad quod mens inordinatè conuerſa eſt, tanquam in finem vltimum. Quo fit, vt quotieſcumque occurrit aliquid conueniens reſpectu finis inordinati, cui afficitur peccator, repugnans fini debito, eligetur quidem à peccatore, niſi reducatur ad debitum ordinem vt finem debitum omnibus præferat, quod eſt gratiæ effectus. Dum vero eligitur aliquid, quod fini vltimo repugnat, impedimentum præſtat gratiæ, quæ dirigit in finem debitum: ergo manifeſtũ eſt, quod poſt peccatum homo quandiu in ipſo manet, non poteſt abſtinere ab omni peccato ante quã per gratiam ad debitũ ordinem reducatur. Præcipuè fundamentum hoc eſt verũ. Quoniã impetus paſſionum carnaliũ, occaſiones male agendi, appetibilia ſecundũ ſenſum, tẽtationes, & paſſiones plurimæ, quibus de facili prouocatur homo ad peccandũ, niſi retrahatur per firmam in hæſionẽ ad finem vltimũ, quam gratia facit, non relinquunt hominẽ diu permanere ſine alio mortali. Nam cum mens iam eſt propenſa, & inclinata ad aliquid non ſe habet æqualiter ad vtrumque oppoſitorum, ſed magis ad illud, ad quod eſt propenſa, & affecta, ſeu inclinata. Illud autem ad quod mens magis ſe habet, & in quod magis inclinatur illud eligit, niſi per rationis diſcuſsionem ab eo quadam ſolicitudine abducatur: vnde & in repentinis ſignum interioris affectus, & inclinationis, aut habitus præcipue accipi poteſt, ſed non eſt poſsibile moraliter loquendo ſeu potentia morali mentem hominis continue in ea vigilant aeſſe, vt per rationẽ diſcutiat quid quid debet velle aut agere: ergo conſequitur quod mens aliquando eligat id, ad quod eſt affecta & inclinata, affectione & inclinatione manente, ac proinde ſi fuerit inclinata in peccatũ non ſtabit diu, quin peccet, & ita præſtet impedimentum gratiæ, niſi reuocetur ad ſtatũ rectitudinis. Ex qua doctrina S. Thom. 3. contra gentes cap. 160. colligit ſtultam eſſe Pelagianorum ſententiam, qui dicebant hominem in peccato exiſtentem ſine gratia poſſe vitare peccata, cuius oppoſitum conſtat ex illo quod Pſalmiſta petit: *Dum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Et Chriſtus docens nos orare ait. *Et ne nos inducas in tentationem: ſed libera nos à malo.*

Elegans & certiſsima doctrina S. Thom.

Stulta Pelagianorũ ſententia aſſerẽtium hominem in peccato exiſtẽtem poſſe ſine gratia vitare peccata

Sed profectò quamuis illi, qui ſunt in peccato, vitare non poſsint per propriam vim, & poteſtatem, quin impedimentum gratiæ præſtent vel ponant, vt dicit S. Thom. niſi auxilio gratiæ præueniantur: nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam. Quia hic defectus ex præcendente culpa in eis remanſit. Adducit exemplum huius S. Tho. de ebrio, qui ab homicidio non excuſatur, cum cognoſcit furorem ſuum: quia incidit in ebrietatem ſua culpa & voluntate. Præter illa tamen, quæ diximus, valde obſeruandum eſt, vt explicetur veritas, & difficultas, de qua agimus. Primò, quòd quamuis ille qui eſt in peccato, quandiu in eo manet non habeat hoc in propria poteſtate, quòd omnino vitet peccatum, habet tamen poteſtatem, & libertatem vitandi nunc hoc vel illud peccatum: ac proinde quodcumque committit, libere & voluntarie committit, & ſic non immerito illi imputatur ad culpam. Secundò quando S. Thomas dicit liberum arbitrium peccatoris ſuppoſita affectione peccati, & inordinatione eius, & ijs, quæ ad ipſam conſequuntur, non habere in poteſtate ſua vitare peccatum hoc intelligitur de potentia propinqua, & de libertate morali, ſed non intelligitur de poteſtate & libertate phyſica. Nam potẽtia proxima & moralis ad vitandũ diu huiuſmodi peccatũ, & ad remouendum impedimenta gratiæ nõ dicitur potens per ſe peccator. Tertiò quod eſt valde aduertẽdum: quia homo in peccato exiſtẽs & gratia carens poteſt vitare peccata ſingula diuiſim. Quoniam oſtẽſo quocumq; peccato in particulari, ſi non adſint maximæ tẽtationes, & occaſiones. verum eſt dicere hominem peccatũ hoc ſecũdum ſe, vitare poſſe. Nam vt diximus, ad breue tẽpus ab aliquo actu particulari poteſt ſe abſtinere, ſed nõ poteſt omnia cõiũctim vitare, ita vt neq; hoc, neq; illud cõmittat ſingulis enumeratis, ſed neceſſe eſt quòd cõmittat aliquod vagè, ſed non hoc neq; illud determinate, & hoc ſatis aperte ſignificauit S. Thom. 3. contra gentes cap. 160.

Qui eſt in actuali ſtatu peccati quamuis careat poteſtate vt omnino vitet peccatũ: habet tamen poteſtatẽ vitãdi nũc hoc, vel illud peccatum.

Caret peccator potentia morali, non autem potentia & libertate phyſica ad vitãdum peccata omninò.

Optime ergo ſtare poſſe neceſsitatem ad peccatũ vagè, & in cõmuni, cũ libertate ad ſingula quæq; peccata in peccatore, conſtare poteſt ex dictis à S. Tho. locis citatis. Quod probari poteſt Matth. 18. Vbi eadẽ neceſsitas moralis cũ libertate cõiũgitur. Nã ſic legim⁹: *Neceſſe eſt vt veniãt ſcãdala* quæ eſt neceſsitas moralis actus vagi. Sed audi ſtatim libertatẽ actus in particulari in verbis ſequentibus *Verum tamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit.* Nõ autem fuiſſet illi væ, hoc eſt, pœnæ reus non eſſet ſine libera culpa, Diuus Hierony. eo loci ait. *Cũ neceſſe ſit in iſto mundo fieri ſcandala vnuſquiſq; vitio ſuo ſcandalis patet.* Idem fere ait Chryſo. hom. 60. ſuper Matthæũ. Rurſus probatur: Quia euidens eſt nullum hominẽ cõpotem mentis, cõmunemq; vitã agens poſſe diuturnã traducere vitam ſine aliquo actu libero ſiue bono, ſiue malo, ſiue circa Deũ, ſiue circa res creatas, diuitias, iuſtitiam, mercaturam, ſeu circa temperantiam, cibum, aut potũ, vel circa aliud quodvis obiectũ ex cõmuniter occurrẽtibus huius vitæ. Et tamẽ quilibet actus liber erit liber, idq; euidẽtius erit ſi ad omnũ hominũ collectionẽ vagè referatur hæc infallibilitas. Nã exiſtẽte ea ratione prouidẽtiæ, qua gubernamur, euidens eſt fore infallibiliter, vt plures

Mathæ. 18.

D. Hieron. D. Chryſo.

hominum

hominum liberè loquantur, aut libere emant, vel vendant, vel cõmutent pactum ineundo, aut amicitias. Quod si infallibilis est actus in specie, vel in obiecto salua libertate, multo facilius manebit libertas integra quãuis infallibilis sit actus in genere. Quia hæc infalibillitas latiorem relinquit indifferentiam, nimirum, non solùm in indiuiduo, & circunstantijs, sed etiam in multiplici specie. Est autem necessitas, de qua loquimur moralis, quæ prouenire potest ex circunstantijs humanæ rationis in constantis, ignorãtis, debilis carnis, blãditijs delinitæ, specialibus auxilijs, aut efficacibus non munitæ, quas quidem rationes non tantũ apud Sanctos Patres citatos, sed etiam apud alios authores legimus. Nam infallibile est alicuius certæ speciei actum in varijs temporum interuallis, varijsque occasionibus, atque circunstantijs eliciendum esse, idq; prouenire ex insita voluntatis propensione circa bonum, quòd si magnum sit, & satis cognitũ, & pondere aliarum circunstantiarũ notabili excessu vestitum, ita vt potiùs inclinet in eius prosecutionem, quàm in omissionẽ illius, tũc infallibile est volun tatem nostram aliquando consensuram esse liberè. Cum hac autem infallibilitate actus manere libertatem nemo negare potest. Quia hæc non est necessitas physica, sed tantum moralis, quæ physicam libertatẽ non repellit. Sed de infallibilitate actus, & de libertate eius multa dicemus deinceps. Nunc verò satis sit dixisse, quæ commemorauimus. Vnum aduerte quod ex dictis colligitur. Nõ solum in malis actionibus, sed etiam in actionibus honestis reperiri posse necessitatem actionis vagè, & in genere cum libertate conjunctã. Hæc enim non magis pugnant in bonis, quã in turpibus operationibus. Sed quòd diuinæ prædefinitiones de actionibus bonis in particulari fieri possint, sine præiudicio libertatis, præterquã quòd id diximus, tam prima parte, quàm prima secundæ, dicemus etiã nũc multa, si Deus dederit propter aduersariorũ ortas sententias.

Defectus quos humana natura patitur.

Non solum in malis, sed etiã in bonis actionibus reperiri potest necessitas ipsius actionis coniuncta cum libertate.

CONCLVSIO SEXTA.

Concl. 6. Dico sexto. Deus sufficienter præbet auxilia adultis omnibus, ita sane, vt quolibet tempore vitæ possint, si velint non apponere impedimenta, & disponi per auxilia illa. Nam certissimum est Deum ex liberalitate, & dono misericordiæ suæ inuitare omnes, & quantũ ex se est parata habere seu dare auxilia necessaria hominibus ad salutem, quandiu sunt in hac vita taliter, vt per ipsum non stet quin saluentur, quod aperte constat ex illo Ezechielis Prophetæ cap. 18. & 33. *Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat.* Et secunda Petri tertio. *Patienter Deus agit nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Colligiturque aperte ex illo Pauli prima ad Timoth. secundo. *Deus vult omnes homines saluos fieri.* Hanc assertionem Sancti Patres colligunt etiam ex illo Ioannis primo. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et Apocalyp. 3. *Ego sto ad ostiũ, & pulso: pœnitentiam age: Ecce sto ad ostium, & pulso.* Vbi aduerte, quòd non tantum dicit se stare, & assistere, & esse paratum: sed pulsare etiam, & tangere: quod importat motum ad intra receptum in corde, & arbitrio hominis. Et D. Augustl. lib. 3. de libero arbitrio cap. 13. & de natura, & gratia cap. 67. ex eodem primo cap. Diui Ioannis Euangelistæ, nimirum ex illis verbis. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Probat assertam assertionem, & quòd homines habeant absolutè loquendo ex Dei liberalitate, & misericordia, & auxilijs à prouidentia sua proficiscentibus, vt salui fiant, certum omnino est, quia alias non imputaretur homini, &c. Hinc est quòd in capitulo, firmiter de summa Trinitate, & fide Catholica definitur, semper posse hominem quãtumuis peccatorem conuerti ad pœnitentiam, dum est in hac vita, aliâs daretur tempus aliquod in quo non possit saluari, & idem definiuit Gelasius Papa in epist. de vinculo anathematis. Quocirca id quod diximus ex communi sententia Sanctorum Patrum, Dionys. Hirenæi, Chrysost. Ambros. August. & aliorum quos alibi citauimus verisimum est.

Ioan. 1.

Apocal. 3.

Capit. Firmiter. de summa Trinitate.

Gelasius Papa.

Ratio autem præcipua huius veritatis sumitur ex libera Dei voluntate, quæ in scriptura manifestata est. Et reddi potest congruentia ex differentia inter paruulos, & adultos. Nam peccatum ita nocet paruulis, quòd proprijs actibus, sibi subuenire non possunt, & ob id Deus illis prouidit debitè ab initio mundi. Imò verò paruuli in protoparente Adamo tanquam in capite totius naturæ, habebant originalem iustitiam, in quo prouidit omnibus de remedio Salutis. Et præterea peccante Adamo, paruuli omnes quantum est ex parte Dei, habent sufficiens remedium contra peccatum. Nam quantùm est ex parte Dei pro omnibus mortuus est Christus, & pro omnibus instituit Baptismum, & Sacramenta in remedium peccati. Adulti verò, qui iam sunt rationis compotes, & per propriam, & actualem voluntatem incedunt, possunt seipsos perdere suis proprijs actibus, ac proinde fuit conueniens, vt possent suis actibus proprijs disponi, & operari, atque eadem ratione fuit conueniens, vt gratia præueniens, & excitans instigans, & inuitans, quæ est initium salutis, præsto esset semper illis. Deus namque stat ad ostium, & pulsat dicens etiam: Aperi mihi soror mea. Et ex se paratus est ad dandam talem gratiam, si homo non ponat illi obicem. Nam licèt homo non possit per innatas vires, aut ex naturæ conatibus se disponere ad gratiam, potest tamen per eandem impedire talem gratiam, vt aduertit S. Thom. lib. 3. contra gentes cap. 159. & cap. 160.

Ex libera Dei voluntate ratio pro conclu. sumitur.

Ezechi. 18. & 33.

2. Petri 3.

1. Ad Timoth. 2.

Est in potestate nostra salus animæ quia paratus est Deus ad dandum auxilia gratiæ quæ possunt à nobis impediri.

Ex dictis liquet, quòd multi Theologi dicunt in potestate nostra esse nostram salutẽ, est enim in voluntate nostra, quia Deus paratus est semper ad dandum auxilia gratiæ, quibus homo faciat, id quod ad salutem oportet, hoc etiam pendet aliquo modo à voluntate nostra. Quia potest à nobis impediri, non quia tale sit impedimentum, quòd Deus non potest vincere, & superare illud, sed quod de se tale est, vt sit sufficiens ad impediendum, nisi Deus sua benignitate ipsum superare velit, ita docuit S. Thom. vbi supra, & de veritate quæst. 14. art. 11. & secunda secundæ, quæst. 2. art. 5. ad primum, Henricus quodlibeto 4 quæst. 19. Ruardus Tapper art. 7.

Dissoluitur argumẽtum primum factum in initio huius operis.

AD argumentum ergo primi discursus, propter quod orta est hæc difficultas satis patet responsio, & quid sit dicendum. Credere enim, & fidelem fieri est liberum homini, similiter etiam in potestate hominis est in melius mutare voluntatem, sed hæc potestas nulla est nisi à Deo detur, de quo Euangelista Ioannes capite primo dixit. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Cùm enim hoc dicatur esse in potestate, quod cum volumus facimus, nihil tam est in nostra potestate, quàm ipsa voluntas, sed operatur voluntas à Domino. Quæ verba citat Ruardus Tapper ex sententia Diui Augustini art. 7. de libero arbitrio. Fatemur tamen libenter, quòd ex innatis viribus, aut conatibus naturæ liberi arbitrij non est in potestate humanæ voluntatis conuerti, sed quòd hæc potestas est à Deo. Nam certè quamuis libertas nostra sit, vires tamen ad hoc efficiendum à Deo nobis donantur, vt ex testimonio illo Ioannis aperte constat, cum dicitur. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Rursus in potestate hominis dicitur esse conuerti ad Dominum, non solum quia in hoc admonetur homo suæ libertatis, sed quia Deus ex liberali manu sua stat ad ostium, & pulsat, inspirat & vocat, quibus pulsationibus, & inspirationibus homo habet in potestate sua resistere, si velit respectu effectuum, ad quos datur iuxta illud Matthæi 23. vbi Christus ait. *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? &c.* Itaque sine gratia Dei nemo mouere se potest ad iustitiam coram Deo libera sua voluntate, vt habetur in Concilio Tridentino sessione 6. cap. 5. & ideirco quamuis in verbis illis, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis nostræ admoneamur, cæterum quando respondemus, Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratia præueniri confitemur. Quapropter idem Trident. eadem sessione 6. cap. 6. sequenti agens de modo præparationis ad iustitiam, inquit. *Quòd disponuntur homines ad ipsam iustitiam, dum excitati Diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes libere mouentur in Deum, credentes vera esse quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt.* In quibus omnibus verbis satis constat, quòd sine Dei gratia homo non potest mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate. Vndè homo non est causa efficiens illius gratiæ prę uenientis, neque est causa efficiens illius inspirationis, & vocationis, quando tangitur cor eius, sed nihilominus, quia homo potest resistere Deo vocanti, & ponere impedimentum peccati libere, vel non resistere, & ex alia parte ex liberali Dei misericordia Deus stat ad ostium, & pulsat, ideirco dicitur homo liber ad suam salutẽ, potest enim dissentire, vel ex auxilio illo Dei, libere consentire. Vndè ea, quæ in primo argumento assumuntur solum probant neminem posse credere, aut conuerti absque diuino adiutorio gratiæ. Nam ob id dicitur Ioannis 6. *Hoc est opus Dei vt credatis in eum, quem misit ille.* Sed quoniam hoc opus Dei simul etiam est & nostrum, quia nos illud libere operamur, Deo nos præueniẽte, vt credere velimus, qui nos præuenire non possumus, dixerat Ioannes Euangelista in eodem capite. *Operamini cibum, qui nõ perit, &c.* Driedo lib. de concordia liberi arbitrij cap. 3. inquit. *Quòd si Saluator dixisset. Hoc est opus vestrum, vt credatis in eum, quem misit ille, recte etiam dixisset, sed noluit, ne daret hæreticis occasionem erroris, quo arbitrarentur se posse credere absque Dei præuenientis misericordia, & auxilio.* Quod considerans Paulus Apostolus ad Romanos 9. inquit. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Et per hæc patet solutio ad primum argumentum.

Tridentinũ sess. 6. ca. 6.

Ioannis 6.

Driedo.

Ad Rom. 9

Libertas ad conuersionẽ nostri liberi arbitrij est, vires tamẽ ex Deo veniunt.

Matth. 23.

Denique ex testimonijs sacrarum litterarum, in quibus dicitur, quòd credere est donum Dei, & quòd venire ad Deum datur à Patre cœlesti, iuxta illud Ioannis 6. *Nemo venit ad me, nisi cui datum est à Patre meo*, & Matth. 10. *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea parvulis.* Et ex similibus testimonijs non sequitur ipsum credere, vel nõ, esse opus liberi arbitrij, vel non esse inquam in potestate illius, sequitur tamen aliqua esse necessaria ad credendum, quæ non sunt in potestate voluntatis, sed in illis præparari, & moueri voluntatem à Domino, vt fiat in potestate, quod erat extra voluntatis potestatẽ. Quòd si aliquis rogaret, cur auxilia ad credendum faciat Deus in quorundam potestate, in aliorum verò potestate non faciat? Respõdet Paulus dicens: *O homo tu quis est, qui respondeas Deo?* De qua re multa diximus 1. p. q. 23. de diuina prædestinatione, & etiam in disputatione de gratia.

Ioannis 6. Matth. 10.

Driedo.

Ex dictis constat, vt aduertit Driedo libro de cõcordia liberi arbitrij cap.3.secunda parte illius libri Vitalem Carthaginensem errasse dicendo, non esse Dei donum credere in Deum, aut Euangelio prædicato consentire,sed hoc nobis esse à nobis, ideſt, ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est Deus.Contra hunc errorem

Credere opꝰ est gratiæ, & voluntatis.

sæpe sæpius scriptura loquitur dicens: Credere in Christum,quemadmodum Christianus credit opus esse gratiæ Dei miserentis,neque inde sequitur credere non esse opus voluntatis.Quia vt inquit Augustin.in Epistola contra eundem Vitalem. *Scimus eos, qui corde proprio credunt in Dominum,sua id facere volũtate, suoque libero arbitrio, sed non ex ipso sine Dei miserẽtis auxilio.* Et hoc solùm confirmant testimonia scripturarum, & Sanctorum, quæ in prædicto primo argumento primi discursus adducuntur.

Obiectio.

Sed obijcies. Omnia opera bona pietatis sunt Dei dona : ergo non sunt à libero hominis arbitrio. Rursus liberum arbitrium absque Dei gratia nihil boni ad salutem spiritualem pertinentis facere potest : ergo liberum arbitrium nihil boni agere potest ad salutem. Similes etiam obiectiones conficiunt hæretici,sed profectò tęchnæ sunt, & insulsa aduersariorum tela. Nam profectò perinde colligunt, acsi concludãt hominem non posse ambulare pro eo, quòd sine pedibus ambulare

Solutio.

non potest. Vndè bona opera,ipsumque credere, aut conuerti hominem ad Deum, Dei dona sunt,non quòd solus ipse faciat ea ; sed quia ipse sua gratia facit, vt nos faciamus illa, voluntate libera. Rursus quemadmodum ex eo quòd dicimus oculum non posse videre sine lumine, non sequitur oculum videre non posse,quando quidem oculos etiam plenissimè sanos dicimus videre non posse, si deficiat eis lucis auxilium, sic dicere possumus de humana voluntate, quæ sine Dei gratia, & auxilio, neque se conuertere potest, neque se mouere ad iustitiam coram Deo libera sua voluntate. Nam ita dicit Trident. Concilium sess.6.cap.5. per hæc verba. *Neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit.* Alia multa occurrebant hoc loco dicenda, sed consultò mitto ea modo:quia infra in disputatione de auxilijs sunt à nobis fusiùs tractanda. Legendus est de hac re Ruardus Tapper articulo 7.de libero arbitrio contra Lutherum, & Driedo Magister eius lib.de concordia liberi arbitrij parte secunda,tam in argumentis primi capitis, quã in solutione argumentorum, quæ ab eo traduntur tertio cap.eiusdem secundæ partis.Et præcipuè lege eum pag.41. & deinceps, & pag.47.& 49.50.& 51.

Ruardus Tapper. Driedo.

Ad illud verò,quod ex D.Augustin. adducitur de diuina prædestinatione, per quam hæretici volunt auferri omnem liberi arbitrij vlum,& potestatem. Nam quid poterit liberum arbitrium(vt ipsi argumentantur) si omne opus bonum conuersionis est donũ Dei, aut diuinæ prædestinationis effectus gratuitus ? si hoc,inquam fiat voluntate Dei, sic ab æterno facere proponentis ante præuisionẽ nostrorũ operũ. Respondetur inquam hanc esse obiectionẽ communem,& antiquã,quam D.Augustin.& adducit multis in locis, & dissoluit,de cuius solutione,& respõsione nos multa diximus 1.p.q.23. de diuina prædestinatione,& etiam q.14.19.& 22. & nonnulla dicemus infra agentes,de diuina prædistinatione. Vtrũ illa fiat ex præuisione operum. Nunc verò paucis cõtenti erimus. Suppono tamen gratiã prædestinationis diuinæ non solũ dare prædestinatis posse,velle,& facere, sed etiam operari ipsum velle,& facere pro bona voluntate, facit enim prædestinatio hæc omnia in prædestinatis.Sed vt dicit Driedo loco citato fol.41.pag.2. ex hoc nihil sequitur contra vim liberi arbitrij, libere operantis sub nutu, dominio,& potestate,& tractu Dei trahentis hominẽ. Verissimũ enim est prædestinationẽ dare prædestinatis, secũdũ suos effectus,potestatẽ bene agẽdi,& operãdi, qua prædestinatus vti potest,& nõ vti,& etiã prædestinationẽ operari in eisdẽ electis ipsa pietatis opera,ipsumq; bonũ volũtatis vlum. Ex quo nõ sequitur,liberũ arbitriũ nihil agere,aut ex necessitate recipere solùm opera bona à Deo: quoniã Deus operatur in nobis bona opera, ita sane,quòd ipse sua gratia facit nos libera, & spõtanea volũtate bene operari. Nã certè bona opera,quæ in nobis dona Dei esse dicũtur operãtis in nobis, illa quidẽ non dicũtur fieri à Deo,nobis nihil agentibus, sed potiùs nobis vere operãtibus, & volẽtibus,ex adiutorio ipsius Dei faciẽtis nos facere. Sic enim Deus dedit suã gratiã, & potestatẽ operandi homini,vt operetur ex cõsilio, & ex rationis sentẽtia,& collatione intellectus, non quidẽ affigẽdo inclinationis necessitatẽ,sed suauitatẽ, & sic mouẽdo liberũ arbitriũ, vt seruetur modus suæ libertatis. Omnia igitur quæ à Deo,& à diuina volũtate fiũt circa nos eo modo fiũt, secundũ quẽ volũtas ipsa diuina vult ipsa fieri,hoc est liberè,aut cõtingẽter,vel necessariò,aut necessitate absoluta,vel cõditionata,secũdũ modũ,quẽ ipse Deus decernit,& præscribit. Quia Deo nõ tantũ subiacent res, sed etiã modi agẽdi libere, cõtingẽter,aut necessariò,vt S. Tho. eleganter aduertit mille in locis. Ex quo cõsequens est Dei voluntatem prædestinantẽ,vel reprobantẽ non modo nõ impedire,sed & facere,aut permittere,vt homines etiã prædestinati liberè, & cõtingẽter agant, quæcumq; suo libero arbitrio agũt,& faciũt. Vndè Ruard. Tapper.ar.7.de libero arbitrio cõtra Lutherũ apertè dicit, ꝙ in omni materia ita pietatis,& gratiarũ, sicut morali, & ciuili,ad voluntatẽ pertinet se determinare ad vnam, vel alteram partem. Et quamuis sub Dei determinatione,non tamẽ propterea

Gratia prædestinationis dat prædestinatis ipsis velle,& operari,neque ex hoc læditur liberum arbitrium.

Non tantũ res sed modi agendi liberè aut necessariò Deo subiacent.

minùs liberè se determinat, quàm si non concurreret, nec determinaret Deus. Et paulò inferius dicit obseruandum esse quòd hi, qui vocantur secundum æternum Dei propositum indeclinabiliter, & inseparabiliter vocationem sequuntur, vt dicit D. August. de correptione, & gratia cap. 12. Attingit enim diuina Sapientia à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter: & gratia perficit naturam. Neque est modus repugnans libertati quòd Deo subiaceant, non solùm res ipsæ & creaturæ, sed etiam modi agendi creaturarum, & ipse modus liberè agendi, cum liberũ arbitrium creatum, etiam vt liberum est, & vt sua libertate vtitur, sit à Deo, & pendeat ab ipso Deo; & à perfectione suæ gratiæ, quæ naturam perficit, & non destruit. Rursus etiam intima Dei assistentia, quam Deus habet intra liberum arbitrium hominis talis est, etiam in ordine ad operationes eiusdem liberi arbitrij, vt habeat quandam coaptationem satis consonam cum eo, ita vt sicut liberum arbitrium se libere determinat efficienter ad suas actiones; sic etiam Deus qui intime apteque est in ipso arbitrio, non destruens, sed perficiens ipsum eum mouet: quia liberum arbitrium creatum maximè in ordine ad operationes supernaturales subordinatur, & subijcitur etiam, vt liberum est ipsi Deo intime assistenti, vt simul in eodem instanti efficienter causet in eo eandem determinationem, ad eosdem effectus supernaturales diuinæ prædestinationis, & ita fit, vt hac ratione maximè perficiatur libertas arbitrij nostri. Neque Deus operatur ex præuisione operum antecedenter, ad suam determinationem. Quia nulla opera præuidentur, vt futura, sed tantùm vt possibilia, vel vt possibiliter futura antequam Deus decernat, vel determinet rem hanc vel illam fore, hunc vel illum ordinem rerum procedere. Bene tamen dici potest quòd Deus agit ex præuisione operum ordinatorum ab ipso: hoc est ex præuisis operibus ordinatis, ita vt præuisio sit post eius ordinationem, & diffinitionẽ respectu futurorum. Vndè quæ nunquam decreuit fore, nunquam erunt, & quoniam nihil de illis decreuit quoad futuritionem, cognouit quidem possibiliter futura, sed de facto reuera nunquam futura esse. Et ita Deus neminem prædestinauit ex præuisione operum antecedenter ad bonam Dei voluntatem liberalem, & actum Dei prædestinantis, sed per bonam ipsius voluntatem, quam gerit erga eos, quos prædestinat, & incipit, & tribuit illis supernaturales vires, quibus bene agant, & operentur, ac proinde scit Deus, quæ ipse facturus est præeundo simul cum homine. Nam hæc est sententia D. August. vt dicit argumentum. Quare negatur sequela, qua infertur per hanc gratiam diuinæ prædestinationis auferri libertatem arbitrij nostri. Neque obstat quòd potestas operandi bene supernaturaliter, sit à forma supernaturali à Deo donata, quia hæc est conditio illius formæ supernaturalis, vt quamuis determinet voluntatem per modum actus primi ad bene agendum supernaturaliter, tamen non determinet determinatione necessaria, sed libera, cùm non inducat necessitatem naturæ, quæ repellit modum agendi intellectus, & voluntatis, sed potiùs iuuat ad collationem, & conferentiam intellectus, qui est proprius modus agendi ipsius liberi arbitrij illustrando intellectum, & dirigendo voluntatem, & ostendendo indifferentiam mediorũ. Suauiter tamen ita hæc omnia peragendo, vt inclinetur voluntas à Deo per conformitatẽ ad collationem, & conferentiam factam in ordine ad prædestinationem, & prædefinitionẽ Dei. Vndè opus conuersionis, ita est verè, & fideliter donum Dei, vt ab ipsius gratia non solũ fiat, sed incipiat semper præeunte Deo, & concomitante à principio, vsque in finem, vt eleganter docuit Diuus Prosper ex sententia Augustini. Quæ omnia fiunt non solum à Deo mouente nos, sed etiam à libero arbitrio simul operante cum Dei gratia, qui liberum arbitrium ex natura sua est potentia se mouens, & se agens, & ita gratia, quæ in eo recipitur, datur illi à Deo cum hac coaptatione, & potestate, vt dum ipsius auxilijs, & gratia imbuitur, se simul agat, & moueat volẽdo per conformitatem ad iudicium suæ collationis, & conferentiæ, aut deliberationis, in quo illustratur maximè à Deo, perficiunturque, & iuuantur intellectus, & voluntas. Quòd verò in operibus supernaturalibus liberum arbitrium operetur ex viribus supernaturalibus acceptis à forma, & auxilijs supernaturalibus, id quidem consonum est fidei nostræ. Quòd autem in eisdem supernaturalibus operibus homo non operetur ex innatis viribus, aut naturæ conatibus, vt sic, id quidem, & certissimum est apud Catholicos, & non aufert libertatem homini, eo præcipuè quòd aliud sunt vires naturales, vel supernaturales, & aliud libertas. Quia libertas quæ importat indifferentiam cum vtrisque viribus reperitur, nimirum, & cum naturalibus nostræ voluntatis, quæ propriæ sunt, & suæ eiusdẽ volũtatis quales quales sunt, & simul etiã cum viribus supernaturalibus de foris à Deo datis, prouenientibus è domicilio suæ Diuinæ gratiæ, atque supernaturalium auxiliorum eius.

De concursu autem primæ causæ cum secundis, & de influxu Dei in liberum arbitrium, & an secundæ causæ agant motæ à prima, & quomodo hoc fieri potest sine lesione libertatis, de hac re multa dicemus in speciali controuersia, quæ suum habet locum specialem.

Ratione intimæ assistentiæ, quã Deus habet intra liberũ arbitriũ, habet optimã coaptationẽ cum eo ad determinandum ipsum suauiter.

Liberũ arbitrium est potentia se mouens, & se agens.

Forma supernaturalis necessitatem naturæ non inducit.

Aliud sunt vires, aliud libertas.

SECTIO. II.

De motione secundarum causarum à Deo, & liberi arbitrij quando operantur, & dependentia liberi arbitrij à Deo. Atque de solutione secundi argumenti primi discursus: An Deus influat in secundas causas ad operandum: & in liberum arbitrium?

IN Hac sectione contenti erimus, si dissoluamus secundum argumentum illiusque confirmationes. Quia celebris illa cõtrouersia de causalitate Dei, an operetur Deus per influxum in causam secundam, vel præcisè per influxum in effectũ, maiorem postulat locum, & fusiorem disputationem, inferiùs à nobis agitandam, propter aduersarios plures; eorumq; fautores, qui hac nostra ætate rem hanc suscitarũnt contra D. Thom. Sed ne ieiunè, & aridè trãseamus nũc tantisper sistere gradum oportet.

Primum ergo explicare oportet paucis id quod in secundo argumento dicitur, quòd si secunda causa non agit nisi mota à prima, sequitur quòd non agit libere. Quia si liberum arbitrium non agit, nisi motum à Deo, sequitur quòd nunquam agit nisi ex motione alterius; ac proinde quòd non mouetur à se, sed ab alio, & consequẽter quòd nõ se mouet libere. In qua re propositionem hanc, Causa secunda non agit nisi mota à prima, recentes Theologi iudicant non esse veram, sed solum continere quandam metaphoram, & analogiam desumptam ex artificialibus instrumentis. Nam quia cernimus sensibilia hæc instrumenta, quæ à nobis pendent in agendo, & nobis subordinantur, non agere nisi mota à nobis, idcirco ad explicandam subordinationem simul cum essentiali dependẽtia in agendo secundarum causarum à prima; causæ secundæ dicuntur non agere, nisi motæ à prima. Et ex consequenti dicunt, verum, & proprium sensum illius propositionis esse secundas causas non agere, nisi adiutas à prima, vel quod idem est, vt cooperantes primæ. Secundò dicunt propositionem illam, Causæ secundæ non agunt nisi motæ à prima, intellectam cum vera proprietate falsam esse. Putant enim secundam causam præter esse suum coniunctum, cum virtute agendi, & operandi connaturali, non indigere speciali aliquo nouo influxu reali, & vero recepto in ipsa secunda causa, vt actu agat, & operetur, ac proinde secundas causas non agere motas à prima. Quia (vt sentiunt) equus, verbi gratia, cum generat equum, & in actu secũdo generationis pendet à Deo, vt à primo mouente, actu causante; non indiget influxu Dei, & motu nouo, vero, ac reali in ipso recepto, vt agat & generet, magis quàm si actu nõ operaretur, neque generaret, sed tantum indigere conseruatione sui esse, & suæ virtutis, & concursu in effectum ipsum præcisè, & non in secundam causam actu operantem; seu in equum actu generantem quando actu se mouet ad generationem, & est in ipso actu secũdo. Dicunt tertio præfatam propositionem non esse traditã ab Aristotele in eo sensu, quẽ intelligunt discipuli Diui Thomæ, falsumque esse in illa propositione posse fundari reductionem omnium motionum, ad primum motorem. Quoniam discursus physicus Aristotelis fuit: Omne quod mouetur ab alio mouetur, omnesque motus inferiorum corporũ aliquo modo reduci ad motum cœli: cœlum verò moueri ab alio, & cum non procedatur in infinitum sistendum esse in aliquo primo motore.

Quid sẽtiãt recentiores quidam.

Ex qua doctrina colligunt illud axioma continere metaphoram, & analogiam quandam desumptam ex artificialibus instrumentis, non tamen volunt hoc cum proprietate intelligi: ac proinde negant influxum Dei esse influxum in causam, aut in liberum arbitrium creatum; imò verò in supernaturalibus præter præuenientẽ Gratiam, quam non potuerunt negare esse influxum supernaturalem Dei in voluntates nostras, & in liberum arbitrium creatum, nolunt concedere efficaciam aliquã ipsi gratiæ, vt procedit à Deo in liberum peccatoris arbitrium: sed solum in effectum, & in operationem tantum; & negant gratiam dari aliquam, seu auxilium de se efficax, nimirum, vt à Deo procedit, respectu nostræ voluntatis: quod sit actuale Dei auxilium, efficax, efficienter propriè influẽs in voluntatem peccatoris, ad suam conuersionem. Et hac via volunt secundum argumentum dissoluere.

Durandus.

Durandus in 2. dist. 1. q. 5. & distinct. 37. q. 1. negat Deũ perse, & immediatè concurrere ad actiones secundarũ causarum. In quo valde deceptus est. Fundamentũ huius erroris fuit. Quia necessitas huius cooperationis diuinæ non potest fundari in aliqua sufficiẽte ratione. Quia Deus cõdidit mundũ, & secũdas causas, quas omnes cõseruat, deditq; illis virtutẽ agẽdi, & hoc sufficit, vt operentur. Quod probo. Quia secundæ causæ non sunt instrumenta, sed potiùs principales causæ, quia operantur virtute propria, & nõ per motionẽ aliquã extrinsecam, sicut instrumenta: ergo non operãtur ex influxu alicuius superioris causæ. Hæc tamẽ sentẽtia Durandi apertè est erronea, & contra communem sensum Doctorũ, & contra Sanctos etiã Patres, & contra D. Augustinum quinto de Genesi ad litteram cap. 20.

Ratio, quã Duran. probat Deum non concurrere perse, & immediate ad actiones causarum secũdarum.

& contra eam militat ſententia Chriſti Ioan. 5. *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Sed quoniam de hac re fiet ſpecialis diſcurſus idcirco fuſiorem diſputationem huius rei in eum locum remitto.

Theologi huius ætatis negant influxum, & concurſum primæ cauſæ eſſe influxum in ſecundam cauſam, ſed ſolùm in actionem, & effectum cauſæ, ac proinde huiuſmodi influxum, & concurſum Dei putant tantùm ſe habere per modum cuiuſdam actionis, & cuiuſdam fieri, & non ſimul per modum principij influentis in cauſam, & in actionem eius, ſed huiuſmodi authores valde decipiuntur in hoc quòd putant præter influxum vnum cauſæ primæ in ſecundam cauſam, & in eius actionē nos affirmare, ex neceſsitate aliquid de nouo eſſe addendum ipſi cauſæ ſecundæ, illiq́ue inditum, quòd ſit principium actionis. Cum tamen ad actionem cauſæ ſecūdæ ſuppoſita virtute agendi perfecta, quæ eſt in ſecunda cauſa, & conſeruatione illius, ſufficiat influxus ille alter, qui recipitur in ipſa ſecunda cauſa per modum cuiuſdam motionis, à qua incipit, & inchoatur cauſalitas Dei, conſummatur verò in effectione immediata effectus, & actionis ipſius cauſæ ſecundæ. Vnde nunquā nos ſomniauimus, quòd illi dicunt nos affirmare. Non enim cùm Deus influit in ſecundas cauſas ponimus alium influxum per modum principij, & alium per modū fieri, & actionis, ſed vnus, & idem influxus Dei, qui ſe habet per modū cuiuſdam motionis eſt influxus in cauſam, & in effectum, aut actionem eius, de qua re inferius, & in diſcurſu illo multa dicemus, nunc verò preſsius agimus.

Quòd vnus tantum ſit cōcurſus in cauſam, & in actionē, & effectū eius, quo Deus vtrūque attingit.

Sed nihilominus noui Theologi, qui non volunt Dei concurſum, & influxum eſſe in cauſam ſecundam, ſed tantum in effectum, & in actionem, id probare contendunt. Primo ex D. Thom. 1.2. quæſt. 109. art. 1.2. & 3. Cùm tamen Sanctus Thomas eo loco aperte, & ſine aliquo verborum circuitu oppoſitum dicat, & diffiniat contra eos. Et eſt mirabile quòd cùm cernant euidenter Sanctum Thomam ſcripſiſſe, & loqui contra eos eum adducant in fauorem ſuæ ſentētiæ. Dicit enim S. Thom. in eiſdem locis citatis nimirum 1.2. quæſt. 109. art. 1. *Quòd quantumcunque natura aliqua corporalis, vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere niſi moueatur à Deo.* Et ſtatim inferiùs. *Sic igitur actio intellectus, & cuiuſcumque entis creati dependet à Deo quantum ad duo. Vno modo in quantum ab ipſo habet perfectionem, ſiue formam, per quam agit: Alio modo in quantum ab ipſo mouetur ad agendum.* Idem repetit ſolutione ad 3. vbi affirmat nos ſemper indigere diuino influxu, & auxilio Dei ad cogitandum quodcumq́ue, in quantum mouet intellectum Deus ad agendum. Et profectò mirabile eſt, quòd cum Sanctus Thomas hoc loco decernat, & ſentiat Deum mouere ſecundas cauſas ad agendum, ita vt ipſæ ſecundæ indigeant motione Dei, ipſi non ſolùm hoc negent, ſed argumententur valde inefficaci, & inualido, & futili argumento dicentes, ſi Deus mouet cauſas ſecundas influendo in eas, & non tantum in actiones, & effectus earum; tunc vel illa motio, qua ſecundæ cauſæ mouentur à Deo vel eſt motio localis, vel alterationis, vel generationis. Non generationis, quia etiam cauſæ ſecundæ mouentur à Deo poſtquam iam ſunt productæ, & genitæ. Neque localis. Quia aliquando permanentes in eodem loco operantur. Neq́ue alterationis. Quia non videtur qua alteratione alterentur, & moueantur, aut quo pacto hæc motio alterationis poſsit dari per modum principij. Sed profecto mediocris Theologus, & Philoſophus ſi eleuet mentis oculos ad infinitos modos agendi contentos in Dei omnipotentia, cernet quàm anguſto palmo volunt iſti concludere Deum in hac re. Fateor quidem motionem illam non eſſe localem, neq́ue eſſe motionem generationis, ſed eſſe influxum Dei, & concurſum receptum in ipſa ſecunda cauſa, & eſſe innominatum modum motionis cauſalitatis mirificæ, quo indiget ſecūda cauſa in cauſando, vt à Deo pēdens in operando, loquor enim de influxu, & concurſu Dei tranſeunte. Atq́ue adeò in actionibus immanentibus in eodem ſubiecto recipitur concurſus, in quo eſt actio cauſæ ſecundæ. In cauſis verò agentibus actione tranſeunte Dei influxus, & concurſus non ſolum eſt in ſecundam illam cauſam, ſed etiam tranſit ad effectum, & ad paſſionem ſeu fieri effectus. Quoniā ſecunda cauſa agens media actione producit effectum: Deus verò influendo in cauſam, vt actu operetur. Cum immenſus ſit, & omnia repleat, & virtute ſua omnia attingat immediate, ſimiliter attingit immediate actionem, & influit paſsionem in aliud. Sicq́; motio illa eſt virtute multiplex mirabilis, & quæ inducit perfectionē in ſecūdas cauſas, & in ipſa agētia creata, ſecundum quam dicuntur recipere perfectionem, & quaſi perfectiue alterari.

Quòd tantū ſit Dei influxus in effectum probant 1. iſti authores ex D. Tho. qui expreſſe loquitur contra eos.

Præter hæc autem obijciunt alia duo contra nos. Primum eſt. Quia ſufficit concurſus Dei in effectum, ſeu concurſus Dei actualis per modum actionis, & non per modum actionis, & principij, quod eſt dicere per influxum in actionem, & effectum ſecundarum cauſarum ſaluatur omnis dependentia eſſentialis, tum cauſæ ſecundæ à prima in cauſando tum actionis eius in fieri, tum etiam effectus in omni ſuo eſſe. Rurſus ratione huius concurſus prima cauſa immediate, & perſe efficit omnia: ergo ſuperuacaneum videtur eſſe, quòd Deus influat in ſecundam cauſam.

Obiectiones duæ contra noſtram ſententiam. Prima.

Secundò obijciunt. Nihil poteſt requiri, vt principium perſe, neq́ue vt conditio neceſſaria principij perſe ex parte cauſæ ſecundæ: ergo nullo modo eſt conſtituendus

Secunda.

Quòd nullo motu moueantur à Deo cauſæ ſecundæ in productione ſuorū effectuum aſſerunt contrarij. Sine fundamento ita ſentiunt.

influxus Dei, & concursus in secundam causam, veluti per modum principij, sed solùm prærequiritur ille concursus, & influxus per modum actionis in effectum tantùm. Patet eō sequentia. Quia causa secunda, vt supponimus habet suam virtutem agendi, & ita non requirit, neque postulat Dei concursum, nisi tantum in effectum, & actionem suam: igitur necessitas illa influxus, & concursus Dei non est ex vi concursus, & dependentiæ à prima causa, qui necessariò requiratur in secunda, nisi ipsa habeat defectum in virtute agendi, sed tota dependentia referenda est ad effectum, & actionem procedentem ab ipsa causa.

CONCLVSIO PRIMA.

Conclusio prima.

Influxus Dei est influxus in secundā causam, & nō tantùm in actionem.

PRO explicatione huius rei, Dico primò. Influxus Dei seu concursus primæ causæ est influxus in secundam causam, ordinatus ad actionem eius, siue talis influxus sit necessaria conditio, vt causa secunda operetur, siue habeat se per modum principij simul, cum ipsa causa secunda agente. Itaque concursus primæ causæ ad actionem, & effectum inchoatur, & incipit ab hac motione Dei, seu applicatione secūdæ causæ, consummatur vero, & perficitur in effectione immediata, & perse ipsius effectus, seu actionis ipsius causæ secundæ.

D Thom. Ferrara. Caiet.

Hæc assertio est Diui Thomæ quidquid aduersarij voluntariè dicant, & tenet eam tertio contra gentes cap. 70. Et Ferrara discipulus Caietani, & D. Thomæ, qui præter formā seu virtutem agendi propriam ipsi agenti, quæ vel est forma agentis, vel potentia eius, vel firma, aut permanens, seu fixa qualitas connaturalis eidem agenti, sicut est calor ignis, & frigiditas aquæ, & virtutes etiam occultæ rerum, dicit Deum concurrere tribuendo agenti seu causæ secundæ in ipso exercitio causandi, & agendi virtutem inditam, & fluentem seu applicationem, secundum quam communicat secundis causis, influendo quidquid necessarium est, & requiritur, vt actu operentur. Et quamuis virtus hæc, seu influxus Dei, quouis nomine vocetur, non sit fixa, sed per modum motionis detur secundis causis, tamen comparatur virtuti artis, & virtuti datæ instrumentis, quæ non remanet in instrumēto, nisi quando artifex actu operationem efficit, & instrumentum operatur recipiendo virtutem illam quasi artificiosam ad effectum, quē intendit artifex per artem, & ob id vocauit illam virtutem seu motionem, intentionalē, non quòd realis, aut physica non sit, sed quòd ex scientia operatiua Dei, & voluntate eius procedit, est enim scientia Dei applicata per voluntatē causa rerū, & idcirco cum Deus sit omniū artifex, virtus illa appellata fuit à Ferrariensi intentionalis, & non in eo sensu, quē male, & sine causa aduersarij volunt. Hæc etiā est sententia D. Tho. de potentia q. 3. ar. 7. & Capreol. sensit idē non immeritò, sed iure in 2. dist. 1. q. 2. & Soncinas in summa eiusdē Capreoli in 2. dist. 1. q. 2. concl. 11. Hæc etiam videtur esse sententia D. Augustī. lib. 8. de Genesi ad litterā cap. 120. & 5. de ciuitate Dei cap. 9. Aristot. lib. 7. Physicorū cap. 1. & lib. 8. Physicorum cap. 5. & 2. Metaph. cap. 2. & in eisdē locis S. Tho. AEgydius Cardinalis quodlib. 5. q. 1. idem sensit. Quod significat satis aperte S. Tho. 1. 2. q. 109. ar. 1. 2. & 3. vbi præter virtutē agendi fixā constituit influxū, & auxiliū speciale, quo causæ secundæ mouentur. Neq; oportet fingere oppositū in schola D. Tho. Nā in prædictis locis satis apertè loquitur D. Tho. absq; vlla tergiuersatione. Et 1. p. q 105. ar. 5. plane dicit Deū, & mouere, & applicare secundas causas ad agendum.

Non sistit concursus Dei in influxu erga causam, sed transit semper vsq; ad effectum.

Sed perpendendum est huiusmodi Dei influxum aut concursum, seu motionem receptam in ipsis secundis causis non quiescere, aut sistere in ipso influxu erga causam, sed transire semper vsque ad effectum, & actionē ipsius causæ, sic enim esset negare immediatum concursum in actionem, & effectum secundarum causarum. Quia si virtus illa, quæ impēditur, & actu tribuitur causis secundis in ipsis quiesceret, & suspenderetur, & non procederet ad effectionem immediatā effectuū, & actionum secundarum causarum, tunc diceretur Deus mediatè tantùm causare actiones, & effectus rerum, ad eum fere modum, quem Durandus voluit. Sed necessariò oportet affirmare motionē illam, cōcursumq; Dei seu primæ causæ recipi in secundo agente creato, seu in causis secundis, & ita ab huiusmodi motione seu applicatione causæ secundæ, quouis nomine vocetur incipere seu inchoari Dei influxum seu concursum, cōsummari verò in effectione immediata, & perse ipsiusmet effectus, aut actionis causæ secundæ. Quæ sane sententia ita explicata verissima est, vt diximus, & quæ nihil cōtinet superfluum, & è regione opponitur contra Durandum.

D. Greg.

Hæc est aperta sententia Sanctorum Patrum D. Greg. lib. 16. moralium cap. 18. *Omnia* (ait) *quæ creata sunt, perse nec subsistere præualent, nec moueri, sed in tantum subsistunt, in quantum, vt esse debeant acceperunt, in tantum mouentur, in quantum occulto instinctu disponuntur.* En quo pacto suppositā rerum productione, & suppositis suis potentijs, atque formis seu virtutibus agendi dicit Gregorius, quòd vlterius mouentur, in quantum occulto instinctu disponūtur: ergo ex sentētia D. Gregor. secūdæ causæ, & agētia omnia creata mouētur quatenꝰ occulto instinctu disponūtur: recipiūt igitur motionē Dei, & hāc appellauit occultū instinctū, & dispositionē, quā negare nō possunt aduersarij, neq; dicere nō esse inditā secundis causis eū operantur. Nam in tantū mouētur (inquit Greg.) præter illud esse, quod antea habebant res creatæ, in quantū occulto instinctu disponuntur. Hoc cōforme

Qui sint authores pro nostra cōcl.

Actorum 17.

eſt ſacris litteris actorum 17. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* Idem dixit Diuus Proſper inferiùs citandus à nobis multis in locis. Hoc etiam clamant ſcripturæ etiam de ſecundis cauſis liberis, & de voluntate, & corde hominis, vbi non tantùm fit mentio, de auxilijs ad actiones, & effectus liberi arbitrij, ſed etiam ad ipſum liberum arbitrium, iuxta illud Prouerbiorum 21. *Cor Regis in manu Dei eſt, & quocumque voluerit vertet illud.* Seu inclinabit illud. Et ad Hebræos 13. *Deus pacis, qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ouium, in ſanguine teſtamenti æterni, Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum: aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram ſe in Ieſum Chriſtum.* Perpende verbum aptet vos in omni bono: nam certè ſonat applicet vos, & faciat aptos ad omne bonum, & moueat ad faciendam eius voluntatem. Et Tridentinum Concilium ſeſsione 6. cap. 16. apertè dicit Chriſtum Dominum, in ipſos etiam, iam iuſtificatos influere iugiter virtutem, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites. En quomodo comparat influxũm Chriſti cum influxu capitis, & cum influxu vitis in palmites, qui influxus non tãtum eſt in effectus, & actiones, ſed eſt verus influxus, & vera virtus in membra influens, inditaque membris, & palmitibus, vereque influens, quæ ſane virtus, ita donatur per verum influxum, vt non ſolùm dicatur virtus concomitans, ſed ſemper antecedens opera, ſicut etiam concomitatur illa. Et eadẽ ſeſsione 6. canone 3. & 4. non ſolum dicit inſpirationem, & adiutorium diuinum eſſe neceſſarium ad credendum, ſperandum, diligendum, & pœnitendum, ſed etiam dicit ad cooperationem liberi arbitrij, ipſum arbitrium à Deo non ſolum excitari, & vocari, ſed etiam moueri ad diſpoſitionem, & præparationem: igitur non eſt ſuperfluum, ſed neceſſarium conſtituere aliquid inditum ſecundis cauſis per modũ motionis, & influxus. Quæ ſanè neceſsitas præterquàm quòd ex ſcripturis colligitur, vt videbimus in ſpeciali diſputatione de hac re, colligitur etiam non ſolum ex vi dependentiæ effectus, & actionis à cauſa prima, & ſecunda, ſed etiam ex vi dependentiæ cauſæ ſecundæ in cauſando, & agendo à prima primò cauſante, quæ omnes inferiores ſibi ſubijcit. Nam cauſa ſecunda non ſolùm pendet à Deo ſecundum ſuum eſſe, & ſecundum virtutem agendi; à quo conſeruatur, ſed etiam pendet à Deo, vt à prima cauſa, vt ſic, vt exeat in actũ ſecundum, & vt ſubordinetur illi non ſolùm in principio agendi fixo, ſed etiã in ipſo exitu de actu primo in ſecundum, & ita pendet ab illo influxu ſeu ab illa motione primæ cauſæ, à qua incipit, & inchoatur Dei influxus, & concurſus, qui conſummatur, vt dictũ eſt in effectione immediata, & perſe ipſiuſmet effectus, ſeu actionis cauſæ ſecundæ. Quam ſententiam ſatis aperte explicuit Caietanus 1. p. q. 105. art. 5. & 6. in cõmentario, & art. 4. præcedente in poſtrema parte commentarij, vbi etiam dicit, quòd proprium Dei eſt mouere non tantùm obiectiuè voluntatem, quia mouere obiectiuè illam communicatur alijs, quãuis non ſufficienti efficacia, ſed etiam eſt proprium Dei mouere voluntatem ſecundo modo, quod eſt mouere ab intus, quod nulli communicatur. Nam ſolus Deus eſt, qui illabi poteſt libero arbitrio, quoniam ſolus ipſe fecit, & conſeruat ipſum. Et ar. 5. ſequenti dicit Caiet. quòd Deus non tantum eſt cauſa operationum ſecundarum, vt dans, & conſeruans principia actionum, ſed etiam, vt applicans ad agendum.

Prouerbiorum 21.

Ad Hebræos 13.

Influxus Chriſti eſt ſicut influxus capitis in membra.

Caietanus.

Per hanc diuinam motionem, à qua incipit, & inchoatur concurſus primæ cauſæ, in quo includitur applicatio cauſæ ſecundæ, quę mouetur à Deo cum terminatione immediatę effectionis ipſius effectus, ſeu actionis cauſæ ſecundæ, ſaluatur omnis dependentia eſſentialis cauſæ ſecundæ à prima in cauſando, hoc eſt, cauſæ ſecundæ conſideratæ non quatenus habet virtutem, & rationem agendi, & eſſe; quia hæc aliàs conſeruatur à Deo, ſed etiam quatenus, ſecunda cauſa actu agit, & cauſat, nam hoc eſt diſtinctum à forma, & à ratione agendi fixa, & dicit actum ſecundum, actualemque operationem, & exitum à potentia, & ab actu primo ad actum ſecundum. Nã certè effectus, & actio cauſæ dicunt quandã vnionem dependentiæ cum ipſa ſecunda cauſa, à qua efficienter accipiunt eſſe, & à qua pendent, & multo magis ipſa cauſa ſecunda, vt actu agens, habet ſpecialem dependentiam à primo agente, quod eſt Deus. Et inde fit, vt cauſa ſecunda, quamuis habeat virtutem operandi fixam, tamen quando actu operatur, indigeat illo concurſu, aut illa motione inchoante, ratione dependentiæ, quam habet in agendo, & cauſando. Rurſus etiam ratione huius motionis, & concurſus recepti in ipſa ſecunda cauſa, veriſimum eſt primam cauſam efficere omnia, & attingere effectum, & ſubordinare actu ſecundam cauſam ſibi, non ſolum quantum ad virtutem cauſandi, ſeu formam permanentem, quam in ſe habet, ſed quãtùm ad illud, quod eſt actu cauſare, & agere, & quantùm ad omnia illa, quæ de ſecunda cauſa, vt cauſante dici poſſunt ei conuenire. Sic etiam fit melius vnio quædam ſecundæ cauſæ cum prima in ratione cauſandi actualiter. Nam certè cauſæ partiales non ita perfectè vniuntur, ſicut quando ſunt eſſentialiter ſubordinatæ in cauſando, & agendo. Quo fit, vt poſita, ac indita motione, ſeu applicatione cauſæ, quouis nomine vocetur, non requiritur aliquod aliud complementum, ſed ſufficit prædicta virtus, ſeu motio requiſita quidem ex vi dependentiæ cauſæ in cauſando, & agendo, & non ad virtutem completã agendi in ſuo ordine. Quia ſi hæc eſſet incompleta, & imperfecta indigeret quidem complemẽto

Omnis depẽdentia cauſæ primæ à ſecunda ſaluatur ſecundum hunc dicendi modum, nõ aliter.

Optimus modus vnionis cauſæ ſecundæ cum prima, qui neceſſarius eſt ad operandum.

virtutis

virtutis propter imperfectionem intra latitudinem causæ secundę. Atque hac ratione Deus aliquando supplet defectum causæ secūdæ donando illi virtutem, quod præcipuè facit, quādo suo speciali auxilio mouet liberum arbitrium ad supernaturales actiones, tunc enim non solùm eleuat potentiam ad supernaturalem ordinem, vt ascendat superiùs, sed etiam mouet liberum arbitrium ad actus supernaturales. Quapropter non est impertinens, sed necessarium præter formam, quæ est ratio agendi fixa, & permanens in secunda causa etiam quādo nihil agit; reponere in ea aliquid quatenus ipsa secunda causa adhuc posita forma agendi permanente, habet dependentiam à prima causa, vt exeat in actum secundum, & vt actu causet & operetur. Quia hoc est nouum quid quod anteà non erat. Et hoc tantò magis est verum, quantò authores oppositæ sententiæ verius putant dicere, secundas causas habere quendam modum instrumenti respectu Dei. Imò verò tanto magis est verum, quod nos affirmamus, quantò aduersarij magis intendunt, & volunt liberum arbitrium per auxilia Dei, & supernaturales formas potius habere in ordine ad supernaturales actus rationem instrumenti viuentis, quàm secundæ causæ principalis. De qua re suo loco dicemus, quid sentiendum sit.

Axiomata antiquorū omnium.

Adducor ad hanc nostram sententiam defendendam ex antiquitate omnium Philosophorum, & Patrum antiquorum. Nam hæc axiomata à nobis statim proponenda, sunt & fuerunt communes, & antiquæ animæ conceptiones. Neque oportet eas eludere extortis interpretationibus, & alienis, sicut multi hodie faciunt. Sunt autē principia, & axiomata hæc, quę sequuntur: *Secundæ causæ operantur motæ à prima.* Sunt enim secundæ causæ quædam agentia, quæ non agunt nisi cum quadam dependentia in agendo, & idcircò non agunt nisi motæ à primo agente, cui essentialiter subordinantur, & à quo, inquam non tantùm dicuntur pendêre in esse, fieri, & conseruari, & quantùm ad formas, & rationes agendi, sed etiam quantum ad hoc quod est actu agere & causare, & quasi exire de potentia in actum, & de actu primo in secundum.

Proclus.

Ex præfato axiomate potest etiā colligi illud alterum, quod desumitur ex Proclo lib. de causis, propositione 16. vbi habetur; *Quòd diuina virtus, est virtus omnium causarum.* Nam certè in ipso viuimus, mouemur & sumus; & ipse est, qui attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Cùm igitur diuina virtus applicat virtutes secundorum agentium ad operationes suas, tūc dicitur hoc facere mouendo secūda agentia. Ità sensit hoc

D. Thom.

Diuus Thomas. 1. par. quæst. 105. artic. quinto, tam in corpore, quàm solutione ad tertium; & 3. contra gentes, cap. 70. vbi explicat, quomodo idem effectus sit à Deo, & à naturali agente. Et idem omnino & eodē modo, interpretatus est AEgydius Cardinalis instituti Diui Augustini quodlibe. 5. quęst. 1. Et quidem S. Thom. 1. par. loco citato affirmat primum agens mouere secūdum ad agendum, & statim subiungit ipse; & secundum hoc omnia agunt in virtute ipsius Dei. En quo pacto intelligit S. Thom. prædicta axiomata. Non igitur est vlla ratio cur eludantur ab aduersarijs dicentibus propositionem illā, Causa secunda non agit nisi mota à prima, cōtinere metaphoram, & analogiam quandam sumptam ex artificialibus instrumentis.

Ægyd. Cardinal.

Neque valet dicere, quòd cum necessarium sit, quod causa secūda habeat esse à prima causa, & conseruetur ab ea, quòd continuus influxus ipsius esse, vel virtutis actiuæ permanentis potest dici quasi continua quædam motio ipsius causæ secundæ à prima. Quoniam neq; Durandus hoc negat, dicit enim Deum sua actione conseruatiua conseruare esse causæ secundæ, & virtutis actiuæ eius, ad quorum conseruationem non negat influxum continuum conseruatiuum ipsius esse rei, aut ipsius virtutis actiuæ, quę est ratio agendi, & tamen damnatur meritò à Theologis, quia non concessit influxum & concursum, vt minimum in actionem, & effectum causę secundę. Neque satisfacit dicere, proprium sensum illius propositionis esse, Causa secunda non agit nisi mota à prima, idest, causa secunda cooperatur primę. Quoniam moueri à prima, & moueri ab alio non est cooperari, idest simul operari cum eo, sed est moueri ab eo ad operationē illā, vt sic cooperetur illi cum quadam depēdentia Physica, & subordinatione essentiali. Ità vt sic adiuuentur secundę causę à prima, vt verè recipiant motionem à prima: aliàs nunquam antiquitas maiorum nostrorum intellexit propositionem illam seu axioma adductum, neq; S. Thom.

Moueri ab alio non est solum cooperari cum illo.

Omittamus modò, si causa secūda indigeat noua aliqua locali applicatione, vel complemento virtutis actiuę propriè, ex defectu ipsius secundę causę, & suę virtutis, aut si indigeat aliquo alio, quo caret in se propter defectū sui, quisquis ille defectus sit. Nam in hoc nulla poterat esse difficultas, tunc enim non solùm causa illa indigebit influxu Dei, concursuque generali eius, & applicatione, sicut reliquę omnes causę secundę, quę operantur motę à prima, sed etiam indigebit complemento sui defectus, aut noua aliqua applicatione locali, vel aliquo huiusmodi, idque ex speciali prouidentia tribuendum erit Deo. Constans igitur sit sententia antiquorum, & Diui Augustī. Sancti Thomę, & scholę suę, secundas causas moueri à Deo, quando agunt seu mouētur ad agēdum: sic enim aptantur à Deo actualiter virtutes in eisdem secundis causis contentę. Quòd si secunda causa sit intellectus aut voluntas sine dubio agit ex influxu, & motione Dei in se receptis, ità vt non solùm moueantur, sed etiam se moueant, vt optime di-

Aliquandò causæ secundæ non solum requirunt ad operādum influxū Dei, sed etiā aliquod complementum potentiæ.

timè dixit S. Thom. 1. par. quæst. 83. artic. 1. & quæst. 105. præcipuè art. 4. & 5. & 1. 2. q. 109. artic. 1. 2. & 3. Mirabile tamen est, quòd aduersarij nunquam quiescunt interrogantes quem terminum habeat iste motus, & ad quã speciẽ motus, vel mutationis pertineat. Quia talis motus non est localis, ex eo, quòd non est necessarium secundas causas, quando operantur moueri localiter: neque etiam est motus ad quantitatem, neque ad qualitatem, neque etiam talis motus terminari potest ad ipsam actionem secundę causæ ex eo, quòd aliàs talis motus non esset conditio prærequisita ad illam actionem, sed esset intrinseca ad ipsam actionem, cùm talis actio diceretur esse proprius, & immediatus terminus illius motus. Sed respondetur non esse speciem motus localis, sed potiùs esse speciem motus innominatam mirificam, & pertinentẽ potiùs ad motionem perfectiuam, terminarique ad actionem, & effectum causæ secundæ, concurrente simul eadem secunda causa, quę simul cum sua virtute operatiua subordinatur Deo mouenti eam, vt exeat de potentia ad actum, & feratur in terminum & effectum quem intendit. Est ergo species illa motionis distincta ab omnibus illis, & ita non bene interrogatur, qualis species ex illis tribus, vel quatuor, sit. Sicut male interrogaremus de homine, qualis species animalis esset; vtrùm esset species leonis, vel equi, vel Elephantis. Dicẽdum enim esset, quòd est vna species à reliquis omnibus distincta, & quòd in se habet quo à reliquis sit distincta: ità in præsenti ex plerisque motionum speciebus, quas Deus concepit suo intellectu, & quas Deus facere potest, hæc est vna, qua Deus influit in secũdam causam, eam ineffabiliter mouendo, vt actu operetur & agat. Qua propter terminus illius motionis & influxus & etiam causæ secundæ erunt actio, & effectus secundæ causę, habebuntq; se quasi terminus omnium præcedentium, & illius motus. Vndè colligo ex necessaria subordinatione, & subiectione essentiali secundæ causæ ad primam, propter omnimodam dependentiam, quam habet secunda causa in agendo, & in actu causandi, atque agendi indigere virtute illa motionis diuinæ, seu influxus in ipsam, & non tantum in effectum & actionem. Neque ob id sequitur, quòd sicut influxus ille seu motio diuina est à prima causa, & recipitur in secũda, quòd ità actio, & terminus eius non sit à causa secunda, sed à sola prima. Quia revera talis actio nõ solùm est à prima causa, sed etiam à secunda. Primò, quia eo solo concursu & influxu, quo Deus cõcurrit ad effectum, & actionem causæ secundæ simul cùm eadem causa secunda, & cum virtute ipsius, nõ posset producere se solo, sine causa secunda, & sine concursu eius, sicut quando concurrit cum leone, aut equo ad generationem, eo concursu, quo concurrit ad generationem equi cũ equo, & ad eductionem formæ de potẽtia materiæ non posset se solo producere formam equi extra materiã, quia requiritur maior concursus & influxus Dei, vt eligãter adnotauit Sot. in Phy siquęst. ergonõ solus ille Dei cõcursus est, qui terminatur ad actionẽ & effectũ, sed etiã creaturę agẽtis. Secundò, quoniã motio illa, qua secunda causa mouetur quando actu agit & causat, & mouetur de actu primo ad secundum, efficit veluti vnum principium cum ea in ordine ad effectum, & actionem secundę causę, quamuis talis influxus priùs natura intelligatur esse à Deo, quàm quòd operetur & causet, veluti vnum principium cum eadem secunda causa, subordinata tamen Deo, & illi motioni propter suam indigentiam, quantum ad actum causandi in actu exercito.

Idẽ motus quo causæ secundæ mouẽtur est innominatus, & pertinet ad motionem perfectiuam.

Eo solo concursu, quo Deus concurrit cum causa secũda ad suos effectus, nõ posset illos producere.

Authores oppositę sententię fatẽtur axioma illud. Causa secũda agit in virtute primę, esse verum. Explicant autẽ illud hoc modo: quod agere in virtute alterius superioris nihil aliud sit, quam agere per virtutem participatam à superiori virtute, & dependenter in sua actione ab actuali influxu eius. Et pari modo diuina virtus dicitur esse virtus omnium causarũ; quia secundę causę participant virtutem primi agentis, quod est Deus, & quia omnes conseruat, & omnes actu adiuuat, de quo nulla potest esse controuersia. Sed nos addimus vlterius secundas causas adiuuari à Deo per influxum in eas, quando actu causant, ità vt ab huiusmodi influxu, & motione seu applicatione causę, inchoetur concursus primę causę actu impensus, & perficiatur, & consumetur in effectione immediata, & per se ipsiusmet effectus, seu actionis causę secundę, quę sine dubio est sententia Diui Thomę locis superiùs citatis, & etiam de potentia, quęst. 3. artic. 7. Vbi prętер virtutem participatam, & dependentiam actionis secundę causę ab actuali influxu Dei affirmat vlteriùs dependentiam ipsius causę secundę in quantum actu causat & agit. Qua propter inquit necessariò esse constituendam simul cum illa duplici dependentia vim seu virtutem instrumentalem, fluentem, quam recipit causa secunda à prima, vt agat veluti instrumentum eius. Et profectò eleganter valde enumerat Sanctus Thomas hanc virtutem fluentem receptam in ipsa causa secunda tanquàm distinctam ab actione cõseruatiua ipsius causę secundę & virtutis eius. Neque tamen hanc virtutem fluentem sustulit in partibus, vt constat ex locis allegatis, & ex 1. 2. quęst. 109. artic. 1. 2. & 3. Quocirca cũ secunda causa pendeat à prima tanquam à suo principio, rationabile, valde est, si Deus ipse influat aliquid actuale quasi per modum principij, & hoc non est multiplicare principia sine necessitate, quia cogimur necessariò hoc ponere, propter necessariam dependentiam, & essentialem subordinationem, quam habent secundę causę respectu Dei, quando inchoant suas actiones. Vnde Sãctus Thomas etiam. 1. p. quęst. 105. artic. 5. concesit secundam cau-

Axioma illud, quòd causa secũda agit in virtute primæ malè explicatur ab aduersarijs de virtute participata solum.

D. Thom.

sam applicari à prima, sicut etiam alibi plerisque in locis cõcesit, quòd secunda causa mouetur ad agendum. An verò actio causæ primę, & secundę sit vna & eadem, disputabimus inferius. Puto tamen non esse duas actiones, & hoc non repugnare vllo pacto nostrę doctrinę, vt videbimus suo loco.

CONCLVSIO SECVNDA.

Concl. 2.

Hæc assertio cum toto eius processu dissoluit argumẽtum secundũ primi discursus principalis, ratione cuius hæc secũda Sectio à nobis est facta

Dico secundo, Causa secunda libera; nimirùm voluntas & liberum arbitrium hominis. operatur cum triplici illa dependentia à Deo, qua indiget vt actu agat, & operetur, tam in bonis operibus supernaturalibus, quàm in bonis moralibus. Nam certè liberum arbitrium hominis, seu voluntas & intellectus eius subordinãtur Deo, & pendent à Deo, non tantum secundum esse, quòd habent ab ipso, à quo fiunt, & conseruantur: sed etiam pendent quantum ad virtutem agendi illis inditam. Nam talis virtus participatur à virtute superiori Dei, cum sit liberum arbitrium cum viribus suis, aut etiam cum supernaturalibus à Deo datis virtus creata, & participata à Deo. Et tertiò dependet liberum arbitrium in sua actione libera ab actuali influxu eius, & etiam à principio illius actionis, quod est influxus Dei in ipsum arbitrium. Nam certè si Deus influit in actionem liberam & causat eam, sicut fides docet, & per hoc non aufertur libertas eius, etiam si concurrat Deus, vt causa partialis, vt authores oppositæ sententiæ volunt, multò minùs aufertur libertas, si operetur liberum arbitrium, non vt partialis causa, aut instrumentalis, sed vt causa secunda principalis sub Deo, à quo pendet in esse, & in actione cõseruatiua sui, virtutisque suæ, & etiam in ratione agentis actu, & causantis. Sentio enim non solùm actionem liberi arbitrij pendere à Deo, & ab influxu eius, sed etiam pendêre quantum ad modum causandi liberè, & quantum ad actuale exercitiũ causandi voluntatis, in quantum agens & causans. Quia secundũ hoc consideramus causam actualiter, & non habitualiter tantum.

Non tantũ subordinatur causa secunda Deo tanquãprincipio ad intra, sed etiam influxui, & motioni ipsius quatenus est aliquid manans à Deo, & receptum in creatura.

Vndè causa libera non tantum subordinatur diuinæ voluntati, & volitioni, qua vult Deus voluntatem nostram agere, tanquã principio ad intra; (appellatur enim illa Dei volitio seu voluntas, qua vult me agere pœnitentiam & conuerti, concursus Dei ad intra) & quidem huiusmodi actus volũtatis diuinæ suo modo est principium per se omnis actionis ad extra. Ex quo quidem sequitur posteà influxus ad voluntatem. Cum igitur Dei voluntas sit concursus in suo ordine, & hac Deus velit secũdà causam liberã agere, sequitur, quòd erit ille concursus in causam: quia Deus non tantum vult actionem & effectum, sed etiam vult secundam causam agere. Sed vlterius voluntas subordinatur influxui seu diuinæ motioni, quatenus est aliquid à Deo manans & procedens, & receptum in creatura pertingẽsque actionem, & effectum secundæ causæ, & ita comparatur illa dependentia, & subordinatio ad influxum Dei, tanquam ad principium.

Sanè cum Deus sit à quo liberum arbitriũ creatum dependet, etiam vt liberum est, non est mirabile si potiùs perficiatur libertas eius in subiectione ad influxum diuinum procedentem ab ipso etiam Deo, cui adaptantur auxilia, & concursus ab eo procedentes, ità vt sapiant conditionem Dei, & contemperentur libero arbitrio. Attingit enim Deus, & diuina sapientia in his omnibus à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, ex eo quod non tantum subiacent Deo res, sed modi rerum, & non tantum subiacent Deo causæ agentes, sed etiam modi agendi & causandi. Neque est repugnantia vlla, quòd modus liberè agendi, & operandi subijciatur Deo. Quia licèt Deus determinet voluntatem, tamen ipsa etiam se determinat, & agit sub determinatione Dei, Deo mouente intellectum hominis ad collationem, & conferentiam, in qua actu fundatur libertas; quod egregiè adnotauit Ruardus Taper artic. 7. de Libero arbitrio contra Lutherum, pag. 286. & 305. Quibus in locis aduertit voluntatem liberè posse velle, & nolle quamdiu rationis nõ absorbetur vsus: nimirûm ille, qui est cum conferentia & collatione; & pag. 305. inquit Ruardus: quòd in omni materia ita pietatis, & gratiarum sicut morali & ciuili, ad voluntatem pertinet se determinare ad vnam vel alteram partem. Et quòd quamuis id fiat sub Dei determinatione, non tamen ob id minùs liberè se determinat, quã si nõ cõcurreret, nec determinaret Deus. Vndè inquit Ruardus, quòd propter hoc nihil oportet disputare, quis prior sit in determinando voluntatem, an ipsa vel Deus? Quia perpendendum est, quòd ij, qui vocantur secundum æternum Dei propositum indeclinabiliter, & inseparabiliter vocationem sequuntur, vt dicit Diuus Augustinus lib. de Correctione, & gratia, cap. duodecimo, per hęc verba: *Subuentum est infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur: & ideò quamuis infirma sit voluntas, non tamẽ deficeret, nec aliqua aduersitate vinceretur.* Et cap. 8. Voluntas humana non libertate sequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, & vt perseueret delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem.

Ruardus Taper.

D. Aug.

Interpretatur Ruardus testimonium illud citatum, Sapientiæ. 8. dicens: *Attingit enim sapientia secundũ scripturã, à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter: ità vt liberè & contingenter, quamuis indeclinabiliter & infallibiliter semper sequatur voluntas.* Et statim. *Huius autem propositi, & diuinæ gubernationis habita cõsideratione, & nõ solum principij diuinitus immissi, quò agimus nostrã salutem, impossibile est, quòd duo similiter vocentur, & vnus vocationem sequatur, & non alter.* Ecce quo pacto liberum arbi-

Ruardus Taper.

trium

trium hominis etiam, vt liberum eſt pendet à Deo, & à diuina ſapientia, & à diuino decreto & gubernatione; & à diuino principio diuinitus immiſſo, quo noſtram ſalutem agimus, & nihilominùs liberè agit volũtas, quãuis indeclinabiliter, & infallibiliter. *An verò* (inquit Ruardus artic. illo ſeptimo, de Libero arbitrio contra Lutherum, pag. 300.) *Exigatur adhuc alia gratia* (& loquitur de alia gratia poſt primam inſpirantem monitionem, & ſuaſionem, qua pulſatur ad oſtium cordis homo) *Per quam immediatè inclinetur, & accommodetur voluntas per pium affectum, & per quam etiã voluntas à Deo effectiuè flectatur, an nõ, nihil mutat nec impedit voluntatis libertatem in libero vſu gratiæ: quia ita ſuauiter inclinat, & determinat eam Deus, vt ex iudicio ac conſilio, & ſic liberè ſequatur hãc Dei appropriationem, & ſpiritus Chriſti ſuadendo, vt ſequamur, &c.* Hæc ille. Ex quibus patet dependentia liberi arbitrij à Deo etiam in hac motione propriè efficiente, & quòd non ob id lęditur, aut impeditur libertas arbitrij in libero vſu gratiæ; quia ita ſuauiter inclinatur, & determinatur à Deo voluntas, vt ipſa ſe determinet ſub diuina determinatione, & liberè ſequatur hanc Dei appropriationem, & ſpiritus Chriſti. Et hic eſt articulus qui inuoluit difficultatem illam celebrẽ, quam Sancti Patres ſenſerunt, & curant diſſoluere de concordia liberi arbitrij cũ hac gratia diuina efficaci.

Triplex modus dependentiæ cauſæ liber à prima cauſa explicatur.

Ex dictis colligitur dependentia cauſæ liberæ à prima cauſa, quæ eſt Deus: depẽdet enim ineſſe & fieri. Rurſus dependet in conſeruari. Rurſus tertiò, dependet liberum arbitrium à Deo, quatenus eſt cauſa agens liberè in actu ſecundo, hoc eſt, quatenus agit & cauſat, & exit liberè de potentia ad actum. Itaque liberum arbitrium hominis, neq; ſubterfugit ſubordinationem ad Deum tanquam ad primum liberum, & ad primam cauſam: neque etiã ſubterfugit dependentiam eſſentialem, quam etiã habent aliæ ſecundæ cauſæ à prima. Neque rurſus ſubterfugit influxũ & concurſum Dei, aut dependentiam, quam habet ab eo per concurſum & influxum, qui non ſolum in actione conſiſtit, ſed ſimul etiam in hoc, quod habet inchoationem ab eo per modum cuiuſdam motionis, vel quaſi applicationis ad effectionem actionis, & effectus cauſæ ſecundæ vt ſuperiùs dictum eſt. Neque ob id lęditur libertas voluntatis, aut neceſsitatur ad vnum, ſicut ſecundæ cauſæ naturales. Quia licèt voluntas, quæ eſt libera potentia recipiat in ſe formam ſupernaturalem, quæ ſecundùm ſe ordinatur ad bonum, & pium aliquod opus, tamen non determinat voluntatem determinatione neceſſaria naturali cauſarum ſecundarum ordinis naturæ, aut more pecudum, ſed determinatione libera, & cum modo libero eius. Quia talis forma maxime adaptatur libero arbitrio, à quo nõ aufert conferẽtiã, & collationem, neque poteſtatem, vt poſsit non facere, quamuis non ſtent ſimul illa duo, de ineſſe, quæ ſæpiùs dixerunt antiqui Patres, & etiam Magiſter Sententiarum, quòd Deus efficaci ſua gratia moueat voluntatem ad conuerſionem, & quod ipſa de facto non ſe conuertat, neque moueatur ad conuerſionem, neque ſe agat dolendo de peccatis. Huius enim propoſiti, ait Ruardus, & diuinæ gubernationis habita cõſideratione, & non tantũ principij diuinitus immiſsi, quò agimus noſtram ſalutem, impoſsibile eſt, quod duo ſimiliter vocentur, & vnus vocationem ſequatur, & non alter.

Non ſtant ſimul iſtæ duæ propoſitiones de ineſſe, Deus efficaciter mouet voluntatẽ ad cõuerſionẽ, & voluntas non ſe mouet, & conuertitur

Perpendere etiam in hac re oportet, quòd liberum arbitrium operatur liberè, & per liberũ vſum quando operatur, & quando eſt in ipſo actu ſecundo. Nam ante quam agat non operatur, quod ſi nõ operatur, non operatur liberè. Rurſus poſtquam liberum arbitrium ceſſat ab operatione, & deſinit agere, ſimiliter nõ operatur libere: libere tamẽ quieſcit ab operatione, ſi aliunde non impediatur. Ex quo ſequitur, quòd quando agit & operatur, tunc operatur liberè, & quod quando conuertitur credit, ſperat aut diligit, tunc liberè conuertitur, ſperat, & diligit: ſed aduerte, quod nõ ſtat Deum ſuo gratuito auxilio tranſeunte influere in conuerſionem & contritionem illam, ſiue hoc ſit per modum actionis, ſiue per modum principij pertingentis actionem ex vi gratiæ, & quòd liberum arbitrium non operetur, aut non conuertatur, & pœniteat, quod etiam aduerſarij fatentur, quia hoc, vt illi dicunt importat ſenſum compoſitum. Itaq; non ſtat adeſſe gratiam adiuuantem in actu ſecundo, quatenus actu adiuuat liberum arbitrium ad operandum, & agendum, & quòd ſit ſine actione cõuerſionis, aut ſine ſuo effectu, quod concedunt etiam aduerſarij. Neque hoc de gratia adiuuante derogat libertati ipſius voluntatis. Quia huiuſmodi auxilium gratiæ adiuuantis, quod non ſeparetur à ſuo effectu nõ prouenit ex eo, quòd à nobis auferatur potẽtia ad non conſentiendum ipſi, ſed ex efficacia ipſius gratię adiuuantis tanquam ex ratione per ſe, & ex præſentia ſui effectus, qui eſt noſter conſenſus tanquam ex conditione, ſine qua non eſſet adiuuans in actu ſecũdo, quod ſi hoc nõ lædit libertatẽ noſtrã, nimirùm, gratia adiuuans, neque quatenus conſtituit noſtras potentias in actu primo, neque quatenus conſtituit eas in actu ſecundo, id eſt, quatenus cõcurrit cum eis actu ad operationes. Et nõ ſtat hanc gratiam ſeparari ab operationibus liberi arbitrij, quia ſemper infallibiliter, & indeclinabiliter, ſequitur liberè volũtas, vt dixit Ruardus Tapper. Ego non video cur Deo influente in liberum arbitrium; ex eo quod eſt principium, ipſe ſupernaturalis Dei influxus, ſuæ inquam gratiæ; lædatur libertas voluntatis vllo pacto. De qua re legendus eſt Stapletonus lib. 4. de inſtificatione per plura capita, vbi inquit, gratiæ adiuuanti efficaci conueni-

Quòd auxilium gratiæ non ſeparetur à ſuo effectu ex eo quod à nobis auferatur potẽtia ad non conſentiẽdum, ſed ex efficacia ipſius gratiæ.

Stapleten.

re, quòd

re, quòd infallibiliter coniungatur cum effectu, & ponit gratiam adiuuantem influentem in liberum arbitrium. Quod autem à gratia illa adiuuãte efficaciter, inchoetur actualis operatio in ipso exercitio, arguit prioritatem inchoandi, & causandi in causa adiuuante & inchoante, ac proinde prioritatem causalitatis, & naturæ, quę non est prioritas, in qua vnum sit sine alio.

Hoc potest esse fundamentum nostræ sententiæ.

Sanè cum actus conuersionis, aut pœnitentiæ sit actus elicitus liber nostræ voluntatis, fieri non potest, vt non sit ab eadem voluntate effectiue agente, & operante libere, & vitaliter, & cum talis actus nunc sit, & anteà nõ esset, sequitur, quòd cum non fiat ex nihilo, quòd cõtinebatur in potentia voluntatis actiua & passiua ac proinde quòd extrahitur à potentia eius, actiuè etiam agente voluntate ipsa. Aliàs esset creatio & produceretur ex nihilo: ergo cùm Deus sit causa prima in omni ordine naturali, & supernaturali, sequitur, quòd quãdo volũtas incipit actum conuersionis, ꝙ Deus simul cum suo auxilio, & cum voluntate, influunt & concurrunt ad eductionem illius actus de potentia voluntatis, cum non fiat ex nihilo: ac proinde vt extrahatur, à fortiori colligitur Deum debere influere in eandem volũtatem, vt inquam extrahatur ab ea, Deum autem sic influere ad talem eductionẽ necessarium est, quia prius est agentem causam influere, vt educat, quàm quòd res educta sit, de potentia eius, in quo continebatur: ac proinde implicat Deum non influere in liberum arbitrium per auxilium adiuuans suæ gratiæ, si actio conuersionis non fit ex nihilo, & educitur de potentia liberi arbitrij, in quo continebatur: concurrente actiuè etiam libero ipso arbitrio sic eleuato per gratiam, & inde constat prioritas naturę in causando quę Deo conuenit. Nam certè si educitur & producitur talis actio, oportet Deũ influere in potẽtiam voluntatis, à qua extrahitur, & quã ipsa extrahit & elicit Deo ipso etiam agente cum ea; quia etiam naturalia agentia quando educunt formas ab aliquo, in quo erant potentialiter, necesse est, quòd sua virtute influant in id, à quo extrahuntur: & oppositum non est intelligibile.

Productio actus vitalis non est creatio.

Ad obiectiones factas in hac sectione respond. ad primam.

Ad duas obiectiones, quæ contra nostram sententiam militant, quas suprà in hac Sectione retulimus. Ad primam respondetur requisitum esse Dei influxum etiam per modum principij à quo inchoetur operatio, ità vt consummetur in effectione immediata, & per seipsiusmet effectus, seu actionis ipsius causæ secundæ attingendo vtrumque nempè causam secundam, & actionem atque, effectum eius. Vnde negatur, quod per solum influxum in effectum saluetur omnis dependentia essentialis causæ secundæ à prima, quatenus causat & agit, & quatenus reducitur de actu primo ad secundum exiens de potẽtia ad actum, vt explicuimus in progressu primæ & secundæ assertionis in hac sectione secunda. Negando igitur est vltima consequentia, qua dicitur superuacaneum esse, quòd Deus influat in causam secundam; imò verò hoc est necessarium, tam respectu causarum naturalium, quã etiam respectu causæ liberæ, vt superius aperuimus, & fusiùs dicemus in speciali disputatione de hac re.

Ad secundam.

Ad secundam obiectionem negatur antecedens, & etiam negatur consequentia: prærequiritur enim influxus ille non tantum per modum actionis, sed etiam per modum cuiusdam principij, hoc est, requiritur non solùm influxus in effectum, sed etiam influxus in causam. Ad probationem consequentiæ fatemur libenter, quòd omnis causa secunda efficiens, vt operetur supponit non solùm suum esse, sed etiam virtutem agendi, quòd si virtus hæc est in completa, aut imperfecta postulat complementum propter sui indigentiam & imperfectionem, negatur tamen quòd præter virtutem agendi fixam & permanentem, quã retinet etiam quando nihil agit, neque operatur non postulet Dei influxum, & concursum nisi tãtum in effectum, & actionem; quia effectus & actio causæ secundæ non fiunt vllo pacto à causa secunda, nisi Deo influente in ipsam causam propter dependẽtiam, quam habet essentialem secunda causa à prima, in quantum agit, & in quantum actu causat; imò verò effectus, & actio causæ secundæ, quatenus pẽdent ab effectione actuali eiusdem causæ actu agentis, dicuntur etiam dependêre ab influxu Dei, & ab applicatione eius respectu secundarum causarum; quia effectio causę secundę dependet à suo principio causante per influxum Dei in eandem causam. Causa verò secunda quando operatur non prius tempore, aut prius in aliquo instãti, sed pręcisè prius natura habet à Deo concursum inchoatiuum ad effectionem actionis secundæ causæ, seu ad effectionem effectus.

Non prius tempore, sed solum prius natura habet causa secunda, quãdo operatur concursum Dei ad operationem.

Soluitur illud secundũ argumentum in primo Discursu huius operis à nobis recitatum. Et quòd Deus habet etiam dominiũ nostri arbitrij creati asseritur.

His igitur ità stabilitis facile est dissolure argumentum illud secundum primi discursus, propter quod orta est hęc tempestas, & dissensio simul cum tribus confirmationibus ibi adductis. Negatur ergo quòd ex infallibilitate diuinę prouidentię, aut ex efficacia suæ voluntatis, secundum quam dirigit, gubernat, & mouet, nunc liberum arbitrium hominum lędatur vllo pacto libertas eius; quare negatur consequentia: quia quòd liberum arbitrium

bitrium creatum moueatur à primo libero cũ determinatione libera, seu cum modo libero eius nullo pacto lædit libertatem; quia ita mouetur voluntas à Deo per suam gratiam actualem, vt etiam ipsa se moueat. Non enim hoc quod est moueri à Deo repellit, quòd voluntas se moueat. Quia non est de necessitate libertatis, quòd sit prima causa sui, id quod liberum est, vt dixit Sanctus Thomas. 1. parte. q. 83. artic. 1. ad tertium, vbi inquit liberum arbitrium esse causam sui motus, quia homo per liberum arbitrium se mouet ad agendum, non tamen ità vt sit de necessitate libertatis, quòd sit prima causa sui, id quod liberum est, sicut neque ad hoc, vt aliquid sit causa alterius requiritur, quòd sit prima causa eius ac proinde Deus est prima causa mouens, & naturales causas & voluntarias seu liberas. Et sicut naturalibus causis mouendo eas, nõ aufert quòd actus earum sint naturales, ità mouendo causas voluntarias non aufert, quòd actiones earum sint voluntariæ, sed potiùs hoc in eis facit. Operatur enim in vnoquoque secundum eius proprietatem. Diximus autẽ supra quòd liberum arbitrium creatum etiam, vt liberum est pendet à Deo, vt ipse actu liberè operetur, non tantum in conseruatione suæ entitatis, aut in conseruatione virtutis agendi fixæ, & permanẽtis, sed etiam in hoc quod est actu liberè agere, & libere operari, & causare etiã se reducendo de potentia ad actum, & de actu primo ad secundum. Hæc enim omnia pendẽt à Dei influxu: & liberum arbitrium, vt liberè actu agens, & causans operationes maxime diuinas & supernaturales, quæ sunt de genere bonorum, non potest subterfugere dependentiam ab influxu Dei in ipsum, aut dependentiam subordinationis essentialis ad Deum inchoantem, seu ad Dei applicationem, seu motionem per modum principij influentis in ipsum, & in actionem eius. Nam non solùm attingit secundam causam, sed etiam actionem, & effectum eius. Quoniam viuus est sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Et in hac re hæc nostra sentẽtia è regione opponitur Durando.

Non est de necessitate potentiæ liberè operantis, quòd sit prima causa sui.

Recipit voluntas nostra cum à Deo mouetur influxũ diuinum in se contemperatum ipsi voluntati.

Fateor etiam voluntatem nostram cum à Deo mouetur recipere in se influxum illum diuinum, sed illum esse contemperatum ipsi voluntati. Quia Deus dum influit suam gratiam in liberum arbitrium ipsum attingit fortiter, sed suauiter, iam ità disponit omnia iuxta illud Sapientiæ. 8. citatum: *Quòd attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*, fortiter inquam pro se & suauiter pro nobis. Quia nunquam repellit, neque aufert à nobis vsum conferentiæ, & collationis, sed potius mouet ad illum, & consequenter non aufert, nec repellit modum liberè agendi; quo fit, vt sicut diuina prædestinatio Sanctorum est certa & infallibilis, & tamen non aufert libertatem saluandorum, ità neque effectus ad extra procedentes à Deo, qui sunt effectus eiusdem prædestinationis causantis, neq; lædunt libertatem hominis, neque permittunt frustrationem prædestinatorum in eisdẽ operibus, & beneficijs Dei, quibus, vt egregiè adnotauit Diuus Augustinus certissimè liberantur quicunque liberantur. Subiacent enim diuinæ prouidentiæ & sapientiæ, non solùm secundæ causæ agentes, & operantes, sed etiam modi omnes operandi, & causandi earum: & pari etiam ratione Deo subijcitur liberum arbitrium etiam, vt liberum est cum suo modo operandi liberè. Quod quidem vt explicaret diuina sapiẽtia egregiè, id adnotauit dicẽs Prouerbiorum. 21. de liberrimo etiam corde Regis. *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud, seu vertet illud.* Quoniã etiam modus liberè agendi, & vsus eius pendet à Deo, & subordinatur Deo agenti.

Ad primã confirmationem.

Ad primam confirmationem fatemur libenter hominem habere dominium suarum actionum quandocumque vtitur libertate arbitrij sui. Vndè verissimum est per actionem deliberatam hominem vti arbitrio suo, ac proinde actionem deliberatam esse quotiescumque ex consultatione, & collationẽ, ità habet liberũ arbitrium iudicium, & sententiam de conuenientia alicuius medij seu obiecti, vt voluntas acceptet illud, ità vt etiam dicatur deliberatio acceptatio illa voluntatis procedens ex consultatione, & determinatione intellectus. Quo fit, vt quantumuis intellectus iudicet ali quod medium esse conueniens ad certum finem nondum censeatur completa deliberatio quousque voluntas acceptet medium ad finẽ, quòd præcipuè est verum, quia bona deliberatione meremur sicut mala demeremur. Ac proinde necesse est deliberationem includere hunc actum voluntatis, nimirùm, hanc acceptationem. Sic ergo homo dicitur habere dominium per hoc, quòd habet facultatem ad eligendum, vel omittendum aliquid præcedente inquisitione, consilio, & conferentia, sicut diximus Prima Secundæ, quæst. 1. artic. 1. Negatur ergo minor argumenti, nempe, quòd homo non sit dominus suorum actuum: quia reuera homo habet dominium, & operatur ex collatione, & conferentia, & acceptatione voluntatis, qua ità se gerit, vt posset non acceptare, & omittere, licet pendeat à Deo in his operibus: quia potius iuuatur à Deo in illis, & illustratur sua gratia, & influxu.

Habet homo dominium suarũ operationũ, & operatur ex conferentia, & acceptatione voluntatis.

Et ad testimonium Hieremiæ dicentis: *Non est in homine via eius, nec viri est, vt dirigat egressus suos* Quod testimonium adducitur à Diuo Thoma. 1. par. quæst. 83. artit. 1. in argumento quinto, ipse explicat illud hoc modo; quòd quando dicitur non esse in homine viam eius id intelligitur quantum ad executiones electionum, in quibus homo impediri potest velit, nolit, sed nihilominus ait Diuus Thomas electiones ipsas esse in nobis supposito tamen diuino auxilio. Hugo Cardinalis putat hanc esse veram interpretationem huius loci, atque

Testimoniũ Hieremiæ explicatur à D. Tho.

Hugo Cardinal.

adeo

adeò & bene; hæreticos non posse vti hoc testimonio ad infringendam libertatem arbitrij nostri. Nam Hieremias Propheta ante quam verba citata protulisset priùs, ostēdit obsidionem, & captionem ciuitatis, & diruptionem omnium ciuitatum, & desperationem reædificationis, & draconum, & animalium venenosorum habitationem. Quę omnia pertinent ad opus ipsum, & executionem. Et statim Propheta in persona sui, & populi pœnitentis ad preces se conuertit dicendo: *Scio Domine; quia non est hominis via eius,* vt scilicèt prospere incedat, nec viri est, vt ambulet & dirigat gressus suos, ideſt, propositum suum exteriùs impleat, & exequatur, quasi diceret: quidquid à ciuibus Babylonis sustinemus, non est eorum sapientię & fortitudinis: sed magis ex permissione tua Domine, peccatis nostris id exigentibus. Neque Chaldęi possent nos destruere nisi tu Domine esses nobis iratus propter peccata nostra.

D. Hieron. Diuus Hieronymus lib. 2. super Hieremiã, cap. 10. explicans hoc testimonium, Scio Domine, quia non est hominis via eius, inquit: *Erubescant noui prædicatores, qui aiunt vnũquemque suo arbitrio regi: quum & hic Propheta dicat. Non est hominis via eius. Et Dauid in Lyrico canat carmine: A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet nimis.* In quibus verbis à fortiori Diuus Hieronymus videtur expressè repulisse sentētiam eorum, qui dicunt Deũ agere (antecedenter ad omnem suam voluntatem, & ad decretum diuinum eius) ex præuisione operum nostri arbitrij: quia si hoc est verum, sequitur, quòd Deus agit ex consilio voluntatis nostrę antecedenter ad decretum suum, suæque sapientiæ; siquidem vt aduersarij dicunt, Deus non vult simpliciter, vt à voluntate creata fiat, nimirùm, actus conuersionis, nisi quasi sub conditione, si ipsa se se ad illum eliciendum determinauerit expectando influxum creatæ voluntatis, seu expectante Deo influxum voluntatis creatæ. Cum tamen per eundem Hieremiam Prophetam Threnorum. 5. Hieremiæ. 31. dictum sit: *Castigasti me, & eruditus sum, sicut iuuencus indomitus, &c.* Et statim: *Conuerte me, & conuertar: quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim conuertisti me, (siue captus sum) egi pœnitentiam.* Hunc locum interpretant Diuus Hieronymus lib. sexto in Hieremiam, hæc dicit quę sequuntur. *Quodque ait: quasi iuuencus indomitus, siue sicut vitulus, & non didici: hoc significat, quòd multo labore, atque verberibus eruditus sit, vt ad pœnitentiam conuerteretur, & non profecerit: Conuerte, inquit, me, & conuertar. Ergo id ipsum quòd agimus pœnitentiã, nisi Dei nitamur auxilio, implere non possumus. Postquam enim conuerteris me, & ad te conuersus fuero, tunc cognoscã, quia tu Dominus Deus meus es, & nequaquam errores mei atque peccata interficient me. Et postquàm conuertisti me, egi pœnitẽtiam. Vide quantum sit auxilium Dei, & quam fragilis humana conditio, vt hoc ipsum quòd agimus pœnitentiam, nisi nos Dominus ante conuerterit, nequaquam implere valeamus.* Hæc Diuus Hieronymus. Quomodo ergo est verũ, quòd Deus sub conditione vult influere expectando priùs influxum nostræ voluntatis, cum tamen Hieronymus hic dicat, quòd operatur liberum arbitriũ, nõ solùm quia supponitur, vt primum fundamentum auxilium Dei, & gratiæ suæ, sed etiam dicat, quòd nisi nos Dominus ante conuerterit, nequaquam implere valeamus? Non ergo ex præuisione operum, neque expectando voluntatem nostram. Vnde Isaiæ. 65. *Inuentus sum ab his, qui me non quærebant: Ecce ego ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Ecce quo pacto decreta diuinæ sapientiæ non ex præuisione operum nostrorum, neque ex expectatione voluntatis creatæ procedunt, aut facta sunt. Imò verò, vt dicit Paulus, non solùm creati sumus à Deo in operibus bonis, sed etiam operatur Deus omnia secundum consilium voluntatis suę. Si ergo creamur in operibus bonis, & hoc fit secũdum consilium voluntatis suæ: ergo non præintelligitur præuisio operum voluntatis nostræ. Neque operatur Deus expectando concursum volũtatis creatę, vt ipse influat in operationes nostras: alioqui Paulus male diceret nos creari in operibus bonis, & agere secundũ consilium voluntatis suæ, sed ageret ex consilio volũtatis nostræ: & non crearemur in operibus, sed potiùs pręsupponerentur Deo, ex quorum præuisione ipse ageret. Et quando rogo, inuenitur apud Sanctos Patres, vel apud Concilia, hic modus dicendi, quòd Deus non absolutè, sed quasi sub cõditione vult, vt actus nimirùm liber conuersionis fiat à voluntate nostra, si ipsa se ad illum eliciendum determinauerit, ità vt sub eadem conditione velit influere, & concurrere in eundem actum, expetando tamen influxum voluntatis nostrę? Nã Tridentinum Concilium, sess. 6. cap. 5. Cum adduxit testimoniũ illud Zachariæ. 4. & Ioelis. 2. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos,* non dixit, quòd in hoc testimonio, Deus expectat influxum voluntatis creatę, vt sub hac conditione velit influere, & cõcurrere in actũ conuersionis, sed tantum dixit quod in hoc testimonio, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis nostræ admonemur, neq; etiam dicit Concilium, nos Deum ità præuenire, vt expectet voluntatem nostram, aut influxum eius, sed potùis è cõuerso inquit Cõcilium, quòd cum respondemus, Cõuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratia pręueniri confitemur: ergo non expectat Deus voluntatem creatam, seu influxum in eius operationem, & conuersionem. Nam in omnibus, in quibus admonemur in Sacris literis, vt conuertamur ad Dominum; libertatis nostrę admonemur.

Habemus igitur dominium nostrę volun-

Hierem. 31 testimoniũ à D. Hiero. explicatum

Isaiæ. 65.

Non expectat Deus influxũ volũtatis creatæ, vt sub hac cõditione velit influere.

tatis

tatis, & noſtrarum actionum, ità tamen vt Deus ſit etiã verus Dominus arbitrij noſtri. Imò verò in Sacris literis, ex eo quòd Deus, eſt Deus, & Dominus vniuerſorum, concluditur ab eiſdem ſanctarum literarum teſtimonijs, quòd voluntas etiam, vt libera eſt ſubijcitur dominio Dei, & Deo quatenus eſt Dominus voluntatis noſtræ, ſine vlla libertatis læſione. Quia igitur ſine gratiæ adiutorio nihil, quod ad ſalutem æternam conducat facit homo, neque ad viam eiuſdem æternæ ſalutis; idcirco optimè Propheta dixit, Non eſt in homine via eius, quia licet libertas ſit ipſius hominis, vires tamen adhoc ſunt à Deo, vt ſupra etiam in Sectione prima diximus. Iuxta illud Pauli ad Philippenſes. 4. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Totumque hoc expreſsè in Concilio Florentino ſatis apertè dicitur ſeſſ. 6. cap. 5. & deinceps. Quare teſtimonium illud Ioannis. 15. *Sine me nihil poteſtis facere,* nõ negat libertatem arbitrij noſtri, ſed ſolùm explicat indigentiam eius, & neceſſariam dependentiam, quam à Deo habet in operibus ſuis, & ob id male hæretici colligunt læſionem libertatis ex eo. Nam pari modo poſſet hæreticus colligere argumentum in alijs cauſis, & concludere nullam etiam naturalem cauſam poſſe quidquam producere; quia ſine Deo nihil poteſt producere, aut facere: ergo ſicut nõ auferetur à cauſis naturalibus modus cõnaturaliter agendi ex illa dependentia, quam habent à Deo in cauſando, ità ſimiliter non auferetur à cauſis liberis modus liberè agendi per hanc dependentiam, quàm habet liberum arbitriũ, vt ſic à Deo, quòd optimè inſinuauit S. Tho. 1. par. quæſt. 83. artic. 1. præcipuè in ſolutionibus argumentorum. Vndè teſtimonia citata, & alia ſimilia non tollunt arbitrij libertatem, ſed oſtendunt, vt diximus noſtri arbitrij inſufficientiam ex parte virium. Nam ob id Paulus dixit: *Non quòd ſimus ſufficientes, &c. Sed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* In quo apertè oſtendit ſe non tollere libertatem, ſed oſtendere libertatis noſtræ inſufficientiam virium.

Ad illud Pauli ad Roman. 7. dicentis: *Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio.* Reſpõdetur ex Theophylacto, quòd non inducitur neceſsitas, neque vis per huiuſmodi ſermones, quaſi iſta ſic neceſſariò eſſe oporteat. Aliàs intuliſſet Paulus, ſed quod cogor hoc ago, ſed non ſic dixit, ſed quod odi malum, illud facio. Quarè quod nolo facio? Sanctus Thomas ad Romanos. 7. explicans verba hæc. Non enim ago hoc bonum quod volo agere, inquit, quòd hic loquitur quãtum ad omiſionem boni, quòd ſanè (inquit) vno modo poteſt intelligi de homine ſub peccato conſtituto, & ſic hoc quod dicit ago, accipi debet ſecundum actionem completam, quæ exterius opere exercetur per rationis conſenſum. Quod autẽ dicit, Volo, ait Sanctus Thomas intelligendum eſſe non quidem de voluntate completa, quæ eſt operis præceptiua, ſed de voluntate quadam incompleta, qua homines in vniuerſali bonũ volunt, ſicut & in vniuerſali habẽt rectum iudicium de bono, & de prauatur talis voluntas in particulari, vt non agat quod in vniuerſali intelligit agendum, & quod agere velit. Si verò intelligatur teſtimonium hoc de homine per gratiam reparato, è conuerſo oportet intelligere per hoc quod dicit, Volo, voluntatem completam perdurantem in electione particularis operationis, vt per hoc quod dicit, Ago, intelligatur actio incompleta, quæ conſiſtit tantum in appetitu ſenſitiuo non perueniens vſque ad rationis conſenſum. Homo enim ſub gratia conſtitutus vult quidem mentem ſuam à prauis concupiſcentijs conſeruare, ſed hoc bonum non agit propter motus inordinatos concupiſcentiæ inſurgentes in appetitu ſenſitiuo. Et ſimile quidem eſt, quod dicit Paulus ad Galathas. 5. *Vt non quæcumque vultis illa faciatis.* Subiungit autem ſtatim Paulus. *Sed quod odi malum, illud facio*: quod quidem ſi intelligatur de homine peccatore per hoc, quod dicit: Odi malum, intelligitur quoddam odium imperfectum, ſecundum quod omnis homo naturaliter odit malum. Per hoc verò quod Paulus dicit, facio, intelligitur actio perfecta per operis executionem ſecundum rationis conſenſum; quia illud odium mali in vniuerſali, tollitur in particulari eligibili per inclinationem habitus vel paſsionis. Si autem intelligitur de homine ſub gratia conſtituto, per hoc, quod dicitur, Facio, nimirùm, quod odi malum illud facio, intelligitur è conuerſo actio imperfecta, quæ conſiſtit in ſola concupiſcentia appetitus ſenſitiui. Per hoc tamen quod dicitur, quòd odi malum, intelligitur odium perfectum, quo quis perſeuerat in deteſtatione mali vſque ad finalem reprobationem ipſius, de quo dicitur in Pſalmis: *Perfecto odio, oderam illos*, hoc eſt, malos, in quantum ſunt peccatores. Vndè Ioannes Gagnæius Pariſienſis, explicans eũdem locum Pauli affirmat Paulum duos hìc facere homines, aut duas leges, hominem carnalem ac ſpiritualem; legem carnis, & membrorum, legem mentis & Dei. Lex carnis, quæ & peccatum dicitur, eſt inſitus oblęſæ naturæ peccandi affectus, ſecundum quem, vel inuitis nobis paſsiones inſurgunt, cuius affectus eſt ſpiritui reſiſtere, carnem ſequi, & placentia. Spiritualis autem hominis affectus Deo ſe totum cõmittere, ab vno illo pendêre. Secundum carnalem hominem non intelligit homo quid agat, obducitur enim tenebris peccatis, vt quod non vult iuxta ſpiritualem hominem, id agat iuxta carnalem. Caietanus in commentario ſuper hunc locum Pauli, inquit, quòd ex vtroque actu ſcilicet volendi, & nolendi manifeſtat Paulus, quæ experimur quotidie in nobis, dũ ſenſualitas, & non facit quod volumus, & facit quod nolumus varijs appetitionibus. Et rurſus infert Caietanus hãc interpretationem dicens, cõuenientem eſſe huic

loco,

Ita habemꝰ dominiũ noſtrarum actionum, ꝙ etiam Deus ſit ipſarum Dominus.

Ad Phil. 4.

Ioan. 15.

S. Thom.

Ad teſtimonium Pauli ad Rom. 7. reſpond.

Vult Sanctus Thom. hoc intelligere de homine in duplici ſtatu.

Ad Gal 5.

Ioan. Gagnæius Pariſienſ.

Duæ hominis leges, ſpiritus ſcilicet, & carnis.

loco, quia ex hoc, quod ego nolo id, quòd facio secũdum carnem, manifestè sequitur, quòd voluntas mea concors est legi; quæ etiam prohibet id, quod facio ego carnalis.

D. Aug. Diuus Augustinus Psalm. 118. circa illa verba: *Non enim qui operantur iniquitatem in vijs eius ambulauerunt*, sermone. 2. inquit. *Cum Paulus dixerit. Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago. Cum hæc inquam audierimus à Paulo, iam itaque illud interrogemus: quomodo in vijs Domini ambulabas: si malum quod nolebas, hoc agebas? cum Sanctus Psalmista intonet dicens: Non enim qui operantur iniquitatem in vijs eius ambulauerunt. Audi continuo respondentem per sententiam consequentem. Si quod nolo inquit, ego facio: iam ego non operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Ecce quemadmodum qui ambulant in vijs Domini non operantur peccatum, & tamen non sunt sine peccato: quia iam non ipsi operantur illud, sed quod habitat in eis peccatum.* Hactenus Augustinus. Sed quoniam obscurè videbatur loqui, idcircò interpretatur seipsum sermone. 3. sequenti in eodem Psal. 118. quo in loco postquàm dissoluisset quandam dubitationem circa verba Pauli, Iam non ego operor illud, sed id, quod in me habitat peccatũ, dicit ex prædictis verbis nasci difficiliorem alteram quęstionem: *Quomodo agat homo quod ipse non agit. Vtrumque enim dixit* (ait Augustinus) *& non quod volo ago, & quod non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Vndè intelligere debemus quando peccatum, quod habitat in nobis, operatur in nobis, tunc nos id non operari, quando nequaquam ei voluntas nostra consentit, & tenet etiam corporis mẽbra, vt nõ obediant desiderijs eius; quid enim operatur peccatũ nolentibus nobis, nisi sola illicita desideria? Quibus si voluntatis non adhibeatur assensus, monetur quidẽ nonnullus affectus, sed nullus relaxatur effectus. Hoc præcipit idem Apostolus, vbi dicit. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desiderijs eius: nec exhibeatis mẽbra vestra arma iniquitatis peccato. Sunt itaque desideria peccati, quibus nos prohibuit obedire. Operãtur ergo peccatum hæc desideria, quibus si obedimus, & nos operamur. Si autẽ obtemperantes Apostolo non obedimus eis, nõ illud nos operamur, sed quod in nobis habitat peccatum.* Et statim idem Aug. *Quapropter, & quia in vijs Domini ambulamus non obedimus desiderijs peccati: & quia non sumus sine peccato habemus desideria peccati, ac per hoc iã nos ea non operamur non eis obediendo, sed quod in nobis habitat peccatum eadem commouẽdo. Nõ enim qui operantur iniquitatem, id est, qui obediunt desiderijs peccati in vijs Domini ambulauerũt.* Hactenus etiã Augustinus. Ex cuius interpretationibus facile intelliget mediocris Theologus quam extortè citẽt hæretici testimoniũ allatũ ad negandum liberum arbitrium. Et vt exactè intelligas hæc, quæ dicuntur à D. Augustino aduerte id, quod dicitur in Concil. Triden. sess. 5. in decreto, de peccato originali. n. 5. *Manere etiã in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem: quã concupiscẽtiam Paulus aliquando peccatum appellat: quod quidem sancta Synodus declarat Catholicam Ecclesiã nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatũ sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatũ inclinat.* Et D. Augustinus affirmat, quod qui ambulant in vijs Domini non obediunt desiderijs peccati, idest, desiderijs concupiscentiæ, & carnis, & habitare peccatũ in nobis dici propter concupiscentiã & fomitẽ, cuius desiderijs resistebat Paulus, & non operabatur desideria illa, quia non consentiebat, sed potiùs odio habebat.

D. Anselmus explicat testimonium Pauli ad Rom. 7. Diuus Anselmus in cõmentarijs super eundem locum Pauli ad Romanos. 7. explicans totum hoc: *Scimus, quod lex spiritualis est; ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato, quod enim operor non intelligo: Non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum illud facio,* Inquit Anselmus. *Lex spiritualis est, sed ego carnalis sum, id est, carnale corpus adhuc gero, in quo & carnales motus sentio, quandiu enim hìc viuitur, sic est.* Et infra. *Quod enim operor non intelligo. Venundatus inquit sum: quia quod operor non affectu consentiendi, & implendi, sed ipso motu concupiscendi, non intelligo in regulis præceptorum cœlestium. Vel non intelligo, id est, non approbo. Nam bonum quod volo, hoc non ago, sed malum quod odi, illud facio.* Et rursus Anselmus. *Non hoc sic intelligamus tanquam vellet Apostolus esse castus, & esset adulter, aut vellet esse misericors, & esset crudelis, aut vellet esse pius, & esset impius. Sed ad quid? Volo non concupiscere, & concupisco. Et si concupiscentiæ non consentio, & post concupiscentias meas non eo, tamen adhuc concupisco. Et hoc est, quia bonum quod volo, id est, non concupiscere, hoc non ago: sed malum quod odi, id est, concupiscere, illud facio, idest, ex carne concupisco: quandiu enim caro mortalis est, non potest à concupiscentijs penitus esse libera. Et ideò non ago bonum, quod volo, id est, non concupiscam: sed facio malum quod odi, id est, concupisco, quamuis non cedam, quamuis non consentiam, vt desiderio peccati non obediam.* En quam longè sit sententia Pauli à læsione libertatis. Glossa autem interlinealis explicans præfatum locum inquit. Non mente consentio, sed carne concupisco, & ità vult explicare illud: *non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum, hoc facio.*

Idem testimoniũ Pauli aliter ab aduersarijs exponitur. Aduersarij nostri volentes explicare hunc locum Pauli ad Romanos. 7. dicunt, quod prętermissis plerisque locis Sacræ scripturæ, quę humanam naturam infirmitate per originem contracta, per lubrica peccatorum magno impetu præcipitem ire testãtur, nisi gratia auxilijs erigatur, Paulus ad Rom. 7. personam accipiens humani generis suis viribus relicti longa ratiocinatione concludit se captiuũ esse atque mãcipatum peccato, & propterea à sua voluntate non liberè operari, sed inuitum ac reluctantem agi à peccato in homine habitante, & quòd ob id inter alia sic loquitur. *Scimus*

Quomodo agat homo quod ipse non agit explicatur à D. Aug. de inclinatione ipsa peccati, qua mouemur ad peccandum.

Conc. Trid.

enim quoniam lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis venundatus ſub peccato. Et ſtatim infra. *Non enim quod volo, hoc ago, ſed quod odi, illud facio, ſi autem, quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Quam ſententiam ſæpius replicans ità concludit. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in legem peccati. Infælix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei: carne autem legi peccati. Ecce* (inquit quidam ex aduerſarijs noſtris) *Paulus hominem gratia Ieſu Chriſti deſtitutum non liberum, ſed captiuum venundatum nolentem, & reluctantem rapi ad peccatum, quod non vult: cum autem omne peccatum liberum ſit, reliquum eſt Paulum in prædicto loco agnouiſſe neceſsitatem ad peccatum vagè, cum libertate ad ſingula quæque peccata conuenire.* Sed profectò iſte modus explicandi, quem aliqui ex aduerſarijs prætendunt in eo, quòd videtur minuere libertatem, minus conueniens eſt, & minus etiam quadrat cum expoſitionibus Patrum Anſelmi etiam, & Auguſtini, vt vidimus; imò verò Chryſoſtomi, & Bernardi ſermo. 81. in Cantica. Quocirca expoſitiones ſuperiùs datæ multo melius diſſoluunt obiectionem hanc hæreticorum, qui locum Pauli minimè intellexerunt, vt debuiſſent. Vnde Sanctus Thomas prima par. quæſt. 83. artic. primo, cum contra libertatem arbitrij noſtri adduxiſſet Paulum ad Romanos 7. dicentem: Non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio. Reſpondet ſolutione ad primum, quòd quamuis appetitus ſenſitiuus obediat rationi, tamen poteſt in aliquo repugnare, concupiſcendo contra illud, quod ratio dictat. Hoc ergo inquit Sanctus Thomas eſt bonum, quod homo non facit cùm vult, ſcilicet, non concupiſcere contra rationem, vt gloſſa Auguſtini ſuper eundem locum affirmat.

Aptius intelligitur teſtimonium Paulinum explicationem 1. loco poſitã: quæ eſt mẽti Sãctorum conformior.

Ad ſecundam confirmationem.

Iam ad ſecundam confirmationem reſpondetur, hanc obiectionem deſumptam fuiſſe ex cerebro hæreticorum negantium liberum arbitrium, & eam adduxiſſe Sanctum Thomam contra ſe loco citato pro tertio argumento. Cui reſpondetur cũ Sanctiſsimo Præceptore Prima par. quæſt. 83. artic. primo, ſolutione ad tertium. Quòd liberum arbitrium eſt cauſa ſui motus: quoniam homo per liberum arbitrium ſeipſum mouet ad agendum. Non tamen hoc eſt de neceſsitate libertatis, quòd ſit prima cauſa ſui id, quod liberum eſt: ſicut neque ad hoc, quòd aliquis ſit cauſa alterius minimè requiritur, quòd ſit prima cauſa eius. Deus igitur eſt prima cauſa mouens, & naturales cauſas, & voluntarias, & ſicut naturalibus cauſis mouendo eas, & agendo non aufert, quòd actiones earum ſint naturales, ità mouendo cauſas voluntarias, non aufert, quòd actiones earum ſint voluntariæ: ſed potiùs hoc in eis facit; operatur enim in vnoquoq; ſecundum eius proprietatem. Hæc Sanctus Thomas. Quapropter conceſſo antecedenti negatur conſequentia: quia non eſt de neceſsitate libertatis, quòd ſit prima cauſa ſui; imò verò liberum arbitrium creatum etiam, vt liberum eſt pendet à Deo in agendo, & operando libere, cui ſubordinatur, vt ſuperius diximus. Vnde quòd Deus moueat hominis voluntatem non lædit libertatem eius, quia ità mouetur voluntas ad actum liberum, quòd etiam ipſa ſe moueat. Illud verò teſtimonium Prouerbiorum 21. *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit vertet illud*, ſolùm probat id quod ſupra diximus, nempè liberum arbitrium, ſeu cor hominis dependêre à Deo, & moueri ab ipſo, & eſſentialiter ſubordinari in operibus ſuis: quia liberum arbitrium creatum, etiam, vt liberum eſt, pendet in eſſe fieri, & conſeruari, & rurſus etiam in operibus ſuis à primo libero, & à Deo agente, & operante. Imo verò libertas creaturæ etiam, vt talis eſt, habet quandam obedientiam ad creatorem, cum qua non pugnat libertas voluntatis noſtræ, ſed maximè concordat; ad quam rem aperiendam, & explicandam aduertit Ianſenius ſuper eunden locum, quòd cum omnium hominum corda ſint in manu Domini, peculiariter de corde Regis id dicitur, quòd hoc maximè ſit liberum, & alienæ poteſtati minus ſubiectum, quodque ab eius directione, & inclinatione ſalus, aut perditio totius pendeat reipublicæ. Et pari modo teſtimonium Pauli aperte oſtendit neceſsitatem, & indigentiam noſtram, & quòd Deus mouet nos, & operatur in nobis ſuauiter velle, & perficere, quia operatur in nobis ſecundum proprium modum agendi eiuſdem voluntatis.

Cum omniũ hominũ corda ſint in manu Dei, peculiariter id aſſeritur de corde Regio, quia eſt omnium liberrimum.

Ad tertiã confirmationem.

Ad tertiam confirmationem conceſſa maiori, explicatur teſtimonium Pauli ad Romanos. 9. dicentis: *Quòd non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis*, non ità eſſe intelligendum quaſi homo non velit, & non currat libero arbitrio: ſed quia liberum arbitrium ad hoc non eſt ſufficiens, niſi moueatur, & iuuetur à Deo. Adde etiam in eo teſtimonio explicari gratiam Dei, & excludi hominũ merita antecedentia gratiam, & Dei miſericordiam. Vnde negatur conſequentia.

(i)

(*) (*)

SECTIO. III.

Quo pacto liberum arbitrium etiam positis omnibus requisitis ad agendum potest non agere, & cõtinere actionem suam, & quo pacto voluntas quãdo operatur, etiam liberè operatur: & à Deo pendet quatenus operatur?

DIcemus in hac Sectione, quantũ satis est pro præsenti instituto ad dissoluendum tertium, & quartum argumentum, ex his quæ in primo discursu proposita fuerunt a nobis. Nam disputatio de indifferentia libertatis fuse à nobis in secundo discursu tacta fuit, & ibidem proposita, & plerisque argumentis etiam diserta, & inferius iterum redibit sermo, tam in disputatione de auxilio efficaci, quam in controuersijs, de diuina prædestinatione, & de scientia Dei.

Suppositio prima. Vt ergo argumenti consequentiam, & difficultatem aperiamus suppono voluntatem hominis pendêre à Deo non tantum in fieri, & conseruari, sed etiam pendere in omni sua actione, ità sanè, vt non solùm actio pendeat à Dei influxu & concursu, sed etiam causa eiusdem actionis pendeat in agendo, & causando cum quadam subordinatione ad Deum, nõ solum, vt agentem ad extra, sed etiam vt disponentem modum agendi, quia eius sapientia, & nutu omnia diriguntur, cum verissimum sit illud Actorum. 17. *Actor. 17.* *Quòd in ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Atq; adeò omnes conuenire debent etiam aduersarij nostri, quãuis aliter, & aliter sentiant, in hoc quòd virtus omnis creata, etiam voluntas libera in ordine ad liberos actus præter influxum conseruationis, quem à Deo habent, indigent actuali influxu Dei, seu auxilio aut concursu; quo fiat actio propriè, & per se à Deo immediatè attingente illam. Et pariter etiam debent conuenire in hoc quòd secunda causa etiam si libera sit pẽdet in exercitio ipso causandi ab influxu Dei in quãtum actu causat, cum quadam subordinatione essentiali ad Deũ. Nam Sacra scriptura Esaiæ 26. non solùm dixit: *Quòd omnia opera nostra operatus est in nobis Dominus*, sed etiam dixit: *Quòd in ipso Deo viuimus, mouemur & sumus.* *Esai. 26.* Et rursus. 1. Corin. 12. *Quòd operatur Deus ipse omnia in omnibus. Et quòd penetrabilius est verbũ Dei omni gladio ancipiti*, attingens inquam non solum actiones, sed cõpagum, & medullarum intima. Et ad Hebræos. 1. dicitur: *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Quod non intelligitur tantum de conseruatione rerum, sed etiam de causalitate, directione influxu, adiutorio atq; auxilio & præsidio Dei, quibus omnia Deus portare dicitur verbo virtutis suæ. Imò verò, quia omnia pendent ab ipso, non tãtum quoad virtutes agendi, quas conseruat, sed etiam quantum ad actum causandi, & quantũ ad exitum virtutum de potentia ad actum. Hoc Paulus ad Romanos. 11. videtur expressisse dicẽs: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* *Ad Ro. 11* Et ad Colossenses. 1. *Omnia in ipso constant.* *Ad Coloss. 1* Ex quibus testimonijs satis apertè constat, sermonem esse de propria ac per se efficientia, quam etiam Deus habet ad extra, vt liquet etiam ex illo Ioãnis. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* *Ioan. 5.* Vndè qua ratione secunda causa creata pẽdet à Deo in suo esse, necesse est etiã vt effectus ab ea productus similiter à Deo pendeat in suo esse: & qua ratione causa creata pendet à Deo in quantum actu agit, & causat, etiam in ipsa reductione de potentia ad actum, & de actu primo ad secundum, pari modo ipse effectus, qui fit pendet à Deo in fieri, sicut & pẽdet etiam in esse, quatenus Deus attingit per se non solùm causam agentem, vt sic, sed etiam actionem & effectum eius: ergo hanc dependentiam habet tàm actio, quàm effectus productus à secunda causa à principio sui esse: ergo pari modo ab illo instanti, & momento, in quo primum fit, & consequenter pendet à Deo in suo fieri per actionem, quam Deus habet ad extra pertingentem, & actionem, quam efficit, & causam quam mouet ad id ipsum motu illo ineffabili, de quo supra. Quò fit, vt non possit talis effectus prodire à secunda causa, quin etiam propriè ac per se emanet, & fiat à causa prima. *Participationem habet à Deo causa secunda non solũ in quantum est ens, sed etiã in quãtum causat.* Cùm igitur causa secunda pendeat à Deo, quia est ens per participationem, & non solùm hanc participationem habeat, in quantum est ens, sed etiam in quantum est causa actualis, & habitualis, sequitur quòd in agendo pendet secundum se ipsam. Et præterea etiam secũdum suam actionem, & effectum ab ipso Deo, iuxta ea, quæ diximus.

Suppositio secunda. Suppono secundò, causam secundam, & liberum etiam arbitrium eandem rationem dependentiæ habere in agendo, & causando etiã ex parte sui, quam habet in suo esse. Et fundamentum huius esse potest. Quia sicut habet esse per participationẽ, ità & efficere, ac proinde æqualiter pendet, tàm liberum arbitrium, quàm causa secunda à primo ente, & à primo agente sub vtraque ratione, & quantum ad efficere, & quantum ad esse, & vim etiam agẽdi. *Absque vllo impedimento extrinseco potest Deus actionẽ causæ secundæ impedire p solam concursus subtractionẽ.* Quo fit, vt nullo posito impedimento extrinseco possit Deus non solùm actionem causæ secundæ impedire, sed etiam res omnes in nihilum reducere suspendẽdo, & subtrahendo cõcursum, & influxũ, seu auxilia, & præsidia sua, & actionem conseruatiuam. Igitur res omnes, causalitates, actionesque earum, & hoc etiam, quod est secundam causam exire de potentia ad actum, tàm primum, quàm secundũ pendẽt

ab actuali Dei influxu, quod quidem maxime pertinet ad Dei omnipotentiam, & perfectionem, & ad subordinationem omnium rerum, & omnium secundarum causarum sub Deo.

Ex dictis satis apertè constat, quòd cum hæc omnia sint verissima, quòd non destruitur libertas arbitrij nostri per hoc, quòd conceduntur à Sanctis Patribus, tanquam vera, aut per hoc quòd à Theologis scholasticis suscipiuntur & venerantur. Quaproprer cum posita dependentia liberi arbitrij causantis, & operantis actu, ex Dei influxu simul cum sub ordinatione causę actu agentis ad Deum operantem ad extra, stet cõcordia liberi arbitrij, optimè infertur liberum arbitrium creatum tale esse, quòd etiam positis his omnibus, quę supra diximus, requisitis ad operandum, adhuc habet facultatem agendi, & non agendi, aut continendi suam actionem. Et idcirco neganda est minor argumenti, qua dicitur quod in facultate hominis seu in voluntate eius, nulla sit potestas continendi suam operationem etiam positis omnibus requisitis ad operandũ: quoniam hæc est conditio liberi arbitrij, vt positis omnibus illis requisitis ad agendum liberè vtatur eis. Habet enim volũtas nostra libertatem veram, quæ cõsistit in facultate actiua, vt sic, & consequenter postulat quandam potestatem actiuam indifferentem ad hæc duo, nimirùm, ad agendum & non agendum, hoc est, ad volendum seu exercendum actum, & rursus secundò ad nolendum, vel suspendendum actionem: & hæc potestas suspendendi actionem suam, quamuis per se debeat conuenire libertati voluntatis, tamen in ipso vsu per solam negationem seu carentiam actus talis facultatis potest fieri, si de absoluta eius potestate loquamur, vt S. Thom. 1.2. quæst. 6. artic. 3. & sui etiam discipuli eodem loco insinuant. Nam ipsum non velle præcisè sumptum non includit actum, sed potiùs carentiam actus, quæ si fiat cum plena aduertentia rationis, & sufficiente potestate volendi libera erit.

Potest voluntas positis omnibus requisitis ad operandum cõtinere suam operationẽ.

Tertia suppositio.

Aliud est habere facultatem libertatis, aliud verò vsum huius facultatis, primum ad potentiã, secundum ad actum secũdum pertinet.

Tertiò suppono aliud esse hominem habere facultatem, seu potentiam liberam, & aliud habere vsum liberum illius facultatis & potentiæ. Nam habere facultatem liberam pertinet quasi ad potentiam, & actum primum, habere tamen vsum liberũ illius facultatis pertinet quidem ad actum secundum, & quamuis actus liber non possit esse sine facultate libera: quia actus secundus essentialiter supponit primum, tamen facultas & potentia libera potest esse absque vsu actuali libertatis, non tantum quando ipsa non agit neque operatur, sed etiam si quando operatur impeditur ne illud dominium habeat in suum actum, quod aliàs posset habere, quod dominium consistit in potestate actiua agendi, & non agendi, vel aliud agendi, & in potestate consentiendi, vel non consentiendi. Dixi si non impediatur vsus libertatis: quia de potentia absoluta Dei potest necessitari voluntas circa aliquod obiectum, si Deus moueat voluntatem cum modo necessario, & determinatione necessaria, vim illi inferendo, & quandà prę ternaturalem efficaciam: & tunc Deus debet auferre iudicium liberum, conferentiam etiam, & collationem ex parte intellectus, in quibus quando hæc fiunt actualiter reperitur actuale fundamentum, & radix libertatis, & vsus illius. Quò fit difficillimum esse intelligere potentiam voluntatis esse liberam non solùm in ratione potentiæ, sed etiam esse liberam in ipso actu primo, quo afficitur, ad agendum, & quòd non possit liberè vti eodem actu primo. Cum igitur Dei motio vel auxilium eius efficax non auferat libertatem in actu primo, sed potiùs perficiat volũtatem, & tribuat illi vires, sequitur, quod non aufert neque lædit liberum vsum voluntatis, & exercitium liberi arbitrij: quoniam illa gratia auxilij Dei, qua constituitur voluntas in actu primo, ità monet voluntatem sicut ipsa apta nata est moueri, & quãuis eam determinet, hoc sanè facit determinatione libera, & quamuis infallibiliter, & mutabiliter id fiat, tamen liberè. Nam pari etiam ratione Deus immutabiliter agit sua voluntate in his, quæ ad extra vult, & tamen liberrimè vult, & liberrime operatur, cum possit non operari. De gratia efficaci dixit Augustinus, quòd est quædam gratia, quæ à nullo duro corde respuitur lib. 1. de prædestinatione Sanctorum.

Ex dictis colligitur ad actionem liberam liberi arbitrij creati sufficere, quòd homo, v.g. operetur per facultatem verè & propriè secũdum se liberam, & circa obiectum ex se indifferens, quòd non inferat necessitatem facultati liberæ. Et tertiò requiritur, quòd liberũ arbitrium, ità moueatur à primo agẽte, quod est Deus, sicut aptum natum est moueri, nimirũ cum suo modo libero, quo habeat dominium suæ actionis, quantumuis immutabiliter operetur ex suppositione diuinæ motionis inchoantis prius, non in aliquo instanti, aut duratione, sed solùm prius prioritate naturæ à qua, & non in qua. Quia cum liberum arbitriũ subordinetur Deo in causando, & in agendo, tam secundum actum primum, quam secundũ: & Deus similiter operetur & agat, necessariò dicere oportet, quòd hæc omnia non sunt inordinata, sed quod habent inter se ordinem, ità vt vnũ sit prius altero, & quòd nõ ęque primo creatura operetur cũ Deo, sed posterius, ità vt inchoatio sit à Deo. Vndè Diuus Ambrosius lib. 1. de Vocatione gentium, cap. primo, dicit: *Primitus itaque de voluntatis humanæ motibus, & gradibus disputãdum est. Inter quam, & gratiam Dei quorumdam non sana discretio est, existimantium, quòd prædicatione gratiæ liberum negetur arbitriũ, nec aduertentiũ eadem regula sibi posse obijci, quòd gratiã negẽt, cũ eã humanæ voluntatis non ducem volunt esse, sed comitẽ.* In quibus verbis valde est perpendendum D. Ambrosiũ

D. Ambro.

asseuerare, non esse sanam discretionem eorum, qui sentiunt prædicatione gratiæ liberum negari arbitrium. Quia pari modo dici posset & obijci contra eos, quòd negant gratiam Dei, & loquitur Diuus Ambrosius de gratia respectu operationum voluntatis, & de gratia in ordine ad humanam voluntatem se mouentem suis gradibus, & motibus atq; actionibus. Vndè carpit Ambrosius eos, qui dicunt gratiam Dei actualem esse comitẽ, & non ducem, quod est dicere præuiam esse Dei gratiam in voluntatem, & non concomitantem solùm cum voluntate in actionem, sed ducem influentem in voluntatem, & actionẽ.

Espencæus. Vnde Espencęus super secundam epistolam Pauli ad Timotheum digressione. 10. volens explicare mutationem voluntatis, quę sit per conuersionẽ peccatoris in Deum inquit: *Ad hanc ergo morum mutationem, conuersionem, emũdationemque, nobis Dei gratia non comite, verum duce, imò præduce, & non adiuuante tantùm, sed & excitante & faciente, opus est.* Et inferiùs adducit illud Psa. 76. cum dixisset Propheta, *Et nunc cæpi,* non ait hęc mutatio arbitrij mei, sed dexterę excelsi. Sic itaque Dei gratia cogitetur, vt ab initio bonę mutationis suę vsq; in finem cõsummationis, qui gloriatur, in Domino glorietur. Iuxta illud Cypriani adductũ à D. Augustino, lib. 1. de Prędestinatione Sanctorum. In nullo gloriandum quãdo nostrum nihil est: quapropter etiam ipse bonus vsus gratię & liberi arbitrij est donum Dei, vt definit Celestinus Papa.

Cyprian.

Celestinus Papa.

Quarta suppositio. Quartò suppono voluntatem hominis, ità esse liberam in vsu libertatis suę, vt positis omnibus requisitis ad agendum possit agere, & non agere, siue hoc intelligatur de requisitis in ipsa voluntate ad actionem elicitam eius, siue intelligatur de concomitantibus, seu de his, quę intrinsecè vel essentialiter includuntur in ipsa actione. Et ratio est. Quia si voluntas habet vsum liberum, & potest agere, & nõ agere, sequitur, quòd potest esse libera, tàm in actu primo, quã in actu secundo, & ità illud quod est prærequisitum ex parte actus primi, seu antecedenter, siue illud sit proprium principium actionis, siue conditio prærequisita ad illam, neq; lædit libertatem voluntatis, quando ipsa voluntas actuatur, vt operetur liberè, neq; aufertur liber vsus eius, alioqui si necessitaretur in actu primo necessitaretur etiã agẽs ex vi illius in actu secundo. Ex qua doctrina colligo voluntatem dici verè liberam, quia positis omnibus requisitis ad agendũ potest agere, & non agere, quod intelligendum est non tantũ de prærequisitis antecedẽter, & in actu primo, sed etiam de concomitantibus, & requisitis in actu secundo; quia si voluntas positis omnibus requisitis in actu secũdo non operaretur liberè, sequitur quòd nunquam operaretur liberè, quia nũquam est in actu secũdo, nisi quãdo operatur & agit. Nam quando est in actu primo, & nondũ intelligitur agere neq; operari, tunc nondũ intelligitur agere libere, quia nõ agit, neq; operatur. Neq; rursus quando iam operata est, & cessauit suspendendo actum & concursum suum liberè agit, quia reuera non agit. Restat igitur voluntatem esse liberam, quando habet requisita ad agendum, non solùm, inquam esse liberam in actu primo, sed etiam in actu secundo; quia hęc est conditio causæ secundæ liberè agentis, vt secernitur à causa secunda naturali, quæ positis omnibus requisitis ad agendum non potest non agere.

Quando dicitur voluntatem positis omnibus requisitis posse agere, & non agere, intelligi debet nõ tãtum de requisitis antecedenter, & in actu primo, sed etiam de cõcomitantibus, & requisitis in actu secundo.

Sentiendum igitur est, facultatem liberam ad hoc, vt habeat liberum vsum; necessariò postulare, vt positis conditionibus prærequisitis antecedenter, seu in actu primo ex vi facultatis suæ liberæ, possit agere, & non agere, & in hoc includitur diuinus influxus, & concursus vel maius aliquod auxilium necessarium pro actuum, & operationum qualitate. Dissident tamẽ aduersarij à nobis, quia putant prædictam definitionem libertatis intelligendam non esse de requisitis concomitãtibus. Quia hæc requisita includuntur in ipsa actione: quoniam (vt dicunt) sicut actio est requisita ad agendum, ità quidquid in actione includitur, potest dici requisitum. Sed hoc profectò est valde difficile; Primò, quoniam actio est effectus agentis: ergo non dicitur requisita ad agendũ, sed sufficit, quòd sit requisita ad effectum. Secundò, quia impropriè dicitur, quòd actio est requisita ad agendum. Quia licèt nullum sit agens sine actione, tamen actio non est requisita ad actionem, quæ est ipsamet, verum tamen est actionem esse actum secundum causæ actu agentis, & esse id quo actualiter formaliter determinatur potẽtia per modum actus secundi, & esse id quo agens formaliter actualiter constituitur actu agens.

Actio potius dicitur requisita ad effectũ, quã ad agendũ.

Rursus obserua, quòd quando voluntas actu agit, & operatur, implicat contradictionem, quòd non sit actu determinata ad hunc actum, & ad hoc obiectum, circa quod operatur hic & nunc, quæ tamen determinatio est libera, & non habet repugnantiam cum indifferentia, quam retinet ipsa voluntas, ex eo quòd habet potestatem cessandi ab opere, & faciẽdi oppositum. Alias illa determinatio voluntatis nõ esset libera determinatio; quia includit antecedentia, & concomitantia requisita ad agendum, cum facultas libera sit, quæ positis requisitis omnibus ad agendum potest agere, & non agere. Pari modo etiam philosophãdum est in actibus supernaturalibus liberis cõtritionis, vel cõuersionis, quod positis prærequisitis ad actum conuersionis antecedenter seu concomitanter adhuc voluntas est libera, alias non haberet liberum vsum in ipso actu secundo conuersionis.

Quando voluntas actu agit, & operatur, implicat, quòd non sit actu determinata.

Fatemur tamen, quòd etiam authores oppositę sententiæ, tenentur etiam dicere & fateri, fieri non posse, vt in sensu composito adsit in-

fluxus gratiæ cooperantis, seu auxilium cooperans, quatenus conuersionem concomitatur, & eam cooperatur quin peccator, qui conuertitur, verè cõuertatur per arbitrium suum, sed nihilominùs in sensu diuiso atque simpliciter in eodem ipso instanti, in quo peccator conuertitur liberè, est in facultate sui ipsius arbitrij non conuerti. Atque adeò ità liberè adhibere consensum suum, & consentire, & cooperari ad credendum, sperandum, aut pœnitendum, vt possit tunc suam operationem continere, & non conuerti. Et ratio huius esse potest: quia influxus & cooperatio actualis gratiæ cooperantis cum nostro arbitrio ad ipsos actus, ratione quorum sortitur nomen gratiæ cooperantis, habet concomitantiam cum eisdem actibus, & illi ijdem actus conuersionis nimirùm, aut pœnitentiæ simpliciter pendent ab ipsa gratia cooperante, vt sic, ac proinde non stat, gratiam Dei actu cooperari conuersionem, & quòd ipsa conuersio peccatoris non sit. Cęterùm si consideretur gratia hæc, vt influens adiuuans est, hoc est quatenus constituit potentias in actu primo, sic potest separari gratia à suo effectu cõuersionis propter defectum nostræ cooperationis, seu propter resistẽtiam. Quoniam suus effectus est operatio nostra, & ad hanc nos liberè concurrimus, & cum potentia ad oppositum. Neq; derogat libertati nostrę, quòd gratia cooperans re ipsa nũquam separetur à nostra cooperatione: quia dicitur gratia adiuuans in actu secundo, quatenus actu, & in exercitio adiuuat ad operandum, & ex consequenti nõ est ita adiuuans sine suo effectu prę senti. Rursus etiam non derogat libertati nostræ; quia quod hæc gratia ità considerata nõ separetur à suo effectu non prouenit ex eo, q̃ à nobis auferatur potentia ad non consentiendum ipsi, sed ex efficacia ipsius gratiæ tanquã ex ratione per se, & ex præsentia sui effectus, qui est noster consensus, tanquam ex cõditione, sine qua non esset adiuuans in actu secundo. Atque ità ex hoc non sequitur maior necessitas in nostro consensu, quàm sit illa, quæ consistit in hoc, quòd est ipsum consensum esse præsentem, de qua dixit Aristoteles: *Omne quod est quando est necesse est esse*, & huiusmodi necessitas est solùm necessitas secundum quid, aut ex quadam suppositione, respectu, cuius est in nobis potentia ad oppositum, & idcircò non repugnat libertati,

Non stat, gratiã Dei actu cooperari conuersionem, & q̃ ipsa conuersio peccatoris nõ sit.

Solutio tertiæ, & quartæ difficultatis primi Discursus.

D. Tho.

REstat dissoluere argumentum tertium, & quartum suppositis his, quę diximus. Est enim hoc argumentum commune, & quod ab omnibus adducitur etiam ab aduersarijs huius ętatis; imò verò eum adducunt Sanctus Thomas, & discipuli eius, fuitquè satis cognitum à Diuo Augustino, lib. primo, & secundo, contra duas Epistolas Pelagianorum, & lib. de Correptione & gratia, in pleriśque capitibus. Et modo ipsum recenset Bartholomæus Medina. 1.2. quæst. decima, artic. quarto, quo in loco proponit quatuor argumenta contra libertatem arbitrij nostri disputando, quæ eandem omnino tangunt difficultatem, & non sunt diuersa inter se. Et dissoluit illa, tàm contra nouiores Theologos, quàm contra Almaynum, ostendendo libertatem arbitrij nostri, eamq̃ liberando à calumnia eorumdem argumentorum. Nos verò suppositis principijs fidei nostræ, & ijs, quæ iam diximus, conabimur tactam difficultatem dissoluere.

D. Aug.

Barthol. Medina.

Igitur liberum arbitrium est, quòd positis omnibus requisitis ad agendum potest agere, & non agere, seu quòd positis omnibus requisitis ad agendum, cùm agit liberè agit, & operatur. Vndè liberum arbitrium non tantum est liberum, quia potest operari liberè quando habet formam, & actum primum, seu principium, quo possit agere, sed etiam quando in actu secundo agit, & operatur. Perpendendum tamen est, quòd quandò, verbi gratia, liberum arbitrium habet in se ad supernaturalia opera formam supernaturalem, seu gratiæ influxum, quem à Deo recipit, & quo constituitur potens agere nimirùm conuersionem, vel pœnitentiam: tunc illa forma gratiæ actualis, quæ voluntatem constituit in actu primo, siue consideretur, vt adiuuans, siue vt principium, ipsa quidem est principium agendi, seu ratio agendi in ordine ad opera supernaturalia, & est positiua forma determinatè respiciens eadem supernaturalia opera. Ex quo infertur, quòd talis gratia actualis, & supernaturalis positiua non est principium non agendi, & non operandi opera supernaturalia, quia hæc esset manifesta implicatio: sed potiùs dicitur hæc supernaturalis forma gratiæ, à Deo veniens, habere ordinem determinatum per modum actus primi ad supernaturales actiones, quia est positiua forma, & positiuè respiciens ea, quorum est principium & forma. Relinquit tamen voluntatem liberã, vt possit non operari: quia talis forma operatiua, quamuis per modum actus primi respiciat operari determinatè, tamen relinquit libertatem in voluntate, ad quam sequitur, quòd ipsa potentia seu voluntas potest non operari. Quod quidem non habet voluntas ex ipsa forma positiua gratię, quæ secundum se est determinatum principium agendi, sed ex libertate, quæ simul cum illa forma actus primi adhuc remansit in voluntate; quæ omnia concedi debent, & nullatenus negari possunt. Rursus etiam concedi debet, formam illam gratiæ actualis positiuè respicientis actiones pertinentes ad supernaturalem ordinem, non solùm habitualiter, sed etiam

Supernaturalis forma habet determinatũ ordinem per modum actus primi ad supernaturales actiones.

per mo-

per modum actus primi virtualis, & actualis, quantum est ex se determinare potiùs voluntatem ad agendum per modum actus primi, quàm ad non agendum. Imò verò secundùm se non determinat ad non agendum, sed solùm relinquit potentiam, non auferendo libertatem ab ea, vt possit non agere. Præterea non tantùm gratia illa actualis, ipseque supernaturalis influxus Dei positiuè respicit supernaturales operationes. Verum etiam quando ex intentione Dei donatur homini à Deo ipso, vt conuertatur, vel vt credat, aut diligat, determinatè etiam respicit actum conuersionis aut actum credendi, vel diligendi ex eadem intentione Dei.

Ex quibus colligitur, quòd liberum arbitrium verè per gratiam illam actualem, & supernaturalem, quam accipit à Deo determinatur per modum actus primi ad supernaturaliter operandum & agendum, ità vt ex intentione Dei donantis gratiam illam, & influentis suo auxilio, inclinet voluntatem ad contritionem, verbi gratia, vel ad quidpiam aliud. Et hæc determinatio sic facta per modum actus primi antecedenter ad actum secundum dicitur determinatio libera, quia relinquit adhuc libertatem in voluntate, ex eo, quòd non determinat illam ad non agendum, neque aufert vim, & potestatem non agendi, sed tantùm determinat voluntatem positiuè cum respectu ad agendum supernaturalia opera, non tamen ita, vt non possit non relinquere illa, aut non cessare ab illis. Atque ità fit semper esse verissimum illud principium; quod ex Deo est inchoatio, & principium operis nostri, & quòd non agit Deus motus ex quadam expectatione voluntatis creatæ ipsius hominis. Propter quam causam S. Thom. Prima Secundæ, quæstio. 113. artic. octauo, & quæstione præcedente. 112. artic. tertio, expressè docet in operibus iustificationis, & in detestatione peccatorum per contritionem Deum priùs natura mouere per suam actualem gratiam voluntatem peccatoris, quod est præmouere nos, & loquitur de præmotione gratiæ propriæ efficienti, & non tantùm morali.

Ad minorem argumenti neganda est simul cum consequentia. Vndè ad probationem minoris respondetur, voluntatem esse formaliter liberam, & actiuè etiam liberam ad agendum hoc vel illud, & ad agendum, vel non agendum. Intellectum verò non esse formaliter liberum, sed tantum esse radicem libertatis ipsius voluntatis, ac proinde non esse vtrobique parem rationem. Neque obstat, quod intellectus sit multò perfectior, quàm voluntas purior, & magis abstractus, & eleuatus. Quia non fundatur ratio libertatis in hoc, neque ob id intellectus habet vllam libertatem formalem, sed solùm radicalem. Voluntas autem à propria sua essentia habet, quòd sit formaliter libera. Sed quoniam est potentia quæ fertur ad res, cæca tamen, idcircò indiget illustratione, & directione intellectus, & quando in argumento dicitur, quòd si intellectus efficaciter moueat per imperium suum voluntatem cum determinato iudicio hîc & nunc, quòd non potest voluntas resistere illi; Respondetur negando sequelam: quoniam illa est suppositio libera, nempè imperij & iudicij, & dicitur necessitas ex tali suppositione. Hic non vacat modo locus disputandi de imperio, & iudicio practico, neque est cur modo de nouo immoremur in hac difficultate imperij, & iudicij practici, quia de hac re egimus luculenter, & fusè satis supra.

Quamuis voluntas non sit potentia æquè perfecta cum intellectu, potest tamen esse formaliter libera.

Verùm, vt rem hanc explicemus obseruia Diuum Augustinum nunquam sensisse gratiam Dei quantumcunque efficacem læsisse liberum arbitrium. Nam quamuis in libro de Correptione, & gratia, capit. decimoquarto dixerit: ***Volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium: sic enim velle, aut nolle in volentis, aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, neque superet potestatem.*** Quod testimonium non potest non intelligi de gratia efficaci efficienter mouente nos; quia hæc est gratia, de qua dixit Augustinus: quòd à nullo duro corde respuitur, tamen nunquam Diuus Augustinus sensit hominem induratum conuerti in Deum coactè, aut necessitate compulsum, sed liberè, & gratia Dei emolliente cor eius; quia Deus Dominus est liberi arbitrij creati, & quia vt ibidem dicit Augustinus, Deus ipse magis habet in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas, ac proinde sicut homo se mouet efficienter ad suas actiones, & aptè satis & liberè, sic etiam Deus, qui potestatem & dominium habet liberi arbitrij creati, & cui liberum arbitrium creatum etiam, vt liberum est, propriè & verè subordinatur, sua gratia perficit eandem libertatem; quoniam voluntas libera, vt libera est, in agendo necessariò pendet à Deo, quæ dependentia à Deo causante gratiam, nullam omnino lædit libertatem, sed sicut voluntas nostra se mouet, & determinat non solum moraliter, sed etiam efficienter propriè, ità etiam mouetur sub determinatione Dei moraliter, & efficienter: & scit Deus eam mouere liberè: habet enim Deus in se ipso infinitos modos, quibus scit liberum arbitrium esse mouendum liberè per gratiam suam, & gratia perficit naturam. Et ob id Diuus Augustinus non putat propter infallibilitatem gratiæ præuiæ efficacis, pati læsionem vllam liberum hominis arbitrium.

D. Aug.

Propter infallibilitatem gratiæ non patitur liberum arbitrium læsionem vllam.

Quamuis igitur hæc vera sint, nihilominus libertas concordiam habet cum gratia actuali præuia diuini auxilij efficacis. Quia ea existente cum peccator conuertitur, liberè sanè agit: imo verò potest homo liberè de-

ficere, & reſiſtere; quia etiam quando peccator ipſe conuertitur, tunc liberè agit, & libere operatur, & habet poteſtatem ad oppoſitum. Liberum enim arbitrium, ita etiam ſolet definiri ab antiquis Theologis: quod ſit facultas intellectus, & voluntatis ad agendum, vel non agendum, vel ad eligendum vnum relicto alio. Quòd autem liberum arbitrium, aut quòd voluntas ipſa ſit mutabilis, aut quòd peccare poſsit, hoc non pertinet ad formalitatem libertatis, neque ad perfectionem liberi arbitrij, neque eſt pars libertatis vt ſic, vt egregiè illud adnotauit S. Thom. in 1. diſtinct. 42. quæſt. ſecunda, artic. 1. ad tertium; & Prima par. quæſt. 62. artic. octauo ad tertium; & Secunda Secundæ q. 88. art. 4. ad primum. Et Ruardus Tapper, artic. ſeptimo, de Libero arbitrio, contra Lutherum. Cuius rei fundamentum eſſe poteſt, quòd Deus perfectiſsimè habet liberum arbitrium, & perfectiſsimè liberè agit ad extra, & neque mutatur, neque eſt mutabilis, neq; peccare poteſt, & conſequenter potiùs eſt imperfectio & defectus, aut debilitas noſtri arbitrij peccare poſſe. Ex quo colligitur, quòd quanto magis liberum arbitrium creatum aſſimilatur libero arbitrio Dei tanto perfectius erit, cum liberum arbitrium Dei, ſit primum, noſtrum verò ſit participium illius, & conſequenter liberum arbitrium Angelorum perfectius eſt libero arbitrio hominis in electione boni, & in permanẽtia ſuę electionis, ſine mutatione ſui. Et licet nulla ex creaturis rationalibus ſit impeccabilis per naturam, tamen poteſt Deus facere per gratiam, liberum aliquod arbitrium creatum tàm refertum, & plenum eadem gratia, tantiſque munitum preſidijs, & auxilijs, & ità confirmatum, & aſsimilatum in tanto, aut tali gradu cum Deo, quòd ſit impeccabile per gratiam, quamuis nõ per naturam. Et licet hoc ità ſit, tamen non ob id aufert Deus libertatem in electione, quam facit de bono, quod eligit. Ità geſsit hoc Deus cum Sacratiſsima eius matre & Virgine, quę neque mortaliter, neque venialiter peccare potuit, ſuppoſita confirmatione, & modo gratię eius, quẽ illi contulit. Et pari modo Apoſtoli quantum ad non peccandum mortaliter eam tantam ac talem gratiam receperunt à Deo, vt quamuis in liberis electionibus nunquam defecerint peccando, tamen liberè operabantur. Liberum etiam arbitrium Chriſti, & voluntas animæ ſuæ liberè operabatur, & tamen peccare non poterat. Plenitudo ergo perfectæ libertatis non conſiſtit in poteſtate peccandi & deficiendi, aut in poteſtate mutandi ſe.

Liberum arbitrium facultas intellectus & voluntatis ad agendũ, & non agendũ

Nulla creatura eſt impeccabilis per naturã.

B. Virgo neque mortaliter, neque venialiter peccare potuit.

Authoris reſolutio & ſententia.

SEntio igitur, quòd illa indifferentia, qua liberum arbitrium habet poſſe velle aliquod medium ad aliquem finem, vel non velle, & volendi rem vnam, aut alteram indifferenter, oritur, & naſcitur veluti ex radice, & fundamento ex indifferentia intellectus & rationis ſuorumque iudiciorum, iudicando etiam indifferentiam, quæ eſt in ipſo medio reſpectu finis: ad libertatem igitur ipſius voluntatis ſupponitur indifferẽtia intellectus nimirùm proponentis indifferentiam mediorum ad bonum, iudicando de illa, & de medijs. Vndè quamuis hoc ſit neceſſariò requiſitum in libero arbitrio; cæterùm ſi fiat ſermo de libero arbitrio creato hominis, aut creaturæ, non poteſt eſſe tanta vniformitas huius indifferentiæ, quin aliquando reſpectu alicuius medij intellectus non habeat in ſe indifferentiam, aut voluntas, ad iudicandum vel eligendum aliquod medium conueniens ad finem, ſicut conſtat apertè in eo, qui efficaciter appetit, & intendit finem, & non eſt niſi vnicum medium neceſſarium omnino ad conſecutionem finis. Eſt enim etiam certiſsimum, quòd ſi voluntas noſtra eligit vnum aliquod medium, non ſe habet omnino eodem modo vniformiter, quando iudicat hic, & nũc aliquid eſſe eligendum, & quando id non iudicat, aut quando iudicat etiam aliud medium eſſe conueniens ad finem. Verumtamen quia vtrumque iudicium habet fundamentum in alio vniuerſaliori iudicio, & ampliori, ſeu magis generali; de indifferentia cuiuſcumque medij illorum reſpectu finis, idcircò voluntas nõ deſinit eſſe verè libera in illo actu electionis determinato, iam ad vnum medium per illud ſingulare dictamen, ſeu imperium ipſius intellectus, quando iudicat hic, & nunc hoc eſſe eligendum. Ratio autem huius rei eſt, quia non tantum electio, ſed etiam imperium ſingularis iudicij, ambo quidem ſemper militant ſub illo altero iudicio, quod in ſe habet intellectus actualiter, vel virtualiter indifferentiæ rei eligendæ in ordine ad finem, atque ità voluntas creata libera operatur in virtute illius poteſtatis, quam in ſe retinet, & habet, vt operari, vel non operari poſsit, vel vt poſsit operari circa vnum relicto altero. Ex quo bene ſequitur, quòd cum actus voluntatis derivetur, & naſcatur à prædicto iudicio indifferentiæ medij ad finem, quòd erit verè liber. Quocirca liberum agens eſt, quod operatur propter finem cum cognitione indifferentiæ mediorum ad finem, & conferentia, & cum poteſtate voluntatis proportionata illi.

Colligo ex ſuperiùs dictis ad electionem liberam voluntatis neceſſarium eſſe dictamen,

Volũtas eſt libera in actu electionis determinato advnũ medium per ſingulare imperiũ intellectus.

iudicium, seu imperium intellectus, quibus positis semper eligit voluntas, & nihilominus est libera electio. Quia licèt imperium, & dictamen, hîc & nunc sint determinata ad vnum, tamen quia huiusmodi dictamen subijcitur alteri superiori, & ampliori iudicio actuali, vel virtuali intellectus, quo nimirum homo iudicat indifferentiam medij ad finem, & habet conferentiam, & collationem, ideirco appellatur libera electio in virtute illius iudicij; & potestatis proportionatæ illi iudicio, cui subordinatur hoc particulare, & non quia dictamen illud iam contractum, aut ipsa ex vi illius præcise, tunc habeant formalem indeterminationem, ad vnum medium. Et hæc est causa, cur hæc determinatio voluntatis procedens ab hoc iudicio dicatur determinatio libera, vt distinguitur contra determinationē necessariā, quæ reperitur in causis naturalibus, quæ his omnibus carent in operando, & habent ab ipsa natura præfixam determinationem, cum quodam modo necessariò, sicut etiā bruta ex infixo à natura iudicio, sine vlla indifferentia operantur, & ita habent modum necessariò agendi cum potestate appetitus cō formi illi modo necessario: & illi iudicio à natura infixo.

Hinc etiam colligitur, quòd quamuis Diuina gratia actualis seu diuina motio, quæ concomitatur electionem peccatoris, se conuertentis sit efficacissima: cæterum quia neque aufert, neque repellit, aut turbat dictamen, & iudicium indifferens, aut cognitionem, vel collationem medij ad obiectum voluntatis, neq; tollit, neque aufert potestatem voluntatis proportionatam huic iudicio indifferentiæ medij ad obiectum, consequenter non aufert libertatem electionis eiusdem volūtatis: imò verò potius perficit illam. Quia gratia illa Dei actualis, seu influxus diuinæ motionis, & illuminat sua luce intellectum, vt melius iudicet, & dictet de medijs, id, quod cōuenientius est voluntati, magisque expediens, simul adiuuando, mouendo, & dirigendo voluntatē moraliter, & etiam efficienter. Imò verò efficienter propriè, dependenter tamen à motione morali. Et hoc videtur dixisse D. August. loquens de efficacia gratiæ, & de libertate nostra Epist. 89. quæst. 2. vbi ait. *Voluntas libera tantò erit liberior, quantò sanior, & tantò sanior, quantò gratiæ subiectior.* Vndè ob eandem causam lib. de correptione, & gratia cap. 14. D. Augustinus extollens infallibilitatem huius gratiæ præuiæ, & efficacis dixit. *Volenti soluū facere nullum hominum resistit arbitriū. Sic enim velle, aut nolle in volentis, aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, neque superet potestatem.* Et tamen videbat optimè D. Augustinus adultos libere agere, & liberè saluari, & vt explicaret ineffabilem modum, quem Deus habet saluandi homines, & liberum arbitrium, & omnem modum quem habet mouendi eos liberè: etiam explicuit quo pacto efficienter simul homines moueat, etiā liberos. In his igitur consistit fortis, & suauis gratia Dei actualis, suauisque influxus, & motio Diuinæ sapientiæ, quæ non tantùm disponit, dirigit, & illuminat, sed tandem exequitur id, quod Deus in diuina prouidentia sanciuit, & voluit. Est enim sapientia diuinæ prouidentiæ non minus fortis in executione, & gubernatione, quàm suauis in deductione ad rē, & in exequendo quod Deus ipse voluit in qualibet re, secundum quandam conformitatem ad ipsius conditionem, & naturam. Quò fit, vt licèt in eo puncto, aut momento, quo homo conuertitur, & credit, necessaria sit illustratio intellectus, piaq; affectio ex parte voluntatis, quamuis tam illustratio diuini luminis, & fidei, quàm ipsa pia affectio voluntatis sint efficacia dona spiritus Dei: & quod illis de facto positis in intellectu, & voluntate nū quam stet, aut se compatiatur simul quòd homo non credat, non ob id desinit homo libere credere. Ratio autem huius est, quia neque illustratio luminis fidei, neque etiam ipsa pia voluntatis affectio destruunt, aut iudicium quod homo habet, aut conditionem voluntatis, aut dictamen, quod homo vere habet, quo cernit se potentem esse ad non credendum, licèt in re credat quando Deus ipsum mouet, eiusque voluntatem per supernaturalia dona, & auxilia gratiæ influendo in ipsum, sicut dictum est.

Hinc præterea colligitur apertè, quòd quā do Deus seipsum iungit voluntati hominis per suam gratiam mirificam, suauissimam, & efficacem, illuminando, & illustrando eius intellectum, & iudicium indifferentiæ mediorū ad finem; donando illi similiter lucem, qua persuadet efficaciter ipsum, vt habeat singulare dictamen, & imperium, ad hoc vt voluntas eligat, id quod Deus prouidit, & vt id faciat, ducendo voluntatem suauiter, & conformiter ad suam naturam, atque ita pariter conseruando iudicium illud indifferentiæ mediorum ad finem, vt præsens ei sit: quod non solum in hoc non læditur, neque aufertur libertas voluntatis, sed quòd potiùs talis gratia Dei, & illuminans, & influens, efficit vt volūtas liberiùs operetur. Vndè ex hoc verificatur optimè illud Pauli. *Qui spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei.* Itaque quando influxus nostræ voluntatis ducitur, & fertur ab influxu Diuini spiritus suauiter, & fortiter, non ob id voluntas progreditur absque perfecta libertate, siquidem agit, & peragit illud iter voluntas cum timore, & tremore, ex eo quòd fieri potest, vt cesset ab illa contritione, & conuersione, aut dilectione Dei, & pariter cum timore, & tremore, quod potest deficere à lege per potestatem voluntatis, quam in se experitur. Præcipue cum non auferatur iudicium illud vniuersale, de quo antea diximus, & quo iudicatur indifferentia mediorum ad finem. Nam ob id cum timore, & tremore voluntas

Gratia Dei etiam si efficacissima sit non aufert potestatem voluntatis.

Neque illustratio luminis fidei, neq; pia affectio volūtatis auferunt iudicium seu dictamen intellectus.

viam ſuam peragit, ne ceſſet ab actu illo conuerſionis, à quo habet poteſtatem deficiendi.

Aduerſarij, ſeu authores oppoſitæ ſententiæ cenſent, quòd ad actum liberum, ſeu ad liberum voluntatis vſum, non ſatis eſt facultas ex ſe libera, cum indifferentia obiecti ſeu iudicij, niſi etiam cauſa prima, quæ eſt Deus nullam vim ſeu præter naturalem efficaciam inferat, ſinendo voluntatem ipſam ſuo conaturali modo operari. Nam quamuis voluntas ex ſe ſit potentia libera, & ab obiecto non moueatur ex neceſsitate, nihilominus vſus ipſe, & actus eius non erit liber voluntati, ſi voluntas non permittatur à ſuperiori agente Deo vti ſua libera facultate. In qua re nobiſcum ſentiunt prædicti authores, & bene dicunt. Quia poteſt Deus potenter rapere voluntatem, ſine ſuo modo libero, & poteſt etiam impedire voluntatem à ſuo vſu libero, ne agat, & operetur multis, & pleriſque modis. Nã vt ſuperiùs diximus, quamuis ad liberum voluntatis vſum, ſit requiſita eiuſdem voluntatis libertas, cum indifferentia intellectus; & cum conferentia, & collatione: ſeu cum indifferentia obiecti, & iudicij: tamen ſimul cum hoc requiritur poteſtas agendi, & nõ agendi voluntatis, hoc eſt, poteſtas voluntatis conformis illi indifferentiæ intellectus, à qua vt à radice deriuatur illa poteſtas libera, vt libera eſt in ipſam voluntatem, quam Deus minime aufert à voluntate, neque in naturalibus, neque in ſupernaturalibus in communi modo agendi, ſecundum quem influit in voluntatem, & actionem eius, vt conſtat cùm mouet voluntatem ad conuerſionem, vel contritionem. Tamen illa poteſtas libera, quæ eſt in voluntate, cum originetur ex indifferentia illa intellectus obiecti, & mediorum tanquam ex principio, ſequitur quòd poſita actuali indifferentia rationis, & obiecti, & ipſius iudicij, etiam actualiter reſultat in voluntatem illa poteſtas libertatis actualis, & in ordine ad liberũ vſum, quæ actu emanat ab illa actuali indifferentia rationis, ac proinde, niſi Deus impediat hanc poteſtatem liberè vtendi voluntatis, tunc poſita indifferentia intellectus, cum conferentia, & collatione, cum iudicio indifferentiæ medij ad finem, naſcitur, emanat, & deriuatur ipſa libertas quæ eſt ad vtrumlibet in voluntate. Et ideirco ſi actus volũtatis naſcitur, aut deriuatur à prædicta radice illius iudicij indifferentiæ mediorum, ſemper erit liber, niſi impediatur voluntas, & aliunde neceſsitetur, ſi Deus non ſinat illã agere cũ ſuo modo libero, aut vim inferendo præter naturalem ordinem aut quouis alio neceſſario modo, vel non præbendo voluntati concurſum, aut influxum, ne exeat de potentia ad actum, & ita impediendo ipſum vſum libertatis in actu.

Poteſt Deus ſine ſuo modo libero gere, & auere v motatem. olun

Sed mirabile eſt, quàm vehementer receſſerint prædicti aduerſarij à communi, & vſitata ſententia noſtra. (Nam iſto modo eam ipſi appellant) dicentes, quòd per gratiam Dei actualem, efficacem, ſecundum quam Deus mouet voluntatẽ peccatoris conuertendo eam ad ſe, quæ ſit efficax, vt venit à Deo, læditur libertas noſtra: ſi gratia illa efficax actualis efficienter propriè moueat voluntatem. Cum tamen ipſi ſentiant quòd ſi Deus ageret ex neceſsitate naturæ, ob id agendo in voluntatem creatam, neceſsitaret illam: quia ageret, vt naturale agens quanta efficacia poſſet, ſecundum vltimum potentiæ: ac proinde quòd ſemper neceſsitatem voluntati inferret, & conſequenter nunquam eſſet in voluntate creata vſus libertatis. Quia conditio naturalis agentis eſt, quòd agat ſecundum vltimum potentiæ. Quoniam naturale agens, non habet facultatem temperandi ſuam actionem, ſeu magis, vel minus applicandi illã: quia hoc non fit niſi per potentiam liberam. Ex quoquidem apertè ſequitur, quòd ipſi non conſtant in ſuis fundamentis. Imò verò ex ijs quæ inſinuantur hîc plurimum fauent noſtræ ſententiæ vſitatæ. Quoniam ob id ipſi cenſent, quòd Deo agente, & influente ex neceſſitate naturæ in voluntatem creatam, neceſsitaretur ipſa. Quia ſi Deus tanquam naturalis cauſa ex neceſsitate ageret naturæ, ſemper ageret quantum poſſet, ſecundum omnipotentiam ſuam, ſeu ſecundum vltimum potentiæ. Et quòd ob id tunc non haberet facultatem temperandi ſuam actionem, vt inquam libere fierent actiones noſtræ. In quo expreſſe ſignificatur, quòd cùm cauſa libera habeat facultatem temperandi ſuum influxum, & ſuam actionem aut applicationẽ, quòd ita poteſt temperare influxum, & actionem, ſeu motionem in voluntatem, vt non neceſsitetur voluntas in ſuo opere. Ac proinde ſequitur, poſſe Deum efficere, vt quamuis ipſe moueat voluntatem ad aliquam actionem, nihilominus ipſa libere operetur. Quia cum Deus non ſit agens naturale ad extra, neque operetur ſecundum vltimum potentiæ ſuæ, ſed ſemper libere, & ex arce ſapientię ſuæ, ſequitur, quòd poteſt temperare ſuum influxum, ita nimirum, vt non neceſsitetur voluntas etiam ſi moueat eam ad operationem ſuam. Nam ob id dicitur quòd Deus attingit â fine, vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.

Naturale agens agit ſecundũ vltimum potẽtiæ.

Prima cauſa libera, quia talis eſt ita poteſt temperare ſuũ influxum, & motionẽ in voluntatẽ; vt non neceſsitetur volũtas in ſuo opere.

Secundò. Quoniam præfati authores, vt explicent, quo pacto voluntas noſtra libere operetur dicunt, quòd Sancti Patres diuinæ ſapientiæ, & liberæ prouidentiæ tribuunt, vt in agendo, & mouendo voluntatem creatam ita ſe ſe accommodet, & temperet, vt ei vim non inferat, ſed ſinat eam etiam ſe mouere cũ ſuo modo. Quam doctrinam nos adducimus, & tanquam veram probamus, vt eorum argumenta retundamus. Quoniam pari modo aſſeueramus, non lædi libertatem ex gratia actuali efficaci Dei, aut ex eo quòd Deus moueat voluntatem peccatoris, ad conuerſionem etiam per modum principij inchoantis priùs natura ſolùm. Quod videtur expreſſe

Secunda impugnatio.

sentire Diuus Paulus ad Hebræos 13. dicens. *Aptet vos Deus in omni opere bono: vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se.* Quia cum Sanctis Patribus diuinæ sapientiæ, & liberæ prouidentiæ Dei tribuimus, quòd Deus in agendo, & mouendo voluntatem creatam per influxum suæ gratiæ actualis præuiæ in eam, ita se se accommodat voluntati creatæ, & ita attemperat, & accommodat auxilia gratiæ suæ efficacis, vt moueat voluntatem, cum suo modo libero, nullam ei vim aut læsionem inferendo. Quòd si modus agendi liberè ipsius voluntatis, etiam vt talis est, pendet à Deo, vt diximus, sequitur apertè Deum posse ita suauiter voluntatem mouere, influendo in eam suam gratiam actualem, vt modum liberè agendi eius minimè lædat, quamuis eam moueat ad actionē suam. Quia voluntas, vt inquit S. Thom. ita mouetur à Deo, vt etiam se moueat ad actionem eandem liberam. Verum tamen est quòd cum voluntas mouetur à Deo ad conuersionē per actualem gratiam suam, sequitur conuersio infallibiliter necessitate consequentiæ, & infallibilitatis quæ non excludit absolutam libertatem. Quia non stant illa duo, quòd Deus moueat actu sua efficaci Gratia voluntatem peccatoris ad contritionem, & quòd ipse non moueatur, se conterendo, & pœnitentiam agendo.

S. Thom.

Tertia.

Tertiò. Quia authores oppositæ sententiæ colligunt, hanc regulam generalem nimirum, nihil obstare libertati, vel contingentiæ actus, seu operationis, & effectus, quod aliqua causa, naturali necessitate ad illam operationem, vel ad illum actum seu effectum concurrat, dummodo, si duæ causæ concurrūt aliqua earum cum indifferentia efficiat, respectu cuius effectus denominetur liber. Quam regulam tradidit Franciscus Suarez in disputationibus Metaphysicæ disp. 19. sectione 3. num. 20. & eam probat exemplis. Primò quia iuxta probabilem sententiam cognitio seu obiectum cognitum concurrit effectiuè ad actum voluntatis. Quia ille concursus, vt est à cognitione, & obiecto naturalis est, & sine libertate; & nihilominus actus est liber simpliciter propter indifferentiam voluntatis. Vndè licèt cognitio, & obiectum quantum est ex se ex necessitate naturæ influant, tamen quia eorum influxus actualis in re non ponitur, sine actuali influxu voluntatis, ideo absolute non est necessarius. Secūdò. Simile quid potest dici de influxu habitus concurrentis, cum potentia libera: habitus enim ex se non habet indifferentiam, aut propriam libertatē, sed ex necessitate naturæ operatur operante sua potentia. Tertio potest esse exemplum de effectibus agētium naturalium, prout sunt ab ipsis, & à Deo. Illa enim actio quamuis à proximo agente, sit ex necessitate naturæ, respectu primæ causæ est libera. Quia iuxta veram doctrinam Deus liberè tribuit concursum suum. Vnde ex potestate Dei absolutè potest illa actio esse, & non esse, quamuis hæc potestas non sit in proximo agente. De facto tamen actio illa denominatur simpliciter naturalis, tum quia sicut ab agente proximo accipit suam determinationem, & specificationem, ita & has denominationes tum etiam quia ex generali quadam lege, & definita voluntate, iam Deus concurrit ad has actiones iuxta exigentiam naturæ, seu causæ secundæ. In quo sensu accipi potest id, quod dici solet influxum causæ primæ modificari in secūda, vel ex secunda. Atque ita actio esset libera ex habitudine, ad secundam causam, quamuis prima ex necessitate naturæ præberet concursum.

Liber poterit esse aliquis effectus procedens à duabus causis; si vna earum concurrat cum indifferentia ad ipsum.

Habitus ex se nō habet indifferentiam.

Effectus procedēs à causa naturali vt à Deo efficitur est liber.

Cùm igitur hæc dicant, & sentiant præfati authores, mirabile est cur non sentiant similiter influxum causæ primæ etiam operantis liberè, & attemperantis auxilium efficax gratiæ suæ, suauiterque accommodātis illud, secundum infinitam sapientiam, & liberam prouidentiam suam, nullo pacto lædere libertatem voluntatis, & operationis eius. Maximè quia in nostro casu Deus non agit, vt causa necessaria, aut naturalis, sed vt causa libera, quæ habet facultatem temperandi suam actionem, & influxum, eo momento, & puncto quo voluntas ab ipso Deo, & ab influxu gratiæ suæ mouetur. Igitur cū tam Deus mouens voluntatem, ad operationem conuersionis, suæ gratiæ auxilio, & influxu suauissimo efficiente, libere concurrat, & influat, quàm ipsum quoque liberum arbitrium ex conferentia, & collatione, & potestate voluntatis conformi ad radicem, & ad iudicium indifferētiæ liberum, similiter dum mouetur à Deo operetur, & concurrat, atque influat in actionem suam: sequitur quòd operatur liberè: & quòd auxilium gratiæ diuinæ efficacis influētis in liberum peccatoris arbitrium, nullam ei inferat vim, aut læsionem circa operationem liberam conuersionis. Nam potissimè in nostro casu Deus agens in peccatorem est causa libera, & liberè agit in ipsum, & in eius voluntatem sciens attemperare, & volens, gratiam suam efficacem, & efficientem iuxta modum agendi liberum voluntatis. Et rursus ipsa voluntas peccatoris similiter est causa libera; & modus agendi eius nimirum liberè ei conuenit formaliter, originatus tamen, & emanatus ex intellectu, & ratione, & ex iudicio collatiuo, cum indifferentia ei conueniente; ergo potestas ipsius vsus liberi in tali casu, actualiter emanata, tanquam à vero fundamento, & radice ab intellectu agente cum collatione, & conferentia, & cum illo iudicio indifferentiæ medij ad finem à fortiori erit libera in ipso vsu.

Deus, & voluntas libera agentia cū sint, liberè etiā cōcurrunt ad prōductionem nostrorum actuum.

Possem etiam iterum argumentari ad hominem. Quòd si non obstat, neque lædit libertatem, aut vsum liberum influxus necessarius causæ naturalis secundæ, agentis cum

modo neceſſario ſecundum vltimum potentiæ, neque attemperantis influxum illum, ſi adeſt pariter alia cauſa efficiens cum indifferentia: vt iſti fatentur. Cur Deus ſuauiſsimè influens, & liberè influens, in voluntatem noſtram, quæ ſimiliter eſt libera, & agit præcedente in intellectu iudicio indifferentiæ collatiuo, dicetur lædere libertatem, aut inferre vim, vel impedire eam. An non potiùs læderetur libertas, ſi actio verè efficeretur à cauſa quæ neceſſaria eſſet, & omnino determinata in agẽdo, & neceſſariò influeret influxu neceſſario, cũ modo eius; quãuis alia cauſa eſſet libera? Nam ſi actio procederet ab illo modo neceſſariò determinante, neceſsitateque quadam influente in actionem illam. Iam verè libertas eiuſdem actionis, quæ ita cauſatur læderetur: quod præcipuè videtur eſſe verum in actionibus elicitis: quæ non producuntur ab aliqua cauſa, niſi eliciantur, & extrahantur ab eadem cauſa operante, in qua manent, cum non fiant ex nihilo, ſed ex potẽtia à qua fiũt, & eliciuntur. Quia ſi tunc vna cauſa influens neceſſariò influit cum quodam modo neceſsitatis extrahendo actum â cauſa eliciente determinatione naturali, & neceſſaria, iam actus ille non videtur eſſe contingens, aut liber.

Ad hominẽ arguitur cõtra aduerſarios.

Quarta.

Quartò. Quia quamuis iuxta probabilem ſententiam cognitio, & obiectum cognitum concurrant efficienter propriè ad actum voluntatis, & dicantur eam mouere ad actum ipſius liberum, tamen quia talis influxus actualis, & efficiens, in re non ponitur, ſine actuali influxu voluntatis, idcirco abſolutè non eſt neceſſarius. Præcipuè, quia appetitus ſequitur rationem, & iudicium intellectus. Cùm igitur intellectus ipſe habeat conferentiam, & collationem ſimul cum iudicio indifferentiæ medij ad finem, ſequitur, quòd voluntas, quæ habet dependentiam à ratione non ſolum formalem, ſed actualem, & virtualem in ipſo exercitio, & vſu ſemper conſeruat libertatem, & vſum eius. Quod ſenſit Ruardus Tapper art. 7. de libero arbitrio cõtra Lutherum pag. 286. in impreſsione facta Louanij anno 1555.

Ruar. Tap.

Argumentum igitur tertiũ propoſitum in illo primo diſcurſu noſtro, in principio huius controuerſiæ ſolutum eſt iam ſi perpendantur ea, quæ in hac ſectione diximus. Almainus, verò in tractatu de voluntario cap. 1. aduertit, quòd ſi fiat ſermo de actibus liberis libertate contingentiæ, & non complacentiæ: actum liberè produci libertate contingentiæ affirmat, nihil aliud eſſe quàm actum illum ita produci à ſua cauſa, ſiue eſſe in poteſtate ſuæ cauſæ, quòd omnibus alijs poſitis, & præuijs, quæ neceſſariò requiruntur, vt illa cauſa producat, adhuc eſt in poteſtate illius cauſæ liberè illum actum producere. Et quis dicat efficacem Dei gratiam præuiam non requiri, vt voluntas producat actum conuerſionis ad Deum? Dubitari tamen poteſt ſicut dubitat Almainus, quid eſt illud præuium de neceſsitate requiſitum ad hoc, vt cauſa libera liberè producat actum ſuum, nimirum, vt Socrates producat actum dilectionis Platonis. In qua re Almainus dicit, nihil præuium de neceſsitate requiri, niſi cognitionem Platonis, præſertim ſub aliqua ratione boni. Nam cognitione illa ſuppoſita in poteſtate voluntatis eſt non diligere illum, atque adeò tunc talis dilectio dicitur liberè producta. Ex quo prædictus author infert ſimiliter, quòd libertas eſt facultas, qua ipſa potentia omnibus alijs poſitis præuijs, & requiſitis habet in poteſtate ſua agere, & non agere, & operatio producta à tali potentia dicitur liberè produci. Hanc verò libertatem contingentiæ vnuſquiſq; experitur in ſeipſo, præter quàm, quòd ex ſacris litteris comprobatur manifeſte.

Almainus.

Controuerſia de præuio influxu, & concurſu cum quibuſdam: & de libertate voluntatis.

VErum contra libertatem hanc Almainus inquit, quòd arguitur fortiſsimo argumento, quod fit in hac materia. Nã vt voluntas producat actum etiam liberum requiritur concurſus, & influxus Dei. Quia ſecunda cauſa non poteſt agere prima non concurrente, & influente, ſed ita eſt, quòd non eſt poſsibile Deum velle cooperari, & comproducere cum voluntate, & quòd voluntas non operetur, neque producat: alias aliquid fieret vel omitteretur contra voluntatem beneplaciti Dei: ergo poſitis omnibus, quæ neceſſariò requiruntur ad agendum, vt volũtas agat, & producat non eſt in poteſtate voluntatis, vt non agat aut non producat. Quod ſane argumentum antiquum eſt, & à Sancto Thom. propoſitum ſexcentis in locis. Pro quo quidem ſupponunt pleriq; , & cum eis Almainus loco citato, quòd cauſa prima non tantum eſt cauſa effectus producti à cauſa ſecunda, ſed etiam eſt cauſa, quòd cauſa ſecunda producat talem effectum. Nam, v.g. quando voluntas agit volitionem ſuam, non ſolùm Deus eſt cauſa ipſius volitionis, ſed etiam eſt cauſa cur voluntas illam volitionem producat. Sed Deum eſſe cauſam alicuius non eſt, niſi Deũ velle illud eſſe: igitur vt voluntas operetur, abſolutè, requiritur, quòd Deus velit illã agere, & conſequẽter apparet quòd voluntas tũc non libere agat.

Proponitur validum argumentum contra libertatem voluntatis.

Dionyſius Ciſtercien. in 2. diſt. 1. q. 1. ſenſit, quòd res dicitur liberè fieri quando omnibus præuijs neceſſariò requiſitis, vt producatur ab ipſa cauſa, poſitis, adhuc eſt in poteſtate ipſius non producere. Et conſequenter putat Dei concurſum non eſſe de præuijs, ſed de

Dionyſius Ciſtercien. concurſum Dei eſſe de concomitãtibus nõ de

præuijs existimant.

concomitantibus. Quia vt voluntas producat actum volendi, vel nolendi, præuia dispositio necessariò requisita est cognitio obiecti, simul cum obiecto ipso, & hæc est prior saltem natura productione voluntatis. Concursus verò Dei, siue Deum velle non est prior tempore productionis actus voluntatis, sed concomitans, & simul se habens, & per consequens non est ex præuijs necessario requisitis, sed ex simul se habētibus. Per hæc quæ dicta sunt Dionysius ille putat se dissoluere argumentū illud paulò antea factum, quod Almainus vocauit fortissimum. In qua re aduertere oportet, quod licèt Dionysius dixerit concursum Dei, qui est prima causa omnium esse de concomitanter requisitis, tamen non videtur negare prioritatem naturæ propter illa verba, quæ dicit, quod concursus Dei non est prior tempore productionis actus voluntatis, sed concomitans, & simul se habens. Si verò negaret prioritatem naturæ nunquam diceret, quòd non est prior tempore, sed absolutè repelleret prioritatem temporis, & naturæ. Sed nihilominus contra hoc fieri potest argumentum. Quòd voluntas non potest agere quidquam, quin Deus velit illam agere, seu actum producere: ergo Deus non tantum est causa actus producti à secunda causa, sed etiam est causa, quòd causa secunda sit causa talis effectus. Tunc vltra. Deus est causa quòd causa secunda sit causa talis effectus: ergo prius natura agit causa prima, saltem ad hoc, quod causa secunda agat: quam ipsa secunda causa operetur, & agat, & consequenter cum omnis causa sit prior suo effectu videtur, quòd concursus Dei sit prior natura, quàm concursus voluntatis. Hoc argumētum valde torsit Almainum.

Idem sensit Almainus de concursu Dei.

Dixit tamen, quòd Deum velle seu concurrere non est præuium, sed concomitans. Secundò dixit, quòd positis omnibus præuijs necessariò requisitis, quæ inquam, tenent se ex parte illius agentis, est in potestate illius producere, vel non producere actionem suam. In qua responsione non negat Almainus, Dei cōcursum esse requisitum, & necessarium, negat tamen esse præuium etiam prioritate naturæ, & fatetur esse concomitans, & simul se habens. Rursus dicit, quòd præuia necessariò requisita sunt illa, quæ se tenent ex parte ipsius agentis, & quòd illis positis est in potestate illius producere, vel non producere actum.

Quòd posito concursu Dei ad operādum sit de facto nō operari sentiunt quidam.

Alij Theologi dixerunt, quòd posito concursu Dei, quo Deus concurrit mecum ad loquendum possum non loqui, & quod de facto sæpe sæpius nō loquor. Suspicantur enim authores huius sententiæ concursum Dei semper esse applicatū eodem modo, siue loquar ego siue non loquar. Atque adeo quod sicut corpus cœleste semper est in actuali influxu, & motione cum his inferioribus concurrendo cum ipsis actualiter, sic pari ratione sentiūt Deum semper actu suppeditare motum, & concursum suum, quo concurrit cum his inferioribus causis, quamuis ipsæ non semper operentur, neque semper vtantur hoc diuino concursu, & influxu. Et hac ratione dicunt Deum nobiscum concurrere, sine vlla læsione libertatis, & non necessitare nos ad agendum. Verumtamen Almainus credidit, quod posito Dei concursu non potest homo non agere, & operari, & cum infertur: Ergo si non potest non operari, sequitur quod homo non operetur libere, negat consequentiam. Quia ad libertatem sufficit, & requiritur, quòd positis omnibus præuijs necessariò requisitis, ex parte agentis sit in potestate illius agere, vel non agere, seu in potestate voluntatis agere, & non agere. Et quando arguitur, Posito concursu Dei non potest homo non agere: ergo necessitatur ad agendum, Respondet negando consequentiam. Quia diuinus concursus actualis est de concomitantibus, & non de præuijs, & illo posito simul ponitur actio nostra, quia necessario se consequuntur, & cō comitantur.

Esse influxum Dei præuiū prioritate naturæ, probatur.

Vt res hæc explicetur à nobis, quidquid sit de prædictis modis dicendi, sentio dicendum esse Dei influxum, & concursum non solum esse requisitum ad operandum, quod non negat Almainus: sed etiam esse præuium prioritate naturæ, à qua, & non in qua, & multò magis hoc est dicendum in supernaturalibus, de auxilio actuali gratiæ Dei influente. Quod probo. Quia si Dei concursus etiam generalis non esset requisitus, & præuius ad agendum sequeretur, nunquam posse dari sufficientem numerum eorum, quæ prærequiruntur ad agendum, quibus positis voluntas agere, & non agere possit. Probatur sequela. Quoniā ante influxum, & concursum Dei voluntas creata agere non potest. Posito autem concursu Dei voluntas, vt Almainus dicit, necessariò agit: ergo nunquam dabitur sufficiens numerus prærequisitorum, quibus positis voluntas possit agere, & non agere. Secundò arguitur. Si Deus potenter cum modo necessario suo influxu omnino determinato, ad vnum sine modo libero necessitaret voluntatem concursu suo, tunc ille influxus, & concursus, vel est de præuijs, vel de concomitantibus. Si dicas esse de præuijs. Contra. Quia bene sequitur Deus mouet actu voluntatem suo influxu: ergo voluntas mouetur. Et aliàs certum est, quod posito huiusmodi influxu, & concursu Dei actuali necesse est actionem voluntatis sequi: ergo mutuò se consequuntur, & concomitantur: igitur concursus ille non est de præuijs, sed de concomitantibus, si rationes Almaini aliquid ostendunt. Si verò dicas influxum, & concursum illum esse concomitantem, tunc sequitur, quòd voluntas adhuc liberè agit. Quoniam ei conuenit definitio libertatis, quam ipse Almainus constituit. Nā positis omnibus præuijs ad agendum voluntas potest non agere, quia non necessitatur, nisi à concursu concomitante: & hoc non

impedit

Motus, & concursus, quo quis lapidem mouet, est de præuijs.

impedit libertatem, vt ipse dicit. Tertiò. Quando ego moueo lapidem, & proijcio ipsum, tunc, vel motus, & concursus, quo lapidem moueo, est de præuijs, vel de concomitantibus. Si de præuijs, cur etiam Dei concursus non erit de præuijs. Nam influxus, & concursus meus ad motum lapidis non est prior concursu Dei. Si autem dicas influxum illum, & concursum meum esse præcise concomitantem: ergo non necessitatur ad motum lapis ipse. Imo verò mouetur libere, si consulta tur definitio tradita à prædictis authoribus. Quoniam si necessitatur ad motum lapis, hoc erit à meo concursu, & influxu. At ille secundum hos authores non est de præuijs, sed de concomitantibus. Positis verò solis præuijs lapis potest non moueri: inter præuia autem non ponitur meus concursus, neque Dei, vt ipsi sentiunt. Male igitur Almainus cum suis putat Dei concursum non esse numerandum inter præuia, & requisita ad agendum.

Almaini sententia falsa, & contra S. Tho. & alios.

Quod verò dicunt nonnulli cum Almaino, & Ocham, quòd posito concursu diuino voluntas necessario mouetur, & quòd non potest non agere, id quidem falsissimum est, & nulla ratione ferendum estque contra Sanctum Thomam, Scotum, & Gregorium, vt alibi citauimus. Nam si hoc esset verum sequeretur, quòd voluntas nunquam operaretur, neque ageret liberè. Cuius rei fundamentum esse potest. Quia sine Dei influxu, & concursu voluntas non potest quidquam agere. Et rursus posito Dei concursu agit necessariò, vt isti dicunt: ergo nunquam liberè agit. Aliud enim est dicere. Omne quòd est quando est, necesse est esse, & aliud. Omne quod operatur, quando operatur necessariò operatur. Nam hoc secundum est falsum, quia voluntas quando operatur etiam liberè operatur; primū autē est verum in sensu quo Arist. illud dixit, & ex quadā suppositione, de qua inferiùs aliqua dicemus. Præterea ad hoc, vt voluntas necessitetur in suo opere satis est illam mouere tali modo, vt non possit non agere. Sed quando Deus mouet voluntatem creatam, ita mouet illam in re, suo concursu concomitante, vt non possit actu non agere, vt putant aduersarij: ergo semper necessitaret Deus voluntatem posito concursu, & influxu concomitante, quod nulla ratione dici potest. Præterea etiam, quia si posito concursu Dei voluntas non potest non agere, pari modo posita volitione Dei ab æterno, qua voluit me loqui, vel conteri, non possum non loqui, aut nō conteri. Quia sicut Dei motio efficax est, ita & Dei voluntas. Nam omnia quęcumque Deus voluit, fecit, & tunc non potest Almainus dicere esse de concomitantibus solùm, cum manifestè sit de præuijs. Potestque confici hoc argumentum sub hac forma. Prius Deus voluit me loqui, & conuerti, quàm quòd ego loquar, & conuertar. Voluit enim Deus hæc ab æterno. Sed hoc non tollit libertatem, neque lædit illam, quòminus ego liberè loquar, & conuertar. Nam posita volitione illa possum ego loqui, aut non loqui: igitur quāuis ille concursus, & influxus dicatur esse præuius ad loquendum, vel conterendum, non lædit libertatem.

Voluntas semper necessitaretur à Deo in sententia Almaini.

Vel conficiatur argumentum hoc modo. Si posito præuio concursu, & influxu non essem liber ad agendum, vt aliqui existimant, quia præuius concursus non est in potestate mea: ergo neque etiam posito concursu, & influxu concomitante sum liber. Patet consequentia. Quia neque auxilium illud cōcomitans est in potestate mea, & illo posito, scilicet, concomitante, non possum non agere, vt ipsi dicunt: ergo rationes aduersariorum, & argumenta æqualiter militant contra eosdem aduersarios, & contra Almainum etiam. Vndè perpende, quòd si ponatur aliquid quo stante, voluntas necessitetur, ita vt illud, quod ponitur non sit in nostra potestate, nihil refert vtrùm illud sit præuium, vel concomitans. Quia si voluntas necessitatur nihil refert, an necessitetur à præuio, vel concomitante. Et ita argumenta quæ solent adduci ab aduersarijs, imò verò fundamenta, & solutiones non habent minorem difficultatem in sua sententia, quàm ipsi putant habere sua in nostra sententia.

P. Victoria & Soto.

Iam ergo ex superioribus diligenter perpensis duo constare possunt. Primum est Dei concursum esse de præuijs, & hanc esse expressam sententiam S. Thomæ, & oppositum dixit Victoria esse fabulosum, & quasi per irrisionem, vt ille dicit. Vnde inuenerunt, nimirum authores oppositæ sententiæ, quod iudicium est de præuijs, & non concursus, & influxus Dei? Idem Soto 1. de natura, & gratia, cap. 16. Dicit etiam quòd stante concursu Dei ego possum agere, & non agere, & vtitur distinctione communi de sensu composito, dicens Deo concurrente actu, ego non possum non agere, sed in sensu diuiso possum agere, & possum non agere. Et subiungit, tātam esse libertatem in me stante concursu Dei, sicut est in ipso Deo ad creandum, & non creandum quando creat. Et ex hoc infert errare eos, qui putant concursum Dei quando est necessitare voluntatem. Authores enim contrariæ sententiæ putauerunt, quòd posito concursu præuio antecedenter, ad consensum voluntatis, imò verò stante actuali concursu simultaneo, quòd Deus nesciebat concurrere sine hoc quòd me necessitaret. Verumtamen hoc ipsi nescierunt, Deus tamen scit, & scit illud facere. Ita docuit olim Victoria super primam partem D. Thom. quæst. 83. de libero arbitrio art. 1. Verba enim quæ retulimus sunt ipsius Victoriæ, qui etiam affirmat hanc esse sententiam Diui Tho.

Dubium appendix, & annexum.

De potentia absoluta, Deo mecum concurrente ad operandũ, posse me non operari, vt probabile sẽ sit Victoria, sed contrariũ probabilius.

AN verò in sensu composito stet, quòd Deus moueat me, & quòd non faciam, neque mouear ad faciendum, & operandum dubitari potest. In qua re fuit opinio quorundam, quòd potest Deus de potentia absoluta facere, quòd concurrente ipso mecum ad dilectionem ipsius non sequatur dilectio illa in me. Hoc dixit Victoria loco citato esse probabile, sed esse nouũ, & ingeniosum, & quòd de facto est probabile ita esse, quòd posito concursu Dei ad aliquid, fieri potest, quòd nõ sequatur opus illud. Quia eodem concursu omnino, inquit Deum concurrere, ad quemcumque actum, & quòd vnus vtitur eo, alius non. Verumtamen, secundò dicit Victoria multò rationabilius, & probabilius esse oppositum, quòd non potest poni concursus Dei, & quod creatura non agat, in sensu inquam composito. Quamuis in sensu diuiso possit creatura non agere. Semper tamen sentiendum est creaturam etiam tunc operari liberè.

Dei motio duplex respectu voluntatis.

Nouiores Theologi etiam sentiunt, quòd posita Dei motione adhuc potest voluntas non operari illum actum, propter quem datur talis motio. Quia cum motio illa, sit ex prærequisitis conditionibus, ad actum liberum, nisi relinqueret illam potestatem expeditam, tolleret vsum liberum. Quia determinaret potentiam, ad vnum omnino. Quam rem, vt intelligas, aduerte Dei motionem dupliciter posse intelligi respectu voluntatis creatæ. Primò, quòd sit antecedens actualem concursum, ad actum voluntatis. Secundò quòd sit motio consistens in ipso concursu actuali: primum genus motionis continetur, sub conditionibus requisitis ad actum, & operationem, antecedenter quidem, & per modum principij, seu actus primi. Quæ tamen motio aliquando fieri solet per actum vitalem, qui licet sit actus secundus respectu potentiæ, in qua est, tamen respectu alterius actus propter quem datur illa motio comparatur, per modum principij, & hac ratione dicitur esse per modum actus primi. Nam iudicium de aliquo bono agendo est principium actus voluntatis, quo amatur tale bonum: & quamuis in intellectu, sit actus secundus tamen respectu voluntatis comparatur, vt primus, & idem est de similibus alijs actibus. Secunda autem motio dicitur esse concursus Dei, & influxus eius, qui intimè etiam includitur in actione creaturæ. Et est intrinsecè necessaria ad actionem illam. Quæ motio cõputatur inter requisita, ad actum, concomitãter solum ab aduersarijs. Nos verò motionem illam volumus etiam esse prævium. De motione autem prima Concilium Tridentinum, loquens de operibus gratiæ, quamuis illa sit prę uia dixit, quod etiam illa posita adhuc est in potestate voluntatis non consentire, neque hoc est contra efficaciam diuinæ motionis, tum, quia id non prouenit ex impotentia, sed ex sapientia, prouidentia, & voluntate ipsius primi agẽtis, & motoris, tum etiam, quia quãdo ipse vult, etiam facit efficaciter, vt voluntas infallibiliter consentiat, licèt possit non consentire. At verò perse, & absolutè non repugnat stante hanc motione voluntatem non moueri illo actu suo, atque motu libero, propter quem talis motio data est. Sed aperire possemus magis rem hanc, nisi res hæc alium postularet locum: de qua fusè dicemus in speciali controuersia.

Mouere, & moueri sũt correlatiua si secundum debitam correspondẽtiã accipiãtur.

Aduersarij censent, quòd mouere, & moueri non sunt correlatiua, quando motio mouẽtis comparatur ad alium actum, vt principiũ eius, & non vt via ad terminum, sicut, v.g. cũ Deus mouet voluntatem tangendo eam, & inspirando, tunc inquam tactus ille, qui est ad actum conuersionis, si referatur ad ipsum actũ sic mouere, & moueri non sunt correlatiua. Quia tactus, & motio illa cõparatur, vt principium eius, & non comparatur, vt via ad terminum. Sed profectò hoc satis obscurè, & cõfusè dicitur. Nam mouere, & moueri sine dubio sunt relatiua, debent tamen accipi secundum debitam correspondentiam, & adæquationem. Nam hoc modo plane docuit Diuus Augustinus hominẽ, qui sic mouetur à Deo, non posse non sentire motionem. Vndè etiã fit vt si Deus moueat efficaciter voluntatem, ad actum conuersionis in seipso sentiat motionem illam. Quòd verò homo possit non consentire, quia liberè recipit motionem illã, aut efficacem Dei gratiam, ad modum recipientis, nõ tollit respectum illum, & correspondentiam, quæ est inter mouere, & moueri. Imo verò quotiescumque Deus sua gratia actuali, & efficaci mouet voluntatem etiam per modum principij, hoc est comparando Dei gratiam actualem, ad actum conuersionis tanquam eius principium, & tanquam via ad suum terminum: cum inquam hæc actualis gratia, seu motio non solum consideretur, vt præuia natura tantum, non quidem prioritate in qua, nec prioritate instantis naturæ, aut temporis, sed prioritate, à qua cum vera dependentia à Deo inchoante, & incipiente: sed etiam consideratur simul concomitanter, sic mouere, & moueri sunt correlatiua. Et nõ stante simul stante hac diuina motione qualem nunc diximus, quòd voluntas suo actu, & motu libero non moueatur. Vndè fit, quòd si sumeremus solum motionem inspirantem, aut tangentem, & primò præuenientem cor hominis, tunc eius correlatiuũ actuale esset quidem, id quod D. August. dixit, quòd si mouetur sic homo, non posset non sentire motionem illam, posset tamen non consentire. Vndè correlatiuum actuale huius motionis non esset tunc consensus liber, qui in actu conuersionis ipsius peccatoris consistit.

Correlatiuum actuale motionis Dei non est necessariũ quòd sit ipsa cõuersio actualis, sed potest esse aliud.

Corol. 1. Ex quo patet, quòd si sit sermo de diuina motione, quæ est concursus Dei, & influxus non stat in sensu composito, quod sit talis concursus, & influxus in actionem voluntatis, & in ipsam voluntatem, & quòd voluntas non cooperetur tunc, quia propositiones illæ de inesse sunt incõpossibiles interse, nimirum, quòd Deus suo concursu, & influxu influat in actionem, & in voluntatem, & quòd ipsa voluntas non operetur, & moueatur actione sua, quamuis tunc vere, & de facto voluntas vtatur potestate libertatis suæ. Quocirca Staplet. Stapletonus lib. 4. de gratia, & libero arbitrio pag. 96. in fine dixit notandum esse, & perpendendum aliud esse quærere, vtrum voluntas adiuta à Deo gratiam de facto repudiet. Aliud verò, an repudiare possit. Nam ob id affirmat se concessisse gratiæ adiuuanti à voluntate non resisti, sed resisti posse si velit, sicuti Con. Trid. etiam Concil. Triden. solerter loquitur sess. 6. can. 4. Quod certum, & verum est. Quamuis, (inquit Stapletonus) nunquam propter gratiæ efficaciam resistat. Adducit ad rem hanc explicandam exemplum de confirmatis in gratia in hac vita, vt de beata Virgine, & Apostolis, qui post confirmationem non peccauerunt, peccare tamen potuerunt, ideoque peccatum liberè vitabãt. De hac gratia actuali, & efficaci, seu de infallibilitate efficacis gratiæ, & non de necessitate, intelligenda sunt testimonia Augustini, de correptione, & gratia D. Augus. cap. 14. *Volenti saluum facere, nullum hominum resistit arbitrium.* Et rursus illud. *Non est dubitandum voluntati Dei voluntates humanas non resistere, quominus faciat ipse quod vult. Quia etiã de ipsis voluntatibus hominum quod vult, cũ vult facit.* Sic ergo efficacia, certitudo, vel infallibilitas efficacissimæ gratiæ non tollit libertatẽ suscipientis illam gratiam, neque possibilitatem resistendi illi gratiæ.

Corol. 2. *Actus liberi nostri à Deo procedunt immediate immediatione virtutis, et suppositi.* Secundum, quod constare potest ex dictis est, actus liberos voluntatis nostræ, non solũ à voluntate nostra, sed etiam ab ipso Deo immediatè manare, ac pendêre in suo esse, & fieri, imò verò à Deo non tantum immediatione virtutis, sed etiam immediatione suppositi. Nam virtus agendi in Deo non distinguitur à substantia eius, & suppositio, ac proinde ipsa est etiam immediatum agens influens, in omnem actum, & actionem voluntatis, & in omnem secundam causam sibi subordinatam in agendo, & causando, & ita Deus dicitur agere immediatione suppositi. Est enim Deus suppositum à quo, & à virtute in eo existente fluit immediatè etiam actio voluntatis nostræ. Et non requiritur exclusio alterius suppositi, secundi immediatè, etiam agentis, & operantis, sicut nõ excluditur alia virtus proximè, & immediatè agens, & influens. Vndè fit, quòd tam virtus diuina, quàm substantia seu suppositum per seipsum proximè, & immediatè influit, & intimè est præsens, & coniungitur omni causæ secundæ, quæ sibi subordinatur, & eam subordinat, & omni actioni creatæ, etiam si sit actio libera voluntatis. Hanc existimo etiam esse sententiam Diui Thomæ locis superius à me citatis, & 1. p. q. 105. art. 5. & lib. 3. contra gentes cap. 70. & in 1. distinct. 37. quæst. 1. art. 1. & de potentia quæst. 3. art. 7. Igitur Deus non tantùm concurrit, ad voluntatis actus dando voluntati virtutem agendi, & conseruando illam, sed etiam propriè, & perse dando esse ipsi operationi voluntatis. Et præterea in ipsa actuali causatione voluntatis influẽdo in ipsam. Sed nihil est aliud immediatè agere in aliquid, nisi directe, & perse influere in illud: ergo Deus influit immediatè, in opera voluntatis nostræ libera, & in voluntatem ipsam. Nam si ratio dependentiæ in suo esse est æqualis in effectu, & in causa, aut vna eademque dependentia: ergo cum causa secunda præter rationem essendi vlteriùs habeat causare, & agere cum actuali effectione operationis, & actionis suæ, & sui effectus sequitur, quòd secunda causa præter dependentiam in ratione essendi adhuc habet aliam dependentiam in ratione causandi, & agendi actu, &c.

D. Thom.

Tertium possumus colligere ex his omnibus, quæ dicta sunt, nimirum, quòd si fiat sermo de concursu Dei, quo Deus concurrit, cum voluntate ad agendum tunc in definitione libertatis, quando dicimus liberum esse, quòd positis omnibus requisitis, ad agendum potest agere, & non agere, definitio liberi supponit Dei concursum inter prærequisita illa antecedenter. Et non solum Dei concursus dicitur prærequisitus prætuiè prioritate à qua naturæ tantum, & non in qua, sed etiam simul, dicitur concomitans in toto discursu durationis ipsius actionis, & operis à principio, vsque in finem præcundo, & concomitando, (vt dixit Diuus Prosper) à principio, vsque in finem. Vndè fatemur posito huiusmodi concursu Dei, seu motione, etiam in supernaturalibus, nunquam stare, quòd voluntas non moueatur, quamuis liberè agat, & operetur. Propositiones enim contradictoriæ, de inesse non possunt stare, simul negatiuè, cum illo concursu Dei. Quia supponitur voluntas stante concursu illo sub actione, & operatione sua, non tamen sine libera determinatione sua. Hac ratione pressi aduersarij nostri non potuerunt negare verè conuenire huic difficultati, & puncto distinctionem illam, de sensu composito, & diuiso. Nam posita huiusmodi motione, aut posito huiusmodi concursu, in sensu composito non stat, quod voluntas non operetur. Quia supponitur constituta sub actione sua, & iam agens. Quod sanè non repugnat libertati. Quoniam in ipsa suppositione includitur, & supponitur vsus libertatis, de quo dicitur, sicut de alijs rebus, quòd quando est, necesse, est esse, quamuis absolutè, & simpliciter, quod dicitur in sensu diuiso, posit non

Corol. 3.

Concursus Dei est prætuius prioritate à qua, non in qua, & est simul concomitãs in toto discursu durationis ipsius actionis.

esse.

esse. Perpendere tamen conuenit in hac re, quòd cõcursus Dei, & influxus eius nõ dicitur esse proprie & vere ipsa actio, quæ est effectus ipsius influxus & concursus diuini. Nam actio non minus est effectus Dei, quàm ipsius voluntatis agentis & influentis, & certè Deus influit in actionem, ergo actio est effectus diuini influxus, ac proinde ipse habet rationem principij respectu eius. Cum quo tamen stat & stare potest, quòd eadẽ actio quæ fit à Deo & quæ includit Dei influxum sumatur à Deo vt auxilium, & instrumentum Spiritus sancti ad actiones alias diuinas, & supernaturales, vt euenit in supernaturalibus actionibus, in quibus solet Deus assumere vnam tanquam auxilium, & instrumentum Spiritus sancti ad alias actiones diuinas, quas intendit Deus ipse. Et quamuis hæc dixerimus ne ieiunè & aride transigeremus difficultatem tertij argumenti citati, tamen res hæc postulat grauiorem disputationem inferiùs à nobis tractandam.

Concursus Dei nõ est vere & proprie ipsa actio, quæ est effectus ipsius influxus.

Solutio ad 4. principale argum.

Ad quartum argumentum in ordine, positum quidem in primo discursu huius longissimæ controuersiæ, quamuis ex superiùs dictis constare posset solutio eius, aduerte tamen, quòd voluntas in qualibet libera operatione, & ad quodcumque temporis momentum deueniat, antecedit suum actum prioritate naturæ, sicut quæcumque causa præcedit suum effectum. Quoniam prius natura est voluntatem esse in quocumque temporis pũcto, quàm quòd in eodẽ ab ipsa actus emanet, quæ prioritas habet verum fundamentum in re. Cum igitur voluntas suapte natura sit causa libera, in cuius potestate est velle, aut nolle &c. in quocumque temporis momento & pũcto existat, in eo priori eiusdem pũcti, in quo cum fundamento in re voluntas concipitur vt ordine naturæ antecedens suum actum, in facultate ipsius est vel nihil agere, vel volitionem alicuius aut nolitionem pro vt maluerit eligere. Quocirca voluntas, cum prius natura sit in quocumque instanti, quàm in eo eliciat actũ, prius in eo est libera vt ipsum eliciat, vel non eliciat, quàm quòd actu eliciat. Ex quo sequitur, quòd voluntas ad quodcumque temporis momentum deueniat, priùs natura quàm se determinet pro sua libertate ad aliquod prædictorum potestatem habeat & facultatem, non sane ad volendum & non volendum vnum & idem obiectum simul in eodem puncto, sed facultatem vt indifferenter velit, aut nolit pro illo priori, vel vt ab omnibus illis cesset. Vnde posterius natura ad vnum illorum libere se determinat.

Circa actus tam naturales, quàm supernaturales, prius natura, quã ad illos voluntas se determinet, habet facultatem vt indifferenter velit, aut nolit pro illo priori operari, vel nõ operari.

Adde etiam voluntatem humanam non tantum comparatione actuum sibi connaturalium, qui naturæ limites non excedunt suapte natura esse liberam. Quia in libertate eius est eos actus exercere, vel non exercere, vel circa idem obiectum indifferenter habere actum volendi, aut nolendi, vt maluerit: sed etiam voluntatem esse liberam circa actus supernaturales conuersionis, aut pœnitẽtiæ aut fidei, qui quamuis sine Dei auxilio esse non possint, tamen volũtas ita libera est, quòd supposito auxilio Dei in ea, in libertate seu potestate libera ipsius est cooperari, aut non cooperari, ac proinde huiusmodi actus supernaturales liberi, sicut à Deo pendent, & à sua gratia à supernaturalique auxilio, vt sint, sic etiam pendent à concursu voluntatis libero, voluntatis inquam iam eleuatæ à forma & auxilio supernaturali, & ex vi eius influente in supernaturalem actionem. Quo fit, vt voluntas non tantùm sit libera in actionibus commensuratis, sed etiam in supernaturalibus actionibus, quas ex Dei gratia elicit.

Quid moderni dicant: eorumque impugnatio.

His Ita prælibatis recẽtes nonnulli Theologi dicunt, quòd voluntas in instanti, quo vult & operatur, non potest non velle. Quia posito cõcursu Dei non potest voluntas non moueri, & nihilominus affirmant, quòd licet voluntas non possit non moueri stãte illo cõcursu, quòd habet vsum actualẽ libertatis, & quòd voluntatẽ non posse non moueri, & nõ posse nõ operari tunc, id quidẽ non repugnat vsui libertatis ex eo quòd motio illa cõcursus nõ est ex cõditionibus prærequisitis ad actũ, sed essentialiter inclusa in ipsamet actione volũtatis. Hoc dicũt hodie aduersarij nostri.

Impugnatio aduersariorum.

Sed profectò, si rectè inspiciatur hic modus dicendi, videtur lædere libertatem. Quoniam hæc duo difficiliter conciliantur, nimirum, quòd voluntas creata in instãti, quo operatur nõ possit non operari, seu quo necessario operatur, & quòd nihilominus in eodẽ instãti libere operatur: ita vt, nõ posse volũtatẽ nõ agere aut nõ moueri ad agẽdũ nõ repugnet vsui libertatis. Sed certe si volũtas quãdo vult, liberè vult, vt certò credimus, ex hoc apertè sequitur, quòd potest nõ velle, & potest non agere & nõ moueri. Nã si voluntas nõ potest non moueri ad opus aliquod, quomodo stat, quòd libere moueatur, aut quòd libere agit. Quia hoc quod est vti libertate est ita agere, vt possit nõ agere, & est posse volũtatẽ nõ moueri, quod isti negãt de volũtate libere agente, de qua dicũt, quòd nõ potest nõ agere & moueri posito cõcursu Dei: cũ tamẽ verissimum aliàs sit, quòd etiã posito Dei concursu, si voluntas libere agit, vt ex fide credimus, quòd etiã posito illo cõcursu possit nõ moueri. Quia rogo de huiusmodi motione, & cõcursu Dei ad agẽdum, vtrùm stante illo etiam in sensu composito, an voluntas liberè operetur. Quia si in sensu composito non operatur libere, nunquã operabitur libere, quia semper quãdo operãtur ponitur actu motio illa seu cõcursus Dei: ergo

Si voluntas in ſenſu compoſito nõ operatur liberè nunquam liberè operabitur.

ſi poſita huiuſmodi motione non poteſt voluntas non operari, & illa eſt neceſſariò requiſita ad actionem, à qua eſſentialiter & per ſe pendet actio voluntatis, ſequitur, quòd non agit libere, alias tunc poſſet non operari, quod negant authores oppoſitæ ſententiæ.

Huic argumento prædicti authores volunt ſatisfacere adhuc per diſtinctionem illam de ſenſu compoſito, & diuiſo. Quia poſita hac motione in ſenſu compoſito non poteſt voluntas non operari, quia iam ſupponitur operans ipſa voluntas. Vnde id non repugnat libertati. Quia in ipſamet ſuppoſitione, includitur iam & ſupponitur vſus libertatis, de quo ſicut de qualibet alia re vere dicitur, quando eſt neceſſariò eſſe, licet ſimpliciter & abſolute, quod dicitur in ſenſu diuiſo, poſſet nõ eſſe. Hæc recens Theologus quidam ex aduerſarijs reſpondet ſecutus Almaynum in moralibus cap. 1. & 2. qui ad libertatem inquit, ſufficit & requiritur, quòd poſitis præuijs neceſſario requiſitis ad agendum ſit in poteſtate eius agere & non agere. Et quando arguitur: poſito concurſu Dei voluntas non poteſt non agere, ergo neceſsitatur ad agendum, Reſpondet negando conſequentiam. Aſſignat rationem: quia diuinus concurſus non eſt de præuijs, ſed de concomitantibus, poſito namque concurſu Dei neceſſe eſt poni actionem noſtram: quia Dei concurſus & actio noſtra neceſſariò ſe conſequuntur & concomitantur.

Ruardus Taper, oppoſito modo ſenſit.

Ruardus Tapper Decanus Louaniẽſis artic. 7. de libero arbitrio oppoſitum modum dicendi habet, affirmans liberum arbitrium eſſe facultatem, qua poſitis requiſitis omnibus ad eligendum & agendum poſſumus non eligere & non agere, ita videlicet, quòd omnibus ſimiliter ſe habentibus, quando eligimus poſsimus non eligere, imò plerumque refutare, & quando non eligimus aut refutamus eligere poſsimus & refutare, à qua facultate cauſa aliqua dicitur libera, & agens liberum. Et cauſa naturalis eſt, quæ neceſſariò agit omnibus prærequiſitis poſitis, nec poteſt non agere. Senſit igitur quòd liberum arbitrium quando agit, ita liberè agit, quòd poſsit non agere, & eſſe falſum dicere, quòd ſtante concurſu requiſito ad agendum non poſsit voluntas non agere & non operari. Quod autem falſo loquantur aduerſarij oſtendo: quia videntur facere liberum arbitrium cauſam naturalem & non liberam: quod hac ratione oſtenditur. Cauſa naturalis eſt, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum non poteſt non agere, ac proinde neceſſariò agit. Sed ex ſententia aduerſariorum voluntas hominis poſito cõcurſu Dei ad agendum non poteſt non operari. Hoc autem repugnat vſui libertatis, qui tunc debet eſſe liber cum poteſtate operandi, & non operandi: ergo nunquam debet concedi aut admitti iſte modus loquendi, quòd poſito concurſu Dei ad agendum non poteſt voluntas libere non operari, aliàs ſequitur voluntatem non liberè agere, & eſſe cauſam mere naturalem, quę ſimiliter poſitis omnibus requiſitis ad agendum non poteſt non agere, ac proinde non habet vſum, niſi neceſſarium & determinatum à natura, in tali caſu.

Rurſus valde decipiuntur aduerſarij noſtri in eo, quòd putant huiuſmodi concurſum Dei non eſſe annumerandum inter prærequiſita & præuia, vt in ſolutione tertij argumenti oſtendimus. Nam concurſus diuinæ cauſalitatis eſt vera cauſa noſtræ volitionis: ergo prærequiritur ad volitionem noſtram. Omnis enim cauſa eſt præuia, & prærequiritur ad effectum. Ex hoc autem, quòd concurſus Dei ſit cauſa volitionis noſtræ non aufertur libertas noſtrarum actionum: ergo nunquam eſt dicendum, quòd poſito concurſu illo non poteſt voluntas non operari. Quia hoc eſt proprium cauſarum naturalium, quæ ſunt determinatæ à natura, & non cauſarum liberarum: quæ cum agunt ſolùm determinantur determinatione libera.

Almaynus Gabriel. Concluſio.

Vnde malè Almaynus & moderni, qui eũm ſequuntur conſentientes Gabrieli & OKamo putant, quòd voluntas quando vult & operatur, non poteſt non operari. Quia videntur approbare Ocham, quodlib. 1. quæſt. 16. & Gabrielem in 1. diſtinct. 38. quæſt. vnica, & in ſecundo diſtinct. 25. quæſt. vnica, qui ſenſerunt non eſſe in nobis maiorem libertatem erga tempus præſens, quàm erga tempus præteritum. Et quòd ob id pro tempore aut momento, quo voluntas operatur, & vult, neceſſariò vult, & non liberè, quia non poteſt non velle & non operari, ac proinde quòd poſito illo concurſu neceſſariò mouetur, quia non poteſt voluntas non agere & non operari.

Authoris placitum contra quoſdam.

Volũtas pro eo etiam tempore quo operatur, niſi alias neceſſitetur à Deo liberè agit, & poteſt non operari.

Dico Igitur, quòd voluntas niſi aliàs neceſsitetur à Deo, ita vt non poſsit non agere, aut niſi auferatur ab homine vſus rationis omnino: etiam pro eo tempore & momento, quo ipſa operatur, & vult, liberè agit, & operatur, & vult, & poteſt non velle, quia non neceſſariò vult, & conſequenter nunquam eſt dicendum, quòd voluntas non poteſt non operari poſito Dei concurſu. Hic enim ſemper ſupponitur etiam cum voluntas libere operatur & agit. Quare non eſt ferenda ſententia Ochami, & Gabrielis, qua ſentiunt non eſſe in nobis maiorem libertatẽ erga tempus præſens, quàm erga tempus præteritum, aut quòd voluntas quo tempore vult & operatur neceſſariò vult & non liberè. Videant & intelligant aduerſarij noſtri quàm parum diſtent ab iſto modo dicendi. Hæc aſſertio eſt Ruardi Decani Louanienſis

mensis loco citato, vbi interrogat vtrũ posito Dei cõcursu, sine quo neq; agere neq; eligere possumus, possimus nihilominus non agere, & non eligere. Cui difficultati respondet, quòd ad Dei prouidentiam pertinet seruare, & non corrumpere rerum naturas, & quòd ob id omnia mouet secundum eorum conditionem, causas naturales, vt per diuinam motionem ex necessitate consequantur effectus, & causas liberas, atque ad vtrumque contingentes, vt ex eis sequantur effectus contingenter: propter quod Deus liberum arbitrium sic mouet vt non ex necessitate moueatur, neque ad vnum ipsum determinet, quod intelligit de determinatione necessaria, qua mouet etiam bruta, nunquam enim cùm volũtas libere agit mouet eam, ceu brutam pecudem. Et subiungit Ruardus, quòd Deus ita mouet liberum arbitrium, vt remaneat motus eius contingens, & non fiat necessarius. Et iterum: Eo momento, quo voluntas ad aliquid mouetur, potest cõtrarium velle, posita tamen hac motione, & concursu Dei, quo vult nos velle & agere, volemus, & agemus. Hactenus Ruardus. Quem modum dicendi accepit ex S. Thom. 1. 2. q. 10. art. 4. & 1. p. q. 83. de libero arbitrio. Hanc eãdem assertionem tenet Bartholomeus Medina 1. 2. q. 10. art. 4. & nos eam tradidimus 1. p. q. 14. art. 13. disp. 3. Idem etiam sensit Stapletonus locis citatis Antonius Cordubensis, in quæstionibus Theologicis quæst. 55.

Ruardus. Tapper. S. Thom. Medina. Stapleton.

Quod ergo dicunt authores oppositæ sententiæ, quod posito Dei concursu non potest voluntas non agere, aut quòd tunc necessario mouetur, id quidem minimè probatur mihi. Quia in modo loquendi non est apta locutio cum libertate voluntatis, & cum potestate eius libera faciendi vel non faciendi, seu agendi & non agendi, neque cum libero vsu eius. Quod probo: Quia ex hoc modo dicendi, & loquendi apertè sequitur voluntatem nunquam libere agere, nequé operari. Nam absque concursu Dei non potest quidquam velle aut agere. Posito autem concursu diuino & influxu eius nõ potest nõ agere vt aduersarij sentiunt. Imò vero necessariò agit & operatur. Quoniam semper quando adest concursus Dei, adest etiam operatio voluntatis, & vnum ab alio separari non potest: ergo voluntas nunquam liberè agit. Et confirmari hoc potest. Nam tunc necessitatur voluntas in opere quod exercet, quando ita operatur, & agit, quòd non potest non operari, & non agere: sed posito tali concursu ex sententia istorum voluntas non potest non operari & non agere: ergo quando operatur semper necessitatur ad agendum.

Secundum oppositã sententiam de medio tollitur meritũ.

Moueor etiam. Quoniam si voluntas quando vult non potest non velle & ob id necessariò vult, aut nunquam liberè vult: pari ratione sequitur, quòd nunquam meretur coram Deo. Nam voluntas non meretur quando actu operatur. Quia, iuxta Gabrielem, & Ocham, & alios eiusdem classis nouos Theologos, quando voluntas operatur non potest non operari, ac proinde necessariò, & non libere operatur, necessarijs vero nec meremur nec demeremur: nec rursus meremur quando nihil agimus. Quia nullo existente opere nullum est meritum operis: ergo &c.

Sequitur etiam ex modo loquendi istorum, quod si homo quando vult in instanti præsenti, non potest non velle, & necessariò vult, quòd pari ratione Deus quando vult, non potest nõ velle, ac proinde quod necessario vult, & consequenter sequitur, quòd quando creabat mundum necessariò creabat. Quocirca aliud est dicere, quòd voluntas posito Dei concursu non potest non agere, aut quòd non est in potestate eius non agere. Et aliud est dicere non esse possibilem hanc copulatiuam: Deus actu concurrit mecum, & mouet meam voluntatem ad operandum & mea voluntas de facto non operatur, neque mouetur. Nam prima propositio est falsa. Quia si stante diuino concursu quando voluntas operatur, non potest non operari, sequitur, quòd nõ liberè operatur. Quia de ratione operantis liberè est, quod possit operari & non operari: ergo si tũc non potest non operari, sequitur quod tunc non agit, neque operatur liberè. Secunda autem propositio est vera, nimirum, hæc copulatiua, quòd non stat Deum actu concurrere mecum ad volendum, & quòd mea voluntas non moueatur, aut non velit. Quia illa motio diuina, seu influxus Dei, includitur intrinsece in ipsamet actione voluntatis, & à tali motione & influxu Dei pẽdet per se & intrinsece actio secundæ causæ & ipsius volũtatis. Optimè tamen dicemus hanc alteram copulatiuam esse veram. Deus actu mecum concurrit ad volendum, vel loquendum, & ego possum non velle, & non loqui. Cuius rei causa est illa cõmunis & antiqua, quam Prisci Theologi tradiderunt ex Sanctissimo Præceptore. Quia Deus concurrit cum causis secundis, non quidem destruendo earum naturas, sed perficiendo, accommodandose, & attemperando influxum suum. Falsum igitur est quòd posito Dei concursu voluntas non potest non agere, hoc enim omnino negandum est. Quia vt ostendimus quando adest concursus Dei possum non agere & non operari: quia libere operor. Nã certe Deus non mouet voluntatem liberam sicut impetus sagittam, neque vt mens nostra mouet membra exteriora, aut sicut nos mouet ille, qui trahit nos rapiendo potenter membra nostra, sed mouet nos cum modo libero suauiter pro nobis, & fortiter pro se, & cum vsu rationis, collationis, & conferentię, cum ordine ad indifferentiam medij ad finem, & cum potestate proportionata huic indifferentiæ mediorum, & iudicij. Solent aliquando Theologi adducere distinctionem de sensu composito, & diuiso, sicut

Deum necessariò mũdum creasse infertur ex opposito.

Non mouet Deus liberam voluntatem sicut impetus sagittã.

nos ſupra eam adduximus, ſed non eo modo, quo à citatis authoribus explicatur. Nam falſum eſt dicere propoſitionem illam eſſe veram in ſenſu compoſito, nimirum, quòd poſito concurſu diuino voluntas neceſſariò agit, aut quòd non poteſt non agere: quia ſi non poteſt non agere: ergo non liberè agit, ſiquidem non habet poteſtatem non agendi in actu, & tamen illi dicunt in ſenſu compoſito hanc eſſe veram propoſitionem, ſtante Dei concurſu voluntas neceſſariò agit, ſeu quod idem eſt voluntas non poteſt non operari. Nos verò aſſeueramus è conuerſo, quòd etiam poſito Dei concurſu voluntas libere agit, & poteſt non agere & non operari, quamuis non ſtet in ſenſu compoſito illa copulatiua, nimirum, quòd Deus actu concurrat, & quòd ego non operer neque agam in ſenſu compoſito. Similiter enim non ſtat Deum ab æterno cognouiſſe conuerſionem Petri, & quòd Petrus non conuertatur, quamuis abſolutè poſsit non conuerti: quia liberè conuertitur, & libere vtitur poteſtate arbitrij ſui. Et ſanè res hæc parem habet difficultatem in hoc ſicut in caſu, de quo loquimur. Adde etiam, quòd ſi diſputo hodie in hoc gymnaſio neceſſe eſt quod loquar, cæterum non neceſſariò loquor, quia non neceſſariò diſputo. Sic ergo ſtante concurſu Dei, & motione ſui influxus non ſtat me actu non moueri, ſed non neceſſariò moueor, neque op eror: quia Deus mouet me cum modo libero. Et hæc eſt neceſsitas quædam conditionalis, non abſoluta, non conſequentis, ſed illationis, & conſequentiæ. Aliud ſolent nonnulli adducere exemplum de imperio efficaci intellectus, quòd illo poſito non ſtat voluntatem de facto non obedire, cæterum non neceſsitatur ad operandum: quia poteſt imperium illud ceſſare pro arbitrio noſtro.

Non ſtat in ſenſu compoſito illa copulatiua ſcilicet quòd Deus concurrat, & quòd ego nõ operer.

Adducor ad præfatam noſtram aſſertionem. Quia ſicut poſito Dei concurſu actuali non ſtat ſimul voluntatem non agere, ita poſita Dei volitione ab æterno, qua voluit me ſcribere, non ſtat ſimul me id non facere & nõ ſcribere. Et ſicut Dei motio efficax eſt, pari modo voluntas Dei abſoluta, qua omnia quæcumque voluit fecit in cœlo, & in terra, & nõ poſſunt dicere aduerſarij, illam Dei voluntatem eſſe de concomitantibus, cum manifeſtum ſit eſſe de præuijs & prærequiſitis. Nã Deus antecedenter ad influxum meæ voluntatis prius voluit me credere aut conuerti, aut loqui, quàm quòd ego conuertar aut credam, voluit enim hoc in puncto æternitatis, & non ex præuiſione operum futurorum, ſed hoc non tollit, quin ego libere conuertar, & credam, & poſito illo Dei decreto, voluntateque Dei liberè conuertor, & credo, poſſumq; non conuerti, aut non ſcribere, neque loqui: ergo quamuis prior ſit hæc voluntas Dei, quàm voluntas hominum, & prior ſit iſte concurſus prioritate à qua, & non in qua, non aufertur, quin ego liberè agam, & quòd poſsim non agere. Sed res hæc maiorẽ & altiorem poſtulat indaginem inferiùs ſuo loco à nobis tractandã.

Poſita volitione ab æterno, qua voluit Deꝰ me ſcribere, non ſtat ſimul me id non facere, & tamen liberè ſcribo.

His & alijs argumentis ſuperius adductis in hac ſectione conſtat aſſertio à nobis poſita, & conſtat etiam Dei concurſum eſſe de præuijs, & non tantum de concomitantibus, quod etiam præter citatos authores dixit Antonius Corduben. in ſuo quæſt. lib. 1. quæſt. 55. dub. 10. motus ex eo, quòd cauſa prima non ſolum eſt prior ſecunda dignitate & excellentia, & in eſſendo, neque ſolum quia eſt prior ratione, ſed etiam quia eſt prior in cauſando. Quoniam ſecunda cauſa omninò dependet à prima, & ab illa habet eſſe, & virtutem agendi, & præterea habet cauſare operari, & agere, & tandem, quia influit, & mouet ſecundam ad operandum & agendum iuxta illud Actorum. 17. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* Et Ioan. 6. *Sine me nihil poteſtis facere, & nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum.* Quod teſtimonium de ſupernaturalibus intelligit. Citat Diuum Thom. 1. part. quæſt. 8. artic. 2. & 3. Caietanum quæſt. 14. art. 13. Vegam quæſt. 11. de iuſtificatione ad 3. Scotum in 1. diſt. 39. & expoſitores eius ibidem.

Antonius Corduba.

Actorum 17. Ioann. 6. S. Thom. Caietanus. Vega. Scotus.

Redit eadem difficultas & diſſoluitur.

SED Contra hæc omnia, quæ diximus plerique nunquam quieſcunt, & ferè repetunt eadem argumenta, quæ nos adduximus ſupra: omnia vero reducuntur ad hoc vnum. Agens liberum eſt, quod poſitis omnibus præuijs & requiſitis poteſt actum ſuum producere, poteſt & non producere: ſed vnum de præuijs & neceſſariò requiſitis ad actum voluntatis producẽdum, & ad omnem eius operationem eſt diuina volũtas, quam Deus ab æterno habuit efficaciſsimam me volituram eſſe pro tali tempore. Poſita autem hac voluntate diuina, volũtas noſtra iam tunc ſimul neceſſariò ſuum actum producit, quia non poteſt non operari, ex eo, quòd non eſt in eius poteſtate illum non producere, aliàs ipſa poſſet impedire voluntatem diuinam, & eam reddere inefficacẽ, cum tamen diuina voluntas efficaciſsima ſit, quæ fecit omnia quæcunque voluit in cœlo, & in terra, ſcriptura teſte &c. ergo.

Vt huic argumento ſatisfaciamus, primo omittamus Durandum male loquentem de concurſu Dei cum cauſis ſecundis. Fuit ergo olim Ioannes de Medina Complutenſis, qui vt refert Cordubenſis dixit diuinam voluntatem æternam non fuiſſe vnum de neceſſario requiſitis ad actum voluntatis noſtræ producendum. Exiſtimauit enim ille, quòd Deus quamuis immediate & ſufficienter concurrat cum voluntate

Ioannes de Medina Cõplutenſis Deum non concurrere per ſuũ velle, ſed per ſuã virtutẽ vel omnipotentiam cũ cauſis ſecundis & ab eis determinari palã ſenſit.

noſtra,

nostra, & cum omnibus secundis causis, non tamen concurrere per suum velle, aut per suam volitionem, sed per suam virtutem, vel omnipotentiam, vel assistentiam, vel per naturam suam, quod idem esse censet. Rursus credidit, quòd ista Dei assistentia vniuersalis determinatur à nostris voluntatibus ad actus vel effectus eiusdem voluntatis, seu ad quidquid agere debeat cum ea concurrendo: sicut vniuersalis causa creata respectu alicuius effectus determinatur à causis particularibus. Vt Sol, vel Cœlum concurrit cum causis inferioribus ad effectus suos, non sane per suum velle liberum, sed per suam potentiam, aut virtutem, & ita determinatur à causis particularibus, nimirum, à terra, vel à seminibus, & arboribus ad producendum cum eis pomum, aut frumentum, vel quodcumque aliud secundum dispositionem & determinationem istarum causarum secundarum. Sic in proposito aiebat ille, causa prima & vniuersalissima, quæ est Deus, concurrit cum voluntate nostra non per suum velle efficax, sed per suam virtutem & assistentiam, quæ determinatur à voluntate nostra, quia solum concurrit & coagit secundum dispositionem causæ secundæ, & eo modo à nostra voluntate libera determinatur. Quo posito qui sequuntur hunc modum dicendi negant consequentiam argumenti propositi. Quia stante illo diuino concursu per suam virtutem, stat simul libertas nostræ voluntatis ad suum actum. Quia nostra voluntas determinat concursum illum, & generalis ille Dei concursus, neque est sufficiens per se, neque efficax, sine eo, quòd determinetur à nostra voluntate stante lege ad actum voluntatis nostræ producendum.

Repellitur propositus dicēdi modus.

Hic tamen modus dicendi ferendus non est. Primò quidem: quia de fide est Deum non solum esse causam rerum per suam voluntatem, sed etiam esse causam libere efficientem res omnes, quod apertè docuit Diuus Thom. 1. part. quæst. 19. artic. 4. idque in sacris literis expresse continetur Psalm. 134. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra.* Et ad Ephesios primo. *In quo sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Sapientiæ 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses.* Quod testimonium adducitur à S. Thom. in argumento, sed contra. Et Psal. 148. *Ipse mandauit & creata sunt*, & Genesis primo, *In principio creauit Deus, cœlum & terram.* Et infra. *Dixit Deus fiat lux, & facta est lux* &c. ergo mandauit libere. Si enim imperium illud Dei esset naturale & necessarium ex æternitate processisset rerum creatio. Secundò non potest stare modus ille dicendi, quem Complutensis Medina adhibuit: quoniam ex eo, quòd natura agit propter finem, efficaciter colligitur Deum agere per intellectum & voluntatem. Nam res, quæ cognitione ac ratione carent, & illæ etiam, quæ intellectu præditæ sunt, ea ratione in suos diriguntur fines quo ad potentias & operationes, quòd ab aliquo agente per intellectum & voluntatem esse, vires, & directionem ad operandum accipiunt. Quòd si dicas, posse ad hoc responderi omnia tendere in fines suos, eo quòd à suis proprijs formis ac naturis ad eos inclinentur, neque opus esse causa aliqua extrinseca operāte per intellectum & voluntatem, à qua in suos fines dirigantur & ordinentur, hoc, inquam, non satisfacit: quia hoc non est agere propter finē, sed solum est tendere in aliquid non sub ratione finis. Quia finis non est nisi comparatione causæ, quæ ipsum finem per intellectum & voluntatem intendit, mediumque aliquod illius gratiæ ordinat. Vnde Aristot. cum antiquitate omnium Philosophorum optimè dixit, & deduxit ex ordinatissimis actionibus rerum omnium naturalium, & ex accommodatione, maximaque adaptatione eorum omnium, quę ad varios fines producebantur, opus naturæ esse opus intelligentiæ, quasi à causa aliqua operante per intellectum & voluntatem res omnes haberent esse & facultates, quibus in fines suos dirigerentur. Fabrica etiam huius vniuersi tam apertè demonstrat, Deum agere per intellectum & voluntatem, concurrereque per scientiam suam, & per voluntatem, atque hac ratione Deum non determinari à rebus, sed potius ipsum ordinare & determinare, seu præordinare omnia, vt Sanctus Thomas dixit 1. part. quæst. 25. artic. 5. ad 1. vt nihil magis apertum, aut euidens esse possit. Est enim Deus substantia quædam omnium effectrix ex nihilo, continensque eminenter omnia, præsens in omnibus, sapiens, liberoque arbitrio pollēs, & bonum quoddam per essentiam perfectum, reliqua verò per participationē. Qui rebus omnibus contulit esse, quibusdam clarius, quibusdam obscurius, hominibus & Angelis tribuens arbitrium liberum quod esse non potuit, nisi etiam liberum arbitrium ipse haberet. Igitur ordo vniuersi, vires & partes singulorum, quæ diximus tam accōmodatæ ad suos fines, planè ostendunt voluntatem primæ causæ fuisse, quæ res pro suo arbitrio tam aptè disposuit ad hos, vel ad illos effectus. Non quaū ex necessitate naturæ potentiam eius esse determinatam, aut ad hunc ordinem rerum & non ad alium, sed potiùs liberè, quando, quo ordine ac modo voluerit effecisse. Nam rogo. Quis dubitet eum, qui vniuersum hoc fabricauit de nihilo tam appositè & pulchre, & talibus mediis ad fines suos, potuisse etiam eadem voluntate atque potentia, alia media vel ad eosdem fines vel ad alios efficere & ordinare. Quocirca euidentissime constat Deum, qui omnia de nihilo produxit, non solùm ea ratione esse omnipotentem, quod fons & origo sit eorum omniū, quæ sunt, nihilque esse posse, quòd ab eo tanquam

Pſal. 134. *Ad Eph.* 1. *Sapientiæ.* 11. *Pſal.* 138. *Geneſis.* 1.

Obiectio.

Occurritur ei & magis impugnatur prædicta ſententia.

Productio vniuersi mirè ostendit Deum agere per intellectū & voluntatem.

à primo principio non emanet, ſed etiam ex eo, quod potentiam habeat ad efficiendum pro arbitrio ſuæ voluntatis, quidquid ex rei natura eſſe non repugnat. Tertiò impugnari poteſt prædictus modus dicendi ex omnibus rationibus, quas nos deduximus 1. part. q. 19. artic. 4. tam in diſcurſu articuli, quã etiã diſputatione prima & ſecunda, & ex rationibus Diui Thom. in artic. 4. citato. Reprobanda eſt enim prædicta ſententia, præcipuè quatenus dicit Deum non concurrere cum voluntate noſtra per velle ſuum. Quia vt ex dictis conſtat non neceſſariò, vt naturalis cauſa, ſed libere concurrit cum omnibus cauſis creatis, & cum voluntate noſtra: ergo per velle ſuum. Aliàs ſi non libere concurrit per velle eius, ſed neceſſariò, & per ſolam potentiam ſuam non poſſet ſaluari contingentia rerum: ergo ſi nec paſſer vnus cadit ſine voluntate Dei Matth. 10, & omnia quæcumque voluit fecit, & Prouerbiorum 21. Cor Regis in manu Dei, quocumque voluerit, vertet illud: ſequitur præfatam ſententiam ſine læſione fidei ſtare non poſſe. Tandem Ioannes de Medina decipitur, quia optime ſtat Deum concurrere per velle efficax, & libere cum noſtra voluntate, libere etiam & contingenter volente. Neque ex hoc ſequitur neceſsitas aliqua libertati oppoſita, aut conſequentis neceſsitas, ſed conſequentiæ, vt Sanctiſsimus Præceptor adnotauit pène infinitis in locis.

Vera argumenti ſolutio.

Vnde aliter dicendum eſt ad præfatum argumentum. Cõcedimus enim maiorem nimirum agens liberum eſſe quod poſitis omnibus prę̃uijs & requiſitis poteſt actum ſuum producere & nõ producere. Rurſus concedimus vnũ de præuijs & requiſitis ad agendum eſſe diuinam voluntatem, qua poſita, vt velim pro tali vel tali tempore, non ſtat quidem ſimul me nõ velle & reddere caſſam & inefficacem Dei voluntatem, impediendo quod ipſe voluit, quia certò & infallibiliter ita erit, ſicut Deꝰ voluit. Vnde Diuus Auguſt. de correctione & gratia cap 12. dixit. *Subuentum eſt infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur.* Et ita in ſenſu compoſitiuo & coniuncto nunquam ſtant illa duo de ineſſe, nimirum Deum velle efficaciter & actualiter quòd ego operer ſimul ipſo concurrente per influxum ſuum, & quòd ego de facto non operer: Quia vt conſtat ex dictis hæc duo pugnant interſe, & hic eſt ſenſus compoſitus, cum quo non ſtat quod ſimul ſint illa duo, ſtat tamen potentia vera ad oppoſitum, quia licet certò moueamur, & nos moueamus, nihilominus libere Deus nos mouet, & idcirco nihil contra eius omnipotentiam & efficaciam pugnat dicere, quòd nos libere mouemur. Imò verò egregie patet inde infinita virtus Dei, & ſapientia, quòd cauſas quaſdam cum ſuo modo neceſſario inſtituit naturaliter mouere, aliàs verò cum modo libero liberè, ita, vt cum ſingulis modo proprio voluerit concurrere. Quocirca quid quid Deus vult voluntate abſoluta, & beneplaciti fit, iuxta illud Pauli ad Romanos 9. *Voluntati eius quis reſiſtet?* Et iuxta illud Prophetæ *Omnia quæcũque voluit fecit.* Quãdo vero cum homine libero Deus concurrit non vult illud fieri ab eo, niſi ſalua conditione libera voluntatis. Igitur concurſus ille Dei prærequiſitus, imò vero & natura prærequiſitus, etiam illo temporis momento, quo Deus mecum concurrit, non aufert, quin ego liber ſim, aut quin ego poſsim renuere & non agere. Quia tunc etiam liberè moueor, poſſumque non agere in ſenſu diuiſo, & tunc ſi ponatur in eſſe me non agere, ceſſabit concurſus Dei. Ioannes de Medina Complutenſis videns priorem ſuam ſolutionem, quam dederat, repulit illam deinceps, vt refert Antonius Corduben. lib. 1. quæſtion. q. 55. dub. 10. & hanc, quam nos retulimus excogitauit, & approbauit. Soto etiam primo de natura & gratia cap. 16. eumdem dicendi modum ſecutus eſt, etiam dum res hæc ageretur in Concilio Tridentino, in quo ipſe adfuit. Eumdem etiam habuit Magiſter Sententiarum in primo diſt. 38. §. vltimo, qui incipit, ad hoc autem, vbi adducit diſtinctionem illam de ſenſu coniuncto & diuiſo. Vnde quamuis ſtante influxu, & concurſu Dei, vel diuina voluntate efficaci, voluntas noſtra operetur, & producat actum ſuum certiſsimè & infallibili conſequentia. Quia non poſſunt coniunctim ſe compati duo illa interſe: quòd Deus actu concurrat & efficaciter velit me velle conteri, aut pœnitere, actu influendo in voluntatem ad hoc ipſum: & quòd ego id non operer, neque velim, quia iſte eſt ſenſus coniunctus, ſicut quando dicitur, quod omne, quod eſt neceſſe eſt eſſe, tamen ſi ſermo ſit abſolutus & in ſenſu diuiſo, vt Theologi loquuntur, ita liberè cenſetur velle voluntas tunc, vt ſicut libere agit, ita poſsit velle non agere.

Ad Roma. 9. Pſal. 134.

Reiecit Ioãnes de Medina ſententiã quam tenuerat.

D. Augu.

Vnde quando in argumento illo quarto poſito in primo diſcurſu arguitur contra voluntatis libertatem hoc modo. Voluntas hominis ſi libera eſt, vel habet libertatem ante quam operetur, vel in inſtanti, in quo operatur, vel poſtea quam operata eſt: ſed non ante quam operetur. Quia cum nihil tunc operetur, ſequitur, quòd tunc non vtitur libertate vlla: quia ſi non agit, non agit liberè. Nec rurſus in eodẽ inſtanti, in quo operatur. Quia tunc ſicut res quando eſt, neceſſe eſt eſſe, ita quãdo operatur, neceſſariò operatur: ergo &c. Reſpondetur voluntatem hominis in qualibet operatione libera, ad quodcumq; tẽporis momẽtũ deueniat prioritate naturæ antecedere ſuum actum, ſicut quæcumque cauſa præcedit ſuum effectum. Quoniam prius natura eſt voluntatem eſſe in quocũque tẽporis pũcto, quàm quòd in eodẽ ab ipſa actus eius emanet.

Ad quodcũque tẽporis momentum voluntas hominis antecedit prioritate naturæ ſuum actũ.

Hæc

Hæc autem prioritas verum habet fundamentum in re. Cùm igitur voluntas suapte natura sit causa libera, in cuius potestate est velle, aut nolle, aut continere omnino actum, & nihil velle, in quocumque temporis momento, & pũcto existat, in eo priori eiusdem puncti, in quo cũ fundamento in re concipitur voluntas, vt naturæ ordine antecedens suum actum, in facultate ipsius est, vel nihil omnino agere, vel volitionẽ aut nolitionẽ eligere pro vt maluerit. Quare cũ volũtas pri⁹ natura sit in quocumq; instanti, quàm in eo eliciat actũ, prius in eo est libera, vt eũ eliciat, vel nõ eliciat, quã vel actu eliciat, vel non eliciat. Quo fit vt ad quodcumq; temporis momentum volũtas deueniat, prius natura quàm se determinet pro innata sua libertate ad aliquid prædictorũ potestatẽ & facultatem habeat, non quidem ad volendum, & nõ volenclũ vnum & idem obiectum simul in eodem puncto temporis, sed facultatem habeat pro illo priori, vt indifferenter velit, aut nolit, vel vt ab omni pro illo instanti cesset. Et idcirco posterius natura libere se determinat ad vnum illorum. Quæ sane doctrina est Diui Thomæ, quam secutus est Scotus in 1. dist. 39. vbi tractat quonam pacto voluntas sit libera etiam in eodem instanti, in quo actum elicit.

Quapropter sentiendum est voluntatem hominis liberam esse, non solùm ante quam operetur, ad hoc vt operetur, sed etiam in instanti, in quo operatur. Quod apertè constat ex modò dictis, & ex differentia inter agens liberum, & necessarium, seu naturale. Agens enim liberum est, quod positis requisitis & prærequisitis ad operandum, potest non operari: agens verò necessarium seu naturale, quod positis omnibus requisitis necessariò operatur Si ergo in hoc instanti præsenti apponantur voluntati hominis requisita omnia ad aliquam operationem, aut homo ille necessariò operatur, aut libere, si necessariò operatur ergo est agens naturale: si autem libere: ergo potest non operari: ergo pro instanti præsenti habet libertatem seu indifferentiam ad operandum, & non operandum, aliàs esset agens naturale. Ad hæc, si homo dum operatur necessariò operatur, & non liberè, quia vt aduersarij dicunt non potest non operari, sequitur quòd homo nunquam committit peccatum. Quia peccatum in tantum dicitur peccatum in quantum est liberum & voluntarium ex sententia Diui Augustin. Probatur sequela. Quia iuxta opinionem oppositam homo cum peccat, non potest non peccare, atque ita necessariò peccat. Sed respondent contrarij authores, idcirco hominem peccare in instanti præsenti, quia in præterito potuit vitare id, in quo modo peccat. Sed hoc non satisfacit: quia multiplicaret homo peccata in infinitum. Nam si ante hoc instãs, in quo tenebatur homo vitare hoc peccatum non vitabat: ergo tunc peccabat, quia non adimplebat id, ad quod tenebatur, & sic possemus arguere de alio tertio instanti priori in quo tenebatur vitare, & sic in infinitum: sed hoc est impossibile: ergo opinio oppositа, quæ non admittit pro instanti præsenti indifferentiam ad contrarios actus non est ferẽda. Quod sane confirmari potest. Quia Deus ordinauit in instanti æternitatis ante quod nullum aliud instãs fuit, omnia quæ futura erãt. Si tũc liberè determinabat, sequitur intentum nostrum. Nam idem iudicium erit quantum ad hoc de nobis & de Deo. Si verò necessariò determinabat, tollitur omnino libertas à Deo: quia sicut dispossuit res ab æterno, ita easdem in tempore producit,

Iam ergo dicendum est, voluntatem esse liberam in instanti, in quo operatur, & etiam in eo temporis momento, & puncto in quo antecedit actum suum, ad quem se determinat libere. Rursus etiam fatemur in homine esse libertatem in tẽpore præsenti ad contrarios actus, non quidẽ, quòd simul vtrumq; contrariũ producat, sed quod est potestas libera in homine ad vtrumq; producendũ. Quia habet potestatẽ actiuã productionis vtriusq; & non magis determinata ad vnũ, quã ad alterum. Vnde in hac re vti etiam possumus distinctione illa de sensu diuiso, & cõposito. Nam certè sicut vtrũque contrarium nõ potest simul actu esse, aut simul produci pro eodem temporis momẽto, ita in sensu composito non est potentia respectu huius incompossibilitatis simultaneæ pro eodem pũcto, quamuis in ipsa voluntate sit vera potestas producendi vtrumq;. Non quidem quòd vtrumq; possit esse simul in eodẽ momẽto, sed quòd vtrumq; possit produci, & quòd in sensu diuiso possit hoc vel illud esse in eodẽ illo tẽporis momẽto. Cũ verò dici solet cõmuniter, omne quod est, quando est necesse est esse, hęc. Maxima intelligenda est de actibus, nõ de potentia productiua ipsorum actuum. Et propterea non dixit Arist, Omne quod operatur cũ operatur, necessariò operatur. Nã hoc esset auferre libertatem, & esset loqui de potẽtia, cuius libertas læderetur. Omitto modo disputationem illam de actibus, qui emanant à potentia libera, & producuntur ab ea: qui quando sunt eliciti, & producti & iam egressi à potentia libera: de his interrogari potest quatenus iam sunt in se ipsis, an sint radicaliter liberi ex eo, quòd emanent à potentia libera, vel an sint liberi formaliter per aliquid intrinsecum, vel an dicantur liberi denominatione extrinseca ab ipsa voluntate libera liberè agente, à qua emanant. Nam de hac re diximus supra, & præterea etiam de eadem re actum est à nobis 1.2. quæst. 71. artic. 6. disp. 1. Semper igitur est verissimum, quòd homo cum operatur per liberum arbitrium, vt sic tunc etiã liberè operatur, & ita cũ agit liberè potest non agere, & falsum est affirmare, quòd homo cũ operatur liberè non potest nõ operari. Necessitas igitur cõsequẽtiæ,

Differentia inter agens liberum & necessariũ.

Exoppositа sententia sequitur, aut quod homo non peccet, aut quòd quando peccat infinita peccata multiplicet.

Non est potestas in homine vt simul vtrumque contrarium producat, sed vt hoc vel illud.

Neceſsitas conſequētiæ & ſuppoſitionis nō lædit libertatem.

& ex ſuppoſitione non lædit libertatem, ſiquidem conſenſus circa illam eſt liber. Et rurſus non lædit libertatem ſuppoſitio, quæ non tollit modum agendi connaturalem liberi arbitrij, qui eſt cum vſu rationis, & cum libero illo modo operandi ex quadam collatione & conferentia cum appetitu illi proportionato, ſine determinatione ad vnum, quæ more pecudum in brutis reperitur, quæ ob id neceſſariò operantur.

SECTIO IIII.

In qua agitur de libertate arbitrij quatenus à Deo mouetur, occaſione ſumpta ex quinto argumento primi diſcurſus. Et quid liberum ſit arbitrium?

Quintum argumētū ſuprapoſitū cū ſua vi expēditur.

QVINTVM Argumentū factum in priori diſcurſu huius diſputationis plures & difficiles valde tangit difficultates, ſed non omnes ſunt aperiendæ in præſenti, ſed inferiùs Deo donante, vbi de auxilio efficaci diuinæ gratiæ actualis, quo Deus influit in corda hominum, ea mouens, & trahens ad ſe, & de diuinis prædefinitionibus, & præmotionibus agetur. Sed nihilominus argumenti vis & difficultas diſſoluēda & repellenda eſt, vt libertas illæſa ſemper maneat, etiam ſi Deus moueat voluntatem noſtram, & corda hominum peccatorum trahat ad ſe.

Eſt igitur argumentum quintum deſumptū ex Sanctiſsimo Præceptore Diuo Thoma 1.2.quæſt. 10.art.4. Omne agens cuius, potentia eſt infinita, & cui reſiſti non poteſt ex neceſsitate mouet, ſi vult aliquid abſolutè & reuera: ſed Deo reſiſti non poteſt iuxta illud Pauli ad Romanos 9. *Voluntati eius quis reſtitit?* Ergo Deus cum mouet voluntatem hominis ipſa neceſſariò mouetur, & non liberè. Nam certe ſi ponatur, quòd voluntas non velit hoc, ad quod Deus eam mouet, ſequitur tunc, quòd operatio Dei eſſet inefficax: ergo non eſt poſsibile voluntatem non velle hoc, ad quod Deus eam mouet in actu ſecundo: ergo tunc neceſſariò vult illud, ad quod Deus eā mouet: ergo non libere operatur. Quod ſanè argumentum repetit etiam idem S. Tho. pluſquam in ſex centis locis, & illud diſſoluit. Simile argumentum producit 1.p. quæſt. 83. art. 1. ſub hac forma verborum. Liberum eſt, quod ſui cauſa eſt, vt dicitur in primo Metaphyſ. Quod ergo mouetur ab alio non eſt liberum. Sed Deus mouet voluntatem, dicitur enim Prouerbiorum 21. Cor Regis in manu Domini: & quocumque voluerit vertet illud. Et ad Philippenſes 2. Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere: ergo homo nō eſt liberi arbitrij. Hæc ſane ſunt argumenta Diui Thomæ ad literam locis citatis. Quibus reſpondet in eiſdem locis dicens Deum omnia mouere ſecundum eorum conditionem, ita vt ex cauſis neceſſarijs per motionem diuinā conſequantur effectus ex neceſsitate: ex cauſis verò contingentibus ſequantur effectus contingenter. Cùm igitur voluntas ſit actiuum principium non determinatum ad vnum, ſed indifferenter ſe habens ad multa, ſic Deus mouet ipſam, quòd non ex neceſsitate, ad vnum determinat, ſed remanet motus eius cōtingens, & non neceſſarius, niſi in his, ad quæ naturaliter mouetur. Et ex hoc colligit Sanctus Thomas ſolutionem ad difficultatem tactam in argumento citato, dicens, quòd voluntas diuina nō ſolùm ſe extendit, vt aliquid fiat per rem, quam mouet: ſed vt etiam eo modo fiat, quo congruit naturæ ipſius. Et ideò magis repugnaret diuinæ motioni, ſi voluntas ex neceſsitate moueretur, quod ſuæ naturæ non competit, quàm ſi moueretur liberè, pro vt competit ſuæ naturæ. Rurſus reſpondet, quòd ſi Deus de facto mouet voluntatem ad aliquid, impoſsibile eſt poni, quòd volūtas ad illud nō moueatur, non tamen eſt impoſsibile ſimpliciter. Vnde non ſequitur, quòd voluntas à Deo ex neceſsitate moueatur. Quam quidem ſolutionem tradidit Sanctiſsimus Doctor & Magiſter Diuus Thomas 1.2.q.10.art.4. Sed aduerſarij authores, nouitijque Theologi huius ætatis euertere conantur hanc doctrinam. Dicūt enim non eſſe intelligibilē. Quia, vt putant implicat Deum influere in voluntatem, eam mouendo in actuali conuerſione ad ſe per gratiā actualem ſuam ſuauem, & efficacem, vt venit à Deo, & quòd voluntas liberè moueatur. Irridentque illud Diui Thomæ, quòd Deo non ſolum ſubiacent cauſæ ſecundæ, & res omnes, ſed etiam modi agendi, & quòd ob id non ſolum liberum arbitrium ſubditum eſt Deo, ſed etiam modus agendi liberē, ita vt ſi Deus mouet ipſum motione ſua gratuita efficaci, vt pœniteat quòd in tali motione nō lædit libertas. Hoc inquam irrident vltimū, quòd non lædatur libertas, ſi moueatur voluntas auxilio efficaci gratiæ Dei, vt venit à Deo: putant enim ex hoc lædi libertatem. Quia ſi liberum arbitrium mouet Deus efficaciter ad hoc, iam determinatè mouetur à motione gratuita veluti à forma determinata, & ita non mouetur libere, neque poteſt intelligi quonam pacto volūtas tunc operetur tanquam cauſa indifferens, quod conuenit proprie cauſæ liberæ, de cuius ratione eſt indifferentia. Quia illa motio eſt à Deo, vt ab efficiente cauſa propriè, & non tantum moraliter, & eſt à Deo influente in volūtatem formam determinatam. Et conſequenter non valet intelligi, vt ipſi dicūt quo pacto voluntas tunc libere moueatur. Sed de hac re dicemus in diſputatione de auxilio efficaci Dei. Nam ſi iſti authores non valent hoc intel-

Solutio D. Thom.

Voluntas Dei eſt principium non determinatū ad vnū, ſed indifferēter ſe habēs ad multa.

Non placet aduerſarijs doctrina D. Tho. imò ab eis cōtemnitur.

ligere

ligere, nihil interest: si tamen Diuus Thomas, Diuus Augustin. Diuus Prosper, Diuus Hilarius, Diuus Ambrosius, & plures alij ex Sanctis Patribus hoc intellexerunt. Neque Diuus Thom. qui versatus fuit in lectione Sanctorũ Patrum ignorauit difficultatem istorum, si quidem persensit eam, & recensuit illam, tam in libro contra gentes, quàm in Partibus, & in Sententijs, quibus in locis conatus est eam dissoluere.

Senserunt D. Tho. & alij S. Patres hãc difficultatem, & eam dissoluere pro viribus studuerunt.

Sanè prima parte, quæst. 83. art. 1. vbi illud simile argumẽtum, quod diximus proposuit, vt illud dissolueret, solut. ad 3. inquit, quòd liberum arbitrium est causa sui motus. Quia homo per liberum arbitrium se ipsum mouet ad agendum. Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quòd sit prima causa sui, id quod liberum est: sicut neque ad hoc quod aliquid sit causa alterius, requiritur, quòd sit prima causa eius. Quia Deus est prima causa mouens & naturales causas & voluntarias: & sicut naturalibus causis mouendo eas non aufert, quin actus earum sint naturales, ita mouendo causas voluntarias non aufert, quin actiones earum sint voluntariæ, sed potiùs hoc in eis facit: operatur enim in vnoquoque secundum eius proprietatem. Et in eadem 1. p. quæst. 105. art. 4. solut. ad 3. affirmat, quòd si voluntas ita moueretur ab alio, quòd ex se nullatenus moueretur, opera voluntatis non imputarentur ad meritum vel demeritum: sed quia per hoc quòd mouetur ab alio, non excluditur, quin moueatur ex se, vt dictum est, idcirco per consequẽs non tollitur ratio meriti vel demeriti. Et in corpore articuli explicans motionem, qua Deus mouet voluntatem dixit, quòd voluntas potest moueri sicut ab obiecto à quocumque bono, non tamen sufficienter & efficaciter, nisi à Deo. Et Caietanus in vltima parte commentarij eiusdem articuli dicit, quòd mouere obiectiuè voluntatem communicatur alijs à Deo, quamuis non sufficiente efficacia. Mouere autem ab intus nulli communicatur: quia solus Deus illabi potest libero arbitrio. Et per hanc doctrinam tam Sanctissimus Præceptor, quàm Caietanus eius discipulus neque putant lædi liberum arbitrium, neque tradidisse falsam aliquam doctrinam. Cum tamen Theologi nouitij & aduersarij, qui oppositæ sententiæ fauent, irrideant doctrinam illam de concursu & influxu Dei in causas secundas. Quia putant Deum suo concursu, & influxu generali solùm influere in effectus, & non in causas, falsumque esse etiam causam secundam non agere, nisi motam à prima, aut quod secũda causa applicetur à prima ad agendum: cum tamen antiquitas Philosophorum & Theologorum has semper propositiones receperit: neque recesserit ab illis. Quoniam cum Deus mouet secundas causas, aut voluntatem, influẽdo in ipsas, vt actualiter operentur, non oportet reducere motum illum ad genus motionis localis, vel ad alia genera motionis, quæ cernimus, sed ad motionem quandam perfectiuam, & supereminentem ab omnibus alijs distinctam, vt supra deduximus. De qua re inferiùs etiam specialis controuersia habenda est cum istis. Et rursus etiã, quia nõ solũ pendet à Deo effectus secundę causæ, sed etiam ipsa causa in causando, seu quatenus actu causat, & actu influit non tantùm in esse & conseruari, sed etiã in eo quod est causare & influere actu, & ob id secunda causa indiget influxu Dei in se ipsam vt actu agat. Nam vt ipsa sit etiam si nihil ageret indigebat concursu Dei in ipsam. Quia si quando nihil agit indiget Dei concursu conseruatiuo, sequitur quòd quando actu agit, & actu causat indiget concursu & influxu Dei in se ipsam, vt actu agat & operetur, quia hæc est distincta dependentia, & distincta indigentia causæ, vt actu causans & agens in actu. 2.

Solum in effectus nõ in causas putant aduersarij Deum influere.

In quo cõsistat descriptio libertatis

NVNC Vero redeamus ad nostrum instituum, & dissoluamus difficultatem liberi arbitrij liberè agentis, & operantis, etiam cum mouetur à Deo. Ad quam rem explicandam aduertendum est sententiam recentiorum communiter explicantium libertatem arbitrij nostri esse: In hoc consistere libertatem arbitrij nostri, vt positis omnibus & quibuscumque ad operandum prærequisitis possit agere, & non agere, ita vt agens liberum sit illud, quod positis quibuscumque in sua potestate habet operari, & nõ operari. Ita loquitur Sotus non infimæ notæ author in schola familiæ Diui Thomæ li. 1. de natura & gratia cap. 16. Et Rosensis artic. 36. contra Lutherũ. Vega in Tridentinum lib. 2. cap. 15. Castro contra Hæreses verbo libertas, hæresi prima. Decanus Louanienſis Ruardus Tapper. art. 7. de libero arbitrio. Quocirca omnes etiam alij iuniores Theologi definiunt voluntatis libertatem per posse operari, vel nõ operari, & per posse facere hoc vel illud, quod vocant libertatem contrarietatis & contradictionis, qua etiam ratione explicant liberum arbitrium plures ex antiquis, vt Durandus in 2. dist. 24. quæst. 2. num. 12. & etiam quæst. 3. Almaynus quoque lib. 1. moralium & aliqui etiam ex Sanctis Patribus, vt Epiphanius lib. 1. contra Hæreses hæresi. 16. Diuus Hieronymus Epistola ad Demetriadem tomo. 4.

Sotus. Rosensis. Vega. Castro. Ruardus. Durãdus. Almaynus Epiphan. D. Hieron.

Alij vero Theologi explicant voluntatis libertatem per dominium & potestatem proprij actus, vt Sanctus Thom. de veritate q. 24. art. 1. argum. 1. & 2. contra gentes cap. 47. & 48. & in 2. dist. 24. quæst. 1. art. 1. in corpore & ad primum Henricus in summa. ar. 45. q. 3. Franciscus Somnius in demõstrationibus religionis Christianę tractatu de consilijs Euangelicis cap. 25. Iustinus Martyr, D. Hieron.

D. Thom. Henricus. Franciscus Somnius Iustinus Martyr. D. Hieron.

Tertulian. Gregorius. Niſenus. Mag. Sententiarum.

mus Tertulianus lib. 2. aduerſus Marcionem. Gregorius Niſſenus lib. de beatitudi. Solent etiam aliquando explicare liberum hominis arbitrium per hoc quod eſt eſſe ſui iuris. Philoſophi verò definientes liberum arbitrium dicunt eſſe liberum de voluntate iudicium, ita refert Magiſter in 2. diſt. 25. vel liberum de ratione iudicium vt refert Sanctus Thom. de veritate q. 24. ar. 1. argum. 17.

Diffinitio. liberi Arbitrij.

Omnes tamen huiuſmodi deſcriptiones ſeu modi explicandi liberum arbitrium ſine dubio vel rei quidditatem attingunt, vel proprietatem aliquam eius explicant, ſed fortè non à priori ſecundum propriam definitionis formam ad oſtendendum ea, quæ deducuntur, & deducenda ſunt ex definitione liberi arbitrij, veluti ex primo principio. Optima igitur & ſatis apta definitio liberi arbitrij videtur illa, quæ ex antiquis colligitur, nimirum: Quòd ſit principium intrinſecum indifferens ad eligendū, vel non eligendum. Vel alio modo. Liberum arbitrium eſt principium ſiue poteſtas eligendi vel non eligendi. Quæ ſane definitio planè colligitur ex Sancto Thoma 1. 2. q. 6. artic. 1. in corpore, vbi appellat voluntarium perfecti ſiue liberi, quod idem eſt. Vnde rationem liberi explicans à principio intrinſeco ſumpſit exordium, & ideò concluſit liberum eſſe principium intrinſecum mouendi ſe ad finem ſiue agendi propter finem. Licèt enim nō ſint omnino & formaliſsimè idem agere propter finem, & eligere, vt Theologi inſinuant 1. 2. tamen quia parum inter ſe differunt, actus illi & principium videtur omnino idem. Quia ſicut actus eligendi petit principium intrinſecum indifferens ratione perfectæ cognitionis, ita actus propter finem ea omnia petit ſecundum Diuum Thomam & veritatem ipſam. Nam ſolum diſtinguntur in hoc, quod agere propter finem ſupponit electionem in homine, eſtque veluti executio illius, vt ſuperius diximus, & ideò Sanctus Thomas pro eodem reputauit in præſenti definire liberum arbitrium ſiue potentiam perfectè volūtariam, per actum agendi propter finem, ac per actum eligendi, quod etiam vſitatum videtur apud grauiſsimos authores, & apud Diuum Anſelmum dialogo de libero arbitrio cap. 3. & 4. & vltimò. Definiens enim liberum arbitrium, dixit eſſe poteſtatem ſeruandi rectitudinem propter ipſam rectitudinem, vbi loco differentiæ conſtituit non ſolùm actum ſeruādi rectitudinem ſed propter ipſam rectitudinem. Quia vt bene aduertit Gabriel in 2. diſt. 25. quæſt. 1. art. 1. etiam bruta ſeruant rectitudinem, ſed non propter rectitudinem, quā nō cognoſcunt, ſicut neque agunt propter finē. Et eadem ratione pro eodem accipit ſeruare rectitudinem &c. atque eligere. Sic ergo definitio Anſelmi, quæ communis etiam eſt inter Scholaſticos, etiam genere & differentia conuenit cum definitione Diui Thomæ. Huius rei ratio eſſe poteſt: Quia actus agendi propter finem neceſſariò claudit vel ſupponit ipſum actum eligendi. Quod optimè explicuit Sanctus Thomas 1. 2. quæſt. 6. art. 2. dicens. Perfectam igitur cognitionem finis ſequitur voluntarium ſecundum rationem perfectam, pro vt ſcilicet apprehenſo fine aliquid poteſt deliberans de fine, & de his, quæ ſunt ad finem moueri in finem, vel non moueri &c. Et ſolutione ad ſecundū. Moueri enim vel non moueri cum deliberatione in idem eſt ac eligere.

Idem ferè ſunt agere propter finē & eligere.

Bruta ſeruant rectitudinē, ſed nō propter rectitudinem.

Electio appetitus intellectiuus.

Sanctus Thomas, quantumego iudico 1. p. quæſt. 83. art. 3. in corpore clarius & meliùs explicuit rem hanc dicens. Proprium liberi arbitrij eſt electio, ex hoc enim liberi arbitrij eſſe dicimur, quòd poſſumus vnum recipere alio recuſato, quod eſt eligere, & ideò naturā liberi arbitrij ex electione conſiderare oportet. Ad electionem verò concurrit aliquid ex parte cognoſcitiuæ virtutis, & aliquid ex parte appetitiuæ. Ex parte autem cognoſcitiuæ requiritur conſilium, per quod dijudicatur quid ſit alteri præferendum. Ex parte vero appetitiuæ requiritur, quod appetendo accepte tur, quod per conſilium diiudicatur. Et id circo Ariſtoteles 6. Ethicorum cap. 2. dixit electionem vel eſſe intellectum appetitiuum vel appetitum intellectiuum, quamuis 3. Ethicorum cap. 2. magis declinet in hoc quod electio ſit appetitus intellectiuus nominans electionem deſiderium conſiliabile, & appetitus præconſiliati. Huius rei ratio eſt vt Sanctus Thomas docet in prædicto articulo tertio citato, quia proprium obiectum electionis eſt illud quod eſt ad finem. Et art. 4. in corpore inquit, quod eligere eſt appetere aliquid propter alterum conſequendum. Ex quibus omnibus conſtat ex ſententia Diui Thomæ differentiam propriam liberi arbitrij eſſe ordinem ad electionem, & ob id pro eodē accipit actū propter finem ac ſi poſuiſſet electionem, in quo ſolum poterat eſſe difficultas circa ſenſum Diui Thomæ pro definitione ſuperius poſita.

D. Thom. Damaſcen. D. Gregor. Niſenus. Capreolus.

Verum eſt Sanctiſsimum Præceptorem 1. part. quæſt. 83. art. 4. in corpore dixiſſe paucis. Liberum arbitrium nihil aliud eſſe, quàm vim electiuam: vis enim idem eſt, quòd principium ſiue poteſtas, cuius ordo ad electionem vt amplius exprimatur indifferentia, quæ eſt de ratione liberi arbitrij meliùs explicatur per poſſe eligere & non eligere. Lege Diuum Thomam de veritate quæſt. 14. art. 1. in argumento, ſed contra vltimo, vbi dicit hominem eſſe liberi arbitrij ex eo, quòd eſt principium ſuorum actuum, non vtcumque, ſed intrinſecum, & indifferens ad eligendum, vel non eligendum vt latè deduxit in corpore eiuſdem articuli, vbi etiam explicat illud principium intrinſecum, aut radicem indifferentiæ illius eſſe iudicium rationis, & idem dicit in artic. 2. ſequenti. Hæc eadem definitio colligitur ex Damaſceno 2. de fide Orthodoxa, & ex Diuo Gregorio Niceno citatis à S. Thoma

1.2.quæſt.6.art.1. Legendus eſt Capreolus in 2.diſt.34.quæſt.1.art.1.concl.1.in fine,& Albertus 2.p.tractatu 4.q.16.

Ariſtote. D. Augu. Hugo à S. Victore. Alexand. Alenſis. D. Bonau.

Eamdem definitionem videtur tradidiſſe primus omnium 3.Ethicorum cap.1.Ariſtoteles Philoſophorum princeps,& 5.Ethicorum cap. 8. quem ſequuntur omnes expoſitores neque longe eſt ab hac definitione Diuus Auguſt.qua frequenter vtuntur Scholaſtici cum Magiſtro in 2.diſt. 24. & 25. Hugo à Sancto Victore lib.1.Miſcella.tractatu 175.& in ſumma ſent.tractatu 3.cap.8.Albertus Magnus 2 p.tractatu 4.quæſt.16. & tractatu 14. quæſt. 91.Alexãder Alenſis 2.part.quæſt.29. Diuus Bonauentura in 2 diſt.25.quæſt.3. in argumẽtis & in reſponſionibus eorum Diuus Thom. de veritate,quæſt.24. art.1. & 1. part. quæſt. 83.art.2.vbi liberum arbitrium dicit eſſe facultatem voluntatis & rationis, & quòd facultas nominat poteſtatem expeditam ad operandũ, & quòd hac ratione ponitur facultas in definitione liberi arbitrij.Nã liberũ arbitriũ eſt principium huius actus,quo homo libere iudicat. Imò verò liberum arbitrium dicitur, quòd indifferenter ſe habet ad bene eligendum vel male.Sic enim hoc explicat Sanctiſsimus Præceptor in diſcurſu illius articuli.Dicitur autem liberum arbitrium poteſtas,principium,& virtus,ſeu vis electiua,& facultas voluntatis & rationis.Quia per hæc explicatur integra ratio liberi arbitrij,& per ea quæ neceſſario ſupponit atque ita manet ſecundum Diuum Auguſtin.& alios antiquos liberum arbitrium eſſentialiter eſſe facultatem, ſiue poteſtatem eligendi bonum vel malum, quod quidem à noſtra definitione & ab illa Diui Thomæ tãtum differt in eo, quòd noſtra definitio amplius quam hæc explicat libertatem contrarietatis & contradictionis ſimul. Illud vero, quod dicitur de poteſtate eligendi malum, id quidem non debet intelligi,aut quòd hoc ſit de ratione liberi arbitrij vt ſic, aut quòd intelligatur formaliter & ſub ratione mali, ſic enim non poteſt eligi à voluntate, ſed materialiter aut ſub ratione boni apparentis vt alibi diximus.

In noſtra diffinitione liberi arbitrij verum genus & differentia aſsignatur.

Ex dictis colligitur multò meliùs definiri liberum arbitrium, & magis à priori per noſtram definitionem, in qua aſsignatur verum genus & differentia liberi arbitrij,quam in illa definitione,vbi dicitur quod poſitis omnibus requiſitis &c. Nam niſi ſubintelligatur aliquid amplius hæc non apparet ſufficiens differentia.Quia licet principium actiuum definiri debeat per ordinem ad actum, tamen ſpeciale principium,quale eſt liberum arbitrium definiri debet per ordinem ad ſpecialem actum ſibi propriũ,cuiuſmodi eſt electio. Si autem velint loco differentiæ aſsignare ſolum indifferentiam in ordine ad actum, de hoc dicemus infra,qualis indifferentia ſit de eſſentia liberi arbitrij, & an illa ſit veluti formalis differentia illius.

Difficultates occurrentes circa definitionem libertatis.

VERVM contra ea,quæ diximus occurrit difficultas.Quia non videtur recte tradi definitio liberi arbitrij per principium tanquam per rationem genericam. Tum quia ratio principij eſt latiſsima conueniens omni illi vnde aliud quocumq; modo dicatur eſſe,ſiue vt motus à termino à quo,ſiue vt linea à puncto,ſiue vt actus à potentia,de quibus analogicè dicitur principiũ,cũ tamẽ genus definitionis debeat eſſe vniuocũ.Tũ etiã, quia non explicatur, vtrùm illud principiũ ſit actiuũ vel paſsium,& maxime quia in illa definitione nõ explicatur, an ſit principium cognoſcitiuum vel appetitiuum,intellectus nimirum aut voluntas aut vtrumque ſimul. Augeturque difficultas:Quia immediata ratio generica quidditatiue ſuperior ad liberum eſt voluntarium,cũ liberũ ſit voluntarium perfectum,& conſummatum: igitur per illud potius tradenda eſt definitio libertatis,tanquam immediatum genus eius. Præterea de ratione cuiuſcumque principij actiui eſt determinatio ad aliquid agendum.Nam id quod omnino eſt indeterminatum nullius eſt actiuum vt cum Ariſt. communiter docent Philoſophi,cum in hoc etiam diſtinguatur principium actiuum à receptiuo quaſi vacuo & indeterminato.Quod hac ratione oſtenditur.Quia principium actiuum continet in ſe ſaltem virtute id quod debet producere: ſed omne producibile etiam in virtute cauſæ contentum eſt aliquid certum ac determinatum,cum ſit intra determinatum genus, & petat certam virtutem ad ſui productionẽ: ergo principium quatenus principium, eſt aliquid determinatũ.Tũ tertiò. Quia ſicut implicat eſſe principium,quin ſit alicuius principiũ, ac principiatum, quin ſit ab aliquo principio,ita etiam implicat ſi intelligatur eſſe alicuius rei determinatæ principium, vel principiatum eſſe aliquid determinatũ, quin principiũ illius ſit determinatum, cum non ſolum ratio communis principij,ſed differentiæ, & determinatio vel indeterminatio illius ſumantur ab eo,cuius eſt principium,de quo alibi fuſiùs:ſed libetum arbitrium eſt principium actiuum, vt nos fuſe ſuperius diximus: ergo de ratione illius potius eſt determinatio ad ſuũ actũ,quã indeterminatio ſeu indifferentia. Dices omne principiũ debere eſſe determinatũ principiũ illius,cuius eſt principium quoad ſpecificationem,hoc eſt,ex ſua ratione ſpecifica, qua tale principium habet reſpicere eſſentialiter illud cuius eſt principium,& poſſe illud producere abſolute non tamen ſequitur omne principiũ determinatum eſſe quoad exercitiũ, hoc eſt, ſemper & vbique producens illud, cuius eſt principium vt etiam in naturalibus pleriſque exemplis oſtendi poteſt, atque ita liberum arbitrium,quod eſt principium actiuum perfectiſsimum

Quod nõ aptè explicetur ratio liberi arbitrij per principium.

Solutioquæ aſsignari poteſt huic argumento.

ctiſsimum eſſet quoad ſpecificationem determinatum ad diligendum &c. Quoad exercitium verò non eſſe determinatum, ſed indifferens.

Occurritur ſolutioni.

Sed contra hoc arguitur. Quia impoſsibile videtur, quòd principium quoad ſpecificationem determinatum, non ſit etiam determinatum quoad exercitium, ita vt ſemper producat dum non detinetur, vel impeditur ab alio fortiori, quod exemplis etiam potentiarum naturalium poteſt eſſe manifeſtum: ergo impoſsibile etiam erit, quòd aliquod principium actiuum ſit abſolutè indifferens quoad exercitium actus, licet id haberet ſecundū quid, quia impediri poteſt, & cum actu impeditur. Rurſus etiam; Quia licet aliquod agens poſsit eſſe indifferens ad ſuum actum ex eo quòd impediri poteſt, non tamen poteſt eſſe ad contradictorium illius: igitur non bene definitur per indifferentiam ad eligendum vel non eligendum. Poteſt etiam argumentum præfatum confirmari. Quia omnimoda determinatio quoad exercitium actus non videtur tollere rationem liberi arbitrij, vel ſaltem cum aliqua determinatione & neceſsitate morali, quæ dicitur infallibilitas. Et quoad exercitium actus ſtare poteſt integra ratio liberi arbitrij, vt cū Diuo Thoma, & cum veriori, & communiori ſententia, fuſe dictum eſt ſupra & explicabitur infra: ergo de ratione libertatis non eſt indifferentia, aut ſaltem ea ſumma indifferentia etiam quoad exercitium actus, quam aliqui videntur poſtulare: ergo neque oportet eam ita explicari in definitione, vt prædicatum valde proprium & intrinſecum.

Quòd definitio liberi arbitrij deficiat ob aſsignatam differentiam.

Occurrit etiam circa eamdem definitionem liberi arbitrij alia difficultas: quia id quod ponitur vt eſſentialis eius differentia aut loco differentiæ eſſentialis debet eſſe ita adæquatum ſpeciei, vel generi conſtituto per illud, vt conueniat eſſentialiter omnibus contentis ſub illo, neque alicui præter illa conuenire poſsit. Sed primò neque electio neque ordo ad electionem conuenit Deo, neque Angelis habentibus liberum arbitrium, multò perfectius quàm homo: ergo illa nullo modo eſt differentia liberi arbitrij, vt ſic, vel ſaltem non erit adæquata. Neque ſatisfacit dicere, ſolum definiri liberum arbitrium hominis. Quia vt dicit Anſelmus de libero arbitrio cap. 1. definitio liberi arbitrij debet eſſe communis Deo, Angelis, & hominibus. Et etiam præter alia, quia differentia ſemper eſt accipienda in eodem ordine, atque ita proportionaliter reſpectu eiuſdem debet ſumi differentia ſpecifica, à quo deſumitur differentia generica. Secundò ſimiliter etiam in ijs, in quibus propriè inuenitur electio illa, nō eſt adæquatus actus liberi arbitrij, cum plures alios præter electionem habere poſsit, vt imperium, vſum, conſenſum intentionem &c. qui ſunt actus liberi arbitrij inter ſe & ab electione formaliter diuerſi: ergo ordo intellectus ad electionem, vt ſic non eſt differentia propria & adæquata liberi arbitrij, etiam in ſolo homine. Patet conſequentia. Quia ſicut liberum arbitrium non ſolùm eſt principium electionis, ſed etiam aliorū actuū, ita adęquata ratio liberi arbitrij non eſt neque adęquatè explicatur per hoc quod eſt eſſe principium electionis tantum, neque ordo ad illam erit adæquata differentia conſtituens. Dices electionem ſi nō eſt actus adæquatus liberi arbitrij, eſſe tamen primarium ac præcipuum, ſicque in ordine ad illud optimè definiri. Sed contra hoc eſt. Quia etiam liberum arbitrium quatenus tale, eſt principium ipſius actus eligendi qui præcedit omnem electionem, cum ille actus ſit liber, & ante illum non fuerit alius actus, quo ipſe eligatur. Si enim dicas præfuiſſe, idem, petam de illo, & de alio, & alio in infinitum, vel vſque ad primum non ex electione factum, & tamen liberum: ergo neque electio aut actus ex electione factus erit primarius aut potiſsimus liberi arbitrij, maximè cū ſæpe etiam contingat hominem liberè operari & non eligendo, ſed caſu potius quàm conſilio, quod tamen neceſſarium eſt ad electionem. Et confirmatur etiam hoc. Quia intentio finis eſt prior electione mediorum ad talem finem & tamen eſt actus liberi arbitrij, cum homo poſsit & de facto ſibi ſtatuat liberè finem bonum vel malum, propter quem eligit & operatur omnia. Fauet etiam. Quoniam electio etiam reperitur in amentibus & pueris, in quibus non videtur eſſe liberum arbitrium: igitur electio non eſt differentia, vel actus adæquatus liberi arbitrij. Quocirca Diuus Bernardus in tractatu de libero arbitrio omnino definit ipſum in ordine ad conſenſum & ſæpe dicit, conſenſum eſſe proprium opus, & proprium actum liberi arbitrij: ergo &c. Tandem in illa definitione liberi arbitrij non explicatur dominium proprij actus, nec poteſtas voluntatis in ſe ipſam, quæ tamen ſunt de eſſentia liberi arbitrij, neque etiam indicatur ea maxima indifferentia cauſæ liberæ, vt poſitis quibuſcumque poſsit operari, aut ſe continere, etiam cum operatur vel cœperit operari. In quo maximè videtur diſtingui ab alijs non liberis.

Occurritur argumēto. Et ſimul eneruatur ocurſus.

D. Bernar.

Difficultates propoſitæ non obſtant quò minus ſentiendum ſit, ordinem intrinſecum ad electionem eſſe eſſentialem & proprijſsimam differentiam liberi arbitrij, non ſolum hominis, ſed etiam Angelorum. Hanc aſſertionem deduco ex antecedentibus, quam proceres eccleſiæ patres nobis videntur tradidiſſe. Diuus Irenæus lib. 4. aduerſus Hæreſes ca. 9. & cap. 71. liberum, inquit, eum fecit Deus ab initio. Et ſtatim poſuit in homine poteſtatem electionis quemadmodum & in Angelis. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum idem aſſeuerat. Vnde colligit liberari ab ignoratione, & à mala & delectabili electione, & ante omnia nō aſſentiri fallacibus phantaſijs, & viſis ſi tum eſt in noſtra poteſtate. Tertullianus in li.

Nō obſtātibus difficultatibus approbatur propoſita definitio.

de exhor-

Qui sint authores pro nobis.

de exhortatione castitatis in principio ait. *Cũ vtrumque ex præceptis eius didicerimus quid velit, & quid uolit, iam nobis est voluntas eligendi alterum sicut scriptum est. Ecce posui ante te bonũ, & malum, elige quod bonum est &c.* Ita etiam dicit in fine libri de Monogamia. Legendus etiam est lib. secundo aduersus Martionem, Origenes lib. 3. Periarchon cap. 1. inquit. Libertatem arbitrij esse facultatem eligendi inter bonum, & malum, experientiaque ipsa dũ ex aspectu mulieris pulchræ insurgit turpitudinis illecebra, docet, in nostra esse potestate eã respuere, aut amplecti, eodemexemplo vtitur D. Aug. 12. de ciuitate Dei cap. 6. Origenes hom. 4. in canticum ait, Per arbitrij libertatem possibile est vnumquemque ex parte alterius transire, vel ad partem Dei si melius ipso iuuã te elegerit, vel si nequius ad dæmonum portionem, idem D. Cyprianus lib. 1. Epistolarum Epist. 3. ad Cornelium D. Athanasius 1. tomo in oratione contra Idola D. Hilarius super illud Psalmi 118. *Fiat manus tua vt saluum me faciat, quoniam mandata tua elegi*, inquit, *Alijs gloriam seculi eligentibus, alijs venerationem elementorum, ac dæmonum capessentibus, alijs terrenas opes expetentibus. Sanctus iste mandata Dei elegit: elegit autem non naturali necessitate, sed voluntate pietatis. Quia vnicuique ad id quod volet via est proposita viuendi & appetendi, atque agendi permissa libertas. Et ob id vniuscuiusq; aut pœnã aut præmijs afficietur electio.*

D. Grego. Nissenus.

D. Gregorius Nissenus lib. 7. Philosophiæ agit de libero arbitrio in ordine ad actionem electionis. Vnde optime Aristo. docet virtutes libertate comparari nostra, & virtutẽ esse habitũ electiuum, & demonstrat eo ipso quod aliquid est ratione præditum, atq; adeo vim ad consultãdum habet, præditum quoq; esse libero arbitrio. Vnde inquit, omnis qui consultat, quasi in eius potestate existente electione, de operabilibus consultat, vt quod per consilium decernitur eligat, & eligens faciat. Necesse igitur est eum, qui cõsultat Dominum esse actionum. Hæc dixit Gregorius Nissenus li. 7. Philosophiæ cap. 1. & 3. Idem docet D Basilius super illud Esaiæ 1. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Et super illud Esaiæ. 14. Semen reprobum præpara filios &c. D. Damascenus de fide Orthodoxa lib. 2. cap. 7. inquit. Cum liberi arbitrij participes âsum mo illo artifice conditi simus, hinc efficitur vt actiones nostræ in nostra potestate sint D. Epiphanius lib. 1. aduersus hæreses cap. 16. & lib. 2. cap. 64. inquit. Cum liberum arbitrium habeat & per se potens sit homo, & voluntatem per se dominantem, ac deliberantem ad electionem boni acceperit &c. D. Chrysost. mille in locis liberum arbitrium etiam explicat in homine esse per ordinem ad electionẽ? idem docent Hieronymus Epist. ad Ctesiphontem, & in Epist. 147. ad Damasum & lib. 2. Apologiæ aduersus Rufinum, idem etiã luculenter & elegãter docuit idem Diuus Augustinus plusquam in sexcentis locis. Et D. Cyrilus Alexandrinus lib. 4. in Ioan. cap. 7. Gregorius passim, & Diuus Anselmus in dialogo de libero arbitrio, & lib. de concordia, præscientia prædestinationis, & gratiæ cum libero arbitrio. Legendus est D. Clemens discipulus Petri Apostoli lib. 3. recognitionum aduersus Simonem Magum, eleganter libertatem nostram explicuit. Et Iustinus martyr in dialogo cum Triphone.

D. Cyrilus. D. Grego. D. Anſel.

D. Clemẽs.

Iuſtinian. martyr.

Hanc eamdem assertionem & doctrinam tenent Doctores Scholastici cum S. Thom. 1. part. quæst. 83. artic. 4. D. Bonauentura in secundo distinct. 25. quæst. 1. argum. 1. & in solutione eius, & quæst. 3. ad 2. Constatque ex comuni omnium consensu explicantium libertatem arbitrij in ordine ad electionem. Et Magister in 2. dist. 25. cap. 5. Durandus distinct. 24. quæst. 1. num. 8. quæst. 2. num. 16. & 17. Henricus in summa art. 45. quæst. 3. Vnde Arist. cum egisset 3. Ethicorum cap. 1. de libertate hominis, statim cap. 2. agit de electione tanquam de proprio actu illius.

S. Thom. D. Bonau.

Magiſter Sentẽtiarũ Durandus. Henric. Ariſtot.

Probatur ratione.

Ratione etiam patet. Quoniam liberum arbitrium essentialiter est principium siue potentia, sed differentia essentialis cuiuscuis principij, siue potentiæ sumitur in ordine ad actum, vel est ipse ordo intrinsecus ad actum cuius est principium, & differentia propria talis principij in ordine ad talem actum, cuius est certum, ac determinatum principium, vt ex prima Philosophia manifestè constat, cum totum esse principij quatenus tale est sit ad actum siue principiatum se habere: ergo differentia essentialis liberi arbitrij quatenus tale principium est, debet sumi in ordine ad actum sibi nimirum adæquatum aut primarium & potissimum, sed actus adæquatus liberi arbitrij vel saltem primarius & potissimus est electio: ergo &c. Minor probari potest nunc ex, D. Thom. 1. part. quæst. 83. vbi supra, & de veritate quæst. 24. artic. 3. argum. 4. ex definitione Augustini, & artic. 5. in corpore, & artic. 6. argum. 2. & in, sed contra, & in secundo dist. 25. quæst. 1. artic. 1. Durandus quæst. 1. num. 3. Capreolus dist. 24. quæst. 1. artic 1. conclus. 3. in fine, & conclus. 4. Ruardus Tapper artic. 7. §. 2. Et constat etiam ex etymologia ipsius liberi arbitrij, qua etiam vtitur D. Bonauentura in 2. distinct. 21. quæst. 1. in responsionibus argumentorum. Quia liberum arbitrium dicit potentiam perfectè cognoscentem, & iudicantem, vel suppositа perfecta cognitione decernentem inter vnum, & aliud, hoc autem est eligere, vt constat ex ijs, quæ disputantur 1. 2. in materia de electione: ergo.

D. Thom. D. Augu. Durand. Capreolus. Ruardus Tapper. D. Bonau.

Item etiam constat. Quoniam est præcipuus & primarius actus liberi arbitrij qui ita conuenit illi, vt omnes alij cum supponant, neque ab alio principio prouenire possit. Sed electio est huiusmodi respectu liberi arbi-

trij: ergo. Minor quoad vtramq; partē conſtat ex his, quæ ſuperius diximus pleriſq; in locis, & ex his quæ dicentur inferius. Conſtat etiã: Quia electio neceſſario petit intellectualē cognitionem cũ indifferentia ad plura, & ex illa ſtatim oritur: ergo non poteſt conuenire agẽti non libero, & omnes alij actus ab eo agente procedentes eam debent ſupponere. Denique conſtat. Quia ille eſt primarius actus, per quẽ primario, & præcipuè diſtinguitur liberum arbitrium à potentijs brutorum, & alijs non liberis. Sed præcipuè ac primariò diſtinguitur in ordine ad electionem: ergo. Et cõfirmatur. Quia liberum arbitrium eſt reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem, ſed primus actus reſpectu eiuſmodi eſt acceptatio vnius præ alio, ſuppoſita cognitione proportionis, & conferentia &c. quod eſt eligere: ergo potiſsimus & primarius actus liberi arbitrij eſt electio. Quæ rationes quia fuſius in ſequentibus veniunt explicãdæ, ideirco nunc ſic leuiter proponũtur.

Solutio, replica. Dices cauſam ſiue principiũ liberum potiſsimum & primario diſtingui à non libero per indifferentiam ad vtrumlibet, quam alia non habent poſitis requiſitis ad agendum. Contra tamen eſt. Quia vel per indifferentiam illam intelligis omnimodam indeterminationem excludentem omnem inclinationem, aut propenſionem potentiæ, ſiue principij liberi reſpectu proprij obiecti in particulari præſentati etiã quoad exercitiũ actus, & hoc eſt difficile vt in ſequentibus fiet manifeſtum, vel intelligis indifferentiam, quæ opponitur determinationi & inclinationi omnino neceſsitanti, & quæ eſſe poteſt, ſcilicet cum aliquali determinatione etiã infallibili quoad exercitiũ actus ſecundum iudicium mentis & rationis diſcernentis cũ collatione &c. & hæc indifferentia eſt eſſentialiter cõueniens in ordine ad electionem, cum ea motio & determinatio rationis ſit electiõ modo explicando infrà. Sed dices primum actum reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem eſſe velle eligere media &c. Sed contra hoc eſt. Quia cũ illud velle quod dicis eſſe primum ſit in ordine ad electionem in idem redit. Secundò. Quia vel illud velle eligere eſt naturale & abſque vlla deliberatione explicita aut interpretatiua: & ſic in omni ſententia non eſt liberum, & conſequenter neque eſt actus liberi arbitrij, nec primus actus illius: implicat enim eſſe actum liberi arbitrij quatenus tale eſt, & non eſſe liberum niſi quæſtio fiat de nomine. Vel illud velle eſt poſt aliquã deliberationem rationis ſaltem virtualem aut interpretatiuam circa ipſum velle, aut non velle, & ſic velle illud eſt eligere ipſam electionem futuram mediorum. Quia vt conſtat ex morali Philoſophia omnis actus voluntatis ſequens rationis deliberationem eſt electio. Et ex hoc amplius confirmantur quæ diximus. Cum enim deliberatio & conſilium ex ſuo genere præcedant omnem actum liberi arbitrij, ille actus erit ex ſuo genere primus reſpectu liberi arbitrij, qui ex propria ratione ſit immediatior poſt deliberationem mentis. Sed electio eſt actus immediatè ſecutus poſt deliberationem: ergo.

Ad primam difficultatẽ ſuperius poſitam. Difficultates ſuperius poſitæ, quæ occurrebant circa ea quæ diximus & ſuperiùs tactæ ſunt à nobis facile diſſoluentur ex his quæ diximus. Nam circa priorem difficultatem, quã quis negari non poſsit, rationẽ principij ſecũdum ſe ſumptam eſſe latiſsimam, nihilominus tamen veriſsimum eſt plerumq; & frequentiſsime accipi, propriè, ſtrictè, & valde propriè, vt ſi dicamus cor eſſe principium vitę, & rationale eſſe principium diſcurſus, aut ſenſitiuum eſſe principiũ talium operationum, quod quidem propriè dicitur ablq; vlla æquiuocatione, vel analogia. Huius rei ratio eſſe videtur. Quia licet eius ſignificatio ſecundum ſe ſumpta tam latè pateat, & ſit adeo diffuſa & cõmunis, tamẽ vſus ipſe iam obtinuit, vt determinetur ad ſtandum ſolũ pro eo, quod magis conſonat ijs quibus coniungitur, & ijs quæ addũtur, vt etiã cõtingit in ijs potentia: facultas: vel poteſtas: cauſa &c. quæ latiſsime ſeſe extendunt. Quã propter cum in quouis alio fere maneret æqualis difficultas conuenientius ponitur loco generis ratio talis principij, quæ in præſenti ſtat pro actiuo principio, ſiue potentia immediata illius actus: & multò melius explicatur ſic. Quia liberum arbitrium etſi alicui potentiæ conueniat, non tamen eſt vt prima ratio potentiæ, ſed quaſi habitudo & differẽtia vel poteſtas illius in ordine ad ſpeciale obiectum. Et ſimiliter quamuis formaliter loquendo non ſit duæ potentiæ, vt aliqui voluerunt, ſed vna tantum, connotat tamen intrinſece aliam à qua neceſſariò dependet. Quæ omnia cùm multò melius explicentur nomine & ratione principij, merito per rationem principij definitur liberum arbitrium tanquam per rationem maxime propriam, & notiorem, & ita id fecit S. Thomas 1.2.q.6.art.1. & alias ſæpè D. Auguſtinus, & D. Damaſcenus 2. de fide Orthodoxa cap. 25. & 26. D. Bonauentura in 2. diſt. 25. quæſt. 1. art. 4. Durandus diſtinct. 24. quæſt. 2. num. 19 & 25. Capreolus quæſt. 1. artic. 2. in argumentis contra primam concluſionem, & artic. 3. in ſolutionibus. Albertus Magnus 2. part. tract. 4. quæſt. 16. membro 3 & 5. Ariſtot. primo Rhetoricorum cap. 13. & 3. Ethicorum ca. 1. vbi Sanctus Thomas, Donatus, Euſtratius, & omnes alij interpretes idem dicunt.

S. Thom. D. Auguſt. D. Damaſ. D. Bonau. Durandus. Capreolus. Albertus Magnus. Ariſtoteles. S. Thom. Donatus. Euſtratius.

Adde etiam, quòd quando dicitur liberum, eſſe principium intrinſecum, quòd intrinſecum ponitur tanquam differentia ſuperioris generis, nimirum voluntarij, neque omnino ſuperfluè poni vtrumque. Quia non habemus ſimplex nomen apte explicãs vnum & aliud.

Reliquæ difficultates diſſoluũtur. Reliquæ vero difficultates ſeu obiectiones etiam diſſoluuntur. Reſpondetur enim, quòd licet liberum arbitrium non excludat aliqualẽ motionẽ aut determinationẽ proueniẽtem

vel ab obiecto cognito, vel à Deo authore naturæ & gratiæ. Quia huiusmodi motio indifferens & connaturalis est necessariò requisita ad exercitium liberi arbitrij, vt infra explicaturi sumus. Excludit tamē essentialiter liberum arbitrium in suis actibus liberis peragendis omnem motionem, aut influxum & impulsum ab exteriori principio omnino determinantē, & necessitantem ad alteram partem, vt expresse D. Bernardus docet tractatu illo de libero arbitrio ante finem, & nos ostendimus supra ex communi Sanctorum sententia. Quocirca liberum arbitrium non tantum repellit violentam determinationem, sed etiam necessariā & naturalem, quamuis sit illa, quæ modo cōnaturali, & necessario, quo animalia ex iudicio à natura infixo determinantur. Huius rei ratio à priori est non solum, quia liberum arbitrium est essentialiter principium voluntarium perfectum, vt dictum est: sic enim tantum excluderet determinationem exteriorem repugnantem inclinationi, & determinationi principij voluntarij, non verò eam, quæ esset illi connaturalis cū modo necessario naturali, si dari posset etiam ab exteriori principio: sed etiā quia liberum arbitrium secundum suam specificam rationem est indifferens ad eligendum & non eligendum in exercitio: huic autem principio & modo specialis determinationis repugnat totalis determinatio ad alteram partem, vt cōstat ex dictis & constabit ex dicendis, etiam si illa determinatio sit connaturalis & ab intrinseco proueniens cum modo necessario: ergo omnino repugnat illi simili determinatio proueniens ab extrinseco, siue modo connaturali necessario, siue violento, atque ita actus illi & similes alij quo plus habent necessariæ determinationis, eo magis distant à ratione libertatis arbitrij: & quo plus habuerint determinationis violentæ, tanto minus habebunt de ratione voluntarij. *Obiectio.* Obijciūt tamen eam determinationem necessariam repugnantem libero arbitrio sufficienter excludi per rationem indifferentiæ, & potius quam per rationem intrinseci principij. *Solutio.* Respondetur, verum esse, neque tamen superflue poni propter dicta. Tum etiam quia cum id quo necessariò mouetur ab omnino extrinseco, vere non sit principium sui motus vt sæpius docet Diuus Thomas, sed illud in cuius potestate fuit talem necessitatem imponere etiam si sit extrinsecum, per ly, intrinsecum indicatur liberum arbitrium proprie & natura sua esse principium sui motus. An verò liberum arbitrium sit principium quoad specificationem determinatum respectu electionis vel alterius actus, vel qua ratione cum simili determinatione stare possit contingentia in agentibus naturalibus, & in intellectualibus eiusmodi indifferentia & immunitas atque solutio, quæ est de essentia liberi arbitrij, non solùm respectu actus contrarij, sed etiam contradictorij, quod non est parum difficile, explicabitur infra, vbi patebit clarius quæ indifferentia sit de essentia liberi arbitrij, & necessariò explicanda in eius definitione.

Ad aliam difficultatem superiùs positam negatur in Deo & Angelis non esse electionem. Et ad rationem, quæ in contrarium adduci solet, nimirum, quia electio includit aut intrinsece supponit deliberationē discursiuā. Respondet Sanctus Thomas 1. part. quæst. 69. artic. 3. ad 1. & quæst. 60. artic. 2. ad 1. & de veritate quæst. 24. artic. 3. in corpore & ad argumenta, & communiter Scolastici, aliam esse electionem perfectam, qualis est in Deo, & hæc supponit cognitionem perfectissimam sine vllo discursu, quæ etiam reperitur in Angelis: aliam imperfectam, quæ supponit cognitionem & deliberationem minus perfectam & cum discursu, & hæc conuenit hominibus de qua tantum loquitur Arist. Ad probationem eiusdem argumenti seu difficultatis iam patet ex dictis, electionem vel esse actum adæquatū liberi arbitrij quatenus tale principiū est, vel saltem primarium ac præcipuum, quem omnes alij supponunt, vt patebit inferius ex D. Thom. sicut etiam discursus est actus primarius, & præcipuus potentiæ rationalis, quē admiratio, risus, & similes alij supponūt & sequūtur, atq; ita non minus bene definitur liberum arbitrium per principium electionis, quā potentia rationalis per principium discursus, vt superiùs diximus. Ad priorem replicam seu cōfirmationem respondetur idem argumentum fieri posse in potentia rationali, quæ est principium actus discurrendi, quem non præcesserit alius discursus, cuius iste sit discursus quasi obiectiuus, nisi in infinitum procedatur. Quare ad vtrumq; respōdetur, quod aliud est actio eligendi siue discurrendi, quæ solet dici electio, vel discursus absolute, meliùs tamen discursus vel electio formaliter, id est actio, qua aliud formaliter sit discursum vel electū, aliud vero est electio siue discursus obiectiuè primò id, scilicit quod eligitur vel discurritur. Cū igitur dicimus actū potissimū & primariū esse discursum vel electionē non est necessariū neque ita intelligendū, vt actus primariò elicitus à libero arbitrio sit electio obiectiue. Quia est omnino impossibile omnem actum elicitum esse obiectiuè electionem, siue ex electione, cū necessario deueniēdum sit ad aliquem primū, qui formaliter tantum sit electio vel discursus, sine eo quod procedatur in infinitū, vt Caietanus docet 1. 2. q. 6. ar. 1. & ratio à priori in sequentibus fiet manifesta. Lege Capreolum in 2. dist. 24. q. 1. art. 3. ad 1. contra primam conclusionem. Adde etiam actū ipsum electionis nō solum esse posse electionē formaliter, hoc est, ipsam actionem eligendi aliud, sed etiam obiectiuè, sicut alibi dictum est posse esse proprie propter finē. Quia potest per aliā actionē priorem eligi, & in finem ordinari in aliquo tamē sistēdum est, vel naturaliter elicito,

In Angelis & Deo reperitur electio.

S. Thom.

Electio quæ reperitur in Deo propria est, & sine vllo discursu & hæc etiam reperitur in Angelis.

Ad primā cōfirmationem.

Caietanus. Capreolus.

vel ordi-

ordinato, vel qui, ſit formaliter actio ipſa eligẽdi, quæ ad hoc, quòd ſit libera eo modo, quo actio libera eſſe poteſt quando non eſt obiectum alterius volitionis, non requiritur vt ſit electio obiectiue, ſiue quod illam ſecundum ſe præcedat deliberatio. Cum verò homo temere operatur abſque cõſilio & electione potius vt brutũ, vel ſeruus, vt aliqui ſcholaſtici loquũtur, quã vt liberè operatur, dicitur tamẽ actus ille liber, quia potuit homo deliberare. Ad aliã replicam dico, quòd intentio vt aſſerit communis ſententia ſi ſumatur vt omnino præciſa ab electione eſt tantum vltimi finis, ſiue fęlicitatis vt ſic, & non eorum, quæ ſunt ad finem illaque intentio, quæ dicitur ſolùm voluntas non eſt actus liberi arbitrij, vt tale eſt, ſed naturalis amor beatitudinis præcedẽs omnem electionem, vt diſcipuli D. Thomæ ſentiunt. Alio modo ſumitur intentio pro amore finis vltimi in particulari, quem ſibi homo conſtituit. Et quamuis amor ille dicatur eſſe communiter intẽtio: quia reſpectu eorum quæ ad talem finem ordinantur ſe habet vt prima intentio, tamen reſpectu eorum, quæ ſunt ad fælicitatem vt ſic, ille amor ſecundum ſe potiùs habet rationem electionis, quod eſt manifeſtum. Quia homo cùm huiuſmodi finem ſibi conſtituit, & præſtituit, priùs deliberat an ille ſit finis ſibi conuenientior, & potens ſatiare, ſiue illum comparet cum alijs, ſiue non, atque ita finis ille vltimus in particulari habet rationem medij eligibilis ad finem omnium vltimum, & naturaliter volitum, qui eſt ſatietas proprij appetitus, ſiue fælicitatis. Ad illud verò de amentibus & pueris iam dictum eſt in ſuperioribus in ſpeciali diſputatione de hac re, vbi diſtinximus libertatem in moralem & phyſicam tantum. Ad illud Diui Bernardi ſentiendum eſt Diuum Bernardum in illis locis conſenſum pro electione vſurpaſſe, ſicut etiam D. Bonauentura in ſecundo diſtinct. 25. quæſt. 3. ad 2. & quæſt. 5. in reſponſionibus argumentorum. Ad illud vltimum de dominio liberi arbitrij reſpectu proprij actus. Reſpondetur dominium actus & poteſtatem voluntatis in ſe ipſam optimè explicari per electionem. Sicut enim ex hoc habet quis dominium & poteſtatem actus, & ſui ipſius, quia poteſt eligere, & de ſe ipſo deliberando ſupra ſe ipſum reflecti, vt docet D. Thomas, ita eiuſmodi dominium à priori explicatur per ipſam electionem, cuius etiam habet dominium agens liberum, quia poteſt ipſam electionem, vt obiectum bonum & ſibi conueniens eligere, vel non eligere, vt paulò ante diximus. Et tandem indifferentia, quæ eſt differentia propria cauſæ liberæ ſatis explicatur per poſſe eligere & non eligere, & multò meliùs in hac, quam in deſcriptione Neotericorum, & recentiorum huius ætatis. Quia illi ſolùm oſtendunt eam indeterminationem reſpectu actus vel operationis in communi: at verò Sanctus Tho. in ordine ad actũ ſiue operationem liberi arbitrij propriſsimã, & in particulari, quæ eſt electio.

Solutio quinti argumenti principalis contenti in primo diſcurſu.

His Iã prælibatis reſtat diſſoluere quintum argumentum, quod adducitur à S. Thoma 1. 2. q. 10. art. 4. & 1. p. q. 83. ar. 1. & in eadem 1. p. q. 19 & 14. ſæpe. Quod quidem magnificatur adeo ab authoribus oppoſitæ ſententiæ, & ab aduerſarijs noſtris, vt putent concludere, & S. Thomam non diſſoluiſſe illud ſufficienter. Cum tamen contenti eſſe debuiſſent cum ſolutione D. Thomæ. In qua re perpendere oportet à viro Catholico quòd non ſunt illationes & conſequentiæ illæ probandæ, quæ ab æmulatoribus cenſentur efficaces, quia aliàs datur occaſio paganis, & hæreticis auferendi liberum arbitrium. Nam ſi Deus diſpoſuit, prædefiniuit, & præordinauit omnia opera bona noſtra quæ ſecundum diſpoſitionem ſapientiæ ſuæ & prouidentiæ voluit efficaciter eſſe, & fieri eo modo atque forma, quibus Deus voluit rem euenire iuxtà illud Prophetæ, Omnia quæcumque voluit Deus fęcit in cœlo, & in terra: quæ ſententia continetur expreſſe in ſacris litteris, & eſt ſana diuinæ Theologiæ doctrina: cur aut qua via aduerſarij colligunt, quòd ex hac diuina prædefinitione & efficaci voluntate Dei ante præuiſionem futurorum operũ ipſorum hominũ, ſequitur ablatio liberi arbitrij, aut læſio eius. Imò vero S. Thom. in diſputatis de voluntate Dei q. 23. art. 5. inquit effectus contingentes non ſolum eſſe contingentes propter contingentiam cauſarum ſecũdarum, ſed magis propter diſpoſitionẽ diuinæ voluntatis, quæ talem ordinem rebus prouidit. Et idcirco dicit D. Tho. quòd Deus ſecundum quòd diſponit res aliquas ſic vel ſic fieri, adaptat eis cauſas illi modo, quem diſponit. Et iterũ oportet aſſignare principalem rationem contingentiæ in rebus, cui cauſa præaſſignata ſubſeruiat. Hãc autem principalem rationem contingentiæ aſſignat, quia voluntas diuina eſt agens fortiſsimum, & idcirco oportet eius effectum ei omnibus modis aſsimilari, vt non ſolum fiat id quod Deus vult fieri, quod eſt quaſi aſsimilari ſecundum ſpeciem, ſed vt fiat eo modo, quo Deus vult illud fieri, videlicet neceſſario vel contingenter, cito, vel tarde, quod eſt quaſi quædam aſsimilatio ſecundum accidentia. Et hunc quidem modum rebus diuina voluntas præfixit ex ordine ſuæ ſapientiæ. En quo pacto Deus præfixit, ſeu prædefiniuit res contingentes fieri non ſolum ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum modum contingenter, cito vel tarde ſicut ipſe diſpoſuit. Et pleriſque alijs in locis Sanctus Thomas in ordine ad actus humanos di-

S. Thomas.

Deus eo modo ſecundũ quem diſponit res aliquas ſic vel ſic fieri, adaptat eis cauſas illi modo quem diſponit.

xit Deũ ſtatuiſſe, & præordinauiſſe, aut prædeſtinaſſe noſtra opera. Male igitur aduerſarij contendunt D. Thom. nunquam dixiſſe de Deo, quòd prædefiniuit opera noſtra, imò verò effectus omnes prædeſtinationis, prædeſtinauit præordinauit, ac prædefiniuit. Nam hic non eſt ſermo de diuinis prædefinitionibus grãmaticaliter, ſed Theologicè. Et quidem Theologicè loquendo idẽ ſunt prædeſtinare, & prædefinire, præordinare, & præfigere. Imò verò idẽ ſunt præordinare, prædeſtinare, definire, & ſtatuere. Nam D. Hieronymus ad Epheſios 1. ſuper illud. Qui prædeſtinauit nos in adoptionẽ, &c. affirmat prædeſtinare idem eſſe quòd prædefinire. Et D. Auguſt. lib. 6. Hypogno. Prædeſtinare idem eſſe dicit, quòd præordinare futurum, & conſentit Sacra ſcriptura Actorum 13. vbi prædeſtinati appellantur præordinati in vitam æternã. Crediderunt, ait Lucas, quotquot erant præordinati in vitam æternam. Et vbi Latinus interpres, ad Romanos 8. & ad Epheſios 1. tranſtulit, prædeſtinauit, Græce habetur verbum quod eſt prædefinio, prædetermino, præſtituo. Et D. Auguſt. loco citato præordinationem cuiuſcumque boni appellat prædeſtinationem. Quare male intelligunt D. Damaſcenum authores oppoſitæ ſententiæ 2. lib. fidei Orthodoxæ cap. 30. quia eodem fere modo loquitur ſicut D. Hieronymus, & D. Auguſtinus.

D. Auguſ.

Actorum cap. 13.

Rom. 8.
Epheſios.

D. Auguſ.

D. Damaſ.

Male igitur negant authores oppoſitę ſententiæ non reperiri apud Sanctum Thomam Deum prædefiniuiſſe, aut præordinauiſſe futura contingentia. Nam ſi Theologice loquamur, & non grãmaticaliter paſsim hæc verba reperiuntur apud D. Thom. Quocirca non ſatis conuenienter ex prædefinitione, prædeterminatione, & diſpoſitione rerum, quam Deus in decreto prouidentiæ ſuæ, & inefficaci voluntate, & abſoluta ante præuiſionem omnium operum habuit, intulerunt, quòd ſi hoc eſt verum tollitur liberum arbitrium. Hanc enim conſequentiam fecit Lutherus, eamque approbauit, vt repelleret liberum arbitrium. Nam hoc eodem argumẽto vſus eſt. Nam certè ſi ex poſitione gratie efficacis prouenientis à Deo, tollitur liberum arbitrium, pari modo poſſent aduerſarij dicere, quòd ſi Deus prædeſtinauit D. Ioannem Baptiſtam, aut latronem pendentem in cruce ante præuiſionem operum, vel quòd ſi Deus prædefiniuit numerum prædeſtinatorum non tantum formaliter, ſed materialiter, & in particulari cum omnibus ſuis circunſtantijs, quòd læditur libertas prædeſtinatorum. Quia ſi prædeſtinatio Dei eſt efficax in prædeſtinatis ſequitur, quòd non libere ſaluantur. Quam conſequentiam intulit impius Lutherus. Imò verò Catherinus preſſus hac difficultate poſuit quendam numerum incertum hominum ſaluandorum, qui neque ſunt prædeſtinati, neque reprobi. A qua ſententia non abhorret vnus, vel alius ex noſtris aduerſarijs fugiens nomen prædefinitionis, prædeſtinationis, & prædeterminationis diuinæ. Diuus autẽ Thomas, & ſanctiſsimus in Eccleſia præceptor quamuis ſentiat difficultatem tactam, nihilominus nunquam iudicauit ex diuina prædefinitione, aut præmotione voluntatis noſtræ, ad rectè operandum lædi libertatem noſtram, ſed potiùs dixit voluntatem humanam, ita præmoueri, & determinari à diuina gratia, cum ſuo modo libero, vt pœniteat, vel conteratur, quod ſimul etiam ſe mouet, ſe agit, & ſe determinat. Nam certè principium ex ſe indeterminatum ad agendum, præcipuè in ordine ad ea, ad quæ vires non habet, debet determinari ab alio, vt communis Philoſophia docet, præcipuè ſi caret viribus ad agendum, vt contingit in libero hominis arbitrio reſpectu ſupernaturalium operum agẽdorum: igitur cum liberum arbitrium, ſit principium natura ſua indeterminatum, & carens viribus gratiæ, neceſſario oportet dicere, quòd determinetur ab alio. Nam quamuis ſe determinet voluntas, hoc tamen ſemper fit ſub determinatione Dei, etiam cum quadam dependentia à determinatione morali. Fatemur igitur liberum arbitrium determinari à Deo, & ſub hac determinatione etiam determinare ſeipſum actiue, cum quadam dependentia ab obiecto cognito, & ab vſu rationis, ac conferẽtia, & collatione eius, quod eſt verum non tantum in genere cauſæ finalis, & obiectiuæ, ſed etiam in genere cauſæ efficientis proprie. Nam certè cum voluntas ſe determinat ad piam aliquam operationem, vel actum ſupernaturalem, id quidem non aliter facit, quam eliciendo actum ſuum circa obiectum, ſed implicat voluntatem elicere actum illum, & quòd Deus non influat ad eductionem illius actus eliciti: ergo ſicut non ſtat cauſam ſecundam educere formam de potentia alicuius, & non influere in potentiam illam, à qua extrahit formam: ita implicat Deum influere ad eliciendum actum voluntatis, qui in potentia eius continebatur tam actiua, quàm paſsiua, & quòd non influat cauſaliter, & effectiuè propriè in eandem voluntatem, quæ tunc actiuè operatur eliciendo eundem actum. Cum igitur doctrina hæc veriſsima ſit, & neceſſariò concedenda; vndè rogo habent aduerſarij noſtri, quòd læditur libertas? Mirabile enim eſt hoc, quòd ſi premuntur hac difficultate, idcirco dicant conſequentiam adeo efficacem eſſe, vt nullam habeat reſponſionem, aut quòd ſtatim confugiant ad ſolam prædefinitionem, quam dicunt eſſe factam à Deo ex præuiſione operum, quaſi expectando influxum voluntatis noſtræ, & præuidendo prius futuritionem illius, quàm Deus id decernat, aut prædefiniat, quod quidem eſſet Deum agere non ex conſilio

voluntatis ſuæ, ſed ex conſilio voluntatis noſtræ præuiſæ antecedenter ad ſuum decretũ. Adde etiam eſſe de fide Deum efficienter proprie influere in determinationem voluntatis noſtræ, qua voluntas, ſe ad conuertendum determinat per eundem contritionis, & conuerſionis actum. Nam cum illa determinatio ſit aliquid reale, & poſitiuum, imò verò aliquid ſupernaturale in his, qui conuertuntur, vel pœnitentiam agunt, non ſolum illa eſt à Deo moraliter præmouente, & eliciente ex obiecto, & fine, & alijs motiuis, ſed etiam eſt à Deo efficienter influente, & cauſante proprie. Quòd ſi efficienter proprie cauſet, modo ſuperius explicato, ſubordinando etiam ſibi cauſam ſecundam elicientem actum ſuum, ſequitur Deum prioritate naturæ influere in eandem cauſam elicientem, & exeuntem de potentia ad actum illum poſitiuum, & realem, à cuius potẽtia extrahitur, & fit tam ab ipſa voluntate quàm à Deo. Et cum hoc ſit veriſimũ in ſchola D. Tho. imò verò ſit ſana doctrina: ſequitur hoc nullam habere omnino repugnantiam cum modo libere operandi voluntatis.

An ſit de ratione liberi, quòd ſit primum principium? & quod Deus non decernat ex præuiſione futurorum.

SED quoniam ex motione voluntatis, qua Deus ſua gratia eam mouet, ſuoque influxu in eam influit, authores oppoſitæ ſententiæ intulerunt lædi libertatem ipſius, obſeruandum eſſe iudico pro ſolutione argumenti, nouum non eſſe voluntatem, ſiue liberum arbitrium non eſſe cauſam abſolute, & ſimpliciter primam ſui motus, ſiue ſeipſam mouentem, ac determinantem ad exercitium proprij actus, quamuis in ſuo genere non ſolum ſit immediata, ſed etiam prima cauſa, vt explicabitur infra, cum id expreſſe docuerit Sanctus Thomas; nimirum nõ eſſe de ratione liberi arbitrij, quòd ſit prima cauſa ſui motus, aut quod ita ſe moueat, quod non moueatur à Deo. Nam hoc expreſſe ſenſit Sanctus Thomas 1. part. quæſt. 83. art. 1. ad 3. vbi dicendum ait, quod liberum arbitrium eſt cauſa ſui motus. Quia homõ per liberum arbitrium ſeipſum mouet ad agendum, non tamen hoc eſt de neceſsitate libertatis, quod ſit prima cauſa ſui id quod liberum eſt, ſicut neque ad hoc, vt aliquid ſit cauſa alterius requiritur, quòd ſit prima cauſa eius. Deus igitur eſt prima cauſa mouens, & naturales cauſas, & voluntarias, &c. Et prima ſecundæ, quæſtione 6. articulo 1. ad 1. Dicendum, inquit quòd non omne principium eſt principium primum. Licet: ergo de ratione voluntarij ſit, quòd principium eius ſit intra, non tamen eſt contra rationem voluntarij, quòd principium intrinſecum cauſetur, vel moueatur ab exteriori principio à quo pendet neceſſariò, & cui ſubordinatur non ſolum in eſſe, & fieri, ſed in cauſare. Quia non eſt de ratione voluntarij quòd principium intrinſecum, ſit primum principium, &c. Ibi autem Sanctum Thomã accipere voluntarium pro libero eſt manifeſtum, vt communiter diſcipuli D. Thomæ explicant ſuper illum locum 1. 2. q. 6. art. 1. ad 1. & 2. & 3. & quæſt. 9. art. 4. ad 1. vbi etiam ait, quòd de ratione voluntarij eſt, quòd principium eius ſit intra, ſed nõ oportet quòd principium intrinſecum, ſit primum principiũ nõ motum ab alio. Vndè motus voluntarius, etſi habeat principium proximum intrinſecum, tamen principium primum eſt ab extra, ſicut & primum principium motus naturalis eſt ab extra, quod ſcilicet mouet naturam, & idẽ dicit ad 2. & 3. & quæſt. 109. art. 2. ad 1. & 1. p. q. 103. art. 5. ad 3. id ipſum indicat; & quæſt. 105. art. 4. ad 2. & 3. & quæſt. 82. art. 4. ad 3. de veritate quæſt. 24. art. 1. ad 3. & 5. & in ſolutionibus argumẽtorum D. Antoninus 1. p. tractatu 4. cap. 2. Ex tertia inquit particula definitionis oſtenditur gratia neceſſaria ad bene agendum: nec tamen ex hoc tollitur libertas: liberum enim arbitrium eſt cauſa ſui motus per hoc quod homo ſeipſum mouet ad agendum, non tamen hoc eſt de neceſsitate libertatis, quòd ſit prima cauſa ſui id quod liberum eſt, qui ſane de cauſa motus loquitur, ſicut etiam Sanctus Thomas, & non de cauſa productiua potentiæ, vel ipſius ſuppoſiti. Idem voluit Capreolus in 2. diſtinctione 25. articulo 3. ad 1. & 2. Scoti contra ſecundam concluſionem. Medina prima ſecundæ, quæſtione 9. art. 4. Idque conſequenter affirmãt, & tenentur aſſerere qui ſequuntur Scotum dicentem diuinam voluntatem eſſe primam radicem libertatis, eo quòd ſit cauſa eminentiſsima apprimeque ſuauiſsima, & efficaciſsima primario mouens, ac determinans voluntates creatas. Hoc idem ſenſit Antonius Cordubenſis lib. 1. quæſtion. vbi ſupra, qui eam ſententiam dicit eſſe comunem omnium. Ex qua doctrina ſoluuntur obiectiones, quas adducunt authores oppoſitæ ſententiæ. Et huic doctrinæ, neque deeſt authoritas D. Auguſt. neque ſacræ ſcripturæ, vt ſuo loco dicemus.

S. Thom.

Capreolus.

Magiſter Medina.

Antonius Cordubenſis.

Et quamuis fortaſſe videatur alicui non eſſe contra naturam liberi arbitrij creati eſſe principium omnino primum ſeipſum mouens, & applicans, ad omnẽ actũ ſuũ; vt indicare videtur moderni ex vulgari illa deſcriptione cauſæ liberę, quã adducũt, vt cõmuniter intelligitur præcipuè ab eiſdẽ iunioribus, illa nimirũ definitio ꝙ poſitis requiſitis ad agendũ poteſt agere, & non agere. Certius tamen

est & apud D. Thomam indubitatum, id esse valde alienum à natura voluntatis creatæ, & arbitrij creati, & oppositū omnino verum, ni mirū quòd liberum arbitriū creatū non habet ex natura sua esse primū principiū se mouēs, & applicans. Quare D. Augustin. de ciuitate cap. 85. & alijs, & cap. 98. & 91. censet omnino nullam secundam causam creatam posse esse primum mouens ac determinās alias etiā indirectè, sed in diuinam voluntatem esse vltimatè reducendum omnem motum, siue actū voluntatis creatæ, vt in primum authorem, & causam mouentem, & applicātem illā ad exercitium talis actus, etsi non eodem modo diuina voluntas, sit illorum omnium author, & causa, vt interpretaturi sumus inferiùs. Ita ergo S. Thom. 1.2. quæst. 9. art. 5. ad 1. ait, quòd multiformes motus voluntatis humanæ reducuntur in aliquam causam vniformē, quæ est in intellectu, & voluntate superiorum, quod dici non potest de aliqua superiori substantia materiali. Vndè non oportet, quòd motus voluntatis in motū cœli reducantur, sicut in causam. Quia vt optimè colligit S. Thomas 1.2. q. 9. per totam, quamuis volūtas moueatur ab exteriori principio, tamē à solo Deo mouetur tanquam ab exteriori principio. Quod debet intelligi de motione efficienti. Quia de motione, quæ fit ab obiecto, ab intellectu, & ab appetitu, iam dixerat quòd voluntas est mouēs motum per appetibile intellectum, & cognitum. Imò verò dicit, quòd mouetur etiam ab appetitu sensitiuo, quod qua ratione fiat, explicat art. 2. & pleriſq; alijs in locis. Et tandē concludit, quòd ita voluntas est domina sui actus, quòd in potestate sua habet mouere seipsam ad volendum, & quòd sicut intellectus per hoc quòd cognoscit principiū reducit seipsum de potentia in actū, quantum ad cognitionem conclusionum, & hoc modo mouet seipsum, ita voluntas per hoc quòd vult finem mouet seipsam ad volendū ea, quæ sunt ad finem, hoc tamen non excludit, quòd voluntas moueat seipsam, etiam efficiēter proprie. Nā reuera efficienter proprie seipsam mouet, & pari ratione hoc non excludit, quin moueatur à Deo, & reducatur, de potentia ad actum exercitum, & quin moueatur à Deo per intētionem finis. Vndè præceptor Sanctissimus dicit voluntatem eo modo, quo mouetur quātum ad exercitium actus, necessariò oportere quòd moueatur ab aliquo exteriori principio, & non à corpore cœlesti. Et concludit oportere, quod à solo Deo moueatur sicut ab exteriori principio. Quia solus Deus potest esse causa volūtatis. Vndè in prædicta q. 9. ar. 6. dicit D. Tho. quòd Deus mouet specialiter homines ad aliquid determinate volendū, sicut euenit in his, quos mouet per gratiā. Nā certè in his Deus mouet peccatores, & infideles, qui cōuertūtur ad aliquid determinate volendū, ideſt suā conuersionē, vel pœnitentiā. Semper igitur motus voluntatis hominis qui cōuertitur, non solū cum pulsatur à Deo, sed etiā in ipso actu cōuersionis volūtatis nostræ ad Deum, est primario à Deo, ideoque in illum, vt in primum authorem reducendum esse docet specialiter Sanctus Thomas 1. parte quæst. 116. art. 1. in corpore, vbi ait, quòd nihil prohibet ea, quæ hic per accidens aguntur, vt fortuita, vel casualia, reduci in aliquam causam ordinantē, quæ per intellectum agat, & præcipue in intellectū diuinū. Nam solus Deus potest voluntatē immutare, vt supra habitū est, nimirū q. 105. 106. 111. Et per consequens ordinatio humanorū actuū, quorū principiū est voluntas, soli Deo attribui debet. Et tandem 1. p. loco citato nimirū q. 116. art. 2. ad 2. inquit, quòd nihil prohibet aliqua esse fortuita, vel casualia per comparationem ad causas proximas, non tamen per cōparationem ad diuinam prouidentiam, sic enim nihil temere fit in mundo, vt D. Augustin. dicit lib. 83. quæstionum quæst. 34. tomo 4.

Ex quibus omnibus apertè colligitur, quòd si Deus operaretur ex præuisione operū futurorum antecedenter ad suum decretum, & ad ipsius prædefinitionē: quòd antecedenter ad decretum, & statutū seu prædefinitionem Dei verè daretur casus, & fatū respectu Dei in futuritione illa futurorū contingentiū liberorum præuisa antecedēter ad decretum suū, & ad suā diuinā ordinationē, & præordinationem. Cum tamen fatum Deo conuenire non possit, neq; casus. Quia non solum operatur omnia ex consilio volūtatis suæ, sed etiā operatur ex decreto, & prædefinitione antecedēter ad præuisionē futuritionis rerum. Doctrina igitur est D. Thomæ pene infinitis in locis, quòd sicut motus hominis corporales reducūtur in motum corporis cœlestis, sicut in primū mouens corporale, ita omnes motus tā corporales, quàm spirituales reducuntur in primum mouens simpliciter, quod est Deus. Et idcirco quātumuis natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta nō potest in suum actū procedere nisi moueatur à Deo, &c. Quod docet S. Thom. 1. 2. q. 109. art. 1. vbi dubium nō est quin agat de motione illa præuia, vt patebit legenti, & expressius art. 2. sequenti ad 1. vbi inquit hominem esse dominum suorum actuum, nimirum volendi, & non volendi propter deliberationem rationis, & quòd oportet liberum hominis arbitriū moueri ab aliquo exteriori principio, videlicet à Deo. Quia homo etiam sanus non ita habet dominium sui actus, quin indigeat moueri à Deo, & multò magis liberum arbitrium hominis infirmi post peccatum. Vndè lib. 3. contra gentes cap. 89. Diuus Thomas sic ait. Quidam verò non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque præiudicio libertatis voluntatis creatæ conati sunt has authoritates malè exponere, vt scilicet dicerent, quòd Deus causat in nobis velle, &

D. Augusti. — S. Thom. — D. Augusti. — S. Thom. — S. Thom. li. 3. cōtra gēt. cap. 89. 90. 92. & 93.

perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem ſic quòd faciat nos velle hoc vel illud, ſicut Origenes exponit 3. Periarchon, liberum arbitrium defendens contra authoritates prædictas, & ex hoc proceſſiſſe videtur ſentētia quorūdā dicentiū quòd prouidentia non eſt de his, quæ ſubſunt libero arbitrio, ſcilicet, de electionibus, &c. Quibus quidem euidenter reſiſtitur teſtimonijs ſcripturæ ſacræ iuxta illud Eſaiæ 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.

Prouerbiorum. 21.

Quod autem Sanctus Thomas non velit ſolum probare auxilium, ſiue concurſum concomitantem, ſed præuiam determinationem de qua loquimur, patet, tum quia nunquam, id videtur negaſſe. Tum etiam ex verbis recitatis, cùm dicitur quòd Deus facit nos velle hoc vel illud. Id etiam conſtat ex illo Prouerbiorum 21. Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit vertet illud. Hoc idem confirmat Ariſtoteles in 8. Eudemicæ Ethicæ, vbi Ariſtoteles colligit Deum mouere nos, quia eſt primum principium noſtrorum conſiliorum, & voluntatum. De qua re leges S. Thom. 3. contra gent. cap. 89. 90. 91. 92. & 93. Legendus eſt etiam Diuus Auguſtinus 5. de ciuitate cap. 8. Chryſoſtomus 1. ad Timoth. 1. hom. 1. colum penultima. Damaſcen. 2. de fide cap. 29. quibus non contradicit id, quod capite ſequenti habetur, cùm ſtatim ibi explicet ſeipſum prædefinitionis nomine intelligere neceſſariam determinationem, quē modum intelligendi habet D. Thom. explicans Damaſcenum lib. 3. contra gentes cap. 90. in fine. Quo in loco cum S. Tho. adduxiſſet teſtimonia ſcripturæ oſtendentia libertatem arbitrij noſtri, quale eſt illud Eccleſiaſtici 15. Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Ante hominem vita, & mors bonum, & malum quod placuerit ei dabitur illi. Deut. 3. Conſidera quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum, & è conuerſo mortem, & malum. Hæc autem teſtimonia, inquit D. Tho. inducuntur, ad hoc vt oſtendant homines eſſe liberi arbitrij, non tamē, vt eorum electiones à diuina prouidentia ſubtrahantur. Similiter quod Gregorius Niſſenus dicit in libro, quem de homine fecit, dicens. Prouidentia eſt eorū, quæ non ſunt in nobis: non autem eorum, quæ ſunt in nobis, quem ſecutus eſt Damaſcen. lib. 2. fidei cap. 30. affirmans quòd ea, quę ſunt in nobis Deus prænoſcit: ſed non prædeterminat: exponenda ſunt, inquit D. Tho. vt intelligantur ea, quæ ſunt in nobis diuinæ determinationi non eſſe ſubiecta, quaſi ab ea neceſsitatem accipientia.

Ariſtoteles

D. Auguſtinus.

D. Chryſoſt.

D. Damaſ. S. Thom.

Eccleſiaſt. 15.

Deutero. 3.

Gregorius Niſſenus.

D. Damaſ.

Dupliciter vnum poteſt determinari ab alio primò quoad exercitiū, & quaſi efficiēter, ſecūdo quātum ad ſpeciē, & quaſi in genere cauſæ materialis.

Dupliciter autem vnum poteſt determinare aliud, vel determinari ab alio. Primò quidem quoad exercitium, & quaſi efficienter. Secundo quoad ſpeciem actus eliciendi, vel in genere cauſæ materialis; & quidem Deus mouet voluntatem non ſolum efficienter, moraliter, aut perſuadendo, vel oſtendendo obiectum, incitando, & miris modis pertinētibus ad moralem motionem, ſed etiam ſub eadem motione morali, & cum quadam dependētia, & connexione cum ea; ſimul inclinando, & efficienter propriè ſuauiter trahendo voluntatem ad ſe. Quem modum appetit liberum arbitrium, vt ſic. Nam appetit ſe mouere, & agere ſub diuina motione. Vndè ita mouetur à Deo, vt ſimul etiam ſeipſum moueat cum ſuo modo libero. Imò verò liberum arbitriū dum recipit gratiam Dei ex diuina ordinatione factum eſt, vt recipiat eam cum quadā perfectione, qua gratia liberum perficit arbitrium, ita vt ad modum recipientis recipiatur. Deus igitur quoad actuale exercitium ſui concurſus, & ſuæ diuinæ motionis etiam præmouet nos ſeruato noſtro modo libero, quod in tantum eſt verum, quòd omnem cauſam ſecundam naturalem etiam moueat, & determinet quoad exercitium, cum ſuo modo naturali, & hoc voluit 1. p. q. 83. & q. 105. Et quamuis cùm voluntas agit, & operatur, v. g. actum pœnitentiæ, actus ille ſit determinate in ſpecie pœnitentiæ, vel iuſtitiæ vindicatiuæ, tamen hæc determinatio ſpecifica, quæ ſumitur formaliter ex obiecto pœnitentiæ, aut iuſtitiæ vindicatiuæ, & ex habitu infuſo, vel ex actuali Dei gratia, totum inquam hoc eſt efficienter à Deo. Neque determinat Deus neceſſariò voluntatem noſtram more pecudū, ſicut determinat brutum ad ſuos actus vitales. Nam determinat hominem, vt diximus cum vſu rationis, cum collatione, & conferentia, & proponendo obiecta, & rationes, oſtendendo que indifferentiam mediorum, ad finē ſub quibus habet trahere hominem. Bruta verò ex iudicio à natura infixo, & cum modo neceſſario ſibi connaturali. Vndè negari non poteſt, quòd cauſa prima, à qua omnia ſimpliciter pendent, eſt cauſa principians determinationem voluntatis noſtræ, & quamuis ſimul in eodem inſtanti dicatur principiare determinationem noſtram, in quo eodem ſimul ſe determinat noſtra voluntas, tamen Deus vt primum principians, & inchoans, & cauſans eandem determinationē, & vt cauſa principalis prima dicitur priùs natura principiare & inchoare. Quod voluit D. Ambroſ. lib. 1. de vocatione gentium cap. 1. dicens. Primitus itaque de voluntatis humanæ motibus, & gradibus diſputandū eſt: interquam, & gratia Dei quorundā non ſana diſcretio eſt, exiſtimātiū quod prædicatione gratiæ liberum negetur arbitrium, nec aduertentium eadem regula ſibi poſſe obijci quòd gratiam negent, cum eam humanæ voluntatis non ducem volunt eſſe, ſed comitem. Quod teſtimoniū authores oppoſitæ ſententiæ aliquando viderūt, & pauci illud citant, & quod peius eſt ſi ipſum citant, auferunt ab eo poſtremum illud verbum, ſed comitem. Damnat enim Diuus Ambroſius, dicens eſſe quorundam non ſanam diſcre-

D. Ambroſius.

D. Ambroſius.

tionem;

tionem; facere gratiam Dei in actibus, & motibus voluntatis liberæ, ad eos nimirum actus liberæ voluntatis concurrentem, esse tantum comitem, & non præuiam.

Inter Sanctos nũquã fuit difficultas de motione morali.

Tota autem difficultas circa concordiam liberi arbitrij, quam mouerunt antiqui patres & quam senserunt Ambrosius Augustinus, Prosper, Hilarius, Sanctus Thomas, & Anselmus, non fuit propter modum mouendi voluntatem moraliter, quia in hoc nulla erat omnino difficultas, vt dixit Diuus Augustinus, & etiam D. Thom. id ipsum approbans. Quia amicus solet amicum ex nolente facere volẽtem, & mouere illum persuasionibus expectando tempus, & locum, & occasionem, & vtilitatem obiecti, & finis, considerata etiam complexione, & conditione operantis. Imò verò aliquando necessitatem eius qui persuadendus est, & mouendus moraliter, quod satis explicuit D. August. lib. 1. de prædestinatione sanctorum extollens modũ illum operandi Dei, quod facit volentes ex nolentibus. Igitur difficultas concordiæ non est nata, aut orta ex illa præmotione morali. Quia hæc apertissimum semper habuit exitum, & manifestissimam ianuam concordiæ, sine difficultate vlla, sed habuit difficultatem propter efficientem concursum, & influxum Dei inchoantem determinationem voluntatis nostræ etiam in genere causæ efficientis propriè. Et ob id repetit Sanctus Thomas, tot argumenta, & hoc quintum, quod nos adduximus. Vndè S. Thom. 3. contra gentes cap. 92. dicit quòd Deus solus directè operatur, ad electionem hominis, Angeli verò quamuis operentur, ad eandem electionem, tamen operantur per modum persuadentis. En quomodo distinguit motionem moralem ab efficiente. Nam moralem sensit posse conuenire etiam Angelis persuadendo: Deum verò affirmauit esse solum qui directè ad electionem hominis operatur. Et inferiùs, inquit D. Thom. quòd diuina prouidentia est gubernatiua, & quòd præter hoc est factiua entis in quantum est ens, & quòd idcirco omnia sub se continet, & hinc colligit cap. 90. electiones, & voluntates humanas subijci prouidentiæ Dei, factioni, & gubernationi eius.

S. Thom. 3. contra gentes cap. 92.

D. Thom.

Ad argumentum ergo respondetur, quòd cum Deus sit infinitæ virtutis, & efficaciæ dubium non est quin possit, si vult necessitare voluntatem, sed tunc mouebit eam cum modo necessario, & non cum modo libero. Cæterùm si Deus vult mouere voluntatem, cum modo connaturali libertati eius debet eam mouere non ex iudicio à natura infixo, sed præcedente collatione, & conferentia ex parte intellectus, & iudicio libero cum quadam indifferentia rationis cum respectu ad media, sine connexione, & determinatione necessaria ad opus, sicque sub hac motione morali mouendo etiam intellectum, & voluntatem efficienter propriè. Nam certè nõ stat Deum operari moraliter circa voluntatem persuadendo, ostendendo obiectum, incitando, & inclinando voluntatẽ cum operatur ab intus, & quòd non influat simul efficienter propriè in volũtatem, & etiam in intellectũ, ipsum mouendo, ad conferentiam, & collationem, ipsumq; illustrãdo, vt iudicet. Quia hæc non fiunt, sine influxu efficiente, præcipuè in operibus gratiæ supernaturalibus, quam ducem esse vult D. Ambrosius in actibus, & motibus liberis eiusdem voluntatis. Nam Deus in huiusmodi operibus non mouet, neque determinat voluntatem more causarum naturalium, aut more pecudum, vt dictum est sæpius. Imò verò diuina prouidentia influens, & perse causans circa liberum arbitrium etiã est perse causa, quòd effectus contingenter proueniant, & quòd electiones liberè fiant à voluntate cum quadam certitudine infallibili, vt optimè explicuit S. Thom. lib. 3. contra gentes cap. 94.

Respondet secundo S. Thomas huic quinto argumento 1. 2. quæst. 10. art. 4. dicens Deum sua voluntate mouere nostram, secundum modum connaturalem agendi eius. Nam omnia mouet, secundum eorum conditionem, ita vt ex necessarijs causis per diuinam motionem consequantur effectus ex necessitate, ex causis autem liberis per eandem motionem sequantur effectus contingenter, & liberè. Non quidem per eandem motionem cum modo mouendi necessario, sed cum modo mouendi libero, & connaturali ipsi voluntati adaptando influxum motionem que suam cum modo operandi ipsius voluntatis, & non ex necessitate determinationis, ad vnum, sed ex suauitate determinationis liberæ. Quia diuina voluntas non tantum se extendit, vt aliquid fiat per secundam causam, seu per rem, quam mouet, sed vt etiam eo modo fiat, quo congruit naturæ ipsius. Vndè magis repugnaret diuinæ motioni, si voluntas moueretur ex necessitate, quod suæ naturæ non competit, quam si moueretur liberè, provt suæ naturæ congruit, & competit, quatenus actus voluntatis emanat à voluntate creata libera, & maximè subdita Deo, suæque diuinæ motioni, quæ & est suauissima pariterque efficacissima, & virtute multiplex. Neque valet dicere, vt authores oppositæ sententiæ interpretantur, quòd quando Sanctus Thomas affirmat, Deum mouere voluntatem, eam interiùs inclinando, nihil aliud vult, quàm Deum produxisse inclinationem interiorem seu intrinsecam, quasi habitualem, sicut dicitur de virtutibus aliarum causarum naturalium. Nã non loquimur de inclinatione naturali, & impulsu voluntatis ad bonum, vt sic, quod est eius obiectum, sed loquimur de motione voluntatis, qua Deus mouet eam in genere causæ efficientis, & quoad exercitium,

S. Thomas 1. 2. q. 10. art. 4. Deus mouet nostrã volũtatem non vtcunque, sed secũdum modum connaturalẽ eius.

citium. Potest enim Deus sub motione morali, & cum quadam connexione ad eam, & dependentia mouere eam efficienter. Quod vere intellexit Sanctus Thomas 1.2. loco citato. Imo verò 1. part. quæst. 83. & 105. Rursus aliquando etiam Deus imprimit ipsi voluntati creatæ nouum affectum inclinantem, ad aliquod bonum, vel ad aliquod obiectū determinatè bonum, quod etiam efficienter facit eum influendo. Nam aliquo modo est simile, quod de habitibus ab ipsa volnntate etiam efficienter, & liberè adquisitis, dicitur qui etiam inclinant, ad hoc, vel illud faciendum. Indigent tamen reductione ad actum, & exercitium. Et quando infertur in argumento, ergo Deus cum mouet voluntatē hominis ipsa necessariò mouetur, & non libere, negatur consequentia propter rationes iam assignatas. Et quando dicitur, quòd Deo resisti non potest iuxta illud Pauli, ad Roma. 9. *Voluntati eius quis resistit?* Respondet Stapletonus lib. 4. de gratia, & libero arbitrio cap. 8. dicens, ad quædam loca D. Augustinum præcipue circa propositum, de quo nūc agimus Diuum Augustinum voluntatis libertatem in reluctando gratiæ non excludere, sed infallibilitatē operationis eius docere, & quòd causa cur alius venit, ad Christum, alius verò non venit, ponitur gratia Dei, quia illa est potissima, & efficacior causa, & hanc dicit esse sententiam Diui Augustini: eumque negare voluntatem esse causam discriminis, cur alius venit, & alius non venit, non sanè quia nulla causa est voluntas, sed quia posterior, & inferior causa est, quam propterea aliquando Augustinus agnouit, & docuit. Legendus est lib. secundo de peccatorum meritis, & remissionibus cap. 5. & 18. & de spiritu, & littera cap. 34. & lib. 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 6. & 8. & lib. de gratia Christi cap. 14. quæ omnia loca nihil aliud ostendunt, quàm infallibilem quidem, & efficacissimam gratiæ operationem, non tamen necessariam. Addit verò Stapletonus, nisi ex suppositō, sicut enim quæ Deus præscinit futura, imò & quæ nos videmus aliquando fieri infallibiliter quidem fiunt, & necessariò ex suppositō in se, libere tamen, & contingenter in causis suis fieri possunt, sic quibus datur efficax gratia infallibiliter operatur, libere tamen. Sic rem hanc exponit Sanctus Thomas prima secundæ, quæst. 112. articulo 3. sic etiam Augustinus lib. 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 8. Denique circa hanc solutionem, & doctrinam notat Stapletonus, loco citato valde esse perpendendum, quòd aliud est quærere, an voluntas adiuta à Deo gratiam de facto repudiet, aliud, an repudiare possit. Et quod idcirco non dixit adiuuanti gratiæ à voluntate resisti, sed posse resisti si velit, sicut etiam Concilium Tridentinū solerter loquitur sessione 6. canone 4. Quod verum erit quamuis nunquam propter gratiæ efficaciam resistat. Quemadmodum confirmati in gratia in hac vita, vt de Virgine, & Apostolis credit Ecclesia, non peccauerunt post confirmationem, peccare tamen potuerunt, ideoque peccatum libere vitabant, sic efficacia certitudo, vel infallibilitas alicuius efficacissimæ gratiæ non tollit libertatem suscipientis illam gratiam, neque possibilitatem resistendi illi gratiæ. Vndè de hac infallibilitate gratiæ efficacis intelligenda sunt difficillima loca Augustini, lib. de correptione, & gratia cap. 14. Volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium: sic enim velle, aut nolle in nolentis, aut volentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. Quæ verba non tollunt liberam voluntatis actionem, sed Dei circa eas operationem infallibilem, & efficacem ponunt iuxta doctrinam D. Augustini in plerisque alijs locis. Vndè D. August. lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 17. docet voluntatem bonam aliam esse paruam, & inualidam, aliam magnam, & robustam, vtramque autem à Deo dari. Solutio igitur argumenti ex his colligitur. Nam cum homo liberè consentiat, neque auferatur ab eo libertas, tum mouetur à gratia Dei, tunc quamuis possit resistere, quia liberè consentit, tamen de facto nunquam dabitur quoad propositiones de inesse, quòd homo habeat concursum, & influxum gratiæ adiuuātis, & quòd de facto resistat, minimè consentiendo. Nam voluntati, & dispositioni diuinæ nemo resistit de facto, sed certissimè consentit, & operatur liberè. Caietanus explicans locum Pauli, & verba illa. Voluntati eius quis resistit, ait, quòd resistit, ponitur pro resistit, quasi dicat, nullus. Theophylactus verò ad Romanos 9. explicans hunc locum cum verbis illis præcedentibus, Cuius igitur vult miseretur, & quem vult indurat, ait, quòd Paulus infert conclusionem, ac demonstrat quòd non oportet causam ex Deo petere, cur sic agat. Cuius enim vult miseretur, & quem vult indurat. Et infra. Dices igitur mihi quid adhuc quæritur, voluntati enim eius quis resistat? Conatur, inquit Theophylactus per omnia, quod sæpe numero dixit commonstrare, quod soli Deo sint cognitæ suæ rerum dispensationes, eaque iudicia. In quibus verbis persuadet Paulus incomprehensibilia esse iudicia Dei, atque adeo humani generis captum excedere. Nam hæc obiectio producta est à Paulo, vt demonstraret hæc esse plane dubia nobis, soliique Deo cognita, & perceptibilia. Vndè os hominis volentis respondere obstruxit dicens. O homo tu quis es, qui ex aduerso respōdeas Deo. Præterea cum dicitur, voluntati eius quis resistit, Græci explicant, quis repugnet, vel contra respondeat.

Diuus Anselmus, ad Rom. 9. explicans verba Pauli. Dicis itaque mihi: Quid adhuc

Efficacia gratiæ non tollit libertatem hominis.

Rom. 9.

Stapleton.

D. Augustin. lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 17.

D. Augus.

Caietanus.

Teophyl.

S. Thom. 1. 2. q. 112. art. 3.

D. Augus. lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 8.

D. Ansel.

quæritur,

queritur, voluntati enim eius quis resistit? O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui finxit se, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Inquit ergo Anselmus ex prædicta sententia, præuidisse Paulum moueri audacem infirmitatem eorũ nimirum, qui secundum coniecturas cordis humani, inscrutabilem altitudinem iudiciorum Dei cogitare conantur, & de culpis suis se excusare nituntur, & hanc sibi ex aduerso sententiam opponens, ait. Quoniam dixi, quia Deus, cui vult miseretur, & quẽ vult indurat, idcirco dicis, & obijcis mihi. Quid adhuc queritur Deus de nobis? Nam volũtati eius quis resistit? Hoc est dicere. Quid de nobis fit querela quod Deum offendamus male viuendo, cum illius voluntati nemo possit resistere, qui nos obdurauit misericordiam non præstando? Conqueritur enim Deus sæpe de hominibus, vt constat ex sacris litteris, quod nolunt credere, neque rectè viuere, ipsi verò dicunt impie. Cur queritur Deus, atque accusat nos, vel bona non feciſſe, vel mala feciſſe, cum in potestate illius sit, & voluntate, absque bonis, vel malis operibus, vel eligere aliquem, vel abijcere, præsertim, cum voluntati eius humana fragilitas resistere non possit? Cur querelam facit, de peccato hominis, cum nequeat vitare quod ipse vult? Sic solent carnales, & pessimi in voluptatibus viuentes murmurare aduersus Deum, & voluntati eius, non suo vitio quod mali sunt tribuere, validamque contra Deum calumniam parare. Hos redarguit Paulus de huiusmodi præsumptione, & dissoluit quæstionem eorum dicens. O homo tu quis es, qui respõdeas Deo? Hoc est, ex eo quod respondere vis Deo calumniam facis. Et quoniam de scripturis tanta perquiris, vt loquaris contra Deum, & iustitiam voluntatis eius inquiris, ostẽdis te esse liberi arbitrij, & posse recte agere si volueris. Magnum autem pondus habet id, quod diximus. Nam vniuersum genus humanum, tam iusto iudicio diuino in apostatica radice damnatur, vt etiam si nullus inde liberaretur, nemo rectè Dei posset vituperare iustitiam, & qui liberantur, sic oportuisse liberari, vt ex indebita misericordia liberarentur, ita vt de suis meritis os omne obstruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur. Quia Deus neminem liberat nisi ex indebita misericordia, & gratuita, & neminem damnat, nisi æquissima iustitia. Ex dictis ergo constat palam qualem sensum fecerit testimonium Pauli: Voluntati eius quis resistit? Constatque solutio difficultatis ortæ ex testimonio Pauli.

Quando igitur vlteriùs in eodem argumento obijcitur. Si ponatur quòd voluntas non velit hoc, ad quod Deus eam mouet, sequitur tunc quod operatio Dei esset inefficax: ergo non est possibile voluntatem non velle hoc, ad quod Deus eam mouet in actu secundo: ergo tunc necessario vult illud, ad quod Deus eam mouet: ergo non libere operatur. Quam obiectionẽ proposuit S. Tho. mille in locis, & lib. 3. contra gentes, & in disputatis de voluntate, prouidentia, & prædestinatione, & 1. p. vbique & 1. 2. q. 10. art. 4. arg. 3. cui respondet quod si Deus mouet actu voluntatem, ad aliquid impossibile est poni, quòd voluntas ad illud non moueatur, non tamen est impossibile simpliciter. Vndè nõ sequitur, quòd voluntas à Deo ex necessitate moueatur. Quæ solutio D. Tho. habet fundamentum in antiqua, & sana doctrina gratiæ Dei actualis, & sui influxus. Quia videlicet si Deus actu mouet voluntatem, ad aliquid sua diuina gratia, nõ stat simul ponere in sensu coniũcto, quòd voluntas reuera, & de facto ad illud non moueatur, non tamen esse simpliciter impossibile, ideſt in sensu diuiso. Quocirca, si ponatur, quòd voluntas non velit hoc, ad quod Deus sua gratia dicitur mouere eam, tunc Dei gratia efficax, & gratia adiuuans actualis frustrarentur. Vndè sentiendum est, quòd in eodem puncto in quo voluntas non vult id, ad quod Deus eam mouebat, tunc in eodem puncto si militer cesset diuina operatio, & influxus ille gratiæ actualis efficacis, & adiuuantis, atque ita non est impossibile, quod in argumento dicitur simpliciter, quia voluntas libere vult. Quare propositiones de ineſſe, sunt incompossibiles inter se. Non tamen est incompossibilis vna de ineſſe, & altera de possibili diuisa. Atque ita negatur consequentia, quòd necessariò velit id, ad quod Deus eam mouet. Quia non vult nisi libere, vt fuse interpretati sumus in antecedentibus rem hanc, assignantes modum, & rationem cur, non necessitetur voluntas.

Solutio ad sextum principale primi Discursus huius operis, & explicatio quorundam locorum Sacræ Scripturæ.

Ad sextum argumentũ principale.

AD sextum quod ex quibusdã testimonijs Sãctarũ litterarũ cõficitur ab Hæreticis cõtra sanã, & Catholicã doctrinã, de libertate arbitrij nostri restat respõdere. Primũ testimoniũ, quo argumẽtantur contra nos est D. Pauli, ad Rom. 11. Et mirabile est quid inueniant hæretici in eo testimonio, contra libertatem arbitrij, aut cur eos non pudeat ipsum citare pro se, & contra nos. Sunt enim verba Pauli. *Quoniam ex ipso, & per ipsum & in ipso sunt omnia*: in quibus verbis Paulus nullã necessitatis notã voluit inducere, ad arbitriũ creatum, sed potiùs verba illa significant Dei efficientiam circa nos, & dependentiam voluntatis creatæ à Deo. Ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Dixerat enim

Diuersi modi explicandi locũ D. Pauli Romanorum cap. 11.

Paulus proximè. Quis conſiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Et ſtatim adiecit. Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Sed vt res hæc melius intelligatur, contra hæreticos perpendere oportet libertatem arbitrij creati, non excludere dependentiam à Deo, & conſequenter, neque cooperationem Dei, aut auxilium, & præſidium eius. Quoniam homo non dicitur eſſe liber eligendo, & deliberando, quia poſsit hoc facere ſine Deo, aut ſolis ſuis innatis viribus, imò verò dependenter à Deo, & poſita diuina cooperatione agit homo, eligit, deliberat, vult. Ita ſanè, vt in his omnibus arbitrium creatum pendeat à Deo influente cooperante, & conſeruante. Cùm enim liberè volumus, & liberè videmus ea, quæ cernimus non eſt ſenſus, quòd ſine lumine quidquam videre poſsimus, ſic cum dicimus, nos in poteſtate habere agere, & non agere, non eſt ſenſus, quòd ſine Dei influxu concurſu, aut auxilio, id facere poſsimus. Cum ergo opera noſtra operatur Dominus, actus, inquã, noſtros non dicitur, ſine nobis ea agere. Et quoniam Deus, ad omnia etiam minutiſsima, ſe extendit, & prouidentia eius infinita eſt æqualiſq; omnipotentiæ eius, per ipſum ex ipſo, & in ipſo ſunt omnia, & operatur omnia in omnibus, ſecundum conſilium voluntatis ſuæ attingens à fine, vſque ad finem, ita fortiter, & ſuauiter, vt inducat rebus ipſis ſuauitatem in agẽdo, aut in conſentiendo: neque efficiendo, aut cooperando tollat, aut deſtruat modum agendi creaturarum, ſed potiùs perficiat adiuuet, & vim tribuat, & applicet etiam ad agẽdum.

D. Anſel. Diuus Anſelmus ſuper Epiſtolam ad Rom. circa caput vndecimum, explicans locum citatum ait, Quòd quia Paulus ſuperius multa poſuerat, vnde quæſtiones fieri poſſent, quare Iacob elegit. Eſau verò reprobauit, & cur alios indurat, alijſque miſeretur, idcirco exclamat Apoſtolus: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: Qui ſecreto conſilio ſuo*, (ait Anſelmus) *Sic diſponit omnia, vt ſeruata vnicuique arbitrij libertate operetur ſalutem.* Et hæc altitudo ſapientiæ nouit omnia, & ſapienter diſponit omnia. Nam per hanc ſapientiam gubernat, & diſponit omnia ſapienter, licèt nos abſconditas cauſas operum eius ignoremus. Nam quis conſiliarius eius fuit. Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Ideſt quis prior fecit aliquid boni ſine Deo? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Et ipſum igitur initium fidei noſtræ ex ipſo eſt. Neque enim hoc excepto, ex ipſo ſunt cętera. Ex ipſo ſunt omnia, ideſt, bona voluntas, & bona actio, & omnes naturæ. Neque enim ex ipſo ſunt peccata, quæ bene conditam ſubſtantiam vitiant. Ex ipſo autem non hoc ſignificat, quod de ipſo. Quod enim de ipſo eſt, poteſt dici ex ipſo. Non autem omne, quod ex ipſo rectè dicitur de ipſo. Eſt enim cœlum, & terra, quia ipſe fecit ea. Non autem de ipſo, quia non de ſubſtãtia ſua. Et inferiùs, idem Anſelmus, ait, Quòd Deus eſt, ex quo omnia, & per quem omnia, & in quo omnia, quia non opus habet aliqua materia, quam ipſe non fecit, quia cuncta de nihilo condidit. Et inferiùs citat Ambroſium, ita exponentem hæc verba. Quid eſt ex ipſo? Quòd ipſius voluntate natura omnium ſit, & ipſe ſit author omnium quæ eſſe cœperunt. Per ipſum: quia per ipſum inſtitutio, & perſeuerantia omnibus impertita videtur. In ipſo. Quia omnia ad mirabili quodam deſiderio, & inenarrabili amore authorem vitæ, & miniſtratorem gratiæ ſuæ, ac muneris intuẽtur, ſecundum quod ſcriptum eſt. *Oculi omnium in te ſperant, & aperies manum tuam, & implebis omnem animam bona voluntate.* Hæc Anſelmus ex Ambroſio.

Theophyl. Theophylactus, ad Rom. 11. explicãs prædicta verba Pauli. Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſum ſunt omnia, ait. Ipſe eſt fons omnium. Hoc enim eſt, quòd ait, in ipſum. Omnia enim ex ipſo habent principium, & per ipſum facta ſunt, & per ipſum ceu fundamentum quoddam vergentia, euntiaque cõſiſtunt, & continentur, aduerſa, & admota ad ipſum.

D. Chryſo. Diuus Chryſoſtomus, ad Rom. 11. Homilia 19. ait. Quòd adeo ſapiens eſt Deus, quòd hoc non ab alio habet, ſed ipſe perſe fons eſt bonorum. Et quod tanta perfecit, nobiſque contribuit, non ab alio mutuatus eſt, ſed de ſuo copioſe effudit. Neque aliquid retributionis cuiquam debet, quaſi, quid ab illo acceperit: ſed ipſe perpetuo, in beneficijs prior eſt. Et inferiùs. Quoniam ex illo, & per illũ, & in illum omnia. Ipſe fecit, ipſe conſeruat. Nam, & dies eſt non opus habens, vt à quoquam accipiat, & ſapiens, nullius indigens cõſilio. Quid dico conſilio? Neque cognoſcere, quæ illius ſunt opera quis poterit, niſi ipſe, qui ſolus eſt dies, & ſapiens.

S. Thom. Sanctus Thom. in commentarijs ſuper Paulum, ad Rom. 11. lectione 5 ait. Recte nullus prior dedit illi, quia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Et ita nihil poteſt eſſe, niſi à Deo acceptum. Ad deſignandum autem Dei cauſalitatem vtitur tribus præpoſitionibus: quæ ſunt, ex, per, & in. Præpoſitio autem, ex, denotat principium motus. Ex Deo autem ſunt omnia, ſicut ex primo agente, iuxta Paulum 1. Corinth. 11. Omnia autem ex Deo. Rurſus præpoſitio, per, deſignat cauſam operationis etiam, ſecũdum quòd operatio exit ab operante. Et aliquando, hæc præpoſitio, per, deſignat cauſam operationis, non quidem, ſecundum quod exit ab operante, ſed ſecundum quod terminatur, ad opera. Hoc modo dicuntur eſſe facta à Patre per filium, ſecundum illud Ioannis 1. Omnia per ipſum facta ſunt, non quòd Pater habeat à filio hoc, aut quòd Filius dicatur facere inſtrumentaliter, ſed principaliter, & æqualiter per eandem vim, & virtutem iuxta illud

Ioan.c.5. Ioan.5. Quæcumque Pater facit hęc & Filius similiter facit. Hæc autem præpositio, in, inter alia designat habitudinem causæ efficientis, in cuius potestate est effectus suos disponere, & secundum hoc dicuntur omnia esse in ipso, secundum quòd omnia, in eius potestate, & dispositione consistunt, iuxta illud Psal. *Actor. 17.* In manu eius sunt omnes fines terræ. Et Actorum. 17. ***In ipso viuimus mouemur, & sumus.*** Quod autem dicit omnia sine dubio comprehendit omnia exceptis peccatis. Nam peccata non habent verum esse, sed vt peccata sunt dicuntur talia per defectum alicuius entis, eo quòd malum nihil est nisi priuatio boni. Nam secundum Augustinum, peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant, quidquid tamen entitatis est in peccato (inquit Sanctus Thomas) totum est à Deo. Omnia sunt per ipsum: in quantum omnia facit per suam sapientiam. En quo pacto nihil omnino reperitur in hoc testimonio, quod hæreticis fauere possit, vt constat ex interpretationibus Sanctorum, quas attulimus.

Sotus. Sotus super Epistolam ad Roman. cap. 11. propè finem, fol. 319. ait; quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen. Elegantissima profectò est non solùm comprehensio totius clausulæ, verum peroratio totius causæ de fide, & gratia Christi, deque virtute Euangelij: de quibus à principio statum Epistolæ constituere proposuit, in illis propositam nobis esse nostram salutem, quam quidem veritatē concludit postrema hac sententia, qua docet, Deū esse optimum authorem, tàm naturalium bonorum, quàm supernaturalium, eundemque absque vlla, vel dependentia, vel indigentia, cuiusuis alius generis causæ, quę sit illi, vel materia, vel exemplar, vel minister, vel adiutorium, vel instrumentum. Vndè quod ait ex ipso, initium significat motus, hæc Sotus. Et paulo inferius, & in ipso. Præpositio, in, non designat hic materiam, sed repetere potest habitudinem causæ efficientis: vt pote in cuius potestate, dispositione, & ditione, & arbitrio cuncta sunt posita, iuxta testimonia citata. In quo viuimus, mouemur & sumus, in cuius manu sunt omnes fines terræ. Hæc igitur sunt quæ Paulus in prædicto testimonio significare voluit, & non quod calumniantur hæretici. Vnde Deus dicitur in sapientia omnia fecisse, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, & non secundum consilium voluntatis nostræ. Paulus enim sic ait; Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Aut: Quis cōsiliarius eius fuit Hieremiæ. 23. Quis astitit in consilio Domini, hoc est quis potuit eum perinde consilio iuuare: ac si non sit ipse omnia sciens atque ideò ob indigentiam alteri reuelauerit diuinam suam mentem. Quod si neutra ratione vllus nouit sensum Domini, fit, vt incōprehensibilia sint eius iudicia, viæque ipsius inuestigabiles, nisi ipse reuelauerit. Illud verò Hierem. 16. Scio Domine, quod non est hominis via eius, neque est viri dirigere gressus suos, ex quo loco peśimè intellecto Caluinus, & Lutherus, & alij intulerunt Deum necessitare hominem in suis actionibus male ab eis intelligitur, & interpretatur. Nā dicitur non esse in homine via eius: quia licèt homo maturè deliberet, & liberè decernat, & proponat agere prudenter, tamen non est in eius potestate progressus, & euentus negotij, cum multis modis impediri possit. Quocirca non sunt idem libera electio aut deliberatio: & executio huius electionis, libera namque electio requiritur ad liberum vsum libertatis conseruandum: non item executio ipsa quæ impediri potest, vt optimè perpendit Diuus Damascenus lib. 2. Fidei, cap. 26. Vndè non solùm Deus, sed etiam homines dicuntur impedire id quod homo liberè decreuit, & elegit facere, neque tamen ob id lędi tur læbertas voluntatis, sed lædi tur euentus & executio, quare Sapiens egregiè dixit: *Cor hominis cogitare viam suam, id est, ordinare, & præmeditari quid, & quomodo sit faciendum: tamen euentum esse in manu Dei, & ab eo petendum esse, vt dirigat gressus in factis, & verbis, &c.* Neque verò hinc sequitur, vt Pelagiani dicebāt posse nos sine Dei auxilio, præparare cor, aut cogitare viam nostram, quia non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis. Vndè cum in sacris literis dicitur, quòd hominis est præparare cor, & quòd vir prudens dirigit gressus suos, scriptura indicare voluit libertatem arbitrij creati, & potiùs esse in potestate nostra cogitationem, & directionem voluntatis, & rationis internæ, quam operis executionem. Vndè libertas arbitrij non excludit cooperationem, & auxilium Dei, quia omnia opera nostra operatur Dominus, sed non sine nobis: & passer non cadit in terram sine Patre nostro, quantò magis operationes præcipuè supernaturales sine Deo, & cooperatione eius, atque coefficientia minimè fient in nobis.

Bellarminus Cardinalis lib. 4. de Gratia, & libero arbitrio docet; quatuor modis voluntatem à Deo inclinari ad aliquid volendum, appetendum, vel fugiendum. Primo efficienter propriè & immediatè mouendo voluntatem, & determinando ipsam: nam si potest ipsa, se determinare, cur non poterit Deus eam determinare? nimirùm illęsa conditione operandi eius. Secundo efficienter quidem, sed mediante aliqua forma, quam imprimat in voluntatem: nam certè infundendo gratiam, & virtutes, per eas inclinat voluntatem ad bonas actiones. Hos autem duos modos egregiè perpendit Sanctus Thomas, de Veritate, quæst. 22. art. 8. Tertiò obiectiuè per internam suasionem, sed efficacissimam: addit tamen Bellarminus, vt resisti non possit; quia si passio vehemens rapit aliquando voluntatem ad consensum, certè multò faciliùs potest Deus id

Bellarm. docet, quòd voluntas qua dupliciter mouetur, & inclinatur à Deo ad aliquid faciēdum, vel fugiēdum. S. Thom. de Verit. q. 22 artic. 8. Tertius modus mouēdi voluntatē positus à Bellarmino nō probatur.

facere. Sed profectò verbum illud, vt reſiſti non poſsit, mihi nō probatur: obiectiua enim interiorque ſuaſio plerumque reijcitur, & illi reſiſtitur à voluntate. Quartò obiectiuè, & efficaciter, ſed ità, vt efficacia proueniat non tam ex vehementia perſuaſionis, quàm ex diſpoſitione voluntatis, quam Deus præuidet. Nimirùm cum Deus ita proponit aliquid interna perſuaſione, vt videt voluntatem aptam eſſe ad conſentiendum. Et in hoc quarto modo potiùs dicerem Deum facere hanc aptitudinem ad conſentiendum, & idcircò præuidere illam, quàm è conuerſo: & in hac ſchola interna Deus eſt, & motor, & Magiſter, & primum deliberans, vt dixit D. Auguſt.

Et ſanè ſiue Deus vtatur primo, & tertio modo, ſiue etiam ſecundo ſemper integra manet voluntatis libertas: quia gratia non deſtruit naturam, ſed perficit eam, & adaptat ſuauiter voluntatem cum modo eius libero ad agendum cum attentione collatione, & conferentia, & poteſtate reſiſtēdi. Vndè nihil cō cludunt aduerſarij contra nos, ſed de hac re legēdi ſunt cōtra hęreticos, Ruardus Taper art. ſeptimo, de Libero arbitrio; Roſenſis arti. trigeſimo ſexto contra Lutherum, Driedo de Concordia liberi arbitrij.

Ruard. Taper, art. 7. de libero arbitrio, & gratia.

Solutio ad locum Diui Ioannis. c 6. ex quo hæretici negabant liberum arbitrium hominis.

D. Aug.

D. Chryſ.

Ad illud Ioan. 6. ***Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum,*** Antiqui hæretici abutebantur hoc teſtimonio ad negandum liberum arbitrium, vt refert Diuus Auguſtinus tractatu 26. ſuper Ioannem, & clariùs Diuus Chryſoſtomus homilia 45. & eodem abuntur hæretici huius ætatis, quaſi dicatur trahi, quod violenter venire compellitur. Sed ridicula, & inſipiens eſt argumentatio hæc: non ſolùm quia verbum, trahere, nō ſignificat violentiam, ſed etiam quia etiā apud prophanos authores ſępè verbū trahere ſignificat rē aliquā ducere aliqua inclinatione. Nam: Trahit ſua quēq; voluptas; trahūtur etiā aliqui appetitu diuitiarum, & appetitu gloriæ, nō tamen violentia, aut vi ſeu neceſsitate trahuntur. Sępè enim Deus inuitat peccatores, vt veniant ad fidem, & ad legis obſeruationem: ſi autem neceſsitate, aut vi traherentur non eſſet, quòd venire inuitarentur, & admonerentur. Quocirca vtitur Diuina ſcriptura hoc verbo, trahere, vt efficaciam diuinę vocationis explicet. Nam illa vocatio, qua trahuntur homines, vt conuertantur à peccatis ſuis, in quibus placidè viuebant propriè eſt efficax, & ſolius diuinæ dexteræ, tractio & mutatio dicitur nō quod vi, & neceſsitate trahantur peccatores: ſic enim minus efficax eſſet motio, & non dicerentur peccatores inuitari, & admoneri ad pœnitentiam, ſed neceſsitari, & compelli. Vndè cum perſequutores Chriſti, & inimici Crucis eius cernimus præterita damnantes, & abominantes, diuinæ lucis radio conuerti, quid putandum eſt de huiuſmodi conuerſione, quæ eſt mutatio dexterę excelſi, niſi quòd efficacia diuinæ vocationis trahitur à Patre ad Chriſtum? quod Origenes lib. ſecundo, contra Celſum perpendit, vt oſtendat Chriſti diuinitatem ex conuerſione gentium. Rurſus etiam vſus eſt verbo trahendi ſacer Euangeliſta Ioannes, vt in ea tractione inſinuaretur vis, non quidem illata hominis arbitrio, vt impie arbitrantur hæretici, ſed vitijs, & erroribus, & dęmonibus perſequutoribus Chriſti, ità etiam explicat hunc locum ſapientiſsimus Magiſter. F. Petrus Machado noſtri inſtituti & diſcipulus noſter in Salmāticenſi academia publicus profeſſor 1. tomo ſuorum operum, fol. 124. quem honoris cauſa nomino.

Orig. lib. 2. contra Celſum.

Quocirca Diuus Ioannes paulò anteà dixerat. Omne quod dat mihi Pater ad me veniet. In quibus verbis vult Dominus docere neminem ſine Patre, & auxilio eius conatu naturæ, aut ex innatis viribus venire ad Chriſtum, niſi cœleſti gratia, & virtute promouea tur, in quo quidem non tollitur hominis liberum arbitrium: nam liberum eſt venire, & nō venire: propterea qui non veniunt in culpa ſunt, qui ſe indignos exhibent, & reſiſtunt, & ità non liberantur à culpa non veniēdi. Diuus Auguſtinus docet, non ſolùm dari hominibus à Deo, vt poſsint credere, ſed etiam vt credere velint, & credant: & ipſe etiam eſt, qui dignos facit, & præparat, & facultatem dat credendi, nec humanum arbitrium poteſt, ſine auxilio diuino ſe præparare, aut conuerti: eſt enim opus hoc altius viribus innatis, & alterius ordinis. De qua re legendus eſt Diuus Auguſtinus libro primo, de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 5. & 6. & alibi non ſemel, legendus etiam eſt Diuus Cyprianus Epiſtola 55. ſeu lib. primo Epiſtola 3. Ex quibus ſatis conſtat hæreticorum conſequentiam nullam eſſe: quoniam illis verbis voluit Chriſtus cōprimere murmurationem Iudęorum, qui dicēte Chriſto: *Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi*, murmurabant. Chriſtus verò eis reſiſtens vult dicere: ſi non capitis verba hęc, non ideò vera non ſunt, ſed ob id facitis, quia non habetis lumen in vobis illud diuinum, quod neceſſarium eſt adveniendum ad me, & ad credendum, &c.

D. Aug.

D. Cypria.

Denique argumenta alia, quæ hęretici objiciunt contra libertatem arbitrij ſoluta ſunt à nobis, tàm in controuerſia de diuinis decretis, & prędefinitionibus futurorum: quam etiā in diſputatione de efficacia diuinę gratię. Nā certè homo poteſt ſuis viribus reſiſtere: ad hoc enim non requiruntur alię vires, quā ſuę, & quum in opere conuerſionis liberè ſegerat, poteſt deficere, & poteſt ceſſare: atque adeò reſiſtere Deo, & conſequenter liberè agit, & libere conuertitur: etiam cum actu agit, & operatur. Aliàs non daretur homini tempus, in quo liberè ageret, & conuerteretur, ſi quando agit non liberè agit, aut ſi quando actu conuertitur, non liberè conuertitur etiam in ſenſu compoſito.

SECTIO. V.

De potestate eligendi, vel non eligendi liberi arbitrij, qualis sit, & an postulet hæc potestas indifferentiam tanquam quid de eius essentia?

OCCASIONEM huius disputationis dedit nobis diffinitio liberi arbitrij superiustra dita, vbi diximus liberum arbitrium esse principium intrinsecum electionis ad eligendum, vel non eligendum. Quæritur ergo in præsenti vtrùm liberũ arbitrium ità sit principium eligendi, quòd non solùm dicat intrinsecum ordinem ad electionem, sed etiam sit de essentia eius indifferẽtia eligendi, vel non eligẽdi. In qua re oportet prius veram & Catholicam sententiã statuere, vt luce veritatis cognita, sicut intelligẽti omnia sunt facilia, ità cognoscenti veritatẽ facile sit eminus, & cominus intelligere omne id, quod ab ea recedit.

Quid sit certissimũ de libero arbitrio.

Vera igitur, & certissima sententia est, de qua dubitare non licèt, liberum arbitrium nõ tantùm esse principium eligendi, vel operandi & non operãdi, sed etiam esse principium indifferens ad eligendum siue operandum, vel non operandum: eamque indifferentiam esse intrinsecè requisitam ad libertatem, quæ quidem indifferentia dici solet facultas ad oppositã. Quam sententiam Theologi, & Catholici Doctores vno ore docent, & expressè illi Scholastici, qui liberum arbitrium definiunt per hoc, quòd positis omnibus requisitis ad agendum potest agere, & non agere, & idem sentiunt reliqui omnes, qui liberum arbitrium definiunt per dominium, aut per potestatem actus simpliciter. Hanc assertionem specialiter tradit Magister in 2. distinct. 24. & 25. & Diuus Thomas, distinct. 23. quæst. 1. artic. primo. Capreolus in 2. distinct. 24. quæst. prima, artic. tertio, ad argumenta, & artic. secundo, in argumentis aliorum. Aristoteles. 3. Ethicorum, cap. primo, secundo, & quinto, & idem senserunt communiter Sancti Patres, quorum sententias, & verba superiùs retulimus.

Magister. D. Thom. Capreol.

Aristot.

Hæc Catholica veritas, est contra hæreticos, & contra Simonem Magum, quem redarguit Clemens Romanus epistol. 3. de officio Sacerdotis, tomo primo Conciliorum, quod quidẽ nobis retulit ipse ex Diuo Petro Principe Apostolorum cum eodem Simone Magos disputante, & eundem sensum tenuit Iustinus Martyr Apologia prima, pro Christianis ad senatum. Chrysostomus hom. 60. in Matthæum super illud Matthæi. 18 Necesse est vt veniant scandala, & alibi non semel. Diuus Athanasius oratione contra idola. Diuus Hilarius Psalm. 2. & Psal. 118. Hieronymus epistol. 147. ad Damasum, & in epistol. ad Demet. Deniq; asserta veritas est contra Manichæũ, Priscillianum, Abaylardum, Lutherum, & alios recentiores hæreticos, qui abstulerunt ab homine, & à voluntate eius eam potestatem faciendi, & non faciendi, sentientes quòd eo ipso, quòd aufertur huiusmodi facultas, quam nos indifferentiam ad opposita esse dicimus, vel in qua eiusmodi indifferentia imbibitur, liberum etiam arbitrium aufertur. Imò verò hæretici idcircò liberum arbitrium homini negant, quia illum dicunt non habere eam potestatem ad vtrùmlibet indifferentem, sed determinatam omnino ad alteram partem.

Clem. Alexandr.

Iusti. Martyr. Chrysost. D. Athan. D. Hilar. Hieron.

Sed quoniam testimonia sacrarũ literarum superius retulimus, contra hæreticos, ad probãdam hominis libertatem, & dominium suarum actionum, cum potestate eligendi, vel nõ eligendi, idcircò supersedendum modo est à continua repetitione eorum: & sufficit nobis Concilium Tridentinum sess. 6. & Bulla Pij V. & Gregorij XIII. contra Michaelem Bayum, de quo infra dicemus. Igitur manifestus error est sentire hanc indifferentiam non esse de essentia liberi arbitrij. A quo errore liberantur, qui præter libertatem cõtrarietatis, & contradictionis, quas Theologi ità vocant, sentiũt etiam dari tertium gradum libertatis, de cuius ratione solùm est indifferentia in cognitione iudicatiua dicentes, hoc obiectum minimè necessitare voluntatem, sicque posse ab ea reijci, & oppositum acceptare: quamuis verè & realiter propter aliqua extrinseca impedimenta à se minimè cognita, vel immutabilem Dei voluntatem, id minimè facere posset voluntas. Authores verò qui hoc modo dicendi vtuntur, siue bene, siue male loquãtur, aliud volunt quam illi qui negant libertatem arbitrij, quales sunt hæretici, vt ex ipsis terminis eorum patet. Fatentur enim necessariam esse indifferentiam, vt docent omnes Ecclesiæ Patres, quamuis in explicatione huiusmodi indifferentiæ, nomine potiùs quàm re ipsa ab alijs doctoribus meliùs sentiẽtibus differant: quod etiam fatentur authores oppositæ sententiæ.

Conc. Trid.

His ità stabilitis ratio à priori pro nostra assertione ex ipsa liberi arbitrij definitione sumenda est. Primò enim liberum arbitrium formaliter, & essentialiter est principium eligendi, vt ex superius dictis planè constat. Sed principium eligendi, vt sic intrinsecè dicit indifferentiam, siue facultatem illam ad non eligendum, vel ad eligendum aliud: ergo liberum arbitrium intrinsecè etiam dicit eam facultatem, & indifferentiam, quę requiritur ad libertatem contrarietatis, & contradictionis. Probatur minor. Quoniam eligere nihil aliud est, quã ex determinatione, & motione finis per rationem cognita acceptare vnum alio, vel alijs relictis, vt Theologi dicunt in hac materia. Et potest à posteriori hoc ostendi: nam id circo bruta non eligunt; quia non accipiunt

vnum præ alijs ex ſola determinatione, & motione proportionis cognitæ cum fine ab ipſis intento, ſed ex determinatione, & impulſu naturę, & iudicio ab eo infixo: ſed in eo, quod eſt vnum ea ratione acceptare includitur intrinſecè indifferentia, & facultas non acceptandi, vel acceptandi aliud ſi placuerit: ergo principium formale eligendi, eam facultatem intrinſecè dicit. Probatur etiam hæc minor. Tum quia id, quod eſt principium acceptādi vnum relictis alijs, quæ acceptari poſſunt (aliter enim non dicuntur relinqui, cum accipi minimè poſsint) eſt etiam principium ſiue facultas acceptandi aliud ex illis, quæ relinquuntur, vt ex terminis conſtat: ergo eo ipſo, quòd liberum arbitrium eſt principium acceptandi vnū relictis alijs, eſt etiam principium formale acceptandi vnum vel aliud, & conſequenter eſt principium habens facultatem ad oppoſita, in qua formaliter conſiſtit libertas. Præterea cū aliquando contingat id, quod relinquitur non eſſe aliud bonum diſtinctum, ſed ipſum non acceptari eiuſdem boni ſub ratione conueniētis apprehenſi, & præſentati voluntati, ſequitur etiam liberum arbitrium eſſe principium formale non eligendi id ipſum quod eligit, in quo formaliter conſiſtit libertas contradictionis.

Rurſus ex his, quæ diximus in ſuperiori ſectione quarta, efficaciter poſſumus colligere hoc. Nam implicat acceptare vnū, &c. ex ſola motione, & determinatione proportionis cognitæ cum fine intento ab ipſo operante, & tamen moueri ad eam acceptationem ex neceſsitate, & determinatione abſoluta, à natura vel aliunde proueniente, vt ex terminis conſtat, & expreſſe ſuperius diximus: ergo principium formale acceptandi vnum ex ſola determinatione proportionis cognitæ cum fine, eo ipſo includit, vel habet intrinſecè annexam negationē, aut priuationem illius, quod eſt moueri ex abſoluta neceſsitate, & determinatione naturæ, aliter enim ſi vnum non includeret, aut cōnotaret intrinſecè priuationē alterius, nec opponerentur contradictoriè illa duo, nec implicaret eidem ſimul conuenire: ergo eligere, & conſequenter principium formale eligendi, quod eſt liberum arbitrium, intrinſecè dicit eam negationem, aut priuationem determinationis, & motionis ex neceſsitate naturæ, & conſequenter non eſt principium natura ſua determinatum ex abſoluta naturæ neceſsitate in ſuis operationibus. At illud, quod non eſt natura ſua determinatum ad aliquem actum exercendum, nec mouetur ad operandum, vel non operandum hoc aut illud ex abſoluta neceſsitate naturæ, cum tamen ſit principium potens tales actus exercere, eſt natura ſua principium non determinatum, ſiue quod idem eſt principium ſecundum naturam indeterminatum, & indifferens ad eligendum, vel non eligendum hoc aut illud in exercitio, & conſequenter habens facultatem ad diuerſa, tàm contrariè, quàm contradictoriè, & ſi non ſimul vtrumque ponere poſsit in actu, vt inferiùs dicemus, quæ omnia bonæ Philoſophiæ non repugnant, ſed conſentiunt.

Obiectio. Dices, liberum arbitrium nihil aliud eſſe, quam potentiam ſeu principium, quod poſitis omnibus requiſitis poteſt operari, & non operari, vt ex communi aliorum deſcriptione vidimus: tunc clariùs ex terminis ipſis patet indifferentiam, & indeterminationem eſſe de ratione liberi arbitrij, & veluti differentiam conſtitutiuam illius; quia ratio liberi, & neceſſarij in eo modo dicendi ſunt differentiæ ex oppoſito diuidentes genus cauſæ ſiue potentiæ: ergo rationes illarum debent eſſe ex oppoſito diuerſæ, vel ſaltem vna non debet includere aliam: ſed ratio potentiæ neceſſariæ includit intrinſecè determinationem omnimodam ad operandum cum adſunt requiſita, imò in ea determinatione conſiſtit ratio cauſæ neceſſariæ, vt præciſe neceſſaria eſt: ergo ratio potentiæ liberæ debet eſſe omnino oppoſita, vel ſaltem non debet includere eam determinationē omnimodam: tunc enim conueniret cum alia in ratione formali potentiæ determinatę & neceſſarię, ſed eo ipſo quòd aliqua potentia non includat eam determinationem, manet non determinata, ſed indeterminata intrinſecè, & indifferens reſpectu illius, reſpectu cuius non habet eam determinationem: ergo, &c.

Obiectio. Dices vlterius ſi indeterminatio, & indifferentia eſt ratio formalis liberi arbitrij cum intellectus habeat indifferentiam in proponendo, & in iudicando cum conferentia, & collatione erit etiā formaliter potentia libera. Reſpōdetur etiam in eo modo dicendi longè aliā eſſe indifferentiam, quam in rei veritate habet intellectus, ab ea quæ in deſcriptione vulgari, vt communiter accipitur tribui ſolet voluntati, vt libera eſt. Nam indifferentia intellectus oritur ex inſufficientia, & inefficacia obiecti propoſiti: ſi enim illud in ſe eſſet efficacius, efficacius etiam moueret, & ſi omnino euidens, omnino etiam neceſsitaret, vel ſi aliter applicaretur, aliter etiā ſe haberet intellectus in operādo, vel nō operando: cū ille præciſa motione volūtatis ſemper, & vbiq; determinetur ab obiecto ad eliciendum proprium actum, & ſi non ſemper ità neceſſariò, vt aliter determinari non poſsit: & tunc ſi obiectū ab eo aliter cognoſceretur, vt verè poterat in humanis, quod explicabimus inferiùs. At indifferentia quam authores illi dicunt eſſe differentiam conſtitutiuā liberi arbitrij eſt quędam ſumma, & omnimoda indeterminatio nō orta ex inſufficientia obiecti ea ratione, qua S. Thom. & alij explicant, ſed à propria natura potentiæ liberæ, ratione cuius etiam nulla habita ratione obiecti pulcherrimi, vel defectuoſi melioris aut deterioris, & quantumcumque debitis circūſtantijs applicati, poteſt

Solutio.

S. Thom.

etiam

etiam moraliter, & quacumque alia possibilitate, quæ fingi posset, vel omnino suspendere actum, vel huiusmodi obiectum odio habere, & amare oppositum, vt dicemus infra, asserit enim hæc sententia liberum arbitrium nulla ratione determinari ab obiecto, sed esse merā conditionem, vt voluntas siue liberum arbitrium seipsum determinet, nullaq; ratione obiectum cognitum esse causam illius determinationis, in quò sensu satis patet intellectum non habere eam indifferentiam, quæ est necessario requisita ad rationem formalem liberi arbitrij. Patet etiam in eodem sensu diuisionem potentię in liberam, & necessariam posse esse immediatam, quamuis in communi Philosophia non ità eueniat. Aristoteles enim 9. Metaph. capit. 7. &8. Physicorum, & cum eo grauiores Philosophi distinguūt potentias immediatè per naturales, sub quibus continentur etiam illæ, quæ contingenter operantur, eoquòd possint ab alijs impediri, necessariè tamen: quia quātum est ex parte ipsarum sunt determinatæ ex necessitate naturæ, neque impediri possunt à seipsis, tunc enim haberent potestatem actus, sed ab alijs causis etiam naturaliter operantibus: & in potentias naturales, sub quibus clauduntur intellectus indifferens in proponendo, atque ità radix & initiū libertatis: & voluntas indifferens ad acceptandum, & mouendum proprium subiectum, in quo est formaliter ratio libertatis, iuxta ea, quæ pro sententia Diui Thomæ superius sunt dicta. In qua sententia Sanctus Thom. & alij authores, qui voluntati minimè concedunt eam summam indifferētiam, vt ab obiecto debitis circūstantijs applicato, infallibiliter determinari nunquam possit: consequenter asserit differentiam formaliter constitutiuam liberi arbitrij, non esse quancūque indeterminationem aut facultatem, sed eam, quæ formaliter est principium motus, & actionum circa finem: vt in superioribus dictum est: ideoque illi non definiunt liberum arbitrium per solā indifferentiam, vt alij authores, sed per ordinem ad electionem, in quo virtute continetur & explicatur ea indifferentia, quæ est de intrinseca ratione potentiæ formaliter liberæ, & habentis dominium suorum actuum. Ideò etiam aliqui Theologi voluerunt dari facultatem actus mediam inter naturalem, siue necessariā simpliciter, & formaliter liberā, quod dicunt colligi ex D. August. in ea definitione communi apud Scholasticos, quæ sic habet, Liberum arbitriū est facultas voluntatis, & rationis: in qua vt Theologi Scholastici animaduertunt duas distinguit August. facultates proprijsci licet actus, & vnam libertatem seu vnā rationem liberi arbitrij constituentes, vt plerumq; etiā Sanctus Thomas explicat, & ferè ex omnibus locis adductis pro indifferentia intellectus colligi potest. Idem habet Capreolus in 2. distinct. 24. quæst. 1. artic. 3. ad secundum contra secundam, tertiam, & quartā conclusionem, Bartholomęus Medina. 1. 2. quęst. 6. artic. 2. ad argumenta. Idem indicat Victoria in relectione de puero veniente ad vsum rationis.

S. Thom.

Capreol.

Medina. Victoria.

Quæ nā indifferētia sit de essētia liberi arbitrij.

Ex quibus omnibus apertè liquet quęnam indifferentia sit de essentia liberi arbitrij, aut intrinsecè requisita ad rationem formalem liberi arbitrij. Scotus verò, & alij suæ familiæ sentiunt eam indifferentiam esse de ratione formali liberi arbitrij, quæ dicit summā indeterminationem voluntatis non solum naturalem, siue physicam, sed moralem, & omnimodam, ità vt nulla circunstantia nullave consuetudo sufficiat tenere, aut veluti ligare voluntatem, vt hoc potiùs, quàm aliud velit hic & nunc, etiam si nihil omnino sit à quo impediatur, vel quod fortiùs illam ad se allicit In sententia verò Sancti Thomæ de essentia liberi arbitrij, vel ad illam intrinsecè requisita, solum est indeterminatio à natura siue physica, quæ nihil aliud est, quàm naturalis facultas faciendi, aut non faciendi hoc vel oppositum illius, eo quod ad neutrum illorum hic, & nūc exercendum determinetur à natura, cum tamen possit vnum ex his eligere, si adsint alia requisita. Eam verò omnimodam indifferentiam, de qua diximus, ità vt voluntas, neq; consuetudine liberè adquisita, & inueterata iam, neque etiā præexcelli bonitate alicuius obiecti debitè proposita, & sordescentibus omnibus alijs, quæ diligi possunt, vel in ea non diligenda magnis incōmodis, & rationibus mali propositis infallibiliter determinari possit ad illud vnum amplectendum hic & nunc, nolunt esse intrinsecè requisitam, multi Theologi, ad rationem formalem liberi arbitrij etiā in exercitio actus: contingere possit, & contingat sæpè voluntatem ità infallibiliter determinatam, & absque opposita indifferentia, moralis dici solet liberè operetur, de quo dicemus inferiùs. Quæ omnia possunt confirmari; quia de ratione liberi arbitrij est esse principium, propter quod formaliter habent substantiæ rationales dominium suorum actuum: dominium autem nihil aliud est, quàm potestas vtendi, vel eliciendi, aut nō eliciendi actū in ordine ad finem: vel conseruandi, aut non conseruandi eiusmodi actum elicitum iam. Neq; enim hoc dominium est tantùm in actū iam productum, sed etiam in producendum: ergo de ratione liberi arbitrij est esse principium, propter quod habent substantiæ rationales formaliter eiusmodi potestatem: ergo & potestas, quæ etiam dicitur indifferentia, vel quæ eam intrinsecè includit est de ratione liberi arbitrij. Maior quidem apertè constat ex communi consensu: nam idcircò plures definiūt liberum arbitrium per dominium actus, vt superiùs dictum est, reliqua etiam similiter sunt manifesta. Adde etiam quod liberum arbitrium est principium merendi, & demerendi; quia nimirum est principium actus digni pœnæ vel præmij: sed de ratione talis princi-

pij est indifferentia, siue potestas producendi, & non producendi talem actum, sicut etiam de ratione ipsius actus meritorij est, quòd posset non produci tunc ab eo principio: id enim intrinsecè præsupponitur: ergo de ratione liberi arbitrij est ea indifferentia, siue facultas. Minor patet; Quia de ratione principij actus meritorij est dominiũ ipsius actus. Ideò enim meretur quis actu producendo, vel conseruando, quia confert id, quod suum est, vt aliquid aliud accipiat. Ille autem qui non habet dominium actus nihil suum confert, vt expressè docet Diuus Petrus authore Clemente Romano 3. recognitionum, pag. 5. post initium, & Diuus Thomas de veritate, quæst. 34. artic. 1. in corpore, & passim alij Sancti Patres, & patet ex ipsis terminis. Dominium enim est facultas producendi, & non producendi, vt paulò superiùs dictum est.

D. Petrus.

D. Thom.

Ex dictis colligitur, quàm aliena sit à fide sententia illa, quæ putat absq; eiusmodi indifferentia cum omnimoda, & absoluta necessitate operandi saluari formalem, & essentialem rationem liberi arbitrij, atque ità eam indifferentiam neque esse de essentia, neque essentialiter comitari libertatem, neque in eius definitione ponendam. Quam videtur tenuisse Michael Bayus, vt apertè colligitur ex Bulla Pij Quinti, & Gregorij XIII. contra eius articulos propositione 38. Et eandem tenuere sententiam Vviclephitæ authore Vvalden. lib. 1. doctrinalis fidei, artic. 1. cap. 23. versus finem. Dixerunt enim isti solam necessitatem coactionis impedire libertatem arbitrij, aliam verò, quæ connaturalis est, etsi illa sit absoluta necessitas minimè impedire: quod etiam videntur esse secuti nonnulli hæretici, qui senserunt aliquos effectus creatos liberè fieri à nobis eo solo, quòd sponte fiant, quamuis non fieri, vel aliter fieri à nobis nulla ratione possint.

Certè huiusmodi sententia aperte lędit fidem, & libertatem arbitrij nostri, dominium etiam actionum nostrarum, & essentialem indifferentiam liberi arbitrij, potestatemq; eligendi, vel non eligendi. Et impugnatur eisdem argumentis, quibus nos in secundo discursu ostendebamus indifferentiam liberi arbitrij, & libertatem eius à necessitate. Et eisdem testimonijs sacrarum literarum, & conciliorum.

Quomodo autẽ voluntas quando iam actu operatur seipsam liberè determinet, & se efficienter propriè moueat, seque ipsam efficiẽter determinet, & moraliter, quòdque cum ea determinatione actuali, quam ipsa voluntas de seipsa facit, stet simul libertas, quod dubitari non potest, dicemus post eà, est enim determinatio, qua voluntas se determinat ad eligendum, & operandum libera determinatio: & quæ fit ab ipsa voluntate non tantum moraliter, sed efficienter propriè. An verò sicut voluntas seipsam determinat efficiẽter propriè, ità fiat hæc determinatio, sub determinatione Dei efficienter propriè, & non solum ex motione morali, quæ etiam communicatur alijs secundis causis à Deo, id sanè propter aduersarios fusiori eget declaratione à nobis habenda. Sed nihilominùs certissimum esse debet viro Catholico in omni opinione, quòd illa determinatio, qua nimirùm voluntas seipsam determinat liberè efficienter propriè & moraliter, causatur à Deo tanquam à primo efficiente principio rerum omnium.

Difficultates contra assertionem principalem.

OCcurrunt tamen variæ obiectiones, & difficultates contra præcipuam assertionem nostram, qua diximus de essentia liberi arbitrij esse indiffentiam ad eligendum, vel non eligendum. Prima igitur obiectio, & difficultas est; quia liberum arbitrium essentialiter est principium productiuum alicuius actus determinati, verbi gratia, electionis: ergo essentialiter est principium determinatum illius: ergo non est, neque esse potest principium indifferens respectu electionis. Si dicas liberum arbitrium esse principium productiuum actus, & determinatum respectu illius quoad specificationẽ, non tamen quoad exercitium. Vel, quod in idem redit esse principium natura sua potens producere talem actum non necessarium, sed ita vt possit non producere illum, sed alium, vel nullum. Contra; Quia integra essentia liberi arbitrij saluatur in hoc præcise, quod est esse principium electionis determinatum saltem quoad specificationem. Implicat enim dari actum electionis formalis, qui non sit à libero arbitrio, aut dari potentiam formaliter electiuam, quæ eo ipso & precisis omnibus alijs non sit liberum arbitrium formaliter; sed hoc præcise, quod est esse formale principium eligendi determinatum quoad specifiationem nõ est esse principium indeterminatum quoad exercitiũ respectu electionis, neque in illo includitur intrinsecè, neque sequitur ex illo formaliter: ergo neque hoc, quod est esse principium indeterminatum, siue indifferens quoad exercitiũ est de essentia liberi arbitrij, neque in illa includitur, aut sequitur essentialiter ex illa: ergo si aliquando liberum arbitrium comitetur eiusmodi indifferentia, illa erit veluti proprietas consequens, vel ratione alterius conueniens, quæ tamen separari possit. Similiter est certum liberum arbitrium non eo ipso, quod sit potens producere talem actum est etiam formaliter potens non producere eundem, quantum est ex parte ipsius principij: cum esse potens nihil aliud dicat, quàm habere virtutem requisitam, & ex se proportionatam ad talem actũ, quod nullo modo includit aliud ergo vel liberum arbitrium non est

Prima difficultas ad probandum indifferentiam nõ esse de essentia liberi arbitrij.

princi-

principium operandi, & non operandi, neque indifferens, vel id non habet per vnam, & eādem rationem, sed per oppositas.

Huic obiectioni dedimus responsionem supra sect. 4. præcedente in solutione difficultatum eiusdem sectionis. Et præterea ad hanc obiectionem potest constare eius solutio ex dictis in ea si rectè inspiciantur. Adde etiam quòd ex ratione à priori proximè adducta ad probationem nostræ assertionis manifestè cōstat eo ipso, quòd liberum arbitrium est principium eligendi debere esse principium non determinatum à natura absoluta necessitate ad exercēdum eum actum semper, & vbique. Quo loco etiam diximus qua ratione id includatur, aut cōsequatur principium formale eligendi, ex quo lrquet etiam ad aliam probationem: nam eo ipso, quò liberum arbitrium est potens producere talem actum nimirum electionem, debet esse principium non determinatum à natura ad semper producendum illum in exercitio, aliter enim non esset principium electiuum, vt diximus supra: & consequenter eo ipso est principium indeterminatum à natura respectu cuiuslibet electionis in particulari, atque ità potens non habere hanc vel illam electionem quantū est ex parte ipsius naturæ, siue determinationis naturalis, ad quod non requiritur alia virtus distincta ab ea per quam est principiū electiuum, cum ad hoc, vt possit naturaliter non esse in assiduo exercitio eligendi, aut operandi, vel vt possit non habere hunc aut illum actum eligendi, sed alium, & alium sufficiat non esse principium à natura penitus determinatum per eam virtutē ad eiusmodi exercitium actus in particulari. Adhoc autem, vt illa virtus ratione cuius est principium electiuum, & productiuum talis actus quoad specificationem non sit omnino determinata, nec formaliter determinans ad exercitium talis actus in particulari semper, & vbique non est necessaria distincta alia virtus, sed sufficit illam esse illorum omniū capacem: vel talis naturę, vt vtrūque præstare possit secundum alios, vt dicemus inferiùs.

Eo ipso, quòd liberū arbitriū est principium eligendi nō potest esse principium determinatum.

Secundo obijcunt contra idem.

Sed obijcies iterum. Quia non minus implicat esse principium eligendi siue operandi, & non operandi, quàm esse principium operandi, & non esse principium operandi cum idem omnino sit esse principium non operandi, & non esse principium operandi pro tunc: sed manifestè repugnat idem esse principiū operandi, siue eligendi, & non esse principiū operādi, respectu eiusdē: ergo omnino etiā repugnat, liberum arbitrium esse principium operandi, & non operandi, siue esse indifferens, quod in idem redit. Respondetur negando antecedens; quia non esse principium operandi, siue eligendi, negat omnino quod affirmabat altera propositio, videlicet esse principiū eligendi, cum negatio illa destruat quidquid inuenit post se, ideoque contradicit alteri propositioni. At vero esse principium non operandi, vt accipitur à nobis non negat esse principium alicuius absolutè, sed solum negat esse principium tali modo nempè à natura determinatū ad hic, & nunc operandum, quod nullo modo contradicit huic, quod est esse principium operandi: absolutè enim non repugnat hoc quod est posse operari, huic quod est posse non operari hic, & nunc, sed huic quod est non posse operari. Et idem est de determinatione, &c. Cōtradiceret tamen si sensus esset, liberum arbitrium esse principium non operandi, id est nullo modo potens operari.

Tertia difficultas ad idem.

Tertiò difficilius obijcio. Quoniam liberū arbitrium, vel dicitur esse principium indifferens ad eligendum, vel non eligendum, siue operandum, vel non operandum simul copulatiue. Et hoc siue accipiatur, quoad exercitiū actus, siue quoad specificationē eiusdem, omnino videtur impossibile: cum non minus implicet operari, & non operari simul, quàm esse principium operandi, & non operandi simul etiam quoad specificationem actus. Vel dicitur esse principium indifferēs potens disiunctiuè tantum operari, vel non operari, & tunc vel vtrumque sumitur quoad specificationem actus, & sic est impossibile cum liberum arbitrium natura sua sit determinatum ad vnam speciem, siue ad vnum genus actuum extra quod nullum actum habere potest: aut vtrumq; sumitur quātum ad exercitium actus & sic etiam videtur impossibile cum id nequeat conuenire libero arbitrio ratione vnius & eiusdē formalitatis, vt supra diximus. Quia ea facultas, & formalitas præcise, quę dat posse producere, non dat posse non producere. Si autem posse producere actum conueniat ratione vnius, & posse non producere ratione alterius formalitatis diuersæ, præter quàm quòd differentia liberi arbitrij erit composita ex pluribus constituentibus principia formaliter diuersa, & inter se contraria, & pugnantia certum est tunc liberum arbitriū ideò solum dici principium indifferens ad operandum, vel non operandum in exercitio; quia vnum principium è duobus illis potest producere, vel quia potest altero efficacius mouere, illudque impedire ne prodeat in actum, nō tamen, quia liberū arbitrium sit vnum, & idē principium formaliter potens operari, & nō operari quantum est ex parte ipsius, & si non impediatur. Et confirmari hoc potest; quoniā omnis potentia seu principium ex se productiuum alicuius actus, etiam ex se est determinatum ad producendum illum in exercitio si non impediatur ab aliquo extrinseco, vel intrinseco principio: ergo si liberum arbitrium est principium determinatum quoad specificationem actus, etiam erit determinatum quoad exercitium quantum est ex parte ipsius. Probatur antecedens. Quia vel illa potentia seu principium ratione illius, cuius ratione est determinatum ad specificationē actus

Confirmatur.

habet

habet in ſe quidquid ex parte ipſius principij requiritur ad exercitium talis actus, & ſic manifeſtum eſt quantum eſt ex parte illius habere ſemper omnem determinationem ad exercitium talis actus requiſitam, & conſequenter ſemper eſſe determinatum ad eum actum exercendum, quantum eſt ex parte ipſius, ſi aliunde non impediatur, vel ratione illius, quod dat determinationem quoad ſpecificationem non habet omnem determinationem requiſitam ex parte talis principij ad exercendum eum actum. Et id videtur omnino impoſsibile ſi talis potentia ſit principium in eo genere ſufficiens ad producendum eum actum, vt ſupponimus. Quia eſſe determinatum principium quoad ſpecificationem nihil aliud eſt, quàm habere in ſe ſufficiẽtem virtutem reſpectu talis actus producendi, quantum eſt ex parte ipſius. Si dicas voluntatem ſeu liberum arbitriũ eo ipſo, ſeu ea ratione, qua eſt principium determinatum quoad ſpecificationem reſpectu electionis, vel actus liberi quando adſunt alia requiſita habere omnem determinationẽ potẽtialem, & requiſitam antecedenter ad actũ, non tamen habere ſemper actualem determinationem ipſius potentiæ, quæ in ſolo exercitio cernitur, Contra hoc arguitur. Quia vel ad actuale exercitium actus eſt neceſſaria aliqua alia determinatio ex parte ipſius potẽtiæ præter virtutem omnino ſufficientem, & actum ipſum: & hoc præterquã, quod diceretur gratis, id videtur eſſe impoſsibile etiam in libero arbitrio. Quoniam ea determinatio antecedenter requiſita ad exercendum actum eſt aliqua virtus potentialis, & tunc illa prior non eſſet ex ſe ſufficiens, quod eſt contra ſuperiùs dicta, deberetque oſtendi, vndenam, & qua ratione ea virtus proueniat. Vel eſt aliqua virtus actualis tantùm, & cum debeat eſſe ex parte potentiæ (loquimur enim de illis tantum, quæ ex parte potentiæ prærequirũtur) neceſſariò erit aliquis actus ipſius potentiæ, & conſequenter ad exercendum actum talis potentiæ erit neceſſarius alius actus præuius eiuſdẽ potentiæ, ſicq; eſſet abeũdum in infinitũ. Quod clarius oſtenditur in ipſa voluntate habente in ſe virtutem ſufficientẽ ad actum: tunc enim peto, quare voluntas non ſit determinata quo ad exercitium actus circa obiectum hic, & nunc ſufficienter propoſitum ſub ratione boni. Si dicas, & reſpondeas, quia ipſa non ſe determinat, vel quia non vult ſeipſam determinare: tunc vel per non ſe determinare, aut non velle ſe determinare intelligis non exercere actum circa tale obiectum propoſitum, & tũc idem erit, ac dicere voluntatem non exercere actum hic, & nunc: quia non exercet actum, cum ea determinatio voluntatis non diſtinguatur ab ipſo actu elicito. Vel per non ſe determinare intelligis voluntatem non feciſſe aliquid præuiè requiſitum ad exercitium talis actus. & hoc eſt dicere, quia non produxit alium actum priorem iſto; vt paulò ante dicebamus, & adhuc petam, quare voluntas non produxit illum alium priorem actum prærequiſitum. Si enim dicas, quia noluit, vel per noluit intelligis actum poſitiuum nolendi, & id videtur falſum, aut ferè nunquam eueniens, vt in affirmatiuis clarius patet. Vel per nolluit intelligis ſolam negationem, aut priuationem volendi, & hoc eſt dicere non ſe determinaſſe antecedenter ad actum illum, quia non ſe determinauit: vel non produxiſſe, quia non produxit. Si autem dicas volũtatem tunc non eſſe determinatam in exercitio talis actus, quia nõ determinatur ſufficienter à tali obiecto per rationem cognito, vel quia efficacius determinatur ab alio, tunc ſequitur voluntatem, & liberum arbitrium quantum eſt ex parte ipſius eſſe principium determinatum non ſolũ quoad ſpecificationem, ſed etiam quoad exercitiũ actus, ſi adſint omnia exterius requiſita, vel non impediantur ab alio, & conſequenter dicendum erit liberum arbitrium non eſſe principium indifferens quantum eſt ex parte ipſius, etiam quoad exercitium actus.

Soluitur tertia difficultas.

Huic tertiæ obiectioni, quam difficiliorem eſſe diximus ſatisfacere oportet, eiuſque nodum, & difficultatem aliquanto fuſiùs diſſoluere. Fatemur ergo liberum arbitrium nõ ità eſſe, aut dici principium operandi, & non operandi, vt ſimul copulatiuè ità concipiatur, vt vtrumque ſimul in actu poſsit exercere: quia hoc habet manifeſtam implicationem, affirmamus tamen, & fatemur ſimul eſſe principium operãdi, & non operandi abſolutè; quia eo ipſo inſtanti, & puncto, in quo eligit, vel intelligitur poſſe eligere, vel etiam intelligitur, & poteſt non eligere: quia cum etiam pro tunc non determinetur à natura ad eligẽdum; ſecundum naturam manet indifferens, atque ita potens naturaliter non eligere ſiue moraliter, aut infallibiliter, dicatur aliquãdo nõ poſſe non eligere: quia nimirùm mos ſiue conſuetudo, aut affectus vehemens efficaciter inclinet, ſiue id nunquam cõtingat. Mos autem, conſuetudo, aut affectus ſicut non affert naturalem determinationem, ſed moralem tãtum, & infallibilem, vt plures dicunt, ità neque tollit naturalem, & phyſicam indifferentiam, ſed aliqualem tantum, quæ neceſſaria non eſt ad eſſentialem rationem liberi arbitrij omnino, ſecundum Diuum Thomam, & plures alios etiã ex iunioribus, vt inferiùs videbimus. Atque ità liberum arbitrium licèt aliquando ſit, vel eſſe poſsit infallibiliter determinatum ad eligendũ ratione circũſtãtiarum taliter occurrentium, aut ratione conſuetudinis habitualis, & vehementis, ſemper tamen manet phyſicè indifferens etiam dum eligit.

Abſolutè liberum arbitriũ eſt principium operandi, & nõ operãdi manetque indifferẽs phyſicè

Addo tamen huic ſolutioni aliam rationabilem, & valde conformem dictis Sanctorum, & Diui Auguſtini, quod vt infallibiliter volũtas operetur id, ad quod Deus prædefiniendo aliquod opus eam mouet, requiritur infallibilitas, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſicut ne-

que diuinę prędefinitioni,& prędeterminatio ni potest vllo modo subesse: infallibilitas enim pręcisę moralis nō est talis, cui nō possit subesse falsum. Et idcircò cū prędeterminatio moralis præcisè sumpta nō dicat eā infallibilitatē, cui nō potest subesse falsum, nisi quatenus coniungitur cūdiuina prędefinitione, & pręmotione Dei, suiq; influxus, idcircò cū frustrari non possit Deus in suis decretis, & prędefinitionibus ante pręuisionē operū, sentiendū est Deū exercere suā diuinā motionē circa voluntatē nostrā sub morali pręmotione, ità vt simul se comitētur illa duo, & vnū quasi dependenter ab alio determinet voluntatē nostrā. Quod in sinuauit elegāter Ruardus Tapper art. 7. de libero arbitrio, vbi post præmotionem moralē Dei erga liberū arbitriū in pijs operibus dicit, quod quāuis sit alia Dei motio, & efficacia prę ueniens, in eo qui operatur, in genere causę efficientis, præter primā præuenientē, quod est probabile, quod hoc nō aufert libertatē vllam à voluntate, neq; inducit determinationē contrariā libertati. Et in eodē artic. pag. 300. iterum dicit. Quod quamuis pręter gratiam Dei, ad vsum illius quo acquiescimus salutari monitioni, suasioni, & internæ vocationi, & quo pulsanti ostium cordis aperimus, per quæ omnia ex parte obiecti inclinatur voluntas, exigatur adhuc alia gratia, per quā immediatè inclinetur, & accommodetur volūtas per pium affectum, & per quā etiā voluntas à Deo effectiuè flectatur an non, hoc nihil mutat, neque impedit voluntatis libertatem in libero vsu gratiæ. Quia ità suauiter inclinat, & determinat eam Deus, vt ex iudicio ac consilio, & sic liberè sequatur hanc Dei appropriationē, &c. Vndè cum in omni actuali operatione voluntatis ità sit, quod voluntas liberè est determinata ad speciē & exercitium operis actu emanantis ab ea, ad quā determinationem ipsa, ità se habet, vt non solùm determinetur moraliter à Deo, sed etiam ipsa se determinet, nō tantum se moraliter mouendo, sed etiam se efficienter, quod non lędit vllo pacto libertatem suam, neq; eam indifferentiam, quæ requiritur ad liberè agendum, sequitur etiam secundum D. Tomam liberum arbitrium etiam determinari, non tantum per moralem determinationem, sed etiam per verè infallibilem connexā cum determinatione efficienti voluntatis, qua seipsam propriè efficienter mouet & agit sub determinatione Dei, eiusq; influxu, efficienti permanēte ea indifferentia, quæ requiritur, & sufficit ad hoc, vt cū actu determinationis volūtas dicatur liberè agere in actu ipso exercito, circa quē ipsa determinatè se habet dū à Deo mouetur, sed de hac re alibi fusius agemus.

Ruardus Tapper..

Ex dictis cōstare potest solutio illius quæstionis, vtrùm liberum arbitrium seu voluntas sit etiam libera, & indifferens ad nō eligēdum pro eodem instanti, in quo eligit, siue operatur, vel solum antequā eligat. Certū est enim in cōmuni sententia pro tunc habere libertatem, & indifferentiam propter ea, quæ superius diximus, vt optimè Scotus aduertit in 1. dist. 39. §. Quantum ad primum dico, circa medium, in qua re Scotus noluit recedere à sententia Diui Thom. Imò verò neq; Gregorius Ariminensis, neq; Gabriel in 2. dist. 25. quæst. 1. art. 3. dubio 4. & in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 1. notabili 6. Neq; dixit oppositum Magister in 2. distinct. 25. aut Hugo de Sancto Victore in Summa sententiarum, tract. 3. cap. 9. Imò verò nobiscum consentiunt, vt supra perpendimus in sectionibus antecedentibus, & idcircò immeritò citantur ab aduersarijs pro sua sententia. Neque obstat illud, quod dicitur, omne quod est, dum est, necessariò est esse. Quia nos non dicimus voluntatem, aut liberum arbitrium pro illomet puncto, & instāti, in quo habet actum, posse illum non habere manente eodem actu, id enim implicat. Isque est sensus illius axiomatis, affirmamus tamen pro illo instanti habere facultatem non conseruandi illum, & eliciendi oppositum, vel quia voluntas non est ita determinata respectu huius actus, & obiecti determinatione naturali, more pecudum, aut rerum naturalium, vt careat omni indifferentia necessaria ad oppositum actum. Vel quia ità potest cessare à conseruatione illius actus, quod oppositum actum habeat in potestate sua, cōsiderata eius potestate libera, atque ità etiam cum versatur circa aliquod obiectum habet voluntas naturalem & physicam indeterminationem: non enim adæquat obiectum capacitatem ipsius voluntatis, atque ità etiam pro tunc dicitur physicè indifferēs, vt patet in Deo liberè nūc conseruante creaturas, & tamen immutabiliter, vt explicabitur inferiùs.

Rursus ex dictis cōstare potest solutio huius obiectionis ad reliquas probationes ipsi⁹: dicendū est enim, q̄ liberū arbitrium, quāuis habeat pro eodē puncto & instāti simul potestatem illā, & facultatem eligendi, aut nō eligēdi, tamen nō habet ità copulatiuè, vt vtrumque in actu simul possit exercere, quia licèt habeat simul principium vtriusq; & facultatem, tamen nō habet copulatiuè ex parte actus, vt vtrumq; fiat simul, & idcircò dicitur facultas hæc simul cōuenire libero arbitrio, cum potestate tamen eligendi, vel nō eligendi disiunctiuè. Copulatiuè, inquam, in vno sensu, & disiūctiuè in alio. Qua ratione talis facultas liberi arbitrij dicit planè indifferentiam, siue potestatē cum effectu ponendi in re vnum, vel oppositum illius, vel ità ponendi in re, quod sibi placuerit, vt quāuis respectu illius, quod de facto ponitur in re sit in exercitio determinata determinatione liberā, qua se ipsam determinat, nihilominùs sit indeterminata volūtas, nimirū, vt possit ex sua potestate, & facultatē cessare à suo actu, & oppositū ponere: quia liberè etiā in ipso exercitio operatur, & cū indifferentia ex parte intellectus, eiusq; libero iudicio ex collatione, & conferentia facto.

Ad reliquas probationes obiectionis.

Vtrùm liberum arbitrium, seu voluntas, vt libera est, habeat determinationem ad exercitium proprij actus, & qua ratione ad eũ determinetur.

RElIqua verò, quę in eadem obiectione continentur videntur postulare, & petere difficultatem illam, Vtrum liberum arbitrium, siue volũtas, vt libera est, habeat aliqualẽ determinationem, & inclinationem ad exercitiũ proprij actus, cũ adsunt omnia alia requisita: & qua ratione etiam determinetur ad eiusmodi exercitium, cum ipsa ex natura sua sit absolutè indeterminata, & indifferens, etiam physicè respectu illius, cuius habet potestatẽ agẽdi, & non agendi, de qua re multa nos manent certamina, nunc tamen paucis nonnulla tangemus. In qua sanè re quorumdam sententia est, quę supponit posse esse principium determinatum quoad specificationem ad aliquem actum, nullam omnino habens determinationem quoad exercitium eiusdem, etiam positis omnibus prerequisitis, & quod idem est esse posse appetitum boni vt sic, qui nulla ratione sit inclinatio in bona particularia sub illo contenta. Quo supposito respondent consequenter, liberum arbitrium esse principium quoad specificationem determinatum ad certum obiectum, nempè bonum, & ad actum electionis, &c. Quoad exercitium verò nulla ratione, neque moraliter, aut infallibiliter esse determinatum, aut determinabile per positionem obiecti, & circunstantiarũ, sed à seipso tãtum moueri posse, imò verò quidã alij Theologi addunt liberum arbitrium, seu liberã voluntatem etiam quoad specificationẽ esse omnino indifferentem respectu boni etiam in cõmuni sumpti, aut clare ostẽsi; quia potest inquiunt etiam in malum ferri, si velit, vel omnino suspendere actum. Pro qua sententia ab aduersarijs citari solet Ocham in 1. dist. 1. q. 6. & in 4. distinct. 14. Imò verò Gregorius Ariminensis, & plures alij huius classis.

Quorũdam sententia.

Citatur pro ea Ocham, & Gregor. Arimin.

Vnde omissis alijs ad probationem prędicti argumenti seu obiectionis consequenter respondent etiam plures alij recentiores; liberum arbitrium seu voluntatem ea ipsa ratione, qua est determinata quoad specificationẽ respectu talis obiecti & actus, habere etiam omnem determinationẽ ex parte eiusdem potentię requisitam ad amplectendũ eiusmodi obiectum si proponatur per talem actum. Si tamẽ per determinationem intelligas potestatẽ, & virtutẽ ex se omnino sufficientem ad eũ actũ: nullam vero habere determinationem ad eundem actum exercendum, si per determinationem intelligas necessitatem aliquam, aut veluti obligationem positis ijs, &c. Si autem petas, cur voluntas non sit determinata, tunc respondetur, hanc etiam esse eius naturam, vt disputatione de radice contingẽtię dictum est. Quòd si vlteriùs roges, vt in obiectione insinuatur, cur volũtas aliquando operatur, aliquãdo verò nihil omnino efficit, cum tamẽ habeat obiectũ optimè applicatũ, & adsint alia omnia requisita. Huius rei solutio nõ est dicere, q' tũc non operatur, quia non vult; quia id esset idẽ per idem respõdere, vt cõstat ex ijs, quæ habentur in cõfirmatione obiectionis. Nam si non velle nihil aliud est, quàm nullum elicere actũ, idẽ erit dicere, non operatur, quia nõ vult, atq; dicere nõ operatur, quia nõ operatur, aut quia nullum efficit actum, &c. Si verò non velle est elicere actum nolendi, huius petitur ratio cur nimirùm eliciat actum nolendi tunc, cum adsint omnia requisita ad volendum: Si dicas quia vult; idem omnino argumentum fiet, aut enim velle est elicere actum volendi ipsum non velle, quem elicit, & præterquàm, quòd in plurimum est falsum, idẽ petam de illo eadem ratione: aut velle non velle nihil aliud est, quàm simpliciter elicere ipsum actũ nolẽdi tale obiectũ, & tũc idẽ est dicere, q' volũtas nõ elicit, quia nõ vult, ac dicere, q' elicit actum nolendi, quia elicit actum nolẽdi.

Dubitatio.

Solutio.

Rationabilior solutio esse potest, dicere voluntatẽ tunc nõ operari quãuis adsint omnia requisita, & ex se determinantia ad operandũ, quia hæc est natura ipsius voluntatis, & liberi arbitrij, vt positis omnibus pręuiè requisitis possit operari, vel nõ operari, nullamq; aliam huius rei causã exigendã esse, cũ nulla alia esse possit, vt frequenter respondent recentiores, qui hãc sententiam sequuntur, & hac ratione dissoluitur apud eos confirmatio obiectionis.

D. Thom.

At verò Sanctus Thomas eiusque Schola ex Arist. & ex Philosophia supponunt principiũ aliquod determinatum ad aliquem actũ quoad specificationem, si quoad specificationem determinatur, habere etiam aliquem modum determinationis, seu inclinationis quoad exercitium eiusdem actus, dummodo adsint alia requisita, nullumque sit impedimẽtum detinens. Id ipsum proportionaliter insinuant euenire in voluntate, prout est liberum arbitrium, & si ea determinatio siue inclinatio nõ sit absoluta neque necessitans, sed secundum quid tantum. Similiter etiam supponitur in Schola Diui Thomæ, omne principium indeterminatum, ea ratione qua indeterminatũ est deberi determinari ab alio ad hoc, vt actu operetur, & idem etiam proportionaliter docent de libero arbitrio, vt constat ex ijs, quæ cõmuniter dicuntur. 1. 2. q. 9. ar. 1. in corpore, & artic. 4. & 5. & quæst. 10. art. 2. & sequentibus, & q. 6. art. 1. ad 1. & 2. & q. 109. art. 1. & 2. ad. 1. & 1. p. q. 83. art. 1. ad 3. & 5. & quæst. 103. artic. 5. ad tertium, & artic. 8. & quæst. 105. artic. quarto. Quibus in locis ex professo Sanctus Thomas agit de hac re, & plerisque alijs in locis tam lib. tertio, contra Gentes, quàm in disputatis, quæ consulto prætermitto, id autem non tollit, quòd voluntas

Principiũ indeterminatum, qua ratione tale est, debet ab alio determinari, vt actu operetur.

seipsam determinet à seipsa, vt specialiter explicat Sãctissimus Præceptor locis citatis, & 1.par.quæstio.105.art.4.ad argumenta, & 1.2.quæst.9.art.3. Cuius etiam rationem dixi mus supra, tunc nimirùm potentiam mouere, & determinare seipsam, cum non absolutè de terminatur ab obiecto, idemque insinuauit *Aristot.* Aristot.3.de anima tex.59.& sequentibus, & in libris Ethicorum, vbi quę ibi Aristot.docet huic principio videtur inniti. Ex his ergo col ligunt discipuli D. Thom. Deum authorem, & causam primam rerum omnium, mouere quamcumque potentiam, siue causam ad exer citium proprij actus, quando operatur in particulari, atq; ità omnium creaturarum motus, & actiones etiam liberas in particulari à Deo prædefiniri, & statui. Quæ sententia antiqua est, & plurimũ vsitata, nisi paucis ab hinc annis à suo cursu esset repulsa à nouitijs Theologiæ: quæ sanè non ità defenditur, quòd Deus scientia sua infinita simplicis intelligentiæ nõ nouerit quid quæuis causa etiam libera in certis circunstantijs constituta efficere possit: nõ quidem quid faceret, aut effectura sit, nisi ipse Deus decreuisset, aut permisisset, sed quid posset facere, aut quid esset possibiliter futurum, vel præcipuè esse conforme certis illis circũstantijs temporis, & loci, & aliarum causarum occurrẽtium, ante quàm talem causam, & ordinem rerum producere decerneret. Imò verò potuit Deus cognoscere ex hypothesi, quod vellet, creaturã & causam liberam creare cum his, aut illis circunstantijs, & in tali, aut tali ordine rerum, constituendo ei dare hæc media vel illa, & sic vel aliter mouere, & determinare ad agendum, & operandum, quid futurũ esset ex hypothesi inquam, quod id Deus ità voluisset decernere, & prædefinire, quod sanè non excedit scientiam infinitam simplicis intelligentiæ, neque excedit possibilitatem futuritionis, repugnat tamẽ cuidam scientiæ mediæ recentiorum, quam modo illi fingunt, & de qua nos fusè infra agemus, quia hęc excludit prædefinitionem Dei, & eam solum statuit post præuisionem operum.

Durand. Durandus circa doctrinam D. Thom. in 1. distinct.38.quæst.3.& distinct.40.quęstio.1. num.7.& distinct.39.quæst.3. num.11. plus cæteris seipsum explicuit, & Diuum Thomam: quãuis enim in prædictis locis de facto loquatur, tamen eadem ratio est à fortiori de possibili, vt rectè consideranti patêre potest. Quod etiam fundamentum debuit similiter supponere Scotus, qui in 1. distinct.38. quæstio. vnica, asserit futura contingentia etiam libera à Deo cognosci in sola determinatione suæ voluntatis ante omnem determinationem voluntatis creatæ. Quamuis ipse idem *Scot.* Scotus videatur prædicta fundamenta tacta non admittere omnino dum transiret ad disputandum de alijs contingentibus, vel ad alia instituta. At verò cum Scotus innitatur eisdem fundamentis antiquorum iuxta doctrinam traditam, non est impossibilis, sed valde rationabilis sententia eius de cognoscibilitate futurorum, sicut nec prædeterminatio diuinæ voluntatis, saltem quod ad nos attinet in præsenti. Nam determinatio voluntatis Dei non aufert libertatem nostram, neque lędit eam.

Quid iuxta D.Tho.sentiã sentiendũ sit. His ergo ità stabilitis ex sententia D. Thomæ valde rationabile est, pręcipuè in materia de gratia, & circa supernaturales actus, in quibus liberum arbitrium non agit nisi ex principio supernaturali, & ex gratia & auxilio Dei: quòd idem arbitrium liberum non solùm mouetur à Deo, & determinetur à gratia eius, vt possit operari prębendo illi pręuenientia auxilia, quę simpliciter sunt necessaria ad supernaturales actus, sed etiam ex ipsius efficaci gratia pręmouendo voluntatem, hoc est, ità applicando obiectum proportionatum tali actui, & alias circunstantias bonitatis, vt liberum arbitrium ità dispositum, sit sufficienter determinatum determinatione libera ad infallibiliter liberè operandum, seque ipsum determinandum, & determinaturum iuxta propriam eius conditionem, & naturam, nimirum per deliberationem consultationem, & conferentiam. A quo fundamento qui recedunt sine dubio vident se recedere à doctrina Diui Thomę, & à communi, & vsitata sententia, vt ipsi dixerunt aliquando. Neque mirùm, si ob id in alios inciderint modos dicendi, & defendẽdi, qui non possunt esse conformes antiquę doctrinę, neque Sanctissimo pręceptori. Verum quia de hac re aliqua diximus in superioribus controuersijs, & multò plura sunt à nobis dicenda infra, satis sit modo tetigisse rem hanc.

Sed quoniam pro solutione huius tertię obiectionis inter alia, quę probabiliter dicuntur etiam ab authoribus oppositę sententię, diximus, quòd quando voluntas non operatur, licèt de facto habeat omnia, quę sunt requisita ad operandum, & ex se quasi determinantia ad operandum: causam huius, esse naturam ipsius voluntatis, & liberi arbitrij, de quo dicitur, quòd positis omnibus pręuie requisitis ad agendum, potest operari, vel non operari, nullamque aliam huius rei causam exigendam esse. Hoc inquam amplius explicandum, & examinandum est. Quoniam nihil est ita proprium rationalis appetitus, & liberi arbitrij, quàm duci ratione in omnibus, cum in hoc potissimum distinguatur ab irrationalibus, quod hęc absque vlla ratione à se cognita, sed solo naturę impulsu, & iudicio infixo, liberum autem arbitrium ratione, conferentia aut collatione, & fine cognito, atque iudicio libero moueatur.

Nihil tam propriũ est rationalis appetitus, quàm duci ratione.

Fatemur libenter esse verisimum liberum hominis arbitriũ, & voluntatẽ quatenus liberè operatur duci ratione vera aut appatẽti, pręcipuè cũ debeat in omnibus rationabiliter operari, quod etiam est de ratione agẽdi propter

finem, vt ſupra viſum eſt, & idcirco ante omnem actum liberum voluntatis, aut electionis eius debet præcedere cõſilium ac deliberatio, hoc tamen non tollit neque aufert, quò minus voluntas ſeipſam moueat, ac determinet, ac proinde quòd à ſe moueatur ac determinetur, cum ſit in eius poteſtate, vel nihil omnino efficere, vel dum intellectus plures obijcit rationes diuerſas moueri, & determinari ad agẽdum, hac potius ratione, quã alia: quòd ſi vnicam tantum proponeret intellectus, ſimiliter poſſet omnino ſuſpendere actum, id tamen contingere non poterit, vt ſolum vnicam proponat, cum ad hoc, vt voluntas poſsit eligere, neceſſario debeat intellectus, vel proponere plura, vel vnum relatum ad ſuum oppoſitum, vel vnum per modum plurium, & pro vtraque parte rationes conuenientiæ, vel diſconuenientiæ. Obiter tamen aduerte, quòd hoc quod eſt voluntatem moueri à ſe, aut determinari, non tollit hoc, quod eſt voluntatem, aut liberum arbitrium moueri ab alio, nimirùm à Deo, cum liberum arbitrium creatum pendeat à Deo. Vnde perpende nouum non eſſe voluntatem noſtram ſeu liberum arbitrium non eſſe cauſam abſolutè, & ſimpliciter primam ſui motus, ſiue ſeipſam mouentem, aut determinantem ad exercitium proprij actus, vt ex ſanctiſsimi præceptoris doctrina ſuperiùs aduertimus. Quod ipſe eleganter docuit. 1. par. quæſt. 83. artic. 1. ad tertium, & quæſt. 105. artic. 4. & 5. & quæſt. 106. art. 2.

Etſi intellectus vnã tantum rationem voluntati proponeret, poſſet quidem illam ſequi, & non ſequi, ſuſpẽdendo omnino ſuũ actum.

Rurſus proprium eſt liberi arbitrij, & rationalis appetitus non ſolum duci ratione, cum operatur, ſed etiam in omnibus agere, & operari propter finem, ac proinde non ſolum proprium eſt ipſius ſe agere & mouere, ſed etiam moueri, & determinari moraliter ab alio, etiã à fine, & ab obiecto, & non à ſe ſolum, vt ſupra vidimus. Nã certè duci ratione nihil aliud videtur eſſe, quàm ratione agere, mouerique, & determinari à ratione, ſicut duci natura eſt operari ex inſtinctu, ſiue impulſu naturæ: determinari autem ratione nihil aliud eſt, quàm moueri à bono taliter cognito per rationem, cum ratio, ſiue intellectus non alia ratione voluntatem niſi proponendo illi obiectum ſub tali, vel tali ratione bonitatis, & conuenientiæ hic & nunc. Ex quo conſtat etiam voluntatem, prout eſt liberum arbitrium moueri, & determinari motione, & determinatione libera in exercitio actus, non tantum à ſe, ſed etiam ab obiecto ſub talibus circunſtantijs. Et multò magis, & connaturalius hoc poteſt conuenire voluntati reſpectu Dei, cuius dominio optimè ſubijcitur liberum arbitrium creatum ſine læſione vlla, aut violentia.

Propriũ eſt rationalis appetitus non ſolũ ſe agere, & mouere, ſed etiam moueri, & determinari moraliter ab alio.

Adde etiam ſimiliter proprium eſſe voluntatis, quatenus libera eſt, ità in omnibus duci ratione, & agere propter finem, quod etiam in eo quod eſt non amare obiectum propoſitum, ſiue ſuſpender actum, cum adſunt vna, vel plures rationes ſuadentes, & alia requiſita, & ſufficientia ad amorem talis obiecti duci debet aliqua ratione ſeu motiuo rationabili, aliàs id fieret à caſu, & non propter finem, vt ſupponimus. Ex quo liquet tunc etiam voluntatem ab aliquo alio determinari, aut conderminari, & non tantum à ſe. Et declarari hoc poteſt. Quia etiam id, quod eſt non amare, quod libera voluntate tunc fit, ſiue fiat per verum actum oppoſitum amori, ſiue nihil formaliter efficiendo, ſed virtualiter tantum, aut quauis alia ratione dicatur, totum hoc eſt à voluntate habente poteſtatem illius. Imò verò etiam eſt à voluntate ſeipſam tunc determinante ad nolendum. Ex quo etiã infertur, quòd voluntas etiam ad eum actum formaliter oppoſitum amori, vel interpretatiuum tantum, & ad nullum etiam omnino habendum debet ratione aliqua duci, & habere rationabilem finẽ ſeu motiuum, aliàs enim vt natura, vel temere operabitur, aut ſuſpendet actum. Et vlterius quoties fuerit eiuſmodi ratio ſeu motiuum hic, & nunc determinans voluntatem ad id, quod dicitur efficere, ſi eodem modo ſe habeat eadem voluntas, vt tunc ſe habet, pari etiam ratione determinabitur quoad exercitium ſimilis actus, vel ſuſpenſionis illius ſicut tunc: ergo toties etiam voluntas determinabitur ad ſimilem actum, vel ad ſuſpenſionem eius, & cum idem ſit dicendum proportionaliter de alijs actionibus liberis, in omnibus etiam operabitur voluntas ex determinatione. Quæ ſanè determinatio non tantùm debet eſſe moralis, & à ratione obiecto fine, & motiuis à conferentia, & collatione, ſed per hæc, & in his efficienter ſimul, & à voluntate ipſa, & à Deo.

Hoc, quod eſt nõ amare fieri poteſt perverum actum oppoſitũ amori, ſiue nihil formaliter efficiẽdo, ſed tantum virtualiter.

Obſerua tamen in re hac, de qua nunc agimus, determinationem infallibilem eam dici debere, qua poſita ſemper ponitur effectus, ad quem determinat, quamuis abſolutè ſeu phyſicè non neceſsitet. Imo verò quamuis neque lædat libertatem: quia poſſet non poni: neque ex alia parte auferat certitudinem vllam. Nam ob id dixit Diuus Auguſtinus Dei prædeſtinationem, & prædefinitionem eſſe illam, qua certiſsimè liberantur, quicumque liberantur. Voluntatem ergo duci ratione eſt à ratione determinari, & ità operari, aut ſuſpendere actum, vt hoc iudicetur per rationem expedire appetitui taliter diſpoſito hic, & nunc, conſideratis omnibus alijs, quæ illam circunſtant. Quocirca talis ratio ſeu iudicium ſimul cum ea diſpoſitione appetitus, & cum reliquis omnibus, quæ dicta ſunt, cum motiuis etiam, & dependentia à prima cauſa, & principio, ſunt & dicuntur adæquata cauſa, cur talis actus fiat hic, & nunc, ac proinde quotieſcumque ea ratio poſita fuerit, eodem modo ſe habentibus alijs, quæ complent rationem motiui ſeu determinantis, idem erit omnino,

Determinatio infallibilis eſt illa, qua poſita ſemper ponitur effectus.

aut ſi-

aut similis actus. Nam ratio illa supposita dispositione appetitus, & alijs omnibus quę cõplent rationẽ motiui, & determinantis non est causa, siue finis per accidens actus huius: quia alias tunc ipsum amare, vel suspendere actum, esset omnino à casu, vel fortuna, & non propter finem à ratione ostensum, vt supponimus.

Moueor etiam. Quoniam omne agens propter finem agit ex motione, & determinatione finis, siue proportionis medij cum fine, ità vt si aliter expediret ad eundem finem, aliter etiam operaretur: sed voluntas seu liberum arbitrium in suis actibus liberis est agens formaliter propter finem: ergo in illis omnibus agit ex simili determinatione finis, siue proportionis medij cum fine, ità vt si aliter expediret agere ad eundem finem, aliter etiam operaretur: ergo liberum arbitrium, & voluntas etiam, vt libera sunt, non dicuntur esse principium omnino indeterminabile ab aliquo etiã extrinseco. Hoc enim euidẽter constat, vt minimum ratione obiecti propositi, & ratione finis, & omniũ motiuorum, à quibus potest moueri liberum arbitrium sub debitis circũstantijs, vt ex sententia D. Tho. dictum est. Probatur consequẽtia. Quoniam dici non potest eã determinationem finis siue finem, ità determinantem esse veluti conditionem præuiè requisitã respectu liberi arbitrij. Dices liberum arbitrium non determinari ab illo obiecto habente rationem finis, sed potiùs liberum arbitrium cum se ipsum determinat ad agẽdum actualiter, determinare etiam ipsum finem, vt actualiter concurrat, & causet in suo genere. *Obiectio.*

Solutio. Respõdetur, quòd motio & determinatio, finis est prima omniũ motionum, & influxuũ quolibet genere causæ etiã dum operãtur omnes causæ, vt ex omni Philosophia constat in disputatione de causis. Vnde quãuis finis dicatur metaphoricè mouere, semper tamẽ est vera causa. Imò verò vna ex quatuor causis physicis & moralibus, & nõ cõditio. Similiter etiã motio eius est vera causalitas in illo genere, non tantũ respectu actus producendi ab agente, sed etiam respectu ipsius agentis, cũ causalitas finis nihil aliud sit quam ipsa motio, & determinatio agentis ad operandum: ergo respectu huius, quod est voluntatẽ nimirũ determinari ad operandũ, vel ab operatione retrahi, finis siue obiectũ idem enim sunt, non est cõditio, sed vera causa, & motio ac determinatio ipsius volũtatis est effectus ab illis prouenies in genere causæ obiectiuæ, siue finalis. Atque ita eius causalitas nempè finis erit mouere, & determinare agens, propter quod etiam dicitur finis prima causarum omnium ab Aristot. & à tota Schola Philosophorum: ergo finalis causa etiam in exercitio non determinatur ab agente, sed potiùs illa determinat voluntatem ad exercitium actus. Propter quam causam omnis ratio agendorum etiam in hoc tempore, potiùs quàm in alio ab ipso fine desumitur, dum voluntas rationabiliter operatur. *Motio, & determinatio finis est prima omnium motionum in omni genere causæ.*

Ad hęc si voluntas nõ determinatur ad operandum, & agendum hic, & nunc ab ipso fine, siue ratione, & à motiuis cum dependentia à prima causa agente, & operante idem, sed tantum à propria determinatione, quasi ipsa seipsam tanquam primum principiũ determinat, nulla habita ratione ipsius finis, neq; Dei, etiã si finis aliter & aliter eã moueret, aut Deus, tũc volũtas hic, & nũc nõ operaretur propter finẽ, sed potius operaretur à casu vel à fortuna: quia tunc operaretur, quasi temere, siue vt fortuna operatur. Quia esset quasi agens intellectuale, quòd nulla ratione seu fine ductus procedit in actu; sed in eo casu volũtas, vt hoc potiùs quàm oppositum efficiat, aut nõ efficiat, nulla ratione ducitur, neq; fine, cũ dicatur id facturã esse, etiam si ille finis, vel nullus alius esset, aut nõ facturam etiam si illa ratio, & plures aliæ vrgerẽt, sed seipsam ducere nullo alio considerato, aut attento. Imò verò non considerata ratione principij primi gubernantis appetitum rationalem cum libero vsu rationis, quod primum principium est Deus ipse. *Si volũtas nõ determinaretur à fine operaretur à casu, vel à fortuna.*

Et ex his colligi potest argumentum contra id, quod dici posset, nimirùm quòd vt voluntas nõ operetur, vt fortuna, & vt à casu, sufficit illam esse potentiã liberam, non indigentem alio fine, neq; motiuo ad operãdum, vel cessandum, quàm solo exercitio proprię libertatis. Quoniam vel illud exercitium propriæ libertatis est cognitum vt bonum, sicq; amore illius ducta voluntas operatur, aut suspẽdit actum, & tũc habetur idem intentũ, videlicet voluntatem in omni actione, vel cessatione libera duci aliquo fine, siue ratione boni. Vel illud exercitium nulla ratione fuit cognitũ, vt bonum, & tunc similiter nulla etiam ratione potest esse motiuũ aut finis sufficiens ad hoc, vt volũtas operetur propter finẽ, & nõ vt fortuna in huiusmodi actibus. Et quãuis volũtas eo, quòd sit potẽtia libera non ità debeat determinari à bono seu à fine cognito, vt non relinquatur locus deliberandi ac determinãdi se ipsam efficienter & moraliter. Tamen non ideò debet aut potest vlla ratione determinari ab illo, tàm moraliter, quàm infallibiliter iuxta propriam naturam, & modum potentię liberæ, ita vt quamuis verum sit voluntatem mouere ac determinare seipsam, quia non mouetur, ità omnino physice ab obiecto, sicut mouetur appetitus bruti, vt alibi diximus, & dicemus etiã inferius. Verũtamen adhuc verũ est voluntatem moueri à bono seu fine proposito moraliter, aut infallibiliter cum subordinatione ad Deum ordinantem, & mouentem, & cõsequenter non semel tantũ, sed quotiescumque eadẽ ratio proponatur omnibus alijs pari ratione se habentibus quantum ad omnia idem proportionabiliter cõtinget. Nam certè si talis ratio siue finis, & motiuũ simul cũ dicta dispositione voluntatis fuit causa per se, vt volũtas determinaretur ad exercitiũ huius *Aduersus solutionem impugnatio*

actus, vel ad ceſſandum ab eo, vt ſupra oſtendimus, pari ratione quoties eadem ratio, idem finis, atque motiuum cum reliquis circunſtantijs proponatur, ſimiliter etiam determinabitur voluntas. Nam profectò illa eſt cauſa per accidens alicuius effectus, qua poſita, & omnibus alijs eodem modo ſe habentibus aliquando ſequitur ille effectus, aliquando non: id enim eſt manifeſtum ſignum, illam non eſſe cauſam determinatam illius etiam moraliter. Cauſa autem non determinata alicuius effectus in particulari etiam ſi ſit libera eſt caſus, vel fortuna reſpectu illius, vt docuit Ariſtot. 2. Phyſicorum, & omnis antiquitas Philoſophorum.

Cauſa per accidẽs illa eſt qua poſita, & omnibus alijs eodem modo ſe habentibus aliquando ſequitur effectus, aliquãdo non.

Hæc omnia, quæ diximus valde rationabilem reddunt Diui Thomæ ſententiam, ſicut & plura alia, quæ adduci poſſent in hac parte, cum eius principijs hæc ſint valde conſona, de qua re nos fuſe dicemus inferiùs. Fauent etiam valde ea, quæ nos diximus in materia, de Diuina prædeſtinatione, & quæ communiter dicuntur ab antiquis Theologis in diſputatione, de Merito Chriſti, & de Voluntate Dei.

Sed nihilominùs adhuc eſt argumentũ contra ſuperiùs dicta. Quia liberum arbitrium nihil aliud eſt, quàm voluntas reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem, vt ſuperiùs diximus. Sed voluntas etiam reſpectu eorum eſt principiũ determinatum quoad exercitium actus, cum non poſsit non velle illud, quod eſt ad finem, niſi appareat in eo per cognitionem aliqua ratio mali, aut minoris boni, vel maior bonitas in alio: ergo liberum arbitrium non eſt principium natura ſua indifferens etiam quoad exercitium actus,

Arguitur contra ſuperius dicta.

Huic obiectioni ſeu argumento dico, certũ eſſe in omni ſententia voluntatẽ reſpectu eorum, quę ſunt ad finem non eſſe determinatam ſuapte natura, neq; phyſicè determinari quoad exercitium actus etiam cum in obiecto nulla apparet ratio mali, neq; in alio maior bonitas, dum tamen deliberationi detur locus. An verò in eo caſu, quo nulla appareat ratio mali in obiecto, neq; in alio maior bonitas moraliter, & infallibiliter determinetur volũtas quoad exercitiũ actus, ſanè in ſententia D. Thomæ, & in Schola eius affirmandũ eſt, vt apertè videtur colligi ex ipſo Sanctiſsimo Præceptore. 1. 2. q. 13. ar. 6. in corpore, & in reſponſionibus argumentorum, & q. 10. art. 2. & q. 5. art. 4. in corpore ratione ſecunda, quibus in locis vniuerſaliter loquitur de omni bono habito, qua etiã ratione in materia de Beatitudine vtuntur ferè omnes, maximè recentiores, quæ tamen nihil probaret ibi, niſi vt D. Thomæ ſententia ſupponit, hæc eſſet volũtatis natura, vt quodlibet bonũ ſibi propoſitũ amet, dum non videt in eo rationem mali, vel maiorem bonitatem in alio, non tamen amat illud neceſſariò etiam tunc. Quia poteſt per intellectum cognoſcere in eo rationem mali aut inſufficientiã, quę etiam eſt ratio mali, vel maiorem bonitatem in alio, de quo prętер alios Capreolus in 1. diſt. 1. q. 3. & ibidem Hiſpalenſis Deça notabili. 4. Cui ſententiæ fauet Scotus aliquantulum in 1. diſt. 1. q. 4. §. Ad argumenta pro opinione, &c. ad 3. vbi inquit, quòd forte voluntas nõ poſſet nolle finem, cum ibi nulla malitia ſit, &c. Quam ſententiam etiam in bonis particularibus frequenter ſequuntur diſcipuli D. Th. plureſq; alij iuniores. In quo etiã apparet, quàm valde probabilis ſit D. Thomę ſententia, quam ſuperius explicare cæpimus. Imò verò ex hoc probabilior eſt, quod in omnibus regulariter loquatur, ſibiq; ipſi vbiq; ſit maximè conſtans, quod apud alios in his, quæ ad volũtatis, & liberi arbitri naturam ſpectãt minimè reperies. Scotus verò & alij qui ſententiam eius ſequuntur ſuperius explicatã cõſequenter ad ipſum tenentur aſſerere, neque tũc voluntatem determinari infallibiliter, ſed poſſe etiã moraliter nolle eiuſmodi obiectũ, etiam ſi nulla appareat tunc ratio mali, vel maior bonitas in alio, nõ aliter ac ſi de facto cognoſceret intellectus in eo obiecto defectum aliquem, & maiorem bonitatẽ in alio, in quã ſententiam magis inclinat Scotus loco citato, & Ocham in 3. quæſt. 13. ad dubium tertium, in initio & aliàs. Idemq; ſentiunt ſequaces eorum, maximè dum agunt de neceſsitate amoris beatifici, aut beatitudinis in cõmuni cognitæ, quos etiam aliqui ex iunioribus ſequuntur agentes de bono particulari in via propoſito, quamuis dicant Deum clarè viſum non poſſe non amari, eo quod ibi nulla ſit, nec poſsit eſſe ratio mali, quæ duo minus bene inter ſe cohęrere mihi, & alijs etiam ſemper viſa ſunt.

Capreol. Deça Hiſpalen. Scot.

Conſtanter loquitur S. Thomas, in ſua ſenzentia.

Reſpõdetur

D. Thom.

Obiectio ſpecialis contra ea, quæ diximus.

OFfert ſe tamẽ adhuc argumentum, ſeu obiectio cõtra ea, quæ dicta ſunt de indifferentia liberi arbitrij. Quoniam liberum arbitrium poteſt eſſe cum phyſica determinatione voluntatis quoad ſpecificationem actus, & morali quoad exercitium per debitam applicationem aliquarum circũſtantiarum infallibiliter allicientium, vt nonnulli iuniores videntur ſentire. Imò verò eſſe poteſt cũ omnimoda determinatione ad alteram partem, vt manifeſtè patet in Deo, qui non minus libere conſeruat nunc res creatas, quàm illas ab initio produxit, aut producere decreuit, & tamen nunc diuinum arbitrium eſt omnino determinatum ad conſeruationem illarum. Nam videtur implicare non cõſeruare illas, quia aliàs Deus eſſet mutabilis, & de facto mutaretur: ergo non eſt de ratione liberi arbitrij, vt ſic indifferentia ad operandum, vel non operandũ, etiam phyſica. Tunc enim deberet Deus eſſe ſaltem phyſicè indifferens

ad conseruandum, & physicè etiã potens non conseruare res creatas ad hoc, vt conseruatio illarum nunc esset Deo libera, quod tamẽ est falsum, cùm Deus neque physicè mutari possit, sine qua tamen mutatione illas physicè non conseruare minime posset. Rursus etiam liberum arbitrium Angeli est omnino inflexibile post electionem factam, vt docent Diuus Thomas, Henricus, & plures Scholastici, imò & ante electionem est omnino determinatum ad eligendum hoc potius, quàm illud, vt ex plerisque scholasticis colligitur. Nam ideò modo non potest voluntas Angeli mutari amando aliud, vel non amando illud, quod nũc amat: quia eius intellectus non potest aliud neque melius, neque hoc ipsum, quod nunc diligit aliter cognoscere, vt non obscure colligitur ex Diuo Thoma de Veritate, q. 24. art. 10. in corpore: sed similiter ante electionem in illo priori saltem naturæ idem intellectus non poterat aliud, neque meliùs, neque hoc ipsum aliter cognoscere saltẽ in naturalibus, in quibus non fallitur: ergo similiter neq; voluntas ante ipsam electionem poterat nõ eligere hoc ipsum, vel aliud amare, atque ità determinata ad vnum: ergo in Angelis datur libertas absque vlla indifferentia.

Hæc obiectio multa petit, & inter alia exposcit, vtrùm cum morali siue infallibili determinatione voluntatis per circunstantias debitè applicatas stare possit ea facultas, & indifferentia ad opposita, quam diximus cum communi etiam Sanctorum Patrum sententia intrinsecè comitari liberum arbitrium. Quæ sanè difficultas postulat pro sua dignitate specialem disputationẽ, de qua inferius agemus, nunc vero pauca dicemus.

Quid sentiant quidam.

Sanè nonnulli ex recẽtioribus sentiunt nõ posse Deum prædefinire actum liberum futurum ex vi talium mediorum ac circunstantiarum, quæ certò, & infallibiliter voluntatẽ determinent ante præuisionem determinationis ipsiusmet voluntatis, quin eo ipso tollatur libertas. Quibus etiam fauent alij dicentes non posse Deum certò, & infallibiliter cognoscere actum liberum futurum in sola determinatione, & applicatione eiusmodi mediorum ac circunstantiarum è quorum numero censetur esse Capreolus in 1. dist. 38. q. 1. art. 2. ad 1. Durandi contra primam conclusionem, & Hispalensis Deça ibidem, quæst. 1. art. 4. ad 1. Durandi. Quamuis isti authores non apertè contradicant oppositæ sententiæ. Videntur enim procedere in ea sententia, quod ad certitudinẽ diuinæ scientiæ requiratur absolutè necessitas obiecti, nec sufficiat infallibilitas. Hanc etiam sententiam tenentur sequi illi, qui dicunt de essentia liberi arbitrij esse non solam indifferentiam absolutam, quam physicã frequenter appellant Theologi, sed etiam moralem, aut infallibilem, siue illam quæ opponitur infallibili determinationi voluntatis, vt consequenter loquantur. Nam determinatio opponitur indeterminationi, & indifferentiæ: ergo talis determinatio nimirum moralis, aut infallibilis, opponitur alicui indeterminationi, scilicet, morali, illamque tollit, & repellit. Rursus sicut determinatio physica tollit physicam facultatem ad oppositа cum voluntas simpliciter necessitatur more entiũ naturalium, aut more pecudum, & brutorum: ità moralis, seu infallibilis determinatio ad vnum imminuit aliquid de facultate morali ad vtrùmlibet, seu moralem quendam modum pertinentem ad facultatem ad vtrùmlibet: seu quauis alia ratione vocetur. Sed de ratione liberi arbitrij secundum hanc sententiam, non solum est physica indifferentia, & facultas ad oppositа: sed etiam moralis secundum quid, aut quauis alia ratione vocetur: ergo si hæc tollatur, aut impediatur, consequenter tollitur, aut impeditur libertas secundum illos.

Aliorum sententia.

Sunt tamen plures alij Theologi, qui cum Sancto Thoma censent de ratione liberi arbitrij tantum esse physicam indifferentiam, & consequenter affirmant cum huiusmodi determinatione infallibili per media applicata, & circunstantias esse posse libertatem in quocumque actu. Imò verò plures alij doctores, qui in supradictis minimè consentiunt Diuo Thomæ, in hoc nihilominùs conueniunt dicentes cum infallibili determinatione per media, quæ possunt à Deo applicari ad exe cutionem actus futuri à se prædefiniti, independenter à præuisione determinationis voluntatis creatæ, stare posse indifferentiam, & facultatem actus sufficientem ad rationem liberi arbitrij. Quòd si obijcias illis, per huiusmodi moralem seu infallibilem determinationem necessariò tolli aliquam indifferentiam moralem, quàm tamen omnem ipsi in superioribus supponunt necessariam esse, & de intrinseca ratione liberi arbitrij. Quidam illorum id nulla ratione videntur percipere, aut animaducrtere, cum ad aliud institutum loquantur. Alij verò, vt sibi ipsis videantur amplius constare, negant per eiusmodi determinationem ex medijs, & circunstantijs obiectorum prouenientem, aliqua ex parte tolli, aut minui moralem indifferentiam, siue similem facultatem ad oppositа, etiam pro tunc, & illis dumtaxat stantibus. Hi tamen authores, vel proprias voces ignorant, vel incidunt in aliquod manifestè falsum. Nam si per moralem, aut infallibilem determinationem voluntatis ex motiuis ac circunstantijs prouenientem intelligant solam applicationem illarum circunstantiarum ex se sufficientiũ, vt voluntas operetur, si velit, absque eo quòd ratione illarum voluntas sit nunc magis inclinata, determinata, ac veluti obligata ad infallibiliter agendũ id, ad quod huiusmodi motiua ac circunstantiæ inuitant, quàm si eiusmodi non essent, extra rationem loquuntur, & extra rem. Et quamuis adeò verum

sit, cum huiusmodi mediorum applicatione, & ea omnimoda indeterminatione etiam moralis ipsius voluntatis ad vtrumq; stare posse libertatem, vt nullus vnquam in ea re fuerit dubius, falsum tamen videtur actum à Deo prædefinitum independenter à visione voluntatis esse infallibilem ex vi talium mediorum, quæ Deus applicauit, cum eiusmodi media nullam vim habeant ad inclinandam ac determinandam voluntatem ad eum actum infallibiliter omnino etiam moraliter. Si autem per determinationem moraliter infallibilem intelligant, vt communiter omnes intelligunt nō solum applicationem mediorum sufficientium, sed etiam determinationem certissimam, & quasi obligationem, aut moralem quandam necessitatem voluntatis per eiusmodi media, & circunstantias impositam, certum est eam determinationem aliqualem tollere indifferentiam, & facultatem ad oppositа pro tunc illis omnibus eadem ratione se habentibus. Quia determinatio, & indeterminatio, vt supra diximus opponuntur contradictoriè, cum vnum sit veluti habitus; alterum, vt priuatio: ergo quantum adest determinationis, deest indeterminationis exercitæ, & in executione operis, sed tunc est determinatio moralis seu infallibilis: ergo non est pro tunc indeterminatio moraliter fallibilis illi correspondens: ergo neque ea indifferentia moralis pro tunc, neque ea facultas moraliter indifferens ex suppositione, scilicet, illorum mediorum: ergo falsum videtur esse dicere nulla ratione minui indifferentiam cùm hæc omnia mutuo se consequantur.

Falsum videtur actū à Deo prædefinitū independenter à visione voluntatis esse infallibilē ex vi circunstātiarum, & mediorū, quæ Deus applicauit.

Determinatio, & indeterminatio contradictoriè opponūtur.

Ad propositam obiectionem solutio.

His ergo modis dicendi nunc omissis, de quibus dicemus inferiùs suo loco: quia hic non est proprius locus disputandi ad amussim de hac re. Dicendum est in proposito circa obiectionē positam liberum arbitrium quantum ad bonum in communi, & quoad specificationem actus circa hoc obiectum esse determinatum: quia nihil potest velle, quod nō sit sub ratione boni, neque facultas liberi arbitrij se potest extendere ad volendum specificatiue sub ratione mali, & hęc est propria conditio, & natura liberi arbitrij, & in hoc habet physicam determinationem quoad specificationem respectu huius obiecti, & boni in communi. Liberum etiam arbitrium Christi erat determinatum ad bonum, à quo non poterat deficere. Et non solùm non poterat, non velle bonum, sed neque in exercitio, quamuis alias posset velle hoc vel illud, agere & non agere cum his aut illis circunstantijs, hoc aut illo tempore, & loco, cum tanta vel tanta intensione, libereque se determinare ad substantiam operis absolutè loquendo. Neque sensus compositus detrahebat aliquid ab eo de libertate exercitij, & agendi, neque etiam præceptum extrinsecum patris. Nam absolute & ab intrinseco id habebat, vt posset agere, & non agere: quòd verò aut currente obedientia patris seu præcepto illius non posset, non implere præceptum, & obedientiam, nō id procedebat, quia necessitabatur ad opus, aut quia non poterat non agere, aut quia non haberet facultatem liberam ad opposita, sed aliunde: quia non poterat peccare, neque male agere cum esset Deus. Nam posse male agere, aut peccare & deficere à bono non est de essentia liberi arbitrij.

Cæterùm quoad exercitiū actus, & quoad specificationem obiectorum particularium nostrum arbitrium seu voluntas non habet hanc physicam determinationem, sed potiùs indifferentiam, & idcircò, vt voluntas ab indifferentia circa opposita, transeat ad vnum oppositorum, & ad exercitium actus in re, circa aliquam actionem, indiget determinatione, hoc est vt se ipsam determinet, & hanc determinationem voco ego determinationem liberam, quam vtroque modo efficienter propriè, & efficienter moraliter voluntas efficit, dum seipsam mouet ad operationem suam eliciendo actum circa determinatum obiectum. Itaque voluntas libera cum actu se mouet ad operationem aliquam, seu electionem alicuius boni, aut pij operis seipsam actu efficienter propriè mouet, non tantum ex motiuis moralibus, & ex obiecto bono, & persuasionibus, & alijs circunstantijs moralibus à quibus habet, quòd determinetur moraliter, vt actu operetur liberè; sed etiam seipsam determinat moraliter ex illis motiuis, persuasionibus, medijs, & circunstantijs, ex deliberatione, consultatione, & conferentia, atque iudicio libero. Vndè voluntas creata sub determinatione morali dicta, non solum se mouet ad determinatum opus, & se determinat, vt moralis causa, sed etiam seipsam efficienter physicè mouet cum dependentia à morali determinatione. Nam certissimum debet esse in omni opinione voluntatem non solùm efficienter propriè Physicè efficere omnem suam actionem, influendo in eam, & eliciendo actus suos, sed etiam efficienter propriè seipsam mouere, & agere, & non tantùm, vt causa moralis. Et inde voluntas habet nimirùm in suis bonis, & liberis operibus dependentiam à Deo non solum, vt causa moralis, sed etiam, vt causa physica, & consequenter dependentiam, tam in determinatione actuali morali, quàm in ea, qua seipsam physicè determinet hic, & nunc dependenter ab influxu Dei physico nō tantum ex parte effectus seu actus, sed etiam ex parte sui ipsius, se determinantis efficienter propriè. Sit ergo certissimum, quòd quando voluntas in exercitio operatur, & eligit, tunc verè est determinata ad electionem illam; cum transitu ab indifferentia actuali ad actualem determinationem, qua se agit, & mouet vtroque modo, vt dictum est, & hæc est libera determinatio, quæ

Vt voluntas ab indifferentia circa oppositа transeat ad exercitium actus indiget determinatione.

Dependentiam habet voluntas à Deo, & vt causa moralis, & physica.

non opponitur indifferentiæ natiuæ, & connaturali liberi arbitrij, aut voluntatis, aut poteſtati illius, ſed indifferentiæ actuali exercitæ, cum certiſsimum ſit, quòd quando voluntas actualiter ſe determinat ad vnum oppoſitorũ, iam repulit actualem indifferentiam antecedentem, quam habebat, ad alterum contrarium. Sed nihilominus talis determinatio actualis non repellit indifferentiam propriã voluntatis, non dico potentialem tantum, & remotam, ſed neque eam, quaſi alia motiua ad eſſent, aut maiora accederent, poſſet ratione eorum voluntas relicta priori determinatione tranſire ad aliud obiectum, cum quo tamẽ eſt veriſsimum determinationem quamcunque actualem ipſius voluntatis vere formaliter determinare illam, ad vnum in exercitio, & hanc appellari determinationem liberam, de qua determinatione dixit S. Thomas 1.p. quæſt. 83. & infra pleriſque in locis ſupra citatis voluntatem, ſeu liberum arbitrium reſpectu eius, non eſſe cauſam abſolutè, & ſimpliciter primam ſui motus, ſeu ſeipſam mouentem ac determinantem, ad exercitiũ proprij actus (de qua re plura diximus ſupra, & maiora dicemus infra) ſed Deum eſſe primam cauſam ſui motus, & ſuæ determinationis actualis, &c.

S. Thom.

Sentiendum igitur eſt etiam, cum ſimili determinatione circunſtantiarum moraliter infallibili, ſtare poſſe libertatem, & indifferentiam requiſitam. Et determinationem etiam voluntatis, qua ipſa ſeipſam efficienter proprie mouens, & agens, efficit, nõ lædere libertatẽ vllo pacto. Cũ enim voluntas determinatur ab obiecto, à medijs, à circunſtantijs, à rationibus, & perſuaſionibus, ſimul etiam ipſa ſe efficienter vitaliter actiuè propriè determinat, ad vnam partem, cùm habeat poteſtatem ad quodlibet oppoſitũ. Quapropter modus ille explicãdi indeterminationem voluntatis quẽ Scotus voluit introducere, ad quandam ſummã indeterminationẽ, non eſt ſatis conueniens, ad rationẽ liberi arbitrij cũ de volũtate libera conſtet adhuc per moralẽ determinationẽ etiã infallibilẽ, & per motionẽ, qua ſeipſam agit, & mouet actiue libere, eliciẽdo actus ſuos circa obiecta, & media manere ſufficienter indifferentiã, quod D. Tho. ſententia aſſeruit, vt ſuperius vidimus. Rurſus negandum eſt cũ neceſsitate abſoluta ſtare poſſe libertatẽ, cũ hæc auferat abſoluta facultatẽ, & indifferentiã requiſitã. Et ad probationem, qua in argumento, ſeu obiectione poſita aliqui hoc contendunt probare, nonnulli reſpondẽt diuinã voluntatẽ ſolũ fuiſſe liberam, vt determinaret ſe ad amorẽ huius, vel illius obiecti creati, ea verò determinatione poſita ſimpliciter neceſſariò velle illud, ad quod libere ſe determinauit, abſq; vlla indifferentia, & libertate, quã nũc habeat reſpectu illius, dici tamẽ Deũ nũc libere operari cõſeruando res, & obiecta creata, quia prima determinatio, ad eã operationẽ, & conſeruationẽ fuit illi omnino libera, nõ aliter, atq; ſi diceretur nunc libere operari ille, qui libere voluiſſet id facere, ex quo ſciret ſe plura alia facturũ neceſſario quadam neceſsitate abſoluta, vt qui, v. g. libere ſe dementaſſet, etſi in omnibus non ſit ſimilitudo exempli.

Modus quo Scotus explicare contendit volũtatis indeterminationem incongruus eſt.

Hũc tamẽ modũ dicendi, neq; verũ, neque ſanæ doctrinæ Theologicæ conſonũ exiſtimo. Certũ eſt enim abſolutè loquendo poſſe Deũ nunc annihilare mũdũ, aut aliũ quemcũque ordinẽ à ſe ſtatutũ inuertere, quãuis hoc ideo verũ ſit. Quia non abſolutè, & ſimpliciter neceſsitatur Deus ad conſeruationẽ. Non quia omnibus modis, aut in omni ſenſu verũ ſit, ita de facto contingere poſſe abſq; repugnãtia, vt dicemus. Nã ſicut certũ eſt in Theologia nullũ obiectũ præter illud, quod eſt ſumme bonum poſſe neceſsitare voluntatẽ creatã, ad amorẽ ſui, vel eam in ea dilectione neceſſariò cõtinere, ita à fortiori debet eſſe certũ de diuina voluntate. Cũ igitur creatura nullã habeat ſummã rationẽ bonitatis reſpectu voluntatis diuinæ etiã poſtquam Deus decreuit illam amare, ac producere manifeſtum eſt voluntatẽ diuinã à nulla creatura poſſe neceſsitari, vt amet illã, & cõſequẽter, neq; ad hoc, vt in illius amore perſiſtat, etiã poſtquam ſemel eam creaturã amare cæperit, cum creatura, ſecundũ ſe nihil ampliùs habeat bonitatis nunc, propter quã à Deo diligatur, quàm habebat antequam diligeretur, cum etiam implicet tantam bonitatem creaturæ conferri etiã extrinſece, vt diuinam voluntatem neceſsitate abſoluta in amore eius detineri poſsit.

Poteſt abſolute loquendo Deꝰ nũc mundũ annihilare.

Nulla creatura ſummam rationem bonitatis cõtinet, aut continere poteſt.

Quocirca ad probationem præfatæ obiectionis, ſeu argumenti, Reſpondetur nunc cũ Sanctiſsimo præceptore D. Thom. 1.p.q.19. ar.3. & 10. & de veritate q.23. art.4. & q.24. ar.3. Deũ non neceſſariò velle, aut conſeruare nũc mũdum iſtum neceſsitate abſoluta, ſed tãtum ex ſuppoſitione, qua ab æterno voluit conſeruare ipſum duratione ab ipſo ſtatuta, quæ ſane ſuppoſitio ſolũ adducit ſecum quandam neceſsitatem, ſecundum quid, quæ nullo modo repugnat libero arbitrio, aut indifferentiæ, ad illud requiſitæ. Quia indifferentia, quæ eſt de ratione liberi arbitrij eſt indeterminatio potentiæ volitiuæ etiam ab obiecto, & ab inclinatione naturæ ipſius proueniens, quam ſæpe ſæpius D. Thom. vocat habitudinem potentiæ ad obiectum, vt 1.p.q.19. art.3. in corpore, & ad 4. & de veritate, quæſt. 23. art. 4. ad 1. & 2. ſatis inſinuat, & multo melius aperietur ſectione ſequenti. Illa enim potentia eſt abſolutè, & Phyſice indifferens ea indifferentia, quæ ad liberum arbitrium radicaliter, & formaliter requiritur, quæ neque à natura ſua, neque ab obiecto determinatur omnino Phyſice ad exercitium proprij actus, ſed hæc indifferentia ſemper manet in diuina voluntate etiam nunc. Quia nunc non magis inclinatur à propria natura in amorem, & conſeruationem vniuerſi, quã inclinabatur, antequàm

Neceſſariò neceſsitate ex ſuppoſitione tantũ conſeruat Deus vniuerſum.

noſtro modo intelligendi ſtatuiſſet creare, & conſeruare illud, vt patet ex terminis, & ex proximè dictis. A poſteriori etiam conſtare poteſt, quia tunc eſſet mutatio ex parte diuinæ voluntatis. Neque obiectum, ſcilicet, vniuerſum hoc habet nunc maiorem vim ad determinandam diuinam voluntatem, ad ſui conſeruationem, quàm habuit ad determinandam illam in prima ſui productione: igitur etiam nunc reſpectu conſeruationis vniuerſi, & cuiuſcumque alterius creaturæ habet diuina voluntas indifferentiam intrinſece requiſitam, ad liberum arbitrium, cum habeat illam eandem, quam in ipſo diuinæ determinationis exordio, & initio habuit. Neque inde ſequitur voluntatem diuinam eſſe mutabilē Phyſice, ita vt de facto poſſet mutari ab ea determinatione in aliam, etiam ſi ſit phyſice indifferens. Quia eſſe phyſice indifferentem, nihil aliud eſt, quàm habere potentiam omnino, & phyſice completam, aut indeterminatam cum plura alia capere poſsit, quamuis ſit aliqua ex parte expleta, ſeu determinata, ſcilicet, moraliter, cui determinationi morali repugnare videtur, vt oppoſitum fiat, ſtante illa, quamuis abſolutè fieri poſſe non repugnet, quia abſolute non repugnat illam determinationem non ſtare. Ideo enim dicitur, & eſt determinatio illa moralis, quia moraliter, ideſt libere poſita eſt. Licet igitur ſit infallibile, & impoſsibile moraliter mundum ex ſuppoſitione non conſeruari nunc à Deo, phyſice tamen, & abſolute eſt poſsibile. Sicut enim ibi eſt duplex ratio potentiæ, moralis ſcilicet, & phyſicæ, ita eſt duplex determinatio, cui etiam correſpondet duplex impotentia, atque ita illa non contradicunt. Deus poteſt deſtruere, aut non conſeruare vniuerſum, Deus non poteſt deſtruere vniuerſum, vel non poteſt non conſeruare vniuerſum: ſi altera de phyſica, altera de morali potentia, vel impotentia accipiatur. Et quamuis phyſice poſsit Deus non conſeruare mundum, quia id non repugnat ſecundum phyſicam poteſtatem, tamen non deſtruet illud. Quia id repugnat determinationi morali, ex qua ſequitur contradictio, licet nō contra phyſicam poteſtatem. Quia vt exerceatur poteſtas phyſica in oppoſitum debet neceſſariò tolli moralis determinatio, quæ eſt iam poſita, & quæ abſolutè loquendo poteſt non poni à Deo cum non neceſſariò ponatur, ſed liberè, eo quòd non habeat neceſſariam connexionem, ſed moralem, & indifferentem, illa autem determinatione morali ablata in re ipſa, vel per intellectum abſque vlla repugnantia intelligitur fieri poſſe oppoſitum. Quod autem ea determinatio, & moralis neceſsitas ſiue ex ſuppoſitione non oppoſitum prædictæ indifferentiæ, patet. Quia illa ſolum oritur ex ſuppoſitione actus iam exiſtentis, vt D. Tho. plane docet 1. p. q. 19. art. 3. ad 3. & 1. & de veritate q. 23. art. 4. ad 4. quam ſuppoſitionem vidimus ſupra in quadā ſolutione ex obiectionibus propoſitis minime tollere indifferentiam liberi arbitrij. Oritur etiam talis neceſsitas ex ſuppoſitione ex diuina immutabilitate, de qua D. Tho. loco citato de veritate q. 23. art. 4. ad 5. & ad alia argumenta. Hæc autem immutabilitas, aut inde terminatio inuariabilis, cum non oriatur ex inclinatione, ac determinatione naturali voluntatis in obiectum, & actum, neque ex vi obiecti, ſed ex diuina perfectione communi, nec formaliſsime incluſa in formaliſsima ratione ipſius voluntatis quatenus volūtas eſt, vt proportionaliter diximus in diſputatione de Trinitate agentes de communicabilitate diuinæ naturæ, & attributorum reſpectu voluntatis diuinæ, ſequitur eam moralem determinationem, & neceſsitatem ſecundum quid, vel ex ſuppoſitione, neque eſſe poſitam in determinatione indifferentiæ ad liberum arbitrium requiſitæ, de quo plura diximus alibi, & dicemus inferius. Per hæc, quæ dicta ſunt ſimiliter patet ad illud de inflexibilitate Angelorum, ſicut enim ratio boni, à qua determinatur Angelus cum primum eligit, non fuit ſufficiens neceſsitari illius voluntatem, quæ neque à natura impellebatur in eiuſmodi electionem, niſi moraliter tantum, ita neq; poſt factam electionem perſiſtit in ea neceſſariò, etiam in D. Thomæ ſententia, ſed infallibiliter tantùm propter moralem determinationem.

Non habet vniuerſum nunc maiorem aliquā vim ad determinandā Diuinā volūtatem ad ſui conſeruationē; quàm habuit in prima ſui productione.

Vt exerceretur phyſica poteſtas deſtruendi vniuerſum tolli deberet moralis determinatio, quæ eſt iam poſita.

Ex dictis ſoluitur obiectio de inflexibilitate Angelorum.

Obiectio alia circa indifferentiam intrinſecam voluntatis.

POſtremo loco obijcio. Quia ſi aliqua indifferentia eſt de eſſentia liberi arbitrij, vel erit genus, aut de ratione generica illius, & hoc non. Tum quia omnis indifferentia eſt aliquid negatiuum, ratio autem generica liberi arbitrij eſt quid poſitiuum, vt conſtat ex ſuperioribus. Tum etiam quia tunc indifferentia eſſet de ratione voluntarij, de quo diximus eſſe veluti genus liberi, atque ita omne voluntarium eſſet proprie, & formaliter liberum, quod non poteſt dici. Vel ea indifferentia erit quaſi differentia liberi arbitrij, & neque hoc poteſt eſſe verum. Quoniam vt dictum eſt de indifferētia, nihil aliud eſt, quàm negatio, aut priuatio determinationis: priuatio verò non poteſt eſſe propria differentia alicuius poſitiui, nec de ratione illius. Item etiam quia differentia propria liberi arbitrij eſt ordo intrinſecus ad talem actum, nempe ad electionem: ordo autem ille non eſt indifferentia, ſed aliquid poſitiuum in genere principij actiui, conferens vim determinatam ad producendum talem actum determinatum: ergo ſolum relinquitur, indifferentiam eſſe aliquid conſequens differentiam propriam liberi arbitrij, & tunc poterit ſeparari ab illa.

Indifferentia voluntatis sumpta pro indeterminatione est quid negatiuũ, intrinsece tamẽ inclusum in eius essentia.

Respondetur tamen indifferentiam quæ ad liberum arbitrium requiritur non esse genus, neque de ratione generica illius, sed nihilominus intrinsece, & necessariò comitari specificam potentiam, vt est formaliter electiua, iuxta ea quæ supra dicta sunt. Dixi autem comitari. Quia indifferẽtia potest, & solet accipi pro indeterminatione tantum vbicumque illa sit, quæ vt sic solùm est priuatio, aut mere negatio determinationis, & consequenter nec potest esse vltima differentia, neque prædicatum intrinsecum essentiæ positiuæ, nisi large loquendo, vt dicimus essentiale homini esse non esse equum, aut hinnibile, & ita est essentiale libero arbitrio non esse potentiam natura sua determinatam, ad vnum eligendum: propriè autem loquendo, est quid negatiuum, intrinsece, & necessariò comitans ipsam essentiam positiuam liberi arbitrij. Si autem sumatur illa indifferentia pro illa ratione specifica potentiæ, quæ est principiũ talis actus, tunc indifferentia in eo sensu est vltima differentia liberi arbitrij constitutiua, dicens ordinem intrinsecum ad electionem, & ad actum quemlibet liberum, sed de explicatione huius infrà dicemus multa alia.

SECTIO. VI.

Quonam pacto se habeat intellectus ad rationem formalem liberi arbitrij?

Qua ratione intellectus, & obiectum cognitum à ratione sit prima radix libertatis explicandum est.

DIXIMVS Indifferentiam siue absolutam indeterminationem à natura esse de ratione intrinseca liberi arbitrij, ac veluti illius differentiam, secũdum veram, & communem sententiam Diui Thomæ, & aliorum Scholasticorum. Nunc verò explicare oportet quonãmodo se habeat intellectus, ad rationem formalem liberi arbitrij. Nam ex hoc eius natura facilius cognescetur, quod fiet, si explicemus id, quod frequentissime versatur in ore scholasticorum, nimirum intellectum seu obiectum à ratione cognitum cũm quadam indifferentia, aut quid simile esse radicem, siue causam primam libertatis, & quo pacto intellectus sit causa indifferentiæ, de qua loquimur. Nam quamuis vulgare proloquium, quòd intellectus est prima causa libertatis, & indifferentiæ, cõmuniter recipiatur à Theologis, tamen illius sensus valde est difficilis.

Sanè licet omnes fateantur intellectũ obiectíque cognitionem prærequiri ad singulos actus voluntatis, & consequenter ad actus liberi arbitrij, nihil enim est volitum, quin præcognitum, & insuper voluntas libere operari non potest, etiam supposita cognitione intellectus, si intellectiua potentia non fuerit plene soluta, ac bene disposita ad debitè proponẽdum obiectum, quod experientia constat in motibus primò primis, & in furiosis hominibus. Tamen qua ratione huiusmodi intellectualis cognitio sit necessaria ad actus liberos, & pari modo, qua ratione, & modo voluntas ab intellectu, & obiecto cognito, alijsque extrinsecis dependeat, eiusq; facultas, & indeterminatio, an ab aliquo illorum, vel ab omnibus simul oriatur, id quidẽ difficillimũ est, neque plures accurate hoc disputãt, sed pauci, neque eodẽ modo loquuntur scholastici Theologi.

Quorũdam opinio asserentium nõ solum formalem, sed etiam radicalem rationem liberi arbitrij esse in voluntate.

Molina.

Scotus.

Gabriel. Ocham.

Quidam dicunt, non solum formalem, sed radicalem etiam, & completam rationem liberi arbitrij in sola voluntate esse constitutã, atque ita eius indifferentiam, & facultatem nec prouenire ab indifferentia, & facultate intellectus, nec ab eo, vel aliquo alio extrinseco dependere, nisi forte, vt à conditione requisita, sine qua non ob defectũ, scilicet, obiecti, vel applicantis illud, sicut de applicatione causarum naturalium dici solet. Quam sententiam etsi non adeò explicitè videntur sequi, & supponere aliqui recẽtiores, vt refert Cordubensis lib. 2. quæstion. q. 11. §. Secunda opinio. Eamque re ipsa videtur supponere Molina in sua cõcordia, & 1. p. q. 14. art. 13. & quoties de libero arbitrio, aut motione voluntatis in particulari disputat. Et videtur colligi ex Scoto in 2. dist. 25. q. 1. præcipue §. contrà conclusionem, & §. Dico ergo ad quæstionẽ, maximè ad finem, & versus finem, quẽ in eodem sensu frequenter interpretantur eius expositores. Gabriel in 2. dist. 15. q. 1. art. 2. idẽ fundamentum videtur supponere Ocham in 1. dist. 1. q. 6. & in 2. q. 19. post tertiam conclusionem, & in 4. q. 14. art. 3. & idem plures alij similiter, vt Ocham docentes voluntatem adeo esse liberam, vt possit non amare quodcumque bonum, etiam supremum, & vltimũ in particulari, & clare cognitũ, vt docet Scotus in 1. dist. 1. q. 4. §. si tenendo, & deinceps. Et in 4. dist. 49. q. 6. §. Dico ergo, & q. 9. & 10. Gabriel in 1. dist. 1. q. 6. art. 2. & alij ex antiquis. Eidem etiam principio inniti debent illi omnes, qui dicunt de ratione voluntatis esse, vt positis quibuscumque extrinsecis seipsam agat in hanc, vel illam partem nulla habita ratione circunstantiarum, neque alterius extrinseci. Ex eo namque, quòd facultas, & indifferentia voluntatis non oriatur ab intellectu, neque ab aliquo alio dependeat quoad exercitium, nisi vt à conditione applicante obiectum, sequitur positis quibuscumque seipsam sic agere in hanc aut illam partem, vt nulla habeatur ratio circunstantiarum, neque alterius extrinseci. Rursus in materia de gratia dicunt nonnulli ex citatis authoribus, non posse Deum efficaciter determinare voluntatem nostram per auxilia. Et in materia de prædestinatione, & voluntate Dei, prædefiniri non posse actum liberum infallibiliter futurũ

ſalua libertate. Hanc ergo ſententiam affirmant nonnulli, quia apud eos voluntas quoad exercitium proprij actus à nullo extrinſeco dependet.

Augetur difficultas ex ſingulari opinione quorundam.

In peccato nullam eſſe cauſam aut radicē malæ voluntatis præter ipſam volũtatem ſentiunt quidam.

HVIC ſententiæ fauent plures, qui de cauſa peccati, vel ruinæ creaturæ rationalis loquuntur, nullam etiam cauſam, aut radicem malæ voluntatis agnoſcentes præter ſolã voluntatem. Quoniam ſi indifferentia, & facultas voluntatis, quæ eſt formaliter requiſita ad liberum arbitrium ab aliquo alio cõprincipio oriretur, aut dependeret quoad exercitium, aliam etiam cauſam, vel principium aſsignarent ipſius mali, vel ruinæ voluntatis.

Probatur ratione primo.

Ratione probari hoc poteſt. Quia indifferentia, & indeterminatio requiſita ad liberum arbitrium in qua integra illius ratio, & eſſentia ſaluatur, eſt indifferentia voluntatis, cum ſola facultas voluntatis ſit, aut eſſe poſsit formale principium eligendi: ea autem facultas, & indifferentia oritur à ſola voluntate: ergo nihil aliud eſt origo, aut cõprincipium indifferẽtiæ requiſitæ, &c. Probatur minor. Quia indifferentia, & facultas illa eſt modus intrinſecus, & veluti differentia voluntatis omnino identificata cum illa: ergo nulla ratione poteſt oriri, aut prouenire ab alio, quàm à volũtate, niſi forte in genere cauſæ efficientis ab eo, à quo voluntas ipſa producitur, quod tamen non ſufficit, vt dicatur formaliter radix, niſi latiſsime, & improprie.

Solutio.

Dices eam indifferentiam tantùm oriri à voluntate formaliter, cum qua ſic identificatur, dependere tamen ab intellectu, vel ab aliquo alio extrinſeco. Sed contra hoc eſt. Quia nihil poteſt dependere formaliter, & proprie, niſi ab eo, à quo formaliter, & proprie procedit, aut in quo eſt: ergo ſi à ſola voluntate formaliter prouenit facultas determinandi ſe, ab ea ſolùm formaliter pendet illa indifferentia.

Replica.

Secunda ratio.

Secundò arguitur. Quia vel loquimur de dependentia indifferentiæ, & facultatis volũtatis, quantum ad eſſe exiſtentiæ, & conſeruationem ipſius, & hac ratione certum eſt eam non dependere ab obiecto, neque ab intellectu, niſi forte, vt à conditione, & cauſa ſine qua non: & dato producatur voluntas medio intellectu effectiue concurrente, id non ſufficit in ſenſu, quo loquimur, tunc enim potiori iure ſubſtantia ipſa rationalis diceretur radix & initium libertatis, vel eſt ſermo de depẽdẽtia in exercitio illius facultatis, & id videtur contra rationem formalem indifferentiæ requiſitæ ad liberum arbitrium, cum de ratione illius ſit, vt poſitis omnibus, & quibuſcumq; extrinſecis poſsit æquali indifferentia exire in actum, vel illum omnino continere, nulla habita ratione obiecti melioris, circunſtantia rum, vel intellectus dictantis hoc vel illud: igitur, &c.

Tertia ratio.

Tertiò arguitur. Quoniam omnis dependentia ab alio, ſi proprie accipiatur, ſupponit cauſalitatem veram, & propriam. Sed indifferentia, & facultas voluntatis, etiã quoad exercitium proprij actus, non procedit ab intellectu, vel alio extrinſeco in genere cauſæ materialis formalis, finalis, vel efficientis: ergo neque vere cauſatur, neque vere etiam depẽdet. De genere cauſæ materialis probatur. Quia indifferentia ipſa, ſiue exercitium illius facultatis non conſtat ex materia, & forma, neque intellectus in ſe recipit determinationem actus, neq; actum ipſum, neque aliquid aliud, quod fingi poſsit loco materiæ. De cauſa formali patet etiam. Quia forma ipſius indifferẽtię, aut determinationis, & exercitij eſt propria eſſentia ipſius, cum non ſit compoſita, vt diximus. Neque etiam in genere cauſæ finalis, cum neque intellectio, neque intellectus ipſe ſit finis intentus à voluntate. Tandem de efficienti cauſa conſtat. Cum intellectus non concurrat effectiue ad actus voluntatis, & cõſequenter, neque ad determinationẽ, & exercitium illius, quæ ab ipſo actu non diſtinguntur: ergo in nullo genere cauſæ procedit eiuſmodi facultas, aut exercitium illius ab aliquo extrinſeco, niſi forte in genere cauſæ, ſine qua non. Imò verò etiam ſi in genere cauſæ efficientis, & finalis procederet ab aliquo extrinſeco, id non ſufficeret, vt ſpeciali ratione diceretur radix libertatis cum Deus ſit verum efficiens, propriuſque finis omnium illorum, nec tamen ideo dicatur radix indifferentiæ, aut libertatis.

In alio ordine pro eadẽ ſentẽtia proponuntur hæc argumenta. Primum.

Hæc ſunt argumenta, quibus nituntur probare nonnulli authores, quod prætendunt. Sed præter ea nos adijciemus alia, vt campus diſputationis aperiatur. Primò. Quia intellectus eſt potẽtia naturalis, eiuſque facultas determinata ſecundum ſe quoad exercitium actus, dum obiectum fuerit ſufficienter propoſitum: ergo non poteſt eſſe vere radix liberę facultatis, & indifferentiæ voluntatis omnino liberæ, neque facultas voluntatis ab eo dependere in exercitio, & dominio proprij actus. Probatur antecedens. Quia inter potentiam liberam, & naturalem ſiue neceſſariam, nullum videtur eſſe medium, ſicut neque inter actum liberum, & neceſſarium. Sed intellectus neque eſt, neque eſſe poteſt potentia libera, ex ſuperius dictis: ergo erit naturalis. Prima conſequentia probatur. Quia id, quod eſt propriè radix, & id, cuius eſt radix, debent eſſe eiuſdem naturæ, ſi proprie accipienda ſit tranſlatio ab arbore, vel ſaltem debent eſſe inter ſe proportionata: ſed naturalis facultas nullam habet proportionem cum libera provt libera eſt: ergo neque poteſt eſſe origo illius vt libera eſt. Et confirmari hoc poteſt. Quoniam ſi intellectus obiectum, vel aliquid aliud à volũtate eſſet radix indifferẽtiæ

Confirmatur.

liberi

liberi arbitrij in exercitio, & determinatione illius, sequeretur primò esse etiam radicē omnium actuū liberorum, quatenus liberi sunt, quod tamen videtur falsum. Cum actus liber quatenus liber, à sola potentia libera dependeat, à qua sola accipit denominationem. Secūdò, actus illi essent mixti partim liberi, partim etiam necessarij, cum proprie etiam procedant à potentia necessaria. Tertiò sequeretur, intellectum obiectum etiam, vel aliquid aliud esse radicem, & causam dominij, imperij, bonæ ac malę electionis, & per consequēs meriti, & demeriti, virtutis, & peccati. Cum tamen scriptura, & communis Sanctorum vox sæpius prædicent solam voluntatem creatam esse initium siue radicem, & causam malorum omnium, & etiam bonorum operum, quæ ab homine fiunt. Neque vllus dicit intellectum radicaliter peccare vel mereri, nedum obiectum ipsum, vel aliquid magis extrinsecum.

Secundum argumētū.

Rursus secundò offert se aliud argumentum pro hac parte. Quoniam vel intellectus dicitur radix, & causa ob id quod est pars liberi arbitrij, aut facultatis illius, & hoc non. Quia talis facultas non est composita ex duabus. Vel eo quod ab intellectu qualitas aliqua oriatur, & hoc non est intelligibile. Vel quia facultas intellectus præcedit dirigendo voluntatem, & neque hoc apparet verum. Quia vel solum dirigit, ostendendo obiectū, & rationes bonitatis, quæ in eo, vel in alio cui comparatur, apparent, relinquendo voluntatem ipsam, vt seipsam determinet in hanc vel illam partem, provt sibi placuerit, & hoc nihil aliud est, quàm debite applicare obiectū, neque in alio, quàm in genere causæ, sine qua non concurrere. Vel intellectus dirigit efficaciter, & infallibiliter inclinando voluntatem in hoc vel illud obiectum. Et hoc licet in quibusdam actibus possit concedi, nimirum cum fuerit efficax motiuum, & dictamen siue iudicium rationis valde constans, in omnibus tamen actionibus videtur impossibile. Tum quia eo dato, non solum esset intellectus radix libertatis, sed potior causa actuum liberorum, quàm voluntas, & liberior illa, cum id solum fiat in singulis actibus, quod intellectus præcipit faciendum, & consequenter illi, & non voluntati esset imputanda culpa, vel meritum. Tum etiam, quia experientia videtur docere in pluribus actibus, nec motiua esse alicuius momenti, nec dictamen siue iudicium rationis vrgere, sed voluntatem ipsam propria libidine, vt sibi placet, inclinari in hanc, vel illam partem, imò plerumque contra dictamen, & actuale iudicium rationis: igitur, neque ita se habet res aliqua, neque intellectus, aut aliquid aliud à voluntate proprie loquendo, vt dici possit radix indifferentiæ, & libertatis, nisi large, aut metaphorice eo solū quod præcedat ostendendo, & applicando obiectum.

Sententia S. Thomæ.

Vera sentē tia constituentiū radicem libertatis in intellectu.

Secunda sententia cōmunis, & vera apud scholasticos Theologos est, quæ constituit indifferentiam intellectus esse radicem libertatis ipsius voluntatis. Vndè Theologi communiter fatentur aliam, vel alias causas, siue radices indifferentiæ requisitæ ad liberum arbitrium præter solam voluntatem. Verum quia Theologi non vno modo loquūtur circa radicem indifferentiæ requisitæ, ad liberum arbitrium, idcirco eorum sententia cum suis modis dicendi à nobis proponenda est. Quidam enim affirmant diuinam voluntatem esse primam radicem, & causam indifferentiæ, & libertatis voluntatis creatæ, sicut, & contingentiæ omnium effectuum naturalium. Ita sensit Scotus in 1. distinct. 2. §. Ostē so esset. Item in 3. distinct. 39. §. Quantum ad primum ibi. Et dico quod per primam rationem, & in sequentibus, vt etiam illi tribuunt Caietan. & Cordub. sequitur eum Lichetus in 1. distinct. 39. distinct. 8. Gabriel in 1. dist. 38. art. 1. in 2. par. ante primam cōclusionem. Eandem tenet Cordubens. lib. 1. quæst. q. 55. dubio 4. Sanctus Thomas 1. part. quæst. 19. art. 8. non repellit modum dicendi, quòd diuina voluntas sit prima radix contingentiæ, vbi Caietanus dubitat quæ sit vera radix contingentiæ §. Circa istam materiam, vbi fatetur se, & D. Thomam in hoc cum Scoto conuenire, & quæst. 14. art. 13. idem sentit in speciali dubio. Præterea S. Thomas 1. p. quæst. 82. art. 4. ad 3. & quæst. 83. art. 1. ad 3. & plerisque alijs in locis sæpe sæpius docet Deum esse primum mouens, & applicans etiam liberum arbitrium creatum, ac proinde primam causam indifferētiæ, ac determinationis actualis. Quam sententiam, & modum etiam dicendi sequuntur in schola D. Thomæ eius discipuli.

Varij etiā modi, quibus indiffe rentiæ radix explicatur, proponuntur.
Scotus.
Lichetus.
Gabriel.

Cordubens.
S. Thom.

Caietanus.

Quid discipuli Diui Thomæ sentiant contra Scotū.

Verum tamen discipuli Diui Thomæ in eius schola non intelligunt voluntatem diuinam esse causam, & radicem primam indifferentiæ requisitæ ad liberum arbitrium, sicut neque contingentiæ rerum naturalium, ratione propriæ libertatis, & indifferentiæ diuinæ in agendo, & mouendo causas secundas, sed solum ratione infinitæ efficaciæ, quam habet. Quia non solum subiacent Deo causæ secundæ, sed etiam modi agendi, & causandi ipsarum. Scotus verò, & qui ipsum sequuntur censent diuinam voluntatem esse radicem, siue causam primam libertatis in voluntatibus creatis, sicut & contingentiæ effectuum naturalium ratione propriæ indifferentiæ, & libertatis diuinæ in causando, & mouendo, seu applicando causas secundas: ita vt si illa operarentur naturaliter nullus effectus quantumuis dependens à causis secundis foret contingens, aut liber; nunquam tamen negauit Scotus id etiam prouenire, aut prouenire

posse

posse ab efficacia voluntatis diuinæ. Huius enim nusquam meminisse videtur, quod ego viderim aut legerim. Quod Scoti placitum hoc fundamento probari potest. Nam prima causa, inquit Scotus in 1. distinct. 2. quæst. 2. Quæ est, diuina voluntas mouet, applicat, seu determinat omnes causas secundas, etiam voluntates liberas ad operandum, vel non operandum hic, & nunc, sed si esset causa necessaria necessariò etiam moueret, & applicaret causas secundas ad operandum, cum à causa necessaria nulla possit esse actio non necessaria: ergo si diuina voluntas non esset causa libera, sed necessariò mouens, omnes causæ secundæ mouerentur necessariò ad operandū, & consequenter omnes operarentur simpliciter necessariò, etiam voluntas hominis, quæ aliàs est libera. Vndè etiam nullus esset effectus contingens, aut liber, cum nullus effectus productus à causa necessariò operante possit esse contingens aut liber. Ratio enim contingentis sicut, & liberi, & necessarij in effectibus, nihil aliud videtur esse, quàm denominatio, siue intrinseca, siue extrinseca taliter determinata aut indifferenti. Illa verò consequentia patet. Quoniam idem est causam secundam applicari siue determinari necessariò ad operandum, quòd necessitari ad tale opus. Sed si omnes causæ etiam liberæ applicarentur tunc, ac determinarentur necessariò ad operandum necessitarentur: ergo si diuina voluntas necessariò applicet, ac determinet omnes illas, sequitur, quòd necessitarentur.

Ratio pro Scoto.

Reijcitur hic modus dicēdi à Caietano.

Hunc modum dicendi Scoti non recipit Caietanus, neque omni ex parte recipitur à discipulis Diui Thomæ. Primò, quia si per impossibile diuina voluntas non esset libera, sed agens necessariò simpliciter, si eius concursus esset in actionem, & effectum, & non in causam secundam, vt dicunt modo recentes Theologi, adhuc effectus esset contingens. Quia non influeret in causam influxu de se necessario, ac proinde si causa esset contingens aut libera, liberum effectum produceret, & contingentem, licet prima causa necessariò ageret. Imò verò si per impossibile diuina voluntas libera non esset, sed necessariò agens simpliciter, nihilominus adhuc esset infinitæ efficaciæ: ergo non tantum esset potens producere quēcumque effectum se sola, vel simul cum alijs causis secundis, sed etiam quomodo effectum illum vellet fieri. Igitur si tunc vellet, vt velle posset, effectum vnum, vel plures produci contingenter à secundis causis, ita fieret, & tamen tunc diuina voluntas non esset causa illius indifferentiæ, & contingentiæ naturalis effectuum, ratione libertatis, sed propter infinitam efficaciam: ergo ad illam efficaciam voluntatis diuinæ, & non ad libertatem reducenda est prima ratio siue radix indifferentiæ, & libertatis creatæ. Dices diuinam voluntatem etiam in eo casu, id tantum velle posse, quod fieri non implicaret, imò verò id tantū posse, quod actu efficeret, & quod ob id non posset velle aliquid contingenter fieri. Quia voluntas illa necessariò agens, & infinite efficax in casu posito non posset proprium concursum naturalem temperare, aut velle non agere, ac mouere causas secundas ex absoluta naturæ necessitate. Certè hoc non satisfacit. Non enim negamus, sed potius confitemur Deum in eo casu, id tantum velle posse, quod fieri non implicaret, atque adeò si esset agens necessarium concedimus, id tantum posse quod actu efficeret. Negamus tamen, quòd in eo casu, de quo loquimur, facta hypothesi, quòd eodem concursu, quo nunc concurrit ad agendum cum hominibus, & secundis causis concurreret: non fierent effectus cōtingentes. Quia vt supponitur in hypothesi, illo, inquam, impossibili dato, quod Deus necessario ageret, sed pari concursu, & influxu, quo nunc liberè operatur, operaretur, impendendo motum, & influentiam seu concursum attemperatum sicut modo, quamuis ipse non posset aliud facere, quia necessariò operaretur, quod non essent effectus contingētes ex causis contingentibus, & liberis, nimirum ex hominibus. Supponimus enim etiam, quòd essent homines, & Angeli pollētes libero arbitrio. Ex hoc enim plane colligitur, & sequitur, quòd etiam si Deus per impossibile operaretur necessariò ad extra, & non libere, si tamen impenderet eundem concursum, quem modo impendit, adhuc essent in natura plures causæ contingentes, & etiam liberæ, quæ possent temperare, & modificare illum concursum. Quia ōme, quod recipitur ad modum recipientis recipitur, & effectus procedentes ab huiusmodi causis, & à tali etiam cōcursu Dei in eis recepto, & attemperato essent contingentes, vel liberi iuxta modum suæ causæ. Præcipue, quia supponitur, quòd quamuis per impossibile Deus ad extra operaretur necessariò, nihilominus impendendo eundem concursum, & influxum, quem nunc impendit, ageret, & operaretur cum rebus, per conformitatem ad suam naturam: estò ipse nihil aliud agere posset.

Quæ adhiberi potest solutio pro Scoto repellitur.

Aduersarij nostri in manu scriptis me, & discipulos D. Tho. cum schola eius, Caietanūque doctissimum Cardinalem cārpere contēdunt dicentes me, & Caietanum reliquosque discipulos in schola Sanctissimi præceptoris non loqui consequēter ad ea, quæ dicta sunt. Quia affirmamus, quòd si Deus non operaretur ad extra libere, sed potius ex necessitate naturæ nullum esset liberum arbitrium, aut in hominibus aut in Angelis. Sed profectò cōsequenter loquimur ad ea, quæ ex hypothesi sequuntur aptè satis, & congruè. Quia si per impossibile Deus ageret ex necessitate naturæ similem impendendo concursum, & influxum, quem impendit nunc, eadem etiā creando, & producendo, quæ nūc produxit, & producit, tunc effectus aliqui essent liberi, & con-

Liberantur à calumnia cōtradictionis discipuli D. Tho.

tingentes

tingentes iuxta modū, quē paulo antea diximus. Quia licet Deus ex neceſsitate naturæ ageret, tamē ex hypotheſi nō plus ageret, neque aliū concurſum, aut motionem præberet volūtati liberæ creatæ, quàm modo præbet, & hic ſenſus, quē nos ſequimur, eſt valde diuerſus ab eo quem aduerſarij imaginantur, & ex pluribus ſuppoſitionibus procedit, ex quibus optimè infertur, quòd adhuc eſſent effectus cōtingētes. Si verò Deus operaretur neceſſariò, & nō libere ſuumq; impēderet cōcurſum, & influxū cū quadā neceſsitate actionis Dei, & cū modo quodā neceſſariò impediretur vſus libertatis. Quia motio Dei eſſet non ſolū maior, & ſecundū vltimū potentiæ, ſed nō eſſet talis qualis nunc eſt, & ſecū raperet appetitū rationalē hominis, ex quo fieret, vt nō eſſet liberū arbitrium. Quia ſi Deus eſſet cauſa neceſſaria, & nō haberet liberū arbitriū neq; volūtas ipſius eſſet libera in operibus ad extra, careretq; hac libertate, quæ eſt perfectio ſimpliciter, quo pacto fieri poſſet, quòd daretur liberū arbitriū in homine, & in Angelo per participationē, cū nullū eſſet liberū arbitriū per eſſentiā: igitur in caſu, & hypotheſi data, ſi motio Dei nō eſſet maior, neq; diuerſa in ſubſtantia, aut in modo, quā eſt ea, quæ nunc liberè datur, licet ex neceſsitate naturæ daretur, ex hoc præciſe non impediretur vſus libertatis, & contingentiæ rerum.

Etiā ſi cauſa prima ageret ex neceſsitate naturæ, dum tamen eodē concurreret influxu quo nunc, non repelleretur vſus libertatis, & cōtingentiæ.

Quapropter ſentio, quòd facta hypotheſi impoſsibili, ſi prima cauſa ageret ex neceſsitate naturæ modo ſupra explicato impendendo eundē concurſum, quē nunc impendit: cū eodē modo omnino, non impediret vſum libertatis, neq; repelleret omnē contingentiam effectuū ſecundarum cauſarū. Nā quoad hoc approbamus ſentētiā diſcipulorū D. Tho. tactam. Quia ſi Deus eundē influxū impenderet quē nunc, ſi concurreret etiā cauſa proxima contingens, quæ non extraheretur à ſuo modo operandi, in eo caſu contingenter operaretur. Quia ſi cauſa ſecūda eſt contingens effectus poteſt non eſſe, & neceſsitas operandi alterius cauſæ non eſt ſatis, vt effectus nō ſit liber, & contingens, ſi eundem influxum impendit, quem modo impendi cernimus in rebus. Quod ſane cōfirmari poteſt. Quia Deus in eo caſu non moueret fortius, aut vehementius, neque alio modo voluntatem creatam, quàm nunc mouet, ſed nunc motio Dei non extrahit voluntatē à ſuo connaturali operandi modo: ergo neque tunc immutaret eam neceſſario. Nam quòd motio illa, vel concurſus ex parte ipſius Dei liberè, aut neceſſariò detur, nihil refert ad effectū, quem ad extra producit, ſi concurſus ipſe, vel motio non ſunt diuerſa. Et confirmatur hoc efficaci argumento. Quia ſequeretur aliàs actum noſtræ voluntatis nunc nobis liberū eſſe ob id, quòd Deus ad illum libere concurrit. Conſequens autem eſt falſum. Tum quia formaliter, & immediate ego non habeo dominium in meum actum ob libertatem Dei, ſed ob libertatem meam. Tum etiam. Quia aliàs actus appetendi ſeu appetitio leonis, vel tauri, aut equi libera eſſet, quia Deus ad illam liberè concurrit: igitur actus dicitur liber reſpectu alicuius cauſæ, quia ita fit ab illa, vt ſit in ea potentia, & facultas ad non efficiendum talem actum, nō obſtantibus alijs cauſis, ad eundem actum concurrentibus, ſiue illæ quantum eſt ex ſe naturaliter, ſiue libere concurrant, & ita ſe haberet voluntas creata in prædicto caſu, de quo nunc eſt ſermo.

Contra fundamentum Scoti arguitur.

Fundamentum etiam Scoti, neque ſatisfacit argumentis noſtris, neque illi quidquam prodeſt. Quia ſi eſſet alicuius momenti etiam probaret nunc tolli contingentiam rerum, & vſum libertatis ab omni actu cauſæ ſecundæ, quatenus ab illa eſt, nihilque eſſe liberum niſi tantum per reſpectum ad libertatem primæ cauſæ. Conſequens autem eſt contra rationem, & contra fidem. Sequela probatur. Quia etiam nunc cauſa ſecunda non agit, niſi mota à prima, & cauſa prima nunc prius natura influit, & mouet eadem prioritate, qua moueret, ſi ex neceſsitate naturæ ageret. Rurſus hæc motio Dei, vt ſupponitur in hypotheſi, eſt æquè efficax. Quia non ſtat Deum mouere, & creaturam non moueri: ergo poſita Dei motione, neceſſariò mouetur voluntas creata: ergo ſi talis motio data à Deo ex neceſsitate naturæ tolleret libertatem in actu voluntatis humanæ, etiam nunc tollit, quia æquè antecedit, quod dici non poteſt. Quapropter ſi nunc non tollit, quia licet aliqua ratione antecedat, tamen abſolute datur ſuauiter, & attemperate dependenter non ſolum ab ipſo Deo, ſed ab ipſa voluntate creata, pari ratione in prædicto caſu non tolleret libertatis vſum. Quia licet daretur neceſſariò ex parte Dei, tamen daretur ad modum recipientis, & cum quadam attemperatione ad ipſum arbitrium creatum. Neque ſatisfacit Scoti reſponſio dicentis quòd ſi Deus ageret ex neceſsitate naturæ motio eius eſſet ſimpliciter neceſſaria, & ita tolleret omnem contingentiā effectus, nunc autem eſt libera, & ideo non tollit illam. Dico ergo, quòd hoc non ſatisfacit. Primò. Quia ad ſummum declarat ſaluari nunc contingentiam, vel libertatem effectus reſpectu diuinæ voluntatis, non verò reſpectu cauſarum ſecundarum. Secundò. Quia ſi intelligat data illa hypotheſi motionem Dei fore abſolute neceſſariam, ideſt neceſſariò ponendam in re, falſum ſumit: ſolum enim eſſet neceſſaria quantum eſſet ex parte Dei, tamen, quia ſimul penderet à voluntate creata, nec poſſet in re poni ſine illa, idcirco non eſſet neceſſaria abſolute. Itaque Deus tunc dicetur agere ex neceſsitate naturæ. Quia ab intrinſeca natura eſſet ex ſe determinatus, ad concurrendum cum voluntate: tamen quia concurſus ille non ponitur in re niſi cooperante ſimul voluntate ipſa: idcirco non pone-

Si motio efficax Dei quæ nunc procedit ab ipſo liberè operante nō aufert libertatem nullatenus eā tollere t, etiā ſi Deus neceſſariò operaretur.

Eneruatur multifariā Scoti ſolutio.

retur

retur in re cum abſoluta neceſsitate, ſed iuxta exigentiam cooperationis liberæ voluntatis. Sed de hac re multa alia diximus in alio diſcurſu, quæ eo loci videri debent.

Fauet etiam, quia ſi vniuerſum hoc cum ea cauſarum coordinatione, quæ eſt nunc non eſſet à Deo, neque ab alia cauſa effectiue productum, ſed à ſeipſo exiſtens, adhuc eſſent in eo effectus contingentes, & liberi, ſicut nūc, & tamen nulla daretur cauſa prima libera omnium, à qua eſſet radicaliter huiuſmodi libertas, & cōtingentia effectuum: ergo. Quod argumentum eſt Caietani loco citato.

Tandem ſi voluntas diuina non eſſet prima cauſa, & origo indifferentiæ, ac libertatis creatæ, quatenus illa eſt infinitæ efficaciæ ad exequendum quidquid voluerit: ſed ex eo quod libere operetur, ſequitur ſecundas cauſas etiam liberè agere, inde etiam fieret indifferentiam, & libertatem voluntatis creatæ non eſſe perſe à Deo intentam, ſed in rebus inueniri per accidens, & à caſu etiam reſpectu voluntatis diuinæ, quod dici non poteſt. Sequela autem probatur. Quia illa indifferentia, & libertas ſecundæ cauſæ in agendo non eſt volita à Deo, cum non oriatur ex efficacia diuinæ voluntatis, ſed conſequitur ex eo, quòd Deus aliquid aliud libere velit: igitur, neque eſt per ſe intenta, ſed potius à caſu. Qua propter non ſunt audiendi aduerſarij, qui male dicunt diſcipulos Diui Thomæ non eſſe audiendos. Et non oportet dicere nos non debere confugere ad efficaciam diuinæ voluntatis. Nam quamuis volita eſſet indifferentia à voluntate diuina, & à libertate diuinæ voluntatis, tamen quòd eſſet talis indifferentia, & talis modus agendi cum indifferentia, id quidem dicitur procedere, & oriri in ſententia Diui Thomæ ab efficacia diuinæ voluntatis, & hoc non eſt ſolum prouenire à libertate voluntatis Dei.

Libertas, & indifferentia ſecūdæ cauſæ nō eſſet per ſe volita, et intenta à Deo; ſi ipſa talis eſſet, quia Deus liberè operatur.

D. Thom.

Sanctus Thomas 1. p. quæſt. 19. art. 8. fatetur de diuina voluntate quòd quibuſdam rebus neceſsitatem imponit, non tamen omnibus. Quòd ſi petas ab eo, quæ ſit cauſa, & ratio huius, Reſpondet fuiſſe quoſdam, qui rationem huius rei aſsignare voluerunt ex cauſis medijs, nimirum, quia ea, quæ producit per cauſas neceſſarias ſunt neceſſaria: illa verò quæ producit per cauſas contingentes, ſunt contingentia. Hunc tamen modum dicendi, repellit S. Thom. Primò. Quia effectus alicuius cauſæ primæ dicitur contingens propter ſecundam cauſam ex eo quia effectus cauſæ primæ impeditur per defectum cauſæ ſecundæ, veluti virtus ſolis impeditur per defectum plantæ. Nullus autem defectus cauſæ ſecundæ impedire poteſt quin voluntas Dei producat effectum ſuum. Secundò. Quia ſi diſtinctio cōtingentium à neceſſarijs referatur ſolum in cauſas ſecundas, ſequitur hoc eſſe præter intentionem, & voluntatem diuinam, quod eſt inconueniens. Quapropter Sanctus Thomas affirmat, quòd cauſa, & ratio, cur quædam ſint contingentia in rebus eſt propter efficaciam voluntatis diuinæ. Nā ſi cauſa aliqua eſt efficax ad agendum ſeu in actione, & operatione ſua effectus ipſe conſequitur cauſam, non tantum ſecundum id quod fit, ſed vlterius etiam ſecundum modum fiendi, vel eſſendi. Quod ſane manifeſte conſtat etiam in naturalibus. Nam ex debilitate virtutis actiuæ, nimirum, in ſemine euenit, & contingit quod filius naſcatur diſſimilis patri in accidentibus, quæ pertinent ad modum eſſendi. Hoc autem non poteſt euenire in voluntate diuina, quæ eſt cauſa rerum. Nam cum voluntas Dei efficaciſſima ſit, ex hoc ſequitur, quòd non tantum fiant ea, quæ Deus fieri vult, ſed quod fiant eo modo quo Deus ea fieri, vult. Atque ita cum Deus velit quædam fieri neceſſariò, quædam verò contingenter, vt ſit ordo in rebus ad perfectionem mundi, idcirco ex efficacia voluntatis ſuæ quibuſdam effectibus cauſas neceſſarias aptauit, quæ non poſſent deficere, & ex quibus effectus de neceſsitate prouenirent. Quibuſdam verò aptauit cauſas contingentes, & liberas defectibiles, ex quibus effectus contingenter eueniunt. Non igitur effectus voliti à Deo contingenter eueniunt, quia cauſæ proximæ ſunt contingentes, ſed ob id, quia Deus voluit quoſdam effectus euenire contingenter, & idcirco præparauit cauſas contingentes ad eos. Quocirca ex hoc, quòd diuinæ voluntati nihil reſiſtit iuxta illud Pauli ad Romanos 9. *Voluntati eius quis reſiſtit?* Sequitur, quòd non tantum fiunt à Deo ea, quæ Deus ipſe vult fieri, ſed quòd fiant contingenter, vel neceſſariò, quæ ſic fieri vult.

Ad Ro. 9.

An verò voluntates hominum, & Angelorum in eo caſu, quo voluntas diuina operaretur neceſſariò, & non libere, poſſent exercere propriam libertatem, ita vt ratione illarum eſſent contingentia, iam vt reor diximus, quamuis difficile ſit adamuſsim id explicare. Nam certè ſi Deus non impenderet eum concurſum, quem modo impendit, neque ipſe etiam haberet liberum arbitrium, tunc ſane ita neceſſariò operaretur, vt moueret omnia cum modo neceſſario, ac proinde ſicut non eſſent actiones liberæ, ita non eſſet liberum arbitriū in actu, quia voluntates creatæ operarentur tunc per modum naturæ. Sic enim voluntas Dei neceſſariò agens operaretur, ſecundum vitimū quod poſſet, & non attēperaret concurſum ſuū, ſed cum neceſſario modo ageret circa omnia. Si verò concurſu, quo nūc agit ſolū, operaretur voluntas Dei, tunc fieri poſſet, vt darentur actus contingentes. Primo. Quia ſecunda cauſa non neceſſariò determinaretur, ſed infallibiliter tantū, ſicut diuina voluntas libera, ex cuius determi-

Si Deus neceſſariò ageret, impenderet que diuerſum concurſum, ab eo quem modo impēdit, in eo quidē caſu nō eſſent actiones liberæ nec contingentes.

Ex Dei efficacia, non ab eius libertate indifferentiā, & libertatem cauſæ ſecūdæ prouenire ex S. Tho. & pro eius ſententia probatur.

natione pendet determinatio causæ secundæ etiam liberæ, quamuis ipsa etiam concurrat ad eam determinationem se agendo & mouendo. Sed in eo casu voluntas diuina, nimirum si necessario ageret, non tantum esset infallibiliter determinata, sed etiam necessariò: ergo neque voluntas creata determinaretur ab illa solum infallibiliter, sed etiam necessariò, cum quo non posset stare physica contingentia ad oppositum. Secundò. Quia si Deus impenderet eumdem concursum secundum rem, & secundum modum, tunc omnia mouerentur suauiter sicut modo, & ita non repelleretur contingentia. Hoc autem maxime verum esse debet in opinione aduersariorum, quæ dicit Deum neque concurrere, neque influere in ipsas secundas causas, sed solum influere ad opus & concurrere ad effectus. Si igitur Deus tantum concurrit ad opus, quid interest quòd operetur liberè vel necessario, ad tollendam libertatem, vel non tollendam ab ipsa secunda causa, si in eam non influit vt mota agat, sed solùm conseruando esse eius influxu conseruatiuo.

Illi verò Theologi, qui minus bene loquuntur sentientes voluntatem hominum, & Angelorum esse omninò primum mouens, ac proinde ita determinare se ipsam, vt independenter à quocumque alio se moueat, & se determinet, consequenter dicere tenentur, voluntatem creatam tunc operaturam esse liberè, atque adeo futuram esse contingentiam in rebus naturalibus. In quo sensu moderni volunt explicare Caietanum. Nam cum in hac opinione voluntas creata non prius applicetur, aut moueatur à Deo, quàm à se ipsa, sed simul tempore ab vtrisque, & prius natura à se, quia illa potius Deum determinat ad volendum hic & nunc, vel ad cessandum, sequitur in tali casu determinationem voluntatis creatæ liberam esse, cum ipsa sit primum mouens, & quæ se primò determinauit, & potuit, vel aliter determinare se, aut non determinare, imò verò aliter determinare, Deum ipsum, atque ita posse actum illum non fuisse, non solum naturaliter, sed etiam moraliter. Nam in hac opinione sentiunt prædicti authores, voluntatem creatam determinare Deum circa actiones bonas moraliter. Qui sane modus dicendi quatenus dicit voluntatem respectu bonarum & piarũ actionum, ita esse causam absolute & simpliciter primam se ipsam primo mouentem, ac determinantem ad exercitium proprij actus, expresse est contra D. Thomam, & contra recte sentientes 1. part. quæst. 83. artic. 1. ad 3. vbi S. Thomas dicit, quod liberum arbitrium est causa sui motus. Quia homo per liberum arbitrium se ipsum mouet ad agendum, tamen non est de necessitate libertatis, quòd sit prima causa sui id quod liberum est, sicut neque ad hoc vt aliquid sit causa alterius requiritur, quòd sit prima causa eius. Deus igitur (inquit Sanctus Thomas) est prima causa mouens & naturales causas & voluntarias &c. & 1. 2. q. 6. artic. 1. ad 1. dicendum inquit, quòd non omne principium est principium primum. Licet ergo de ratione voluntarij sit quòd principium eius sit intra, tamen non est contra rationem voluntarij quod principium intrinsecũ causetur vel moueatur ab exteriori principio. Quia non est de ratione voluntarij quod principium intrinsecum sit principium primum: ibi autem accipere voluntatem pro libero est manifestum, & idem vult S. Thom. ad 2. & 3. & in eadem 1. 2. q. 9. art. 4. ad. 1. ait de ratione voluntarij esse quod principium eius sit intra, sed non oportere quòd principium intrinsecum sit primum principium nõ motum ab alio. Vnde motus voluntarius, etsi habeat principium proximum intrinsecũ, tamen principium primum est ab extrinseco, sicut & principium primum motus naturalis etiam est ab extra, quod nimirum mouet naturam.

Licet de ratione voluntarij est quòd principiũ eius sit intra, tamẽ non est contra eã quòd principiũ intrinsecũ causetur, vel moueatur ab exteriori principio.

Rursus idem docet Sanctissimus Præceptor etiam de pijs operibus, & supernaturalibus 1. 2. quæst. 190. art. 2. ad 1. & 1. part. quæst. 103. artic. 5. ad 3. & quæst. 105. artic. 4. ad 2. & 3. & de veritate quæst. 24. artic. 1. ad 3. & 5. Imo verò id consequenter tenentur asserere Scotus & discipuli suæ familiæ cum dicant diuinam voluntatem esse primam radicem libertatis, eo quòd sit causa primario mouens ac determinans voluntates creatas, sicut etiam dixit Cordub. supra citatus, qui eam sententiam dixit esse communem omnium vt superius retulimus. Quocirca nemini videri debet, esse contra naturam liberi arbitrij, non esse primum omnino principium se ipsum mouens & applicans ad omnem actum suum, vt indicare videtur vulgaris desetiptio causæ liberæ, vt intelligitur maximè à quibusdam iunioribus quòd positis omnibus requisitis &c. Certius tamen est, & apud D. Thom. indubitatum id esse valde alienum à natura voluntatis & arbitrij creati, quòd sit nimirum primum simpliciter principium. Quia licet voluntas se ipsam moueat ac determinet, tamen mouet se & determinat sub determinatione & motione primæ causæ.

Scotus.

Cordub.

Alius igitur dicendi modus est eorum, qui dicunt primam causam siue radicem indifferentiæ requisitæ ad liberum arbitrium esse obiecti insufficientiam, vel propter mistionem bonitatis ac malitiæ, vel quod ex illo oritur propter connexionem non necessariam, sed contingentem quam habet obiectum propositum cum appetitu, vel cum his, quæ sunt necessario volibilia, vt finis vltimus. Quod videtur insinuare Durandus in 2. dist. 24. quæst. 2. num. 16. & attribuitur D. Thomæ 1. p. q. 19. ar. 3. & 10. & q. 82. ar. 2. qui videtur colligere indifferentiam, seu non necessitatem voluntatis, ex non necessaria, sed contingenti connexione obiectorum cũ fine,

Secundus modus dicẽdi.

D. Tho. 1. p. q. 83.

Durand. D. Thom.

Fundamentum ipsius modi dicendi.

& quæst. 105. artic. 4. id videtur colligere ex insufficientia obiectorum. Fundamentum huius esse potest. Nam ideò voluntas habet eam solutionem siue indeterminationem, & indifferentiam, quæ est de ratione liberi arbitrij, quia eius obiectum non est complete bonum, sed minus sufficiens, aliquemque habens defectum admixtum, ac proinde non potens eam determinare: ergo ea indeterminatio oritur ab insufficientia obiecti. Patet antecedens ex plerisque locis D. Thomæ, & ex ratione illa seu responsione, in qua multi reddunt rationem, cur voluntas non moueatur necessariò à quolibet bono particulari. Rursus est huius sententiæ aliud fundamentum.

Aliud eiusdē modi fundamentum.

Nam ob id beati in patria nullam habent indifferentiam respectu Dei clare visi, quia in obiecto est summa bonitas, ac proinde summa efficacia ad determinandam voluntatem creatam, vt in materia de beatitudine docet communis Schola cum Sancto Thoma. Ideo etiam creata voluntas non est libera respectu omnium obiectorum quoad specificationem, nimirum, respectu boni vt sic, quod est adæquatum obiectum illius, sed respectu aliquorum bonorum scilicet particularium, quia videlicet non omne bonum est insufficiens aut mixtum tanta difficultate, cum id non habeat bonum vt sic, sicut bona particularia, ac proinde insufficientia ad omnino determinandam voluntatem ad sui amorem: ergo determinatio, aut indeterminatio & indifferentia voluntatis, & arbitrij, oritur etiam vt à causa, à sufficientia, vel insufficientia vel indeterminatione obiecti. Patet consequentia. Quia sicut determinatio absoluta voluntatis causatur in genere causæ finalis ab absoluta bonitate obiecti, atque ita vere necessitas voluntatis oritur ab obiecto omni ex parte pleno, vt in materia de beatitudine dicitur, ita etiam indeterminatio voluntatis causatur ab indeterminatione obiecti in genere causæ finalis. Si enim finis, quòd est bonum tunc propositum, esset ex omni parte determinatus, hoc est sufficiens adæquate, omnino determinaret voluntatem, vt est finis vltimus. Eo autem ipso, quòd ab obiecto non tollatur indifferentia aliqua, & consequenter summa efficacia ad mouendum in genere causæ finalis, tollitur etiam à voluntate determinatio absoluta manetque indifferentia respectu illius: ergo verè indifferentia voluntatis oritur ab obiecto vt à vera causa, & non vt à conditione tantum. Neque obstat in sufficientiam vel defectum bonitatis in obiecto esse aliquid priuatiuum, cum etiā indeterminatio siue indifferentia voluntatis præcisè sumpta, sit priuatio determinationis. Si autem plenitudo bonitatis obiecti est causa formalis positiua, positiuæ & absolutæ determinationis in voluntate, ita etiam priuatio aut defectus illius plenitudinis est proportionaliter causa in eodem genere illius priuationis, determinationis in voluntate. Tandem confirmatur hoc ab authoribus, qui hoc defendunt. Quoniam ideò voluntas diuina nunc non necessario & simpliciter, sed secundum quid, & absolute libere vult, & conseruat res creatas, non quia possit nunc illas non velle, aut velle alias incompossibiles sibi, cum id repugnet diuinæ immutabilitati: neque eo solum quòd libere se determinauit in æternitate ad volendum eas potius, quàm alias, cum id non sufficiat, vt libere nunc vellet illas conseruare, si ea indeterminatione posita inducerētur necessitas absoluta, vt in causis liberis creatis cernimus semper contingere. Sed ideo eas libere vult, quia illæ non habent bonitatem simpliciter, sed secundum quid, nimirum defectuosam, & consequenter neque habent necessariam connexionem cum diuina voluntate, aut bonitate, sed contingentem tantum, & ex suppositione, vt ostendit D. Thom. 1. part. q. 19. artic. 3. in corpore, & ad 1. 2. & 4. & artic. 10. in corpore, & de veritate, quæst. 23. artic. 4. & 1. contra gentes cap. 83. ad quintam rationem: ergo indifferentia requisita ad voluntatem diuinam non oritur tantum à sola voluntate, sed etiam ab insufficientia obiecti: ergo similiter & potiore iure in creaturis.

Cōfirmatio.

D. Thom.

Conclusio, qua fit satis propositæ difficultati.

His tamen præmissis, & nihil obstantibus sentio dicendum esse in hac controuersia intellectum, iudiciumque eius liberum, ipsiusque etiam facultatem esse radicem & causam indifferentiæ voluntatis in agendo. Hæc est expressa sentētia D. Thom. 1. 2. quæst. 17. ar. 1. ad 2. vbi asseuerat, quòd radix libertatis est voluntas sicut subiectum, sed sicut causa est ratio. Ex hoc enim voluntas liberè potest ad diuersa ferri, quia ratio potest habere diuersas conceptiones boni, Philosophi etiam definiūt liberum arbitrium, quòd est liberum de ratione iudicium, quasi ratio sit causa libertatis, & lib. 2. contra gentes cap. 48. ratione vltima ait. *Omnia igitur intellectualia liberam voluntatem habent ex iudicio intellectus venientem, quod est liberum arbitrium habere: quod sic definitur, liberum de ratione iudicium.* Et de veritate q. 24. art. 2. *Sciendum ait, quòd cum ad operationē nostrā tria concurrāt, nimirū cognitio, appetitus, & ipsa operatio, tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet: appetitus enim cognitionem sequitur, cum appetitus non sit nisi boni, quod sibi per vim cognitiuā proponitur. Quod verò quandoq; appetitus videtur cognitionē nō sequi, hoc ideo est, quia non circa idem accipitur appetitus, & cognitionis iudiciū: est enim appetitus de particulari operabili, iudiciū verò rationis quandoq; est de aliquo vniuersali, quod est quandoque contrarium appetitui, sed iudicium de hoc particulari operabili, vt nunc nunquam potest esse contrarium appetitui: qui enim vult fornicari, quamuis sciat fornicationem in vniuersali*

Quòd nostra conclusio sit expressa D. Tho. sententia.

malum

malum esse, tamen iudicat sibi vt tunc bonum esse sibi fornicationis actum & delectabilem, & sub specie boni ipsum eligit. Et paulò inferius inquit. *Iudicare autem de iudicio suo est solius rationis, quæ supra actum suum reflectitur, & cognoscit habitudines rerum, de quibus iudicat, & per quas iudicat. Vnde totius libertatis radix est in ratione constituta. Quare sicut aliquid se habet ad rationem, sic se habet ad liberum arbitrium.* Idemque sentit fere vbique, vbi ex indeterminatione intellectus dicit prouenire solutionem, facultatem & indifferentiam voluntatis, & idem dicit art. 6. ad 4 vbi adducit Gregorium, Augustinum & Damascenum. Idem vult S. Thomas 1. 2. q. 13. art. 1. in corpore & ad 2. ostendens dependentiam vnius potentiæ ab alia, rationemque esse causam priorem, præcedereque voluntatem, & ordinare actum eius, ex eo quòd voluntas tendit in suum obiectum secundum ordinē rationis, sic igitur actus ille, quo voluntas tendit in aliquid, quod proponitur vt bonum, ex eo, quòd per rationem est ordinatum ad finē, materialiter quidem est voluntatis, formaliter vero rationis. Quia substantia actus materialiter se habet ad ordinem qui imponitur à superiori potentia, quamuis substantialiter non sit actus rationis, sed voluntatis. Idem sensit de veritate q. 22. art. 13. in corpore prope finem, & ad 8. & idē probat, & colligit, quoties dicit facultatem & indifferentiam voluntatis ex facultate rationis nasci, idem etiā tenet expresse 1. p. q. 83. de libero arbitrio art. 1. & 3. de veritate q. 14. art. 1. & 5.

Gregorius. Augustin. Damascen.

Explicatur & probatur cōclusio primò ex S. Patribus.

Origenes li. 3. Periarchon.

Hæc sententia probanda est à nobis & explicanda. Primò ex sanctis Patribus. Secundò ex testimonijs sacræ scripturæ. Tertiò rationibus. Origenes lib. 3. Periarchon, capit. 1. ad indagandam liberi arbitrij naturam, cum prius retulisset phantasiam, appetitumque aliorum viuentium, & eorum motus, concludit comparando hominem ad viuentia & animalia omnia, ipsum præstare cæteris animantibus quoad rationis vim, qua iudicare & discernere valet de vniuersis motibus, & qua valet quosdam reprobare & abijcere, alios vero probare atque suscipere, cuius rationis iudicio dirigi & gubernari motus hominis ad vitam probabilem possunt. Vnde consequenter colligit, vt quoniam natura rationis huius, quæ est in homine habet in se vim dignoscendi boni & mali, idque cum discernit, inest ei facultas etiam eligendi, quod probauerit: in eligendo quidem quod bonum est laudabilis: in sequēdo vero quod turpe vel malum est, iure culpabilis, iudicetur. Deniq; Origenes in toto discursu illius capitis primi semper concludit rationē esse fontē libertatis, & indifferentiæ, quæ est in voluntate, colligereque à priori ex facultate potentiæ cognoscitiuæ facultatē & indifferentiā appetitus, vt per causam illius, & idcirco orditur à primis principijs motuū, de qua re videndus est D. Tho. de veritate. q. 14. citata & Sotus lib. 1. de natura & gratia cap. 15 vnde potissimum discrimē inter principium actuū liberorum hominis, & naturalium brutorum à diuersitate potentiæ cognoscitiuæ vtriusque desumpsit Origenes, & idcirco rationem censet esse primum & radicale principium libertatis, quæ est in voluntate, à qua ratione ipsa dirigitur.

D. Thom. M. Sotus.

D. Gregor. Nissenus.

D. Gregorius Nissenus lib. 7. Philosophiæ eo ipso, quod aliquid ratione sit præditum, vimque ad consultandum habeat liberum arbitrium seu liberam facultatem voluntatis habere demonstrat. Vnde cap. 3. eiusdem libri 7. Philosophiæ, in quo agit de libero arbitrio inquit. Necesse igitur est eum, qui consultat dominum esse actionum, si enim non fuerit dominus actionum è superfluo habet consultare: si vero hoc ex necessitate assistit vi rationali liberum arbitrium. Aut enim non erit rationalis, aut rationalis existens dominium suarum actionum obtinebit: dominari autem actionum omnino liberi arbitrij erit. Atqui monstratum est ea, quæ ex subiecta materia genita sunt vertibilia esse. Ex vtriusque ergo concluditur hominem ex necessitate liberum arbitrio, & vertibilem esse: vertibilem sane, quia genitus est, liberum autem arbitrio, quia etiam rationalis. Eapropter quicumque Deum accusant quod hominem non fecerit vitiorum nequaquam susceptibilem, sed arbitrio liberum, ignorant se accusare Deum, quòd rationalem fecerit hominem, & non rationis expertem. Necesse est enim horū duorū alterum, vel irrationalem productum esse, vel rationalem existentem, & circa agibilia versantem arbitrio liberum esse. Et paulò antea idem Gregorius Nissenus sic ait. *Verum omnis, qui consultat quasi in eius potestate existente electione de operabilibus consultat, vt quod per consilium decernitur eligat, & eligens faciat.* In quibus omnibus indicat satis non solum rationem iudiciumque liberum esse radicem indifferentiæ voluntatis, sed etiam in exercitio ab ea pendere.

D. Damasc.

D. Damascenus lib. 2. de fide Orthodoxa cap. 7. post initium ait. *Rationalis autem potestas omnino cōsilij gratia nobis indulta est.* Quod fusius explicuit capit. 26. ne quis existimaret solum esse conditionem prærequisitam dicens. Consilium autem eorum est, quæ ad æque, susque deque contingunt. Ad æque vero contingens est, quod idem possumus, & eius oppositum. At vero huius electionem intellectus noster facit, atque ipse est principium actionum. Certum est autem etiam apud Damascen. intellectum non esse formale principium eligendi, neque actionum humanarū: ergo primum seu radicale. Legendus est etiam capit. 27. sequenti. Ex quibus omnibus tam ex Damasceno, quàm ex Gregorio Nisseno & Origene constat bruta animalia idcirco non esse libera, quia irrationalia sunt, hoc est nō habentia facultatem rationis,

hominem vero è contra naturam ducere liberam, quia rationali eſt, atque adeo facultatem rationis eſſe cauſam & radicem ſolutionis, & indifferentiæ voluntatis.

D. Chryſoſt. D. Chryſoſtomus ad populum Antiochenum hom. 12. expreſſe rationem conſtituit cõ principium actuum liberorum, cuius defectu bruta ait, neceſſariò operari, & non libere.

D. Ambro. D. Ambroſius lib. 1. de vocatione gentium, ſeu D. Proſper cap. 2. poſt initium loquens de puerorum motibus, & actionibus; Qui (inquit) *licet nullo rationis iudicio vtantur, oſtendunt tamen aliquid ſe velle.*

D. Augu. D. Auguſtinus lib. de ſpiritu & anima cap. 48. aperte inſinuat rationem eſſe fontem & originem libertatis, & idem repetit de eccleſiaſticis dogmatibus cap. 21. & lib. 12. de Trinitate, conſenſum tribuit rationi ſeu menti, vt refert S. Thomas 1. 2. quæſt. 15. artic. 1. argumento primo, & lib. 1. Hypognoſticon poſt initium, vbi ait liberum arbitrium ab arbitrãdo dictum eſſe. Vnde intellectum appellat virum animæ. Legendus eſt tractatu. 15. in Ioannem, & lib. 1. 2. & 3. de libero arbitrio, & de gratia & libero arbitrio, qui ſæpiſsime dicit liberum arbitrium eſſe facultatem voluntatis, & rationis. Quæ ſane definitio celebris eſt apud S. Thomam, ſatiſque indicat intellectum eſſe comprincipium actuum liberorum, non quidem formale, ſed radicale, à quo primo incipit moralis gubernatio hominis ſecundum Auguſtinum.

D. Hieron. D. Bernar. D. Clemẽs. D. Hirene. Boetius. D. Hieronymus epiſt. ad Demetriadem & in epiſt. ad Damaſum de filio prodigo, ait, *Dedit eis liberum arbitrium, dedit mentem propriæ libertatis*, D. etiam Bernardus de gratia & libero arbitrio poſt principium, D. Clemens epiſt. 2. de offitio Sacerdotis, D. Hireneus lib. 4. contra hæreſes cap. 72. poſt medium, Boetius 5. de conſolatione proſa. 2. idem etiam protulit, quod Sancti Patres modo citati dicens. *Neque enim fuerit vlla rationalis creatura, quin eidem libertas adſit arbitrij. Nam quod ratione vti naturaliter poteſt, id habet iudicium, quo quidquid diſcernat per ſe, igitur fugienda, optanda ve dignoſcit. Quod vero quis optandum iudicat eſſe petit, refugit vero quod æſtimat eſſe fugiendum, quare quibus ineſt ratio, ineſt etiam nolendi, volendique libertas, ſed hanc non in omnibus æquam eſſe conſtituo. Nam ſuperioribus diuiniſque ſubſtantijs eſt perſpicax iudicium &c.* En quo pacto ratio dicitur fons & principium libertatis, à quo primo incipit moralis gubernatio hominis. Legendus eſt etiam Hugo de Sancto Victore in ſumma ſententiarum tractatu. 3.

Hugo de S. Victore. D. Proſper. Proſper Sanctiſsimus diſcipulus D. Auguſtini epiſt. de libero arbitrio ad Rufinum pag. 1. fauet huic ſententiæ, qui eo loci poſt alia inquit. *Eo quòd tam plene ipſo conditionis ſuæ præſidio iuuaretur, vt habens naturaliter rationabilem intellectum fatile bonum eligeret, malumque vitaret.* Vbi magnam partem libertatis, nimirum electionẽ tribuit intellectui, ea ſcilicet ratione qua Ariſt. & alij. Fauent etiam huic ſententiæ ſancti omnes & Doctores, qui intellectui tribuũt defectũ volũtatis, vt Athanaſius & alij.

Plures etiam ſunt ex Theologis Scholaſticis, qui voluntatem dicunt maiorem dependẽ etiam habere ab intellectu ipſumq; perfectiorem eſſe, habereque rationem cauſæ reſpectu indifferentiæ & libertatis, idque dicũt omnes, qui ſentiunt liberum arbitrium non vnam tantum, ſed duas facultates colligere voluntatis & rationis, inuicem tamen ſubordinatas. Ita dixit Magiſter in 2. diſt. 24. addendo etiam liberum arbitrium nuncupari illud quod bruta animalia non habent, quia ratione carent, & idem repetit diſtinct. 45. ſequenti. Altiſiodorenſis lib. 2 tractatu. 11. quæſt. 2. & tractatu 2. cap. 2. dicit rationem eſſe regem in regno animæ iuxta Sanctorum patrum ſententiam, D. Bonauentura in ſecundo diſtinct. 25. in prima parte diſtinctionis quæſt. 6. inquit, quod cum liberum arbitrium ſit ratio mouendi ſe inchoatur in ratione, & concluditur atque cõſummatur in voluntate, & q. 4. in reſponſione ad argumenta, & q. etiam 3. mirabiliter loquitur in hac re. Ad hoc igitur vt illud dominium ſit in anima neceſſe eſt, quod habeat rationem & voluntatem. Nam ſi rationem tantum haberet, & non voluntatem per quam moueretur, & moueret, poſſet ſe ſuper actum ſuum reflectere, ſed non poſſet mouere vel imperare. Si verò appetitum ſolum haberet & non rationem, poſſet vtique mouere, & in actum exire, ſed quia non poſſet ſe ſuper actum ſuum reflectere, non poſſet vtique refrenare ſe, & ita dominium non haberet &c. Et q. 1. ratione 2. in reſponſione, idem D. Bonauentura, vt probet liberum arbitrium ſolũ eſſe in rationalibus, ſimiliter etiam ait, ſumitur ratio ex parte arbitrationis. Arbitrium enim idem eſt quod iudicium, ad cuius nutum cæteræ virtutes mouentur, & obediunt, iudicare autem illius eſt ſecundum rationem completam, cuius eſt diſcernere inter iuſtum & iniuſtum D. Antoninus 1. p. tractatu 4. ca. 2. iuxta S. Thomæ doctrinam explicans definitionem D. Auguſtini dicit, *Arbitrium enim importat iudicium, iudicium vero eſt quaſi concluſio & determinatio conſilij, determinatur autem conſilium primò per ſententiam rationis, ſecundò per acceptationem appetitus, & quamuis appetitus non ſit collatiuus, quia collatio eſt rationis, tamen in quantum à vi cognoſcitiua conferente mouetur, habet quamdam collationis ſimilitudinem, dum vnum alteri præoptat.* Legendus eſt S. Thom. 1. part. quæſt. 83. artic. 1. & deinceps vbi ex iudicio libero cum collatione & conferentia rationis colligit, quod agens poteſt in diuerſa ferri, Albertus Magnus idem ſenſit 2. p. tractatu 14. quæſt. 91. membro 2. ad 1. & deinceps in reſponſione ad argumenta. Capreolus in 2. diſt. 24. quæſt. 1. art. 3. ad 1. contra 2. 3. & 4. concluſionem, & ad 8. etiam & deinceps. Hanc etiam ſententia fuſius explicuit

Magiſter ſentent.

Altiſiodor.

D. Bonau.

D. Anton.

Albertus Magnus.

Duran-

Durandus in 2. dist. 24. q. 2. num. 23. 24. & 28. & q. 1. & 3. quamuis ibi in eo decipiatur, quod formalem rationem liberi arbitrij intellectui potius, quam voluntati concesserit.

Ruardus Tapper.

Melius tamen ac maturius his, locutus est Ruardus Tapper arti. illo 7. de libero arbitrio contra Lutherum dicens. *Huiusmodi autem facultatis eligendi ad vtrumlibet oppositorum radix, & origo est indeterminatio intellectus in consultando & iudicando*: vt docet Beatus Thom. in 1. part. Quæ indeterminatio nascitur ex vniuersalitate obiecti, propter quam potest reflecti super suum iudicium, consilium, & electionem. Et inferius. *Quando igitur in homine dicitur esse liberum iudicium significatur liber esse appetitus, & libera electio eorum, de quibus libere iudicamus, significantur etiam horum actuum principia esse libera ac indeterminata. Principia autem sunt ratio, & voluntas, vtramque autem complectitur ratio liberi arbitrij, & ideo definitur à Magistro sententiarum post beatum Augustinum, quòd sit facultas rationis, & voluntatis &c.* Est autem hæc facultas rationis non subiectiue sed originaliter, & voluntatis subiectiue & tanquam principij actiui, à quo immediate procedit libera actio, concurrente tamen indeterminato intellectus iudicio. Qua propter à iudicio quasi radice libertatis potiùs dicitur arbitrium liberum, quam libera voluntas & electio.

Caietan.

Caietanus 1. part. quæst. 83. artic. 1. aduertit ex doctrina Diui Thomæ sequi primam radicem libertatis esse rationem, ita vt ex hoc primò insit libertas alicui. Quia ratio indeterminata est, & indifferens ad hoc & oppositum, & quoniam hæc est ante omnem actum voluntatis, colligit libertatis primum fontem & radicem esse rationem. Et hinc est, minus caute locutum esse Scotum in 1. dist. 38. cum dixit libertatem primo quærendam in voluntate. Nam certe quamuis libertas formaliter sit in voluntate tanquam in subiecto, tamen est in intellectu tanquam in causa, vel radice, vt dicit, S. Thom. 1. 2. quæst. 6. artic. 2. ad 2. & quæst. 17. & de veritate vbi supra, Aristoteles etiam 8. Ethicorum dicit quòd desiderium siue electio necessitatur ex consilio. Legendus est Bartholomæus Medina 1. 2. quæst. 6. artic. 2. ad argumenta contra primam conclusionem, & conclusione 5. Ferrara 2. contra gentes cap. 48. §. penult. Neque aliud voluerunt Philosophi definientes liberum arbitrium esse liberum de ratione iudicium, aut Arist. 6. Ethi. cap. 2. dicens. Rationem siue intellectum practicũ dominari alijs virtutibus actiuis, vel vt vertit Arelatensis principem esse, ideoque sub dubio relinquens vtrùm electio, quæ est formalissimus actus liberi arbitrij sit potius intellectus, quàm voluntatis, vbi proportionaliter loquũtur eius expositores. Imò verò Aristot. & interpretes integris fere libris Ethicorum docent intellectum esse principium aut comprincipium actionum humanarum, illique aliquando præcipuas partes deferunt.

Arist. 8. Ethic. Barthol. Medina. Ferrara.

Ostenditur conclusio testimonijs Scripturæ.

SEcundo loco ostendere debemus veritatem præfatam testimonijs sanctarum litterarum. Primum est Ecclesiastici. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui.* In quibus verbis satis aperte indicatur facultas consiliatricis potentiæ, quæ est intellectus, cum ab ea dicatur totius vitæ momentum pendere, non vt à causa formali illius. Quoniam hæc est voluntas. Nam ideo addidit scriptura. *Si volueris mandata seruare conseruabunt te. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam.* Sed vt ab immediata radice, qua vitiata, vel vigente & integra necesse est fructus, qui à ramis proferuntur eodem vitio infectos esse. Si vero in manu consilij sui sit idem quod in potestate arbitrij certum est ex vi illorum verborum in ratione arbitrij non solam voluntatem, sed simul etiam rationem siue intellectum accipiendum esse.

Ecclesiast. 15.

Rursus stat illud sapientiæ 4. *Placens Deo factus dilectus & viuens inter peccatores. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Qui locus satis fauet nobis. Cum enim conuersio intellectus in cognitionem mali vt sic præcise, malum non sit, neque Deo displiceat, certe cum non esset radix siue causa statim pullulans ac ferens malum in ramo voluntatis, non diceretur nec vere fuisset sublatus iustus ille, ne in illam incideret. Atque ita cum germanus sensus sit. Raptus est ne malitia fucata bonitatis spe, obiecta ad se conuerteret intellectum illius: intellectus enim ad malum ita conuersus voluntatem etiam conuerteret, atque ita displiceret Deo, ex quo satis aperte scriptura ostendit intellectum esse primariam causam siue radicem mutationis voluntatis in exercitio actuum illius, neque dici potest sublatum esse, ne intellectus mutaretur à voluntate iam inclinata ad malum, tum quia expresse ait, ne malitia mutaret scilicet obiecti. Ideo enim addit, aut fictio deciperet, statimque explicat ostendens rationem, qua id contingere soleat, addens ibi continuò, *Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia.* Tum etiam quia esset satis incongrua ratio sensus. Ex quo etiam reijcitur secundum quod obijci poterat pro prima sententia è medio, nimirum sublatum, propterea quod cognosceret malũ, quo scilicet cognito aliquãdo volũtas præcipitẽ se daret, id enim locum minime habere manifestum fiet singulorum verborum vim expendenti scilicet, Malitia mutaret: Fictio deciperet &c. vbi causam

Sapiẽtiæ 4.

Explicatur hic sapientiæ locus.

à priori oſtendit, ipſam bonorum faſcinationem ſiue, obumbrationem à nimia procacitate bonorum temporalium.

Aliud teſtimonium Iſaiæ. 6. adducitur pro concluſ.

Extat etiam ad ſententiam hanc noſtram confirmandam teſtimonium illud Iſaiæ. 6. *Ecce ego inquit mitte me, & dixit. Vade & dices populo huic, audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggrana, & oculos eius claude: ne forte videat oculis ſuis & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & connertatur, & ſanem eum.* Quibus verbis non tantum intellectus nomine cordis appellatur propter maximam affinitatem, & connexionem mutuamque dependentiam illarum potẽtiarum, in quibus eſt liberum arbitrium, ſed etiam oſtenditur, cauſam nimirum radicalem conuerſionis, vel auerſionis voluntatis liberæ, vt ſic eſſe intellectuale iudicium ſiue rectam cognitionem, vt ſtatim explicaturi ſumus: cum expreſſe dicat Deum excæcaſſe mentem, illam que intelligentiam, quæ eſt perfecta rei ponderatio, quam ſequitur interdum voluntatis conuerſio, ne conuerteretur populus ille à ſe non prædeſtinatus: ideo enim ait, audite & nolite intelligere &c. vel aliter etiam vt plures interpretes volunt & indicant, Ioannis 12. & alij Euangeliſtæ. Cum Iſaias ibi vaticinetur populum Hebræum non eſſe crediturũ, nec conuertendum in Deum, neque id voliturum, & idcirco neque voliturum, nec conuertendũ, non ſolum quia nollet, ſed quia non recte intelligeret, ſiue id deberet accidere, quia Deus permiſerit illum non recte penetrare diuina myſteria, vt indicat D. Marcus ca. 4. & D. Lucas cap. 8. & Ioannis 12. ſiue quia populus audiens propria malitia noluerit illa inueſtigare diligentius, vt ſatis inſinuatur Actorum. 24. & Ioannis 23. vel potius vtrumque ſimul. Manifeſte ſequitur populum illum fore voliturum, & conuertendum, ſi intellectus eorum myſteria diuina recte ponderaſſet, & cognouiſſet, idque ſequitur ex vi & efficacia diuinæ cognitionis. Non quòd nulla aliunde eſſet ratio, ſed quòd conſequenter ad rationem in teſtimonio ſcripturæ incluſam, ſequitur conſequenter eiuſmodi cognitionem poſſe dici eſſe cauſam conuerſionis in Deum, non ſane immediatam, ſed radicalem. Prior ſequela patet. Nam tunc negatio alicuius rei eſt cauſa negationis alterius, quando affirmatio eiuſdem rei eſt cauſa & non effectus affirmationis, ſiue poſitionis illius alterius, vt alibi dictum eſt. Hic autem vt conſtat ex verbis Prophetæ, & Euangeliſtarum eam apertiùs explicantium negatio cognitionis perfectæ, & ponderationis eſt cauſa & non effectus negationis conuerſionis in Deum: ergo è contra affirmatio perfectæ cognitionis, & ponderationis dicitur eſſe cauſa, nõ quidem proxima & immediata, ſed inchoatiua & radicalis. Quia tamen in prædictis Euãgeliſtarum verbis ab Eſaia deſumptis, videtur inuolui difficultas & contradictio dum dicunt. Videntes videbitis, & non videbitis, vt Matthæus, vel. Videntes videant, & non videant, vt Marcus. Et parum diſſimiliter Lucas & ex ipſo capite Eſaiæ. Pro huius loci explicatione & aliorum ſimilium ad præſens inſtitutum obſeruare oportet dupliciter poſſe aliquid à nobis intelligi ſicut & videre corporeis oculis. Primò confuſa quadam ac minus perſpicua cognitione, ſiue id ex negligentia proueniat, ſiue ex mentis, aut oculorum imbecillitate, aut faſcinatione vt ſapientiæ quarto habetur. Secundò perſpicua cognitione & aperta ex diligenti ponderatione & examine proueniente. Quæ duæ cognitiones cum non ſint neceſſario coniunctæ, quando nos, vt ſæpe accidit, priorem cognitionem habemus, leuiter tantùm ac ſuperficie tenus rem intelligentes, etiam ſi dicamur illam videre aut intelligere, cum id ſufficiat, tamen vere etiam dicimur eamdem rem non videre, aut intelligere, poſteriori nimirum viſione & intelligentia perfecta, aut ponderatiua, quæ quia perfectior eſt & rei veritati accõmodatior, abſolutè à nobis dici ſolet viſio aut cognitio, ſic enim dicimus aliquem intelligere aut videre, id quod actu intuetur vel percipit mente, ſicque Euãgeliſtæ, vt clarius etiã Iſaias protulit. Rurſus tamen aduertendum eſt, quòd licet ad hoc vt voluntas amet bona corporea etiam moraliter ſufficiat prior cognitio propter proportionem & inſtantiam appetitus ſenſitiui, vt ſapientiæ 4. inſinuatur, tamen, vt diligat ſupernaturalia, & ſpiritualia bona minus coaptata & congruentia appetitui ſenſitiuo, ampliùs debet inſudare mens, in diſquirenda, & oſtendenda illorum bonitate, atque efficaciter ponderanda, & ita fit vt Iudæi (quod in peccatoribus frequentiſsime contingit) rebus temporalibus nimium affecti, diuina myſteria, vel aliqua ex parte, vel omnino deſtruentia, Chriſtique miracula leuiter tantùm & non recte ponderantes, & ſi ea cognouerint leuiter, vere tamen ea minime cognouerint, ea nimirum cognitione perfecta & ponderatiua, cuius defectu, vaticinatur Iſaias Propheta non fore conuertendos. Qua etiam ratione alij ſcripturæ loci intelligendi ſunt. Ideo enim ſæpe ſæpius falluntur aliqui, vt negent voluntatem cognitionem ſequi. Hinc etiam intelligitur qua ratione ſacra ſcriptura & præcipuè Paulus videtur tribuere iuſtificationem noſtram, totiuſque ſupernaturalis vitæ momentum, fidei: id enim accipiendum eſt de ea fide, de qua ſcriptura loquitur viua nimirum, & non mortua. Licet enim fidem viuam ſolam appelẽt Schollaſtici eam, quæ à charitate ſibi coniuncta, quaſi animatur & fouetur, conuenientiſsime etiam ſacræque ſcripturę valde congruenter fides illa, quę eſt exacta cognitio ſupernaturalis diuinorum myſteriorum põderatiua, quæ talis eſt, vt volũta

Quando negatio eſt cauſa negationis alicuius rei, affirmatio eiuſdem rei eſt cauſa affirmationis.

Accuratè perpẽditur, & explicatur ex Euãgeliſtarum contextu præfatum teſtimonium.

Dupliciter poteſt aliquid à nobis videri, aut intelligi.

Quantũ ſit diſcriminis inter bona corporea & ſpiritualia in ordine ad mouendam voluntatem ad amorem ſui.

tem

tem ipsam alliciat, & ad conuersionem trahat, quasi impellendo ad amorem, & executionem eorum, quæ dictat esse facienda. Tridentinum Concilium sess. 6. cap. 8. dixit esse radicem & initium iustificationis. Sic enim ait Concil. *Cùm verò Apostolus dicit iustificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit & expressit, vt scilicet per fidem ideo iustificari dicamur: quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis: sine qua impossibile est placere Deo, &c.* Et Propheta Psal. 118. hoc insinuans dixit. *Intellectum da mihi, & viuam*, non quia intellectus ipse vita sit supernaturalis, de qua ibi loquitur Propheta, sed firmissimum illius fundamentum, quod sequitur supernaturalis ædificij structura.

Tridentinũ sess. 6.

Psal. 118.

Neque desunt ex sacræ scripturæ interpretibus, qui hoc idem omnino tetigerunt quales sunt Hugo Cardinalis super illud Ecclesiastici 15. *Reliquit illum in manu consilij sui.* Iansenius eodem loco, Abulensis tomo 1. in Exodum q. 70. super caput 23. qui post alia multa ante finem ait. *Tamen semper principium huius actionis est intellectus noster, quem Deus reducit, & ipse etiam se mouet, & se reducit, & sic manet libertas quædam radicalis, si tamen Deus esset id, quod nos solum reduceret de posse intelligere ad esse actu intelligentes, & non esset aliud principium agens in nobis, pure pateremur, & non esset in intellectu nostro aliqua radix libertatis.* Idem etiam docet infra, & paulò post, quòd actus humani dicuntur esse illi, qui sunt per intellectum & voluntatem. Nam vt ait Arist. in 6. Ethicorum, duo sunt principia actuum humanorum, nimirum intellectus, & voluntas, sensus autem, vt ipse ibi dicit nullius actus principium est, sed instrumentum. Si tamen nos dicamus, quòd in nobis non esset intellectus agens, non esset principium in nobis, quantum ad aliquem actum intellectus & voluntatis. Voluntas nãque licet principium sit actus humani, primũ tamen principium est intellectus continens radicem libertatis, & ex eo quòd intellectus iudicat, voluntas vult, & si nihil intellectus iudicaret, nihil voluntas eligeret, aut vellet, & si aliquid intellectus iudicat, voluntas contrarium eius eligere aut velle non potest (quod intelligitur nisi aliud iudicium habeat, vel cognitionem formalem aut virtualem) & iste & modus quo intellectus continet radicaliter libertatem id est principiatiue, quam voluntas continet formaliter, id est completiue. Est ergo ipse intellectus principium actus humani, & voluntas etiam, vt sequitur rationem, iudicium que & directionem eius. Hoc idem iterum repetit, & dicit idem Abulensis lib. 3. Regum cap. 12. quæst. 6. vbi dicit libertatem operationis humanæ esse in duobus, nimirum, in voluntate formaliter, radicaliter vero & principiatiuè in intellectu. Et paulò inferius ait. *Item quod amplius est voluntas naturaliter fertur in bonum, & illud debet iudicari per intellectum. Tanta autem est potestas intellectus in hoc quòd si iudicat aliquod malum esse bonum, voluntas eliget illud tanquam bonum.* Et id circo rectè dicitur, quòd licet libertas formaliter sit & realiter in voluntate, radicaliter tamen & principiatiue dicitur esse in intellectu, qui non est potentia cæca, voluntas autem licet sit subiectiue libera & formaliter, tamen secundum se potentia cæca est, & quæ postulat intellectum in suis actionibus.

Hugo Cardinalis. Iansenius. Abulẽsis.

Cõcluditur intẽtum ex Abulensi.

Rationibus ostenditur nostra sententia.

RAtionibus etiam ostendi potest id, quod nostra continet sententia, quarum prima est. Quia ideo voluntas seu ratio, cur voluntas est soluta atque indifferens ad plura & quoad exercitium proprij actus est, quoniam intellectus habet facultatem cognoscendi, ac proponendi plura sub ratione conuenientis, aut disconuenientis: ergo ea facultas intellectus est causa, siue radix indifferentiæ ac facultatis voluntatis, & arbitrij. Probatur consequentia: quia idem sunt ratio alicuius, quòd radix siue causa, vnde illud oritur. Antecedens verò constat ex plerisque locis Diui Thomæ supra citatis, & ex Diuo Gregorio Nisseno, Diuo Damasceno, Caietano, Origene, & alijs superius relatis. Secundò probatur. Quoniam bruta animalia idcirco non habent appetitum solutum ac liberum, sed determinatum natura sua: quia cognitio & iudicium, quo ducitur eorum appetitus non est solutum, eamq; habens facultatem per plura & vniuersalia discurrendi cum collatione & conferentia, vt expresse sentiunt authores citati, maxime Diuus Thomas Origenes, Damascenus Ireneus, Gregorius Nissenus, Durandus Capreolus & alij: ergo solutio & facultas cognitionis intellectiuæ est causa siue ratio facultatis & indifferentiæ requisitæ ad liberum arbitrium & indifferentiæ ipsius voluntatis. Patet consequentia. Nam cum negatio vnius est causa negationis alterius, affirmatio eiusdem debet esse causa affirmationis illius alterius in eo sensu & gradu, in quo negatio fuerat causa negationis, tunc enim negato vno, negatur alterum, cum illud primum est ratio siue causa alterius, sic est autem, quòd negatio cognitionis intellectus aut facultatis illius est causa negationis facultatis & indifferentiæ appetitus: ergo affirmatio facultatis intellectus, siue facultas ipsa intellectus, idem enim sunt, erit causa affirmationis, siue existentiæ ipsius facultatis, & indifferentiæ appetitus.

Prima ratio pro conclusione.

Ratio qua bruta habent appetitum determinatũ natura sua, est quia iudiciũ quo ducitur eorũ natura non est solutũ.

Cũ igitur apetitus brutorũ non solũ sit cæcus, sed ex se determinatus ad amplectendum bonum, & maius bonum quoties illi proponatur sub ratione boni, & maioris boni, palam

ſequitur eam contingentiam, & quaſi indifferentiam, quam cernimus habere in acceptando nunc hoc, poſtea illud, vel reijciendo quod acceptauerat, aut denuo recipiendo, quod repudiarat immediatè oriri à cognitione proponente, conferente, & applicante nunc hoc bonum, poſtea illud ſub tali ratione bonitatis, vel defectus & malitiæ, aut nocumenti, ſicut etiam contingentia, quæ eſt in productione huius vel illius ignis, in hoc vel illo paſſo, potius oritur ex poteſtate applicantis paſſum, quàm ab ipſo igne ex ſe determinato ad agendum quoties illi debitè applicetur, ideoque ſi applicans, ſiue immediatum ſiue primarium, ſit agens liberum, productio ignis erit contingens, ſiue neceſſariò ſimpliciter, erit etiam neceſſaria productio: ergo cum immediate applicans obiectum appetitui ſit potentia cognoſcitiua, ſi illa fuerit determinata omninò ad vnum tantum cognoſcendum hic & nunc, & conſequenter ſemper ab extrinſeco determinanda, appetitus etiam erit ab extrinſeco determinatus ad amplectendum, vel reijciendum hic & nunc proponitur. Si vero cognitio habeat facultatem per diuerſa diſcurrendi, & conferendi, acriterque examinandi id, quod proponitur, ac iudicandi ex proprijs principijs, ſiue regulis ſibi alias conſtitutis: vtrùm illud acceptare expediat, vel non expediat, ab intrinſeco erit multo maior indifferentia appetitus ad acceptandum, vel reijciendum, propriaque facultate determinabitur ad executionem operis: & proportionaliter etiam aſſerendum erit indifferentiam voluntatis à facultate rationis oriri.

Immediatè applicans obiectum appetitui eſt potentia cognoſcitiua.

Alia pro cõcluſione ratio à poſteriori.

Moueor etiam, veriſimum eſſe id, quod diximus, nimirum voluntatem indifferentem eſſe omninò, quoniam intellectus habet facultatem illam per diuerſa diſcurrendi cum conferentia & collatione à poſteriori. Quoniam impedita vel ligata facultate intellectus omnino impeditur facultas voluntatis eiuſque indifferentia in exercitio operandi tollitur, vel ligatur, vt conſtat de hominibus recenter natis propter nimiam humiditatem vel propter aliquam intemperiem organi, vel in actibus primo primis, ſicut etiam omnino toleretur facultas voluntatis ex conſequenti ſi per poſsibile vel impoſsibile omnino repelleretur à ratione tota facultas &c. ergo vere huiuſmodi facultas & indifferentia voluntatis pendet & oritur à facultate intellectus, cum illa etiam reſtituta, voluntatis facultas integre reſtituatur.

Recenter nati propter nimiam humiditatem ligatum habent intellectum.

Dices facultatem voluntatis idcirco tunc impediri, quia non poteſt libere imperare ac mouere intellectum non bene diſpoſitum, quo medio debet alias etiam potentias mouere. Sed contra. Nam aliud eſt voluntatem ſe ipſam liberè mouere, aliud verò potentias mouere à ſe diſtinctas. Rurſus aliud eſt inferiores potentias liberè mouere de facto, aliud autem libere velle mouere illas: ergo etiam ſi voluntas non poſſet tunc efficaciter mouere intellectum delirantem, neque impeditum, neque medio illo alias vires animæ, libere tamen poterit velle mouere illum, & alias potentias, quamuis illæ voluntatis imperio non ſtatim obedirent, vt de facto ſæpiſsime cõtingit nos velle libere diuertere, & dimouere intellectũ ab aliqua apprehenſione, vel cognitione, vel ab aliquo iudicio euidenti vnius partis in oppoſitam inclinare, nec tamen poſſe. Præterquam quod euidens eſt non adeò rebellem eſſe intellectum, quin ſæpiſsime voluntas illum inclinare poſsit, in quam voluerit partem, vt in pueris contingere ſolet, cum in illis nullus motus eſſe poſsit, qui ab appetitu non procedat, qui eſt principium motus. Vlterius tamen dato, quòd in huiuſmodi euentibus non poſſet voluntas velle mouere alias potentias ſibi ſubiectas, dubium non eſt quin poſſet ſaltem ſe ipſam mouere abſolute diligendo, vel reijciendo obiectum ſibi ſubiectum hic & nunc, nihilque omnino præcipiendo intellectui, alijs ve potentijs: ergo tunc maneret vere libera voluntas quoad hos actus omnino interiores, poſſetque ad aliquem illorum præcepto obligari, cum ſæpe etiam teneamur ad huiuſmodi actus mere interiores, & de facto teneatur quiſque legem omnibus impoſitam, ſibique notam quoad potuerit implere, quæ omnia vt minimum in actibus primo primis apertè ſunt falſa: ex communi enim ſententia & ratione patet nullo pacto poſſe tunc voluntatem non amare illud obiectum quod proponit intellectus, quando fiunt actus primò primi, peccaret enim ſi alias poſſet: In pueris verò & amẽtibus rationi communique Theologiæ minus conſonant, vt pleriſque videtur ex authoribus Scholaſticis.

Replica contra ſolutionem propoſiti argumenti.

Sæpe contingit nos velle liberè dimouere intellectum ab apprehenſione alicuius obiecti, & tamen non poſſe.

Dices tamen idcirco voluntatem tunc impediri, & neceſsitari, quia intellectus non debite proponit obiectum, cum ea ſcilicet indifferentia, quæ oritur ex propria ipſius facultate comparandi vnum cum alio, & conferendi &c. iuxta ea, quæ dicta ſunt in ſuperioribus: eamque dependentiam potius eſſe, vt à cauſa ſine qua non. Sed contra hoc eſt. Quia ſi indifferentia voluntatis non penderet ab indeterminatione & facultate intellectus collatiua, ſed à ſola voluntate præciſe oriretur, non eſſet adeo neceſſaria ſolutio facultatis intellectus, ipſiuſque conferentia, & radicalis indifferentia, ad hoc vt voluntas eſſet omnino libera, ſed ad exercitium propriæ libertatis abunde ſufficeret ab intellectu præſentari aliquod obiectum ex ſe non neceſsitans. Videbimus autem id minime ſufficere, ſed ad hoc vt voluntas libere operetur non minus eſſe neceſſarium, vt intellectus ſit ſolutus ad indifferenter proponendum, quàm in naturalibus, igne v.g. ad hoc vt effectus ſit contingens, neceſſarium ſit vt determinans ignem ad comburendum hic & nunc ſit liberum, aliter enim nulla erit contingentia, vt fatentur omnes, & vt manifeſte oſtenſum fuit in primo modo dicendi pro

Solutio, quæ adducitur, impugnatur

ſenten-

tentẽtia Scoti: ergo sicut in naturalibus cõtingentia non refunditur in solam causam effectiue producentem ipsum effectum particularem, sed primariò refertur in causam liberè applicantem & determinantem ad agendum hic & nunc, & circa hoc passum potiùs, quàm circa aliud, ita etiam indifferentia volũtatis, quæ est moralis contingentia non debet nec potest referri ad solam voluntatem vt in causam propriam illius, sed etiam & primario ad intellectum, vt in propriam radicem & originem seu principium, si dicas ignem & similes causas naturales ex se esse omnino determinatas ad operandum, & idcirco omnino necessitari, cum applicans necessarium est, illamque in determinationem siue contingentiam in agendo solùm prouenire ab applicante, & in illud refundendam esse: voluntatem autem esse natura sua indeterminatam, & liberam, atque ita licet necessitetur, dum necessitatur applicans immediatum, quod est intellectus, adhuc tamen posse & debere in solam illam refundi in determinationem siue indifferentiam, vt in propriam causam illius. Sed contra hoc est. Quia si non minus dependet moralis contingentia siue indifferentia & libertas voluntatis ab indifferentia & facultate intellectus debitè applicantis, quàm contingentia naturalis causæ secundæ à facultate seu libertate applicantis passum, & ex hac dependentia à posteriori cognoscitur applicans causas naturales, nimirum, Deũ esse veram ac propriam radicem & causam naturalis contingentiæ, quæ etiam est necessitate permixta, pari ratione debet colligi ex illa alia dependentia contingentiæ moralis seu indifferentiæ voluntatis à facultate intellectus similis causalitas in intellectu respectu eiusdem. Si enim nulla ratione esset causa, etiam si intellectus necessitaretur liberê posset operari voluntas proportionaliter, atque alij dicunt volũtatem creatam libere operaturam, etiam si diuina voluntas esset agens naturale, dum tamen illa non esset causa primariò determinans voluntates creatas, sed determinaretur ab illis. Hoc enim statuto negari non potest, quin aliqua esset libertas & contingentia in causis secundis, vt superius explicuimus. Rursus secundò non est certum contingentiam naturalem nullo modo refundi in ipsam causam secundam, ignem v.g. sed solum applicans: si enim causa secunda esset omnino omnibus modis determinata ad vnum tantum effectum semper & vbique producendũ nulla esset contingentia etiam ratione applicantis liberi, sicut neque è contra est nunc contingẽtia in causa secunda, cum applicans est omnino necessarium & determinatum ad vnum illud tantum efficiendum. Sicut ergo contingẽtia naturalis, cum qua est physica necessitas, refunditur in secundam causam ex se potentem producere hunc & illum effectum vel alium quemcumque eiusdem speciei. Quia illa non est omnino determinata ad operandum hic & nunc, aut semper, nisi sub naturali conditione, aliter enim nec diceretur nec vere determinaretur ab applicante hic & nunc, & in ipsum applicans, vt in proprium principium huiusmodi contingentiæ: ita prorsus maior illa contingentia & propria, quam moralem dicimus siue indifferentiam absolutè, & si refundatur in voluntatem, quæ ex se est multò capacior & vniuersalior potentia, ac proinde ad plures actus in particulari ex natura sua indeterminata, ideoque libera, tamen in eam solam refundi non debet nec potest, sed etiam in facultatem applicantis, nec minus euidens sit ablata facultate applicantis scilicet intellectus auferri per fectam rationem illam contingentiæ in actibus voluntatis, quàm ablata contingentia & facultate applicantis in naturalibus auferri illam aliam naturalem contingentiam.

Alia solutio euertitur.

Si causa 2. semper esset ad vnũ omnino determinata nulla esset contingentia.

Et confirmari hoc potest. Quoniam idcirco nulla esset moralis contingentia & libertas in actibus voluntatis, si tamen intellectus proponens esset omnino necessitatus. Quia sicut causa naturalis est ex se præcisè determinata ad operandum, cum illi debitè applicatur obiectum, ita proportionaliter voluntas, quæ etiam est quædam natura. D. Damascenus, D. Thomas & plerique alij ex sanctis Patribus, & ex Theologis Scholasticis dicunt de voluntate, quòd natura sua est propensa ac determinata moraliter ad operandum, quoties illi proponitur obiectum cum omnibus circunstantijs moraliter requisitis absque ratione, scilicet mali, vel ostensione defectus, aut maioris boni, aut sine indifferentia: ergo sicut ex ea naturali determinatione potentiæ purè naturalis sequitur à priori naturalem contingentiam non posse refundi in solam causam naturalẽ, sed etiam in causam determinantẽ hic & nunc per debitam applicationem, ita est manifestũ moralem contingentiam, siue indifferentiam voluntatis in exercitio actus non esse deferendam ad solam voluntatem, sed etiam ad intellectum immediate determinantem hic & nũc per moralem ac debitam applicationem obiecti sub ijs circunstantijs &c. Atqui certum est causam applicantem in naturalibus, quamuis sit mera conditio, vel causa, sine qua non respectu entitatis actus producti, in quem nullum habet physicum influxum, tamen respectu cõtingentiæ eiusmodi actus esse veram ac propriam causam: ergo similiter verum est, quòd licet intellectus applicans moraliterque determinans voluntatem, non sit vera causa realiter comproducens actum voluntatis (quamuis id plures Theologi asserant) tamen respectu moralis contingentiæ, & libertatis eius modi actuum veram ac propriam voluntatis rationem habere.

Cõfirmatur ratio supra posita.

D. Damascenus.

D. Thom.

Et confirmari hoc potest vlterius. Quoniã mera conditio nunquam influit in actum, in hoc enim distinguitur ab eo quod aliqua ratione est vere & propriè causa: atqui intellectus vere influit in actus liberi arbitrij, pro vt talis

Cõfirmatur 2.

eſt: ergo aliquo modo eſt cauſa illius ſiue radix indifferentiæ, quod idem eſt. Minor probatur. Nam licet intellectus non concurrat effectiue ad entitatem actus voluntatis, ſiue neceſſarij, ſiue liberi, concurrit tamen, vt minimum ad ordinem & directionem illius, quod eſt formale in actu libero, vt expreſſe dixit Sanctiſsimus Præceptor 1.2.quæſt. 13.art. 1. loquens de electione, quæ eſt formaliſsimus actus liberi arbitrij vt ſuperius tetigimus.

Alia ratio à priori oſtẽdens veritatem intentã.

Ratio à priori, quæ oſtendit voluntatem eſſe indefferentem: quia intellectus habet facultatem cum collatione & conferentia, ſeu facultatem proponendi plura, ordinandique & comparandi ea &c. eſt. Quia voluntas de ſua natura eſt inclinata ac determinata moraliter ad amplectendum bonum ſibi propoſitum cõueniens ſuæ ſubſtantiæ & naturæ: ergo ex natura ſua non eſt moraliter indifferens originatiue ad non amplectendum bonum illud cum ſibi proponitur: ergo neque poteſt moraliter non amplecti bonum ſuæ ſubſtantiæ debitè propoſitum, quantum eſt ex parte ipſius volũtatis ſolius, aliter non eſſet determinata moraliter: ergo quòd voluntas aliquando de facto non amplectatur hoc vel illud bonum ſibi propoſitum, non prouenit ex ſola natura ipſius voluntatis, ſed aliunde etiam, ex eo nimirum quòd illi bono annexum ſit aliquod malum, ſiue incompoſsibilitas cum alio maiori bono, ſeu defectus & inſufficientia, quæ omnia ſolum applicans oſtendere poteſt: ergo neque ea facultas voluntatis, quam dicimus indifferẽtiam, quæ eſt etiam ad reijciendum quodcumque bonum ſibi propoſitum, prouenit illi ſolum à propria natura, ſed etiam ab aliquo alio à voluntate diſtincto: ergo præter voluntatem datur alia radix indifferentiæ requiſitæ ad liberum arbitrium: hæc autem nulla alia eſt quàm inſufficientia ſiue inefficacia obiecti, & indifferentiæ eius, cum facultate intellectus potentis diuerſimode proponere efficaciam aut inefficaciam obiecti cum quadam collatione & conferentia: ergo &c. Minor probatur ſpecialiter de intellectu. Quia voluntas ipſa ex ſe moraliter non poteſt non amplecti bonum ſuæ ſubſtantiæ, ſi proponatur vel non debite proponatur: ergo ſi applicans & proponens obiectum, qui eſt intellectus poſsit non proponere, aut proponere ſub his circunſtantijs, quibus ſubſtantiæ ipſi minime congruat, voluntas poterit non amare, ſed reijcere huiuſmodi bonum. Si vero proponens non poſsit non applicare, aut debite proponere, neque voluntas poterit moraliter non amare. Imò vero nec phyſice, ſi applicantis neceſsitas phyſica ſit cum modo quodam neceſſario: ergo vere perfecta illa contingentia & indifferentia voluntatis, quam habet nunc non minus pendet, & oritur à facultate & indifferentia proponentis intellectus, quàm naturalis contingentia à facultate & libertate applicantis paſſum in naturalibus: ergo tandem facultas intellectus radix eſt indifferentiæ voluntatis.

Aduerte & lege S. Tho. 1.p.q.83.

Quòd ſit voluntas moraliter determinata in bonum ſuæ ſubſtantiæ, probatur.

Quod vero voluntas ſit moraliter determinata, & propenſa in bonum ſuæ ſubſtantiæ, conſtare poteſt primò à priori. Quoniam voluntas eſſentialiter eſt appetitus ſubſtantiæ rationalis, ſeu intellectiuæ: ſed appetitus nihil aliud eſt quam inclinatio in bonum illius ſubſtantiæ, cuius eſt appetitus: ergo voluntas non ſolum eſt inclinata, ſed etiam eſt inclinatio ipſa in bonum ſubſtãtiæ intellectiuæ: ergo &c. Neque enim dici poteſt eſſe inclinationem indifferentem ſiue liberam, quod idem eſt, ex eo præciſe, quòd ſit appetitus rationalis. Hæc enim pugnant inter ſe, eſſe appetitum ſiue inclinationem boni ſuæ ſubſtantiæ & eſſe indifferentem reſpectu eiuſdem boni ſuæ ſubſtantiæ. Quoniam inclinatio idem eſt, quòd determinatio, indifferentia verò idem quod indeterminatio, quæ manifeſte opponuntur etiam priuatiue. Item inclinatio tollit indifferẽtiam in eo gradu, in quo eſt inclinatio, indifferentia vero idem omnino videtur eſſe, quòd indeterminatio, quæ non vergit ad vnum, neque inclinat, & ob id dicunt aliqui, quòd inclinatio tollit rectitudinem, & inflexionẽ. Atque ita quamuis voluntas ſit appetitus ſeu inclinatio non determinata ad vnum omnino, vt grauitas, & alij appetitus naturales, neque ad vnum ſingulare tantum ſiue ſingularia plura, vt appetitus ſenſitiuus, ſed ſit inclinatio in bonum vniuerſale, hoc tamen non tollit, quin ſit inclinatio, & propenſio ipſa ſubſtantiæ rationalis, non ſolum in bonum illud vniuerſale, in quod eſt ſimpliciter determinata inclinatio, ſed etiam in bonum quodcumque ſub vniuerſali bono contentum, in hæc tamen moralis ſolum inclinatio ſit, eo quod impediri poſſet multipliciter.

Ideo Beati ſimpliciter neceſſario diligunt Deũ, quia in eo impoſsibile eſt apparere malum.

Iam vero id ipſum à poſteriori oſtendere poſſumus, ſcilicet quod voluntas ita ſit inclinata & propenſa, ex eo quod cõmunis Theologia docet in materia de beatitudine, ideo nimirum voluntatem ſimpliciter neceſſario diligere Deum clare viſum quia ſimpliciter eſt impoſsibile in eo apparere aut reperiri malum, vel defectum bonitatis, vel bonum aliud excedens extra illud, vel quia quo maius fuerit bonum voluntati obiectum, eò magis eam inclinat, ſeu determinat, atque ita ſummum bonum ſumme inclinat, determinat & neceſsitat, vt S. Thomas & diſcipuli eius cõmuniter dicunt: vel quia ſummum bonum non poteſt ſumme determinare, inclinare, aut neceſsitare vt aliqui iuniores cenſent. Prima enim ratio, vt vim habere poſsit, quam & habet maximã cui innititur, quòd voluntas non poteſt non amare bonum, dum non oſtenditur illi defectus, impoſsibilitas, aut difficultas, vel ratio mali in eo, quod vt principium omnino certum ſæpe ſupponit S. Thomas cum pleriſque authoribus ſuæ familiæ ſuperius relatis, ſed in ſummo bono neque oſtenditur, neque oſtendi poteſt ratio mali vel defectus alicuius bonita-

tis: ergo voluntas nulla ratione potest non amare illud: ergo necessariò amat, hoc autem manifestè includit prædictam inclinationem & determinationem voluntatis in bonum, illi que innititur: ergo. Secunda ratio similiter supponit hanc maiorem, seu antecedens positum. Bonum determinat voluntatem ad sui amorem, & maius bonum inclinat & determinat magis ad eumdem amorem &c. Quod quidem inuoluit necessario etiam prædictam inclinationem ac determinationem voluntatis, alias nullius erit momenti. ergo. Tertia autem ratio eidem etiam principio debet inniti. Nam si semel constituas voluntatem omnimodo indifferentem ex se in bonum sui subiecti, siue in bonum absolute, vt præsentatum amet, vel non amet illud ex propria libidine, & mero beneplacito, absque vlla alia limitatione, seu explicatione, idem etiam videtur esse concedendum respectu summi boni clare visi: quod necessario amandum est, si ametur vt bonum ipsi diligenti, quamuis propter Deum amatum, quod non addit voluntati inclinationem, aut determinationem aliquam: idemque videtur dicendum, etiam si asseratur obiectum amoris solum esse bonum absolute, de quo alibi agetur. Si autem concedas voluntatem indifferentem esse etiam respectu summi boni, consequenter negandum est illud etiam obiectum clare visum necessariò diligi à voluntate, vt ea suppositione facta intulit & negauit Scotus, & sequaces eius in materia de beatitudine. Si vero dicas Deum simpliciter necessario diligi in patria, quia est summum bonum substātiæ dilectiuæ: vel quia est summū bonū absolutè, consequenter etiam concedendum est quodlibet bonum quatenus bonum aliqua ex parte inclinare ac determinare voluntatē, imò illam esse ex se ita inclinatam & propensam, vt quantum est ex parte inclinationis eius moraliter non possit non tendere inclinatiue in bonum. Tum quia secundum rectam Philosophiam, idcirco summum bonum simpliciter inclinat seu determinat voluntatem, quod est necessitare, quia in eo est vnita virtus seu determinatio, seu determinabilitas omnium bonorū particularium. Si enim bonum particulare ex se non posset saltem moraliter inclinare voluntatem omnia bona particularia simul nihil efficerent ad eam determinandam: vt in gradibus caloris vel alterius causæ actiuæ aut finalis apparet in naturalibus, ex quibus proportionaliter argumentandum est in moralibus, & liberis, vt sæpe tam S Thom. quam Arist. docent: ergo &c. Tum etiam quia si idcirco necessitat, quia bonum: ergo quod libet bonum suo modo necessitabit, aliquam similem inclinationem, seu determinationem inducendo pro ratione bonitatis. Tum denique: quia si ideò summe determinabit, quia summum bonum est, & omne bonum etiam partiale aliquo modo participat rationē summi boni, similiter aliqua ex parte participabit eam vim inclinandi, & determinandi voluntatem, quæ necessario presupponit propēsionē similem in huiusmodi bona etiam partialia, aliter enim determinari non posset voluntas quoad exercitium de quo loquimur, à bono extrinseco quodcumque sit &c. Tādem patet eadem voluntatis inclinatio, siue determinatio in bonum ex eo, quòd, vt omnino certum sæpius docet S. Thom. & communis Scholasticorum sententia, nimirum, actus primo primos voluntatis, cum scilicet ratio subito permota à phantasmate, vt neque deliberaret circa obiectum, aut contra obiectum, quod proponit, neque actum siue assensum suspendere posse, subito etiam mouet ac inclinat, & quasi determinat voluntatem ad eos motus necessarios, eo quòd voluntati tunc simpliciter sit impossibile non operari secundum inclinationem, seu determinationem talis obiecti siue boni siue mali ita propositi, quamuis motus eiusmodi aliquando & sæpissime culpabiles sint & peccata, eo quod ratio vt sæpe docet D. Thom. ac voluntas potuerint eos præuenire experimento: cognita & ablata vel impedita causa, vnde illi proueniant, de qua re alibi fit sermo. Si enim voluntas adeo esset indifferens respectu cuiuscumque boni particularis secundum se nulla ratione posset ita inclinari, & determinari, & obligari ab illo bono sibi proposito, etiam repente, vt illam non posset tunc vel actum omnino continere, vel oppositum v. g. nolitionis elicere cum ad nullum actum efficiendum, vel ad oppositum illius, quem elicit, non requiratur plus temporis, quàm ad actum ipsum, quem necessario elicit. Quilibet enim fieri potest instantanee: nisi ad libertatem necessariò deberet præcedere deliberatio soluens & moraliter etiam inclinans & determinans voluntatem: cum neque etiam breuitas temporis maiorem necessitatem, siue determinationem imponat ea, quam voluntas haberet ex se, nec obiecto maiorem cōferat vim ad determinandam voluntatem, cum neque illi addat bonitatem, nisi per accidens & quasi negatiue, nimirum impediendo rationem ne ostendat in eo defectum aliquem vel aliud bonum maius, quod nullo modo sufficeret, nisi ipsa volūtas ex se esset ita propensa in huiusmodi bona, vt nec posset non amplecti illa nisi propter malitiā, aut defectum maioris bonitatis &c. ergo vere ita contingit cum nulla alia sufficiens ratio huius reddi possit.

Nam si dicas tunc voluntatem necessariò operari, quia non proponitur obiectum modo proportionato ad actum liberum, redeunt statim prædictæ rationes, cum enim voluntas non habeat indifferentiam requisitam ad operandum libere, cum obiectum non proponitur modo proportionato ad libertatem, & id quod deest ad illam proportionem in actibus primo primis, nihil aliud sit, quàm illud obiectum proponi, aut saltem posse proponi, tūc vt bonum deficiens, vel minus bonum, quàm

aliud,

Bonum determinat voluntatē ad sui amorem.

Scotus.

In summo bono est vnita virtus omnium bonorum particulariū.

Aduersus hanc solutionem militant omnes rationes à nobis factæ.

aliud, quod à ratione præſtandum erat (ſi enim ea ratione proponeretur, aut proponi poſſet eo breuiſsimo ſpatio ſecundum omnes libere operaretur voluntas humana, ſicut operatur Angelica, eo quòd omnis intellectus inſtantaneè, & vnico actu deliberaret) manifeſte ſequitur voluntatem ex ſe non eſſe indifferentem, ſed moraliter determinatam tunc, aut phyſice ad amandum obiectum propoſitum, niſi illi proponatur, aut eo ipſo tempore poſsit proponi ſub aliqua ratione mali, ſeu defectus, vel minoris boni, & conſequenter eam eſſe naturaliter propẽſam, vt diximus in quocumque bono ſuæ ſubſtantiæ conſentaneo, cuius eſt appetitus: & ſi non naturalis aut determinatus ad vnum vel ad ſingulare tantum: ſicut eſt appetitus bruti, eo quòd eiuſmodi bonum, in quod inclinatur neque eſt vnum tantum, neque ſingulare, ſed multiplex & vniuerſale bonum: inde enim oritur primario eius indifferẽtia & libertas vt tetigimus, cum inde etiam ſit poſſe diuerſimode proponi, & voluntatem ipſam diuerſimode moueri & ſe mouere. Vnde etiam vltimo ſequitur eam indifferentiam, quam habet libera voluntas, etiam oriri ab eo, qui nunc hoc, nunc vero illud bonum ſub hac vel ſub illa ratione cum quadam conferentia illi poteſt proponere, qui eſt intellectus & ratio.

Quorumdam concordia circa diuerſos modos dicendi ſuperius traditos.

NON nulli ex iunioribus huius ætatis cõtenduntconcordare varios dicendi modos, quos ſupra retulimus cum ſententia D. Thomæ & noſtra, quos decreui hoc loco adducere vt ingenioſus lector eos perpendat, & animaduertat, vt ſi quid in eis inueniat iuxta viam rectam Sanctiſsimi Præceptoris id amplectatur & recipiat, reliqua autem quæ diſſident à ſententia Sanctiſsimi Præceptoris ea relinquat, conuenientiori loco examinanda. Nam & nos etiam fuſius & conuenientius de eis agemus in diſputatione de diuina prædeſtinatione & in diſputatione de ſcientia media, de diuinis auxilijs.

Prima ſententia iam ſupra in hac ſectione poſita.

Fuit ergo prima ſententia in exordio huius ſectionis relata, indifferentiam voluntatis, & arbitrij quoad exercitium (de qua re fuit præcipuus ſermo) à nullo alio præter voluntatem oriri, ſiue dependere. Hæc ſententia oppoſitum habet fundamentum cum fundamento D. Thomæ. Nam dicit voluntatem ſecundum ſuam naturam ita eſſe ſumme indifferentem reſpectu cuiuſcumque boni, vt non oriatur eius indifferentia ex alio principio aut origine. At verò ſententia S. Thom. huc vſque recitata quæ eſt valde rationabilis, pendet ex oppoſito fundamento, vt vidimus, oſtendentes inſitam eſſe propenſionem, determinationem que moralem, & inclinationem ipſi voluntati in quodcumque bonum ſuum ſibi conueniens, & ſuæ ſubſtantiæ, ſi non appareat in illo aliqua ratio mali inſufficiẽtiæ, vel defectus boni tatis, vel maioris bonitatis, aut difficultatis aut impoſsibilitatis: ac proinde indifferentiam voluntatis ab alio oriri. Quod quidem principiũ & fundamẽtum ſupponunt diſcipuli D. Tho. cum eodem Sanctiſsimo Præceptore, vt dictum eſt ſupra. Quod etiam fundamentum & principium admittere debuit Scotus pro ſecũda ſententia & modo dicendi citatus, vt vera eſſe poſsint aliqua, quæ ille ibi docet, quamuis oppoſitum ipſe videatur ſequi. Neque enim mirabile eſt hoc, ſi in re difficillima in qua etiam ex grauioribus authoribus, vix vnum reperies inter Scholaſticos, qui ſibi cohærentia ſemper aſſeruerit, D. Thomam excipio, in omnibus ad libertatem ſpectantibus, ſemper eumdem, & in doctrina patrum conſtantiſsimum.

Hoc autem principio conſtituto dicunt recentes Theologi huius ętatis, præcipue in manu ſcriptis, non eſſe valde difficile oſtendere qua ratione optime cohæreant inter ſe modi dicendi ſuperius adducti cum noſtra ſententia, aut ſingulorum veritatem exponere. In primis enim cũ volũtas, quæ ex natura ſua eſt inclinatio, ita ſit ex ſe ipſa inclinata & propenſa in quodcumque bonum ſibi conueniens, ſeu in quodcumque bonum ſuæ ſubſtantiæ, & ſui ſubiecti, vt non poſsit moraliter non amare illud, ſi tamen nulla in eo oſtendatur ratio mali vel defectus maioris bonitatis &c. ſequitur aperte primariam rationem & per ſe, quare voluntas poſsit non amare hoc, vel illud bonum particulare eſſe, quia quodlibet illorũ ex ſe eſt inſufficiens, vel defectuoſum, vel coniunctum cum aliquo malo, vel difficile valde cum alijs comparatum, vel alijs incommodis admixtum (cum his omnibus deficientibus, & ſumma ratione bonitatis inuenta in obiecto ex natura rei nulla relinquatur voluntati actualis indifferentia) & conſequenter hanc eſſe primam radicem indifferentiæ voluntatis. Nam cum tota ratio potentiæ primario ac per ſe à ratione obiecti ſit deſumenda, obiectum verò voluntatis ſit bonum, etiam particulare bonum, ſequitur primo eam indifferentiam ſiue indeterminationem voluntatis, quæ oritur à ratione boni propter inſufficientiam, & inefficaciam illius, vel propter defectum aut malitiam admixtam, in quibus includitur indifferentia ad determinandam voluntatem, eſſe omnium primam, obiectumque ipſum habere primariam quamdam radicem indifferentiæ requiſitæ ad liberum arbitrium: cui non contradicunt alij modi dicendi vt inferius explicabitur ex ſententia iſtorum authorum. Sequitur ſecundo obiectum ratione ſuæ inſufficientiæ aut defectus eſſe radicem illius indifferentiæ voluntatis in genere cauſæ obiectiuæ, ſeu vt alij dicunt, in genere cauſæ fina-

lis, vt tactum est suprà in secundo modo dicendi, cum finis voluntatis sit idem quod obiectum ipsius, modo alibi explicato à iunioribus.

Perpendendus est iste discursus.

Rursus cum obiectum siue bonum se ipsum præsentare non possit voluntati, aut gradum propriæ bonitatis vel insufficientiæ in se ipso, vel cum alijs comparato ostendere, neque volũtas sibi ipsi possit sub his rationibus obiectum applicare aut proponere sibi, cæca enim est potentia voluntatis, nec de coloribus vt aiunt, bonitatis vel malitiæ per se ipsam iudicans: sequitur voluntatem non ideo solum posse amare, aut non amare hoc vel illud bonum hic & nunc, quod est esse indifferentem, quia hoc vel illud bonum est de se insufficiens, aut defectuosum, vel minus bonum quàm alia: sed etiam & immediatius, quia intellectus habet facultatem sub hac vel illa ratione mali, vel deficientis boni proponendi voluntati. Si enim volũtati sub tali ratione præsentari non possit, quantumuis bonum in se esset insufficiens aut defectuosum: tunc aut non operaretur voluntas, vt cernimus & experimur, cum nihil illi proponitur, aut operaretur simpliciter cum quadam necessitate, si obiectũ quamuis non esset in se omninò bonum, nulla illi ostenderetur ratio mali aut defectus, vt in actibus primò primis forte contingit, vel siquis apprehẽderet falsò summam rationem bonitatis in re aliqua creata, ita vt in ea malum minime inueniret, tunc enim efficacissime intelligeret & propone ret. Hoc enim sequitur proportionaliter ad ea, quæ dicuntur in materia de beatitudine. Quamuis eiusmodi apprehensio in nullo reperiri possit de facto propter sensuum saltem defatigationem, vel tandem secundum aliquos vt contingit in pueris & amentibus, eo quod discernere minime valeant quid bonum, quid verò malum sit.

Volũtas potentia cæca per se ipsam non iudicãs de obiecto.

Cum igitur applicans obiectum voluntati non sit vnum tantum, nempe intellectus, sed duplex, vnum quidem immediatum, nimirum ipse intellectus, non solum spiritualiter cognoscens obiectum, illudque reddens proportionatum, & immediate præsens appetitui rationali, sed etiam propria facultate & quasi pondere liberans, & examinans quodcumque bonum sibi obiectum, in illoque ipsi voluntati, vel alijs bonis à voluntate prædilectis comparato, iudicans esse hunc vel illum gradum bonitatis aut malitiæ, & secundum eum primariò mouens ac determinans ad amorẽ vel odiũ &c. Aliud verò applicans esse vere primarium nimirũ Deũ, tanquã causam primam liberè mouentem & applicantem intellectum ipsum ad cognoscendum, nunc hoc, vel illud sub tali, vel tali ratione, vel sub tali gradu bonitatis: idque Deum efficere vel ea ratione disponendo vel permittẽdo disponi causas secundas, & obiecta extrinseca, vt tali tẽpore taliter immutent sensus externos istius vel illius hominis in tali vel tali loco & circũstantijs existentis. Sẽsus autẽ sic immutati nõ possunt nõ immutare est materiã, seu phãtasiam, quæ sic etiam immutata similiter excitat intellectum ad hoc vel illud cum ea ve maiori attentione intelligendum, vt præter alios docet S. Thom. 1. 2. quæst. 109. art 2. & 3. contragentes cap. 83. & 91.

Applicans obiectũ respectu volũtatis duplex est, intellectus scilicet & Deus.

Itaque cum sint duæ causæ proponentes seu applicãtes obiectũ volũtati, diuina nimirũ volũtas & creatus intellectus, sequitur ab his duobus etiã pendere & oriri solutionẽ, atque indifferentiam, siue facultatem voluntatis: nimirum à voluntate diuina infinite efficaci & libera, vt à primo applicante, quod videtur voluisse S. Thomas vbi de eiusmodi motione causæ primæ loquitur. Si tamen addas, diuinam voluntatem ipsi volunt ti nostræ creatæ affectiones aliquas imprimere in hoc vel aliud bonum inclinantes, easque imprimere se ipso producente immediate; Authores vero qui sequuntur priorem modũ dicendi, quamuis aliquando videantur asserere diuinam voluntatem esse primam causam absolute indifferẽtiæ libertatis creatæ, id quidem non est intelligẽdum in quolibet genere, sed in genere causæ efficientis, & in genere etiam applicantis, quod ad efficientem reducitur: id enim de impressione inclinationis explicari solet à multis. A proprio vero intellectu vt ab immediato applicante socio, & vniuoco eidem volũtati, ac sub diuersa ratione proponente obiectum, quod discipuli D. Thomæ insinuarunt. Legendus est S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. ad 1. & clarius in plerisque alijs locis infra citandis. Inquit igitur S. Thomas in prædicta solutione, hominem esse dominum suorum actuum, nimirum volendi, & non volendi propter deliberationem rationis, quæ potest flecti ad vnã partem vel ad aliam, quod vero deliberet vel non deliberet quamuis etiã huius sit dominus, tamẽ oportet (ait) quod hoc sit per deliberationẽ præcedentem, & cum hoc non procedat in infinitũ, quod tãdem deueniatur ad hoc, quod liberum hominis arbitrium moueatur ab aliquo exteriori principio, quod est supra mentem humanam, nimirum à Deo vt Arist. li. 7. moralium ad Eudemum dixit cap. 18. de bona fortuna. Quocirca mens hominis etiam vtentis ratione, qualis est hominis sani non ita dicitur habere dominium sui actus, vt non indigeat moueri à Deo, & multò magis liberum arbitrium hominis infirmi post peccatum, per quod impeditur à bono per corruptionem naturæ. Ecce quo pacto ex sententia D. Thom. etiam homo habens liberum dominium depẽdet à motione Dei circa liberum arbitrium, & ab applicatione eius à suaque diuina voluntate diuinæ efficaciæ.

Imprimit Diuina voluntas creatæ voluntati affectiones aliquas in obiecta.

S. Thom.

Arist. ad Eudemum.

Et quamuis possit videri alicui causam siue radicem indifferentiæ omnium primam præter voluntatem (de hac enim non est modo sermo, an sit prior suo obiecto, vel

Quid dicere possint aduersarij.

è contra)non eſſe conſtituendam, indeterminationem ſiue in efficaciam & defectum obiecti, ſed potius facultatem intellectus, cum bonum non ſit obiectum voluntatis, pro vt eſt in ſe præciſe, ſed pro vt in intellectu: nec inſufficientia aut inefficacia obiecti pro vt eſt in ſe tantum aliquid referat, ſed pro vt eſt ab intellectu cognita & iudicata, vt paulò antea dictum eſt. Vel ſecundo ſaltem Deum eſſe primam radicem abſolute & ſimpliciter: cum ille ſit qui mouet & applicat intellectum primario, qui etiam facit æterna ſua diſpoſitione res ſic vel aliter operari, vel aliter apparere intellectui, quantum eſt ex parte obiecti, & immediate poteſt applicare voluntatem abſque præuio intellectus concurſu &c.

Hæc tamen omnia dicunt recentes Theologi quòd quamuis vrgeant non concludunt: Quia cum intellectus per ſe loquendo & ex natura rei (non enim ſtandum eſt erroribus, qui poſſunt contingere in cognoſcendo hoc vel illud, ſed recta exiſtente & vera ratione cognoſcente) cum intellectus inquam id circo apprehendat & proponat hoc vel illud vt bonum, quia illud eſt in ſe bonum, & in eo gradu bonitatis, quem in ſe habet, ſequitur ex natura rei prius eſſe obiectum eſſe bonum in ſe, quàm ſic apprehendi ab intellectu ideoque obiecti inefficaciam primam eſſe radicem abſolute. Si enim omnia quæ cognoſceret intellectus adeo eſſent bona, vt Deus clare viſus, nulla in eo eſſet facultas, nullaque indifferentia ad iudicandum hoc vel illud eſſe diligendum hic & nunc. Vnde nulla etiam foret libertas in voluntate ex natura rei loquendo, licet per accidens aliquando contingere poſſet, eam indifferenter ferri propter errorem mentis. Bonitas autem, quæ mouet voluntatem eſt bonitas ipſius rei, quamuis vt eſt extra mentem non ſit proportionata vt communiter dicitur. Et ſpecialius, quamuis obiectũ voluntatis nõ eſſet, niſi bonitas ſpiritualis exiſtens in mente, cum illa vt ſic ſit prior intellectu vt applicante illam, & media illa, mouente voluntatem: ſicut etiam & facultas proponendi, ſaltem natura poſterior eſt facultate cognoſcendi, & prius ſit obiectum exiſtere in intellectu ſub tali vel tali gradu bonitatis, quàm præſentari, aut proponi voluntati. Ideo enim intellectus taliter proponit, & per illud mouet, quia obiectum etiam vt eſt in cognitione, tale eſſe, & talem gradum bonitatis habet, ſequitur inefficaciam obiecti etiam vt ſic, eſſe primam radicem ſimpliciter & abſolute ſolutionis atque indifferentiæ voluntatis, & conſequenter non tantum facultatem intellectiuam eſſe primam radicem, ſed etiam hanc inefficaciam obiecti, iuxta ea quæ authores citati ſentiunt.

Obiecti in efficaciã qua ratione poſſit dici radix indifferentiæ.

Secundũ verò quod obijcitur, tantum oſtendit Deum ex natura rei, & ſecundum naturalem curſum, eſſe primarium applicans ſeu proponens, et ſi infallibilis ſit in ſuo genere & modo, quod quidem nos concedimus. An verò obiectum voluntatis, poſsit immediate proponi à ſolo Deo abſque intellectu noſtro, alibi dicemus. Nam hæc quæ nunc dicebamus de conuenientia & concordia illorum recentiorum dicta ſunt.

His igitur conſideratis facile cognoſci & perpendi poteſt qua ratione diuina mens, nimirum intellectus & voluntas Dei, rebus humanis & angelicis & pro ſuo beneplacito & arbitrio prouidere poſsit, finemque à ſe intẽtum in quauis creaturarum diſpoſitione ſiue actione fortiter attingere, ſuauiter tamen diſponendo omnia: de qua re nos plura diximus tam in commentarijs 1. part. quam etiam in ſuperioribus. Hac etiam ratione intelligitur etiam, qua ratione optime cohæreant ea, quæ docuit Sanctus Thomas in materia de gratia, nimirum liberum arbitrium medijs ſupernaturalibus auxilijs regi ſuauiter, & infallibiliter, Deumque ſuauiter, & infallibiliter etiam inclinare, & mouere ipſum in quamcumque partem cum quadam motione, & dependentia ab intellectu, & iudicio libero à motiuiſque moralibus. Rurſus intelligitur qua ratione in materia de prædeſtinatione Deus nullis nimirum præuiſis operibus futuris aut determinate futuris ordinauerit aliquas ex creaturis rationalibus, & intellectualibus in vitam æternam per media, quæ Deus præparauit conuenientia, & certa. Nam diuina prædeſtinatio eſt præparatio beneficiorũ Dei, perquæ certiſsime liberantur quicumq; liberãtur, vt optime D. Auguſt. dixit. Vnde prædeſtinatum ducit Deus, & præordinat per certam ac determinatam quaſi ſemitam bonorũ, ſiue mediorum actuũque eliciendorum à creatura, per ordinatiſsimã ſeriem. Alios vero nullis ſimiliter operibus determinate futurisab ipſo præuiſis permiſit deficere, eoſq; cõſtat in alia reliquiſſe ſemita, ſiue operũ aut circunſtiãtiarũ ſerie, nec cõferendo eis protectionẽ per ſeuerãtiæ: ſed ſinendo eos agere, ita vt eos defacto errare permiſerit, quia ſic placitũ fuit in diuino conſpectu Dei. Quanuis non fuerint illi placita peccata eorum, libere ab eis cõmiſſa.

Quomodo Deus pro ſuo beneplacito rebus humanis & angelicis prouidere poſsit.

Ex dictis etiam conſtare poteſt, qua ratione diuinus intellectus cognoſcere poſsit actũ voluntatis futurum, nimirum quia poteſt diuina voluntas vnum, vel omnes actus voluntatis creatæ bonos cum omnibus ſuis circunſtantijs loci ac temporis prædefinire, etiam ſi ante eiuſmodi prædefinitionem nõ præuidiſſet determinationem voluntatis futuram determinate in his vel illis circunſtantijs poſsibiliter futuris. Ex quo etiam fundamento poteſt intelligi qua ratione ducantur diſcipuli D. Thomæ dicentes Deum prædefiniuiſſe reuera non ſolum quæ in tempore fiunt ante vllam præuiſionem futurorum, ſed etiam omnes actus bonos, præcipue ſupernaturales ante præuiſionem, quia hæc eſt poſt decretum diuinæ voluntatis, & diuini intellectus. Quam etiam

Qua ratione intellectus Diuinus actum voluntatis futurũ cognoſcere poſsit.

prædiffinitionem actuum liberorum tenetur fateri Scotus si consequenter loquendum est ad ea, quæ docuit in primo modo dicendi pro secunda sententia.

Rursus etiam intelligitur qua ratione non solum aliqua Christi Domini opera, verum etiam omnia ipsius opera fuerint à patre prædefinita, ita vt omnia disponerentur non solũ secundum actiones, sed etiam secundum circũstantias, & singula momenta, in quibus erant eliciendæ, quæ sane fuerunt illi præscripta & dispositа respectu voluntatis eius: de qua re dicemus fusè suo loco.

Verum alij ex eodem principio aliter colligunt, qua ratione diuinus intellectus possit cognoscere actum voluntatis futurum vel nõ futurum, nimirum in determinatione quarumlibet circunstantiarum: circunstantiam autem voco non quidquid concomitanter aut simul cum alio coexistere potest eidem tempori vt quòd dormiente Turca ego sim Salmanticæ, aut similes alias complexiones rerum inter se omnino disparatas, minimeque cohærentes aut connexionem habentes cum voluntate, quas saue nonnulli recentes Theologi circunstantias vocare solent, nomine ipso meo iudicio abutentes, vel illud ad nouum significatum trahentes. Quocirca circunstantiæ solum illę dicuntur cum communi Scholasticorum sententia, quæ voluntatem aliquo modo circunstant, illam videlicet vel ad operandum inuitantes vel retrahentes ab operatione, & quæ bonitatem vel malitiam obiecti immutant aliqua exparte, vel constituunt, & quæ ad determinationem vel indeterminationem voluntatis media illarum cognitione conducũt, vt D. Thomas in disputatione de circunstantijs, aperte docet.

Circunstãtiæ illæ dicuntur quæ voluntatẽ aliquo modo circunstant vel inuitãtes vel retrahẽtes ab operatione.

Quorundam Theologorum recẽs sententia.

Quo supposito recens quorumdam Theologorum sententia est, quòd cognita propensione voluntatis naturali, & vi habituum siue affectionum, in hoc, vel illud bonum, habitualiter aut actualiter inclinantium, & cognita etiam efficacia obiectorum, ac circunstantiarum exterius allicientium certissime cognoscet Deus an determinaretur ab illis voluntas ad hunc actum determinatum, alijs omnibus non obstantibus: vel an potius hæreret voluntas: non se determinando ad illum.

Difficilea gumentum contra hãc sententiã.

Quòd si obijcias sequi ex hoc Angelum posse cognoscere cogitationes liberas vniuersorum hominum, quia ipse cognoscit naturalem propensionem voluntatis, & vim habituum siue affectionum in hoc vel illud bonum, & efficaciam obiectorum & circunstantiarum, Respondent Angelum minime posse cognoscere de facto hæc, quamuis omnia naturalia cognoscere dicatur. An verò hoc sit quasi extrinsecè, quia à Deo impediatur, vel quibus rationibus id contingat, vel an solum sit ex natura rei, siue ex natura actuum liberorum, id non dicunt, sed pollicentur se explicaturos in materia de Angelis. Verumtamen in hoc conueniunt ad explicationem præfatæ obiectionis, quòd satis perspecta ratio erit si admittatur in diuino intellectu scientia quædam media, seu scientia, quam vocant conditionalium, per quam Deus cognoscit, quid quæuis causa, siue potentia etiam libera efficeret, aut non efficeret in his vel alijs quibuscumque circunstantijs constituta. Aliter enim circunstantijs nihil omnino conducentibus ad determinationem causæ liberæ, & actuum futurorum, Philosophicum non est quærere, quid in illis, hoc est ex vi illarum faceret, aut non faceret voluntas. Neque aliter existimant authores huius sentẽtiæ recte saluari posse veritatem conditionalis, quæ dum vere conditionalis sensum retinet, vim habet causalis, siue consequentiæ, vt ratio ipsa suadet: atque ita requirit connexionem extremorum, nisi mutato sensu conditionalis, solo nomine, aut materiali terminorum dispositione, conditionalem esse velis.

Quid ipsi respondeãt.

Itaque sentiunt certissimam & indubitabilem esse certitudinem ex prædictis complexionibus, & circunstantijs. Nam si pater, cum filius aliquò est profecturus si præstet illi quoad ipse potest, cognita indole filij & pietate erga parentem ac reuerentia & obedientia, cognitis consilijs & probitate filij cognoscet ea omnia esse à filio infallibiliter exequenda, & liberrime absque vllo etiam periculo, vel suspicione, aut timore opposita. Quamuis pater probè etiam nouerit si innatam dumtaxat filij libertatem attendas, posse pro suo libito præscriptum ordinem inuertere, quacumque alia via aut ratione maluerit, incedendo. Sic proportionaliter discurrunt & sentiunt in Deo euenire. Quoniam diuina voluntas ad hoc vt infringi aut frustrari minimè possit, sufficit abunde (vt dicunt) voluntatem creatam medijs illis circunstantijs, quas Deus cernit, esse infallibilis voluntatis sic affectæ, & consequenter esse omnino in genere moris infallibiliter determinatam, aut determinandam ad certum illum actum eliciendum. Quia si positis illis circunstantijs est infallibile actum esse futurum euidens est scientiam, quæ dicit esse futurum nõ esse fallibilem, sed infallibilem, cum ipsa adeo certa sit sicut eius obiectũ, à quo fallibilitas, vel infallibilitas scientiæ sumitur. Similiterque volũtatem, quæ absolute intendit actum illum determinate per eiusmodi circunstantias, absolute etiam esse infallibilẽ siue infrustrabilem &c.

Si dicas cognitionem hanc non posse dici omnino infallibilẽ: nam infallibilis omnino

cognitio, quæ eſt perfectiſsima, & quæ Deo eſt tribuenda, illa eſt, cui etiam phyſice non poteſt ſubeſſe falſum, infallibilitas verò, quæ Deo tribui debet talis eſſe oportet, vt illi nullo pacto falſum ſubeſſe vlla ratione poſsit. Rurſus etiam dices non poſſe diſſolui obiectionem traditam de cognitione Angeli. Nam ſi ille cognoſcit inclinationem voluntatis, & vim eius, & circunſtantias occurrentes, vimque habituum, & occaſionem temporis & loci cum omnibus alijs, quæ circunſtant opus liberum, ſequitur quòd infallibiliter cognoſcet Angelus cogitationem liberam cordis humani infallibilitate illa morali, qua etiam Deus cognoſcit eamdem cogitationem liberam, atque ita antecedenter ad determinationem voluntatis actualem poterit Angelus cognoſcere liberam cogitationem, ac voluntatis determinationem futuram. Quo fit vt non maior certitudo aut infallibilitas tribuatur cognitioni Dei in hoc, quàm tribuitur Angelo. Nam omnia videntur paria quantum ad hoc. Tandem voluntas etiam poſitis omnibus illis circunſtantijs abſolute loquendo & non obſtante morali illa occaſione temporis aut loci, & circunſtantiarum inuitantium, aut propenſione voluntatis ipſa poteſt reſilire, & manet etiam ita indifferens, vt illis omnibus iam dictis poſsit ſubeſſe falſum: ergo non omnino fit ſatis per ea, que recentiores iſti Theologi dicunt ad ſaluandam omnino infallibilem Dei cognitionem, cui nullo modo poſſit ſubeſſe falſum.

Nota argumentũ quod eſt difficile nimis.

Hæc argumenta, quæ obijciuntur contra aduerſarios valde eos torquent, quamuis plura alia ſint difficiliora, quæ à nobis adducentur in ſuo proprio loco in diſputatione de ſcientia media, & de diuinis auxilijs. Reſpondent tamen qui oppoſitam ſententiam defendunt, quòd cum ſit infallibile illud, quod falſitati minime ſubiacere poteſt, idcirco illud etiam erit moraliter infallibile, ſeu in genere moris, quod in eo genere, hoc eſt ſecundum mores, ſiue ſecùndum conſuetudinem & habitum illius reſpectu cuius aliquid dicitur infallibile, falſitati minime ſubiacere poteſt, atque ita eſſe impoſsibile moraliter, hoc eſt ſecundum mores & cõ ſuetudinem, ſiue ſecundum habitus aut affectiones diſpoſitiuas voluntatis, vt ad præſentiam earum circũſtantiarum non fiat cum effectu actus ille, qui ex vi talium circunſtantiarum erat omnino moraliter infallibilis. Vnde Deo non eſt minus euidens aut certum abſolutè loquendo actum illum eſſe futurum cum effectu, vt aiunt, quàm eſt illi euidens aut certum ignem eſſe producendum tali tempore à tali cauſa ſub his circunſtantijs neceſſariò determinata. Nec minus eſt impoſsibile actum illum moralem cum effectu non poni aut fieri oppoſitum illius, quàm ignem v. g. vel ſimilem effectum naturalem à ſua cauſa determinata: quamuis certitudines iſtæ in alio valde diuerſo genere cauſarum ſint, quæ rationes earum, ſicut & impoſsibilitatis adeo diuerſæ ſunt, ſicut & cauſæ ipſæ, nimirum libera, & neceſſaria, vnde illa ſumuntur. Fit confirmant hoc. Tum quia non minus implicat id quod eſt omnino moraliter infallibile, hoc eſt ſecundum mores & præſentem ſtatum, ſiue diſpoſitionem potentiæ liberæ, non eſſe moraliter, hoc eſt ſecundum eoſdem mores & ſtatum, ſiue diſpoſitionem eſſe infallibile, quàm eſſe moraliter fallibile. Quia infallibile moraliter, vel fallibile eſſe moraliter quod eſt idem, ſecundum eãdem rationem implicat, ſicut id quod eſt phyſice certum, aut infallibile, non eſſe infallibile phyſice, cum quodlibet iſtorum in ſuo genere contradictionem inuoluat: ergo non minus certum eſt id quod eſt moraliter infallibile modo ſuperius dicto eſſe infallibiliter, & cum effectu futurum, quam id quòd eſt phyſice, id eſt neceſſario neceſsitate naturæ futurum, quamuis certitudo ſit in valde diuerſo genere. Patet conſequentia. Quia ſi non eſſet omnino certum id quod eſt omnino moraliter infallibile eſſe futurum cum effectu, euidens eſt illud non eſſe omnino moraliter infallibile, & potius ſubiacere falſitati, quod etſi contra moralem determinationem & infallibilitatem ſit, abſolute inuoluit contradictionem vt dictum eſt. Tum etiam à priori. Quoniam certitudo & infallibilitas effectus ſumitur à certitudine & infallibilitate determinationis ſuæ cauſæ; ſed cauſa illius effectus qua dicitur moraliter infallibilis, videlicet voluntas ſub his circunſtantijs eſt omnino moraliter determinata, vt ſecundum mores & habitus ſibi proprios, propriumque modum operandi ipſius naturæ conuenientem ad præſentiam talium circunſtantiarum, non minus à falſitate diſtet illam cum effectu elicituram eſſe hunc actum determinatum, quam ignem v. g. cum effectu combuſturum eſſe lignum debite applicatum: quamuis hæc cauſet neceſſario, illa vero libere operetur, vt ſtatim dicetur: ergo non eſt minus infallibile & certum cum effectu eſſe ponendum actum moraliter infallibilem, quàm actum phyſice infallibilem.

Probatur aduerſarijs hec certitudo & infallibilitas effectus futuri.

Neque obſtat dicere voluntatem creatã habere phyſicam facultatem ad tollendam eam determinationem moralem, quam ipſamet libere acceptando obiectum ſub ijs circunſtantijs ſibi ipſi impoſuit: cum etiam ſit infallibile eamdem voluntatem, etſi poſsit naturaliter ac phyſice, non eſſe ablaturam eam determinationem, cum illi etiam ſit tunc moraliter, id eſt ſecundum diſpoſitionem liberam, & circunſtantias non minus impoſsibile eam auferre, quam ſit impoſsibile eam ſibi imponere, eo quod ipſa ita velit, vt ſtatim inſinuabitur.

Reſpõdent ad obiectionem.

Certitudo & infallibilitas moralis, quæ in his futuris reperitur, quomodo ab aduerſarijs explicetur.

Rursus respondent, quod ad hoc, vt voluntas libera sit, & liberè exequatur actum à Deo prædefinitum, abunde etiam sufficit, vt neq; coactè, neque absoluta necessitate naturæ ad illud vnum determinantis, eum actum efficiat: quamuis cum morali necessitate proueniente ex morali determinatione per eiusmodi obiecta, & circunstantias in genere moris, ideſt, secundum consuetudinem, & mores siue habitus, ac dispositionem voluntatis, omnino infallibili, inde enim oritur necessitas, quam determinationem ipsamet voluntas sibi imponere voluit, aut volitura est.

Quòd actus moraliter infallibilis coactè non efficiatur.

Quòd verò voluntas actum illum moraliter infallibilem coactè non efficiat præterquàm quòd communiter asseritur esse impossibile voluntatem creatam cogi, de quo alibi diximus, ex ipso modo quo ponimus voluntatem à Deo medijs circunstantijs eam determinare, & etiam seipsam libere determinare ad illum actum constat aperte. Quòd verò ibi non reperiatur, neque sit absoluta naturæ necessitas, aut vis determinans voluntatem, ad illud vnum patet. Quoniam diuina voluntas ex eo quod proponat hoc vel illud obiectum particulare sub his circunstantijs moraliter allicientibus, etsi infallibiliter, non aufert à voluntate creata naturalem capacitatem, quam habet ex se infinitorum bonorum diuersi, vel eiusdem generis cum eo quod proponit. Neque ligat rationem physicè, vt ea bona cognoscere, aut debite proponere possit, ac proinde, neque aufert, neque impedit naturalem siue physicam indifferentiam, aut facultatem voluntatis relinquendi omnino eiusmodi bonum à Deo propositum, aut commutandi illud cum alijs: hæc autem naturalis facultas voluntatis, quam etiam physicam cum communi scholasticorum sententia dicere consueuimus, provt physicum distinguitur contra morale, euidenter excludit naturalem, ac physicam necessitatem, ad illud vnũ necessariò determinantem, cum illi contradictorie opponatur, vt dictum est supra: ergo voluntas non elicit actum circa tale obiectũ à Deo propositum sub ijs circunstantijs ex absoluta naturæ necessitate ad illud vnum determinantis, sed potiùs habet tunc naturalem siue physicam facultatem sibi intrinsecam ad non eliciendum illum actum: quæ (vt dicunt) omnino sufficit ad libertatem voluntatis, quamuis non habeat moralem indifferentiam, siue facultatem moralem, ad non eliciendum eum actum, sed potiùs habeat moralem determinationem, ad illum eliciendum determinate, & infallibiliter, quod etiam ex altera parte sufficit, vt actus sit infallibilis, & diuina voluntas omnino infrustrabilis: sicut enim causa moralis, aut infallibilis determinatio non obest libertati, quia moralis est, hoc est, secundum naturam, mores, ac liberas dispositiones, & affectus voluntatis, ideoque libere à voluntate, sibi ipsi imposita, ita neque physica potentia, siue naturalis facultas volũtatis ad oppositũ inducit frustrabilitatẽ diuinæ volũtatis, cũ ad eã frustrãdã illa sola facultas non sufficiat, sicut neque ad ponendum actum oppositum, sed requiratur etiam ablatio moralis determinationis ab ipsa voluntate libere impositæ per affectus, & circunstantias, &c. Quam determinationem infallibiliter non auferet, quia etsi physicè seu naturaliter possit, moraliter tamen est illi tunc impossibile auferre, quia, scilicet, nollet. Licet enim velle posset absolute, & physicè, moraliter tamen hoc est secundum præsentem dispositionem morum, habituum, siue affectionum liberarum illi est impossibile, eo ipso quod ita velit, &c. Iuxta quæ regulanda sunt cætera omnia circa diuinã prædefinitionem, iuxta sententiam istorum. Per hoc dicunt, quod soluitur argumentum quoddam valde vrgens in hac materia, nimirum. Determinatio diuinæ voluntatis, ac prædefinitio non est posita dependenter à voluntate creata, neque ab ea auferri potest: ergo, &c. Dicunt enim negandum esse antecedens, vt patet. Quia diuina voluntas non alia ratione prædefinit actus morales, nisi dependenter à voluntate creata, & à moribus, liberisque dispositionibus, & affectibus ipsius voluntatis, & à circunstantijs occurrentibus.

Quòd etiam voluntas nõ producat suos actus ex absoluta naturæ necessitate explicat iuxta hanc sententiam.

Ex dictis colligunt authores oppositæ sententiæ aperiri viam inuestigandi rationem, cur voluntas creata in bono confirmari possit, ita vt nunquam etiam venialiter peccet, speciali nimirum dono Dei, & auxilio gratiæ suæ, vt fides docet. Videlicet ea, quæ honesta sunt, & ad salutem conducentia eximio quodam bonitatis splendore intellectui creato eiusque voluntati obijciendo. Quæ verò nocere possint speciali etiã prouidentiæ genere cum ea deformitate, ac turpitudinis specie proponẽdo, vt nulli dubium esse possit, quin illa bona priora etiam semper eligenda, hæc verò reijcienda statim iudicet, cuiusmodi prouidentiæ signum est manifestum, non solum eos, qui ita sint in gratia confirmati, sed qui rarius diuina, scilicet, misericordia, & sanctitate eximia non deficiunt à rectitudine eximiũ etiam habere sensum de rebus diuinis, & ad vitæ honestatem spectantibus. De alijs verò ita demisse, abiectè, turpiterque sentire, vt vel nomen ipsum fastidiant. Quod nullo modo minuit in confimatis libertatem, imò eam specialiter augere videtur, eo quod huiusmodi actiones ex perfectiore procedant deliberatione mentis, promptiorique affectu voluntatis. Sicut neque etiam aufert libertatem remotio occasionum, atque impedimentorum occurrentium, quæ nocere possent si euenirent secundum naturalem cursum, & rerum ordinem.

Secundum hanc sententiam explicatur ratio cur voluntas creata in bono confirmari possit.

Quid Author ſentiat de modo loquendi, & ſentiendi iſtorum recentiorum.

HActenus dictum eſt de modo loquendi quorundam qui ad concordiam voluerũt reducere ſuperiores opiniones adaptãtes præfatas ſententias ſuo ingenio, ſed nihilominus mihi multa videntur difficilia in modo loquẽdi, & ſentiendi iſtorum authorum. Nam quãuis aliqua dicãt probabilia, aliqua vera, & certa, tamen multa alia inuoluunt difficultatibus inuoluta pleriſque.

Primum quod videtur difficile in modo dicẽdi propoſito.

Primum eſt cognitionem Dei infallibilem circa futura libera, fundari, & ſumere infallibilitatis certitudinem in circunſtantijs moralibus, moraliter occurrentibus, & indeterminatione circunſtantiarum occurrentium, quæ voluntatem circunſtant, vel eam ad operandum inuitantes, vel retrahentes. Quia videlicet cognita naturali propenſione voluntatis, & affectionis in hoc aut illud obiectum, & cognita efficacia obiectorum, & circunſtantiarum exterius allicientium Deus certiſsime, & infallibiliter ex his cognoſcit determinationem voluntatis ab illis ad hunc actum determinatum, alijs omnibus non obſtãtibus. Hæc difficultas multò amplius apparet in exemplo adducto ab eis, qui eam certitudinem infallibilitatis in diuina cognitione, comparant cum ea quam habet Pater de filio ſuo in humanis. Dicunt enim, quod ſi filius aliquò eſt profecturus ex patris inſtituto, tunc cognita filij indole, obedientia, reuerentia etiam, & pietate erga parentem probitateque illius infallibiliter cognoſcit ea omnia, quæ illi præceperit, vel præcipit, exequenda eſſe, & liberrime ab illo abſque vllo etiam periculo, vel ſuſpicione, aut timore oppoſiti quamuis pater alias probe etiam nouerit ſi filij libertatem abſolute attendat, poſſe pro ſuo libito præſcriptum ordinem inuertere, quacumque alia via, aut ratione maluerit incedendo. Hac ratione dicunt proportionaliter dicendum eſſe in Deo, quod cur ita ſit eſt obſcurum, & non certum in Deo.

Certa, & infallibilis omnino cognitio illa eſt cui non poteſt vllo modo ſubeſſe falſum, ſcilicet, nec phyſicè, nec moraliter.

Perpendere valde oportet ab his, qui ſequuntur ſcholam Sanctiſsimi Præceptoris Diui Thomæ, an ſola hæc cognitio reddat, & tribuat certitudinem infallibilem omnino, ita vt hæc ſola ſit ratio, cur diuinus intellectus cognoſcat actum voluntatis liberum infallibiliter eſſe futurum, vel non futurum. Nã infallibilis omnino cognitio Dei infinite certa illa debet eſſe cui non poteſt ſubeſſe falſum vllo modo, neque phyſice, neque moraliter. Si enim poteſt ſubeſſe falſum diuinæ cognitioni phyſice ſequitur cognitionem diuinam phyſice non eſſe infallibilem, neque infinite perfectam, & infallibilem. At authores oppoſitæ ſententiæ ſentiunt non requiri certitudinem infallibilitatis phyſice in cognitione, quam Deus habet de actibus liberis voluntatis noſtræ, ſed ſufficere moralem quandam certitudinem, cui etiam ſi poſsit ſubeſſe falſum phyſice, non tamen moraliter: ergo nõ ſatis firmatur in opinione eorum infinita certitudo diuinæ cognitionis. Nam certitudo infinita, & infallibilis diuinæ cognitionis omnibus modis debet eſſe certa, & infinite certa alias non eſſet omnibus modis perfecta: ergo non ſolum debet eſſe talis, cui non poſsit ſubeſſe falſum moraliter, ſed neque etiam phyſice.

Rurſus perpendamus. An poſsit concedi hæc propoſitio, quæ ex modo dicendi aduerſariorum inſinuatur. Non repugnat Deo ſubeſſe falſum phyſice, in ſua cognitione, quamuis repugnet moraliter. In qua re nulla ratione puto ferendum eſſe, aut concedi debere quod non repugnet Deo ſubeſſe falſum, cum Dei cognitio non ſolum ſit infinite perfecta, ſed etiam ſit omnibus modis certa, & infallibilis, cui fallibilitas repugnat ſicut falli, aut fallacia. Quia falſitas, & deceptio repugnãt Deo ratione Deitatis omnino, non ſolum moraliter ſed phyſice. Quare ſi aliquid eſt certum, & infallibile reſpectu diuinæ cognitionis, ſequitur, quòd reſpectu eiuſdem repugnat illi ſubeſſe falſum, tam phyſice, quam moraliter. Si enim quis male ſemel admitteret poſſe ſubeſſe falſum cognitioni Dei, non quidem moraliter, ſed phyſice, vere compelleretur concedere defectum certitudinis in ipſa cognitione diuina. Nam certè ex veritate mutabili, & defectibili alicuius propoſitionis, ſicut non poteſt colligi eſſe infallibiliter futurum id, quod per eam ſignificatur, ita etiam non poteſt colligi infallibilis cognitio, quæ deſumatur ex obiecto, & circunſtantijs moralibus, moraliter occurrentibus. Valeant ergo huiuſmodi authores. Sed de hac re fuſius agemus in diſputatione illa de ſcientia media.

Nullo modo debere concedi cognitioni D. poſſe ſubeſſe falſum.

Dixerunt nonnulli Deum habere cognitionem infallibilem actuum liberorum ipſius voluntatis, quia Deus penetrat voluntatem ipſam, & conditionem eius ſimul cum cognitione circunſtantiarum occurrentium. Hoc eſt difficile etiam. Nam ex vi, & meritis cauſæ indifferentis, ad vtramque partem, quatenus ita indifferens eſt, non poteſt prouenire in re altera pars infallibiliter, & immutabiliter, ſed voluntas creata quatenus præſupponitur ſaltem ordine naturæ, ad ſuum actum quantũcumque occurrant maxima motiua, & maximæ circunſtantiæ inclinãtes, & remota ſint omnia impedimenta eſt cauſa actu indifferens ad vtramque partem, vt admitti debet ab authoribus oppoſitæ ſententiæ, ne denegetur libertas voluntatis circa actus ſuos: ergo non ſufficit aut comprehenſio arbitrij creati ad cognitionem infallibilem actuum liberorum, & contingentium, aut cognitio illa circunſtantiarum occurrentium

Quòd ex vi cauſæ indifferẽtis quatenus talis eſt non poſſit infallibiliter prouenire altera pars.

ad hoc, vt ex vi eorum, quæ moraliter occurrunt, aut ex vi, & meritis voluntatis ita considerateæ possit desumi infallibilis, & immutabilis cognitio: ergo cognitio Dei si desumi deberet à voluntate positis illis circunstantijs moralibus circa actum futurum non esset infallibilis omnino, quod non est dicendum.

Quid sit difficilius in opposito dicendi modo.

Præterea difficilius est, quod prædicti authores dicunt non esse minus euidens, aut certum Deo, absolute loquendo, actum nostræ voluntatis liberum, esse futurum, cum effectu, infallibiliter omnino ratione circunstantiarum moralium, & inclinationis voluntatis, & ratione occasionis temporis, & loci, quam sit euidens, & certum ignem esse producendum tali tempore, à tali causa necessariò determinata. Neque minus esse impossibile actū illum moralem liberum cum effectu non poni quam ignem, v.g. similem effectum naturalem non ponere. Hoc inquam valde difficile iudico. Nam quamuis Deo nihil sit dubium, aut incertum, aut incuidens, tamen cognitio, quæ desumi potest ex circunstantijs illis moralibus præcise, cum adhuc maneat voluntas contingens, ad vtramque partem indifferens, etiam positis maximis illis motiuis inclinantibus ad vnam partem, & remotis impedimētis, sequitur quod nō potest prouenire ex his præcise infallibilitas cognitionis. Neque est simile exemplum de igne cum ignis sit causa naturalis ex seipsa necessariò, & naturaliter ad vnum determinata. Quare etiam falsum est implicare, vt id quod moraliter inclinat secundum præsentem statum seu dispositionem potentiæ liberæ, ita esse infallibile, sicut id quod est secundum dispositionem, & circunstantias potentiæ meræ naturalis necessariò determinatæ ex natura rei ad vnum. Quia id quod est secundum dispositionem potentiæ liberæ, & circunstantiarum moralium, non habet ex vi eorum necessariam determinationem ad esse, aut infallibilem determinationem effectus, sicut id quod est secundum dispositionem potentiæ naturalis necessariò determinatæ, ex vi, & meritis eius, neque certitudo, & infallibilitas determinationis causæ moralis desumpta ex circunstantijs occurrentibus, aut ex motiuis quæ moraliter incitant, habet infallibilitatem omnimodam, cui non potest subesse falsum. Solum enim prædictæ circunstantiæ, & motiua possunt esse vehementissima signa, & rationabilia ad iudicandum de futuritione actus liberi, & de determinatione voluntatis habenda. Nam certè voluntas non obstante positione illa circunstantiarum inuitantium, & non obstante morali illa occasione temporis aut loci, aut propensione voluntatis ipsa potest resilire. Quia adhuc manet cum contingentia ad vtramque partem, ita vt illis omnibus iam dictis possit subesse falsum.

Neque satisfacit dicere, quòd non potest illis subesse falsum moraliter, quamuis possit subesse falsum physice. Quoniam certitudo moralis, si illa solum prouenit ex his, quæ non ita inducunt infallibilem certitudinem, vt simul cum eis non se compatiatur voluntatem posse de facto nō se determinare ad actū, ad quem inclinant circunstantiæ, vel ad consensum cum eis; non est talis, vt illi non possit subesse falsum, quantum est ex vi, & meritis circunstantiarum, & motiuorum, quæ non habent efficaciam determinandi infallibiliter. Neque rursus habet vllam implicationem, quod quamuis ego ex parte principiorum occurrētium, & signorum, & circunstantiarum, & motiuorum iudicem aliquid moraliter certo euenturum, quod licèt hoc repellat dubitationem moralem, & hæsitationem eiusdem generis, quia motiua inclinant ad hoc, & non ad oppositum, quod nihilominus hoc prorsus sit infallibile. Quia adhuc in potentia ipsa cum circunstantijs suis manet verum fundamentum, & principium actualis indifferentiæ cum actuali potestate ad oppositum eius ad quod inclinant circunstantiæ, & motiua. Plura alia implicantur in his solutionibus, quæ tamen examinanda sunt suis locis, nunc verò satis sit hæc attigisse.

Solutioquæ assignatur ab aduersarijs nulla est & impugnatur.

Argumenta nonnulla, quæ aduersus Diuum Thomam & aduersus ea, quæ dicta sunt: præcipue ab authoribus oppositæ sententiæ adducuntur.

EA quæ diximus sufficiebant pro nunc ad explicationē quæstionis de radice indifferentiæ, atque libertatis, cæterum cum ex dictis plures difficultates oriantur idcirco decreui argumenta, quæ à quibusdam obijciuntur adducere, præcipuè illa, quæ aduersus D. Thomæ fundamentum, & sententiam obijciuntur. Nam primò obijci potest, non omnes authores pro sentētia D. Thomæ citatos in his vltimis modis dicendi in eo conuenire, cū aliqui eorū, vel oppositum asserant, vel saltem indicare videantur, dicentes voluntatem non semper sequi rationem: aut rationē perse sumptam eam habere vim, quam diximus ad mouendam, ac determinandam voluntatem, vt videtur dicere Henricus quodlibeto 9. q. 5. vbi expresse conatur in oppositum, & in summa art. 45. quæst. 3. circa medium, & q 4. post initium. Et Hugo de Sancto Victore prima parte, in summa sententiarum tractatu 3. capit. 8. vbi inquit. Et ita ratio tanquam pedisequa monstrat viam consulendo illud, quod videt faciendum, dissuadendo contrarium. Voluntas tanquam domina ducit secum rationē ad quodcumq; fuerit incli-

Primum argumentum contra D. Thom. sententiā, eiusque fundamentum.

nata, non enim trahitur voluntas à ratione, sed solum monstrat ratio quid appetere debeat voluntas, ratio verò trahitur à voluntate, etiam in ijs, quæ sunt extra rationē. Quod videtur accepisse à Diuo Bernardo tractatu de libero arbitrio appellante rationem pedisequam voluntatis. Quibus consentire videtur Bonauentura in 2. distinct. 25. 1. p. distinctionis q. 6. ad 2. & 3.

Secundò arguitur.

Rursus secundò. Quoniam si voluntas ita esset inclinata ex se, & propensa in quodcumque bonum, vt semper vellet, & amaret illud quamdiu non offenditur in eo aliquis defectus, vel aliqua ratio mali, vel dum non offenditur maius bonum sequeretur primo voluntatem non moueri, aut determinari à seipsa, sed à sola bonitate obiecti, vt aliæ potentiæ corporeæ determinantur. Vel ab intellectu sicut appetitus bruti à sensu. Imò sequeretur secundo quoties operatur voluntas moueri, & determinari simpliciter necessario non aliter, quam appetitus brutorum. Probatur sequela. Nam idcirco appetitus brutorum operatur necessariò, non quia non possit plura, & plura successiue appetere, aut refutare nunc hoc & postmodum illud, & id ipsum quod antea appetebat, postea reijcere, & deinde appetere illud quod reiecerat. Nā hoc experiētia, & ratio demonstrat. Vndè nō dicitur appetitus bruti necessario operari eo quòd nō possit non appetere id quod appetit nunc, si aliud melius proponatur, vel si in illo priori rationem mali, aut incommodi sentiat, vt sentire potest, atque ita appetitus bruti non idcirco necessariò operatur, quia ita sit determinatus ad vnum, vt non possit plura successiue appetere, vel refutare, sed ideo operatur necessariò, quia pro tunc non est in eius potestate non appetere eiusmodi bonum, dum, scilicet, non occurrit, neque adest obiectum fortius mouens, neque efficacior apprehensio mali, eo quod ex se est determinatus ad amplectendum hic & nunc quidquid ex cognitione proponatur, sed pari ratione voluntas ex se est determinata ad amandum quodcumque bonum sibi propositum, quandiu non apparet ratio mali, vel defectus, vel aliud melius bonū: ergo similiter necessitatur in omni actione sua.

Tertiò arguitur.

Si dicas maximum esse disidium inter hominem, & bruta ratione potentiæ cognoscitiuæ: quia sensus simpliciter est determinatus, ad cognoscendum vnum singulare tantum hic & nunc, ratio verò non item, quia obiectum eius est vniuersale cum plura cognoscat, & ea deliberatione, ac consilio habito amet per voluntatem, ita vt ex deliberatione, & consilio per propriam facultatem sibi intrinsecam, seipsum, & voluntatem determinare, ac ducere sit potens. Contra hoc sic obijcio tertio loco. Nam quamuis facultas intellectus adeo superet cognitionem sensus, adhuc potest intellectum, sicut ad cognoscendum nunc hoc potius quam aliud, & iudicandum hoc esse melius, aut deterius illo: ita etiam ad proponendum voluntati hoc potius, quàm aliud, & hoc esse in eo gradu melius, at minus expediens, quam illud mouere ac determinare in genere causæ obiectiuæ siue finalis ab obiecto ipso: & in genere applicātis siue proponentis immediati, huius determinationem subterfugere non posse à phantasmate corporeo, hoc autem certum est simpliciter necessariò determinari, vt id potius, quam aliud, & sub ea ratione suggerat intellectui, vel ab spiritibus vitalibus immediate tantum, qui excitantur necessariò ad huiusmodi excitationē, vel ab humore aliquo commoto ab extrinseca impressione caloris, frigiditatis, vel alterius qualitatis dominantis in aëre circunstante, aut circūfuso, vt sæpe contingit etiam somniantibus, vel ab alia causa siue qualitate interiori, vel ab specie denuo recepta per aliquē sensum externum, vt frequentius accidit vigilantibus. Hāc autem speciem produci nunc vel eam causam siue qualitatem extrinsecam, aut intrinsecam, ita commouere humorem, vel spiritus, est simpliciter necessarium propter aliam, & aliam connexionem causarum naturalium ita dispositarum, & concurrentium, vt quasi per manus colligatas deueniendum sit ad causam vniuersalem, scilicet, cœlum, astrorumque influxus, à quibus ita concurrentibus motus ille, siue productio nouæ speciei in homine primario causetur, & à qua tandem causata sit non tantum propositio intellectus, sed etiam actus voluntatis. Neque enim dici potest illud accidisse casu, quia tunc dicendū esset omnes actiones humanas à casu tandē prouenire, quod dici nō potest, ex hoc autē sequitur liberum hominis arbitriū fato esse subiectum, actionesq; humanas fatali potius necessitate, quam propria volūtatis libertate fieri: ergo, &c. Sequela patet. Quia fatū nihil aliud est, quam ea astrorum, & causarum naturalium ordinata series, & connexio.

Quartò arguitur.

Si rursus dicas, sistendum non esse in causa vniuersali corporea, cuiusmodi est cœlum, neque in intelligentia motrice, etsi libera sit: sed ad Deum primam causam omnia sic ordinatissime disponentem, & pro sua voluntate, & cuiusque indigentia rebus singulis prouidentem: Contra hoc argumentor quartò. Nam si huiusmodi reductio fiat necessario, aut ea connexio necessitatem imponat, nulla ratione minuitur difficultas, etiam si dicas deueniendum esse ad Deum causam primam liberam, &c. Cum id ipsum plures hæretici asseruerint, fuerintque damnati, eo quod libertatem manifeste non asserant. Secundò. Quia inde manifeste sequitur voluntatem creatam liberumque eius arbitrium saltem non esse primam causam sui motus, suæque determinationis liberæ, imò neque esse causam determinantem vniuersalē

Dei concursum, quod etiam causis mere naturalibus conceditur, cum voluntas potius determinetur à Deo, quàm illum determinet. Quare neque esset causa particularis, & principalis actuum liberorum, cum ea sit causa particularis, & præcipua alicuius effectus, quæ causam vniuersalem, aut alias determinat ad eum actum, &c. Vndè tertio etiam fieret non esse in hominis potestate vias suas malas facere, & peccare, sed potius in potestate Dei. Indeque etiam fieret quarto Deũ non solùm fore causam peccati, sed non minus, neque aliter esse causam defectuum, ac peccatorum creaturæ rationalis, quam bonorum operum illius, quæ contemnenda non sunt cum lutheranorum hæresim exprimant, quæ in Concilio Tridentino damnantur sess. 6. can. 6. dicente. Siquis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita vt bona Deum operari, non permissiue solũ, sed etiam proprie, & perse, adeò vt sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anathema sit. Horum autem omnium illationes, & sequelæ ipsorum probari possunt. Nam sicut voluntas diuina fuit prima causa, causarum vniuersalium, & particularium determinantium alias causas diuersæ speciei ad productionem speciei honestæ, vel alio sensu siue ad cognitionem humoris excitantis, ad actus honestos à voluntate humana eliciendos, ita etiam est causa causarum vniuersalium, & particularium determinantium alias causas immediatas, ad productionem speciei, vel humoris excitantis ad malum, ad fornicationem, vel furtum, vel homicidiũ, vel simile peccatum, vel sicut paucioribus etiam interiectis diuina voluntas determinauit creatam immediate applicando obiectum inuitans ad honestum actum: ita determinabit immediate applicando obiectum inclinans ad deformitatẽ peccati: ergo sicut prior actus honestus vltimate refertur in Deum, vt in primum authorem illius, ita etiam secundus inhonestus, & peccaminosus in eundem, vt in primum authorem referendus erit, eritque Deus author peccati non minus, neque aliter quam boni operis ex eisdem rationibus.

Responsio ad obiectiones præcedentes.

HAE tamen, & similes aliæ obiectiones quamuis rei difficultatem ostendant, tamen veritatem minuere minimè poterunt, sed potius ad eam amplius inuestigandam, & explicandam nos concitabunt.

Ita Caiet. 1. p. q. 106. art. 2. & q. 105.

Ad primum igitur dicendum est, nullum ex authoribus, quos ego viderim hucvsque expresse negare, imò vero plures, S. Thom. affirmare, voluntatem esse inclinatam, & propensam, imo esse propensionem ipsam, & inclinationem in bonum substantiæ rationalis cognitum à ratione, non tamen necessariam, vt est inclinatio bruti, nec naturalem, vt est appetitus grauium, sed liberam, vt diximus, quæ tamen libertas, vndenam oriatur inuestigauimus iam supra. Quocirca cum aliqui authores citati pro D. Tho. dicũt voluntatem non trahi, determinari, vel moueri à ratione, solum volunt non necessariò moueri, necessitate, scilicet, absoluta, neque necessario determinari, necessitate similiter absoluta, sicut appetitus bruti. Nam etiam Henricus inter disputandum de hac re seipsum explicat art. 45. suæ summæ quæst. 3.

Voluntas est propensio ipsa in bonum substantiæ rationalis, nõ naturalis, sed libera.

Alij verò Theologi sentiunt, quòd libertas determinandi appetitum ad hoc particulare, vel ad illud, non est ex parte rationis. Quia habet iudicium liberum, ita vt necesse non sit appetitum sequi rationem particularem, quod est dicere, non ita oriri à ratione, vt necessariò illam sequatur voluntas. Quod videtur etiam dixisse idem Henricus tam loco citato, quam quodlib. 9. q. 5. littera. E. in quo videtur sibi aliquo modo contradicere. Nam affirmat voluntatem omnino habere in sua potestate motum, ita vt non sit ipsi necessariũ inclinari, sed quod moueat, & secundum actum inclinet in finem, & subiungit Henricus, hoc fieri, nõ quia ab extra aliquid ipsam violenter impellat, vel ab intra naturaliter inclinet, vel seruiliter ducat, sed quia libere, & eligibiliter, aut quasi eligibiliter, &c. Certum est autem eam propensionem, quam ponimus in voluntate non tollere rationem electionis, licèt eam tollat ea naturalis inclinatio, de qua loquitur Henricus. Certũ est etiam, id quod eligibiliter operatur secundum rationem debere operari: vel erit fortuna, quæ est species casus, vt fusius dicunt Theologi 1. 2. q. 13. Sic ergo intelligendus est etiam iuxta, ea quæ dicenda sunt à nobis Henricus locis citatis, vt aliquando etiam ipse explicare videtur, cuius rationes latissime soluit Capreolus in 2. distinct. 25. quæst. 1. art. 3. Ferrara, & alij. Vel dicendum est Henricum, sicut & alios antiquos nullum cognouisse medium inter absolutam, & necessariam inclinationem, & omnimodam simpliciter indifferentiam voluntatis. In qua re recentiores Theologi videntur carpere suum Molinam 1. part. quæst. 14. art. 13. disp. 18. & quoties de voluntatis determinatione disputat, cum tamen certum sit in Theologia infallibilitatem, aut determinationem infallibilem in genere moris mediam esse inter omnimodam simpliciter indifferentiam, & omnimodam etiam determinationem voluntatis, quam neque libertatem auferre, neque diuinam voluntatem falsitati exponere dixerunt authores scientiæ mediæ recentiores ipso Molina. D. Bonauentura supra citatus solutione ad secundum, inquit. Et id-

Id quod eligibiliter operatur secundum rationem debet operari.

Capreol. Ferrara.

Determinatio infallibilis in genere moris media est inter omnimodã indifferentiã, & omnimodã determinatiõnem.

cum dicitur, quod voluntas sequitur iudiciũ, si intelligatur de iudicio, quod consistit in solo dictamine non erit semper verum, quod ad illud sequatur voluntas necessario, similiter est intelligendus, & Hugo de Sancto Victore, & plures alij scholastici, quando similiter loquuntur. Huius rei ratio esse potest non solum, quia voluntas non semper sequitur actuale iudicium rationis, vt statim dicetur, idque sufficeret pro explicatione aliorum Theologorum, sed quia etiam si semper sequeretur actualem cognitionem, siue sententiam post deliberationem intellectus, adhuc libere, & non necessariò simpliciter operaretur voluntas circa obiecta particularia. Cum enim authores huius sententiæ dixerint, vt supra retulimus, primam etiam radicem libertatis, vel necessitatis in quauis voluntate, non solum ab intellectu sumendam esse, sed etiam sumi à bonitate obiecti, & in genere causæ obiectiuæ, & finalis. Intellectumque mouere debitè voluntatem proponendo illi in genere causæ efficientis rem agendam circa aliquod obiectum, cum quadam indifferentia, vt nos etiam diximus in superioribus, manifestè sequitur, tunc ex natura rei necessitari solum voluntatem quando bonitas obiecti fuerit summa. Certum autem est in bonis particularibus, & partialibus, neque esse, neque apparere intellectui rectè cogitanti summam bonitatem: imò in singulis pro sua facultate, tunc inueniri posse defectum aliquem, etsi actu non inuenerit: ergo certum est voluntatem tunc non operari necessitate absoluta, ex eo quod semper iudicium actuale rationis sequatur. Perpendendum tamen est, quod quando Theologi scholastici videntur dicere, in sola voluntate esse liberum arbitrium (de qua re sectione sequenti agemus) solamque illam ducere, & esse dominam, &c. hoc tantum verissimum esse de ratione formali liberi arbitrij, dominij, & motionis, vt fusius in superioribus diximus, de qua ratione formali tantum loquuntur illi Theologi, non tamen de radicali ratione arbitrij, aut libertatis, vt vidimus, & de dominio specialiter docetur infra.

In nullo bono particulari recte cogitanti apparet summa bonitas.

Tandem quando aliqui ex Theologis asserunt voluntatem, non semper sequi sententiam, seu iudicium rationis, sed plerumque agere contra illam, vt experientia ipsa docere videtur, id sane verum est, si tamen de hoc vel illo iudicio, sententia seu dictamine actuali rationis, accipiatur. Si verò intelligatur de omni iudicio, siue dictamine rationis actualis, siue habituali, & virtuali, recto vel falso ex propria negligentia, aut inclinatione, aut impulsu voluntatis, vel deceptione sensus, aut instantia, siue instigatione appetitus proueniente, aut de iudicio conclusiuo, & efficaci cum imperio, neque id verum esse potest, neque omnes authores illud subindicant, sed potius oppositum, vt fusè explicuimus in superioribus. De qua re latè etiã Capreolus in 2. distinct. 25. quæst. 1. art. 3. cõtra Henricum. *Capreol.*

Diuus Bernardus in tractatu de gratia, & libero arbitrio, sic ait. *Habet sanè voluntas quocumque se voluerit semper rationem comitem, & quodammodo pedisequam, non quod semper ex ratione, nimirum recta, sed quod nunquam absque ratione moueatur, ita vt multa faciat per ipsam contra ipsam, hoc est, quasi per eius ministerium contra eius consilium, siue iudicium, scilicet, rectum. Vnde est illud. Prudentiores sunt filij huius seculi filijs lucis in generatione sua. Et rursus. Sapientes sunt, vt faciant mala, neque enim prudentia seu sapientia inesse potest creaturæ, vel in malum, nisi vtique per rationem, &c.* Vbi Diuus Bernardus vult ex testimonio scripturæ insinuare, qua ratione ficta ratio à carnali sensu, siue prudentia desumpta, rationem rectam quasi claudat, atque subuertat, & quo modo ratio vnius opponatur alteri, semper tamen rationem aliquam volitionem præcedere, ideoque potius videtur intellectus dicendus esse pedibus antecedere voluntatem dominam, eo quod non sit formaliter liber, quam dominam præeuntem sequi, vt sonare videtur nomen pedisequa: quamuis aliquando id etiam verum sit. Et idcirco Diuus Bernardus loquens de ipsa ratione quam sequitur voluntas, prudens dixit, quodammodo pedisequam: cuius sententiam plures referunt ex scholasticis. De qua re legendus est Diuus Thomas 1. parte quæstione 82. art. 4. ad 3. & alibi non semel in prima secundæ. *D. Bernar.*

Ratio verò, cur voluntas non sequatur aliquando hoc vel illud actuale iudicium rationis est. Primo. Quia vt dicit Sanctus Thomas de veritate quæst. 24. art. 2. in corpore intellectus habet simul plura iudicia, vnum quidem vniuersale, & implicitum, nimirum quasi habituale dictamen de faciendo, vel non faciendo aliquid. Aliud verò particulare explicitè dictans hoc hic & nunc esse bonũ, vt pote appetitui concitato, & vehementi maximè conforme, & delectabile. Vel licèt habeat duo iudicia actualia, de hoc & illo bono secundum se æquali, vel etiam maiori in seipso quã aliud, hoc secũdum efficacius est propter alia commoda illi annexa, & eõducentia ad aliud bonum prius expetitum ab homine. Vel secundo, quia voluntas maiorem habet habitualem, aut actualem affectionem alteri bono incõpossibili cum isto, quod hic & nũc rãtio proponit, qui habitus ratione dictante adquisitus est, & ratione etiã, eandem bonitatẽ ostẽdere, cõseruatur, cõtra quos habitus libere adquisitos, fortior apprehẽsio boni mouere potest voluntatẽ. Vnde etiã sæpe peccat homo non agẽdo contra illos cũ oportet. Videdus est D. Thom. 1. p. q. 83. art. 1. maxime ad 1. & 5. & 1. 2. quæst. 9. art. 2. & 4. Idem enim *Ratio cur volũtas nõ sequatur aliquando hoc vel illud iudicium.* *D. Thom.*

propor-

proportionabiliter dicendū est de habitibus libere adquisitis à voluntate, quod ille dicit de qualitate siue dispositione naturali, de quo etiam quæst. 24. de veritate art. 1. ad 19. & 3. contra gentes cap. 85. ratione 7. idque vult illud Horatij. *Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem testa diu.* Cum enim consuetudo, siue habitus sit altera natura difficillimum est hominem recte iudicare, rectèque inclinare appetitum in id, quod hic & nunc ostenditur, & proponitur, vt bonum diuersum ab eo in quod inclinat habitus prauus, ideo scriptura Prouerbiorū 22. *Prouerbium: est,* inquit, *adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Illud etiā quod ex Poeta Marone Diuus Augustinus adducit plerumque. *Trahit sua quemque voluptas.* Vndè etiam perspicitur quanti sit momenti bona, vel mala puerorum educatio, quantisque indigeant illustrationibus diuinis homines male assueti, vt in Deum conuertantur. De materia huius argumenti, de qua incidenter aliqua diximus nos fusius supra propriam mentem explicuimus, nunc satis sit hæc dixisse, nonnulla iuxta nostram sententiam, alia iuxta aliorum placita, quæ relata sunt, vt lector audiat multorum ingenia varia.

Prouerbiorum 22.

D. Augustinus ex Poeta Marone.

Solutio 2. argum.

Ad secundum argumentum negatur prima illatio, siue sequela, qua infertur voluntatem non moueri, aut determinari à seipsa, sed à sola bonitate obiecti, sicut aliæ potentiæ corporeæ determinantur. Nam sicut ex eo quòd actus voluntatis effectiue producantur nimirum ab alia causa extra voluntatem, scilicet à Deo, dumtaxat sequitur ipsum actum non produci à sola voluntate, minime verò sequitur illum nullo modo à voluntate produci: ita ex eo, quod determinatio voluntatis causetur ab obiecto, vt à fine, à Deo, & ab intellectu, vt à proponentibus etiam infallibiliter, imo verò à Deo, vt ab efficiente determinationem, aut conuersionem in bonum, solum potest inferri, & colligi voluntatis determinationem non esse à sola voluntate: nulla tamen ratione infertur non esse à voluntate, aut voluntatem nullo modo determinare seipsam in actibus deliberatis: vt docet D. Tho. 1. part. quæst. 115. art. 4. ad 2. & 3. & de veritate quæst. 24. art. 1. præcipue ad 5. & 1. 2. plerisque in locis. Sicut etiam falsò assereret qui diceret cæcum hominem puero ducente, vel sustinente, aut imbecillem humero innitentem, non moueri à se, sed à solo puero, aut non libere tendere in hunc, vel in illum locum, præcipue in illum, in quem semel aut iterum ductus fuit à puero. Cuius ratio est ea, quam sæpe indicauimus, ex eo namque quòd in bonis, de quibus deliberamus, non reperitur summa ratio boni, aut bonitatis sequitur nullum illorum ex se esse sufficiens omnino determinare voluntatem, & consequenter Deum, aut intellectum proponentes, ratione illius bonitatis tantum præcise: non omnino determinare, & mouere voluntatem infallibiliter, cum in voluntate sit multo maior capacitas, & facultas, & præcipue cum in bono illo aut appareat actu, vel statim apparere possit defectus aliquis, atque ita sit actualem, & completam determinationem, non tantum fieri à Deo, & prouenire etiam à ratione: sed etiam relinqui actuali, vel habituali dispositioni liberæ ipsius voluntatis, & intellectus, de quo fusius alibi, & etiam infra nonnulla dicemus. Quocirca, sicut cum vna causa, se sola non est sufficiens totaliter producere effectum, etsi totum producere dicatur, productio illius tribuitur etiā omnibus alijs simul producentibus, etsi diuerso genere, singulis diuersimode concurrentibus tribuatur, ita indeterminatione prę uia voluntatis ad eliciendum, vel non eliciendum actum. Aliter verò dicendum cum obiectum fuerit summe bonum, vt Deus clare visus, tunc enim sicut absolute, & physice determinat obiectum, ita determinatio illi soli, sicut applicanti illud tribuitur: voluntati verò quasi instrumento productiuo, & viuenti. Sed res hæc maiorem postulat indaginem, & idcirco alibi maiora dicemus, nunc verò satis sit prædicta attigisse, quæ quomodo se habeant, & qualiter intelligantur in disputatione de auxilijs, & de scientia media iuxta propriam nostram sententiam explicaturi sumus.

Ex eo volũtas non patitur necessitatẽ à bono de quo deliberat intellectus, quia nõ est in ipso summa ratio boni.

Ad illam verò eiusdem argumenti sequelam de appetitu brutorum breuiter fatemur, idcirco brutum necessitari à bono sensibili proposito: quia hic & nunc non est in potestate eius naturaliter, & physice non appetere illud, aut appetere eum non appetit. Cum enim non habeat naturalem, ac physicam facultatem deliberandi circa illud quod hic & nunc obijcitur, comparando, & conferendo illud cum alijs rationibus bonitatis, ac seipsum iuxta obiecti propositi, & aliorum, cum quibus comparatur exigentiam: sequitur, neque habere naturalem, ac physicam facultatem, acceptandi, aut non acceptandi illud in exercitio, neque determinandi se determinatione libera, sed absoluta naturæ necessitate duci, quæ quidem longe aliter eueniunt, & contingunt in creaturis intellectualibus, quæ licet determinentur moraliter, hoc est determinentur cum dependentia à causalitate morali, moraliter determinatiua, ad amplectendum, vel reijciendum hoc vel illud cum adsunt omnia, moraliter, & efficienter determinantia ad hoc potius, quàm ad aliud, semper tamen manet in eis naturalis, & physica facultas ad oppositum. Imò verò quamuis adsint causæ moraliter determinantes, ad hoc obiectū, tamen cum operetur semper voluntas indeterminatione libera depēdenter à collatione, & conferentia rationis, in qua plures se offerunt rationes, quæ interdum possunt inuitare

Idcirco brutum necessitatur à bono sensibili proposito, quia nõ est in potestate eius non appetere illud.

voluntatem ad aliud obiectum, forte potest voluntas non solum potentia physica, sed etiam morali fundata in libertate voluntatis, & in illa conferentia, & collatione iam dicta se determinare ad aliud obiectum, quod nunc non ex professo disputo, neque dico, quia hoc fusius explicandum est à nobis locis à me citatis, de qua re legendus est S. Thomas locis citatis, & Origenes lib. 3. Periarchon.

Vtrùm liberum arbitrium sit fato subiectum.

REstat tertio loco dissoluere tertiam etiam obiectionem, in qua tandem vltimo loco infertur sequi liberum hominis arbitrium fato esse subiectum, actionesque humanas potius necessitate fatali quàm propria voluntatis libertate fieri. Quia fatum nihil aliud esse dicitur quàm series, & connexio astrorum, & causarum naturalium, à quibus, & sensus moueri, & appetitus etiam, & intellectus. Respõ detur ergo negando liberum hominis arbitrium fato esse subiectum, aut actiones eius humanas fatali necessitate prouenire. Neq; est verum semper ita contingere, vt continetur in antecedente argumento: incipit enim motus liber à voluntate, & ratione, vt explicant Theologi 1. 2. q. 9. & 10. Rursus etiam incipit motus nonnunquam etiam ab ipso Deo immediate, vel medio Angelo custode excitante species intelligibiles, aut phantasmata eadem species excitãtia, aut Deo nouũ lumen infundente, aut quid simile. De qua re lege D. Thomam 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. & fusius 3. contra gentes cap. 91. & 92. Vbi specialiter de causis cur aliqui dicantur, aut sint, benè vel male fortunati agitur nonnihil.

Sed etiam si aliquando ita moueretur volũtas lõga illa causarũ serie, aut dispositione, vt posse contingere fatetur D. Thomas 1. 2. q. 9. art. 5. in corpore, & ad 2. & 3. vbi inquit quòd motus corporales humani reducuntur in motum cœlestis corporis, sicut in causam, in quantum ipsa dispositio organorum congrua est aliqualiter, ad motum ex impressione cœlestium corporum, & in quantum etiã appetitus sensitiuus commouetur ex impressione cœlestium corporum. Et præterea vlterius, in quantum corpora exteriora mouentur, secundum motum cœlestium corporum, ex quorum concursu voluntas incipit aliquid velle, & non velle, cæterum ista motio voluntatis est ex parte obiecti exterius præsentati, non ex parte interioris instinctus. Quocirca S. Thom. 1. 2. q. 9. inquit, necessarium esse affirmare quod in primum motum voluntatis prodeat voluntas ex instinctu alicuius exterioris mouentis, quod dicit art. 4. eiusdem quæstionis. Quo in loco Caietanus aduertit, quod quamuis primus actus voluntatis, sit ex instinctu dato ab exteriori, non obiecto, sed causa effectiua, Deo: ipsa tamen iam ex hac finis volitione seipsam mouet, ad volendum alia propter finem, quod brutis minime contenit. Quoniam ad omnia mouentur ab instinctu. Vnde ad volendum à se ita, vt ly à se, dicat causalitatem applicantem seipsam ad volendum, non sufficit voluntas cum obiecto, sed exigitur voluntas præuolens finem. Et art. 5. sequenti ex Damasceni sententia lib. 2. fidei cap. 7. vere negat corpora cœlestia esse posse causam nostrorum actuum. Quia voluntas quæ est principium actuum humanorum non mouetur à corporibus cœlestibus. Quia cœleste corpus, non imprimit directè, in intellectum, & voluntatem. Verum tamen est, quod cum vires sensitiuæ sint actus organorum corporaliũ, per accidens moueri possunt à corporibus cœlestibus, nimirum motis corporibus, quorum sunt actus. Et idcirco quia intellectiuus appetitus mouetur quodãmodo ab appetitu sensitiuo indirectè, ob id motus cœlestium corporum redundant indirecte, & valde remote in voluntatem, quatenus per passiones appetitus sensitiui contingit quod voluntas moueatur, in quantum etiã appetitus sensitiuus cõmouetur, ex impressione corporum cœlestium.

Obserua tamen, vt superius dicta intelligantur, quod fatum, maximè, vt frequentissimè accipiebatur ab Ethnicis, & hæreticis, non est quæcumque causarum series, & connexio, sed illa, quæ naturalem, & absolutam necessitatem imponit, vt dixit D. Augustinus 5. de ciuitate cap. 1. vbi ait. Ea esse fatalia, quæ præter Dei, & hominum voluntatem cuiusdam ordinis necessitatem contingunt. Idemque ostendit lib. 83. quæstionum quæstiun. 82 post initium. Et sequenti libro viginti vnius sententiarum, siue quæstionum quæstiun. 3. tomo 4. Idemque colligitur ex Diuo Cyrillo lib. 5. in Ioannem cap. 5. Chrysostomo hom. 1. in Epist. ad Timotheũ, imò verò fatum, vt ab hæreticis, & Ethnicis vsurpatur nihil aliud est quàm ipsa necessaria siderum dispositio, aut constitutio, in qua vnusquisque nascitur, vt aperte retulit Augustinus lib. 5. de ciuitate cap. 9. quo in loco dicit. *Nulla fieri fato dicimus, &c.* Legendus est Diuus Thomas 1. part. quæst. 116. art. 1. & 3. contra gentes cap. 93. Ex quibus omnibus constat non posse inferri voluntatem creatam fato esse subiectam. Certum est enim cum causarum ordinem, ad determinationẽ voluntatis largo modo, & indirecte cõcurrentium, ipsi voluntati non imponere necessitatẽ, cum omnes iliæ maiori efficacia mouere nõ possint, quã sit ea, quã habet obiectũ immediate mouens, & determinãs intellectũ, quæ efficacia à gradu etiam bonitatis ipsius obiecti sumenda est. Cũ igitur bona particularia ex se deficientia sint, eorumq; defectus in se, vel in ordine ad alia, intellectus perfecte deliberans, aut deliberare potens pro sua

Ad 3. arg. solutio.

Liberũ hominis arbitrium non est fato subiectum.

D. Thom.

Etsi primus actus volũtatis sit ex instinctu, dato à Deo, ipsa tamen ex hac volutione finis se mouet ad volendum, alia propter finem.

Notãdum quid fatũ, vt ab Ethnicis accipiebatur, sit. D. Augus.

D. Cyril. D. Chrysos.

D. Thom.

facultate statim possit agnoscere, manifestè sequitur intellectum non posse necessitari ab aliquo illorum, vt assentiatur, & iudicet illud esse summe bonum, aut necessariò esse diligendum hic, & nunc. Intellectu autem nō necessario iudicante hoc esse diligēdum hic, & nūc, sed posse diligi, nisi voluntas maiori bono sit affecta, & posse etiam non diligi, cum hæc & illa incommoda secum adferant, vel inde prouenire possint, &c. voluntas manet omnino libera, vt amplectatur: si iuxta ea, quæ ratio dictauit alijs omnibus, quibus est affecta voluntas conueniens sit, vel illud reijciat & repellat, si ipsi propter aliquam ex dictis, aut subintellectis rationibus minime congruat: ergo illa causarum series, etiam cum ita actu euenerit, & contigerit, nullo modo subdit voluntatem liberam fatorum necessitati.

Humanæ actiones Diuinæ voluntati subiectæ sunt, disponenti, vt tali tempore, & modo fiant. D. Aug.

Fatemur ergo humanas actiones subiectas esse diuinæ voluntati liberè ordinanti ac disponenti non solum causas naturales, iuxta suam naturam: sed etiam voluntates liberas, vt in hoc aut illo tempore præfixo à Deo, hoc vel illud opus ipsi Deo omnino certum, liberè exequantur, vt docet D. Augustl. lib. 5. de Ciuitate, cap. 9. dicens: *Ordinem autem causarum, vbi voluntas Dei plurimum potest, neque negamus, neque fati vocabulo nuncupamus: nisi fortè, vt fatum à fando dictum intelligamus, id est à loquendo. Non enim abnuere possumus esse scriptum in litteris sacris, Semel locutus est Deus, duo hæc audiui, quoniam potestas est Dei, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes vnicuique secundum opera eius. Quod enim dictum est semel locutus est, intelligitur immobiliter, hoc est, incommutabiliter est locutus, sicut nouit immutabiliter omnia quæ futura sunt, & quæ ipse facturus est. Hac itaque ratione possemus à fando fatum appellare, nisi hoc nomen tam in alia re soleret intelligi, quo corda hominum nolumus inclinare.* Hæc & similia repetit Augustl. in sequentibus, &c. Idem etiam vult Augustinus cap. 8. & cap. 1. dicit. Diuina prorsus prouidētia regna constituūtur, quæ si propterea quisquam Fato tribuat, quia ipsam Dei voluntatem Fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat. Vndè Sanctissimus Præceptor Diuus Thomas. 1. p. quæst. 116. artic. 1. in fine corporis ait. Sic igitur in quantum omnia quæ, huc aguntur diuinæ prouidentiæ subduntur tanquam per eam ordinata, & quasi prælocuta Fatum ponere possumus, licet hoc nomine Sancti Doctores vti recusauerint, propter eos qui ad vim positionis syderū, hoc nomen retorquebant. Vnde Augustl. &c. Idemque omnino Repetit. 3. contra Gentes cap. 93. Neque obstat intellectum naturaliter, id est, non liberè formaliter, iudicare de rebus secundum id, quod in eis, vel in earum speciebus apparet, cum id non impediat, quin naturaliter etiam ac physicè possit aliud, & aliud iudicium circa eandem rem habere: eam cum alijs pluribus comparando, sicut neque etiam obstat ad hæc omnia aliqua ex parte determinari à phantasmate nullam habente libertatem: dum ea determinatio nō sit tam vehemens, & repentina, vt nullum relinquat intellectui locum vtendi propria facultate discursus, vt in actibus primò primis contingere sæpe videmus, & forte aliquando in quibusdam ira breuissima percitis: tunc enim actus illi simpliciter necessario fiunt, & authori naturæ media illa causarum serie tribuuntur: vel ipsi homini cum passionem eiusmodi, vel motum frenare potuit, & non fecit.

Non impedit libertatem iudicij intellectus, qui naturaliter fertur circa res, vt per species, aut phantasmata apparent.

Solutio ad 4. argum.

Ad quartum argumentum satis patet ex dictis eam causarum connexionem non imponere necessitatem voluntati. Ad illud verò, quod primo obijcitur respondere possumus iuxta illa, quæ diximus supra sectione quarta, in solutione quinti argumenti principalis, nimirùm nouum non esse voluntatem creatam, siue liberum arbitrium non esse causam absolutè, & simpliciter primam sui motus, siue seipsam mouentem ac determinantē ad exercitium proprij actus, quod expressè docuit Sanctus Thomas. 1. par. quæst. 83. artic. 1. ad tertium, vbi dicit, quòd non est de ratione, neque de necessitate libertatis, quòd sit prima causa sui, id quod liberum est, sicut neque ad hoc, vt aliquid sit causa alterius requiritur, quòd sit prima causa eius. Vnde Deus non solū est prima causa mouens causas naturales, sed etiā mouens causas liberas, & voluntarias, & 1. 2. q. 6. art. 1. ad primum dicit, quod nō omne principium est primū principium. Licèt ergò de ratione volutarij sit, quod principium eius sit intra, non tamen est contra rationem voluntarij, quòd principium intrinsecum causetur, vel moueatur ab exteriori principio. Quia nō est de ratione voluntarij quòd principium intrinsecum sit primum principium, hæc D. Thomas. Ibi autem accipere voluntarium pro libero est manifestum, lege Diuum Thomam ibidem ad secundum, & tertium, & quæst. 9. artic. 4. ad primum, & quæst. 109. art. 2. ad primum, & 1. par. quæst. 103. art. 5. ad tertium, & quæst. 105. art. 4. ad secundum, & tertium, & quæst. 82. art. 4. ad tertiū, de Veritate, quæst. 24. art. 1. ad tertium, & quintum. Idem docet Capreolus in 2. distinct. 25. quæst. 1. maximè artic. 3. ad primum, & secundum Scoti contra secundam conclusionem. Bartholomæus Medina. 1. 2. q. 9. ar. 4. Imò verò Scotus & sui dicentes diuinam voluntatem esse primam radicem libertatis, eo quod sit causa primaria mouens ac determinans voluntates creatas, sicut etiam Antonius Cordub. lib. 1. sui quæstion. dixit loco citato, qui eam sententiam dixit esse communem omnium tenentur consequenter dicere non esse de necessitate libertatis, quòd sit prima causa sui, id quod liberum est in his inferioribus, & ex his soluuntur plura argumenta aduersariorum, quæ sine dubio nullam habent vim.

Non est de ratione voluntarij quòd sit primum principium D. Thom.

Capreol.

Medina. Scotus.

Quamuis enim alicui videatur contra naturam liberi arbitrij non esse principium omni-

no primum ſeipſum mouens, & applicans ad omnem actum ſuum; vt inſinuare videtur vulgaris deſcriptio cauſæ liberæ, vt intelligitur à iunioribus, nimirùm, quòd poſitis requiſitis ad agendum poteſt agere, & non agere; certiùs tamen eſt, & apud Diuum Thomam indubitatum, id eſſe valde alienum à natura voluntatis & arbitrij creati, & conſequenter cum S. Thoma ad argumentum dicimus, fatendum eſſe in ea cauſarum ſerie volũtatem ea ratione indirectè determinantium, quoad exercitium, dum ità contigerit ſiſtendum non eſſe in vniuerſali cauſa corporea, cœlo nimirùm, vel aſtris, nec in aliqua alia cauſa creata, de quo latè Diuus Thomas. 3. contra Gentes, cap. 84. non ſolum quia cœlum nec alia cauſa creata imprimere non poteſt directè, & per ſe in intellectum, & voluntatem, ſed etiam quia nulla cauſa creata poteſt eſſe primum mouens ac determinans alias, etiam indirectè. Vndè in diuinã voluntatem ſenſit D. Thom. reducendum eſſe vltimate omnem motum, ſiue actum voluntatis creatæ, vt in primum authorem, & cauſam mouentem, & applicantem illam ad exercitiũ talis actus, etſi non eodem modo diuina voluntas ſit illorum omnium author, & cauſa, vt explicabimus ſtatim cum de ratione peccati erit ſermo. Quare 1.2. quæſt. 9. artic. quinto, ad primum inquit, quòd multiformes motus voluntatis humanæ reducuntur in aliquam cauſam vniformem, quæ eſt in intellectu, & voluntate ſuperiorum, quod non poteſt dici de aliqua ſuperiori ſubſtãtia corporea, & materiali, ſed de aliqua ſuperiori ſubſtantia immateriali. Quare non oportet, quòd motus voluntatis in motum cœli reducantur, ſicut in cauſam. Idemque repetit paucis Diuus Thomas artic. 6. ſequenti ad primum.

In diuinam volũtatem vltimatè reducẽdus eſt omnis motus, ſiue actus voluntatis creatæ

Motus igitur voluntatis creatæ eſſe primario à Deo, & idcircò in illum, vt in primũ principium, & authorem eſſe reducendos, ſpecialiter docet Sanctus Thomas. 1. par. quæſt. 116 de Fato, art. 1. in corpore, dicens. Et ſic nihil prohibet ea, quæ hic per accidens aguntur, vt fortuita, & caſualia reduci in aliquam cauſam ordinantem, quæ per intellectum agat, & præcipuè in intellectu diuinum; quia ſolus Deus poteſt voluntatem immutare, & per conſequens ordinatio humanorum actuum, quorũ principium eſt voluntas ſoli Deo debet attribui, &c. hæc Sanctus Thomas. Et idem dicit 1. par. quæſt. 105. art. 4. ad ſecundum, & tertium, & quæſt. 83. art. 1. ad tertium, & quæſt. 82. art. 4. ad tertium, & 1.2. quæſt. 6. art. 1. ad tertium, vbi inquit, quòd omnis motus tàm voluntatis, quàm naturę procedit à Deo ſicut à primo mouente. Et idem habet quæſt. 9. artic. 4. in corpore, & art. 6. ad tertium, vbi affirmat Deum mouere voluntatem hominis, ſicut vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum voluntatis, quod eſt bonum, & ſine hac vniuerſali motione hominem non poſſe aliquid velle. Et ſtatim in eadem ſolutione dicit hominem determinare ſe per rationem ad volendũ hoc vel illud, quod eſt verè bonum, vel apparens bonum. Interdùm tamẽ Deum dicit ſpecialiter mouere aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod eſt bonum, ſicut in ijs quos mouet per gratiam.

D. Tho.

Quibus verbis oppoſitæ ſententiæ minimè tauet, vt aliqui putauerunt, ex eo quod dicat D. Thom. Deum, vt vniuerſalem motorem mouere voluntatem ad vniuerſale obiectum: aliquando verò ſpecialiter mouere ad certos actus ſupernaturales, &c. Ibi enim Diuus Thomas non vult Deum tantùm vniuerſaliter prouidere rebus creatis etiam humanis, cauſas nimirùm priores in tali gradu conſtituendo, vt illæ alias producere, & iuuare poſſint ad quos effectus illæ maluerint, & non ad certos tantùm effectus, quos Deus ipſe ex illa poſitione cauſarum infallibiliter futuros ſtatim prouiderit, ac prœuoluerit, tunc enim neceſſariò forent à caſu reſpectu diuinę voluntatis, de quo alibi dicemus cum Sancto Thoma, qui id ſæpè docet: ipſeque eſſet ſibi cõtrarius. Solum ergo vult iuxta ea, quę alibi docet Deum, vt vniuerſalem motorem prouidere rebus naturalibus vniuerſales, & medias cauſas, ità ſuauiter diſponendo, & mouendo, vt ſuauiter etiam moueant alias, & alias. Quibus ità conſtitutis, & ijs, quę liberę ſunt etiam ſeipſas condeterminantibus fortiter attingat, & efficaciter aſſequatur per quamcumque cauſam creatam etiam liberam, quemcumque effectum à ſe intentum, & prœuolitum, quamuis aliquando etiam ſpecialiter, id eſt, non medijs cauſis ſecundis, neque media aliqua naturali inclinatione, ſed immediatè ſe ipſo moueat voluntatem creatam ad ſupernaturales actus; infundendo etiam illis ſupernaturale lumen, aut inclinationem, de qua re lege, quę dixit Sanctiſsimus Prœceptor. 1. par. quæſt. 103 artic. quarto, in corpore, vbi ſic ait: *Omnis inclinatio alicuius rei, vel naturalis, vel voluntaria nihil eſt aliud, quam quædam impreſſio à primo mouente; ſicut inclinatio ſagittæ ad ſignum determinatum, nihil aliud eſt, quàm quædam impreſſio à Jagitante. Vndè omnia quæ agũtur, vel naturaliter, vel voluntariè quaſi propria ſponte perueniunt ad id, ad quod diuinitus ordinantur, & idcircò dicitur Deus omnia diſponere ſuauiter, & fortiter.* Idem etiam dixit Sanctus Thomas. 1.2. quæſt. 109. artic. primo in corpore dicens, quòd ſicut motus hominis corporales reducuntur in motum cœleſtis corporis, ſicut in primum mouens corporale, ità omnes motus tàm corporales, quàm ſpirituales redducuntur in primũ mouens ſimpliciter, quod eſt Deus, & ob id quantumuis natura aliqua corporalis, vel ſpiritualis ponatur perfecta non poteſt in ſuum actum procedere, niſi moueatur à Deo, &c. Vbi non dubium eſt, quin agat de motione illa prœuia prioritate naturę prœciſe, vt conſtabit legenti, & expreſsius artic. 2. ad primum, & lib. tertio, contra Gentes, cap. 89. ſic ait.

Explicatio Sancti Thomæ eiuſque intelligentia.

Quidam

Perpẽde at tentè, quid dicat S. Th.

Quidã verò non intelligentes qualiter motiõ volũtatis Deus in nobis causare posſit abſq; præiudicio libertatis volũtatis, conati ſunt has authoritates male exponere, vt ſcilicet dicerent, q Deus cauſat in nobis velle, & perficere in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem ſic, quòd faciat nos velle hoc, vel illud, ſicut Origenes exponit 3. lib. Periarchon liberum arbitrium defendens, &c. Quod autem non velit ſolùm Diuus Thomas probare auxilium, ſiue concurſum concomitãtem, ſed pręuiam etiam determinationem, de qua loquimur, patet. Tum quia nunquam id videtur negaſſe Origenes, neque Auguſtinus, neque Hilarius, neque Proſper. Tum etiam patet ex verbis citatis, vbi dicitur, quòd Deus facit nos velle hoc vel illud. Et ex illo Prouerbiorum. 21. *Cor Regis in manu Domini, quocumq; voluerit inclinabit illud.* Vndè Sancti Patres dicunt, Deum eſſe primum principiũ noſtrorum bonorum conſiliorum, & voluntatũ. Idemque vult cap. 90. in fine, & cap. 91. in initio. Idem etiam docuit D. Auguſt. 5. de ciuitate, cap. 8. Quo loco omnia tribuit diuinę ordinationi, & nihil inordinatum dicit relinquere, à quo ſunt omnes poteſtates, quamuis ab illo non ſint omnium voluntates, quod dixit propter peccatum, malamq; & peccatricẽ electionem. Quibus omnibus minime contradicit Auguſtinus lib. de Spiritu, & litera, cap. 31. citato à Molina, & ſimilibus alijs, vbi negat omnem voluntatem eſſe à Deo. Tantum enim vult peccatum, quòd liberè à voluntate efficitur, & ſuſcipitur non eſſe à Deo, vt à cauſa, vel authore malitię illius, cum quo tamen ſtat peccatum eſſe Deo permittente, ad cuius permiſsionẽ certò ſequitur. Idem ſenſit Chryſoſt. hom. 1. ca. 1. epiſtolę. 1. ad Timotheum. Idem etiam Damaſcenus. 2. de Fide, cap. 29. poſt medium, quibus non contradicit, cap. 30 ſequenti in initio, cum ibi ſtatim explicet ſe prędefinitionis nomine intelligere neceſſariam determinationem, ideoq́ue negare omnia eſſe prędefinita. In eadem ſententia diuinę etiam prędefinitionis, & pręmotionis fuit Boetius. 4. de Conſolatione. Diuus Antoninus. 1. tractatu. 4. cap. 2. poſt medium, qui adducit verba Diui Thomæ ad literam. 1. par. q. 83. art. 1. ad tertium. Et hoc eſſe ait, quod habetur Prouerbiorum 21. *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* Et ad Philippenſes 2. *Deus operatur in nobis velle, & perficere.* Idem etiam tenetur aſſerere Scotus in 1. diſtinct. 2. quæſt. 2. §. Oſtẽſo eſſe de proprietatibus, & infra ad primum. Cordubenſis lib. 1. quæſtionum quæſt. 55. dubio. 4. §. Hoc ergo ſuppoſito, & omnes alij ex familia Scoti; Ferrara. 3. contra Gentes, cap. 89. §. Ad confirmationem. Ariſtoteles lib. 7. moralium ad ad Eudemũ, cap. 18. qui mirabiliter loquitur in propoſito.

Prouer. 21.

D. Augu.

Chryſoſto.

Damaſcen.

Boetius.

Antoninus

Scotus.

Cordub.

Ferra.

Ariſtot.

Neque ſequitur ex ijs, quæ dicta ſunt voluntatem creatam non eſſe cauſam particularem ſui actus, ex eo quòd non eſt cauſa ſimpliciter prima illius, aut primum principium ſimpliciter determinans, neq; etiam ſequitur voluntatem non determinare ſeipſam, aut vniuerſalem concurſum eo determinationis genere, quo particulares aliæ cauſæ vniuerſale cauſam determinare dicũtur. Breuiter enim ſciendum eſt, poſſe aliquam cauſam dupliciter aliã determinare, vel ab illa determinari. Primò quidem quoad actuale exercitium propriæ virtutis. Secũdò quoad ſpeciem proprij actus eliciendi. Igitur cum certum ſit in Philoſophia nullam cauſam naturalem quantũuis particularem primariò determinare cauſam vniuerſalem quoad exercitium actuale ſui concurſus, ſed è cõuerſo omnem cauſam ſecundã naturalem quoad exercitium determinari à cauſa prima. Quod pręter alios expreſſè docet D. Thom. in 2. diſtinct. 25. quæſt. 1. artic. 1. ad tertium, dicens: *Vndè in rebus naturalibus operatur Deus ſicut miniſtrans virtutem agendi, & ſicut determinans naturam ad talem actionem, ſcilicet, quoad exercitium, non quoad ſpeciem, niſi largo modo,* vt etiam clarius. 1. par. quæſt. 105. artic. 5. & ſæpè alias dixit. Huius rei ratio breuiter eſt; quoniam ignis, verbi gratia, ideò producit ignem hic & nunc, quem nec anteà producebat, non quia ipſe nunc primò voluit, aut determinauit ſe nunc ad agendum: ſed quia nunc primum determinatus eſt ab alia cauſa naturali debitè applicante illi paſſum, vel coadiuuante. Hęc autem cauſa naturalis applicãs, vel coadiuuans non poteſt dici ſeipſam determinaſſe nunc primò ad applicandum, vel coadiuuandum cum libera non ſit, de liberis enim ſtatim dicemus: ſed ideò nunc primò applicat, quia nunc primò, ità eſt determinata ad applicãdum ab alia cauſa naturali, ſiue particulari, ſiue vniuerſali, nunc primò illam iuuante, aut remouente impedimentum prohibens. Idemq́ue dicam ſtatim de hac vltima cauſa, & de alia, & alia naturali vſque ad cauſam immediatè motam à cauſa prima, quæ cum ideo ſolum nũc primò ſit determinata ad ſoluendam, vel iuuandam aliam cauſam ſecundam iuuantem aliam, & aliam vſque ad ignem. Quia nũc primò ità voluit eam determinare, ſequitur de primo ad vltimum; ideò ignem operari hic, & nunc, quia Deus ità voluit & ordinauit, nõ tamen è conuerſo Deum operari hîc & nunc, & non anteà, vel poſteà, quia ità nunc primo determinatur ab igne quoad exercitiũ, ſcilicet. Niſi velis dicere Deum operari hic & nunc quoad exercitium, quia nunc primo determinatur quoad exercitium ab igne nunc primo determinato ab ipſo Deo, vt ipſum Deum determinet, id enim vtrùm eſt, & in idem redit.

Ideò cauſa naturalis ꝓducit ſuũ effectum, quia primũ determinatur ab alia cauſa applicãte illi paſſum.

Hinc ſequitur manifeſtè naturalem cauſam non ideo dici particularem, aut præcipuam in ſuo genere, quia determinet vniuerſalem quoad exercitium actus, ſed quia illam determinat quoad ſpeciem hoc eſt, vt potiùs hominem, quàm equum aut ignem, vel volitionẽ potius quàm aquam, vel intellectionem hic, & nunc

Naturalis cauſa non ideò dicitur particularis, quia determinat vniuerſalẽ,

quoad exercitium actus, ſed quia determinat quoad ſpeciem.

producat. Cuius etiam ratio eſſe poteſt; quoniam naturalis cauſa ex ſe non eſt omnino determinata quoad exercitiū actuale circa hoc, vel illud paſſum, & circa hunc numero ignem, eo quòd in ſe non habet omnia requiſita ad illud, neque poſsit ſibi illa proponere: ideoque indiget alterius extrinſeci applicantis determinatione potiùs quàm illam prębere poſsit. At verò quoad ſpecificationem actus habet in ſe naturalē, & ſufficiētiſsimā determinationē, cum naturalem habeat virtutem huius tātum, vel illius ſpeciei actuum productiuam, ideòque determinare poteſt, & neceſſariò determinat, & quaſi reſtringit cauſam adiuuantem ſe ad exercitium propriæ virtutis in hac ſpecie determinata vel illa. Atque adeò quamuis determinetur à Deo volente, vt agat hic, & nunc, Deo ipſo illam coadiuuante, illa tamen diuinum concurſum dicitur determinare atq; veluti ſtringere, vt ſolùm agat, & velit agere ex ea nimirùm ſuppoſitione, quòd eam cauſam iuuare velit ad huius generis, ſiue ſpeciei actum, ad quem tantum producendum ea cauſa naturalis eſt ſecundùm ſe determinata, vel ſaltem ad præſentiam talis obiecti, circa quod illam vult Deus verſari hic, & nunc, quòd dico propter potentias cognoſcitiuas & appetitiuas, quæ ad plures ſpecies actuum ſuaptè natura extenduntur, quo perfectione vniuerſaliores ſunt. Vnde etiam eſt, effectum cauſæ naturalis illi amplius aſsimilari, quæ illum tantum producere poteſt, & communicat quid quid habet in ſe, quàm cauſæ primę plura alia, & diſsimilia continenti, & potenti producere quantum eſt ex ſe. Propter quam etiam rationem cauſæ particulares dici ſolent principales, vt optimè aduertit Sanctus Thomas, de Veritate, quæſt. 24. artic 1. ad quartum, vbi ait: *Dicendum, quòd cauſa prima dicitur eſſe principalis ſimpliciter loquendo propter hoc, quòd magis influit in effectum, ſed cauſa ſecunda ſecundum quid principalis eſt, in quantū effectus ei magis conformatur, & aſsimilatur.* Cum igitur voluntas creata, quoties liberè operatur, diuinam volūtatem determinet, & quaſi limitet ad hāc, vel illam ſpeciem actus, ſiue concurſus proprio actui accommodati, actuſque ipſe illi potiùs, quàm primæ cauſæ aſsimiletur (dum non operatur ſupernaturaliter) ſequitur apertè voluntatem creatam eſſe verè, & proprijſsimè cauſam particularem, & principalem ſui actus, nō minùs, quàm alias cauſas naturales, quamuis quoad exercitium ſeu ad exercitium verè determinetur à cauſa prima ratione iam ſupradicta, & inferiùs amplius aperienda.

D. Thom.

Ex quo etiam ſequitur dicendum eſſe idem de cauſis naturalibus, etiam ſi dicamus eas aliquando determinari ad exercitiū primi actus non ab alia cauſa neceſſaria, ſed ab aliqua libera creata: quod ſcilicèt ideò ſolùm dicuntur cauſæ particulares ſuorum actuum, quia determinant vniuerſalem concurſum quoad ſpeciē, vel genus actus, non verò quoad exercitium. Tùm quia ſaltem cum cauſa naturalis non determinatur à cauſa libera creata, ſed ab alia, & alia neceſſaria vſque ad primam omnino liberam, vt certum eſt poſſe, & ſæpè de facto contingere, non poterit dici particularis eo, quòd determinet Deum quoad exercitium, niſi in ratione inſtrumenti, quo Deus ſe ipſum determinare velit, vt ſupra dictum eſt. Tùm etiam, quia eam determinationem, quam accipit cauſa naturalis à libera creata non habet ex proprijs, ſed contingēter eam accipit: atque adeò potiùs cauſa libera dicenda eſt, tunc determinare Deum quodammodo quoad exercitium mediante illa cauſa naturali neceſſaria, quàm ipſa naturalis cauſa poſsit dici determinare Deum, niſi vt inſtrumentum, iuxta ea, quę infra tangemus de voluntate creata, eam videlicet eſſe cauſam particularem, & non inſtrumentū, quo principiat determinationem. Tū tertiò, quia vt ex dictis colligitur non minùs verum eſt cauſam liberam creatam, ideò ſic vel aliter determinare eam cauſam naturalem ad exercitium, quia cauſa libera ità mouetur, & determinatur à Deo medijs obiectis, & circunſtantijs, &c. quàm de alijs cauſis naturalibus: eo ſolùm diſcrimine, quod cauſa libera liberrimè: naturalis verò neceſſariò determinatur à Deo ad applicandum, vel determinandū alias cauſas naturales: ergo tandē tandē deueniendum eſt ad hoc, vt cauſa vniuerſalis prima à nulla cauſa naturali determinetur primario, & per ſe quoad exercitium actus, ſed potiùs è conuerſo. Aliter verò quoad ſpecificationem propter ea, quæ dicta ſunt, & propter dicenda inferius. Quod quidem ſuo etiam modo dicendum venit de cauſa libera creata, quantum ad actus naturales præciſè. In ſuper naturalibus verò eſt ſprecialis difficultas, vtrùm aliqua ratione ſit, aut dici poſsit cauſa particularis ſeu principalis, vel ſolum inſtrumentum, vt fuſius alibi dicemus.

Cauſa vniuerſalis prima à nulla cauſa determinatur primariò, & per ſe quoad exercitium actus, ſed potiùs è conuerſo.

Ex dictis conſtare poteſt reſponſio ad id, quod tertio loco inferebatur, & videbatur, ſequi in argumento, nimirùm in poteſtate hominis non eſſe vias ſuas malas facere. Nam cum concurſus cauſæ primæ non tollat arbitrij libertatem, neque incitet ad malū, vt ſæpè dictum eſt, plane ſequitur per illum concurſum, aut motionem non auferri poteſtatem abſolutam, & naturalem operandi, vel non operandi, & faciendi id, quod malum eſt, viaſque ſuas perdendi, vel id quod bonum apparet ſuis tamen viribus proportionatum, cuius etiam rationem explicuimus, dum diximus voluntatem creatam ad nullam actionē, præter eas, quæ merè naturales ſunt, & neceſſariæ, quoad exercitiū determinari neceſſaria naturalique phyſica determinatione neceſsitante, ſicut aliæ cauſæ naturales determinantur, ſed determinatione libera morali, & propriè etiam efficiente. Quia determinatio efficiens dependens à morali libera determinatio eſt, cum qua remanet phyſica poteſtas ad con-

Solutio ad id, quod tertio loco in argum. inſerebatur.

tinendum actum, vt suo loco dicemus, quod quidem hæretici negabant affirmantes nō aliter moueri voluntates creatas hominum atq; mouentur bruta, vel aliæ res inanimes, vt colligitur ex Trid. sess. 6. cano. 4. Et immeritò imponitur Diuo Thomæ, & scholæ suorum sectari eorum dogmata, præcipuè cum doctrina Sanctissimi Præceptoris vsum fuerit idē Concilium Tridentinum. Sed inferiùs explicabimus ampliùs, qua ratione speciali dicatur, & verè sit in potestate hominis esse vias suas malas facere.

Quod Deus non sit causa peccati.

AD illud tandē quod postremo loco colligeb atur in argumēto videlicet Deū esse causam, & autorem peccati, & nō minus, quàm bonorum operum, neganda est illatio; quoniam Fide Catholica profitemur, neque Deum esse authorem peccati, neque incitare, aut præmouere nos ad ipsum. Vndè solutio argumenti ex dictis constat, & potissimè de sensu, in quo loquitur Tridentinum Concilium cōtra Lutherum, & antiquiores hæreticos asserentes omnes actiones humanas, siue bonas, siue malas à Deo effici in nobis, nihil nobis liberè coefficientibus, sed instar rerum inanimatarum nos habentibus, vt apertè constat ex verbis illorum recitatis à Rosense artic. 36. & à Trident. sess. 6. ca. 6. & cano. 4. In quibus primum ea Lutheranorum hæresis damnatur. Inde enim consequenter inferebant illi non minus esse opus Dei proditionem Iudæ, quàm Pauli vocationem, & similes alias mirabiles conuersiones. Et idcirco neque alia ratione ipsi Deo esse adscribendas, quod damnatur in Trident. sess. 6. cano. 6. Quæ etiam Concilij mens, & intentio ex primis verbis illius canonis sexti constat. Nam ait. Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ità vt bona Deum operari, non permissiuè solum, sed etiam propriè, & per se, adeò vt sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli: anathema sit. Examē huius rei scholastico more à nobis differtur, & impugnantur hæretici. 1. 2. quæst. 79. vbi de causa peccati agitur, in secundo tomo.

Illud tamen debet esse certum, & indubitatum in actu peccati duo reperiri. Primum est entitas, siue realitas actus, quæ in esse naturæ, siue physico propriam habet speciem sibi intrinsecam sumptā ab obiecto, & potentia consideratam secundum esse naturale, & physicū, prout physicum distinguitur à libero, & morali. Secundum est ipsa formalis ratio peccati illi realitati adueniens, quæ nihil aliud est, quā formalitas, & deformitas cum respectu quodam, cuius genus est ratio actus moralis, quæ consistit in proportione, & ordine ad legem æternam, siue ad rectam rationem, illam quasi promulgantem: differentia verò specifica illius peccati, est illa deformitas, aut priuatio conformitatis ad legem, & rectam rationem. Nolumus nunc examinare, in quo propriè sit ratio formalis peccati, aut differentia eius. Quia de hac re satis diximus. 1. 2. in commentarijs super Sanctum Thomam.

Secundò similiter debet esse certum Deum esse causam realiter iuuantem ac physicè coefficientem simul cum voluntate creata quidquid entitatis realis positiuæ reperitur in actu peccati, non aliter atq; dicitur, & est verè coefficiens quidquid entitatis realis, & positiuæ est in calore producto ab hoc vel illo igne, vel in actu visionis, vel motionis localis bruti, vt docet Diuus Augustinus lib. 1. Retractationū cap. 26. & Diuus Thomas. 1. 2. quæst. 79. art. 2. ac proinde consequenter nulli dubitum esse debet quin Deus sit causa vniuersalis entitatis realis physicè ipsius peccati, sicut verè dicitur esse causa aliarum rerū naturalium. Quibus ità prælibatis inter Catholicos versatur difficultas, cur Deus non sit causa particularis, siue principalis, imò neque debeat dici absolutè causa, vel autor peccati, vt expressè docent Sancti Patres à Deo remouentes nefas hoc: de qua re pauca dicemus hic; Nam multa diximus prima secundæ.

Illi ergo authores qui voluntati seu libero arbitrio tribuunt primariam rationem principij seipsum primò determinantis, non solùm in quodam, sed in omni genere causę, acsi nulla omnino esset habenda ratio obiecti, & bonitatis maioris, vel minoris, sic vel aliter, in his vel illis circunstantijs, trahentes voluntatem: & aliorum, quæ ad eam determinandam necessaria esse dicunt. Theologi, inquam huius sententię propter eam summam, & primam indifferentiam, quā voluntas habet, Respondent absolutè causam particularem, siue principalem esse illam, quę aliàs determinat concursum causę vniuersalis ex se indifferentem. Cum autem solā voluntas creata determinet concursum causæ vniuersalis, scilicet Dei, & ad speciem huius actus, in quo est peccatū potius quàm oppositi, & ad actuale exercitium illius sequitur eam solam esse, ac verè dici posse causam particularem, & prę cipuam peccati. Deum verò solum dici vniuersalem causam & physicam actus, & entitatis realis physicè, quę in ipso actu peccati reperitur. Vbi aduerte quantum attinet ad Patrem Molinam in concordia. q. 14. artic. 13. disput. 31. futilem non esse eam antiquorum rationem, quam ille reijcit initio disputationis, non solum, quia à Sanctissimo, & doctissimo Præceptore Sancto Thoma tradita est. 1. 2. quæstio. 79. artic. 1. in corpore, sed quia omnibus probatur, & ad illam est necessariò recurrendum, vt ostendamus, qua ratione Deo nō imputentur peccata, quātus facillime ea impedire posset, & liberè permittat, vt fatentur omnes. De

Deus nō incitat, neque præmouet ad peccatū.

Rosensis. Conc. Trid.

Duo, quæ in peccato reperiuntur

Deus est causa omnis entitatis realis positiuæ, quæ est in peccato.

Difficultas in quo sita sit.

Quid respondeant quidā ad difficultatem.

qua

qua etiam ratione plura diximus in disputatione de peccatis. Legendus est Sanctus Thomas 1.2. quæst. 79. artic. 2. Atque adeò in D. Thomæ sententia consequenter ad ea, quæ dici solent in hac parte est asserendum Deum neque esse, neque verè dici posse causam particularem, aut specialem, aut principalem peccati, & consequenter, neque rationis formalis illius, etiam si quoad exercitium Deus influat in actionem, & realitatem physicam illius, & in voluntatem creatam ad substantiam physicam illius actus. Ratio autem huius est. Quoniam causa particularis & principalis est illa, quæ vniuersalem determinat ad speciem concursus, & actus ipsius, siue solum determinet eam formaliter ad speciem, quia quoad exercitiū plures id negant: concedentes illud quoad speciem; nullam facientes mentionem determinationis quoad exercitium.

Ratio quare Deus nō dicatur causa peccati.

Illius autem rationem à posteriori ostendimus supra in effectibus naturalibus, & manifestè patet etiam in alijs specificis rationibus, aut respectibus superuenientibus entitati realis, siue naturali aliquorum actuum, vt apertè constat in vitalitate actuum brutorū, siue sensuum externorum hominis, vel intellectus, &c. & etiam in libertate actuum voluntatis. Licèt enim Deus necessariò determinet brutum ad eliciendum hic, & nunc hunc vel illum actum vitalem, nostrumque intellectū, & voluntatem necessitet in patria ad vitalem sui visionem, & amorem, actus tamen illi vitales non sunt, nisi quia potentiæ immediatè producētes, & elicientes sunt vitales, & quāuis diuina voluntas liberè concurrat ad volitionem creatam simpliciter liberam qualis est in via, hæc tamen libera est: quia potentia creata immediatè eliciens est libera, aliter si ea denominatio à vitalitate vel libertate primæ causæ sumi posset, omnis actus causæ secundæ, verbi gratia, ignis, vel aquæ, & similes, ad quos diuina voluntas concurrit, vt causa vniuersalis essent vitales, ac liberi, atque ità diuina voluntas non est, neque dici potest causa particularis, vel principalis illarum denominationum, quamuis sit causa vniuersalis omnia attingens. Cum igitur ratio formalis peccati vna sit ex ijs formalitatibus, siue denominationibus realitati actus superueniētibus sequitur causam particularem, & principalem illius similiter esse potentiam creatam immediate producentem, & specificātem illam, sicut prædictas alias denominationes. Quamuis enim peccata dicantur specialiter specificari in obiecto, & ex obiecto, inde nulla ratione sequitur debere potiùs sumere suam speciē à potentia vniuersali, quæ est diuina voluntas quàm à particulari, quæ est voluntas creata: sed vel à nulla earum, vel potiùs à particulari cum hæc etiam ad exercitium moueat sicut illa, etsi in diuerso genere, præterquàm quod est certum eandem speciem actus peccati sumi ab ipsa potentia creata, quæ ab obiecto sumitur, sicut enim voluntas ratione talis actus producti est formaliter, & in actu secundo difformis rectæ rationi, in quam veluti in obiectum proprium debeat tendere, & ideò actualiter peccans, ità etiam prius natura considerata, in eodem tamen instāti temporis, in quo operatur est difformis quasi virtualiter, & in actu primo, ratione prauæ dispositionis, siue determinationis præconceptæ statimque eliciendæ à qua sufficientissime specificatur peccatum, non aliter, atque ab obiecto ipso malo, à quo est affecta, & quasi grauida facta voluntas, vt suo loco diximus, illud interim excogita ex verbis Iacobi. 1. *Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus, deinde concupiscentia cum cōceperit* (nimirùm obiectum) *parit peccatum, peccatum verò generat mortem.* *Iacob. 1.*

Quia ratio formalis peccati est quædam denominatio, & formalitas superuenies realitati actus, ideò causa principalis illius est potentia creata à qua immediatè producitur.

Dixi supra: Deum non esse causam specialem, & particularem, aut principalem peccati, quamuis Deus suo concursu influat in actionem, & entitatem actus; quia neque premouet, neque incitat voluntatem, neque prædeterminat ad ipsum; ac proinde longissime distat ab eo, quod est necessitare ad actum peccati. Nā etiam est omnino certum, quod in actu ad quem necessariò moueretur voluntas à Deo, necessitate videlicèt absoluta non posset reperiri propria, & formalis ratio peccati, vt apertè constat in amentibus, & in pueris ante vsum rationis, idq; in adultis docēt expressè Sācti Patres aduersus hæreticos dicētes peccata fieri à nobis necessitate absoluta ex fato, vel diuina voluntate proueniente: tūc enim aiunt peccatanon esse. Vide Diuum Augustinum locis superius citatis, & alios. Ratio huius est. Quia impossibile est inueniri alicubi speciem actus, vel alterius cuiuscumque rei sine eo, quod ibi inueniatur ratio quidditatiuè superior, siue generica illius, sed in eo actu necessario elicito à voluntate, in casu, quem disputationis gratia supponimus, nullo modo inuenitur ratio entis, siue actus moralis, quę est genus quidditatiuè superius ad rationem formalem actus peccati: ergo neque in eo ratio peccati inueniri potest proprie, & formaliter. Probatur minor. Quia ratio entis moralis ità in libertate cōsistit, ꝙ in ea necessariò fundetur, ità vt absque illa reperiri non possit, vt communis sententia fatetur: ideò namque esse morale distinguitur contra physicum, siue naturale, id est non liberum, quod in eo actu nulla est libertas, sicut neque in causa proxima, à qua ea denominatio sumitur, ergo, &c. *In re esse nō potest aliqua ratio specifica sine ea, quæ est quidditatiuè superior.*

Consequenter dicendum est Deum non eodem modo, sed valde diuerso secundum reiveritatem, & Diui Thomę sententiam, esse causam, & authorem bonorum operum, actuumque peccatorum, neque consequenter peccatum esse eodem modo opus Dei, atque conuersio bonorum seu Pauli, vt hæretici dicebāt, cum Deus nullius peccati sit causa principalis, siue primario determinans in genere pro- *Longè diuerso modo Deus est causa bonorum, & malorum operum.*

prij ef-

prij efficientis, sed potiùs creatura, quamuis Deus sit causa vniuersalis prima ipsius materialis peccati. Imo verò in opinione quorundam si Deus necessitaret voluntatem creatam per solam applicationem obiecti, & circunstantiarum simpliciter determinatium, & nullo modo inclinaret voluntatem creatam ad actum, cui est adiuncta deformitas peccati, imprimendo illi nouam qualitatem siue affectũ, nullo etiam modo positiuè imperando, suadendo, aut præbendo consilium, quo moraliter determinetur etiam ad materialem entitatem actus peccati: quia Deus tales actus iubet non fieri, & suadet, ab illisque efficiendis sæpè deterret, neque alio influxu, aut genere causæ litatis determinando, & applicando voluntatem ad actum peccati, non diceretur esse causa peccati; quia neque determinaret voluntatem, neque applicaret illam sua præmotione ad illud materiale peccati. Imò verò cũ Deus iubeat non fieri actus illos, & deterreat ab illis efficiendis non est cur dicatur præmouere, aut prædeterminare ad eos. Bonorum autem actuum Deus est non solum causa prima, sed principalis in supernaturalibus, eo quod præbeat virtutem mirificam, & diuinam, à Deo determinatè inclinantem: ipsi naturæ nõ debitam, & vniuersaliter ad omne bonum morale non supernaturale, concurrit, non solũ præbendo physicum influxũ in ratione veræ causæ iuuando, sed etiam vniuersaliter præcipiendo per leges, per consilia, per minas, & pœnas, ad omne bonum suadendo, eo etiã animo proponendo obiectum in his, vel illis circunstantijs, vt homo cum actum bonum determinate eliciat, & à malo auertatur. Sæpè etiam per se vel medijs illuminationibus spiritualibus impulsibusque & inspirationibus, vel per Angelum custodem nouas species excitãtem, specialiter etiam, & amicabiliter aliqua bona suadendo, vel infundendo voluntati immediatè nouum affectum, & inclinationem, vel pluribus alijs rationibus, quas ipse Deus nouit plus virium conferendo, vt bona fiant vniuersaliterq; bonum quodcumq; approbando à creatura fieri. Vnde Deus iure dicitur causa principalis actuum bonorum supernaturalium, & aliorum omnium author præcipuus, primaq; causa moralis, sicut è conuerso creatura est, & dici debet prima causa, & primus author peccati, vt plerumque in scriptura appellatur, & etiam à Sanctis Patribus.

Quibus modis Deꝰ moueat, & alliciat voluntatem ad bona opera.

Bene operari est efficere: peccare verò deficere.

Huius rei adhuc ratio assignari solet, non solum, quia ad bene operandum, creaturæ necessariæ sunt vires, ex eo quod bene operari est aliquid efficere, peccare verò potiùs est deficere à regula, quod non fit nisi per defectũ virium, quem creatura habet post peccatum, à Deo verò vires illi tribuuntur ad bonum, & idcirco initium peccati à creatura est, boni verò initium à Deo. Hæc quidem ratio primo aspectu sufficiens dicitur, cæterùm vt satisfaciat indiget explicatione, cum certum sit non omnia peccata esse omissionis, sicut neque ad omne bonum aliquid positiuè sit efficiendum formaliter loquendo, vt ad non occidendum ad non iurandum, imo verò plus laborandum sit interdùm ad aliqua peccata efficienda, in quibus imminent difficultates, & pericula etiam vitæ, quam ad exequendum, & efficiendum aliquod bonum illis oppositum, vt constat in homicidio, & furto, & similibus.

Vnde ratio illius, quod dicebamus est. Quoniam humana natura creata composita ex rationali anima, & corpore habet à natura appetitus, & inclinationes aliquas ducẽtes quantum est ex parte illarum ad entitates aliquorum actuum, ex illis, in quibus est moralis malitia, & ratio peccati, eo quod lege aliunde sint prohibiti. Si enim actus illi non essent lege aliqua interdicti, mali non essent, neque diceretur natura creata, quæ sensualitas appellatur, & fomes peccati inclinare ad malum nunc in naturà lapsa. Nam ideò inquit Paulus ad Romanos. 7. *Quid ergo dicemus, lex peccatum est? absit, sed peccatum non cognoui nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret. Non concupisces, occasione autem peccati introducta est lex*, & statim: *Sine lege enim peccatũ mortuũ erat.* Certum enim est hominem, qua viuens sensibile est, naturalem habere appetitum, & inclinationem gustus, & tactus ad voluptates, & minùs ordinatum post primum peccatũ, quà in reliquis animalibus, cum præfinitum tempus à natura non habeat, sicut in illis habere etiam naturalem appetitum cibi, & potus, & ad protegendum se, sicut etiam ad quærendũ quidquid adhæc sic erit necessarium, & ad repellendum inimicum, siue contrarium malum quodcumq; inferens, per irascibilem. Et simiiter, qua rationalis est cum Angelis communem habens naturam, naturalem habere appetitum proprię existimationis, & excellentiæ. Propensionem etiam ad eam, qua potuerit cõparandam, & ad repellendum quidquid impedire videbitur, & sic de alijs.

Trident. Cõcilium ait, sess. 5. quod concupiscẽtia ex peccato est, & ad peccatũ inclinat.

Ex altera parte est etiam certum homini esse legem impositam diligendi Deum supra seipsum, & reliqua omnia bona quæcumque sibi conuenientia, illique in omnibus quę præcepit obediendi. Specialiter etiam hominibus esse impositum, ne aliena surripiat inuito domino quantumcumque illis vtilia videantur, & necessaria, nisi forte in extrema necessitate constituti. Ne etiam inimico malum inferant, vitam, famam, aut alia bona per falsam attestationem, aut aliqua quacumque ratione auferendo, quod etiam ad omnes alios extenditur: accessum etiam ad non suam, & sumptionem cibi certis temporibus esse interdictam, quantumcumque carnis illecebris palsio vehemẽs inclinet, dum eas per rationem frenare possit, & etiã hominibus, vt rationales sunt, vt alijs etiam hominibus subijciantur, quod etiã in Angelis respectu Christi rationabilissimũ est, pluraq; alia præcepta esse imposita. Cum

igitur

igitur Deus mille modis nouas vires præbeat creaturis ex ſe ſufficiẽtes ad implenda ea præcepta, quibus poſt peccatum contradicere videtur hominis natura, & ſenſus, eo quòd ſenſualitas declinet, & propendat in oppoſitum, & vires rationis infringat, ac trahat ſæpiſsime, neque ratio propriæ excellentiæ appetitum, ità facile cohibere poſsit; in quorum etiã præceptorum obſeruatione integra ratio bonitatis moralis conſiſtit. Sequitur Deum eſſe omnino primum authorem totiùs bonitatis, & bonorum operum, quæ ab homine fiunt. Cum autem è contra natura creata naturaleſque eius appetitus nitantur in actus oppoſitos diuinis præceptis, à quorum etiam tranſgreſsione ſumitur integra ratio malitiæ moralis, & peccati, ſequitur ab ipſa natura creata ſumere etiam exordium omne malum, idque volunt Sancti Patres, quando dicunt creaturã ex ſe ipſa, & à ſe ipſa habere, vt deficiat, & peccet, quod eſt in nihilum tendere, eo quod ipſa ex nihilo ſit facta à Deo: bonum autem eſſe à Deo ſicut, & ipſum eſſe creaturæ. Sicut enim nihil eſt ipſum non eſſe abſolutè, & ſimpliciter, ità peccatum in communi ſententia Sanctorum eſt ipſum non eſſe, quaſi morale, cum ex ſua ratione ſit priuatio illius eſſe moralis, quod debuerat eſſe conſiſtens in conformitate, & rectitudine ad primam regulam, & rationem: ſicut etiam creatura à ſe non eſt aliquid, cum ex ſe ipſa non habeat ſuum eſſe naturale, ſiue abſolutum, ſed potiùs illud à Deo accipiat: ità ex ſe habet ipſum non eſſe morale, ſeu priuationem illius, cum neque ex ſe ſit rectæ rationi conformis, maxime poſt peccatum, neque à ſe habeat vires ſufficientes ad ſibi cõparãdum illud eſſe morale rectũ, ſed potiùs ex ſe declinet, & propendeat in actus, quibus deſtruitur tale eſſe morale, & quaſi adquiritur ipſum nõ eſſe morale illi oppoſitum, ſcilicet peccatum: at verò à Deo habet ipſum eſſe morale, ſiue rectitudinem per vires, ſcilicet & auxilia, quæ illi præbet Deus, vt eiuſmodi bonum verè comparet, & adquirat libere. *Nam qui creauit te, ſine te*, inquit Auguſtinus, *non ſaluabit te, neque bonum efficiet ſine te.* Ideòque Deus dicitur author boni in eo modo loquendi, ſicut & ipſius eſſe, eo tamen diſcrimine indicato, creatura verò author mali & ipſius non eſſe. Sicut etiam quia peccatum eſt quidam receſſus à Deo, & à Deo recedere eſt in nihilum tendere: eo enim plus habet creatura ipſius non eſſe, quo magis diſtat, minuſque participat ipſum diuinum eſſe. Diſtantia enim ſiue receſſus à Deo non eſt niſi per diſsimilitudinem actualem ipſi Deo primo rerum omnium exemplari, fundatam in actuali negatione participationis illius, quãuis fiat ſæpè per actionem deſtructiuam alicuius eſſe creati, ſicut proportionaliter receſſus moralis per peccatum conſiſtit in morali diſsimilitudine, ſiue difformitate cum voluntate diuina, licèt cauſetur, vel ſequatur ad actionem poſitiuam tendendi in aliud, vel ad actionem deſtructiuam alicuius, &c. Quod voluit S. Thomas. 1. 2. quæſt. 109. artic. 2. in ſolutionibus argumentorum, & ad ſecundum dicens, quòd peccare nihil aliud eſt, quàm deficere à bono. Lege Diuum Auguſtinum lib. de Prædeſtinatione, & gratia, tomo 7. ſic dicentem: *Liberum verò quod ab eo habemus arbitrium, prono ad iniquitatem lapſu fluit, & cum ad virtutis indolem Dei auxilio deſerente nihil poſsit ad genus omne peccati, idonea fultum virtute ſubſiſtit, &c.* Vide etiam Auguſtinum de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 21. tom. 3. Diuum Hieronymum lib. 3. Dialogorum aduerſus Pelagianos, vbi ait. *Hoc & nos dicimus poſſe hominem non peccare ſi velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quandiu intentus eſt animus, quamdiu chordæ nullo vitio laxantur in cithara: quod ſi paululum remiſerit, quomodo, qui aduerſo flumine lembum trahit, ſi remiſerit manus ſtatim retro labitur, & fluentibus aquis, quo non vult ducitur, ſic humana conditio, ſi paululum ſe remiſerit diſcit fragilitatem ſuam, & multa ſe non poſſe cognoſcit.* Fuſius etiam loquitur Hieronymus in epiſtola ad Theſiphontem poſt medium cum plura adduxiſſet ſcripturæ loca, maximè ex Diuo Paulo ait. *Caro enim deſiderat contra ſpiritum, & ſpiritus contra carnem, & hæc inuicem ſibi aduerſantur, vt non quæ volumus ipſa faciamus. A me nũquam audies malam eſſe naturam, ſed quomodo ſit carnis fragilitas differenda, ipſo qui ſcripſit docente diſcamus, interroga eũ, quare dixerit non enim, quod volo hoc operor, ſed quod odi malum illud facio, quæ neceſsitas illius impediat voluntatem, quæ tanta vis odia digna imperet facere, vt non quod vult, ſed quod odit, & non vult facere compellatur. Reſpondebit tibi. O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? nunquid dicit figmentum figulo, quare me feciſti ſic? an non habet poteſtatem? &c. Sed paulò ante prædixerat. Reclamabis, & dices Manichæorum dogma nos ſequi, & eorum, qui diuerſis naturis Eccleſiæ bella concinnant, aſſerentium malam eſſe naturam, quæ immutari nullo modo poſsit, & hoc non mihi, ſed Apoſtolo imputa, qui nouit aliud eſſe Deum, aliud eſſe hominem, aliam carnis fragilitatem, aliam ſpiritus fortitudinem.*

Idem etiam paucis explicuit Gregorius Nazianzenus oratione in ſanctum baptiſma dicens: *Peccato autem labi humanæ eſt ac terrenæ compoſitionis, &c.* Diuus Baſilius oratione 4. de Pœnitentia, circa medium, & homil. nona. Quod Deus non eſt author malorum, eſtque communis Patrum ſententia, originem peccati dicentium eſſe voluntatem peccati, & nõ tribuentium illam Deo, neque principio malo aduerſus Manicheos. Neque ob ſolam libertatem ipſius volũtatis, qua poſſet ſi vellet non peccare, ſicut & peccare. Pro omnibus tamen ſufficiat Diuus Paulus ad prædictorum omnium explicationem integra epiſtola ad Romanos, præcipuè cap. ſeptimo in illis verbis: *Scimus enim, quia lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato, quod*

A Deo, vt primo totius bonitatis authore ſumi omnẽ bonitatẽ, à creatura autem rationali omne malum.

S. Aug.

D. Thom.

D. Aug.

D. Hieron.

Grego. Nazianze.

D. Baſil.

D. Paul. ad Rom. ca. 7.

enim

enim operor non intelligo, non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio: si autem quod nolo illud facio consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum. Nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malũ hoc ago. Si autẽ quod nolo illud facio iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Et infra. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnãtem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in mẽbris meis. Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Idem etiam dicit cap. octauo sequenti. Quibus verbis Paulus insinuat, in quouis homine esse appetitum, siue inclinationem, quàm vocat legẽ peccati in actus oppositos ijs, qui lege spirituali, & diuina præcipiuntur, & propensionem corporis, & sensualitatis præcisa nimirùm lege spiritus nulli bono repugnare, supposita tamen ipsius spiritus lege repugnare legi mentis, neq; obedire rationi, & spiritui, idque ratione peccati hominem contraxisse: radicemque, & causam peccati primã in nobis esse eam propensionem adeò vehementem post primum peccatum. E contra verò præcipuam causam primumque authorem boni, quod à nobis efficitur esse Deum, à peccatoq; liberari Dei gratia per Iesum Christum. Vnde cap. 8. inquit. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet nescimus. Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

In natura integra non erãt passiones appetitus, quæ cõtra rationem insurgere possent

Cum igitur creatura eas vires habeat ad malum, ad bonum verò ità imbecilles, Deus qui illas redintegrat, author est boni, non solum nunc post lapsum, in quo passiones adeò effrenatæ lasciuiunt, creatura indiget Dei adiutorio, vt verè se continere possit. Cum enim primum hominem creauit, ità sedauit passiones appetitus, vt nulla insurgere posset, sic vt rationis imperium anteuerteret, itaque vallauit, vt nunquam sensualitatis impulsu, aut instigatione peccaret, totq; dederat præsidia seu auxilia ex se sufficientia, quibus id quod alias proprijs viribus non posset, Dei audiutorio efficeret. Ex eo autem quòd Deus non dederit omnibus, aut Angelis, aut hominibus parem gratiã, & omnibus efficacia auxilia, actualeque donum permanendi, & perseuerandi. Quia si hoc fuisset omnibus donatũ, nullus de facto deficeret, aut peccaret, neq; etiã Adam cecidisset, si inquam huiusmodi continẽtiam, auxilia, & præsidia ità efficacia recepisset. Ex eo inquam quod Deus eiusmodi præsidia efficacia in re non contulerit, nullo modo Deus dicitur author peccati Angelorum: sed qui primus cecidit, & sibi, & reliquis author fuisse dicitur, neq; dicitur author peccati Adami, cuius author extitit diabolus, eo quod ex ea intẽtione peccati, illi proposuerit lignũ ad vescendũ bonum, & pulchrũ oculis, aspectuq; delectabile, quibus bonitatis rationibus partem sensitiuam alliceret, & attraheret, vt etiam rationalem, à cuius imperio pendebat actus ad peccatum inuitaret, & similiter alliceret.

Ex dictis planè colligitur alia quidem ratione Deũ se habere in bonis, & in malis operibus, verissimamque esse Tridentini Concilij sententiam dicentis. Non ita Deum mala opera, vt bona operari, non permissiue solum, sed etiam proprie, & per se. Nam certè bona opera agit Deus nos incitando, persuadendo, & præcipiendo, & tandem præmouendo, & applicando: ergo ex opposito cum Deus intentator malorum sit, teste scriptura, neque præmouet, neque incitat, neq; consulit, neq; determinat ad malum, seu ad mala opera, & hac ratione dissoluitur simul cum ante dictis vltima illa consequẽtia, & illatio, quæ in quarta obiectione proposita fuerat: quod de operibus malis etiam intelligitur, & non tantum de formalitate peccati, & malorum operum. *Triden. sess. 6. can. 6.*

Argumenta, quæ in exordio huius Sectionis proposita fuere dissoluuntur.

REstat igitur dissoluere argumẽta, quę pro prima sententia militabant in initio huius textæ sectionis. Illa enim sanctorum testimonia, quæ ab authoribus oppositæ sententiæ adducuntur sufficientem habent explicationem, cum ex prçecedentibus satis constet, quid sibi velint, & ex dicendis etiã poterit similiter cõstare sanctos illos alias etiam rationes agnouisse solutionis atq; indifferentiæ voluntatis, & etiam bonę ac malę voluntatis, etsi in diuerso genere, vt constat ex dictis.

Solutio ad 1. argumentum.

Ad primam igitur rationem iam patet completam, & integram rationem liberi arbitrij simul includere indifferentias illas seu facultates intellectus nimirùm ac voluntatis, vt Sanctus Thomas, & grauiores Scholastici sæpissime docẽt iuxta definitionem D. Augustini, quod etiam ratio continuit, quamuis formalis libertas in facultate sit voluntatis posita solaq; illius indeterminatione, siue indifferentia formali, essentialiter constituatur. Et quamuis ea indifferentia, quæ nihil aliud est, quàm non determinatio, siue non ligatio, aut obligatio voluntatis, & solet explicari per nomina solutionis immunitatis, aut libertatis, quæ aliquid positiuum indicare videtur: intelligenda tamẽ sunt iuxta ea, quę diximus, & inferius amplius dicemus. Licet inquã illa indifferẽtia sit formaliter in sola voluntate. Quia ea sola est, quę formaliter est indifferẽs eiusmodi indifferẽtia, quę est propria libertatis differẽtia, aut illã intrinsecè comitatur, ideoq; sola voluntas est formaliter libera domina, tamen hęc liber-

tas oritur ab ea radicali, quę est in ratione, & habet quandam rationem originis ab illa, à qua oritur, & procedit, vt dictum est in superioribus. Sicut enim determinatio, obligatio, & necessitas voluntatis, quæ contradictorie opponuntur indifferentiæ, quæ formaliter est solũ in voluntate non solum oritur à sola voluntate, vt euidenter constat in voluntate humana, cum necessariò elicit actus primo primos, & in quacumque voluntate creata respectu amoris Dei clare visi, ad quem necessitatur non solum à propria natura propensa in bonum, sed etiam à tali obiecto summe bono, & ab ipso Deo illud primario applicante hic, & nũc intellectui creato: & ab eodem intellectu creato immediate proponenti voluntati: ità indeterminatio siue indifferentia ac libertas arbitrij, & si formaliter sit in sola voluntate, vt in proprio subiecto, à quo in proprio genere quasi dimanat, tamen in diuerso genere causæ ab alijs etiam tribus oritur ac dependet quantum ad actuale exercitium, vt clarius explicabitur inferiùs.

Sicut determinatio, & necessitas voluntatis non oritur à sola volũtate, ità indifferentia ac libertas arbitrij.

Propositæ doctrinæ ratio assignatur.

Huius rei ratio est. Quia sicut ad hoc, vt voluntas hunc, vel illum actũ possit defacto elicere non sufficit sola naturalis facultas ipsius in proprio genere principaliter effectiua, sed requiritur concursus obiecti determinantis ac dirigentis in genere causæ finalis & obiectiuæ, & etiam concursus illius, vel illorum, à quibus pendet dispositio, & actualis cõcursus obiecti, ita ad hoc, vt voluntas hunc, vel illum actum possit liberè efficere, non sufficit naturalis facultas ipsius voluntatis ex sua ratione intrinseca indeterminata, & formaliter libera, sed requiritur concursus actualis obiecti proportionati ad talem actum liberum, & determinantis in genere causæ finalis, & obiectiuæ debito modo ad actum liberum, & etiam concursus eorum, à quibus pendet actualis influxus huius, vel illius obiecti proportionati, potiùs quàm alterius, & proportionatus modus determinandi in proprio genere causę finalis, quorum etiam causalitas, etsi sit conditio respectu entitatis actus, non tamen respectu indifferentiæ, vt dicemus sect. septima sequenti, & etiam inferiùs.

Ad replicã seu confirmationem.

Ad replicam seu confirmationem respondetur, nos loqui posse de sola facultate intrinseca voluntatis, quæ est formale principium eligendi, & quam sequitur intrinseca negatio necessitatis, siue naturalis determinationis respectu bonorum particularium, nõ minus quã differẽtiam positiuã himnibilis sequitur intrinseca negatio rationalis omnino inseparabilis etiam de potentia absoluta, & hanc facultatẽ indifferentem, quæ indifferentia communiter appellari solet, dubium non est quantum ad suam essentiam, existentiam, & conseruationem dependêre à Deo in genere causæ efficientis, cum illi sicut & entitati, cum qua identificatur, & substantiæ, cuius est dederit ac cõseruet esse. Et in genere etiam causæ finalis vltimæ, cum Deus sit eo modo rerum omnium finis. Est etiam omnino certum eam indifferentiam sicut emanat à propria voluntatis essentia, & entitate cum qua est idem, siue in genere causæ formalis tantum, sicut rationale ad substantiam hominis, siue in alio genere (neq; enim de eo est quæstio nunc) ità etiam procedere ac pendêre proprijssime ab obiecto seu à bonis particularibus in genere causæ obiectiuæ seu finalis proximæ quod idem est quantum, scilicet, ad essentiam illius facultatis, ad quam sequitur ea indifferentia intrinseca voluntatis, etsi non ità dependeat, etiam quoad actualem existentiam, & conseruationem ab actuali existentia obiecti, siue finis, bene tamen à possibilitate illius. Cuius ratio communis est ad omnes potentias, & facultates medijs actibus tendentes ex natura sua in certo obiecto, ideoque obiectis necessario proportionatas secundùm suas essentias, & commensuratas illis, tanquam proprijs regulis, de qua re in Metaphysica egimus. Nunc tamen patet manifestè. Quia finis essentialis, & intrinsecus voluntatis est bonum, illaque est essentialis appetitus boni, & diuersimode appetens diuersa bona. Est enim certum voluntatem creatam nullam habituram indifferentiam sibi connaturalem, & intrinsecam si nullum esset obiectum seu bonum particulare, ex se insufficiens ad implendam illius capacitatem, sed solum tendere posset voluntas in obiectum sibi omnino adequatum ac simpliciter determinans, cuiusmodi est Deus clare visus, aut bonum in communi continens omnem rationem bonitatis simul. Tertio etiam est certum, in quacumque opinione essentiam voluntatis, & facultatis liberę, proportionari, & commensurari essentiæ intellectus, cum omnis appetitus potentię cognoscitiuę, ita proportionari debeat, siue illi proportionetur, vt causę proprię producenti, quantum scilicèt ad formalem rationem seu essentiam vtriusque: siue vt principio non propriè causanti in aliquo, ex quatuor generibus causarum, sed reducendo ad finalem, eo quod intellectus dirigat, siue contineat in se finem formaliter dirigentem voluntatem ex natura rei, vt aliquando indicare videtur Sanctus Thomas, siue vt principium reducendo ad causam efficientem, eo quod intellectus efficiendo proprium actum ex natura rei habeat causare directionem, & ordinem actus voluntatis. Habeat etiam disponere, & quasi efficere, & actualiter proponere proprium obiectum voluntati.

Nullam haberet volũtas sibi intrinsecã indifferentiã, si nullũ esset bonũ particulare ex se insufficiens ad implendam ipsius capacitatem.

Si vero loquamur non solum de ea facultate voluntatis secundum se sumpta, siue de ea solum indifferentia, quę à voluntate respectu bonorum particularium inseparabilis est, & in qua positiue sumpta est essentialis forma libertatis, sed de illamet in ordine ad actuale exercitium, siue de integra ratione

Magis in particulari trahitur proposita doctrina.

indifferentiæ, quam dicit completa ratio liberi arbitrij, ratione cuius homo est perfectè potens suum actum liberè elicere, quoties actu voluerit: proportionaliter est asserendum, eam indeterminationem, & solutionem voluntatis in exercitio oriri ac dependere ab obiecto in genere causæ finalis, & obiectiuæ, idem enim sunt, vt sæpè dictum est quantum ad hoc. Siue enim bonitas medij per seipsam determinet, siue sola bonitate finis causalitas illius ad finalem spectat, siue vt ad finem medium, siue secundum aliam rationem finis, de quo alibi diximus.

Rursus dependet ea solutio voluntatis quo ad exercitium ab eo, in cuius potestate est proponere, aut non proponere obiectum, siue primario cuiusmodi est diuina voluntas, siue immediatè, vt intellectus creatus. Quorum applicantium causalitas, vel ad finalem, vt dictum est ex Diuo Thoma, vel potiùs cum eodem Sanctissimo Præceptore ad efficientem reducitur. Quorum etiam rationes explicuimus supra. Sicut enim dubium non est actualem determinationem, & necessitatem voluntatis ad hunc, vel illum actum ab illis omnibus oriri ac pendêre, vt de obiecto patet in Deo clare viso, & alijs, quæ ità repræsentarentur: de intellectu in amentibus, & pueris, & de diuina voluntate primario applicante in ea hypothesi, quod absolutè necessitate naturæ operaretur: ità proportionaliter asserit hæc sententia indeterminationem, & solutionem voluntatis quoad exercitium, atque indifferentiam, ab illis omnibus oriri eo ordine, quo supra dictum est, maximè. §. illo de concordia opinionum.

Solutio secundi argumenti.

Ad secundum argumentum respondetur iuxta ea, quæ in superioribus dicta sunt, nimirùm de ratione, siue essentia voluntatis non esse eam facultatem, vt nulla habita ratione finis, vel aliorum in proprio genere concurrentium in hanc, vel illam partem inclinetur. Licèt enim verum sit voluntatem, siue liberum arbitrium habere potestatem sibi intrinsecam, & naturalem, per quam possit absolutè inclinari, aut non inclinari in obiectum hic, & nunc propositum sub his, vel illis circunstantijs, ità allicientibus, stante etiam hoc, vel illo dictamine rationis, vel etiam in omnino oppositum tendere (vt diximus) certum tamen est in omni sententia ad eam determinationem debere necessariò concurrere obiectum, siue bonitatem illius causantem secundum propriam rationem finis, cum nulla sit actio creata, quæ non habeat causam finalem, nulla etiam actio libera absque fine proximo fieri possit. Concurrere etiam intellectum proponentem bonitatem illam, suaque facultate ostendentem, siue actualiter, siue habitualiter, qua tendere possit ac debeat voluntas in hoc, vel in oppositio secundum rationem huius, vel illius finis. Et tandem diuinam voluntatem, vel ità propriè efficientem seu physicè, ità coefficientem, vt possit physicè etiam iuuare ad aliud, si ipsa creatura vellet, sua etiam prouidentia primariò applicantem, vel applicare permittentem hoc, vel illud obiectum, vt explicatum fuit supra. Et in omni sententia concedendum est, in quauis actione, vel etiam determinatione ad agendum nostri arbitrij spectandum esse diuinum beneplacitum, vel saltem permissionem, nihil enim fieri potest, nisi Deo ipso primariò volente, aut ità fieri permittente: à quorum omnium determinatione, aut indeterminatione in proprijs generibus concurrentium præcipuè tamen, & vt à causa particulari, & præcipua verè, & realiter oritur atque dependet eiusmodi indeterminatio, atque indifferentia voluntatis ad exercitium proprij actus, vt satis esse consonum ipsius voluntatis naturæ, & in Theologia Diui Thomæ, & grauissimorum, sicut etiam in morali doctrina Aristotelis omnino certum retulimus.

Nulla est actio creata, quæ non habeat causam finalẽ.

Solutio ad tertium argumentum.

Ad tertium argumentum, in quo genere ab illis tribus oriatur indifferentia voluntatis satis constat, tùm ex proximè dictis, tùm etiam ex præcedentibus pro explicatione Diui Thomæ, vbi etiam ostendimus, qua ratione debeat dici Deus causa, siue radix actus liberi voluntatis creatæ ratione concursus creatiui, seu conseruatiui, & similium, quæ omnia videtur explicare Deça Archiepiscopus Hispalensis in 1. distinctione quadragesima quinta, articulo decimo tertio, notabili tertio. Quia verò ratione intellectus, & alia, à quibus diximus pendêre libertatem voluntatis in exercitio, non sint mera conditio, sed concausæ in proprijs generibus, partim constat ex proximè dictis, & partim dicemus infra.

Deça Hispalensis.

Ad alia alterius ordinis argum.

Ad alia argumenta ibidem à nobis posita, quæ ad aperiendam veritatem, & in gratiam eius adducta sunt ad primum cum plura petat pluribus etiam respondendum est ac distinctiùs, quamuis sufficere viderentur ea quæ obiter diximus supra, de quibus iterùm redibit sermo sectione septima sequenti. Petit igitur primum argumentum primo, vtrùm intellectus sit potentia merè naturalis, secundò petit vnum aliud ex eo ortum. An sit potentia simpliciter necessaria ac determinata ad exercitium proprij actus, vel aliquam habens indifferentiam sibi intrinsecam præter illam, quam extrinsecè participare potest à voluntate. Tertio petitur in eodem argumento, vtrùm detur aliqua potentia, siue facultas ex natura rei media inter naturalem, & liberam. Quartò; An esse possit aliquis actus medius, qui neque naturalis sit, siue necessarius, neque liber formaliter. Et his omnibus respondere conabimur suo ordine.

Quod primum petat quædam dubia.

Primũ dubium an intellectus potẽtia sit merè naturalis.

Ad primum igitur, licèt Ocham in 2. quæst. 25. ad decimumquartum, decimumquintum, & decimumseptimum, & alias; intellectum appellet potentiam naturalem absolutè, sicut etiam ex parte Scotus in 2. distinct. 25. quæst. prima. §. Dico ergo ad quæstionem, & alij similiter loquentes maximè nominales, & alij asserentes intellectum posse cogi ad assensum obiecti propositi, id enim videtur sonare absolutam quandam necessitatem, aut esse proprium potentiæ purè naturalis, vt Gabriel in 2. distinct. 25 quæst. prima, artic. secundo, conclusione prima in probatione eius: & si qui alij sunt ex iunioribus, aut ex antiquis illorum saltem modum loquendi imitantes; nihilominùs Aristoteles in libris de interpretatione, & libro nono Metaphysic. tex. 10. & in libris Ethicorum, & moralium sæpissime intellectum, siue potentiam rationalem, sub qua etiam comprehendit voluntatem non semel, distinguit omnino contra potentiam naturalem, siue necessariam absolutè, in quibus locis Diuus Thomas, Alexander, & alij antiqui, & iuniores Metaphysici idem dicunt, quibus accedit communis Scholasticorum sententia vtentium sæpissimè distinctione illa, &c. Facilius tamen est vti distinctione. Si enim per potentiam naturalem intelligamus eam solam, quæ natura sua ad vnum tantum est determinata, vel quæ sola singularia sensibilia hic, & nunc proposita percipere potest, vt potentiæ corporeæ, vel eam quæ ex natura sua simpliciter sit determinata ad necessariò operandum, vel non operandum simpliciter circa id quod objcitur, eo tantum modo, quo per sensum proponitur, siue ad iudicandum ea tantum ratione, qua obiectum extrinsecum hic, & nunc inclinare videtur: ea ratione non est potentia naturalis, cum plura alia simul in eo, quod proponitur cognoscere ac discernere possit, diuersa etiam iudicia habere: & tandem contingenter assentiat, vel dissentiat omnibus illis, quæ non habent euidentem cognitionem, aut apertam repugnantiam cum principio euidenter cognito, cum etiam quod ex prædictis oritur natura sua sit indifferens ad proponendum hoc, vel illud voluntati, &c. Si verò nomine potentiæ naturalis solùm accipiatur potentia non libera formaliter, sic certum est intellectum posse dici potentiam naturalem, id est non liberam formaliter, in quo sensu solùm forte loquuntur authores citati pro opposita sententia, vt explicare videtur Scotus. Proprijssime autem loquendo, intellectus neque est, neque dici debet potentia naturalis, cum communiter id accipiatur pro potentia omnino necessaria, aut determinata ad vnum. Neque etiam potentia libera cum id non conueniat ei nisi cum eo addito, quo loquitur sæpe Sanctus Thomas, nimirùm radicaliter, in quo sensu intelligendos esse diximus eos omnes qui intellectum, vel eius iudicium absolutè vocant liberum, etiam prout præcedit actum voluntatis, est tamen intellectus natura sua, & dici debet potentia rationalis, vt eam vocat Aristoteles, & communiter authores omnes, & Philosophi, vel potentia, quæ est radix, & fundamentum libertatis formaliter existentis in alia potentia.

Quid aliqui sentiant.

Quarationè non sit potentia naturalis, qua etiã naturalis dici possit, vt scilicet distinguitur contra formaliter liberũ.

Quòd ne simpliciter libera, nec simpliciter naturalis potentia dicatur intellectus.

An intellectus sit potentia naturaliter determinata ad exercitium proprij actus.

SEcundum, quod petitur in argumẽto est, vtrùm intellectus sit potentia simpliciter necessaria ac determinata ad exercitium proprij actus, vel vtrùm habeat indifferentiam aliquam sibi intrinsecam præter eam, quam participat à voluntate. Ad hoc quamuis authores supra citati, & alij, si qui sunt, nullam videantur concedere intellectui indifferentiam, siue indeterminationem intrinsecam plures tamen sunt, & grauiores, qui ex oppositio sentiunt intellectum non esse potentiam ità determinatam, sed natura sua habere indifferentiam, vt cognoscens hoc, aut illud ex perfectione, & plenitudine cognitionis intelligat ac iudicet bonum hoc, vel illud non necessitare, sed liberum esse voluntati amare, vel non amare aut, hoc amplecti, & illud relinquere, hancque indifferentiam habere, sine motione voluntatis: & quòd à se potest vti hac facultate, siue indifferentia in proponendo, & assentiendo cum id ex natura ipsius potentiæ intellectiuæ aperte colligatur, vt examinabitur sectione septima sequenti. Neque id obscure docent Aristoteles, & communis expositorum explicatio, Diuus Thomas pro secunda sententia citatus, Damascenus, Gregorius Nissenus, Origenes, Diuus Petrus, Diuus Chrysostomus, Diuus Augustinus, Diuus Hilarius, Diuus Bernardus, Irenęus, Bonauentura, & alij plures ex Sanctis Patribus supra citatis. Expresse etiam asserit hoc Caietanus prima parte, quæstione octuagesimatertia, art. primo, in commentario, vbi sic ait. *Nota, quod iudicium seu arbitrium liberum distinguitur contra naturale, naturale autem est, quod est ad vnum determinatum: agere ergo iudicio naturali nihil aliud est, quàm agere iudicio non indifferenti ad hoc, & oppositum, sed determinato ad alterum oppositorum, quomodo bruta agũt: agere verò arbitrio libero est agere iudicio indeterminato ad hoc, & oppositum. Neque attenditur ista differentia in hoc, quod quãdo agit iudicium liberum est indeterminatum, & naturale determinatum: quia quando exit in actum oportet omne iudicium determinatũ esse ad vnum, sed attẽditur penes hoc,*

Aristot. D. Thom. Damascen. Gregor. Nissen. Origen. D. Petr. D. Chrys. D. Aug. D. Hilar. D. Bernar. Irenæus. D. Bonau. Caietan.

quòd iudicium brutorum non est indifferens ad hoc, & oppositum: rationalium verò sic, potentiæ enim rationales, vt habetur 10. Metaphys. se habent ad opposita, irrationales verò ad vnum tantum oppositorum. Et inferiùs subdit. *Determinari enim ad vnum oppositorum, & posse in vtrumque oppositorum è contrario diuiduntur.* Et iterùm. *Nihil aliud est iudicium liberum, quàm indifferens. Vndè ex hoc quod homo est rationalis sequitur, quod est liberi arbitrij.* In quibus verbis certum est Caietanum agere de iudicio, & potentia intellectiua, non provt includit voluntatem, aut motionem illius, sed secundum præcisam naturam, sicut & de iudicio bruti præcisa motione appetitus, vt inde colligat, sicut Diuus Thomas ibidem colligere vult, quòd ex hoc primo inest libertas alicui, quia ratio indeterminata est, & indifferens ad hoc, & oppositum, & quoniam hoc est ante omnem actum voluntatis, consequens est, minus bene Scotum dixisse libertatem primo quærendam in voluntate. Licèt possit distingui, quod primo est in voluntate formaliter, & primo in ratione radicaliter. Prætereà actus intellectus præueniens voluntatem, vt Cardinalis Caietanus docet, etsi obiectum habeat à natura oblatum, & quidquid in eo cognoscit, & iudicat, naturaliter cognoscat & iudicet, habet tamen respectu cõtingentium operabilium hanc negatiuam conditionem, scilicet indeterminationem, & indifferentiam iudicij respectu vtriusque partis contradictionis, quæ directè opponitur naturæ, quoniam natura determinat ad vnum, quæ conditio est radix libertatis. Si enim iudicium tale esset determinatum, voluntas nõ posset ad quam vellet contradictionis partem declinare, sed necessitaretur à determinato iam iudicio de volendo, vel non volendo hoc. Quia verò rationis iudicium circa hoc amandum, vel non amandum ante voluntatis actum indifferens est, & vtrinque rationes habens, quasi suspensum stat, neque est natura, neque electione determinatum secundum se. Hinc tale iudicium naturale non est propter talem indifferentiam, imò verò naturæ repugnat, & libertatem fundat. Idem docet vbique ipse Caietanus.

Habet intellectus circa contingentia operabilia indeterminationẽ iudicij respectu vtriusque partis cõtradictionis.

Ruardus Tapper.

Ruardus Tapper Decanus Louanienſis articulo septimo, §. secundo post initium articuli, inquit. Huiusmodi autem facultatis eligendi vtrumlibet oppositorum radix, & origo est indeterminatio intellectus in consultando & iudicando, vt docet Beatus Thomas. Quæ indeterminatio nascitur ex vniuersalitate obiecti, &c. Abulensis 1. part. in Exodum, quæst. 70. super caput. 23. præter alia ait. Item patet. Quia intellectus noster aliquã nunc habet libertatem, &c.

S. Thomas.

Abulens.

Anto. Corduba.

Antonius Cordub. lib. secundo quæstion. 11. præfatam Diui Thomæ sententiam de radice libertatis secutus, eisdem verbis Caietani à nobis recitatis vtitur respõsurus ad quintum argumentum, & initio quæstionis. Bartholomæus Medina Prima Secundæ, quęstio. sexta, artic. secundo, conclusione quarta, ait. *Libertatem voluntatis antecedit indeterminatio, & indifferentia iudicij ex parte intellectus,* & inferiùs post quintam conclusionem obijciẽs ait. *Sed dicet Theologus. Vndè determinatur intellectus in suo discursu, & in iudicijs ferendis cum sit indifferens? Nam si dicas determinari ab ipsa voluntate, consequens est libertatem non solum esse in voluntate formaliter, sed etiam radicaliter, ab ipsa siquidem venit omnis libertas.* Secundò respondet nostrum intellectum aliquando determinari ab authore naturæ, aliquando verò per discursum, &c. Post quæ concludens ait: *Modo tantum definitum sit, quòd ad libertatem duæ conditiones sunt necessariæ: alia est indifferentia, & indeterminatio iudicij ad deliberandum: alia est post deliberationem facultas eligendi.*

Medina.

Idem voluit Michael Palacios in 2. distinctione vigesimaquinta, disputatione prima, fere in medio, his verbis. Ad hęc quamquam confiteamur intellectum esse indifferentem potentiam in opinandis conclusionibus, illa tamen indifferentia non est ex libertate intellectus, sed defectus est ex obiecto, quod non est potens determinare actum intellectus. Nam si obiectum est euidens ex se continuo determinatur intellectus ad assensum, at si ineuidens est, vagatur intellectus per varia argumenta topica, ideò iam opinatur ità esse, iam non ità esse. Episcopus Turrianus in disputatione de Trinitate, super Diuum Thomam, quæstione quadragesima prima, articulo secundo in secunda part. commentarij solutio. ad secundum, in suppositione quadam communi Scholasticorum idem, voluit clarius Soncinas 9. Metaphys. quæstione decima octaua. Idem supponit Capreolus, vt certum, & alij ab eo citati in 2. distinctio. vigesimaquinta, quęstione prima, artic. tertio, ferè ad singula argumenta Scoti, maxime ad quartum, contra primam conclusionem. Clarius etiam idem Capreolus in 2. distinctione vigesimaquarta, quęstione prima, artic. tertio, maxime ad sextum, & septimum argumentum contra secundã, tertiã, & quartã conclusionem, vbi dicit intellectui conuenire quoddam indifferentię genus diuersum ab eo, in quo formaliter consistit libertas. Cuius doctrina cum solutionibus argumentorum, nisi prędicentur argumenta minus bene prędicipientur. Diuus Bernardus dixit, quòd anima secundum totum illud, quod est ad imaginem Dei libera est, sed non ęqualiter: quia libertas est in intellectu, vt in causa, in voluntate, vt in subiecto. Imò verò inquit Capreolus in eodem loco citato ipsa voluntas est libertas, in quantum sequitur iudicium liberum, vel illimitatum ne sit petitio. Idem dicit ad vndecimum, & vigesimum primum argumentum, per hęc verba. *Patet inquit, responsio, quia voluntas magis est indeter-*

Micha. Palacios.

Turrianus Canariensis Episcop.

Capreo. vbi supra citat Diuum Bernardum.

minata quàm intellectus. Quia voluntas non ſolum habet indeterminationem ex parte obiecti, imò ex parte ſubiecti: intellectus verò eſt indeterminatus ex parte obiecti.

D. Bonau. Diuus Bonauentura in 2. diſtinct. 25. in 2. par. diſtinctionis, quæſt. 6. in reſponſione, & præcipuè verſus finem docet intellectum non neceſsitari à veritatibus particularibus, quibus aliqua falſitas miſceri poteſt, ſicut nec voluntas propter ſimilem mixtionem mali, & defectus à bonis particularibus neceſsitatur. Idque referunt plures ex Diuo Thoma in 2. diſtinct. 25. Eademque intellectus indifferentia inuenitur apud Albertum. 2. par. tract. 14. q. 91. memb. 4. artic. 1. ad 13. eiuſdem meminit *Albert. Magnus.* Scotus in 2. diſtinct. 25. quæſt. 1. §. Contra cõ cluſionem, verſus medium. Idem indicauit *Scotus.* D. Ambroſius lib. 2. de vocatione gentium, cap. 2. & plures alij citati ſupra. Adeò enim nota fuiſſe videtur eiuſmodi facultas atque indifferentia intellectus etiam à primis ſæculis, vt omiſsis alijs Ethnicis Philoſophis Ariſtot. 6. Ethicorum cap. 2. quaſi ſub dubio reliquerit an liberi dicamur, & ſimus ratione intellectus, ſiue indifferentiæ & facultatis, quam ille habet natura ſua ad conſiliandum, & diſcernendum de ijs, quæ agenda ſunt, potiùs quàm ratione facultatis ipſius appetitus ſiue voluntatis, id enim quod de electione docuit de formali ratione liberi arbitrij accipiendum eſt, vt ſupra diximus cum Sancto Thoma, & communi ſententia.

D. Ambr. *Ariſtot.*

Hæc igitur difficultas adeò grauis viſa eſt priſcis Patribus adeoque vexauit antiquos Scholaſticos, vt quoſdam ex eiſdem Scholaſticis compulerit affirmare formalem rationẽ libertatis ac dominij noſtrorum actuũ in poteſtate, & facultate intellectus, potiùs quàm voluntatis conſiſtere, vt tandem voluit Durandus in ſuperioribus relatus in 2. diſtinct. 24. quæſt. 3. num. 15. & infra, & alij apud Capreolum in 2. diſtinct. 24. quæſt. 1. artic. 2. argumento quinto, contra 2. 3. & 4. concluſionem. Aureolus etiam, & Gotofredus, Palude etiam in 4. diſtinctio. 49. quæſtio. 3. artic. 1.

Quòd quidã errauerint conſtituendo formalẽ libertatẽ in intellectu.

Alij verò, qui rei veritatem attigiſſe videntur, aſſerunt etiam cum eodem Ariſtot. formalem rationem libertatis in facultate volũtatis, potiùs quàm intellectus eſſe conſtitutam, ità tamen vt D. Thom. grauioreſque Scholaſtici ex communi Sanctorum Patrum doctrina, adeò paruum diſcrimen primo intuitu ſtatuere videantur inter facultatem intellectus, & voluntatis, vt aliquibus vix appareat ſufficiens, & ſi re ipſa ſit ſufficientiſsimum. Nec aliud iuxta illarum potentiarum naturas rectè conſideratas aſsignari poſsit: neque enim vt videbimus infra ſectione ſeptima, eas potentias diſtingunt ratione indifferentiæ, vt ſic, quam fatentur eſſe communem, ſed ratione talis ſpeciei indifferentiæ, & facultatis formaliter reſpicientis finem, & conſequenter, conſtituentis formaliter rationem principij formalis ac proximi humanorum actuum, & reliquorum motuum, quæ ab homine quatenus homo eſt fiunt, quam rem explicaturi ſumus in prædicta ſectione explicantes mentem Diui Thomæ.

Minimam differẽtiam inter intellectum, & volũtatem conſtituere videntur, quidam.

Ex quibus ità prælibatis ad illud, quod tertio loco in argumento petitur reſpondetur dubium non eſſe quin detur aliqua indifferentia præter illam, in qua vel ratione cuius formaliter conſtituitur libertas aliqua: & potentia ſiue facultas quaſi media inter purè naturalem, ſiue neceſſariam ſimpliciter, & formaliter liberam. Quæ neutrum extremum formaliter participet. Idque omiſſa authoritate præcedentium, ex quorum doctrina apertè colligitur, expreſſe docuit Caietanus. 1. part. quæſt. 83. artic. 1. vbi inquit, quòd ſi inſtetur quod aut indifferentia iudicij eſt naturalis, aut libera reſpondendum eſt, quod neutra eſt formaliter, ſed eſt radicaliter libera, id eſt libertatis radix, eſt enim implicatio in adiecto dicere indeterminatio naturalis; quia ſi naturalis: ergo determinata ad vnum. Si verò indifferens: ergo non naturalis, inheſio tamen talis indeterminati iudicij eſt naturalis, vt de libertate etiam formali dicetur infra. Idem etiam expreſsis Caietani verbis defendit Antonius Cordub. lib. 2. quæſtio. quæſt. 11. ad quintum, neque aliud voluit Deça in 2. diſtinctio. 24. quæſtio. 1. artic. quarto ad ſextum. Idem Soncinas. 9. Metaph. quæſt. 18. præcipuè ad primum, & tertium, & nonnulli dicunt, quod libertas addit ſupra indifferentiam, & volunt indifferentiam intellectus eſſe diuerſæ rationis ab indifferentia voluntatis, ideoque non ſequi intellectum eſſe magis liberum, imò nec liberum formaliter. Vide mirabiliter Diuum Thomam in diſputatis de Veritate, quæſt. 24 de libero arbitrio, artic. 2. in ſolutione ad 2. & tertium, erat enim ſecundum argumentũ Diui Thomæ. *Quod ſecundum Ariſtot. in 8. Phyſic. In omni eo quod mouet ſeipſum eſt moueri, & non moueri, ſed bruta mouent ſeipſa: ergo in eis eſt moueri, & non moueri, ſed hoc dicitur eſſe liberum arbitrium, quo in nobis eſt agere aliquid, vt patet per Gregorium Niſſenum, & Damaſcenum: ergo in brutis eſt liberum arbitrium.* Secundò arguit S. Thom. hoc modo. *Liberum arbitrium duo importat, ſcilicet iudicium, & libertatem, ſed vtrumque reperitur in brutis. Habent enim aliquod iudicium de agendis, ex hoc quod vnum proſequuntur, & aliud fugiunt. Rurſus habent libertatem cũ poſſint mouere, & moueri: ergo in eis eſt liberum arbitrium.*

Ad 3. dubiolum ſolutio. *Caietanus.* *Cordub.* *Deça.* *Soncinas.* *D. Tho. de Veritate.*

Reſpondet S. Tho. & ſunt aduertendę eius ſolutiones, inquit enim: *Quòd potentia motiua brutorum conſiderata ſecundùm ſe non magis inclinatur ad vnum oppoſitorum, quàm ad alterum ſecundum ſpeciem, & ſic dicitur quod poſſunt moueri, & non moueri, ſed iudicium quo applicatur potentia motiua ad alterum oppoſitorum eſt determinatum, & ſic non ſunt liberi arbitrij.*

Secun-

Secundo respondet S. Thom. *Quod licet in brutis sit quædam indifferẽtia actionum, tamen nõ potest dici propriè, quòd sit in eis libertas actionũ, siue agendi, vel nõ agendi. Tum quia actiones cum per corpus exercentur cogi possunt, vel prohiberi non solum in brutis, sed in hominibus. Tum etiam, quia licèt sit indifferentia ad agere, & non agere in bruto considerata ipsa actione secundùm se ipsam, tamen considerato ordine eius ad iudicium à quo prouenit, quod est determinatum ad vnum, etiam ad ipsas actiones deriuatur quædam obligatio, vt non possit in eis inueniri ratio libertatis absolutæ. Tamen dato per impossibile, quod in eis esset vmbra aliqua libertatis* (quod apud Molinã ego reperio) *tamen non sequeretur, quòd esset in eis libertas iudicij cum iudicium eorum sit naturaliter determinatum ad vnum.* Hæc Sanctus Thomas, cuius doctrina adducta est, vt explicemus aliqua ex parte, quonam pacto libertas addit supra indifferentiam, & qualis sit vera hominis libertas. Lege Capreolum in 2. distinct. 24 quæst. 1. artic. tertio, ad sextum contra 2. 3. & 4. conclusionem dicentem. Negatur maior, nisi intelligatur de indifferentia pertinente ad causam efficientem, & quoad exercitium actus, sed tunc in hoc sensu minor est falsa. Nam talem indifferentiam non habet voluntas ab intellectu, sed potius intellectus à voluntate, &c. Lege Capreolum ibidem, qui in alio sensu concedit.

Capreol.

Actus intellectus ab eo formaliter elicitus, nec purè naturales, neque formaliter liberi.

Igitur dicendum est, actus intellectus ab eo formaliter, & realiter elicitos, neque purè naturales, neque formaliter liberos, sed medios esse, quorum propria appellatio est à facultate, siue potentia, à qua immediatè producuntur, & ita dicentur actus rationales, quod voluit Caietanus loco citato in verbis à me commemoratis. Cuius rei ratio ex superioribus est manifesta. Nam, ratio naturalis, siue necessarij, siue liberi in actibus, est denominatio intrinseca, aut extrinseca sumpta à potentia, naturali siue necessaria; vel libera: ergo si actus est naturalis, vel liber formaliter, quando potentia est naturalis, vel libera, ita neque erit naturalis absolutè, neque formaliter liber, cum potentia neutrum formaliter habet in seipsa, sed rationalis pro natura, & quidditate suæ potentiæ, quæ media est, vt diximus.

Ex quibus omnibus planissime constat explicatione nõ indigere, quàm bene inter se cohæreant illæ duæ facultates participantes vnam rationem communem potentiæ, siue facultatis indeterminatæ, ità tamen diuersæ inter se per proprias differentias intrinsecas, vt vna supponat alteram, & ab ea, vt à propria radice pendeat in exercitio sui actus. Sicut enim bona, vel mala electio à bona, vel mala deliberatione, & sententia iudicij dependet secundum Aristotelem, Diuum Thomam, & alios: ità electio absolutè, quæ est proprijssimus actus liberi arbitrij pendet, vt à radice à deliberatione, vt sic, quæ est proprijssimus actus rationis consiliatricis, & consequenter facultas formaliter electiua supponit facultatem consultatiuam, siue deliberatiuam formaliter ratione iam explicata.

Ad primam confirmationem argumenti patet ex proximè dictis, & ex his, quæ dicemus sectione sequenti non esse formale principium, sed radicale, siue radicem electionis, & consequenter omnium actuum liberorum, quod alijs in proprium locum omissis expresse hoc asserunt multi, Diuus Damascenus, Diuus Petrus, Diuus Chrysostomus, Diuus Augustinus superius citati, non solùm ex ea definitione communi. Liberum arbitrium est facultas rationis, & voluntatis, &cæt. sed etiam ex omnibus Theologis Scholasticis ab omnibus in hoc argumento commemoratis, quorum verba retulimus in hoc argumento.

Ad primã confirmationem argumenti.

D. Damas.
D. Petrus.
D. Chryso.
D. Aug.

Ad primam probationem fatemur actus liberos in ratione formali actus liberi formaliter, & immediatè à voluntate oriri ac dependère, à qua sola formaliter accipere possunt denominationem formalem actus liberi, cum eo tamen stat eundem actum liberum oriri radicaliter à potentia, siue facultate deliberatiua, ratione cuius radicaliter accipit illammet denominationem liberi. Sicut enim indifferentia, & libertas formaliter existens in voluntate pendet radicaliter ab intellectu quoad actualem solutionem, & alia superiùs explicata ad primum, ità libertas, & formalis indeterminatio actus voluntatis, quamuis formaliter, & immediatè accipiatur à sola voluntate radicaliter prouenit ab intellectu proportionaliter, atque fructus arboris. Ab his enim videtur desumpta metaphora, & si formaliter, & immediatè in ratione fructus accipiat esse à ramis, vel in ramis ipsis, adhuc tamen illud ipsum esse accipiat à trunco, siue radice, etsi non ità immediate, actualiter tamen concurrente ad conseruationem, & optimam dispositionem illius, mutatis tamen mutandis in exemplo. Illo etiam discrimine interiecto, quòd sicut radix corporea magis distat, & paulatim mittit succum, siue humorem ad fructus procreandos in ramis, ità minus videtur pendère fructus à radice, & diutiùs persistere posse radice truncata, siue auulsa; at verò actus liber, etsi à sola voluntate immediate, ità radicaliter pendet ab intellectu spirituali coniunctissimo voluntati, etiam momento temporis operanti ac disponenti voluntatem ad suas operationes, vt illo, quasi truncato, siue ligato, aut simili alia ratione veluti marcescente, vt statim pereat libertas talis actus voluntarij, aut saltem remitti videatur.

Ad primã probationẽ.

Ad secundam probationem. Siue actus illi immediatè accipiant esse vel denominationem radicalem ab intellectu, siue à sola voluntate immediatè procedant, &c. certum

Ad secundam.

est quatenus ab intellectu pendent nõ esse naturales absolutè, siue necessario simpliciter, sed formaliter rationales, aut radicaliter liberos iuxta superius dicta, quatenus verò à voluntate procedunt esse formaliter liberos, quę denominationes nullo modo repugnant inter se, sed vna supponit aliam.

Ad tertiam Ad tertiam probationem dictum est intellectum, siue rationem deliberantem esse radicale principium omnium actuum liberorum, & consequenter bonæ, vel malæ electionis dominij imperij, & aliorum ea ipsa ratione, qua conceditur esse principium indifferentiæ, & libertatis voluntatis, quod passim etiam docent Arist. D. Thom. & alij Scholastici specialiterquè de dominio: vide 1. 2. quæstio. 109. artic. secundo, ad primum, de imperio, q. 17.

Ex quibus videtur consequenter asserendum rationem, siue deliberationem mentis esse in homine radicale principiũ bonæ, vel malæ operationis voluntatis, propter quas ipsa efficitur laude, & pręmio, vel vituperio, & pœna digna. Quod etiam satis videtur Sacræ scripturæ, Sanctorum Patrum testimonijs veræ Theologiæ moraliq́ue Philosophiæ consonum, quod indicatur Hieremiæ. 12. *Hierem. 12* *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde.* Et Psalm. 48. *Psal. 48.* *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis,* siue id ad primos parentes referatur, de quibus saltem Euã deceptam fuisse à serpente, ideoq́ue peccasse, & sæpè docent Sancti, & ipsamet fatetur Genesis. 3. *Genes. 3.* *Serpens decepit me, & comedi,* siue referatur ad hominem quemcumq́ue stulte superbientem, &c. Et Psal. 31. *Psal. 31.* *Intellectum tibi dabo in via hac,* &c. *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. In chamo & fræno maxillas eorum constringe,* &c. Et Prouerbiorum 14. *Prouer. 14* *Errant qui operantur malum:* in quo sensu id accipiunt sæpè Sanctus Thomas, & alij Scholastici Theologi.

Rursus explicari hoc potest Sapientiæ. 5. *Sapien. 5.* ex insigni illa non solum damnatorum confessione, sed etiã exhortatione mortalium, cũ verbi gratia, primo dicitur: *Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Ergo erravimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viã autẽ Domini ignoravimus,* &c. D. Paulus præter alia multa. 1. Corinth. 2. ait. *1. Corin. 2.* *Sed loquimur Dei sapientiã in mysterio,* &c. *quam nemo principũ huius sæculi cognouit, si enim cognouissent, nunquam Dominũ gloriæ crucifixissent.* Quibus etiam similia sunt Christi Domini verba Lucæ. 23. *Pater dimitte illis, non enim sciũt quid faciunt.* Et Lucæ. 19. *Videns ciuitatem fleuit super illam dicens. Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacẽ tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Tandem penè infinita sunt, quę possent adduci. Et Ecclesiastici. 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Idem cõfirmant D. Clemens Romanus epist. 3. de officio Sacerdotis, quę habetur to. 1. Cõciliorum, dicẽs: *Ex his ergo omnibus colligitur, quod origo totius mali ab ignorantia descendat, & ipsa sit omniũ malorum mater, quæ incuria, & ignauia gignitur, negligẽtia verò alitur, & augetur, atq; in sensibus hominum radicatur, dum amatur, quã si quis,* &c. Et paulò inferiùs. *Ita sunt ergo & hi, qui ignorantes, quod verum est speciem tamẽ alicuius scientiæ tenent, & mala quasi bona gerũt, & ad perniciem quasi ad salutem festinant.* *Lucæ. 23.* *Lucæ. 19.* *Eccles. 7.* *D. Clem.*

Anastasius Episcopus Nissenus. tom. 7. Bibliothecæ super illa verba. *Non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures, quæ possent audire vsque ad præsentem diem.* Deuteronomij 29. ait Anastasius: *Sed reprehendit liberum arbitrium, quod hominum quidem, & Dei donum datum, est naturæ, per consilijs autem egestatem effectum est nobis facultas propensionis ad contrarium, tale est illud,* &c. Idem Boetius 4. de consolatione D. Basilius homil. in Psal. 73. circa illud: *Putruerunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Quo in loco dicit: *Insipientiam stultum suum factum nominat ab insipientia procedens, omne enim peccatum per stultitiam fit, virtus autem quoniam ipsa prudentia est,* &c. Et homil. 9. Quod Deus non est author malorum ait. *Impossibile namque est à via iusta aberrare eum, qui in corde suo Dei non obliuiscitur.* D. Hieronymus similia dicit lib. 3. super Ezechielem circa illa verba. *Et dixit ad me, certe vides fili hominis,* &c. Inquit Hiero. *Multiq́; sunt, & ambulãtes circa cogitationes suas, qui Deũ nõ existimant curare mortalia, neq; ad illũ nostra vitia pertinere.* Certe quando peccamus si cogitaremus Deũ videre, & esse pręsentem nunquam, quod ei displiceat faceremus. Idem indicat D. Irenęus lib. 4. aduers. hæreses. c. 9. Sępissimè tamẽ D. August. specialiter de primo peccato loquens lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 21. to. 7. *Libertati inquit arbitrij sui cõmissus est homo statim in prima conditione, vt sola vigilãtia mentis amittente etiam in præcepti custodia perseueraret si vellet in eo, quo creatus fuerat permanere. Postquàm verò seductione serpentis per Euam cecidit, naturæ bonum perdidit pariter, & vigorem arbitrij, non tamen electionem.* *Anastas.* *Deuter. 29* *Boetius.* *D. Basil.* *D. Hieron.* *D. Irenæus* *D. Aug.*

Sanctus Thomas de Veritate. q. 24. art. 9. in corpore, vt ostendat posse hominem in hac vita in bono confirmari diuina prouidentia protegente, & retrahente à malo, & non tantum ratione doni gratuiti, siue alterius principij intrinseci per gratiam, &cæt. ait: *S. Thom. de Verit.*

Non enim potest aliquis omnino impeccabilis reddi, nisi omnis origo peccati auferatur. Origo autem peccati est, vel ex rationis errore, quæ in particulari decipitur circa finem boni, & circa vtilia, quæ in vniuersali naturaliter appetit, vel ex hoc quòd iudicium rationis intercipitur propter aliquam passionem inferiorum virium. Quamuis autem alicui viatori concedi possit, vt ratio nullatenus erret circa finem boni, & circa vtilia in particulari per dona sapientiæ, & consilij, tamen non posse intercipi iudicium rationis, excedit statum vitæ propter duo. Primo, & principaliter quia rationem esse semper in actu rectæ contemplationis in statu vitæ, ita quod omnium operum ratio sit Deus, est impossibile. Secundò quia in statu vitæ non contingit inferiores vires ita rationi esse subditas, vt actus rationis nullatenus propter eas impediantur, nisi in Domino Iesu Christo qui simul viator, & cõprehensor fuit. Et art. 10. in corpore ait. *Ex parte verò liberi arbitrij causa reuersibilitatis à peccato, vel irreuersibilitatis accipienda est secundum ea, quibus homo incidit in peccatum. Cum autem naturaliter insit cuilibet creaturæ appetitus boni nullus ad peccandum inducitur nisi sub aliqua specie apparentis boni. Quamuis enim fornicator in vniuersali sciat fornicationem esse malum, tamen cum in fornicatione consentit existimat fornicationem esse sibi bonum, vt nunc ad agendum. In qua quidem existimatione tria pensanda sunt. Primum est ipse impetus passionis concupiscentiæ, vel iræ, per quam intercipitur iudicium rationis, ne actu iudicet in particulari, quod in vniuersali habitu tenet. sed sequatur passionis inclinationem, vt consentiat in illud, in quo passio tendit quasi perse bonum. Secundum est inclinatio habitus qui cum sit quasi quædam natura habentis, vt dicunt Arist. & Cicero. in Rhetoricis, quia consuetudo est altera natura, & quia virtus consentit rationi in modum naturæ, & pari ratione vitij habitus, quasi natura quædam inclinat in id, quod est sibi conueniens: vnde fit vt habenti habitum luxuriæ bonum videatur id quod luxuriæ conuenit, quasi connaturale, & hoc est quod Arist. dicit 3. Ethic. Quod qualis vnusquisque intus est, talis & finis videtur ei. Tertium verò est falsa existimatio rationis in particulari eligibili, quæquidem prouenit, vel ex altero prædictorum nimirum ex impetu passionis, vel ex inclinatione habitus, vel ex ignorantia vniuersali, sicut cum quis est in hoc errore quod fornicatio non est peccatum.* Vide reliqua quæ ibidem dicit Sanctus Thomas lege etiam Diuum Thomam, articulo 8. eiusdem quæst. in corpore vbi citat Diuum Dionysium, & Arist. 7. Ethi cor. cap. 6. Præterea lege eundem Sanctissimum Præceptorem, de veritate quæst. 22. art. 6. in corpore. Et prima secundæ, fere in singulis quæstionibus de Peccatis, & quæst. 78. art. primo ad primum per hæc verba loquentem. *Dicendum inquit, quòd ignorantia quandoque quidem excludit scientiam, qua aliquis simpliciter scit hoc esse malum, quod agitur, & tunc dicitur ex ignorantia peccare: quandoque autem excludit scientiam, qua homo scit hoc nunc esse malum sicut cum ex passione peccatur: quandoque autem excludit scientiam qua aliquis scit hoc malum non esse sustinendum propter consequutionem illius boni, scit tamen simpliciter hoc esse malum, & sic dicitur ignorare, quia ex certa malitia peccat.* Vide etiam quæ dixit in corpore, & etiam in art. 2. sequenti. Et in 1. part. quæst. 63. art. 1. ad 4. loquens de peccabilitate Angelorum explicat qua ratione omne peccatum ignorantia aliqua præcedat, vt in homine, vel actualis inconsideratio, vt in Angelo. Quibus omnibus verbis D. Thom. præmissis, & plerisque alijs quæ adduci poterant, constat qua ratione peccatum voluntatis ex aliquo etiam defectu rationis radicaliter procedat. Et idcir co ex Diui Thomæ sententia, & Sanctorum Patrum dictis illustratur id, quod diximus, dum reddũt omnes rationem, obquam creatura dicatur à seipsa habere omnino peccati initium, & dum indifferentiam intellectus radicem libertatis constituunt, & deliberationem esse necessariam dicunt ad agendum moraliter.

Aristot. 3. Ethic.

Legendus D. Thom. ar. 8. eiusd. q. & alibi sæpe.

Idem fusè docuit Altisiodorensis lib. 2. tractatu 12. in solutione quorundam argumentorum Diuus Antoninus 1. part. tractatu 3. cap. 8. §. 2. Vigerius in suis institutionibus, qui omnes censent non posse esse defectum, aut peccatum in voluntate nisi sit defectus in ratione seu intellectu, per quem malum sub ratione apparentis boni præponitur voluntati, idque etiam Aristoteles prius dixit loco citato 3. Ethicorum cap. 1. vbi ait vnusquisq; igitur prauus quid agendum à quibusque abstinendum sit ignorat, ob quæ huiusmodi errorem, &c. Lege etiam Bartholomeũ Medinam prima secundæ, quæstione 6. articulo 2. præcipue Argumento primo, contra primam conclusionem.

Altisiodo.

D. Anton. Vigerius. Aristotel.

Ad secundum, & vltimum quod nos adhibuimus Argumentum, vt magis veritas explicaretur, certe si expendantur ea quæ diximus, & quæ statim dicemus hic, & sectione 7. sequenti satis patet solutio eius, præcipue, quia supra ostendimus qua ratione diuersi illi modi dicendi ex recentiorum calculo possint concordari inter se. Et ad primam obiectionem non censetur esse improbabile voluntatem aliquando tantam habere libertatem, vt non sequatur necessariò iudicium rationis, neque omnino semper mouere se iuxta tale actuale iudicium, sed illo reiecto aut ex alio implicito, aut virtuali, vel minus recto in oppositum tendere. Neque etiam ex hoc quòd voluntas in diuerso genere causæ ab alijs etiam moueatur, sequi illam non esse formaliter liberam suorumque actuum dominam, & causam præcipuam in proprio genere particularis proximi efficientis siue principij appetitiui rationalis, vt clarius ostensum est supra. Nec rursus necessarium esse, vt voluntas de facto inclinetur, vel potius seipsam inclinare, ac determinare infallibiliter velit

Ad secundum, & vltimũ arg.

ad aliquid agendum, vel amandum in obiecto propoſito eſſe maximam rationem bonitatis ſecundum ſe, vel circunſtantias eſſe natura ſua vehementer allicientes, cum ſæpe à voluntate pluris æſtimetur id, quod in ſe, vel alijs etiam voluntatibus nullius foret momenti, vt ipſamet experientia docemur in pluribus contingere, & euenire. Ratio verò cur intellectus non ſit conditio tantum, ſed cauſa radicalis, & comprincipium in ſuo genere indifferentiæ, ac ſolutionis voluntatis quoad exercitium, vt cum Ariſtotel. volunt Damaſcenus, Niſſenus, Auguſtinus, Diuus Thomas, & grauiſsimi alij ea eſt, quam adducemus ſection. 7. ſequenti, & exemplo cauſæ applicantis in naturalibus indicaturi ſumus. Licèt enim applicans ignem ad agendum ſit ſolum conditio reſpectu entitatis caloris producti, in quem nullo modo influit; tamen reſpectu contingentiæ, quam habet calor productus, quæ non eſt realitas aliqua, ſed denominatio, vel reſpectus ad cauſam ſic diſpoſitam, & applicatam ad agendum hîc & nunc, ipſe applicans eſt vera cauſa in proprio genere, quamuis ignis ipſe ſit etiam cauſa illius contingentiæ in alio genere, vt ibidem explicuimus. Ita proportionaliter licèt intellectus non concurrat effectiue ad entitatem actus liberi, neque ab eo ſolum oriatur indifferentia eiuſdem actus, ſed formaliter, ac principaliter à voluntate in proprio genere proximi efficientis liberi, & ab obiecti bonitate in genere finis, & cauſæ obiectiuæ, &c. tamen quia in genere applicantis ea indifferentia oritur, ac pendet primario à voluntate diuina infinitæ efficaciæ, ac libera, immediate verò tanquam à cauſa particulari ab intellectu creaturæ, dici debet cum communi principium ſiue radix indifferentiæ voluntatis in illomet genere, reducendo, vel ad finalem, vel ad efficientem cauſam, ſicut & cauſa productionis rerum, quæ eſt ſola formalitas ad efficientem reducitur, etſi nihil reale per veram efficientiam producatur, ſicut etiam diuina voluntas ob ſimilem cauſalitatem in applicando cauſas creatas etiam liberas dicitur à communi ſententia Scholaſticorum cauſa prima, & radix contingentiæ naturalis omnium effectuum, & indifferentiæ, atque libertatis, voluntatis creatæ. Cum enim in eo quod diuina voluntas ſit cauſa prima, & radix indifferentiæ creatæ conueniãt præcipua ſcholaſticorũ capita D. Tho. nimirũ, & Scotus cũ illis omnibus, qui vtriuſq; ſequũtur familiam, ob id dici poteſt abſolute communis Scholaſticorum ſentẽtia.

Ariſtotel. Damaſc. Niſſenus. Auguſt.

Intellectus pars liberi arbitrij quatenus eſt radix libertatis.

Fatemur ergo intellectum eſſe partem liberi arbitrij radicalem, quatenus eſt radix libertatis, quæ eſt in voluntate, & non ex aliqua qualitate impreſſa ab eo. Secundò fatemur quod intellectus dirigit voluntatem non ſolum oſtendendo obiectum, ſed etiam conſultando, & iudicando præcedente collatione, atque conferentia, & ita determinando voluntatem, vt etiam ipſam determinet in hanc vel illam partem, prout ibi placuerit. Negamus tamen neceſsitari ſimpliciter ab intellectu: quod quidem qualiter fiat, & quo pacto non neceſsitetur non ſolũ nos diximus in ſuperioribus, ſed etiã fuſius dicemus alibi.

SECTIO. VII.

De quibuſdam difficultatibus liberi arbitrij: & de dominio noſtrarum actionum. An habeatur ratione intellectus. Et vtrûm principium, quod eſt genus liberi arbitrij ſit actiuum, ideſt efficienter productiuũ alicuius electionis, & vtrùm hoc ſit ſola volũtas formaliter, vel potẽtia ipſa intellectiua. Et an conueniat homini ſecundum quemlibet ſtatum?

DVBITES Occurrunt adhuc difficultates de libero hominis arbitrio, & quædã ſpectant ad generică liberi arbitrij naturã, omnes tamen aperiẽtur in hac ſectione. Cũ igitur dixerimus liberũ arbitriũ eſſe verũ principiũ: principium verò eſſe veluti genus liberi arbitrij quęritur, an ſit actiuũ principiũ, vel paſsiuũ, & vtrũ tale principiũ ſit ſolum principiũ appetitiuũ, quod eſt potentia volitiua. In qua re certum eſt hoc principium liberum ſiue potentiã liberam, ſecundum rationem cõmunem conuenientem Deo & creaturis abſtrahere à ſubſtantia, & accidente, & in Deo eſſe ſubſtantiam, in creaturis verò accidens, de prædicamento qualitatis in ſecunda ſpecie ſecundum communen ſententiam, ſicut etiam intellectus, vel ſimiles potentiæ quatenus dicũtur de Deo, & creaturis abſtrahunt à ſubſtantia, & accidente.

Ratio dubitandi.

Ratio dubitãdi eſſe poteſt. Quia ſi liberũ arbitriũ deberet eſſe principiũ productiuũ alicuius, maximè electionis, quæ eſt propriſsimus actus illius: ſed huius non eſt principium productiuũ: ergo nõ eſt principiũ actiuũ, aut efficiẽter productiuũ alicuius. Probatur minor. Quoniã liberũ arbitriũ diuinũ eſt principiũ diuinę electionis immanẽtis, cũ illa ſit propriſsimus actus talis arbitrij, & tamẽ non eſt productiuum illius. Quoniam electio diuina non eſt producta, neque aliqua ratione producibilis: ergo ſimiliter neque eſt de ratione quaſi generica liberi arbitrij eſſe principium efficienter electionis. Secundò patet eadem minor. Quia eligere, vt ſic non eſt agere,

cum ni

cum nihil aliud sit eligere, quàm acceptare vnum præ alijs, vel reiectis alijs: ergo neque est necessarium quod principium electionis, vt sic sit actiuum. Patet antecedens ex communi definitione, & probatur hoc etiã. Quia acceptare idem videtur quod recipere. Neq; apparet vlla repugnantia in hoc, quod sicut recipere est absque vllo actu elicito, vt constat de materia, & de quauis alia potentia receptiua, ita etiã reijcere, & repellere sit absq; vllo actu elicito, cum per hoc solum quod liberum arbitrium, vel quæuis alia potentia non recipiat tale obiectum, illud vere reijci, & repelli dicatur. Et confirmari hoc potest. Quoniam de facto euenit quod plura reijciantur à volũtate libere, nihil omnino agente circa illa, sed mere negatiue se habendo, non volendo, & non recipiendo, neque acceptando illa, vt cõstat in actu puræ omissionis: ergo nec liberum arbitrium est principium productiuum, & effectiuum electionis.

Confirmatio.

Altera difficultas est quæ, statim se se offert. Vtrùm liberum arbitrium, sit potentia formaliter solum appetitiua, vel an sit principium etiam cognoscitiuum seu prærequirens, & postulans cognitionem. Et in hac re ratio dubitandi desumitur ex illo Ecclesiastici 15. *Deus ab initio fecit hominem rectum, & constituit eum in manu consilij sui, adiecit mandata, & præcepta sua. Si volueris mandata seruare conseruabunt te.* Id est, constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, id est in potestate arbitrij, vt explicant interpretes: igitur arbitrium liberum est omnino idem quod consilium, siue potentia consiliandi, si quidem pro eodem accipitur ab Spiritu Sancto, & nõ improprie: potentia autem consiliorum est intellectus: ergo. Vndè in scriptura sacra sæpe sæpius tribuuntur intellectui, & cognitioni propriæ operationes liberi arbitrij. Et Diuus Petrus definiens liberũ arbitrium dixit quod liberum arbitrium, est sensus animæ habens virtutem, qua possit ad quos velit actus inclinari, ibi enim sensus animæ idem est, atque potentia vitalis, siue principium intrinsecum cognoscitiuum. Quam definitionem refert D. Clemens III. Recognitionum ex D. Petro principe Apostolorum, sensus igitur solam potentiam cognoscitiuam significat hic, & non aliam nisi intellectum: ergo. Rursus liberum arbitrium iuxta nominis etymologiam proprie significat sententiam, vel iudicium liberum, vt communiter scholastici dicunt cũ S. Thoma 1. p. q. 83. art. 2. ad 1. vel saltem dicunt significare potentiam arbitrariam, quæ est principium formale, talis iudicij potens discernere inter opposita: sed potentia, quæ est principium talis iudicij est solus intellectus: ergo.

Ratio dubitandi pro altera difficultate.

Eccles. iast. 15.

D. Petrus.

D. Clemẽs.

D. Thom.

Hi duo articuli præcipue explicandi sunt à nobis modo in hac lectione. Et quidem cum quæritur, vtrùm liberum arbitrium habeat tanquam genus suum, esse principium actiuũ; dico hoc posse dupliciter intelligi. Primò quidem vtrùm sit principium actiuum hoc est efficienter productiuum alicuius electionis, vel solum sit receptiuum illius, quod ab alio producitur. Secundò potest intelligi an ita liberum arbitrium, siue sit realiter, productiuum alicuius siue non, sit principium sui actus, vt sit in eius potestate talem actum habere, vel non habere, siue recipiendo illum, siue id à quo causatur formaliter, siue effectiue producendo, vel se habeat mere passiue respectu determinationis, ad agendum, vel recipiẽdum, sicut calor, qui à natura determinatur, & brutum quod ab obiecto. Quæ sane difficultas vrget contra quosdã ex scholasticis Theologis catholicis, qui videntur negare actiuitatem respectu actuum voluntatis. Dicũt enim liberum arbitrium esse ipsam voluntatem hominis, vel Angeli, addunt tamen omnem actũ voluntatis effectiue causari ab intellectu, vel ab obiecto cognito. Imò verò sentiunt nullã actionem voluntatis, aut intellectus esse proprie actionem, sed solum grammaticalem debere vocari.

Hoc quod est liberum arbitriũ habere principium tanquã genus dupliciter intelligi potest.

PRIMA CONCLVSIO.

VT rem hanc definiamus dico primò, certum esse iuxta Sanctorum Patrum sententiam, & iuxta scholasticos omnes nostræ ætatis, & alios, liberum hominis arbitrium, & Angelorum esse principium siue potentiam actiuam, & productiuam, eo etiam modo quo aliæ potentiæ vitales cognoscitiuæ, vel appetitiuæ dicuntur productiuæ, & actiuæ suorũ actuum. Omnes enim Sancti Patres, qui sectionibus citatis commemorati sunt pari modo loquuntur, quantum ad hoc de libero arbitrio, siue de causa libera, ac de alijs causis, ac principijs, seu potentijs productiuis. De qua re videndus est Henricus in summa art. 45. quæst. 2. agens de voluntate. Capreolus in 2. distinct. 24. quæst. 1. art. 1. conclusione 5. & Durandus optimè inter omnes in eodem 2. distinct. 24. quæst. 2. præcipue à numero octauo, & sequentibus, in quo videri possunt plures rationes pro vtraque parte. Huic assertioni fauet aperte Tridentinum Concilium sess. 6. can. 4. dicens. *Siquis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passiue se habere, anathema sit.* Ex quibus verbis satis aperte constat liberum arbitrium non solum moueri, & excitari à Deo, sed etiã esse principium cooperans, & assentiẽs Deo excitanti, & vocanti. Et cap. 5. in decreto de iustificatione agens de necessitate præparationis, ad iustificationem in adultis dicit hominem tangi, & inspirari à Deo, & cor illius agere dum recipit Dei inspirationem, & mo-

Concl. 1. Liberum arbitrium est potẽtia actiua.

Henricus. Capreolus. Durandus.

Con. Trid.

uere

uere ſe ad iuſtitiam, poſſeque inſpirationem Sancti Spiritus liberè repelliere ſi velit. Ex quibus videtur intuliſſe Concilium tanquam rem manifeſtiſsimam arbitrium hominis non ſe habere merè paſsiuè.

Sententia eorum qui dicunt intelligere eſſe ſolũ quod dã pati reijcitur ex Cõcilio.

Ex his verbis Concilij valde rationabile eſt quidquid dicant aduerſarij noſtri repellẽdam eſſe, & improbari non ſolum ſententiam eorum qui dicunt liberum arbitrium, & volũtatem non eſſe cauſam effectiuam ſuorum actuum, ſed illorum, qui pariter dicunt intelligere, & cognoſcere, ita eſſe quoddam pati, vt non ſit intellectus principium productiuum eorum, & cognitionem eſſe actum omnino ſic immanentem, hoc eſt vitalem vnionem potentiæ taliter diſpoſitæ cum ſpecie, & non emanantem ſiue exeuntem à potentia per realem productionem. Dicunt enim aduerſarij Concilium ſolum agere locis citatis, de actiuitate liberi arbitrij, quod ſi non eſt potentia diſtincta ab intellectu, vel voluntate, vt aliqui dicunt eſt tamen, formaliter loquendo ſola voluntas, ſecundum communem ſententiam, & quod ob id in Concilio non agitur de actiuitate potentiæ cognoſcitiuæ. Secundò dicunt, Concilium non tam agere ibi de reali productione alicuius actus, quam de poteſtate cooperandi, ad iuſtificationem, & etiam reſiſtendi ſi placuerit, quod cum illi authores aſſerant fieri poſſe abſque reali productione alicuius quod ob id non videtur pugnare contra illos Concilium Tridentinum; præcipue, cum illi non aſſerant potentiam cognoſcitiuam ſe habere, vt quid inanime, quod tantum (dicunt) videtur damnare Concilium Tridentinum, ſed potius vitaliter coagere, & cooperari, ita recipiendo, vt poſsit nõ accipere ſeu acceptare, quod illi offertur, ſicut etiam dicimus intellectum, & voluntatẽ Dei ad intra velle eligere, amare aut odio proſequi etiam libere abſque alicuius actionis productione ad intra.

Duoque ex Concilij diffinitione deducuntur.

Sed nihilominus quidquid iſti dicant mihi videntur duo. Primum eſt eadem ratione qua fuerit oſtenſum realem actiuitatem eſſe neceſſariam, ad veritatem Concilij ſtabiliendam etiam oſtendi, eam opinionem veram non eſſe, neque eſſe poſſe quantum attinet ad liberum arbitrium. Secundò mihi viſum eſt ſemper definitionem Concilij Tridentini nõ poſſe ſimul ſtare cum ea opinione, quæ negat intellectum, aut voluntatem ſolum ſe habere reſpectu actuum receptiue, iuxta modum, quem ipſi explicant credentes actum intellectus, & actum voluntatis ita cauſari ab obiectis ſuis, vt in eiſdem potentijs ab obiectis recipiantur, & intellectum non ſe habere effectiue, & productiue reſpectu actus intelligendi, imò verò intellectionem ſolum eſſe grammaticalem actionem in modo ſignificandi, & non verè, & propriè actionem cuius principium actiuum, & effectiuum ſit intellectus. Nam profecto cum Concilium Tridentinum apertè dicat liberum arbitrium non ſolum excitari, ſed moueri à Deo, ad obtinendam iuſtificationis gratiam; tunc dicit quod cooperatur tribus modis. Primò aſſentiendo Deo mouenti, excitanti, atque vocanti. Secundò ſe diſponendo, ac præparando. Tertiò non contradicendo, cum tamen poſsit homo diſſentire, ſi velit iuxta illud Iſaiæ. *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico.* Quid autem ſit non contradicere expreſsit Propheta dicens. *Corpus meũ dedi percutientibus, & genas meas vellentibus,* & vltimo loco dicit Concilium poſtquam illa tria retulerat, liberum hominis arbitrium neque mere paſsiue ſe habere reſpectu eorum, neque etiam habere ſe velut inanime quoddam nihil omnino agendo. Agit igitur liberum arbitriũ cum cooperatur, & cum ſe præparat ad obtinendam iuſtificationis gratiam. Cum igitur ad eam obtinendam requirantur actus fidei, ſpei, & charitatis, atque pœnitentiæ ſequitur, quòd actiue agit intellectus, & eſt principium actus fidei effectiuum, ſicut, & voluntas eſt principium actus pœnitendi, & ſperandi atque amandi, coagens, & coefficiens ſimul cum diuina gratia cor hominis mouente, & conuertente. Neque puto ſi liberum arbitrium eſſet potentia mere paſsiua, & non eſſet principium effectiuum ſui actus, & ſuæ electionis poſſe ſe determinare actiue, & ex conſequenti non poſſe habere dominium ſui actus. Nam quomodo aut qua ratione ſi liberum arbitrium non cauſaret actiue determinationẽ ſuam effectiue, quod fit per productionem ſuorum actuum, præcipue volendo acceptando præuia etiam conſultatione, & de liberatione habere dominium ſuorum actuũ?

Iſaiæ 50.

Obiectio.

Sed dices contra. Quia principium indifferens, & indeterminatum potius eſt paſsiuũ, quam actiuum, vt Philoſophi videntur dicere, cum de ratione actiui potiùs ſit determinatio ad actum, vt dicemus inferius, ſed liberum arbitrium eſt principium indeterminatum, vt patet ex definitione communi: ergo. Et confirmatur fortius. Nam eſſe principium ex ſe indeterminatum, ad agendum debet neceſſariò determinari ab alio, vt communis Philoſophia docet: idem enim ex ſe indeterminatum non poteſt determinare ſeipſum, ſicut neque poteſt in ſeipſum agere: ergo cum liberum arbitrium ſit principium natura ſua indeterminatum debet neceſſariò determinari ab alio, quod etiam fatendum eſt ſaltem reſpectu proprij obiecti cogniti; ſed determinari, & moueri ab alio eſt pati ab illo: ergo ſaltem aliqua ex parte, & prius erit paſsiuum quam actiuum.

Solutio.

Reſpondetur tamen ſupponendo certam ſententiam eſſe, quam tradidimus, nimirum liberum arbitrium eſſe principium, ſeu potentiam vere actiuam, & productiuam: neque eſſe bonæ Philoſophiæ conſonum, quòd actus proprius vnius potentiæ effectiue pro-

ducatur

ducatur ab altera, aut eliciatur, & pari modo non produci efficienter ab obiecto alterius potentiæ. Neque esse rationabile actum propriũ potentiæ cognoscitiuæ esse ipsum obiectum illi vitaliter vnitum media specie. Nam actus proprius potentiæ cognoscitiuæ est cognitio, sicut actus proprius potentiæ appetitiuæ est volitio, & actus voluntatis est amatio. An verò & quomodo se habeat intellectus quando obiectum ipsum vitaliter vnitur potentiæ media specie, & an eo fiat formaliter cognoscens, quod similitudo obiecti producta vniatur potentiæ, alibi diximus in disputatione de anima. Nunc verò ad obiectionem respondetur. Concedimus enim, & fatemur liberum arbitrium esse determinatum principium quoad specificationem respectu boni, & respectu actus eligendi non tamen quoad exercitium, quod non repugnat principio actiuo, & effectiuo, vt statim in hac sectione explicaturi sumus. Ad confirmationẽ fatemur liberum arbitriũ determinari à Deo medio obiecto cognito libere, determinarique à circunstantijs, & dependenter à determinatione morali, ac proinde etiam determinari à Deo ipso proprie efficienter. Nam nõ solum ipse efficit determinationem voluntatis, sed eam facit cum quadam ex parte rerum subordinatione, & dependentia à determinatione morali, & causarum moralium occurrentium. Similiter etiam Deus dicitur determinare voluntatem per eandem actionem voluntatis, qua se determinat ipsa, & etiam vt sectione 5. & 6. diximus in genere causæ finalis, & obiectiuæ. Vndè non sequitur liberum arbitrium esse passiuum respectu electionis, sed potius esse effectiuum, & actiuum. Verum est quod cum recipit à Deo gratiam recipiendo perficitur receptione perfectiua, sed ea redditur potens ad suas actiones obeundas.

Ad confirmationem.

Ad rationẽ dubitãdi in principio positam.

Ad rationem dubitandi huius difficultatis in exordio positam fatemur liberum arbitrium primario, ac potissimum esse actiuum respectu actus eligendi, cum ille sit primus ac potissimus, vt communis sententia docet, & nos diximus supra. Et quauis arbitrium diuinum non sit productiuum actionis eligendi, ad intra manentis, est tamen productiuum actus ad extra, eius scilicet, quod eligitur, nimirum creatura, vel bonum quod ipsi creaturæ largitur, quod aliquando clarius patebit.

Solutio.

Obiectio.

Neque obstat ab aliquibus poni potentiam executiuam diuersam ab intellectu, & voluntate Dei, in quibus est formaliter arbitrium, cum omnes teneantur fateri intellectum, & voluntatem diuinam esse causam rerum liberam, & non passiuam, vel receptiuam: ergo actiuam, quod suo modo intelligendum est, etsi non in rigore, & proprietate respectu actus electionis immanentis, cuius Deus non est causa. Ad secundam probationem minoris respõdetur illud acceptare, & accipere nõ esse quouis modo recipere, sed vitaliter, ac libere hoc est agendo, & cooperando, quasi producere illud, quod recipit, imò vero producere simul, & libere producere consentum libereque producere acceptationem. Et è contra reijci à libero arbitrio formaliter, & positiue non est, nisi per actum productum, quo vel illud minus æstimat, & fugit, vel per hoc quod aliud illi cognito anteponat. Alias prima materia, & quæcumque alia materia receptiua diceretur vere reijcere formam, quam non habet, vel quam actu non recipit, & liberum arbitrium ea quæ nondum cognouit, quod est apertissime absurdum. Ad confirmationem dicendum est quod actus omissionis non est proprius, & formalis actus, quamuis tribuatur libero arbitrio indirectè, & interpretatiue. Quia videlicet potuit illum actum elicere, debuit, & non fecit, & quia potuit aliquid aliud impedire, & noluit, siue per actum positiuum, siue negatiuè se habens, vt diximus in disputatione de peccatis, agentes de peccato omissionis.

Dissoluitur.

Ad confirmationem.

SECVNDA CONCLVSIO.

Concl. 2.

Dico secundo. Certa sententia est, & cõmunis illa, quæ affirmat principium eligendi proprium, & formale quod est liberum arbitrium, vel esse formaliter cognoscitiuum vel necessariò supponere cognitionem, non quãcumque sed intellectualem. Hanc assertionem tenent consequenter omnes illi, qui dicunt eam esse necessariam ad agendum propter finem, & eisdem rationibus eorũ id probatur, præcipue agendo de libero arbitrio. Hanc etiam tenet Aristoteles 3. Ethicor. cap. 1. Origenes 3. Periarchon cap. 1. S. Thomas 1. 2. quæst. 6. art. 1. in corpore cum Gregorio Nisseno, & Damasceno, & de veritate quæst. 24. art. 1. Albertus Magnus 2. part. tractatu 4. quæst. 16. membro. 5. Henricus optime in summa art. 45. quæst. 3. littera. C. vbi late deducit rationem huius, D. Damascenus 2. de fide Orthodoxa cap. 22. D. Bonauentura in 2. distinct. 25. quæst. 1. Gabriel ibidem q. 1. art. 1. ad finem. Durandus in 2. distinct. 24. quæst. 2. num. 31. D. Augustinus in definitione liberi arbitrij ab eo tradita.

Authores qui tuẽtur nostram cõclus.

Ratione etiam probari potest hæc assertio, qua ostenditur ad agendum propter finẽ necessariam esse cognitionem. Nam cum eligere sit appetere vnum propter aliud consequendum, siue in ordine ad aliud, quod idem est, & sic è duobus, vel pluribus propositis vnum alteri præferri in ordine ad aliud, videlicet ad finem, vt Damascenus asserit, & Henricus refert art. 41. quæst. 4. arg. 1. in summa, & vt late explicant Theologi scholastici 1. 2. quæst. 13. & cum ad appetendum vnum in ordine, vel propter ordinem ad aliud, & ad præferendum vnum alteri in ordine ad aliud, scilicet finem, non vt instrumentum motum, & directum ab alio, sed vt principium propriũ

Probatio ex ratione.

talis

talis actionis ſit neceſſaria cognitio intellectualis manifeſte ſequitur ad actum eligendi neceſſariam eſſe ſimilem cognitionem, & conſequenter hoc principium eligendi, quod eſt liberum arbitrium, aut debere eſſe principiũ formaliter cognoſcitiuum, aut neceſſario ſupponẽs cognitionem intellectualem. Vide Hẽricum loco citato q. 3. Albertum 2. p. q. 16. tractatu 4. qui huius rationem à priori conantur deducere, & bene quidem. Neque ex hoc ſequitur eligere, aut principium eligendi: ſeu agere, aut principium agendi propter finem eſſe omnino formaliſsime idem, ſed tantum parum diſtingui, vt ſuo loco dicemus. Ex quibus infertur liberum arbitrium non poſſe cõuenire niſi ſolum rationali, & intellectuali naturæ, neque etiam modum eligendi, quod ipſum nomen liberi arbitrij ſatis declarat.

Ad agendũ propter finẽ neceſſaria omnino eſt cognitio.

Repellenda igitur eſt ſententia illorum, qui voluerunt ad agendum propter finem non eſſe neceſſariam cognitionem, aut ad principium electionis, neque argumenta illorum quidquam valent, argumentantur enim hoc modo. Eligere eſt appetere vnum propter alterũ conſequendũ: ergo liberũ arbitrium erit principiũ appetendi vnum propter alterũ cõſequendum: ſed eiuſmodi principium, neque petit eſſe intrinſece cognoſcitiuum, neque cognitionem ſupponere videtur. Quia appetere, vt ſic non petit cognitionem, & appetere vnum propter aliud, pari modo non videtur eam exigere. Nam lapis appetit motum propter centrum conſequendum, & aër propter medium, & idem conſtat ſecundum alias deſcriptiones electionis, quid ſcilicet, ſit vnũ alteri præferre, vel vnum accipere relictis alijs. Nam certè ignis alijs relictis vere petit ſurſum, terra deorſum. Rurſus quodcumque elementum præfert contactum ſui ſimilis, cõtactui alterius diſsimilis, & nociui, & deſtructiuo relicto, conatur coniungere ſe illi, cum quo melius habet abſque vlla tamen cognitione: ergo in illis naturis inuenitur principium eligendi ſaltẽ lato, & imperfecto modo. Quia non per cognitionem deliberatiuam, & conſequenter in illis erit liberum arbitrium, etſi minus perfectum quam in homine, ſicut dicebatur de agere propter finem. Probatur conſequentia. Quia liberum arbitrium nihil aliud eſt quam principium eligendi, ſed in illis inuenitur hoc principium, etſi non ita perfectũ: ergo inuenitur liberum arbitrium modo ſibi proportionato. Patet etiam. Quia quod eſt principium eligendi eſt etiam principium eligendi, vel non eligendi. Et confirmari poteſt probando ſaltem non eſſe neceſſariam connexionem intellectualem, ad liberum arbitriũ. Nam videmus in brutis mirabiles electiones herbarum, & ſimilium rerum ſibi conuenientium relictis alijs cognitis, quæ nocere poſſent. Hirundines etiam paleas, & non alia minus apta ad conſtruendos nidos eligunt, pluraſque alias electiones cernimus in ordine ad certos fines, quas homines etiam miranturur: ergo in illis eſt aliquale principium eligendi quamuis non perfectum, vt in agentibus intellectualibus, quæ in propria poteſtate habent eligere, aut non eligere: igitur datur in illis abſque intellectuali cognitione aliqua ratio liberi arbitrij. Quare conſequenter poſſent authores iſti fingere triplicem modum eligendi, & triplicem rationem liberi arbitrij ſicut agendi propter finem. Primum perfectum cum dominio proprij actus. Secundum minus perfectum, cum cognitione imperfecta eorum, quæ eligenda ſunt, & cum neceſſaria determinatione ad hoc potius, quam ad illud, eumque conuenire brutis. Tertium ad huc imperfectiorem abſque vlla cognitione, & cum neceſſaria determinatione ad vnum, etſi adſint plura, illumque conuenire agentibus particularibus.

Arguitur è contrario.

Idem quod ſupra confirmatur.

Vera ſtatuitur ſententia.

Sed profectò oppoſitum eſt certum, & eſt communis omnium ſententia aſſerentiũ principium eligendi proprium, & formale quod eſt liberum arbitrium, aut eſſe formaliter cognoſcitiuum, aut neceſſario ſupponere cognitionem non quamcumque, ſed intellectualem vt oſtendimus. Vndè ad rationem ſeu obiectionem pro aduerſarijs adducta, Reſpõdetur aliud eſſe eligere proprie, & formaliter, aliud exequi electionem alterius, ſicut inſtrumentum motum, & directũ ab alio. Eligere enim ſolum conuenit agentibus intellectualibus cum ſit actus proprius liberi arbitrij proprie, & formaliter ſumpti, exequi verò electionẽ & directionem alterius in ordine ad finem conuenire poteſt rebus omni cognitione carentibus, vt in hac parte communiter dicunt omnes de agere propter finẽ, vt cauſam principalem actus, vel vt inſtrumentum motum, & directum ab alio. Sicut autem eligere proprie, & formaliter non poteſt conuenire rebus inanimatis, ita neq; eligere, vel nõ eligere.

Brutis conuenire non poteſt liberum arbitrium.

Dicendum eſt etiam brutis animalibus non poſſe conuenire liberum arbitrium, quod nos late, & fuſe diximus ſuperius in diſputatione hac de libero arbitrio, & olim etiam 1. part. q. 14. art. 13. & 1. 2. quæſt. 74. art. 3. in diſputatione de peccatis. Quoniam eſſentialis, & adequata radix liberi arbitrij eſt intellectualis cognitio eorum, quæ ſunt ad finẽ cum collatione, & conferentia: hæc enim non conuenit brutis: ergo, &c. Vndè bruta ex iudicio infixo, & à natura omnino determinato, ad vnum operantur abſque radice cõtingentiæ, & abſque collatione, & conferentia, ac proinde omnino carent libertate.

Argumenta verò quæ oppoſitum videbantur oſtendere ſimiliter diſſolui poſſunt, conſtat enim bruta exequi electionem, & decretum ſiue arbitrium authoris naturæ, à quo etiam mouentur, ipla verò proprie, & formaliter non eligere.

Maior

Maior difficultas huius sectionis explicatur.

De hac re diximus multa à principio libri per diuersas cõtrouersias.

DIscursus huius sectionis, & controuersiæ plura inuoluit à nobis aperienda, nimirum vtrùm liberum arbitrium sit formaliter intellectiua potentia, ita vt illi solum formaliter conuenire debeat, vel è cõuerso. Vtrùm conueniat formaliter soli potentiæ appetitiuæ, ita vt intellectui minimè conuenire possit, vel ita se habeat, vt formaliter sit vtraque potentia simul, neque alteri seorsum possit conuenire, in qua difficultate multa explicabuntur, quæ adeo sunt connexa, vt indigeant explicatione, & interpretatione non parua. Quia concernunt plura dubia ad vniuersam materiam de libero arbitrio.

Opinio prima: arguitur pro ea 1. & 2.

Primà igitur sententia de hac re putat potentiam formaliter intellectiuam esse liberum arbitrium, iuxta illud Ecclesiastici 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui.* Ideſt in potestate arbitrij, vt explicant omnes Theologi, & Catholici: ergo. Item secundò argumentantur. Quoniam liberum arbitrium essentialiter est potentia ratione cuius nobis, & alijs intellectualibus substãtijs conuenit dominium proprij actus, cum liberum arbitrium, secundum suam essentiam sit ipsa ratio dominij, & formalis potestas agendi, & non agendi etiam cum adsunt requisita, vt communiter dicunt Scholastici: sed potentia ratione cuius habemus dominium proprij actus, & indifferentiam ad operandum, vel eligendum est solus intellectus: ergo liberum arbitrium formaliter solum conuenit intellectui. Minor constat ex loco citato Ecclesiastici 15. dicentis. Reliquit illum in manu consilij sui. Nam hoc est habere dominium. Hac etiam ratione ostendi potest. Quia ratione illius potentiæ habemus dominium, ratione cuius habemus indifferentiam, & facultatem agendi, & non agendi, cum dominium actus nihil aliud sit quam illa potestas producendi illud, vel conseruandi, aut non conseruandi iam productum, sed eam indifferentiam, & facultatem tribuit, & præbet intellectus: ergo, & dominium, & libertatem. Et confirmari hoc potest. Quoniam adæquata ratio, & à priori quare homo, & quodcumque agens liberum est indifferens ad hoc vel illud, & quare communiter habet dominium proprij actus est, quia habet intellectum non determinatum, ad cognoscendum hoc vel illud, quod proponitur in particulari tantum, sicut æstimatiua brutorum, sed solutum, & indifferentem natura sua ad cognoscendum hoc vel illud, & plura alia in particulari, & secundum rationem vniuersalem, vt sæpe affirmant D. Thom. Origenes, Damascenus, Gregorius Nissenus, & alij patres supra citati, qui rem maturius considerant, vt vidimus. Vnde bruta idcirco dicuntur non habere liberum arbitrium, quia non habent cognitionem intellectiuam, qua possint vniuersalia particularibus conferre, & applicare: ergo, &c.

Confirmatur.

D. Thom. Origenes. Damascen. Greg. Nis.

Solutioni occurritur, & cõtra arguitur.

Dices hominem non habere indifferentiam, & dominium actus formaliter, ratione intellectus, sed radicaliter solum, vt communiter dicitur. Sed contra hoc arguitur. Nam certè ratione illius potentiæ sumus formaliter indifferentes, & habentes dominium actus, ratione cuius habemus formaliter, & immediate eam potestatem ex electione operandi supra dicta: cum indifferentia formalis, & formale dominium quæ sunt de ratione liberi arbitrij, nihil aliud sint quàm huiusmodi potestas, sed eam potestatem formaliter habet quis ratione intellectus tantum: ergo. Minor probatur tum ex Damasceno, Gregorio Nisseno citatis à Diuo Thomã de veritate quæst. 24. art. 6. ad 4. & 1. par. quæst. 83. art. 3. ad 1. & ex Boetio quem citat Hugo Cardinalis super illud Ecclesiastici 15. Reliquit illum in manu consilij sui. Omnibus inquam asserentibus eo ipso quo quis sit intellectualis habere liberum arbitrium, & dominium sui actus, vt late deduximus sectione 6. præcedenti ex Sanctis Patribus, & ex Diuo Gregorio Nisseno lib. 5. Philosophiæ cap. 3. & 4. de voluntario, & electione, & lib. 7. Philosophiæ, præcipue cap. 2. & 3. de libero arbitrio. Imo vero Sanctissimus Præceptor D. Thom. 1. part. quæst. 83. art. 1. ad 2. & aliàs sæpe ex eo solum, quod aliquis habeat iudicium liberum indifferens ad discernendum inter plura respectu finis formaliter, probat habere liberum arbitrium. Certum est autem eiusmodi iudicium formaliter haberi per intellectum, & eo ipso, quo quis sit intellectualis formaliter solum, habere intellectum. Quia per solum intellectum formaliter constituitur in tali esse: ergo homo habet dominium, & liberum arbitrium ratione intellectus: alias non esset verum quod Diuus Thomas, & grauiores Scholastici docent intellectualem cognitionem esse veram, & fundamentalem rationem liberi arbitrij, & sine ea libertatem non posse subsistere.

Magis roboratur pro posito argum.

Quod sane ampliùs suadetur ratione. Nam intellectus vere, & formaliter est principiũ, quo formaliter vnum alteri præfertur in ordine ad finem, quod est formaliter eligere, & quo indifferenter se habente ad iudicandum, vel non iudicandum de bonitate obiecti homo est formaliter indifferens ad amplectendum illud vel non, vt patet in hominibus corruptis respectu bonorum particularium, & ipsius summi boni, dum non clare cognoscitur in via: & è contra cum intellectus fuerit ligatus, & determinatus ad iudicandum statim absque vlla deliberatione nulla manet tunc actualiter indifferentia formalis in homine, libertas aut dominium, etiam si maneat integra, & illæsa voluntas, vt aperte videtur

con-

conſtare in furioſis, in pueris, & amentibus: reſpectu autem bonorum particularium etiã in cordatis cum repente, & ſubito rapiuntur, & in ictu obijciuntur, & reſpectu ſummi boni cum dare proponitur : ergo ſolus intellectus eſt principium, ratione cuius formaliſsime habemus dominium. Patet conſequentia. Quia ſi indifferentia, & dominium quæ ſunt de ratione formali liberi arbitrij, non eſſent illa, quæ ſunt in potentia intellectiua formaliter ſaltem aliqua ratione illa manere poſſent, etiam ſi non maneret indifferentia, & dominium intellectus. Si enim vnum non eſt omnino, & formaliter aliud, neque auferri poteſt formaliter per hoc ſolum, quod auferatur aliud. Videmus autem indifferentiam, & dominium actus totaliter auferri ab homine per ſolam ablationem indifferentiæ intellectus voluntate eodem modo ſe habente, ſicut antea : ergo ſignum eſt non ſolum nos reddi formaliter indifferentes, & dominos actus per indifferentiam intellectus, ſed præter illam non eſſe aliam in voluntate, qua ſimus formaliter liberi. Quod patet. Quoniam eodem modo ſe habet voluntas quantum eſt ex parte ipſius quando intellectus cognoſcit obiectum aliquod ſubito, abſque deliberatione, ſicut quando cognoſcit illud deliberans circa finem, & ſimiliter eodem modo ſe habet voluntas quando ratio eſt recta, atque quando eſt delirans, quantum eſt ex parte voluntatis, & tandem quando intellectus clare videt Deum (ſi ponamus illam non ſtatim operari) ac quando intellectus non ita clare, vel nullo modo cognouit Deum, ſed quando intellectus ſubito cognouit, vel delirat, aut Deum clare videt, nulla manet in voluntate indifferentia actualis, aut dominium actus: ergo neque antea illam habebat formaliter, neque homo ratione voluntatis, ſed ratione intellectus erat formaliter, & adæquate indifferens, & dominus proprij actus. Tũ deniique. Quia ſi Deus ſolũ intellectum conſtitueret loco æſtimatiuæ bruti, ita vt poſſet ibi proprium actum exercere brutum ratione intellectus formaliter [diſcerneret bonum à malo, & vnum alteri præferre poſſet in ordine ad finem, vnumque reijcere acceptando aliud, etiam quibuſcumque propoſitis : ergo eſſet formaliter indifferẽs, & liberum, &c. E conuerſo tamen ſi fingamus voluntatem loco appetitus in bruto, ita vt duceretur media cognitione ſenſitiua vere operaretur neceſſariò, nec ratione illius haberet brutum indifferentiam ad electionem, & dominium neceſſariam, cum nullus appetitus poſsit extendi, niſi ad illa ſolum, ad quæ extenditur cognitio ducens, neque alio modo, cum etiam eiuſmodi indifferentia propter dictam rationem exigat neceſſariò intellectiuam cognitionem, vt ſuperius diximus.

Tertiò arguitur pro hac eadem parte. Quia vel dicis primo ratione intellectus nos habere radicaliter dominium actus, eo quod ab intellectu aliqua qualitas oriatur in voluntate, ratione cuius ſit formaliter indifferens, & domina, & id quidem eſt fictitium, & imaginarium. Tum quia nihil actiue, & effectiue producit intellectus in voluntatem imprimendo qualitatem. Tum etiam. Quia ea indifferentia, & dominium, ſi quod eſt in voluntate ab ipſa non diſtinguitur, neque ſine illa produci poteſt, vt videbimus ad finem huius quæſtionis. Neque tandem præterdicta, poteſt intellectus aliquid aliud cauſare effectiue niſi ſuam intellectionem, & ſi per impoſsibile produceret tale dominium illud etiam præhaberet in ſe ſaltem virtualiter ; & quamuis propter intellectum voluntas eſſet formaliter libera, ipſe maximè liber eſſet. Vel dicis ſecundò intellectum eſſe radicem dominij formalis, & ipſius liberi arbitrij, eo ſolum, quod proponat obiectum voluntati, neque illam vllo modo determinet quoad exercitium actus in quo eſt libertas, & hoc videtur manifeſte falſum, non ſolum quia etiam tunc imaginatio diceretur radix libertatis ſaltem mediate, ſi mediate proponat obiectum, & quia tunc intellectus ſe haberet, vt conditio nullo modo concurrens, & formaliter concauſans actum liberum, cuius oppoſitum videtur docere Sanctus Thomas, & alij Doctores vt infra videbimus. Sed etiam quia intellectus quando delirat, & quando ſubito apprehendit obiectũ, vel Deum clare videt, vere & formaliter proponit obiectum voluntati, & tamen id non ſufficit, vt illa libere operetur, vt ſupra dictum eſt: ergo euidens eſt non ideo ſolum dici, & eſſe radicem dominij, & libertatis, quia eſt immediatum proponens obiectum, ſed aliquid amplius habere. Vel dicis tertiò intellectum dici radicem dominij, & indifferentiæ, &c. Quia ſemper præcedit voluntatem ducens eam, & dirigens illam, ita vt licet non neceſſariò, infallibiliter tamen operetur ſemper voluntas, ſecundum ordinem rationis, ſiue actualem, ſiue habitualiter inſitum, nec aliter liceat illi moueri, vt plerumque videntur docere Sanctus Thomas, Ariſtoteles, & alij Doctores, & tunc manifeſte ſequitur nos habere indifferẽtiam, & dominium ratione intellectus, & non ratione voluntatis, & conſequenter liberum arbitrium formaliter eſſe in ſolo intellectu. Sequela patet ex ſuperius dictis. Nam ratione illius potentiæ formaliter, & immediate habemus indifferentiam, & dominium actus, ratione cuius formaliter, & immediate eſt in noſtra poteſtate talem actum elicere, & non elicere ſic vel aliter operari, ſed id habemus ratione ſolius intellectus formaliter : ergo, &c. Minor patet. Ideo ſolum actus iſte ſit hic & nunc eo ordine, quia in-

Tertiũ pro eadem opinione arg.

D. Thom. Ariſt.

tellectus

tellectus ita fieri præscripsit, vt tu fateris, & consequenter ideo possumus illum actum hic & nunc eo ordine elicere, quia intellectus potest ita præscribere vt fiat, & non quia voluntas ita vult, aut velle potest cum illa non possit per se ipsam sic vel aliter ordinare vel aliqua ex parte immutare ordinem rationis regulariter agendo, sed necessario necessitate saltem morali exequatur illum. Et etiam si esset verum dicere ita fieri, quia voluntas ita vult adhuc est verum, & vltimate dicendum, voluntatem ita velle, quia ratio ita præscribit: ergo ratio siue intellectus non solum est causa radicalis, sed formalis & immediata, ratione cuius habemus indifferentiam & dominium.

Quod amplius patet. Nam idcirco bruta & alia irrationalia non habent dominium proprij actus, nec proprie eligunt ad finem, quod in idem redit, non quia non ordinate præferant vnum alteri in proportione & fine, sed quia in eorum potestate non est sic ordinare vel aliter operari: sed solum exequuntur electionem & directionem alterius, nimirum authoris naturæ, qui solus libere operatur in illis, & in cuius potestate ideo sunt actiones illę, licèt immediate eliciantur à brutis: sed similiter voluntas exequitur ordinem rationis, nec in eius potestate sed rationis est operari & non operari &c. ergo neque illa habet formale dominiũ actus, sed solus intellectus.

Quartũ argumentum

Quarto arguitur. Quoniam intellectus est nobilior & perfectior potentia, quam voluntas: ergo non solum debet habere perfectius obiectũ, sed perfectiorem modum operandi & agendi. Patet antecedens ex communi sententia. Consequentia probatur. Quia nobiliori potentiæ necessario correspondet nobilior actus, vel modus producendi illum. Aliter cum perfectio & specificatio potentiæ potissimum sumatur ab actu, siue modo eliciendi illum circa obiectum, si potentiæ minus perfectæ corresponderet perfectior modus operandi, potentia imperfectior non esset imperfectior, sed potius perfectior, quod respectu eiusdem manifeste repugnat. Certum est autem modum operandi libere perfectiorem esse modo operandi necessario, sicut & ratio liberi, vt sic, perfectior est ratione necessarij. Ideo enim potentia libera quatenus libera multum excedit potentias necessarias: Et hominis præstantia præ alijs animalibus in eo potissimum consistit, & ideo solum adeò commendatur à sanctis & Philosophis, quod est natura sua liber suorumque actuum dominus & non alterius imperio in omnibus parens, sicut seruus, quod etiam ipsa ratio dominij vel seruitutis, cum quibus conuertuntur libertas & necessitas, satis indicant. Idcoque blasphemum est dicere Deum non libere, sed necessario agere & operari, quia illi denegatur maxima perfectio, & hominis excellentia valde deprimitur ab illis, qui illi libertatem negant.

Occurritur solutioni.

Quod si dicas, ad maiorem perfectionem intellectus sufficere, quod sit radix libertatis. Contra hoc est confirmatio. Quia vel esse radicem libertatis & radicaliter liberum, est maior perfectio, quam esse liberum formaliter, & id videtur omnino falsum, maxime si esse radicem libertatis nihil aliud sit, quam esse proponens obiectum voluntati: cùm id non tollat formalem necessitatem & seruitutem, vel quasi famulatum intellectus respectu alterius potentiæ, quæ est maxima imperfectio, vel esse formaliter liberum est perfectius, quam esse radicaliter liberum: & tunc sine dubio voluntas erit essentialiter perfectior intellectu, cum illa suapte natura sit formaliter libera & domina sui actus.

Quintũ argumen.

Quinto arguitur pro hac eadem parte. Quoniam dato, quòd liberum arbitrium sit in voluntate, saltem videtur necessariò concedendum reperiri etiam in intellectu. Tum quia Aristoteles sexto Ethicorum, vt Sanctus Thomas etiam refert prima parte, quæstion octuagesima tertia articulo tertio in corpore, sub dubio relinquit, vtrum principium electionis sit intellectus vel voluntas, & aperte videtur indicare liberum arbitrium, quod est principium eligendi de facto pertinere etiam formaliter ad intellectum, vel saltem non repugnare vt formaliter conueniat illi. Tum etiam. Quia in intellectu inuenitur proprie & formalissime æqualis indifferentia, & dominium proprij actus, atque inuenitur in voluntate: ergo formaliter inuenitur eadem aut æqualis ratio liberi arbitrij. Consequentia est manifesta. Cum ratio liberi arbitrij formaliter consistat in illa indifferentia operandi & non operandi, vt communiter dicitur. Antecedens probatur. Primo ex Sancto Thoma & ex alijs cum Aristotele explicantibus indifferentiam voluntatis circa proprium actum & obiectum per indifferentiam intellectus in proprium obiectum, & actum, vt late Prima parte, quæstione octuagesima secunda articulo secundo in corpore, & prima secundæ, quoties se offert occasio id explicandi, vt infra videbimus. Ideo etiam D. Thom. & alij Scholastici dicunt voluntatem Angeli esse inflexibilem post electionem semel factam, & voluntas diuina ideò est formaliter immutabilis, quia nimirum scientia & cognitio eorum mutari non potest.

Et tandem nostra voluntas ideò solum flexibilis est, potens mutare electionem, & in

hoc vel illud inclinari, aut non inclinari. Quia intellectus poteſt de facto mutari, aliter iudicando, vel aliquid noui cognoſcendo, & poteſt in hoc vel illud ferri, aut non ferri, vt plerumque docet S. Thom. & alij authores, & à poſteriori videntur conuincere ea, quæ ſuperius diximus hic paulo antea de furioſis & de primis motibus & de videntibus Deum clare in patria, in quibus, ideo voluntas non eſt indifferens, ſed neceſſario operatur, quia etiam intellectus operatur neceſſario: ergo in intellectu eſt æqualis indifferentia, atque in voluntate, & è conuerſo in voluntate non eſt maior, quam in intellectu: ergo & in libertate eſt æqualitas & paritas. Quod ſi dicas intellectum eſſe potentiam naturalem, ideoque non eſſe ad oppoſita indifferentem niſi pro vt imperatur à voluntate, Contra hoc arguitur primo. Quia vel per potentiam naturalem intelligis eam, quam Ariſtot. dicit eſſe determinatam ad vnum, & hoc eſt manifeſte falſum, tum ex eodem Ariſtot. qui ibidem affirmat potentiam rationalem valere ad oppoſita. Rationalis enim potentia formaliter & eſſentialiter eſt ſolus intellectus: volũtas vero per participationem. Tum etiam, quia ex ſupra dictis conſtat intellectum ad oppoſita tam in vniuerſali, quam in particulari eſſe indifferentem. Cuius ratio à priori eſt, quia intellectus non eſt potentia corporea aut organica, ſicut ſenſus, ſed ſpiritualiſsima, & ob id capax plurium, ac diuerſarum formarum ſimul: ergo non eſt potentia determinata ad vnum. Patet conſequentia. Nam ideo illæ potentiæ naturales ſunt ad vnum determinatæ, quia ſunt materiales, inde enim habent eſſe adeo ſtrictæ & limitatæ capacitatis, vt aduertunt Henricus in ſumma artic. 45. quæſt. 3. & colligitur ex Damaſceno, & ex D. Thom. & Alberto Magno ſecunda parte tractatu quarto quæſt. 16. & ex communi Philoſophia, ſed intellectus eſt adeo immaterialis ſicut voluntas: ergo eſt æqualis, immunis ac ſolutus ab ea limitatione & determinatione ad vnum: ergo æqualiter indifferens. Vel per potentiam naturalem intelligis potentiam non liberam, ſed neceſſario producentem ſuos actus cum adſunt requiſita, vt ſæpe explicare videntur authores illi, & hoc ſolum eſt negare id quod videntur efficere argumenta allata abſque vlla ratione aut ſolutione eorum. Si enim libertas formaliter conſiſtit in indifferentia agendi & non agendi etiam poſitis requiſitis, & ea indifferentia comitatur quamcumque potentiam ſpiritualem actiuam, manifeſte ſequitur quamcumque potentiam ſpiritualem actiuam & conſequenter intellectum eſſe formaliter liberam. Secundo hoc efficacius confirmari poteſt. Quoniam intellectus non eſt potentia adeo determinata & neceſſaria etiam quoad exercitium actus ſicut æſtimatiua & appetitus bruti, vt omnes tenentur fateri: ergo habet maiorem indifferentiam etiam præſcindendo à voluntate, quam imaginatio, & appetitus bruti, cum ratio per ſe ipſam poſsit ſupra ſe & ſupra actus ſenſuum reflectere illoſque corrigere, vt docet communis ſententia, quod tamen ſenſus minime poteſt: ſed maior indifferentia quam habet ſenſus & appetitus quoad exercitium actus non poteſt eſſe niſi ea quæ oritur ex ratione formali liberi arbitrij. Rurſus etiam. Quia certum eſt intellectum etiam à voluntatis imperio præciſum non ſtatim rapi & neceſsitari ad aſſentiendum cuilibet veritati propoſitæ, ſed poſſe diſſentire ſtatim, vel cum primum appareat aliquid falſitatis: vel omnino ſuſpendere actum dum non clare videt connexionem prædicatorum inter ſe, vel cum primis principijs, vel cum alijs quæ ipſe reputat vera, vel ignorat an vera ſint, & bene cum hac veritate conueniat nec ne, vt experientia ipſa docet. Et ratione etiam ſuadetur. Quia vt Sanctus Thomas 1.2. quæſt. 10. artic. 2. ſæpe docet, potentia non neceſſario rapitur ab obiecto, niſi quando illud habet totaliter rationem motiui, ita vt nihil ſit in eo, quod non ſit obiectũ talis potentiæ. Ideo enim voluntas non neceſſario rapitur à bono particulari; quia quodcumque illud ſit poteſt habere admixtum aliquẽ defectum ſeu aliquam rationẽ mali coniunctã, vel minus boni, quæ ab intellectu cognita, voluntatem auertit: ſed nõ ſemper id quod proponitur intellectui habet totaliter rationẽ motiui vt ipſe D. Thom. aſſerit loco citato ad 2. & 3. & quoties comparat intellectum voluntati, vt 1.p.q.82.ar.2. in corpore & ad 2. & 3. vbi etiã docet ſpecialiter tũc potẽtiã neceſſario moueri ab obiecto, quando per obiectum impletur eius capacitas. Nã ob id bruta à quolibet obiecto particulari ſibi bono trahũtur neceſſario, quia per quodlibet impletur capacitas actualis illorum, quæ non eſt diſcurſiua à particularibus ad vniuerſalia, ſed ſolum particularium receptiua, de quibus infra dicemus vbi etiã aperietur res hæc. Quod ſi obijcias intellectum neceſsitari ad aſſenſum quauis demonſtratione facta, & etiam quando nulla apparet in obiecto ratio falſitatis. Contra hoc eſt. Quia inde non poteſt inferri intellectum ſemper operari neceſſario, vel eſſe potentiam neceſſariam reſpectu omnium, vt aperte conſtat in volũtate, quæ neceſſario operatur cũ clare mõſtratur propriũ obiectũ. Tum etiã, quia volũtas vt liberũ arbitriũ eſt infallibiliter operatur circa id, in quo nulla apparet ratio mali aut defectus, ſicut non poteſt nõ velle id, in quo nulla ratio mali aut defectus apparere poteſt, vt ſæpe docet, S. Thom. Igitur eſt æqua ratio indifferentiæ in vtraque potentia, & conſequẽter æqua ratio libertatis, vt inquit Victoria relectione de eo ad quod tenetur homo cũ peruenit ad vſum rationis, propoſitione. 3. Si ratioli libertatis, inquit ille, in ſola indifferẽtia cõſiſtit.

Contra ſolutionem 1. cõfirmatur argum.

Henricus. Damaſc. Albertus Magnus.

S. Thom.

Confirmatur 2.

Sextum argum.

Sexto arguitur. Quoniam liberum arbitrium ſecundum eſſentiam nihil aliud eſt quã principium eligendi, ſed principium eligendi & non eligendi (idem enim eſt principium vtriuſque) eſt ſolus intellectus, ita vt alteri potentiæ conuenire minime poſsit: ergo liberum arbitrium eſt potentia intellectiua. Probatur minor. Quia eligere nihil aliud eſt quã vnum alteri præferre, vt Ariſt. docet vbique, & Sanctus Thomas, & alij etiam ex Damaſceno quem refert Henricus in ſumma artic. 45. quæſt. 4. argum. 1. & Ariſtot. 6. Ethicorum capit. 2. in fine, & ibi Sanctus Thomas lect. 6. in fine. Donatus & alij. Sed præferre vnum alteri ea ratione eſt actus intellectus, ita vt nulli ab ipſo conuenire poſsit. Quod patet. Quoniam eligere non eſt vtcumque præferre, ſed ſcienter, ideſt propter proportionem quam vnum cognoſcitur habere potius, quam aliud reſpectu finis, ad quem eligitur vt etiã Ariſt. citatus dicit. Aliter enim bruta proprie & formaliter eligerent, cum vere & realiter vnum alteri & pluribus etiam cognitis anteponant: ſed non poteſt ita ſcienter vnum alteri præferre, niſi ea potentia, quæ formaliter cognoſcit vtrumque: ergo neque poteſt formaliter eligere, ſi intellectus & liberum arbitrium formaliter poſſet eſſe alia potentia, quam intellectiua. Patet minor. Quia voluntas & alia quæcumque potentia, & alia diſtincta ab intellectu non eſt vere & realiter, imo nec denominatiue intelligens vtrumque: ergo nec poteſt vnum alteri præferre propter proportionem, & bonitatem intellectam à ſe vel ab alio: ergo neque poteſt ſcienter formaliter & vere vnũ alteri præferre, ſed ſolum materialiter exequendo ordinem & cognitionẽ alterius, quod non eſt eligere, ideo enim bruta non eligunt formaliter & proprie, neque eſt in eorum poteſtate electio, & actus: quia ipſa non habent in ſe formalem cognitionem eorum, quæ eligũtur: ſed exequuntur & appetunt eo ordine quo ab alio intelligente cognita & diſpoſita ſunt.

Secunda ſententia vera.

His tamen non obſtantibus certa ſententia eſt, liberum arbitrium eſſe principiũ ſiue potentiam formaliter appetitiuam & volitiuam, & non eſſe liberum arbitrium formaliter loquendo potentiam ſeu principium formaliter intellectiuum. Hæc aſſertio eſt D. Thomæ 1. part. quæſt. 83. art. 3. & in eodem loco Caietanus & alij interpretes D. Thomæ de veritate quæſt. 24. art. 6 & in 2. diſt. 24. q. 1. art. 3. Et idem vult S. Thom. vbicũque agit de libero arbitrio 1. part. quæſt. 19. art. 10. & quæſt. 57. art. 3. & 2. contra gentes capit. 48. vt ſe explicat ratione 5. & vt explicatur à Ferrarienſe ibidem. §. Sed occurit. Et 1. 2. fere à quæſt. 1. vſque ad 21. vbi Bartholomeus Medina quæſt. 6. ar. 2. concl. 1. Magiſter in 2. diſtinct. 25 Gabriel. quæſt. 1 artic. 2. concluſ. 1. Durandus aduerſarius eſt, quem omnes repellunt. Ruardus Tapper artic. 7. poſt initium tenet noſtram ſententiam, Capreolus diſtinct. 24. quæſt. 1. art. 1. concl. 3. & artic. 3. in ſolutione argumentorum contra illam. Michael Palat. in 2. diſtinct. 25. diſp. 1. in medio contra eumdem Durandum. Scotus in 2. diſt. 25. quæſt. vnica & in primo diſtin. 1. quæſt. 3. & 4. diſt. 39. §. Quantum ad 1. & ſequentibus, ſupponit tanquã rem euidentem propoſitam aſſertionem: & expreſſe in 2. diſt. 42. quæſt. 4. §. Ad quæſtionem. Quibus in locis fere omnes Scholaſtici agentes de ratione & cauſa peccati, quæ eſt voluntas creata, idem ſentiũt. Quoniam illa ſolum vt omnes aſſerunt eſt domina ſui actus & formaliter libera. Idem etiã docuit Scotus in 4 diſt. 49. quæſt. 4. 6. & 10. latiſsime, vbi communiter Scholaſtici agentes de perpetuitate beatitudinis & de cauſa illius, idem ſentiunt & inſinuant.

Hugo à Sancto Victore in ſumma ſententiarum tractatu 3. capit. 8. Ruardus Tapper ſpecialiter artic. ſeptimo contra Lutherum poſt initium. Alexander ſecunda parte quæſt. 96. Henricus in ſumma artic. 45. quæſt. 4. Ianſenius ſuper illud Eccleſiaſtici 15. *Reliquit illum in manu conſilij ſui*. Almaynus primo moralium. Vega lib. 2. in Tridentinum, Driedo, Roſſenſis, Dominicus Soto & omnes interpretes D. Thom. & Caſtro & quicumque alij de voluntate & libero arbitrio loquuntur, omnes ſentiunt voluntatem eſſe formaliter liberam, intellectum vero eſſe radicem libertatis, qui quamuis in ſe habeat indifferentiam radicalem ſibi actu conuenientem: & formaliter eam radicem, habeat, tamen poteſtatem liberam formalem agendi & non agendi opera libere cum quodam dominio eorundem operum non illi, ſed voluntati tribuitur.

Ruardus. Tapper. Capreolus. Palatius.

Hugo à S. Victore. Alexand. Henric. Ianſenius. Almayn. Vega. Driedo. Roſenſis. Soto.

PRIMA CONCLVSIO.

Quo ſuppoſito ſentio primò hãc noſtram ſententiam quatenus aſſerit liberum arbitrium eſſe in voluntate illique conuenire, & conuenire poſſe: ſiue conueniat etiam intellectui, ſiue non, adeo certam eſſe in Theologia vt oppoſita ſententia ex ea parte, qua illi contradicit in hoc, non ſolum vt falſa, ſed vt parum tuta reijcienda ſit, cum aduerſetur ſententiæ Scholaſticorum, ita communi, vt nullus eorum, quos ego viderim id non reputet omnino certum. Durandus ſolus eſt pro prima ſententia: Victoria verò & alij, quamuis intellectui concedant libertatem formaliter, eam tamen non negant voluntati, ſicut neque Albertus Magnus, & Bonauentura, & quidam alij, qui quamuis dicant liberum arbitrium non eſſe ſolam voluntatem, ſed voluntatem & intellectum ſimul, nihilominus

D. Thom. Caietan. Ferrarieſ. Medina. Magiſter Gabriel.

liberum arbitrium formaliſsime tribuunt voluntati.

Rurſus aduerſariorum ſententia in prædicto ſenſu ſuperius ab eis dato contradicit cum communi animi conſenſu Sanctorum: cum rationes eorum, dum de voluntate & libero arbitrio agunt, illud manifeſte ſupponant, vt patebit aperte legenti ea, quæ de iuſtificatione communiter dicuntur & diſputantur. *Iuſtinus Martyr. Origenes.* Sed expreſſe Iuſtinus Martyr in reſponſionibus ad Chriſtianos reſponſione ad quæſt. 8. Tertulianus li. de exhorta. caſtitatis & lib. de Monogam. ad finem. Origenes lib. 4. contra Celſum, & lib. 1. Periarchon in proœmio, & lib. 3. capit. 1. Diuus Baſilius ſuper illud Iſaiæ. 14. Semen reprobum &c. & ſuper illud Iſaiæ. 1. Si volueritis, & audieritis me bona terræ comedetis, quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis gladius deuorabit vos. *D. Epiph.* D. Epiphanius lib. 1. aduerſus hæreſes capit. 16. & ex illo Iſaiæ primo modo citato, & lib. 2. capit. 64. & Diuus Chryſoſtomus hom. 19. in Geneſim, & hom. 5. ſuper Matthæum ſuper illud. Mitte te deorſum, Diuus Ambroſius de vocatione gentium capit. 1. & 3. D. Hierony. epiſt. ad Damaſum, de Filio prodigo, & ſuper. cap. 18. Hieremiæ, & ſuper illud Matthæi. Verebuntur filium meum, D. Auguſtinus lib. de gratia & libero arbitrio ſæpiſſime & epiſt. 89. ad Hilarium, li. 83. quæſtionum q. 14. & etiam contra Manichæos, & aliàs ſæpe agens de cauſa peccati, D. Gregorius 3. moralium capit. 9. & D. Bernardus in lib. de libero arbitrio. Quorum Sanctorum verba nos retulimus & ea etiam referunt recentiores Theologi 1. p. q. 14. art. 13. & q. 83. art. 1. & deinceps.

Baſilius. *D. Chryſoſt.* *D. Ambr.* *D. Hieron.* *D. Auguſt.* *D. Gregor.* *D. Bernar.*

Præterea, aduerſaria opinio ſeu ſententia in illo ſenſu, quem prætendere videntur argumenta ſuperius allata contradicit ſacræ ſcripturæ, in qua libertas, vel modus operandi libere ſpecialiter tribuitur voluntati, vt Iſaiæ. 1. *Si volueritis & audieritis me bona terræ comedetis Quod ſi nolueritis & me ad iracundiam prouocaueritis gladius deuorabit vos.* Et cap. 29. *Hic populus labijs me honorat, cor autem illorum longe eſt à me*, Quo etiam teſtimonio vſus eſt Chriſtus Dominus in Euangelio. Et Pſalm. 50. *Voluntarie ſacrificabo tibi.* Et in Exodo dicitur induratum eſſe cor Pharaonis & noluiſſe, & Matth. 5. *Iam mœchatus eſt in corde ſuo.* Et capit. 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.* Et Ioannis 6. *Nunquid vultis abire.* Vnde Chriſtus Dominus Matth. 15. ait. *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem, de corde enim exeunt cogitationes prauæ.* Certum autem eſt eas eſſe liberas ſicut in prædictis locis explicatur. Lege Oecumenium, Caietanum, & alios expoſitores, & Titelm. ſuper eum locum. Licet enim cor in ſcriptura accipi ſoleat pro voluntate & intellectu ſimul vt infra videbimus, & ſuperius diximus, cum de radice libertatis egimus, id tamen non tollit quin libertas formalis aut conſummatio illius, quod idem eſt voluntati tribuatur in ſcriptura.

Iſaiæ 1. & 29. *Pſal. 50.* *Matth. 5. & 19.* *Ioannis 6.* *Matth. 15.*

Rurſus contra citatam ſententiam eſt modus loquendi conciliorum, maxime Trident. ſeſſ. 6. capit. 5. & capit. 7. in initio & can. 9. Verum tamen eſt in Trident. aut in alio Concilio ex his, quæ ego vidi, non expreſſe definiri liberum arbitrium eſſe in voluntate, aut voluntatem eſſe formaliter liberam, ſed ſolum decernitur in homine eſſe liberum arbitrium abſolute, vt conſtat ex vniuerſa ſeſſ. 6. Concilij Tridentin. *Conc. Trid.*

SECVNDA CONCLVSIO.

SENTIO ſecundo, quod quatenus ſecunda ſententia affirmat, liberum arbitrium non eſſe neque eſſe poſſe formaliter potentiam intellectiuam, non eſt ita certa Theologice, ſicut in priori ſenſu. Neque prima ſententia pro vt ijs tantum opponitur adeo periculoſa, ſicut in priori ſenſu. Licet enim opponatur ſine dubio communi ſenſui & menti Sanctorum Scholaſticorumque omnium, præter quam Durando, & paucis alijs, tamen non opponitur adeo expreſſis illorum aſſertionibus, cum non omnes ſed pauciores id aperte doceant, & conſequenter non ita manifeſtè appareat illius error & falſitas. Patebit tamen & conſtabit ex ijs, quæ à nobis dicenda ſunt infra circa probationem huius ſententiæ. *2. Concluſ.*

Iam ergo oportet adducere rationes eaſque examinare, quibus noſtra ſententia oſtendi poteſt. In qua re gratum erit Theologis Catholicis, ſi propoſuerimus potiſsima argumenta, quibus confirmari videtur vera ſententia.

Prima igitur & potiſsima ratio, qua aliqui exiſtimant oſtenſiue demonſtrari veritatem hanc, & oppoſitæ ſententiæ falſitatem eſt, quia liberum arbitrium vel potentia formaliter libera dicitur eſſe illa, quæ poſitis omnibus prærequiſitis & eodem modo ſe habentibus, adeò formaliter & ratione ſui poteſt operari, & non operari, tendere in hoc vel in illud &c. ſed huiuſmodi potentia eſt ſola voluntas, & non intellectus: ergo liberum arbitrium formaliter loquendo eſt voluntas tantum. *Prima ratio pro concluſione.*

Hæc ratio ita propoſita vt iacet, ſeu vt à nõ nullis traditur plures habet difficultates vt bene adnotauit Franciſcus Victoria in relectione de eo, ad quod tenetur veniens ad vſum rationis. Nititur enim duobus fundamentis, quorum primũ non eſt adeo firmum: nimirũ quod voluntas nullã habeat inclinationẽ, aut determinationẽ ad bonũ propriũ proprij ſubiecti, ſed quod adeo ſit indifferẽs & indeterminata, vt nec moraliter, ſeu infallibiliter determinetur, neq; neceſsitetur ad operandũ circa bonũ *Quòd hæc ratio plures habeat difficultates.*

proprium

proprium, ad quod inclinatur & ad quod habet coaptationem quandam, videlicet cum ad sunt requisita omnia, & ratio boni proprij, & nulla neq; apparēs ratio mali, de quo diximus supra sect. 6. fuse satis. Secundò etiam est difficilis proposita ratio. Quia supponit intellectum esse potentiam adeò determinatam, & necessariam vt non solum infallibiliter, sed naturaliter & physice necessitetur ad operandū circa obiecta particularia, & veritates particulares cum debite proponuntur. Hoc inquam fundamentum est valde difficile, & ab aliquibus dicitur apertè falsum, cum intellectus suapte natura sit indifferens vt assentiatur vel non assentiatur, aut vt omnino suspendat, cum ita oportere iudicauerit propter falsitatem saltem apparenter, vel quia non apparet statim veritas, & connexio necessaria extremorum. Pari ratione ac de voluntate dicitur respectu proprij obiecti, vt expresse docet Sanctus Thomas 1. part. quæst. 59. artic. 3. in corpore. Quo in loco interrogat vtrum sit in Angelis liberum arbitrium, & respondet in brutis non reperiri iudicium liberum, sed iudicium à natura. Et solum id, quod habet intellectum posse agere iudicio libero, in quantum cognoscit vniuersalem rationem boni, ex qua potest iudicare hoc vel illud esse bonum. Vnde vbicumque est intellectus est liberum arbitrium &c. Quæ indifferentia intellectus, quam S. Thomas ibi appellat libertatem iudicij nō potest dici à voluntate extrinsece participata, cum S. Thom. agat de intellectu & de iudicio libero pro vt se habet antecedenter ad voluntatem, vt inde colligat in voluntate tali iudicio proportionata, & proportionabiliter correspondente debere reperiri similem indifferētiam, & rationem formalem libertatis propter ea, quæ superius diximus sect. 5. & 6. & etiam propter infra dicenda, vt manifeste constat ex contextu & ex intentione Sancti Thomæ ibi.

S. Thom. Quare autem S. Thom. & alij Sancti iudicium appellent liberum, dicemus ad primam sententiam respondentes. Vnde S. Thom. 1. part. quæst. 82. artic. 1. ad 2. approbans ea quæ diximus clarius inquit, quòd voluntas secundum quod aliquid naturaliter vult magis respondet intellectui naturalium principiorum, quam rationi, quæ ad oppositа se habet, & artic. 2. in corpore inquit. *Sunt autem quædam intelligibilia, quæ non habent necessariam connexionem ad prima principia: sicut contingentes propositiones, ad quarum remotionem non sequitur remotio primorum principiorum. Et talibus non ex necessitate assentitur intellectus. Quædam autem propositiones sunt necessariæ, quæ necessariam habent connexionem cum primis principijs. Sicut conclusiones demonstrabiles ad quarum remotionem sequitur remotio primorum principiorum. Et his intellectus ex necessitate assentitur cognita connexione necessaria conclusionum ad principia per demonstrationis deductionem. Non autem ex necessitate assentit ante quam huiusmodi necessitatem connexionis per demonstrationem cognoscat, similiter etiam ex parte voluntatis sunt quædam particularia bona, quæ non habent necessariam connexionem ad beatitudinem, quia sine his potest aliquis esse beatus, & huiusmodi, voluntas non de necessitate inhæret.* Vbi ex simili habitudine voluntatis ad suum obiectum colligit Sanctissimus Præceptor libertatem illius dicens. *Similiter etiam ex parte voluntatis &c.* Et in eodem 2. artic. solu. ad 3. inquit, quod vis sensitiua nō est vis collatiua diuersorum, sicut ratio, sed simpliciter aliquid vnum apprehendit. Et ideo secundum illud vnum determinate mouet appetitum sensitiuum. Sed ratio est collatiua plurium, & ideo expluribus moueri potest appetitus intellectiuus scilicet voluntas, & non ex vno ex necessitate. Idem docet D. Thom. in eadem 1. p. q. 83. art. 1. in corpore dicens. *Sed quia iudiciū istud nō est ex naturali instinctu in particulari operabili* (quod verum non esset si intellectus physica & naturali necessitate iudicaret) *Sed ex collatione quadam rationis, ideo agit libero iudicio potens in diuersa ferri. Ratio enim circa contingentia habet viam ad opposita, vt patet in Dialecticis Syllogismis, & rhetoricis persuasionibus. Particularia autem operabilia sunt quædam contingentia, & ideo circa ea iudicium rationis ad diuersa se habet & non est determinatum ad vnum. Et pro tanto necesse est quod homo sit liberi arbitrij ex hoc ipso quod rationalis est.* Idem docet S. Thom. in discursu totius huius quæstionis 83. Et in 1. 2. quæst. 6 artic. 2. maxime ad 2. dicens. *Ex hoc enim quod ratio deliberans se habet ad opposita voluntas in vtrumque potest.* Et quæst. 9. artic. 3. dicit intellectum mouere se ipsum eo modo quo voluntas. Idem art. 6. ad 3. & quæst. 10. art. 3. & quæst. 13 art. 1. & 6. per totum, de veritate quæst. 24. art. 1. in corpore, & artic. 2. & 6. & 2. contra gentes cap. 48. & ibi Ferrara circa finem, & in 2. distinct. 25. Idem Origenes 3. Periarchon cap. 1. post initium versiculo. Rationabile vero animal, cum habeat, &c. *Ferrara. Origenes.*

Diuus Hieronymus epist. ad Damasum de filio prodigo Tom. 3. Dedit, inquit, *Liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, id est, indifferentiam ad vtrumlibet, vt dicemus*, & epist. ad Demetriadem tomo 4. ad finem, facit ipsam voluntariam sui iuris, non necessitate deuinctam, sed iudicio liberam. Vide Diuum Gregorium Nissenum locis citatis, D. Damascenum lib. 2. fidei Orthodoxæ capit. 26. & 27. & lib. 3. capit. 14. Hoc idem voluit Diuus Augustin. in ea diffinitione, qua ait. Liberum arbitrium est facultas voluntatis & rationis, & consequenter omnes, qui illam amplectuntur vt D. Thomas sæpe & plures alij, quos vidimus supra, etiam in alijs sectionibus. Si enim in ratione nulla esset indifferentia conducens ad libertatem, quæ à D. Augustin. vocatur facultas, impertinēter poneretur in definitione *D. Hieron. D. Greg. Nissenus. D. Damas. D. August.*

liberi arbitrij. Idem docuit Henricus in ſumma artic. 5. circa medium. Capreolus in 2. diſt. 24. quæſt. 1. præcipue artic. 3. ad argumenta contra 2. 3. & 4. concluſionem, vbi ad 2. ait non quamcumque indifferentiam ſufficere ad formalem rationem libertatis, ſed eam, quæ eſt inpotententia motiua. Hugo Cardinalis ſuper illud. Reliquit illum in manu conſilij ſui. Eccleſiaſtici 15. Idemque volunt qui dicunt liberum arbitrium claudere intellectum & voluntatem ſimul, vt infra videbimus. Idē latiſsime Durandus in 2. diſtinct. 24 quæſt. 2. num. 13. & quæſt. 3. num. 14. & ſequentibus. Victoria relectione citata de eo, ad quod tenetur homo veniens ad vſum rationis, propoſitione 4. in fine, & propoſitione 5. Horatius 1. locorum cap. 23. rationem ait eſſe rectorem volūtatis. Cordub. lib. 2. quæſtion q. 11. §. Sed diſſentiūt opiniones verſus mediū. Et in hanc inclinat vt probabiliorem quam initio quæſtionis tribuit S. Thomæ. 1. p. q. 83. artic. 1. & Caietano ibidem, & de veritate, q. 24. art. 10. Idem tribuit D. Bonauenturæ in 2. diſt. 25. artic. 1. quæſt. 6. Idem expreſsius Bartholomæus Medina ex mente & doctrina D. Thomæ 1. 2. quæſt. 6. art. 2. ad argumenta contra primam concluſionem, & concluſ. 4. & 5. & in dubio occurrente ad finem articuli. Et tandem Thomiſtæ & antiqui doctores à nobis citati in quæſt. de radice libertatis.

Plures alij authores ex ſcholaſticis adducūtur.

Ratione probatur. Intellectus potentia cognoſcitiua rei ſecundū rationes particulares & communes.

Nunc vero ratione probatur aſſertio à nobis propoſita. Quoniam intellectus natura ſua etiam præciſus à voluntate eſt potentia formaliter cognoſcitiua rei, quæ proponitur, nō ſolum ſecundum rationem particularem, ſed etiam ſecundum rationem communem, aut rationes cōmunes illius, quibus à pluribus alijs differre aut cum illis conuenire ſaltem apparenter poteſt. Rurſus intellectus natura ſua, & ratione ſui eſt virtus potens id quod actu proponitur cum alia quacumque re comparare, vel in rationibus particularibus ſecundum entitates earum, quantum ad vnitatem, & conuenientiam, aut diuerſitatem & diſſimilitudinē, vt inde percipiat veritatem & falſitatem eorum, quæ de illis affirmātur, vel negantur aut ſecundum proportionem & improportionē, ſeu bonitatem in ordine ad aliquid agendum, vel poteſt illud quod proponitur comparare cum alijs in prædicatis vniuerſalibus ſecundū ſimilitudinem, & diſſimilitudinem in ordine ad veritatem. Vel ſecundum proportionem in ordine ad opus. Vel ad prima principia deducere, vt veritas vel falſitas clarius pateat: ergo intellectus natura ſua & ratione ſui non eſt potentia formaliter determinata ad vnū, ſed indifferens ad plura. Antecedens eſt omnino certum, tam in naturali Philoſophia, quam in Theologia: idque docet experientia, & ratio à priori eſt tacta ſupra in quodam argumento pro prima ſententia. Hoc enim eſt de ratione potentiæ ſpiritualis cognoſcitiuæ, qualis eſt intellectus, & in hoc potiſsimum diſtinguitur à potentia corporea cognoſcitiua, qua ratione reijcitur id quod poterat quis dicere: nimirum eam indifferentiam ad plura non eſſe de ratione intrinſeca intellectus, ſed ſolum ab extrinſeco illi prouenire per volūtatis applicationem & imperium, cum ea præciſa ratione, qua eſt potentia intellectiua, id eſt cognoſcitiua immaterialiter, ſit intrinſece & ratione ſui capax illorū plurium. Quod in potentia rationali intrinſece & ratione ſui diſcurſiua ab vno in aliud, patet euidentius. Vnde à fortiori de Angelo & diuino intellectu etiam præciſo à voluntate idem affirmandum eſt. Quamuis verum ſit intellectum à voluntate quæ eſt potentia vniuerſaliter motiua moueri poſſe: quā etiam obiectionem reijciemus inferius. Prima conſequētia ſuperius paulò antea facta ex terminis ipſis patet. Quoniam idem ſunt eſſe potentiam ſuapte natura & ratione ſui cognoſcitiuā plurium, illorumque inter ſe comparatiuam etiā ſecundum rationes vniuerſales: & non eſſe potentiam ratione ſui determinatam ad cognoſcendum vnum vel ſingulare tantum: ergo vlterius intellectus eſt potentia ita natura ſua indifferēs vt ſe ipſam determinare poſsit ad aſſentiendum vel diſſentiendum reſpectu proprij obiecti tantum: ea ratione, qua quæcumque aliæ potentiæ dicuntur mouere ſe: quod quidem ſemper intelligendum eſt iuxta aliqualem determinationem obiecti.

Intellectus facultasquædam habens vim quærendi in obiecto rationes & motiua, quibus determinetur ad agēdum, vel non agendū.

Probatur ſequela. Quoniam illa potentia eſt ita indifferens, & ſe ipſam ad agendum vel non agendum circa proprium obiectum determinans, quæ ex ſua intrinſeca ratione habet facultatem, & vim quærendi & inueniendi in re obiecta rationes & motiua, quibus iuxta ſuam naturam ſufficienter determinetur ad agendum vel non agendum circa illam: ſed intellectus eſt eiuſmodi circa veritates & obiecta particularia: ergo &c. Maior patet etiam à priori. Quia cum potentia aliqua ex ſe eſt determinata ad aliquod obiectum quoad ſpecificationem: ille dicitur vere eam determinare quoad exercitium qui ſufficienter applicat obiectum ſiue neceſſario ſiue libere: Ideo enim ſæpe diximus bruta determinari & moueri ab authore naturæ, & à iudicio naturæ infixo, quod etiam docet Sāctus Thomas ſæpe. Nam Deus eſt qui primario & principaliter applicat obiectum. Minor vero Probatur. Quoniam motiuum, à quo humana mens determinatur ad aſſentiendum vel diſſentiendum alicui veritati in particulari, vel eius oppoſitæ (qui ſunt proprij actus mentis, non quatenus eſt intellectus principiorū, ſed quatenus ratio particularium libero arbitrio correſpondens) eſt veritas vel falſitas, quæ in illa re apparet reſpectu principiorum, & in ordine ad alias veritates. Motiuum etiam, à quo idem intellectus determinatur ad iudicandum hoc vel illud, eſſe medium expediens ad talem finem

& ad præferendum vnum alteri, est proportio & conuenientia, quæ in illis rebus apparet respectu talis finis. Sed intellectus natura sua habet vim & facultatem quærendi, inueniendi, & sibi proponendi veritatem vel falsitatem, proportionem vel improportionem rerum particularium cum fine vel principijs, cum habeat vim comparandi vnum cum alio, vel cum pluribus alijs: ex qua collatione percipitur veritas vel falsitas, proportio & improportio à quibus intellectus natura sua determinatur ad eliciendos actus & iudicia illis proportionata: ergo &c.

Obiectio. Sed obijcies intellectum solum habere ratione sui capacitatem & indifferentiam ad illos actus quasi specifice, vel quoad specificationem, illos tamen exercere non posse nisi applicetur à voluntate, atque ita eam indifferentiam reducendi se ad actum non esse intrinsecam, sed ab extrinseco imperio, aut impulsu voluntatis &c. Hoc tamen videtur aperte contradicere ijs, quæ docet S. Thomas 1. 2. q. 9. artic. 3. in corpore; vbi dicendum ait. Quòd sicut supra dictum est ad voluntatem pertinet mouere alias potentias ex ratione finis, qui est voluntatis obiectum, sed sicut dictum est hoc modo se habet finis in appetibilibus, sicut principiū in intelligibilibus: manifestum est autem quòd intellectus per hoc quod cognoscit principium reducit se ipsum de potentia in actum quantum ad cognitionem conclusionum, & hoc modo mouet se ipsum, & similiter voluntas per hoc, quod vult finem mouet se ipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem &c. Idem fere vult in omnibus locis superius citatis. Neque obstat voluntatem mouere posse intellectum sicut & alias potentias quod asserit D. Thomas 1. 2. quæst. 9. & quæst. 6. quia etiam intellectus mouet voluntatem vt eildē locis docuerat D. Thomas, & 1. part. quæst. 82. artic. 3. & 4. & 1. 2. q. 17. artic. 1. in corpore, imò & voluntas mouetur ab exteriori principio, & tamen cum hoc stat voluntatem mouere se ipsam. Et sicut in diuerso genere mouetur voluntas ab intellectu tanquam à proponente obiectum, à se ipla vt ab efficiente proprium actum, ita intellectus mouetur à voluntate vt ab imperante inquisitionem obiecti, & exercitium actus, à se ipso vero vt ab immediate proponente sibi obiectum per inquisitionem & cōsilium, & vt ab efficiente propriū actum. Certum est autem potentias vitales immediatius & formalius moueri ad exercitium actus antecedenter per debitam applicationem obiecti, quàm alio modo. Idem etiam patet. Quia si intellectus nulla ratione moueret se ipsum quoad exercitium, nulla esset ratio D. Thomæ ad probandum voluntatem mouere se ipsam quoad exercitium actus (de quo tantum erat ibi sermo) ex eo quod se habeat sicut intellectus in ratione mouendi se ipsum. Tandem S. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 2. ad 1. ait. Dicendum quod homo est dominus suorum actuum, & volendi & non volendi propter deliberationem rationis, quæ potest flecti ad vnam partem, vel ad aliam: sed quod deliberet vel non deliberet & si huiusmodi etiam sit dominus, oportet quod hoc sit per deliberationem præcedentem, & cum hoc non procedat in infinitum oportet quod finaliter deueniatur ad hoc, quòd liberum arbitriū hominis moueatur ab alio exteriori principio, quod est supra mentem humanam, nimirum à Deo. Quod etiam Aristot. cognouit & sensit in capite de bona fortuna vt eum Sanctus Thomas citat 1. 2. quæst. 109. Vnde mēs hominis etiam sani non ita habet dominium actus quin indigeat moueri à Deo, & multo magis vbi proprium motum deliberatiuum intellectus, non tandem reducitur ad voluntatem, sed ad propriam facultatem ipsius potentiæ deliberatiuæ per debitam applicationem obiecti, quæ primario fit ab authore naturæ, vt ipse etiam sæpe docuerat 1. part. & 1. 2. in primis quæstionibus, à quo id etiam accepit Barth. Medina 1. 2. quæst. 6. art. 2. ad finem, & alij Thomistæ.

Aristot.

Dissoluitur ex S. Thoma.

Neque etiam stare potest ea solutio & obiectio proposita cum his, quæ docent D. Damascenus Diuus Gregorius Nissenus Diuus Hieronymus, Origenes, Diuus Thomas, & alij Scholastici supra citati. Imo quod aliqui dicunt esse de fide, ideo scilicet in homine esse liberum arbitrium formaliter, hoc est appetitum non determinatum ad vnum, sed solutum indifferentem ad plura & formaliter liberum. Quia in eo est intellectus potens in diuersa ferri discurrendo, comparando, & conferendo &c. Quia si intellectus & ratio secundum eos Patres nullam haberet in se ipso potestatem quoad applicationem & exercitium actus proprij nō bene ex eo colligerent à priori, & per causam, in homine esse appetitum natura sua indifferentem quoad exercitium: quod tamen eos velle aperte indicat particula, ideo, quia, vel eo ipso, vt etiam clarius quam alij à quibus id accepit D. Thomas 1. 2. quæst. 6. art. 2. ad 2. dicens. *Ex hoc contingit, quòd homo est dominus sui actus, quod habet deliberationem de suis actibus, ex hoc enim quod ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas in vtrumque potest.* Quibus non contradicit vt aliqui putant q. 24. de veritate art. 6. in fine corporis dicens. *Ita & potentia, qua libere iudicamus non intelligitur illa qua aiudicamus simpliciter, quod est rationis: sed quæ facit libertatem in iudicando, quod est voluntatis &c.* Nam in eo articulo agit S. Thom. de ratione formali libertatis quàm certum est non esse in intellectu nisi ratione voluntatis, non tamen agit de quacumque indifferentia & facultate proprij actus, quam ipse S. Thomas passim cōcedit intellectui, vt radicem alterius. Certum est enim liberum arbitrium non formaliter tātum acceptum, & strictissime, sed completè sumptum duas dicere facultates secundum S. Thomam, D. Augustinum in illa differentia &

Quòd obiectio proposita minime stare possit cum ijs quæ dicuntur à Sanctis Doctoribus.

Explicatur D. Thom.

definitione communi. Alia namque eſt facultas liberè iudicandi, vel aliud quodcumque libere agendi: & hæc eſt formaliter libertas ſiue liberum arbitrium, vt infra explicabitur, quæ in voluntate ſola poteſt reperiri formaliter. Alia eſt facultas abſolute iudicandi, vel non iudicandi iuxta determinationem proprij obiecti. Et hæc non eſt formaliter libertas, ſed radicaliter, vt bene etiam Capreolus & antiqui Thomiſtæ notant, quam ſemper conceſsit D. Thomas intellectui, vt cauſam & radicem alterius, vt conſtat ex ipſius verbis ſuperius allatis ex articulo 6. & ratione qua ibidē probat liberum arbitrium formaliter eſſe voluntatem. Et eadem, quæſt. 24. artic. 1. de veritate in corpore inquit. *Homo vero per virtutem rationis iudicans de agendis poteſt de ſuo arbitrio iudicare, in quãtum cognoſcit rationem finis, & eius quod eſt ad finem, & ordinem, & habitudinem vnius ad alterum, & idcirco non eſt ſolum cauſa ſui ipſius in mouendo, ſed in iudicando, & ob id eſt liberi arbitrij, ac ſi diceretur liberi iudicij de agendo vel non agendo.* Vtrumque autem complexus eſt S. Thomas in prædicta quæſt. 24. de veritate ar. 6. ad 4. dicens. *Si tamen rationale à rationali potentia ſumeretur* (certum eſt autem ab illis ſanctis & à D. Thom. ſæpe ſumi in eo ſenſu) *prædicta authoritas ſignificaret rationem eſſe primam liberi arbitrij originem, non autem immediatum electionis principium.* Et clarius 1. 2. quæſt. 17. art. 1. ad 2. ait. *Dicendum, quod radix libertatis eſt voluntas vt ſubiectum, ſed ſicut cauſa eſt ratio, ex hoc enim voluntas libere poteſt ad diuerſa ferri. Quia ratio poteſt habere diuerſas conceptiones boni, & ideo Philoſophi definiunt liberum arbitrium, quod eſt liberum de ratione iudicium, quaſi ratio ſit cauſa libertatis &c.*

Si igitur intellectus ex propria ratione formali nullam haberet indifferentiam quoad exercitium & applicationem proprij actus, in differentia intellectus non eſſet vere origo & cauſa indifferentiæ voluntatis vt expreſſe aſſeruit D. Thomas, neque alij Patres ex tali modo cognitionis determinatæ à natura quoad exercitium quantum eſt ex parte ſui bene colligerent tanquam ex cauſa indeterminationem appetitus illi correſpondentis: cum in bona Philoſophia ſequatur oppoſitum: appetitū videlicet eſſe determinatum quando cognitio eſt determinata cum tota perfectio cuiuslibet appetitus vitalis ſumatur à potentia cognoſcitiua illi proportionata, & priori origine, vt expreſſe docet S. Thom. verbis infra citandis.

Appetitus determinatus eſt quando cognitio eſt determinata.

Quod ſi adhuc Sanctorum mentes contorquere velit dicens eos colligere liberum arbitrium in homine ex eo quod in illo ſit intellectus qui per imperium voluntatis huc atque illuc moueatur, vel quia habet intellectum potentem repræſentare plura & ſub diuerſis rationibus, ſi voluntas velit & imperet. Nam id videtur ſufficere, vt intellectus dicatur origo & cauſa libertatis. Contra primum eſt. Quia tunc eſt manifeſtum motum indifferentem intellectus nō eſſe originalē cauſam: ſed effectū indifferentiæ volūtatis, atq; ita male inde colligeretur vt ex cauſa: inaniterq; id toties repeterēt Sancti, & Scholaſtici plures cū D. Tho. cum poſſent vnico verbo dicere in homine eſſe liberum arbitrium: quia in eo eſt appetitus quoad exercitium mouens ſe ipſum, vel intellectum aut alias potentias, quā tamen rationem neque indicant, præcipue, D. Thomas.

Contra ſecundum eſt. Primò. Quia in eo ſenſu neceſſariò conceditur intellectui aliqua indifferentia quoad exercitium proprij actus: Vel inde non poteſt colligi talis indifferentia in voluntate. Cum enim prius ſit cognitionē eſſe talem, quàm appetitum, & appetitus ex ſuo genere non ſuperet perfectionem potentiæ cognoſcitiuæ ſibi proportionatæ (quam ſine dubio nimium excederet voluntas ſi adeo eſſet indifferens, & intellectus ita determinatus vt aliqui volunt) ex tali perfectione intellectus determinati non debet nec poteſt colligi illa alia maior perfectio & indifferentia voluntatis vt dicemus. Secundo. Quia ea euaſio qualiſcumque ſit, non habet fundamentum in verbis Sanctorum & D. Thomæ, illi enim in locis ſupra citatis proportionaliter probare volunt determinationem & neceſsitatem appetitus brutorum, atque indifferentiam & libertatem voluntatis, illud autem ſolum probant ex eo, quòd cognitio bruti eiuſque iudiciū ſit à natura infixum, & cognitio naturalis ſua determinata & non indifferens ad plura, neque vnquam meminerunt illius rationis, vt dicerent, ideo non habere libertatem, quia eorum appetitus non poteſt imperare cognitionem, vel quia cognitio ab eorum appetitu moueri nequeat. Cuius tamen debuerant meminiſſe, ſi crederent in appetitu aliquo poſſe eſſe maiorem indifferentiam & facultatem quoad exercitium actus, quàm ea, quæ inuenitur in cognitione tali appetitui proportionata, vt nunc volunt aliqui ex iunioribus contra D. Thomam & alios. Neque ſatis eſt dicere cognitionem brutorum eſſe à natura determinatam ad hoc, vt non poſsit moueri ab appetitu, ad cognoſcendum hoc, vel illud, ſi appetitus illi proportionatus poſsit eſſe perfectior, cum videamus æſtimatiuam hominis & alios ſenſus internos moueri à ratione per imperiū voluntatis ad hoc vel illud cognoſcendum, cum tamen potētiæ illæ naturales ſint & eiuſdem rationis cum potentijs brutorum: ergo proportionaliter, vt illi Patres loquuntur ex eo ſolum probant indifferentiam voluntatis & facultatem illius quoad exercitium actus. Quia illa ſequitur rationem indifferentem & natura ſua ſolutam quoad exercitium actus circa particularia obiecta, & non quia intellectus poſsit moueri à voluntate &c. Ex hoc autem nullo modo ſequitur libertatem eſſe formaliter in intellectu, bene tamen radicaliter, vt ſæpe docet D. Thom. & nos plerumque declarauimus. Tertiò. Quia ipſi Patres ma-

Appetitus ex ſuo genere non ſuperat perfectionem potentiæ cognoſcitiuæ.

ximè

S. Thomas.

xime D. Thomas qui eorum mêtes percalluerat, ita apte explicuit quod ipsi volunt vt nulla de illius & de illorum mente dubitatio manere possit. Ipse namque D. Thomas de veritate q. 24. art. 2. in corpore, vt omittam plura alia quæ supra adduximus: sic ait. *Sciẽdum quòd cum ad operationem tria concurrant, nimirum cognitio, appetitus, & ipsa operatio, tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet. Appetitus enim cognitionem sequitur, cum appetitus non sit nisi boni quod sibi per cognitionem proponitur. Et quod quandoque appetitus videatur cognitionem non sequi, hoc ideo est, quia non circa idem accipitur appetitus & cognitionis iudicium. Est enim appetitus de particulari operabili, iudicium vero rationis quandoque est de aliquo vniuersali, quod est quandoque contrarium appetitui, sed iudicium de hoc particulari operabili, vt nunc, nunquam potest esse contrarium appetitui. Qui enim vult fornicari quamuis sciat in vniuersali fornicationem malum esse, tamen iudicat sibi vt tunc bonum esse actum fornicandi & ipsum eligit sub specie boni, nimirũ vtilis vel delectabilis. Et ideo si iudicium cognitiuæ non sit in potestate alicuius, sed sit aliunde determinatum neque appetitus erit in potestate eius & per consequens nec motus, vel operatio absolute. Iudicium autem est in potestate iudicantis secundum quod potest de suo iudicio iudicare, de eo enim quod est in nostra potestate possumus iudicare. Iudicare vero de iudicio suo est solius rationis, quæ super actum suum reflectitur, & cognoscit habitudines rerum, de quibus iudicat, & per quas iudicat. Vnde totius libertatis radix est in ratione constituta. Vnde secundum quod aliquid se habet ad rationẽ sic se habet ad liberum arbitrium &c.* Quare ea quæ huc vsque diximus, & alia quæ inde sequuntur necessario esse dicenda, clarius ostendentur, si D. Thomas, qui optime omnium in hac re est locutus maxime explicetur, vt aliàs nos fecimus sect. 6. præcedente, & 5. vbi egimus de radice libertatis.

Est semper appetitus de particulari operabili, iudiciũ verò quandoque est de aliquo vniuersali.

Ratione etiam contra aduersarios arguitur.

Et præterea ratione etiam agendum est. Nam vel dicis voluntatem quoad exercitium applicare intellectum mouendo illum, vt versetur nunc contra hoc vel illud obiectum, illudque statim relinquendo, vt disquirat quid in ea re sit boni vel mali, idque per iudicium proponat, vt reuera contingit quoties intellectus operatur ex impulsu voluntatis & tunc cum intellectus in peculiaribus illis discursibus, collationibus, conferentijs, assensibus vel dissensibus, & iudicijs non applicetur immediate à voluntate vt supponimus, neque per absolutam naturæ necessitatem manifeste sequitur determinari à se ipso non necessario sed infallibiliter iuxta modum determinationis obiecti. Quod autem determinatio in illis iudicijs non sit ex necessitate nrturæ, sed à propria facultate intellectus patet. Tum quia ad actus illos determinatur intellectus per collationem plurium inter se, vt patet ex terminis: sed eiusmodi quæ ex collatione fiunt non sunt à natura indita, sed ab ipso iudicante, & consequenter nec sunt absolute necessaria: ergo &c. Minor patet ex Sancto Thoma. 1. parte quæst. 83. art. 1. in corpore dicente. *Sed homo agit iudicio libero. Quia per vim cognoscitiuam iudicat aliquid esse fugiendum vel prosequendum: sed quoniam iudicium istud non est ex particulari instinctu in particulari operabili, sed ex collatione rationis, ideo agit libero iudicio potens in diuersa ferri.* Idem vult in eadem prima parte quæst. 82. articulo secundo ad tertium, & quæst. 59. articulo tertio dicens. *Sed solum id, quod habet intellectum potest agere iudicio libero in quantum cognoscit vniuersalem rationem boni, ex qua potest iudicare hoc vel illud esse bonum, vnde vbicumque est intellectus, est liberum arbitrium.* In quibus & alijs locis præter illa, quæ supra adduximus non solum docet eiusmodi iudicia rationis ex collatione facta non esse ex necessitate naturæ, sed etiam causam illius facultatis & indifferentiæ iudicij, quam ipse vocat libertatem late sumpto vocabulo, vt videbimus, non tam esse voluntatis impulsum quam vim collatiuam ipsius intellectus. Ratio etiam illius est manifesta. Quia tunc dicitur potentia determinari à natura, & non à propria facultate quando per propositionem obiecti omnino determinatur ad alteram partem, ita vt nullus relinquatur locus recipiendi, vel non recipiendi illud: sed in illis iudicijs non ita determinatur intellectus ab obiecto proposito vel à veritate per collationem inuenta, vt non relinquatur locus: ergo &c. Minor patet, quia veritas, quæ tunc reperitur in obiectis particularibus non est summa, sed admixta falsitati aut obscuritati vel non habens necessariam connexionem cum primis veritatibus euidenter cognitis, atque ita neque omnino necessario rapiens intellectum, sed relinquens facultatem se ipsum determinandi infallibiliter secundum exigentiam talis obiecti: ergo &c. Tum etiam patet. Quia si tunc intellectus iudicaret necessariò, voluntas etiam necessariò operaretur, quod est falsum. Probatur sequela ex Damasceno 2. de fide Orthodoxa cap. 27. dicente. *Omnis igitur qui consultat de electione agendorum in se ipso, suaque potestate existente consultat, vt quod iudicio præelatum fuerit eligat, & cum elegerit agat. Si autem hoc ex necessitate adest rationali quod ex se ipso & libere potest, non erit rationale: aut si certe erit quod rationale est dominans erit suarum actionum, & arbitrio liberum.* Idemque volunt Nissenus & alij supra citati, expressius tamen Diuus Thomas in locis supra adductis & in alijs adducendis. Cuius ratio est manifesta. Quia tunc actio intellectus est naturalis & necessaria omnino quando ad illam penitus determinatur ad obiecta proposita: sed cum ita omnino determinatur intellectus ab obiecto, non est in potestate voluntatis non operari secundum

D. Thom.

Potẽtia determinatur à natura quando per propositionem obiecti omnino determinatur ad alteram partem.

D. Damas.

Nissenus D. Thom.

dum tale iudicium, vt patet in clara Dei viſione, & in motu primo primi, in quo ideo ſolũ neceſſariò operatur voluntas, quia intellectus omnino rapitur per repentinum incurſum, & motionem obiecti, ſimiliter etiam neque poteſt voluntas auertere intellectum demonſtratiue conuictum, ſeu demonſtratione. Quia tunc omnino determinatur: ergo &c.

Neque valet dicere voluntatem applicuiſſe intellectum ad intelligendum hoc, vt actus voluntatis non ſequatur neceſſariò eiuſmodi iudicium intellectus procedens ex omnimoda determinatione naturæ, & non ex morali determinatione ipſius intelligentis media facultate intellectus recipientis tale obiectum. Quia certum eſt voluntatem in eo caſu ſolum applicuiſſe intellectum phyſice & realiter, vt verſaretur circa hoc obiectum. Vt autem iudicet hoc potius quam illud, vel aſſentiat aut diſſentiat, non iam à voluntate immediate ſed ab obiecto & natura determinari (cum neges id fieri à propria facultate intellectus) & conſequenter licet in poteſtate voluntatis fuerit applicare vel non applicare intellectum, vt intelligeret & examinaret hoc obiectum, & ideo peccare potuerit applicando: eo tamen ſuppoſito non eſt iã in poteſtate voluntatis vt intellectus iudicet hoc eſſe eligendum, vel illud eſſe falſum, ſicut neque eſt in poteſtate eius, qui ignem applicuit vt non comburatur lignum optime diſpoſitum: ideoque in actione prima applicandi fuit ratio peccati vel meriti &c. ad hoc vt voluntas neceſſariò ſequatur tale iudicium rationis in particulari à natura indictum: cum id neceſſariò ſequatur ex tali iudicio parum refert ipſam voluntatem prius applicuiſſe intellectum, ſicut etiam parum refert hominem libere ſe ipſum dementaſſe ad hoc, vt poſtea operetur neceſſariò, vel non operetur neceſſariò.

Nõ iudicat intellectus ex abſoluta neceſsitate.

Quo circa cum manifeſtum ſit propter dicta intellectum cum ſic applicatur à voluntate, non iudicare ex abſoluta neceſsitate naturæ, ſed per propriam facultatem moueri ad aſſentiendum vel non aſſentiendum ex propria neceſsitate ſubiecti per diſcurſum & deliberationem cognitam manifeſte etiam ſequitur eũdem intellectum poſſe ſe ipſum determinare, etiam ſi non fuiſſet applicatus à voluntate, ſed ab exteriori obiecto, vt ſæpe numero docet D. Thom. Sequela patet. Quia voluntas tunc nihil amplius geſſit, aut egit quam applicare intellectum ad cognoſcendum hoc. Sed ſimiliter poteſt intellectus applicari & determinari ab obiecto, & efficacius, quia multo efficacius mouet proprium obiectum, quam impulſus potentiæ, quæ non poteſt deſpotice imperare & mouere: ergo.

Solutio.

Dices, intellectum moueri & applicari à voluntate non ſolum ad apprehendendum hic & nunc hoc vel illud obiectum, ſed etiam ad cognoſcendum ibi hanc vel illam rationem in particulari, & ad comparandam hanc rationem cum illa: ad percipiendam etiam conuenientiam, & deformitatem huius cum quocumque alio, & tandem ad aſſentiendum vel diſſentiendum, & iudicandum hoc in particulari &c. Sed in primis præter quam quòd id eſt contra D. Thomam locis ſuperius citatis maxime de veritate quæſt. 24. artic. 2. in corpore, & 1. 2. quæſt. 109. artic. 2. ad 1. id totum videtur omnino impoſsibile, non ſolum quia tunc intellectus non eſſet potentia natura ſua prior & in ſua operatione iudependens à voluntate: neque eſſet perfectior, ſed multo imperfectior illa, voluntaſque eſſet potentia prior dirigens, cum tamen ſit potentia cæca: quæ bonæ Philoſophiæ minime conſentiũt: ſed etiam quia fieri non poteſt vt voluntas ſic præcedat intellectum determinando illum ad omnem differentiam actus in particulari, quin illa in ſe habeat prius ratione vel origine inclinationem, & quaſi notitiam determinatam & deſcriptiuam omnium illorum in particulari, quæ ſit veluti regula determinandi & dirigendi intellectum &c. Hoc autem videtur omnino impoſsibile, non ſolum humanæ, ſed etiam Angelicæ & diuinæ voluntati: ergo. Maior eſt manifeſta, & breuiter patet. Quia ſaltem non niſi caſu & temere moueret voluntas ad hoc potius, quam ad illud. Minor probatur. Quia voluntas nullam omnino illuſtrationẽ aut notitiam, vt ita loquamur habere poteſt, niſi eam quam illi præbet intellectus: Neque alio modo niſi vt ab intellectu cognoſcente præbetur: ergo prius eſt intellectum cognoſcere hoc vel illud, & iudicare de hoc vel de illo, quam voluntatem habere notitiam eiuſdẽ rei cognitæ, vel iudicij habiti, vel habendi ab intellectu. Similiter etiam prius eſt intellectũ cognoſcere quòd in hac re ſit proportio & cõuenientia cum tali vel tali fine & conſequenter cognoſcere illa per modum vnius, quod eſt aſſentiri, quam voluntatem habere notitiam de eo quod in hac re particulari ſit talis conuenientia vel diſconuenientia ſufficiens ad aſſenſum vel diſſenſum: ergo impoſsibile eſt, quod voluntas præceſſerit determinando intellectum ad illos eoſdem actus, cum ante ipſos nõ habeat notitiam eorumdẽ, vt diximus. Idemque patet clarius in Angelis & Deo quorum ſimplex intuitus & iudicium etiam de agibilibus, ratione præcedit omnem actum vel affectum voluntatis, & origine in Angelis: circa eadem agibilia vel ſpeculabilia, vt ſtatim explicabitur.

Impugnatur.

Prius eſt intellectũ cognoſcere quã voluntatem ad illud mouere.

Præterea quamuis in pluribus actibus & frequentiſsime intellectus moueatur à voluntate ad verſandum circa bonum prius cognitum, & amatum vt Theologi 1. 2. q. 9. & 10. dicunt ſuper D. Thomam, tamen id non videtur neceſſarium in omnibus actibus intellectus, & circa obiecta particularia, dato fieri poſſet in omnibus: Nam in omnibus illis poteſt intellectus inuenire & habere ſufficiens

motiuum

motiuũ ex parte obiecti determinans ad assentiendum, vel dissentiendum illis: ergo non indiget motione & determinatione voluntatis, licet eam habere possit in omnibus, vt certum est in aliquibus maxime dubijs. Patet consequentia. Nam quælibet potentia maxime vitalis formaliter mouetur, & determinatur ab obiecto proposito, imò cum illa ex se sit determinata ad certum obiectum vt etiam de voluntate docet D. Thomas nihil aliud spectatur, vt illa prodeat in actum, nisi vt sufficienter proponatur tale obiectum. Quare cum illud sufficienter adest, habet iam determinationem sufficientem, & consequenter operabitur necessario, vel infallibiliter iuxta suam naturã, quod etiam voluntate vt dixi est omnino certum in via S. Thomæ, sed intellectus inquolibet obiecto particulari potest agnoscere veritatem, quæ licet non habeat connexionem cum primis principijs, in ea tamen nulla appareret ratio falsitatis, vel disconuenientiæ: ergo intellectus in quolibet obiecto particulari potest habere sufficiens motiuum infallibiliter alliciens, & determinans ad agendum sine eo quòd moueatur à voluntate. Et confirmatur. Quoniã vel expectatur & est necessaria determinatio voluntatis, quia intellectus non determinatur sufficienter ad assensum vel dissensum per veritatem & falsitatẽ in obiecto cognitam modo dicto, & hoc sine dubio est intellectui concedere multo maiorem indifferentiam, quam ea, quæ conceditur in via D. Thomæ. Vel quia actus illi intellectus si non accedat determinatio voluntatis, erunt omnino naturales & necessarij. Et neque ad hoc est necessaria determinatio voluntatis, non solum quia vt sæpe diximus actus pure naturales intellectus non subiacent dominio voluntatis, nec illi subiacere possunt, sed etiam quia actus illi etiam præcisa determinatione voluntatis non sunt omnino naturales & necessarij vt sæpe etiam dictum est, & manifeste patet in intellectu Angelico, qui saltem in primo actu cognitionis præcedente omnem actum voluntatis reducitur ad actum intelligendi, & iudicandi ea quæ sunt in tali re veritatis vel falsitatis, bonitatis vel malitiæ, aut defectus respectu talis vel talis finis, & maxime respectu propriæ felicitatis non per absolutam necessitatem naturæ: tunc enim iudicia illa Angeli essent à natura indita sicut iudicia brutorum, vel iudicium visionis beatificæ. Quod est omnino falsum, & ratione patebit infra: & quia actus etiam voluntatis, qui talia iudicia practica sequuntur non solum essent infallibiles, vt docet D. Thomas, sed ex absoluta necessitate naturæ vt colligitur ex Damasceno & ex D. Thoma 1. p. & de veritate locis citatis: ergo reducitur ad actum iudicandi per propriam facultatem ipsius intellectus præcedentem omnem determinationem voluntatis. Neque enim dici potest ea iudicia Angeli non esse simpliciter necessaria eo quod voluntas possit postea inclinare intellectum, vt illa examinet, & de ipsis iudicet: tum quia id non tolleret ante hoc examen illa iudicia fuisse necessaria simpliciter, & consequenter voluntatem necessario fuisse operatam ex talibus iudicijs: tum etiam quia si examen intellectus sufficit vt iudicia illa non sint ex absoluta necessitate naturæ, cum illud fuerit iam præhabitum in primo intuitu sequitur &c. tum denique quia secundum D. Thomam de veritate quæst. 24. artic. 10. & alias sæpe, ideo voluntas Angeli semel inclinata mutari nequit. Quia iudicium intellectuale in Angelo mutari non potest, quia nihil amplius potest cognoscere à quo determinetur ad aliquid iudicandum cum omnia cognouerit primo intuitu: ergo consequenter dicendum est in doctrina D. Thomæ iudicium Angeli prius fuisse in eius potestate propter facultatem intellectus ad hoc vt etiam possit esse formaliter in eius potestate propter facultatem voluntatis, quæ est formalis ratio libertatis & dominij actus, vt infra dicemus.

Confirmatio veritatis.

D. Damas. D. Thom.

Idemque patet in iudicijs practicis diuini intellectus præcedentibus nostro modo intelligendi omnem motionem voluntatis. Patet etiam in homine. Quoniam ad iudicia practica, vt v. g. quod hoc vel illud obiectum non necessitet voluntatem, quamuis conducat ad talem finem, ad ea inquam iudicia non determinata à voluntate sed ex collatione plurium facta à ratione homo determinatur ex conueniẽtia & proportione, vel disconuenientia & improportione à se cognita, non vt simpliciter necessitante, sed contingenter se habente vt ametur à voluntate vel non: ergo non determinatur ad illa iudicia per absolutam necessitatem naturæ, sed per propriam facultatem ipsius intellectus. Cõsequentia sæpius patuit, antecedens probatur. Quoniam idcirco intellectus tunc iudicat hoc esse expediens ad talem finem, & amabile à voluntate non necessario sed libere, quia ex plenitudine scientiæ & cognitionis prius saltem ratione intelligit in hoc esse aliquid simile vel proportionatum illi fini, sicut etiam cum præfert vnum alteri in electione appretiatiua: ergo ratio & motiuum determinans intellectum ad illud iudicium etiam cum non adest determinatio voluntatis est proportio & conuenientia huius cum tali fine, vel maior conuenientia quam ea, quæ est in alio per propriam cognitionem intellecta: ergo consequenter id, quod mouet intellectũ ad eiusmodi iudicia etiam cum non adest determinatio voluntatis vt supponimus in eo casu non est impulsus vel instinctus naturæ sicut in iudicijs brutorum, vel in motibus primo primis humanæ voluntatis & intellectus, sed propria facultas ex plenitudine cognitionis sufficienter determinata ab obiecto non inferente omnimodam necessitatem.

Tertia & vltima probatio.

Tertio & vltimò. Si ita euenit & contingit vt intellectus ea ratione moueatur à voluntate quoad omnem actum & assensum etiã præ-

cedentem

cédentem primam affectionem voluntatis circa tale obiectum : ex eo manifeſte & clarius ſequitur id quod huc vſque ſolum intendebatur videlicet intellectum non eſſe potentiam natura ſua determinatam ad vnum ſicut potentiæ puræ naturales, neque omnino & neceſſariò determinabilé à quolibet obiecto proposito per abſolutam naturæ neceſsitatem cũ adhuc, vt ſupponimus indigeat determinatione voluntatis. Vel quod veriſsimum eſt fere in omnibus actibus à voluntate determinari poſsit, vt aſſentiatur vel diſſentiat veritatibus particularibus propoſitis: & conſequenter intellectum in ſe ipſo & formaliter habere indifferentiam aliquam ad aſſentiendum vel non aſſentiendum obiectis particularibus ex plenitudine cognitionis conuenientiæ vel diſconuenientiæ, & propria facultate ſe ipſum reducendi ad ſimiles actus. Quod patet. Quoniam intellectus in ſe ipſo non omnino & phyſice neceſsitatur aut determinatur ab obiecto propoſito ad aſſentiendum vel diſſentiendũ huic veritati aliter enim ſi omnino neceſsitaretur ab illo nullo modo eſſet neceſſaria vlterior determinatio voluntatis: imò neque vlla ratione conferret, aut determinari poſſet ab illa cum voluntas nequeat mouere intellectum contra naturalem & neceſſariam vim obiecti ipſius intellectus: nec naturali determinationi illius aliqua alia maior addi poſsit: ergo dicendum eſt intellectum manere in ſe ipſo & ſecundum ſuam naturam indifferentem phyſice reſpectu illorum obiectorum particularium, quantum eſt ex parte illorum, ad quorum aſſenſum indiget adhuc determinatione volũtatis. Patet conſequentia. Quia eſſe indeterminatum & eſſe indifferentem ſunt omnino idem, ſed intellectus reſpectu illorum præciſe ratione ipſorum non tolum eſt indeterminatus, ſed indeterminabilis phyſice, cum dicamus illis propoſitis indigere adhuc determinatione voluntatis: ergo reſpectu illorum eſt indifferens formaliter & intrinſece. Ergo vlterius intellectus non eſt ex ijs potentijs quæ, phyſice aut neceſſario ſimpliciter determinantur ad operandum ab obiecto, ſed ſolum moraliter, & infallibiliter quod eſt proprium potentiæ rationalis, de quibus potentijs inquit Ariſt. & Diuus Thomas quod ſe habent ad oppoſita. Probatur conſequentia. Tum quia determinabilitas aut indeterminabilitas vel indifferentia eſſentialis & formalis cuiuſlibet potentiæ ſumitur ex propenſione & inclinatione illius in proprium obiectum, vt docet communis philoſophia. Obiectum enim cum adeſt, eſt quod formaliter mouet, & determinat potentiam: ſed intellectus non eſt ita inclinatus & propenſus ad iudicandum de obiectis particularibus, vt ſtatim & neceſſariò aſſentiatur vel diſſentiat illis: cum dicas ad id neceſſariam eſſe adhuc extrinſecam applicationem voluntatis: ergo certum eſt intellectum in ſe ipſo habere formaliter aliquam rationem indifferentiæ ſibi intrinſecam. Tum etiam quia voluntas non poteſt phyſice neceſsitare intellectũ ad talem aſſenſum loquendo de omnimoda neceſsitate phyſica, ſed moraliter tantum & efficienter, etſi infallibiliter: ergo dicendum eſt intellectum reſpectu bonorum particularium etiam adueniente determinatione voluntatis, quæ moralis eſt, aliquam habere facultatem, qua ſe ipſam reducat ad actum, cum determinatio, quæ non neceſsitat ſimpliciter potentiam non tollat quin talis potentia dici poſsit mouere ſe ipſam vt D. Thom. loquitur, tam in ſententia D. Thomæ dicentis voluntatem ſemper eo modo determinari ab obiecto cognito: quàm in ſententia aliorum dicentium aliquas circunſtantias infallibiliter determinare voluntatem ad operandum, & tamẽ illam proprie moueri à ſe ipſa.

Potentiæ rationales ſe habent ad oppoſita.

Concluditur indifferẽtia intellectus.

Quocirca & conſequenter dicendum eſt intellectum habere indifferentiam vt cognoſcens hoc vel illud, intelligat ex plenitudine cognitionis, bonum hoc, vel illud non neceſsitare, ſed liberum eſſe voluntati amare vel non amare, aut hoc amplecti & illud relinquere. Hancque indifferentiam habere ſine motione voluntatis, & quòd à ſe poteſt vti hac indifferentia in proponendo & aſſentiendo, vt expreſsis verbis aliqui viri ex Neotericis doctiſſimi docent, dicẽtes hoc eſſe commune, à quo parum vel nihil diſtare videtur ea quæ hactenus de intellectus indifferentia dicta ſunt.

CONCLVSIO TERTIA.

Principium formale eligendi eſt potẽtia formaliter appetitiua & volitiua.

SENTIO tertiò optimum fundamentum efficax & conuincens, liberum arbitrium eſſe potentiam formaliter appetitiuam, nec formaliter conuenire poſſe intellectiuæ potentiæ, eſſe illam, qua plerumque diximus liberum arbitrium formaliter ex ſua ratione intrinſeca eſſe principium formale eligendi aut non eligendi. Nam certe formale principium eligendi non poteſt eſſe niſi potentia formaliter volitiua & appetitiua etiam de potentia abſoluta Dei vt multi ſentiunt. Ex quo infertur liberum arbitrium neque poſſe eſſe, neque poſſe conuenire formaliter alteri potentiæ, niſi illi, quæ eſt formaliter appetitiua & volitiua. Quod vero liberum arbitrium formaliter ex ſua intrinſeca ratione ſit principium formale eligendi aut non eligendi, id quidem nos oſtendimus ſect. 5. & 6. præcedente, & hic eſt communis conſenſus fere omnium. Nam quãuis aliqui aliter explicent liberum arbitriũ per ſolam indifferentiam ad vtrum libet, nullus tamen eorum, neque etiam Durandus negat electionem eſſe actum propriſsimum liberi arbitrij, aut liberum arbitrium per aliquem alium actum poſſe quaſi à priori explicari per propriam differentiam poſitiuam, niſi per ordinem ad electionem, quod nos ſuſe proſecuti ſumus ſupra ſect. 5. Legendus eſt D. Auguſtinus de ſpiritu & anima cap. 148. tomo 3. D.

Thom.

Plures recẽsentur authores pro cõclusione.

Thomas de veritate q. 24. art. 6. in corpore in 2. dist. 24. q. 1. art. 3. & 1. p. q. 83. art. 3. & 4. Capreolus in 2. dist. 24. q. 1. art. 1. conclusione 3. & 4. Caietanus Cardinalis 1. p. q. 83. Barthol. Medina vbi supra. Echius contra Lutherum de libero arbitrio. Palat in 2. dist. 25. disp. 1. post initiũ & infra §. Est porro, vbi inquit sub hac ratione recte diffiniri à Theologis liberum arbitrium. Pasimque id S. Thom. probat & colligit ex Aristot. 6. Ethicorum, Videndus est Victoria relectione de eo, ad quod tenetur veniens ad vsum rationis propositione 1. Omnes igitur prædicti authores sentiunt optimam omnino rationem conuincentem liberum arbitrium esse potentiam formaliter appetitiuam, neque formaliter conuenire posse potentiæ intellectiuæ esse illam, qua vnica semper vsus est S. Thomas, nimirum, quia liberum arbitrium formaliter ex sua intrinseca ratione est principium formale eligendi aut non eligendi.

Arist. & si videatur aliquibus, certè tamẽ est nobiscum sentire.

Quod vero formale principium eligendi non possit esse, nisi potentia formaliter volitiua, nimirum voluntas ipsa: communis est omnium sententia. Nam quamuis Aristot. in hoc videatur fuisse dubius 6. Ethicorum, certius tamen est illum cum communi omnium iudicio sentire, vt docet D. Thom. 1. p. q. 83. in corpore, & in 2. dist. 24. quæst. 1. artic. 3. in corpore. Et patet etiam ex 3. Ethicorum cap. 2. Quod vero repugnet intellectui esse formale principium eligendi, eisdem rationibus patet adductis à D. Thom. 1. part. & locis citatis. Quia obiectum formale electionis id est quod est ad finem formaliter quatenus ad finem est, vt docet cum Aristot, communis sententia Philosophorum moralium, Sanctorum & Scholasticorum, qui ea de re disputãt: & dici solet medium, vel est finis ipse quatenus finis, vt aliqui minus bene loquũtur, sed nihil potest ea ratione esse ad finẽ, nisi sub ratione boni: ergo nihil potest esse obiectum formale electionis formaliter sumptæ, nisi sub ratione talis boni, quod est ad finẽ, vel finis ipse vt vniuersalius loquamur. Implicat autem actum cuius obiectum formale est bonũ, vel tale bonum secundum eãdem rationem actus esse alterius potentiæ, quam appetitiuæ & volũtatis, vt in præsenti loquimur, cum implicet esse potentiam aliquam formaliter præceptiuam boni vt sic, aut talis boni, quæ eo ipso non sit potentia appetitiua, & eiusdem rationis formalis cum voluntate, vt nũc est sermo: ergo repugnat electionem formalem, qua ratione est electio formaliter esse actum intellectus secundum rationem formalem potentiæ intellectiuæ illius. Et consequenter omnino repugnat rationem formalem liberi arbitrij, quæ est esse principium formale eligendi conuenire intellectui, quatenus potentia intellectiua est. Vltimæ consequentiæ patent. Implicat enim eamdem potentiam manentem in eadẽ ratione potentiæ extrahi ad obiectum diuersum, quod ex sua ratione formali sit constitutiuum potentiæ diuersæ rationis, de quo alibi diximus. Illa autem minor, quod nihil possit esse formaliter ad finem, & obiectũ electionis, nisi sub ratione boni, patet. Quia finis vt finis est bonum, hoc est id quod est terminus vltimus ad quem homo vel alia creatura operando peruenire potest, est bonum maximum illius: ergo quidquid est ad finem eiusdem creatæ substantiæ, quatenus tale, est bonum. Probatur. Quia vel est ad finem, vt pars ipsius finis cuiusmodi sunt ea, quæ se ipsis partialiter explere possunt appetitum, & capacitatem talis substantiæ creatæ & illud manifestum est esse bonum, quod dicitur honestum in rationalibus, vel instar illius cum sit pars boni totalis, quatenus tale & partialiter satians appetitum, qui non nisi bonis impleri potest. Vel est ad finem solum vt medium ad assequendum aliud bonum, & quatenus tale secundum omnes formaliter est bonum, quod dicitur vtile, eo enim ipso quod sit proportionatum fini & appetitui, talem finem desideranti debet habere aliquam bonitatem, cuius etiam rationem à priori communiter assignant discipuli D. Thom. prima secundæ, quæst. 13.

Quòd intellectus non sit formale principiũ eligendi probatur.

Itaque ratio conuincens efficaciter, quæ à nobis explicata est, qua ostenditur liberum arbitrium esse potentiam formaliter appetitiuam, & non formaliter intellectiuam est, qua semper vsus est D. Thomas. Quia nimirum liberum arbitrium formaliter ex sua ratione intrinseca est formale principium eligendi, aut non eligendi: sed tale principium formale eligendi non potest esse nisi potentia formaliter appetitiua & volitiua: ergo neque liberum arbitrium potest esse aut conuenire formaliter alteri potentiæ, nisi illi, quæ est formaliter volitiua & appetitiua. Consequentia hæc legitima est. Maior & minor ostensa sunt & probata: igitur hæc est legitima ratio & efficax.

Liberum arbitrium ex sua formalissima ratione est principium eligẽdi aut non eligendi.

Respondẽt aduersarij ad nostras, quas adduximus rationes.

Authores tamen pauci, sed aduersarij, respondent volentes repellere probationes prædictæ rationis, primo, actum intellectus vel rationis etiam versari formaliter circa ea, quæ sunt ad finem, & quatenus ad finem sunt, cum per tales actus percepta cuiusque rei bonitate intellectus voluntati proponat hoc esse expediens, vel illud minus proportionatum ad finem intẽtũ à volũtate, quatenus talis est. Vel secundo saltem non implicare potentiã, quæ per eamdẽ rationem formalem potẽtiæ apprehendat verũ & bonum sub formalissimis rationibus vtriusq; præcipue cũ videamus intellectũ & volũtatem in Deo esse vnicã simplicissimam rationem potentiæ vtriusque perceptiuam: ergo saltem non implicabit potentiam intellectiuam esse formale principium electionis & habere rationem formalem liberi arbitrij.

Sed contra ea, quæ primo loco isti respondent obstat plurimum. Quia aliud est veritas

eorum quæ ſunt ad finem, etiam quatenus à fine ſunt: aliud vero bonitas eorundem & conſequenter aliud eſt percipere veritatem conuenientiæ vel diſconuenientiæ: aliud autem conuenientiam ipſam, quatenus conuenientia & bonitas eſt: ergo cum intellectus non verſetur circa ea, quæ ſunt ad finem ſecundum formalem rationem bonitatis illorum, quam vt bonitas eſt percipere non poteſt, ſed ſecundum veritatem mediorum & conuenientiæ, quam habent vel habere debent cum veritate talis finis. Vere non verſatur formaliter circa ea quæ ſunt ad finem, quatenus ad finem ſunt, ſed materialiter tantum, aut identice. Patet conſequētia. Quia media & alia omnia non ſunt formaliter ad finem quatenus vera (licet vere & realiter non eſſent ad finem, vel non ſumerentur ad finem, niſi ſaltem apparenter haberent eam veritatem conuenientiæ) ſed formaliter conſtituuntur in ratione medij vtilis vel eius quod eſt ad finem per rationem formalem bonitatis proportionatæ, & conuenientis cum tali fine vt paulo antea diximus: ergo potentia quæ formaliter non percipit illam bonitatem, qua formaliter ſunt ad finem, non percipit illa formaliter quatenus ſunt ad finem, neque verſatur circa illa prout ſunt ad finem; eiuſmodi autem eſt intellectus: ergo &c.

Obiectio, quæ contra aduerſarios procedit.

Secundò obſtat etiam contra eoſdem & cōtra id quod ſecundò reſpondent. Primò. Quia dato caſu quòd ea potentia eſſet poſsibilis, tamen ſicut eſt certum illam non fore appetitiuam boni ea ratione, qua præciſe eſt, vel habet rationem potentiæ intellectiuæ, ſed quia habet ſimul cum illa aliam ratione potentiæ volitiuæ, ita eſt omnino certum non fore formaliter liberū arbitrium in illa, quatenus præciſe eſt formalis ratio intelligendi tantum, ſed quatenus eſt etiam ratio formalis amandi ea quæ ſunt ad finem. Quare adhuc eſſet verum nullam potentiam formaliter intellectiuam per eam præciſam rationem poſſe habere rationem formalem liberi arbitrij. Secūdo. Quia in omni ſententia & opinione eſt certum rationem intellectiui & volitiui eſſe differentias potentiæ, ita formaliter diuerſas vt repugnet in aliqua creatura formaliter vniri, licet nō implicet identificari realiter. Formalitas enim intellectiui principij vt intellectiuū eſt præſcindit à formalitate volitiui, indeque oritur in trinſeca negatio formalis illius, non minus quā in rationali vel rugibili aut hinnibili reſpectu alterius differentiæ oppoſitæ, vel ſimpliciter diuerſæ, ideoque non minus implicat rationem intellectiui & volitiui eſſe vnicā formaliter, quā rationem hinnibilis & rationalis, vel rugibilis &c. in aliqua creatura. Vnde aliqui etiam exiſtimant in Deo formaliter identificari non poſſe, cum id ſit in ratione naturali euidentius, & ex fidei principijs oppoſitum colligi minime poſsit. Alij vero dicentes eſſe formaliſsime idem ante intellectum confugiunt ad immenſitatem ipſius Dei, ratione cuius eſt etiam trinus & vnus &c. Quæ in creaturis locum habere minime poſſunt, de ea tamē diſtinctione proprijs in locis egimus, præcipue in materia de Trinitate.

Obiectio alia.

Diſtinguntur formalitates potentiæ intellectiuæ & appetitiuæ.

Similis eſt præcedentibus prima confirmatio Sancti Thomæ & aliorum ex Scholaſticis. Quoniam liberum arbitrium eſt potentia ſiue principium eorum, quę ſunt ad finem, quatenus ad finem ſunt, ſed potentia eorum quæ ſunt ad finem eſt idem vel eiuſdem generis cum ea, quæ reſpicit finem vt finem, quæ eſt voluntas: ergo liberum arbitrium eſt voluntas vel eiuſdem rationis potentia. Probatur minor. Tum ex communi ſententia, tum etiam, quia vt diximus ea quæ ſunt ad finem quatenus talia, neceſſario debent eſſe ſub ratione boni, quod non poteſt percipi ab alia potentia niſi à voluntate. Tum denique. Quia quidquid eſt, fit, vel ordinatur ad finem, fit ex determinatione & motione formali finis, ſed nulla potentia poteſt determinari aut moueri formaliter à fine, niſi ea, quæ formaliter reſpicit, & percipit finem, quæ eſt voluntas: ergo nulla poteſt eſſe eorum, quæ ſunt ad finem, niſi voluntas: ergo nulla poteſt eſſe liberum arbitrium aut formaliter libera niſi ſola voluntas.

Aliorum Scholaſticorū ratio ſimilis præcedenti.

Quod autem liberum arbitrium ſit tantum potentia ſiue principium eorum, quæ ſunt ad finem, ſimiliter patet ex Ariſtot. Damaſceno, Niſſeno, Diuo Thoma & communi, & ex definitione Diui Thomæ, & Diui Anſelmi. Quia liberum arbitrium non ſolum eſt principium agendi, ſed agendi propter finem intentum ab ipſo, atque ita idem eſt principium formaliter agendi propter finem, & libere agendi, licet enim omnis actio habeat certum terminum in quem tendat, tamen illa ſolum actio vel actus eſt proprie propter finem reſpectu eius, à quo fit, quæ ita fit ex determinatione finis ab ipſo intenti, vt ſi aliter expediret in ordine ad talem finē, aliter etiam fieri poſſet ab eo. Et è conuerſo illa actio quæ non fit ex determinatione finis ab eo intenti, ſed ab alio, atque ita neque in eius poteſtate eſt aliter facere, & ſi aliter oporteat non eſt propter finem formaliter, ſicut neque eſt formaliter libera pro vt eſt ab illo: ergo formale principium libere operandi, id eſt liberum arbitrium eſt idem quod formale principium agendi ea, quæ ſunt ad finem: hoc autem eſt ſola voluntas: ergo.

Quòd liberū arbitriū ſit tantum potentia ſiue principiū eorū quæ ſunt ad finem ex S. Patribus oſtenditur.

Secundò poteſt confirmari per ſigna & à poſteriori. Quia illa potentia ſolum eſt formaliter libera, quæ nunquam poteſt cogi reſpectu proprij actus, vt communiter dicitur, & ſecundò illa ratione, cuius formaliter habet agens poteſtatem & dominium ſuorum actuum, ſed ſola voluntas eſt eiuſmodi: igitur. Secundum patebit infra in ſolutione ad argumenta pro prima ſententia. Primum patet pro nunc. Quia ſola ea potentia nunquam poteſt cogi, cuius actus nunquam

Cōfirmatur idem.

poteſt

potest esse contra inclinationem, non solum potentiæ, à qua elicitur immediate, sic enim nullus actus posset esse coactus, cum nullus sit contra inclinationem propriæ potentiæ elicientis, sed contra inclinationem ipsius operantis: sed sola potentia est eiusmodi: ergo &c. Probatur minor. Quia sola voluntas est appetitus & inclinatio naturalis agentis intellectualis: sed actus intellectus & aliarum potentiarum possunt esse contra inclinationem, & appetitum actualem voluntatis, ipsius verò appetitus siue inclinationis actus non potest esse sibimet contrarius, nec voluntati, à qua elicitur, nisi forte ratione alterius actus, vel habitus præcedentis: ergo solus actus voluntatis non potest esse coactus, quod aliquibus solet esse signum libertatis formalis.

Vltima Cõfirmatio.

Vltimò tamen confirmatur. Quoniam liberum arbitrium formaliter & adæquatè est ea potentia, ratione cuius in creaturis potest esse formaliter peccatum, & virtus & dignitas pænæ vel præmij, quæ inde oriuntur, sed sola voluntas est eiusmodi potentia: ergo. Minor probatur. Quia peccatum nihil aliud est quam priuatio rectitudinis debitæ cum vltimo fine creaturæ, vel est entitas quædam deformis vltimo fine per rectam rationem proposito, similiter etiam virtus seu actus studiosus virtutis est ille, qui est conformis fini per rectam rationem proposito: sed repugnat priuationem rectitudinis vel deformitatem positiuam cum vltimo fine esse in creaturis ratione alterius potentiæ, quam voluntatis formaliter loquendo: ergo repugnat actum peccati vel virtutis, & consequenter meritum aut demeritum formaliter & proprie reperiri in creaturis ratione alterius potentiæ, quam voluntatis. Patet minor. Quia ea priuatio rectitudinis & peccatum non potest esse nisi in ea potentia in qua formaliter poterat & debebat esse talis rectitudo cum ea priuatio nihil aliud sit, quam non esse rectitudinis in eo subiecto in quo poterat & debebat esse, sed rectitudo illa cum fine offenso per rectam rationem, & tãdem cum vltimo fine creaturæ sine qua neque esse neque intelligi potest, solum esse potest & debet in voluntate cum illa sola formaliter respiciat finem, & circa illũ versetur per proprium actum siue studiosum, & sic est illi conformis, siue vitiosum, & sic est illi deformis etiam per entitatem positiuam, quæ, cum sit formaliter contraria, & deformis vltimo fini, vel rectæ rationi, quod idem est non potest esse actus alterius potentiæ, nisi illius quæ formaliter versatur circa finem, vt finis est. Vt etiam falsitas etiam si aliquid positiuum esset, non spectaret ad aliam potentiam, quam intellectiuam: ergo liberum arbitrium formaliter dicitur esse sola voluntas.

Appendix ad præcedentia.

HINC sequitur appendix, nimirum quòd liberum arbitrium dicitur esse illa potentia, ratione cuius formaliter & adæquate in creaturis potest esse peccatum & meritũ. Probatur hoc non solum ex communi sententia Sanctorum & Scholasticorum, & ex scripturæ testimonijs, vt alibi diximus, sed etiam ratione, tum etiam à priori. Quia liberum arbitrium est illa potentia ratione cuius est in potestate creaturæ recte operari iuxta determinationem sui finis, vel à suo fine auerti, sed per eam ipsam potentiam per quam potest creatura formaliter seruare rectitudinem cum suo fine, vel ab eo auerti, potest in eadem creatura esse ratio meriti vel demeriti per peccatum &c. ergo liberum arbitrium formaliter est illa potentia, ratione cuius potest esse peccatum in creatura, vel meritum, hæc autem est sola voluntas vt antea ostendebamus: ergo. Tum etiã quia licet de ratione liberi arbitrij in communi non sit posse peccare, cum id non conueniat Deo, tamen est de ratione liberi arbitrij etiam in communi esse potentiam seruandi rectitudinem cum vltimo fine propter ipsam rectitudinem vt docet D. Anselmus Dialogo de libero arbitrio capit. 3. 4. & vltimo, & Thom. superius citatus. Diximus enim esse principium agendi propter finem, & consequenter est certum liberũ arbitrium formaliter esse potentiam illam, ratione cuius & in qua solum est formaliter priuatio rectitudinis debitæ, & peccatum ac demeritum siue meritum si id esset possibile in Deo, & beatis.

Liberũ arbitriũ potẽtia est ratione cuius formaliter & adæquate est in creaturis peccatum & meritum.

D. Anſel. D. Thom.

Quocirca omnes aliæ rationes, quæ solent adduci vt probent efficacius, ad supra dictas videntur reducendæ, in quibus meo iudicio tetigimus primarium ac potissimum fundamentum huius veritatis, non solum in sententia D. Thom. sed etiam aliorum, quarum potissimæ rationes ad probandum solam voluntatem esse formaliter liberam, vel illam solam esse potentiam, quæ positis omnibus requisitis potest operari, aut non operari, esse solent. Primò. Quia si intellectus positis omnibus requisitis posset operari, & non operari, ille esset formaliter liber: qui modus probandi idem per idem omnino, vel inferendi vt inconueniens, id quod alius supponeret vt principium nullius est efficaciæ. Secundò solet probari. Quia tunc in intellectu præcisa omni actione voluntatis posset esse peccatum vel meritum. Quæ sanè probatio difficultatem etiam habet, & vt habeat vim ostendere debet peccatum ac meritum non posse esse nisi in voluntate formaliter: atque ita intellectum in eo casu fore voluntatem, vt supra ostendere curabamus vt inconueniens. Ideoque esse impossibile vt intellectus habeat formaliter rationem liberi arbitrij: aliter enim nullius erit efficaciæ. Cum certum sit in intellectu quatenus

Rationes quæ adduci solẽt ad probandum solam voluntatem esse formaliter liberam.

tenus eſt intellectus etiã ſi haberet per impoſſibile libertatẽ, quæ nõ mutaret rationẽ potẽtiæ intellectiuæ: non poſſe eſſe formaliter peccatum vt vidimus ſupra. Tertio ſolet probari. Quia intellectus eſt potentia naturalis ita determinata vt non poſsit in vtramque partem ferri, & hoc etiam eſt difficile, quia in nullo ſenſu ſtat eo euidens, vt longa diſputatione, & examine non indigeat, vt magna ex parte ſupra vidimus, tum vel maxime in ſententia Diui Thomæ, in qua fere æqualem indifferentiam habet intellectus reſpectu proprij actus, ac voluntas reſpectu ſuorum & aliarum potentiarum actuum cum aliquo tamen diſcrimine, de quo plura diximus ſuprà.

Tandem ſentio ſemper fuiſſe certam & communem omnium ſententiam, recto naturæ lumine cognitã, quam & Philoſophi morales, & maiores eccleſiæ proceres, & eorum qui ſacram doctrinam, & veræ Theologiæ ſenſum retinẽt habuẽrũt hominẽ natura ſua eſſe liberum, ſuarumq; actionum ita dominũ, vt eas poſsit efficere & non efficere, idque nos in progreſſu huius tractatus & controuerſiæ fuſe diximus & proſecuti ſumus, de qua re plures extant eccleſiæ definitiones, quibus veritas hæc certa fide tenenda decernitur, & maxime apud Conciliũ Tridentinum ſeſsione ſexta capitulo primo infine & canticorum 4. 5. & 6.

A priori deſumitur ratio ex dictis.

Ratio à priori ex ipſius rei natura deſumpta, qua ſemper vſus fuit D. Thom. & plures ex grauiſsimis Patribus ea eſt. Quoniam liberum arbitrium ſecundum ſuam eſſentiam nihil aliud eſt, quam facultas ſiue poteſtas eligendi, vel non eligendi hoc eſt è duobus vel pluribus, aut quibuſcumque compoſitis vnũ acceptandi vel plura ſimul, omnibus alijs relictis, aut nullum omnino acceptandi, ſed continendi penitus actum circa illa. Sed homini conuenit ſecundum ſe eiuſmodi facultas: eademque manet poſt primorum parentum, & quodcumque aliud peccatum, quantum eſt ex natura ſubſtantiæ rationalis, niſi aliunde impediatur: ergo homini ſuapte natura etiam poſt primum peccatum conuenit liberum arbitrium. Maior patet lumine naturæ, cum eo ſolum lumine ductus Ariſtoteles & alij ſapientiores gentiles ſic inuenerint, communiſque omnium ſenſus ita admiſerit & probauerit. Minor vero probatur. Nam cui conuenit ſuapte natura facultas ſiue poteſtas cognoſcendi, & comparandi plura inter ſe, atque diſcernendi & iudicandi quid nam in illis boni vel mali eſſe poſsit, quid nocere nunc vel in poſterum, quid ve conueniens & ſalubre, ad hunc etiam vel illum finẽ expedientius eſſe valeat quod eſt electionis initium, conuenit etiam natura ſua facultas ſiue poteſtas acceptandi hoc vel illud, vel ſingula, ſicut & omnia ſimul reijciendi pro vt ſibi bonum & conducibilius viſum fuerit, ac libuerit, quod eſt formaliter eligere: ſed homini conuenit ſuapte natura eiuſmodi poteſtas deliberandi ac diſcernẽdi, etiam poſt primum peccatum, & ſi non ita perfecte atq; antea: ergo illi conuenit ſimiliter poteſtas acceptandi &c. Minor videtur nota lumine naturæ, id enim eſt eſſe rationalem ſiue intellectiuum, vim nimirum habere rimandi ac pene trãdi rerum quidditates procedendi ab vna in alteram, & iudicandi pro vt cuique conuenire repererit, vt etiam vel ex ipſa natura potentiæ ſpiritualis deducendum eſſe diximus ſupra cum ſcholaſticis doctoribus, cum Henrico etiam & Alberto. Sed maior probatur. Tum quia ex natura rei cuicumque facultati cognoſcitiuæ correſpondet in eodem ſubiecto proportionata facultas appetitiua, & motiua eiuſdem ſubiecti in bonum, ſiue in finem tali ſubiecto proportionatum: igitur qui ſuapte natura habet illam priorem habet etiam illam aliam non minus ſolutam & indifferentem ex natura rei, nec minus potentem acceptare vel reijcere quod ſibi placuerit ex ijs, quæ proponuntur, non minus quam ipſa facultas cognoſcitiua potens ſit iudicare, atque proponere &c. Tum etiam, quia illa facultas diſcernendi ſuapte natura & intrinſece eſt ordinata ad approximandum, ad præſentandum ſeu proponendum modo debito obiectum proprium appetitui ſui ſuppoſiti, ſiue ſubſtantiæ, in quod tanquam in finem proportionatum tendere poſsit, aut debeat, ſiue ille ordo potentiæ cognoſcitiuæ ſit illi intrinſecus quoad omnia, ſiue ſecundum aliquam partem & rationem, ſiue etiam ſit ordo veluti cauſæ & principij in aliquo genere: ergo cui à natura conuenit eiuſmodi facultas diſcernendi conuenit etiam appetitus proportionatus, qui ſcilicet poſsit in hoc vel illud per facultatem deliberatiuam propoſitum tendere, acceptando illud præ alijs propoſitis, vel illud penitus reijciendo. Aliter enim ſi non eſſet appetitus ita potens pro vt ſibi placuerit è pluribus illis eligere & libere ſe ipſum, ſuamque ſubſtantiam mouere, impoſsibilis eſſet, aut omnino imperfectus ex natura rei ea facultas examinandi, deliberandi, atq; ſub ea indifferentia proponendi ſingula, vt etiam natura & euidenti ratione dictante animaduertunt, & oſtendunt D. Gregorius Niſſenus, & D. Damaſcenus: ſed homini ex natura rei cõuenit ea facultas, ita diſcernendi &c. Eademq; manſit poſt peccatum quamuis non ita perſpicax perfecta ac potens vt antea. Neque enim natura deſtructa eſt per peccatum, etiam ſi manſerit infirma, & aliqua ex parte læſa & vulnerata: igitur eidem homini ſecundum ſe, ſiue ex natura rei etiam poſt peccatum conuenit illa alia facultas formaliter eligendi ad vtrumlibet: ergo & liberum arbitrium, etſi non adeò perfectum, tamen vere manſit ſecundum ſuam eſſentiam &c.

Quid ſit eſſe rationale & intellectiuum.

D. Grego. Niſſenus. D. Damaſ.

Dubitatio appendix ad præcedentes.

Dubiũ est an facultas eligendi cõueniat homini pro omni statu.

SOlet hoc loco dubitari, vtrùm hæc eadem facultas eligendi, & arbitrij libertas conueniat homini pro omni statu, etiam pro statu, & tempore pueritiæ, siue infantiæ, quo nimirùm dicitur carere vsu rationis, nullaque lege aut præcepto obligari. Neque difficultas hæc posita est in eo, an pueri habeant eam intrinsecam, & essentialem facultatem eligendi, & non eligendi, quæ ex natura rei est idem cum potentia appetitiua rationali, in qua est formaliter liberum arbitrium. Hoc enim est indubitatum conuenire omni habenti naturam humanam. Sed difficultas est vtrum pueri habeãt eam facultatem immunem, atque solutam ab omni impedimento, ità vt omnino sit expedita ad vsum proprij actus seu ad exercitium liberum quoties libuerit.

Quorũdam sentẽtia pueros liberè operari asserentium.

De hac re nos superiùs diximus Discursu quarto, sectione sexta, & in hac re patronos habemus quosdam etiã ex aduersarijs, qui censent pueros nõ solum operari sponte, sed etiã multa efficere libere, ità vt oblata occasione in ipsorum sit potestate ea efficere, vel non efficere, aut etiam efficere contraria: ea tamen neque ad culpam, neque ad meritum eis imputari eoquod non discernant ratione inter bonum, & malum morale, quantum satis est ad culpam, aut meritum. Hunc modum dicendi secutus est Ludouicus Molina, quem refert secum Victoria secutum esse. 1. 2. q. 1. artic. primo, tribuiturque idem Victoriæ relect. de eo ad quod tenetur veniens ad vsum rationis. Verumtamen Franciscus Victoria licet propositione tertia, in prima probatione sentiat pueros habere actus voluntatis, non necessarios, sed liberos, vt etiam infra in §. sed contra hãc conclusionem, vbi videtur concedere similiter eiusmodi actus non esse necessarios sed liberos, & parum ante quartam conclusionem dicit esse imperfectam libertatem in pueris. Sed nihilominùs videtur lubricè loqui, quia superius loco citato parum ante secundã propositionem in prima confirmatione videtur sentire oppositum nimirùm pueros non habere arbitrium liberũ, vt clarius insinuat propositione tertia, in probatione prima illius. Etenim contendit ille non esse idem posse efficere, & non efficere actum voluntatis positis omnibus requisitis, & habere liberum arbitrium. Molina etiam in sua concordia. q. 14 artic. decimotertio, disput. 2. §. Quo loco, sensit pueros non tantum sponte, sed verè etiam liberè multa efficere, quæ neque ad culpam, neq; ad meritũ eis imputãtur, vt anteà dixerat.

Molina est pro hac parte, & pro ea Victoriã citat.

Probatio prima huius sententiæ.

Hæc sententia ostendi potest cum Victoria loco citato propositione. 3. vbi contendit voluntatem puerorum non esse necessitatam, sed quodam modo liberam. Quoniam voluntas formaliter, & ex sua natura libera est, quia naturales potentiæ sunt ad oppositа, & nihil est in puero, à quo necessitetur voluntas: ergo in illo non est necessitata, sed ita soluta atque indifferens, vt possit non producere actus illos, quos tamen nunc producit. Hęc autem potestas si ab intrinseco sit, est idem quod liberũ arbitrium omnino expeditum ad exercitium proprij actus: ergo. Probatur minor. Quia nihil potest imaginari, à quo voluntas pueri necessitetur præter quàm à notitia intellectiua, & sensitiua, aut à passione appetitus sensitiui; sed à nullo istorũ necessitari potest: ergo, &c. Probatur primò de cognitione sensitiua. Nam sensus non potest mouere volũtatem, nisi per intellectum ex 3. de Anima: ergo sola sensatio non potest necessitare voluntatem. Secundo probatur de Passione. Quoniam pueri frequẽter, & aliquando saltem videntur agere absq; passione, vel saltem potest esse adeò vehemẽs passio in adulto sicut in puero, & in adulto non necessitat: ergo. Tertio de intellectu probatur. Quoniã quæcumque notitia est in puero, siue illa sit simplex apprehensio, siue iudicium, potest etiam esse in adulto, & tamen in eo non necessitatur voluntas: ergo neque in puero. Et confirmari hoc potest. Quia si aliqua notitia necessitaret voluntatem pueri illa, vel esset simplex apprehensio, vel iudicium incompletum, vel perfectum non simplex; quia notitia non solum non necessitat, sed neque potest mouere voluntatem ex 3. de anima. Quia intellectus speculatiuus non mouet, sed solum practicus. Neque necessitat iudicium simplex de bono, vel malo: quia id nõ necessitat ad vltimum iudicium; iudicium verò completũ nõ potest esse in pueris, & dato quod esset nõ necessitaret: ergo nihil est, quod possit pueri voluntatẽ necessitare. Fauet etiã, quia plus mouet iudiciũ perfectum de bonitate obiecti, quam iudicium imperfectũ, vel simplex apprehensio, sed illud nõ necessitat: ergo multò minùs iudiciũ incõpletum, & imperfectũ, quod est in pueris, & amẽtibus. Mirabile enim esset, quod hoc iudiciũ, hoc est delectabile, vel dulce, quod pueri habẽt, necessitet eos, & tamẽ idem iudiciũ cum istis alijs, Hoc est bonũm honestum, & meritorium præceptum, honorificum mihi, quod est in adulto, non necessitet: ergo. Rursus confirmari hoc potest. Quia ex eo quod actus puerorum non sunt necessarij, sed liberi nõ sequitur eos fore meritorios, & dignos laude, præmio, aut pœna, quia ad hoc non sufficit actus esse liberos hoc modo, sed vlteriùs requiritur eos esse deliberatos cum cognitione boni, vel mali moralis, & in ordine ad legem, & regulas prudentiæ, quod tamen in eiusmodi actibus minimè inuenitur. Prętereà cernimus pueros sicut, & amẽtes multa agere rogatos, vel admonitos ad modũ aliorũ hominũ, neq; videntur necessitari in illis: ergo. Rursus certum est, ꝙ anima separata nõ necessitaretur ab omni notitia, quæ est in puero: ergo neque cõiuncta. Patet consequentia.

Probatur, sensitiuã cognitionẽ nõ necessitare voluntatem pueri, idem de passione patet.

Tertio probatur de intellectu.

Cõfirmatio.

Aliæ eiusdem rationis confirmationes.

Quoniam intellectus, & tota anima separata ante sui separationem etiam est in corpore existens, & intellectus nihil recipit à corpore, nisi notitiam: ergo dubium non est, quin positis æqualibus notitijs intellectus, in duabus animabus, si vna non necessitat, neque alia. Quia omnino differentia ex parte corporis nihil facit, nisi faciat differentiam in notitijs ex parte intellectus.

Secũda eiusdem sententiæ probatio.

Secundò potest fundari hæc opinio. Quoniam liberum arbitrium nihil aliud est quàm facultas voluntatis, & rationis, ex sententia Diui Augustini. Sed pueri habent eam facultatem expeditam, sicut adulti, quamuis non ita expeditam aliquantulum ex parte corporis: ergo, &c. Probari potest minor. Quoniam intellectus, & voluntas adulti nihil amplius habent, quam habebant in eodem cum esset puer, quantum est ex parte ipsarum, solum enim est differentia in diuersa corporis habitudine: ergo. Dices in puero esse ligatam eam facultatem, in adulto verò solutam. Contra hoc est, quod intellectus, & voluntas sunt potentiæ spirituales non alligatæ organo corporeo: ergo neque ratione illius, neque ratione dispositionum corporis, ita determinari, vel ligari possunt. Si dicas saltem in exercitio suarum actionum dependere à sensu corporeo, & ab illius dispositione, Contra. Nam intellectus dependet à sensu corporeo solum in eo, vt ministret illi speciem, qua accepta intellectus pueri cũ sit omnino spiritualis, & adeo vigens, & perspicax, tunc atque in adolescentia poterit ea omnia cognoscere in obiecto repræsentato per speciem sensus reditam iam spiritualem, quæ in adolescentia possit: illaque omnia inter se, & cum alijs comparando quid veri vel falsi boni, vel mali sit in ea re per propriam facultatem discernere, ac iudicare: ergo illa dependẽtia à sensu corporeo, neque est neq; esse potest in causa, quò minùs intellectus propriam facultatem exercere possit: ergo neque impediet, aut ligare poterit facultatem voluntatis, ad cuius solutionem, & liberum vsum nihil amplius exigi videtur. Tum etiã. Quoniam libertas, etsi oriatur ab intellectu tanquam à radice, formaliter tamen solum est in voluntate. Sed voluntas immediatè, & ratione propriæ facultatis nullo modo pendet à sensu, neque ab illo ligari potest per se: ergo etiam si intellectus posset ligari, & de facto esset impeditus in puero ab exercitio propriæ facultatis, nõ ideo erit ligata, aut impedita voluntas: sed hac soluta, & expedita datur in homine absoluta libertas ad actuale exercitium suarum operationum: ergo, &c. Prior consequentia patet. Quia voluntas non magis, neq; alia ratione dependet à sensu, & eius cognitione, nisi quia ab intellectu, & eius intellectione dependet: sed voluntas, vt libere posset operari non dependet ab intellectu, nisi vt proponat aliquod obiectum ex se non necessitans: ergo neque à cognitione sensitiua dependet, nisi quatenus illa deseruit ad hoc, vt voluntati proponatur obiectũ ex se nõ necessitans, sed in puero non est ita ligatus sensus, vt non possit proponere aliquod obiectum ex se non necessitans, non minus quam in adulto, vt patet: ergo etiã si concedamus intellectũ esse ligatum ne per plura discurrere, vel illa inter se comparari possit, adhuc in voluntate pueri cõcedenda erit vera libertas saltem contradictionis. Hæ consequentiæ patent. Quoniã si perfectior illa facultas intellectus plura cognoscẽdi, & cõparandi esset necessaria ad libertatẽ voluntatis id esset, vel quia voluntas non posset non velle bonũ semel propositum, nisi simul offerantur alia, vel saltem aliud aliqua ex parte diuersum: & hoc non, cum voluntas à nullo bono particulari necessitetur quoad exercitium. Vel quia illa non potest nolle eiusmodi bonum propositum, dum non ostenditur in illo aliqua ratio mali, aut defectus boni. Et neque id, cum voluntas sit natura sua potens reijcere quodcumque bonum particulare, etiamsi nullum malum, nullusve defectus in illo ostendatur, vel ostendi possit: ergo saltem manet voluntas pueri, ita libera, vt possit acceptare, vel reijcere bonum quodcumque hic & nunc, quavis ratione propositum, dum illud non sit ex se necessitans: ergo manet libertas contradictionis, quæ in eo solum posita est. Imò & cum intellectus pueri possit aliqua simul cognoscere, siue simul siue diuersis temporibus per sensum repræsentata, poterit etiam vnum, vel alterum eligere, in quo etiam est libertas contrarietatis.

Replica cõtra solutionem.

Alia cõtra aliam solutionem impugnatio.

Eã rursus argumentũ pro hac parte. Nã facultas deliberandi, & solutio illius non consistit in indiuisibili, sicut neq; actus deliberationis est indiuisibilis, sed habet latitudinẽ, & veluti gradualẽ perfectionẽ: ergo facultas eligendi, siue solutio illius, quæ sequitur pondus deliberationis, non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem, & quandam veluti gradualem perfectionẽ, atque ita quamuis pueri non habentes perfectam deliberationem (quæ & rationis vsus dici solet) non habeant perfectam facultatem eligendi, seu arbitrium perfectè, & omnino solutum: inde non licet inferre illos nullam habere libertatem, siue dominium suorum actuum, eo præcipue tempore, quo ad perfectum vsum rationis propius videntur accedere, cum eo tempore dubium non sit quin organa melius sint disposita, quam erant antea, faciliusque possint à ratione moueri. Quapropter fatendum erit, vt etiam authores oppositæ sententiæ fatentur, posse esse latitudinem gradualem in facultate deliberandi, & solutione illius, sicut etiam impedimentum, quo tenebatur sensus nimirum, siue organi intemperies, maius vel minus esse potest: cum etiam videatur omnino certũ, humores illos nõ instantanee

Alia, & vltima probatio propositæ sententiæ, qua videtur probari saltẽ imperfecta aliqua libertate pueros gaudere.

ſtantaneæ, ſed paulatim reduci ad debitam tẽ periem, ideoque eo tempore, quo ad perfectũ vſum rationis accedere videntur pueri, aliqualem habere libertatem iuxta menſuram ſolutionis, ac diſpoſitionis ſenſus. Atque ita quamuis non habeant libertatem circa mores in genere boni, vel mali moralis, quia nondũ cognoſcunt ordinem ad regulas morales, neque ad leges, habent tamen libertatem in ordine ad bonum ſibi conueniens, vel non conueniens, vel magis conueniens, ſeu etiam in ordine ad bonum delectabile abſtrahendo à conuenientia morali, & ob id videntur potiri, non quidem omnimoda libertate ſecundũ omnem gradum, ſed ſolum ſecundum gradum ordinis liberi naturalis, ſed non ordinis liberi moralis, vt fuſius alias retulimus.

Quòd non obſtent pro poſitæ ſententiæ quædam teſtimonia, quæ pro contraria adducũtur.

Neque obſtant nonnulla teſtimonia, quæ ab authoribus oppoſitæ ſententiæ adducuntur ex Sanctiſsimo Præceptore. Primum eſt de veritate quæſt. 24. de libero arbitrio art. 2. ad 1. vbi S. Thom. inquit, quòd voluntarium ponitur à Philoſopho in brutis non ſecundum quod conuenit cum voluntate, ſed ſecundum quod opponitur violento, vt ſic dicatur voluntarium eſſe in brutis, vel pueris, quia ſua ſponte aliquid faciunt, non propter vſum liberæ electionis. Secundum teſtimonium eſt eiuſdem D. Thom. de veritate quæſt. 18. art. 8. in corpore, & ad 5. vbi S. Thom. videtur inſinuare quod in pueris impeditur libertas ex nimia humiditate organorum. Et in ſecundo diſtinct. 20. quæſt. 2. art. 2. in corpore, & ad 4. videtur dicere quod propter humiditatem ætatis membrorum, & aliorum, pueri non poſſunt habere plenum vſum imaginatiuæ virtutis, & conſequenter quod abundantia humiditatis creat confuſionem quandam phantaſmatum, & conſequenter ſequitur in eis quædam confuſio in actu virtutis intellectiuæ, ac proinde pueri habẽt in principio confuſam cognitionem vniuerſalium. Sed profecto huiuſmodi teſtimonia D. Thom. veriſsima ſunt quotieſcumque in diſcurſu pueritiæ, & quaſi in primis gradibus eius ex abundantia humiditatis, & imperfectiſsima diſpoſitione organorum impediuntur ſenſus, & intemperies organi habet plurimum impedimenti, quod totum ſuos habet gradus, nimirum quouſque puer iam non ſolum habet locutionem, & diſtinctionem, & intelligit, & diſcernit multa, quod nos cernimus, & experimur, vel in quarto anno, aut quinto, vel forte ſexto ætatis puerorum. Nã tunc videmus quædam agere cum quadam poteſtate, & facultate, ita expedita, vt ea relinquant ſimiliter intellecta ab eis quauis alia ratione provt ſibi libet, & placet. Quamuis nondum eo tempore illuxerit eis ratio ordinis moralis circa bonum, & malum morale circa regulas prudentiæ, & rationis. Nam hoc poſtulat multò maiorem perfectionem, doctrinam & capacitatem doctrinæ. S. autem Thomas

Horum teſtimoniorũ explicatio in fauorem huius ſentẽtiæ.

præceptor egregius loquitur de puero, & veriſsime quidem in prioribus illis gradibus antequã ad hos poſteriores maioris ætatis accedat. Et ob id dictũ eſt, quod ſicut facultas deliberãdi, & ſolutio nõ cõſiſtit in indiuiſibili, ita neq; facultas eligendi, neq; ſolutio virium, quia reperitur latitudo, & veluti gradualis perfectio, quę paulatim creſcit, & augetur per ſuos gradus, vt dictũ eſt. Verũ eſt actus illos nõ eſſe perfecte, & adæquate liberos, imò verò nõnulli dicũt eſſe liberos ſecundũ quandã diſpoſitionẽ proportionaliter, atq; dicitur de quibuſdã actibus mixtis, etſi ſimilitudo non teneat in omnibus. Itaq; hi authores non negant abſolute, cum iam prope accedunt pueri ad vſum rationis, libertatẽ illis, ſed perfectam libertatẽ, aut electionẽ, vel rationis vſum reſpectu boni, aut in illo genere in quo importatur alius gradus, & ordo ſuperior, nimirum ad mores.

Vndè plures cẽſent puerũ in tali ſtatu, vel poſt quartũ annũ infantiæ, aliqualẽ habere libertatẽ, cũ valeat iã cognoſcere cũ quadã contingẽtia bonũ, vt ſibi cõueniẽs, vel cũ defectu alicuius conuenientiæ vtilis, vel delectabilis, vel præferendo illud alteri. Plura alia ſupra diximus diſcurſu quarto ſect. 6. diſp. hac de libero arbitrio, ſolum, vt probabilem oſtenderemus poſſe eſſe hanc ſententiam.

Oppoſita ſententia.

Oppoſitum omnino ſentiunt alij authores quos ſupra etiã retulimus. Hi enim negant poſſe in pueris eſſe aliquã libertatem non ſolũ illã perfectã, & cõſummatã, quæ pertingit vſq; ad ordinẽ moralẽ, & ad gradũ illum excellentiſsimũ cum cognitione regularũ moraliũ legis, & prudentiæ, ſed etiã illã, quæ non dum aſcendit ad hoc, & ob id negãt in pueris poſſe eſſe vllam omnino libertatẽ, aut facultatem eligẽdi, etiam circa bona ordinis naturæ, & pro hac parte recenſent Marſilium in 2. q. 16. art. 1. notabili 5. Corollario 2. Et Bartholomæũ Medina 1. 2. q. 6. art. 1. Imò verò D. Tho. locis citatis, & Ariſt. 3. Ethicorum cap. 2. in initio, & lib. 2. Ethicorũ ad Eudemũ ca. 10. circa finem. Sed profectò, vt duplicẽ ſtatum omnino diſtinguamus in puero, ante vſum rationis in genere moris, ſine dubio in primo gradu pueritiæ nullam libertatẽ exercet. Cæterum quando iam creuit, & habet in maiuſcula ætate actus illos, quos diximus, & quando impedimenta naturæ, humiditatis, & indiſpoſitionis non mediocriter deſcreſcunt, quamuis puer non pertingat ad ſtatum vſus rationis in genere moris, & ad ſtatum vſus libertatis moralis, tamen pertingit ad ſtatum vſus libertatis in ordine inferiori naturæ cum cognitione præferendi vnum alteri ſub ratione delectabilis, cognoſcitque aliquã vniuerſalitatem in obiecto, & indifferentiam contradictionis infra ordinem illum, non quidem moralem ſed præciſe conuenientiæ ad bonum delectabile, &c.

Authores qui ſũt pro hac ſententia.

Fundamentũ huius ſententiæ præter illud

Fundamentum, & ratio pro hac ſententia.

quod loco citato ſuperius nos adduximus in fauorem eius nunc extat aliud perpendendum pro illa ſententia. Nam, vbi non eſt ligata facultas deliberandi, ibi non eſt ligata facultas eligendi, & è conuerſo vbi eſt ligata facultas deliberandi ibi etiam eſt ligata facultas eligendi. In pueris autem non eſt ſoluta, ſed ligata facultas deliberandi, ac proinde ex hoc colligitur in illis ligatam eſſe penitus, & non ſolutam facultatem eligendi, in qua formaliter conſiſtit liberum arbitrium. Quoniam vt ſit expedita, & ſoluta facultas deliberandi, ac conſultandi, quæ eſt in intellectu, neceſſariò poſtulat, & requirit ſenſum miniſtrantem illi ſpeciem, eſſe ſolutum, ita vt in quancumque partem oportuerit, verti poſsit, ſiue ad repræſentandum denuo proponendo nouam ſpeciem, ſiue ad perſiſtendum in eadem obiecti propoſitione. Ad deliberationem enim qualis in homine reperitur cum plura cognoſcenda ſint, eaque ordinate, & attente, plurium etiam repræſentatio eſt neceſſaria, quæ abſq; imaginatiuæ, & aliorũ ſenſuũ motu, vel multiplici, vel ordinatiſsimo, & iuxta rationem regulato haberi minime poteſt. Sed in pueris cum non ſit ita ſolutus ſenſus, ſed potius ligatus, ac determinatus ad repræſentandũ ſolum, vel omne id quod exterius obijcitur, vel ea tantum ratione, qua obijcitur naturaliter, atq; in brutis euenit, ſequitur quod in illis non eſt poteſtas expedita deliberandi ad vſum proprij actus.

Non eſſe in pueris ſenſuum ſolutionem probatur.

Probatur autem, quod in pueris non ſit ſolutus ſenſus, ſed potius ligatus, & determinatus, &c. Quoniam vt ſenſus ita ſit ſolutus, vt poſsit moueri ad nutum rationis deliberantis, humores circunſtantes organum debent eſſe in quadam temperie, ac diſpoſitione, vt nullius excedat proportionem debitam ad vſum ſiue ad actum talis potentiæ. In pueris verò eſt notiſsimus exceſſus, & intemperies organi ratione humiditatis eum motum adeo expeditum impedientis, vt Sanctus Thomas adnotauit: ergo, &c. Quod autem vbi non eſt ſoluta poteſtas deliberandi non ſit ſoluta, & expedita facultas eligendi, ac liberum arbitrium docent plures ſuper Ariſtotel. locis citatis. Sed certe quamuis huiuſmodi ſententia ſit probabiliſsima, tamen hoc argumentum non omnino conuincit, ſi attendamus ea, quæ diximus de ſtatu pueri. Quocirca ratio illa, quæ adducitur à priori cur ad ſolutionem, & libertatem voluntatis in exercitio debeat præcedere eiuſmodi deliberatio mentis, quæ nihil aliud eſt quam examen ſiue ponderatio bonitatis, & malitiæ, aut defectus qui in re propoſita apparet, vel inueniri poteſt, vel ſecundum ſe conſiderata, vel in ordine ad alia, de quibus conſulitur, & qua deficiente deficit libertas in voluntate iuxta duplicem ſententiam oppoſitam, id quidem tetigimus ſupra in diſputatione illius ſectionis, vbi egimus de indifferentia liberi arbitrij ad eligendum, vel non eligendum. Nunc autem ſufficiant quæ diximus de hoc ſtatu libertatis.

Ad argumenta, quæ propoſita ſunt in hac ſectione §. Maior difficultas explicatur.

AD argumenta ergo, quæ pro prima ſententia militabant in ſecunda parte huius ſectionis §. Maior difficultas, iam reſpondere oportet. Suppoſito eo quod plures ex Sãctis Patribus dicunt in hac materia, quando iudicium intellectus dicunt eſſe iudicium liberum, & ita illud vocant, non quidem quia in ipſo, vel in potentia iudicatiua ſit formaliter libertas, ſed quia in illa eſt libertas radicalis, vt ſæpiſsimè dixit Sanctiſsimus Præceptor D. Tho. & comes eius Cardinalis Cajet. vt fuſius etiã diximus cũ egimus de radice libertatis, & de illa indifferentia, quam intellectus habet ad cognoſcendum, & iudicandum hoc aut illud eſſe bonum expediens, & non neceſsitans voluntatem reſpectu talis finis, &c. Quam indifferentiam Diuus Auguſtinus in ea communi definitione liberi arbitrij, & cum eo communis Scholaſticorum, appellant facultatem rationis, alij Patres nominant libertatem latiùs ſumpto verbo pro indifferentia, ſiue facultate, ſicut etiam nomen arbitrij aliquando extenditur à D. Thom. & alijs Doctoribus.

Suppoſitio. 1.

Ad primũ argumẽtũ.

Hoc ſuppoſito, ad primum argumentum, quod deſumitur ex illo teſtimonio Eccleſiaſtici 15. Reſpondetur conſilium idem ſignificare ibi quod arbitrium, vt videtur inſinuare Gloſſa, & expoſitores communiter, arbitrium autem formaliter eſt voluntas, vt dictum eſt, vel ſi ibi conſilium ſtrictè, & proprie ſit accipiendum pro iudicio rationis, vel pro ipſa potentia iudicatiua, ſolum vult actũ liberum prius eſſe in noſtra poteſtate ratione facultatis intellectus, quæ ob id dicitur à D. Thom. radix libertatis: formaliter verò ratione ſolius voluntatis, vt patet etiam ex ijs, quæ ibi ſequuntur. Ad quod volueris porrige manum, quod eſt proprium ſolius voluntatis, vt dictum eſt.

Ad ſecundũ ſolutio.

Ad ſecundum, concedimus liberum arbitrium formaliter eſſe illam potentiam, ratione cuius formaliter habemus dominium, & poteſtatem noſtrorum actuum, ea autem eſt voluntas. Tum quia ideo habemus dominiũ, quia poſſumus eligere hoc vel illud, & conſequenter hunc vel illum actum elicere, vt S. Thomas ſæpenumero docet: poteſtas autem eligendi formaliter eſt in ſola voluntate. Tũ etiam, quia dominium actus humani, vel

Angelici non potest in nobis esse nisi ratione illius potētiæ, ratione cuius homo est operatiuus, & productiuus suorum actuum. Si enim in illa potentia non sit ea facultas operandi, & non operandi, sed necessaria determinatio ad alteram partem, illa semper operabitur necessariò, & consequenter omnes actiones hominis erūt determinatæ, & necessariæ, quamuis fingamus habere aliquam aliam potentiam liberam, vel illa prior potentia non erit, ratione cuius homini, quatenus homo est formaliter conuenit operari. Certum est autē hominem quatenus homo est formaliter esse operatiuū ratione voluntatis: ergo & habere formale dominiū suorum actuū ratione illius. Minor patet ex communi sententia Philosophorum, & Theologorum præcipue ex S. Thom. 1.p. quæst. 82 art. 4. in corpore, & ad argumenta, & 1.2. quæst. 9. art. 1. & 3. & sæpissime ex D. Augustino dicente affectus voluntatis esse pedes, & gressus animæ, vt etiam plures alij Sancti Patres, & scriptura loquuntur. Et cum idem Augustinus ait. *Amor meus, pondus meum, illuc fertur quocumque feror, &c.* In quem sensum scriptura etiam ait. Cor hominis, ideſt voluntatem, longe esse à Deo, & conuerti, vel auerti à Deo. Huius etiam ratio est. Quia proprium principium motus in qualibet substantia est appetitus, & inclinatio illius in proprium bonum, quod est finis adæquatus talis substantiæ, vt inductione constat, tam in naturalibus, nimirum grauibus, & leuibus, quæ in propria loca mouentur per inclinationes, quæ dicuntur appetitus naturales, quam etiam in viuentibus, & sensitiuis, de quibus specialiter, & ex professo Arist. 3. de anima, & cum illo communis Philosophorum schola. Hæc enim est natura appetitus, vt sit veluti pondus trahens, & impellēs rem in proprium finem, indeque oritur discrimē illud inter actus voluntatis, & actus intellectus, vel alterius potentiæ, cognoscitiuæ sæpe repetitum à D. Thoma, quod nimirum appetitus fertur in res, quasi extra se feratur ad illas: cognitio verò non tendit, sed potiùs videtur trahere ad se, quia illas ad se venientes tenet, & apprehendit, sicque perficitur. Cum igitur voluntas sit appetitus, & inclinatio totius suppositi substantiæ intellectualis, sequitur illius esse mouere, hominemque ratione illius, formaliter mouere in finem eo modo, quo illi competit, quatenus homo est, nimirum libere, & cum dominio proprij actus. Et in idem redit ratio Diui Thomæ proximè citati dicentis. Hominem ratione voluntatis moueri. Quia illa est potentia vniuersalis, & appetitus totius suppositi respiciens eam rationem finis, sub qua aliarum potentiarum fines comprehenduntur. Et ita patet ad probationes in oppositum in nobis videlicet esse indifferentiam, & dominium propriorū actuū formaliter ratione voluntatis, & solum radicaliter ratione intellectus, quod tantum vult scriptura iuxta illud quod diximus supra circa locum Ecclesiastici 15.

D. Thom.

D. Augus.

Dominium nostrorum actuum est in nobis formaliter ratione voluntatis, radicaliter ratione intellectus.

Ad rationem in oppositum iam patet intellectum non præferre vnum alteri in ordine, & determinatione formali finis, vt finis est, ideſt secundum rationem formalem bonitatis illius. Fatemur etiam ad hoc vt voluntas sit formaliter libera, & domina suorum actuū à quibus pendent actus aliarum potentiarum necessarium esse vt intellectus non sit potentia natura sua determinata ad vnum, sed potens plura cognoscere, & iudicare de pluribus inter se comparatis, vt patet iam ex superius dictis. Et consequenter fatemur voluntatem non posse libere operari quando ratio fuerit omnino ligata, aut determinata ad vnum omnino, vt euidenter constat in exemplis ibi allatis. Ratio tamen huius non est, quia libertas formaliter sit in ratione, aut quia in voluntate non sit alia indifferentia, & facultas præter illam, quæ est in ratione, sed quoniam ea facultas rationis debet necessario præcedere, vt quid intrinsece prærequisitum, sicut superius diximus. Quamuis enim cum ratio ligatur voluntas maneat illæsa, & omnino eadem quantum ad essentialem facultatem, & entitatem propriam, tamen non manet eodem modo dispositа quantum ad exercitium proprij actus, respectu cuius nunc est impedita, & non antea: cum ratio poterat pro sua facultate in diuersa ferri, sicut etiam essentialis facultas, & entitas voluntatis manet omnino eadem, cum intellectus nihil omnino cognoscit, & tamen in nullum actum potest tunc prodire voluntas. Ratio autem huius impedimenti est. Quia cum nulla potentia valeat operari, quin illi debitè applicetur proprium obiectum, & obiectum voluntatis, vt sic sit bonum per rationem cognitū: obiectum autem voluntatis provt est libera, seu liberum arbitrium sit bonum taliter cognitum nimirum, vt conducens ad finem intentum, non tamen necessarium aut necessitans, quod in Deo, & Angelis fit vnico actu: in homine verò per deliberationem, & discursum propriæ facultatis intellectus, inde fit, vt sicut nullum actum efficiet voluntas dum intellectus nihil omnino proponit: ita neque poterit in actum liberum prodire quando ratio nō ita disponit, ac proponit obiectum, vt diximus, id autem præstare nequit intellectus cū habet organa male disposita, quæ ministrant species, vt in pueris, & aliquando in subito excitatis furore, ita vt deliberare nequeant, vt euenit in primo primis motibus humanæ mentis. Tum etiam ad idem. Quoniam cum omnis actus voluntatis provt est liberum arbitrium sit electio: electio autem necessariò debeat esse inter plura, vel eiusdem per modum plurium, scilicet, quoad esse vel non esse illius: quoniam electio intrinsece dicit collationem siue acceptationē vnius præ alijs. Et insuper cum intellectus creatus

Voluntas operari non potest quando ratio est omnino ligata.

dum Deum clarè videt, nequeat illum cum alio comparare, cum nihil omnino ſummo bono comparari poſsit: neque dubitari poſsit, an ſit acceptandum nec ne, & humano intellectui cum ſubito excitatur, & rapitur ab obiecto, vt contingit in primis motibus humanæ mentis, cum non detur locus conferendi id quod tunc proponitur cum fine, vel cum aliquo alio, apertè ſequitur, neque voluntatē poſſe tunc formaliter eligere, cum non poſsit pro tunc acceptare vnum aut aliud, vel idem acceptare, vel non acceptare, quod eſt formaliter eligere, cum intellectus tunc non proponat vnum, & aliud, neque idem per modū plurium.

Ratio quare in voluntate nō poſſit eſſe electio circa id quod ſubito proponitur ei ab intellectu.

Quare autem tunc non poſsit non acceptare voluntas id quod ſubito proponitur, ex eo ſolum quod ratio non deliberat, nec poſsit proponere vnum, & aliud; ratio in ſententia D. Thomæ eſt manifeſta. Quia voluntas natura ſua ita eſt appetitus, & inclinatio boni proprij ſubiecti, & ſubſtantiæ, vt quoties illi proponitur ſub ratione boni, ita vt poſsit tūc in illo oſtendi aliqua ratio mali, aut defectus, aut minoris boni, ita amet illud vt poſsit non amare, è contra verò cum ita proponitur bonum, acſi in eo nulla eſſe poſſet ratio mali, aut minoris boni, vt contingit in patria ratione ſummæ bonitatis cognitæ euidenter: & in motibus primis humanæ mentis propter in deliberationem, quam pro tunc non poteſt habere intellectus: ita amet, vt nequeat non amare illud, quod alibi fuſius explicatum fuit. In Scoti verò & aliorum ſententia dicentiū quolibet bono particulari ſub quacumque ratione propoſito, voluntatem manere adeo in differentem etiam moraliter, acſi non fuiſſet illi oblatum huiuſmodi bonum, neſcio qua ratione voluntas operetur tunc neceſſario: rationem tamen quæremus alibi. Dicere enim voluntatem repente impetitam ab obiecto deſidem inueniri, ideoque neceſſariò rapi, non videtur ſatisfacere. Nam vel rapitur vi, & impulſu naturæ, & hoc fieri non poteſt, niſi illa ſit natura ſua determinata in bonum ſub ea ratione propoſitum, vel non rapitur vi naturæ, ſed propria, quaſi deſidia, & negligentia, & id non ſufficit ad tollendam libertatem, & rationem culpæ, de quo alibi. In alijs verò actionibus puerorum, ſicut in actionibus furentiū, & omnino delirantium, cum actio nō habeat facultatem comparandi vnum cum altero, & iudicandi ex ſola determinatione proportionis, quam propria facultate vtens, in obiecto poteſt cognoſcere, ſed omnino determinetur à natura, ſequitur etiam impediri voluntatem quoad exercitium actuum liberorū, eo quod tūc intellectus impediatur, ne poſsit proportionato modo proponere obiectum voluntati, quatenus libera eſt, vt ſupra diximus. Ad Sanctos verò reſpondetur ideo probari liberum arbitrium in homine, vel Angelo ex eo quod habeant intellectualē cognitionē, non quia exiſtimēt libertatē eſſe formaliter in intellectu, vel intellectū ipſum, ſed quoniā talis cognitio eſt radix, & initiū libertatis, ipſeque intellectus potentia prior, quā neceſſariò comitatur alia illi proportionata, & formaliter libera, quæ eſt voluntas, vt patet ex ipſis Patribus, & apud S. Thomam 1. p. q. 83. art. 3. ad 1. de veritate quæſt. 24. art. 6. ad 4.

Dato quòd brutum loco æſtimatiuæ frueretē intellectu, & potentia appetitiua eidem proportionata, quid ſit neceſſariò dicendum.

Ad illud verò, quod vltimo loco obijcitur in poſtrema parte huius ſecūdi argumēti reſpōdetur q̄ ſi ita fingamus intellectū loco æſtimatiuę bruti, vt appetitus bruti operari poſsit in ratione potētiæ appetitiuæ modo proportionato cognitioni intellectuali, tūc hac imaginatione impoſsibili præconcepta, & imaginata videtur manifeſtū eſſe quantū ad illationem. Primò appetitū bruti videri, & quaſi fore eiuſdē rationis cū voluntate, cū in caſu habeat idē obiectū formale, ſcilicet latitudinem boni, vt ſic, & eundē modū tendendi. Secundò tunc eo impoſsibili dato ſequeretur brutū formaliter eligere, & ſeipſum mouere ad finem intētum ratione talis appetitus, qui videtur eſſe quaſi voluntas, vt diximus, & non ratione intellectus niſi inchoatiue. Idemq; videtur dicendū ſi velis dare aut fingere aliud impoſsibile, vt manens ſub ratione formali appetitus ſenſitiui moueretur immediate ab intellectu per cognitionem ſpiritualem, ſicut nunc mouetur volūtas. Si verò ſolum poneretur intellectus loco æſtimatiuæ præterquam quòd tunc appetitus operari non poſſet ratione talis cognitionis immediate, neq; enim nunc ponimus in eo impoſsibile, vt ſupra, certum eſt brutū in eo caſu licèt poſſet formaliter diſcernere inter bonum, & malum, ac iudicare hoc vel illud bonum conferre, non tamen poſſet neceſsitare appetitum rationalem in ordine ad ſuum finem, atque ita quaſi initialiter eligere, ac ſe mouere diceretur. Formaliter tamen nec poſſet eligere, nec ſeipſum formaliter mouere, cum ſolum habeat in ſe principium inchoatiuum electionis, & motus à ſe, non tamen formale, & eſſentiale, quod eſt voluntas, cuius etiam rationem ſæpe tetigimus. Quia licèt intellectus ſit radix, & initium electionis, eo quod ille formaliter comparet, ac diſcernat inter plura, quod eſt neceſſariò prærequiſitum, vt fundamentum futuræ electionis, tamen formale principium electionis eſt in ſola voluntate, non ſolum quia ſola electio eſt eorum, quæ ſunt ad finem, quatenus ad finem ſunt, quod non poteſt eſſe niſi voluntatis, ſed etiam quia dato quod per impoſsibile bonum, vt bonum eſſet etiam formale obiectum intellectus, adhuc electio eſſet formaliter in voluntate, cum illa ſit quæ ſola præbere poteſt efficaciam, vt homo exequatur, vel non exequatur id, quod ratio proponit, eo quod volūtas ſit formale principium motus ſubſtātiæ intellectualis, vt diximus, & optime docet S. Thom. de veritate quæſt. 22. art. 15. in corpore.

Similiter

Similiter quamuis intellectus sit homini principium inchoatiuum, & radicale seipsum mouendi, quia per illum potest deliberare de fine, propter quem alia sunt facienda, quod est prærequisitum, & fundamentum motus à se, vt docet Diuus Thomas Prima Secundæ, quæst. prima, artic. primo, & secundo, & quæst. sexta. & alibi, tamen non est, neque esse potest homini formale principium mouendi seipsum. Quia vt sæpè diximus illa potentia est formale principium mouendi seipsum, quæ est formale principium operandi propter finem à se intentum, cum in eo formaliter consistat propria ratio mouendi seipsum in substantijs, vbi id propriè accipitur, & non latè, sicut cum intellectus dicitur mouere seipsum, in quo etiam sensu dici solet large se mouere libere, ab aliquibus Patribus. Sed formale principium operandi propter finem est sola voluntas, quare illa deficiente, vel eius indeterminatione & facultate, necessario deficiet formale principium motus à seipso, quamuis fingatur intellectus manere indifferens.

D. Thom.

Voluntas est formale principium homini ad seipsum mouendum.

Ex quibus omnibus satis planè constat solutio aliorum impossibilium, quæ fingi possunt ad naturam liberi arbitrij amplius explicandam, vt si daretur intellectus adeò indifferens, vt ex propria facultate iudicare posset hîc, & nunc hoc esse faciendum, vel eius oppositum, vel non esse faciendum; eo quod moraliter posset cognoscere aliud, vel maiori adhibito conatu, vel quia aliter poterat esse dispositus, &c. & tamen voluntas non esset potentia indifferens, sed absoluta necessitate naturæ amplectens quidquid intellectus iudicauerit esse faciendum, vel non esse faciendum. Tunc enim sicut in pluribus alijs, quæ in simili forma, vel paucis mutatis fingi possunt præterquàm, quod inuoluuntur impossibilia, certum est ex supradictis non manere liberum arbitrium, nec formale principium motus substantiæ rationalis, vt talis est: cum liberum arbitrium licèt completè sumptum duas includat facultates, videlicet rationis, & voluntatis, vt ex communi definitione Augustini, Diui Thomæ, & nos etiam supra diximus, tamen essentialiter formaliter solum consistit in facultate voluntatis, vt liquet ex dictis supra in ratione Diui Thomæ, & ad argumenta. Quam tamen facultatem in eo impossibili non haberet voluntas cum ponatur potentia omnino determinata, & necessaria, quãtum est ex parte ipsius in illo casu. Quod si dicas hominem in eo videlicet casu, ita mouere, & facere hoc, vt moraliter posset non mouere, vel facere oppositum eius, quod facit: ergo liberè operatur, & peccare vel mereri potest, Respondetur id solum vrgere contra eos, qui dicunt libertatem in eo solum consistere, quòd positis requisitis possit operari, aut non operari, nulla habita ratione facultatis, aut potentiæ motiuæ, vel non motiuæ ad finem, ratione cuius id conuenire debet: in nostra vero sententia, qui cum Augustino, Aristotele, Gregorio Nisseno, Damasceno, Diuo Thoma, Magistro Sententiarum, & communi etiam grauiorum Scholasticorum sententia, quæ dicit è duabus facultatibus, quæ necessario reperiuntur, in quolibet agẽti intellectuali essentiam liberi arbitrij formaliter consistere in facultate illa voluntatis, quamuis necessariò supponat intellectualem cognitionem, & intrinsecè qua talis potentia est, nullam vim habere potest, id quod obijcitur, cum ablata illa facultate etiam manente quacumque alia indifferentia manifestum sit auferri ab homine, vel Angelo formale principium liberè operandi propter finem à se intentum, vel mouendi, ac merendi, vel demerendi, quæ ab illa intrinsecè dependet: vel sunt idem omnino cum illa facultate, vt supra explicuimus. Et consequenter hominem in illo impossibili formaliter non agere seipsum, nec liberè moueri, vel mereri, vel peccare posse, vt ex proprijs rationibus mouendi se, liberè operandi, & merendi, vel demerendi patet, secundum ea, quæ dicta sunt supra. Vel dicendum est in eo homine esse quoddam aliud genus liberi arbitrij plusquam diuersum genere ab eo, quod ab Ecclesiæ Patribus, & doctissimis quibusque Theologorum, ac Philosophorum hucvsque accepimus. Vel tandem dato eo impossibili consequenter esse immutanda plura alia principia naturalia, aut in terminis ipsis manifestam contradictionem esse concedendam.

Aliorũ impossibilium quæ fingun tur, vt veritas illustretur, vera solutio.

Obiectio.

Dissoluitur

Essentia liberi arbitrij formaliter consistit in voluntate quamuis radicaliter.

Ad tertium argumentum si rectè inspiciantur ea, quę diximus satis patet solutio. Respõdetur enim intellectum esse, & dici radicem libertatis: quia applicat obiectum potentiæ liberæ cum quadam indifferentia, & cum collatione, & conferentia. Ità enim applicat obiectum potentiæ liberæ, quæ est voluntas, & facultas rationis, & dicitur radix dominij, aut ratione illius radicaliter nos habere dominiũ actus, quia facultas eligendi, vel non eligendi obiectum, & conseruandi, vel non conseruandi actum elicitum, qui est in voluntate formaliter dependet necessario à facultate rationis præferentis vnum alteri, iudicantisque hoc, vel illud esse accipiendum, vel non accipiendum, & tandem debite applicantis obiectum ad actum liberum, vt explicuimus anteà. Est autem sumpta metaphora ab arbore, cuius rami, vt fructum ferre possint à radice humorem accipiunt, ideoque fructus in radice esse dicuntur, ab eaque pendet bonitas, vel vitium fructuum, &c. An verò voluntas moueatur infallibiliter, & quomodo maneat in eo libertas præter ea, quæ diximus in Discursu huius materiæ, dicimus multa in tom. 3. variarum disputat.

Ad tertiũ argum.

Ad quartum fatemur intellectum esse nobiliorem, & perfectiorem potentiam, vt potè magis eleuatã, magisq; vniuersalem, & pu-

Ad quartũ solutio.

riorem, quam voluntas, ac proinde etiam excellentiorem eſſe ſecundum eius obiectum, ſuumque modum agendi eſſe magis eleuatum. Negatur tamen, quod voluntas ex eo, quod liberè agit ſit perfectior potentia, quàm intellectus. Accedit etiam quod hominis præſtantia non ſolùm eſt, quia habet voluntatem, ſed quia intellectualis eſt. Nam ratione intellectus participat gradum intellectualitatis, qui eſt ſupremus in genere rerum, & graduum omnium. Accedit rurſus, quod quamuis homo ſit liber formaliter per voluntatem, tamen libertas hæc habet principium, & radicem in intellectu, & ex eius conditione, & natura eſt, vt originetur ab eo libertas, imò verò habet intellectus eam excellentiam, vt ſit veluti Rex, & Dux voluntatis, eam etiam perficiens, & illuminans. Itaque multo maiorem intellectus habet in ſeipſo perfectionem, quia talis naturæ eſt, vt eius actiones ſint magis eleuatæ, eiuſque obiectum magis abſtractum, eleuatum, & purum. Quod verò voluntas ſit formaliter libera, intellectus autem ſolum radicaliter nō adæquat totam perfectionē, quā in ſeipſo cōtinet intellectus. Nā licèt formaliter libertas maior ſit, quam radicaliter libertas, tamen ſi hoc conferatur cum tota perfectione entitatiua intellectus non habet æqualitatem cum eo. Adde etiam quod beatitudo eſſentialis eſt in intellectu, qua deficiente in beatis non dicerentur beati, & idcircò beatitudo eſſentialis in patria in intuitione diuinæ eſſentiæ conſiſtit. Adde præterea, quod Pater in diuinis neceſſario generat Filium, & Pater, & Filius neceſſario producunt Spiritum Sanctum per voluntatem, & quod vterque modus procedendi eſt neceſſarius, in quo inuoluit maximam perfectionē. Quod verò Deus libera voluntate creaturas eſſe voluerit in tēpore non arguit maiorem perfectionem, quā ſit illa, quæ importatur in modis illis ſecūduni quos fide profitemur Patrem, & Filium neceſſariò producere Spiritum ſanctum per voluntatem. Neque voluntas hominis, quæ eſt appetitus haberet actu dominium ſuorum actuum ſi careret deliberatione, & cōſultatione, & conſequenter intellectu ipſo, atq; ità diſſolui poteſt argumentum factum.

Et ſi voluntas liberè agat non eſt perfectior potētia, quā intellectus.

Ad quintū argum.

Ad quintum arbitror ſatis ſolutum eſſe per ea, quæ diximus in hac ſectione, ſed præcipuè ſectione ſexta præcedente, vbi ſatis explicuimus liberum arbitrium eſſentialiter eſſe principium electionis, quod fuſe interpretati ſumus. Fatemur, & ità eſt dicendum, intellectū non ſe habere, ſicut æſtimatiuam bruti. Nam non ſolum obiectum intellectus eſt vniuerſale, ſed etiam ex ſua natura habet operari, & agere cum collatione, & conferentia vnius ad alterum, quod non conuenit æſtimatiuę brutorum operantium ex iudicio infixo. Denique ſolutio huius argumenti prēter ea, quę dicta ſunt ſupra, patet, quia de ea nos egimus multa non ſolum ſectionibus antecedentibus, ſed etiam in Diſcurſu tertio, & quarto.

Ad ſextum argumentum, Oſtenſum eſt electionem formaliter, vt electio eſt eſſe actum à voluntate elicitum. Et ad probationem ſentio eo ipſo, quòd electio ſit vnum alteri ſcienter prēferre in ordine ad aliud, nimirùm ad finem, vt finem, colligi in electione duo inueniri. Vnum eſt cognitio & iudicium huius, & illius cum collatione, & conferentia, & quod hoc ſit expediens ex determinatione veritatis, & intentionis finis, quod pertinet ad intellectum. Alterum verò eſt acceptatio huius, potiùs, quàm illius in ordine, id eſt ex determinatione bonitatis finis, vt finis eſt, & talis acceptatio eſt actus elicitus à ſola voluntate. Hoc nos fuſè proſecuti ſumus Prima Secundę, quęſtio. prima, artic. primo, colligiturque aperte ex Sancto Thoma 1. par. quęſtio. 83. art. tertio, in corpore, & ad ſecundum, & Prima Secundę, quęſt. decimatertia, artic. primo, de Veritate, quęſt. vigeſimaquarta, artic. ſexto, & in 2. ſententiarum, diſtinct. vigeſimaquarta, quęſt. prima, artic. ſecundo, & tertio. Ex his autem duobus certum eſt in communi ſententia. Primum nimirùm cognitionem iudicium, & conferentiam eſſe, quid intrinſecè prērequiſitum ad electionem: in ſecundo verò formaliter conſiſtere eſſentiam, & quiditatem illius, vt Sanctus Thomas expreſsè id docet. 1. 2. quęſt. decimatertia, & Ariſto. 3. Ethicorum. ca. 2. vbi fuſe oſtendit electionem formaliter non eſſe ſcientiam, neque opinionem, neque veram, vel falſam dici poſſe, ſed bonam, vel malam. Atque ità neque eſſe formaliter actum intellectus, ſed appetitum prę conſiliati, vt inquit Diuus Thomas: ideoque ipſe clarius definit eligere eſſe appeterevnum propter alterum conſequendum. 1, par. quęſt. 83. artic. quarto in corpore, & ſępe alias. Huius autem ratio eſt alijs omiſsis, vt paulò anteà ex Sanctiſsimo Prēceptore dicebamus, quia ſola voluntas eſt, quę ſua acceptatione, & quaſi ſubſcriptione firmat, & reddit ſtabile rationis decretum ac iudicium, vt ſequatur, vel non ſequatur actio. Cùm enim conſilium & electio ſecundū omnes ſolùm verſetur circa ea, quę per nos fieri poſſunt, & quę à nobis agenda ſunt, & omnis actio hominis in quantum homo, vel alterius agentis intellectualis, quatenus tale, debeat neceſſario eſſe ex determinatione finis ab ipſo intenti manifeſtè ſequitur omnem actionem agentis intellectualis, quatenus tale formaliter, & immediatè pendēre, & vt plurimum eſſe elicitam ab ea potentia, quę formaliter determinatur, & mouetur à fine, & quę formaliter, & immediatè mouere poteſt ad finem, ſe & alias potentias, quę eſt voluntas. Et conſequenter ſequitur nullum eſſe actum hominis quatenus homo eſt, loquendo de actionibus humanis, vt Philoſophi morales loquuntur, ſine eo, quod voluntas prębeat aſſenſum, &

Ad ſextum argum.

Electio actus eſt à voluntate elicitus.

S. Thom.

Nullus eſt actus humanus, ſine eo quod voluntas ad illū præbeat aſſenſum.

velit

velit moueri in finem. Atque ideo è duobus, quę in quauis actione humana diximus necessario reperiri, nimirùm directionem, siue consilium mentis, & iudicium cum conferentia, & acceptationem etiam voluntatis, directio siue iudicium est quid intrinsecè prærequisitum, sine quo nihil omnino fiet, acceptatio verò, & motio voluntatis est immediata, & formalis causa eliciendi tales actus, vel propria electione mouens alias potentias ad illos, ideoque electio est actus voluntatis formaliter loquendo. Quod communis hominum sensus satis cõfirmat, non reputans elegisse quẽquam, etsi vnum alteri iudicio prętulerit, donec illud voluntate pręaccipiat, & acceptet, quod iam explicuimus amplius in solutione secundi argumenti, & in discursu huius sectionis. Quod si obijcias inde colligi, & inferri electionem effectiuè tantum produci à voluntate, directionem verò quæ in ipsa electione formaliter inuenitur esse à ratione, atque ità minus principaliter pertinere ad voluntatem ipsam electionem, Respondetur antecedens esse verum, vt expressè docet Sanctus Thomas 1.2. quæst. decimatertia, artic. primo. Neque enim est intelligendum effectiuè produci ab intellectu illam directionem, quæ formaliter reperitur, & est in actu electionis, cum id repugnet produci ab alia potentia quam ab ea, quæ producit ipsum actum. Consequentia tamen negatur; quia præcipuum est in actu ipsa eius substantia. Cum ergo dicitur eligere nihil aliud esse, quam vnum alteri præferre, addendũ est in ordine ad finem, hoc est, ex determinatione, & motione finis, quatenus finis est; & tunc neganda est minor, scilicet, præferre vnum alteri, eo modo esse actum intellectus, cum ille non possit moueri, aut determinari à fine formaliter quatenus finis est. Verum tamen est, quod quamuis actus voluntatis ab ea solum efficienter elicitiue procedat, nihilominus directio, quæ non solum est in actu voluntatis etiam est in genere causæ efficientis in intellectu dirigente, præcipuè cum voluntas sit potentia cæca. Sed de hoc alibi dicemus.

Obiectio.

Solutio.

Eligere nihil aliud est quam vnũ alteri præferre in ordine ad finem.

Ad aliam probationem respondetur, principium eligendi completum, & adęquatum nõ solum includere voluntatem, sed rationem. Cæterùm principium formale, & immediatum in sola voluntate reperiri. Ad hoc enim quod aliqua potentia vnum alteri præferat ex motione, & determinatione finis sufficit, quod possit percipere proportionem vnius & alterius in ratione formali bonitatis, percipiendo etiam bonitatem, & proportionem finis secundum determinationem rationis præcedentis. Certum est enim id fieri non posse à voluntate, neque eo ordine nisi prius præcesserit cognitio, ità disponens per iudicium repræsentans vnum & aliud, dicensque in tali, vel tali gradu bonitatis esse, sicque dirigens, & quasi sigillans voluntatem. Ideò enim iudicium, aut directio rationis dicitur à Diuo Thoma virtute manere in voluntate eligente, illãque esse quodammodò virtualiter iudicatiuã, in 2. distinct. vigesimaquarta, quæst. 1. art. tertio, ad secundum. & Prima par. quæst. 83. artic. tertio, ad secundum, & tertium, & aliàs sępè. Bruta verò ideò non eligunt formaliter, quia non habent appetitum liberum, qui ex sola determinatione finis à se intenti moueri possit in hanc, vel illam partem, prout placuerit, sicut voluntas. Dicuntur autem non posse eligere eoquod non habeant cognitionem, cum quadam indifferentia, & collatione. Quoniam cognitio, vt sæpè diximus est radix electionis, sicut & libertatis, illaque ablata auferetur consequenter ratio formalis eligendi, quę est in sola voluntate. Insuper etiam cum actiones sint suppositorum, & homo, vel Angelus formalissime cognoscat per intellectum proportiones omnium, vt formalissimè sciens eligit per voluntatem, atque ita est idem principium principaliter dirigens, & eligens ea, quæ sunt ad finem, nimirùm homo, vel Angelus: bruta vero cum non habeant cognitionem, qua possint finem sibi præstituere ac seipsa dirigere simpliciter se habent, vt exequentia alterius directionem.

D. Thom.

FINIS.

SALMANTICAE.

In ædibus Antoniæ Ramirez, viduæ.

M. DC. VII.

INDEX DISCVRSVVM, ET SECTIONVM, ET QVARVNDAM dubitationum, quæ in hoc tomo 3. Variarum disputationum ad Primam secundæ continentur.

(¿)

DISCVRSVS Primus argumentorum, & difficultatum. pag. prima.

Discursus secũdus. Quid sit liberum arbitrium & quid causa necessariò agens, vt à libera distinguitur? pag. 4.

Discursus tertius. Vtrùm libertas sit formaliter solùm in voluntate, an verò etiam in intellectu. Et de radice libertatis, & indifferetia eius in homine, Deo, & Angelis? pagina 16.

Discursus quartus. A quo determinetur causa libera, & indifferens. An à iudicio rationis, & quomodo, & an pendeat à Deo voluntas libera? pag. 46.

Sectio Prima.

Difficultas; An ad electionem liberè vel necessariò se determinet voluntas, supposita efficaci volitione finis. pag. 52.

Appendix. Quòd voluntas à solâ simplici apprehensione non moueatur. Et quid dicant noui Theologi de voluntate malorum Angelorum, an precesserit defectus in eorum intellectu. pag. 70.

Vtrùm, quando peccator peccat, iudicium quod præcedit in intellectu sit contra fidẽ: & est sermo etiam de homine verè Christiano, & catholico. pag. 74.

Vtrùm stante vnico iudicio intellectus voluntas maneat libera, vel necesitetur ad sequendum illud, pag. 80.

Sectio II.

De primo actu voluntatis, an in eo moueat se ipsam: vel vtrùm moueatur à solo Deo? Et an volũtas libera sit in intentione finis, vel solùm in electione mediorum? pag. 85.

Sectio III.

De libertate voluntatis quantum ad exercitium, vtrùm sit tam in patria, quàm in via? pag. 103.

Sectio IIII.

Vtrùm voluntas ab efficaci intentione finis, & à plenaria scientia ex parte intellectus determinetur necessariò, vt velit medium vnicum necessarium ad finem. Et an debeat constitui imperium ex parte intellectus. pag. 123.

Controuersia de imperio, an sit constituendum pag. 103.

Sectio V.

A quo determinetur voluntas quando media habent æqualem conuenientiam respectu finis. Et an possit eligere minus bonum relicto meliori medio, pag. 140.

Sectio VI.

An possit esse libertas aliqua antecedenter ad deliberationem, & consultationem rationis, hoc est, an possit esse libertas, in quibusdam actibus, quæ non sit capax bonitatis, & malitiæ laudis aut vituperij? Et vtrùm reperiatur in appetitu sensitiuo. pag. 150.

Discursus Quintus, vbi soluuntur difficultates contentæ in primo huius operis discursu. pag. 164.

Sectio I.

Quomodo intelligatur illud vulgare proloquium. Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam? Et de ordine operum ad gratiam vocantem, & præuenientem. ibid.

Sectio II.

De motione secundarum causarum à Deo, & liberi arbitrij quando operantur, & de depẽdentia liberi arbitrij à Deo. Atque desolutione secundi argumenti primi discursus: An Deus influat in secundas causas ad operandum:

randum:& in liberum arbitrium,pag. 181.

Sectio III.

Quo pacto liberum arbitrium etiam positis omnibus requisitis ad agendum potest nõ agere,& continere actionem suam, & quo pacto voluntas quando operatur,etiam liberè operatur, & à Deo pendet quatenus operatur.pag.195.

Controuersia de præuio influxu, & concursu cum quibusdam: & de libertate voluntatis. pag.204.

Sectio IIII.

In qua agitur de libertate arbitrij quatenus à Deo mouetur,occasione sumpta ex quinto argumento primi discursus. Et quid liberũ arbitrium,pag.216.

An sit de ratione liberi arbitrij, quod sit primum principium? Et quòd Deus non decernat ex præuisione futurorum, pagina 226.

Sectio V.

De potestate eligendi, vel non eligendi liberi arbitrij,qualis sit,& an postulet hæc potestas indifferentiam tanquam quid de eius essentia,pag.235.

Vtrùm liberum arbitrium, seu voluntas,vt libera est habeat determinationem ad exercitium proprij actus,& qua ratione ad eum determinetur,pag.242.

Sectio VI.

Quonam pacto se habeat intellectus ad rationem formalem liberi arbitrij,pag.251,

Vtrùm liberum arbitrium sit fato subiectũ, pag.280.

Quòd Deus non sit causa peccati, pag.285.

An intellectus sit potentia naturaliter determinata ad exercitium proprij actus, pagina 292.

Sectio VII.

De quibusdam difficultatibus liberi arbitrij: & de dominio nostrarum actionum. An habeatur ratione intellectus. Et Vtrùm principium quod est genus liberi arbitrij sit actiuum,idest efficienter productiuum alicuius electionis, & vtrùm hoc sit sola voluntas formaliter,vel potentia ipsa intellectus. Et an conueniat homini secundum quemlibet statum?pag.298.

Dubitatio appendix,an facultas eligendi conueniat homini pro omni statu,pag.321.

INDEX LOCORVM
Sacræ Scripturæ.

A, Columnam primam, B. Secundam designat.

EX VETERI TESTAMENTO.

EX GENESI.

CAP. 1. Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux, pag. 21. A.
3. Serpens decepit me, & comedi, pag. 296. A.

Ex Deuteronomio.

Cap. 29. Non dedit vobis Dominus cor intelligens & oculos videntes, & aures, quæ possent audire vsque ad præsentem diem, pag. 296. A.
30. Ad quod volueris porrige manum, pag. 8. B. & 15. A. & 20. A. & 228. A.

Ex Iosue.

Cap. 24. Optio vobis datur eligite quod placet, pag. 31. A.

Ex libris Regum.

3. Cap. 8. Sit Dominus Deus noster nobiscum & inclinet corda nostra post se, pag. 33. B.

Ex Esther.

Cap. 14. Transfer cor Regis in odium hostis nostri, pag. 33. A.

Ex Iob.

Cap. 12. Deus immutat cor principũ terræ, pag. 1.
22. Dixerũt Deo recede à nobis, pag. 120. A

Ex Psalmis.

Psalm. 3. Dixi nunc cæpi hæc mutatio dexteræ excelsi, pag. 173. A.
16. Satiabor cum apparuerit gloria tua, pag. 116 A.
31. Intellectum tibi dabo in via hac, &c. Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, pag. 296. A.
48. Homo cum in honore esset non intellexit comparatus est iumentis, & similis factus est illis, pag. 296. A.
50. Voluntarie sacrificabo tibi, pag. 208. A.
67. Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu, pag. 55. A.
79. Nunquid obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas, pag. 173. B.
118. Intellectũ da mihi, & viuã, pag. 263.
134. Omnia quæcunque voluit Dominus fe
118. Concupinit anima mea desiderare iustificationes tuas, pag. 66. B.
113. Omnia quæcũque voluit fecit in cœlo, & in terra, pag 43. B.
cit in cœlo, & in terra, pag. 213. A.
128. Ipse mandauit & creata sunt, p. 213. A.

Ex Prouerbijs.

Cap. 14. Errant qui operantur malum, pag. 46. B. & 137. A. & 296. A.
21. Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit vertet illud, pag. 184. A. & 228. A.
22. Prouerbiũ est: Adolescens iuxta viã suã, etiam cum senuerit non recedet ab ea, pag. 179. A.

Ex Sapientia.

Cap. 4. Placens Deo factus dilectus, & viuẽs inter peccatores. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet, &c. pag. 262. B.
5. Stabunt iusti in magna cõstantia; vsque ad, viã autẽ Domini ignorauimus, pag. 296. A.
7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, pag. 120. A.
8. Nemo potest esse continens nisi Deus dederit, pag. 2. A.
11. Quomodo posset aliquid permanere nisi tu voluisses, pag. 213. A.

Ex Ecclesiastico.

Cap. 7. In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis, pag. 296. B.
15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu Consilij sui, vsque ad. Ante hominem vita, & mors, bonum & malum quod placuerit ei dabitur illi, pag. 8. B. & 15. A. & 228. A.
31. Qui potuit trãsgredi, & nõ est transgressus, facere mala, & non fecit, pag. 28. B.

Ex Isaia.

Cap. 1. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos, pag. 208 A.

6. Ecce ego inquit mitte me & dixit vade, & dices populo huic audite audientes, & nolite intelligere, & videte visionem, & nolite cognoscere, vsque ad, sanè eũ, pag. 262. A.

26. Omnia opera nostra operatus est in nobis Dominus, pag. 195. A.

29. Hic populus labijs me honorat, cor autẽ illorum longe est à me, pag. 308. A.

50. Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, pag. 300. B.

65. Inuentus sum à non quærentibus, palam apparui his, qui me nõ interrogabant, pag. 99. B. & 100. A. & 191. B.

Ex Hieremia.

Cap. 10. Non est in homine via eius, nec viri est vt dirigat gressus suos, pag. 190. B.

12. Desolatione desolata est omnis terra quia nullus est qui recogitet corde, pagina 296. A.

16. Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, pag. 2. B.

31. Conuerte me, & conuertar quia tu Dominus Deus meus, pagina 174. B. & 191. A.

Ex Threnis.

Cap. vltimo, Conuerte nos Domine ad te & conuertemur, pag. 8. B. & 174. B.

Ex Ezechiele.

Cap. 18. Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat, pag. 177. A.

36. Non propter vos ego faciam: sed propter nomen meum, pag 173. A.

Ex Daniele.

Cap. 13. Euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlũ, pag. 137. A.

Ex nouo testamento.

Ex Diuo Matthæo.

Cap. 5. Iam mœchatus est in corde suo, pag. 208. A.

10. Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, pag. 178. B.

11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, pag. 172. B.

15. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem, de corde enim exeunt cogitationes prauæ, pag. 228. A.

19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata, pagina 208. A.

23. Hierusalem Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti, pag. 178. A.

Ex Diuo Luca.

Ca. 19. Videns ciuitatem fleuit super illam. Vsque ad, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, pag. 296. B.

23. Pater dimitte illis non enim sciunt quid faciunt, pag. 296. A.

Ex Diuo Ioanne.

Cap. 1. Erat lux vera, quæ illuminat omnem, &c. pag. 41. B.

3. Spiritus vbi vult spirat, & nescis vnde veniat, aut quo vadat, pag. 101. A.

5. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor, pag. 195. B.

6. Nunquid vultis abire, pag. 208. A.

6. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille, pag. 178. B.

6. Operamini cibum, qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam, pag. 164. A.

6. Nemo venit ad me nisi Pater meus traxerit eum, pag. 2. A. & pag. 178. A.

Ex actis Apostolorum.

Cap. 17. In ipso viuimus mouemur & sumus, pag. 184. A. & 212. B.

Ex epist. ad Romanos.

Cap. 7. Scimus quod lex spiritalis est, ego autem carnalis sum venundatus sub peccato, quod enim operor non intelligo; non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum, illud facio, pag. 193. B. & 288. B.

9. Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori, pag. 166. A.

9. Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis, pag. 164 B.

9. Voluntati eius quis resistet, pag. 214. B.

10. Fides ex auditis, pag. 164.

11. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, pag. 132. A.

11. Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, pag. 3. B. & 195. B. & 231. B.

Ex epist. ad Corinthios.

1. Corinth. 2. Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quam nemo principum huius sæculi cognouit, si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, pagina 296. B.

1. Cap 4. Quid habes quod non accepisti, si accepisti quid gloriaris quasi non acceperis? pag. 173. A.

1. Cap. 7. Non habent necessitatem, sed potestatem habent suæ voluntatis, pag. 20. A. & 27. A.

1. Cap. 12. Deus agit omnia in omnibus, pag. 3. B. & 195. A.

1. Cap. 13. Charitas nunquam excidit, pag. 116. B.

2. Cap.3. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, pag.3 B. & 175.B.
2. Cap.5. Siue mente excedimus, pag.55.A.
2. Cap.12. Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui, pag.55.A.

Ex epiſtola ad Galatas.
Cap.5. Fides per dilectionem operatur, pag. 65.B.
5. Sed quod odi malũ, illud facio, pag.192.B.

Ex epiſtola ad Epheſios.
Cap.1. Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, pag.43.B.& 213.A.
2. Gratia ſaluati eſtis per fidem & hæc non ex vobis, ſed Dei donum eſt, nequis glorietur, pag.2.A.& 166.B.

Ex epiſtola ad Philippẽſes.
Cap.2. Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere, pag.28.A.
4. Omnia poſſum in eo qui me confortat, pagina 192.A.

Ex epiſt. ad Coloſſenſes.
Cap.1. Omnia in ipſo conſtant, pag.195.A.

Ex epiſt. ad Timotheum
1. Cap.2. Vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem, veritatis venire, pag. 175.A.

Ex epiſt. ad Hebræos.
Cap.1. Portans omnia verbo virtutis ſuæ, pagina 195.A.
13. Deus pacis qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ouium in ſanguine teſtamenti æterni Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem in vobis quod placeat coram ſe in Ieſum Chriſtum, pag.184.A.

Ex epiſt. D. Petri.
2. Cap.3. Patienter Deus agit nolẽs aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti, pag.177.B.

Ex epiſt. D. Iacobi.
Cap.1. Vnuſquiſque vero tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus, deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero generat mortem, pagina 286.B.

Ex Apocalypſi.
Cap.3. Ego ſto ad oſtium & pulſo, ſiquis aperuerit intrabo, & cænabo cum illo. Pœnitentiam age ecce ſto ad oſtium & pulſo, pagina 172.B.& 177.B.

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVAE in hoc tomo tertio variarum disputationum ad Primam Secundæ continentur, alphabetico ordine digestarum?

A, Primam: B. verò secundam columnam designat?

A.

Actus, seu Actio.

AD actionem liberâ quæ requirātur, pag. 31. A. & pag. 33. B.
Actio libera duplex, pagina 41. A.
Quādo applicatio fit per ipsum actū tunc actus potius antecedit applicationem, quàm è contra, pag. 83. B.
Omnis actus electionis, qui potest esse circa media est absolute liber, pag. 125. B.
Nulla actio essentialiter est in duabus speciebus 161. A.
Idem actus quoad substantiam fieri potest de libero non liber, & è contra, pag. 161. B.
Productio actus vitalis non est creatio, pag. 189. A.
Ita habet homo dominiū suarum actionum, quod etiam Deus sit ipsarum Dominus, pagina 192. A.
Actio potius dicitur requisita ad effectum quam ad agendum 197. B.
Actus liberi nostri à Deo procedunt immediate immediatione virtutis, & suppositi, pag. 208. A.
Actus moraliter infallibilis coacte non efficitur, pag. 223. A.
Actiones humanæ Diuinæ voluntati subiectæ sunt disponenti, vt tali tempore, & modo fiant, pag. 281. A.

Angelus.

Peccatum Angeli fuit ex appetitu superbo suæ beatitudinis, pag. 71. A.
Peccatum Angeli non fuit sine defectu aut in consideratione ex parte intellectus, pag. 72. A.
Non potuit Angelus peccare in primo instāti suæ creationis, pag. 98. B.
Angelus seipsum necessariò amat quoad specificationem, non quoad exercitium, pag. 108. A.
Potest Angelus apprehendere minorem rationem boni in amore sui quā alterius, ibidem. B.
Si dilectio, qua Angelus seipsum amat non est necessaria nec vllus alius amor erit necessarius, pag. 109. A.

Appetitus.

Appetitus sensitiuus bruti determinatus est ad bonum sibi conueniens ex iudicio à natura infixo, pag. 5. A.
In appetitu sensitiuo non est libertas, pag. 18 & 19.
In appetitu sensitiuo hominis secundum se sumpto non est vera libertas sufficiens ad peccatum veniale, pag. 153. A.
In cognitione appetitus sensitiui non potest esse indifferentia, quia procedit à potentia materiali, quæ est ad vnum determinata, ibidem B.
Appetitus sensitiuus hominis non est potentia pure naturalis, pag. 154. A.
Non est cognitio in appetitu sensitiuo potēs discernere inter rationes conuenientiæ, & disconuenientiæ, pag. 155. A.
In appetitu sensitiuo, vt subest actuali imperio rationis, & voluntatis potest esse peccatum, ibidem B.
Nihil tam proprium appetitus rationalis quā duci ratione, pag. 243. B.
Proprium est rationalis appetitus non solum

agere,

agere,& mouere,sed etiam moueri,& determinari moraliter ab alio, pag.244.A.
Immediate applicans obiectum appetitui est potentia cognoscitiua,pag.264.A.
In natura integra non erant passiones appetitus,quæ cõtra rationem insurgere possent, pag.289.A.
Appetitus determinatus est quando cognitio est determinata,pag.312.A.
Appetitus ex suo genere non superat perfectionem potẽtiæ cognoscitiuæ, ibidem B.
Semper est appetitus de particulari operabili:iudicium vero quandoque est de vniuersali,pag.313.A.
Vide titulum,Voluntas.

Apprehensio.

Apprehensionis obiecti factæ per intellectũ duplex consideratio, pag.58.A.
Existimatio plus est quam apprehensio,pag. 71.A.
Per solam apprehensionem nudam obiectum est præsens intellectui,non voluntati,pag. 74.A.

Auxilium.

Auxilium efficax præintelligitur, vt principium conuersionis, & vt actus primus ipsius,pag.13.B.
Deus sufficienter præbet auxilia adultis omnibus,quibus possint si velint in quolibet tempore vitæ se conuertere, pag.177.A.
Vide titulum,Gratia.

B.

Beati & Beatitudo.

In beatitudine in communi non potest apparere aliqua ratio mali, pa.109.B.
Qui sibi mortem asciscunt malum fugiunt, beatitudinem non contemnunt, pagina 109.B.
Potest intellectus inuenire aliquam rationẽ mali vel tædij in affectu dilectionis ipsius beatitudinis,& propterea cessare ab ea, pagina 110.B.& 111.B.
Falsum est quodcunque opus inchoari debere ex voluntate beatitudinis in communi, pag.112.A.
Beati non possunt cessare à visione,& sic nec à dilectione,pag.117.B.
Necessitas dilectionis beatorum non prouenit ex aliquo habitu,sed à principio intrinseco, & natiua virtute voluntatis, pagina 118.B.
Necessitas quoad exercitium in dilectione beatorum non oritur ex imperio efficaci intellectus,pag.119.A.
Duratio perpetua, & inamissibilitas est de ratione beatitudinis,ibidem.
Nullum apparens bonum dimouere potest beatũ ab efficaciori consideratione veri boni,ibidem.
Ab intrinseco supposita eleuatione ipsarum potentiarum fertur voluntas beati necessario in dilectionem Dei, ibidem B.
Defectio beatitudinis nec propria nec aliena voluntate fieri potest.120.A.
Charitas de se necessariò inclinat voluntatem in actualem amorem Dei: vnde ita fit in statu perfecto beatorum 121.A.
Ideo beati simpliciter necessariò diligunt Deum quia in eo impossibile est apparere malum,pag.266.B.

Bonum.

Minus bonum etiam comparatum cum maiori non est formaliter malum, pag.141.A.& 145.A.
Minus bonum solum dicit negationem maioris bonitatis 147.B.
Ratio meriti, & demeriti consequitur bonitatem,& malitiam moralem sicut passio suã essentiam 163.A.
Nulla creatura summam rationem bonitatis continet,pag.249.B.
Quantum sit discriminis inter bona corporea, & spiritualia in ordine ad mouendam voluntatem,pag.262.B.
Bonum determinat voluntatem ad sui amorẽ, pag.267.A.
In summo bono est vnita virtus omnium bonorum,ibidem.
In nullo bono particulari recte cogitanti apparet summa bonitas,pag.278.A.

Brutum.

Brutum non potest non agere supposito suo iudicio determinato hic & nunc, pag.5.B.
Bruto si proponantur duo obiecta omnino æqualia quoad omnes suas circunstantias non conuenit posse se ad aliquam partem determinare,pag.5.B.
In brutis appetitus est primũ mouens quoad exercitium,pag.114.A.
Bruta seruant rectitudinem, sed non propter rectitudinem,pag.218.A.
Bruta habent appetitum determinatum natura sua,& quare 263.B.
Quare brutum necessitetur à bono sensibili sibi proposito,pag.279.B.
Brutis non potest conuenire liberum arbitrium,pag.302.B.

C.

Causa & concursus, siue influxus.

Causa necessaria quid,pag.5.A.
Causa naturalis quomodo, & per quid determinetur ad vnum effectum in singulari,pagina 6.& 7.
Non tantum res,sed modi agendi, & causandi libere aut necessario Deo subiacent,pagina 179.B.
Causa quæ vere producit specialem effectum producit eum secundum substantiam,secũdum speciem, & conditiones indiuiduates in genere causæ efficientis,pag.69.B.

Influxus Dei est influxus in secundam causam, & non tantum in actionē, pag. 183. A.
Non sistit influxus Dei in influxu erga causam, sed trāsit vsque ad effectū, pag. 183. B.
Influxus Christi est sicut influxus capitis in membra, pag. 184. A.
Quomodo vniatur causa secunda cum prima ad operandum, ibidem B.
Aliquando causæ secundæ non solum requirunt ad operandum influxum Dei, sed etiā aliquod complementum potentiæ, pagina 185. B.
Eo solo concursu quo Deus concurrit cum causa secūda ad suos effectus non posset illos producere 186. A.
Axioma illud, quòd causa secunda agit in virtute primæ male explicatur de virtute participata, ibidem.
Non tantum subordinatur causa secūda Deo tanquā principio ad intra, sed etiam influxui & motioni ipsius, quatenus est aliquid manans à Deo & receptum in creatura, pag. 187. A.
Non prius tempore, sed solum prius natura habet causa secunda quando operatur concursum Dei ad operationem, ibidem B.
Participationem habet à Deo causa secunda non solum in quantum est ens, sed etiam in quantum causat, pag. 195. B.
Absque vllo impedimento extrinseco potest Deus actionem causæ secūdæ impedire per solam concursus subtractionem, ibidem.
Concursus Dei est præuius prioritate à qua non in qua, & est simul concomitās in toto discursu durationis ipsius actionis, p. 208. B
Concursus Dei non est vere, & proprie ipsa actio, quæ est effectus ipsius influxus, pag. 209. A.
Causa per accidens est illa qua posita, & omnibus alijs eodem modo se habentibus aliquādo sequitur effectus, aliquando non, pagina 246. A.
Naturalis causa non ideo dicitur particularis, quia determinat vniuersalem quoad exercitium actus, sed quia determinat quoad speciem, pag. 284. A.
Causa vniuersalis prima à nulla causa determinatur primario, & perse quoad exercitium actus, ibidem. B.

Castitas.

Status castitatis in sæculo bonus est, etiā cōparatione facta ad statum religionis, pag. 145. B.

Circunstantiæ.

Circunstantiæ illæ dicuntur, quæ voluntatē aliquo modo circunstant, pag. 271. A.

Cognitio.

Difficile est cognitionem Dei infallibilē circa futura libera fundari in circūstantijs moraliter occurrentibus, pag. 274. A.
Certa & infallibilis omnino cognitio illa est cui nō potest omnino subesse falsum, ibid.
Non est concedendum cognitioni Dei posse subesse falsum, ibidem B.
Vide titulum, Intellectus, &, Intellectio.

Creatura.

Quia creatura ex nihilo est, ideo potest efficacius bonū delectabile peccati, quā honestā tem virtutis apprehendere, pag. 107. B.
Nulla creatura intellectualis pro statu viæ potest ferri necessario quoad exercitiū in aliquod obiectum, pag. 108. A.
Nulla creatura est impeccabilis per naturam, pag. 200. A.

D.

Determinatio.

Dupliciter potest vnum determinari ab alio: primò quoad exercitium, & quasi efficienter, secundo quantum ad speciem, & quasi in genere causæ materialis, pag. 228. B.
Determinatio infallibilis est illa, qua posita semper ponitur effectus, pag. 244. B.
Determinatio & indeterminatio contradictorie opponuntur, pag. 248. A.
Vt voluntas ab indifferentia circa oppositā transeat ad exercitium actus indiget determinatione, ibid. B.
Determinatio infallibilis in genere moris media est inter omnimodam indifferentiam, & omnimodā determinationē, pag. 277. B.

Deus.

Deum cognosci per ignorationem apud D. Dionysiū est cognosci per negationes, pagina 79. A.
Deus cuiuscūque euentus causa perse statuitur, pag. 96. A.
Solus Deus clare visus est obiectum necessarium quoad exercitium, & specificationē, pag. 111. B.
Eadem volitione Deus necessario seipsum diligit, creaturas verò libere, pag. 116. A.
Deus eligit media conuenientia ad finem absque indigentia, homo cum illa, pagina 149. A.
Deus eo modo, secundum quem disponit res aliquas sic vel sic fieri, adaptat eis causas illi modo quem disponit conformes, pagina 224. B.
Mouet Deus nostram voluntatem secundū modum connaturalem eius, pag. 229. B.
Quomodo Deus pro suo beneplacito rebus humanis & Angelicis prouidere possit, pagina 270. B.
Longe diuerso modo Deus est causa bonorū & malorum operum, pag. 286. B.

E.

Electio

Electio est appetitus præconsiliati, pagina 144. B.
Electio appetitus intellectus, pag. 218. B.
In Deo & Angelis reperitur electio, pagina 222. B.
Electio quæ reperitur in Deo & Angelis propria est, & sine vllo discursu, ibidem.

Id quod eligibiliter operatur ſecundum rationem debet operari, pag. 277. B
Non poteſt eſſe electio circa id quod ſubito proponitur ei ab intellectu, & quare, pagi. 226. A.
Electio actus eſt voluntatis, pag. 328. B
Eligere nihil aliud eſt, quam vnum alteri præferre. pag. 329. A

Error.

Error practicus intellectus circa obiectũ ſingulare non eſt contra fidem. pag. 75. A
Non eſt conſtituendus error in intellectu Angeli, ſed tantũ practicus defectus. pa. 77. A
Error eius qui peccat ſemper eſt contra prudentiam, non tamen contra ſcientiam moralem, aut in communi, aut in particulari. pag. 138. A.

F.

Fatum.

Liberum hominis arbitrium non eſt fato ſubiectum. pag. 280. A
Quid ſit fatum ibidem. B.

Finis.

Finis duplex, pag. 114. A.
Actio qua voluntas fertur in finem dicitur intentio propoſitum, & voluntas finis. ibi. B.
Vſus, executio & electio mediorũ verè & proprie dicuntur eſſe effectus finis. pag. 126. B
Non ſolum vſus, & executio mediorũ eſt propter finem, ſed etiam ipſa electio. pa. 127. A
Conſultatio eſt propter finem ex ſe & natura ſua. ibidem.
Idem ſunt agere propter finem, & eligere. pagina. 218. A
Motio & determinatio finis eſt prima omniũ motionum in omni genere cauſæ. pagina 245. A.
Si non determinaretur voluntas à fine operaretur à caſu, vel à fortuna. ibidem. B.
Nulla eſt actio creata quę non habeat cauſam finalem, pag. 291. A
Ad agendum propter finem neceſſaria eſt omnino cognitio, pag. 302. A

G.

Gratia.

Falſum eſt Deũ influere in nos ſua gratia ſub conditione operationis, pag. 166. B.
In primo auxilio potiſsimum gratia Dei conſtituitur. ibidem.
Gratiam actualem & auxilia ſupernaturalia infallibiliter, & neceſſariò ſequi ad opera naturalia ex lege Dei falſum eſſe defenditur, à pag. 167. A. vſque ad 170. A
Deus quantum in ſe, eſt paratus ad dandũ omnibus gratiam ſuam. pag. 172. & 173.
Vt homo recipiat primam gratiam nulla diſpoſitio eſt neceſſaria ex parte ipſius hominis, pag. 173 A. & 174. B.
Illa communis maxima, facienti, quod in ſe eſt Deus, &c. non poteſt explicari de eo, quod eſt agere ex naturæ, ſed ex gratiæ viribus. pagina. 174. B.
Etſi bona opera præcedant primam gratiam non tamen ipſa parant viam, aut habent rationem diſpoſitionis. ibidem.
Gratia prædeſtinationis dat prędeſtinatis ipſis velle & operari, neque ex hoc læditur libertas, pag. 179. B
Ex efficacia gratiæ prouenit, quod nõ ſeparetur à ſuo effectu, non autem ex eo, quod à nobis auferatur potentia ad non conſentiendum, pag. 188. B.
Non ſtat gratiam Dei actu cooperari conuerſionem, & quod ipſa conuerſio peccati non ſit, pag. 198. A
Propter infallibilitatem gratiæ non patitur liberum arbitrium læſionem vllam, pa. 199. B. & 201. A. & 230. B

H.

Habitus.

Habitibus vtimur cum volumus: fieri tamen poteſt, vt ex alio capite potentia non poſſit non vti ipſo habitu, pag. 119. B
Habitus ex ſe non habet indifferentiam. pag. 203. A.

I.

Imperium.

In intellectu conſtituendum eſt imperium. pa 84. A.
Licet imperium ſit actus productus ab intellectu ſupponit tamen motionem voluntatis, pag. 129. B.
Ordinatio & intimatio, quæ inueniũtur in imperio ad intellectum pertinent, motio verò voluntatis eſt opus, pag. 130. B.
Antecedenter & conſequenter ad electionem requiritur in intellectu imperiũ. pa. 132. B.
Imperiũ prius eſt vſu, electione poterius. ibi.
In actibus interioribus imperium eſt etiã conſtituendum, pag. 133. A
Plurimi rectè conſulunt, & iudicant, ob defectum tamen imperij in horum executione tepeſcunt. pag. 133. B
Mouet imperio ſuo intellectus potentias interiores, & exteriores. pag. 134. A
Cæteræ potentiæ recipiunt ab intellectu medio ſuo imperio excitationẽ quandã. ibid.
Quanuis imperium intellectus aliquando nõ ſit neceſſarium, ſemper tamẽ requiritur aut ipſum, aut aliquid ipſi ęquiualens. p. 136. A.
Imperium nullam bonitatem in re quę eligitur ponit, ſed ſupponit, pag. 146. A.

Imputatio.

Falſum eſt quod nulli imputatur, quod ab alio pendet, pag. 174. B
Si aliquis ſponte in aliquod malum incidat à quo per ſe liberari nõ poteſt, ſi nõ liberetur non eſt abſq; eius imputatione. pag. 175. B.

Intellectus, & intellectio.

Notitia intellectus ſimul concurrit cum voluntate tanquam vnum principium integrum actiue ſe habens ad affectum voluntatis, pag. 63. A
Efficientia quam habet intellectus ad operationes voluntatis non eſt per alium con-

cursum distinctum à concursu voluntatis. ibidem.
Intellectus non mouet voluntatem ex eo, quod ponat aliquid in ipsa, aut quia coniungatur illi per inhærentiam, sed præcipue per ordinem, quem habet voluntas ab intellectu, pag 64. & 65.
Quando vnicum tantum est iudicium practicum intellectus, simpliciter determinatur voluntas ad vnum. ibidem.
Intellectio aut volitio nostra duobus modis potest dici prima, pag. 87. A.
Etsi cogitatio intellectus sit naturalis, si tamen per ipsam non proponatur obiectum, vt bonum necessarium non sequetur actus voluntatis necessarius, pag. 92. B
Nobis nihil cogitantibus plerumque in mentem aliqua venire contingunt. pag. 100. A.
Licet intellectio speculatiua Angeli sit necessaria quoad exercitium non tamen cognitio practica qua iudicat se esse hic, & nunc diligendum, pag. 108. B.
Aliquando intellectus patitur necessitatem à sensu, pag. 111. A
Notitia iudicatiua diuidi solet in ostensiuam, & præceptiuam, pag. 134. A
Iudicium practicū intellectus de obiecto prohibito duplici ratione falsum. pag. 138. A.
Propositis duobus medijs æqualibus ab intellectu potest suspendi iudicium de altero bono, pag. 147. B
Iudicari debet semper melius ab intellectu id quod eligitur saltem secundum aliquam circunstantiam, pag. 148. B
Intellectus & anima etiam in corpore existentes habent eminentiam supra ipsum, pagi. 160. A.
Dupliciter potest aliquid à nobis intelligi, pagina. 262. B.
Sæpe contingit nos velle dimouere intellectum ab apprehensione alicuius obiecti, & tamen non posse, pag. 264. B.
Qua ratione intellectus Diuinus actum volūtatis futurum cognoscere possit. pa. 270. B.
Qua ratione intellectus non sit potentia naturalis, qua etiam naturalis dici possit, pagi. 292. A.
Habectus intellet circa cōtingētia operabilia indeterminationem iudicij respectu vtriusque partis contradictionis, pag. 293. A.
Minimam differentiam inter intellectum, & voluntatem constituunt quidam, pa. 294. A
Intellectus pars liberi arbitrij quatenus est radix libertatis, pag. 298. A
Intelligere non est solum quoddam pati. pa. 300. A
Intellectus potentia cognoscitiua secundum rationes particulares & communes, pagina 310. A
Intellectus facultas habens vim quærendi in obiecto rationes, & motiua quibus determinetur ad agendum, vel non agendum. ibidem. B.
Non iudicat intellectus ex absoluta necessitate, pag. 314. A
Prius est intellectum cognoscere, quam voluntatem ad illud mouere. ibidem. B.

L.

Libertas, & Liberum arbitrium.

Quando defenditur liberum arbitrium gratia negari videtur, pag 1. B.
Liberum arbitrium, etiam vt tale est, potentiam obedientialē habet in ordine ad Deū. pag. 7. B.
Libertas non consistit solum in hoc, quod est agere libenter seu spontaneè, sed requiritur potestas agendi, & non agendi, pagina. 15. A
Res quæ ratione carent, carent etiam libertate, pag. 17. & 18.
Libertas formaliter reperitur in voluntate, in intellectu tanquam in radice, pag. 19 B
Libertas triplicem dicit habitudinē ad actus immanentes, ad obiecta, & ad effectus extrinsecos, pag. 30. A
Libertas participata, quare in appetitu sensitiuo hominis, & intellectu reperiatur, secus in membris exterioribus, pag. 38. A
Libertas non est aliquid superadditum, vel distinctum à voluntate, pag. 40. B.
Deum habere liberum arbitrium de fide esse certum, & lumine natura notum. pag. 43. & 44. & 45.
Libertas in creatura rationali optimè potest intelligi sine eo, quod intelligatur libertas deficiendi, pag. 107. A
Cum libertate absoluta, quæ est in electione mediorum stat necessitas consequentiæ, & ex suppositione, quæ oritur ex efficaci intentione finis. pag. 126. A.
Necessitas consequentiæ non destruit libertatem nec rationem meriti, vel demeriti. ibidem, & 216. A
In nullo apertius ostenditur libertas, quàm in electione mediorum æqualium, & in electione minoris boni. pag. 140. A
Libertas sufficiens ad peccatum supponit cognitionem sufficientem ad discernendū inter bonum & malum. pag. 153. B.
Neque naturalis, neque moralis libertas constitui debet in appetitu sensitiuo homims. pag. 155. A.
Bonum, & malum non sunt species liberi, sed potius accidentia respectu libertatis, pagi. 158. B.
Liberum est fundamentum necessarium esse moris, pag. 162. B
Libere fit conuersio in Deum, sed non ex innatis viribus, pag. 165. B.
In bonis & malis actionibus reperiri potest necessitas ipsius vagè cum libertate coniuncta, pag. 177. A
Libertas ad conuersionem, nostri liberi arbitrij est, vires autē ex Deo veniūt. pa. 178. A

Ratione intimæ assistentiæ, quam Deus habet intra liberum arbitrium, habet optimam coaptationem cum eo ad determinandum ipsum suauiter, pag. 180. A
Liberum arbitrium est potentia se mouens, & se agens, ibidem. B.
Liberum arbitrium hominis operatur cum triplici dependētia à Deo qua indiget, vt actu agat. pag. 189. A
Non est de necessitate potentiæ libere operantis, quod sit prima causa sui, pag. 109. A. 226. A. & B. & 282. B
Aliud est habere facultatem libertatis, aliud vero vsum huius facultatis primum ad potentiam, secundum ad actum pertinet, pag. 196. A
Quando dicitur voluntatem positis omnibus requisitis ad operandum posse agere, & non agere intelligi debet non tantum de requisitis antecedenter, sed etiam de concomitantibus, pag. 197. B
Liberum arbitrium facultas intellectus, & voluntatis ad agendum, & non agendum. pag. 200. A.
Prima causa libera quia talis est, ità potest tēperare suum influxum, & motionem in voluntatem, vt non necessitetur voluntas in suo opere, pag. 202. B.
Liber potest esse aliquis effectus procedens à duabus causis, si vna earum concurrat cum indifferentia ad ipsam, pag. 203. A.
Effectus procedens à causa naturali, vt à Deo efficitur est liber, pag. 203. B
Differentia inter liberum, & necessarium, pagina. 215. A
Non est libertas aut potestas in homine, vt simul vtrumque contrarium producat, sed vt hoc vel illud, ibidem.
Liberum arbitrium est principium intrinsecum indifferens ad eligendum, vel non eligendum, pagina. 218. A. & 235. vsque ad 240. A
Ordo intrinsecus ad electionem est essentialis, & propria differentia liberi arbitrij, pagina. 220. B.
Etiam si causa prima ageret ex necessitate naturæ, dum tamen eodem cōcurreret influxu, quo nunc non repelleretur vsus libertatis, & contingentiæ, pag. 255. A
Ex Dei efficacia non ab eius libertate indifferentia & libertas causæ secundæ prouenit pag. 256. A.
Si Deus necessario ageret impederētque diuersum concursum ab eo quem modo impēdit, tunc non essent actiones liberæ nec contingentes, ibidem. B.
Si causa secunda semper esset ad vnum determinata nulla esset contingentia aut libertas, pag. 265. A
Non impedit libertatem iudicium intellectus pag. 282. A
Libertas ac indifferentia arbitrij non oritur ex sola voluntate, pag. 290. A
Liberum arbitrium est potentia actiua. pagina. 299. B
Liberum arbitriū vel est formaliter cognoscitiuum, vel necessario supponit cognitionem, pag. 305. B.
Liberum arbitrium est potentia formaliter appetitiua, & volitiua, pag. 307. A. & B.
Liberum arbitriū non est, nec potest esse formaliter potentia intellectiua. ibidem, & pagina. 308. B
Liberum arbitrium ex sua formalissima ratione est principium eligendi, & non eligendi. pag. 317. B
Quod liberum arbitrium sit potentia eorum, quæ sunt ad finem, pag. 318. B.
Liberum arbitrium potentia est, ratione cuius formaliter, & adæquatè est in creaturis peccatum, & meritum, pag. 319. B

M.

Medium.

Qui ex efficaci proposito finis eligeret medium vnicum, haberet nihilominus nouum meritum, si in ipso medio esset bonitas propria, pag. 138. B
Consultatio non est nisi vbi sunt plura media pag. 144. B.
Vide titulos, Electio, Finis, Voluntas, &c.

Motus.

Mouere & moueri eidem etiam in ordine ad idem conuenire potest, pag. 64. A.
Non valet, aliquid mouetur ab alio: ergo non mouetur à se. pag. 89. A
Terminus motus duplex; pag. 115. A
Quid sit motus despoticus & seruilis, motus etiam regalis, & ciuilis, pag. 154. B.
Moueri ab alio non est solum cooperari cum illo pag. 185. B
Motus quo causæ secundæ mouentur est innominatus, & pertinet ad motionem perfectiuam, pag. 186. A
Motus & concursus, quo quis lapidem mouet est de præuijs, pag. 206. A
Dei motio duplex respectu voluntatis, pagi. 207. A.
Mouere, & moueri sunt correlatiua, si secundum debitam correspondentiam accipiantur, ibidem. B
Correlatiuum actuale motionis Dei non est necessarium, quod sit ipsa conuersio actualis, sed potest esse aliud. ibidem.

Mundus.

Productio vniuersi mire ostendit Deum agere per intellectum, & voluntatem, pagina. 213. B
Potest absolutè loquendo Deus nunc mundum annihilare. pag. 246. B.
Necessario necessitate ex suppositione conseruat Deus nunc vniuersum. ibidem.

Non habet nunc mundus materiam aliquam vim ad determinandam Dei voluntatem, quam habuit in prima sui productione, pagina. 250. A

Vt exerceretur physica potestas destruendi vniuersum tolli deberet moralis determinatio, quæ est iam posita. ibidem.

N.

Natura.

Natura quælibet quæ consequitur suum finem, ita in eo quiescit, vt non possit recessum appetere, pag. 116. A

Forma supernatura is necessitatem naturæ nõ inducit, pag. 180. A.

Naturale agens agit secundum vltimum potentiæ, pag. 202. B.

Negatio.

Quando negatio est causa negationis alicuius rei affirmatio eiusdem rei est causa affirmationis. pag. 268. A.

O.

Obiectum.

Obiectum cognitum ab intellectu cum ipsa actuali cognitione actiue concurrunt ad operationem voluntatis. pag. 58. A.

In propositione obiecti beatifici, & cuiuscunque alterius non reperitur sola ratio conditionis, sed etiam ipsius obiecti, pagi. 118. A.

Obiecti inefficacia, qua ratione dici possit radix indifferentiæ, pag. 270. A.

Vide titulos Intellectus, & Voluntas, &c.

P.

Peccatum.

Fieri non potest, vt sit peccatum in voluntate, nisi in intellectu sit aliquis defectus, pagina. 137. B

In homine qui aliquod peccatũ patratur duo sunt iudicia, quæ contradictoria apparent, sed non sunt, pag. 138. A

Qui est in statu peccati quamuis careat potestate, vt omnino vitet peccatum habet tamen potestatem vitandi hoc vel illud peccatum. pag. 176. B.

Caret peccator potentia morali, non autem potentia & libertate physica ad vitandum peccatum omnino. pag. eadem

Quomodo agat homo quod ipse non agit explicatur ab August. de inclinatione ipsa peccati. pag. 193. A.

Deus non incitat neq; præmouet ad peccatũ pag. 285. A.

Duo, quæ in peccato reperiuntur. ibidem

Deus est causa omnis entitatis realis positiuæ, quæ est in peccato, ibidem. B.

Ratio quare Deus non dicatur causa peccati. pag. 286. A

Causa principalis peccati est potentia creata a qua immediate producitur, pag. eadem.

Concupiscentia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, pagina. 287. B.

Potentia, & Principium.

Differentia inter potentias naturales, & liberas, pag. 6. A

Quid sit de ratione potentiæ liberæ pagina. 8. A.

Potentiã liberam homini conuenire, pagina 9. & 10. A.

Plura de potentia libera & libertate, Vide titulo, Libertas, & Liberum arbitrium.

Duplex modus operandi à principio intrinseco, pag. 16. A.

Bene stat quod aliqua potentia moueat aliam ad operandum, & tamen quod non concurrat cum illa effectiuè ad operationem, pag. 66. A.

Potentia, pure passiua in nullo genere causæ præcedit suum obiectum, bene tamen actiua, pag. 83. A.

Potentia ad quam pertinet finis vniuersalis mouet ad agendum potentias, ad quas fines particulares pertinent, pag. 112. B

Potentia quæ est indifferens ad agendum, & non agendum hoc, & illud indiget duplici principio determinante, vno quoad exercitium, alio quoad specificationem, pagina. 113. A.

Potentiæ naturales non sunt ex se indifferentes, sed potiùs semper determinatæ. ibidem.

Principium indeterminatum, qua ratione tale est debet ab alio determinari, vt actu operetur, pag. 244. B

Quando dicitur potentiam aliquam à natura determinari, pag. 313. B

Potentiæ rationales se habent ad oppositа, pagina. 316. A

Potentiæ intellectiuæ & appetitiuç formaliter distinguuntur, pag. 318. A.

Prudentia.

Prudentia præstituit finem in propria materia, & media ipsa ad finem, pag. 114. B

Eubulia Synesis & Gnome partes sunt potentiales prudentiæ, pag. 131. A

Actus consultandi iudicandi, & præcipiendi sunt proprij actus prudentiæ, ibidem.

Pueri, & Amentes.

Pueri, & amentes de facto habent actus intellectus, & voluntatis, pag. 156. B

Pueri, & amentes aliquando habent actus circa res spiritales, pag. 157. A

Caret actibus liberis iuxta probabiliorem sententiam ibidem. B

Concedi potest in eis libertas iuxta probabilem sententiam, non quidem moralis, sed naturalis, pag. 158.

Amentia turbatio mentis, & rationis, pagina 160. B.

Pueri & amentes carent dominio suarũ actionum. pag. 163. B.

Non dicuntur legem transgredi. ibidem.

Pueri recenter nati propter nimiam humidi-

tatem ligatum habent intellectum. pagina 264. A.
Non esse in pueris sensuum solutionem, pagina. 324. A.

R.

Ratio.

Regula nostrarum operationum est ratio, pagina. 107. B
Ratio principatur appetitui, & dominatur dominio regali, non seruili. pag. 135. A
Ratio perfectior potentia quam voluntas. ibidem. B.
Quid sit esse rationale & intellectiuum. pag. 320. B.

V.

Voluntas, & Volitio.

Indifferentia voluntatis dicit potentiam ad vtrumque, pag. 12. B
Si voluntas est libera in actu secundo cõuersionis melius in actu primo, pag. 14. B.
Quod possit voluntas à Deo necessitari, pag. 15. B.
Indifferentia voluntatis in qua consistit eius libertas non est passiua, sed actiua, pag. 24. A. & 27. B. & 28. & 29.
Voluntas ad actus supernaturales quamuis sit libera non tamen habet vires, nisi à Deo dentur pag. 30. B.
Per voluntatem habet homo dominium suarum operationum non per intellectum, pagina. 34. B.
Nunquam mouetur volũtas nisi præuia cognitione à qua necessario pendet, pag. 53. 54 & 55.
Voluntas non mouetur à quacunque apprehensione intellectus, sed solum à practica. pag. 61. B. & pag. 73. A
Voluntas pendet in suis actionibus à bono apprehenso tanquam à ratione formali agendi, & tanquam ab specificante intrinseco. pag. 67. & 68.
Voluntas nunquam determinatur ad actum liberum hic & nunc, nisi præcedat intellectu practicum iudicium, quo in singulari diffiniat hoc esse eligendum, pag. 77. B
Voluntas sua naturali vi in incognitum ferri non potest, pag. 79. B
Quamuis stante iudicio practico ex parte intellectus non stet voluntatem non operari, potest tamen voluntas repellere tale iudicium, & sic operari, & non operari, pagina. 81. B.
In diuerso genere causæ, & voluntas mouet intellectum, & mouetur ab illo. pagi. 82 B.
Duobus modis contingit voluntatem necessitari posse, pag. 87. B.
Magis ex proprijs mouetur voluntas in electione, quam in intentione, pag 87 B.
Omnis volitio libera habet rationem electionis, & si non habeatur ex vi alicuius elicitæ intentionis finis, pag 88. A.
Voluntas producit efficienter volitionem finis, & se mouet in electione mediorum, pagin. 88. & 89. A
Liberè quantum ad specificationem fertur voluntas circa fines particulares, quos amat. pag. 89. A
Voluntas vniuersali bono necessario inhæret, particulari vero non ita. pag. 90. A
Non fertur voluntas in obiecta particularia naturaliter, id est necessariò, sed naturaliter, id est ex inclinatione naturæ, pagina 90. B.
Necessitatur voluntas quoad specificationem in ordine ad bona particularia, quæ habent necessariam connexionem cum fine vltimo, non tamen quoad exercitium, pag. 91. A. & 110. A
In primo suo actu quo voluntas vult finem mouetur ab aliquo extrinseco siue Deo, siue aliquo principio exteriori, pag. 94. B.
Plura sunt, à quibus regulariter moueri solet homo in sua prima volitione, pag. 95. B.
Principium exterius quod mouet voluntatem in primo actu non est vnum, & idem in Angelis, & hominibus, pag. 99. B
Prima volitio est voluntaria non vt obiectum volitum, sed quia est in potestate nostra, pagina. 101. A.
Ad primam volitionem satis est voluntas, & obiectum per voluntatem propositum, pagina. 102. A.
Primus actus voluntatis effectiuè est ab ipsa. ibidem. B.
Aliquando mouetur voluntas sine ipsius libero consensu. ibidem.
Intentio & fruitio sunt actus voluntatis, & in quo distinguantur. pag. 103. A.
Quòd voluntas moueatur in finem, proprium est ipsi, quòd vero aptè, & cum mediorum ordinatione naturę ipsi conuenit, quatenus à ratione dirigitur, pa. 103. B
Electio est actus voluntatis connotando respectum ad intellectum. pag. 104. A
Voluntas fertur necessario non tamen quoad exercitium in beatitudinem in communi. pag. 109. A
Sicut intellectus nõ fertur necessario in principia prima, ita nec volũtas fertur in finem primum, & vniuersalem. pag. 111. A
Voluntas seipsam & reliquas potentias determinat, pag, 111. A.
In vno & eodem actu sunt simul determinatio quoad exercitium, & quoad specificationem, licet hęc ab intellectu, illa à voluntate proueniat, pag. 113. B
Voluntas non necessitatur in hac vita ab obiecto. pag. 112. A
Prima intellectio antecedit omnem actum voluntatis. ibidem.
Voluntas efficax est voluntas absoluta simpliciter, pag. 124. A
Voluntas ineficax est voluntas conditionalis,

nalis, quæ non fertur absolutè in rem, sed cum quadam dependentia, ibidem.
Cum voluntate intensa circa aliquod obiectum stat voluntas cõtraria absoluta, & efficax, ibidem. B.
Voluntas potest esse efficax sine eo, quod sortiatur effectum, pag. 125. A
Necessitatur voluntas ad electionem medij vnici ex intentione efficaci finis. ibidem.
Etsi medium sit necessarium ad finem, si tamen hoc ignoratur non necessitatur voluntas ad electionem illius. ibidem.
In medio vnico, & necessario ad finem efficaciter intentum non potest apparere aliqua ratio mali, & ideo debet à voluntate eligi, ibidem. B.
Si voluntas necessitaretur necessitate antecedentis simpliciter necessitaretur ad consequens, pag. 126. B.
In electione medij necessarij ad finem determinatur ex intentione, & proposito efficaci finis adiuncto iudicio de vnico medio necessario. pag. 127. B.
In sensu composito stante iudicio practico, vel imperio intellectus, quod aliquid fiat non potest dissentire voluntas, pagina. 136. B.
Nunquam proponuntur voluntati duo media æqualiter conuenientia in ordine ad finem. pag. 143. B.
Probabile est quòd voluntas ex duobus medijs æqualiter propositis neutrum potest eligere, & multo minùs, quod iudicatur minus bonum. pag. 144. A
Probabile est quod voluntas potest ex duobus medijs æqualiter propositis vnum eligere, imo si sit minùs bonum. pagina. 146. A.
Stante intentione, & proposito efficaci finis manet libera voluntas in electione medij, pag. 150. A.
Potest voluntas mouere appetitum in contrarium eius, quod appetebat, pagin. 154. B.
Voluntarium in genere, & in communi non est genus, neque fundamentum moris. pagina. 162. A.
Duplex ratio voluntarij, ibidem.
Quomodo sit intelligendum, quòd actio in tantum est bona in quantum voluntaria. ibidem. B.
Bene possunt esse aliquæ actiones voluntariæ quæ non sint morales. ibidem.
Non stant simul istæ duæ propositiones de inesse, Deus efficaciter mouet voluntatem ad conuersionem, & voluntas non se mouet pag. 188. B
Recipit voluntas cum à Deo mouetur influxum Diuinum in se contemperatum ipsi voluntati, pag. 190. A
Habet homo dominium suarum operationũ, & operatur ex conferentia, & acceptatione voluntatis, pag. 190. B
Non expectat Deus influxum volũtatis creatæ, vt sub hac conditione velit influere, pagina, 191. B
Potest voluntas positis omnibus requisitis ad operandum continere suam operationem, pag. 196. A.
Quando voluntas actu agit implicat, quòd non sit actu determinata, pag. 197. B.
Quamuis voluntas non sit potentia æquè perfecta cum intellectu potest tamen esse formaliter libera, pag. 199. A
Voluntas est libera in actu electionis determinato ad vnum medium per singulare imperium intellectus, pag. 200. B
Pia affectio voluntatis non aufert iudicium seu dictamen intellectus, pag. 201. B
Potest Deus sine suo modo libero agere, & mouere voluntatem, pag. 202. A
Si voluntas in sensu composito non operatur liberè nunquam liberè operatur, pagi. 210. A. & B.
Non mouet Deus liberam voluntatem sicut impetus sagittam, pag. 211. B
Posita volitione ab æterno, qua voluit Deus me scribere non stat simul me id non facere, pag. 212. A
In quocumque temporis momento voluntas hominis antecedit prioritate naturæ suum actum. pag. 214. B.
Voluntas Dei est principium non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habet ad multa, pag. 216. B.
Nunquam fuit difficultas inter sanctos, an voluntas moueretur à Deo motione morali, pag. 229. A
Potest voluntas necessitari à Deo. ibidem.
Etsi intellectus vnam tantum rationem voluntati proponeret, posset quidem illam sequi, & non sequi suspendendo omnino suum actum, pag. 244. A
Voluntas habet dependentiam à Deo, & vt causa moralis, & vt physica, pag. 248. B
Indifferentia voluntatis sumpta pro indeterminatione est quid negatiuum, intrinsecè tamen inclusum in sua essentia. pag. 251. A.
Non est contra rationem voluntarij, quòd eius principium intrinsecum causetur, vel moueatur ab exteriori principio, pag. 252. A.
Voluntas est determinata in bonum suæ substantiæ, pag. 266. B
Voluntas potentia cæca per se ipsam non iudicans de obiecto, pag. 269. A.
Applicans obiectum respectu voluntatis duplex intellectus, scilicet, & voluntas, pag. 269. A.
Imprimit Diuina voluntas voluntati creatæ affectiones aliquas in obiecta. ibidem.
Voluntas est propensio ipsa in bonum substantiæ rationalis, non naturalis, sed libera, pag. 277. B.

Qua ratione voluntas non patiatur neceſsitatem à bono, de quo deliberat intellectus, pag. 278. B.
Primus actus voluntatis eſt ex inſtinctu dato à Deo, pag. 280. A.
In diuinam voluntatem reducendus eſt omnis actus voluntatis creatæ, pag. 282. A.
Nullam haberet voluntas indifferentiam, ſi nullum eſſet bonũ particulare, pag. 290 B.
Voluntas operari non poteſt quando ratio eſt omnino ligata, pag. 223. B.
Voluntas eſt formale principium homini ad ſeipſum mouendum, pag. 327. B.
Non eſt actus humanus ſine eo, quod voluntas ad ipſum præbeat aſſenſum, pa. 328. B.

FINIS.

TOMVS

FINIS.

TOMVS

[illegible]

8.

11
78

8.447